Universidad de Deusto
Biblioteca

ARAGON

IN SECUNDAM SECUNDAE DIVI THOMAE

II

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

FRATRIS

PETRI DE ARAGON, ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI,

Artium, & Sacræ Theologiæ Magiſtri, & in clariſsima Salmanticenſi Academia publici profeſſoris,

IN SECVNDAM SECVNDÆ

Diui Thomæ Doctoris Angelici Commentaria.

DE IVSTITIA ET IVRE.

AD CLARISSIMVM ET Excellentiſsimum Principem D.D. Franciſcum à Stunica & Sotomayor Ducem Vejarenſem, Marchionem de Gibraleon, & Comitem de Benalcazar.



Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Provinciae Loyolensis S.I
ZARAGOZA
33732
Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Provinciae Loyolensis S.I

CVM PRIVILEGIO.

SALMANTICAE,

Apud Guillelmum Foquel.

M. D. XC.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maestro F. Pedro de Aragon de la orden de señor S. Augustin, y Cathedratico de Propriedad de la vniuersidad de Salamanca, nos fue fecha relacion que vos auiades compuesto vn libro intitulado Commentariorum in Secundam secundæ D. Thom. tomus secundus de Iustitia & Iure: en el qual auiades puesto mucho trabajo y cuydado, y era muy vtil y prouechoso, assi para los que professauã la Theologia escholastica, como para los Confessores, y nos supplicastes vos mandassemos dar licencia para le poder imprimir, y priuilegio por veynte años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quãto en el dicho libro se hizo la diligẽcia que la pragmatica por nos sobre ello nueuamẽte fecha, dispone, fue acordado q̃ deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razõ, y nos tuimos lo por bien. Por la qual os damos licencia y facultad, para que por tiempo y espacio de diez años cumplidos primeros siguientes, que corren y se cuentan desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante, vos o la persona que para ello vuestro poder vuiere, y no otra alguna, podays imprimir y vender el dicho libro que de suso se haze mencion. Y por la presente damos licencia y facultad a qualquier impressor destos nuestros Reynos que vos nombraredes, para que por esta vez le pueda imprimir, con que despues de impresso, antes que se venda, lo trayga al nuestro Consejo juntamente con el original que en el fue visto, que va rubricado y firmado al fin de Lucas de Camargo nuestro escriuano de camara, y vno de los que en el nuestro Consejo residen, para que se vea si la dicha impression esta conforme al original, y traygays fe en publica forma, en como por corrector por nos nombrado se vio y corrigio la dicha impression por el original, y se imprimio cõforme a el, y que quedan assi mismo impressas las erratas por el apuntadas para cada vn libro de los que assi fueren impressos, y se os tasse el precio que por cada volumen vuieredes de auer, y mas que durante el dicho tiempo persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir ni vender, so pena que el que lo imprimiere y vendiere aya perdido y pierda qualesquier libros moldes y aparejos que del tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena sea la tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para el que lo denunciare, y la otra tercia parte para la nuestra camara. Y mandamos a los del nuestro Consejo Presidente y Oydores de las nuestras audiencias Alcaldes Alguaziles de la nuestra casa y corte, y Chanzillerias, y a todos los Corregidores Assistente Gouernadores, Alcaldes mayores y Ordinarios, y otros Iuezes, y Iusticias qualesquier de todas las Ciudades Villas, y Lugares de los nuestros Reynos, y Señorios a cada vno dellos en su jurisdicion, assi a los que agora son como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que assi vos hazemos, y contra ella no vos vayan ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en Madrid a nueue dias del mes de Febrero, de mil y quinientos y ochenta y nueue años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

Iuan Vaza.

¶ 2 MA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

MAGISTER Frater Petrus de Rojas Prouintiæ Castellæ de obseruantia, Ordinis D. Patris nostri Augustini Prouincialis,& Prouinciarum eiusdem ordinis in partibus Indiarum Vicarius generalis, licèt indignus, Magistro Fratri Petro de Aragon in Salmanticensi Academia publico,ac proprio professori, salutem. Cùm secundam partem commentariorum in Secundam secũdæ D. Thomæ assiduis lucubrationibus elaboratam in lucem prodere cupias,& cura pastoralis officij exigat,vt his,alijsq; quibus poterimus rationibus Christianæ reipublicæ inseruiamus, nec liber iste paruo emolumento illi sit futurus:eum post obtẽ tam senatus Regij facultatem,typis vt mandes per præsentes literas concedimus.Quod vt diligentiùs exequaris,atque libentiùs,nec obedientiæ meritum tuo pio desit labori, iniungo tibi præceptum salutaris obedientiæ: & eiusdem tenore mandati præcipio,nemo vt ausit ex nostræ Prouintiæ Fratribus,tibi esse impedimento, aut huic copiæ quam tibi indulgemus quoquo modo contrauenire. In cuius fidem has nostras literas sigillo nostri ordinis munitas,& manu propria conscriptas dedimus in nostro cœnobio Sancti Philippi Madriti, die 10. mensis Martij. 1589.

F. Petrus de Rojas
Prouincialis.

CLA-

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI, DOMINO, DOMINO Francisco à Stunica, & Sotomayor; Duci Vejarensi meritissimo, Marchioni de Gibraleon, & Comiti de Benalcazar, multisq; alijs titulis ac nominibus præstantissimo, Magister Frater Petrus de Aragon Ordinis Eremitarum Diui Augustini, & in Salmanticensi Academia publicus professor S. P. D.

LIBRVM hunc de Iustitia, & eius partibus, cum primum absolui, equidem non diu anceps hæsi, cui nam Mæcenati ac Tutellari Deo (vt antiqui dicebant) nuncuparem. Tu enim initio statim meæ cogitationis adiuisti, non solum vt librum & eius autorem sub tua protectione susciperes, verum, vt vtrumque ad te tuo veluti iure vindicares. Nam opus de iustitia & integritate cui alteri dicandum erat, nisi tibi, iustissime & integerrime Princeps? qui posthabitis omnibus exercitationibus,quæ aut vtilitatem tibi, aut voluptatem ingererẽt, & quibus alioqui Duces & optimates toti incumbunt, tute ad iustitiam excolendam,& exercendam in tuis oppidis,quæ & multa & magna sunt, totum conuertisse videris. Quo studio fumosas maiorum tuorũ imagines,& Nobilissimum & Antiquissimum Ducum Vejarensium sanguinem, tam glorioſe illustrasti; vt cum nulla honoris accessio fieri posse credebatur, plurimum splendoris & dignitatis ex tua honestissima & integerrima viuendi norma susceperit. Quare si libros hosce meos de iustitia ad te mitterem, rem tibi gratissimam facturum me semper existimaui, non inde vt iustitiæ administrationem discas, qui docere omnes potes, sed vt ibi tua

Universidad de Deusto
Biblioteca

labores noſtros futuros ſpero. Nam ſiue Theologiæ ſtudio addictus ſis, ſiue iuriſprudentiam profitearis, ſiue ſacrarũ confeſsionum adminiſtrationi vaces, ſiue concionatoris Euangelici fungaris officio, ſiue regimen fori ſecularis, aut Eccleſiaſtici, tuæ ſit curæ demandatum, ſiue tandem abſtruſa philoſophiæ Moralis Ariſtotelicę ſenſa velis perſcrutari, hic vnus liber inſtar mille tibi erit, quo duce ac Theſeo, prædicta munera poteris obire feliciſsimè, & ad optatum finem ac ſcopum compendio peruenire. Siue diues, ſiue pauper ſis multorum aliorum librorũ operoſam emptionem & laborioſam lectionem excuſabis. Demum tale eſt, ac tam neceſſarium opus hoc, vt carmina illa Horatiana confidenter ei accommodari poſsint.

Æque pauperibus prodeſt, locupletibus æque,
Æque neglectum pueris, ſenibuſque nocebit.

Quod meum de hoc libro iudicium, ſi tuo tu, lector, confirmaueris & approbaueris, calcar addes, vt cæteras huius ſecũdæ partis quæſtiones, meis cõmentarijs illuſtrem. Quod fidens tuæ benignitati & gratitudini erga meos labores, iam libens cœpi, & vita duce perficiam. Vale ex hoc conuentu Salmanticenſi. 4. Idus Februarij. 1590.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM ET ARTICVLORVM QVÆIN hoc opere explicantur & continentur.

QVÆSTIO. LVII.

¶De Iuſtitia. Et primo de iure.

1 *Vtrum ius ſit obiectum iuſtitiæ.*
2 *Vtrum ius conuenienter diuidatur in ius naturale & poſitiuum.*
3 *Vtrum ius gentium ſit idem quod ius naturale.*
4 *Vtrum ius dominatiuum & ius paternum debeant diſtingui.*

QVÆSTIO. LVIII.

¶De Iuſtitia.

1 *Quid ſit iuſtitia.*
2 *Vtrum iuſtitia ſemper ſit ad alterum.*
3 *Vtrum iuſtitia ſemper ſit virtus.*
4 *Vtrum ſit in voluntate ſicut in ſubiecto.*
5 *Vtrum ſit virtus generalis.*
6 *Vtrum ſecundum quod eſt virtus generalis, ſit idem in eſſentia cum omni virtute.*
7 *Vtrum ſit aliqua iuſtitia particularis.*
8 *Vtrum iuſtitia particularis habeat propriã materiam.*
9 *Vtrum ſit circa paſsiones, vel circa operationes tantum.*
10 *Vtrum medium iuſtitiæ ſit medium rei.*
11 *Vtrum actus iuſtitiæ ſit reddere vnicuique quod ſuum eſt.*
12 *Vtrum iuſtitia ſit præcipua inter omnes virtutes morales.*

QVÆSTIO. LIX.

¶De Iniuſtitia.

1 *Vtrum iuſtitia ſit ſpeciale vitium.*
2 *Vtrum iniuſta agere ſit proprium iniuſti.*
3 *Vtrum aliquis poſsit iniuſtum pati non volens.*
4 *Vtrum iniuſtitia ex ſuo genere ſit peccatum mortale.*

QVÆSTIO. LX.

¶De Iudicio.

1 *Vtrum iudicium ſit actus iuſtitiæ.*
2 *Vtrum ſit licitum iudicare.*
3 *Vtrum iudicandum ſit per ſuſpiciones.*
4 *Vtrum dubia ſint in meliorem partem interpretanda.*
5 *Vtrum iudicium ſit ſemper ſecundũ leges ſcriptas proferendum.*
6 *Vtrum iudicium per vſurpationem peruertatur.*

QVÆSTIO. LXI.

¶De partibus iuſtitiæ. Et primo de partibus ſubiectiuis, quæ ſunt ſpecies iuſtitiæ. ſ. cõmutatiua & diſtributiua.

1 *Vtrum diſtributiua & commutatiua ſint duæ ſpecies iuſtitiæ.*
2 *Vtrum eodem modo in eis medium accipiatur.*
3 *Vtrum ſit eorundem vniformis vel multiplex materia.*
4 *Vtrum ſecundum aliquam earum ſpecierum iuſtum ſit idem quod contrapaſſum.*

QVÆSTIO. LXII.

¶De reſtitutione quæ eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ.

1 *Vtrum reſtitutio ſit actus commutatiuæ iuſtitiæ.*
2 *Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem omne ablatum reſtitui.*
3 *Vtrum aforte, illud multiplicatum reſtituere.*
4 *Vtrum oporteat reſtitui quod quis non abſtulit.*
5 *Vtrum oporteat reſtitui ei à quo acceptum eſt.*
6 *Vtrum oporteat reſtituere eum qui accepit.*
7 *Vtrum aliquem alium.*
8 *Vtrum ſit ſtatim reſtituendum.*

QVÆSTIO. LXIII.

¶De vitijs oppoſitis prædictis iuſtitiæ partibus. Et primo de acceptione perſonarũ, quæ opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ.

1 *Vtrum perſonarum acceptio ſit peccatum.*
2 *Vtrum habeat locum in diſpenſatione ſpiritualium.*
3 *Vtrum habeat locum in exhibitione honoris.*
4 *Vtrum habeat locum in iudicijs.*

QVÆSTIO. LXIIII.

¶De vitijs oppoſitis commutatiuæ iuſtitiæ. Et primo de homicidio, per quod infertur nocumentum proximo in perſona.

1 *Vtrum occidere animalia bruta, vel etiam plãtas ſit peccatum.*
2 *Vtrum occidere peccatorem ſit licitum.*
3 *Vtrum hoc liceat priuatæ perſonæ, vel ſolũ publicæ.*
4 *Vtrum hoc liceat clerico.*
5 *Vtrum liceat alicui occidere ſeipſum.*
6 *Vtrum liceat alicui occidere hominem iuſtũ.*
7 *Vtrum liceat alicui occidere hominem ſe defendendo.*
8 *Vtrum homicidiũ caſuale ſit peccatũ mortale.*

QVÆSTIO. LXV.

¶De iniurijs in perſonam proximi cõmiſsis.

1 *Vtrum mutilare aliquem in mẽbro in aliquo caſu ſit licitum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Vtrum liceat parentibus verberare filios & dominis seruos.
3 Vtrum liceat aliquem hominem incarcerare.
4 Vtrum aggrauetur peccatum ex hoc quod prædictæ iniuriæ inferuntur in personas aliis coniunctas.

QVÆSTIO. LXVI.

¶De furto per quod infertur nocumentum proximo in rebus.
1 Vtrum possessio exteriorum rerum sit homini naturalis.
2 Vtrum licitum sit, quod aliquis rem aliquam possideat quasi propriam.
3 Vtrum furtum sit occulta acceptio rei alienæ.
4 Vtrum rapina sit peccatum specie differens à furto.
5 Vtrum omne furtum sit peccatum.
6 Vtrum furtum sit peccatum mortale.
7 Vtrum liceat furari in necessitate.
8 Vtrum omnis rapina sit peccatum mortale.
9 Vtrum rapina sit grauius peccatum quàm furtum.

QVÆSTIO. LXVII.

¶De iniuititia iudicis in iudicando.
1 Vtrum aliquis possit iuste iudicare eum, qui non est sibi subditus.
2 Vtrum liceat iudici sententiam ferre contra veritatem quã nouit propter ea quæ sibi proponuntur.
3 Vtrum iudex possit aliquem iniuste condemnare non accusatum.
4 Vtrum possit licite pœnam relaxare.

QVÆSTIO. LXVIII.

¶De his quæ pertinent ad iustam accusationem.
1 Vtrum homo accusare teneatur.
2 Vtrum accusatio facienda sit in scriptis.
3 Quomodo accusatio sit vitiosa.
4 Qualiter male accusantes sint puniendi.

QVÆSTIO. LXIX.

¶De iniustitia ex parte rei siue accusati in sua defensione.
1 Vtrum peccet quis mortaliter negando veritatem per quam condemnaretur.
2 Vtrum liceat alicui calumniose se defendere.
3 Vtrum liceat alicui iudicium subterfugere appellando.
4 Vtrum liceat alicui damnato per violentiam se defendere, si adsit facultas.

QVÆSTIO. LXX.

¶De iniustitia ex parte testis in testificando.
1 Vtrum homo teneatur ad testimonium ferendum.
2 Vtrum duorum vel trium testimonium sufficiat.
3 Vtrum alicuius testimonium repellatur absq; eius culpa.
4 Vtrum perhibere falsum testimonium sit peccatum mortale.

QVÆSTIO. LXXI.

¶De iniustitia quæ fit in iudicio ex parte aduocatorum.
1 Vtrum aduocatus teneatur præstare patrocinium causæ pauperum.
2 Vtrum aliqui debeant arceri ab officio aduocati.
3 Vtrum aduocatus peccet iniustam causam defendendo.
4 Vtrum peccet pecuniam accipiendo pro suo patrocinio.

QVÆSTIO. LXXII.

¶De iniurijs verborum quæ sunt extra iudicium. Et primo de contumelia.
1 Quid sit contumelia.
2 Vtrum omnis contumelia sit peccatum mortale.
3 Vtrum oporteat contumeliosos reprimere.
4 De origine contumeliæ.

QVÆSTIO. LXXIII.

¶De detractione.
1 Quid sit detractio.
2 Vtrum detractio sit peccatum mortale.
3 De comparatione eius ad alia peccata.
4 Vtrum peccet aliquis audiendo detractionem.

QVÆSTIO. LXXIIII.

¶De susurratione.
1 Vtrum susurratio sit peccatum distinctum à detractione.
2 Quod horum sit grauius.

QVÆSTIO. LXXV.

¶De derisione.
1 Vtrum derisio sit speciale peccatum distinctũ ab alijs peccatis, quibus per verba nocumentũ proximo infertur.
2 Vtrum derisio sit peccatum mortale.

QVÆSTIO. LXXVI.

¶De maledictione.
1 Vtrum licite possit aliquis maledicere homini.
2 Vtrum licite possit aliquis maledicere irrationali creaturæ.
3 Vtrum maledictio sit peccatum mortale.
4 De comparatione eius ad alia peccata.

QVÆSTIO. LXXVII.

¶De fraude quæ committitur in emptionibus & venditionibus.
1 Vtrum liceat aliquid vendere plus quàm valeat.
2 Vtrum venditio reddatur iniusta & illicita propter defectum rei venditæ.
3 Vtrum venditor teneatur dicere vitium rei venditæ.
4 Vtrum liceat negotiando vẽdere aliquid plus quàm sit emptum.

QVÆSTIO. LXXVIII.

¶De vsura.
1 Vtrum sit peccatum accipere vsuram pro pecunia

cunia mutuata.
2 Vtrum liceat pro eodem quancunque commoditatem accipere.
3 Vtrum aliquis teneatur restituere id quod de pecunia vsuraria iusto lucro lucratus est.
4 Vtrum liceat mutuo accipere pecuniam sub vsura.

QVÆSTIO. LXXIX.

¶De duabus partibus quasi integralibus iustitiæ quæ sunt facere bonum & declinare à malo.
1 Vtrum duo prædicta sint partes iustitiæ.
2 Vtrum transgressio sit speciale peccatum.
3 Vtrum omissio sit speciale peccatum.
4 De comparatione omissionis ad transgressionem.

QVÆSTIO. LXXX.

¶De partibus potentialibus iustitiæ, scilicet, de virtutibus annexis.
1 Quæ virtutes iustitiæ annectantur.

QVÆSTIO. LXXXI.

¶De singulis virtutibus iustitiæ annexis. Et primo de religione secundum se.
1 Vtrum religio consistat tantum in ordine ad Deum.
2 Vtrum religio sit virtus.
3 Vtrum religio sit vna virtus.
4 Vtrum religio sit specialis virtus.
5 Vtrum religio sit virtus Theologica.
6 Vtrum religio sit præferenda alijs virtutibus moralibus.
7 Vtrum religio habeat exteriores actus.
8 Vtrum religio sit eadem sanctitati.

QVÆSTIO. LXXXII.

¶De actibus interioribus religionis. Et primo de deuotione.
1 Vtrum deuotio sit specialis actus.
2 Vtrum deuotio sit actus religionis.
3 Vtrum contemplatio seu meditatio sit causa deuotionis.
4 Vtrum lætitia sit deuotionis effectus.

QVÆSTIO. LXXXIII.

¶De oratione.
1 Vtrum oratio sit actus appetitiuæ virtutis, vel cognitiuæ.
2 Vtrum conueniens sit orare.
3 Vtrum oratio sit actus religionis.
4 Vtrum soli Deus sit orandus.
5 Vtrum oratione sit aliquid determinate petendum.
6 Vtrum orando debeamus temporalia petere.
7 Vtrum pro alijs orare debeamus.
8 Vtrum debeamus orare pro inimicis.
9 De septem petitionibus orationis Dominicæ.
10 Vtrũ orare sit proprium rationalis creaturæ.
11 Vtrum sancti in patria orent pro nobis.
12 Vtrum oratio debeat esse vocalis.
13 Vtrum attentio requiratur ad orationem.
14 Vtrum oratio debeat esse diuturna.
15 Vtrum oratio sit efficax ad impetrãdum quod petitur.
16 Vtrum oratio sit meritoria.
17 De speciebus orationis.

QVÆSTIO. LXXXIIII.

¶De actibus exterioribus latriæ. Et primo de adoratione per quam aliquis corpus suum ad Deum venerandum exhibet.
1 Vtrum adoratio sit actus latriæ.
2 Vtrum adoratio importet actum interiorem, vel exteriorem.
3 Vtrum adoratio requirat determinationem loci.

QVÆSTIO. LXXXV.

¶De actibus latriæ quibus aliquid de rebus exterioribus Deo offertur. Et primo de sacrificijs.
1 Vtrum offerre sacrificium Deo sit de lege naturæ.
2 Vtrum soli Deo sit sacrificium offerendum.
3 Vtrum Deo offerre sacrificium sit spiritualis actus virtutis.
4 Vtrum omnes teneantur ad sacrificium offerendum.

QVÆSTIO. LXXXVI.

¶De oblationibus & primitijs.
1 Vtrum aliquæ oblationes sint de necessitate præcepti.
2 Quibus oblationes debeantur.
3 De quibus rebus oblationes fieri debeant.
4 Vtrum homines de necessitate teneantur ad oblationes primitiarum.

QVÆSTIO. LXXXVII.

¶De decimis.
1 Vtrum homines teneantur ad soluendas decimas de necessitate præcepti.
2 Vtrum homines teneantur de omnibus rebus decimas dare.
3 Vtrum decimæ debeantur solum clericis.
4 Vtrum clerici teneantur decimas dare.

QVÆSTIO. LXXXVIII.

¶De voto per quod ex cultu latriæ aliquid Deo promittitur.
1 Quid sit votum.
2 Quid cadat sub voto.
3 Vtrum omne votum obliget ad sui obseruationem.
4 Vtrum expediat aliquid vouere: & ad quid sit vtile.
5 Vtrum vouere sit actus latriæ vel religionis.
6 Vtrum sit magis meritorium facere aliquid ex voto quàm sine voto.
7 De solennitate voti. ver quid sit solennizetur.
8 Vtrum illi qui sunt subiecti potestati alterius possint vouere.
9 Vtrum pueri possint voto obligari ad religionis ingressum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tabula quæstionum, & articulorum.

10 *Vtrum votum sit dispensabile, vel cõmutabile.*
11 *Vtrũ in solẽni voto continẽtia possit dispẽsari.*
12 *Vtrum requiratur in dispensatione voti superioris autoritas.*

QVÆSTIO. LXXXIX.

¶De iuramento per quod assumitur nomen diuinum ad verba confirmanda.

1 *Quid sit iuramentum.*
2 *Vtrum iuramentum sit licitum.*
3 *Vtrum iustitia, iudicium, & veritas sint comites iuramenti.*
4 *Vtrum iuramentum sit actus latriæ.*
5 *Vtrum iuramentum sit appetendum & frequẽtandum tanquam vtile & bonum.*
6 *Vtrum liceat iurare per creaturam.*
7 *Vtrum iuramentum sit obligatorium.*
8 *Quæ sit maior obligatio, vtrũ iuramẽti vel voti.*
9 *Vtrum in iuramento possit dispensari.*
10 *Quibus & quando liceat iurare.*

QVÆSTIO. C.

¶De simonia.

1 *Quid sit simonia.*
2 *Vtrum liceat pro sacramentis pecuniam accipere.*
3 *Vtrum liceat pecuniam accipere pro spiritualibus actibus.*
4 *Vtrum liceat vendere ea quæ sunt spiritualibus annexa.*
5 *Vtrum solum munus à manu faciat simoniacum, an etiam munus à lingua & ab obsequio.*
6 *De pœna simoniaci.*

ERRATA.

PAg.5 col.1.lin 18 intendere.lege,intendit.li.31.ei,l &c.li.37.42.ininstitia.l.in iustitia.p.7.c.1.li.32.fiãt. l.fiat.p.34.c.2 li.pen totũ l.nocũ p.81.c.1.li.18.ratio.l.rationis p.99.c.1.li.9.neutra.l.neutrã.p.103.c.2 li. 8 sequeretur.l.sequerẽtur p.109.c 1.li.44 explicada.l.expectãda p.117.c.1.li.12.regulę l.regula.li.20.quod. l.quod,quia.c 2.li.antep.binariũ.l.binari° p.141.c.1.li.pe.abiecto.l.obiecto.p.163.c.1 li.25.quo quędẽ l.quę quidẽ p.164.c.1. li.49.per.l.pro.c 2.li.22 negotiationis.l negationis p.165.c.1.l.28.illi.l nulli p.168.c.1.li.1 domini.l.dãni p.188.c 1.li.44.procliores.l procliuiores.p.199.c.1 li.10 hac l.hac re.p 109.c.1.li.47.impedire l.impendere.p.214.c.2 li.40.1541.l.15.q.1 p 223.c.2.li.27.exeunda.l.exuenda.p.227.c.1.li.34.domino l.dominio.p 232.c.1.li.13 exorta l.extorta li.29.vbi.l.ibi.p.236.c 1.li.31.quanta.l.quantam.p 258.c.1.li 10. dominiũ.l.dominũ.p.275.c.1.li.1.fuisset.l.fecisset.li.31.aduenẽt.l.aduenisset.c 2.li.17.auderet.l.accideret.li.16. art &.l.art.7. &. p.282.c.1.li 16 conducenda.l conducentia. p.294.c.1.li.4 reddit.l reddunt p.300 c.2.li.23. sororum l.socerorũ. p.319.c.2.li.45 iuxta.l.iusta.li.33 educatur.l.educetur p.363.c.1.li.5.deterrentur.l.deterrerentur p.368.c.1.li.27.qui falli nec nec.l.qui nec falli, nec.p.384.c.2.li.48.intentũ l.in tantum p.401.c.2. li.27.quis.l.quisq; li.39.consulendã.l.consulendum. p.430.c 1.li.40.ire l.re c.2.li.41.quem.l.quam. p.435. c.1 li 49.73.l.23.p.439.c.2.li.1.potest l potest esse.p.449.c.1.li.40.intra.l.inter.p.471.c.2.li.28 audeo.l.audio. p.498 c.1.li.44 fundamentũ nisi in.l.fundatum in.p.524.c.2.li.52.cõmemoratur. Quæ.l.commemoraturq. Quæ.p.529.c.1.li.47.quam.l.quia. p.525.c.1.li pen.tẽmen.l.tantum.p.530.c.1.li.16.1.de C l.1.C.p.554.c.1.li. 23.dicit l dicta. p.570.c.2.li.27. qconseuatur.l.conseguatur. p.572.c.2.li.19. quia.l.quã p.598.c.1.li.40.quia. l.qua.p.619.c.2.li.2.conuiciatis.l concutiatis.p.650.c.2.li.51 mutatio.l.mutuatio.p.677.c.2.li.53 quidem.l. qui de.p.687.c 1.li.35 fieri.l.furi.p.703.c 1 li 2.Nã l Non.p.719.c.2 li.23.Pópeio.l.Fõteio c.2.li.42.Benelli. Iaculli. p.739 c.1.li.31. rationem.l. relationem. p.758.c.2.li.55. ego.l ergo. p.770.c 2.li.52.3.l.13 p.783.c. 2 li.8.suam.l.suas. p.801.c.2.li.11.110.l 100. p.838.c.1.li.45.24.l.14. p.844.c.2.li.10.54.l.34. p.862.c.2.li.30. adhiberi.l adhibere. p.869.c.1.li.45.beneficio l. beneficij. pag.910.c.2.li pen. medio.l modo.p.918.c.1.li.2. Quod.l Qui.c.2.li.25 tribus.l.tribus prioribus p.946.c 2.li 20.decimas.l dicimis.pag.974 c 2.li.4 occido.l. occidendo p.1035.c 1.li.12. congregatorũ l.cõiugatorũ p.1043.c 2.li.49.25.l.75 p.1044.c.2.li.37.reuersus.l. recursus. p.1042.c.1 li.22.auctoratione.l.attestatione. p.1060.c 1.li.23.te In.l. In. p.1082.c.2.li.41.autẽ.l. sin autẽ.p.1087.c.2.li.27.notãr.l.notãtur.p.1090.c.2.li. vt.dico.l.duo.p.1091.c.1.li.29.45.l.5. p.1099.c.2.l.2.j. cum eum.l.eum cum. p.1105.c.2.li.32.q.l.d. p.1116.c.1.li.38. vis.l.bis. p.1110.c.2.li.8. cium.l. ficium pag. 1123.c.2 li.3.deligebat.l.diligebat.p.1131.c.1.li.1.incurrat l.incurrant.

Con estas erratas esta correcto este libro, conforme a su original. En fe de lo qual lo firme en Salamanca, oy primero de Março, año 1590.

El Corrector, &c. Emanuel Correa de Montenegro.

FRATRIS PETRI ARAGONII, ORDINIS SANCTI AVGVSTINI,

Artium & Sacræ Theologiæ Magistri, in Secundam Secundæ Diui Thomæ Commentaria.

De Iustitia & Iure.

PROOEMIVM.

MAteria de iustitia, est celeberrima cognitu, difficillima, ac dignissima, & ita necessaria, vt sine ea, nec vita Christiana, nec ciuilis transigi possit. Vt enim D. August. lib. 4. de Ciuitate. cap. 4. inquit, si iustitia semoueatur, quid erunt regnani si præda & latrocinia, & Cicero in Oratione pro Aulo Cluentio, laudes iustitiæ celebrans, inter alia dicit; Hæc fundamentum libertatis, hæc fons æquitatis. De hac ergo, Deo dante, plura dicturi sumus, disputantq; de illa philosophi morales. 5. Ethic. Canonistæ in Decreto distinct. 1. Iurisconsulti, institu. de iustitia & iure. & ff. eodem titul. Isidorus lib. 9. Etymologiarum à cap. 1. vsq; ad 7. Theologi in 4. distinct. 17. sed inter omnes vnus est D. Thom. qui miro ordine de hac materia adeò eleganter & doctè disserit, vt se ipso in hac re superior esse videatur.

A QVÆ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO. LVII.

De Iure, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm ius sit obiectum iustitiæ.

In. 4. 60. art. 1. cor.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd ius non sit obiectũ iustitiæ. Dicit * enim Celsus Iu-

In Digesto vet. lib. 1. tit. 1. in princip.

risconsultus, quòd ius est ars boni & æqui. Ars autem non est obiectum iustitiæ, sed est per se virtus intellectualis, ergo ius non est obiectum iustitiæ.

Lib. 5. Etymol. cap. 3. princip.

2 ¶ Præterea, Lex, sicut Isidor. * dicit in lib Etymol. iuris, est species. Lex autem non est obiectum iustitiæ, sed magis prudentiæ. Vnde &* Philosophus

Lib. 6. Eth. ca. 6. to. 5.

legispositiuam partem prudentiæ ponit, ergo ius non est obiectum iustitiæ.

Ca. 15. circa med. to. 1.

3 ¶ Præterea, Iustitia principaliter subijcit hominem Deo. Dicit * enim Augustin. in lib. de Moribus Ecclesiæ, quòd iustitia est amor tantum Deo seruiens, & ob hoc bene imperans cæteris, quæ homini subiecta sunt. Sed ius non pertinet ad diuina, sed solum ad humana.

Lib. 5. c. 2.

Dicit * enim Isido. in lib. Etymo. quòd fas lex diuina est, ius autem lex humana, ergo ius non est obiectum iustitiæ.

Lib. 5. c. 3. in princip.

¶ SED CONTRA est, quòd Isidor. * dicit in eodem, quòd ius dictum est, quia est iustum. Sed iustum est obiectũ

Lib. 5. c. 1. in princip. tom. 5.

iustitiæ. Dicit enim * Philosophus in 5. Ethic. quòd omnes talem habitum volunt dicere iustitiam à quo operatiui iustorum sunt, ergo ius est obiectum iustitiæ.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd iustitiæ proprium est inter alias virtutes, vt ordinet hominẽ in his, quæ sunt ad alterum. Importat enim æqualitatem quandam, vt ipsum nomen demõstrat, dicuntur enim vulgariter ea quæ adæquantur iustari. Æqualitas autem ad alterum est. Aliæ autem virtutes perficiunt hominem solum in his, quæ ei eõueniunt secundum se ipsum. Sic ergo illud, quòd est rectum in operibus aliarum virtutum, ad quod tendit intentio virtutis quasi in proprium obiectum, non accipitur nisi per comparationem ad agentem. Rectum verò, quod est in opere iustitiæ, etiam præter comparationem ad agentem constituitur per comparationem ad aliud. Illud enim in opere nostro dicitur esse iustũ, quòd respondet secundum aliquam æqualitatem alteri, putà recompensatio mercedis debitæ pro seruitio impenso. Sic ergo iustum dicitur aliquid, quasi habens rectitudinem iustitiæ, ad quod terminatur actio iustitiæ, etiam non considerato qualiter ab agente fiat. Sed in alijs virtutibus non determinatur aliquid rectum, nisi secundum quod aliqualiter fit ab agente. Et propter hoc specialiter iustitiæ præ alijs virtutibus determinatur secundum se obiectum quod vocatur iustum. Et hoc quidem est ius. Vnde manifestum est, quòd ius est obiectum iustitiæ.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod consuetum est, quòd nomina à sui prima impositione retorqueantur ad alia significanda. Sicut nomen medicinæ impositum est primo ad significandum remedium quod præstatur infirmo ad sanandũ: deinde tractũ est ad significandam artem, qua hoc fit: ita etiam hoc nomen, Ius primo impositum est ad significandum ipsam rem iustam. Postmodum autem est deriuatũ ad artem, qua cognoscitur quid sit iustum. Et vlterius ad significandum locum, in quo ius redditur: sicut dicitur aliquis comparere in iure. Et vlterius dicitur etiam ius quod redditur ab eo, ad cuius officium pertinet iustitiam facere: licet etiam id quod decernit, sit iniquum.

¶ Ad secundũ dicẽdum, quòd sicut eorum quæ per artem exterius fiunt, quædam ratio in mente artificis præexistit, quæ dicitur regula artis: ita etiam illius operis iusti, quod ratio determinat, quædam ratio præexistit in mente, quasi quædam prudẽtiæ regula. Et hoc si in scriptum redigatur, vocatur lex. Est enim lex secundum * Isidorum cõ-

Lib. 5. Etymol. cap. 3. parum à princ.

stitutio

stitutio scripta. Et ideò lex non est ipsum ius, propriè loquendo, sed aliqualis ratio iuris.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quia iustitia æqualitatem importat. Deo autem non possumus æquiualens recompensare: inde est, quòd iustum secundũ perfectam rationem nõ possumus reddere Deo. Et propter hoc non dicitur propriè ius lex diuina, sed fas: quia videlicet sufficit Deo, vt impleamus quod possumus, iustitia tamen ad hoc tendit, vt homo, quantum potest, Deo recompenset, totaliter animam ei subijciens.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet D. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: Hoc interest inter virtutem iustitiæ, & alias virtutes, quod rectitudo iustitiæ sumitur in ordine ad alterum, rectitudo autem in alijs virtutibus sumitur in ordine ad agentem. Secunda conclusio: Ius, siue iustum est obiectum iustitiæ. Has duas conclusiones nulla alia ratione probat D. Thom. quam terminorum declaratione.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Iustitia pro omni virtute.

PRo intelligentia huius materiæ aduertẽdum est, quòd hoc nomen iustitia dupliciter accipi potest: vno modo largè pro quãcunq; virtute, in qua significatione viri boni in sacris literis appellantur iusti. Et ratio est: quia cum omnis virtus in quadam æqualitate, & proportione debita secundum regulam rationis consistat, à qua siue per excessum, siue per defectum recedatur, vitium est, conuenienter omni virturi nomen iustitiæ tribuitur. Et propter hanc rationem Hebræi viros bonos appellabant rectos, & virtutes ipsas appellabant rectitudines; ea enim quæ obliqua sunt, & tortuosa, eo ipso sunt inæqualia, & ad iustam mẽsuram reuocari nequeũt. Hac etiam significatione, & acceptione vsus est Christus, Matth. 7. dum dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, aut Phariseorum, &c. Hoc est: Nisi fuerit vestra virtus perfectior, & superior Phariseorũ virtute. Et rursus ibidem: Attendite, ne iustitiam vestram: hoc est, bona opera, faciatis coram hominibus, &c. Sunt quidã, qui hoc testimonium, non de iustitia generali virtute, sed de eleemosyna, quæ ex Hebraici sermonis proprietate iustitiæ nomine appellatur, dicunt esse interpretandum. Cui expositioni non parum adiuuat id, quod Christus statim adiecit, scilicet; Tu autem cum facis eleemosynam, noli tuba canere. Sed potest etiam cõmodè interpretari de generali virtute, sub qua, tanquam eius pars, eleemosyna continetur. De iustitia etiam isto modo accepta intelligendus est Plato in primo & secundo dialogo de republica; vbi ponit paradoxam nimis notãdam dicens: iniustitiam, quæ est in summo non posse nocere: & sic à mediocri iniustitia dicit esse cauendum. De eadem iustitia interpretandum est illud symbolum Pythagoricum; Stateram ne transieris, hoc est, iustitiam, quę generalis virtus est. Nam id ad omnes virtutes pertinere ex verbis Archipi, & Lysiadis, quos citat D. Hieronymus in Apologia contra Rufinum, potest intelligi. Cui simile est illud Prouerb. 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum. Nam ibi per Metaphoram, sicut in symbolo illo Pythagorico, iustitia statera dicitur. Est autem iustitia eo in loco virtus generalis, vt D. Hieronymus commentarijs super eundẽ locum mirificè exponit. Et isto modo non differimus in præsenti de iustitia, nec illa habet proprium obiectum; sed vnaquæq; virtus, pro sua ratione in particulari, habet proprium obiectum. Alio modo sumitur iustitia pro speciali virtute; quæ est ad alterum, cuius proprium munus est debita reddere, & æqualitatem inter ciues seruare: & de hac differimus in præsenti.

Iustitia specialis virtus.

Dubium.

¶ Siquis autem quærat, quæ nam sit ratio, propter quam D. Thom. disputaturus de iustitia præmittit tractatum de iure? Dico breuiter id feciſſe, sequutus doctrinam & ordinẽ Aristotelis, qui lib. 2. de anima, text. 55. dicit ad explicandos habitus, atque potẽtias, ptimò, oportere eorundem habituum, & potentiarum obiecta, à quibus speciem sumunt, explicare. Est autem ius obiectum iustitiæ. Et siquis instet: Nam huic expositioni obstare videtur, quod idem D. Thom. in alia rum virtutum explicatione non prius egit de obiectis, & sic aut ibi, aut hic errauit: Respondeo, id consultò feciſſe D. Tho. propter discrimen, quod est inter obiectum iustitiæ, & obiecta aliarũ virtutum. Obiecta enim aliarum virtutum non sunt in rebus ipsis extra operãtem, sed ipsum rectum, atq; bonum, ad quod referuntur in vnaquaq; illarum sumitur per comparationem, & commensurationem ad operantem ex habitu. Ex quo fit, vt non possit rectè explicari obiectum talium virtutum non explicata prius earundem natura. At verò obiectum iustitiæ est in rebus ipsis sine aliquo ordine aut respectu ad eum, qui operatur: & sic illius cognitio non pendet ex cognitione habitus iustitiæ. Sed potius præsupponitur, vt de obiectis potentiarum affirmat Aristoteles.

Solutio.

Discrimen inter obiectum iustitiæ & aliarum virtutum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iur diuersi modè accipitur.

¶Sed, quoniam ius ponitur obiectum iustitiæ, vt id melius intelligatur aduertendum est, quod hoc nomen, ius, diuersimodè accipitur apud Doctores. Nam primò accipitur pro arte, & peritia, qua homines cognoscunt leges, regulas & præceptiones iurisfaciendi, & in hoc sensu intelligitur Celsus, quando dixit, quòd ius est ars boni & æqui. Secundò, accipitur pro autoritate alicui concessa ex consensu reipublicæ. In qua significatione loquitur Cicero in oratione pro Archia, quando dixit: Quare suo iure noster Ennius sanctos appellat poetas, hoc est, sua autoritate, & pro libertate sua. Tertiò accipitur ius pro ipsa lege, in qua significatione loquitur Gratianus multis in locis. Quartò accipitur pro eo, quod alicui ex iudicis sententia tribuitur. In qua significatione cõmuniter loquuntur homines, quando dicunt eos vti iure suo. Quintò & vltimò accipitur ius pro eo, ad quod terminatur actio iustitiæ, hoc est, id, quod producitur per actionem iustitiæ. In qua significatione dixit Vlpianus in instit. lib. 1. Iustitiam esse constantem, & perpetuã voluntatem ius suum vnicuique tribuendi. Et in hac significatione loquimur nos in præsenti de iure. Et sic secundum istam acceptionem idem est ius, quod iustum. Vnde idem verbum Græcum, *δίκαιον*, quod Latinè significat, Ius, similiter etiam significãt iustum, quod est obiectum iustitiæ.

Obiectum habitus, vel potentiæ dupliciter significatur.

¶Sed est aduertendum, quod obiectum alicuius habitus, vel potentiæ dupliciter potest significari. Vno modo nomine absoluto, nullam includente formaliter relationem ad potentiã, vel ad habitum. Et isto modo ens significatur nomine absoluto, quamuis sit obiectum intellectus, & color quamuis sit obiectum visus. Alio modo potest significari obiectum nomine relatiuo includente formaliter relationem ad potentiam, vel ad habitum, cuius est obiectum. Et sic intelligibile includit relationem ad intellectum, visibile ad visum. Appellanturque ista obiecta formalia potentiarum. Et hoc modo ius, siue iustum est obiectum formale iustitiæ: includit enim in suo conceptu formali relationem ad iustitiam.

Corollar.

¶Ex his colligitur, quòd quamuis hæc nomina, lex, ius, ars, & iustitia, pro eodem inueniantur vsurpata à Doctoribus, differunt tamen inter sese. Nam lex est ratio ipsa seu regula interior in mente, vel exterior in voce, vel in scripto dictans quod iustum est. Ius verò est iustum ipsum existens in rebus, à lege regulatum. Ars verò iuris est scientia ipsa, siue peritia ius faciendi. Et tandem iustitia est virtus existens in voluntate, quæ per artem, & secundum legem ius in rebus constituit.

¶His constitutis circa primam conclusionem D. Thom. in qua inter iustitiam, & alias virtutes tale constituit discrimen, quod rectitudo iustitiæ sumitur in ordine ad alterum: rectitudo autem in alijs virtutibus sumitur per ordinem ad agentem, est difficultas, vtrũ verum sit. Et pro parte negatiua arguitur in hunc modum ex Buridano lib. 5. Eth. quæst. 1. Aut enim loquitur D. Thom. de recto iustitiæ, hoc est, de opere iustitiæ formaliter, & inesse virtutis, aut materialiter, & secundum substantiam operis. Si formaliter certè nullum opus est quod possit dici rectum, nisi facta comparatione ad agentem. Vt enim dicit Aristot. 2. Ethi. cap. 4. opus vt sit rectum debet fieri ex electione agentis, & propter debitum finem intentum ab agente cum alijs circunstantijs, & sic rectum iustitiæ formaliter non abstrahit ab agente. Si verò loquatur materialiter, tunc nulla est differentia inter rectum iustitiæ, & rectum aliarum virtutum: vtrumque enim materialiter sumptum potest dici rectum sine ordine ad agentem. Sicut enim potest quis facere opus iustum, verbi gratia, soluere debitum ob vanam gloriã: ità potest facere actum temperãtiæ ob hypocrisim, & tunc vtrumque erit rectum materialiter: licèt non formaliter, quia intentio est prava; atque ex consequenti quantum ad hoc nullum est discrimen inter iustitiam, & alias virtutes. *Dubium. Argum. ex Buridano.*

¶Circa istum dubium omnes interpretes D. Thom conueniunt in eo, quod D. Tho. loquitur de actibus studiosis absolutè, hoc est, secundum rectitudinem, quam habent ex obiecto, & secundum hãc dicit differre actũ iustitiæ ab actibus aliarum virtutum in eo, scilicet, quod ille rectus & iustus est sine cõparatione ad operantem: alij verò non ità. Sed in dissoluendo argumento à nobis proposito est maxima discordantia. Vnde illius est duplex solutio, vna Caietani in præsenti, altera Soti lib. 3. de iustitia & iure. quæst. 1. art. 1. quæ à nobis suo ordine erunt explicandæ. Caietanus ergo concedit, quod ieiunium factum ex hypocrisi, est opus temperatũ. Et ad argumentum, quo infertur: ergo actus temperantiæ nõ habet suam rectitudinem per cõparationem ad operantem; siquidem adhuc cum proficiscitur ex mala intentione est temperatum, atque ex consequenti rectum materialiter, & secundum substantiam; respondet negando consequentiam. Nam hoc ipsum, quod talis actus sit temperatus habet ex eo, quod est proportionatus pro loco, & tempore, & valetudine, & viribus operãtis. Hæc enim omnia attendenda sunt ad hoc, vt opus dicatur temperatum materialiter, & secundum *Sententia communis. 1. Solutio. ad argum.*

dum substantiam, quamuis intentio operãtis ad id non requiratur. Et sic semper rectitudo materialis temperantiæ sumitur per comparationem ad operantem. Et idem contingit in omnibus alijs virtutibus moralibus. At verò in actu iustitiæ, vt sit rectus & iustus materialiter, nec est necessarium considerare ex parte operantis intentionem, nec conditionem: Sed tantum habenda est ratio illius, cũ quo cõtrahitur: ità, scilicet, vt tantum illi tribuatur, quantum debetur. Et in hoc consistit differentia, quam ponit D. Th. inter iustitiã & alias virtutes. Cui expositioni nõnihil fauere videtur idem D. Th. in corpore articuli: dũ dicit: Sed in alijs virtutibus non determinatur aliquid rectum, nisi secundũ quod aliqualiter fit ab agente. Quibus verbis satis aperte significare videtur ad hoc, vt aliquod opus, putà, temperantiæ, sit rectum, & temperatũ, debere aliquo modo comparari ad operãtẽ, scilicet, ad conditionem, & personam illius, sed non omnimodo. Hæc Caietanus.

2. Solutio. ad argum. veriot.

¶Soto verò, & alij negant ieiunium factũ ex hypocrisi esse opus temperatum, & rectũ, Quam sententiam existimo veriorem. Vnde ad illius explicationem est aduertendum. Primò, quòd obiectum & id, quod vnaquæque virtus intendit est facere, opus rectum, & iustum, vnaquæque in suo genere, temperãtia in actibus temperantiæ, & fortitudo in actibus fortitudinis &c. Secundò est aduertendũ, quòd, quia rectum & iustum dicit relationẽ, & commensurationem ad aliud (rectũ enim dicitur in ordine ad aliquam regulam, & iustum in ordine ad aliquam mẽsuram) & quia in alijs virtutibus iusta regula, & mensura est bonum debitum operanti, iniustitia verò regula est bonum debitum ei, ad quem operatur; idcirco sit, vt in alijs virtutibus illud opus dicatur rectum, & iustum, quod est cõmensuratum, atque conueniens bono operantis, iniustitia autem id opus erit rectũ atq; iustum, quod est commẽsuratum debito eius, ad quem operatur. Et ex his, quæ vera, & manifesta sunt, possumus colligere veritatẽ sententiæ D. Tho. & solutionis, quam nos veriorem esse diximus. Colligitur enim quod reddito debiti, etiam si fiat proterno animo, & praua intentione, erit opus rectum & iustũ: quia est proportionatum suę regulæ, atq; mẽsuræ. At verò ieiunium ob hypocrisin factũ, non erit opus temperatum: quia non est cõmensuratum, nec congruens cũ sua regula. Et hoc est discrimen quod D. Th. ponit inter iustitiam, & alias virtutes. Et ad verba D. Tho. adducta pro sententia Caietani, Respõdetur, quòd illis magis confirmat nostram sententiã. Dicit enim D. Th. quod in alijs virtutibus, putà, in temperantia, ad hoc, vt opus ẽsseatur rectum, debet attendi qualiter fit ab operante. Si autem non haberetur ratio intentionis, vt Caietanus dicebat; sed tantũ conditionis, & virium operantis, tunc actus non considerare tur aliquo modo secundũ quod fit ab operãte sed secundũ quod conuenit cũ operante. Posuit autem D. Th. consultò illam particulam, aliqualiter, vt doceret nõ omnia quæ in actu haberi solent secundum quod exercetur ab operante esse necessaria ad hoc, vt sit bonus & rectus. Hęc enim sunt numero quatuor, scilicet, intentio, finis, promptitudo, intensio, & modus charitatis; ex quibus tria vltima, scilicet, promptitudo, intensio, & modus charitatis etiam si desint, dummodo primum quod est intentio finis remaneat, actus erit censendus bonus, & rectus.

¶In fine huius articuli dicit D. Tho. ius & iustũ esse idẽ: & ex hoc colligit ius esse obiectum iustitiæ. Circa quod est difficultas, vtrũ verum sit. Et pro parte negatiua argumentatur Buridanus, contendens probare, quod ius nihil aliud est, quam leges, quibus ea, quæ iusta sunt præcipiuntur. Argumentum autem desumitur ex testimonio Isidori, quod habetur in Decreto. d. 1. *Dubium. Ratio dubitandi.*

¶Sed hoc non obstãte, dico proculdubio verum esse, quod ius, atq; iustum sunt idem: & vtriusq; vocis eadẽ est vis; significãtq; hæc nomina illã æquitatem, quam quisq; efficit, cũ alteri, quod suũ est, reddit. Et sic ius sicut iustum est obiectũ iustitiæ: de quo loquitur Vlpianus, institu. lib. 1, dicens: Iustitia est cõstans, & perpetua voluntas ius suũ vnicuiq; tribuendi, & Cicero in. 2. Philip. quando dicit: Ius postulas: sed quid ad rẽ plus ille poterat; &c. vbi ius pro iusto accipitur. Idẽ etiam contingit apud plures alios probatos autores, vt est videre apud Thesaurum linguæ Latinæ, verbo ius. *Solutio.*

¶Et ad argumentũ Buridani respõdetur cũ D. Tho. in solutione ad. 1. quod hoc nomen, ius, plura significat; inter quæ non infimũ locũ tenet ea significatio, qua ius pro iusto per iustitiam effecto accipitur. Quin potiùs dicit, quod quemadmodũ nomẽ Medicinæ primo fuit impositum ad significandũ remediũ quod præstatur infirmo ad sanandũ; & inde fuit translatũ nomen ad significandam artẽ, qua hoc fit: ita etiã nomen, ius, primo fuit impositũ ad significandũ ipsam rẽ iustã, & inde deriuatũ ad artẽ, qua cognoscitur quid sit iustũ, & vlteriùs ad significãdũ locũ, in quo ius redditur, in qua significatione dicitur quis in iure cõparere. De hoc etiã nos supra diximus, cũ de significatione huius vocis, ius, ageremus. *Ad argum.*

¶Sed dubiũ est pro quo supponat, ius, siue

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dubium. iustum, quod dicimus esse obiectum iustitiæ. Et est quæstio, vtrùm supponat pro ipsa operatione exteriori iusta, qua vnicuique, quod suum est, redditur: an verò pro æquitate, quæ resultat, & fit ex illa operatione. Ad cuius explicationē est aduertendū, quòd operatio, qua fit ęqualitas, dupliciter potest cōsiderari. Vno modo in executione: altero modo in intentione, hoc est, secundū speciē. Primo modo, operatio non est obiectū iustitiæ; sed effectus: secundò autem modo est obiectum. Nam totū hoc, quod est restituere Petro centum, accipitur à iustitia tanquam eius obiectū, vt autor est D. Th. art. sequenti, & 1.2.q.20. art. 1. ad primū, vbi dicit, quod operatio exterior cōsiderata secundū speciē, & in generali est obiectū interioris operationis, licet posita in executione sit effectus: & sic cōstat, quòd æqualitas, seu iustū, quod remanet post operationē iustitiæ est illius obiectū. Sed est aduertendū, quòd ad hoc, vt illa æqualitas sit iustū, & obiectū iustitiæ, requiritur, quòd sit debita. Si quis enim dat Episcopo centū gratis, & ipse postea conferat beneficiū, dato quod sit inter illos æquale, non tamen est iustū obiectū iustitiæ: quia illud æquale non erat debitū. Et hæc dicta sufficiant de toto isto articulo.

Nota.

Articvlvs. II.

In. q. 60. art. 5. cor. & 1.2. q. 95. art. 4. cor. Et. 5. Eth. le. 12. fin. 1.

¶ *Vtrùm ius conuenienter diuidatur in ius naturale & ius positiuum.*

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur, ꝙ ius nō conueniēter diuidatur in ius naturale & ius positiuū. Illud enim quod est naturale, est mutabile: & idem est apud omnes. Nō autem inuenitur in rebus humanis aliquid tale: quia omnes regulæ iuris humani, in aliquibus casibus deficiūt, nec habent suam virtutem vbique, ergo non est aliquod ius naturale.

2 ¶ Præterea, Illud dicitur esse positiuū quod ex voluntate humana procedit. Sed non ideo aliquid est iustum, quia à voluntate humana procedit, alioquin voluntas hominis iniusta esse non posset. Ergo cum iustū sit idem quod ius, videtur quòd nullum sit ius positiuū.

3 ¶ Præterea, Ius diuinum non est ius naturale, cum excedat naturam humanā. Similiter etiam non est ius positiuum: quia non innititur autoritati humanæ, sed autoritati diuinæ, ergo incōueniēter diuiditur ius ꝑ naturale & positiuū.

¶ Sed Contra est, quòd Philosophus * dicit in quinto Ethic. quòd politici iusti hoc quidem naturale est, hoc autem legale, id est, lege positum. *Li. 5. Eth. ca. 7. inter princ. to. 5.*

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut dictum * est, ius siue iustū est aliquod opus adæquatum alteri secundū aliquem æqualitatis modū. Dupliciter autē potest alicui homini esse aliquid adæquatum. Vno quidē modo ex ipsa natura rei, putà cū aliquis tantū dat, vt tantundem recipiat, & hoc vocatur ius naturale. Alio modo aliquid est adæquatū vel cōmensuratū alteri ex cōdicto, siue ex cōmuni placito, quādo scilicet aliquis reputat se contentū, si tantū accipiat. Quod quidē potest fieri dupliciter. Vno modo per aliquod priuatū condictum, sicut ꝙ firmatur aliquo pacto inter priuatas personas. Alio modo ex cōdicto publico, putà cum totus populus consentit quòd aliquid habeatur quasi adæquatum & commensuratum alteri: vel cū hoc ordinat princeps, qui curam populi habet & eius personam gerit: & hoc dicitur ius positiuum. *Art. prace.*

¶ Ad Primvm ergo dicendū, ꝙ illud [d] quod est naturale, habēs naturā immutabilē, oportet quòd sit semper & vbiq; tale. Natura autē hominis est mutabilis: & ideo id quod naturale est homini, potest aliquando deficere. Sicut naturalē æqualitatē habet, vt deponēti depositū reddatur. Et si ita esset, ꝙ natura humana semper esset recta, hoc esset semp seruādū. Sed quia quādoq; contingit ꝙ volūtas hominis depraua tur, est aliquis casus in quo depositū nō est reddēdū, ne homo peruersam volūtatē habēs, male eo vtatur, vt putà, si furiosus, vel hostis reipublic. arma deposita reposcat.

¶ Ad secundū dicendū, ꝙ voluntas humana ex communi condicto potest aliquid facere iustū in his, quæ secundū se non habent aliquam repugnantiam ad naturalē iustitiam: & in his habet locum ius positiuū. Vnde * Philosophus dicit in. 5. Ethi. quod legale iustum est, quod ex principio quidem nihil differt sic, *Lib. 5. cap. 7. in princ. tom. 5.*

sic, vel aliter: quando autē ponitur, differt. Sed si aliquid de se repugnantiā habeat ad ius naturale, nō potest volūtate humana fieri iustū: putà si statuatur, ꝙ liceat furari, vel adulterium committere. Vnde dicitur Isaiæ. 10. Væ qui condunt leges iniquas.

¶ Ad tertium dicendū, quòd ius diuinum dicitur quod diuinitus promulgatur. Et hoc quidem partim est de his, quę sunt naturaliter iusta, sed tamen eorum iustitia homines latet. Partim autē de his, quæ fiunt iusta institutione diuina. Vnde etiam ius diuinū per hæc duo distingui potest, sicut & ius humanum. Sunt enim in lege diuina quædā præcepta, quia bona: & prohibita, quia mala. Quædā vero bona, quia præcepta, & mala, quia prohibita.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatē respondet D. Tho. vnica conclusione affirmatiua. Et probatur: ius, siue iustum, est opus alteri secundò aliquem æqualitatis modū adæquatū; sed huiusmodi adæquatio potest contingere dupliciter, vno modo ex natura rei, vt cū quis tantū dat, vt tantundē recipiat, quod pertinet ad ius naturæ: alio modo ex cōdicto, seu ex cōmuni beneplacito: vt cū quis reputat se cōtentū, si tantum recipiat, quod pertinet ad ius positiuū, siue id fiant per aliquod priuatū condictum inter priuatas personas firmatum, siue ex condicto publico firmato per legem, cui omnis populus consentit, ergo ius conueniēter diuiditur in ius naturale, & positiuum.

Explicatio Articvli.

Nota. 1. Pro explicatione huius articuli est aduertendū primò, ꝙ vt constat, ex articulo præcedenti, ius aliquando accipitur pro lege aliquando pro æqualitate: sed quomodocunq; sumatur est verum dicere, quod lex siue æqualitas, alia est naturalis, alia positiua.

Nota. 2. ¶ Secundò est aduertendū, quod ius, quod hic diuiditur, potest accipi dupliciter vno modo strictè pro eo iusto ad quod terminatur iustitia, quæ est peculiaris virtus moralis: alio modo latissime pro iusto, ad quodcunq; genus virtutis pertinente. Quemadmodū enim iustitia aliquādo accipitur large pro quacūq; virtute, aliquando autem strictè pro speciali virtute, vt diximus articulo primo huius quæstionis: ità etiā ius, siue iustum est duplex, & de quocunq; illorū potest præsens quæstio intelligi, & quāuis D. Tho. hic peculiariter loquatur de iusto strictè cōsiderato, vt ex verbis ipsius in initio articuli, & infrà. q. 60. ar. 5. videre licet. Nos tamen in præsenti de iusto, siue iure generaliter dicto loquemur, quia quantum attinet ad diuisionem in hoc articulo positam eadem est vtriusque ratio.

Nota. 3. ¶ Tertio est aduertendū, ꝙ Iurisꝛę diuidūt ius in tria mēbra. s. in ius naturale, positiuū, & ius gentiū, vt est videre apud Vlpian. l. 1. ff. de iust. & iur. & apud Gratia. in Decre. d. 1. c. ius. Sed immerito id faciunt. Ius enim gentium ad ius positiuum pertinet; vt docet D. Thom. artic. sequenti.

Dubium. ¶ His cōstitutis est prima difficultas, quid nā sit ius naturale. Vlpianus loco citato dicit, esse quod natura omnia animantia docuit, vt maris & fœminę cōiunctio, & procreatio prolis. Ad idē facit Gratia. d. 1. c. ius naturale. Verum hæc diffinicio nō est bona, colere enim Deū & honorare parētes sunt de iure naturę: & tamē hæc nō docuit natura omnia animantia: bruta enim, nec colunt Deū, nec venerantur parētes. Præterquā quod etiā D. Th. 1.2. q. 91. art. 2. ad. 3. dicit in brutis legē nō inueniri, nisi metaphoricè. Diffinitio recta iuris naturalis est, quā tradit Cicero in libris de lege, & de inuētione dicēs, esse id, quod nō opinio aliqua, sed vis quædā innata nobis inseuit. De quo loquitur Paul. ad Rom. 2. cū dicit: Gentes, quæ legē non habēt (nēpe positiuā) naturaliter, quæ legis sunt, faciūt, habētes opus legis scriptū in frontibus suis. Eandē etiā diffinitionē ponit Arist. 5. Eth. c. 7. dicēs: ius naturale esse, quod vbiq; eandē vim habet: ius verò legale, seu positiuū, quod à principio nihil refert, sic vel sic fiat: sed cōstituta lege multū refert. De hoc iure naturali intꝛpretātur multi illud Psal. 4. Signatū est super nos lumē vultus tui Dñe. Quasi dicat Propheta, lumen naturale esse, quod hominibus bona ostendit. Sed fallūtur profectō: quia de nulla re minus agit Dauid eo in loco. quā de naturali cognitione, quā vel iusti, vel iniusti habent: Sed nomine luminis vultus Domini ibi significatur præsens, & magnū Dei cōtra hostes auxiliū. Agebat enim Propheta eo in Psalmo de sua fuga à regno, filio Absalone persequente. Et inter alia acerba, quę cōmemorat, suorū etiā militū voces ponit, de propria salute desperantiū, & dicit: Multi, id est, magna pars meorū militū de victoria desperantes, dicebant, quis ostēdit nobis bona, hoc est, eripiet nos à præsenti periculo. Quibus regius vates de Domino cōfessus tale responsum opposuit, signatū est super nos lumē vultus tui Domine, hoc est, vt signō atque vexillō est eleuatū lumen vultus Domine, quod in diuinis literis, non, nisi fauorē diuinū significat (ea enim est vis vocis Hebrææ signo. Tā-

Ius naturale quid sit.

Egregia explicatio Psalm. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam si dicat: Quis & vos, ò milites, diffidatis de mea salute; ego tñ fisus sum, q̃ Dñs in hoc bello suũ vexillũ est ostẽsurus, nosq; sua ope sublenaturus. Et quãdo dicit (signatum est) &, dedisti lætitiã præterito vtitur pro futuro, vt hac ratione suæ spei erga Deũ firmitatẽ ostẽdat, qua de futura victoria, tanquã de præterita lætatur. Ex dictis conuincitur duplex error. Vnus antiquissimus assertiũ, nullũ esse ius naturæ, sed id esse iustũ, quod vnicuiq; iustũ videtur. De quo videndus est Arist. 1. Eth. c. 3. & 4. Meta. tex. 22. & 5. Ethi. c. 7. & D. August. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 14. Alter hæreticorũ huius tẽporis, negantiũ esse aliquod ius positiuũ. In quo errore fuit Ioãnes Vuickleff, & Martinus Lutherus, vt referũt Ioãnes Cocleus in vita Lutheri, & Carolus V. Imperator in quodã publico edicto facto anno Dñi. 1521. Eoq; temeritatis peruenit Martinus Lutherus, vt publico igne cõbusserit multos libros iuris Canonici, bullasq; Põtificũ: peiora facturus Iuri Ciuili, nisi magis timuisset sæculi gladiũ, quã Pontificis excõmunicationẽ. De hoc errore videndus est Rophensis. art. 27. & 37. cõtra Lutherũ, & Soto lib. 1. de iust. & iur. q. 6. art. 4. eiusq; impugnatio propriè pertinet ad. 1. 2. q. 95. & 96.

Duplex error de iure.

Ingens temeritas Lutheri.

Dubium.

¶ Secundum dubiũ circa istũ articulũ est, vtrũm ius naturale sit idẽ apud omnes. Ad cuius explicationẽ est aduertendũ primò, quod titulus huius quæstionis potest habere duplicẽ sensum. Primus est, vtrum omnes homines habeãt & cognoscãt eadẽ præcepta naturalia. Secundus, vtrũ id, quod à natura præceptum est semper, & in omni euentu, sit iustũ, & in vtroq; sensu in præsenti disputatur difficultas. ¶ Secundo est aduertendũ, quod inter præcepta legis naturæ; quædã sunt generalia, & quasi prima principia, vt bonũ est faciendũ, malũ est fugiẽdũ, q̃ tibi nõ vis, alteri ne feceris: alia verò sunt, quæ ex his principijs deducũtur euidenter. Et inter hæc adhuc est discretiõ: nã quædã facili negotio deducũtur: alia verò magna cũ difficultate & post diuturnũ laboré. ¶ His positis sit prima conclusio. Lex naturalis quantũ ad prima principia est eadẽ apud omnes: nõ solũ quantũ ad cognitionẽ, sed etiã quantũ ad rectitudinẽ: q̃ est dicere, quòd prima principia legis naturæ ab omnibus cognoscũtur & in omni euẽtu & semper sunt iusta. Probatur: Prima principia practica, quantũ ad hoc, sunt similia principijs speculatiuis: sed prima principia speculatiua semper, & vbiq; sunt vera, & ab omnibus lumine naturali sufficienter cognoscuntur: ergo & prima principia practica semper & in omni euentu sunt iusta, & omnibus nota. Et cõfirmatur: Nullus esse potest adeò barbarus, vt prima principia practica ignoret: ergo lex naturalis quantum ad illa, est vna apud omnes.

1. Conclus. Lex naturalis quantũ ad principia est eadem apud omnes.

¶ Secũda cõclusio: Hæc lex naturalis quãtũ ad cõclusiones, quæ deducuntur ex primis principijs, licet vt in plurimũ sit recta, & iusta apud omnes, nõ tamẽ semper. Et est dicere, q̃ iudicia, quæ ex primis principijs deducuntur nõ semper sunt iusta & recta apud omnes: & sic lex naturalis secundũ illa non est eadẽ semper apud omnes, quantũ ad rectitudinẽ. Probatur: Iustũ, & rectũ in operabilibus sumitur nõ solũ ex obiecto operationis, sed etiã ex omnibus circunstãtijs, quæ in particulari cõcurrunt: sed fieri potest, vt eadẽ operatio, quæ secundũ se & simpliciter considerata erat iusta, & recta & à lege præcepta cõsiderata in particulari propter aliquas circũstãtias sit praua, ergo & fieri poterit, vt præceptũ naturæ, q̃ secundũ se erat iustũ in particulari sit prauũ, ꝓpter aliquã circũstantiã. Quod & hoc exẽplo declaratur. Nam ex hoc principio: Quod tibi nõ vis alteri ne feceris statim necessario sequitur, alienũ nec esse accipiendũ, nec retinẽdũ inuito dño rationabiliter. Et ex hac cõclusione rursus infertur depositũ esse restituendũ: quod quidẽ præceptũ vt in plurimũ rectũ est & iustũ. Sed si eueniat, quod Dñs depositi in perniciẽ propriã, vel reipublicæ velit vti deposito ratione illius circũstãtiæ id, q̃ natura sua erat rectũ efficitur malũ, & sic patet, q̃ iudicia practica deducta ex primis principijs, nõ semper & in omni euentu sunt iusta.

2. Conclus. Lex naturalis quantum ad cõclusiones non semper est recta & iusta.

Errare in discursu practico est valde facile.

¶ Ex quo infertur esse valde facile errare in discursu practico, in quo ex principijs vniuersalib⁹ deducuntur conclusiones ad res particulares operandas. Nã cum ad statuendũ quid in particulari sit bonum oporteat considerare omnes circunstantias, & noster intellectus difficiliter possit attendere ad plura, fit, vt in suo discursu & ratiocinatione sæpè sæpiùs erret.

¶ Tertia cõclusio. Lex naturalis quãtũ ad cõclusiones, quæ deducuntur ex primis principijs, nõ semper est omnibus nota. Et est dicere, quod non omnes homines cognoscunt ea dẽ præcepta naturalia; si loquamur de præceptis, quæ ex primis principijs deducũtur. Probat. Multi homines, ꝓpter ingenij imbecillitatẽ nequeũt intelligere necessitatẽ illationis: alij verò propter multas circũstãtias, ad quas attẽdere oportet, assequi nequeũt quid sit rectũ: ergo lex naturalis, quãtũ ad cõclusiones nõ est semper omnibus nota. Item idẽ probatur ex differẽtia, quæ est inter intellectũ practicũ, & speculatiuũ. Nã intellectus speculatiu⁹, quia versatur circa necessaria, quæ aliter se habere nõ possũt, eãdẽ veritatẽ, quã intuetur in principijs, reperit in cõclusionib⁹ absq; aliquo defectu. Cęterũ intellectus practicus, quia

3. Conclus. Lex naturalis quãtũ ad conclusiones non semper est nota omnibus.

quia ex principijs necessarijs discurrit ad contingẽtia, & particularia, circa quę actiones humanæ versantur, fit, vt in illis defectus cõtingere possit, tam ex parte rectitudinis, quam ex parte cognitionis.

Corollarium.

¶ Ex dictis infertur, esse quædã præcepta legis naturæ, quæ nulla ratione iniusta esse possũt, nec ab aliquo ignorari; quale est illud qd tibi non vis, &c. Et quãtũ ad hęc lex naturalis semper est eadẽ apud omnes, tã quo ad cognitionẽ, quã quo ad rectitudinẽ. Alia verò sunt quæ licet, vt in plurimũ, sint iusta, & ab omnib⁹ cognoscãtur, tamẽ in casu particulari iniusta esse possũt, & ab hominibus ignorari. Qualia sunt illa, quæ ex principijs primis deducũtur, inter quæ quidẽ illa, quæ magis distant à primis principijs facilius iniusta esse possunt, & ab hominibus nesciri. Et quantũ ad hæc lex naturalis non est eadem semper apud omnes; nec quantum ad cognitionem, nec quantum ad rectitudinem, vt diximus.

Aliud est legẽ mutari aliud per fici.

¶ Et si quis quærat, vtrũ ius naturæ possit mutari, aduertẽdũ est ꝓ solutione, aliud esse legẽ mutari, aliud verò perfici. Mutatur eñ ꝓprie cũ abrogat, aut ex iusta fit iniusta, pficit verò, cũ ex adiũctis reb⁹ additis efficitur honestior.

1. dictum.

¶ Quo supposito, dico primo, quòd lex naturæ, quo ad vtraq; præcepta, potest perfici, vt autor est D. Tho. 1. 2. q. 94. ar. 5. perficitur enim tã per legẽ humanã, quã supernaturalẽ: nã lex humana statuit graues pœnas in trãsgressores legis naturę, & hic addit maiorẽ vim coerciuã. Itẽ lex supernaturalis multis in locis præcepta naturalia hominũ vitijs obscurata illustrat; vt est videre apud Matthæũ c. 5. & etiã vocat eã in altiorem finẽ, quam habet lex naturalis, & sic cõstat, quod illã perficit.

2. dictum.

¶ Dico secundò, quod lex naturalis, quantũ ad prima præcepta propriè mutari nõ potest; bene tamẽ quo ad secũda: quia illa iniusta esse nõ possunt: bene tamẽ hæc vt statim dicebã. Quanuis propriè loquẽdo hæc mutatio nõ tã fit in lege, quã in rebus ipsis. Veritas enim illius præcepti; depositũ reddendũ est, nõ mutatur nisi mutatis rebus, ex quarũ mutatione, contraria nascitur veritas. Ita asserit Arist. 5. Eth. c. 7. Vbi dicit, quod iⁿ naturæ immutabile est; sicut ignis, qui vbiq; vrit. Quod de primis præceptis est intelligendũ. Nã de secundis subdit statim, mutari posse, non quidem quo ad Deos, qui immutabiles sunt, sed quoadnos, qui mutari possumus. Quibus verbis apertè significat, mutationẽ in præceptis naturalibus oriri ex rerum mutatione.

Circa ius positiuũ, supposito tanquã certo in republica tã ecclesiastica, quàm seculari esse potestatẽ condẽdi ius positiuũ obligans in conscientia, vt diffinitum est in concilio Vienensi, & habetur in Clemẽtina, ad nostrũ, de hæreticis, & in Cõstantiẽsi, de quo est videndus Soto lib. 1. de iustitia, q. 6. ar. 4. & d. Tho. 1. 2. q. 96. ar. 4. Aduertẽdũ est primo, quòd iustũ positiuũ, siue humanũ, siue diuinũ, etiam potest terminare actũ iustitiæ virtutis, vnde violatio iuris positiui erit iniustitia, & cõtra ius naturæ. Qui enim vendit triticũ pluris, quã taxatũ est lege humana proculdubio cõmittit furtũ & peccat contra ius naturæ. Et si quis argumentetur: Nã ex hoc sequi videtur quod qui comedit carnes in quadragesima peccat cõtra ius naturæ, & sic nullũ peccatũ erit cõtra ius positiuũ, Respõdetur, verũ esse, quòd qui peccat contra ius positiuũ, peccat etiã contra ius naturæ, à quo ius positiuũ derivatur, vt autor est D. Tho. 1. 2. q. 95. art. 2. cũ hoc tamen stat, quod quædam peccata dicantur contra ius positiuũ, ex eo solum, quod immediate sunt contra legẽ aliquã positiuã: nã mediate etiã sunt contra ius naturæ, alia verò peccata dicuntur simpliciter contra ius naturæ, quia immediate pugnãt cũ iure naturali. Secundò, est aduertẽdum, quòd, vt cõstat ex D. Tho. in hoc articulo, ex triplici capite potest prouenire, quod aliquid dicatur ius, seu iustum humanum. Primo, ex peculiari conditio, seu beneplacito inter duos homines: vt inemptionibus, & vẽditionibus, & in satisfactione iniuriarũ: quæ omnia inter duos geruntur. Secundò ex peculiari consensu populi; vt cum cõmuniter cõsentit populus, quod panis, vinũ & oleum tãti, vel tãti vendantur. Tertiò, ex lege quæ aliquãdo determinat pretium: vt in tritico. Et est differentia inter hęc tria. Nã in primis duobus iustis iustũ nõ cõsistit in indiuisibili: sed parũ plus minus ve dicitur iustum; vt cũ quis vendit domũ, aut equũ &c. At verò, tertiũ iustũ cõsistit in indiuisibili: vnde si trãsiliatur, erit iniustũ: vt qui vendit triticũ pluris, quàm taxatum est facit iniustũ & tenetur restituere totum id, quod accipit supra iustum quod taxatum erat.

Circa 1ᵐ positiuum. Nota. 1.

Nota. 2.

¶ Tertiò est aduertendũ, quòd ius naturæ, & positiuum in multis differunt. Primo ex parte causæ efficientis: nam causa efficiens iuris naturalis est Deus, causa verò efficiens iuris positiui humani (de positiuo enim humano loquimur & nõ de positiuo diuino) est homo. Secũdò differũt ex parte causæ formalis, seu exẽplaris: nã exemplar iuris naturalis est lumẽ naturalis rationis: exẽplar verò & regula iuris humani est ipsũ ius naturæ: in tãtũ enim ius humanũ est rectũ in quantũ cõsonat iuri naturæ. Tertio differunt ex parte obligationis; quia ius naturę obligat omnes & semper, estq; immutabile: at verò ius positiuum nec obligat omnes, nec semper, & est mutabile.

Nota. 3. Ius naturæ & positiuũ differũt in multis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quando autē dicimus, ius positiuū obligare omnes, & semper, & esse inuariabile, est intelligendū, quantūm ad prima principia: nā de secūdis præceptis iā diximus in hoc articulo esse variabilia ex peculiaribus circunstantijs: quanuis regulariter loquēdo semper & omnes obligent. Quartò, differūt in eo, quod, vt aliquid ut ius naturæ, necessariū est, quod per bonā & euidentē consequentiā deducatur ex primis principijs practicis: at verò ius positiuū non deducitur per bonā & euidentē consequentiā ex iure naturali: sed est cōsonum illi. Vt V.g. ius naturale dictat sceleratos esse puniēdos, ex quo per bonā consequētiā deducitur, quod latrones & hæretici sunt puniēdi: & sic hæc sunt de iure naturæ. Cæterū quòd hæretici cōburantur, & latrones suspēdantur, nō sequitur per bonā consequentiam ex lege naturæ, sed sunt consona illi, & sic pertinent ad ius humanum. Et hæc dicta sunt de toto isto articulo.

ARTICVLVS III.

Vtrum ius gentium sit idem cum iure naturali.

1.2.q.95. artic.4. ad primum, & 5.Eth. lec. 12.fin. In digesto. vet. libr.1. tit.1. le.9.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod ius gentiū sit idē cū iure naturali. Non enim omnes homines conueniūt, nisi in eo quod est eis naturale. Sed in iure gentiū omnes homines conueniūt. Dicit * enim Iurisc̄ōsultus, quòd ius gentiū est, quo gentes humanæ vruntur, ergo ius gentium est ius naturale.

Li.1.Polit. ca.3.& 4. tom.5.

2 ¶Præterea, Seruitus inter homines est naturalis: quidā enim sunt naturaliter serui, vt Philosophus * probat in primo Polit. Sed seruitutes pertinent ad ius gentium, vt Isidor. * dicit, ergo ius gentium est ius naturale.

Lib.5. Etymol.cap.6. Ar.præced.

3 ¶Præterea Ius vt dictum * est, diuidi tur perius naturale, & positiuū, sed ius gentium non est ius positiuū. Nō enim omnes gentes vnquam conuenerunt: vt ex communi cōdicto aliquid statuerent, ergo ius gentium est ius naturale.

Lib.5. Etymol. cap.4. in prin.

¶SED CONTRA est quod Isido. * dicit, quòd ius aut naturale est aut ciuile, aut gentium: & ita ius gentium distinguitur à iure naturali.

Ar.præced.

RESPONDEO dicēdum, quòd sicut * dictū est, ius siue iustū naturale est, q̄ ex sui natura est adæquatū vel cōmensuratū alteri. Hoc autē potest cōtingere dupliciter. Vno modo secundū absolutā sui considerationē: sicut masculus ex sui ratione habet cōmensurationē ad fœminā vt ex ea generet, & parēs ad filiū, vt eū nutriat. Alio modo aliqd est naturaliter alteri cōmēsuratū, nō secūdū absolutā sui rationē, sed secundū aliquid, qđ ex ipso sequitur, putà, proprietas possessionū. Si enim considerētur iste ager absolutè, nō habet vnde magis sit huius, quàm illi⁹. Sed si cōsideretur per respectū ad opportunitatē colēdi, & ad pacificū vsū agri, secūdū hoc habet quādam cōmēsurationem ad hoc, quod sit vnius & non alterius: vt patet * per Philosophū in. 2. Polit. absolutè autē apprehēdere aliquid nō solū conuenit homini, sed etiā alijs animalib⁹: & ideo ius quod dicitur naturale secundū primū modū, cōmune est nobis & alijs animalibus. A iure autē naturali sic dicto recedit ius gētiū, vt Iurisc̄ōsultus dicit: quia illud omnibus animalibus, hoc solū hominibus inter se cōmune est. Cōsidera re autē aliquid, cōparando ad id quod ex ipso sequitur, est propriū rationis. Et ideo hoc idē est naturale homini secūdū rationē naturalē, quę hoc dictat. Et ideo dicit * Caius Iurisc̄ōsultus. Quòd naturalis ratio inter omnes homines cōstituit id, quod apud omnes gētes custoditur: vocaturque ius gentium. Et per hoc patet responsio ad primum.

Lib.2.c.3. tom.5.

In digesto vet. libr.1 tit.1 leg.9

¶AD SECVNDVM dicendū, quòd hūe hominē esse seruū, absolutè considerādo, magis quàm aliū, nō habet rationē naturalē, sed solū secundū aliquā vtilitatē consequentē: in quantum vtile est huic, quòd regatur à sapientiori: & illi quòd ad hoc iuuetur, vt dicitur in primo * Politic. Et ideo seruitus pertinēs ad ius gentium est naturalis secundo modo, sed non primo modo.

Lib.1.c.3. in fine præcipuè.to.5.

¶Ad tertiū dicendū, q̄ quia ea quę sūt iuris gentiū, naturalis ratio dictat, putà ex propinquo habentia æquitatē: inde est q̄ non indigent aliqua speciali institutione, sed ipsa naturalis ratio cā instituit, vt dictū * est in autoritate inducta.

Arg.1. & inst.cor.ar.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito iustum naturale esse, quod ex sui natura est adæquatum, vel cōmensuratum alteri, & quod hæc cōmensuratio potest

contingere dupliciter; vno modo absolutè; alio modo in ordine ad aliquem finē, respondet D. Tho. ad difficultatem vnica cōclusione, quę ex verbis ipsius colligitur, & est talis. Ius gentiū non est idē simpliciter, quod ius naturale. Probatur: Id dicitur esse de iure naturæ, quod ex natura sua absolutè est commensuratū: & id dicitur de iure gentiū, quod est adæquatum ex natura sua nō absolutè, sed in ordine ad aliquem finem: ergo ius gentiū non est idem simpliciter, quod ius naturale.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRæcipua difficultas circa istum articulū est, an ius gentium pertineat ad ius naturale, vel ad positiuum. Et quidem quod pertineat ad ius naturale, probatur multis & validissimis argumentis. Primò: Id, quod colligitur ex principijs naturæ per bonam & euidentē consequentiā, pertinet ad ius naturale, & cōtinetur sub illo, vt diximus articulo præcedēti: sed ius gentiū colligitur ex principijs naturæ per bonā, & euidentē consequentiā, ergo pertinet ad illud. Consequentia cū maiori est nota: & minor probatur. Hæc sunt principia iuris naturalis: Agri sunt diligēter colendi: & pax & tranquillitas reipublicę est seruanda: sed ex his principijs in bona cōsequentia infertur, quod ne agri segniter colantur, aut pax & tranquillitas reipublicæ perturbetur, rerum diuisio sit facienda, quæ secundum omnes est de iure gentium: ergo ius gentium colligitur ex principijs naturæ, atq; ex consequenti est idem cum iure naturali.

Dubium. Primum argumentū.

Secundum argumentum.

¶Secundò sic argumentor: Eodem præcepto & iure, quo præcipitur finis præcipiūtur & media necessaria ad talis finis cōsequutionem, vt verbi gratia, quia iure naturæ tenemur conseruare vitam, eodem etiam iure tenemur sūmere cibum necessarium advitæ cō seruationem; sed ius gentium est necessariū ad conseruationem iuris naturalis & ordinatur ad illud: ergo ius gentium pertinet ad ius naturæ.

Tertium argumentū.

¶ Tertiò. Si ius gentium pertineret ad ius positiuum, sequeretur, quòd posset à principe vel à republica abrogari: ius enim positiuum pendet ex beneplacito & volūtate principis; atq; ex consequenti, si modo Philippus rex Hispaniæ abrogaret ius de diuisione rerum, & dominiorum, omnia possiderentur in communi: consequens autem est absurdū, ergo dicendum est quod ius gentium pertinet ad ius naturæ, super quod nulla potest cadere abrogatio, vel dispēsatio. Et confirmatur: Nā in lege veluti. ff. de iustitia & iure, dicit Pomponius religionem erga Deum, & vt parentibus, & pattiæ pareamus esse de iure gētium, & in l. vt vim. dicit Florentinus, iniuriā propulsare ad idem spectare ius: sed hæc sunt de iure naturæ, nam præceptum religionis & honorandi parentes, continetur in Decalogo, in quo non, nisi præcepta iuris naturę ponūtur, & sic omnia sunt indispēsabilia, vt autor est D. Thom. 1.2. quæst. 100. ar. 8. & propulsatio iniuriarum est conclusio illius principij; Vna quæque res appetit se conseruare: ergo ius gētium est idem cum naturali. In contrarium tamen est: Nam D. Isidorus lib. 5. Etym. ca. 4. & refertur in decretis d. 1. cap. ius autem, dicit: Ius aut naturale est, aut ciuile, aut gentium, quibus verbis, vt constat, ius gentium distinguit à naturali.

Confirmatio.

Iuris prudētes varij.

¶In hac difficultate non solum iurisprudētes varij sunt confundentes interdum ius gentium cum naturali, & interdum distinguentes: sed nec etiam D. Tho. sibi satis constat. Nam in hoc articulo videtur significare ius gentium pertinere ad ius naturale: supposito enim, quod ius naturæ est illud, quod ex natura sua est commensuratum, & quod hoc potest contingere, vel secundum absolutam cōsiderationem, vel in ordine ad aliquem finē, dicit ius gentium esse id, quod non absolutè sed in ordine ad aliquem finem ex natura sua est commensuratum; quibus verbis apertè significatur ius gentium pertinere ad ius naturæ, cum tamen. 1.2. quæst. 95. art. 4. ius positiuum diuidatur in ius gentiū, & ciuile.

Sententia Soti.

¶Soto lib. 1. de iustitia & iure, q. 5. ar. 4. hac ratione distinguit inter ius naturale, & ius gētiū. Dicit enim, quòd prima principia practica, quę homines sine discursu cognoscūt, quia à natura sunt indita mētibus nostris, vt, bona sunt agēda, & mala fugiēda. Quod tibi non vis alteri ne feceris, &c. proprie cōstituūt ius naturæ: cōclusiones vero inde deductæ pertinēt ad ius gentiū. Cæterū hæc sentētia vera esse nō potest: nā ex ea sequitur omnia præcepta Decalogi esse de iure gentiū; si quidē omnia sūt cōclusiones ex primis præceptis naturalib⁹ deductæ: quod est falsum. Primò, quia vt statim dicemus, quæ sunt de iure gentiū à perfecta republica abrogari possunt; præcepta verò Decalogi à nulla republica possūt abrogari. Secundò, quia cōclusiones, quæ necessaria consequētia deducūtur ex primis principijs practicis, ita habēt cū illis necessariā connexionē, vt sine illis retitudo naturalis cōstare nō possit: ex quo fit, vt sint de iure naturę sicut & principia. Quicūq; enim præcipit aliquid eo ipso præcipit omnia, quæ cū illo habēt necessariā cōnexionē, & sunt necessaria ad illud.

Impugnatur Soto.

Prima conclusio.

¶ Quapropter hac sentētia omissa, vt quid in hac re dicendū sit explicemus, sit prima cōclusio, Ius gentiū non pertinet ad ius naturæ, sed ad positiuū humanū, cuius pars est. Hanc

Ius gentiū pertinet ad positiuum.

conclu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cõclusionẽ ponit D. Tho. 1.2. q. 94. ar. 5. ad. 3. vbi dicit, quod seruitus & diuisio rerũ nõ sũt ab ipsa natura, sed humana ratione inuẽta. Et Cicero lib. 2. de Inuentione c. 5. inquit, diuisionem dominiorum, & rerum iuri positiuo esse ascribendam. Sunt autem seruitus, & diuisio rerum de iure gentium, vt omnes Doctores fatentur. Sed probatur nostra conclusio. Primò: Ea quæ pertinent ad ius naturale, sunt intrinsecè bona, & opposita sunt intrinsecè mala, etiam ante quã per leges prohibeantur, vt est cõmunis consensus Theologorum; sed quæ sunt de iure gentiũ, nõ sunt intrinsecè bona, nec opposita eorũ sũt intrinsecè mala: ergo ius gentium non pertinet ad ius naturæ. Consequentia cum maiori est nota; minor probatur. Nam diuisio rerum, atq; proprietas non est adeo bona, vt oppositum eius, scilicet, communitas rerum non sit etiã bona; quin potiùs in primitiua Ecclesia omnia erant communia; & etiam nunc sunt in religionibus approbatis. Et confirmatur: Nam in extrema necessitate omnia sunt cõmunia, vt infrà dicemus. q. 62. ex quo manifestè colligitur rerum proprietatem non esse intrinsecè bonam. Secundò, omnia illa & sola pertinent ad ius naturæ, quæ aut sunt prima principia practica, aut ex illis deducuntur per bonam, & euidentem consequentiam, vt diximus articulo præcedenti: sed quæ sunt de iure gentium non sunt huiusmodi: nam primò seruitus, aut diuisio rerum non sunt prima principia practica, vt constat; nec etiam deducuntur ex illis absolutè, sed factà quadã suppositione, vt infrà videbimus: ergo ius gentium non pertinet ad ius naturæ. Et confirmatur. Ius gentium habetur ex consensu, & beneplacito hominum, & non absolutè ex dictamine naturæ: ergo non est ius naturale. Vltimo: Ius gentium potest aboleri per legem positiuam, imò de facto est abolita rerum diuisio apud religiosos, & seruitus apud Christianos: sed ius naturæ nõ potest abolere: ergo ius gentiũ distinguitur à iure naturali.

Secunda cõclusio.

Ius gentiũ est quasi mistum ex naturali & ciuili.

¶ Secunda conclusio. Ius gentium est quasi mistum ex naturali, & ciuili, habetq; cum vtroq; multam propinquitatem, & similitudinem, ratione cuius in institutis aliquando appellatur ius naturale, & aliquando ius ciuile. Et ità conciliantur diuersæ loquutiones in eadem institutа inuentę. Sed propriè dicendum est, quod ius gentium pertinet ad ius positiuum propter rationes positas in prima conclusione. Et quidem, quod ius gentium habeat similitudinem cum iure naturali probatur. Nam primò, sicut ius naturale est commune omnibus hominibus: ita & ius gẽtium. Secundò. Sicut ius naturale non habetur in scriptis, nec inuenitur quando, aut vbi fuerit institutum, ità ius gentium nescitur, quando, aut vbi cœperit. Tertio. Sicut ius naturæ ad sui promulgationem non indiget, vt homines conuocentur, ità etiam in iure gentiũ nõ est necessariũ, vt fiant hominum conuentus. Tandem: sicut ius naturæ, vel est primum principiũ iuris naturalis, vel conclusio, quę necessario per viam illationis deducitur ex primis principijs: ità etiam ius gentium est velut conclusio ex primis principijs deducta, quanuis consequentia absolutè loquendo, non sit necessaria, cum tamen ius ciuile non deducatur ex primis principijs per modum conclusionis, sed per modum determinationis, verbi gratia, præcipit ius naturæ, vt malefici puniantur, & determinat ius ciuile, vt fures suspendantur, & hæretici cõburantur; hoc non est colligere conclusionem, ex principijs, vt fit in iure naturali, & in iure gẽtium: sed in particulari determinare quę vniuersaliter à lege naturali præcipiũtur. Quod autem ius gentium etiam conueniat cum iure ciuili, patet: nam vtrumq; potest per legẽ positiuam abrogari, vt infrà dicemus.

Tertia conclusio.

Differentia inter ius gẽtium & naturale.

¶ Tertia conclusio. Inter ius gentiũ & ius naturæ in hoc potissimum stat differentia, quod quę sunt de iure naturæ absolutè sequũtur ex primis principijs naturæ: at verò quæ sunt de iure gentiũ nõ sequũtur absolutè, sed facta quadã suppositione. Pro cuius cõclusionis intelligẽtia est aduertendũ dupliciter cõtingere posse, quod aliquid necessario deducatur ex principijs naturæ; vno modo absolutè; alio modo facta aliqua suppositione. Id dicitur deduci ex principijs naturæ absolutè, quod simpliciter est necessariũ ad cõparandã rectitudinẽ naturalẽ, cõsiderata absolutè hominis natura. Id verò dicitur deduci ex principijs naturę, facta suppositione, quod quidẽ est necessariũ ad comparandam rectitudinẽ naturalẽ, non cõsiderata hominis natura absolutè, sed suppõsita tali, aut tali hominis cõditione. Hoc suppositò dicitur in conclusione, quod quæ inferũtur necessario ex principijs naturæ, natura hominis absolutè cõsiderata, proprie pertinẽt ad legẽ naturalẽ, illãque cõstituũt: at verò quæ inferũtur necessario ex principijs naturæ, natura hominis nõ absolutè cõsiderata; sed facta aliqua suppositione, pertinẽt ad ius gentiũ, illudq; constituũt, & in hoc potissimũ dico cõsistere differentiã inter ius gentiũ, & ius naturæ. Quod exemplis

Declaratur conclusio exempli.

declaratur, & manifestatur. V. G. quia cõsiderata hominis natura absolutè, necessaria est generatio ad conseruandã speciẽ, & ad generationem est necessaria maris & fœminæ coniũctio, quæ in hominibus fit per matrimoniũ perpetuum,

perpetuum, & indissolubile, vt proles: & suscipi & rectè educari possit; hæc omnia propriè pertinent ad legem naturæ; deducuntur enim ex principijs illius, natura hominis absolutè considerata cæterùm si cõsideremus homines, in quantum maiori ex parte perfidi sunt, & bonis matrimonij abuti solent, hac cõditione suppositа, etiam est necessariũ, quòd matrimonium fiat debita cum solemnitate, vnde iure gentium fuit introducta lex de matrimonijs contrahendis adhibitis testibus & debita cum solemnitate, vt sic homines perfidiæ arguì possent si ab vxore discederẽt. Qua re lex, quæ præcipit matrimonia solemniter contrahi propriè pertinet ad ius gentium; deducitur enim ex principijs naturę, non quidẽ absolutè considerata, sed facta aliqua suppositione

Lex præcipiens solemnia matrimonij, pertinet ad ius gentium.

¶ Item est aliud exemplum: Nam considerata hominis natura absolutè, naturaliter cõmendatur pax atq; tranquillitas; & sic hæc sunt de iure naturali, cæterũ si consideremus hominem quatenus propter naturę corruptionem subijcitur diuersis affectibus, ex quibus prouenit vnumquemq; diuersis iniurijs esse expositum, necesse est, quod homo per bellum eas possit propulsare: & cum ratio postulet bellum minimo cum detrimento fieri, ad quod necessarium est quod intercedant legati, qui immunes sint ab omni iniuria, id circò iure gentium statuta est legatorum immunitas. Item etiam; quia bellum est administrandum minimo cum detrimento, iure similiter gentium introductũ fuit, vt victi seruiant victoribus.

Victi iure gentiũ seruiunt victoribus.

¶ Tandem est aliud exemplum, quo idem manifestatur: nam, quia natura hominis absolutè considerata necessarium est, quod pecora alantur, & agri conserantur, vt sic hominibus suppetat cibus, fit, vt hæc omnia pertineant ad ius naturæ. Cæterũ, quia post peccatum primi parentis natura hominis corrupta manſit, & ex consequenti inclinata magis ad bonum proprium, quã ad commune, idcircò necessarium fuit quod agri atque possessiones diuiderẽtur: quare iure gẽtium id factum fuit, & quia rebus inter homines diuisis necessarium erat earum commutationes fieri, ad quas nũmus est necessarius, id circò similiter iure gentium introductæ sunt pecuniæ. Et sic constat, quòd omnia, quę pertinent ad ius gentium, deducantur ex principijs naturæ, aliqua facta suppositione illa verò quæ pertinent ad ius naturale deducuntur ex eisdẽ principijs, natura hominis absolutè considerata

Diuisio rerum de iure gentiũ.

1. Corolla. ¶ Ex dictis infero primò, ius gentium esse mediũ inter naturale, & ciuile, vt diximus in secunda conclusione. Et quia medium participat rationem vtriusq; extremi fit, vt ius gentium partim cum naturali, partim cum ciuili cõueniat, & partim differat ab vtroq;. Conuenit cũ naturali in eis, quæ supra retulimus; & differt ab eodem in eo, quod non deducitur ex principijs naturæ, absolutè cõsideratę; sicut ius naturale. Conuenit autem cum iure ciuili in eo, quod consensu atq; voluntate hominum statutũ est; & differt ab eodem in eo, quod ius ciuile propriũ est alicuius gẽtis, ius verò gentiũ pertinet ad omnes. Sed est aduertendũ, quod quando dicimus, ius gentiũ consensu, atq; voluntate hominũ fuisse statutũ, sicut ius ciuile, nolumus significare, omnes homines in vnum conuenisse ad illius compositionem, sed quòd omnium consensu tacito, vel expresso est approbatum.

Iur gentiũ, medium inter naturale et ciuile.

2. Corolla. ¶ Infero secundò, quod simpliciter loquẽdo ius gentium nõ ad ius naturale, sed ad ius positiuum spectat; cum, vt statim dicebã, nõ tam natura, quam hominũ beneplacito fuit statutum.

3. Corolla. ¶ Infero tertiò, quòd cùm ius gentium hominum beneplacito sit institutum, respublica, quæ perfecta est, bene poterit illud abrogare: quod & factum est à republica Christiana, quæ est omnium perfectissima. Et cõstat ità esse: nam, vt statim dicebam, de iure gentium est rerum diuisio; & tamen in principio nascentis Ecclesiæ tota multitudo possidebat omnia in communi, vt dicitur Actorum. 4. Item de iure gentium est, quod victi seruiant victoribus, vt habetur ex D. Isidoro d. 1. cap. ius ciuile. & cap. ius gentium, & ex institutis de iure personarum. §. serui autem. & tamen seruitus hæc inter Christianos abrogata est: Christianus enim capiens Christianum etiam in bello iusto non potest illum habere pro seruo: quod tractat optime Bartol. in titulo de captiuis & postliminio reuersis, lege, hostes.

Respublica perfecta potest abrogare ius gẽtium.

¶ Infero vltimò, ius gentium cum ad positiuum pertineat in nullo posse naturali iuri derogare: ex quo sequitur in casu extremæ necessitatis, quo iure naturali quisq; tenetur propriam vitã conseruare, omnia debere esse communia, non obstante iure gentium, quo rerum diuisio facta est.

Vltimũ Corollarium.

¶ Ad primum argumentum in principio factum respondetur, hoc esse discriminis inter ius gentium, & ius naturale, quòd conclusiones, quę sunt de iure gentium, non deducuntur ex principijs naturæ absolutè consideratis, sed facta suppositione, at verò cõclusiones iuris naturalis deducuntur absolutè, nulla facta suppositione.

Ad. 1. argumentum.

Ad. 2. argumentum.

¶ Ad secundum argumentum respõdetur, concedendo

Universidad de Deusto
Biblioteca

concedendo, quod quando medium est simpliciter, & absolutè necessarium ad finis consequutionem, prout necessariũ distinguitur contra vtile, vel cõmodum, tunc quo iure præcipitur finis, præcipitur etiam medium. Cæterum quando finis nõ est absolutè, & simpliciter necessarium, sed tantum vtile, vel cõmodum, quale est ius gentium, in ordine ad ius naturæ, tunc non eodẽ præcepto, quo præcipitur finis, præcipitur etiã mediũ.

Ad.3.argumentum. ¶ Ad tertiũ argumentũ magister Soto lib. 3 de iustitia & iure. q. 1. art. 3. paulò ante respõsionẽ ad primũ argumentũ capitale, dicit, esse aliqua de iure gentium ità necessaria, vt non solũ licitè abrogari non possent, sed nec etiã talis abrogatio facta teneat, ponitq; exẽplum in rerũ diuisione. Sed proculdubio tenendum est, quodcumq; ius gentiũ posse abrogari iuxta id, quod à nobis superiꝰ est explicatũ, ad eius tamen abrogationẽ non erit sufficiens solius principis beneplacitũ; sed vltra hoc etiã requiritur cõsensus, & autoritas reipublicæ. Cum enim ius gentiũ nõ fuerit introductum sola principis voluntate, sed præcipue hominum, & populi consensu, iste etiam erit necessarius ad eius abrogationem: vnumquodq; enim per quas causas nascitur per easdem dissolui debet in moralibus. Vnde ad argumentũ dico, quod si rex Philippus abrogaret ius de diuisione rerũ, factũ nõ teneret. Ex hoc tamẽ non sequitur tale ius nõ posse abrogari, quin potius de facto est abrogatũ apud religiosos cõsensu & beneplacito reipublicæ Christianæ; quod nulla ratione fieri posset, si ad ius naturale pertineret.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem respondetur, iuris prudentes nimium extendere ius gentiũ. Existimant enim eius appellatione comprehẽdi quidquid cunctis hominibus est commune, & ius naturale esse, quo etiam bruta cum hominibus participãt: cum tamen multa ad ius naturale pertineant, quę peculiariter hominibus, & non brutis conueniunt; vt est videre in præceptis Decalogi, & in alijs, quæ ex eis euidẽti consequẽtia deducuntur. Vnde dico differentiã inter ius gentiũ, & naturale nõ cõsistere in eo, quod iuris prudẽtes affirmãt, sed in ratione à nobis in 3. cõclusione explicata.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrum debeat specialiter distingui in paternum & dominatiuum.

ADQVARTVM sic proceditur. Videtur quod non debeat specialiter distingui ius paternum & dominatiuum. Ad iustitiam enim pertinet reddere vnicuique 'quod suũ est, vt dicit * Ambros. de officijs. Sed ius est obiectũ iustitiæ: sicut dictũ * est, ergo ius ad vnũquenque æqualiter pertinet: & sic non debet distingui specialiter ius patris & domini. *Arg. 1. & in fin. cor. artic.*

2 ¶ Præterea, Ratio iusti est lex: vt dictũ * est. Sed lex respicit cõmune bonũ ciuitatis & regni: vt supra * habitũ est. Non autem respicit bonũ priuatũ vnius personæ, aut etiã vnius familiæ. Nõ ergo debet esse aliquod speciale ius, vel iustum dominatiuum vel paternum, cũ dominus & pater pertineant ad domũ, vt dicitur in primo Polit.*. *Inf. qu. 58. art. 7. ad. 3. & 2. distinct. 44. q. 2. ar. 1. co. & 5. Ethic. lc. 11. Libr. 1. de offi. ca. 24. circa fi. to. 1 Art. 1. huius q. Ar. 1. ad. 1 1. 2. q. 90. art. 2. Ca. 3. to. 5.*

3 ¶ Præterea, Multæ aliæ sunt differentiæ graduũ in hominibus, vt puta quòd quidã sunt milites, quidam sacerdotes, quidam principes. Ergo ad eos debet aliquod speciale iustum determinari

¶ SED CONTRA est quòd * Philosophꝰ in quinto Ethic. specialiter à iusto politico, distinguit dominatiuum & paternum, & alia huiusmodi. *Lib. 5. c. 6. circa finẽ. tom. 5.*

RESPONDEO dicẽdũ, quòd ius siue iustũ dicitur per cõmensurationẽ ad alterũ. Alterũ autẽ potest dici dupliciter. Vno modo quòd simpliciter est alterũ: sicut q̃ est omnino distinctũ: sicut apparet in duobus hominibꝰ, quorũ vnꝰ nõ est sub altero, sed ambo sunt sub vno principe ciuitatis. Et inter tales secũdũ * Philosophũ in quinto Ethi. est simpliciter iustũ. Alio modo dicitur aliquid alterũ nõ simpliciter, sed quasi aliquid eius existens. Et hoc modo in rebus humanis filius est aliquid patris: quia quodãmodo est pars eius, vt dicitur in octauo * Ethic. & seruꝰ est aliquid dñi, quia est instrumẽtũ ciꝰ, vt dicitur * in 1. Polit. Et ideo d patris ad filiũ non est cõparatio, sicut ad simpliciter alterũ. Et propter hoc nõ est ibi simpliciter iustum, sed quoddam iustum, scilicet, paternum: & eadem ratione, nec inter dominum & seruum, sed est inter eos dominatiuum iustum. Vxor autem quamuis sit aliquid viri, quia comparatur ad eã sicut ad proprium corpus, vt patet per Apostolũ ad Ephe. quinto: tamẽ magis distinguitur à viro, quàm filius à patre, vel seruꝰ à dño. Assumitur enim in quãdã socialẽ vitã matrimonij. Et ideo, vt Philosophus* dicit, inter virũ & vxorẽ plus est de ratione iusti, quã inter patrẽ & filiũ, vel dominum & seruum: quia cum vir & vxor habeant immediatam relationem ad domesticam communitatem, vt patet in * primo Polit. ideo inter eos non est etiam simpliciter politicum iustum, sed magis iustum œconomicum. *Lib. 5. Eth. cap. 6. in fi. tom. 5. Lib. 1. ex. 6. 3. elicitur, & ex vlt. tom. 5.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ad iustitiam pertinet reddere ius suum vnicuique: suppositа tamen diuersitate vnius ad alterum. Si quis enim sibi det quod sibi debetur, non propriè vocatur hoc iustum: & quia quod est filij, est patris, & quod est serui, est domini: ideo non est propriè iustitia patris ad filium, vel domini ad seruum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd filius in quãtum filius, est aliquid patris: & similiter seruus in quantum seruus, est aliquid domini. Vterq; tamẽ prout consideratur vt quidam homo, est aliquid secundum se subsistens ab alijs distinctum. Et ideo in quantum vterque est homo, aliquo modo ad eos est iniustitia. Et propter hoc etiã aliquæ leges dantur de his quæ sunt patris ad filium, vel domini ad seruum. Sed in quantũ vterque est aliquid alterius, secundum hoc deficit ibi perfecta ratio iusti vel iuris.

¶ Ad tertium dicendum, quòd omnes aliæ diuersitates personarum, quæ sunt in ciuitate, habent immediatam relationem ad communitatem ciuitatis & ad principem ipsius: & ideo ad eos est iustum secundum perfectam rationem iusti. Distinguitur tamen istud iustum secundum diuersa officia. Vnde & dicitur ius militare, vel magistratuum, aut sacerdotum: non propter defectum à simpliciter iusto, sicut dicitur paternum & dominatiuũ, sed propter hoc quòd vnicuique conditioni personæ secundum proprium officium aliquid proprium debetur.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd iustum dicitur per comparationem ad alterum, respondet D. Thom. ad hanc difficultatem, per duas propositiones.

¶ Prima conclusio, Inter patrem & filium, & inter seruum, & dominum non est iustum simpliciter; sed ius paternum & dominatiuũ, probatur, iustum simpliciter est inter eos, qui sunt omnino distincti, quales sunt duo ciues, quorum vnus non est sub alio, & ambo sunt sub eodem principe: sed pater & filius, Dominus & seruus, nõ sunt omnino distincti: filius enim in humanis dicitur aliquid patris, & seruus, aliquid Domini, vt docet Aristoteles: ergo inter patrem, & filium, Dominum & seruum non potest esse iustum simpliciter, sed iustum secundum quid, quod appellatur, vel ius paternum, vel dominatiuum.

¶ Secunda conclusio, Inter virum & vxorem plus est de ratione iusti, quam inter patrem & filium, seruum, & Dominum; sed nõ est simpliciter iustum, sed iustum œconomicum. Probatur: Quia quãuis vxor sit aliquid viri, ad quem comparatur tanquam ad propriam carnem: & propterea non possit esse inter eos iustum simpliciter, magis tamen distinguitur à viro, quam filius à patre, & seruus à Domino, quia assumitur in eandem socialem vitam matrimonij: ergo inter virum, & vxorem plus est de ratione iusti, quam inter patrem & filium, vel dominum & seruũ, Et quia vir & vxor habent immediatam relationem ad domesticam gubernationem: fit, vt inter eos nõ inueniatur simpliciter ius politicum seruum, sed magis iustum œconomicum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticulus iste hoc ideò ponitur, vt explicetur text. Aristot. lib. 5. Ethic. cap. 6. Ex quo loco ambæ conclusiones D. Thom. desumptæ sunt. Sed vt melius intelligantur, operæpretium erit, vt singulas suo ordine examinemus. Vnde circa primam cõclusionem est difficultas, vtrùm inter patrem & filium sit ius simpliciter, vel tantum secundum quid, Et quidem quòd sit iustum simpliciter, probatur multis argumentis. Primò sic: inter patrem & filium est amicitia simpliciter, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 1. ergo & iustitia simpliciter. Probo consequẽtiam: Nam ratio amicitiæ atque iustitiæ est æqualis, quãtum ad hoc, quod sicut iustitia est ad alterũ, ita & amicitia. Et confirmatur: Inter patrem, & filium est iustitia secundum aliquam veram rationem iustitiæ, vt dicit D. Thom. hîc in solutione ad secundum: ergo est iustitia simpliciter. Probo consequentiam: Nam sicut verus

Dubiũ circa primam conclusionem D. Th.

1. Argum.

Confirma.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rus homo est simpliciter homo: ita vera iustitia est simpliciter iustitia.

2. Argum. ¶Secundò, Contraria nata sunt fieri circa idem: sed inter patrem & filium reperitur iniustum simpliciter; filius enim occidens patrem, aut patet filium est omnino iniustus, vt omnes fatentur, ergo etiam reperitur inter eosdem iustum simpliciter.

3. Argum. ¶Tertiò, Si inter patrem, & filium non reperetur iustum simpliciter, ex eo esset, quia filius est aliquid patris, vtpotè qui accipit substantiam à patre, vt dicit D Thom. in hoc articulo. Sed hæc ratio nihil valet: ergo, Probo minorem: In diuinis inter patrem & filium inuenitur iustum simpliciter, & rigorosum; filius enim, vt dicunt Theologi, de toto rigore iustitiæ satisfecit patri ad æqualitatẽ pro peccato totius generis humani, non obstante quod filius accipit à patre totam suam substantiam, iuxta illud Ioan. 10. Quòd dedit mihi pater maius omnibus est, & alibi: Omnia mea tua sunt, & etiam non obstante, quòd filius in diuinis est multò magis idem cum patre, quam in humanis: ergo pari ratione, vel potiùs à fortiori inter patrem & filium in humanis inuenitur iustum simpliciter.

4. Argum. ¶Quartò, Inter Deum & hominem iustũ, inuenitur iustum simpliciter: homo enim iustus exercens opera meritoria meretur apud Deum, estque meritum illud iustum simpliciter, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 1. Sed homo iustus magis pendet à Deo in fieri, & in conseruari, quàm filius à patre: ergo à fortiori inter patrem & filium inuenitur iustum simpliciter.

5. Argum. ¶Quintò, Inter patrem & filium est iustũ naturale exactissimum, maximè quantum ad educationem & reuerentiam, quam filij debent parentibus exhibere, ergo & iustum simpliciter. Probo consequentiam: Nam iustum naturale est iustum simpliciter.

Vlt. Argu. ¶Vltimò, Inter patrem & filium emancipatum, habentem iam propriam domum, atq; familiam, inuenitur propriè iustitia in contractibus, & commutationibus ciuilibus, non secus ac inter duos ciues: ergo & iustum simpliciter. In contrarium tamen est Aristot. loco citato.

¶Pro explicatione huius difficultatis, & intelligẽtia eorum, quæ D. Thom. dicit in hoc articulo rem altius repetentes, aduertimus.

Nota. 1. Ius seu iustum multiplex. Primò, quòd ius siue iustum est multiplex; scilicet, politicum, paternum, dominatiuum, & vxorium. Ius politicum est ius seruandi debitum ordinem inter ciues. Sunt autem ciues, qui sub eodem principatu commorantes in viuendo, acquirendo & possidendo sunt liberi, & æquales. Nõ dico æquales, quia quantum vnus acquirit vel possidet tantum debeat alter acquirere: sed quia æqualiter est licitum vnicuiq; tantum sibi acquirere, quãtum potest, & acquisita possidere, vtique eis, sicut placet, dum modo id fiat sine communitatis, & conciuium læsione. Ius verò paternum est ius seruandi debitum ordinem inter parentem & prolem. Ius autem dominatiuũ est ius seruandi debitum ordinem inter dominum & seruum, & tãdem ius vxorium est ius seruandi debitũ ordinem inter virũ & vxorẽ.

Nota. 2. Iustum politicum differt ab alijs in multis. ¶Secũdò est aduertendũ, q; iustũ politicũ in pluribus differt ab alijs tribus iustis. Nam primo differt, quantum ad materiam & obiectum. Iustum enim politicum est intra parietes ciuitatis, & inter ciues, vt dictũ est, ideòq; appellatur politicum, hoc est, ciuile. Alia autem iusta sunt intra parietes domus & inter partes illius: primæ enim & minimæ partes domus sunt Dominus, & seruus, maritus & vxor, pater & filius, vt docet Aristo. 1. Polit. ideòque appellantur ista iusta, non politica, sed œconomica. Item ius politicum est inter personas omnino diuisas in proprietate & vsu bonorum: at verò aliud triplex iustum est, inter personas coniunctas in vtroq; istorum: seruus enim est tanquam pulsatio domini, & filius, sicut pars patris, & vxor similiter est coniuncta viro. Item iustum politicũ est inter personas æquales, quantum ad principari, & subijci: nulli enim ciuium naturaliter principantur, vel subijciuntur alijs. Aliud autẽ triplex iustũ est inter personas naturaliter inæquales, quãtũ ad hoc: pater etiam naturaliter principatur filio, & dominus seruo, & maritus vxori. Et sic constat, quod ius politicum, quantum ad materiam, & obiectum distinguitur ab alijs tribus iustis. Secundò differt iustum politicum ab alijs quantũ ad formam, & modum. Iustum enim politicum est æqualitas simpliciter eorum, inter quos est: quæ in hoc cõsistit, vt quilibet habeat, quod suum est. Aliud autem triplex iustum est, inæqualitas simpliciter eorum, inter quos est, æquata tamen secundum debitam proportionalitatem. Nam iustum est, quòd, sicut pater præbet filio nutrimentum, & doctrinam, ità è contra filius patri reddat honorem, & reuerentiam: & sicut seruus acquirit Domino; ità è cõuerso Dominus seruum custodiat, & defendat, &, vt Albertus dicit, sicut vir vxori præbet fœcunditatem; ità vxor viro rependat generationem: vel, vt alij dicunt, sicut vir honorem impendit vxori, scilicet, quod ex honore viri mulier honoratur; ità mulier reddat viro debitum famulatum. Tertiò differt iustum politicum ab alijs tribus iustis, quantum ad finem, vel effectum. Iustũ enim

paternum

paternum dominatiuum & vxorium ordinantur principaliter ad sustentationem, & conseruationem vitæ humanæ in particulari: cum tamen iustum politicum per se ordinetur ad sufficientiam vitæ in communi, vt docet Aristotel. lib. 1. Politicorum, & Cicero in principio suæ rhetoricæ. Et, quia bonum cõmune est perfectius particulari, quod ad commune ordinatur, fit, vt ius politicum sit perfectè & simpliciter ius, ius autẽ paternum, vel dominatiuum non simpliciter, & perfectè, sed in ordine ad politicum. Tandẽ differt iustum politicum ab alijs iustis ex parte causæ efficientis, cuius est iniustum ad iustum reducere; Quia enim par in parem non habet imperium, & illi, inter quos est politicum ius, sunt sibi inuicem pares, vt dictum est; idcirco fit, vt in illo iniuria corrigi debeat per iudicem tertium habentem ad hoc authoritatem, sibi, vel prædecessoribus suis à communitate commissam. In alijs autem iustis non est tertia persona necessaria, sed ea pars, quæ alteri præest dirigit illam: & sic iustum domini est seruum punire, & patris filium castigare, & mariti vxorem reprehendere; si delinquat. Quando autem dicimus iustum dominatiuum inueniri inter dominum, & seruum, nomine serui intelligimus solum illum seruum, qui alio nomine appellatur mancipium. Nam inter seruum qui seruit conductus, vel propter stipendium, & dominum, inuentur iustum simpliciter, vt omnes Doctores fatentur.

3. Nota. Ad perfectam rationem iustitiæ tria sint necessaria. ¶Tertio est aduertendum ad perfectam rationem iusti seu iustitiæ, tria esse necessaria. Primum est, quòd sit inter duo extrema: iustitia enim non est, nisi ad alterum. Secundum, quòd reddatur æquale. Tertium, quòd reddatur debitum. Ex quo fit, vt vbi aliquod istorum defuerit non possit esse iustum perfectum. Vltimo est aduertendum, quod quãdo communiter philosophi dicunt, ius filij erga parentes non esse simpliciter ius, sed secundum quid, verba illa simpliciter, & secundum quid, geminam possunt habere significationem. Prima est, vt ly, simpliciter idẽ sit, ac secundum propriam, & veram rationẽ iuris, non metaphoricam, nec similitudinariam, & secundum quid, ac secundum metaphoricam, & non propriam nec veram rationem iuris. Secunda significatio est, vt ius simpliciter dicatur, quod non solum habet propriam & veram rationem iuris, sed etiam ex omni parte perfectam; & secundũ quid, quod etsi habeat propriam, & veram rationem iuris, non tamen ex omni parte perfectam. Bene enim potest contingere, vt aliquid habeat propriam, & veram rationem iuris, non tamen perfectam, & rigorosam: sicut & creatura habet veram & propriam rationem entis, non tamen ex omni parte perfectam, sed hæc est in Deo.

1. Conclusio. Ius paternum & dominatiuũ, habẽt, veram rationẽ iuris quãtum ad essentia lia. ¶His constitutis sit prima conclusio. Ius filij erga parentes, & serui erga dominũ habet veram, & propriam rationem iuris, quantum ad essentialia tantùm; est ius simpliciter si ly, simpliciter, accipiatur vt distinguitur contra metaphoricum & improprium. Hanc cõclusionem supponit tanquam certam Aristo. lib. 5. Ethic. cap. 6. & D. Thom. in hoc articulo. Nam dicunt, quod si filius consideretur, vt est quidam homo, tunc est verum ius inter patrẽ & filiũ. Cæterum, quoniam hic homo est genitus à patre, à quo habet esse, ideò deficit illud ius à perfecta ratione iusti. Et probatur: Omnes conditiones necessariò requisitæ ad veram & propriam rationem iuris, reperiuntur in iure patris ad filium, & serui ad dominum: ergo inter patrem & filium, seruum, & dominum est verum & proprium ius. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Nam primo reperitur ordo ad alterum tantus, quantus sufficit ad veram rationem iuris: reperitur enim ordo ad diuersa subsistentia, & ad diuersa suppositа, quod satis est: item etiam reperitur æqualitas licèt non omnimoda, secundum tamen proportionem & modum eius, qui operatur: nam filius modestus & obediens secundum proportionem, & modũ suũ reddit patri quantum in se est id, quod debet: & idem facit seruus studiosus & morigeratus: ergo inter patrem & filium, seruum & dominum, est verum & proprium ius, &c.

2. Conclusio. Ius paternum & dominatiuum non habẽt perfectã rationẽ iusti. ¶Secunda conclusio: Ius inter patrem & filium, seruum & dominum, quod est ius paternum, & dominatiuum, non habet perfectam rationem iusti nec est simpliciter ius, si ly, simpliciter, accipiatur in secunda significatione, in quantum, scilicet, dicit id, quod non solùm habet veram, & propriam rationem iuris; sed etiam ex omni parte perfectam. Et probatur: Ius patris ad filium, vel serui ad dominum dicitur ius non per seipsum immediatè, sed per ordinem ad ius politicum & ciuile: ergo non habet perfectam rationem iuris, vel iusti; sed analogicam. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Ius dicitur simpliciter & perfectè tale in ordine ad bonum commune regni, vel ciuitatis: sed ius patris ad filium, vel serui ad dominum non dicit immediatum ordinem ad bonum commune regni, vel ciuitatis, nec ad ius

Universidad de Deusto
Biblioteca

politicum, & ciuile; sed tantum dicit ordinē per se primò ad bonum domesticum, & ad bonam gubernationem domus: ergo simpliciter loquendo non habet perfectam rationem iuris, nisi respectu quodam addito ad bonum commune, & ad ius politicum. Et cō firmatur: Lex est ratio iuris, in quantum ius est vnde Aristot. 5. Ethicor. c. 6. dicit ad illos non posse esse iustum, vel iniustum simpliciter, ad quos lex non fertur: sed lex dicit immediatum ordinem ad bonum commune; nullum enim præceptum potest habere rationē legis, quod ad bonum commune non ordinetur, vt docet D. Tho. 1.2 q. 91. art 2. ergo ius paternum, vel dominatiuum, quod immediatè respicit bonum priuatum domus non poterit habere per se primo perfectam rationē iuris: sed erit ius mediante alio iure, scilicet iure politico, ad quod mediante ordinatur. Item ius dicit ordinem ad alterum: ergo perfectum, & simpliciter ius dicit ordinem ad alterum simpliciter: sed filius non est alius simpliciter à patre, nec seruus à domino; comparatur enim filius ad patrem, tanquā pars eius, vt dicit Aristo. 8. Ethic. c. 12. & seruus ad dominum tanquam instrumentum illius, vt dicitur lib. 1. Polit. c. 3. & 4. ergo ius paternū & dominatiuum ex ista parte, qua sunt ad alterum non habent perfectam rationem iuris. Item: Ratio iusti consistit in faciēda æqualitate: ergo ratio perfecti iusti in facienda perfecta æqualitate: sed inter patrem & filium, dominum & seruum non potest esse perfecta æqualitas, Dij senim, parentibus, & magistris non possumus reddere æquale, vt dicit Aristot. & idem est de seruis respectu dominorum: ergo ius paternum, vel dominatiuum ex ista parte, qua non potest reddi æquale non potest esse simpliciter perfectum. Ex dictis infertur, quod cum ad rationem perfecti iusti requirantur tria, vt diximus, in tertio notabili, scilicet, quod sit ad alterum, quod reddatur æquale, & quo reddatur debitum, ex defectu duorum priorum, ius paternum, vel dominatiuum non dicitur simpliciter, & perfectè ius. Tertia autem conditio, scilicet, ratio debiti non deest iuri paterno, imo perfectius inuenitur in illo, quàm in iusto simpliciter, siue politico. Et ex hoc fit, vt in filijs in ordine ad parentes constituatur quædam vict⁹ specialis appellata, pietas, & est illa, qua filius exhibet patri debitum cultum, de qua differit Diu. Thom. infrà, quæst. 80. artic. 1. & quæst. 101. artic. 1. 2. & 3. Ex qua quidem pietate strictius obligantur filij parentibus, quam ex iustitia: vnde filius inferens patri iniuriam nō dicitur solùm iniustus, sed impius, & horrendus.

Corollarium.

In filio respectu parētum ponitur pietas virtus specialis.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm quando dicimus inter patrem & filium non esse simpliciter iustum, sit intelligendum ex vtroque termino tam, scilicet, ex parte filij in ordine ad patrem, quam ex parte patris in ordine ad filium. Ad quod breuiter respondetur, vtrinque esse intelligendum, sed non æqua ratione. Filij enim ad patrem deficit ratio iusti simpliciter, tum, quia filius est pars patris; tum etiam; quia non potest reddere æquale. At verò patris ad filium, non est iustum simpliciter; non quia pater nō possit reddere æquale: sed quia se habet ad filium, sicut totum ad partem. Vnde sicut inter hominem, & sua membra non potest esse propria ratio iusti, quia non sunt simpliciter duo: ita nec inter patrem & filium: sed quidquid confert pater in filium in seipsum quodammodo, conferre est dicendum. Cuius rei videtur habuisse rationem Seleucus Locrensium Monarcha. Nam cùm à filio ob transgressionem legis à se positæ, vterque oculus esset eruendus, præcepit, vt alter à se, & alter à filio eruetetur: quasi significans patris & filij eandem prorsus esse personam. Sed restat, vt respondeamus ad argumenta in principio facta.

Dubiolum.

Solutio.

¶ Ad primum respondetur concedendo, verum esse, quod amicitia, atque iustitia habent similitudinem, quantum ad hoc, quod vtraque est ad alterum. Dico tamen, quod, quemadmodum, vt docet Aristotel. 8. Ethicor. capit. 11. est quædam species amicitiæ consistens in excellentia, qualis est illa, quæ inuenitur inter patrem & filium, virum & vxorem, principem & subditum, de cuius ratione non est æqualitas simpliciter, sed æqualitas proportionis, quæ inuenitur, quando pater præstat filio quæ patris sunt, & filius patri, quæ sunt filij, habita comparatione rationum vtriusque: ita etiam est quædam iustitia consistens in æqualitate, non simpliciter, sed proportionis, qualis est iustitia paterna, vel dominatiua, vel vxoria; quæ quidem vere & proprie appellantur ius; quamuis non habeant perfectam rationem iuris, vt diximus in superioribus.

Ad. 1. argumentum.

¶ Ad confirmationem respondetur, concedendo similiter, inter patrem & filium esse iustitiam secundum aliquam veram rationem iustitiæ. Ex hoc tamen non infertur inter illos esse iustitiam simpliciter, si ly, simpliciter, accipiatur vt distinguitur contra perfectum, vt diximus in secunda conclusione.

Ad confirmationem.

¶ Ad secundum respondetur cum Caietano in præsenti, concessa maiori, negando minorem; non enim inuenitur inter patrem & filium iniustum simpliciter, sicut nec iustum. Sed quemadmodum inter eos est plusquam ius; quia est vnitas fundans altiorem virtutem, nempe, pietatem, vt supra diximus: ità etiam est plusquàm iniustum, nempe, impietas: quia est violatio vnitatis, quæ peior est violatione iuris. Vnde dico, quod sicut occidere seipsum est summe contrarium naturæ, & peius cæteris homicidijs, quia violatur identitas, quæ plus est, quam æqualitas, in qua consistit ius: ita etiam cum filius occidit patrem, aut è conuerso; quia quasi contra seipsum consurgit peius quàm iniustum committit, quod in æqualitate constituitur.

Ad. 2. argumentū.

¶ Ad tertium argumentum respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico non esse eandem rationem de patre & filio in diuinis, & in humanis. Nam in diuinis, quia filius Dei non gratis, & liberè, sed naturaliter & necessario accepit esse à patre, esse, inquam sibi debitum; quoniam erat proprium ipsius filij Dei, non mirum esse debet, si in ipso filio respectu patris æterni inuenta fuerit iustitia perfectissima. At verò in humanis, quòniam pater liberè generat filium, & dat illi esse, quod nulla ratione erat sibi debitum hinc est, quòd filius semper manet astrictus, & obligatus patri, adeò, vt inter ipsos non possit reperiri iustum simpliciter, nisi quantum ad aliqua, in quibus ex iure gentium filius est constitutus dominus, & sui iuris, vt dicemus in solutione ad vltimum argumentum.

Ad. 3. argumentū.

¶ Ad quartum argumentum respondetur, quod sicut inter Deum & hominem iustum est vera ratio iustitiæ, non tamen perfecta; quia homo iustus est creatura Dei, ab eoque dependet, vt docet D. Tho. 1.2. quæstio. 114. articul. 1. & 3. ità etiam inter patrem & filium est vera, & propria ratio iustitiæ, non tamen perfecta, vt diximus in conclusionibus. Ex quo factum fuit, vt D. Tho. 3. part. q. 85. art. 3. iustū, quod reperitur inter hominem, & Deum comparauerit iusto patri no, & dominatiuo in humanis inuento.

Ad. 4. argumentū.

¶ Ad quintum argumentum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Non enim est inconueniens, quod ius inter patrem & filium sit exactissimum, quantum ad naturalitatem: & tamen in ratione iusti sit imperfectum, ea, scilicet, parte, qua non est omnino ad alterum, quod necessarium est ad completam & perfectam rationem iusti. Quin potiùs dico, quòd, quemadmodum calor aeris in ratione naturalitatis simpliciter, & perfecte est naturalis, & tamen ex hoc non sequitur, quod sit perfectus in ratione caloris, quia non habet complementum quantum ad hoc; ità etiam ius paternum est perfectum, quantum ad naturalitatem, hoc est, est simpliciter naturale, non tamen est perfectum in ratione iusti; quia non est omnino ad alterum, ad modum iam explicatum.

Ad. 5. argumētum.

¶ In vltimo argumento tangitur difficultas, vtrùm inter patrem & filium emancipatum ponit, quantum ad aliquas actiones, reperiri iustum simpliciter, & positiuum. Pro cuius intelligentia est aduertendum, filium posse considerari secundum duplicem statum. Primus est, ante quam emancipetur; tunc, scilicet, quando adhuc est sub cura parentum. Secundus quando iam est emancipatus, & relictus suo iuri, quantum ad bona temporalia. Dixi quantum ad bona temporalia: nam quantum ad ius paternum, hoc est, quantum ad pietatem, & obedientiam parentibus debitam, nunquam filius emancipatur. Hoc supposito dico inter filium emancipatum, & patrem reperiri posse iustum simpliciter, & ad æqualitatem, quo ad multas actiones. Ita docet Aristot. 5. Ethic. cap. 6. & Diu. Thom. ibidem lectione. 12. & Buridanus quæstion. 18. Et probatur: Si filius emancipatus vendat patri rem aliquam, pater tenetur ei precium reddere, non ex pietate, nec ex liberalitate: ergo ex iustitia simpliciter dicta, quæ est ad æqualitatem. Et confirmatur: Qui debet centum Regi, & soluit, facit iustum simpliciter, & ad æqualitatem, nec obedientia Regibus debita eam tollit: licet enim quis teneatur Regi obedire, imo & dare illi bona sua in casibus necessitatis, eis tamen exceptis vnusquisque habet ius etiam in ordine ad Regem super bona sua temporalia: ergo quantum ad hæc poterit esse inter ipsum & regem iustum simpliciter. Et eadem ratio est de filijs respectu parentum. Et hæc dicta sufficiant de tota ista dubitatione.

Ad vltimū argumentum.

Inter patrem & filium emācipatū reperitur iustū simpliciter quantū ad aliquid.

¶ Circa secundam conclusionem Diui Thomæ, vbi dicitur, inter virum & vxorem non reperiri iustum simpliciter, sed œconomicum, est aduertendum; inter virum & vxorem duo actionum genera reperiti posse. Primum est, quòd consistit in exigendo, & reddendo debitum. Et quantum ad hoc inuenitur inter ipsos iustum simpliciter. Dicit enim Paulus prima ad Corint. 7. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Et rursus: Mulier sui corporis potestatem

Dubiū circa secundā conclusionē D. Thom.

Inter virū & vxorem duo actionum genera reperiū tur.

statem non habet, sed vir: & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudari inuicem. &c. Quibus verbis aperte significat æquale esse debitum inter virum, & vxorem in actu matrimonij; & sic esse inter illos iustum simpliciter, quantum ad hoc. Aliud genus actionum est; quod consistit in gubernatione familiæ, & respectu huius, nec vxor est viro æqualis, nec verò censetur suppositum per se à viro distinctũ; & sic quantum ad hoc non est inter illos iustum simpliciter, sed œconomicum. De quo est videndus Aristotel. 1. Polit. cap. 3. &. 8. & lib. 2. OEconomicorum, capite primo, & tribus sequentibus.

QVÆSTIO. LVIII.
De Iustitia, in duodecim articulos diuisa.

Articvlvs I.

Vtrùm conuenienter diffiniatur iustitia, quòd est perpetua & constans voluntas, ius suum vnicuique tribuens.

4. di. 33. q. 3. ar. 1. ad. 3.
Et veri. q. 1. ar. 5. ad. 12.
In digesto vet. li. 1. tit. 1. lege. 10. in prin.
Lib. 5. c. 1. non longè à prin. to. 5.
In dialogo de verit. c. 13.

AD Primvm sic proceditur. Videtur quòd inconuenienter definiatur à * Iurisperitis, quòd iustitia est perpetua & constans voluntas, ius suum vnicuique tribuens. Iustitia enim secundum Philosophũ * in quinto Ethicor est habitus, à quo sunt aliqui operatiui iustorum, & à quo operãtur, & volunt iusta. Sed voluntas nominat potentiam, vel etiam actum, ergo inconuenienter iustitia dicitur esse voluntas.

2 ¶ Præterea, Rectitudo voluntatis nõ est voluntas, alioquin si voluntas esset sua rectitudo, sequeretur quòd nulla voluntas esset peruersa. Sed secundum * Anselmum in libro de Veritate, Iustitia est rectitudo, ergo iustitia non est voluntas.

3 ¶ Præterea. Sola Dei voluntas est perpetua. Si ergo iustitia est perpetua voluntas, in solo Deo erit iustitia.

4 ¶ Præterea, Omne perpetuum est cõstans, quia est immutabile. Superflue ergo vtrumque ponitur in definitione iustitiæ, & perpetuum & constans.

5 ¶ Præterea. Reddere ius vnicuique pertinet ad principem. Ergo si iustitia sit vnicuique ius suum tribuens, sequitur quòd iustitia non sit nisi in principe; quod est inconueniens.

C. 15. circa med. to. 1.

6 ¶ Præterea, Augustinus, * dicit in libro de Moribus Ecclesiæ, quod iustitia est amor Deo tantùm seruiens, non ergo reddit vnicuique quod suum est.

¶ Respondeo dicendum, quòd prædicta iustitiæ definitio conueniens est, si rectè intelligatur. Cum enim omnis virtus sit habitus, qui est principium boni actus, necesse est quòd virtus definiatur per actum bonum, qui est circa ea, quæ ad alterum sunt, sicut circa propriam materiam virtutis. Est autem iustitia præcipuè circa ea quæ ad alterum sunt, sicut circa propriam materiam, vt infrà * patebit. Et ideo actus iustitiæ per comparationem ad propriam materiam virtutis, & obiectum tangitur, cum dicitur, ius suum vnicuique tribuens. Quia vt Isidorus * dicit in libro Etymol. Iustus dicitur, quia ius custodit. Ad hoc autem, quod aliquis actus circa quamcunque materiam sit virtuosus, requiritur quòd sit voluntarius, & quòd sit stabilis & firmus: quia Philosoph. dicit * in secũdo Ethic. quòd ad virtutis actum requiritur, primo quidem, quòd operetur sciens: secundo autem, quòd eligens & propter debitũ finem: tertio, quòd immobiliter operetur. Primus autem horum includitur in secundo: quia quod per ignorantiam agitur, est inuoluntarium: vt dicitur * in tertio Ethicor. Et ideo in definitione iustitiæ primo ponitur voluntas, ad ostendendum quòd actus iustitiæ debet esse voluntarius. Additur autẽ de constãtia & perpetuitate, ad designãdã actus firmitatẽ. Et ideo prædicta definitio est cõpleta definitio iustitiæ, nisi quod actus ponitur pro habitu, qui per actum specificatur; habitus enim ad actũ dicitur. Et si quis vellet eam in debitam formam definitionis reducere, posset sic dicere, quòd iustitia est habitus, secũdũ quẽ aliquis

Ar. sequen.
Li. 10. ca. 9. incipit. Ingeniosus parum à prin.
Li. 2. Ethi. c. 4. to. 5.
Lib. 3. c. 1. tom. 5.

Li. 5. c. 1. & simul. tom. 5.

quis constanti & perpetua voluntate ius suum vnicuique tribuit. Et quasi est eadem diffinitio cum ea, quam * Philosoph. ponit in 5. Ethic. dicens, quòd iustitia est habitus, secundum quem aliquis dicitur operatiuus secundum electionem iusti.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd voluntas hic nominat actum, nõ potentiam. Est autem consuetũ quòd apud authores habitus per actus diffiniantur: sicut * Augustinus dicit super Ioã. quod fides est credere quod non vides.

Tract. 79. in Ioa. paulo à princ. tom. 9.

¶ Ad secundum dicendum, quòd neque etiam iustitia est essentialiter rectitudo, sed causaliter tantum. Est enim habitus, secundum quem aliquis rectè operatur, & vult.

¶ Ad tertium dicendum, quòd voluntas potest dici perpetua dupliciter. Vno modo ex parte ipsius actũ, qui perpetuo durat. Et sic solius Dei voluntas est perpetua. Alio modo ex parte obiecti: quia scilicet, aliquis vult perpetuò facere aliquid. Et hoc requiritur ad rationem iustitiæ. Nõ enim sufficit ad rationem iustitiæ, quòd aliquis velit ad horam in aliquo negotio seruare iustitiã: quia vix inuenitur aliquis qui velit in omnibus iniustè agere, sed requiritur quòd homo habeat voluntatem perpetuo, & in omnibus iustitiã confirmãdi.

¶ Ad quartum dicendum, quòd quia perpetuum non accipitur secundum durationem perpetuam actus voluntatis non superflue additur, Constans. Vt sicut per hoc, quod dicitur, Perpetua voluntas, designatur, quòd aliquis gerat in proposito perpetuò iustitiam cõseruandi: ita etiam per hoc, quòd dicitur constans, designetur quòd in hoc proposito firmiter perseueret.

¶ Ad quintum dicendũ, quòd iudex reddit quod suũ est per modum imperantis & dirigentis: quia iudex est iustũ animatum, & princeps est custos iusti, vt dicitur * in 5 Ethic. Sed subditi reddunt quod suum est vnicuique per modum executionis.

Lib. 5. c. 6. à med. to. 5

¶ Ad sextũ dicendum, quòd sicut in dilectione Dei includitur dilectio proximi, vt suprà dictum * est: ita etiam in hoc quod homo seruit Deo, includitur quòd vnicuique reddat quod debet. *q. 24. ar. 2.*

Summa Textvs.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Thom. per tres propositiones. Prima cõclusio. Definitio superius posita est conueniens, si rectè intelligatur, sumendo, scilicet, voluntatis nomen pro actu voluntatis. Hanc conclusionem probat D. Tho. declarãdo singulas partes. Nã primo ponitur illa particula, volũtas, ad ostendendũ, qd actus iustitiæ debet esse voluntarius; & additur illa (cõstans & perpetua) ad designandã actus firmitatem. Et tandẽ dicitur, ius suũ vnicuiq; tribuẽdi in quo declaratur propria materia virtutis, & obiectũ. Est enim iustitia præcipuè circa ea, quæ ad alterũ sũt sicut circa propriã materiã, vt latiùs videbimus in articulo sequẽti. Secũda conclusio: Proposita definitio poterit in debitã formã definitionis reduci, si dicamus, quòd est habitus, per quẽ constanter, & perpetua volũtate ius suũ vnicuiq; tribuitur. Hanc conclusionẽ nõ probat D. Tho sed illã, vt notã ex superioribus relinquit. Tertia cõclusio: Hæc definitio in formã reducta est similis definitioni traditæ ab Arist. 5. Ethicor. cap. 1. vbi dicit, iustitiam esse habitũ, quo homines iusta operantur.

Explicatio Articvli.

CIrca istum articulũ est aduertendũ, quòd definitio iustitiæ in prima cõclusione cõtenta, est Vlpiani in lege iustitia. ff. de iustitia & iure, ex quo loco illã desumpsit Iustinianus in sua Instituta. Cicero lib. 1. de Inuẽtione. c. 5. & lib. 2. Offic. cap. de iustitia, aliter definit iustitiã dicẽs, quod est habitus animæ cõmuni vtilitati prospiciens. Sed hæc definitio non tã iustitiæ particulari, quã legali conuenit, cuius est potissimũ ordinari ad bonum cõmune. D. Ambrosius lib. 1. Officiorũ. c. 24. definit iustitiã, sicut Iurisconsultus, dicẽs, quod est virtus moralis, qua vnicuiq; quod suũ est redditur. Eandẽ definitionẽ approbat D. August. lib. 1. de libero arbitrio, cap 15. & lib. de Quãtitate animæ c. 9. & li. 8. de Trinitate, ca. 6. & lib. 83. quæstionum. q. 31. Eandem etiã approbat D. Thom. in hoc articulo, dicẽs esse conuenientem, si rectè intelligatur. Vnde ad illius explicationem est aduertendum primo, quòd cũ omnis virtus sit habitus electiuus, vt Aristot. docet. 2. Ethic. & habitus sortiãtur speciẽ ab actibus, sicut actus ab obiecto: illa erit conueniens vniuscuiusq; virtutis definitio, in qua eius natura per pro-

Definitiones iustitiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prium actum, & obiectum explicatur. Est autem iustitia virtus, quæ habentem ordinat ad alterum: inter quos æqualitatem dati, & accepti constituit; vt ex dictis in q. præcedenti colligere licet, & sic actus proprius illius erit reddere vnicuiq; quod suũ est. Dicitur ergo in diffinitione iustitiæ, quod est voluntas ius suum vnicuique tribuẽdi, vt proprius actus explicetur: & nomine voluntatis intelligitur non potẽtia, sed actus. Familiare enim est philosophis nomen potentiæ tribuere actibus: ad quem modum principiorum cognitio appellatur intellectus, ponitur autem illa particula, voluntas, non loco generis, vt aliqui existimant: nam cum iustitia virtus, de qua in præsenti est sermo, sit habitus, nulla ratione fieri potest, vt respectu illius sit genus nomen, quod non habitũ, sed actum importat: sed ponitur illa particula cũ præcedẽtibus, scilicet, constans, atq; perpetua; ad denotandas quasdã conditiones, quæ necessario in omni actu virtutis sunt inueniendæ, vt statim dicemus. Et loco generis debet subintelligi, vel habitus, vel virtus moralis. Et sic prædicta verba efficiunt sensum causalem, ac si diceretur; Iustitia est habitus, quo fit actus voluntarius, firmus atque constans, ius suum vnicuique tribuendi. Iuxta quem modum D. Augustin. super Ioannem tractatu. 9. dicit de fide, quod est credere, quod non vides. Et D. Anselmus in libro de veritate, dicit de iustitia, quòd est rectitudo, hoc est, habitus efficiens in actibus rectitudinem: nam sola diuina voluntas est sua rectitudo.

Familiare est Philosophis nomẽ potẽtiæ tribuere actibus.

D. Augustinus.

D. Anselmus.

¶ Secundò est aduertendum, quod, vt constat ex Aristot. lib. 1. Ethicor. cap. 4. in omni actu virtutis tres conditiones sunt necessario inueniendæ. Prima est, quod quis sciens operetur. Secunda, quod operetur eligens & propter finem. Tertia, quod operetur constãter, & immobiliter. Duæ priores pertinent ad libertatem necessariò in operante inueniẽdã; quod enim per ignorantiam, vel per violentiam fit, cùm non sit voluntarium, nõ potest habere rationem virtutis. Et tertia pertinet ad modum, qui in operatione est seruandus. Duæ priores cõditiones explicantur illa particula, voluntas, quæ idem valet, ac actus voluntarius: & tertia declaratur per illam, scilicet, constans atq; perpetua: nomine autẽ perpetui intelligimus non eum actum, qui nunquam interrumpitur, hæc enim perpetuitas soli Deo potest conuenire: sed eum, qui sit ab eo, qui semper & in omni euentu proposuit debitè & secundum legem operari. Sapiẽter autem Vlpianus vltra illam particulam (perpetua) apposuit aliam, scilicet, constans. Perpetuum enim solum dicit propositum & intẽtionem bene semper operandi: at verò constans vltra id addit eiusdem propositi firmitatem: quod tũc est quãdo homo in tali proposito nec nutat, nec vacillat, sed fixus manet: quod vtrumq; est necessarium ad hoc, vt quis virtutem consequutus fuisse dicatur. Multi enim reperiuntur habentes propositum semper studiosè agendi, qui tamẽ quia firmis virtutum radicibus non nituntur idẽtidem dilabuntur: & sic studiosi minime dicũtur. Et hæc de diffinitione Vlpiani, quantũ ad eius explicationẽ dicta sufficiant: ex quibus manifestè colligitur, esse protsus eandẽ cũ ea, quam D. Tho. in hoc articulo sub clariori verborũ serie constituit.

Nota. 1.

In omni actu virtutis tres conditiones sunt necessariæ.

Diserimẽ inter perpetuum & cõstans.

¶ Sed contra prædictam diffinitionẽ sic argumentor: Actus iustitiæ sunt tres, scilicet, honeste viuere, alterum non lædere & tribuere vnicuiq; qđ suum est, vt cõstat ex Vlpiano in lege iustitia. ff. de iustitia & iure: sed huiusmodi actꝰ nõ explicãtur in diffinitione iustitiæ, sed solũ explicatur tertiꝰ actus qui est, reddere vnicuiq; quod suũ est: ergo ea non est bona.

Contra diffinitionem iustitiæ 1. argumẽtum.

¶ Secundò; Qui sponte patitur pœnã iustã à iudice impositã facit actum iustitiæ, & tamẽ non reddit alicui ius, sed potiùs patitur: ergo male dicitur iustitiã esse, quæ ius suũ vnicuiq; tribuit.

2. argumẽtum.

¶ In solutione primi argumenti valde se cruciat Buridanus, lib. 5. Ethic. quæstione. 2. ad secundum argumentum. Sed vera solutio est, quòd honestè viuere sumitur dupliciter. Vno modo, vt idem sit ac viuere secundum rationem, & sic non est actus particularis iustitiæ sed cõmunis omniũ virtutum moraliũ, omnis enim virtus moralis est principium honestæ & studiosę vitæ. Alio modo accipitur honestè viuere magis particulariter, quatenus includit rationẽ debiti: Et secundũ istã acceptionẽ est actus iustitiæ, nõ tamen distinctꝰ ab illo tertio actu, qui est, reddere vnicuique quod suũ est. Tũc enim dicitur homo honestè viuere secundũ rationẽ debiti, quando proximo reddit quod suũ est, & sic non fuit necessarium, quòd hoc in definitione iustitiæ constitueretur. Similiter etiam secundus actus iustitiæ, qui est alteri non lædere potest accipi dupliciter. Vno modo negatiuè, in quãtũ dicit puram omissionẽ nõ lædẽdi quẽquã. Et secundũ istã rationẽ nõ est actus iustitiæ: imo nõ est actus; vnde stultis & dormientibus potest cõuenire. Altero modo sumitur positiue quatenꝰ includit propositũ nõ lædẽdi alterũ: & sic est actꝰ iustitiæ, inclusus tamẽ in illo tertio, qui est reddere vnicuiq; qđ suũ est. Et ratio huius est: Quia sicut omnes potẽtiæ, vel habitus habent duos actus, & duas operationes, vnã principalem, & primã; quas prosequuntur suum obiectum formale: alterã minus principalem, ortam ex priori, & cõtentam in illa, qua aduersantur, & destruunt id, quod est contrarium suo obiecto, vt verbi gratia, voluntas habet duos actus, vnum primarium, qui est amor, quo prosequitur bonum, quod est formale obiectum voluntatis; alterum secundarium, ortum ex priori, qui est fuga, & odium, quo prosequitur malum: ita etiam iustitia habet duos actus, vnum primarium, qui est reddere vnicuiq; quod suũ est: alterum secundarium inclusum in primo, qui est propositum non lædendi alterum, nõ enim potest fieri, vt quis firma & constanti voluntate reddat vnicuique quod suum est, quin habeat propositum non lædendi alterũ nec in honore, neq; in diuitijs, nec in vita. Et sic non fuit necessariũ, vt iste secundus actus in diffinitione explicaretur.

Actus iustitiæ qui est non ladere accipitur dupliciter.

Ad. 2. argumentum.

¶ Ad secundum argumentum respõdetur, illum, qui patitur pœnam iustam reddere ius, vel iniuriato, vel reipublicæ ad æqualitatem; quod satis est ad hoc, vt iustitiam operari dicatur.

Articvlvs. II.

Vtrum iustitia semper sit ad alterum.

Sup. q. 57. ar. 4. & in 3ª 3ª. art. 3. cor. & ad 3. & vir. q. 2. art. 7. ad. 12.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur quod iustitia non semper sit ad alterum. Dicit enim Apostolus ad Romanos tertio, quod iustitia Dei, est per fidem Iesu Christi. Sed fides non dicitur per comparationem vnius hominis ad alterum, ergo neque iustitia.

Ca. 15. circa med. to. 1.

2 ¶ Præterea, Secundum Augustinum * in libro de Moribus Ecclesiæ ad iustitiam pertinet ob hoc, quod seruit Deo bene imperare cæteris, quæ homini sũt subiecta. Sed appetitus sẽsitiuꝰ est homini subiectus, vt patet Genes. 4. vbi dicit. Subter te erit appetitꝰ eius, scilicet, peccati, & tu dominaberis illius, ergo ad iustitiam pertinet dominari proprio appetitui. Et sic erit iustitia ad seipsum.

3 ¶ Præterea. Iustitia Dei est æterna. Sed nihil aliud est Deo coæternum, ergo de ratione iustitiæ non est, quòd sit ad alterum.

4 ¶ Præterea, Sicut operationes quæ sunt ad alterũ, indigent rectificari: ita etiã operationes quæ sunt ad seipsum. Sed per iustitiã rectificantur operationes: secundum illud Prouerbiorũ vndecimo. Iustitia simplicis diriget viam eius, ergo iustitia non est solum circa ea quæ sunt ad alterum, sed etiam circa ea quæ sunt ad seipsum.

¶ Sed contra est quod Tullius * dicit in primo de Offi quòd iustitiæ ea ratio est, qua societas hominũ inter ipsos & vitæ communitas continetur. Sed hoc importat respectũ ad alterũ, ergo iustitia est circa ea quę sunt ad alterum.

Li. 1. in ca. de iustitia in prin.

¶ Respondeo dicẽdum, quòd sicut suprà dictum * est, cum nomen iustitiæ æqualitatẽ importet, ex sua ratione iustitia habet, quòd sit ad alterum; nihil enim est sibi æquale, sed alteri. Et quia ad iustitiam pertinet actus humanos rectificare, vt * dictũ est, necesse est quòd æqualitas ista, quã requirit iustitia, sit diuersorũ agere potentiũ. Actiones autẽ sunt suppositorũ & totorũ, non autẽ, proprie loquẽdo, partiũ, & formarũ, seu potẽtiarũ. Non enim propriè dicitur ꝙ manus percutiat, sed homo per manũ: neque proprie dicitur quòd calor calę faciat, sed ignis per calorem, secundũ tamen similitudinem quandã hæc dicũtur. Iustitia ergo propriè dicta requirit diuersitatẽ suppositorũ, & ideo nõ est nisi vnius hominis ad aliũ. Sed secundũ similitudinẽ accipiũtur in vno & eodẽ homine diuersa principia actionũ, quasi diuersa agentia: sicut ratio & irascibilis & concupiscibilis, & ideo metaphoricè in vno & eodẽ homine dicitur esse iustitia, secundum quod ratio imperat irascibili: & concupiscibili: & secundum quod hæc obediũt rationi, & vniuersaliter secundum quod vnicuique parti hominis attribuitur ꝙ ei conuenit. Vnde & * Philosophus in quinto Ethic. hanc iustitiam appellat secundum metaphoram dictam.

Q. prac. ar. 1. 2. & 3.

Ar. prace. & q. 57. ar. 1. & 2. q. 113. art. 1.

Lib. 5. cap. vlt. to. 5.

¶ Ad Primvm ergo dicẽdũ, ꝙ iustitia quę fit per fidẽ in nobis, est per quã iustificatur impius: quæ quidẽ in ipsa debita ordinatione partiũ animæ cõsistit, sicut sup. * dictũ est, cũ de iustificatione impij ageret. Hoc autẽ pertinet ad iustitiã metaphoricè dictã, quæ põt inueniri etiã in aliquo solitariã vitã agẽte. Et per hoc

1. 2. q. 113. art. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

patet responsio ad secundum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd iustitia Dei est ab æterno, secundum voluntatem, & propositum æternum. Et in hoc præcipue iustitia consistit: quamuis secundum effectum non sit ab æterno: quia nihil est Deo coæternum.

¶ Ad quartum dicendum, quòd actiones, quæ sunt hominis, ad seipsum sufficienter rectificantur, rectificatis passionibus, per alias virtutes morales. Sed actiones quæ sunt ad alterum, indigent speciali rectificatione, non solum per comparationem ad agentem, sed etiam per comparationem ad eum, ad quem sunt. Et ideo circa eas est specialis virtus, quæ est iustitia.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultem respõdit D. Tho. per duas propositiones. Prima cõclusio. Iustitia propriè dicta sẽper est ad alterum, probatur iustitia, vt nomẽ prẽse fert importat æqualitatem, sed æqualitas non potest esse, nisi inter duos: nihil enim dicitur sibi, sed alteri æquale: ergo iustitia semper est ad alterum. Et confirmatur: Iustitia, si ad mores referatur, conuenit humanis actionibus: sed actiones teste Arist. 2. de anima sunt suppositorum, & non naturarum, vel partium; humanitas enim non net, imo nec digiti, aut manus, sed mulier: ergo iustitia propriè dicta non solum est inter duo, qualitercũq; distincta, sed inter duo suppositа, quorum quodlibet suas exerceat operationes. Secunda conclusio. Iustitia metaphorice dicta, bene potest esse eiusdem ad se ipsum, in quantum, scilicet, in vno & eodem homine diuersa principia actionum, quasi diuersa agentia considerantur: ad quem modũ dicere solemus, iustũ esse, quod ratio imperet sensualitati, & quod hæc obediat rationi.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. 1. Iustitia proprie, iustitia perfecte & iustitia metaphorice differunt.

CONclusiones huius articuli desumptæ sunt ex Aristot. lib. 5. Ethi cap 11. Circa quas est aduertendum primò: non esse idem iustitiam propriè & iustitiam perfectè, & iustitiã metaphoricè. Nã, vt constat ex ijs, quæ diximus, quæstione præcedenti ar. 4 inter nos & Deum est iustitia non metaphorica, nec perfecta, sed propria, & idem est de patre respectu filij, & de Domino respectu seruorũ: at verò eiusdem ad seipsum solùm est iustitia metaphorica, non propria, nec perfecta: & idem est de homine respectu brutorum. Bruta enim, vt dicit Aristo. 10. Ethi. cap. 8. sicut nõ possũt esse felicia; ità nec iniuriam pati. Et ratio est: Nam ius propriè non inuenitur, nisi inter illa, quæ habent dominiũ suarum actionum: bruta autem nullius rei possunt dominium habere: vnde si quis alterius equum occidat, vel ab eo pabulũ subtrahat, nullã ei facit iniuriã, sed domino. Ex quo infertur falsã esse sententiã Conradi lib. 6. de cõtractibus. & Gersonis lib. de vita spirituali, qui dicunt brutã habere dominium circa pabula, & sic posse esse iustitiam inter illa & homines.

¶ Secundò, est aduertendum, quod quãdo D. Tho in hoc articulo, explicans, cui sit reddendũ ius, dicit illud reddi debere alteri suppositо, Ly alteri suppositо, absoluitur à numero, & vult significare, quod est reddendũ i' alteri, quòd est vnũ suppositũ, vel quod est collectio pluriũ suppositorũ, vt cõmunitas. Ad quẽ etiã modũ loquitur Arist lib. 5. Ethic. c. 1. Nã cũ dixisset iustitiã alterũ respicere, huius rationẽ reddẽs subiungit. Reddit enim ius alteri, siue principi, siue reipublicæ. Quibus verbis satis apertè significat nomine alterius intellexisse, vel alterum suppositũ, vel collectionem plurium suppositorum. *Nota. 2.*

¶ Tertiò est aduertendũ, quòd quantum ad hoc, quod est alterũ respicere, est latissimũ discrimẽ inter iustitiã, prout est in propositо voluntatis, & inter eandẽ, quatenus executioni mãdatur, nã quãuis vera & propria iustitia quatenus executioni mandatur, non possit inueniri, nisi inter suppositа realiter existentia: in proposito tamẽ voluntatis bene potest vera, & propria ratio iustitiæ inueniri, ante quã alterũ existat. v.g. Habet quis depositũ pro filijs alterius, si illos habuerit, tunc seruat iustitiã, & vere dicitur iustus, quando habet propositũ, reddẽdi depositũ, adhuc ipsis filijs non existentibus: & si intendit nõ dare pro tempore quo erunt, est vere iniustus. *Nota. 3.*

ARTICVLVS III.

Vtrum iustitia sit virtus.

Annot. 5. Eth. le. 2. & 3.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd iustitia nõ sit virtus. Dicitur enim Lucæ. 17. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite. Serui inutiles sumꝰ: quod debuimus facere fecimus. Sed non est inutile facere opꝰ virtutis. Dicit enim* Ambrosius in secũdo de officijs, vtilitatẽ nõ pecuniarij lucri æstimationem dicimꝰ, sed acquisitionẽ pietatis. Ergo facere quod quis debet facere, nõ est opus virtutis. Est autẽ opus iustitiæ qꝫ quis facere tenetur, ergo iustitia nõ est virtus. *Lib. 2. c. 6. circa prin. tom. 1.*

2 ¶ Præterea, Quod fit ex necessitate, non est meritorium. Sed reddere alicui quod suum est, quòd pertinet ad iustitiam, est necessitatis, ergo non est meritorium. Actibus autem virtutum mercenarij, ergo iustitia non est virtus.

3 ¶ Præterea, Omnis virtus moralis est circa agibilia. Ea autem quæ exterius constituuntur, non sunt agibilia, sed factibilia: vt patet per Philosophum in nono* Metaphy. Cum ergo ad iustitiã pertineat exterius facere aliquod opus secundum se iustum, videtur quòd iustitia non sit virtus moralis. *Lib. 9. tex. 15. tom. 3.*

¶ SED CONTRA est, quòd* Greg. dicit in. 2 Morali. quòd in quatuor virtutibus, scilicet, temperantia, prudẽtia, fortitudine, & iustitia, tota boni operis structura consurgit. *Li. 2. c. 36. in princ.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd virtus humana est quæ bonum reddit actum humanum & ipsum hominem bonum facit, quod quidem conuenit iustitiæ. Actus enim hominis bonus redditur ex hoc, quod attingit regulam rationis, secũdum quam humani actus rectificantur. Vnde, cum iustitia operationes humanas rectificet, manifestum est quod opus hominis bonum reddit. Et vt Tullius* dicit in. 1. de Officijs, ex iustitia præcipuè viri boni nominãtur. Vnde sicut ibidem dicit, In ea virtutis splendor est maximus. *Lib. 1. in. c. de iustitia. circa prin.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd cum aliquis facit quod debet, non affert vtilitatẽ lucri ei cui facit quod debet, sed solum abstinet à damno eius, si bi tamen facit vtilitatem, in quantum spontanea & prompta voluntate facit illud quod debet, quod est virtuose agere. Vnde dicitur Sapien. 8 quòd sapientia Dei sobrietatem & iustitiam docet, prudentiam & virtutem quibus in vita nihil est vtilius hominibus, scilicet, virtuosis.

¶ Ad secundum dicendum, quòd duplex est necessitas, vna coactionis: & hæc quia repugnat voluntati, tollit rationem meriti. Alia autem est necessitas ex obligatione præcepti, siue ex necessitate finis: quando scilicet aliquis non potest consequi finem virtutis nisi hoc faciat, & talis necessitas non excludit rationem meriti, in quantum aliquis hoc quod sic est necessarium, voluntariè agit, excludit tamen gloriam supererogationis: secundum illud. 1. ad Corinth. 9. Si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit.

¶ Ad tertium dicendum, quòd iustitia non cõsistit circa exteriores res quã tum ad hoc quod est facere, quod pertinet ad artem, sed quantum ad hoc, quòd vtitur eis ad alterum.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua. Probatur: Virtus secundum Aristot. 2. Ethic. est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit: sed talis est iustitia: ergo. probo minorem: Bonum hominis est operari secundum regulas rationis: nam cum homo natura sua sit rationalis, ex eo opus eius erit bonum, quod est conforme rectę rationi: sed hoc efficit iustitia, cuius munus est, secundum regulas rationis æqualitatem constituere inter duos: ergo iustitia est virtus: & vt Arist. dicit non qualiscunq; sed tanto cæteris rutilantior, quanto Heperus reliquis astris firmamenti splendore antecellit. Quod & Cicero lib. 1. Officiorum repetit dicens, in habitu iustitię virtutis splendorem esse maximum, ex qua viri boni nominantur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

RAtio, propter quam D. Thom. in hoc articulo monet præsentem difficultatem, non est, quia de illa sit aliqua dubitatio: omnes enim vno ore fatentur iustitiam esse virtutem: sed vt seruet debitum ordinem, & præterea explicet immediatum genus eius iustitiæ, de qua in præsenti est sermo: quod est nõ virtus secundum totam suam latitudinem, in quantum, scilicet, complectitur tam virtutes intellectuales, quam morales: sed virtus moralis, cuius munus est dare bonum vsum in ordine ad rectam rationem. Hæc enim est, quę bonum facit habentem & opus eius bonum reddit.

¶ Sed contra conclusionem sic argumentor: exercitati in actibus virtutum, ab omnibus laudantur: sed non laudãtur illi, qui exercent se in actibus iustitiæ, vt est videre in mercatoribus, qui emptionibus & venditionibus intenti, quæ sunt actus iustitiæ, non laudantur, sed potius vituperantur: ergo iustitia nõ *Arg. cõtra conclusion. D. Thom.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Solutio aliquorum.

est virtus. Ad hoc argumentum nonnulli respondent, quod ideo mercatores non laudantur, quamuis exerceant se in actibus iustitiæ, quia eorum status est adeo periculosus, vt vix possint conscientiam suam in talibus cõtractibus innoxiã seruare. Sed hęc ratio nihil valet. Ex ea enim sequeretur, quod status iudicum, atque principum non esset laudabilis; imò nec status episcoporum dicente D. Augustin. in regula, quòd quantò quis in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur.

D. Augustin.

Alij dicunt, quòd quamuis illi actus sint studiosi, quia tamen impediunt, ne homines ad altiora progrediantur, ideò in illis occupati non laudantur. Sed nec hæc ratio est sufficiens: quia tunc sequeretur castitatem coniugalem non esse laudandam, cum impediat virginitatem, quæ est maius bonum: cuius tamen contrarium communiter tenent catholici. Quocirca, his solutionibus omissis, dico, quòd mercatores ementes & vendentes non laudantur multis de causis. Prima est propter abusum, qui communiter in illis actibus inuenitur. Sæpè enim contingit, vt aliqui actus sint ex se liciti & honesti, qui tamen propter nimium abusum redduntur mali, vt quod religiosi deferant chirothecas, non quidem est ex se malum, sed potius videtur bonum, vt eorum manus sint mundæ & tales quales tanti sacramenti ministros decet. Nihilominus tamẽ propter abusum iam est hoc redditum vituperabile.

Vera solutio.

Mercatores multis de causis non laudãtur.

Secunda ratio est: Quia communiter hoc munere vtuntur homines de media plebe: & quod de se non est vituperabile aliquando redditur infame propter eos, qui re illa vtuntur. Ex vili enim conditione hominum sæpè sæpiùs prouenit vt actus, qui secundũ se sunt boni indebito modo fiant; & sic reddantur vituperabiles. Quare si tantum homines graues & timorati communiter facerẽt tales cõtractus procul dubio laudarentur. Vel tandẽ dico, quod quando in aliqua virtute sunt actus perfectiores & minus perfecti communiter non laudantur minus perfecti, quamuis sint actus virtutis.

Articvlvs. IIII.

¶ Vtrùm iustitia sit in voluntate tanquam in subiecto.

3. d. 33. q. 2. art. 4. q. 8. & vir. q. 1. artic. 5. cor. fin. Et 5. Ethic. lect. 1.

Ad Qvartvm sic proceditur. Videtur, quòd iustitia nõ sit in voluntate sicut in subiecto. Iustitia enim quandoq; veritas dicitur. Sed veritas non est voluntatis, sed intellectus, ergo iustitia non est in voluntate sicut in subiecto.

2 ¶ Præterea, iustitia est circa ea quæ sunt ad alterum. Sed ordinate aliquid ad alterum est rationis, Iustitia ergo nõ est in voluntate sicut in subiecto, sed magis in ratione.

3 ¶ Præterea, Iustitia non est virtus intellectualis, cum non ordinetur ad cognitionem. Vnde relinquitur, quòd sit virtus moralis. Sed subiectum virtutis moralis est rationale per participationẽ, q̃ est irascibilis, & cõcupiscibilis, vt patet * per Philosophum in. 1. Ethic. ergo iustitia non est in voluntate sicut in subiecto, sed magis in irascibili & concupiscibili.

Lib. 1. cap. vlt. tom. 5. Annot.

¶ Sed Contra est, quòd Anselmus * dicit, quòd iustitia est rectitudo voluntatis, propter se seruata.

In dialogo de veritate cap. 13.

¶ Respondeo dicendum, quòd illa potentia est subiectum virtutis, ad cuius potentiæ actum rectificandum virtus ordinatur. Iustitia autem non ordinatur ad dirigendum aliquem actum cognoscitiuum. Non enim dicimur iusti ex hoc quòd rectè aliquid cognoscimus. Et ideo subiectum iustitiæ nõ est intellectus, vel ratio quæ est potentia cognoscitiua: sed quia iusti in hoc dicimur, quòd aliquid recte agimus, proximum autem principium actus est vis appetitiua, necesse est quòd iustitia sit in aliqua vi appetitiua sicut in subiecto. Est autem duplex appetitus, scilicet voluntas, quæ est in ratione, & appetitus sensitiuus cõsequens apprehẽsionẽ sensus, qui diuiditur per irascibilẽ, & cõcupiscibilẽ, vt in primo habitũ est. Reddere autem vnicuiq; quod suum est, nõ potest procedere ex appetitu sensitiuo: quia apprehensio sensitiua non se extẽdit ad hoc, quòd cõsiderare possit proportionem vnius ad alterum: sed hoc est proprium rationis. Vnde iustitia nõ potest esse sicut in subiecto in irascibili & concupiscibili, sed solum in voluntate. Et ideò Philosophus * diffinit iustitiam per actum voluntatis, vt ex supradictis * patet.

1. 1. q. 81. art. 2.

Lib. 5. Eth. cap. 1. & 5. ad finem. Art. 1. huius. q.

Ad

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd quia voluntas est appetitus rationalis: ideo rectitudo rationis quæ veritas dicitur, voluntati impressa, propter propinquitatem ad rationem, nomen retinet veritatis. Et inde est, quòd quandoque iustitia veritas vocatur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd voluntas fertur in suum obiectum cõsequenter ad apprehẽsionem rationis. Et ideo quia ratio ordinat in alterum, voluntas potest velle aliquid in ordine ad alterum: quod pertinet ad iustitiam.

¶ Ad tertium dicendum, quòd rationale per participationem d non solum est irascibile & concupiscibile, sed omnino d appetitiuum, vt dicitur in. 1. Ethicorum: quia omnis appetitus obedit rationi. Sub appetitiuo autem comprehenditur voluntas: & ideo voluntas potest esse subiectum virtutis moralis.

D. 231. & 1199. Lib. 1. cap. vlt. tom. 5.

Summa Textvs.

Ad hanc difficultatẽ respondet D. Tho. vnica cõclusione, quæ talis est. Virtus iustitiæ non est in intellectu, nec in appetitu sensitiuo; sed solum in voluntate, tanquam in subiecto. Probat singulas partes. Et primò quod non sit in intellectu: nam illa potentia est subiectum virtutis, ad cuius potentiæ actum rectificandum ipsa virtus ordinatur: sed iustitia non ordinatur ad rectificandum actum potentiæ cognoscitiuæ, nõ enim dicimur iusti ex eo, quòd aliquid rectè cognoscimus, sed ex eo, quod aliquid rectè agimus; proximum autem principium actus est vis appetitiua: ergo iustitia non est in intellectu, tanquam in subiecto, sed in aliqua vi appetitiua. Quod autem non sit in appetitu sensitiuo, sed solum in voluntate probatur. Hoc est discriminis inter voluntatem & appetitũ sensitiuum, quòd voluntas sequitur apprehẽsionem intellectus; & propterea dicitur appetitus rationalis: appetitus verò sensitiuus sequitur apprehensionem sensus: sed apprehensio sensitiua non se extendit ad hoc, vt possit considerare proportionem vnius ad alterum: hoc enim est proprium rationis: ergo reddere vnicuique quod suum est nõ potest procedere ab appetitu sensitiuo, sed solum à voluntate: atque ex consequenti iustitia, cuius est facere æqualitatem, reddendo vnicuique quod suum est, non erit in appetitu sensitiuo, tanquam in subiecto, sed solum in voluntate.

Explicatio Articvli.

Dubium circa cõclusionem articuli.

Circa conclusionẽ huius articuli est difficultas, vtrũ vera sit. Et pro parte negatiua argumentor primò: iudicare est actus iustitiæ, vt omnes doctores concedunt; & tamẽ pertinet ad intellectum: ergo iustitia est etiã in intellectu, tanquam subiecto. Et confirmatur: Restitutio, & redditio debitis sunt actus iustitiæ; & tamen non eliciuntur immediate à voluntate: sed à potentijs exterioribus, imperium voluntatis exequentibus: ergo iustitia non solum est constituenda in voluntate, sed etiam in alijs potentijs. Probo consequentiam: Nam omnis virtus in ea potentia debet constitui, in qua propriam exercet operationem.

1. Argum.

¶ Secundò, Voluntas de se est determinata ad bonum rationis, sed obiectum iustitiæ est bonum rationis: ergo voluntas ex se est satis determinata ad illud; atque ex consequenti non indiget virtute, qua mediante feratur in illud.

2. Argum.

¶ Tertiò, Fortitudo & temperantia ea ratione non constituuntur in voluntate, quia voluntas ex se est satis determinata ad bonum temperantiæ, & ad bonum fortitudinis: sed obiectum iustitiæ est multò excellentius, habetque maiorem dignitatem, quam obiectũ fortitudinis, vel temperantiæ: ergo sicut fortitudo non constituitur in voluntate: ita nec iustitia. Ad hoc argumentum nonnulli respõdent, negando consequentiam, Est enim discrimen, inter iustitiam ex vna parte, & fortitudinem, & temperantiam ex alia, quantum ad hoc, quod materia, circa quam versatur iustitia, est alter alterum, & sic bonum alienum. At verò materia, circa quam versatur fortitudo, & temperantia est ad se; & sic bonũ proprium. Vnde dicunt, quod voluntas, quãuis sit per se formaliter determinata ad bonũ iustitiæ, quatenus est bonum rationis præcisè: quia tamen non est determinata ad tale obiectum, quatenus est materia & bonũ alterius; quia vt sic est bonum alienum: idcircò fuit necessarium ponere in voluntate iustitiã inclinantem ad hoc bonum. Cæterùm, quia eadem voluntas respectu eius boni, quod est in fortitudine, vel temperantia est sufficienter determinata, nõ solum formaliter, in quãtum est bonum rationis, sed etiam materialiter, hoc est, ratione rei concupitæ, quæ etiã est ad se & bonum proprium; idcircò nõ fuit necessarium ponere in voluntate fortitudinẽ vel temperantiam. Sed contra hoc sic argumentor: Materia ex se postulat formam: ergo si voluntas per se est determinata ad bonum iustitiæ formaliter, in quantum est bonum rationis, tanquam ad propriam formam; pari ratione

3. Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione etiam erit determinata & relata ad materiam, siue ad bonum iustitiæ materialiter, in quo reperitur forma iustitiæ: atque ex eō sequenti quantum ad hoc nullum est discrimen inter iustitiam, & alias virtutes.

Conclusio D. Thom. vera.

¶His tamen non obstantibus dico, quod conclusio D. Thom. est verissima, quam tenet D. Anselmus in Dialogo de veritate. c. 13. dicens, iustitiam esse rectitudinem voluntatis propter se seruatā. Et Arist. 5. Ethi. cap. 1. dicit: Iustitia est habitus, quo iusta volumus & iusta facimus. Et Vlpianus in l. iustitia. ff. de iustit. & iur. sic inquit; Iustitia est constās, & perpetua voluntas, &c. Quibus verbis nō solum actus, sed etiam proprium iustitiæ subiectum oratorio quodam modo declaratur, & probatur sufficienter ratione D. Thom. in hoc articulo. Item præterea ex differentia quam ipse. 1. 2. quæst. 56. ex mente Aristotelis constituit inter iustitiam & alias virtutes morales: iustitia enim est in voluntate, aliæ vero virtutes, nempe, Fortitudo, & Temperantia sunt in appetitu sensitiuo. Et ratio est; quia cum Temperantia, & Fortitudo perficiāt hominem in ordine ad bonum propriū; voluntas autem ex se satis sit propensa & inclinata respectu huius boni: non est necessarium ponere in voluntate aliquas virtutes inclinantes ad illud; sed erit necessarium ponere illas, nempe, Fortitudinem, & Temperantiam in appetitu sensitiuo; ne propter insurgentes passiones, irascibilis, & concupiscibilis voluntas impediatur à bona electione, & consequutione proprij boni. Cæterùm, quia in ordine ad alterū, hoc est, in ordine ad alienum bonum non est voluntas ex se satis propensa & inclinata, idcirco necessarium est, quod, vt homo debito modo se habeat in ordine ad alterum, in eius voluntate constituatur aliqua virtus, & hæc est Iustitia. De hac re videndus est D. Thom. 1. 2. quæst. 56. art 6. & quæst. 60. art. 2. & in hac q. art. 9. & 10.

Ad 1. arg. solutio Caietani.

¶ Ad primum argumentum cum sua confirmatione, vt respondeat. Caietanus in hoc articulo, dicit tria. Primū est, quòd actiones virtutum necessariò debent esse immanētes. Secundū quòd restitutio, commutatio, reddition debiti, &c. prout sunt actiones transeuntes non possunt elici à virtute Iustitiæ, sed tātum imperari. Tādem tertio affirmat, quòd iudicare non est actus elicitus à Iustitia, sed imperatus: quia Iustitia est in voluntate & iudicare est actus intellectus. Aliqui sequūtur hunc modum dicendi Caietani: sed mihi procul dubio non videtur probabilis. Nam, vt diximus supra quæst. 3. art. 1. ex mente D. Tho. quamuis actus vnius potentiæ non possit elici ab alia potentia, sed imperari: non tamen est inconueniens, quod eliciatur ab habitu existenti in alia potentia. Et ratio est: Nam cum potentia concurrat ad actum quantum ad eius substantiam in genere naturæ, quod est quid intrinsecum; habitus verò quantum ad qualitatem & ad modum ipsius actus in genere moris; quod est quid extrinsecum; est inconueniens, quòd actus, quoad suam substantiam eliciatur ab alia potentia: & non est inconueniens, quod qualificetur ab habitu existenti in alia potentia. Qualitas enim quia est quoddam accidēs aduentitium & variabile; potest ab extrinseco aduenire: substantia verò actus, quia est quid intrinsecum implicat quod ab extrinseco proueniat. Ex quo fit, vt orare, vouere, qui sunt actus intellectus, & sacrificare, & facere cæremonias, qui sunt actus potentiarum exteriorum, putà, manus, atque linguæ, ponantur à D. Thom. infra. q. 85. art. 1. & 3. actus eliciti à religione, non obstante, quod religio est in voluntate, tanquā in subiecto. Et eodem modo dico, quòd iudicare, quamuis sit actus intellectus, quantum ad substantiam: & restitutio atque redditio debiti sint potentiarum exteriorum; adhuc tamen sunt actus elicti à Iustitia existente in voluntate, quia ab ea immediate accipiunt bonitatem in esse moris. Et per hæc patet solutio ad primum argumentum cum sua confirmatione.

Impugnatur Caiet. & respondetur ad argum.

¶Ad secundum respondetur, quòd quāuis verum sit, quod voluntas ex sua natura inclinatur in quodcunque bonum; adhuc tamen indiget virtutibus, quibus faciliter feratur in particularia bona, maxime in illa, quæ non sunt propria ipsius operātis: ex peccato enim primi parentis adeò infirma mansit volūtas, & inclinata proprijs bonis, vt nisi media virtute, in bonum alterius promptè & faciliter ferri non possit: quamuis ipsum secundum se sit nobilius atque præstantius quam bonum proprium. Et per hoc patet solutio ad tertium argumentum, quantum ad primam partem illius. Quantum ad vltimum autem, quod in eodem argumento dicitur, respondetur, quòd quemadmodum materia ex se est determinata ad formam substantialem in communi, non autem est determinata ex se ad istum gradum formæ; neque ad illum, nisi per dispositiones, quas recipit: ità etiam voluntas ex se est determinata ad bonum in communi, imò & ad bonum rationis sibi proportionatum: non tamen est determinata ex se ad bonum sibi non proportionatum, siue illud sit diuinum, siue humanum. Et quia bonum alterius non est proportionatum voluntati, cuius sit difficile reddere alienum proximo: idcirco indiget voluntas habitibus, & dispositio-

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

spositionibus, quibus promptè & faciliter ad alterum operetur: & sic ponitur iustitia.

Dubium.

¶Sed dubitabit aliquis consequenter, vtrū ità sit proprium Iustitiæ inter cardinales virtutes esse in voluntate (iustitiæ inquā & aliarum sibi annexarum, quales sunt religio, liberalitas & similes) vt nulli alteri conueniat.

Sententia Scoti.

Scotus namque in. 3. dist. 23. quæst. vnica, & dist. 33. eiusdem libri atque Ocham dist. 10. & 11. quos neotericorum plerique sequuntur, præcipuè Buridanus. 1. Ethic. quæst. vlt. mordicùs tenent non modo iustitiam, verum & Fortitudinem, atque Temperantiam in voluntate esse constituendas. Fatentur quidem in appetitu sensitiuo esse ponendos aliquos habitus, quibus rectè disponatur & obediat rationi: dicunt tamen illos non mereri nomē virtutis: & sic omnis virtus ad voluntatē est referenda. Et probari potest hæc sententia multis argumentis.

1. Argum.

Primò sic: Virtus est habitus electiuus in medio consistens rectæ rationi consentaneus, vt autor est Arist. 2. Ethi. cap. 2. ergo in illa potentia est constituenda, cuius est proprium electionem facere: huiusmodi autem est sola voluntas: ergo sola volūtas potest esse subiectum moralis virtutis.

2. Argum.

¶Secundò: In volūtate ponitur iste actus, qui est, volo tēperatè viuere, vel fortiter agere, vt planè constat: ergo sunt constituendæ in voluntate virtutes Temperantiæ & Fortitudinis, quæ illos actus eliciant. Probo consequentiam: Nam virtus eo in loco est constituenda, vbi ponitur operatio. Et cōfirmatur: Habitus intemperantiæ ponitur in voluntate: ergo & habitus temperantiæ. Consequentia inde tenet, quòd contraria debent fieri circa idem. Antecedens verò probatur: Voluntas ex se non est determinata ad actus intemperantiæ: ergo ex frequentatione talium actuum generabitur in ea habitus intemperantiæ.

3. Argum.

¶Tertiò: Si virtutes morales constituuntur in appetitu sensitiuo, sequuntur quā plurima inconuenientia. Nam primò sequitur, quòd istæ virtutes non fuissent in statu innocentiæ; siquidem in illo omnes passiones essent moderatæ. Secundò sequitur, quod non manent in anima separata, in qua non manet appetitus sensitiuus; imò nec mansissent in Christo in triduo mortis, quod videtur alienum à vera Theologia. Tertiò sequitur, has virtutes non manere in beatis post corporis resurrectionem, cùm in illis non maneant passiones, quæ moderentur. Tandem sequitur, quòd Temperantia & Fortitudo infusæ debeant collocari in appetitu sensitiuo, quod est impossibile. Nam cum prædictæ virtutes infusæ versentur circa bonū diuinum, & supernaturale, quod à potentia sensitiua nec cognosci, nec desiderari potest; manifestè sequitur, illas non esse collocandas in appetitu sensitiuo.

Sententia Arist. vera

¶Contrariam tamen sententiā tenet Arist. multis in locis & præcipuè. 2. Ethi. cap. 3. vbi ex professo nititur probare virtutes morales, nempe, Fortitudinem & Temperantiam in reprimēdis voluptatibus, ac doloribus & tristitijs versari, & sic in appetitu sensitiuo, tanquam in subiecto sunt collocandæ. In primo etiam Ethic. cap. vlt. & 3. Ethic. cap. 10. dicit Fortitudinem & Temperantiam esse partiū animæ irrationalium, hoc est, irascibilis & cō cupiscibilis. Aduersarij dicunt, quòd Aristo. intelligit per hæc verba voluntatem, quæ nō est rationalis per essentiam, sed per participationem. Et forsan verè dicunt: ipse enim sic explicat lib. 6. Ethic. cap. 1. & lib. 10. Magnorum moralium, cap. 5. Sed non poterunt Aristotelem ita explicare in Opusculo de Virtutibus, vbi expressè fatetur prædictas virtutes in appetitu sensitiuo esse collocandas. Et probatur ratione: Virtus versatur circa difficile: sed vniuersa difficultas in materia Temperantiæ, atque Fortitudinis prouenit ab appetitu renuente, & ab eius passionibus: ergo istæ virtutes in appetitu sensitiuo sunt constituēdæ, vt illum frænent. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur ex Paulo, qui ad Roma. cap. 7. difficultatem huius negotij ad appetitum sensitiuum retulit dicens; Condelector legi secundum interiorem hominē, hoc est, secundum rationalem appetitū: sed sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, vt non quæ cumq; vultis illa faciatis, &c. Secundo, si cōstituamus hominem prudentem, scientem, quid & quomodo sit operandum, carentemque omni passione & difficultate appetitus sensitiui, is facillime & animosè resistet contrarijs, vinetque temperatè, vt conseruet vitā suam. Quod & manifesta experientia verum esse monstratur. Nam immutato corpore per ægritudinē, vel per alias causas ità, vt cessent passiones tunc facillimum est habere optimū propositum temperatè viuendi: ergo ociosum erit has virtutes in voluntate constituere, atque ex consequenti sunt ponendæ in appetitu sensitiuo. Tandem hoc ipsum probatur efficacissima ratione D. Thom. 1. 2. q. 56. art. 6. Vbi dicit quod cum per habitum perficiatur potentia ad agendum, ibi indigebit potentia habitu ad bene agendum (qui sit virtus) vbi ad hoc non sufficit, propria ratio potentiæ: omnis autem potentiæ propria ratio attenditur in ordine ad obiectum. Vnde

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum obiectum voluntatis sit bonum rationis voluntati proportionatum, quantum ad hoc non indiget voluntas virtute perficiente; sed si quod bonum immineat homini volendum, quod excedat proportionem voluntatis; siue quantum ad totam speciem humanam, sicut bonum diuinum, quod transcendit limites humanæ naturæ; siue quantum ad indiuiduum, sicut bonum proximi, ibi voluntas indigebit virtute, & ideo illę virtutes, quę ordinant affectum hominis in Deum, vel in proximum erunt in voluntate tanquam in subiecto, vt Charitas atq; Iustitia: aliæ autem, vt Fortitudo atque Temperantia, quæ ordinat hominem ad bonum sibi proportionatum, quale est bonum proprium, non in voluntate, sed in appetitu sensitiuo: Ex cuius perturbatione sæpè sæpiùs prouenit, vt homo non sequatur bonum sibi proportionatũ, erunt constituendæ; & sic constat quod ex virtutibus moralibus sola Iustitia est in voluntate. De hac re videnda sunt, quæ dicit D. Thom. 1.2. quæst. 56. per totam, vbi de subiecto virtutum disserit.

Ad. 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum incontrariũ factum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam quando per se potentia potest electionem facere non indiget ad id virtute superaddita, sed ibi erit cõstituenda virtus, vnde nascitur difficultas, & obstaculum rectè eligendi, ac subinde agendi. Ex quo sequitur, quòd virtutes, quæ sunt in appetitu sensitiuo non ideò dicuntur habitus electiui, quia immediatè, & propriè causant electionem: sed quia vel tollunt impedimenta rectæ electionis (passiones enim inmoderatæ trahunt voluntatem ad malam electionem) vel quia sunt principium ipsius electionis mediatæ, hoc est, mediãte intentione finis: Nam cum qualis vnusquisque est, talis finis ei videatur, vt dicit Aristot. 3. Ethic. ex eo quod quis est rectè affectus ad bonum temperatiæ, videtur ei optimum temperatè viuere. Ex quo principio per discursum prudentiæ statim colligit electionis conclusionem, dicens, nunc temperatè est agendum.

Virtus ibi est cõstituẽda vnde nascitur difficultas.

Ad. 2. arg. ¶ Ad secundum respondetur concesso antecedẽti, negando consequentiam. Et ad probationem dico, non esse necessarium, quod virtus sit in eadem potentia, in qua est habitus ab ea elicitus, vt diximus dubio præcedenti. Ad confirmationem respondetur, negando quod habitus intemperantiæ sit in voluntate. Et ad probationem dico, quòd quamuis voluntas ex se non sit determinata ad actus intemperantiæ, est tamen determinata suaptè natura ad bonum temperantiæ. Ex quo fit, vt intemperantia in illa produci non possit: sicut, quia ignis ex sua natura est determinatus ad calorem nunquam potest in se habere frigiditatem. Vel secundo respondetur, quòd ex frequentatione actuum intemperantiæ generatur in voluntate quidam habitus, qui vocatur incontinentia, qui quidem non contrariatur virtuti temperantiæ existenti in appetitu sensitiuo; sed alij habitui in eadem voluntate ex frequentatione actũ temperantiæ generato, qui appellatur continentia. Nam, vt docet D. Tho. infrà, quæst. 155. per totam. In voluntate ponitur quidã habitus, continentia, appellatus, qui non meretur nomen virtutis; quoniam nec ad faciendam rectam electionem, nec ad moderandas passiones ponitur, sed, vt stabiliat & confirmet voluntatem, ne ex vehementibus passionibus abducatur: & huic contrariatur in continentia. Quapropter dicit Aristot. 7. Ethicor. capit. 7. 8. & 9. quòd continens, & incontinens circa passiones eodem modo se habent.

In voluntate ponitur habitus cõtinẽtiæ qui non est virtus.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium argumentum, quod rem ad incommoda adducebat, ad primũ inconueniens Durandus in. 2. dist. 29. quæst. 2 apertè concedit in statu innocentiæ non fuisse virtutes morales, quibus passiones moderarentur. Sed fallitur profectò: tum, quia iustitia originalis non erat solitaria, sed secum adducebat omnes virtutes infusas & morales, sicut gratia modo illas affert: tum etiam, quia licet iustitia originalis esset sufficiens ad moderandas passiones, non tamen erat satis ad eliciendas moderatas operationes. Iustitia enim originalis (vt existimo) non erat operatiua, nec constituebatur in potentijs animæ: sed in essentia, sicut gratia.

In statu innocentiæ erant virtutes morales.

¶ Ad secundum inconueniens respondetur, quod virtutes morales manent in anima separata, non quidem actu, sed virtute, vt optimè explicat Diuus Thomas in disputatis, quæstione de virtut. articulo. 4. ad tertium, & quæstione de virtutibus cardinalibus, articulo. 4. ad. 15.

Virtutes morales manent in anima sepãrata, non actu sed virtute.

¶ Ad tertium inconueniens respondetur, prædictas virtutes manere in beatis post corporum assumptionem, non quantum ad materiale, sed quantum ad formale, vt ex sententia Diui Augustini, docet Diuus Thom. prima secundæ, quæstione. 67. articulo primo. Ad cuius intelligentiam est aduertendum, quòd in virtutibus moralibus aliquid est materiale, & aliquid formale. Materiale est in eis inclinatio quædam partis appetitiuæ ad passiones, vel operationes secundum modum aliquem: sed, quia iste modus determinatur à ratione, idcircò formale in omnibus virtutibus est ordo rationis. Dicit ergo

Virtutes morales qualiter maneant in beatis.

ergo D. Thom. quod huiusmodi virtutes morales in futura vita non manent quantum ad id, quod est materiale in eis. Non enim habẽt in futura vita locum concupiscentiæ & delectationes ciborum & venereorum; nec etiam timores & audaciæ circa pericula mortis; nec etiam distributiones & commutationes rerum, quæ veniunt in vsum præsentis vitæ: sed quantum ad id, quod est formale remanebũt in beatis perfectissimè post hanc vitam, in quantum, scilicet, ratio vniuscuiusq; rectissima erit circa ea, quæ ad ipsum pertinebunt secũdum statum illum. Vnde D. Augustin. lib. 14. de Trinit. cap. 9. dicit, quod Prudentia ibi erit sine vllo periculo erroris, Fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, Temperãtia sine repugnantia libidinum, vt Prudentię sit nullum bonum Deo præponere, vel equare, Fortitudinis ei fortissimè inhærere, Temperantiæ nullo defectu noxio delectari. De Iustitia verò manifestius est quem actum ibi habebit, scilicet, esse subditum Deo; quia etiã in hac vita ad Iustitiam pertinet esse subditũ superiori. Hæc August.

D. August.

Virtutes infusæ constituuntur in appetitu sensitiuo.

¶ Ad vltimum inconueniens respondetur, concedendo, quòd virtutes infusæ debẽt collocari in appetitu sensitiuo. Nam fortitudo constituit medium inter timorem & audaciã, quæ sunt in appetitu sensitiuo, & Temperantia constituit medium inter delectationẽ gustus & tactus, quæ similiter habent sedem in appetitu sensitiuo. Qualiter autem distinguãtur virtutes morales infusæ ab acquisitis, dixi mus supra. q. 18. art. 1.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm iustitia saltim aliquomodo, hoc est, secundariò, vel per redundantiam sit in appetitu sensitiuo. Et pro parte affirmatiua est primum argumentum: Liberalitas est quædam virtus annexa iustitiæ, in voluntate q; existens, vt author est D. Thom. 1. part. quæst. 21. artic. 1. ad. 1. Vnde eo loco dicit, liberalitatem propriè esse in Deo, sicut iustitiam: & tamen secundariò, & per quãdam redundantiam etiã inuenitur in appetitu sensitiuo. Idem enim D. Thom. 1.2. quæst. 60. art. 5. dicit, quòd liberalitas, prout est amor moderatus pecuniæ, recipitur in appetitu sensitiuo: ergo pari ratione dicendum erit de iustitia, quòd quãuis propriè est in voluntate, illamque inclinat in bonum proximi, secundariò tamen & per redundantiam erit in appetitu sensitiuo, vt impediat passiones, quæ possunt voluntatem à bono proximi retardare. ¶ Secũdo: Misericordia prout dicit voluntatem efficacem subleuandi miseriam proximi, procul dubio est in voluntate, tanquam in subiecto, & tamen experimento constat, quod cum aliquis

1. Argum.

succurrit proximo indigenti sensibiliter cõmouetur in ipso appetitus sensitiuus, in quo etiam inuenitur misericordia per quandam redundantiam: vnde qui miseretur viscera misericordiæ habere dicitur: ergo pari ratione dicendum erit de iustitia.

Sententia vera, iustitia non est in appetitu

¶ In contrarium tamẽ est D. Thom. in hoc articulo, qui expressè affirmat Iustitiam nullo modo esse in appetitu sensitiuo: quæ sentẽtia tanquam vera est tenenda. Et probatur: Difficultas existens in actu iustitiæ non est in appetitu sensitiuo, sed in voluntate: ergo virtus Iustitiæ, per quam tollitur talis difficultas, nec etiam secundario erit ponenda in appetitu sensitiuo. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Nam vt docet D. Thom. 1.2. quæst. 56. art. 6. ex eo solum voluntas patitur difficultatem in assequutione boni alterius, quia non est ad illud determinata. Et cõfirmatur: Nam vt infrà dicemus, art. 9. huius quæstionis, ex communi sententia omnium philosophorum, iustitia non est circa passiones, sed circa operationes: nomine autem passionum intelliguntur operationes appetitus sensitiui, & nomine operationũ actiones voluntatis: ergo iustitia nec primario, nec secũdario poterit esse in appetitu sensitiuo.

Ad. 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum respõdetur, notando, quòd liberalitas potest accipi dupliciter; vno modo pro virtute ordinante hominem ad dationem gratuitam, nulla expectata compensatione; quæ quidem datio fit propter bonum ipsius donationis: alio modo pro amore moderato pecuniæ, qui amor ea ratione dumtaxat vocatur liberalitas, quia liberat hominem ab appetitu infirmo, & sordido diuitiarum: qualis est auaritia. Hoc constituto dico, quòd liberalitas in primo sensu est in voluntate, reperiturque in Deo, vt docet D. Thom. loco citato, & 1. contra gent. cap. 93. At verò liberalitas in secundo sensu est in appetitu sensitiuo. Et quantum ego existimo vna liberalitas specie distinguitur ab altera, quamuis ea, quæ est in appetitu sensitiuo plurimum adiuuet ad exercitiũ alterius existentis in voluntate. Et sic constat, quod liberalitas quæ est in voluntate nullo modo est in appetitu, sed de hoc dicemus infrà. q. 117. & q. 134. art. 4. ad. 1.

Ad. 2. arg. ¶ Ad secundum respondetur, quod ille affectus compassionis repertus in exercitio misericordiæ non est virtus, vt docet D. Thom. in hac. 2.2. quæst. 36. art. 3. Et ideo non ponitur habitus ad illum determinandum: sed necessitate quadam naturali ex connunctione appetitus sensitiui ad voluntatem consequitur, sicuti & ex pœnitẽtia, quæ est detestatio peccati propter Deum summe dilectum, consequitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

quitur tristitia sensibilis in appetitu sensitiuo cum lacrymis: nec tamen propterea pœnitentia ponitur aliquomodo in appetitu sensitiuo, sed solum in voluntate. Et hæc dicta sufficiant de toto isto articulo.

Articvlvs. V.

¶ Vtrùm iustitia sit virtus generalis?

In.q. 6. & 7. & q. 59. ar. 1. Et 1. 2. q. 60. art. 3. & 5. Eth. lect. 1. 2. & 3.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quòd iustitia nō sit virtus generalis. Iustitia enim condiuiditur alijs virtutibus, vt patet Sapien. 8 Sobrietatem & iustitiam docet prudentiam & virtutem. Sed generale non condiuiditur seu connumeratur speciebus sub illo generali contentis, ergo iustitia non est virtus generalis.

2 ¶ Præterea, Sicut iustitia ponitur virtus cardinalis: ita etiam temperantia & fortitudo. Sed temperantia vel fortitudo non ponitur virtus generalis, ergo neque iustitia debet aliquo modo poni virtus generalis.

Art. 2. huius quæst.

3 ¶ Præterea, Iustitia est semper ad alterum: vt supra * dictum est. Sed peccatum quod est in proximum, non potest esse peccatum generale: sed diuiditur contra peccatum, quo peccat homo contra seipsum, ergo etiam neque iustitia est virtus generalis.

Lib. 5. c. 1. & 2. to. 5.

¶ Sed Contra est, quòd Philosophus * dicit in. 5. Ethic quòd iustitia est communis virtus.

Art. 2. huius q.

¶ Respondeo dicendum, quòd iustitia sicut dictum est *, ordinat hominem in comparatione ad alū, quod quidem potest esse dupliciter. Vno modo ad alium singulariter cōsideratum: alio modo ad alium in communi, secūdum scilicet quòd ille, qui seruit alicui communitati, seruit omnibus hominibus qui sub communitate illa continē tur. Ad vtrumque ergo se potest habere iustitia secundum propriam rationem. Manifestum est autem quod omnes qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem sicut partes ad totum. Pars autem id quod est, totius est, vnde & quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius. Secundum hoc ergo bonum cuiuslibet virtutis siue ordinantis aliquem hominem ad seipsum, siue ordinantis ipsum ad aliquas alias personas singulares, est referibile ad bonum commune, ad quod ordinatur iustitia. Et secundum hoc actus omnium virtutum possunt ad iustitiam pertinere, secundum quòd ordinant hominem ad bonum commune. Et quātum ad hoc iustitia dicitur virtus generalis. Et quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune, vt suprà * habitum est, inde est quòd talis iustitia prædicto modo generalis dicitur iustitia legalis: quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.

1. 2. q. 90. art. 2. & argu. 4. q. præc.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd iustitia condiuiditur seu connumeratur alijs virtutibus, non in quantum est generalis, sed in quantum est specialis virtus: vt infrà * dicetur.

Art. 7. & 12. huius quæst.

¶ Ad secundum dicendum, quòd tē perantia & fortitudo sunt in appetitu sensitiuo, id est, in concupiscibili & ira scibili. Huiusmodi autem vires sunt appetitiuæ quorundam bonorum particularium, sicut & sensus est particularium cognoscitiuus. Sed iustitia est sicut in subiecto in appetitu intellectiuo, qui potest esse vniuersalis boni, cuius intellectus [d] est apprehensiuus. Et ideò iustitia magis potest esse virtus generalis, quam temperantia vel fortitudo.

D. 752.

¶ Ad tertium dicendum, quòd illa quæ sunt ad seipsum, sunt ordinabilia ad alterum: præcipuè quantum ad bonum commune. Vnde & iustitia legalis secundum, quod ordinat ad bonum commune, potest dici virtus generalis. Et eadem ratione iniustitia potest dici peccatum cōmune. Vnde dicitur primæ Ioan. 3. quòd omne peccatum est iniquitas.

Svmma Textvs.

AD hanc difficultatē respondet D. Th. per duas propositiones. Prima conclusio: Iustitia, quæ respicit bonum commune, dicitur virtus generalis. Probatur: Iustitia est virtus hominis per cōparationem ad alterum:

alterum: sed hæc comparatio potest fieri dupliciter, scilicet, vel ad alterum singulariter consideratum, vel ad alterum in communi: ergo quantum ad vtrumque poterit iustitia habere se secundum propriam rationem, atque ex consequenti, quemadmodum iustitia, quę ordinat ciuem ad ciuem, tanquam vnam partem ad alteram, dicitur iustitia particularis: ità etiam illa iustitia, quæ ordinat ciues in bonum cōmune dicetur iustitia generalis. Quæ sic appellatur; tum ex obiecto & fine: quia bonum commune est omnium generalissimum: tum etiam ex effectu & proprio munere, quod est omnium aliarum virtutum actus in tale bonum commune ordinare. Secunda conclusio: Hæc iustitia generalis proprio nomine appellatur iustitia legalis, quia ad legem propriè pertinet ordinare ad bonum commune, vt idem D. Thom. dixerat. 1. 2. quæst. 90. art. 2.

Iustitia propriè dicta diuiditur in generalē & particularem.

Explicatio Articvli.

PRo intelligentia totius materiæ de iustitia generali, siue legali, de qua D. Thom. agit in hoc articulo, & duobus sequentibus, est aduertendum, quod iustitia propriè dicta, qualis est illa, quæ respicit alterum, facitque æqualitatem, prima sui diuisione diuiditur in generalem & particularem. Generalis est illa, quæ respicit bonum commune. Et dicitur generalis præcipuè secundum virtutem, & ordinationem: quia, sicut sol in omnibus causarum inferiorum effectibus influit, & propterea dicitur causa vniuersalis, ac generalis: ita etiam iustitia, quæ generalis est, trahit ad se ipsam atque ordinat omnes alias virtutes, cum sit summa inter morales, omnisque virtutis fons & origo. Vnde Diuus

D. Ambro.

Ambrosius, in Hexamero, de ea loquens dicit; Vbi prudentia, scilicet, sæcularis ibi malitia, vbi fortitudo, ibi iracundia, vbi temperantia, ibi impatientia, plerumque autem & alia vitia: vbi autem iustitia, ibi concordia aliarum virtutum, non enim per se pars est iustitia, sed quasi omnium virtutum mater. Hanc generalem iustitiam appellat Aristote. legalem. 5. Ethicorum, & Diuus Thomas in hoc articulo, quia est principaliter à legislatore, & à lege intenta, quæ cæteras virtutes ad bonum reipublicæ ordinat. Lex enim rectè, ac sanctè posita disponit ciues fore temperatos, fortes, prudentes, veraces, vtreipublicæ bonum conseruetur: quod in quadam consonantia ac iustitia consistit: ità, scilicet, vt quilibet agat & viuat secundum quod lege statutum est. Putà, quòd ciuitatis custodes animosi sint, fortes atque fideles: quod gubernatores & rectores prudentes, quod erudientes iuuentutem temperati, atque pudici. Hæc igitur iustitia meritò generalis dicitur: quoniam generale, hoc est, totius ciuitatis commune bonum concernit, & ad illud reliquas virtutes ordinat. Quam qui dem oportet esse in principe, vt in prima radice, à cuius autoritate pendet commune bonum; in alijs autem ministerialiter & executiue. Vnde qui viderit ciues intemperatos, imprudentes, infideles, discordes in conseruatione patriæ, rectè concludet, illic non existere hanc generalem iustitiam; sed suum oppositum, scilicet, generalem iniustitiam, quæ assimilatur ægritudini in corde, per quam non solum pars vna, sed totum corpus tabescit. De hac iustitia generali loquitur Esai. cap. 1. dum dicit: Quomodo facta es meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij: iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ: &c. Et Ecclesiast. cap. 10. Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitiam, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Hanc generalem iustitiam omnes leges & diuinæ & humanæ rectè positę intendūt. Sicut enim Deus totius vniuersi bonum, & non solùm aliquarum partium intendit, sic omnis bona lex bonum commune primo, deinde particulare procurat. Propterea quę verus legislator Deo optimo dicitur assimilari & prudētissimo medico, qui non tantum vnam partem: sed totū sanare intendit: toto namque bene dispositio omnes partes bene se habent.

Iustitia generalis debet esse in principe, vt in prima radice.

Lex bona primo bonum cōmune deinde particulare intēdit.

¶ Iustitia particularis est, quæ respicit bonum particulare inter personam, & personā, prout vna ordinatur ad alteram, vt inter dominum & seruum, patrem & filium, virum & vxorem, amicum & amicum: vt ex supradictis patet. Rationes autem, quæ conuincūt vltra istam iustitiam particularem, ponendam esse illam generalem, sunt plures. Prima: Quia cùm homo possit dupliciter considerari, scilicet, secundum se, & in quantum est pars communitatis politicæ; est enim homo naturaliter animal politicum, & ciuile: sicut ad perfectionem hominis in se ipso ponuntur habitus eum perficientes: ita etiam ad perfectionem eiusdem, in quantum est pars politicæ communicationis erit necessarium ponere aliquem habitum, qui illum perficiat in ordine ad bonum politicum. Omnis enim pars & illud, quod est partis est referibile naturaliter ad totum, & ordinabile ad bonum totius: nec est minus laudabile habere se bene ad commune, quam habere se bene ad proprium, sed tantò magis, quantò bonum commune est proprio maius, vt Aristot. docet lib. 5. Ethicor. Secunda ratio est: Nam virtutes ad hoc requiruntur, vt homo bene se habeat, hoc est, prōpte,

Rationes conuincentes vltra iustitiam particularem esse constituendam aliam generalem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

delectabiliter & firmè operetur circa ea, quę sunt difficilia, vt dicit Aristot. lib. 2. Ethicorum. Sed vltra difficultates, quæ sunt in eo, quod homo bene se habeat ad se ipsum, sunt etiam & aliæ multò maiores in bene se habendo ad bonum commune, pro quanto homo magis inclinatur ad proprium curandum, quam ad commune. Et propterea dicebat Aristot. lib. 2. Politi. minimam curam sortiri, quod plurimorum est commune: de propijs enim maximè curant, de communibus autem minùs, quam vnicuique attinet. Apud alios enim tanquam altero curante negliguntur; sicut in ministerialibus seruitijs multi seruientes, quandoque deterius seruiunt paucioribus: ergo necessarium erit cõstituere aliquam virtutem, secundum quam homo bene se habeat ad bonum commune, & hæc est ipsa iustitia generalis. Vltima ratio est: Quia vt Aristot. docet lib. 5. Ethicorum, cap. 5. aliqua sunt, quæ ex principio nihil differt, sic vel aliter fieri, scilicet, antequàm sint legis positione determinata; & sic neutrum oppositorum facere esset malum. Quando autem lex ponitur, vnam partem præcipiens, vel prohibens multum differt: peccaret enim qui non faceret quod lege præcipitur, vel qui faceret, quod lege prohibetur. Sed ad talia secundum se indeterminata, lege autem determinata nulla virtus specialis dirigit nos: quia vnaquæque virtus specialis est præcisè circa propriam materiam; coniectaturque medium, prout solum exigit natura & conditio talis materiæ: ergo alia virtus, quæ nos incliner, atque dirigat ad operandum secundum legem est ponenda: quæ quia opera nostra refert ad bonum commune & præterea lex, ad cuius obedientiam ordinat, secundum omnem virtutem præcipit, & secundum vnamquamque malitiam prohibet viuere, virtus debet dici generalis, atque communis. Et hæc est iustitia, de qua in præsenti est sermo.

Homo magis inclinatur ad bonum proprium quàm ad cõmune

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm hæc iustitia legalis, atque communis habeat veram & propriam rationem iustitiæ. Et pro

1. Argum. parte negatiua argumentor primo: Ea ratione liberalitas, quamuis sit ad alterum, deficit à veta & propria ratione iustitiæ, quia tribuit non ex debitis, sed ex proprijs & gratuitis voluntariè, quod est contra rationem iustitiæ, vt diximus: sed iustitia legalis similiter tribuit ex gratuitis, & indebitis; ciuis enim exponit non solum diuitias, & proprium lucrum, sed etiam vitam pro bono communi, non ex debito, sed gratis: ergo iustitia legalis non habet magis veram, & propriam rationem iustitiæ, quàm liberalitas: atque ex consequenti non est vere & proprie iustitia. ¶ Secundò: Transgressio iustitiæ commutatiuæ obligat ad restitutionem, & similiter transgressio iustitiæ distributiuæ, iuxta probabiliorem sententiam, vt infra dicemus: & ratio est: quia vtraque est vera & propria iustitia; sed transgressio iustitiæ legalis non obligat ad restitutionem; ciuis enim ex iustitia legali tenetur in communibus necessitatibus reipublicæ tribuere de bonis superfluis ad statum, & in extrema necessitate etiam de necessarijs: quamuis autem trãsgrediatur huiusmodi iustitiam legalem, non tenetur ad restitutionem: ergo iustitia legalis non est verè & propriè iustitia. *2. Argum.* ¶ Tertiò: Officium iustitiæ legalis est ordinare bona singulorum ciuium, tanquam bona partis separatæ ad bonum totius: sed inter partes separatas supposito distinctas à toto, & totum ipsum, non est perfecta iustitia, vt de patre, & filio, domino, & seruo diximus suprà: ergo nec in iustitia legali poterit inueniri perfecta ratio iustitiæ. *3. Argum.* ¶ Quartò: Iustitia est virtus tribuens vnicuique quod suum est; ex quo fit, vt eius officium sit non tollere aliena: sed qui transgreditur iustitiam legalem non tollit à republica quod suum est, ac proinde non obligatur ad restitutionem: ergo iustitia legalis non est verè & propriè iustitia. *4. Argum.* ¶ Vltimò sic argumentor: Pietas, quæ est pars potentialis iustitiæ, non solum reddit debitum cultum, & honorem parentibus; sed etiam patriæ, atque reipublicæ, in qua quis natus est, vt autor est Diuus Thom. infrà quæstione. 101. articulo. 1. & tamen pietas non habet perfectam rationem iustitiæ; ergo nec iustitia legalis, cuius est tendere in bonum patriæ. In contrarium tamen est: Nam Aristot. lib. 5. Ethic. cap. 1. dicit de iustitia, quod est præstantissima inter virtutes morales: ità, vt nec Hesperus, neque Lucifer sit adeò admirabilis.

Vlt. Argu.

¶ Pro explicatione huius difficultatis operæpretium erat declarare, quidnam sit necessarium ad veram, & perfectam rationem iustitiæ. Sed quoniam hoc à nobis satis est explicatum quæstione præcedenti, articulo quarto, idcircò illud nunc vt totum relinquimus: & tantum supponimus, quòd iustitia

Iustitia legalis dicitur virtus Architectonica.

tia legalis, quia habet pro proprio obiecto bonum commune dicitur virtus architectonica; principaliterque residet in principe & moderatore reipublicæ, quasi in primo architectore: in subditis autem reperitur quasi ministerialiter, & executiuè. Et omnes virtutes particulares recipiunt imperium & motionem ab illa, in quantum ab ea habent quòd referantur & ordinentur in bonum cõmune: ex quo fit, vt omnis virtus, vt mota à iustitia legali per participationem dicatur iustitia legalis.

1. Conclus. ¶ Hoc constituto sit prima conclusio: Iustitia legalis, in quantum iustitia non habet adeó exactam, & perfectam rationem iustitiæ, sicut iustitia particularis, qualis est commutatiua. Volo dicere, quòd iustitia particularis, qualis est inter duos ciues, vel socios, est multò perfectior in ratione iustitiæ, quam ea, quæ est ciuis erga rempublicam. Et hoc non est, quia in iustitia legali non reperiatur perfecta ratio debiti: perfectior enim ratio debiti inuenitur in iustitia legali, quàm particulari (vnde his duobus debitis concurrentibus potius est subuenien dum reipublicæ, quàm priuatæ personæ; si cætera sint paria) sed, quia in iustitia legali non inuenitur tam perfectus ordo ad alterum, nec tam perfecta ratio æqualitatis, sicut in iustitia particulari, propter quod iustitia particularis multò perfectior est in ratione iustitiæ, quàm legalis. Sed est aduertendum, quod quamuis iustitia particularis in ratione iustitiæ sit præstantior legali, tamen in ratione virtutis multo præstantior est iustitia legalis, quam particularis. Itaque, quemadmodum de virtutibus moralibus, scilicet, de liberalitate, atque fortitudine dum comparantur ad virtutes intellectuales, quales sunt scientia, atque sapientia, dicere solemus, quod virtutes intellectuales secundum suam speciem sunt præstantiores moralibus, tam ex parte subiecti, quam ex parte obiecti; intellectus enim, qui est subiectum virtutum intellectualium, est præstantior voluntate, vel appetitu sensitiuo, quæ sunt subiecta virtutum moralium: & præterea obiectum specificum virtutum intellectualium, scilicet, scientiæ, atque sapientiæ, est magis purum & eleuatum à materia; cum hoc tamen stat, quod virtutes morales in genere virtutis sunt præstantiores intellectualibus: quoniam virtutes morales non solum præstant facultatem operandi, sed etiam præstant bonum vsum & facultatem bene agendi: quod in virtutibus intellectualibus non inuenitur: ita etiam per omnem modum est dicendum de iustitia legali & particulari.

Iustitia particularis in ratione iustitiæ est perfectior legali

Iustitia legalis in ratione virtutis est perfectior particulari.

¶ Secunda conclusio: Quamuis iustitia legalis non habeat exactissimam rationem iustitiæ, habet tamen non solum veram, & propriam rationem iustitiæ, sed & attingit perfectam. Hæc conclusio est Aristot. loco citato, vbi dicit, quod nec Hesperus, nec Lucifer est adeò admirabilis inter stellas, sicut iustitia inter virtutes morales, illamque supponit tanquam certam Diuus Thomas in hoc articulo, & duobus sequentibus, maximè articulo septimo, ad tertium argumentum. Vbi dicit, inter virum & vxorem, patrem, & filium non reperiri iustitiam simpliciter, sed quandam eius speciem, scilicet, œconomicam: inter ciuem tamen & rempublicam reperiri perfectam iustitiam. Et probatur: In iustitia legali reperitur perfecta ratio debiti, & reperitur præterea tanta ratio æqualitatis quanta sufficit ad perfectam rationem iustitiæ: ergo est verè & propriè iustitia. Item: Si iustitia legalis non esset vera, & perfecta iustitia, sequeretur, quòd nec iustitia distributiua haberet veram, & perfectam rationem iustitiæ; consequens autem est falsum, & contra communem sensum doctorum: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nam quando aliqua duo ità comparantur, quòd vnius ad alterum non est perfecta iustitia, similiter nec è conuerso, vt, quia filij ad patrem non est perfecta iustitia, similiter nec patris ad filium: sed sicut officium iustitiæ distributiuæ est, ordinare bonum commune ad bonum singulorum ciuium; sic è conuerso officium iustitiæ legalis est, ordinare bona singulorum ciuium ad bonum commune reipublicæ: ergo si non est perfecta iustitia illa, quæ ordinat bona ciuium ad bonum commune, qualis est legalis, nec etiam illa, quæ ordinat bonum commune ad bona singulorum ciuium; qualis est distributiua, habebit veram, & perfectam rationem iustitiæ. Vltimò: Ius, circa quod versatur iustitia legalis est perfectum & exactum ius: ergo & ipsa iustitia legalis ex parte obiecti habet veram & perfectam rationem iustitiæ. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Ius, circa quod versatur iustitia legalis, dicit immediatum ordinem & relationem ad bonum commune: ergo est perfectum, & exactum ius: imò multò perfectius, & exactius, quàm illud, circa quod versatur iustitia particularis. Ex sententia enim Aristot. lib. 5. Ethic. cap. 6. ratio iuris est desumenda penes ordinem ad

2. Conclus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonum commune reipublicæ, vel ciuitatis.

¶ Sed, vt respondeamus ad argumenta in principio facta, est aduertendũ, quòd iustitia prima sui diuisione diuiditur in iustitiam metaphoricam, atque veram. Metaphorica dicitur, quæ est eiusdem ad se ipsum, & inter partes eiusdem suppositi: Vera verò, quæ dicit ordinem ad alterum. Et hæc vera iustitia rursus diuiditur secunda sua diuisione, tanquam genus in suas species, in iustitiam cardinalem perfectam, & in cardinalem imperfectam. Cardinalis perfecta est, quæ versatur erga ius perfectũ, cui innititur omnis studiosa vita. Cardinalis verò imperfecta est illa, quæ, quamuis versetur circa idem ius, & habeat modum ipsius virtutis cardinalis, ad quam reducitur, deficit tamen magna ex parte ab ipsa virtute cardinali iustitiæ: & propterea est pars potentialis illius, eique contubernalis, atque adiuncta.

Iustitia multiplex diuisio.

Obiectio. ¶ Et si quis obijciat: Perfectum & imperfectum non multiplicant speciem: ergo illa diuisio, qua vera iustitia diuiditur in cardinalem perfectam, & in cardinalem imperfectam, quæ est pars potentialis illius, non est diuisio generis in suas species, cum sit secundum perfectum & imperfectum.

Solutio. ¶ Respondetur, quòd quando perfectio est intrinseca rei, cuius est perfectio, & imperfectio, similiter est intrinseca rei, cuius est imperfectio; tunc causatur intrinseca distinctio penes perfectum, & imperfectum, aliquando specifica, & aliquando generica: & ità contingit in proposito. Quia enim perfectio est intrinseca iustitiæ cardinali in prima acceptione, & imperfectio est intrinseca iustitiæ cardinali potentiali, ideirco illa diuisio est essentialis, & per species. Potestque hoc declarari manifestissimis exemplis: Nam fides, & visio, spes, & comprehensio differunt penes perfectum, & imperfectum; cæterum, quia obscuritas, & ænigmatica cognitio, quæ est imperfectio, est intrinseca fidei, claritas verò, quæ est perfectio, est intrinseca visioni, & similiter in alijs perfectio est intrinseca comprehensioni, imperfectio autem est intrinseca speciei, idcirco hæc omnia distinguntur specie, & aliquãdo genere penes perfectum & imperfectum. Et ita contingit in proposito, quod vera iustitia diuiditur specifice in cardinalem perfectam, & in cardinalem imperfectam: Iustitia autem cardinalis includit sub se tanquam partes potentiales sui, religionem atque pietatem: quæ duo, quia attingunt veram & propriam rationem iustitiæ, quamuis non perfectam dicuntur cardinales, imperfectæ.

Perfectum & imperfectum quando distinguant species.

Altera obiectio. ¶ Et si quis obijciat: Liberalitas, & affabilitas sunt partes potentiales iustitiæ, vtraque enim est ad alterum: sed nec liberalitas, nec affabilitas habet veram rationem iustitiæ: ergo malè dicitur, quod partes potentiales iustitiæ, quamuis habeant imperfectam rationem iustitiæ, habent tamen veram. *Solutio.* ¶ Respondetur, quod non omnes partes potentiales iustitiæ sunt eiusdem rationis, quantum ad hoc. Quædam enim habent veram rationem iustitiæ, quamuis non perfectam, vt religio, & pietas: aliæ autem nec perfectam, nec veram, vt liberalitas & affabilitas. Quod vt intelligatur est aduertendum, quòd (vt diximus suprà) in iure, quod est obiectum iustitiæ, tria includuntur, scilicet, ordo ad alterum, ratio debiti & ratio æqualitatis. Ex defectu primi constituitur tantùm iustitia metaphorica. Ex defectu secundi constituitur pars potentialis iustitiæ: sed quæ non est vera, nec propria iustitia, secundum essentiam. Ex defectu autem tertij constituitur pars potentialis iustitiæ, quæ, quamuis non sit perfecta iustitia, est tamen vera, atque propria secundum essentiam. Ex quo infertur, quòd ad hoc, vt aliqua virtus sit pars potentialis iustitiæ, habens veram rationem illius, quamuis non perfectam requiruntur duo, scilicet, quod sit ad alterum, & quod habeat rationem debiti. Et hoc inuenitur in religione, atque pietate. Ad hoc autem, vt aliqua virtus dicatur pars potentialis iustitiæ, non habens veram rationem illius, sufficit, quòd sit ad alterum, & faciat aliquo modo æqualitatem; quamuis non secundum rationem debiti. Et hoc inuenitur in liberalitate & affabilitate. *In obiecto iustitiæ tria includuntur.*

Argum. ¶ Et si quis argumentetur: Religio & pietas sunt eminentiores iustitia in particulari; imò iuxta probabiliorẽ sententiam, religio est præstantior iustitia legali: ergo religio, atque pietas non possunt esse partes potentiales iustitiæ; *Solutio.* Respondetur, quod quamuis sit verum, quòd in genere virtutis religio, atque pietas sunt præstantiores iustitia particulari, imò religio etiam sit præstantior iustitia legali, in ratione tamen iustitiæ aliter contingit: nam nec religio, nec pietas habent perfectam rationem iustitiæ, sed deficiunt in tertia conditione, quæ est æqualitas: & propterea quantum ad hoc sunt partes potentiales iustitiæ. Iustitia cardinalis perfecta rursus diuiditur tertia sui diuisione in iustitiam legalem, & iustitiam particularem: de quibus satis diximus in principio huius articuli. Ex quo infertur, quòd quando eo loco affirmauimus iustitiam prima sui diuisione diuidi in generalem & particularem tantùm, erat setmo de iustitia cardinali perfecta iuxta

iuxta id, quod propositus articulus exigebat.

Ad. 1. arg. ¶ His constitutis ad primum argumentum respondetur concessa maiori, negando minorem. Iustitia enim legalis verè est secundum rationem debiti, & ciues dum in casu necessitatis exponunt pro republica diuitias, & bona vsque ad proptiam vitam, verè id efficiũt ex debito iustitiæ, quòd in liberalitate, aut in affabilitate non inuenitur: quamuis etiam in his possimus considerare aliquam rationem debiti. Pro quo est aduertendum, quòd debitum est duplex, vnum legale, alterum morale. Debitum legale est illud, ad quod soluendum tenetur vnusquisque ex lege & ex rigore iuris. Quale est illud, quod reperitur in iustitia legali, & in iustitia commutatiua, & distributiua. Et hoc est verè & simpliciter debitum: ad quod soluendum possunt ciues à republica compelli. Debitum morale est debitum honestatis: ad quod soluendum nemo astringitur ex rigore iuris, sed solũ ex debito honestatis. Et est duplex: Vnum necessarium, quod ità vrget, vt sine illo nõ possit morũ honestas & vita studiosa seruari: quale reperitur in veritate, fidelitate, & gratitudine; sine quibus morum honestas inter homines nõ seruatur. Aliud est non necessarium, sed vtile, & sine quo, quamuis possit seruari morum honestas, non tamen ità commodè, & vtiliter ac cũ illo. Et hoc debitum reperitur in liberalitate, & affabilitate: quod quidem non est debitũ simpliciter, sed tantum secundum quid. Quãdo autem dicimus, iustitiam impottare rationem debiti, loquimur de debito legali, quod est debitum simpliciter, & non de debito morali. Ex quo fit, vt sine ratione debiti legalis

Debitũ est duplex vnũ legale alterum morale.

Ad. 2. arg. non possit esse vera iustitia. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd non quicũque violat veram iustitiam tenetur ad restitutionem; sed ille tantum, qui violat iustitiam particularem, vel alteram iustitiam, in qua admisceatur aliqua ratio iustitiæ particularis, vt infra dicemus. Vnde, quia in casibus positis in argumento, violator iustitiæ legalis nihil facit contra iustitiam particularem, non tenetur ad restitutionem. Et eodem modo respondetur ad confirmationem. Dico tamen, quòd quando cum iustitia legali admisceatur aliqua ratio iustitiæ particularis, vt de facto admisceatur in officio principis, vel rectoris (rector enim, atque princeps ex officio, & ex quadam conuentione cum republica tenetur consulere bono publico) ipsa iustitia legalis

Ad. 3. arg. obligat ad restitutionem. Vel potius dicere poterimus, talem obligationem non oriri ex iustitia legali, sed ex commutatiua adiuncta: & sic formaliter iustitia legalis nunquã obligat ad restitutionem. ¶ Ad tertium argumentum respondetur notando, quòd partes suppositio distinctæ à toto sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt, quæ dicunt liberum & voluntarium ordinem ad totum, à quo non necessario, sed liberè dependent: quales sunt ciues in ordine ad rempublicam; qui quidem nulla facta iniuria reipublicæ possunt ab ea in aliam migrare. Aliæ partes sunt, quæ dicunt necessarium ordinem ad totum, à quo non libere, sed velint nolint, & necessario dependent: quales sunt pater respectu filij, & filius respectu patris. Quj quidem idcirco dicuntur habere inter sese intrinsecum & necessarium ordinem; quia neuter illorum potest abijcere à se, vel repudiare ius paternum, quod habet: sicut nec seruus potest repudiare ius herile. Hoc supposito dico, quòd inter partes, & totum primo modo distincta bene potest esse vera & perfecta ratio iustitiæ, propter illam non necessariam dependentiam, quam habent: non tamen inter partes & totum distincta secũdo modo. Vnde nihil probat argumentum. ¶ Ad quartum *Ad. 4. arg.* respondetur concessa maiori, negando minorem. Verè enim iustitia legalis tribuit reipublicæ, quod est sibi debitum: & qui eam trãsgreditur tollit à republica ius suum, & quod sibi debetur. Cum hoc tamen stat, quòd violator iustitiæ legalis non teneatur ad restitutionem, vt paulò ante dicebam, nisi quando admisceatur aliqua ratio iustitiæ commutatiuæ. Et ratio est: Quia qui violat solam iustitiam legalem, non aufert à republica aliquid quod sit sibi appropriatum; sed tantum id, quod est appropriatum ciuibus: ex quo fit, vt nihil teneatur reipublicæ restituere. ¶ Ad vl- *Ad vltimum.* timum argumentum respondetur, quòd patria potest dupliciter considerari. Vno modo, in quantum est principium essendi natiuitatis cuiusque. Et secundum istam rationem respicitur à virtute pietatis; nec potest esse inter liberos, & patriam sic considerata tam perfecta ratio iustitiæ. Quia sicut filij pendent à parentibus, tanquam à principio essendi: sic etiam à patria. Alio modo potest considerari patria in quantum est quædam respublica, & locus habitationis. Et secundum istam rationem respicitur à iustitia legali, quæ vt supra diximus, non solum habet veram & propriam rationem iustitiæ: sed etiam attingit perfectam. Et sic nihil obstat argumentum.

¶ Est aliud dubium grane circa istum arti- *Dubiũ grã* culum, an iustitia legalis habeat partes subiectiuas, & specificas, ità, scilicet, vt sit species subalterna potens diuidi in alias species, vel potiùs sit species specialissima. Ad cuj⁹ intelligẽtiã est aduertẽdũ, ꝙ cũ iustitia legalis duas *ne.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

posit habere diuisiones, prima, qua diuiditur in iustitiam legalem cõmuniter dictam, & epicheiam, altera, qua diuiditur in iustitiam legalem, quæ est in principe architectonicè, & eam, quæ est in subditis administratiuè, proposita quæstio duplicem potest habere sensum. Primus est, vtrùm illa diuisio, qua iustitia legalis diuiditur in legalem communiter dictam, & epicheiam, sit diuisio generis in suas species. Alter, vtrùm illa diuisio, qua legalis iustitia diuiditur in eam, quæ est in principe, & eam, quæ est in subditis, sit similiter specifica. Et in vtroque sensu erit à nobis proposita difficultas discutienda, non sine magna vtilitate. Ex dicendis enim intelligemus qualem distinctionem singulæ illæ partes iustitiæ legalis habent inter se.

Duplex sensus quæstionis.

Quæstio in primo sensu.

Lex à qua dicitur iustitia legalis duplicè habet finẽ.

Ad primum ergo sensum quæstionis deuenientes, in quo de diuisione iustitiæ legalis in eandem cõmuniter dictam, & epicheiam est sermo, pro illius intelligentia est aduertendum, quòd lex, à qua dicitur iustitia legalis, duplicem habet finem. Vnum intrinsecum, proximum, & immediatum: & est ille, quem immediatè legislator per verba legis intendit. Alterum remotum mediatum, & extrinsecum: & est ille, quem principaliter intendit legislator; quamuis per verba legis nõ exprimatur. Verbi gratia, fertur lex & promulgatur de non aperiendis portis ciuitatis, ne hostes reipublicæ ciuitatem capiant: ille est finis proximus, & immediatus, quem verba legis immediatè præseferunt. Finis autem mediatus, sed principaliter intentus est, quẽ legislator principaliter intendit, quamuis in verbis legis non exprimatur; & est communis status securitas, atque salus reipublicæ. Dico ergo, quòd iustitia legalis in amplissima sua significatione vtrumque respicit finem; Iustitia verò legalis strictè sumpta solum respicit primum finem immediatum, quem verba legis in literæ cortice prætendunt. Epicheia autem, seu æquitas respicit secundum finem, quem principaliter legislator in ferendis legibus intendit. Ex quo infertur, quod iustitia legalis strictè sumpta solùm sequitur verba legis: at vero epicheia, seu æquitas prætermissis verbis legis, sequitur id, quod ratio iustitiæ & communis vtilitas reipublicę postulat. Accommodauit autem sibi iustitia legalis strictè sumpta nomen genericum iustitiæ legalis; quoniam commune est scientiarum sectatoribus, ob vocabulorum inopiam nomen genericum tribuere speciei imperfectiori: & est æquitas seu epicheia multò perfectior ea iustitia legali, quæ sequitur verba legis.

Epicheia quid sit.

¶ Sed est difficultas, vtrùm huiusmodi partes iustitiæ legalis, ità inter sese specie differant, vt sub immediato genere iustitiæ legalis tanquam propriæ species constituantur: id enim est necessarium ad hoc, vt iustitia legalis ex hac parte diuidatur, tanquam genus in suas species. Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum: Iustitia legalis secundum totam suam latitudinem habet veram & perfectam rationem iustitiæ, vt diximus dubio præcedenti: sed epicheia non habet veram, & perfectam rationem iustitiæ: ergo epicheia non est species iustitiæ legalis; atque ex consequenti diuisio, qua iustitia legalis diuiditur in eandem communiter dictam, & epicheiam non est generis in suas species. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Epicheia est pars potentialis iustitiæ, & non subiectiua, seu specifica, & ita D. Thom. agit de illa infrà quæst. 120. postquam numerauit omnes partes potentiales iustitiæ: ergo non habet veram rationem iustitiæ. ¶ Secundò sic argumentor: Charitas est generalis virtus; & tamen est species specialissima: ergo quamuis iustitia legalis sit generalis virtus, erit species specialissima. Patet consequentia: Nam sicut iustitia legalis refert actus omnium virtutum in bonum commune reipublicę: ita & charitas in obiectum proprium.

Punctus difficultatis.

1. Argum.

2. Argum.

¶ Hoc tamen non obstante sit conclusio, quod iustitia legalis secundum omnem suam latitudinem diuiditur tanquam in duas species, in epicheiam, quæ Latinè dicitur æquitas, & iustitiam legalem strictè acceptam. Hanc conclusionem tenet Arist. lib. 1. Magnorum moralium. cap. 2. & lib. 1. Rhetoricorum. cap. 3. & D. Thom. infra quæst. 120. art. 2. Et probatur: Obiectum epicheiæ, seu æquitatis, & obiectum iustitiæ legalis strictè sumptæ sunt obiecta formaliter distincta: ergo ipsi habitus specie distinguntur. Consequentia est nota: Quoniam habitus specificantur ex obiectis; & antecedens probatur: Regula, & regulatum, mensura, & mensuratum in ratione obiecti virtutis formaliter distinguntur: sed obiectum æquitatis est regula & mensura obiecti iustitiæ legalis strictè sumptæ, vt est videre in exemplo posito in lege de non aperiendis portis ciuitatis: in quo quidem obiectum æquitatis, quod est status incolumis, & salus reipublicæ, est regula & mensura, per quam debemus metiri, an hostes reipublicæ sint arcendi à mœnibus ciuitatis, vel admittendi: ergo obiectum æquitatis est formaliter distinctum ab obiecto iustitiæ legalis strictè sumptæ. Item: Obiectum æquitatis addit ex natura rei specialem & ingentem difficultatem super obiectum iustitiæ legalis strictè

Conclus.

Epicheia & iustitia legalis strictè sumptæ differunt specie.

strictè sumptæ: ergo vtrumque habet suam formalitatem specie distinctam: atque ex consequenti ipsæ virtutes distinguntur specie. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Obiectum iustitiæ legalis est bonum commune, quod sequitur regulas communes iuris: obiectum autem æquitatis est bonum commune præter regulas communes, & præter leges: sed hæc habent diuersas difficultates. Vnde sæpè videmus viros doctos, atque sapientes esse adeò superstitiosos, & scrupulosos in sequendis verbis legis, vt nulla ratione etiam vtiliori ad bonum commune adducta, moueantur: sed sequentes corticem litteræ, & superficiem verborum, non considerant, quid legislator in tali lege lata principaliter voluerit: ergo obiectum æquitatis ex natura rei addit ingentem difficultatem super obiectum iustitiæ legalis, atque ex consequenti istæ virtutes distinguntur specie. Et confirmatur ex Aristot. qui lib. 1. Rhetoricorum capit. 13. dicit, constituendum esse aliquem iudicem arbitrum, vt æquum & bonum præualeat: quoniam apud tribunal iudicis præstat & præualet iustum legale. Quasi significans non paruæ esse difficultatis, sed ingentis, atque maximæ, sequi bonum commune contra tenorem legis à principe latæ. Et hinc communiter solet dici, estque tritum prouerbium apud Ciceronem: Summum ius summa iniuria. Quibus verbis summum ius non accipitur pro eo, quod est rigor, & seueritas iuris: sic enim summum ius nunquam potest esse iniuria: sed accipitur summum ius pro summitate iuris, vt idem sit, quod superficies legis, & cortex literæ non attendẽdo sinè principalem legislatoris. Iustitia enim strictè sumpta sequitur verba legis, & corticẽ literæ, æquitas verò bonũ cõmune & sinè præcipuũ, prætermissis verbis legis. Propter quod dicebat Paul. iurisc̃ons. ff. de reg. iur. titulo de regulis iuris, in omnibus quidẽ maximè tamen in iure æquitas est expetenda.

Summum ius summa iniustitia, qualiter intelligendũ.

Ad. 1. arg.

¶ Et ad primum argumentum in contrarium factum, respondetur, negando minorem. Et ad probationem dico, cum Diuo Thom. loco in argumento citato articulo. 2. quod æquitas seu epicheia non est pars potentialis, sed subiectiua, & specifica iustitiæ legalis. In eo autem, quòd D. Thom. disputat de æquitate post disputationem de partibus potentialibus iustitiæ seruat ordinem naturæ, & ordinem disciplinæ. Naturæ quidem; quoniam post disputationem de iustitijs imperfectis natura postulabat, vt ageret de æquitate, quæ est iustitia omnium perfectissima. Doctrinæ autem: quia postquam disputauit de iustitia, quæ sequitur regulas, & leges communes, ordo doctrinæ postulabat, vt ageret de æqualitate, quæ præter regulas, & leges communes, ordinatur ad bonum reipublicæ. ¶ Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Obiectum enim charitatis semper est idem formaliter secundum speciem, scilicet, bonum diuinum. Et præterea, non est specialis difficultas in referendis actibus aliarum virtutũ in obiectũ charitatis ab ea, quæ est in diligendo Deo: at vero in iustitia legali prorsus est diuersa ratio; tũ quia obiectũ iustitiæ legalis variatur secundũ speciẽ, in iustitia legali strictè sumpta, & in æquitate, vt supra diximus: tũ etiã, quia multò maior difficultas est in procurãdo bono cõmuni præter leges, & præter regulas cõmunes, quã in procurãdo eodẽ bono cõmuni per leges & per regulas cõmunes. Et hæc de difficultate in primo sensu.

Ad. 2. arg.

¶ Secundus sensus quæstionis erat, vtrũ ea diuisio, qua iustitia legalis diuiditur in eã, quę est in principe, & eã, quæ est in subdito, sit generis in suas species. Et loquimur in præsenti de iustitia legali, secũdũ quod se extendit ad epicheiã, & ad aliã iustitiã legalẽ strictè sumptã; de qua statim dicebã, vtraq; enim potest esse vel in principe, vel in subditis. Et quidem, quòd illa diuisio sit generis in suas species probatur: Prudentia, quæ est in subditis, quæ est prudentia politica, est distincta specie à prudentia gubernatiua, & monarchica, quæ est in principe: sed iustitia legalis existens in voluntate respondet vtriq; prudentiæ: nam iustitia legalis, prout est in principe, correspondet prudentiæ gubernatiuæ, & principali, qualis est monarchica: & iustitia legalis, quæ est in subditis, correspondet prudentiæ politicæ: ergo pari ratione iustitia legalis in principe & in subditis distinguuntur specie. ¶ Et confirmatur: Facilius est distinguere, & multiplicare virtutes ex parte voluntatis, quam ex parte intellectus: illa enim quæ sunt diuisa in alijs potentijs, in intellectu inueniuntur sæpè sæpiùs vnita: & sic ex parte intellectus tantum ponimus vnam prudentiam monasticam ad plures virtutes morales, scilicet, liberalitatem, fortitudinem temperantiam, &c. quæ sunt in voluntate: sed ex parte intellectus constituuntur duæ virtutes specie distinctæ, scilicet, prudentia existens in principe, & prudentia politica existens in subditis: ergo & à fortiori ex parte voluntatis debemus constituere vnam iustitiam legalem in principe specie distinctã ab ea, quæ est in subditis. Secundò: Virtus architectonica distinguitur specie à virtute vsuali, & ministra: sed iustitia legalis in principe est architectonica, in subditis verò

Quæstio in 2. sensu.

1. Argum.

Confirma.

2. Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est vsualis,& ministra:ergo distinguũtur specie. Consequentia cum minori est nota: & maior probatur ex Atist. 2. Physic. text. 34. & 35.

Conclus.

¶ His tamen non obstantibus sit cõclusio; quòd iustitia legalis,siue accipiatur pro æquitate, siue pro iustitia strictè sumpta, est eiusdem speciei in principe & in subditis; & sic ea diuisio, qua iustitia legalis diuiditur in architectonicam, & vsualem, siue ministerialé non est generis in suas species. Probatur: Obiectum iustitiæ legalis, siue sit sermo de æquitate, siue de alia iustitia legali strictè sumpta est idem formaliter, & secundum speciẽ in principe & in subdito: ergo iustitia legalis quantùm ad omnes suas partes est eiusdem speciei in principe & in subditis. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Obiectum æquitatis in principe est bonum commune præter leges, & regulas communes; procurat enim princeps commune bonum per æquitatem, tanquam per iustitiam perfectissimam, non secundum leges,aut regulas communes;& præterea obiectum iustitiæ legalis strictè sumptæ, quod intendit princeps, est idem bonum commune per leges & regulas iuris communis: sed idem est obiectum æquitatis, & iustitiæ legalis in subditis: ergo vtrobique est idem obiectum formale secundum speciem: atque ex consequenti iustitia legalis, quantum ad omnes suas partes, per hoc, quòd est in principe, vel in subditis, non variatur secundum speciem. Sed, vt hoc meliùs intelligatur, aduertendum est. quòd iustitia legalis, quæ est in principe, siue sit æquitas, siue alia iustitia strictè sumpta secundum suam essentiam, atque naturam, non est virtus architectonica, quatenus distinguitur contra iustitiam legalem, quæ est in subditis. Et ratio est: quia vtrobique est idem obiectum & idem finis. Illa autem virtus, quæ secundum suam essentiam est architectonica debet habere vniuersaliorem finem, quam virtus vsualis. Cum ergo iustitia legalis habeat eundem finem in subditis, quem habet in principe manifestè sequitur, quod est vna secundum speciem in vtrisque. Et quando Philosophi morales,& Theologi dicunt, quod iustitia legalis est in principe, quasi architectonicè, ità sunt intelligendi, scilicet, quòd iustitia legalis in principe ratione subiecti, in quo est, dominatur & principatur, cum tamen eadem iustitia quatenus est in subditis, habeat obtemperare, & obedire. Hæc tamen differentia, quæ sumitur ex parte subiecti est accidentalis.

Iustitia legalis in principe,& in subditis. non differũt specie.

Eadem iustitia, vt in principe est architectonica & vt in subditis ministerialis.

Ad. 1. arg. cum sua cõfirmatione.

¶ Et ad primum argumentum incontrarium factum cum sua confirmatione respondetur: Quòd, quamuis, vt in plurimum, faciliùs distingantur virtutes ex parte appetitus, quàm ex parte intellectus; quoniam intellectus est potentia superior, & magis vniuersalis; & ea, quæ sunt diuisa in inferioribus, solent esse colligata, & vnita in superioribus: cæterùm aliquando contingit oppositum; & multiplicantur virtutes, atque principia ex parte intellectus, nulla facta multiplicatione ex parte voluntatis. Nam in intellectu sunt duo lumina, & duo habitus primorum principiorum, scilicet, intellectus, qui versatur circa prima principia speculatiua: & synderesis, quæ versatur circa prima practica principia. Et tamen ex parte voluntatis non constituitur aliquis habitus, in ordine ad obiectum virtutum moralium, quod est sibi connaturale; & proportionatum: sed sufficit sola inclinatio naturalis. Item ex parte intellectus constituuntur duo habitus; vnus circa principia, qui vocatur intellectus: alter circa conclusiones, qui appellatur scientia: cùm tamen ex parte voluntatis circa media, quæ sunt velut conclusiones in agibilibus,& circa finem, qui est primum principium in practicis solum constituatur vnus habitus. Tandem ex parte intellectus multiplicantur quatuor virtutes, in ordine ad media, quæ sunt prudentia,eugulia,synesis,& gnomi. At verò ex parte voluntatis solum ponitur vna virtus circa media in ordine ad eius obiectum & finem. Et sic est dicendum in proposito,quòd quamuis multiplicetur prudentia in principe, & in subditis, vnaquè dicatur monarchica,& altera politica; sintque distinctæ specie: Iustitia tamen legalis,quæ est in voluntate,& sequitur has rationes prudentiæ, non distinguitur specie, quatenus est in principe,ab eadem, quatenus est in subditis, ad modum iam explicatum.

Aliquando multiplicãtur virtutes ex parte intellectus nulla facta multiplicatione ex parte voluntatis.

Ad. 2. arg.

¶ Ad secundum argumentum respondetur, verum esse, quòd ea virtus, quæ secundum suam essentiam est architectonica, specie distinguitur à virtute vsuali, vt rectè docet Aristoteles loco citato in argumento: tamen iustitia legalis, quæ est in principe non est architectonica secundum suam essentiam, vt distinguitur contra iustitiam legalem, quę est in subditis, sed solum ex parte subiecti, vt statim dicebam. Et sic non est necessarium, quod inter illas sit specifica distinctio.

ARTICVLVS VI.

Vtrum iustitia, secundum quod est generalis, sit idem per essentiam cum omni virtute.

1.2. q.60. ar.3. ad.2. & artic.7. cor. & 3. di.9. q.1. art.1. q.2. cor. & 5. Ethic. lec. 2. fin. Lib.5. ca. 1. in fine. to.5.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd iustitia secundum quod est generalis, sit idem per essentiam cũ omni virtute. Dicit enim Philosophus* in quinto Ethico. quòd virtus & iustitia legalis est eadem omni virtuti: esse autem nõ est idem. Sed illa quę differunt solum secundum esse vel secundum rationem, non differunt secundum essentiam, ergo iustitia est idem secundum essentiam cum omni virtute.

2 ¶ Præterea, Omnis virtus quæ non est idem per essentiam cum omni virtute, est pars virtutis. Sed iustitia prædicta, vt idem* Philosophus dicit, non est pars virtutis, sed tota virtus, ergo prædicta iustitia est idem essentialiter cum omni virtute.

Eodem lib. & c. to. 5.

3 ¶ Præterea, Per hoc, quòd aliqua virtus ordinat actum suum ad altiorem finem, non diuersificatur secundum essentiam habitus: sicut idem est essentialiter habitus temperantiæ, etiam si actus eius ordinetur ad bonum diuinum. Sed ad iustitiam legalem pertinet quòd actus omnium virtutum ordinẽtur ad altiorem finem, id est, ad bonum commune multitudinis: quod præeminet bono vnius singularis personæ, ergo videtur quòd iustitia legalis essentialiter sit omnis virtus.

4 ¶ Præterea, Omne bonum partis ordinabile est ad bonum totius. Vnde si non ordinetur in illud, videtur esse vanum & frustra. Sed illud quod est secũdum virtutem, non potest esse huiusmodi. Ergo videtur quòd nullus actus possit esse alicuius virtutis, qui non pertineat ad iustitiam generalem, quæ ordinatur in bonum commune. Et sic videtur quod iustitia generalis sit idẽ in essentia cum omni virtute.

¶ SED CONTRA est quod dicit Philosophus* in quinto Ethic. quòd multi in proprijs quidem possunt virtute vti: in his autem, quæ ad alterum sunt, non possunt. Et in tertio Politico.* di-

Lib.5. capit. 1. paulo. ante fin.

Lib. 3. Polit. lit. c.3. to.

cit, quod non est simpliciter eadem vir tus boni viri, & boni ciuis. Sed virtus boni ciuis est iustitia generalis, per quam aliquis ordinatur ad bonum cõmune, ergo non est eadem iustitia generalis cum virtute communi, sed vna potest sine alia haberi.

¶ RESPONDEO, dicendum, quòd generale dicitur aliquid dupliciter: vno modo per prędicationem, sicut animal est generale ad hominem & equum,& ad alia huiusmodi. Et hoc modo generale oportet, quòd sit idem essentialiter cum his, ad quæ est generale: quia genus pertinet ad essentiam speciei, & cadit in diffinitione eius. Alio modo dicitur aliquid generale secundum virtutem, sicut causa vniuersalis est generalis ad omnes suos effectus, vt sol ad omnia corpora quæ illuminantur vel immutãtur per virtutem ipsius. Et hoc modo generale non oportet quòd sit idem in essentia cum his, ad quæ est generale, quia non est eadem essentia causæ & effectus. Hoc autem modo * secundum prædicta, iustitia legalis dicitur, esse virtus generalis, in quantum, scilicet, ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem, quod est mouere per imperium omnes alias virtutes. Sicut enim charitas potest dici virtus generalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum: ita etiam iustitia legalis inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonũ commune. Sicut ergo charitas, quæ respicit bonum diuinum, vt propriũ obiectum, est quædam specialis virtus secundum suam essentiam, ita etiam iustitia legalis est specialis virtus secundum suam essentiam, secundum quod respicit commune bonum, vt proprium obiectum. Et sic est in principe principaliter & quasi architectonicè: in subditis autem secundariè & quasi administratiuè. Potest tamen quælibet virtus secũdum quod à prædicta virtute, speciali quidem in essentia, generali autem secundum virtutem, ordinatur ad bonũ

Art. 5. huius quæst.

Universidad de Deusto
Biblioteca

commune, dici iustitia legalis. Et hoc modo loquendi iustitia legalis est idē in essentia cum omni virtute, differt autē ratione. Et hoc modo loquitur Philosophus. Vnde patet responsio ad primum & secundum.

¶Ad Tertium dicendum, quòd etiam illa ratio secundum hunc modū procedit de iustitia legali, secundum quod virtus imperata à iustitia legali, iustitia legalis dicitur.

¶Ad quartum dicendum, quòd quælibet virtus secundum propriam rationem ordinat actum suum ad proprium finem illius virtutis. Quòd autem ordinetur ad vlteriorem finē siue semper, siue aliquando hoc non habet ex propria ratione, sed oportet esse aliam superiorem virtutem, à qua in illum finē ordinetur. Et sic oportet esse vnam virtutem superiorem quę ordinet omnes virtutes in bonum commune, quæ est iustitia legalis: & est alia per essentiam ab omni virtute.

Summa Textvs.

Ante quam D. Thom. ad hanc difficultatem respondeat præmittit dupliciter posse aliquid dici generale. Vno modo per prædicationem. Et quod hoc modo est generale ad essentiam eorum pertinet, quibus est generale. Alio modo secundū virtutem: quia, scilicet, est causa inferioribus influens, vt sol respectu inferiorum. Et quod hoc modo est generale non est particulatibus idem essentialiter; nec de illis prædicatur. Hoc supposito sit prima conclusio: Iustitia legalis dicitur virtus generalis secundum virtutem, inquantum, scilicet, ordinat actus alia rum virtutum ad suum finem, quod est mouere per imperium omnes virtutes. Probatur: Iustitia legalis ordinat actus omniū virtutum ad bonum commune, sicut charitas ad bonum diuinum: ergo sicut charitas dicitur virtus generalis secundum virtutem; ita etiā & iustitia legalis. ¶Secunda conclusio: Iustitia legalis est particularis virtus secundum suam essentiam. Probatur: Sicut charitas respicit bonum diuinum, tanquam proprium obiectum; & propterea est specialis virtus secundum suam essentiam; quanuis omnium aliarum virtutum actus ordinet in bonum diuinum: ita etiam iustitia legalis respicit bonum commune tanquam proprium obiectum: ergo est specialis virtus secundum suam essentiam; quanuis omnium aliarum virtutum actus ordinet in bonum commune. ¶Tertia conclusio: Hæc iustitia generalis, atque legalis potissimum residet in principe, quasi architectonicè, deinde autē in subditis, quasi administratiue, qui illa probe afficiuntur, vt promptè legibus ac principi obtemperent. ¶Quarta conclusio: Vnaquæque virtus considerata, vt à iustitia legali imperatur, potest denominationem suscipere, vt legalis dicatur; quemadmodum & omnis virtus ea ratione, qua à charitate imperatur dicitur quodam modo charitas. Et in isto sensu possumus concedere, iustitiā legalem esse idem secundum essentiam cū omni virtute. Hanc conclusionem ponit Diuus Thom. vt intetpretetur Aristotelem, qui dicit iustitiam esse totam virtutem. Quæ verba talē debēt exhibere sensum, scilicet, quod quælibet virtus imperata à iustitia legali (de hac enim tantum est sermo) est quodam modo iustitia legalis.

Explicatio Articvli.

Maxima pars eorum, quæ dicuntur in isto articulo explicata manent ex ijs, quæ diximus articulo præcedenti. Et sic tantum circa secundam conclusionem est difficultas; vtrùm verum sit, quòd iustitia legalis, secundum suam essentiam est particularis virtus distincta contra alias. Hanc difficultatem latè disputat Buridanus lib. 5. Ethicor. quæst. 4. Qui dicit, quamcunque virtutem includere in sese ratione generalis iustitiæ, & sic quod generalis iustitia nō est particularis virtus. Quod & probat pluribus argumentis. Primo sic: Si iustitia legalis esset particularis virtꝰ cōdistincta cōtra alias; ex eo esset, quòd dirigit opus suum ad bonum commune; cùm tamen aliæ virtutes illud dirigant ad bonum particulare, vt hic D. Thom. dicit: sed hæc ratio nihil valet: ergo. Probo minorem: Quicūque homines studiosi respiciunt bonum cōmune, & ad illud dirigunt suas operationes per fortitudinem, temperantiam, & alias particulares virtutes: ergo ex hac parte iustitia legalis non est virtus specialis condistincta contra alias. Consequentia est nota: & antecedens probatur ex Aristot. qui libro. 3. Ethicor. cap. 6. de fortitudine dicit, virtutem fortitudinis esse circa pericula belli propter bonū cōmune. Et. 4. Ethi. cap. 2. etiā dicit, quòd virtus magnificentiæ non est, nisiquādo fiūt magni sumptus propter bonū commune. Quibus in locis aperte significat ad particulares virtutes pertinere ordinare suas operationes ad bonum commune: atque ex consequenti ad hoc non est necessarium ponere iustitiam legalem ab illis distinctam. ¶Secundò

Dubiū circa secundā conclusionē. D. Tho. Sententia Buridani.

1. argumētum.

2. argumētum.

cundò. Non est inducenda pluralitas sine necessitate: sed vnaquæque virtus per se inclinat ad honestè agendum in sua materia, non solùm propter fines particulares; sed etiam propter bonum commune: ergo non est necessarium ponere iustitiam legalem, quæ sit virtus ab alijs distincta, vt dirigat operationes particularium virtutum in bonum commune. Consequentia cum maiori est nota: & minor probatur: Virtus inclinat non solùm ad operandum, sed etiam ad operandum propter finem honestum, vt patet ex Aristotel. 2. Ethicor. cap. 4. sed bonum commune est finis maximè honestus: ergo vnaquæque virtus per se est sufficiens inclinare ad operandū propter bonum finem. ¶Tertio: Si, circa materiam fortitudinis, verbi gratia, esset constituenda iustitia legalis alia à fortitudine, propter rationē operis in bonū cōmune ciuitatis sequeretur, quòd cū inter hominem secundū se, & communitatem ciuilem sit quædā alia communitas specie distincta, scilicet, domestica oporteret ponere circa eandem materiā tertiam virtutem moralem præter fortitudinem, & iustitiam legalem, quæ ordinaret operationem in bonum commune domus: consequens autem est falsum, & contra communem Doctorum sententiam, nullus enim est, qui talis virtutis fecerit mentionem: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nā æqua est vtriusque ratio. ¶Quartò: Vnaquæque virtus moralis habet dirigere operationem circa propriam materiam, secundū opportunitatem omnium circunstantiarum, scilicet, quid, quando, vbi, & cum quibus oportet, & sic de alijs: sed vna ex circunstantijs est, cuius gratia, vt docet Aristoteles lib. 5. Ethicor. cap. 3. ergo si circa materiam fortitudinis, vel temperātiæ fuerit opportunum nō solùm boni proprij, sed etiam boni communis gratia operari, temperantia & fortitudo sic operabuntur, & non virtus essentialiter ab illis diuisa. Et confirmatur: Si quælibet virtus particularis non attenderet in sua operatione ad bonum commune, sequeretur posse contingere, quòd ipsa aliquando malè operaretur: consequens autem est falsum, quia, vt Aristo. dicit lib. 1. Rhetori. virtutibus moralibus nunquam contingit malè vti: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nā potest contingere, quòd aliqua operatio aliquando sit laudabilis secundum considerationem omnium circunstantiarum, circunscripto bono communi; quæ tamen sit praua simpliciter, quia læsiua, vel impeditiua boni communis: vt si quis, dum debet defendere ciuitatem contra inimicos, exerceret actum matrimonij cum vxore propria, ad quem actum pro tunc, si non oporteret attendere ad bonum commune, temperantia inclinaret. ¶Vltimum argumentum ad idem probandum desumitur ex pluribus locis Aristotelis, qui sæpè sæpiùs affirmat, maximè libro quinto Ethic. iustitiam legalem esse generalem virtutem, siue omnē virtutem. In contrariū tamē est D. Tho. in hoc articulo, & etiā Arist. lib. 3. Poli. c. 3. vbi dicit, non esse eandē virtutem boni viri & boni ciuis. Et cum virtus boni ciuis sit iustitia politica, seu legalis, per quam quis ordinatur in bonum commune, vt idem Aristot. in eo loco affirmat; manifestè sequitur iustitiam generalem non esse idem cum alijs virtutibus; sed ab eis secundū suam essentiam distingui.

3. argumētum.

Confirmatio.

4. argumētum.

Vltimū argumētum.

¶Pro explicatione huius difficultatis est aduertendum primò, quòd cùm iustitia, vt supra diximus, sit virtus ordinans ad alterum, & hæc ordinatio ad alterum sit multiplex, ipsa etiam ratio iustitiæ potest esse multiplex. Nam primò, dupliciter aliquid potest dici alterum. Vno modo proprié: & est illud, quod supposito & persona ab aliquo est distinctū. Quod rursus est duplex, scilicet, aut singularis aliqua persona, aut tota cōmunitas. Alio modo dicitur aliquid alterum impropriè & metaphoricè: quale est id, quod ab alio diuiditur, non persona, sed, vel potentia, vel ratione: quomodo animus dicitur alter à corpore, & anima rationalis à parte sensitiua. Ad quem modum loquitur Paulus cum appellat hominem interiorem partem rationalem, & hominem exteriorem partem sensualem.

Nota. 1.

¶Secundò est aduertendum, quòd iustitia potest accipi multipliciter. Vno modo impropriè, & translatitiè pro quacunque virtute faciente æqualitatem inter diuersas partes eiusdem hominis: de qua est intelligendus D. Anselmus in lib. de veritate, capit. 12. dum diffiniens iustitiam dicit, quòd est rectitudo voluntatis. Secundo modo accipitur iustitia propriè pro illa virtute, quæ ordinat hominē ad alterū: dūmodo illud alterū sit communitas: & hæc est, quę facit hominem obseruantem legum, propterea que appellatur, iustitia legalis. Tertiò accipitur iustitia etiā propriè pro illa virtute, quæ ordinat hominem in proprijs actionibus ad alterum, tanquam ad priuatam personam.

Nota. 2. Iustitia accipitur multipliciter.

¶His constitutis sit prima cōclusio: Iustitia metaphoricè dicta, est generalis quædam ratio in essentijs omniū virtutū inclusa, nec est particularis virtus ab illis distincta. Probatur; Quoniā ad singulas virtutes propriè pertinet cōmēsurare proprias operationes ad id bonū quod est, vel propriū, vel alienū, iuxta vnius cuiusq.

1. cōclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuiusque virtutem. Et hac ratione sunt intelligendi sancti atque sacræ literæ dum vnà uersas virtutes iustitiam appellant.

1. Conclusio. ¶Secunda conclusio: Illa iustitia, quæ in proprijs actionibus ordinat ad alterum, tanquam ad priuatam personam; qualis est iustitia particularis, cuius est facere æqualitatem in emptionibus, & venditionibus, &c. est particularis virtus ab alijs moralibus distincta. Hãc conclusionẽ recipiunt cõmuniter omnes Doctores tam morales, quàm Theologi; & constat sufficienter ex ijs, quæ diximus supra ar. 1. 2. &. 3. huius quæstionis.

3. cõclusio. ¶Tertia conclusio: Illa iustitia, quæ ordinat hominem ad bonũ commune per obseruantiam legum, & ideò dicitur generalis, est specialis virtus distincta ab alijs secundum suam essentiam. Hæc conclusio est contra Buridanum loco citato, & contra Labellum lib. 5. Ethicorum, tractatu. 1. c. 1. Sed illã tenent communiter omnes Doctores. Et probatur: Illæ virtutes sunt specie distinctæ, quarum fines proprij specie distinguũtur: vt enim Aristoteles dicit, in cap. de fortitudine, omnia determinantur fine: & propterea idem Arist. lib. 5. Ethicor. dicit, quòd qui lucrandi gratia mœchatur iniustus est, non luxuriosus: sed finis iustitiæ legalis, & finis aliarum virtutum particularium sunt specie distincti: iustitia enim legalis ordinatur in bonum commune, & aliæ virtutes ordinantur in bonum particulare: ergo & ipsa iustitia legalis distinguitur specie à virtutibus particularibus. Item illæ virtutes sunt specie distinctæ, quarum obiecta formalia specie distinguntur: sed obiectum formale iustitiæ legalis distinguitur specie ab obiectis virtutum particularium: ergo iustitia legalis specie distinguitur ab alijs. Cõsequentia cum maiori est nota: & minor probatur: Nam, siue dicamus, quòd obiecta virtutum specialium sunt passiones, & operationes humanæ secundum speciales rationes, & obiectũ legalis iustitiæ est passiones, & operationes humanæ secundum communem rationem, scilicet, secundum quòd reducibiles sunt in cõmunitatẽ ciuilẽ, vt aliqui affirmãt: siue dicamus, q. passiones & operationes humanæ prout sunt secundũ rectam rationem moderabiles, sunt obiecta specialium virtutum, & ipsæ virtutes speciales, & earum operationes, secundum quod ordinabiles in bonum commune sunt obiectũ legalis iustitiæ, vt alijs videtur; manifestum est huiusmodi obiecta esse formaliter distincta: & sic deberi causare diuersitatẽ specificam habituũ moralium: quemadmodum ratio mobilitatis in ente mobili, & ratio entitatis in eodem ente causant scientias specie distinctas, scilicet, physicam & metaphysicam. Item: Illæ virtutes sunt specie distinctæ, quarum propriæ operationes sunt diuersæ; virtutes enim, atque potentiæ per actus & operationes distinguntur, vt ex sententia Aristotelis dicunt communiter Philosophi: sed operatio iustitiæ legalis est diuersa ab operationibus virtutum particularium: ergo & ipsa iustitia legalis specie distinguitur ab alijs virtutibus. Probo minorem: Nam operatio iustitiæ legalis est ordinata ad communitatem ciuilem, quam quilibet ciuis, inquantum ciuis, intendit: & sic est quasi operatio ipsius communitatis: operationes autem virtutum particularium sunt ordinatæ ad ipsum hominem secundum se: & sic sunt velut operationes partium. Vnde quẽ admodum videmus in homine multas operationes conuenientes illi secundum distinctas & proprias rationes partium; vt alia est propria operatio manus, alia pedis, &c. & præter has sunt etiam in eodem homine aliæ operationes communes toti homini secundum se, quæ specie distinguntur à prioribus: ità etiam dicendum est in proposito, quòd sunt aliquæ operationes propriæ hominibus secũdum se: & has respiciunt virtutes particulares: & aliæ totius cõmunitatis, vel potiùs eorũdem hominũ, quatenus respiciunt cõmunitatem; & has respicit iustitia legalis. Vltimò probatur conclusio: Sicut de partibus corporis ad totum corpus; ità proportionabiliter loquendum est de partibus ciuitatis ad totam ciuitatem: quod & fecit Paulus 1. ad Corint. cap. 12. dicẽs: Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore, sicut voluit, quòd si essent omnia vnum mẽbrum vbi corpus? nunc autem multa quidẽ membra vnum autem corpus, non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarij: sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt, & quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, ijs honorem abundantiorẽ circundamus, & quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem habent, &c. Et paulò inferius: Vos autem estis membrum Christi, & membrum de membro, &c. Loquendum est igitur de partibus ciuitatis ad totam ciuitatem, sicut de partibus corporis ad totum corpus. Sed accepto, verbi gratia, cerebro in genere humanorum cerebrorum perfectissimo, tam secundum quantitatem, quàm secundum qualitatem, & omnem aliã sibi debitam dispositionem, certum est, quòd dispositio atque operatio talis cerebri secundum se considerati esset optima: & tamẽ illa non esset conueniens omni humano corpori: nam

Obiectum iustitiæ legalis distinguitur ab obiectis aliarũ virtutum.

De partib⁹ ciuitatis loquendũ est sicut de partibus corporis.

nam non esset conueniens infanti paruo, aut viro debilis & parui cordis, quia nõ saluaretur mẽbrorũ harmonia: similiter ergo est dicẽdũ in proposito non esse possibile, quòd illa operatio, atq; dispositio, quæ est homini secundũ se optima, sit etiam semper optima in ordine ad communitatem ciuilem. Atque ex consequenti non erit eadem virtus, quæ inclinat ad optimam operationem secundũ se, & ad optimam operationem secundum bonum commune. Et sic iustitia legalis, quæ inclinat ad optimam operationem in ordine ad communitatem erit distincta à virtutibus particularibus inclinantibus ad bonum particulare. Pro hac etiam conclusione faciunt rationes, quas posuimus in principio articuli præcedentis ad probandum iustitiam legalem esse necessariam. Illæ enim quodammodo etiam ostendunt, quòd hæc virtus est distincta ab alijs.

4. cõclusio. ¶Quarta conclusio: Vnaquæque virtus particularis quatenus imperatur à iustitia legali, tam secundum actum, quàm secundum habitum, dicitur vere iustitia legalis; & propterea iustitia legalis dicitur generalis virtus. Et quidem, quod temperantia, verbi gratia, secundum suum actum, quando imperatur à iustitia legali dicatur similiter iustitia legalis est res manifesta. Nam primò ex parte principij ille actus habet ortum à iustitia legali: & præterea ex parte finis, à quo sumitur ratio formalis obiecti, tendit ad eundem finem, quem respicit iustitia legalis. Sed quod secũdum habitum temperantia dicatur iustitia legalis probatur: Nam licèt in tali habitu non sit vis sufficiens & inclinatio ad operandum temperatè propter bonum commune; est tamen aptitudo & habilitas naturalis ad id, vt facile possit dirigi à virtute iustitiæ in illum finem: quæ aptitudo est quædam inchoata, & participata iustitia, vt est omnis dispositio respectu eius formæ, ad quam disponit. Et secundum istã rationem est intelligendus Aristot. 5. Ethic. cap. 1. cùm dicit, iustitiam legalem non esse virtutis partem, sed totam virtutem: & tursus, cùm dicit vitium, quod opponitur iustitiæ esse omnium maximum: quia non solum deordinat hominem erga Deum, sed etiam erga se se. Sicut enim iustitia legalis est congeries omnium virtutum: ita etiam vitium illi oppositum est cumulus omnium vitiorum.

Obiectio cõtra quartã conclusionem. ¶Sed contra istam conclusionem est argumentum: Nam, si iustitia legalis ea ratione dicitur virtus generalis, quanuis habeat essentiam particularem; quia potest dirigere actus omnium aliarum virtutum in suum finem, pari ratione sequitur, quòd quælibet alia virtus particularis, vt temperantia, vel fortitudo dicetur similiter virtus generalis: siquidem vnaquæque illarum potest omnes alias virtutes ordinare in suum finem: consequens autẽ est falsum: nam sic non esset maior ratio, propter quam iustitia legalis dicatur generalis virtus, quàm quæcumque alia; quod est contra Aristotelem & communem modum loquendi doctorum: ergo & illud, ex quo sequitur. ¶Respondetur tamen, negando sequelam. Et ad probationem dico: quòd vna virtus dupliciter potest alteri imperare. Vno modo ex accidenti; quod contingit, quãdo ipsæ virtutes nullum ordinem habẽt inter se se. Alio modo per se: & est quãdo vna virtus id vendicat sibi ex natura rei: quia, scilicet, obiectum virtutis imperantis est superius obiectis imperatarum, ad illudque reliqua obiecta ex natura rei ordinantur: vt obiectum artis fœnefactiuæ & equestris, & rei militaris, ex natura sua ordinatur ad victoriam, quæ est obiectum facultatis imperatiuæ. Dico ergo quòd illa virtus, quæ isto secundo modo imperat alijs ex natura sua dicitur virtus generalis respectu illarum: at verò illa virtus, quæ non habet istum naturalem ordinem ad alias virtutes, licet in aliquo casu dirigat, & imperet alijs, vt iustitia imperat aliquando charitati, vt det eleemosynam ad satisfaciendũ pro peccatis; non tamen dicitur virtus generalis: sed particularis. Et quia obiectum iustitiæ legalis, quod est bonum commune, ex natura sua est superius obiectis aliarum virtutum particularium: hinc fit, vt ipsa ex natura sua imperet alijs: & sic est virtus generalis. Sed restat, vt respondeamus ad argumẽta facta pro opinione Buridani; quæ adeò efficacia sit, vt eius sententiam reddant valde probabilem: quanuis, vt existimo, verior est ea, quæ à nobis posita fuit in tertia conclusione.

Solutio obiectionis.

Ad. 1. arg. ¶Ad primum argumentum respondetur concessa maiori, negãdo minorem. Et ad probationem dico; quòd homines studiosi non dirigunt suas operationes in bonum commune per virtutes particulares: sed per iustitiam legalem, ad quam proprie & per se pertinet respicere bonum commune. Et quando obijcitur Aristot affirmans virtutem fortitudinis esse circa pericula belli propter bonum commune; respondeo, verum esse, quòd fortitudo versatur etiam circa illa pericula, quæ assumuntur propter bonum commune: cæterum hoc non est per se. Nam ille finis bonũ cõmunis non respicitur intrinsecè, & formaliter à fortitudine: sed à iustitia legali, quæ est virtus superior: & fortitudo per se solum versatur circa pericula insurgentia ex timoribus, & audacijs. Itaque quemadmodũ cùm Martyres appetebant mortem pro Christo, quanuis

Operationes aliarũ virtutũ ordinãtur ad bonum cõmune per iustitiã legalem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanuis fortitudo erat, quæ ordinabat actum illum in bonum fortitudinis, charitas tamen & non fortitudo erat, quæ ordinabat eum ad hoc, vt esset pro Christo; quia solius charitatis est aliarum virtutum operationes dirigere in Deum. Et propterea dicebat Paulus. 1. ad Corinth. 13. Charitas benigna est, patiens, &c. nempè quia obiectum patientiæ, & benignitatis ordinat in obiectū charitatis. Sic etiam in proposito, quando quis sustinet pericula belli propter bonū commune, quāuis fortitudo sit, quæ versatur circa illa pericula: iustitia tamen legalis est, quæ illa ordinat in bonum commune. Et eodem modo respondetur ad aliud, quod de magnificentia adducitur in eodem argumento. ¶ Ad secundum argumentum similiter respondetur, concessa maiori, negando minorē. Et ad probationem dico: Quòd finis virtutis potest esse duplex. Vnus intrinsecus & est ille, ad quē ipsa virtus ex natura sua ordinatur, & à quo speciem sumit. Alter extrinsecus: & est ille, quem non semper necessario respicit virtus: quanuis aliquando propter illum operetur. Dico ergo, quòd quando Aristote. dicit, virtutem esse, quæ inclinat ad operandum propter finem honestum, tantùm loquitur de fine intrinseco, & non de fine extrinseco, propter quem, quando operatur virtus, debet necessario imperari ab ea virtute, cuius est proprium respicere illum finem. Vt est videre in eo, qui dat eleemosynā, vt satisfaciat pro peccatis. Finis enim iste satisfactionis, quanuis sit honestus, non potest intendi à virtute eleemosynæ, nisi imperata à iustitia, cuius est proprium respicere satisfactionem. Et ità etiam contingit in eo, qui fortiter, vel tēperatè agit propter bonum cōmune, finis enim iste boni communis semper debet apponi à iustitia legali, cuius est proprium respicere bonum commune. ¶ Ad tertium respondetur, negando sequelam. Et ad probationem dico, non esse æquam vtriusque rationem. Nam cum specialis virtus tantum sit constituēda, vbi est specialis ratio difficultatis, vt docet Aristot. lib. 2. Ethic. & in eo, qui habet iustitiam legalem, qua operatur propter bonum commune ciuitatis, non habeat specialem rationem difficultatis operari propter bonum commune domus, ad quod magis inclinatur; quia, vt idem Aristote. dicit: Amabile quidem bonum, vnicuique autē propriū: hinc fit, vt non sit necessarium, constituere aliam tertiam virtutem inter iustitiam particularē & legalem, quæ versetur circa bonum commune domus. ¶ Ad quartum argumentum respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Nam circunstantia finis, quam per se vnaquæque virtus debet respicere, est illa, quæ est finis intrinseci, & in propria materia. Si aliquando autem est necessarium, vt respiciat alium finem, id debet habere ex imperio, & consortio illius virtutis, cuius est tendere in talem finem. Propter hoc enim Aristot. lib. 6. Ethic. cap. vltimo, cōstituit virtutes morales connexas, vt est videre apud D. Thom. 1. 2. q. 65. art. 1. Et sic etiā si sit opportunum vel necessarium, quòd fortitudo, vel temperantia operētur, non solum propter bonum particulare, sed etiam propter bonum commune, non ad hoc erunt propter se sufficientes, nisi adiuncta iustitia legali, cuius est respicere bonum commune: sicut nec sunt sufficientes ad hoc, vt operētur propter Deum, nisi ex consortio charitatis. Quanuis ista circunstantia finis diuini sit sæpe sæpiùs necessaria ad operis honestatem: vt est videre in eo, qui sustinet mortem pro Christo. Et per hoc etiam patet solutio ad confirmationem. Quanuis enim sit verum, aliquando posse contingere, vt aliqua operatio sit laudabilis, secundum considerationē omnium circunstantiarum circunscripto bono communi; quæ tamen ex defectu huius circunstantiæ boni communis reddatur vituperabilis, vt patet in exemplo posito. Ex hoc tamen non sequitur, nec quòd virtus particularis inclinat ad malum, nec quod ipsa per se habet respicere bonum commune: sed quod ad sui perfectionem requirit connexionem eius virtutis, quæ habet respicere bonum cōmune: quod quidem est verum. ¶ Ad vltimum argumentum patet solutio ex quarta conclusione à nobis posita.

Ad. 2. argumentū.

Finis virtutis potest esse duplex vnus intrinsecus alter extrinsec⁹.

Ad Confirmationem.

Ad vltimū argumētū.

Ad. 3. argumentum.

Ad. 4. argumentum

Articvlvs. VII.

Vtrum sit aliqua iustitia particularis præter iustitiam generalem.

Super arti. 5. & 6. Et inf. q. 59. art. 1. & 2. qua. 60. ar. 3. & 5. Ethic. lec. 1. 2. & 3.

Ad septimvm sic proceditur. Videtur quòd non sit aliqua iustitia particularis præter iustitiā generalem. In virtutibus enim nihil est superfluum, sicut nec in natura. Sed iustitia generalis sufficienter ordinat hominem circa omnia, quæ ad alterum sunt. Ergo non est necessaria aliqua iustitia particularis.

2 Præterea: Vnum & multa non diuersificant speciem virtutis. Sed iustitia legalis ordinat hominem ad alium secūdum ea quæ ad multitudinem pertinent, vt ex prædictis * patet. Ergo non est alia species iustitiæ quæ ordinet hominem ad alterum in his quæ pertinēt ad

Ar. 5. & 6

ad vnam singularem personam.

3 ¶ Præterea, Inter vnam singularem personam & multitudinem ciuitatis, media est multitudo domestica. Si ergo est iustitia alia particularis per comparationem ad vnam personam, præter iustitiam generalē, pari ratione debet esse alia iustitia œconomica, quæ ordinet hominem ad bonum commune vnius familiæ: quod quidem non dicitur. Ergo nec aliqua particularis iustitia est præter iustitiam legalem.

Homil. 15. in Matth. inter prin. & med. tom. 2.

¶ Sed contra est quod * Chryso. super illud Matth. quinto. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, dicit, iustitiam autem dicit ad vniuersalem virtutem, vel particularem, auaritiæ contrariam.

Ar. præced

¶ Respondeo, dicendum, quòd sicut dictum * est. Iustitia legalis non est essentialiter omnis virtus, sed oportet præter iustitiam legalem, quæ ordinat hominem immediate ad bonum commune, esse alias virtutes, quæ immediate ordināt hominē circa particularia bona: quæ quidē possūt esse vel ad seipsū, vel ad alteram singularē personam. Sicut ergo præter iustitiam legalem oportet esse aliquas virtutes particulares, quæ ordinent hominem in seipso, putà, temperantiam & fortitudinem: ita etiam præter iustitiam legalem oportet esse particularem quandam iustitiā, quæ ordinet hominem circa ea, quæ sunt ad alteram singularem personam.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd iustitia legalis sufficienter quidē ordinat hominem in his, quæ sunt ad alterum quantum ad commune quidem bonum immediate: quantum autem ad bonum vnius singularis personæ, mediatè. Et ideo oportet esse aliquam particularem iustitiam, quæ immediate ordinet hominem ad bonum alterius singularis personæ.

¶ Ad secundum dicendum, quòd bonum commune ciuitatis, & bonū singulare vnius personæ non differunt solum secundum multum & paucum, sed secundum formalem differentiā. Alia enim est ratio boni communis, & boni singularis, sicut & alia est ratio totius & partis. Ideo Philosophus in 1. Politic.* dicit, quòd non bene dicunt, qui dicunt ciuitatem, & domum, & alia huiusmodi differre solum multitudine & paucitate, & non specie.

Lib. 1. c. 1. circa prin. tom. 5.

¶ Ad tertium dicendum, quòd domestica multitudo secundum Philosophum in primo * Politic. distinguitur secundum tres coniugationes, scilicet, vxoris & viri, patris & filij, domini & serui, quarum personarum vna est quasi aliquid alterius. Et ideo ad huiusmodi personas non est simpliciter iustitia, sed quædam iustitiæ species, scilicet œconomica, vt dicitur in quinto Ethic.*

Lib. 1. c. 3. & c. vltim. tom. 5.

Li 5. Ethi. c. 6 in fi. & c. vlt. to. 5.

Svmma Textvs.

Ad propositam difficultatem respōdet D. Thom. vnica conclusione affirmatiua. Et probatur: Præter iustitiam legalem requiruntur aliæ virtutes particulares, scilicet, fortitudo, & temperantia adelicendos actus circa sua particularia obiecta; non obstante, quòd ijdem actus ab eadem iustitia legali referantur in bonum commune: ergo pari ratione etiam erit necessaria iustitia particularis, quæ eliciat actum circa suam particularem materiam; quæ est reddere vnicuique quod suum est: qui quidem actus aliquādo ordinabitur à iustitia legali in bonum cōmune, & aliquando non. Potest enim quis mutuum reddere, aut mercedem soluere operario, nō propter obedientiam legis, nec propter bonum commune: sed vt seruet suam fidem, & propter seipsum: & tunc talis actus emanabit à sola iustitia particulari. Si autem id faciat propter bonum commune, & vt legi obediat; tunc imperatur à iustitia legali.

1. 2. q. 60. a. 2. cor. & 3. di. 33. q. 2. ar. 2. q. 3 & 2. Ethi. lec. 8.

Explicatio Articvli.

Conclusio huius articuli est certissima, quam ponit Aristo. multis in locis: & præcipue lib. 5. Ethic. cap. 2. Vbi postquam egit de iustitia generali, quam appellauit omnē virtutē propter rationes à nobis articulo præcedenti explicatas, dicit, se velle instituere sermonem de ea iustitia, quæ est pars virtutis, hoc est, de iustitia particulari; quam multis rationibus probat esse distinctam à iustitia legali. De quibus videndus est Isabellus super librum 5. Ethicorum, tract. 1. c. 2 & in libro de philosophia Christiana parte secunda, tractat. 5. c. 3. de quo etiam nos diximus super articulum 5. huius quæstionis.

Articulus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS VIII.

Vtrum iustitia particularis habeat materiam specialem.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur quòd iustitia particularis non habeat materiam specialē. Quia super illud Genes. 2. Fluuius quartus ipse est Euphrates, dicit glos. Euphrates frugifer interpretatur, nec dicitur contra quos vadat: quia iustitia ad omnes animæ partes pertinet. Hoc autem non esset, si haberet materiam specialem: quia quælibet materia specialis ad aliquam specialem potentiā pertinet. Ergo iustiria particularis nō habet materiam specialem.

*Lib. 83. q. 61. to. 4. * Alias specialiter.*

2 Præterea, Augustinus * dicit in libr. 83 quæst. quòd quatuor sunt animæ virtutes, quibus in hac vita * spiritualiter viuitur, scilicet, tēperātia, prudēria, fortitudo, & iustitia: & dicit ꝙ quarta est iustitia, quæ per omnes diffunditur. Ergo iustitia particularis quæ est vna de quatuor virtutibus cardinalibus, nō habet specialem materiam.

3 ¶ Præterea, Iustitia dirigit hominem sufficienter in his, quę sunt ad alterum. Sed per omnia quæ sunt huius vitæ, homo potest ordinari ad alterum: ergo materia iustitiæ est generalis & non specialis.

Lib. 5. c. 1. tom. 5.

¶ SED CONTRA est quod Philosophus in quinto * Ethicor. ponit iustitiam particularem circa ea specialiter, quæ pertinent ad communicationem vitæ.

Lib. 2. c. 2. & 6. to 5.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd omnia quæcunque rectificari possunt per rationem, sunt materia virtutis moralis, quæ diffinitur per rationem rectam: vt patet per Philosophum in quinto * Ethic. Possunt autem per rationem rectificari & interiores animæ passiones, & exteriores actiones, & res exteriores, quæ in vsum hominis veniunt: sed tamen per exteriores actiones & per exteriores res quibus sibi inuicem homines communicare possunt, attenditur ordinatio vnius hominis ad alterum, secūdū autē interiores passiones considerator rectificatio hominis in seipso. Et ideo cum iustitia ordinetur ad alterū, non est circa totā materiam virtutis moralis, sed solū circa exteriores actiones & res, secundum quandam rationem obiecti specialē: prout scilicet, secundum eas vnus homo alteri coordinatur.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod iustitia pertinet quidem essentialiter ad vnam partem animæ, in qua est sicut in subiecto, scilicet, ad voluntatem, quæ quidem mouet per suum imperium omnes alias animæ partes. Et sic iustitia nō directe, sed quasi per quādam redundantiam ad omnes animæ partes pertinet.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut supra * dictum est, virtutes cardinales dupliciter accipiuntur. Vno modo, secundum quod sunt speciales virtutes habentes determinatas materias: alio modo, secundum quòd significāt quosdam generales modos virtutis, & hoc modo loquitur ibi Augustin. * dicit enim quòd prudentia est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Tēperantia est refrænatio cupiditatis ab his, quæ temporaliter delectant. Fortitudo est firmitas animi aduersus ea, quæ temporaliter molesta sunt. Iustitia est quæ per cæteras diffunditur, dilectio Dei & proximi, quæ, scilicet, est communis radix totius ordinis ad alterum.

1. 2. q. 61. ar. 8. & 4. Annot.

Eodem lib. & c. in arg. citatis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd passiones interiores, quæ sunt pars materiæ moralis, secundum se non ordinantur ad alterum, quod pertinet ad specialem rationem iustitiæ, sed earum effectus sunt ad alterum ordinabiles, scilicet, operationes exteriores. Vnde non sequitur quòd materia iustitiæ sit generalis.

SVMMA TEXTVS.

AD propositam difficultatem respondet D. Thom. vnica conclusione, quæ talis est: Iustitia particularis non versatur circa totam materiam omnium virtutū, sed tantum circa externas actiones, & res. Ex quo fit, vt habeat particularem materiā. Probatur: Omnia, quæ nostro subduntur arbitrio

trio, & ad rationis normam emendari possunt, sunt materię moralium virtutum, vt docet Aristot. libr. 2. Ethicor. capit. 2. inde enim virtus dicitur moralis, quòd morum est moderatrix, & cultrix: sed ea, quæ possunt per rationem rectificari sunt in triplici differentia: aut enim sunt passiones, animæ; aut actiones exteriores; aut res externæ in nostrum vsum venientes; ex quibus per actiones tantum & per res ordinatur homo ad alterum, & per passionum moderationem ordinatur ad seipsum: ergo iustitia particularis, quæ inter alias virtutes morales est ad alterum, solum erit circa actiones exteriores, & res: atque ex consequenti habet determinatam materiam, nempe, honorem debitum alteri deferre, & à contumelijs abstinere; & pecuniam, vel quamcunque aliam rem creditori debitam reddere, &c.

ARTICVLVS IX.

Vtrum iustitia sit circa passiones.

AD NONVM sic proceditur. Videtur quòd iustitia sit circa passiones. Dicit enim Philosophus

4. di. 15. q. 1. art. 1. q. 2. ad. 2. Lib. 2. c. 5. tom. 5. 1. 2. q. 23. ar. 4.

* in secundo Ethicorum, quòd circa voluptates & tristitias est moralis virtus. Voluptas autem, id est, delectatio, & tristitia sunt passiones quædam vt suprà habitum * est, cum de passionibus ageretur: ergo iustitia cum sit virtus moralis, erit circa passiones.

2 ¶ Præterea, per iustitiam rectificantur operationes, quæ sunt ad alterum. Sed operationes huiusmodi rectificari non possunt, nisi passiones sint rectificatæ: quia ex inordinatione passionum prouenit inordinatio in prædictis operationibus. Propter concupiscentiam enim venereorum proceditur ad adulterium. Et propter superfluum amorem pecuniæ proceditur ad furtum: ergo oportet quòd iustitia sit circa passiones.

3 Præterea, Sicut iustitia particularis est ad alterum: ita etiam & iustitia legalis. Sed iustitia legalis est circa passiones: alioquin non se extenderet ad omnes virtutes, quarum quædam sunt manifestæ circa passiones: ergo iustitia est circa passiones.

¶ SED CONTRA est, quod Philosophus dicit in quinto * Ethicorū, quòd est circa operationes.

Lib. 5. c. 1. & 2. to. 5.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd huius quæstionis veritas ex duobus appareret. Primo quidem ex ipso subiecto iustitiæ, quod est voluntas: cuius motus vel actus non sunt passiones, vt suprà * habitum est, sed solum motus appetitus sensitiui passiones dicuntur. Et ideo iustitia non est circa passiones: sicut temperantia & fortitudo, quæ sunt irascibilis & concupiscibilis, sunt circa passiones. Alio modo ex parte materiæ: quia iustitia est circa ea quæ sunt ad alterum, non autem per passiones interiores immediate ad alterum ordinamur, & ideo iustitia circa passiones non est.

Annot. 1. 2. q. 22. art. 3. & q. 59. art. 4.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod non quælibet virtus moralis est circa voluptates & tristitias, sicut circa materiam: nam fortitudo est circa timores & audacias. Sed omnis virtus moralis ordinatur ad delectationem & tristitiam, sicut ad quosdam fines consequentes: quia, vt Philosophus dicit in 7. * Ethi. Delectatio & tristitia est finis principalis ad quem respicientes vnumquodque, hoc quidem malum, hoc quidem bonum dicimus. Et hoc modo permanent etiam ad iustitiam, quia nō est iustus qui non gaudet iustis operationibus, vt dicitur in 1. Ethic.

Lib. 7. c. 11 in princ. to. 5.

¶ Ad secundū dicendū, ꝙ operationes exteriores mediæ sunt quodāmodo inter res exteriores, quæ sunt earum materia: & inter passiones interiores, quę sunt earum principia. Contingit autem quandoque esse defectum in vno eorum sine hoc, quòd sit defectus in alio. Sicut si aliquis furripiat rem alterius non cupiditate habendi, sed voluntate nocendi. Vel ecōuerso, si aliquis alterius rem concupiscat, quam tamen furripere non velit. Rectificatio ergo operationum, secundum quod ad exteriora terminantur, pertinet ad iustitiam. Sed rectificatio earū secundum quod à passionibus oriuntur, pertinet ad alias virtutes morales,

Lib. 1. c. 8. tom. 5.

Annot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ sunt circa passiones. Vnde surreptionem alienæ rei, iustitia impedit, inquantum est contra æqualitatem in exterioribus constituendam. Liberalitas vero inquantum procedit ab immoderata concupiscentia diuitiarum. Sed quia operationes exteriores non habent speciem ab interioribus passionibus, sed magis à rebus exterioribus, sicut ex obiectis: ideo per se loquendo, operationes exteriores magis sunt materia iustitiæ, quàm aliarum virtutũ moralium.

¶ Ad tertium dicendum: quòd bonum commune est finis singularium personarum in communitate existentium, sicut bonum totius finis est cuiuslibet partium. Bonum autem vnius personæ singularis non est finis alterius. Et ideo iustitia legalis, quæ ordinatur ad bonum commune, magis se potest extendere ad interiores passiones, quibus homo aliqualiter disponitur in seipso, quàm iustitia particularis, quæ ordinatur ad bonum alterius singularis personæ: quamuis iustitia legalis principalius se extendat ad alias virtutes quantum ad exteriores operationes earum, inquantum, scilicet, præcipit lex fortia opera facere, & quæ temperati, & quæ mansueti, vt dicitur in quinto *Ethicorum.

Lib. 5. Eth. c. 2. à med. tom. 5.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio huius articuli est negatiua: quam probat D. Tho. duplici ratione. Prima desumitur ex subiecto iustitiæ, quod est voluntas: cuius quidem actiones nec rem habent nec nomen passionum, sed solum motus appetitus sensitiui appellantur passiones, vt idem D. Tho. latè docuit. 1. 2. quæst. 22. art. 3. Secunda ratio desumitur ex materia, circa quam versatur iustitia; quæ quidem est ad alterũ, vt sæpè dictũ est: cùm tamen per passiones interiores non immediate ordinetur homo ad alterum, sed ad seipsum. Et sic iustitia non potest esse circa passiones.

EXPLICATIO HVIVS ARTICVLI & precedentis.

PRo intelligentia eorum, quæ D. Tho. dicit in his duobus articulis, operæpretiũ est, vt explicemus, quid sit passio, & quid sit operatio, de quibus in præsenti est sermo.

Eis enim nominib⁹ ignoratis nulla ratione poterit cõstare, qualiter iustitia sit circa operationes, & non circa passiones. Quod, vt fiat aduertendũ est primò, quòd nomẽ passio, multas habet significationes. Nã primo significat omne illud, quod quis patitur, siue illud in subiecti ruinam, siue in eiusdem salutem, & perfectionẽ tendat: in qua significatione tam sentire, quam intelligere passiones nuncupantur. Alio modo accipitur passio pro receptione vnius cum expulsione, & iactura alterius. Quod adhuc dupliciter cõtingit. Aut cum abiicitur, & deperditur illud, quod in subiecti ruinam, & nocumentum tendit: vt cum quis consequitur sanitatem cum morbi expulsione; vel deperditur id quod ad eiusdem subiecti salutem, & perfectionem conducit; quo modo ægrotare, & morbo affici passiones dicuntur. Et iste vltimus est perfectissimus modus passionis. Quemadmodũ enim Aristot. dicit libro. 1. de generatione, quòd quãdo ex ignobiliori nobilius generatur, illa est generatio simpliciter, & secundũ quid corruptio; quando autem opposita ratione ex nobiliori gignitur ignobilius, est existimanda simpliciter corruptio, & secundum quid generatio: ità etiã in proposito, quando transmutatio fit in deterius, est proprie passio, quando autem fit in melius, nõ propriè passio est censenda. Tertiò accipitur passio pro inclinatione, seu impetu ab agente in passo relicto, quo agẽs trahit passum ad se. Verbi gratia, ignis generans ignem relinquit in igne genito calorem, & leuitatem, quibus impetu quodam in superanum ducitur locum, quem igneæ substãtiæ inhabitant: & dum illic est quiescit, dum verò illuc tendit impetu fertur naturæ; oditq; locum infernum, tãquam sibi aduersum: & minimè consentaneũ. Has ergo qualitates, quibus ignis genitus hæc omnia agit, appellam⁹ in ista tertia significatione passiones. Sed est aduertendũ, quòd omnis passio pro inclinatione accepta cognitionem aliquam sequitur, siue coniunctam, vt in rebus cognitione prædictis, siue separatam, vt in rebus tali cognitione carentibus. Habet enim vniuersa natura, quantumuis rudis sit, & cognitionis expers, suas inclinationes naturales ab ipso naturæ autore inditas, quibus in finem vltimũ, qui est ipse Deus per proximos & immediatos fines ducitur. Quæ quidem naturalis inclinatio varijs nominibus appellatur. Nunc enim naturæ põdus, nunc impulsus, nunc impetus naturalis, nõ nũquam vero instinctus, & aliquando lex naturæ dicitur, & vocatur.

Nomen passio multas habet significationes.

Secundo

Passio quãtum ad omnes suas significationes potest inueniri in anima.

¶ Secundò est aduertendum, quòd passio, quantum ad omnes suas significationes potest inueniri in anima rationali. Nam primò, quòd in ea inueniatur passio, in quantum solùm dicit receptionem alicuius, est res manifesta. Potest enim intelligere, quod pati quoddam est, in ipso intellectu, à quo proficiscitur receptum. In qua etiam significatione velle est, quoddam pati. Imo & quæcunque actio immanens poterit secundum istam considerationẽ appellari passio, cùm omnis hoc habeat, quod in agente: à quo proficiscitur recipiatur. Inuenitur etiã in anima passio accepta pro receptione vnius cum abiectione contrarij. Siquidem certum est, quòd intellectus aliquando abiecto errore recipit scientiam, & destructis vitijs suscipit habitus studiosos. Et tandem inuenitur in anima humana passio accepta pro inclinatione, & pro pẽsione qua res naturæ in propriũ cõmodũ inclinatur. Passio enim vt paulò ante dicebã, secundũ istã rationem in quauis natura inuenitur, siue cognitione prædita sit, siue illius expers. Nec est accidens, aut qualitas aliqua ipsi naturæ superaddita, qua in suum commodum trahatur, vt aliquibus visum est: sed est potius ipsamet natura, sic à Deo instituta, vt finem suum consequi valeat; quem si adesse conspiciat quiescit, si abesse contẽplatione in illũ fertur, odioq; prosequitur contrarium: & si ei aliquando appropinquat inquieta manet. In quo sensu Heraclitus philosophus dixit omnia per litem & amicitiam fieri.

Passio pro inclinatione sequẽte cognitionẽ solum inuenitur in natura cognoscente.

¶ Tertio est aduertendum, quòd passio accepta pro inclinatione, quæ coniunctam sequitur cognitionem, tantum inuenitur in natura cognoscente, potestque definiri, quòd sit inclinatio, seu motus ex alicuius cõuenientis, vel disconuenientis cognitione procedens. Talemque seruat ordinẽ & proportionem, vt si sequatur naturam, & non cognitionem dicatur passio naturalis; si verò sequatur cognitionem rationis deliberantis, dicatur passio rationalis, & tandem si sequatur cognitionem supernaturalem, siue fidei, siue diuinæ sapientiæ, dicatur passio diuina. Ex quo infertur omnium hominum passiones in quatuor posse distingui genera, scilicet, in naturales, animales, rationales, & diuinas. Ex quibus, quantùm attinet ad præsens institutum, illæ solum dicuntur passiones, quæ sequuntur cognitionem sensitiuam, fiuntque semper cũ aliquali corporis transmutatione, vt tristitia, gaudium, ira.

Dubium.

¶ Vnde de his solùm est quæstio, vtrùm iustitia versetur circa passiones. Et est aduertendum, quòd si dicamus iustitiam versari circa vtrumque, scilicet, circa operationes, & circa passiones, necessariò etiam debemus dicere, quòd iustitia est in duabus potentijs, scilicet, in voluntate, & in appetitu sensitiuo. Si autem dicamus, quod iustitia solùm versatur circa operationes, quales sunt actus interiores voluntatis, & exteriores cuiuscunque potentiæ: ex consequenti etiam debemus affirmare iustitiam solum residere in voluntate, & non in appetitu sensitiuo. In quare aliqui ex philosophis, & Theologis recentioribus dicunt, quòd sicut liberalitas constat ex duobus habitibus, quorum vnus est in voluntate ordinans hominem ad gratuitam donationem, nulla expectata compensatione, alter in appetitu sensitiuo, liberans hominem ab appetitu infimo, & sordido diuitiarum; qualis est auaritia: ita etiam iustitia integratur ex duobus habitibus: quorum vnus est in voluntate ad habendas rectas electiones; alter in appetitu sensitiuo ad moderandas passiones. Quin potius Buridanus libro quinto Ethicorum quæstion. 1. miratur, quòd D. Thomas tale constituat discrimen inter iustitiam, & alias iustitias morales, quod illa sit circa operationes, istæ verò circa passiones, cùm omnibus sit commune non solum versari circa operationes, sed etiam reprimere passiones, quæ vnius cuiusque propriam electionem impediunt. Et quod hæc sententia sit vera probatur pluribus argumentis. Primò sic: Ad quamcunque virtutem moralẽ pertinet destruere impedimenta perturbãtia illius operationes & electiones circa proprium obiectum: sed iustitia perturbatur interdum passionibus appetitus sensitiui, vt ab ira, & à cupiditate, ne faciat æqualitatẽ: ergo ad iustitiam proprie pertinet comprimere huiusmodi passiones: atque ex consequenti versatur circa passiones.

Sententia aliquorum philosophorum.

1. argumẽtum.

¶ Secundò: Si aliqua ratione iustitia non versaretur circa passiones, maximè quia per passiones non ordinatur homo ad alterum: sed sunt quam plurimæ passiones, quibus homo non solum ordinatur ad seipsum, sed etiam ad alterum: quales sunt turpis cupiditas alienæ vxoris, & ira, quã quis intendit homicidium: quæ, vt constat, sunt iniuriosæ: ergo iustitia versatur circa has passiones.

2. argumẽtum.

¶ Tertiò: Misericordia constat ex duobus habitibus; quorum vnus est in appetitu sensitiuo: & versatur circa passiones, ne per excessum, aut per defectum re-

3. argumẽtum.

Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Provinciae Loyolensis S.I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

linquat homo subleuare alienam miseriã: alter in uolũtate; & est ad alterũ, sicut iustitia: ergo pari ratione dicendum erit, quòd multiplicantur habitus iustitię in uoluntate, & in appetitu sensitiuo. Et confirmatur ex Diuo Augustino, qui li. 83. quæstionum. quæst. 61. dicit, quatuor esse virtutes, quibus in vita morali & spirituali rectè uiuitur, scilicet, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam. Quarum quarta, scilicet, iustitia, hoc habet, quod per omnes partes hominis diffunditur. Cui sententiæ, consonat glossa super Genesin, cap. 2. in illa verba: Fluuius quartus, ipse est Euphrates. Vbi dicit ideò de Euphrate, quòd interpretatur frugifer, non dicere scripturam ad quas partes fluat, sicut dixit de alijs tribus, vt hac ratione intelligeremus, iustitiam per Euphratem designatam ad omnes animæ partes pertinere; & sic versari tam circa operationes, quàm circa passiones. Vltimo: Fortitudo & temperantia versantur, non solum circa passiones, sed etiã circa operationes exteriores, comedere enim atque bibere, quando, & vbi oportet, sunt operationes exteriores pertinentes ad temperantiam: & similiter strenuè pugnare est operatio exterior pertinens ad fortitudinem: ergo omnes virtutes morales habẽt hoc, quod est versari circa operationes, et passiones, atque ex consequenti nullũ est discrimen inter iustitiã & alias virtutes morales, quantum ad hoc.

Confirmatio ex Augusti.

Passiones appetitꝰ sensitiui dupliciter considerantur.

¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est primò, quod passiones appetitus sensitiui, quales sunt gaudiũ, & tristitia, possunt considerari dupliciter. Vno modo in quãtum sunt effectus, qui sequuntur & originantur ex actibus virtutum moralium. Et secundum istam considerationem, certum est, quòd iustitia versatur circa passiones, tanquam circa proprios effectus, & quasi finem ipsius. Omnis enim virtus, dum operatur ex natura sua, excitat quandam delectationem circa propriũ obiectum: & etiam excitat tristitiam, si ab eius contrario & oppositio impediatur, ne promptè & faciliter operetur. In qua significatione dicit Arist. lib. 2. Ethi. c. 3. omnem virtutem moralem versari circa delectationes, & tristitias. Et. 5. Ethic. Non est iustus, qui operãdo iusta, non delectatur. Alio modo cõsiderãtur passiones, inquantũ sunt materia, circa quã ipsæ virtutes versantur, componendo, scilicet, eas, ne insurgant cõtra rationem. Et de passionibus, secundũ istã considerationem, est sermo quando quærimus, vtrum iustitia versetur circa passiones.

Virtutes dicuntur connexæ quia sibi inuicẽ auxiliãtur.

¶Secundò est aduertendum, quòd virtutes morales præcipuè cardinales ea ratione dicuntur cõnexæ, quia sibi inuicẽ auxiliantur. Iustitia enim. v. g. cuius officiũ est, reddere vnicuique quod suũ est, aliquando adiuuatur ad hoc à prudẽtia tollẽdo errorẽ & ignorantiã; & aliquãdo à tẽperantia, & à fortitudine, & mansuetudine; quarũ est auferre irã, auaritiã, & timorẽ; quibus iustitia interdum à suo officio impeditur, vt latè docet D. Tho. 1. 2. q. 63. ar. 1. Tertiò est aduertendũ, quòd vnaquæq; virtus ex natura sua habet tollere ea impedimenta, quæ sunt sibi intrinseca: qualia sunt illa, quæ perturbant eius operationẽ, & electionẽ circa propriũ obiectũ. Hæc enim cũ intra regnũ & regimẽ talis virtutis contineãtur, à nulla alia, nisi ab ipsa poterũt moderari. Impedimẽta autẽ extrinseca habebit auferre per virtutes sibi comites, & auxiliares. Verbi gratia, iustitia existẽs in volũtate ex natura sua habebit tollere impedimẽta, & difficultates, quas patitur in ijs, quæ sunt ad alterũ, & in eo, q; est reddere vnicuiq; quod suũ est, quia hæc ad eius regimẽ & regnũ per se pertinẽt: ea autẽ impedimẽta, quæ proueniũt ex ira, vel ex odio, vel ex amore [aliquãdo enim iustitia impeditur ab his, ne reddat vnicuiq; quod suũ est; quia sunt extrinseca, vt pote quæ existũt in alia potẽtia, & disponũt hominem in seipso tollit iustitia, non per ipsam, sed per virtutes sibi comites, & auxiliares, scilicet, per fortitudinem, & temperantiam.

Conclusio.

¶His constitutis sit conclusio: Iustitia respicit operationes tanquã propriã materiã, non autem passiones. Volo dicere, quod iustitia per se directè & immediatè respicit operationes, quibus homo ordinatur ad alterũ; passiones verò non nisi indirectè & per aliud, hoc est, per virtutes sibi comites & auxiliares. Hãc conclusionẽ tenet D. Tho. expresse in his duobus articulis. &. 1. 2. q. 60. ar. 2. & 3. & Arist. li. 5. Ethi. c. 1. & 2. Et probatur primò: Tria sũt, quæ possunt rectificari ab homine, & quæ subdũtur potestati humanæ, scilicet, res, operationes, & passiones: sed per res, & operationes dicit homo ordinẽ ad alterũ, per passiones verò disponitur immediatè in seipso: ergo iustitia, quæ secũdũ suã speciẽ habet respicere, & dicere ordinẽ ad alterũ, nõ versatur circa passiones, tã quã circa propriã materiã: sed circa res & operationes. Et cõfirmatur: Hoc est discriminis inter iustitiã, & alias virtutes morales appetitus sensitiui, quod iustitia disponit hominẽ in ordine ad alterum: temperantia autẽ & fortitudo disponunt eundem hominem in seipso, vt ex supra dictis patet: ergo sola

Iustitia versatur circa operationes & non circa passiones

sola iustitia habebit versari circa operationes, & res, quibus homo ordinatur ad alterum: aliæ autem virtutes versabuntur circa passiones, quibus disponitur ad seipsum. Secundo: Temperantia tollit omnia impedimenta appetitus concupiscibilis, siue sint impedimenta iustitiæ, siue fortitudinis, siue liberalitatis, aut cuiuscunq; alterius virtutis: ergo superfluũ erit constituere in eodem appetitu concupiscibili iustitiã ad remouenda ea impedimenta, quæ sibi ex hac parte possunt prouenire. Consequentia est noua; & antecedens probatur: Nam officium temperantiæ est comprimere omnes passiones appetitus concupiscibilis, quomodolibet sint impedimenta respectu cuiuscunque virtutis. Tertiò: Si esset cõstituenda iustitia in appetitu sensitiuo ad compescendas passiones, & remouenda impedimenta, quæ possũt illam perturbare à suis operationibus, sequeretur, quòd eodem modo esset constituenda alia fortitudo in appetitu concupiscibili ad compescendas passiones, & remouenda ea impedimenta, quæ possunt illam retardare, ne exerceat suas operationes; & simili modo esset constituenda alia temperantia in appetitu irascibili ad remouendas passiones perturbantes actum temperãtiæ: consequens autem est falsum, quia sic confunderetur omnis ordo virtutum moralium, & illarum obiectorum: ergo, & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nã non est maior ratio vnius, quàm alterius. Item constituere medium inter passiones appetitus sensitiui secundum regulas prudentiæ, est constituere medium rationis: sed medium iustitiæ est medium rei, vt dicemus articulo sequenti: ergo iustitia non uersatur circa passiones, tanquam circa propriam materiam. Et confirmatur: Medium iustitiæ constituitur inter plus mihi, & minus tibi: medium autem aliarum virtutum moralium constituitur inter plus mihi, & minus mihi: ergo iustitia non versatur circa affectus & passiones, quibus homo disponitur ad seipsum; sed circa operationes, quibus disponitur ad alterum. Vltimo: Medium iustitiæ est constitutum ex natura rei, & non à prudentia: si enim debeo centum alicui, medium ad seruandam iustitiam ex natura rei, erit totidem reddere: medium autem in alijs virtutibus non est constitutum ex natura rei: sed à sola ratione & prudentia præscribitur: in temperantia enim medium temperatum Milonis erat bos, vt dicit Arist. qui tamen non erat mediũ Socratis: ergo sola iustitia versatur circa operationes. Ex dictis infertur iustitiã non esse constituendam in appetitu sensitiuo, sed in appetitu intellectiuo. Cũ enim iustitia nõ versetur circa passiones, tanquã circa propriam materiam, quamuis illas respiciat tanquam effectus, & quasi finem ipsius; quod est commune omni virtuti, vt diximus in primo notabili, manifestè sequitur, eam non in appetitu sensitiuo, sed in intellectiuo esse constituendam. Vnaquæque enim virtus constituitur in illa potentia, cuius actum rectificat. Sed restat, vt respõdeamus ad argumenta in principio facta.

Iustitia nõ est cõstituẽda in appetitu sensitiuo

Ad. 1. arg.

¶Ad primum respondetur, quòd iustitia tollit impedimenta sibi intrinseca immediatè per seipsam; reliqua verò impedimenta extrinseca orta in appetitu sensitiuo tollit per alias virtutes sibi comites, & auxiliares, vt diximus in tertio notabili. ¶Ad secũdum argumentum respondetur cõcessa maiori distinguendo minorem. Nam illæ passiones, quibus homo alterum lædit, quales sunt, turpis cupiditas alienæ vxoris; & ira, qua quis homicidium intendit, possunt dupliciter considerari. Vno modo secundum se. Et secundum istam rationem non prosunt nec nocent proximo, sed operãti. Ex quo fit, vt secundum istam rationem nõ ad iustitiam, sed ad illas virtutes, quarũ est disponere operantem in ordine ad seipsum pertineant. Alio modo possunt considerari quatenus coniunguntur externis operationibus. Et secundum istam rationem bene possunt proximo nocere; & ex consequenti etiam aliquo modo ad iustitiam pertinere, non quidem, in quantum sunt passiones ipsum operans deordinantes; sed in quantum sunt principia eius operationis, qua proximus lædit. Vnde etiam in illis proprie loquendo non dicetur iustitia versari circa passiones, sed circa operationes. ¶Ad tertium argumentum respondetur, concesso antecedẽti, negãdo consequentiã. Nã nõ est eadẽ ratio de misericordia, & de iustitia. Misericordia enim, quia nõ solũ respicit bonũ alienũ, sed etiã bonũ propriũ ipsius habentis (quatenus enim leuat alienã miseriã respicit bonũ alienũ, & quatenꝰ moderatur cõpassionem habentis respicit bonum propriũ) idcircò per se & directè non solũ versatur circa operationes, sed etiã circa passiones. Et ex cõsequenti etiam exposcit duos habitus: vnum in voluntate inclinantem ad subueniẽdũ necessitatem patientis: & alterum in appetitu sensitiuo ad moderandam compassionem. Est enim misericordia nihil aliud, quàm compassio, & tristitia de malo alieno, ratione regulata. Et idẽ est dicendũ

Ad. 2. argumentũ.

Ad. 3. argumentum.

Misericordia versatur tam circa operationes quã circa passiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

de liberalitate. At verò iustitia, quia solum respicit bonum alienum, & nullo modo bonum operantis, hinc fit, vt tantùm in voluntate sit constituenda. Ad confirmationem respondetur; quòd iustitia; quia est in voluntate, & ad voluntatem pertinet mouere, & applicare reliquas potentias ad operandum; hinc est, quòd etiã ipsa iustitia per quãdam redundantiam dicatur diffundi ad reliquas animæ partes, atque potẽtias. Et hoc est quod D. Aug. atque glossa in locis citatis voluerunt significare. Cum hoc tamen stat, quod per se atq; directè solùm versetur iustitia circa operationes ad modum iam explicatũ. Hæc solutio colligitur ex D. Tho. articulo præcedenti ad primũ argumentũ. Ad vltimum argumentum respondetur, cõcesso antecedenti, negando consequentiã. Quidnuis enim strenue pugnare, & comedere atque bibere moderatè, quando & vbi oportet sint operationes exteriores pertinentes ad fortitudinem, & ad temperantiã, nihilominus tamen, quia moderatis passionibus appetitus irascibilis & concupiscibilis, nulla est difficultas in huiusmodi operationibus exercendis; hinc fit, vt istæ virtutes non circa illas, sed tantùm circa passiones, tanquã circa propriam materiam dicantur versari. Et hæc dicta sufficiãt de toto isto articulo.

Ad confirmationem ex Augus.

ARTICVLVS. X.

Vtrum medium iustitiæ sit medium rei.

1.2.q.64. ar.2.&3. di.33.q.1. ar.3.q.2. &4.di.15 q.1.a.1.q. 2. & vir. q.1.ar.13. ad.7. 12. 13.&17.

AD DECIMVM sic proceditur. Videtur quòd medium iustitiæ non sit medium rei. Ratio enim generis saluatur in omnibus speciebus. Sed virtus moralis in secundo * Ethic. diffinitur esse habitus electiuus in mediocritate existẽs determinata ratione quo ad nos: ergo & in iustitia est mediũ rationis, non rei.

Lib.2.c.6. tom.5.

2 Præterea, In his, quæ simpliciter sunt bona non est accipere superfluum & diminutum, & per consequens nec medium: sicut patet de virtutibus, vt dicitur in secundo * Ethicorum. Sed iustitia est circa simpliciter bona, vt dicitur in quinto * Ethicorum: ergo in iustitia non est medium rei.

Lib.2.c.6. non procul à fine, to.5. Lib.5.cap. 1. parum ante med.

3 ¶Præterea, In alijs virtutibus ideo dicitur esse mediũ rationis & nõ rei, quia diuersimode accipitur per cõparationem ad diuersas personas: quia q vni est multũ, alteri est parum, vt dicitur in secundo * Ethic. sed hoc etiã obseruatur in iustitia. Non enim eadẽ pœna punitur qui percutit principem, & qui percutit priuatam personam: ergo etiam iustitia non habet medium rei, sed medium rationis.

Lib.2.c.6. tom.5.

¶SED CONTRA est quod Philosophus in secundo * Ethic. assignat medium iustitiæ secundũ proportionalitatẽ Arithmeticam: quod est medium rei.

Lib.2.c.6. tom.5.

¶RESPONDEO, dicendũ, quòd sicut suprà * dictum est, aliæ virtutes morales principaliter consistunt circa passiones; quarum rectificatio non attenditur nisi secundum comparationẽ ad ipsum hominem, cuius sunt passiones: secundum, scilicet, quòd irascitur & concupiscit prout debet: secundum diuersas circunstantias. Et ideo medium talium virtutum non accipitur secundum proportionẽ vnius rei ad alterã, sed solũ secundum comparationẽ ad ipsum virtuosum. Et propter hoc in ipsis est medium solum secundum rationem, quo ad nos. Sed materia iustitiæ est exterior operatio, secundum quod ipsa vel res, cuius est vsus, debitam proportionem habet ad aliam personam. Et ideo medium iustitiæ consistit in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad personam exteriorem. AEquale autem est realiter medium inter maius & minꝰ, vt dicitur * in decimo Metaph. vnde iustitia habet medium rei.

Ar.praced. &.1.2.q. 59.art.4. &q.60. art.2.

Lib.10.tex. 18.&19. tom.3.

¶AD PRIMVM ergo dicendũ, quod hoc medium rei est etiam medium rationis: & ideo in iustitia saluatur ratio virtutis moralis.

¶Ad secundũ dicendũ, quòd bonũ simpliciter, dicitur vno modo, quod est omnibꝰ modis bonũ: sicut virtutes sũt bonæ. Et sic in his, quæ sũt bona simpliciter, non est accipere mediũ & extrema. Alio modo dicit aliquid simpliciter bonũ: quia est absolute bonũ, scilicet, secundum suam naturam consideratum: quamuis per abusum possit fieri malũ: sicut patet de diuitijs & honoribus. Et in talibꝰ potest accipi superfluũ diminutũ & mediũ, quãtũ ad homines qui possunt eis vti vel bene, vel male. Et sic circa simpliciter bona dicitur esse iustitia.

¶Ad tertium dicendum, quòd iniuria illata aliam proportionem habet ad principem, & aliam ad personam priuatam. Et ideo oportet aliter adæquare vtrãque iniuriam per vindictam: quod pertinet ad diuersitatem rei, & non solum ad diuersitatem rationis.

SVMMA TEXTVS

AD hanc difficultatem respondit D. Thom. duabus propositionibus. Prima conclusio: Medium aliarum virtutum à iustitia, est medium rationis. Probatur: Medium temperantiæ, & fortitudinis non sumitur per comparationẽ ad alterũ, sed secundum proportionem ad illum, qui studiosè agit, & operatur secundum virtutem: medium enim fortitudinis & temperantiæ sumitur inter passiones ipsius agentis, quatenus, scilicet, agens irascitur & concupiscit: quantùm debet, secundum circunstantias: ergo medium in his virtutibus necessario debet esse medium rationis. Secũda conclusio. Medium iustitiæ est medium rei. Probatur: Medium iustitiæ sumitur per comparationem rerum inter sese & per comparationem ad alterum, ad quem quis vtitur iustitia: sed ista comparatio, & æqualitas est in rebus: ergo medium iustitiæ est medium rei.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Mediũ virtutis duplex vnũ rei alterum rationis.

CONclusiones huius articuli sunt desumptæ ex Arist. lib.2. Ethi. c.6. & li.5. Ethi. c.3. &.4. Pro quarum intelligentia est aduertendum primò; quòd medium in virtutibus est duplex; vnum rei; alterum rationis. Medium rei consistit in æqualitate rerũ inter duas personas distinctas. Mediũ autẽ rationis est, quod constituit ratio, attẽta natura, & qualitate operãtis. Ponit autẽ Arist. lib.2. Ethic. c.6. duplicem differentiam inter medium rei, & medium rationis, quod ipse appellat mediũ ad nos. Prima est, quod mediũ rei sumitur secũdũ æque distantiã ab extremis: vt si extrema ponantur duo & decẽ medium erit sex. At verò medium rationis sumitur in ordine ad nos. Vnde tale dicetur, quod respectu nostri nec excedit, nec deficit. Secunda differentia est, quòd mediũ rei est idẽ apud omnes: sex enim apud omnes æquè distant à duobus, & decem. At verò medium rationis non est idem apud omnes, sed diuersum. Nam comedere bouẽ Giganti est medium; quia nec plus, nec minus debito; & tamẽ respectu alterius hominis particularis, hoc nõ erit medium, sed excessus. Ex his differentijs sequitur alia: & est, quòd medium rei semper requirit extrema determinata; aliàs nõ poterit sumi sua æquè distantia ab extremis. At verò mediũ rationis non requirit huiusmodi extremorum determinationem, cùm non sumatur ex aliqua determinata distantia ab eis: sed sufficit, quòd respectu nostri sit in determinata, & certa proportione. Est enim mediũ rationis illud, quod nobis est debitè cõmensuratum, & proportionatum, secundũ exigentiam omnium circunstantiarum nostræ dispositionis. Et quòd ab hac commensuratione & determinata proportione deficit, vel excedit, quantumcunque deficiat, vel excedat, etiam si in infinitum crescat: omne, in quam, tale habet rationem extremi. Dicit ergo D. Tho. in hoc articulo, quòd mediũ omnium aliarum virtutum moraliũ est medium rationis: medium autem iustitiæ est medium rei.

Mediũ iustitiæ quare dicatur rei & non rationis.

¶Secundo est aduertendum, quòd mediũ iustitiæ dicitur rei, & non rationis: nõ quia ratio non approbet istud medium iustitiæ: quin potius ipsa ratio docet æqualitatem in rebus esse seruandam. Sed dicitur mediũ rei & non rationis; quia est in rebus ipsis constitutum: nec diffinitur à ratione; quamuis approbetur ab illa. Dupliciter enim aliquod potest dici medium rationis. Vno modo; quia est præscriptum à ratione. Et in hoc sensu non solum medium cuiuscũque virtutis moralis; sed etiam medium iustitiæ appellatur mediũ rationis. Ratio enim est, quæ illud præscribit, atq; dictat. Ad quẽ sensum dixit Arist. lib.2. Ethi. c.6. in diffinitione virtutis, q virtus est habitus electiuus in mediocritate cõsistẽs determinata ratione; prout sapiẽs diffinit. Altero modo dicitur mediũ rationis illud, quod ratio terminat, atque mẽsurat in se ipsa. Et in hoc sensu mediũ iustitiæ nõ est mediũ rationis. Quia enim iustitia intrinsecè est ad alterũ, idcircò mẽsura & terminus actionis iustitiæ, & medij ipsius nõ potest esse ratio agẽtis, & operantis; sed ille alter, cũ quo quis negotiatur, & agit. Mẽsura quidẽ, & regula, secundũ quã cõmensurãtur & iustificãtur actiones virtutũ moraliũ; quibꝰ homo rectè disponitur, ad se ipsũ bene potest esse ratio ipsius agẽtis & operãtis. Cæterũ in iustitia; quia est ad alterũ terminus & mẽsura, secũdũ quã mẽsurãtur, & rectificãtur eius actiones, nõ potest esse ratio ipsius agẽtis; sed ille alter, ad quẽ dirigitur, & cũ quo negociatur. Propterea q; mediũ iustitiæ appellatur mediũ rei, & nõ medium

Universidad de Deusto
Biblioteca

diū rationis: & item quia in medio iustitiæ ratio pẽdet ex natura rei, & non natura rei ex ratione cõstituẽte; sed approbãte, vt diximus, idcircò mediū iustitiæ est certū & firmū, nec potest ratio aliud constituere. Cum tamẽ in alijs virtutibus nõ sit certū & diffinitum medium ex natura rei,; sed illud ratio constituat. Verbi gratia, temperantia cõsistit in mediocritate passionum, vt, scilicet, nõ plus minusue quis suscipiat, quàm oportet, hoc tamen plus, & minus non sumitur ex ipsa natura rerum, scilicet, libram omnes sumant, aut tali certa hora; sed prout expedit vniuscuiusque valetudini, pro loco & tẽpore. Quare quod parcissimo Diogeni multum erat, voraci Miloni, qui vt est in fabulis integrum edebat bouem erat paruũ. Medium autem iustitiæ, quia consistit in rerũ æqualitate ad alterum, non ex illa rationis consideratione; sed ex ipsa rerum natura sumitur. Vnde si quis emat domum, aut alienas operas conducat pretium rebus ipsis debet æquari; sicut duæ quantitates natura sua sunt æquales.

Argumentum. ¶ Sed contra hoc est argumentum: In alijs virtutibus à iustitia ex natura rei inuenitur medium. In materia enim temperantiæ inuenitur aliquid, quod est licitum, & aliquid quod est illicitum, non considerando personas, sed re. Nam si quæratur, an sit licitum adulterari, dicimus, quod non, nulla facta comparatione ad personas: ergo falsum est, quod in alijs virtutibus à iustitia mediũ non est rei, sed rationis.

1. respondetur. ¶ Ad hoc argumentum respodetur primò, quòd, licèt in materia temperantiæ & fortitudinis, aliquando sit medium determinatũ ex natura rei; non tamen semper, sed quasi semper pendet ex ratione & ex circunstantijs: & tamen in materia iustitiæ semper est determinatum.

2. respondetur. Et hoc voluit dicere D. Thom. Vel secundo respondetur, quod medium in alijs virtutibus à iustitia semper respicit circunstantias personarum: & ex consequenti etiam mensuratur ratione. Et ad argumentum dico, quòd in illo medio, fornicari, vel adulterari includuntur etiam circunstantiæ personarum, scilicet, quod est accessus ad non suã & propterea est actus illicitus. De hac re videndi sunt D. Thom. & Caietanus. 1.2. q. 64. art. 2. De qua etiam nos dicemus infra. q. 61. cum ostenderimus, hoc medium rei aliter constitui in iustitia commutatiua, & aliter in iustitia distributiua, & quòd est proprium iustitiæ particularis respicere medium rei. Nam generalis non solum circa hoc versatur, sed etiam diffunditur ad omnes virtutum materias, referendo illas in bonum commune, vt dictum est.

Qualiter est intelligẽdũ quod virtutes morales consistunt in medio.

¶ Vltimò circa istum articulum est aduertendum, quod quando communiter dicitur virtutes morales consistere in medio, & habere extrema vitiosa, hoc non est intelligẽdum, vt iacet. Est enim impossibile, quòd actio virtutis, vt sic, consistat in medio, & habeat extrema vitiosa. Et ratio est: Quia cum actio virtutis, vt sic, sit intrinsecè, & essentialiter bona; non potest fieri, vt consistat in medio, & habeat extrema vitiosa. Sed significatur his verbis quædam differentia, quæ solet assignari inter virtutes morales ex vna parte, & Theologicas ex alia. Et differentia est, quod virtutes morales suscipiũt medium; Theologicæ verò non. Quod est intelligendum ex parte materiæ circa quã versantur. Quia enim obiectum, circa quod versantur virtutes Theologicæ, est Deus in seipso, idcircò ex parte huius obiecti virtutes Theologicæ non possunt suscipere medium, nec habere extrema vitiosa. At verò virtutes morales, quia versantur circa res creatas, idcircò ex parte huius materiæ, circa quã versantur, suscipiunt medium, & possunt habere extrema vitiosa. De quo etiam nos diximus supra, quæst. 17. artic. 5. circa finem.

ARTICVLVS XI.

Vtrum actus iustitiæ sit reddere vnicuique quod suum est.

AD VNDECIMVM sic proceditur. Videtur q̃ actus iustitiæ nõ sit reddere vnicuique quod suum est. Augustin. enim. 14. de Trin.* attribuit iustitiæ subuenire miseris. Sed in subueniendo miseris non tribuimus eis quæ sunt eorum, sed magis quæ sunt nostra: ergo iustitiæ actus non est tribuere vnicuique quod suum est. *In. q. 66. ar. 3. & 5. cor. & 1. par. q. 21. ar. 1. cor. & 2. di. 27. ar. 3. cor. & ad. 3.*

2 ¶ Præterea, Tullius in lib. de Offic.* dicit, quòd beneficentia, quam benignitatem vel liberalitatem appellare licet, ad iustitiam pertinet. Sed liberalitatis est de proprio dare alicui, non de eo quod est eius: ergo iustitiæ actus nõ est reddere vnicuique quod suum est. *Lib. 14. ca. 9. circa. fi. tom. 3.*

3 ¶ Præterea, Ad iustitiam pertinet, nõ solum res dispensare debito modo, sed etiam iniurioſas actiones prohibere, putà, homicidia, adulteria, & alia huiusmodi. Sed reddere quod suum est videtur solum ad dispensationem rerum pertinere. Ergo non sufficienter per hoc notificatur actus iustitiæ, quòd dicitur, actus eius est reddere vnicuique quod suum est. *Lib. 1. inc. de iustitia circa. prin.*

¶ Sed Contra est, quòd Ambros. * dicit in primo de Offi. Iustitia est quæ vnicuique quod suum est tribuit, alienũ non vendicat, vtilitatem propriã negligit, vt cõmunẽ æquitatẽ custodiat. *Lib. 1. cap. 24. circa fi. tom. 1.*

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut dictũ * est, materia iustitiæ est operatio exterior: secundum quod ipsa vel res, qua per eam vtimur, proportionatur alteri personæ, ad quam per iustitiã ordinamur. Hoc autem dicitur esse suũ vnicuique personæ, quod ei secundum proportionis æqualitatem debetur. Et ideo proprius actus iustitiæ nihil aliud est, quàm reddere vnicuique quod suum est. *Art. 9. & 10. huius quæst.*

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd iustitiæ, cum sit virtus cardinalis, quædam aliæ virtutes secundariæ adiũguntur: sicut misericordia, liberalitas, & aliæ huiusmodi virtutes, vt infrà * patebit. Et ideo subuenire miseris, quod pertinet ad misericordiam, siue ad pietatem, & liberaliter benefacere quod pertinet ad liberalitatem, per quandam reductionem attribuitur iustitiæ, sicut principali virtuti. Et per hoc patet responsio ad secundum. *Quæst. 80. art. 1.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Philosophus * dicit in 5. Ethic. Omne superfluum in his, quæ ad iustitiam pertinent, lucrum extenso nomine vocatur: sicut & omne quod minus est, vocatur damnum. Et hoc ideò, quia iustitia prius est exercita & communis exercitatur in voluntarijs commutationibus rerum, putà emptione & venditione, in quibus propriè hæc nomina dicuntur. Et exinde deriuantur hęc nomina ad omnia, circa quæ potest esse iustitia. Et eadem ratio est de hoc, quod est reddere vnicuique quod suum est. *Lib. 5. cap. 4. tom. 5.*

Summa Textvs.

AD hanc difficultatem respondit D. Thom. vnica cõclusione affirmatiua.

Et probatur: Materia, circa quam versatur iustitia, est operatio exterior, secundũ quòd ipsa, vel res, qua per eam vtimur, proportionatur illi personæ, ad quam per iustitiam ordinamur: sed hoc est ius suum vnicuique reddere; ergo proprius actus iustitiæ est, reddere vnicuique quod suum est.

Explicatio Articvli.

Conclusio D. Tho. intelligit tã de iustitia legali quã particulari

CIrca istum articulum est aduertendũ, quòd in eo loquitur D. Thom. tam de iustitia legali, quàm particulari; cum enim vtraque sit perfectè iustitia, vt ex superioribus constat, ad vtramque propriè pertinebit, ius suum vnicuique tribuere. Et si quis argumentetur: Si actus iustitiæ legalis esset reddere vnicuique quod suum est, sequeretur, quod qui eam transgrederetur, obligaretur ad restitutionem: consequens autem est falsum: tum, quia ciuis non adiuuans rempublicam in necessitate, & similiter qui non pugnat pro bono reipublicæ, cùm debet, peccat contra iustitiam legalẽ: & tamen certum est, quòd transacta illa necessitate, nihil tenetur restituere reipublicæ: &, item qui non dat superflua pauperibus, peccat contra iustitiam legalem, vt dicit D. Thom. infrà. q. 118. art. 4. ad. 2. & tamen non tenetur deinde restituere, vt diximus in materia de eleemosyna: ergo & illud, ex quo sequitur. Respondetur, negando sequelam. Ad hoc enim, vt aliqua sit perfecta iustitia, non est necessarium, quòd eius trãsgressio obliget ad restitutionem. Iustitia enim legalis est verè & propriè iustitia, vt diximus supra: & tamen qui illam trãsgreditur nihil tenetur restituere, nisi simul etiã violet iustitiam particularem. Et ratio est: Quia cum illud, quod per solam iustitiam legalem debetur reipublicæ, aut pauperibus nulli illorum sit appropriatum: sed verè est eius, qui illud possidet, fit, vt si non det, quamuis peccet mortaliter, tamen non teneatur ad restitutionem. Et si fiat instantia: Iudex potest compellere talem ciuem ad defendendum bonum commune ex iustitia: ergo si non defendat tenetur ad restitutionem; respondetur concesso antecedẽti, negando consequentiam. Potest enim quisque compelli à iudice, vt præstet officium, quod debet ex iustitia legali: sicut quod succurrat pauperi grauiter laboranti, si habet bona superflua; non tamen ideò manet obligatus ad restitutionem, si non faciat, licet peccet mortaliter. Hoc dixerim contra Magistrum Nauarro; qui in tractatu de redditibus Ecclesiasticis, tenet clericos teneri ad eleemosynas ex superfluo sub pœna restitutionis. Et ad id inducitur ex eo, quòd si nõ facerent possent à iudice compelli. Cùm tamen hæc consequentia nullã habeat vim, & patiatur quã plurimas instantias. In multis

Ad hoc vt aliqua sit perfecta iustitia nõ est necessariũ vt obliget ad restitutionem.

Impugnatur Naua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis enim datur actio filijs contra parentes, quos iudex potest compellere ad præbendum alimenta filiis coniugatis. Et tamen certum est, quod si ante sententiam nõ præbeant non tenentur ad restitutionem. Et similе est de clerico non dante eleemosynã, vt docet rectè Caietanus. 2. 2. quæst. 118. artic. 4. ad. 2. Est ergo proprius actus cuiuscunque iustitiæ siue particularis, siue legalis ius suum vnicuique tribuere, vt dicit D. Thom. in hoc articulo. Si enim obiectũ iustitiæ est constituere medium in rebus, quo æqualitas inter homines constet; & æqualitas est idem, quod iustum, iustum autem vt supra diximus est idé prorsus, quod ius; manifestè sequitur propriũ actũ iustitiæ esse ius suum vnicuiq; tribuere, vt iurisc5sultus in diffinitione superius posita affirmauit, cui & consonat D. Ambros. lib. 1. de Offic. dicens: Iustitia est, quæ vnicuique quod suum est tribuit, alienum non vendicat, vti litatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat. In hoc autem, quod dicitur ius suum vnicuique tribuere etiam includitur hoc, quod est neminem lædere, quod & Ambrosius explicuit dum dixit; alienum non vendicare. Iustitia namque licet prius conueniat commutationibus voluntarijs, in quibus vterque contrahentium alteri tribuit, deriuatur tamen ab inuoluntaria, quibus alter ab altero inuito, quippiam aufert, quod est lædere.

Proprius actus cuiuscunq; iustitiæ est ius suum vnicuique tribuere.

D. Ambro.

ARTICVLVS XII.

¶ Vtrùm iustitia præmineat inter omnes virtutes morales.

Annot. Inf. q. 123. art. 12. Et q. 141. art. 8. Et. 12. q 66. ar. 4. & 3. dist. 35 q. 1. ar. 3. q. 1. cor.

AD DVODECIMVM sic proceditur. Videtur, quòd iustitia non præmineat inter omnes virtutes morales. Ad iustitiã enim pertinet reddere alteri quod suum est. Ad liberalitatem autẽ pertinet de proprio dare, quod virtuosius est. Ergo liberalitas est maior virtus, quam iustitia.

2 ¶ Præterea, Nihil ornatur nisi per aliquid dignius se. Sed magnanimitas est ornamẽtum & iustitiæ & omniũ virtutum: vt dicitur * in. 4. Eth. Ergo magnanimitas est nobilior quàm iustitia.

Lib. 4. c. 3. ante med. tom. 5.

3 ¶ Præterea, Virtus est circa difficile & bonum, vt dicitur * in. 2. Ethi. Sed fortitudo est magis circa difficilia, quam iustitia, ideſt, circa pericula mortis, vt dicitur * in. 3. Eth Ergo fortitudo est nobilior iustitia.

Lib. 2. c. 3. circa finem tom. 5.

Lib. 3. c. 1. & 2. simul tom. 5.

¶ SED CONTRA est, q Tullius dicit * in 1. de Offic. In iustitia virtutis splẽdor est maximꝰ, ex qua boni viri nominãtur

Lib. 1. in c. de iustitia, circa princ.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd si loquamur de iustitia legali, manifestũ est quod ipsa est præclarior inter omnes virtutes morales, in quantum bonum cõmune præeminet bono singulari vnius personæ. Et secundum hoc Philosop. in 5. Ethi. * dicit, quòd præclarissima virtutum videtur esse iustitia, & neq; est Hesperus, neq; Lucifer ita admirabilis. Sed etiam si loquamur de iustitia particulari, præcellit inter alias virtutes morales, duplici ratione. Quarum prima potest sumi ex parte subiecti, quia scilicet est in nobiliori parte animæ, ideſt, in appetitu rationali, scilicet in voluntate, alijs virtutibus moralibus existentibus in appetitu sensitiuo, ad quẽ pertinẽt passiones, quæ sunt materia aliarum virtutũ moralium. Secunda ratio sumitur ex parte obiecti. Nam aliæ virtutes laudantur solum secũdum bonum ipsius virtuosi. Iustitia autem laudatur, secundum quod virtuosus ad alium bene se habet. Et sic iustitia quodammodo est bonum alterius, vt dicitur * in quinto Ethicorum. Et propter hoc Philosoph. dicit in. 1. * Rhet. Necesse est maximas virtutes esse eas, quæ sunt alijs honestissimæ: siquidem est virtus potentia benefactiua. Propter hoc & fortes & iustos maximè honorant, quoniam fortitudo est vtilis in bello, iustitia autem in bello & in pace.

Lib. 5. c. 1. aliquantulum ante fi. tom. 5.

Lib. 5. c. 1. aliquantulum ante fi. tom. 5.

Lib. 1. Rhe. c. 9. paulo à princ. tom. 6.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd liberalitas etsi de suo det: tamen hoc facit, in quantum in hoc considerat propriæ virtutis bonum. Iustitia autem dat alteri quod suum est, quasi considerans bonum commune. Et propterea iustitia obseruatur ad omnes: liberalitas autem ad omnes se extendere non potest. Et iterum liberalitas, quæ de suo dat, supra iustitiam fundatur, per quam vnicuique quod suum est tribuitur.

¶ Ad secũdum dicendũ, q magnanimitas quãdo supervenit iustitiæ, auget eius

eius bonitatem: quæ tamen sine iustitia nec virtutis rationem haberet.

¶ Ad tertium dicendum, quòd fortitudo etsi consistat circa difficiliora, nõ tamen est circa meliora cum sit solum in bello vtilis: iustitia autem & in pace

In corp. ar. & in bello, sicut dictum * est.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd Iustitia est duplex, vna communis, seu legalis altera particularis, respondet D. Tho. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Iustitia legalis est nobilior cæteris virtutibus moralibus. Probatur: Iustitia legalis respicit bonum commune, & aliæ virtutes morales respiciunt bonum particulare: ergo Iustitia legalis præstat cæteris virtutibus moralibus. Probo consequentiam: Nam bonum commune multò præstantius est bono particulari, & propterea dixit Aristotel. libro quinto Ethicorum, cap. 1. de Iustitia legali, quod nec Hesperus, nec Lucifer est ità admirabilis. Secunda conclusio: Etiam Iustitia particularis præstat cæteris virtutibus moralibus. Probatur primò: Nam Iustitia particularis subiectatur in voluntate, & aliæ virtutes morales subiectantur in appetitu sensitiuo. Certum est autem, quòd voluntas multò excellẽtior est appetitu sensitiuo. Secũdò: Quia iustitia non solũ respicit bonum proprium, sed etiam bonum alterius: cùm tamen cæteræ virtutes morales solùm respiciant bonum ipsius operantis: & sic Iustitia videtur esse præstantior.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quæstio de comparatione virtutum sæpe petita à D. Tho.

CIrca istum articulum est aduertendum primò, quòd de comparatione virtutũ moralium inter seſe, & de comparatione illarum ad alias virtutes siue intellectuales, siue theologicas, agit ex professo D. Thom. 1. 2. q. 66. per totam. Deinde in hac secunda secundæ, decies inquirit de quibusdam virtutibus in particulari, an sint omnium maximè. Nam de misericordia id quærit supra quæst. 30. art. 4. & de iustitia in isto articulo, & de religione quæst. 81. art. 6. & de obedientia. q. 104. art. 3. & de liberalitate quæst. 117. art. 6. & de fortitudine quæst. 123. art. 12. & de patientia quæst. 136. art. 2. & de temperantia quæst. 141. art. 8. & de virginitate quæst. 152. art. 5. & de humilitate quæst. 161. art. 5. Et omnibus illis concedit quandam eminentiam supra cæteras quantum ad aliquid. Ex quo fit, vt eo modo, quo Ecclesia canit de quocunque confessore pontifice, quod non est inuentus similis illi, ità etiam & nos dicere possimus de singulis virtutibus, quod non est inuenta similis illi. Sed in præsenti non agitur de illa particulari excellentia, quam vnaquæque virtus in suo genere super alias habet, sed tantum inquirimus, quænam illarum simpliciter & absolutè dicenda sit cæteris præstantior.

¶ Secundo est aduertendũ, quod in præsenti non comparat D. Tho. Iustitiam cum virtutibus Theologicis, quas certũ est esse longè præstãtiores quibuscunque virtutibus moralibus, vt diximus supra quæst. 25. art. 6. Sed nec comparat illam cum virtutibus intellectualibus, nec cum prudentia, quanuis sit virtus moralis, tum, quia de hoc agit 1. 2. quæst. 66. tum etiam, quia certum est prudentiam præstantiorem esse quacunque Iustitia, vt docet D. Thom. in hac 2. 2. q. 125. art. 12. Vbi dicit, quod prudentia ideò præstat cæteris virtutibus, quia est earum moderatrix, regula, & forma, sicut charitas virtutum infusarum: sed cõparat Iustitiam cum virtutibus moralibus, quæ in appetitu sensitiuo subiectantur: vt ex rationibus illius colligere licet. Cæterũ vt quid in hac re dicendum sit, clarius innotescat operæ pretium duximus in præsenti non solum comparare Iustitiam ad virtutes morales in appetitu sensitiuo subiectatas, sed etiam ad omnes alias, quæ subiectantur in voluntate, vt religio, atque adeo ad omnes illas, quæ recipiuntur in intellectu, propterea quæ appellãtur intellectuales virtutes. Vnde sit vniuersalis quæstio, vtrùm iustitia, siue generalis, siue particularis, sit nobilior cæteris virtutibus humanis, eã intellectiuis, quam moralibus (theologicis dumtaxat virtutibus exceptis). In qua re quot capita tot sententiæ. Quidam enim dicunt, quòd non solum iustitia, sed etiam omnes aliæ virtutes morales præstant intellectualibus. Alij verò, quòd intellectuales sint eminentiores, iustitia tamẽ legalis est præstantior quibuscunque virtutibus moralibus, tam in appetitu sensitiuo, quam in voluntate existentibus. Tandẽ alij dicunt, quòd quanuis iustitia legalis sit præstantior illis virtutibus moralibus, quæ sunt in appetitu sensitiuo, non tamen præstat omnibus illis, quæ subiectantur in voluntate; quales sunt religio, pietas, & misericordia. Quorũ autorũ fundamenta postea à nobis proponentur, cum quid circa vnam quamque rem sit dicendum, aliquibus propositionibus explicuerimus.

Virtutes Theologicæ sunt præstãtiores quibuscunque moralibus.

Quæstio vniuersalis de comparatione virtutũ humanarum inter se.

Diuersitas opinionũ.

¶ Prima conclusio: Virtutes intellectuales simpliciter sunt præstantiores quibuscun-

Prima conclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cunque virtutibus moralibus. Hanc conclusionem ponit D. Thom. 1.2. quæst.66. art.3. Et est aduertendum, quòd in ea tantum fit comparatio virtutum intellectualium ad morales acquisitas in appetitu existentes, siue ille appetitus sit rationalis, siue sensitiuus. Nam prudentia, quæ simul est virtus moralis, & intellectualis non solum excedit virtutes morales, sed & alias intellectuales, vt docet D. Thom. 2.2. quæst. 47. artic. 4. Et probatur nostra conclusio, primo ex ratione subiecti: Nam virtutes intellectuales collocantur in intellectu & morales in appetitu; intellectus autem præstantior est voluntate: tum, quia intellectus est rationalis per essentiam, voluntas verò per participationem, vt dicit Arist. 1. Ethic. cap. vltimo: tum etiam, quia perfectio voluntatis in hoc consistit, vt intellectui, & rationi obtemperet. Secundo idem probatur: Nam virtutes accipiunt speciem, & potissimam suam nobilitatem ex obiecto: sed obiectum virtutū intellectualiū ex genere suo est præstantius obiecto virtutū moraliū: obiectū enim virtutū intellectualiū est verū, quod sanè est magis purū & denudatū à materia, quàm bonum, quod est obiectum virtutum moralium; nam voluntas, cuius est respicere bonum, fertur ad res prout sunt in se ipsis: & certum est, quod existentia rerum est conditio materialis, & ipsius indiuidui: ergo virtutes intellectuales ex parte obiecti, atque ex consequenti simpliciter sunt nobiliores virtutibus moralibus. Non negamus, quin intellectus singularia etiam & rerum existentias cognoscere possit. Nec etiā negamus, quin vice versa voluntas possit quoque appetere bonum in communi. Sed in hoc constituimus differentiam inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus cū sit potentia apprehensiua, & iudicatiua in hoc perficitur, quod est verum cognoscere: quamuis ipsum verum non existat in rerū natura. At vero appetitus, quia fertur in obiectum, nihil appetit, nisi, vt illo existenti in rerum natura fruatur, illudque possideat. Et sic obiectum intellectus simpliciter est abstractius & nobilius, quàm obiectum voluntatis. Tertio probatur conclusio: Fœlicitas & beatitudo hominis constituitur ab Arist. lib. 10. Ethic. cap. 6. 7. & 10. in operationibus virtutum intellectualiū, non solum, quia sunt in nobiliori potētia, & de meliori obiecto; sed etiam, quia sunt magis diuturnæ, & continuæ, & necessariæ, & in quibus homo maiorem accipit voluptatem, & suauitatem, quam in operationibus virtutum moralium: ergo virtutes intellectuales simpliciter, & ex suo genere præstant moralibus. Et confirmatur: Vita contemplatiua præstantior est vita actiua, vt communiter dicunt Doctores. Idq; probant ex Lucæ cap. 10. Vbi loquens Christus de vita actiua, & contemplatiua dixit: Martha Martha, solicita es, & turbaris erga plurima; porro vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: sed vita contemplatiua consistit in exercitio virtutum intellectualium; actiua autē in exercitio virtutū moralium: ergo virtutes intellectuales ex genere suo præstant moralibus.

Virtutes intellectuales simpliciter præstāt quibuscunque moralibus.

Discrimen inter intellectum & voluntatē.

¶ Sed contra istam conclusionem sunt quam plurima argumenta, quæ maximam habent difficultatem. Primum est: Propria ratio virtutis, vt ex nomine ipso colligere licet, est applicare potentiam ad vsum: sed virtutes intellectuales dant facultatem operandi, putà cognitionem, & non rectum vsum, vt docet D. Thom. 1.2. quæst. 56. art. 3. & quæst. 57. art. 1. Virtutes autem morales dant facultatem, & rectum vsum, inclinant enim ad recte operandum: ergo virtutes morales sunt præstantiores intellectualibus. ¶ Secundo: Virtutes intellectuales nō faciunt hominem bonum simpliciter, sed bonum rectorem, vel Theologum: virtutes autem morales faciunt bonum habentem & eius opus bonum reddunt: ergo morales præstant dignitate & excellentia. Et cō firmatur: Virtutes intellectuales sunt communes bonis & malis: morales vero tantū competunt viris bonis: ergo morales sunt præstantiores. ¶ Tertio: Dignitas virtutis per ordinem ad supremam fœlicitatem debet absolutè, & simpliciter considerari: ità, scilicet, vt ea dicatur præstantior virtus, qua magis homo appropinquat supremæ fœlicitati: sed tales sunt virtutes morales, & non intellectuales: ergo morales præstant intellectualibus. ¶ Vltimo: Diffinitiones virtutis ab Aristotele, & ab alijs Doctoribus cōmuniter receptæ (quales sunt istæ: Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, & illa virtus est habitus in medio consistēs electiuus, prout sapiens determinauerit, & illa virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur) istæ, inquam, diffinitiones, vel non conueniunt virtutibus intellectualibus, vel potissimè conueniunt moralibus, vt satis constare potest intuenti: ergo virtutes morales sunt præstantiores, & digniores intellectualibus.

1. Argum. Contra primam conclusionem.

2. Argum.

3. Argum.

Vlt. Argu.

¶ Propter hæc argumenta quidam autores, inter quos præcipui sunt Caietanus, & Conradus super. 1.2. quæst. 66. art. 3. dicūt, quod

Sententia Caieta. & Conrad.

quòd virtutes intellectuales in ratione habitus & entis sunt præstantiores, tamen in ratione virtutis præstant morales, idque dicunt esse de mente D. Thom. in illo articulo, vbi has duas conclusiones constituit. Prima est: Loquendo de virtutibus simpliciter, & secundum se, intellectuales sunt præstantiores moralibus. Secunda propositio: Virtutes morales in ratione virtutis nobiliores sunt, quàm intellectuales. Itaque dicunt isti autores mentem D. Thom. esse (quam & ipsi sequuntur) quod quemadmodum quando vna statua est perperam expressa in auro, altera autem optime in plumbo, prior figura in genere entis est perfectior, secunda verò in ratione artis, & figuræ; ita etiam in nostro proposito virtutes intellectuales in ratione habitus, & entis sunt præstantiores; sed in ratione virtutis excedunt morales.

Impugnatur sententia Caiet.

¶ Cæterùm meo iudicio hæc sententia Caietani, atque Conradi, nec est vera, nec ad mentem D. Thom. Et quidem quod nō sit vera probatur omnibus illis rationibus, quibus supra probauimus, virtutes intellectuales secundum se & simpliciter esse meliores moralibus, quæ debent procedere de virtutibus formaliter, & non tantum materialiter, & in ratione entis. Alioqui non rectè concederemus virtutes intellectuales esse præstantiores; sed quod res, quæ sunt virtutes intellectuales, præstant virtutibus moralibus: qua ratione nullus vsque adhuc est loquutus. Sed quod nec etiam hæc fuerit mens D. Thom. probatur manifestè: Nam eo in loco Sanctus Doctor agit de excellentia, & æqualitate virtutum, in quantū sunt virtutes. Et dicit in prima propositione, quòd virtutes intellectuales secundum se sunt meliores moralibus: ergo loquitur de virtutibus formaliter, & non solum in ratione entis. Probo consequētiam: Quia alio qui non responderet ad propositum. Item D. Thom. ibi ostendit perfectionem virtutum intellectualium super alias ex præstantia obiecti: sed certum est, quòd virtutes in esse virtutis specificantur ex obiecto, & nō materialiter, & in ratione entis: ergo loquitur de virtutibus formaliter. Item in fine articuli dicit, quòd virtutes intellectuales sunt perfectiores habitus, & sunt virtutes: ergo sunt perfectiores virtutes. Probo consequentiā à simili: Nam bene valet: Istud est perfectius ens, & est substantia: ergo est perfectior substantia.

Sententia autoris.

¶ Quocirca hac sententia Caietani omissa, simpliciter dicendum existimo, quòd virtutes intellectuales, in esse virtutis substantialiter, & secundum se præstāt moralibus. Et ità nos intelligimus nostram primam cō clusionem. Et pro solutione argumentorū contra illam facta, aduertendum est ex D. Tho. 1. 2. quæst. superius citata, fieri posse, quòd id, quod simpliciter melius est, secundum quid non sit alicui propter necessitatem melius. Vt, verbi gratia, philosophari melius est simpliciter, quàm ditari, inopi tamen propter necessitatem melius est ditari. Et ità contingit in nostro proposito. Licet enim virtutes intellectuales meliores sint moralibus ratione obiecti, penes quod excellentia gradus simpliciter existimatur: morales tamen sunt meliores respectu nostri; quia plus participant generalem rationem virtutis, quæ est ordinare ad actum & vsum, propterea quòd sunt in appetitu, cuius est mouere alias potentias, & compellere ad opus: & perfectio nostra pro isto statu consistit in operatione. Vnde solum per virtutes morales dicitur homo simpliciter bonus, & simpliciter studiosus, & non per intellectuales: quia morales sunt, quibus homo tantum operatur bonum honestum.

Id quod simpliciter est melius, potest secundum quid alicui melius non esse.

¶ Ex hac doctrina infero primò, quòd falsitas, quæ est malū intellectus, est quid peius in se, quam malitia moralis, quatenus præcisè opponitur virtutibus moralibus. Nam malitia moralis, vt opponitur charitati est maius malum; quia, vt sic, opponitur bono diuino in se ipso. Et ratio est, quoniam falsitas tollit maius bonum in se, quàm malitia moralis: quamuis malitia moralis tollat nobis bona magis necessaria, scilicet, virtutes morales. Infero secundò, quòd bonitas intellectus, quæ est veritas, est multò maior bonitas, & perfectior bonitate virtutum moralium acquisitarum existentium in voluntate & in appetitu. Et si fiat argumētum: Simul cum bonitate & veritate intellectus potest stare malitia & peccatum: at verò simul cum bonitate morali voluntatis non potest stare malitia: ergo præstantior est bonitas moralis, quam bonitas intellectus: Respondetur, quòd perfectio alicuius rei non est consideranda ex adiunctis, & alienis, sed ex proprijs & intrinsecis. Et quoniam ex proprijs veritas & obiectum intellectus habent multò maiorem perfectionem, quàm habeant virtutes morales; hinc fit, vt simpliciter veritas intellectus dicatur multò maior bonitas, quam moralis, non obstante, quòd ex alia parte secum admittit malitiam, & peccatū, quod est per accidens.

1. Corolla. Falsitas ex se est quid peius quā malitia moralis.

Bonitas intellectus ex se præstat bonitate morali.

¶ His constitutis ad primum argumentū respondetur, illud quidem probare, quod virtutes

Ad 1. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

virtutes morales respectu nostri, & secundum quid, sunt meliores intellectualibus: quia, scilicet, præstant facultatem, & rectũ vsum operationum: quod nos libenter concedimus. Cum hoc tamen stat, quòd intellectuales simpliciter, & ex parte obiecti sint meliores, vt diximus. Et sic nihil obstat argumentum. Et ex eadem doctrina respondetur facilè ad secundum cum sua cõfirmatione. ¶Ad tertium argumentum respondetur concessa maiori, negando minorem. Quanuis enim in ordine ad fœlicitatem sint virtutes existimandæ: digniores tamen sunt illæ, in quibus consistit fœlicitas, quàm illæ, per quas ad fœlicitatem tendimus. Et licèt per virtutes morales illuc progrediamur: contemplatione tamen, Deo fruimur. Ex quo fit, vt, quanuis virtutes intellectuales in hac vita sint propter morales: quia cognoscere est propter operari; simpliciter tamen morales sunt media, quibus ad supremam peruenimus contemplationem. Et sic, quamuis morales in hac vita sint magis laudabiles, intellectuales tamen sunt præ illis honorabiliores. Laus enim debetur medijs; honor autem fini. Ad vltimũ argumentum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiã. Et ratio est: Nam omnes illæ diffinitiones in argumẽto adductæ, dantur de virtute, non secundũ se, sed quatenus respicit operationẽ: & certũ est, quod virtutes morales in ratione principij operatiui sunt præstantiores intellectualibus, vt ex supradictis patet.

Ad.2. cum sua confirmatione.
Ad.3. arg.
Ad vltim.

2. conclus. ¶Secunda conclusio: Iustitia legalis est præstantissima inter virtutes morales in appetitu existentes. Hoc dixerim propter prudentiam, quæ virtus moralis est existens in intellectu, & omniũ maxima, vt diximus supra. q. 47. Hanc conclusionẽ ponit D. Tho. in hoc articulo, & Arist. 5. Eth. c. 1. Vbi adducit illud commune prouerbium: Iustitia virtutem continet omnem. Et ait, quòd nec Hesperus, nec Lucifer adeo splendẽt inter astra, sicut iustitia inter virtutes. Sicut enim à sole stellæ participant perfectionẽ, & lumen; sic omnes virtutes morales habent se respectu iustitiæ legalis. Et propterea dixit Cice. lib. 1. Offic. in. c. de Iusti. quòd iustitia habet maximum splendorẽ in vita morali. Et ratio est: Nam bonum commune excellentius quid est, & diuinius bono priuato, & particulari: sed iustitia legalis habet pro obiecto huiusmodi bonum commune: ergo præstat cæteris virtutibus moralibus, quæ sunt particulares. Burid. 5. Ethi. q. 6. dicit, q̃ illa virtus, quæ hominẽ bene afficit in ordine ad se ipsum, est per se præstantior illa, quæ eundẽ hominẽ instituit in ordine ad bonum cõmune. Quia, inquit, natura atq; charitas plus inclinat hominem ad diligendum se ipsum, quàm bonum commune. Cæterum hæc sententia est apertè falsa, & cõtra omnem rationem bonæ philosophiæ, vt latè diximus supra. q. 26. art. 3.

¶Sed contra conclusionem à nobis posi- *1. argumẽtum cõtra primam cõclusionem.*
tã sunt aliquot argumenta. Primũ est: Illa est præstantior virtus, cui debetur excellentius & maius præmiũ: sed virtuti humilitatis debetur excellentius præmiũ, quã iustitiæ legali: ergo humilitas est præstantior virtus. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur ex illo Luc. 14. Qui se humiliat exaltabitur, & ad Philippens. 2. dicitur de Christo, Qui humiliauit semetipsum: propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. Item D. Augustin. *D. August.* in lib. do vera religione, capit. 16. inquit, quod tota vita Christi in terris, per hominem, quem suscipere dignatus est, fuit morum disciplina: sed Christus præcipuè suã humilitatem hominibus imitandam proposuit; iuxta illud Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: ergo humilitas præstat omnibus alijs virtutibus. Et confirmatur ex D. Gregorio, qui in Pastorali. p. 3. c. 18. non procul à principio dicit, quod argumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei. Quibus verbis videtur significare humilitatem esse præstantissimam omnium virtutum. ¶Secundo: Actus misericordiæ est leuare miseriam alienam & defectus alterius: actus autem iustitiæ tantùm est reddere vnicuique, quod suum est: ergo præstãtior est actus misericordiæ: quã actus iustitiæ. Probo consequentiam: Quoniam leuare in vniuersum omnem miseriã corporalem, & spiritualem, tam à personis priuatis, quàm à personis publicis, etiam à tota republica, & à toto orbe est actus penè diuinus, quo alius excellentior excogitari non potest: ergo virtus misericordiæ inter morales præstat iustitiæ legali. *2. argum.*

¶Tertio: Exod. 20. Deus prius posuit præce- *3. argum.*
pta pertinentia ad religionem, quam præcepta pertinentia ad iustitiam, siue commune, siue particularem: ergo religio, quæ est virtus moralis appetitiua, præstantior est quacunq; iustitia, etiam legali. Probo consequentiam: Nam præcepta, & ordo præceptorum proportionari debent ordini virtutum: cùm præcepta dentur de actibus virtutum.

¶Singula hæc argumenta singulas continent difficultates, de excellentia & præstãtia humilitatis, misericordiæ, & religionis supra

supra iustitiam legalem. Vtrùm, scilicet, aliqua istarum virtutum in excellentia, & dignitate excedat iustitiam legalem; vel potius iustitia legalis excedat omnes. In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò: certum esse, quod iustitia legalis est præstãtior virtus, quàm humilitas, vt expressè docet D. Th. infra. q. 161. art. 5. Et ad primũ argumentũ respondetur, quod exaltatio non solum est præmium humilitatis: sed etiam omnium aliarum virtutum moralium. Cæterum per quandam appropriationem accõmodatur hoc præmium virtuti humilitatis. Sicut enim contemnenti terrena, promittuntur cælestia; & sicut contemnentibus diuitias terrenas, promittuntur cælestes thesauri, iuxta illud Matth. 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed thesaurizate vobis thesauros in cælo; & sicut contemnentibus mundi gaudia promittuntur consolationes cælestes, iuxta illud Matth. 5. Beati, qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur: ità etiam humilitati promittitur spiritualis exaltatio: non, quia sola ipsa mereatur; sed, quia est proprium eius contemnere terrenam sublimitatem. Ad aliud, quod in eodem argumento adducitur ex D. August. respondetur, quod ideo Christus nobis præcipuè humilitatem commendauit; quia per eam maximè remouetur impedimentum humanæ salutis. Quæ in hoc consistit, vt homo ad cælestia & spiritualia tendat, à quibus impeditur, dum in terrenis magnificari audet. Cum hoc tamen stat, quod illæ virtutes præstent humilitati, quæ magis homini proficiunt: quales sunt virtutes Theologicæ & iustitia legalis.

Iustitia legalis præstat humilitati.
Ad.1.arg.

Misericordia præstat iustitiæ ciuili legali.

¶Dico secundo, etiam esse certum, quod si misericordia accipiatur pro habitu existente in voluntate, & inclinante ad leuandam miseriam proximi & reipublicæ: sic misericordia est præstantior virtus, quàm iustitia legalis. Est enim iste habitus penè diuinus, acceditque quàm proximè ad naturam virtutum Theologarum: imo est filius charitatis, & quasi pars illius. Propterea quæ disputauit D. Thom. de misericordia immediatè post titulum de charitate. Imo & secundum aliquam rationem misericordia potest dici maior virtus, quàm charitas, vt diximus supra quæst. 30. art. 4. Quocirca quando in præsenti dicimus, iustitiam legalem esse præstantissimam inter virtutes morales in appetitu existentibus, non venit comparanda misericordia. Nisi forte loquamur de misericordia pro tristitia, & commiseratione alienæ miseriæ ratione regulata in appetitu sensitiuo existente; quæ quidem multo imperfectior est, quam iustitia. Et per hoc patet solutio ad secundum argumentum. Itaque hæc certa sunt. Sed dubium est de religione, vtrùm sit præstantior virtus, quàm iustitia legalis. Caietanus infra quæst. 81. articul. 6. partem tenet negatiuam; idque dicit esse de mente D. Thom. in hoc articulo. Vbi comparans iustitiam legalem cum omnibus virtutibus moralibus in appetitu existentibus, dicit, eam esse omnium præstantissimam. Quod & colligi videtur ex Arist. de iustitia dicente, quod nec Lucifer est adeo admirabilis. Argumenta autem, quibus hæc sententia probatur sunt huiusmodi. Primum: Iustitia legalis est quædam virtus generalis, & Architectonica; comparaturque ad religionem, sicut totum ad suam partem: Religio enim est pars potentialis iustitiæ legalis: ergo iustitia legalis est præstantior religione. Probo consequentiam: Nam totum semper est præstantius sua parte, tanquam id, quod continet perfectionẽ suarum partium. Secundo: Sicut ad iustitiã legalem pertinet ordinare quæ sunt temperati, atque fortis: ita etiam pertinet ordinare quæ sunt religionis: lex enim, quæ est actus elicitus iustitiæ legalis sicut præcipit quæ sunt temperati atque fortis: ita etiam præcipit quæ sunt religionis; qualiter, scilicet, Deo exhibeamus debitum cultum: ergo sicut iustitia legalis est præstantior temperantia & fortitudine: ita etiam est præstantior religione. In hoc tamen sit tertia conclusio: Religio est præstantior virtus, quàm iustitia legalis. Et probatur primo argumẽto tertio loco posito, contra secundam conclusionem. Item secundo: Ea, quæ sunt ad finem, sortiuntur suam bonitatem ex ordine ad finem: ergo quanto aliqua fuerint propinquiora fini, tanto maiorem bonitatem sortiuntur: sed religio inter omnes virtutes morales directè & per se immediatius, atq; propinquius respicit Deum, tanquam finẽ directè enim, & per se religio offert Deo cultum, & honorem, & sacrificium: ratioque immediata, propter quam Deum colimus, offerendo ei oblationes, & sacrificia est excellentia diuinæ bonitatis in se ipsa: ergo religio est excellentissima inter omnes virtutes morales. Item ex sententia Caietani, religio, tanquam prima inter omnes virtutes morales, attingit conditionem superioris naturæ & superioris virtutis, eo q̃ supremum infimi attingit infimum supremi: sed superiores virtutes sunt Theologicæ: ergo religio ex sententia Caietani attingit conditionem virtutum Theologicarũ; Et est quodam modo participatiuè virtus Theo-

Ad.2. arg.

Dubium de religione.
Sententia Caietani.

3. Conclus. Religio est præstantior virtus quã iustitia legalis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theologica: atque ex consequenti non sibi satis constat cum in præsenti dicit iustitiam legalem esse præstantiorem religione. Et cõfirmatur ex D. Tho. qui in quæstione de religione infra, dicit, quòd quanuis religio non habeat Deum pro obiecto quod, quia non versatur circa Deum, tanquam circa propriam materiam: sed versatur circamentem humanam, & circa operationes interiores, & exteriores, & circa sacrificia & orationes, illa omnia Deo offerendo; habet tamen Deum pro obiecto cui: atque ex consequenti præstat cæteris virtutibus moralibus. Et ad primum argumẽtum pro sententia Caietani respondetur, quòd quanuis religio in ratione iustitiæ sit pars potentialis illius, & sic imperfectior, vt diximus supra articulo. 5. huius quæstionis; in ratione tamen virtutis est præstantior illa: nec ex hoc aliquod sequitur inconueniens. Ad secundum respondetur, illud quidem probare, quòd iustitia legalis secundum quid, hoc est, in quantum ordinat & præcipit quæcumque ad alias virtutes pertinentia, præstat cæteris virtutibus, non solum moralibus, sed & intellectualibus, & Theologicis. Sicut enim ad legem pertinet præcipere quæ sunt temperati atque fortis: ità etiam & quæ sunt fidei & spei, & aliarum virtutũ. Nihilominus tamen virtutes Theologicæ & intellectuales sunt præstantiores simpliciter iustitia legali, quia sunt de præstantiori obiecto, vt diximus in proprijs locis: & idem contingit in religione.

4. Conclus. Iustitia particularis præstat quibuscunque moralibus in appetitu existentibus.

¶Quarta conclusio: Iustitia particularis, quæ diuiditur in commutatiuam, & distributiuam est præstantissima inter virtutes morales in appetitu sensitiuo existẽtes. Hãc conclusionem tenet D. Thom. 1. 2. q. 66. artic. 4. & in præsenti articulo; fuitque sententia Arist. lib. 5. Ethic. statim in principio. Et probatur primò ex ratione subiecti. Residet enim iustitia particularis in voluntate, quæ est appetitus intellectiuus, & rationalis: cum tamen aliæ virtutes, de quibus loquimur sint in appetitu sensitiuo. Item pręterea: Obiectum iustitiæ particularis est difficilius, quàm obiectum virtutum moralium in appetitu sensitiuo existentium: ergo iustitia particularis est præstantissima inter illas. Patet consequentia: Nam virtus est circa arduum & difficile. Et antecedẽs probatur: Difficilius est, probè esse hominem affectum ad alienum bonum conseruãdum, ad quod natura nostra non est adeò propensa, quàm ad custodiendum bonum proprium, ad quod, nisi vbi est impedimentum, natura nostra est sufficienter inclinata: sed cæteræ virtutes existentes in appetitu sensitiuo versantur circa bonum proprium; iustitia autem versatur circa bonum alienum: ergo obiectum iustitiæ particularis difficilius est obiectis virtutum moralium in appetitu sensitiuo existentium: atque ex consequenti iustitia præstat inter illas, vtpotè quæ debet esse robustior, & validior ad vincendam maiorem difficultatem. Et propter hoc dicebat Aristot. lib. 5. Ethicorum, cap. 1. quòd complures in proprijs possunt quidem virtute vti, sed in ijs, quæ sunt ad alterum nequeunt; quia res est magis ardua. Et ex hoc etiam fit, vt videamus plures homines esse studiosos cũ vitam priuatam degunt; qui tamen, si ascendunt ad publicos honores, & magistratus, in quibus oportet eos iustitiam administrare, statim pessimi fiunt. Magistratus enim virum ostendit, vt dicebat Bias Philosophus. Item probatur conclusio: Nam Aristot. 7. Politi. capit. 15. & 1. Rhetor. dicit, quòd iustitia est necessaria in omni loco, & tempore tam in bello, quàm in pace, tam hominibus, quàm angelis: reliquæ autem virtutes morales, quæ sunt in appetitu sensitiuo non item: ergo iustitia præstat cæteris. Et confirmatur: Homo est animal politicum, aptum natum in humana societate viuere: ad quam transigendam est potissimè necessaria pax, atque tranquillitas: sed iustitia habet potissimum pro fine pacem, & tranquillitatem inter homines, & in republica: ergo iustitia est præstantissima inter virtutes morales. Sed est aduertendum, quod quando dicimus virtutem vnius potentiæ esse eminentiorem virtute alterius, non debet fieri comparatio inter quemcunque actum quantumcunque infimum vnius virtutis cum quolibet actu alterius: sed tantum debet fieri comparatio inter genus & genus, & inter præstantissimum actum vnius virtutis, & præstantissimum alterius. Ex quo colligitur, quòd cùm lumen gloriæ sit præstantissimum inter virtutes intellectuales, & operatio etiam luminis, quæ est visio, sit præstãtior dilectione & amore; imò amor, & dilectio, atque charitas originantur ex lumine gloriæ, fit, vt virtutes intellectuales simpliciter dicantur præstantiores moralibus. Et idem dicendum est de vnaquaque virtute cum alia comparata, vt diximus supra sæpèsæpiùs.

Magistratus virum ostendit.

In comparatione virtutum præstãtissimus actus vnius debet comparari ad præstantissimum alterius.

1. Arg. contra 4. conclusionem.

¶Sed contra istam conclusionem est argumentum: Iustitia versatur circa rerum commutationes, & circa emptiones, & venditiones; fortitudo autem versatur circa pericula mortis & vitæ; sed præstantiores sunt operationes, quæ versantur circa mortem & vitã; quàm quæ versantur circa emptiones & venditiones, iuxta illud Iob cap. 2. Pellem pro pelle, hoc est, omnem pellem dabit homo, & cuncta, quæ possidet pro anima sua: ergo fortitudo est excellentior iustitia. Et confirmatur: Præstantissimus actus fortitudinis est præstantior præstantissimo actu iustitiæ. Martyrium enim, qui est actus fortitudinis præstat vniuersis actibus aliarum virtutũ moraliũ, iuxta illud Ioan. capit. maiorem charitatem nemo habet, quàm, vt ponat quis animam suam pro amicis suis: ergo fortitudo est præstantior

2. Argum. iustitia. ¶Item secundò: Obiectum virtutis est difficile & arduum: sed obiectum fortitudinis est difficilius & magis arduum, quã obiectum iustitiæ: quia fortitudo versatur circa pericula mortis, & mors est omnium

3. Argum. terribilium terribilissimum, & magis difficile: ergo fortitudo præstat iustitiæ. ¶Tertiò: Illa dicitur præstantissima virtus, quæ plura nobis commoda affert: sed temperantia affert hominibus plura & maiora commoda, quàm iustitia: ergo temperantia est præstantior iustitia. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Nam primò temperantia causat salutem corporis. Secundo causat tranquillitatem, & pacem quandam rationis & mentis. Tertio causat volũtatis libertatem, quæ tria sunt veluti omnium virtutum moralium fundamenta: ergo. ¶Vltimo: Perfectius est tribuere gratis id, quod nemini debetur, quàm tribuere ex necessitate, & debito iustitiæ: sed per iustitiam tribuitur id, quod debetur ex rigore iustitiæ, per liberalitatem autem tribuitur gratis quod nulli debetur: ergo liberalitas est præstantior iustitia.

Vlt. Arg.

Ad. 1. arg. ¶Circa primum argumentum, in quo de comparatione iustitiæ ad fortitudinem est sermo, est aduertendum, quod habet fortitudo in hac re multa argumenta sibi patrocinantia. Nam primo potest cognosci eius dignitas atque præstantia ex eo, quod in sacris litteris fortitudo est, quæ per excellentiam videtur retinere nomen virtutis. Dicitur enim Sap. 8. quod diuina sapientia sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiã & virtutem, hoc est, fortitudinem, vt Sancti Doctores, & glossa interlinearis super istũ locum docent. Item præterea commẽdari potest dignitas fortitudinis supra alias virtutes morales ex splendore, & pretio quo habetur in republica. Magnates enim & illustrissimi viri inde præcipuè facultatibus cumulantur, & magnis honoribus suscipiũtur, quod fortitudinis virtute rempublicã tuentur. Id quod vel Gentilium, nempe, Lacedæmoniorum, Romanorum, & Græcorum historiæ perpetuæ memoriæ prodiderunt. Fortitudo enim (vt Hercules & Theseos, & quos poëtæ fabulantur omittamus) Alexandros, Cæsares, Scipiones, atque alios id genus toto orbe celebertimos fecit. Et non solum in historijs profanis, sed etiam in ecclesiasticis & diuinis id conspicere erit licitum. In quibus quidem non solum viri, sed & mulieres virgines iuuenculæ & sanctissimæ propterea quod mortẽ pro Christo fortiter sustinuerunt perpetuis honoribus celebrantur. His tamen & alijs à nobis superius positis non obstantibus, dico iustitiam simpliciter esse nobiliorem fortitudine. Id quod vltra rationes pro quarta conclusione adductas, hac vna sufficienter cõuincitur, quod fortitudo nullo modo, nisi ad iustitiæ præsidium, & custodiam est necessaria. Vnde Agesilaus prudentissimè apud Plutarchum interrogatus, vtra harum virtutum alteri præstaret: Respondit, nihil vtique fortitudine indigeremus, si omnes iusti essemus. Imo, si iustitia non violaretur, neutiquam bellis, in quibus præcipuè fortitudo reipublicæ seruit daretur occasio. Quare ad primum argumentum respondetur, quod si comparemus imperfectum actum iustitiæ cum perfectissimo fortitudinis, certa res est præstantiores esse perfectissimos actus fortitudinis, imperfectissimis iustitiæ. Sed comparatio debet fieri inter æqualia, scilicet, vel inter genus & genus virtutis, vel inter præstantissimum actum iustitiæ & præstantissimum fortitudinis, ad modum iam explicatum. Vel secundo respondetur, quod iustitia non solum rectificat appetitum circa emptiones, & venditiones, & commutationes rerum, sed etiam circa vitam & mortem: nam quando quis debet, & tenetur mori pro republica, etiam ille actus moriẽdi est actus iustitiæ. Ad confirmationem respondetur, quod mori pro Christo potest dupliciter considerari, vno modo quatenus procedit elicitiuè à virtute fortitudinis. Et sic non est præstantissimus actus in ordine ad præstantissimum iustitiæ; sicut nec fortitudo, cuius est ille actus, præstat iustitiæ. Alio modo potest considerari actus moriendi pro Christo quantum ad primum motuum ipsius, quod est charitas, & amor. Et secundum istam rationem motuum est præstantius, etiam facta relatione ad præstantissimum actum iustitiæ. Hoc tamen non habet à fortitudine præcisè, sed

Fortitudo est quæ maxime homines commẽdabiles facit.

Fortitudo ad iustitiæ præsidium necessaria.

In sacris literis fortitudo retinet nomen virtutis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

à charitate. Nam mori pro amico præcisè non adæquat perfectionem existentem in præstantissimo actu iustitiæ. De hac re videnda sunt, quæ diximus supra quæst. 23. art. 6. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Præstantia enim, & perfectio virtutis non solum sumitur ex ratione difficultatis, sed etiam ex ratione nobilitatis, quæ est in obiecto. Difficilius enim est diligere inimicos, quam amicos: sed perfectius est diligere amicum; quia plures sunt rationes amandi eum, quam inimicum, vt diximus supra quæst. 27. artic. 7. Vnde, quia obiectum iustitiæ est nobilius, quam obiectū fortitudinis, præclarius enim est, quòd pax, & tranquillitas humani generis per iustitiam conseruetur, (quàm quod quis per fortitudinem mortem sustineat) hinc fit, vt iustitia præstet fortitudini; non obstante quòd obiectum fortitudinis sit difficilius. Et ad id, quod obijciebatur de nomine virtutis; respondeo, quòd hoc nomē tribuitur in sacris litteris fortitudini, non simpliciter per excellentiam, sed, quia qualitas illa ac vis virtutis, quæ animum robustum efficit, ac constantem, in ipsa præcellit. Et ad aliud de splendore & pretio, quo habetur in republica, dico, quòd, si fortitudo magnos honores, & diuitias hominibus conciliat, id facit tanquam ministra iustitiæ, cùm nec virtutis rationem assequi valeat, nisi quatenus est custos, ac propugnatrix iustitiæ. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, quòd quanuis temperantia ea nobis commoda afferat propter quod Aristot. 7. Polic. capit. 15. aliqua ex parte illam iustitiæ adæquet, dicens, quòd sicuti iustitia tempore belli, & pacis est necessaria: ita etiam & temperantia: iustitia tamen simpliciter propter rationes adductas est anteferenda. Et præterea, quia temperantia solum respicit bonum proprium, cum tamen iustitia præter hoc, quòd efficit hominem studiosum respiciat etiam bonum alienum. ¶ Ad vltimum de liberalitate respondetur, quòd licèt liberalitas in eo superet iustitiam, quod tribuit illud, quod nemini debet; iustitia tamen in pluribus alijs excedit liberalitatē. Nam primò excedit illam in eo, quòd liberalitas respicit bonum priuatum: iustitia verò pacem, & tranquillitatem reipublicæ. Deinde iustitia est necessaria omni homini & statui: liberalitas autem non item. Tandem, quia nullus potest esse liberalis, nisi prius fuerit iustus, reddendo vnicuique, quod suum est. Ex quibus patet, quam sit excellens iustitia, respectu liberalitatis.

Ad 2. arg. — *Præstantia virtutis nō solum sumitur ex difficultate, sed etiā ex nobilitate obiecti.* — *Ad vltimū.*

QVÆSTIO. LIX.
De Iniustitia, in quatuor Articulos diuisa.

Articvlvs. I.

¶ Vtrùm iniustitia sit vitium speciale.

Sup. q. 58. ar. 5. ad 3. & infr. q. 79. art. 2. ad 3.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd iniustitia non sit vitium speciale. Dicitur enim 1. Ioan. 2. Omne peccatum est iniquitas. Sed iniquitas videtur idem esse quòd iniustitia: quia iustitia est qualitas quædam. Vnde iniustitia idem videtur esse quod inæqualitas, siue iniquitas, ergo iniustitia non est speciale peccatum.

2 ¶ Præterea, Nullum speciale peccatum opponitur omnibus virtutibus. Sed iniustitia opponitur omnibus virtutibus. Nam quantum ad adulterium, opponitur castitati, quantum ad homicidium, opponitur mansuetudini: & sic de alijs, ergo iniustitia non est speciale peccatum.

3 ¶ Præterea, Iniustitia iustitiæ opponitur, quæ in voluntate est. Sed omne peccatum est in voluntate, vt Aug.* dicit, ergo iniustitia nō est speciale peccatū.

Lib. de duabus animabus c. 10. & 11. to. 6.

¶ SED CONTRA est, quòd iniustitia iustitiæ opponitur. Sed iustitia est specialis virtus, ergo iniustitia est speciale peccatum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd in iustitia est duplex. Vna quidem illegalis, quæ opponitur legali iustitiæ. Et hęc quidem secundum essentiam est speciale vitium, in quantum respicit speciale obiectum, scilicet bonum cōmune, quod contemnit. Sed quantum ad intentionem est vitium generale, quia per contemptum boni communis potest homo ad omnia peccata deduci. Sicut etiam omnia vitia in quantum repugnant bono communi, iniustitiæ habent rationem, quasi ab iniustitia deriuata: sicut & suprà de iustitia* dictum est. Alio modo dicitur iniustitia secundum inæqualitatem quandā ad alterū, prout scilicet homo vult habere plus de bonis, putà diuitijs & honoribus, & minus

Quæst. 58. art. 6.

minus de malis, puta laboribus, & damnis. Et sic iniustitia habet materiam specialem: & est particulare vitium, iustitiæ particulari oppositum.

¶ AD PRIMVM ergo dicendū, quòd sicut iustitia legalis dicitur per comparationem ad bonum commune humanum, ita iustitia diuina dicitur per comparationem ad bonum diuinum, cui repugnat omne peccatum: & secundū hoc omne peccatum dicitur esse iniquitas.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in iustitia etiam particularis, opponitur indirectè omnibus virtutibus: in quantum scilicet exteriores etiam actus pertinent & ad iustitiam, & ad alias virtutes morales, licet diuersimodè, sicut supra dictum* est.

Art. 9. præced. quæst.

¶ Ad tertium dicendum, quòd voluntas sicut & ratio se extendit ad materiam totam moralem, scilicet ad passiones & operationes exteriores, quæ sunt ad alterum, sed iustitia perficit voluntatem solum, secundum quod se extendit ad operationes, quæ sunt ad alterum, & similiter iniustitia.

SVMMA TEXTVS.

QVia per regulam topicam, quot modis dicitur vnum contrarium, dicitur & reliquum, fit, vt sicut iustitia est duplex, vna generalis, siue legalis, altera particularis: sic etiam & iniustitia sit duplex, vna generalis, altera specialis. Et sic ad propositam difficultatem respondetur per duas propositiones. Prima conclusio: Iniustitia illegalis, quæ propriè aduersatur iustitiæ legali, est vitium speciale secundum suam essentiam; intentione autem atq; imperio est vitium generale. Hæc conclusio, quantùm ad vtramque partem probatur simili ratione, qua idem de iustitia legali quę stione præcedenti art. 5. fuit demonstratū. Sicut enim iustitia legalis habet commune bonum pro obiecto, & ob id est specialis virtus secundum suam essentiam; & præterea cæteris omnibus imperat, omnesque ad suum finem refert: ex quo fit, vt generalis virtus appelletur: ita etiam, & de iniustitia est dicendum. Est enim illegalis iniustitia legum inobedientia, & boni communis despectio. Et sic est speciale vitium. Quia autē præterea per reliqua omnia vitia grassatur; potest enim quis ex contemptu legis adulterari, occidere, & furari: &c. appellatur vitium generale. Secunda conclusio: Iniustitia particularis, qua æqualitas, quæ est ad alterum corrumpitur, vt cum homo plus habere vult, aut rerū, aut honorū, & minus de malis, est vitiū speciale. Probatur: Quia, vt sic, habet specialem materiam, & obiectū, vt supradictum est de iustitia. q. præc. art. 7.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CVm contrariorū, vt autor est Arist. lib. 1. Topi. eadē sit disciplina, & opus hoc, De iustitia, & iure, nō solū circa iustitiæ virtutē, sed etiā circa iniustitiæ vitia in subsequētibus versetur, operæpretiū fuit, vt post explicatā naturā iustitię statim D. Th. de cō traria iniustitia adhiberet sermonē. Et sic quærit, vtrùm iniustitia sit vitium speciale. Conclusiones autē ab ipso positæ sunt ambæ desumptæ ex Arist. lib. 6. Eth. c. 1. Vbi dicit, quod bifariam potest aliquis dici iniustus, scilicet, & qui à legibus exorbitat, & qui plus capit, atq; iniquus est. Sicuti & iustus quoq; dicitur dupliciter, scilicet, & qui legitimū facit, idest, legibus obtemperat, & ad cōmune contuetur bonū: atq; ille, qui æquus est, id est, quod vnicuique, quod suū est tribuit. Ex quo infertur, ꝙ quemadmodū omnes virtutes possunt dirigi à iustitia legali in bonū cōmune, ità etiam, & omnia vitia ab illegali iniustitia. Sed est dubium, vtrùm, omnia vitia sint dicenda formaliter iniustitia. Et pro parte affirmatiua est argumentum ex D. Ioan. 1. sua Canon. cap. 3. dicente; quod omne peccatum est iniquitas: sed iniquitas dicit inæqualitatem, quæ est iniustitia: ergo omne peccatum est formaliter iniustitia. Et confirmatur: Nam D. Aug. in lib. contra Faustum definiens peccatū dicit, esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Quibus verbis apertè significat, omnia vitia esse contra bona legalia, atque ex consequenti esse formaliter in iustitiā: saltem illegalem, & communē: quæ ex sententia D. Th. in isto art. est secundū suā essentiam vitium speciale. Pro hoc etiam facit D. Paul. ad Rom. 4. affirmans, quod vbi non est lex, ibi nec præuaricatio legis.

Dupliciter potest quis dici iniustus. — *Dubium.* — *Argum.* — *D. Aug.*

¶ Pro explicatione huius difficultatis, est aduertendum, quod præsens quæstio non est omnino metaphysica, nec aliena à materia morali: sed pertinet ad materiam confessionis. Et ratio est: Quia si quodcunque peccatum mortale est formaliter, & de per se iniustitia, oportebit illud confiteri: omnes enim circunstantiæ mutantes speciem secundum omnem opinionem sunt necessario confitendæ. Si quis enim furatur, vt mœchetur,

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, proculdubiò tenetur talem circunstantiam confiteri: & sic si omne peccatum est per se & formaliter iniustitia, quod etiam hæc circunstantia in confessione exprimatur, erit necesse.

1. Dictum. ¶ Hoc supposito, dico primò, quòd omne peccatum mortale materialiter est iniquitas, & iniustitia legalis. Probatur: Quia est contra legem Dei, quod facit illegalem iniustitiam. Et hoc probant argumenta facta. ¶ Dico secundò, quòd tunc tantum peccat aliquis peccato iniustitiæ formaliter, & de per se, quando aut ipsam legem, aut bonum commune contemnit. Qui enim peccat ex ignorantia, vel ex imbecillitate, vel ex passione, & non animo lædendi leges, nec bonum commune, vt qui ex passione frangit ieiunium, formaliter non peccat cõtra iustitiam legalem. Et sic hæc circunstantia non est necessario confitenda, nisi fortè ex intentione operetur contra legem. Et ratio est, quia, vt docet D. Thom. art. sequenti ex mente Aristot. in actibus moralibus, illud vocatur formaliter, & per se tale, quod est per se intentum. Et sic dicit. 5. Ethi. cap. 6. quòd, siquis congrediatur cum aliena, nõ ex electione, sed ex ignorantia, vel ex passione, non est dicendus adulter. Est autem aduertendum, quod hæc iniustitia illegalis, quæ tunc est, quando quis ex intentione vult violare legem, aut bonum commune, formaliter loquendo, non est inobedientia legum; sed est violatio debiti & æqualitatis in ordine ad communitatem. Itaq; quemadmodum ex sententia D. Thom. quæst. præcedenti. art. 5. iustitia legalis non est obedientia legum, sed est virtus quædam per quam reddimus æquale debitum ipsi communitati: ita etiam iniustitia legalis non est formaliter inobedientia, sed violatio debiti in ordine ad communitatem.

Quando quis peccet peccato iniustitiæ formaliter.

Iniustitia illegalis quid sit.

Articvlvs II.

¶ Vtrùm aliquis dicatur iniustus ex eo quod facit iniustum.

Inf. art. 4. ad. 14. & 5. Eth. l. 13. & Psa. 35. princ. 1.2. q. 54. art. 2. Lib. 5. c. 4. & 16. in princ. & c. 9. à med. tom. 5.

AD Secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd aliquis dicatur iniustus ex hoc, quod facit iniustum. Habitus enim specificantur per obiecta, vt ex supradictis * patet. Sed proprium obiectum iustitiæ est iustum: & proprium obiectum iniustitiæ est iniustum, ergo & iustus dicendus est aliquis ex hoc, quòd facit iustum: & iniustus ex hoc, quod facit iniustum.

2 ¶ Præterea, Philosoph. dicit * in 5. Ethicorum, falsam esse opinionẽ quorundam, qui æstimant in potestate hominis esse, vt statim faciat iniustum, & quod iustus non possit minus facere iniustum, quàm iniustus. Hoc autem non esset, nisi facere iniustum esset propriũ iniusti, ergo aliquis iudicandus est iniustus ex hoc, quòd facit iniustum.

3 ¶ Præterea, Eodem modo se habet omnis virtus ad proprium actum, & eadem ratio est de vitijs oppositis. Sed quicunque facit aliquid intemperatũ dicitur intemperatus, ergo quicunq; facit aliquid iniustum, dicitur iniustus.

¶ Sed Contra est, quòd Philos. dicit * in 5. Ethic. quòd aliquis facit iniustum, & iniustus non est. *Lib. 5. c. 6. tom. 5.*

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut obiectum iustitiæ est aliquid æquale in rebus exterioribus, ita etiam obiectum iniustitiæ est aliquid inæquale: prout scilicet alicui attribuitur plus vel minus, quàm sibi competat. Ad hoc autem obiectum comparatur habitus iniustitiæ mediante proprio actu, qui vocatur iniustificatio. Potest ergo contingere, quòd qui facit iniustum, non est iniustus dupliciter. Vno modo propter defectum comparationis ipsius operationis ad proprium obiectum, quæ quidem recipit speciem & nomen à per se obiecto, non autem ab obiecto per accidens. In his autem quæ sunt propter finem, per se dicitur aliquid quod est intentum, per accidens autem quòd est præter intentionem. Et ideò si aliquis faciat aliquid quod est iniustum, non intendens iniustum facere (putà cũ hoc facit per ignorantiam, non existimans se iniustum facere) tunc non facit iniustum per se, & formaliter loquendo, sed solum per accidens, & quasi materialiter faciens id quod est iniustum. Vnde & talis operatio non denominatur iniustificatio. Alio modo potest contingere propter defectum comparationis ipsius operationis ad habitum. Potest enim iniustificatio procedere quãdoq; quidem ex aliqua passione, putà Iræ vel concupiscentiæ. Quandoq; autem ex electione: quando scilicet ipsa iniustificatio per se placet, & tunc propriè procedit ab habitu, quia vnicuique habenti aliquem habitum est secundum se acceptum, quod conuenit illi habitui. Facere ergo iniustum ex intentione & electione, est proprium iniusti, secundum quod iniustus dicitur, qui habet iniustitiæ habitum: sed facere iniustum præter intentionem vel ex passione, potest aliquis absque habitu iniustitiæ.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd obiectũ per se & formaliter acceptum, specificat habitũ, nõ autẽ prout accipitur materialiter & per accidens.

¶ Ad secundum dicendum, quòd non est facile cuiq; facere iniustum ex electione, quasi aliquid per se placens, & non propter aliud, sed hoc propriũ est habentis habitum, vt ibidem Philosoph. dicit.

¶ Ad tertium dicendum, quòd obiectum temperantiæ non est aliquid exterius constitutum, sicut obiectum iustitiæ. Sed obiectum temperantiæ, id est, temperatum, accipitur solum in cõparatione ad ipsum hominem. Et ideò quod est per accidens & præter intentionem, non potest dici temperatum nec materialiter, nec formaliter, & similiter neq; intemperatum. Et quantũ ad hoc est dissimile in iustitia, & in alijs virtutibus moralibus. Sed quantum ad comparationem operationis ad habitũ in omnibus similiter se habet.

Svmma Textvs.

ANtequam D. Thom. respondeat ad hanc difficultatẽ præmittit duo. Primum est, quòd, sicut obiectum iustitiæ est aliquid æquale in rebus exterioribus existens: ità etiam obiectum iniustitiæ est aliquid inæquale, in quantum, scilicet, alicui tribuitur plus, vel minus, quam sibi competit. Præmittit secundò, quòd habitus iniustitiæ comparatur ad obiectum mediante proprio actu. His suppositis sit prima cõclusio: Quicunque facit iniustum ex intentione & electione, ille talis est iniustus. Secunda conclusio: Qui facit iniustum ex ignorantia, vel ex passione, ille talis non est propriè dicendus iniustus. Sed quoniã opus est, vt plura dicamus, vt harum conclusionum rationes intelligantur, idcircò eas in expositionem articuli relinquimus.

Explicatio Articvli.

Dubium.

PRæsentem difficultatem mouet D. Th. propter Arist. qui. 5. Eth. c. 8. easdem cõstituit conclusiones, quas ipse ponit in præsenti. Cæterùm, vt vtriusque sententia magis clara fiat, est difficultas, vtrùm verũ sit, quòd tantum ille, qui facit iniustum ex intentione, & electione sit dicendus iniustus. Et pro parte negatiua arguitur primò: Quicunq; facit iniustum, siue ex ira, siue ex passione, est formaliter iniustus: ergo non tantum ille, qui ex intentione, & electione operatur, est censendus hoc nomine. Consequentia est nota; & antecedens probatur: Actio iniuriosa, verbi gratia, furtum, & rapina facta ex passione, vel ex ira, est formaliter actus iniustitiæ: ergo facit subinde hominem formaliter iniustum. Sicut & accessus ad mulierem in loco sacro non animo profanandi ecclesiam, sed implendi libidinem est formaliter sacrilegium, ac subinde facit hominem formaliter sacrilegum. ¶ Secundo: Omnis in vniuersum actus iniquus & iniustus contrariatur iustitiæ, & corrumpit illam; atque ex consequenti si sæpius multiplicetur generabit contrarium habitum iniustitiæ: ergo ad hoc, vt quis dicatur iniustus, nihil refert, quod faciat opus iniustũ ex passione, vel ex ignorantia. Probo cõsequentiam: Nam sicut opus iniustũ factum ex passione, vel ignorantia contrariatur iustitiæ, & generat habitum contrarium: ità etiam est potens denominare iniustum eũ, in quo est. ¶ Tertio: Omnis actio iniuriosa, siue procedat ex ignorantia, siue ex passione, siue ex electione, si tamen est peccatum mortale auertit hominem à Deo, vt est autor gratiæ, corrumpitque iustitiam infusam, & reliquas virtutes morales infusas, & auertit etiam secundum suam naturam hominem à Deo, vt est autor naturæ, & à fine honesto & à recta ratione iustitiæ: ergo omnis talis est sufficiens denominare hominem iniustum. ¶ Vltimo: Si esset verum, quod tantum ille homo diceretur iniustus; qui ex electione, & intentione operatur iniustum, sequeretur idem esse dicendum de temperantia, & de alijs virtutibus oppositis virtutibus moralibus: consequens autem est falsum: nam per quemcunque actum intemperantiæ, siue fiant ex passione, siue ex ignorantia dicitur homo formaliter intemperatus: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nam eadem est omnium virtutum ratio.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Vlt. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶Pro explicatione huius difficultatis, est aduertendum, quod vt constat ex Aristot. lib. 2. Ethic. nullus dicitur operari ex virtute, nisi qui operatur ex habitu. Ad hoc autem, vt quis dicatur ex habitu operari, tria sunt necessaria. Primum est, quòd operetur sciens. Secundum, quod operetur ex electione. Tertium, quòd operetur propter honestum, & ex intentione finis. Vnde, si quis, vel casu, vel repentina quadam affectione vnum de se præstet virtutis actum, non pro inde statim studiosus est dicendus, & idem Aristot. dicendum existimat in vitijs. Vnde vt quis vitiosus dicatur necessarium erit, vt alicuius vitij habitum obtineat, & ex illo operetur. Quod tunc erit quando ex intentione, & electione operatur. Manifestat autem D. Thom. in hoc articulo hanc rationem isto modo. Sicut (inquit) obiectum iustitiæ est iustum, ità & obiectum iniustitiæ est iniustum, putà inæquale. Radix autem propria, vnde iniustum oboritur, est habitus, quo potentia afficitur ad obiectum. Vnde, qui ex electione, & habitu operatur, ille propriè iniustus est. Poterit autem duobus modis vsu venire, vt quis iniustum patrando non sit iniustus. Vno modo propter defectum relationis actus ad obiectum: quia, scilicet, operans illud non intendit. Actus enim ex intentione fit spontaneus, ac subinde humanus. Quare quomodolibet quis non vltrò faciat excusatur, ne sit iniustus. Et, quia ignorantia, vimq; tollunt inuoluntarium; Siquis (inquit Aristot.) per ignorantiam iniustum faciat, vel vi compulsus nemini iniurius est, & sic non est iniustus. Secundus modus, quo contingit vt iniustum faciens non sit iniustus, est ex defectu relationis actus ad habitum: quia, scilicet, licèt obiectum sit voluntarium, & intentum, atque adeò operatio referatur ad obiectum; tamen operatio non nascitur ex habitu. Vt si quis, alioqui mitis homo, & probus subita nec iracundiæ procella alium vulneret: tùm enim non operatur ex electione, quam necesse est, vt deliberatio præcedat: atq; adeò neq; ex habitu: & sic non est iniustus.

Vt quis ex habitu operari dicatur tria sunt necessaria.

¶Hoc supposito, sit prima conclusio: Actio iniuriosa facta ex intentione, & electione est, à qua propriè homo dicitur iniustus, & quæ facit hominem formaliter iniustum. Hanc conclusionem ponit D. Thom. in isto articulo, & Aristot. 5. Ethicorum, cap. 8. potest tamen habere duplicem sensum. Primus est; si sumatur nomen iniustus, ea ratione, qua est nomen cõnotans habitum iniustitiæ, secundum statum. Secundus, si accipiatur ly, iniustum, pro re & pro actione; cui formaliter in sensu proprijsimæ, & formalissimæ loquutionis conuenit ratio iniusti. Et in præsenti tãtum ponimus conclusionem in primo sensu. Quæ probatur primò: Nam ille est iniustus, qui habet habitum iniustitiæ: sed solus actus iniustitiæ factus ex intentione & electione, arguit inesse homini habitum iniustitiæ secundum rigorem moralis philosophiæ: actus vero iniustitiæ factus ex passione, & ignorantia non arguit inesse homini iniustitiæ habitum: ergo sola actio iniuriosa facta ex electione, & intentione facit hominem formaliter iniustum, quatenus iniustum connotat habitum iniustitiæ, secundum statum. Secundò idem probatur: Quoniam in moribus nemo repente fit summus: sed summus actus iniustitiæ est ille, qui fit ex intentione, & electione: actus autem facti ex ignorantia, & passione sunt remissiores: ergo. Tertiò: Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens; vitium vero est habitus electiuus in extremitate consistẽs, & propter inhonestũ finẽ factus; ac subinde electio tam est necessaria ad vitium, quam ad virtutẽ: ergo solus actus procedens ex intentione, & electione facit hominem iniustum formaliter, quatenus iniustum connotat habitum iniustitiæ secundũ statum. Quarto: Virtus est dispositio perfecti ad optimum, vt dicit Aristot. 7. Physic. text. 13. vitium autem è contrario est dispositio imperfecti ad pessimum: sed pessimus actus iniustitiæ est ille, qui fit ex intentione, & electione: ergo solus ille facit hominem iniustum formaliter, quatenus iniustum illicitur ab habitu iniustitiæ secundum statum. Et confirmatur: Nam Aristot. 2. Ethic. cap. 3. dicit, quod delectari in operibus studiosis, est signum virtutis iam genitæ; & eodem modo delectari in operibus vitiosis est signum vitij geniti: sed qui operatur ex ignorantia non capit huiusmodi voluptatem, & delectationem: ille vero, qui operatur ex intentione volens, sciens, & eligens maxime delectatur in opere ipso: ergo, &c. Vltimo: Ille dicitur iniustus ab habitu iniustitiæ, qui habet habitum iniustitiæ secundum statum; sed actio iniustitiæ facta ex ignorantia, & ex passione, non est proprie actio iniustitiæ: ergo talis actio non facit hominem formaliter, & proprie iniustum. Consequentia est nota: Nam actus dicitur talis à sua forma; & accipit speciem à fine per se ab operante intento in genere moris. Minor vero probatur: Quoniam iniustum volitum ex passione, vel ex ignorantia non est per se intentum, sed per accidens & indirectè.

1. Conclus. Actio iniuriosa ex intentione facta facit formaliter iniustum.

2. conclus. Actio iniuriosa facta ex passione vel ignorãtia non facit formaliter iniustũ.

¶Secunda conclusio: Actio iniuriosa procedens ex ignorantia, vel ex passione, non est propriè nec formaliter actio iniustitiæ; atque ex consequenti nec denominat hominem iniustum. Hanc conclusionem ponunt D. Thom. & Arist. vbi supra, & huc pertinet secundus sensus positus in prima conclusione. Probatur: Operatio propria alicuius habitus dicit duplicem ordinem, & duplicem comparationem, scilicet, ad obiectum & ad habitum, à quo procedit, sed vtraque comparatio deficit in eo, qui operatur ex ignorantia & ex passione: primò, quoniam ille, qui operatur ex ignorantia habet obiectum occultum: & velatum, & ita deficit illi comparatio ad obiectum. Secundo: Quoniam de ratione virtutis est operari ex intentione & electione, & idem est de ratione vitij: ergo quando actus procedit ex passione, vel ignorantia, & non ex intentione, & electione, tunc deficit in illa operatione ordo ad habitum: siquidem desunt illa, quæ sunt de ratione habitus. Secũdo: Siquis faciat actionem iniustam ex ignorantia non cognoscendo iniustũ, talis actio non habet formam iniustitiæ: si verò faciat illam actionem ex passione, habet quidem formam iniustitiæ, cæterùm habet illam ordinatam, & relatã in finem passionis, tanquam medium in finem, & tanquam materiam ad suam formã, vnde illa actio est alienata, & distracta à sua forma: quando autẽ aliquis operatur iniustè ex intentione, & electione, talis actio tunc non alienatur ab obiecto iniustitiæ, nec tendit in iniustum extra eius limites: ergo sola actio iniustitiæ facta ex intentione, & electione est propriè & formaliter iniustitia: atque ex consequẽti sola illa potest denominare iniustum. Et confirmatur: Siquis sit fur, & iniustus ex ignorantia; ille magis peccat contra prudentiam, & contra illa, quæ scire tenetur, quã contra iustitiam, & similiter, qui est fur, & iniustus ex libidinis passione, magis est luxuriosus, & libidinosus, quam iniustus: ergo solus ille actus, qui est ex intentione & electione dicitur propriè & formaliter actus iniustitiæ. Tertio: Iniustum volitum ex ignorantia & passione, est volitum indirectè, interpretatiuè & per accidens, reductiuèque pertinet ad iniustitiam: iniustum autem volitum ex intentione, & electione, est per se volitum, & directè, nec constituitur reductiuè in specie iniustitiæ: ergo actio iniuriosa procedens ex ignorãtia, aut ex passione, cùm non sit per se volita, nec etiam erit propriè & formaliter actio iniustitiæ. Probo consequentiam: Nam finis est, qui dat speciem, & denominationem actionibus moralibus, quæ sunt propter finem. Vnde cum finis sit per se intentus, vniuersa autem alia sint volita propter finem manifeste sequitur, quod illa tantum actio erit proprie, & formaliter iniustitia, quæ est per se intenta, qualis est illa, quæ fit ex intẽtione, & electione. De his duabus conclusionibus videndus est Burida. lib. 5. Ethicorum, quæst. 22.

3. Conclus.

¶Tertia conclusio: Doctrina tradita in prima, & secunda conclusione, etiam habet verum in alijs actionibus pertinentibus ad reliqua vitia, quæ sunt virtutibus moralibus opposita. Volo dicere, quod siquis faciat actum intemperantiæ, aut prodigalitatis ex ignorantia, & non ex intẽtione, & electione, talis actus non facit talem hominẽ prodigum, nec intemperatum formaliter. Hæc cõclusio probatur eisdem rationibus, quibus duæ priores à nobis probatæ manent: cũ æqua sit omniũ ratio. Sed quoniã reliqua vitia ab iniustitia versantur circa passiones, idcirco aduertendum est, quod illa operatio dicitur in alijs vitijs facta ex passione, quæ fit ex passione non pertinente ad propriam materiã illius vitij. Verbi gratia: Actio intẽperantiæ ex timiditate facta, dicitur actio intemperantiæ ex passione. Et idem est de alijs virtutibus. Vnde tales non erunt sufficientes denominare propriũ subiectũ: bene tamen illæ, quæ fiunt ex passione pertinente ad materiã eiusdẽ vitij. Et sic dico, quod in vitijs, quæ sunt in appetitu sensitiuo, tantũ passio aliena in diuersa materia vitij est, quæ transfert operationẽ in diuersam formã, scilicet, in formã passionis, ità tenet D. Th. in isto artic. maxime in solutione ad. 3. Vbi dicit omnes habitus cõuenire in hoc, quod operationes factæ ex passione, & nõ ex intentione nõ sunt ab ipsis. Et ratio est, quia non habent ad illos cõparationẽ. De ratione enim cuiuscunq; habitus, siue vitiosi, siue studiosi est, q̃ eius operatio procedat ex intentione & electione. Sed est obseruãdũ hoc esse discriminis inter intẽperatũ, quod est obiectũ intẽperantiæ, & iniustum, quod est obiectum iniustitiæ. Quod iniustum, si accipiatur formaliter potest esse materia actionis iniustitiæ factæ ex ignorãtia. At vero intemperatũ formaliter acceptũ nõ potest esse materia actionis intẽperãtiæ factæ ex ignorãtia. Et ratio est: Quoniam iniustum, quod est obiectum iniustitiæ, est aliquid extra nos, quod sumitur per ordinem ad alterum. At vero temperatum,

Proposita doctrina de iustitia extenditur ad alias virtutes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

siue intemperatū, non est aliquid extra nos, sed semper sumitur per ordinem ad agens, non solum in ratione agentis, sed etiam in ratione termini, vt diximus supra quæst. 57. art. 1.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum incontrariū factum respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dico, quòd quanuis actio iniuriosa procedens ex passione sit multò minùs aliena à ratione iniustitiæ, quā illa actio iniuriosa, quæ fit ex ignorantia: cæterùm actio iniuriosa, procedens ex passione comparata cum illa actione iniuriosa, quæ fit & procedit ex intentione, & electione, absolutè loquendo, est dicenda aliena à ratione iniustitiæ. Et ratio est, quoniā passio illa à qua procedit talis operatio, & actio iniuriosa, transfert talem actionem in formam passionis, à qua procedit, vt diximus in explicatione tertiæ conclusionis.

Ad. 2. arg. ¶ Ad secundum respondetur, negando quod operatio procedens ex passione contrarietur per se & directè iustitiæ, sed illi virtuti, cuius est moderari talem passionē. Et ità directè & per se non corrumpit iustitiam, nec denominat hominem iniustum.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, verum esse non solum apud Theologum, sed etiam apud Philosophum moralem, quod quodcunq; peccatum mortale auertit hominem à Deo, & à bono rationis. Et sic operatio iniuriosa, etiam facta ex passione, & ignorantia, si peccatum mortale est, auertit hominem à Deo, & à bono rationis. Cæterùm, quia quanuis talis operatio corrumpat habitum iustitiæ in statu virtutis, non tamen corrumpit illam in esse habitus, quātum ad substantiam. Et actio iniuriosa facta ex electione, & intentione non solùm corrumpit iustitiam in esse virtutis; sed etiā quantum ad substantiam habitus. Ideircò fit, vt quæcunque operatio iustitiæ ex electione, & intentione facta generet iustitiam in esse iustitiæ, atque ex consequenti denominet hominem iniustum. Cùm tamen operatio facta ex ignorantia, aut ex passione, sicut non generat iustitiam in esse iustitiæ; ità etiam nec denominet hominem iustum. Bene video non sufficere ad generandum habitum iustitiæ vnum, aut alterum actum ex intentione & electione factum; sed semper requiruntur plures, vt docet Arist. multis in locis. Cæterū, quia maiori ex parte actus facti ex electione & intentione, procedunt ex habitu, & illum generant; vel si non sufficiunt generare habitum, generant tamen dispositionem, à qua quis potest dici dispositiue iustus: idcircò dico, quòd quicunque actus iniustitiæ procedens ex electione, & intentione denominat hominem habituali ter iniustum; non tamen ille, qui procedit ex ignorantia, vel passione. ¶ Ad quartū argumentum respondetur, concedendo sequelam: vt constat ex tertia conclusione à nobis posita. *Ad Vltim.*

Dubiū circa solutionem ad. 3. D. Thom.

¶ Circa solutionem ad tertium argumentum, vbi dicit D. Th. quòd qui ex ignorantia inuincibili accipit rem alienam dicitur iniustus materialiter, qui verò ex eadem ignorantia comedit plusquam oportet, nō dicitur intemperatus, etiā materialiter, est difficultas vtrū verum sit. Caietanus in præsenti versat hoc dubium, subobscurè tamē. Nec mirū quidem, quoniā res est obscurissima; de qua nos diximus supra. q. 57. artic. 1. Pro nunc tamen dico breuiter, doctrinā D. Th. esse verisimā. In iniusto enim materiali saluatur re vera ratio formalis iniusti secundū substantiam. Et ratio est, quoniam iniustū sumitur per inæqualitatem ad alterum. Et hoc inæquale, siue iniustum verè inuenitur in re ipsa, siue operans id faciat ex ignorantia, siue ex malitia. Vnde articulo sequenti ad tertium dicitur, quòd potest quis pati iniustum formaliter, altero non faciente iniustum, nisi materialiter. At verò in materia temperantiæ, quia intemperatum sumitur per comparationem ad operantē, hinc est, quòd dum operans facit actum ex ignorantia inuincibili, non potest dici intēperatus, etiā materialiter. Sed quia adhuc res ista manet in sua obscuritate, inquirenda est radica lis ratio huius differentiæ. Et est: Quia, cū temperantia, & intemperantia versentur circa passiones, fit, vt quandiu passio non insurrexerit in aliquo contra rectam rationē, non poterit dici intemperatus, plusquā brutum. Vnde qui comederet carnes in die veneris, non insurgente passione, sed purè ex ignorantia inculpabili, non faceret intemperatum, non solū in esse vitij, sed neq; in esse intemperantiæ materialiter; secundumque substantiā: quoniā ratio, & species intēperantiæ nō reperitur in illa comestione post quam non sit ex passione insurgente. Vnde erit dicendū, quod Noe bibens vinū vsq; ad ebrietatē, non fecit intemperatū: quia ratio intēperantiæ in illo nō fuit magis, quā si biberet aquā. At vero qui ex ignorātia inuincibili acciperet rē alienā faceret iniustū verē, quia in re ipsa faceret inæqualitatē: quę est ratio formalis iniustitię. Quanuis in esse vitij nō faceret iniustū. Et hoc modo defendenda est hæc doctrina: quæ clarior est, quā ea, quā tradidimus sup. q. 57. ar. 1. Quāuis & illa sit probabilissima. Maximè, si dicamus, quod *Explicatio subobscuris.*

quòd opus quod fuit Noe, dicitur materialiter intēperatū: nō, quia in illo opere inueniatur intemperantia, etiam materialiter, & quantum ad substantiam: Quoniam substantia intemperantiæ connotat necessario passionem insurgentem, quæ in Noe non fuit: sed potest dici intemperatum illud opus; quoniam reuera illa nimia potatio ex natura sua posset esse quodammodo materia, circa quam versaretur intemperantia.

Articvlvs. III.

Vtrum aliquis possit pati iniustum volens.

AD Tertivm sic proceditur. Videtur, quòd aliquis possit pati iniustum volens. Iniustū enim est inæquale vt dictum *est. Sed aliquis lædendo seipsum, recedit ab æqualitate, sicut & lædendo alium. Ergo aliquis potest sibi ipsi facere iniustum sicut & alteri. Sed quicunque facit iniustum, volens facit. Ergo aliquis volens potest pati iniustum, maximè à seipso.

Inf. q. 66. art. 4. cor. Et. 5. Ethic. 12. 13. & 14. Art. prace.

2 Præterea: Nullus secundum legem ciuilē punitur, nisi propter hoc, quòd facit aliquam iniustitiam. Sed illi qui interimunt seipsos, puniuntur secundū legem ciuitatum, in hoc quòd priuabātur antiquitus honore sepulturæ: vt patet per Philosoph. in quinto Ethicor. * Ergo aliquis potest facere sibi ipsi iniustum: & ita contingit quòd aliquis in iustum patiatur volens.

Lib. 5. cap. ult. paulo à princ. to. 5.

3 Præterea, Nullus facit iniustum nisi alicui patienti iniustum. Sed contingit, quòd aliquis faciat iniustum alicui hoc volenti, putà, si vendat rē cariùs quàm valeat. Ergo contingit aliquem volentem aliquid iniustum pati.

¶ Sed Contra est, quod iniustum pati est oppositum ei quod est iniustū facere. Sed nullus facit iniustū, nisi volens: ergo per oppositum nullus patitur iniustum nisi nolens.

¶ Respondeo dicendum, quòd actio de sui ratione procedit ab agente, passio autem secundum propriam rationem est ab alio. Vnde non potest esse idem secundum idem agens & patiens, vt dicitur in tertio & octauo * Physic. Principium autem proprium agēdi in hominibus est volūtas, & ideo illud propriè & per se homo facit, quod volens facit. Et econtrario illud propriè homo patitur quod præter voluntatem suam patitur, quia inquantum est volens, principium est ex seipso. Et ideo inquantum huiusmodi magis est agens, quàm patiens. Dicendum est ergo, quòd iniustum per se, & formaliter loquendo, nullus potest facere nisi volens, nec pati nisi nolens. Per accidens autē, & quasi materialiter loquendo, potest aliquis id quod est de se iniustū, vel facere nolens (sicut cum quis præter intentionem operatur) vel pati volēs, sicut cum aliquis plus alteri dat sua voluntate, quàm debeat.

Lib. 8. tex. 40. tom. 2.

¶ Ad Primvm ergo dicendū, quòd cum aliquis sua voluntate dat alicui id quod ei nō debet, non facit nec iniustitiā, nec inæqualitatē. Homo enim per suam volūtatem possidet res: & ita nō est præter proportionem, vel propositum, si aliquid ei subtrahatur, sed secūdum propriam voluntatem, vel à seipso, vel ab alio.

¶ Ad secundum dicendum, quòd alia persona singularis potest dupliciter considerari. Vno modo secundum se. Et sic si ibi aliquod nocumentum inferat, potest quidem habere rationē alterius peccati, putà, intemperantiæ, vel imprudentiæ: non tamen rationem iniustitiæ: quia sicut iustitia semper est ad alterū, ita & iniustitia. Alio modo potest considerari aliquis homo, inquātum est aliquid ciuitatis, scilicet, pars: vel inquantum est aliquid Dei, scilicet, creatura & imago. Et sic qui seipsum occidit, iniuriā quidem facit non sibi, sed ciuitati & Deo: & ideo punitur tā secundum legem diuinam, quam secūdum legem humanam, sicut de fornicatione Apostol. dicit. Si quis templū Dei violauerit, disperdet illum Deus.

¶ Ad tertium dicendum, quòd passio est effectus actionis exterioris. In hoc autem quod est facere & pati iniustū, id quod materialiter est, attenditur secundum id quod exterius agitur, prout

Universidad de Deusto
Biblioteca

Art. prece. In corp. & art. præced.

in se consideratur, vt dictum * est. Id autem quod est ibi formale & per se, attenditur secundum voluntatem agẽtis & patientis, vt ex dictis * patet. Dicendũ est ergo, quòd aliquem facere iniustũ, & alium pati iniustum materialiter loquendo, semper se concomitatur. Sed si formaliter loquamur, facere aliquis potest iniustum, intendens iniustum facere: tamen alius non patietur iniustũ, quia volens patietur. Et ẽconuerso potest aliquis pati iniustum, si nolens id quod est iniustum, patiatur: & tamen ille qui hoc facit ignorans, non faciet iniustum formaliter, sed materialiter tantùm.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet D. Thom. duabus propositionibus. Prima conclusio: Per se & formaliter loquendo, nemo potest facere iniustum, ni si volens; nec pati, nisi nolens. Probatur: Sicut est de intrinseca ratione actionis, vt ab agente procedat: sic etiam est de intrinseca ratione passionis, vt ab alio fiat, passò non conferente vim: ea enim ratione colligit Aristotel. 3. &. 8. Physic. non posse idem esse agens, & patiens; imo omne quod mouetur ab alio moueri: sed principium proprium agendi in hominibus est voluntas: vnde illud propriè dicitur homo facere, quòd à sua egreditur voluntate: & id ẽcontrario dicitur pati, quòd renuente eius voluntate de ipso fit: nam pati est vinci à superiori, & vbi quis volens patitur vim, ad id confert, ac subinde agere potiùs dicitur, quàm pati: ergo per se & formaliter loquẽdo, sicut nullus facit iniustum, nisi volens: ità etiam nec patitur, nisi nolens. Secunda conclusio: Per accidens, & quasi materialiter loquendo, potest quis id, quod est de se iniustum, vel facere nolens, vel pati volens.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HIc etiam articulus gratia interpretandi Aristotelem qui. 5. Ethic. cap. 9. & sequentibus constituit, neminem iniustũ pati, seu iniuriam, dum sua id sponte patitur, adhibitus est. Quocirca ex interpretatione literæ D. Thom. quid etiam ad Aristot. sit dicendum constabit. Vt autem sententia autoris magis clara fiat, circa eius primã conclusionẽ est difficultas, vtrũ vera sit. Et pro parte negatiua argumentor primò: Sũt plures homines, qui se interficiunt; & etiam in plurib⁹ alijs seipsos dicuntur lædere volentes: ergo potest quis pati iniustum volens. Ad hoc argumentum respondet D. Thom. hîc ad. 2. dicens, quòd qui se interficiũt peccant quidem peccato intemperantiæ, & imprudentiæ: non tamen peccato iniustitiæ. Sed contra hoc est argumentum: Temperantia versatur circa cibos, & circa res venereas: illi autem, qui se interficiunt, non versantur in hac materia: ergo non peccant peccato intẽperantiæ, sed iniustitiæ. Quòd autem nec etiam peccent peccato imprudentiæ probatur: Materia imprudentiæ est agibile in alijs vitijs: imprudentia enim versatur circa agibile alterius vitij tanquam circa propriam materiam: ergo, si huiusmodi peccatum, vt dicit D. Thom. est peccatum imprudentiæ, debet ibi assignari materia alterius vitij, circa quam versetur: nulla autem potest assignari, nisi materia homicidij, & materia iniustitiæ: ergo propriè loquendo, est peccatum iniustitiæ, & nõ peccatum imprudentiæ. ¶ Secundo: Qui tribuit pecunias vsurario vltra sortem, & item qui tribuit sicario, & grassatori, vt vitam seruet incolumem, proculdubio patitur iniustum volens; verè enim vult talem pecuniam donare: ergo falsum est dicere, quòd nullus patitur iniustum volens. ¶ Tertiò: Si ea sententia esset vera sequeretur, quòd nullus, quanuis metu in aliquod pactum consentiret, posset de iniuria conqueri: consequens autem est falsum: nam matrimonium, quod per consensum metu mortis extortum contrahitur, iura propter iniuriam dissoluunt: ergo, & illud, ex quo sequitur. Si quis autem velit ad hoc argumentũ respondere, quòd qui metu consentit sub conditione, id non vult, & propterea pactum illud est inuoluntarium; obstat Aristot. 5. Ethic. affirmans, eum, qui in genere nollet, & in particulari vult, simpliciter velle. Vt qui in naufragio merces eijcit, licèt nollet, simpliciter tamen vult. ¶ Quartò, sic argumentor: Pater tradens filiam, & maritus tradens vxorem, vt eis alij homines abutantur, patiuntur iniuriam scientes, & volentes: ergo falsum est dicere, quod nullus patitur iniuriam volens. Consequẽtia est nota: & antecedens probatur: Nam ille, qui abutitur vxore alterius, committit adulterium: & qui abutitur filia parentis, committit stuprum; & sic vterque facit iniustum. ¶ Vltimò: Christus Dominus & Martyres formaliter patiebantur iniustum, scilicet, mortem iniustè illatam; & tamen eã passi sunt volẽtes: ergo potest quis pati iniustum volens. Et confirmatur: Violans

Dubiũ circa primã conclusionẽ D. Tho.

1. argumẽtum.

2. argumẽtum.

4. argumẽtum.

Vltimũ argumentum

lans virginem, ipsa consentiente, facit illi iniuriam: vnde etiam, si ipsa voluerit violari tenetur aliquid restituere pro integritate, quam abstulit: ergo scienti, atque consentienti potest fieri iniuria. In contrariũ tamen est D. Thom. in hoc articulo, & Arist. loco citato.

Voluntariũ duplex.

¶ Pro explicatione huius difficultatis est aduertendum primò ex Aristot. 3. Ethicor. c. 1. quòd voluntarium est duplex. Vnum simplex, & absolutum, sine admixtione alicuius inuoluntarij, vt diligere Deum, velle beatitudinem. Aliud est inuoluntarium habens admixtionem inuoluntarij, quod ab Aristot. & ab alijs Philosophis appellatur voluntarium simpliciter, & inuoluntarium secundum quid. Quale est quãdo mercator ex metu tempestatis proijcit merces in mare, vel viator ex metu mortis porrigit pecunias aggressori. Huiusmodi autem secundum voluntarium adhuc potest contingere dupliciter. Aliquando enim extorquetur cum aliqua iniuria; vt in exemplo posito de latrone, cùm viator voluntarie dat pecuniam: illa tamen voluntas per vim, & contra ius est extorta. Aliquando autem extorquetur sine iniuria, vt quando mercator proijcit merces in mare: aut quando quis ductus ad suspendium postulatur à meretrice in virum, & ipse consentit: tunc enim est voluntarium simpliciter, & inuoluntariũ secundum quid, extortum tamen sine aliqua iniuria.

Bona hominis sunt in duplici differẽtia.

¶ Secundo, est aduertendum, quòd bona hominis sunt in duplici differẽtia. Quædam enim sunt, quorum homo est verè dominus per facultatem liberi arbitrij: in quo genere continentur bona fortunæ, diuitiæ, honores, &c. Alia bona sunt, quorum homo non est dominus, sed tantùm tutor & custos à natura deputatus: ad quod genus bonorum reducitur claustrum virginitatis, & integritas filiarum respectu parentum, & corpus vxoris respectu viri. Item etiam homo non est dominus vitæ, nec salutis, nec integritatis suorum membrorũ: sed est tutor istorum bonorum, & custos à natura datus.

1. cõclusio. In rebus quarum homo est dominus non potest pati iniustũ volens.

¶ Quibus positis sit prima conclusio: In illis bonis, quorũ homo est verè dominus, nulla potest cadere iniuria nec irrogatur volenti, & consentienti; dummodo talis voluntas per vim, & iniuriam non sit extorta. Hanc conclusionem ponit Arist. 5. Ethicor. cap. 9. ex quo loco illam desumpsit D. Thom. in hoc articulo, habeturque expresse de regulis iuris, in. 6. reg. 27. Vbi dicitur: Volenti & consentienti non fit iniuria, nec dolus. Quod est intelligendum, quando tale voluntarium non est extortum per iniuriã; aliàs, si per metum extorqueatur, non est dubium, quin verisime fiat iniuria. Et ratio conclusionis est: Quia cum homo sit verè dominus istorum bonorum, habeatque plenarium dominium respectu illorum, nulla improportio, nulla inæqualitas, nulla iniuria irrogatur illi per hoc, quod ipso volente & consentiente, ab illo subtrahantur hæc bona. Ex hac conclusione infero primo, quòd illa, quæ quis lucratur in ludo aliàs licito, nulli manent obnoxia restitutioni. Restitutio enim, vt latiùs infra dicemus, semper fundatur in aliqua iniuria. Volenti autem, & scienti ludere nulla fit iniuria, si ludus alias est licitus, & ipse est sui iuris. Infero secundo, quòd si aliquis prodigè det bona sua, vt si eques det scurræ mille aureos alicuius facetiei gratia, accipiens nihil tenebitur restituere per rationẽ modo datam. Infero tertio, quòd si quis voluntariè det mulieri mille aureos, aut bis mille, illa nihil tenebitur restituere. Voluntariè enim homo contulit illa bona; nec talis voluntas per iniuriã extorquetur. Ex quo sequitur, peccare grauiter confessores, qui nolunt huiusmodi mulieribus absolutionẽ impendere, donec restituãt tales pecunias. Præterquam enim quòd mentiuntur in sacramento dicentes, illas teneri ad restitutionem, cùm tamen sit falsum, quod est res grauissima; priuant etiam eas bonis proprijs ipsis nolentibus, quod sine iniuria fieri nõ potest. Quod confessores debent facere est monere illas, & rogare, vt aliquid reddant ex pecunijs acceptis: nullis tamen impositis scrupulis non necessarijs. Est autem hoc intelligendum dummodo in tali collatione pecuniæ nulli tertiæ personæ fiat iniuria: Si enim habeas vxorem & liberos omnia bona sua prodigeret, accipiens, de iustitia teneretur illi reddere quantum sufficeret ad commode sustentandam propriam familiam. Liberi enim atque vxor verum ius habent ad hoc, vt ex huiusmodi bonis cõmode alantur secundum suum statum, cui pater familias cedere non potuit. Propter quod dicebat Paul. 1. ad Timot. c. 3. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

2. cõclusio.

¶ Secunda conclusio: In illis bonis proprijs, quorum homo non est verè dominus, sed tutor, & custos, vt in vita, in salute, in integritate membrorum, &c. verè irrogatur aliqua iniuria, etiam volenti, & cõsentienti. Hæc conclusio probatur ratione oppositi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

oppositа, & contraria rationi primæ conclusionis. Si enim homo istorum bonorum non est verè dominus, sed tantum tutor,& custos; manifestè sequitur, quod etiam ipso tutore consentiente aliqua irrogatur iniuria, & fit iniustum. Dico tamen, quod iniuria facta in istis bonis, quando fit volenti & consentienti, vt si quis propriam manũ abscindat, vel brachium, non obligat ad restitutionem. Vnde quamuis ille, qui propriam manum abscidit, fuerit artifex, valdè vtilis reipublicæ, nihil tamen ei tenebitur restituere. Et ratio est: quia qui præcisè lædit iustitiam legalem, ex hoc solum nõ obligatur ad restitutionem, vt diximus supra agentes de iustitia legali. In casu autem cõclusionis, quo quis abscindit proprium brachium, solum est violatio iustitiæ legalis: & sic non potest esse obligatio restitutionis.

3. cõclusio. ¶Tertia conclusio: In alijs bonis, quorũ homo non est dominus, sed tutor & custos: de quibus fit mentio in quarto articulo, vt quando pater consentit stupro filiæ, & maritus adulterio vxoris, & similiter, quando aliquis rogatus interficit alium, vel mutilat ei aliquod membrum, ipso petente & volente fit quidem iniuria, non tamen obligat ad restitutionem. Et quidem, quòd in illis bonis fiat iniuria est res manifesta, propter rationem positam in secunda conclusione. Quod autem ex illa non nascatur obligatio restitutionis probatur: Nam, si restitutio est facienda debet esse in illis bonis quorum homo læsus erit verus dominus, scilicet, in pecunia, vel in frumento, vel in honore: sed volens talem iniuriam pati, cẽsetur omnino ea bona condonasse: ergo delinquens tunc ad nullam tenebitur restitutionem. Et idem iudicium est de eo, qui stuprat virginem, ipsa volente, & petente. Quamuis enim ei faciat iniuriam; non tamen quæ obligat ad restitutionem. Secus autem erit, si violans, vel metu, vel importunis precibus ipsam inducat ad violationẽ. Tunc enim tenebitur aliquid restituere, vt infrà dicemus in materia de restitutione. Ex dictis infertur, quod hæc duo, facere iniustum, & pati iniustum, sunt correlatiua, & materialiter inferunt se mutuò; non tamen formaliter. Et ratio est, quoniam potest quis iniustũ facere ex intentione, quod est facere iniustum formaliter: & alter pati illud volens; & consentiens; quod est pati iniustum materialiter. Similiter etiam potest contingere, vt quis patiatur iniustum formaliter, scilicet, nolendo, & repugnando; & tamen qui facit iniustum, si faciat ex ignorantia, & non ex intentione facit iniustum materialiter, & non formaliter.

Ad. 1. arg. ¶Ad primum argumentum respondetur notando, quòd homo potest considerari in quantum est pars ciuitatis, & membrũ reipublicæ. Et sic peccat contrà Iustitiam legalem, se interficiens: propter quod punitur & priuatur honore sepulchri, vt docet Aristot. 5. Ethic. c. 11. Ex quo loco ius Canonicum talem pœnam desumpsit. Altero modo potest considerari in quantũ est persona priuata, & ens particulare. Et sic se occidens violat leges appetitus naturalis. Inest enim homini appetitus naturalis se conseruãdi multò excellẽtior, quã amicitia, importans vnionẽ ad alterũ. Vnde qui se occidit violat vnitatẽ, & recedit à seipso; quod peccatũ grauius est, quàm violare amicitiã. Theologi dicunt, quod qui se interficit peccat cõtra charitatẽ, qua seipsum tenetur diligere in ordine ad Deũ, quę quidem sententia etiã est vera. Et quãdo D. Tho. affirmat, quod peccat peccato intẽperantiæ est intelligendus, si se interficit in cibis & in venereis: aliàs nulla ratione dicetur intemperatus, vt rectè probat argumentum. De peccato autem imprudentiæ dico, quòd est duplex imprudentia: vna, quæ est vitium particulare oppositum particulari virtuti prudentiæ: altera, generale vitium inclusum in omnibus alijs: de qua loquitur Sapiens, quando dicit, quod omnis prauus est ignõrans. Et de hac imprudentia est intelligendus D. Thom. in solutione ad secundum, quando dicit, eum, qui se interficit peccare peccato imprudentiæ. Quare nihil obstat obiectio facta. ¶Ad secundũ argumentum respondetur, sufficere inuoluntariũ mixtũ, ad hoc, vt quis dicatur pati iniustũ formaliter; maximè quando voluntariũ coniunctũ cum illo inuoluntario fuerit per iniuriam, & violentiam extortũ, vt contingit in casibus argumenti. Ad. 2. argumentũ. ¶Ad tertium argumentum respondetur, negando sequelam: Nam conditio illa, quam Theologi nolleitatem appellant, satis est ad hoc, vt quis censeatur iniuriam passus; tametsi aliàs simpliciter velit, dummodo consensus contra ius, & per violentiam extorqueatur, vt contingit in eo qui metu mortis matrimonium contrahit. Ad. 3. argumentum. ¶Ad quartum argumentum, ex dictis in tertia conclusione patet solutio. ¶Ad vltimum respondetur primò, negando, quòd Christus Dominus, atque Martyres patiebantur iniustum formaliter; sed tantũ materialiter. Quod bene potest quis pati volens, vt dicit D. Tho. in 2. cõclusione etiam dum alteri facit iniustum formaliter, vt habetur

Ad. 4. argumentum. Ad vltimũ argumẽtũ. Christus atque martyres qualiter iniustũ patiebãtur.

habetur in solutione ad tertium. Vel secũdo respõdetur, concedendo quòd Christus Dominus, atque Martyres patiebantur iniustum formaliter: tum, quia, quamuis sustinebant mortem voluntariè, non tamen deprecabantur ipsos tortores, vt se occiderent: tùm etiam, quia, quamuis mors illa esset volita secundum rationem, tamen secundum appetitũ sensitiuum erat odio habita, vt Christus Dominus manifestauit, dũ proximus morti dixit: Pater, si fieri potest, trãseat à me calix iste: veruntamen non mea sed tua fiat voluntas. Et hoc satis esse videtur ad hoc, vt dicantur pati mortem nolẽtes, atque ex consequenti iniustum formaliter. Meo tamen iudicio melior est prima responsio. Ad confirmationem respondetur, negando quòd qui violat virginẽ ipsa petente, atque consentiente, quamuis faciat iniuriam, teneatur aliquid restituere, vt diximus in tertia conclusione. Quam etiam sententiam tenet Siluester verbo, Iniuria. §. 6. & Nauarro in Manuali, c. 16. & Soto lib. 4. de Iustitia & iure, quæst. 7. ar. 1. ad secundum, & Victoria in relectione de matrimonio, de quo nos etiam plura dicemus in materia de restitutione.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm quicunque facit iniustum peccet mortaliter.

Inf. q. 69. ar. 1. 60. & q. 70. ar. 4. cor. Et. qu. 110. art. 3. cor. AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd non quicunque facit iniustum, peccet mortaliter. Peccatum enim veniale mortali opponitur. Sed quandoque veniale peccatum est, quòd aliquis faciat iniustum. Dicit enim Philoso. *in quinto Ethic. De iniusta agentibus loquens. Quicunque non solum ignorantes, sed & propter ignorantiam peccant, venia digni sunt: ergo non quicunque facit iniustũ mortaliter peccat.

Lib. 5. c. 8. in fine. t. 5.

2 Præterea. Qui in aliquo paruo iniustitiam facit, parum à medio declinat. Sed hoc videtur esse tolerabile, & inter minima malorum computandum, vt pater per Philosophum *in 2. Ethi. Non ergo quicunque facit iniustũ, peccat mortaliter.

Lib. 2. cap. vlt. circa fi. tom. 5.

3 Præterea, Charitas est mater omniũ virtutum, ex cuius contrarietate aliquod peccatum dicitur mortale. Sed non omnia peccata opposita alijs virtutibus sunt mortalia: ergo etiam neque facere iniustum semper est peccatum mortale.

¶SED CONTRA, Quicquid est contra legem Dei, est peccatum mortale. Sed quicunque facit iniustum, facit cõtra præceptum legis Dei: quia vel reducitur ad furtum, vel ad adulterium, vel ad homicidium, vt ex sequentibus *patebit; ergo quicunque facit iniustum, peccat mortaliter. *Q. 64. & sequentibus.*

¶RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra *dictum est, cum de differentia peccatorum ageretur, peccatũ mortale est quòd contrariatur charitati per quam est animæ vita. Omne autem nocumentum alteri illatum, ex se charitati repugnat, quæ mouet ad volendum bonum alterius: & ideo cum iniustitia semper consistat in nocumento alterius, manifestum est quòd facere iniustum, ex genere suo est peccatum mortale. *Q. 24. artic. 12. & 1. 2. q. 72. ar. 5.*

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd illud verbum Philosophi intelligitur de ignorantia facti, quam ipse vocat ignorantiam particularium circunstantiarum, quæ meretur veniam: non autem de ignorantia iuris, quæ non excusat. Qui autem ignorans facit iniustum, non facit iniustum, nisi per accidens: vt supra * dictum est. Artic. 2.

¶Ad secundum dicendum, quòd ille qui in paruis facit iniustitiam, deficit à perfecta ratione eius quod est iniustum facere, inquantum potest reputari non esse omnino contra voluntatem eius, qui hoc patitur: putà si auferat aliquis alicui vnum pomum vel aliquid tale, de quo probabile est quòd ille inde nõ lædatur, nec ei displiceat.

¶Ad tertium dicendum, quod peccata quæ sunt contra alias virtutes non semper sunt in nocumentum alterius, sed important inordinationem quandam circa passiones humanas. Vnde non est similis ratio.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio: Facere iniustum ex genere suo est peccatum mortale. Probatur: Illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud est ex genere suo peccatum mortale, quòd contrariatur charitati, per quam est vita animæ: sed facere iniustum est huiusmodi: ergo ex genere suo est peccatũ mortale. Consequentia cum maiori est nota: & minor probatur: Facere iniustum, est inferre alteri nocumentum: sed quodcũque nocumentũ alteri illatum repugnat charitati, cuius est mouere voluntatem ad volendum bonum alterius: ergo quodcunque facere iniustum aduersatur charitati, atque ex consequenti ex genere suo est peccatum mortale.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusio huius articuli est manifesta; sed solutiones argumẽtorum sunt valde notandæ. Vnde circa solutionem ad primum aduerte, quòd doctrina ibi tradita habetur de regulis iuris in. 6. regula. 15. Vbi dicitur, quod ignorantia facti excusat, non verò ignorãtia iuris. Idem etiam tenet Aristot. quinto Ethicor. c. 8. De quo videdus est D. Thom. 3. par. quæst. 80. artic. 4. ad. 5, & Caietanus in opusculo de confessione. quæst. 5. & Castro libr. 2. de lege pœnali: cap. 14.

Paruitas materiæ excusat ne iniustitia sit peccatum mortale.

¶Circa solutionem ad secundum est aduertendum, quod, vt ex illa constat paruitas materiæ excusat, ne facere iniustum sit peccatum mortale. Verbi gratia, rixantur pueri inter se se, etiam habentes vsum rationis, manuque & pugno se feriunt; & item fratres germani, dum paruuli sunt in domo paterna conuitijs se lacessunt, & alapas sibi figunt, regulariter loquendo non peccant mortaliter; quia maiori ex parte id nõ procedit ex odio, aut maleuolentia, sed nec ex ira perfecta: vnde talis materia inter ipsos parua censetur. Ex quo fit, vt etiam si sint initiati prima tonsura, non maneant excommunicati: Excommunicatio enim sine peccato mortali non incurritur. Dixi regulariter: nam interdum potest oppositum accidere; quod per prudentiam boni viri erit iudicandum. Sit aliud exemplum, quod à D. Thom. ponitur in eadem solutione ad secundum: Surripit quis ex pomario alieno vnum pomum, peccat solum venialiter, ob paruitatem materiæ. Et addit D. Thom. rationem: quia, scilicet, id non reputatur esse contra voluntatem domini illius. Sed dubitabit aliquis hoc loco, an si sciat esse contra volũtatem domini illius, eo quod est homo animi miseri, & angusti, tunc peccet mortaliter, auferendo pomum? Soto libr. 5. de iustitia & iure, quæst. 3. artic. 3. ad tertiũ respondet affirmatiue; refellitque Caietanum oppositum dicentem. 2. 2. quæstio. 66.

Quãdo puer alior prima tonsura initiator percutiẽtes sint excõmunicati.

art. 6. Cæterum meo iudicio, opinio Caietani est multó verior. Vnde dico breuiter, quòd in tali casu nullum est peccatum mortale. Subreptio enim vnius pomi non censetur rationabiliter contraria voluntati domini; licet de per accidens ex paruitate animi multum offendatur ex tali subreptione. Verum tamen est, quod si scirem hominem illum ex eo facto prouocandum esse ad multãram, putà ad peierandum vel blasphemãdum, vel concipiendum odium lethale, peccarem mortaliter, auferendo pomum; non quidem contra iustitiam, quod intendit D. Thom. sed contra charitatem: quia eum prouoco ad peccandum. Et hoc est valde notandum pro pluribus alijs materijs.

¶Circa solutionem ad tertium argumẽtum est videndus D. Thom. infrá, q. 148. ar. 2. & Caietanus ibidem, & articul. 3. ad tertium, & quæstione. 118. artic. 2. & 3.

QVÆSTIO. LX.
De Iudicio, in sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Iudicium sit actus iustitiæ?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd iudicium non sit actus iustitiæ. Dicit enim * Philosoph. in primo Ethicor. quod vnusquisque benè iudicat quę cognoscit: & sic iudicium ad vim cognoscitiuã pertinere videtur. Vis autem cognoscitiua per prudentiam perficitur. Ergo iudicium magis pertinet ad prudentiam, quàm ad iustitiam, quæ est in voluntate: vt dictum est. *Infr. q. 63. art. 4. cor. & Isa. 1. lc. 6. prin.*

2 Præterea, Apostolus dicit *. 1. ad Corint. 2. Spiritualis iudicat omnia. Sed homo maximè efficitur spiritualis per virtutem charitatis, quę diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctũ qui datus est nobis: vt dicitur Rom. 5. ergo iudiciũ magis pertinet ad charitatem, quàm ad iustitiam. *Lib. 1. c. 3. tom. 5. Q. 58. a. 4.*

3 Præterea, Ad vnamquanque virtutem pertinet rectum iudiciũ circa propriam materiam, quia virtuosus in singulis est regula & mensura secundum Philoso. * in lib. Ethic. Non ergo iudicium magis pertinet ad iustitiam quàm *Li. 3. Ethi. c. 3. ad fin. tom. 5.*

quàm ad alias virtutes morales.

4 Præterea, Iudicium videtur ad solos iudices pertinere. Actus autem iustitiæ inuenitur in omnibus iustis. Cum ergo non soli iudices sint iusti, videtur quòd iudicium non sit actus proprius iustitiæ.

¶SED CONTRA est, quod in Psalm. 93. dicitur. Quoadusque iustitia cõuertatur in iudicium.

¶RESPONDEO dicendum, quòd iudicium proprie nominat actum iudicis, inquantum iudex est. Iudex autem dicitur quasi ius dicens. Ius autem dicitur obiectum iustitiæ vt suprà habitũ * est. Et ideo iudicium importat secũdum primam nominis impositionem, diffinitionem, vel determinationem iusti vel iuris. Quod autem aliquis benè diffiniat aliquid in operibus virtuosis, propriè procedit ex habitu virtutis: sicut cuiꝰ rectè determinat ea, quę pertinent ad castitatem. Et ideo iudicium quod importat rectam determinationem eius quod est iustum, propriè pertinet ad iustitiam. Proptet quod Philosophus * in quinto Ethicorum dicit, quod homines ad iudicem confugiunt sicut ad quandam iustitiam animatam. *Q. 57. a. 1.* *Lib. 5. c. 4. paulò ante med. to. 5.*

¶AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd nomen iudicij quod secundum primã impositionem significat rectam determinationem iustorum, ampliatum est ad significandam rectam determinatiõnem in quibuscunque rebus, tam in speculatiuis, quàm in practicis: in omnibus tamen ad rectum iudicium duo requiruntur, quorum vnum est ipsa virtus proferens iudicium. Et sic iudiciũ est actus rationis: dicere enim vel diffinire aliquid rationis est. Aliud autem est dispositio iudicantis, ex qua habet idoneitatem ad rectè iudicandum: & sic in his quæ pertinent ad iustitiam, iudicium procedit ex iustitia: sicut & in his quæ ad fortitudinem pertinent, ex fortitudine. Sic ergo iudicium est quidam actus iustitiæ, sicut inclinantis ad rectè iudicandum; prudentiæ autem, sicut iudicium proferentis. Vnde & syllogisis ad prudentiam pertinens dicitur bene iudicatiua: vt suprà * habitum est. *Q. 51. ar. 3.*

¶Ad secundum dicendum, quòd homo spiritualis ex habitu charitatis habet inclinationem ad rectè iudicandum de omnibus secundum regulas diuinas, ex quibus iudicium per donum sapientiæ pronuntiat: sicut iustus per virtutem prudentiæ pronũtiat iudiciũ ex regulis iuris.

¶Ad tertium dicendum, quòd aliæ virtutes ordinant hominem in seipso: sed iustitia ordinat hominem ad alium, vt ex dictis * paret. Homo autem est dominus eorum, quæ ad ipsum pertinent: non autem est dominus eorum quæ ad alium pertinent. Et ideo in his, quæ sunt secundum alias virtutes, non requiritur, nisi iudicium virtuosi, extensoramen nomine Iudicij: vt dictum * est. Sed in his quæ pertinent ad iustitiã, requiritur vlterius iudicium alicuius superioris, qui vtrunque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus. Et propter hoc iudicium speciali pertinet ad iustitiam, quàm ad aliquam aliam virtutem. *Q. 58 a. 2. 9. & 10.* *In isto art.*

¶Ad quartum dicendum, quòd iustitia in principe quidem est sicut virtus architectonica, quasi imperans & præcipiens quod iustum est: in subditis autem est tanquam virtus executiua & ministrans. Et ideo iudicium, quod importat diffinitionem iusti, pertinet ad iustitiam secundum quod est principaliori modo in præsidente.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua: Et probatur ex ipso nominis sono, & compositione. Nam iudiciũ idem est, quod dictio iuris, & iudicare, quod ius dicere, & iudex, quod ius dicens. Ex quo fit, vt iudicare sit proprius actus circa ius: sed ius est obiectum iustitiæ, vt suprà dictum est, hoc est, illud iustum, quod per iustitiam in rebus constituitur: ergo iudicare secundum suam propriam significationem idem est, quod discernere, & diffinire id, quod iustũ est: sed hoc pertinet ad iustitiam: ergo iudicare est actus iustitiæ.

Explica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nomen iudiciũ multis modis accipitur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius materiæ, vt à no mine ipso exordiamur, aduertendum est, quòd iudicium multis modis accipitur in sacris litteris. Nam primò accipitur pro ipsa lege Dei, iuxta illud Psalm. 118. Iurauí, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Secundò sumitur pro causa, quæ ad iudicem defertur, vt in eodem Psalmo, Iudica iudicium meum, & redime me. Quo loco D. Thom. Hieronymus vertit. Iudica causam meam. Tertiò accipitur pro effectibus Dei, quorum causam ignoramus, vt Psalmo 35. Iudicia tua abyssus multa. Quartò, pro punitione, quomodo accipitur. Exo. c. 6. dũ dicitur: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorũ in brachio excelso, & iudicijs multis. Et Mar. 12. dicit Christus de pharisæis: Hi recipient prolixius iudicium, ideſt, grauius pumentur. Quinto accipitur multo communius pro actu iudicandi, vt in Psalm. 1. Non resurgent impij in iudicio. Et Ioan. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Et in hac significatione accipitur à D. Thom. in præsenti, quando dicit, quod iudicare est actus iustitiæ. Plures alias acceptiones huius vocis iudicium, ponit Syluester verbo, iudicium: §. 1. & Lexicon Theologicum eodem verbo. Videte illas.

Quid iudicium, quid iudex, quid iust.

¶Secundò est aduertendum, quòd iudicium est actus iudicis; in quantum iudex est: iudex autem idem est, quod ius dicẽs: ius verò idem quod iustum, siue æquale. Vnde in propria sua natura, & in proprio suo conceptu iudicium importat diffinitionem, & determinationẽ iuris, vel iusti. Dicitur etiã iudex cõtrouersiarum cognitor: estque ille, qui ex iurisdictione sibi propria, vel delegata, & commissa ius habet litigantium causas cognoscendi. Vnde Arist. 5. Ethic. c. 4. vocat iudicem iustitiam animatam, idque multis de causis. Primò, quia iustitia debet operi pare totã iudicis animã. Secundò, quoniam, sicut iudex operatur, & exercet operationẽ vitæ per animam: ità etiã per iustitiam tanquam per animam, & principium vitæ debet suas operationes exercere. Tertiò, quoniam iustitia ex se mortua est, nisi executioni mandetur. Executio autem sit per iudicem: sicque iudex vocatur iustitia animata.

Dubiũ circa cõclusionem huius artic.

¶Sed est difficultas circa conclusionem huius articuli: Vtrum iudicium, de quo in præsenti est sermo, sit actus elicitus à iustitia, an verò à prudentia. Et quidem, quòd sit actus elicitus à prudentia, probatur primò: Vnusquisque, vt dicit Arist. lib. 1. Ethi. ca. 3. bene iudicat quæ cognoscit: ergo iudicium ad vim cognoscitiuam pertinet. Tunc vltra: *1. argumẽtum.*
sed vis cognoscitiua in moralibus perficitur per prudẽtiam: ergo iudiciũ potius per prudẽtiam, quæ est in intellectu, quàm per iustitiam, quæ est in voluntate, elicitur.

¶Secundò: Iudicium, quo quis determinat in materia castitatis, pertinet ad castitatem; *2. argumẽtum.*
& quo determinat in materia fortitudinis, pertinet ad fortitudinem: & similiter iudiciũm, quo quis determinat in materia iustitiæ, pertinet ad iustitiam: ergo non est cur iudiciũ in sua generalitate magis sit actus iustitiæ, quàm cæterarũ virtutũ. *3. argumẽtum.*

¶Tertiò: Si iudiciũ hic sumatur pro eo, quo quis determinat casus dubios iustitiæ, certum est, q̃ elicitur à scientia iuris, & peritia, quã quis habet: si verò sumitur pro eo, quod iudex determinat, quid, & quando sit faciendum, elicitur à prudentia; vt constat: ergo falsò dicit D. Tho. quòd iudicium, prout significat determinationem iudicis, est actus iustitiæ.

¶His tamen non obstantibus sit conclu- *1. cõclusio.*
sio, quod iudicium pro determinatione facta à iudice cõpetẽti in materia iustitiæ [sic enim accipitur iudicium in præsenti, & est *Iudiciũ est actus elicitus à iustitia.*
cũ iudex iudicat inter partes litigãtes, easq; coercet ad assecutionem iusti] tale, inquam, iudicium est actus elicitus à iustitia. Probatur: Tale iudicium est debitum, & constituit æquale & iustum, idque in ordine ad alterũ: ergo nihil deest illi, quominus sit actꝰ elicitus à iustitia. Est autem actus iustitiæ legalis, in quantum iudex debet illud iudiciũ bono cõmuni: & est actus iustitiæ cõmutatiuæ, in quantum iudex tanquam minister rei publicæ stipendio conductus, profert tale iudicium constituitque æquale in re. Cæterum si iudicium fiat non à iudice, sed ab homine priuato, poterit esse vel actus misericordiæ: si fiat ad succurrendum misero, aut ad docendũ ignorãtes; vel poterit esse actus scientiæ, si fiat solum speculandi, & docẽdi gratia: vel poterit esse actus iustitiæ legalis; si fiat pro bono communi & obseruatione legum. Et tandẽ similiter poterit esse actus cæterarum virtutum, iuxta motiua, quibus quis motus fuerit ad ferendum tale iudiciũ.

¶Et ad secundum argumentum, in con- *Ad. 1. arg.*
trarium factum respondetur negando vltimam consequentiam. Quanuis enim sit verũ, quod iudiciũ pertinet ad vim cognoscitiuã, & quòd vis cognoscitiua in moralibus perficitur per prudentiam, non tamen indè infertur, quod iudicium pro determinatione facta à iudice in materia iustitiæ non sit actus elicitus à iustitia. Quod, vt intelligatur aduertendum est, quòd cum nomẽ iudicium

Iudiciũ significat rectam diffinitionẽ omnium virtutum circa propria obiecta.

cium à iure sit deriuatum, fit, vt primò fuerit impositum ad significandam rectam determinationem iustorum. Inde autem fuit deriuatum nomen ad significandum in vniuersum quamcunque rectam diffinitionem aliarum virtutum circa propria obiecta, tã in speculatiuis quã in practicis. Vt verbi gratia, ad significandum rectam diffinitionem in materia temperantiæ & fortitudinis, &c. & similiter ad significandum in scientijs speculatiuis adæquationem obiecti ad intellectum, in quo recta diffinitio talis scientiæ consistit: sed in omnibus his ad rectum iudicium duæ virtutes sunt necessariæ. Vna, quæ iudicium proferat: altera, quæ potentiam iudicantis disponat ad hoc, vt sit apta, & idonea ad rectitudinem iudicij. Primũ est propriũ, ratio cuius est loqui. Secundum autem est proprium illius habitus, cuius est bene afficere potentiã ad obiectũ. Qui habitus in rebus speculatiuis, est speculatiuus, in intellectu existẽs: in practicis autem est habitus afficiens appetitum, nempe, in materia temperantiæ: habitus temperantiæ in materia fortitudinis, habitus fortitudinis. Nemo enim rectissimè iudicabit esse bonum aggredi res difficiles, quando oportet, nisi qui fortis est: nec etiã censebit esse melius vti ciborum moderatione, quam illis immergi, nisi qui temperatus. Et pari ratione rectum iudicium in materia iustitiæ erit opus ipsius; tanquam ineli- *Ad rectum iudiciũ duæ virtutes sunt necessariæ.*
nantis hominem ad rectè iudicandum: prudentiæ autem, tanquam proferentis iudicium. Prudentia enim est, quæ in omnium virtutum materijs iudicia profert: cùm tamen, quòd recta sint ab habitibus moralibus affectum præparantibus proueniat, &c. Si quis autem quærat, vtrinam harum virtutum sit magis proprium iudicare? dico breuiter propinquiùs quidem id conuenire rationi, atque prudentiæ, à qua iudicium profertur, sed potissimum conuenire iustitiæ, à qua habetur, vt iudicium sit rectum. Virtus enim moralis, vt inquit Arist. 6. Ethic. c. 12. est quæ propositum ipsum efficit rectum: prudentia vero, quæ circa media negotiatur. Et quia, vt diximus suprà, in primo Tomo. q. 3. art. 1. omnis actus dicitur elici ab illa virtute, seu vitio, à quo habet bonitatẽ, vel malitiam in esse moris, quanuis non sit actus illius potentiæ, in qua talis habitus cõstituitur, fit, vt iudicium in materia iustitiæ eliciatur à virtute iustitiæ, à qua habet speciem moralem: quanuis iustitia sit in voluntate, & iudicium in intellectu.

Ad. 2. argumentũ.

¶Ad secundum argumentum ex dictis patet solutio. Cùm enim iudicium proprièsumptum, vt dicit D. Thom. hic ad primum solùm significet determinationem iustorum, hoc est, determinationem in materia iustitiæ, sit, vt proprièe non inueniatur, nec sit actus, nisi solius iustitiæ. Cæterùm si sumatur simplè & extensò vocabulo, poterit etiam reperiri in materia cuiuscunque alterius virtutis, vt iam dictum est, &, vt declarat D. Tho. hic ad. 3.

Ad. 3. argumentum.

¶Ad tertium respondetur, verum esse, quòd iudicium potest esse actus diuersarum virtutum, iuxta diuersa motiua ipsius operantis. Cæterum, quia hic non loquimur de iudicio, nisi habita solùm ratione finis, & obiecti, & non ipsius operantis, & iudicium ex natura sua ordinatur ad constitutionem iusti in rebus ipsis, quod proprièe pertinet ad iustitiam, fit, vt iudicium proprièe sit actus iustitiæ, & non alterius virtutis. Et hæc de isto articulo.

ARTICVLVS II.

¶*Vtrùm sit licitum iudicare.*

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd non sit licitum iudicare. Non enim infligitur pœna nisi pro illicito. Sed iudicantibus imminet pœna, quam non iudicantes effugiunt: secundum illud Matth. 7. Noli iudicare, ne iudicemini. Ergo iudicare est illicitum. *Inf. ar. 3. et 6. & q. 67. ar. 1. & 4. di. 48. cor. principio. Et Rom. 2. & c. 14. co. 3. fin. & 1. Cor. 4.*

2 Præterea, Rom. 14. dicitur. Tu quis es, qui iudicas alienũ seruũ, suo dño stat, aut cadit. Dñs autem omniũ Deus est. Ergo nulli homini licet iudicare.

3 Præterea, Nullus homo est sine peccato, secundum illud 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Sed peccanti non licet iudicare secundũ illud ad Romanos. 2. Inexcusabilis es homo omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas: teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas. Ergo nulli licitum est iudicare.

¶SED CONTRA est, quòd dicitur Deuter. 16. Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iusto iudicio.

¶RESPONDEO dicendum, quòd iudicium in tantum est licitum, inquantum est iustitiæ actus. Sicut autem ex prædictis * patet ad hoc quòd iudicium sit actus iustitiæ, tria requiruntur. *Ar. præcẽd.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primo, quidem, vt procedat ex inclinatione iustitiæ. Secundò, quòd procedat ex authoritate præsidentis. Tertiò, quòd proferatur, secundum rectam rationem prudentiæ. Quodcunque autem horum defuerit, iudicium erit vitiosum & illicitum. Vno quidem modo quando est contra rectitudinem iustitiæ. Et sic dicitur iudicium peruersum, vel iniustum. Alio modo, quando homo iudicat in his, in quibus non habet autoritatem: & sic dicitur iudicium vsurpatum. Tertio modo, quando deest certitudo rationis, puta, cum aliquis de his iudicat, quæ sunt dubia, vel occulta propter aliquas leues coniecturas, & sic dicitur iudicium suspicionosum, vel temerarium.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd Dominus ibi, prohibet iudicium temerarium, quod est de intentione cordis, vel de alijs incertis, vt Augustin. * dicit in libro de Sermone Domini in monte. Vel prohibet ibi, iudicium de rebus diuinis: de quibus cum sint supra nos, non debemus iudicare, sed simpliciter ea credere: vt Hilarius * dicit super Matthæ. vel prohibet iudicium quod nõ fit ex beneuolentia, sed ex animi amaritudine, vt Chry. * dicit.

Lib.2.c.28 to.4.

Capit.5. in Matth. non procul. à fine.

Hom.17. in opere imperfecto. to.2.

¶ Ad secundum dicendum, quòd iudex constituitur, vt minister Dei. Vnde dicitur Deuteronomio 1. Quod iustum est iudicate. Et postea subdit, Quia Dei est iudicium.

¶ Ad tertium dicendum, quod illi qui sunt in grauibus peccatis, non debent iudicare eos, qui sunt in eisdem peccatis, vel minoribus: vt Chrysost. dicit * super illud Matth. 7. Nolite iudicare. Et præcipue, hoc est intelligendum quando illa peccata sunt publica: quia ex hoc generatur scandalum in cordibus aliorum. Si autem non sunt publica, sed occulta, & necessitas iudicandi immineat, propter officium potest cum humilitate & timore, vel arguere, vel iudicare. Vnde Augusti. * dicit in libro de Sermone Domini in monte. Si inuenerimus nos in eodem vitio esse, congemiscamus, & ad pariter conandum inuitemus. Nec tamen propter hoc homo sic seipsum condemnat, vt nouum condemnationis meritum sibi acquirat: sed quia condemnans alium, ostendit se similiter condemnabilem esse propter idẽ peccatum vel simile.

Hom.24. non remotè à prin. t.2.

Li.2.c.28. àmed.to.4.

Svmma Textvs.

DIuus Thom. ea tantum ratione mouet præsentem difficultatem, vt explicet conditiones, quæ necessariæ sunt ad hoc, vt iudicium sit rectum, atque licitum. Et sic constituit talem conclusionem: Ad hoc, vt iudicium sit rectum & licitum, opus est, vt procedat à potestate legitima, ab inclinatione iustitiæ, & quod fiat secundum rectam rationem prudentiæ: & quauis ex his conditionibus deficiente, iudicium erit vitiosum, & peccatum. Probatur: Iudicium eatenus est rectum, & licitum, quatenus est actus iustitiæ: sed ad hoc vt sit actus iustitiæ, tria hæc commemorata sunt necessaria: ergo & eadem requiruntur ad iudicij rectitudinem. Consequentia cum maiori est nota; & minor probatur: Nam si desit legitima potestas, appellatur iudicium vsurpatum, Si autem desit inclinatio iustitiæ, appellatur iudicium peruersum, & iniustum, Si verò desit recta ratio prudentiæ, dicitur iudicium suspicionosum, & temerarium, quæ omnia important actũ vitiosum: ergo.

Explicatio Articvli.

Tres conditiones sũt necessariæ, vt iudiciũ sit iustum.

PRo intelligentia huius articuli aduertendum est primò, quòd, vt ex litera constat, tres sunt conditiones necessariæ ad hoc, vt aliquod iudicium sit studiosum, & secundũ iustitiam. Prima conditio est, quòd iudicium procedat ex intentione, & inclinatione iustitiæ. Secunda, quòd procedat ex iurisdictione & autoritate præsidentis, & iudicantis. Tertia conditio est, quòd tale iudicium procedat secundum rectam æstimationem prudentiæ, & debitam consultationem. Legitimus sensus primæ conditionis est, quòd iudicium procedat ex isto actu iustitiæ: Volo reddere alteri quod suum est. Et tũc iudiciũ procedit ex intẽtione, & inclinatione iustitiæ, quãuis in illo iustitiæ habit⁹ nõ sit. Iustitia enim per istũ actũ, & disponit intellectũ, & inclinat voluntatẽ ad iudicandum secundum rectam rationem prudentiæ.

tiæ. Estque ista conditio potissima inter requisitas ad rectum iudicium: quia sumitur ex fine, qui præcipuus est, in rebus moralibus. Secunda conditio sumitur ex parte agentis & ex parte subiecti, in quo recipitur autoritas & iurisdictio. Et ratio illius est: Nam cum iustitia necessario debeat habere vim coactiuam; & cogere nullus possit, nisi sibi subditum; quòd & exemplo rerum naturalium constat: agens enim naturale non vincit passum, nisi intra suæ actiuitatis sphæram sit sibi subiectum: manifeste sequitur esse opus iurisdictione, & autoritate in iudicante ad hoc, vt iudicium sit rectum. Propter quod dicebat Paulus ad Romanos. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit. Et cum Deus sit vniuersalis omnium Dominus, sit, vt nullus inter mortales legitimus possit esse iudex, nisi qui ab ipso iudicandi potestatem acceperit. Non enim est potestas nisi à Deo: & qui potestati resistit Dei ordinationi resistit; vt dicit idem Paulus ad Roman. 13. Tertia conditio sumitur ex parte dispositionis, quæ debet esse in intellectu, & ratione iudicantis. Nam cùm iudicium ad hoc, vt sit rectum, necessarium sit, vt fiat secundum regulas, & terminos iuris; maxima consultatione & prudentiæ existimatione erit opus, vt nihil ex his præter mittatur. Omnes has conditiones explicuit scriptura, Exodi decimo octauo, quando Ietro Socer Moysi dixit: Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum; in quibus sit veritas; & qui oderint auaritiam: & constitue, ex his Tribunos, Centuriones, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore, &c. Nam in illis verbis: Elige viros timentes Deum, in quibus sit veritas, explicatur prima conditio, quæ est, vt iudicium procedat ex inclinatione iustitiæ. Et in illis: Constitue ex eis Tribunos, & Centurios, explicatur secunda conditio. Et tandem quando dicitur: Elige viros sapientes, explicatur tertia, quæ est, vt iudicium procedat secundum rectam prudentiam. Nam prudentia maximè splendere solet in viro sapiente. Ex hac doctrina colligitur, quòd si aliqua ex his conditionibus desit, iudicium erit vitiosum, & illicitum. Cæterùm ex defectu primæ conditionis, dicitur iudicium peruersum, & impium: ex defectu secundæ dicitur iudicium vsurpatum: & ex defectu tertiæ conditionis dicitur iudicium suspicionosum, vel temerarium.

¶ Secundò est aduertendum, quòd ad hoc, vt iudicium procedat ex intentione, & inclinatione iustitiæ, quæ est potissima inter conditiones requisitas ad rectè iudicandum, vt diximus, oportet iudicem non habere affectum alterius partis; sed incredibilem quendam, & vehementissimum amorem efficiendi æqualitatem inter vtramque partem, scilicet, inter actorem, & reum. Cuius veritatis quam plurimæ sunt rationes & causæ. Prima est. Nam, si iudex haberet affectum alterius partis, efficeretur proculdubiò alterum extremorũ, scilicet, amicus, vel actoris, vel rei. Amicus autem cùm sit alter ego, nulla ratione potest esse iudex: tunc enim esset quis iudex in propria causa: quod omnino abhorret & detestatur natura. Secunda ratio desumitur ex principio quodam philosophiæ, scilicet. Intus existens prohibet extraneum: ergo actor existens in pectore iudicis, prohiberet reum, & ècontra reus existens in pectore iudicis, prohiberet actorem: atque ex consequenti iudex, vt ex inclinatione iustitiæ operetur, nullum debet habere affectum alterius partis. Quod & confirmatur exemplo oculi, in quo videmus, quòd non potest rectè iudicare de coloribus, nisi eius pupilla omni prorsus careat colore. Propter quod Aristotel. 3. Ethicorum, capit. vndecimo, ex Archita philosopho comparabat iudices aræ Deorum: quasi significans, oportere eos ab omni passione & acceptione personarum esse vacuos, tanquam Deos. Ad quod etiam attendens Christus dixit, Matthæ. capit. quinto. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Sitiendam enim & esuriendam dicit iustitiam: quoniam qui esuriunt, & sitiunt vacui sunt à cibis, & potibus. Et tales oportet esse iudices, scilicet, vacuos ab omni affectione, atque passione, vt rectè possint ex inclinatione iustitiæ iudicium proferre. De hac re est videndus D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in summa Theologica, secunda parte, titulo primo, capitulo decimonono, §. primo.

Iudex ad rectè iudicandũ non debet habere affectum alterius partis.

¶ Sed est difficultas, vtrùm semper, quod iudicio deest aliqua ex positis conditionibus, illud sit peccatum mortale ex genere suo. In quare, vt certa ab incertis seiungamus, dico primò, certum esse, quòd defectus secundæ conditionis, quæ est iurisdictio semper ex genere suo facit iudicium esse peccatum mortale. Itaque iudex, qui vel nullam habens autoritatem

Dubium.

Ex defectu iurisdictionis semper iudiciũ redditur mortale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatem, vel alienam vsurpans, cum iudicat, qui sibi non subditur mortaliter peccat. Vnde iudex secularis in clericorum causas se intromittens, etiam si à iure excommunicatus non esset, mortali peccato est obnoxius, ac si esset priuata persona. Imo eo peccat grauius, quò intuitu publicæ autoritatis id facit. Ex quo infertur, quòd si talis iudex clericum bonis suis priuet, verè erit latro; &, si occiderit, erit verè homicida. ¶ Dico secundo, etiam esse certum, quòd defectus tertiæ conditionis, quæ est, vt iudicium fiat secundum rectam æstimationem prudentiæ, similiter ex genere suo inducit peccatum mortale: potest tamen fieri veniale ex leuitate materiæ: vt si iudex leues aliquos terminos iuris missos faciat: vel aliquis quempiam de re leui leuiter iudicet, vt articulo sequenti sumus dicturi. Sed dubium est de iudicio, cui tantum deest prima conditio, quæ est, vt fiat ex inclinatione iustitiæ, vtrùm illud sit peccatum mortale, ex genere suo? Magister Soto. libro. 5. de iustitia & iure, quæstio. 4. articulo. 2. partem tenet affirmatiuam. Nec eius rei alia ratio potest assignari, nisi, quòd D. Thom. in isto articulo dicit tale iudicium esse peruersum, atque iniquum.

Ex defectu rectæ æstimationis prudentiæ, etiã reddit mortale iudicium.

1. cõclusio. ¶ In hoc tamen sit prima conclusio: Defectus primæ conditionis ex genere suo nõ facit iudicium esse peccatum mortale. Itaque si iudex præcipit suspendere latronem, sufficienter de furto conuictum: idque faciat non ex zelo, & inclinatione iustitiæ, sed ex inani gloria; tale iudicium non est peccatum mortale, ex genere suo. Probatur: Iudex in tali casu nõ peccat mortaliter: ergo defectus primæ conditionis ex se non inducit peccatum mortale. Consequentia est nota: & antecedens probatur: Ille actus, putà, suspendere latronem, sufficienter conuictum de se est licitus, & circunstantia vanæ gloriæ apposita, non est peccatũ mortale; inanis enim gloria, vt docet D. Thomas infra, quæstio. 132. non est peccatum mortale: ergo, nec iudex in illo actu peccat mortaliter. Et confirmatur: Facere opera aliarum virtutum ex inani gloria, non est peccatum mortale: ergo nec facere iudicium. Consequentia tenet ex paritate rationis; & antecedens probatur: Nam orare Deum ex vana gloria, non est peccatum mortale, vt omnes Doctores concedunt; & similiter nec leuare miseriam pauperis, aut soluere debitum.

2. cõclusio. ¶ Secunda conclusio: Facere iudicium propter alium finem à fine iustitiæ, vt verbi gratia, facere iudicium ex odio, vel ex inani gloria, erit peccatum, secundum conditionem finis appositi. Itaque si finis est mortalis, iudicium erit mortale; & si fuerit venialis, erit peccatum veniale. Hoc tamen, non erit in quantum iudicium, quia talis actus non est contra iustitiam: sed, aut contra charitatem, aut contra humilitatem. Ex hoc infertur, quòd quotiescunque in iudicio deficit prima conditio, illud est peccatum saltim veniale. Et hoc est quod voluit dicere D. Thom. quando in hoc articulo affirmat, tale iudicium esse peruersum, & iniquum. Bonum enim vt dicit D. Dionysius, consurgit ex integra causa; malum autem ex singularium defectu. Et per hoc patet solutio ad argumentum in contrarium factum.

Dubiũ circa solutionem ad 3. argumentũ D. Thom.

¶ Circa solutionem ad tertium argumentum, vbi dicit D. Thom. quòd qui sunt in grauibus peccatis, maximè si fuerint publica, non debent iudicare eos, qui vel in similibus, vel in minoribus peccatis sunt constituti, est difficultas, vtrùm iudex in peccato mortali existens peccet mortaliter, alios iudicando, Alexander Alensis. vt refert Syluester, verbo iudex primo. §. decimo. tenet, quod omnes iudices, siue profani, siue ecclesiastici in peccato mortali existentes, peccãt mortaliter iudicando. Et Sylvester verbo. correctio. §. 15. &. 16. tenet, quòd saltim iudices ecclesiastici peccant mortaliter sententiam proferentes, & idem tenet, D. Thom. in. 4. distinct. 19. quæst. 2. articulo. 2. quæstiũcula. 2. & Paludanus distinct. 19. quæst. 3. Et probari potest hæc sententia primò ex illo Matthæi. 7. Vbi postquam Christus dixit; Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini; & in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis, subdit statim. Quid autem, vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quo modo dicis fratri tuo; Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Quibus verbis, vt constat: Redemptor noster prohibet, ne quis in peccato existens alios iudicet. Et 1oann. capit. 8. dicitur: Qui sine peccato est vestrum primus in eam lapidem mittat. Supra quæ verba dicit D. Gregorius, & habetur in Decretis. 5. quæstion. 7. capitul. qui sine. Ad aliena quippe peccata punienda ibant, & sua relinquebant.

Sententia Alexandri & aliorũ.

1. argumentum.

quebant. Reuocentur igitur intus ad conscientiam, vt priùs propria corrigant; & tunc aliena reprehendant. Et paulo inferiùs: Priùs ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur, vt ipsi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant. Et idem habetur in capit. postulatus, eadem causa & quæstione. ¶ Et ratione sic argumentor: Ministri debent esse similes principali agenti iuxta illud Leuit. 10. Sancti estote; quoniam ego sanctus sum: sed omnis potestas iudicandi est à Deo, vt constat ex Paulo ad Romanos. 13. & ex illo celebri testimonio Sapientis: Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: ergo quicunque iudicans in peccato mortali cùm non sit similis Deo principali agenti peccabit mortaliter.

Absoluens in peccato mortali existens peccat mortaliter.

1. argumentum.

Sententia D. Tho.

¶ Contrariam tamen sententiam tenent Diuus. Thom. Et Caietanus in præsenti, & Soto libro. 3. de iustitia & iure, quæstio. 4. articulo. 2. & Sylvester verbo, iudex, §. 12. quæ proculdubio est vera. Vnde ad illius explicationem sit prima conclusio: Iudicare alium de consimili peccato mortali, aut leuiori ex se non est peccatum mortale. Itaque prætor quantumuis sit adulter, non peccabit mortaliter iudicans ciues adulteros, vel in alio peccato existentes. Et idem est dicendum de alijs prælatis, atque iudicibus. Quod debet intelligi de iudicio exteriori extra confessionem facto. Nam, si quis in foro conscientiæ in mortali existens alium absoluat, peccabit mortaliter, vt omnes Doctores concedunt in materia de confessione. Sed probatur nostra conclusio primo: Quia alias sequeretur, quod omnes Gentiles cùm iudicabant peccarent mortaliter; si quidem omnes erant in peccato mortali: consequens autem est contra D. Augustinum, qui sæpe sæpiùs laudat Romanos de rectitudine in iudicando: ergo non est dicendum, quod iudicare in peccato mortali ex se sit peccatum mortale. Quin potiùs addiderim, quod ex se talis iudex, nec mortaliter, nec venialiter peccat (quidquid dicant Soto atque Caietanus locis citatis:) facit enim opus moraliter bonum; sicut & ille, qui dat eleemosynam, aut audit missam in peccato mortali: de quo certum est, quòd nec venialiter peccat, nisi apponat malam circunstantiam. Et confirmatur: Iudex in peccato mortali existens potest seruare in iudicandis conditiones requisitas ad rectitudinem iudicij: nam potest primò habere potestatem, & iurisdictionem ad iudicandum, quæ [vt diximus supra, quæstio. 10. articulo. 10. & latiùs dicemus in materia de Dominio] non fundatur in gratia: item potest iudicare secundum rectam rationem prudentiæ, & tandem moueri ad id ex zelo iustitiæ, scilicet, ex ista voluntate: Volo reddere alteri, quod suum est: ergo tunc, nec mortaliter, nec venialiter peccabit. Atque ex consequenti iudicare in peccato mortali ex se, nec est peccatum mortale, nec veniale.

2. cõclusio.

¶ Secunda conclusio: Iudex existens in peccato publico, & scandaloso peccat mortaliter ferendo sententiam, etiam iustam, potissimè in illis sceleribus, quibus ipse tenetur. Probatur: Talis publicus peccator iudicans alterum de consimili peccato, quantum est ex se dat materiam scandali; & facit, vt iudicium atque iustitia à populo, vilipendatur, dum videt populus non esse idem iudicium pro maioribus, & pro minoribus: ergo peccat mortaliter. Ex hoc infertur, quòd cùm iudex ex officio, & ex iustitia teneatur subditos corrigere, & adhibere omnia media ad id necessaria, si tempus iudicij instet, & ipse sit in consimili peccato publico, & scandaloso tenebitur agere pœnitentiam, & resipiscere, vel relinquere officium. Ad hoc enim pertinet illud Christi: Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Hypocrita eijce potiùs trabem de oculo tuo, &c. Et etiam illud; Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat. Sed de hoc latè à nobis est disputatum supra, quæstione. 33. articulo. 3. dum ageremus de correctione à prælatis facienda. Et per hoc patet solutio, ad argumentum ex testimonijs desumptum. ¶ Ad rationem respondetur, illam tantum probare, esse quandam decentiam, vt qui alios iudicat talem se gerat, quales subditos vult esse, quos condemnat. nihilominus tamen ex hoc non infertur, quòd qui contrarium facit peccet mortaliter, nisi fortè propter scandalum, si peccatum sit publicum, vt diximus in secunda conclusione. Ex dictis infertur meritò concilium Constantiense, sessione octaua, Canone. 15. damnasse Vvicklephum, asserentem, quod existens in peccato mortali nec est verè dominus, nec prælatus, nec iudex. Sed de hoc in materia de dominio, quæstio. 61. articulo primo.

Ad. 1. arg. Ad. 2. argumentũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS III.

Vtrùm iudicium ex suspitione procedens, sit illicitum.

Locis supra ar. 2. indu. Et quol. 12 art. 25. Lib. 6. c. 3. tom. 5.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd iudicium ex suspicione procedens, non sit illicitum. Suspicio enim videtur esse opinio incerta de aliquo malo. Vnde & Philosophus in 6. *Ethicor. ponit quòd suspicio se habet & ad verum & ad falsum. Sed de singularibus contingentibus non potest haberi opinio nisi incerta. Cum ergo iudicium humanum sit circa humanos actus, qui sunt in singularibus & contingentibus, videtur quòd nullum iudicium esset licitum, si ex suspicione iudicare non liceret.

Annot.

2. Præterea, Per iudicium illicitum fit aliqua iniuria proximo. Sed suspicio mala in sola opinione hominis consistit: & sic non videtur ad iniuriam alterius pertinere. Ergo suspicionis iudicium non est illicitum.

3. Præterea, Si sit illicitum, oportet quod ad iustitiam reducatur: quia iudicium est actus iustitiæ, vt dictum * est. Sed iniustitia ex suo genere semper est peccatum mortale, vt suprà * habitum est. Ergo suspicionis iudicium esse semper peccatum mortale, si esset illicitum. Sed hoc est falsum: quia suspiciones vitare non possumus, vt dicit gloss. * August. super illud primæ ad Corin 4. Nolite ante tempus iudicare. Ergo iudicium suspicionosum non videtur esse licitum.

Artic. 1. Q. 59. a. 4. Tract. 90. in Io. circa med. to. 9.

¶ SED CONTRA est, quòd Chrysost. * super illud Matth. 7. Nolite iudicare, &c. dicit, Dominus hoc mandato non prohibet Christianos ex benevolentia alios corripere, sed ne per iactantiam iustitiæ suæ Christiani Christianos despiciant, & solis plerunque suspicionibus odientes cæteros, & condemnantes.

Homil. 17. in opere imperfecto in prin. to. 2.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut Fulg. dicit, suspicio importat opinionem mali, quando ex leuibus indicijs procedit. Et contingit ex tribus. Vno quidem modo ex hoc, quòd aliquis ex seipso malus est: & ex hoc ipso, quasi conscius sibi malitiæ faciliter de alijs malum opinatur, secundum illud Eccle. 10. In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. Alio modo provenit ex hoc, quòd aliquis malè afficitur ad alterum: ei enim aliquis contemnit, vel odit aliquē, aut iratcitur vel inuidet ei, ex leuibus signis opinatur mala de ipso: quia vnusquisque faciliter credit quod appetit. Tertio modo provenit ex longa experientia. Vnde Philos. * dicit in 2. Rhetor. quod senes sunt maximè suspiciosi: quia multotiens experti sunt aliorum defectus. Primæ autē duæ suspicionis causæ manifestè pertinent ad peruersitatem affectus. Tertia verò causa diminuit rationem suspicionis, inquantum experientia ad certitudinē proficit, quæ est contra rationem suspicionis. Et ideo suspicio vitiosum quodammodo importat: & quāto magis procedit suspicio, tanto magis est vitiosum.

Li. 2. Rhe. c. 15. parum aprim. to. 6.

¶ Est autem triplex gradus suspicionis. Primus quidem gradus est, vt homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat. Et hoc est veniale, & leue peccatum. Pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur: vt habetur in * gloss. super illud 1. ad Corint 4. Nolite ante tēpus iudicare. Secundus gradus est, cum aliquis pro certo maliciam alterius æstimat ex leuibus indicijs. Et hoc si sit de aliquo graui, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. Vnde * gloss. ibidem subdit. Si ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, diffinitiuas firmasque sententias cōtinere debemus. Tertius gradus est, cū aliquis iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad iniustitiam pertinet: vnde est peccatum mortale.

Est Augu. tract. 90. in Ioā. parum ante med. tom. 9.

Est Augu. loco nunc dicto circa medium.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in humanis actibus inuenitur aliqua certitudo, non quidem sicut in demonstratiuis, sed secundum quod conuenit tali materię, putà cum aliquid per idoneos testes probatur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd ex hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti indebitè contemnit ipsum: & ideo iniuriatur ei.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quia iustitia & iniustitia est circa exteriores operationes (vt dictum * est) tunc iudicium suspiciosum directè ad iniustitiā pertinet, quando ad actum exteriorem procedit: & tunc est peccatum mortale, vt dictum * est. Iudicium autem interius pertinet ad iniustitiam: secundū quod compararur ad exterius iudiciū, vt actus interior ad exteriorē, sicut concupiscentia ad fornicationem, & ira ad homicidium.

Q. 59. ar. 1 ad. 3.

In corp. ar.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem, quæ præcipua est in hac materia, & ad humanos vsus apprime necessaria supposito, quòd suspicio importat opinionem mali, quando ex leuibus indicijs procedit, respōdet D. Tho. per plures propositiones. ¶ Prima conclusio: Quòd aliquis habeat malā opinionem de aliquo ex tribus causis potest prouenire. Prima est, quia ille, qui suspicatur, est malus, iuxta illud Eccles. 10. In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiēs, omnes stultos æstimat. Secunda, quia odio prosequitur illū, de quo sinistrè opinatur, iuxta illud, Philosophi: Quæ optamus facile credimus. Tertia est, experientia, propter quod Aristot. lib. 2. Rheto. cap. 13. dicebat, senes esse maximè suspiciosos. ¶ Secunda conclusio: Suspicio, quæ oritur ex duabus primis causis, manifestè constat esse peccatum: sed illa, quæ provenit à tertia deficit magis à ratione suspicionis. Probatur: quoniam habet causam magis certā, quod est contra rationem suspicionis. ¶ Tertia cōclusio sequitur ex alijs, & est, quòd suspicio est peccatum, vndequaque illa proueniat, atque ex consequenti iudicium ex suspicione procedens erit illicitum. Sed quoniā suspicionis possunt esse plures gradus, scilicet, tres: Primus est quando quis ex leuibus indicijs incipit dubitare: Secundus, quando pro certo iudicat ex leuibus indicijs alium peccare: Tertius, quando iudex ex leuibus indicijs alium condemnat, ponit D. Thom. alias tres conclusiones. ¶ Et sic quarta in ordine est, quòd primus gradus suspicionis tantum est peccatum veniale: pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur, vt dicit glossa super illud 1. ad Corinth. cap. 14. Nolite ante tempus iudicare. ¶ Quinta conclusio: Secundus gradus suspicionis ità se habet, quod si est in materia graui est peccatum mortale: si autem est in materia leui, est veniale. Et ratio est: Nam iste gradus suspicionis non potest esse, sine contemptu proximi. Vnde si contemptus fuerit in re graui erit mortale peccatum; si autem fuerit in re leui, veniale. ¶ Sexta conclusio: Tertius gradus suspicionis ex genere suo est peccatum mortale. Probatur: quoniam est directè contra iustitiam, & iniustitia ex genere suo est peccatum mortale, vt diximus in superioribus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubiū, suspicio & iudiciū temerarium pro eodem accipiunt interdum, quamuis differāt

DE materia huius articuli, quæ grauissima est, disputant summistæ verbo, iudicium temerarium, & verbo, suspicio. Pro cuius intelligentia est aduertendum, quòd hæc tria nomina, dubium, suspicio, & iudicium temerarium pro eodem accipiuntur à iuris prudentibus: & etiam sæpe sæpiùs confunduntur apud Theologos, & Philosophos morales. Vt est videre apud D. Thom. in isto articulo. Qui in primo gradu suspicionis pro eodem accipit dubium, & suspicionem, & in secundo gradu accipit etiam pro eodem suspicionem, & iudiciū temerarium: cum tamen hæc tria in rigore sint valde diuersa, habeantque suas rationes formales multum distinctas. Nam dubium propriè est quādo animus manet suspensus, hæretque in ancipiti, non magis declinando ad vnam partem, quam ad alteram in assentiendo, & iudicando. Vt cùm, verbi gratia, dubitat quis vtrùm astra sint paria, vel imparia. Et huiusmodi homines dubios comparat Aristot. 3. Metaphy. in principio hominibus ligatis qui nec huc, nec illuc possunt promoueri. Suspicio est opinio mali ex leuibus indicijs procedens. Per hoc, quòd dicitur opinio distinguitur suspicio à dubio. Nam opinio, vt scitis ex dialectica, dicit assensum vnius partis cum formidine alterius: cum tamen dubium ex se nullius partis assensum dicat: sed tantum animi fluctuationē. Additur etiam illa particula, mali; vt per ipsam distinguatur suspicio ab opinione. Nam opinio tam versatur circa bonum, quàm circa malum: cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen suspicio tantum versetur circa malum: Dicitur enim quis in suspicionem venire, quando siniſtra de illo concipitur opinio: & si opinio est de re bona potiùs dicitur bona existimatio, quam suspicio. Ex hoc infertur, quòd ad suspicionem propriè dictam tria requiruntur. Primum est, quod sit assensus cum formidine; qui enim dubitat non est suspiciosus. Secundum, quòd talis assensus formidolosus sit respectu alicuius mali moralis, hoc est peccati. Tertium, quòd oriatur ex leuibus indicijs. Nam si indicia sint sufficientia, & euidentia assensus inde exortus non dicetur propriè suspicio. Illa autem dicuntur leuia indicia, quæ secundum æstimationem prudentiæ non sunt sufficientia ad cautam aliquam persuasionem. Sed est aduertendum, posse contingere, quòd aliquod indicium, respectu vnius personæ, sit leue, quod tamen respectu alterius habeat graui tatem ad persuadendum. Vt verbi gratia, al loquutio alicuius personæ grauis in secreto loco cum meretrice est leue indiciũ ad suspicandum, quòd talis loquutio ordinetur ad malum, cùm tamen si quis videret iuuenem procacem, & libidinosum illo modo loquentem cum fœmina, non esset leue indicium ad suspicandum, quòd ea loquutio ordinaretur ad libidinem. Similiter etiam potest contingere, vt indicia aliqua sint leuia in vna materia, quæ tamen respectu alterius materiæ sint grauia, & sufficientia. Nam si quis non adorauerit hostiam, quam semel aut bis videt eleuari, est graue & sufficiens indicium, vt possit iudicari indeuotus, leue tamen, vt iudicetur hæreticus. Iudicium temerarium est firma sententia de malitia proximi, ex leuibus similiter coniecturis procedens. Ex quo infertur, quòd iudicium temerarium in eo solùm distinguitur à suspicione, quòd iudicium temerariũ dicit firmitatem sententiæ, at verò suspicio tantum dicit opinionem, quæ semper est cũ formidine alterius partis.

Ad suspicionem tria requirũtur

Idem indicium respectu vni⁹ potest esse leue, & respectu alterius graue.

His constitutis operæpretium est, vt singulas conclusiones D. Thomę suo ordine examinemus. Et quidem de prima, atq; secunda conclusione nulla est controuersia; sed illæ ab omnibus, vt notæ, recipiuntur. Vnde circa tertiam est difficultas, vtrùm verum sit, quòd suspicio ex se sit mala, atque peccatum. Et loquimur in præsenti de suspicione secundum quod comprehendit dubitationem & suspicionem proprie dictam & iudicium temerarium. Quo etiam modo D. Tho. loquitur in isto articulo de suspicione. Et quidem, quòd suspicio ex se nõ sit mala, probatur primò: Suspicio nullibi inuenitur prohibita: ergo ex se non est mala. Consequentia constat ex illo Pauli ad Rom. 4. Vbi non est lex, ibi nec preuaricatio legis. Et ex D. August. lib. 22. cõtra Faustum, c. 27. dicente: Peccatum est dictũ, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Et antecedens probatur: Si alicubi esset prohibita suspicio, & iudicium temerariũ maximè apud Matthæum cap. 7. in illis verbis: Nolite iudicare & non iudicabimini: sed ibi hoc non prohibetur: ergo. Probo minorem: Christus Dominus eo in loco tantũ vult reprehẽdere eos, qui in maioribus criminibus existẽtes iudicãt, & condẽnant eos, qui sunt in minoribus, vt constat tum ex verbis, quæ sequuntur. Subdit enim statim: Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita ejce prius trabem de oculo tuo, & tunc videbis, ejicere festucam de oculo fratris tui. Tùm etiam ex D. Hieronymo. Qui super illum locum dicit de ijs loqui Christum: qui cùm ipsi mortali crimini sint obnoxij minora peccata fratribus non concedunt, culicem quidem liquantes, camelum verò deglutientes: ergo ibi non fit sermo de suspicione, aut iudicio temerario. ¶Secundo, sic argumentor: Nullam iniuriam facio proximo siniſtrè de illo iudicando: ergo suspicio ex se non est peccatum. Consequentia est nota: Nam si aliquod esset peccatũ, proculdubio illud esset contra iustitiam. Antecedens autem probatur: Qui male suspicatur de proximo, nec aufert ab eo pecuniã, nec famã, nec aliquid aliud quod ad ipsum pertineat: ergo non facit ei aliquam iniuriam. Nec valet si dicatur cũ D. Tho. in solutione ad secundum, quòd qui habet malam suspicionem de alio, eo ipso nocet ei; contemnens illum; quia loquor in præsenti in casu, quo habens suspicionem impendit alteri eandem reuerentiam, & honorem, quem antea impendebat, nec ipsum contemnit.

Dubiũ circa tertiam conclusionẽ D. Thom.

1. argumentum.

2. argumentum.

¶His tamen non obstantibus sit conclusio, quòd suspicio ex se est mala, atque prohibita, non solùm iure naturali, sed etiam iure diuino positiuo. Et quidem, quòd sit prohibita iure naturali; probatur ex illo cõmuni naturæ præcepto; Quod tibi non vis alteri ne feceris. Ex quo tale colligo argumentum: Nullus est, qui velit quod proximus habeat de se malam suspicionem: ergo contra ius naturæ est, quòd quis male suspicetur de alio sine causa. Item in rei veritate mallet homo prudens amittere centum aureos, quàm amittere bonum nomẽ apud alium;

Conclusio.

alium; sed quòd ab aliquo sine causa auferãtur centum aurei, est contra ius naturæ: ergo & quod auferatur bonum nomen alicui ius apud alium per siniſtram suspicionem, erit contra idem ius. Et confirmatur: Quia, vt constat, ex D. Thom. Opusc. 6. cap. 11. mala opinio, & fama numerantur ab Arist. & ab alijs Philosophis inter grauissima mala, quæ possunt hominibus accidere. Ex quibus fit, vt, qui sine causa sufficienti suspicaretur, vel iudicaret alterum esse malum, faceret ei iniuriam, atque ex consequenti peccaret contra ius naturæ; esset́que illud peccatum reducendum ad id, quod fit contra octauum præceptum Decalogi. Quod autẽ etiam sit prohibita suspicio iure diuino positiuo, probatur ex Paulo ad Rom. 14. dicente; Qui non manducat manducantem non iudicet. Vbi non solum hypocritæ, qui in maioribus sunt criminibus, sed etiã vniuersi alij homines iudicare prohibentur. Id enim sonant verba illa: Non manducans, non iudicet. Et vt denotaret Apostolus idẽ esse iudicare, & contemnere dixerat priùs: Is qui manducat, non manducantem non spernat. Et subdit statim: Et qui nõ manducat manducantẽ non iudicet. In eodẽ etiã sensu debet accipi illud. 2. ad Corin. 4. Nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. Vbi, vt videtis, non iudicandi causam assignat Apostolus. Non, quòd nos ipsi peccatores simus: sed quòd incerta, & obscura sunt, quæ nos pro certis, & claris ducimus, quod propriè pertinet ad suspicionem, & iudicium temerarium. Possumus tandem dicere, hanc suspicionem prohiberi in illis verbis Matth. cap. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c. Nam quanuis literalis sensus illius loci sit, quòd loquatur Christus de hominibus, qui cum ipsi mortali crimini sint obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt, vt rectè probat argumentum primum, in contrarium factum; nihilominus tamen adhuc potest, ad literam explicari de quacunq; alia siniſtra opinione: sicut illum interpretatur D. August. lib. 2. de sermone Domini in monte, & in lib. de Concordia Euangelistarum. Cuius verba referuntur à D. Thom. in Cathena aurea super Matth. cap. 7. Et per hoc patet solutio ad primum argumentum.

Ad. 1. arg.

D. Aug.

Ad. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dico, quòd cùm fama sit vnum è maioribus, & potioribus bonis temporalibus, quæ habet proximus, quod constat ex eo, quòd in sacris literis supra alia cõmendatur: nam Eccles. iast. cap. 41. dicitur: Cura hãbe de bono nomine, & Prouerb. 22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, & Eccles. iast. cap. 7. Melius est bonum nomen, quàm vnguenta pretiosa: manifestè sequitur, quod qui partem famæ per siniſtram suspicionem aufert, facit iniuriam proximo: & sic non solum peccat contra charitatem, sed etiam contra iustitiam.

¶Supposito iam, quod suspicio ex genere suo est mala; consequens est, vt inquiramus, quando est mala mortaliter, & quando venialiter; quod à D. Thom. in tribus vltimis conclusionibus huius articuli declaratur. Sed, vt in hac re recto ordine procedamus, operæpretium erit, vt prius nonnulla de suspicione dicamus. De qua quidem quatuor veniunt consideranda. Primũ est, substantia ipsius suspicionis. Secundũ sunt causæ, quibus homo inclinatur, & afficitur ad suspicandum malum de altero. Tertium coniecturæ & indicia, ex quibus talis suspicio oritur. Quartum autem est, quantitas mali, quod quis de proximo suspicatur. Et loquimur in præsenti de suspicione secundum quod significat, siue dubitationẽ, siue iudicium temerarium, vt diximus in primo dubio. Et quidem quantum ad primum D. Thom. in isto articulo triplicem gradũ suspicionis assignat. Primus est, quando aliquis incipit dubitare de bonitate alterius: & hoc dicit esse tantum peccatum veniale. Secundus gradus est, quando quis certo iudicat de malitia alterius. Et hoc dicit esse peccatum mortale: si materia, de qua quis iudicat sit grauis; moueatúrque ex leuibus indicijs, & coniecturis ad iudicandum. Tertius gradus est, quando iudex procedit ex suspicione ad aliquem iudicandum: & hoc dicit esse peccatum mortale contra iustitiã. Cæterùm quanuis D. Thom. hos tantum tres gradus suspicionis distinguat, Caietanus tamen hic, & Soto lib. 3. de iust. & iur. quæst. 4. art. 3. addunt alium quartum gradum, qui est ex leuibus indicijs opinari malum de proximo cũ formidine alterius partis: qui gradus mediat inter primum, & secundum ex enumeratis à D. Thom. Nam iudicium de malitia alterius, vt hic dicit Caietanus potest accipi dupliciter: vno modo pro credulitate vnius partis, cum aliqua tamen hæsitatione admixta: alio modo pro assertiua determinatione. Et certum est, ꝙ credulitas cum dubitatione admixta differt multum à dubietate posita in primo gradu, & etiam ab assertiua determinatione excludente omnem dubitationem, quæ ponitur in secundo. Et sic constat, quod illa credu-

In suspicione quatuor veniunt cõsideranda.

Explicatur primũ quod in suspicione cõsideratur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

litas, alium quendam suspicionis gradum constituit medium inter dubitationem, & certum iudicium. Sed de primo gradu suspicionis à D. Thom. assignato, qui est dubietas, & etiam de illo à nobis posito, qui est iudicium de malo alterius cum hæsitatione admixta, dicunt Soto atque Caietanus, quòd loquitur D. Thom. in. 4. conclusione, quando dicit, primum gradum suspicionis esse tantum peccatum veniale. Imò addit amplius Caietanus hîc, & in summa, verbo, iudicium temerarium, & verbo, suspicio, quòd etiam si aliquis iudicet ex leuibus indicijs aliquid graue, de aliquo sine explicita formidine alterius partis, si tamen sic ità dispositus interius, vt si ipse peteret à se, an hoc haberet pro certo, & iudicaret tale absque formidine alterius partis, & responderet, sibi talia interroganti, quòd non existimat illud pro certo, in ea suspicione non peccaret mortaliter. Eiusdem opinionis esse videtur Nicolaus de Lyra super illud Iacobi capit. 4. Qui iudicat fratrem suum, &c. Summa Armilla in verbo, iudicium, numero. 8. & Nauarro. de pœnitentia. dist. 7. cap. siquis, nu. 12. & 13. & in Manu. c. 12. Sed de hoc nos statim dicemus.

Explicatur secundum quod in suspicione est considerandum

¶ Secundum quod erat considerandum de suspicione sunt causæ, ex quibus quis inclinatur ad temerè suspicandum, & istæ sunt tres, vt dicit Diuus Thomas in isto articulo. Prima est malitia, & prauitas temere suspicantis, & iudicantis. Stultus enim in via ambulans cum ipse sit insipiés omnes stultos æstimat, vt dicitur Ecclesiastic. capit. 10. quia facile quisque cæteros iudicat, qualis ipse est. Vnde Cicero ad Quintum Fratrem dicebat: Vt optimus quisque est, ita difficulter putat alios improbos esse. Secunda causa est, praua affectio, qua quis disponitur erga alios. Ex eo enim, quòd aliquis odio, aut inuidia prosequitur proximum facile credit & sibi persuadet, illum esse malum. Nam cum voluntas moueat intellectum, sicut & reliquas potentias, facilè pertrahit eum ad hoc, vt iudicet quod ipsa appetit: & cum appetat illum, quem odio habet, esse malum, facile intellectus ità iudicat. Tertia causa est, longa experientia malorum. Et hinc autore Aristotele libro. 2. Rhetor. senes sunt maximè suspicioſi. Quia enim experti sunt multos fuisse malos in aliquo genere mali, facile suspicantur etiam ex leuibus coniecturis, alios esse malos. Et dicit Diuus Thomas & benè, quod hæc tertia causa iudicandi, vel suspicandi temere, diminuit aliquid de ratione iudicij temerarij. Habet enim hæc causa maiorem certitudinem, quam duæ priores. Ex quo fit, vt diminuat ipsam suspicionẽ, de cuius ratione est incertitudo. Et sic nõ est ità culpabilis & vitiosa sicut illa, quæ ex alijs causis oritur.

Explicatur tertiũ considerandum in suspicione.

¶ Tertium quod erat considerandum de suspicione sunt indicia, & coniecturæ, ex quibus talis suspicio oritur: quæ quidem necessariò debent esse leues, nec sufficientes ad male iudicandum de aliquo. Si enim sufficientes sunt, iudicium inde exortum non erit temerarium. Sed non est facile statuere, quæ nam coniecturæ, siue indicia sint leuia, & quæ sufficientia. D. Thom. hîc ad primum solum dicit sufficere ad iudicandum non temere de malitia alterius, quòd ea per idoneos testes probari possit. Ex quo à contrario sensu colligi videtur, quod quãdo per idoneos testes non probatur iudiciũ, quod de tali malitia habetur, est temerarium, vtpotè non procedens ex sufficientibus coniecturis & indicijs. Cæterùm hæc doctrina Diui Thomæ intelligenda est de iudicio, quo iudex iudicat, & condemnat aliquem. Huiusmodi enim iudiciũ ad hoc, vt rectum sit, & iustum necesse est, vt procedat, aut ex confessione rei, aut ex probatione debiti per idoneos testes, & sufficientes. Ad iudicandum autem iudicio interiori aliquem esse malũ, non sunt necessaria isthæc testimonia; sed minores cõiecturæ sufficiẽtes erũt ad excusandũ iudiciũ à temeritate. Siquis enim videret iuuenẽ cũ puella turpiter loquentẽ in loco secreto, nõ temere de illis iudicaret malũ; quãuis id per idoneos testes probari nõ posset. Vnde in hac re dico certũ esse, q̃ sunt aliqua indicia adeò vehementia, vt iudiciũ ex illis exortũ nõ sit temerariũ, & sic qui ex illis inducereturad male iudicandum excusaretur à mortali. Similiter etiã sunt alia indicia adeo leuia, vt iudiciũ ex illis procedẽs manifestè sit temerariũ; atq; ex cõsequẽti, qui ita iudicat ex hac parte non excusatur à mortali. Sunt etiã alia indicia, de quibus est dubium, an sint sufficiẽtia, necne. Et tunc etiã est dubiũ, an iudiciũ ex illis procedẽs sit temerariũ. Nec, quantũ ad hoc potest constitui certior regula, quã quod illa indicia censentur sufficientia ad finistre iudicãdum de aliquo, quæ virũ probũ & prudentẽ inducerent ad male iudicãdum. Illa autem censentur insufficientia, quibus vir iustus, & prudens non moueretur ad male iudicandum. Sed est aduertendum, posse contingere, quòd aliqua indicia sint sufficientia ad dubitandum de bonitate alicuius; quæ tamen non sufficiunt ad opinandum malè de illo. Et similiter sunt alia

alia indicia, quæ sufficiunt ad sinistrè opinandum de aliquo: quæ tamen non sufficiunt ad male iudicandum. Ex quo fit, vt dubietas & opinio procedens ex talibus indicijs non sit temeraria; quia indicia erant sufficientia ad dubitandum, & opinandum, & tamen iudicium proueniens ex illis est temerarium, quia indicia non erant sufficiẽtia ad male iudicandum.

Explicatur quartum in suspicione cõsiderandũ.

¶ Quartum & vltimum, quod erat considerandum in suspicione erat quantitas malí, quod ex leuibus indicijs de proximo suspicamur, & iudicamus. Caietanus locis citatis, & Summa Armilla, atque Nauarrus loeis etiam citatis, & communiter Summistæ dicunt tale malum esse peccatum mortale. Itaque quando aliquis ex leuibus indicijs iudicat aliquem peccare mortaliter, aut esse in peccato mortali, tale iudicium est temerarium, & peccatum mortale, quia sine sufficienti motiuo iudicat hominẽ de graui malo. Cæterùm, quamuis hoc, vt in plurimum sit verum, non tamen est vndequaq; certũ. Nam qui ex leuibus indicijs iudicaret iuuenes aulicos habere turpes amores cum fœminis, proculdubio non peccaret mortaliter. Vnde magis in hoc respiciendum reor ad infamiam, quæ sequitur ex malo, de quo quis iudicat alterũ, quam ad hoc, vt sit peccatum mortale, vel veniale: grauitas enim iudicij ex infamia pensanda est. Ex quo fit, vt si quis de viro illustri temere iudicet esse infimæ sortis, & ignobili genere natus, grauius delinquat, quàm, si iudicasset illũ fuisse forte cæsum. Maior enim infamia sequitur ex illo, quam ex hoc: & ægriùs feret audire illud, quam hoc. Vnde, quãuis in hac re non possit constitui certa regula, dico semper habendum esse respectum ad malum, quod grauius fert ille, de quo temere iudicatur, vt iuxta id delicti grauitas pensetur, nulla habita ratione peccati mortalis, vel venialis.

Dubium quando suspicio sit peccatum mortale.

¶ His constitutis restat explicandum, quãdo suspicio, siue quatuor dubitationem, quã opinionem, quam iudicium intelligimus, est peccatum mortale, & quando veniale. In qua re, vt à certioribus incipiamus, sit

1. Conclus.

prima conclusio: Iudicium de malo graui proximi ex leuibus indicijs ortum, ex genere suo est peccatum mortale. Ità tenet D. Thom. in hoc articulo, & communiter omnes Doctores. Appellamus autem, graue malum proximi illud, ex quo grandis sequitur infamia, licèt non sit peccatum mortale, iuxta id, quòd paulò ante dicebam. Probatur hæc sententia primò ex illo Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Quibus verbis, vt diximus ex sententia Augustini, prohibentur iudicia temeraria. Et ad Rom. 14. dicit Paul. Qui non manducat, manducantem non iudicet. Ex subiungit statim: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino enim suo stat, aut cadit. Ex quibus verbis colligit D. Thom. ibi lect. 4. Iudicium de rebus occultis reseruandum esse Deo, & sic non licere homini iudicare de illis. De ijs enim, quæ reseruata sunt iudicio superioris, non potest inferior sine mortali peccato iudicare. Pro hoc etiam facit illud Iacobi in sua Cano. cap. 4. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi & iudicat legem. Si autem iudicas legẽ nõ es factor legis, sed iudex. Vnus est enim legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum tuum, &c. Nec ex his testimonijs licet colligere, omne iudicium hominis de altero homine esse peccatum, & illicitum: quia, vt optime D. Tho. ad Rom. 14. lect. 1. dicit, iudicium hominis de altero homine, in tantum est licitum, in quantum est diuinâ autoritate concessum. Quod autem concedatur, quandoque hominibus de alijs iudicare, patet ex illo Sapient. 1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Et Deut. cap. 1. Audite illos; & quod iustum est iudicate; Dei enim iudicium est, id est, diuina autoritate agitur. Et rursus per Sapientiam dicit Deus; Per me Reges regnant, & legum cõditores iusta decernunt. Iudicium autem de malo graui proximi ex leuibus indicijs ortum, non est concessum hominibus autoritate diuina, sed potiùs prohibitum, vt constat ex testimonijs citatis; & sic est peccatũ mortale. Item ratione sic argumentor: Si alius ex leuibus indicijs suaderet mihi malum graue proximi, proculdubio peccaret mortaliter: ergo si ego ex leuibus indicijs idem iudico, similiter pecco mortaliter. Probo consequentiam: Nam tantum noceo proximo per hoc iudicium, quantum alter malum suadendo. Et confirmatur: Nam, si ego non pecco per hoc, quod sinistrè iudico ex leuibus indicijs de proximo, necetiã alter, verbi gratia, Franciscus peccabit talem opinionem mihi persuadendo, quod est falsum. Secundò probatur conclusio: Proximus pluris facit æstimationem rectã apud me, quàm quinquaginta, aut centum argenteos: sed, si ego furarer ab eo hos argenteos, peccarem mortaliter: ergo etiam peccabo mortaliter subripiendo ab illo ex leuibus indicijs bonum nomen, quod apud me habet. Item: Si inferrem illi secretò contumeliam, peccarem mortaliter; vt si, verbi gratia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratia, ei dicerem, (*soyvn judio,*) ergo etiam tollendo ab eo apud me rectam opinionem ex leuibus indicijs pecco mortaliter. Probo consequentiam: Quia maius bonum est fama, contra quam ago, siniſtrè sentiendo de proximo, quàm honor, contra quem facio, inferendo contumeliam; fama enim, vt dicit D. Thom. infra. q. 73. art. 2. pretiosior est omnibus alijs rebus temporalibus.

2. Conclus. ¶Secunda conclusio: Non tantũ pro certo iudicare ex leuibus indicijs, sed etiam siniſtrè opinari de proximo in re graui, est peccatũ mortale. Vt, si verbi gratia, aliquis ex leuibus indicijs suſpicaretur, Petrum cõcubuiſſe cum matre, aut cum sorore, aut esse hæreticum, proculdubio peccaret mortaliter. Hanc conclusionem tenet Magiſter Victoria contra Caietanum hîc, & in ſumma dicentem, quòd quantumuis aliquis siniſtrè de aliquo opinetur, dum tamen pro certo id non credat, non est peccatum mortale. Nos tamen dicimus, quòd licèt nõ habeat tantam certitudinem, vt dicit Caietanus, ſufficit, vt peccatum ſit mortale. Probatur: Qui ex leuibus indicijs pro certo iudicat Petrum peccare cum ſoluta: minùs lædit, quàm qui opinatiuè credit eundem Petrum habere rem cum matre, aut cũ sorore, vel esse hæreticum, &c. ſed primum est peccatum mortale, vt dicit Caietanus: ergo & ſecundum. Conſequentia est nota: Nam peccata, quæ committuntur in proximos ex quantitate damni penſanda ſunt. Antecedens autem probatur: Petrus mallet, quòd quis certo crederet de ipſo, quod habuit rẽ cum ſoluta, quam, quòd opinatiuè credat eundem concubuiſſe cum matre, aut esse hæreticum, vel proditorem reipublicæ: ergo magis nocet ei dubitãs de ſecundo, quã qui est certus de primo. Atq; ex conſequẽti, ſi hic peccat mortaliter etiam ille. Et cõfirmatur: Qui ſuaderet talem opinionem alteri, proculdubio peccaret mortaliter; faceret enim grauem iniuriam Petro, eam opinionem ſeminando, vt de ſe conſtat: ergo etiam ille, qui ſine idonea cauſa habet eandem opinionem, peccat mortaliter; ſiquidẽ vtrobique est idem nocumentum. Itẽ: Vir bonæ famæ, atque prudens mallet amittere centũ aureos, quàm male audire apud alios de ſimilibus peccatis: ſed qui auferret centum aureos peccaret mortaliter, ergo etiam ille qui ſiniſtre opinatur de aliquo ex leuibus indicijs de ſimilibus peccatis, peccat mortaliter.

3. Conclus. ¶Tertia conclusio: Non ſolum opinari; ſed etiam dubitare ex leuibus indicijs, in ſimilibus peccatis habita ſufficienti deliberatione est peccatum mortale. Itaque, ſi aliquis ſemper credidit Petrum esſe virum Catholicum; poſteà autem ex leuibus indicijs incipit dubitare de illo, an ſit Catholicus, vel hæreticus, neutri parti aſſentiendo, talis dubitatio est peccatum mortale. Probatur: Non ſolum debetur proximo, ne quis habeat ſiniſtram opinionem de illo; ſed etiã, quod omnes habeant bonam æſtimationẽ de eodem: ergo qui ſine ſufficienti cauſa adimit illi apud ſe hanc bonam æſtimationem, præſertim circa materiam grauiſsimã infert illi grauem iniuriam, atque ex conſequenti peccat mortaliter. Item: Qui tollit ab altero bonam æſtimationem, quam habet de proximo in materia grauiſsima, peccat mortaliter; quia multùm offendit proximum: ergo etiam ille, qui ſine ſufficiẽti cauſa aufert illam bonam æſtimationem à ſe ipſo, peccat mortaliter. Probo conſequentiã: Quia non minoris pretij est bona æſtimatio, quam quis habet de proximo, quam illa, quam habet alter de eodem. Vltimò: Vir ſapiens & prudens grauius ferret illius bonæ æſtimationis iacturam, quam iacturam viginti aureorum: ſed qui tolleret viginti aureos peccaret mortaliter: ergo etiam qui aufert illam bonam æſtimationẽ in re graui quod ſit per dubitationem, peccat mortaliter. ¶Sed quid dicemus ad D. Thom. in prima conclusione, affirmantem, quod qui incipit dubitare de bonitate alicuius ſolũ peccat venialiter? Sub qua dubitatione dicit Caietanus esſe etiam intelligendum illum, qui ſiniſtrè opinatur de aliquo. ¶Reſpondetur primò, quod D. Thom. loquitur regulariter, & de ijs, quæ, vt in plurimum, contingunt, quomodo loquendum est in materia morali. Dubitare autem de bonitate alicuius cõmuniter est peccatum veniale. Sed cum hoc ſtat, vt aliquando dubitare ſine idonea cauſa circa materiam grauiſsimam, ſit peccatum mortale, vt diximus in tertia conclusione. Quantum autem attinet ad opinionem, quam Caietanus dicit comprehendi à D. Thom. ſub dubitatione conſtituente primum gradum ſuſpicionis, & non ſub certo iudicio, quod conſtituit ſecundum gradum, exiſtimo, quod fallitur Caietanus. Quod vt intelligatur, aduertendum est, aliter loquendum esſe de firmitate, & certitudine in materia morali, maximè quã do est ſermo de iudicio temerario: & aliter in Dialectica, & Philoſophia, & alijs ſcientijs, quando loquimur de firmitate, & certitudine aſſenſus. Nam in his ſciẽtijs firmitas, & certitudo excludit omnem hæſitationẽ, & formidinem alterius partis: at vero in iudicijs

Obiectio ex D. Thom.

Solutio.

Impugnatur Caiet.

dicijs non est neceſſe, quod firmitas & certitudo excludat omnem hæſitationem, & formidinem de oppoſito. Siquis enim probaretur malus, verbi gratia, fur per duos, vel tres idoneos teſtes omni exceptione maiores, iudex certò iudicaret illum esſe furem: tamen teſtimonium illud non est neceſſe, vt excludat omnem dubitationem, & formidinem de oppoſito. Vnde in hac materia illud iudicium dicetur firmum, & certũ, quod est plenè & perfectè deliberatum, etiam ſi maneat aliqua formido de oppoſito. Qui enim poſt diligentem conſiderationem indiciorum, & maturam deliberationem iudicaret alterum esſe malum, ſcilicet, furem etiam ſi maneat nonnulla formido, & hæſitatio de oppoſito verè dicetur firmiter, & certè iudicare; quia difficulter poteſt ab illo iudicio recedere. Et hanc opinionẽ dicimus nos esſe peccatũ mortale; quam & D. Thom. comprehendit ſub certo iudicio conſtituente ſecundum gradum ſuſpicionis, & non ſub dubitatione, vt Caietanus affirmat.

Nota pro timoratis cõſcientijs. ¶Est tamen aduertendum ad pacandas timoratas conſcientias, quòd quando quis est timoratæ conſcientiæ, habenſq; curam propriæ ſalutis, & non propenſus ad inquirendum aliorum vitas, & mores, regulariter loquendo, non est timendum de mortali, quantumuis multum fuerit demoratus in tali opinione, aut iudicio. Et ratio est: Tum, quia, qui habet curam propriæ ſalutis, nec est propenſus indagare vitas aliorum, ſi nõ meminit ſe conſenſiſſe, ſignum est, quòd non conſentit, alias conſcientia inſtaret, nec ſineret eum quieſcere. Tum etiam, quia qui est timoratæ conſcientiæ, etiam ſi aduertat ſe malè opinari, aut iudicare de proximo, credere debet, quod indicia, ex quibus motus fuit ad ſic dubitãdum, vel opinandum, vel iudicandum ad id facere fuere ſufficientia, maxime, ſi poſtquam aduertit ſe talem dubitationem, vel opinionem, aut iudiciũ ex illis indicijs ortum habere, id à ſe repellere nequiuit. Certum est enim, quod quando indicia ſunt ſufficientia, vel ad opinandum, vel ad iudicandum male de proximo, nullum est peccatum in tali opinione aut iudicio, vt ſtatim dicebam. Ex quo infertur,

Corollariũ de negligẽte propria ſalutis. quod qui non gerit curam propria ſalutis, ſed, vt in plurimum est cenſor vitæ aliorũ, ſi est dubius, an conſenſerit in malo iudicio proximi, ſemper debet habere ſcrupulum de peccato mortali, & accuſare ſe in confeſsione ſub dubio de illo. Tum, quia probabile est, illum, qui nihili facit vitam, & famam aliorum, in eorum prauis iudicijs cõſenſiſſe ex leuibus indicijs. Tum etiam, quia tales, vt in plurimum ſunt in malo ſtatu; ſiquidem volentes, atque ſcientes exponunt ſe periculo probabili iudicãdi male de proximo. Quare in omnibus ſuis iudicijs regulariter peccant mortaliter: ſicut & illi, qui aſſueti iuramentis, quia exponunt ſe periculo mentiendi, & firmandi mendacium iuramento, regulariter iurantes peccant mortaliter: etiam quando iurant verum, vt in materia de iuramento latius, dicemus.

Dubium ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm iudicare ex leuibus indicijs aliquem esſe indoctum, vel ignorantem, vel quod argumẽtatus ſit male, vel quod est prodigus, vel auarus, & his ſimilia ſit peccatum mortale. In qua re dico primò, certum esſe, quòd iudi- *1. Dictum.* care iſta de proximis ex leuibus indicijs est peccatum. Patet: Nam conducunt iſta ad famam, & honorem alicuius: & ſic ſubtrahere illa, erit peccatum. Dico ſecundo, quod in *2. Dictum.* rebus, quæ non admodum conducunt ad famam, & honorem, iudicare de illis ex leuibus indicijs non est mortale. Vt ſiquis iudicet de aliquo, quod est prodigus, vel auarus: maxime ſi ſit verum. Et ratio est; quia tunc parum nocet. Cæterum iudicare aliquem esſe ex proſapia Hebræorum, vel neophitorum, maximè ſi ſit falſum, poſt ſufficiẽtem deliberationem, erit peccatum mortale. Et ratio est: Nam quamuis esſe ex illo genere nulla ſit culpa, aut peccatum, facit tamen quàm maximè ad famam, & honorẽ, quæ inter homines plurimi fiunt: & ſic id cenſetur materia grauis. Ex hoc infertur, quod ſi ſint inter religioſos aliquæ res, quæ licet ſecundum ſe non ſint magni momenti, habentur tamen inter ipſos in magno pondere, conducuntque quam maximè ad famam illorum; iudicare de illis ex leuibus indicijs erit peccatum mortale. Vt ſiquis iudicet de aliquo religioſo, quod nullam curam gerit cæremoniarum; vel de monacho Carthuſiano, quod manducet carnẽ. Et ratio est: Nam per tale iudiciũ offenduntur quam maximè religioſi in fama & honore, quæ inter bona temporalia plurimi fiũt apud ipſos.

Maiora indicia ſunt neceſſaria ad iudiciũ exterius, quam ad interius. ¶Circa vltimam conclusionem D. Thom. in qua de iudice temerè exteriùs iudicante ſubditum, est ſermo, aduertendum est, quod cùm per iudicium exteriùs à iudice factum multo maior iniuria irrogetur proximo, ſi est temerarium, & iniuſtum, quàm per iudicium interius; multo maiora indicia, & efficaciora argumenta erũt neceſſaria ad hoc, vt iudicium exterius non ſit temerarium, quàm ad excuſandum iudicium interius à temeri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

temeritate. Possunt enim esse aliqua indicia sufficientia ad hoc, vt quis interiùs iudicetur malus absque temeritate; quæ tamen nõ sunt sufficientia ad hoc, vt exteriori iudicio condemnetur. Ad iudicandum enim aliquẽ exteriori iudicio debent indicia, & testimonia esse efficacissima. Vnde de illis loquens D. Tho. in solutione ad primum dicit, quòd debent esse adeò certa, vt per idoneos testes probentur. Quod & affirmat Sixtus Papa, scribens Episcopis Hispaniæ, vt est videre apud Gratianum in Decre. 30. quæst. 5. cap. si quis. Cuius verba talia sunt; Incerta nemo pontificum iudicare præsumat. Et quamuis vera sint, non tamen credenda, nisi quæ certis indicijs comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. Idem etiam docet Eleutherius Papa in cap. nullum. eadem causa & quæst. Quod sic habet. Nullum ante veram, iustamque probationem iudicare, aut damnare debemus, teste Apostolo, qui ait: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum, &c. Huius autem rei ratio assignatur in lege absentem. ff. de pœnis. Quia multò peius (inquit) est innocentem condemnare, quàm nocentem impunitum relinquere. De hac re videndum est cap. afferte mihi gladium. & cap. literas. de præsumptio. & gloss. super vtrumq; cap. maximè super cap. literas, versic. vehementem.

Argum de iudicio Salomonis.

¶ Sed contra hoc est argumentum: Rex Salomon exteriori iudicio iudicauit ex sola præsumptione, sine certa & efficaci probatione, eiusque iudicium laudatur. 3. Regum. capit. 3. non ergo est necessarium ad excusandum iudicium exterius à temeritate, quòd probationes certæ & efficaces præcedant. Consequentia est nota: & antecedens probatur: Nam contendentibus duabus mulieribus, quæ in eodem lecto iacuerant, vnaquaq; cum proprio filio, quorum vnus fuit suffocatus, cuius nam illarum filius esset alter infans, qui viuus relictus fuerat, præcepit Salomon, vt in duas partes diuideretur, & vna vni, altera alteri concederetur. Posteà autem ex indicio piæ commotionis super occisione infantis iudicauit, quæ nam esset mater, nulla alia præcedente informatione.

Solutio ex Caietano.

¶ Ad hoc argumentum Caietanus dicit, & bene, meo iudicio, quod iudicia, quantum attinet ad propositum, sunt in duplici differentia. Quædã enim sunt, quę ita cadunt in vtilitatẽ vnius partis, vt nulli noceant: alia autem, quæ nõ possunt fieri in fauorem vnius partis, sine detrimento alterius. Ad iudicium primi generis, dicit Caietanus, non requiritur certa & manifesta probatio: sed sufficit probabilis præsumptio, quæ semper existimatur vera. Et ratio est: Nam cum per tale iudicium nulli inferatur iniuria; sed redundet semper in commodum aliorum, ratio postulat, vt ad eius iustificationem probabilis tãtum coniectura sufficiat. Et tale fuit iudiciũ Salomonis in casu argumenti. Quod & facere debent alij iudices in similibus euentibus. Ad iudicium autem secundi generis, quia redundat in detrimentum alterius partis, semper sunt necessariæ certæ & efficaces probationes. In crimine enim puniendo omnia debent esse clara. Vnde Salomon quamuis per suam sententiam adiudicauit infantem mulieri piæ, quod profuit vtriq; matri, scilicet, & filio, non tamen per hoc alteram damnauit homicidij; quia filium oppresserit. Ex quo nanque alia certitudo haberi non potuit, debuit ex illo indicio iudex in meliorem partem iudicare, vt hic dicit Caietanus.

Altera solutio.

¶ Vel secundo respondetur, quod alia est ratio iudicis inferioris, & alia iudicis superioris, nullum habentis superiorem, præter Deum. Nam iudex inferior cùm sit alligatus legibus, tenetur semper secundum illas iudicare. Et cum istæ præcipiant, vt neminem condemnet, nisi vel confessum, vel sufficienter conuictum, fit, vt nũquam possit sine sufficienti probatione iudicare. At verò iudex superior cum non sit alligatus, nec subditus legibus, nisi tantum quantum ad vim directiuam, poterit aliquando sine certa & manifesta probatione hominis iudicare, imò & condemnare ad aliquam pœnam (dum modo non sit pœna mortis) cum probabili & vehementi præsumptione. Et hæc dicta sint de toto isto articulo.

Articvlvs. IIII.

¶ Vtrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda.

Ad Qvartvm sic proceditur. Videtur, quòd dubia non sint in meliorem partem interpretanda. Iudicium enim magis debet esse de eo, quod in pluribus accidit. Sed in pluribus accidit, quòd aliqui male agant: quia stultorum est numerus infinitus, vt dicitur Ecclesiast. 1. Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua, vt dicitur Genes. 8. Ergo dubia magis debemus interpretari in malum, quàm in bonum.

2 ¶ Præ-

Libr. 1. de doc. Christ. cap. 27. in prin. to. 3.

2 ¶ Præterea, Augustꝰ dicit, quòd ille pie & iuste viuit, qui rerum integer est æstimator, in neutram partem declinãdo. Sed ille qui interpretatur in melius quod dubium est, declinat in alteram partem, ergo non est faciendum.

3 ¶ Præterea, Homo debet diligere proximum sicut seipsum. Sed circa seipsum homo debet dubia interpretari in peiorem partem: secundum illud Iob. 9. Verebar omnia opera mea, ergo videtur quod ea, quę sunt dubia circa proximos, sint in peiorem partem interpretanda.

Est Aug. li. 2. de ser. Do. in mon te. c. 28. an te med. to. 4. Et habetur de reg. iur. c. Esto. Art. prece. ad. 2.

¶ Sed Contra est, quòd Rom. 14. super illud, Qui non manducat mãducantem non iudicet, dicit* glossa. Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut dictum* est, ex hoc ipso, quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, iniuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere vel nocumentum quandocunque inferre, absque causa cogente. Et ideo vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd potest contingere, quod ille qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallitur. Sed melius est, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonã opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rariùs fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono: quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo.

¶ Ad secundum dicendum, quòd aliud est iudicare de rebus, & aliud de hominibus. In iudicio enim in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonũ vel malum ex parte ipsius rei de qua iudicamus, cui nihil nocet qualitercunque iudicemus de ipsa, sed attenditur ibi solum bonum iudicantis, si verè iudicet: vel malum, si falsò: quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius, vt dicitur in 6. Eth.* & ideo vnusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus iudicet, secundũ quod sunt. Sed in iudicio, quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonũ & malum ex parte eius de quo iudicatur: qui in hoc ipso honorabilis habetur, quod bonus iudicatur, & contemptibilis, si iudicetur malus. Et ideo ad hoc potius rendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrariũ appareat. Ipsi autem homini iudicanti falsum, iudicium quo benè iudicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipsius: sicut nec ad eius perfectionem pertinet secundum se cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum.

Li. 6. Eth. ex. c. 2. col ligitur. to. 5. & lib. 6. Met. tx. 8. habetur ex presse to. 3.

¶ Ad tertium dicendum, quòd interpretari aliquid in deteriorem vel meliorem partem contingit dupliciter. Vno modo per quandam suppositionem: & sic cum debemus aliquibus malis adhibere remediũ, siue nostris, siue alienis, expedit ad hoc, vt securius remedium apponatur, quòd supponatur id quod est deterius: quia remedium quod est efficax contra maius malum, multo magis est efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonum vel malum, diffiniendo, siue determinando: & sic in rerum iudicio debet aliquis niti ad hoc, vt interpretetur vnumquodque secundum quod est. In iudicio autem personarum, vt interpretetur in melius: sicut* dictum est.

In cor. art. & ad 2.

Summa Textvs.

Respondet D. Thom. ad propositã difficultatem per talem conclusionem: Vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum, vt bonũ habere, in meliorem partem, quod est dubium interpretando. Probatur: Nullus debet alium contemnere, vel nocumentum quodcunque ei inferre, absque causa cogente: sed qui habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa infert illi iniuriam, & ip-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ipsum contemnit: ergo vbi non apparēt manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum vt bonum habere, & sic in meliorem partē, quod est dubium interpretari.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubiū circa conclusionem D. Thom.

CIrca conclusionem huius articuli est difficultas, vtrùm sit verum, quòd dubia semper sint in meliorem partem interpretanda. Et pro parte negatiua, argumentor primò: Iudicium in rebus dubijs cum declinat in deteriorem partem, regulariter, & vt in plurimum, est verum, vt D. Thom. fatetur hic ad primum: ergo illud est secundum prudentiam: atque ex consequenti, dubia semper sunt in deteriorem partem interpretanda. Probo consequentiam: Nam in agibilibus id iudicium vocatur secundum prudentiam, quod regulariter est verum.

1. Argum.

2. Argum. ¶Secundò: In obiecto neutrali nullus tenetur ad alteram partem declinare, cum detrimento sui ipsius: sed qui interpretatur dubia in meliorem partem, declinat in alterā partem obiecti neutralis cum detrimento sui ipsius: ergo nullus tenetur dubia in meliorem partem interpretari. Consequentia cum maiori est nota: & minor probatur; Quoniam qui dubia interpretatur in meliorem partem, patitur detrimentum falsitatis in proprio intellectu: falsum enim est malum intellectus, sicut verum est, bonum eiusdem: Nec valet si dicatur cum D. Thohīc ad secundum, quòd cognitio singulariū non pertinet ad perfectionem intellectus. Et sic, quamuis fallatur in particulari, dubia in meliorem partem interpretādo, nullum patitur detrimentum. Non, inquam, valet hoc. Nam, quanuis verum sit, quòd cognitio singularium non pertinet ad perfectionem intellectus speculatiui, pertinet tamen ad perfectionem intellectus practici, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 11. art. 1. ad 3. Intellectus enim extensione fit practicus, vt dicitur lib. 3. de anima. Et sic dicimus, quod ad prudentiam, quæ in intellectu practico recipitur, necessaria est memoria præteritorum, & intelligentia præsentium, & prouidentia futurorum, quæ omnia important singularium cognitionem.

3. Argum. ¶Tertiò sic argumentor: Nullus tenetur habere actum positiuum circa proximum, nisi proximus sit in casu necessitatis: ergo nec tenebitur dubia in meliorem partem interpretari positiuè: sed poterit suspēdere actū. Antecedens est manifestum ex his, quæ diximus in materia de charitate: & consequētia probatur: Nam ex eo, quòd casus dubij sese offerant, proximus non est in necessitate, quòd quis positiue habeat bonam æstimationem de illo. ¶Vltimò: Cum quis audit aliquod delictum graue de proximo à persona veridica: vt, si verbi gratia, vir probatæ fidei diceret de fœmina honestissima, quod non seruat fidem marito, tunc res manet in dubio; nec satis constat an fœmina tale peccatum fecerit, necne: & tamen non teneor id dubium in meliorem partem interpretari: ergo falsum est dicere, quod semper dubia sunt in meliorem partem interpretanda. Consequentia cum maiori est nota: & minor probatur: Nam, si interpretor illud dubium in meliorem partem, facio iniuriam viro illi magnæ autoritatis, iudicando eum fuisse mentitum; nulli autem est facienda iniuria.

Vlt. Arg.

Regula ab omnibus recepta.

¶Incontrarium tamen est illa celebris regula, quæ dicit, dubia in meliorem partem esse interpretanda. Quæ est D. Augustī. lib. 2. de sermone Domini in monte, capit. 28. quam & ipse colligit ex illo Matth. 7. Nolite iudicare & non iudicabimini. Super quæ verba dicit D. Augustin. Nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi, vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretentur. Eadem regula adducitur à glossa super illud Paul. ad Rom. 14. Qui non manducat, manducantem non iudicet. Et refertur extra. de regulis iur. cap. 2. Quam & communiter recipiunt Theologi, & vtriusque iuris Doctores. Et merito quidem: Nam sicut in dubijs verbum generale, quod potest ad malum, & ad bonum sensum trahi, interpretandum est in bonū, vt habetur. l. in ambigua. ff. de legibus: ità etiam & in factis dubijs semper interpretatio est facienda in meliorem partem. Dixi in dubijs: Nam in manifestis non est opus tali interpretatione. Sed quanuis omnes cōueniant in ista regula, non tamen omnes conueniunt in eiusdem interpretatione. Vnde ad illius intelligentiam, & etiam ad explicationem difficultatis propositæ aduertendum est primo, quod in præsenti tamē loquimur de dubio rationabili, quod in vtramque partem habet sufficientia indicia atque motiua ad dubitandum. Nam de dubio, quod nascitur ex leuibus indicijs iam diximus art. præcedenti id esse peccatum, regulariter veniale, & interdum mortale, si sit de re grauissima. Vt siquis sine idonea causa de aliquo dubitaret, an esset hæreticus, vel proditor reipublicæ, &c. Et sic sensus quæstionis est, an eo tempore, quo quis videt alicuius factum, vel dictum, de quo rationabiliter dubitatur, an sit peccatum nec ne, quia pro vtraque parte sunt sufficientia motiua ad dubitandū, semper teneatur tale dubium

Nota primò pro explicatione difficultatis.

dubium in meliorem partem interpretari, iudicando illud non esse peccatum.

Nota. 2. ¶Secundò est aduertendum cum Caietano in præsenti, quod dubia dupliciter possunt in meliorem partem interpretari, scilicet, negatiuè & positiuè. Negatiuè est non interpretari in deteriorem. Quod cōtingit, quando quis propter factum ambiguum quod videt de proximo, non formet peiorem æstimationem de illo, quàm prius habebat; sed prorsus persistit in eadem. Verbi gratia, iudicabat quis Petrum esse sobrium; postea autem videt illum bene comedentem, & bibentem, tunc dicetur hoc factum ambiguum in meliorem partem interpretari negatiuè quando non mutans iudicium persistit in eadem opinione, quam antea habebat. Positiuè verò interpretari in meliorem partem, est formare nouum iudicium, quo de proximo iudicet id, quod melius est, vt in exemplo posito, cùm quis videns Petrum bene comedentem, & bibentem iudicat id facere ex necessitate, & sic, quòd in illo opere bene & meritorie operatur, interpretatur dubium in meliorem partem positiuè.

Nota. 3. ¶Tertiò est aduertendum, quòd hominē teneri ad interpretandum dubium in meliorem partem positiuè, adhuc potest efficere duplicem sensum. Primus est, quòd homo absolutè loquendo, cùm se offert dubiū tenetur exire in actum positiuum, quo bene iudicet de proximo. Alter sensus est, quod illa obligatio solum sit ex suppositione. Itaq; supposito, quòd vult exire in actū positiuum, tenetur, dubium in meliorē partem interpretari, & habere bonam æstimationem de proximo, cùm tamen possit suspendere actum, & nullum iudicium positiuum formare.

1. Dictum certum. ¶His suppositis, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd dubia sunt interpretanda in meliorem partē negatiuè. In hoc dicto omnes conueniunt. Et probatur manifestè ratione D. Thom. in isto articulo, quæ solum probat dubia esse interpretanda in meliorē partem negatiuè, ne alicui fiat iniuria. In quo sensu dicit Caietanus, esse intelligendum illud Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Et illud ad Rom. 14. Qui manducat non manducantem non iudicet. Quasi præcipiant Christus, atque Paul. in dubijs non habere malam opinionem de proximo: quod est interpretari dubia in meliorem partem negatiuè.

2. Dictum certum. ¶Dico secundò, etiam esse certū, quòd ex suppositione dubia, sunt interpretanda in meliorem partem positiuè. Hoc est, supposito, quòd in re dubia, quis vult exire in actum positiuum iudicandi, tenetur habere actum bonæ æstimationis de proximo. Probatur: Quia aliàs peccaret auferens à proximo bonam æstimationem, quam apud se habebat sine sufficienti, & idonea causa, quod sine iniuria, & peccato fieri non potest, vt diximus artic. præcedenti. Ad id probandum solet etiam communiter adduci regul. 11. de regulis iuris, in. 6. Quæ sic habet: Cùm iura sunt obscura, reo fauendum est, potiùs, quàm actori. Et regul. 65. eiusdem tituli, quæ dicit: In pari delicto, & causa, melior est conditio possidentis. Sed istę regulæ loquuntur de iudicio probato à iudice in foro exteriori, quanuis possint etiam per quandam analogiam accommodari ad iudicium, de quo loquimur. Nam cum vnusquisque habeat possessionem bonæ famæ, quandiu non probetur mala, videtur, quòd in dubijs debemus declinare in fauorē possidentis, ad sensum iam explicatum. Itaque hæc certa sunt.

Punctus difficultatis. ¶Sed dubium est, vtrūm, absolutè loquēdo, semper teneatur homo dubia interpretari in meliorem partem positiuè. In qua re Soto lib. 3. de iust. & iure, quæst. 4. art. 4. partem tenet affirmatiuā, dicens, quòd tenetur vnusquisque dubia positiuè in meliorē partem interpretari, nec sufficere, quòd animum suspendat. Quin potius addit, quòd si signa, atq; indicia sint amphibola, etiam tenetur illa positiuè in meliorem partem interpretari. Contrariam tamen sententiā tenet Caietanus in hoc articulo quam ego veriorem existimo. Vnde in hoc sit conclusio: Per se loquendo non tenetur homo dubia interpretari in meliorem partem positiuè. Itaque, siquis videt Petrum bene comedentem, & bibentem, non tenetur positiuè iudicare id fieri ex necessitate: sed sat erit suspendere actum. Probatur: Illo opere ambiguo non existente, non tenetur formare nouum actum, quo iudicet Petrū esse sobriū: ergo multo minùs tenebitur formare idē iudiciū eo opere existente. Antecedens est manifestum: & consequentia probatur: Nā opus illud ex se est neutrū, & indifferēs ad bene, vel male iudicādum. Non videtur autem conforme rationi, quod ex facto ambiguo semper ex necessitate inducatur quis ad positiuè id, quod est melius, iudicādum. Item quāuis teneatur homo diligere proximū semper, nō tamē pro semper, sed in casu necessitatis, vt diximus supra in materia de charitate: ergo pari ratione, quāuis teneatur homo habere bonam æstimationem de proximo, quandiu non apparent sufficientia

Sententia Soti.

Conclus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

indicia incontrarium,non tamen tenebitur habere illam pro semper, hoc est, exire in nouum actum,nisi in casu necessitatis: sed opus illud dubium occurrens non constituit proximum in necessitate eius bonæ actualis æstimationis: ergo non tenetur homo illam habere:atque ex consequenti dubia per se loquendo non semper sunt in meliorem partem interpretanda positiuè. Dixi notanter in conclusione, per se loquendo.Nam cum sit difficile in huiusmodi dubijs suspendere actum, & homines sint proclines ad male iudicandum,poterit aliquando contingere, quod ad vitandum periculum de mala æstimatione sit necessariũ prorumpere in actum positiuum boni iudicij. Id tamen est per accidens: & sic nihil facit contra nostram conclusionem.

Ad. 1. arg. ¶Ad primum argumentum in contrariũ factum,supposito, quòd,vt cõstat ex dictis, illud tantum procedit quando homo ex suppositione, dubium interpretatur positiuè, quod quidem debet facere in meliorẽ partem. Nam de necessitate solum tenetur habere se negatiuè, vt diximus in primo dicto.Respondetur,quòd quanuis verum sit, quòd iudicium de re dubia declinans in deteriorem partem regulariter speculatiuè sit verum,quia tamen semper fit cum detrimẽto,& iniuria proximi,& ex consequenti est peccatum,fit, vt secundum prudentiã illud sit maximè vitandum.Fateor tamen, quòd si tale proximi detrimentum non intercederet, semper deberemus rem dubiam secundum prudentiam in deteriorem partem interpretari,propter rationem argumenti.

Ad. 2. arg. ¶Ad secundum suppositio similiter,quòd tã tum procedit ex suppositione,respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem,vt dicamus,aduertendum est cum Caietano in præsenti,quòd intellectus practicus in moralibus dupliciter concurrit ad operationem. Vno modo, vt cognoscens; in quo conuenit cum intellectu speculatiuo. Alio modo,vt dirigens ad operandum.Et quia non eodem modo attenditur veritas secundum vtramq; actionem; nam veritas intellectus practici, vt cognoscens est, consistit in adæquatione rei ad intellectum; ab eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa;& veritas eiusdem intellectus, vt dirigens est,non consistit in hoc,sed in conformitate ipsius ad appetitum rectum,vt docent Arist.lib.6.Eth. cap.2.& D.Tho.ibidem, Lectione.2.fit,vt aliquando contingat,quòd iudicium intellectus practici,in quantum est cognoscens, sit falsum; & tamen iudicium eiusdẽ in quã tum dirigens est,sit verum.Vt est videre in eo,qui hominem malum propter indicium ambiguũ non iudicat esse malũ,sed bonum, dubiũ interpretando in meliorẽ partẽ.Tũc enim iudiciũ illud in quantũ est intellectus cognoscentis, est falsum; quia non est ità à parte rei sicut iudicatur.Et tamen idẽ iudiciũ, in quantũ est intellectus practici dirigentis est verum;quia est conforme appetitui recto: & quia est magis propriũ intellectus practici dirigens ad operationẽ,quam cognoscere.Rursus fit,vt veritas intellectus practici,vt dirigens est,sit multò maior perfectio illius, quam veritas eiusdem intellectus,vt cognoscens est.Atque ex consequẽti quanuis sæpiùs fallatur intellectus,vt cognoscens est interpretando dubia in meliorem partem,tamen,vt dirigẽs est,est verus, & sic habet maiorem perfectionẽ.Imò potest aliquando contingere, quòd ex iudicio falso intellectus practici,vt cognoscens est, sequatur iudicium verum eiusdem intellectus,in quantum dirigens est. Vt est videre in Iacob,qui ex isto iudicio intellectus practici,vt cognoscẽs est;Hęc est Rachel,quod quidem erat falsum,quia non erat Rachel, sed Lia, intulit iudicium eiusdem intellectus practici, vt dirigens est. Hæc est à me cognoscenda,quod propter inuincibilẽ ignorantiam erat verum; quia conforme appetitui recto.Et per hoc patet solutio ad argumentum. *Ad. 3. arg.* ¶Ad tertium respõdetur, quòd probat nostram conclusionem, vt ex dictis constat.

Dubium graue. ¶In quarto argumento tangitur grauis difficultas,quid sit faciendum in casu, quo vir probatæ fidei dicit de fœmina honestissima,quòd non seruat fidem marito,an,scilicet, tunc dubium sit interpretandũ in meliorem partem,vel potiùs in deteriorem? Et *Ratio dubitandi.* ratio dubitandi est: Nam,si interpretor dubium in deteriorem partem,credendo virũ illum dicere verum, proculdubio facio iniuriam fœminæ priuando eã, sine sufficiẽti causa bona opinione,quã apud me habebat. Si autẽ interpretor dubiũ in meliorẽ partẽ, credendo fœminã nihil simile fecisse,similiter facio iniuriã viro probatæ fidei, iudicando illũ fuisse mentitũ in re grauissima:quod etiam sine graui damno fieri non videtur. ¶In hac dubitatione multi multa dicũt. Sed omissis eorũ diuersis sententijs, vt explicẽ, quid in hac re mihi semper est visum probabilius,dico primò,diligenter esse considerãdũ,qua ratione,atq; causa homo ille mouea tur ad tale malũ dicendum de proximo. Et si constiterit,eũ moueri ex odio,vel ex amore,vel ex quauis alia affectione, proculdubio

1. Dictum.

bio tunc interpretatio debet fieri in fauorẽ mulieris conferuando de ea bonã æstimationem,quam anteà habebam.Si autẽ ex coniecturis constiterit, virum illũ bono animo moueri ad tale malũ asserendũ ea, scilicet, de causa,vt remediũ adhibeatur, tũc maior
2. Dictum. est difficultas.Sed ego dico secundò,q; si homo ille tunc potest suspendere iudicium in neutra partẽ declinando,benefaciet,ne alicui irrogetur iniuria.Cæterũ,quoniam non semper est positũ in nostra potestate moraliter loquendo,in similibus casibus iudiciũ
3. Dictum. suspendere; Dico tertiò,quòd si in casu posito voluerimus exire in aliquod iudicium, debemus dubiũ in meliorẽ partẽ interpretari,iudicando,scilicet,eam fœminã esse honestissimã. Et ratio est: Quia, vt habetur de regulis iuris in.6.reg.11.quando partiũ iura obscura sunt,reo potius, quã actori fauẽdũ est. Habet autẽ locũ rei is, de quo malũ dicitur.Itẽ præterea;Quia,vt præclare docet Abb.super cap.quando.de præsumpt. iura promptiora sunt ad absoluendũ,quã ad dãnandũ:& ità debet facere iudex. Subiungit statim vnũ annotatione dignissimũ,dicens, quod etiã si sit maior probatio pro actore, quã pro reo, si tamen excessus sit exiguus, potius pro reo, quã pro actore debet iudiciũ proferri.Idq; probat ex glo.in.c.clerici. 81.dist.dicente,q; si duo clerici dixerint Petrũ certa die fuisse fornicatũ,& alij duo laici affirment eundẽ Petrum eadẽ die fuisse apud illos:ità, vt tale crimen cõmittere nõ potuerit, præponendi sunt laici clericis.Nã quanuis cæteris paribus maior sit autoritas clerici,quã laici:quia tamen excessus est modicus, potius pro reo,quã pro actore est iudicandũ. Item præterea sic argumentor:Si homo ille corã duobus, vel tribus testibus diceret malũ de ea muliere,ego teneter pro illa respondere,atque corrigere dicentẽ: ergo similiter si mihi solũ renunciet malũ de eadẽ muliere,tenebor conseruare bonã æstimationẽ,quam antea habebam.Patet cõsequentia:Nam ex eo,quod corã me solũ,vel coram alijs dicat,factum ipsum nõ redditur magis,vel minus probabile.Si autem ex hoc sequatur aliqua iactura in honore illius, qui malũ dicebat sibi imputet,qui sine sufficienti causa diffamauit proximum.Et hæc dicta sint,de ista difficultate.

¶In solutione ad primũ argumentum dicit D.Tho.quod quanuis,qui dubia in clariorem partẽ interpretatur, frequentius fallatur,tamen melius est frequentiùs falli per bonam opinionẽ de aliquo malo homine, quam rariùs falli, habendo malã de aliquo bono, quia ex hoc nascitur iniuria: ex illo autem nulla.Sed,vt hoc intelligatur, aduertendũ est primò,quòd,vt constat ex D.Th. 1.2.q.56.art.3.hoc est discriminis inter virtutes morales,& virtutes purè intellectuales, quod virtutes morales eũ,in quo sunt, efficiunt bonum simpliciter:at verò virtutes intellectuales eũ,in quo sunt,nõ efficiũt bonũ simpliciter, sed bonũ secũdũ quid,scilicet bonũ,vel Theologum,vel Philosophũ. Et ratio huius est: Quia cũ id,quod cõtingunt & cõsequũtur virtutes intellectuales, nõ sit bonũ vniuersale perficiẽs totũ hominẽ, sed bonũ particulare perficiẽs particulam potentiã,quod est bonũ secundũ quid, nõ possunt efficere bonũ simpliciter.At verò virtutes morales,quia attingũt vltimũ finem,qui est bonũ vniuersale,& bonũ simpliciter,in quo totius hominis fœlicitas cõsistit,fit,vt illũ,in quo sunt,efficiant & denominent bonũ simpliciter.Et quia bonũ, quod efficiunt virtutes morales, est bonũ simpliciter:bonũ autẽ,quod efficiũt virtutes intellectuales non est bonũ simpliciter, sed secundum quid,rursus fit,quòd nec malum intellectus sit malũ simpliciter, sed secundum quid. Qui enim ignorat, vel errat aliquid in philosophia non dicetur malus simpliciter,sed malus philosophus.At verò malum oppositum virtutibus moralibus est malum simpliciter:& sic eum, in quo est, absolutè malum denominat. *1. Nota cir ca solutionem ad. 1. argum. D. Thom.*

¶Secundò est aduertendum, quòd, quia bonum morale cõsistit in recto ordine circa suum finem vltimũ, & ad finem ordinatur homo per appetitum, fit, vt in tantum iudicium aliquod intelligatur pertinere ad mores,& esse bonũ, vel malum morale, in quantum est conforme,aut difforme appetitui recto. Illud autem iudicium dicetur conforme appetitui recto, quod ex natura sua est natum dirigere appetitũ in id,quod est rectũ. Et è contrario id iudiciũ dicetur difforme,quod dirigit appetitũ in id,quod est malũ.Ex hoc sequitur,quòd cũ in re dubia iudico bene de homine, & tamẽ fallor, tunc illud iudiciũ, in quantũ est error speculatiuus,est malum,secundum quid.At verò idem iudicium,in quantũ dirigit appetitum in id,quod est rectũ: inclinat enim ad amandũ proximũ,est bonũ morale:& sic bonũ simpliciter.Dicit ergo D.Th. q; est melius habere tale iudiciũ,quãuis fallum, quã cũ iniuria proximi verè iudicare speculatiuè. In isto enim iudicio, quanuis falso est plus boni,quã mali:siquidem est bonũ simpliciter,& malum secundũ quid:cũ tamen in iudicio speculatiuo vero sit plus mali,quã boni:nam est malum simpliciter, & bonũ se- *Nota. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cundum quid. Et sic constat quòd est melius frequentiùs falli per bonam opinionẽ de aliquo malo homine, quàm rariùs falli habendo malam de aliquo bono: quia ex hoc nascitur iniuria; ex illo autem nulla.

Discrimen inter iudicium de rebus, & iudicium de hominibus.

¶ In solutione ad secundum argumentũ tale constituit D.Tho. discrimen inter iudicium de rebus, & iudicium de hominibus, seu de personis: Quòd in iudicio de rebus, quia non attenditur principaliter bonum, vel malum rei, de qua iudicatur; nihil enim boni, aut mali ei accrescit ex nostro iudicio, sed solum attenditur bonum iudicãtis, quod consistit in eo, quòd verum iudicet: verum enim est bonum intellectus, sicut falsum est malum illius, vt docet Arist. libr. 6. Ethic. cap. 2. & 6. Meta. text. 8. Idcircò qui de rebus iudicat debet solũ niti atque procurare, vt de illis iudicet, sicut sunt à parte rei. At verò in iudicio de hominibus, quia principaliter intenditur bonum, aut malũ eius personæ, de qua iudicamus, quæ, si iudicatur bona, habetur in pretio, & æstimatione: &, si dicatur mala, habetur contemptui, atque despectui, in quo irrogatur illi iniuria: idcircò in hoc iudicio, in id præcipuè debemus niti, vt bene iudicemus de altero. Et sic dubia sunt in meliorem partem interpretanda. Quæ doctrina est optima, atque sequenda. Sed circa illam aduertit Caietanus, aliud esse iudicare, hoc dictum vel factum esse peccatum: aliud autem iudicare, quòd ille, qui id fecit aut dixit peccauit. Primum enim, quia est iudicium de rebus, quantum fieri potest debet conformari ipsi rei. Aliud autem, quia est iudicium de personis, debet accommodari ipsi personæ, de qua iudicatur, & sic semper debet in melio tem partem declinare.

Nota pro prælatis.

¶ Solutio D.Thom. ad tertium argumentum est valde notanda, maximè pro prælatis. Distinguit enim duplicem iudiciũ: vnũ secundum suppositionem: alterum secundũ diffinitionem, & determinationem. Et dicit, quòd in iudicio secundum suppositionem, quod est, quando agitur de remedio, & cautela, semper dubia sunt interpretanda in peiorem partem, vt efficacius remedium adhibeatur. At verò in iudicio secundũ diffinitionem, & determinationem debemus interpretationem facere in partem meliorem, ne proximum iniuria afficiamus. Et sic vna & eadem distinctione simul, & semel reddit nos D.Tho. iustos erga proximos iudicandos, & prudentes ad cauendum, custodiendum, ac prouidendũ. Quod enim quis cauet, custodit, ac prouidet in maiori malo, consequens est, vt magis valeat in minori, vt D.Th. dicit in litera. Ex ista ergo doctrina prælati debent subditos, atque subditas in rebus dubijs non malitiæ arguere, aut punire, sed bonam de eis vt prius opinionẽ habere: & tamen cautelas, custodias remediaque adhibere, ac si mali essent, nihil tamen faciendo, quod famæ proximi possit aliqua ratione derogare. Hoc enim esset iniuriam facere, quod, vt diximus, est peccatũ.

Articvlvs. V.

¶ *Vtrùm sit semper secundum leges scriptas iudicandum.*

Infr. art. 6. cor.

Ad Qvintvm sic proceditur. Videtur, quòd non sit semper secundum leges scriptas iudicandum. Semper enim vitandum est iniustum iudicium. Sed quandoque leges scriptæ continẽt iniustitiam: secundum illud Isai. 10. Vę qui condunt leges iniquas, & scribẽtes iniustitiam scripserunt, ergo non semper est secundum leges scriptas iudicandum.

2 ¶ Præterea, Iudicium oportet esse de singularibus euentibus. Sed nulla lex scripta potest omnes singulares euẽtus cõprehendere vt patet per Philos. in 5. *Eth. ergo videtur, q̃ non semper sit secundum leges scriptas iudicandum.

Lib. 6. cap. 10. tom. 5.

3 ¶ Præterea, Lex ad hoc scribitur, vt sententia legislatoris manifestetur. Sed quãdoq; contingit quòd si ipse legislator præsens esset, aliter iudicaret. Ergo non est semper secundum leges scriptas iudicandum.

Cap. 31. à med. to. 1.

¶ Sed Contra est, quòd August. dicit in lib.* de vera Relig. In istis tẽporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cum eas instituerint, cum tamen fuerint institutæ & firmatæ, non licebit iudicibus de eis iudicare, sed secundum scipsas.

Art. 1. huius quæst.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut dictum * est, iudicium nihil aliud est, quàm quædam diffinitio vel determinatio eius quod iustum est. Fit autẽ aliquid iustum dupliciter. Vno modo ex ipsa natura rei, quod dicitur ius naturale. Alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur ius positiuum, vt suprà habitum * est. Leges au-

Quæst. 57. art. 2.

ges autem scribuntur ad vtriusq; iuris declarationem, aliter tamen & aliter. Nam legis scriptura, ius quidem naturale continet, sed nõ instituit. Non enim habet robur ex lege, sed ex natura. Ius autem positiuum scriptura legis & cõtinet & instituit, dans ei autoritatis robur. Et ideò necesse est, quòd iudicium fiat secũdum legis scripturam: alioquin iudicium deficeret, vel à iusto naturali, vel à iusto positiuo.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod lex scripta, sicut non dat robur iuri naturali, ita nec potest eius robur minuere, vel auferre: quia nec volũtas hominis potest immutare naturã. Et ideò si scriptura legis contineat aliquid contra ius naturale, iniusta est, nec habet vim obligandi. Ibi enim ius positiuum locum habet, vbi quantum ad ius naturale, nihil differt vtrũ sic vel aliter fiat, sicut suprà habitum * est. Et ideo nec tales scripturæ legis dicũtur, sed potius legis corruptiones: vt suprà dictũ * est, & ideo secundũ eas non est iudicandũ.

Quæst. 57. art. 2.

1. 2. q. 95. art. 2.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut leges iniquæ secundum se contrariantur iuri naturali, vel semper, vel vt in pluribus: ita etiam leges, quæ sunt rectæ, positæ in aliquibus casibus deficiũt: in quibus si seruarẽtur, essent cõtra ius naturale. Et ideo in talibus non est secũdum literam legis iudicandum, sed recurrendum ad æquitatem, quam intendit legislator. Vnde Iurisperitus * dicit, Nulla ratio iuris aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem. Et in talibus etiam legislator aliter iudicaret, & si considerasset, lege determinasset.

In Digesto veteri, lib. 1. titu. 3. l. 24.

¶ Et per hoc patet responsio ad tertiũ.

Summa Textvs.

Supposito, quòd iudicium est determinatio eius, quod est iustum, & quod iustum est duplex, vnũ ex natura rei, quod appellatur ius naturale, aliud ex cõdicto hominum, quod appellatur ius positiuum, respondet D.Tho. ad propositam difficultatẽ per duas propositiones. Prima conclusio: Quando lex scripta ius naturale continet, nunquam licèt nec principi, nec subditis cõtra illam agere, sed semper secundũ eam iudicandũ est. Probatur: Huiusmodi leges nõ sunt illius iusti cõstitutiuæ, sed declaratiuæ, nec iustum illarum oritur ex legibus, sed ex rebus ipsis, super quas nullus iudex etiam supremus potest dispensare: ergo semper est secundum eas iudicandum. Secunda cõclusio: Adhuc quando lex est humana, tenetur princeps, atque iudex secundum illam iudicare, quatenus iuri naturæ non repugnat. Probatur: Nam quamuis istæ leges non sint declaratiuæ iusti naturalis, sunt tamẽ cõstitutiuæ eius iusti, quod humano condicto secundũ regiones, tẽporũq; cõditiones visum est expedire; & sic semper est secundũ eas iudicandũ, quãdo iuri naturæ nõ repugnat.

Explicatio Articvli.

Pro intelligentia huius articuli, aduertẽdum est, quod, vt ex litera constat, quãtum attinet ad præsens institutũ, leges sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt naturales, quarũ iustũ ratione naturali constat: qualia sunt præcepta Decalogi & illa, quæ ex ipsis euidenti consequentia deducũtur. Aliæ autẽ sunt leges positiuæ, quarũ iustũ humano cõdicto, & volũtate positũ est: quales sunt omnes aliæ, quæ principũ volũtate ad rectè gubernandã rempublicã pro loco, & tẽpore introducuntur. Et quidẽ in præsentiarum, quando quærimus, an sit semper secundũ scriptas leges iudicandũ, non est sermo de naturalibus. De eis enim, quia earũ lumen naturaliter mentibus nostris est insitũ, nulla ratione licet dubitare, quominùs sit semper secundum ipsas iudicandũ. Sed peculiariter loquimur de illis legibus scriptis, quæ humanę, & positiuę appellant.

Leges in duplici differentia.

¶ Et sic priori cõclusione D.Th. vt nota recepta circa secũdã est grauis difficultas, vtrũ verũ sit, quod princeps, qui est supremus iudex teneatur semper secundũ legẽ scriptam iudicare? Et ratio dubitãdi est: Nã cùm princeps sit solutus suis legibus, vt dicitur in l. princeps. ff. de legib. Videtur, q̃ non semper teneatur secundum illas iudicare, maximè, quod cũ possit dispensare in lege, vt omnes Doctores cõcedũt, in ipsa sententia ferenda poterit etiã vti potestate dispensandi, & sic agere contra verba legis ablq; aliquo peccato. Incontrarium tamẽ est, quòd habetur in cap. summopere. 11. q. 3. Vbi D. Gregor. dicit, quòd in dictandis sententijs diuina simul & humana lex resoluatur, & secundũ quod ibi fuerit sententia proferatur.

Dubiũ circa secundã conclusionem D. Thom.

Ratio dubitandi.

¶ Pro explicatione huius difficultatis ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Explicatur titulus quæstionis.

uertendum est primò, quòd præsens quæstio potest habere duplicem sensum. Primus est, vtrùm princeps teneatur suis legibus parere. Et hic non prætenditur in præsenti: sed de illo disputat D. Thom. 1.2. quæst. 96. art. 5. Vbi proposita distinctione de duplici vi, quam habet lex, coercitiua, scilicet, & directiua, dicit, quòd quantum ad vim coercitiuam, princeps non tenetur suis legibus: quia nullus se ipsum punire debet; bene tamen quantum ad vim directiuam: quia ratio postulat vt princeps seipsum dirigat, eo modo, quo dirigit alios. Quod quidem est intelligendum, quantum ad illas leges, quæ comprehendunt & concernunt ipsos legislatores. Nam possunt esse aliquæ leges, quę ex æquitate naturali non debent intelligi comprehendere legislatorem. Vt si in curia caueretur, ne quis indueret vestem sericam, vel ne quis æquitaret mula: tales leges non concernerent personam Regis: & sic princeps quantum ad nullam vim esset subiectus illis. Secundus sensus quæstionis est, an in ferendis sententijs teneatur semper princeps secundum legem scriptam iudicare, sicut alij iudices inferiores. Et in isto sensu disputatur quæstio in præsenti.

¶Sed est aduertendum secundò, quòd de lege scripta, quantum ad hoc, adhuc possumus loqui dupliciter; vno modo quantum ad verba ipsius legis: alio modo quantum ad mentem, & intentionem, quam legislator habuit, dum talem legem conderet. Et quidem si loquamur, quantum ad verba legis sit prima conclusio certa: Potest princeps aliquando contra legem scriptam iudicare, id est, contra id, quod verba legis prima facie significare videntur. Quin potius dico, quòd toties tenebitur princeps sic iudicare, quoties seruatis verbis ipsius legis, videret non seruari mentem & intentionē legislatoris. Et ad hoc propositum adducit D. Thom. solutione ad secundum illud iuris prudentis in Digesto veteri. lib. 1. tit. 3. l. 24. Nulla ratio iuris aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem. Quin potius addiderim, quòd non solum princeps, sed etiam alij iudices inferiores debent aliquā do non secundum verba legis, sed secundū eius mentem & intentionem iudicare. Vt enim dicit communis regula iuris: In legem peccat quicunque verba légis amplexus cōtra legis nititur voluntatem. Vbi non tantū est sermo de principe, sed etiam de quocūque alio iudice contra legis intentionē iudicante. Et ratio est manifesta: Nam cū sint plurimi casus, in quibus, si seruetur lex quā tum ad verba, operabitur iudex contra ius & æquitatem naturalē; manifestè sequitur, quòd in illis non erit licitum secundū verba legis iudicare. Quod autem sint huiusmodi quàm plurimi casus, probatur: Nam leges sunt institutæ pro bono communi, vt docet D. Tho. 1.2. q. 90. art. 2. sed potest sæpè sæpiùs contingere, vt obseruatio legis quantum ad verba redundet in detrimentū boni communis: ergo, tunc contra ius naturale erit illius legis quantum ad verba obseruatio. Consequentia cum maiori est nota: & minor probatur: Nam si obsessa ab hostibus ciuitate statueretur lex, ne portæ ipsius in nocte aperirentur, & contingeret casus, quòd ciues, per quos ciuitas est defeuenda ab hostibus fugientes ad illam confugerent: si lex tūc, quæ pro commodo ipsius reipublicæ fuit instituta, quantum ad verba seruaretur; proculdubiò vergeret in detrimentum ciuitatis. Et sic quicunq; iudex, eo in casu debet non secundum verba, sed secundum legis intentionem, & mentem iudicare. Sed de hoc iam diximus supra, agentes de Epicheia. Est tamen aduertendum, esse latissimum discrimen, quantum ad hoc, inter principem ex vna parte, & alios iudices inferiores ex alia. Nam primò, princeps ad hoc, vt possit, non quantum ad verba, legem interpretari, satis est, quòd habeat probabilem coniecturam, quòd illa, quantū ad verba, cedit in damnum reipublicæ. At vero iudex inferior non poterit in iudicando à verbis legis recedere; nisi certò sibi constet, moraliter loquendo, quòd obseruantia legis, quantum ad verba, est in perniciem reipublicæ. Nec præterea tunc id poterit efficere principe inconsulto; nisi fortè periculum sit adeò subitum, & imminens, vt consultandi principis non detur locus, vt in exemplo posito. Secundò differt princeps ab alijs iudicibus in eo, quòd princeps potest interpretari legem, & in illa dispensare; cùm tamen iudices inferiores id efficere non possint: illius enim est legem interpretari, cuius est condere, vt habet commune axioma iurisprudentium. Ex quo infertur, quòd si sit aliquis iustè damnatus ad mortem: & ille talis cognoscatur vtilissimus reipublicæ, poterit princeps tunc in lege dispensare, liberando eum à morte; quod iudex inferior efficere non poterit.

1. Conclus.

Princeps aliquando tenetur cōtra verba legis iudicare.

Discrimen inter principem & alios iudices.

¶Secunda conclusio: Non solū iudices inferiores: sed etiā princeps tenetur iudicare secundū legem scriptam, quantum ad mentem, & intentionem ipsius legis. Et quidem quod

2. Conclus.

quod iudices inferiores id facere teneatur, est res manifesta; sunt enim subditi, atque subiecti illis legibus; & sic contra eas facere non possunt. Sed quod etiam princeps id facere teneatur, probatur: Nam ratio naturalis dictat, vt patiatur quisque legem, quā tulit, & quod caput conformet se membris, ac simul cum illis se submittat oneri legis, ne de illo dicatur, quòd de Scribis, atq; Pharisæis dicebat Christus apud Matth. cap. 23. Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere, &c. Ad hoc etiā

D. August.

propositum dicit D. August. in lib. de vera religione. cap. 31. quòd licèt, quando leges instituuntur, de illis iudicent homines, qui eas instituunt: cum tamen fuerint institutæ, & firmatæ non licebit iudicibus de eis

Princeps non seruās legem sine causa peccat.

iudicare, sed secundum illas. Ex hoc infertur, quòd princeps non seruans legem sciptam à se, vel à suis prædecessoribus condi tam sine rationabili causa, peccat mortaliter: vt si Papa non confiteretur semel in anno peccata sua; vel non ieiunaret tempore ab Ecclesia præscripto. Et si quis obijciat, q princeps est solutus suis legibus, nec potuit ad illas à se, vel à suis prædecessoribus obligari, cum par in parem non habeat imperium; Respondetur, quòd princeps non tenetur ad obseruantiam suæ legis ex vi illius, sed ex vi legis naturalis præcipientis, vt quisque subeat legem, quam alijs imponit. Et in hoc differt à iudicibus inferioribus; quod isti non solum virtute legis naturæ, sed etiam virtute legis scriptæ tenētur ad eius obseruantiam: at verò princeps ad id solum tenetur ex vi legis naturalis. Et

Solutio ad rationē dubitandi.

per hoc patet solutio ad rationem dubitandi. Ad aliud, quod adducitur in eodem argumento, de potestate dispensandi in principe existente, ex qua videtur colligi, quòd non tenetur secundum legem scriptam iudicare, respondetur, verum esse, quòd ex rationabili causa potest princeps in lege à se, vel à suis prædecessoribus lata dispensare, & sic agere contra verba legis, vt paulò ante dicebam: cæterum si id faciat sine rationabili causa peccabit mortaliter, vt docet Caietanus in summa verbo, iudex: tum propter iniuriam factam reipublicæ, in nō seruandis legibus iustis ipsius: tum etiam propter graue scandalum & detrimentū, quod inde redundat. Ex eo enim quod mali manent impuniti fiunt audaciores, & ad perpetranda scelera promptiores: quod in dānum reipublicæ vergere est necesse. Ex quo

Corollariū Caietani verum.

infert Caietanus, quòd si princeps eum, qui iustè est ad mortem damnatus, vel propter homicidium, vel propter latrocinio à morte liberaret, eam pœnam in aliam, vel pecuniariam; vel exilij commutando (etiam parte læsa remittente) proculdubio peccaret mortaliter. Imò amplius addit, quòd esset princeps reus omnium illorum malorum, quæ ex eo, quòd iniqui manerent impuniti secundum leges sequeretur. Quod etiam affirmat Nauarr. in Manua. cap. 25. & ego verum existimo. Propter quod dicebat D. Gregorius & refertur in cap. summopere. 11. quæst. 3. debere iudices reuoluere omnes leges, tam diuinas, quàm scriptas, & secundum illas proferre sententiam. Verba autē Gregorij sunt quæ sequuntur. Summopere præcauendum est, ne rectores Ecclesiæ, & qui publica iudicia exercent in dictandis sententijs nullatenus leuitate, aut furore ducti sint præcipites: sed causis prius diligenter ventilatis, cùm res quæ ignorabatur ad notitiam pleniter venerit tūc diuina & humana lex resoluatur, & tunc secundū quod ibi constitutum est, remota personarum acceptione, diffinitiua proferatur sententia. Hinc est, quòd Moyses querelas populi semper ad Domini tabernaculum ingressus referebat, & iuxta quòd Dominus imperabat iudicia proponebat. Nimirum nos instituens, vt non ex corde nostro, sed ex præcepto diuino condemnationis & iustificationis sententiam proferamus. Hæc Gregor. Et quòd ibi loquatur vniuersaliter de omni iudice, tam superiori, quàm inferiori probatur primò ex exemplo adducto de Moyse, qui supremus erat populi princeps. Itē secundò ex eo, quòd dicit, instruēs nos, &c. Nam D. Gregor. erat maximus Ecclesiæ Pōtifex, nullum in condendis legibus cognoscens superiorem. Et sic docet idem debere facere alios iudices superiores.

Notanda verba Diui Gregorij.

¶Sed est aliud dubium, vtrùm sententia contra legem lata, hoc est, iniusta obliget in foro conscientiæ. Et ratio dubitandi est: Nam cùm multa fieri prohibeantur, quæ tamen facta tenent, videtur, quòd quando aliqua sententia profertur à legitimo iudice, quanuis illa iniusta sit, vt potè contra legem, quod possit turò in conscientia seruari. Præsertim quando ille, in cuius fauorem sententia fuit lata, nihil fecit fraudulentum, nec aliquid mali cōmisit ad hoc, vt sententia pro illo proferretur. ¶Incontrariū tamen est: Nam iudiciū eatenus est iudicium, quatenus est determinatio, & declaratio iusti & iuris: sed iudicium, quod non fit secundum scripturas, & est iniustum, non est determinatio iusti & iuris; sed potius est determinatio iniusti, & iniu-

Dubium aliud.

Ratio dubitandi.

Argumen. incontrarium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rix: ergo illud non obligat in conscientia.

Multipliciter aliqua sententia potest dici iniusta.

¶ Pro explicatione huius difficultatis, aduertendum est, quòd sententia multipliciter potest dici iniusta. Vno modo, quia continet causam iniustam, etiam si proferatur secundum allegata, & probata, seruatoq; ordine iuris. Quod contingit quãdo res, quæ verè est Petri per sententiam tribuitur Paulo à iudice iudicante, secundum allegata & probata. Alio modo potest dici sententia iniusta; quia quanuis non contineat causam iniustam, non tamen profertur secundum leges præcipientes ordinem, & modum, qui in proferendis sententijs seruari debet. Sed quoniam leges, quæ præcipiunt modũ in sententijs proferendis seruandum, sunt in duplici differentia; quædam enim sunt, quæ ita præscribunt aliquem modum, vt etiam si ille non seruetur, adhuc sententia non sit irrita, & nulla; aliæ autem sunt, quæ ita præscribunt modum, vt si ille non seruetur, sententia sit irrita & nulla, sit, vt ex defectu obseruantiæ legum, adhuc possit sententia dici dupliciter iniusta; scilicet, vel quia prætermittitur ordo simpliciter necessarius, & tũc dicitur iniusta per se; vel, quia prætermittitur ordo non simpliciter necessarius, & tunc dicitur iniusta per accidens.

1. Concluſ. ¶ Hoc constituto sit prima cõclusio: In causis profanis: & secularibus, sententia iniusta ex causa, quam continet, quanuis procedat secundum allegata, & probata, seruatoque ordine iuris, non obligat in conscientia, nec confert ius illi parti, in cuius fauorem est pronuntiata, nec spoliat partem damnatam suo iure. Hanc tenet Caietanus in Opusculo viginti septem quæstio. q. 13. & in Opusculo decem & septem responsionum, responsio. 14. dubio. 1. & Soto lib. 3. de iustitia & iure quæst. 4. art. 5. & D. Thom. 2. 2. quæst. 70. articulo. 4. Et probatur: Iudicium eatenus est iudicium, quatenus est declaratio, & determinatio iusti & iuris: sed iudicium, quod continet causam iniustam, non est determinatio iusti & iuris: sed potius est determinatio iniusti & iniuriæ: ergo non est iudicium, atque ex consequenti non obligat in conscientia. Secundo: Sententia & iudicium iudicis, est quædam lex particularis in particulari euentu, & in particulari casu lata, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 67. art. 1. Sed lex, quæ continet causam iniustam, nõ obligat in conscientia: ergo nec sententia particularis. Tertiò: Sententia lata in foro exteriori obligat in conscientia, nisi fundetur in falsa præsumptione, vt habet communis regula Doctorum: sed sententia, quæ continet causam iniustam, fundatur in falsa præsumptione: ergo non obligat in conscientia. Et confirmatur: Nam lex eatenus obligat, quatenus est iusta: sed sententia, quæ continet causam iniustam, & est particularis lex, solum est iusta in foro exteriori: ergo tantum obligat in foro exteriori, & non in foro conscientiæ. Ex hoc infertur, quòd ille, in cuius fauorem est lata talis sententia iniusta in foro conscientiæ, tenetur restituere quæ sibi ratione illius obuenere. Sententia enim, per quam alicui adiudicatur quod suum non est, nullum ius dat in foro conscientiæ: & sic ille non potest id, salua conscientia, retinere. Quin potius addidetim, quod etiam si ille, in cuius fauorem fuit sententia lata, bona fide litigasset, quã primum intellexerit sententiam fuisse iniustam, tenebitur quod sibi per eam fuit ad iudicatum restituere, non tamen tenebitur parti læsæ pro expensis, quas litigando fecerit satisfacere. Secus autem erit, si mala fide litigauit. Sed quid dicendum erit, quando pars, contra quam fuit sententia lata, illi consensit, nec ab ea appellauit, an tunc altera pars possit ea bona in conscientia retinere, maxime si bona fide litigauit? Et quidẽ, quod possit, probatur: Nam eo ipso, quod pars læsa non appellat, videtur cedere iuri suo, & sic libere & voluntariè consentire sententiæ, postquam non vtitur remedio appellationis sibi per legem concesso. Ità tenent Innocent. & Abb. in cap. quia pleriq; de immunitate Ecclesiarum. Hoc tamen non obstante dico, quòd etiam si pars damnificata non appellet, non poterit altera pars, salua conscientia, quod sibi per iniustam sententiam fuit adiudicatum retinere: & sic quàm primum sibi constiterit de iniquitate sententiæ, tenetur illud vero domino restituere. Et ratio est: Quia semper retinet alienum inuito domino rationabiliter, nec ex eo, quod verus dominus nõ appellat debet censeri consentire sententiæ, aut cedere iuri suo. Ab hoc tamen excipimus eũ, qui post adiudicata sibi aliqua bona per iniustam sententiam, illa possidet bona fide toto tempore ad præscribendum requisito. Tunc enim eo tempore elapso, quã uis postea sciat fuisse aliena, nõ tenetur illa bona restituere: sed potest ea sibi reseruare, vt patet ex cõmuni consensu omniũ Doctorum; & ex legibus præscriptionũ, quæ pro bono cõmuni reipublicæ, & ipsorum ciuiũ sunt institutæ.

2. Concluſ. ¶ Secunda conclusio: Sententia, quæ eatẽ ratione est iniusta, quia prætermittitur ordo iuris non simpliciter necessarius, hoc est, illa sententia quę per accidẽs est iniusta, obligat

obligat in cõscientia, etiã si iudex in ea ferẽda grauiter peccet. Hæc conclusio colligitur ex cap. sacro approbante, extra, de sententia excommunicationis, & ex capit. biduum. 2. q. 6. recipiturque communiter ab omnibus Doctoribus. Et ratio est manifesta: Nam id, quod est per accidens, non variat naturam rei. Ex quo infertur, quòd si iudex prætermissa aliqua solemnitate iuris, vel ex odio, vel ex mala intentione sententiam proferat, erit valida in conscientia, non obstante, quòd peccet mortaliter.

3. cõclusio. ¶ Tertia cõclusio: Sentẽtia, quę ea ratione est iniusta, quia prętermittit ordo iuris simpliciter necessarius, hoc est, illa sentẽtia, quę est iniusta per se, non obligat in conscientia: & sic ille, in cuius fauorem fuerit lata non poterit virtute illius quod sibi per eam fuerit adiudicatum retinere. Probatur: Sẽtentia iniusta per se non est sententia: ergo nulla ex illa nascitur obligatio in conscientia. Talis autem est sententia, quæ fuerit lata à iudice notoriè excommunicato, vt habetur in cap. ad probandum, de re iudicata, & quæ fuerit lata in die feriato, vt habetur in cap. finali. de ferijs, & quæ fuerit lata in ecclesia per iudicem secularem, vt habetur in cap. decet. de immunitate Ecclesiarum, & in multis alijs casibus, quos refert Abbas in cap. primo. de sententia & re iudicata, de quibus legibus venit intelligẽdum illud Gratiani 2. quæst. 6. cap. ei qui. dicentis quòd sententia citra solitum ordinẽ iudiciorum à præside prolata autoritatem rei iudicatæ non obtinet. Et paulò inferius: Si sententia contra ius scriptum feratur, nullas vires obtinet, nec contra eam est necessarium auxilium prouocationis.

Argumentum contra tertiam conclusionem. ¶ Sed contra hoc arguitur: Dispensatio iniusta facta à principe in lege, est valida, quanuis princeps in dispensando peccet mortaliter; si enim dispensaret Papa eũ Petro, ne occidens clericum incurreret excõmunicationem, & Petrus clericum occideret, proculdubio secundum omnes nõ esset excommunicatus, & tamen dispensatio esset iniqua: ergo pari ratione sententia, quę per se est iniusta, quia prætermittitur ordo necessarius iuris erit valida, quanuis illam proferens peccet mortaliter.

Solutio. ¶ Respondetur tamen, distinguendo antecedens: Nam vel dispensatio iniuste facta à principe, est cum damno alterius, vel non. Si sit cum damno alterius, nego, quòd teneat factum: nullus enim contra ius alterius potest dispẽsare; & si dispensetur, tenebitur restituere quod per talem dispensationem recepit. Si autem dispensatio fiat sine damno alterius, concedo, quod erit valida: quanuis dispensans peccet mortaliter. Si enim princeps dispenset mecum sine causa, vt equitem mula, possem rectè id facere; quia hæc dispensatio non est cum iniuria alterius. Et idem prorsus est dicendum de sententia iniusta, si fuerit cum damno vnius nullum ius dabit alteri; si autem fuerit sine damno alterius verum ius dabit illi, pro quo lata est. Nec ex hoc aliquod sequitur inconueniens contra nostram tertiam conclusionem, in qua solum loquimur de sententia iniusta lata in fauorem vnius, cum damno alterius. Ex hoc infertur, quod si Episcopus, aut Papa conferat beneficium indigno, non obstante ea collatione tenebitur indignus resignare beneficium, & restituere fructus inde percepti: ex diffinitione enim nostra, illa collatio fuit nulla, quia in damnum tertij: & sic indignus per eam nullum ius potuit acquirere. Restitutio autem non est facienda alteri parti, quæ erat digna; quia hæc non dum habebat verum ius ad beneficium, sed Ecclesiæ, cuius erat beneficium, & cui facta est iniuria per talem collationem. Et ratio huius est: Nam cum Papa & Episcopus sint dispensatores beneficiorum Ecclesiæ, & non dissipatores bonorum illius, tenentur illa dignis conferre.

Indigno recipiens beneficium tenetur illud resignare.

Dubium de beneficijs ecclesiasticis. ¶ Sed maius dubium est de beneficijs Ecclesiasticis, an per iniustam sententiam possit aliquis acquirere verum ius ad illa. Verbi gratia, Petrus per falsas informationes probauit deberi sibi aliquod beneficium, laquę sententia ab Episcopo fuit sibi applicatum; dubium est, an per istam sententiam iniustam acquirat Petrus in foro conscientiæ verum ius ad tale beneficiũ? Et pro parte negatiua est argumentum; desumptum ex bonis secularibus, circa quæ, vt diximus dubio præcedenti, nulla sententia iniusta dat verum ius in foro conscientiæ; & par videtur esse ratio de beneficijs Ecclesiasticis.

Argumentum.

Sentẽtia Innocentij & Abbatis. ¶ In contrarium tamen est communis Canonistarum sententia. Innocentius in cap. quia plærique. de immunitate Ecclesiarum, & Abbas in cap. 1. de concessione præbendæ, vt respondeant ad præfatã difficultatẽ aduertunt, quod sententia circa beneficia potest esse duplex, vna declaratiua, altera priuatiua. Declaratiua est, quando duobus de beneficio aliquo contendentibus, ad quod existimant se ius adquisitum habere, iudex per propriam sententiam declarat illud ad vnum, & non ad alterum pertinere. Priuatiua autem est, quando quis propter crimen aliquod à se commissum priuatur suo beneficio, quod deinde confertur alteri; vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri : vt est videre apud Angelum in summa verbo. sententia. §. 8. & apud Syluestrum eodem titulo. §. vltimo. Hoc supposito dicũt primò præfati Doctores, quòd si sententia sit declaratiua, & constet illi, in cuius fauorem fuit lata, eam esse iniustam, statim tenetur renuntiare beneficium, nec potest illud tuta conscientia retinere, etiam si alter non appellet, quia nullum ius ad illud acquirit. Idem affirmat Soto lib. 3. de iustitia & iure, quæst. 4. art. 5. in quo communiter conueniunt Doctores. Et proculdubio videtur verum. Nam cum beneficium Ecclesiasticum, vt habetur de regulis iuris, in. 6. regula prima. sine titulo Ecclesiastico retineri non possit, & ille, in cuius fauorẽ fuit lata sententia declaratiua iniusta, nullum ea nomicum titulum habeat ad tale beneficium: nam sententia illa declaratiua non tribuit ei aliquod ius de nouo, nec ante sententiam illud habebat, fit, vt nulla ratione possit tale beneficium retinere. Itaque quã tum ad sententiam declaratiuam iniustam, idem est iudicium de bonis secularibus, & de beneficijs Ecclesiasticis, vt tradit Abbas loco citato. Dicunt secundo præfati Doctores, quòd, si sententia sit priuatiua, & iniusta, & reus appellat in tempore, alius nõ adquirit ius ad beneficium, sed tenetur illud statim restituere. Secus autem erit, si reus nõ appellet in tempore. Verbi gratia, Petrus ex falsis testibus, vel ex malitia, aut ignorãtia fuit damnatus de hæresi, & sic priuatus suis beneficijs Ecclesiasticis, dicunt isti Doctores, quòd si Petrus appellat in tempore, ille, cui applicatum fuerit beneficium, tenebitur illud restituere: si autem Petrus non appellat in tempore, alius non tenebitur beneficium restituere, etiam post compertam veritatem. Primam partem huius dicti probant præfati autores: Nam cùm illa sententia sit iniusta, non potest Petrum priuare suo beneficio, maximè interposita appellatione. Secundam autem partem probant: Quia eo ipso, quòd Petrus non appellat, videtur, vel consentire in crimine, vel cedere præbendæ; quorum quodlibet est satis ad hoc, vt beneficium habeatur vacans: & sic recte potest alteri conferri. Si quis autem quærat, quænam sit ratio, propter quam iste, cui applicatur beneficium post sententiã priuatiuã, nõ interposita appellatione, possit illud retinere, & ille, cui applicatur per sententiã declaratiuã, nõ possit, si quidem vtraque sententia tam priuatiua, quàm declaratiua, vt supponimus, est iniusta: Respondetur, quòd, quia ille, qui possidet beneficium post sententiam priuatiuã, non obtinet illud virtute sententiæ priuatiuæ, quæ fuit iniusta & irrita, per talẽ enim sententiam, quanuis vnus fuerit priuatus beneficio, non tamen per illam fuit collatum alteri sed per nouam collationem ab Episcopo factam, quæ est sufficiens, & legitimus titulus. At verò in sententia declaratiua, quia per eandem sententiam iniustam, & irritum beneficium confertur vni, & aufertur ab altero, fit, vt nisi ille cui confertur habeat alium legitimum titulum, statim teneatur illud restituere, tanquam id, quod sine sufficienti, & legitimo titulo possidetur, quod in beneficijs Ecclesiasticis fieri non potest.

¶ Licet hæc sententia Innocentij, & Abbatis appareat subtilis, Magister tamen Soto loco citato non omnino illi acquiescit. Sed dicit, quòd si iudex per fraudem, vel per alium modum illicitum priuat quempiam beneficio, & hoc constat illi, cui est postea facta collatio, non potest iuste illud retinere; sed tenetur statim resignare. Cæterum, si iudex debite, secundum allegata, & probata priuat aliquem beneficio, quanuis postea ex alijs rebus constet priuationẽ non fuisse iustam, ille, cui est facta collatio licitè potest tale beneficium retinere, nec tenetur illud in conscientia resignare. Et ratio huius differentiæ est: Quia quando iudex sciens, & prudens iniuste priuat aliquẽ beneficio, talis sententia per se iniusta, & priuatio, quantum ad Deũ est nulla: & sic non potest tale beneficium alteri conferri: & si conferatur, collatio erit nulla: nõ enim potest beneficium simul iustè à duobus possideri. Cæterum, quando sententia est legitimè lata, secundum allegata, & probata, sicut sententia est valida, ita etiam, & priuatio est valida. Atque ex consequenti cùm beneficium post talem sententiam sit legitime vacans, rectè potest alteri conferri; & si conferatur, ille, cui facta fuerit collatio, erit tutus in conscientia, nec tenebitur beneficium resignare: quanuis postea constet sententiam priuatiuam fuisse iniustam.

Soto nõ acquiescit Abbati & Innocentio.

¶ Hæc sententia Soti habet verum in beneficijs Ecclesiasticis, quæ per prælatos cõferuntur, non tamen in alijs rebus. Nam si quis fuisset falsò accusatus de crimine hæresis, & secundum allegata, & probata, legitime condemnatus de illo, & fiscus occuparet bona illius, si postea constaret talem fuisse falsò accusatum fiscus teneretur ea bona restituere; quia quanuis fuisset iustè damnatus secundum allegata, & probata illa tamẽ sententia fundaretur in falsa præsumptione: & idem est dicendum in alijs similibus exsibus.

Sententia Soti in quib⁹ habeat verum.

sibus. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quænam sit ratio, propter quam in rebus profanis ille, contra quem est lata sententia iniusta, adhuc manet verus dominus suarum rerum, quanuis in tempore non appellet, ità, vt alter deprehensa veritate teneatur illa restituere; & tamen in beneficijs Ecclesiasticis non ità contingit? Et ratio dubitandi est; quia non apparet aliquis textus ex quo hæc differentia colligatur. Nonnulli affirmant huius rei rationem esse, quia Ecclesia vult, quòd quisque acquirat possessionem in beneficio, quando alius in tempore debito non appellat, quanuis in rebus profanis talem possessionem non acquirat; vt hac ratione rectè prouideat bono spirituali. Si enim quando aliquis iniustè priuatur beneficio, ille, cui confertur non haberet verum ius ad illud, sequeretur, quòd nec etiam posset legitimè ministrare sacramenta, & sic, quòd facta non teneret, quod sine graui iactura boni spiritualis fieri non posset. Sed hæc ratio non est sufficiens. Tũ, quia non reddit vniuersalem rationem de omnibus beneficijs: sed dumtaxat de beneficijs curatis; cùm in beneficijs non curatis non sequatur tale incõueniens. Tum etiam, quia, quando aliquis habet publicum titulum, & ignorat impedimentum illius, gesta per ipsum rectè valent, vt docet Caietanus in summa, & sic illa ratio in vniuersali desicit. Quo circa dicendum existimo, quòd quemadmodum leges ad dirimendas lites transacto tempore præscriptionis applicant bona possidentibus: ità etiam in beneficijs Ecclesiasticis, propter eundem finem transacta tententia priuatiua applicant beneficia illis, quibus conferuntur. Et si quis petat huius rei textum, dico, sufficere communem sententiam Doctorum, licèt non sit textus ab ipsis adductus. Panormitanus adducit cap. cùm dilectus. extra. de electione, & glossa in illo cap. 1. de concessione præbendæ. adducit capitulum, quòd ad consultationem. extra. de sententia, & re iudicata. Sed ista duo capita loquuntur in foro exteriori, quod fundatur in præscriptione.

Articvlvs. VI.

Vtrùm iudicium per vsurpationem reddatur peruersum.

Sup. art. 2. cor. & inst. q. 67. art. 1. Et. 4. dist. 17. q. 3. ar. 3. q. 4 Et dist. 48. q. 1. ar. 1. cor.

AD Sextvm sic proceditur. Videtur quòd iudicium per vsurpationem non reddatur peruersum: iustitia enim est rectitudo quædã in agendis. Sed nihil deperit veritati à quocunque dicatur, sed à quocunque est accipienda: ergo etiam nihil deperit iustitiæ, à quocunque iustum determinetur: quod pertinet ad rationem iudicij.

2 Præterea, Peccata punire ad iudiciũ pertinet. Sed aliqui laudabiliter leguntur peccata punisse, qui tamen auctoritatem non habebant super illos quos puniebãt: sicut Moyses occidẽdo AEgyptium, vt habetur Exod. 2. & Phinees filius Eleazari Zãbri filium Salumi: vt legitur Num. 25. & reputatũ est ei ad iustitiam: vt dicitur in Psalm. Ergo vsurpatio iudicij non pertinet ad iniustitiam.

3 ¶ Præterea, Potestas spiritualis distinguitur, à temporali. Sed quandoque prælati, habentes spiritualem potestatem, intromittunt se de his quæ pertinent ad secularem potestatem. Ergo vsurparum iudicium non est illicitum.

4 ¶ Præterea, Sicut ad rectè iudicandũ requiritur autoritas: ita etiam & iustitia iudicantis & scientia, vt ex supradictis * patet. Sed non dicitur iudicium esse iniustum, si aliquis iudicet, non habens habitum iustitiæ, vel non habens scientiam iuris. Ergo etiam neque iudicium vsurparum, quod fit per defectum authoritatis, semper erit iniustum. *Artic. 2.*

¶ Sed Contra est, quod dicitur Rom. 14. Tu quis es qui iudicas alienũ seruum.

¶ Respondeo dicendum, quòd cum iudicium sit ferendum secundum leges scriptas, vt dictum * est, ille, qui iudicium fert, legis dictum quodammodo interpretatur, applicando ipsum ad particulare negotium. Cum autem eiusdem autoritatis sit legem interpretari, & legem condere, sicut lex condi non potest nisi publica autoritate, ita nec iudicium ferri potest nisi publica autoritate, quæ quidem se extendit ad eos qui communitati subduntur. Et ideo sicut iniustum esset, vt aliquis constringeret alium ad legem seruandam, quæ non esset publica autoritate sancita: ita etiam iniustum est, si aliquis compellat *Ar. praced.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pellat aliquem ferre iudicium, quod publica autoritate non fertur.

¶Ad primvm ergo dicendum, quòd pronuntiatio veritatis nõ importat compulsionem ad hoc, quod suscipiatur: sed liberum est vnicuique eam recipere, vel non recipere, prout vult. Sed iudicium importat quandam impulsionem. Et ideo iniustum est, quod aliquis indicetur ab eo qui publicã autoritatem non habet.

Annot. ¶Ad secundum dicendum, quòd Moyses videtur AEgyptium occidisse, quasi ex inspiratione diuina autoritatẽ adeptus: vt videtur per hoc quod dicitur Actuũ. 7. quòd percusso AEgyptio æstimabat Moyses intelligere fratres suos, quoniam Dominus per manum ipsius daret salutem Israel. Vel potest dici, quòd Moyses occidit AEgyptium defendendo eum, qui iniustè patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde Amb. dicit * in lib. De Offic. quòd qui non repellit iniuriam à socio cum potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Et inducit exemplum Moysi. Vel potest dici sicut dicit Augustinus, * in quæstionibus Exod. quod sicut terra ante vtilia semina, herbarum inutilium fertilitate laudatur: sic illud Moysi factum, vitiosum quidem fuit, sed magnę fertilitatis signum gerebat, inquantum scilicet, erat signum virtutis eius, qua populum liberaturus erat. De Phinees autem dicendum est, quod ex inspiratione diuina, zelo Dei commotus, hoc fecit. Vel quia licet nondum esset summus Sacerdos, erat tamen filius summi Sacerdotis: & ad eum hoc iudiciũ pertinebat, sicut & ad alios iudices, quibus hoc erat præceptum.

Lib. 2. c. 36 in prin. t. 1.

Lib. 1. c. 2. to. 4. & li. 22. contra Faustum c. 70. to. 6.

¶Ad tertium dicendum, quòd potestas secularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Et ideo non est vsurpatum iudicium si spiritualis prælatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei secularis potestas, vel quæ ei à seculari potestate relinquuntur.

¶Ad quartum dicendum, quòd habitus scientiæ & iustitiæ sunt perfectiones singularis personæ. Et ideo per eorum defectum non dicitur vsurpatum iudicium: sicut per defectum publicæ autoritatis, ex qua iudicium vim coacti uam habet.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet D. Thom. vnica conclusione affirmatiua, quæ probatur hac ratione: Iudicium cùm sit ferendum secundũ leges scriptas, nihil aliud est, quam quædam legis interpretatio applicando ipsam ad particulare negocium: sed interpretatio hæc non potest fieri absque publica autoritate: eiusdem enim est legem condere & interpretari: ergo si aliter fiat, erit vitiosum, & nullum, atque ex consequenti iudicium per vsurpationem redditur peruersum.

Explicatio Articvli.

Iudicium vsurpatum quod sit.

PRo explicatione huius articuli est aduertendum, iudicium vsurpatum dici illud quod fertur ab eo, qui non est iudex eius, quẽ iudicat iuxta illud Pauli, ad Roma. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Et etiam dicitur vsurpatum iudicium, quando quis iudicatur de eo, in quo tali iudici non subijcitur, vt quando homo de occultis iudicatur, quę sunt reseruata diuino iudicio, occultorum enim Deus & cognitor, & iudex est. Quod quidem iudicium vsurpatũ est iniurium, & ei, cuius iurisdictionem vsurpat, & etiam illi, qui iudicatur, cum iudex non habeat iurisdictionem in illum. Non solumque est illicitum & malum, verum etiã sententia per tale iudicium lata ipso iure est nulla, vt habetur expresse in cap. ad audientiam de consuetudine, vbi dicitur, sententia à non suo iudice lata firmitatem non obtinere. Idem etiam habetur in cap. at si clerici. de iudicijs, & in cap. in primis. 2. quæstion. 1.

Dubium. ¶Sed est difficultas, vtrùm sententia, quæ fertur ab eo, qui iudex, vel prælatus nõ est, gerit tamen se pro prælato, sit valida. Hãc difficultatem mouet glossa super cap. nihil. de electione, & electi potestate: diffusiusq; tractat illam Abbas super idem cap. Et est sententia istorum Doctorum, & vt existimo communis omnium, atque vera, quòd gesta per talem prælatum, seu iudicem sunt valida duabus conditionibus concurrentibus. Prima est autoritas superioris, hoc est, quod fuerit talis prælatus, seu iudex autoritate superioris constitutus. Secunda est cõmunis error, hoc est, quod communiter habeatur pro prælato, atq; iudice. Quod probatur ex lege, Barbarius. ff. de officio prætorũ. Vbi gesta per illum, qui seruus erat, & fugitiuus, Romæ tamẽ optimè gesserat prętoratum non reuocantur, nec annullantur, sed potius approbantur: quia illę duæ conditiones concurrebant. Idem etiam habetur 3. quæst. 7. cap. infamis. Ex quo infero primo cum Abbate, atque Innocentio supra dictum cap. nihil. quod si altera illarum cõditionum deficiat, gesta per talem iudicem, seu prælatum nullum robur & firmitatem obtinebunt. Infero secundo, quod gesta per intrusum, hoc est, per illum, qui propria autoritate, & sine autoritate superioris, siue per violentiam, siue per fraudem aliquã dignitatem, tam Ecclesiasticam, quàm ciuilem obtinuit erunt inualida, atque irrita. Et eadem ratio est de illo, qui se gerit pro prælato, nondum tamen obtinuit possessionem.

Dubium. ¶Sed maior dificultas est de illo, qui reuera fuit à superiore institutus prælatus, seu iudex, & habitus communiter pro tali; postea autem commisit aliquod crimen, propter quod ipsofacto, secundum ius est priuatus sua dignitate, an gesta per istum, post quam crimen commisit, sint valida? Abbas loco citato dicit, quod si crimen, propter quod est ipsofacto priuatus, est occultum, gesta per illum sunt valida, atque tenent, quia neutra ex positis conditionibus deficit. Cæterum, si crimen sit notorium; gesta per ipsum non sunt valida: quia deficit tunc communis error; non enim habetur cõmuniter pro prælato. Sed non habet hoc verum in ordine nostro Augustiniano. In prologo enim nostrarum constitutionum dicitur, quòd quanuis quis propter aliquod crimen sit priuatus ipsofacto officio, quod habet, vel voce actiua, vel passiua, etiam si factum sit euidens & notorium ius, non tamen est censendus priuatus, quo ad vsque sententia, vel declaratio prælati superueniat. Quo circa illa erit explicanda, ad hoc, vt gesta per talem prælatum non sint valida. Pius Quintus in quodam proprio motu, qui incipit: Ad perpetuam rei memoriam; præcipit Præpositis, Abbatibus, Prioribus, tam mendicantibus, quàm non mendicantibus sub priuationis officiorum, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa; & alia omnia & suspensionis à diuinis ipsofacto sine alia declaratione pœnis incurrendis, ne mulieres intra domos & monasteria introducere, vel admittere præsumant. Et tunc certum est, quod qui hanc legem transgreditur, etiam si transgressio sit occulta ante declarationem, vel sententiam prælati, ità est priuatus officio, quod habebat, vt salua conscientia illud retinere non possit. Nihilominus tamen, si crimen sit occultum adhuc gesta per talem prælatum erunt valida; quia duæ illæ conditiones superiùs positæ, scilicet, autoritas superioris, & communis error, adhuc concurrunt. Secus autem erit, si crimen fuerit notorium; quia tunc defuit secunda conditio, vt dicit Abbas loco citato.

Responsio.

Nota pro ordine D. Augustin.

Aliud Dubium. ¶Est aliud dubium iam: An absolutio facta in foro pœnitentiario ab eo, qui non est proprius sacerdos, ità sit valida, vt qui ità confessus est, & absolutus non teneatur iterare confessionem, etiam si posteà sciat talem sacerdotem non habuisse potestatem iurisdictionis, nec ordinariam, nec ex commissione. Pro huius difficultatis explicatione, supponendum est, absolutionem sacramentalem esse actum iudicialem, & sententiam à iudice latam in foro interiori, vt diffinitũ est in concilio Tridentin. sessione. 14. cap. 3. 5. & 6. vnde canone. 9. eiusdẽ sessionis anathemate feriuntur quicunque negauerint absolutionem esse actũ iudicialem. Et cùm sententia à non suo iudice lata nulla sit, & absolutio sit quædã sententia iudiciaria manifestè sequitur, quòd si ea est lata ab eo, qui iurisdictionem non habet, erit nulla. Quod etiam habetur expresse in eodem cõcilio Tridentino, sessione. 14. cap. 7. Ex hoc infero primò, quod absolutio facta ab eo, qui se intromisit in beneficium, est nulla. Et sic talis confessio necessaria erit iteranda, quã primum constiterit illum fuisse intrusum, nec habuisse titulum beneficij autoritate superioris. Et idem est dicendum de confessione facta sacerdoti non habenti legitimam possessionem beneficij curati. Infero secundo, quòd confessio facta illi sacerdoti, qui ipsofacto propter aliquod crimen est priuatus suo beneficio, si crimen sit notorium, & manifestum, est nulla, & iteranda, vt supra diximus de alijs sententijs. Infero tertio, quòd confessio facta illi sacerdoti, qui autoritate superioris obtinet beneficiũ; etiam si propter aliquod crimen occultum ipsofacto sit eo priuatus; talis inquam, confessio, & absolutio sacramentalis ab isto sacerdote lata, ità sunt valida, vt etiam si posteà constet, talem sacerdotem fuisse ipsofacto priuatum suo beneficio non sit confessio necessario iteranda. Et ratio est, quoniam in isto iudicio, quod in foro conscientiæ geritur, cõcurrũt illæ duæ conditiones superiùs positæ, scilicet, autoritas superioris, & cõmunis error. Ita tenet expresse Caietanus in summa, verbo, absolutionis impedimenta

Absolutio sacramẽtalis est actº iudicialis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pedimenta, & verbo, confessionis iteratio, & Syluester verbo, confessor. 1. numer. 15. & Nauarro in Manuali latino cap. 9. num. 8. & idem Nauarro de pœnitentia. d. 6. cap. placuit. nu. 177. & duobus sequentibus. & Panormitanus Abbas. in cap. dudũ. 2. de electione & electi potestate.

Argumentum. ¶Sed contra hoc est apparens argumentum: Qui propter dicta est priuatus, ipsofacto, suo beneficio curato non habet iurisdictionem ordinariam, nec subdelegatam: ergo absolutio ab ipso facta est nulla: atque ex consequenti confessio iteranda. Consequentia tenet ex diffinitione Concilij Tridentini sessione. 14. cap. 7. Antecedens autem probatur. Et primo, quòd non habeat iurisdictionem ordinariã, patet ex eo, quòd ipsofacto est priuatus beneficio, ratione cuius sibi competebat ordinaria iurisdictio. Quod vero nec etiam habeat subdelegatã, patet, quia nullus superior eam sibi concessit.

Solutio. ¶Respondetur tamen negando, quod talis sacerdos in hoc casu, non retineat iurisdictionem sufficientem ad hoc, vt absolutio sacramentalis ab ipso facta sit valida. Retinet enim illam ex statuto, & ordinatione Ecclesiæ: quæ vult, vt quando aliquis autoritate superioris obtinuit beneficiũ, quamdiu toleratur in illo, gesta per ipsum sint valida, obtineantque robur, & firmitatem, etiam in foro conscientiæ. Et fuit hoc prouidentissime & sanctissimè statutum propter animarum subditorum quietem.

Vltimũ Dubium. ¶Vltimum dubium circa istum articulũ est, vtrùm iudicium tyranni principis, qui vi armorum rem publicam occupauit, obliget in conscientia ciues, quando iudicium aliàs est iustum. Et loquimur in præsenti de tyranno, qui cessante iam strepitu armorũ pacificè de facto possidet rempublicam, illamque gubernat. Et quidem, quòd tale iudicium in conscientia non obliget, probatur primò: Quia est vsurpatum, &, vt docet D. Thom. in isto articulo, iudicium vsurpatum non solum est iniustum, sed nullum: quod etiam docet in. 4. distinctio. 16. &. 18.

1. argumentum.

2. argumentum. ¶Item secundo summorum pontificum decreta docent sententiam esse nullam, quãdo profertur à non iudice, vt habetur in cap. si clerici. de iudicijs. & in multis alijs. Vnde D. Gregorius in cap. sententia. 11. q. 3. non quamlibet sententiam dixit esse timendam, sed pastoris, prælati, atque iudicis: cui etiam consentit Imperator in lege. Barbarius. ff. de officio prętoris; sed illi, qui per tyrannidem occupant rempublicam, re vera non sunt iudices, nec prælati aliàs tyranni non essent: ergo illorum iudicia, atque sententiæ in conscientia non obligant.

Sententia Soti. ¶Propter hæc arguimenta Soto lib. 3. de iustitia & iure quæst. 4. artic. 6. affirmat eos, qui per tyrannidem regnum inuasum occupauerunt, nec legem ferre vllam posse, nec ius dicere, quod vllo pacto ciues in conscientia obliget, nisi forsan præscriptione, aut rei publicæ consensu tandem fuissent iam facti legitimi principes, quales Franci apud Gallos & Gothi, apud Hispanos leguntur.

Sententia Victoriæ vera & tenẽda. ¶Oppositam tamen sententiam tenet Victoria, in relectione de potestate ciuili, numero. 23. quã & publicè docuit in his scholis, estque non minus verosimilis, sed fortasse magis, atque probabilior. Et probatur primò coniectura ex Euangelio desumpta: Nam certum est ex scriptura, Romanos principes per tyrannidem Iudæam occupasse eo tempore, quo Christus in ea prędicauit: & tamen Christus Dominus Romanorum tyrannicum Imperium prædicauit esse ferendum. Matth. enim. 22. quibusdam rogantibus, Liceatne censum dare Cæsari, an non? Respondit Christus, reuera esse soluendum, quantum ex Euangelica historia colligere licet. Dixit enim: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Imo ipse Christus Matth. 7. cum prę misisset se liberum esse à Cæsaris tributo, & didragmate soluendo, soluit, tamen didragma. Et Lucæ ca. 3. interrogantibus militibus Ioannem Baptistam, quid ipsi deberẽt facere, non præcipit eis Ioannes, vt discederent à præsidio, & militia Cæsaris: sed quòd contenti essent suis stipendijs, neminem cõcutientes, nec calumniam inferentes, quod nulla ratione faceret, nisi licitum esset Cæsaris sententijs & legibus parere. Item secũdo sic argumentor: Ad bonam gubernationem reipublicæ pertinet, vt in rebus tam desperatis, & in tam misero reipublicæ statu, qualis est tyranno imperante, sit aliquis iudex, qui componat, & dirimat controuersias inter ciues exortas, puniatque, atque coerceat malefactores: alioqui, vt ait poeta, vineretur ex rapto, nec hospes ab hospite tutus: sed non est qui de facto id possit efficere, nisi tyrannus ille, aut illius ministri: ergo ratio postulat, vt eius leges atq; iudicia obligent in conscientia. Et confirmatur: Iure naturali è duobus malis minus est eligendum: sed est minus malum, quod sententia tyranni aliàs iusta obliget in conscientia, quã quod reipublicæ trãquillitas perturbetur: perturbaretur autẽ respublica, nullis legibus existentibus: ergo sanctius erit, quòd leges à tyranno latæ seruentur, quàm, quòd nullæ: & sic obligant in conscientia.

¶Et

Ad. 1. arg. ¶Et ad primum argumentum respondetur, quòd quanuis iudicium tyranni simpliciter sit vsurpatum, in quantum à principio in ipso imperio, atque principatu fuit facta vsurpatio, quadam tamen ratione non est vsurpatum, ea, scilicet, qua respublica ex suppositione ad vitandum maius malũ cõsentit eius sententijs, præbens eis robur & firmitatem, quod satis est ad hoc, vt secundum quid dicantur non vsurpatæ: & sic obligent in conscientia. ¶Ad secundum respondetur, quòd tyrannus aliquo modo ex iure naturæ est iudex, & sic sententiæ ab ipso latæ sunt validæ, nec contrarium constat ex capitibus citatis,

Difficultas de Moyse an peccauerit occidendo Ægyptium. ¶Circa solutionem ad secundum argumẽtum D. Thom. est difficultas, vtrùm Moyses sit accusandus de homicidio, & de crimine vsurpati iudicij propterea quòd occidit AEgyptium, vt legitur. Exod. cap. 2. vel potius sit excusandus. De qua re & sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est, quę excusat Moysem ab homicidio, & à crimine vsurpati iudicij, dicens, quod Moyses occidit Ægyptium excitatus diuino spiritu in vindictam iniuriæ, quam Ægyptius inferebat cuidam Hebræorum: quod posteà Dominus innumeris factis miraculis declarauit: præterquam quod etiam Moyses erat destinatus dux, & liberator populi Israeliti.

1. sententia. ci. Hanc sententiam tenet D. August. lib. 2. quæstionum super Exodum. q. 2. cui etiam consentiunt Aloysius Lipomanus, Rupertus Abbas, Abulensis, Nicolaus de Lira, & Rabanus super Exod. cap. 2. Clemens Alexandrinus, lib. 1. stromatum, ante finem, eadem ratione excusat Moysem. Sed addit, quòd Moyses solo verbo Ægyptium interfecit sicut D. Petrus. Actor. 2. solo verbo interfecit Ananiam, & Saphiram. Idque fecit, vt quidam Hebræorum dicunt, per inuocationem nominis Tetragrãmaton. Itaque inuocando nomen illud occidit Ægyptium. Sed hæc sententia, quantum ad modum interficiendi (præterquam, quòd videtur inferre vim textui sacro dicenti: Cumque circunspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset percussum Ægyptium abscondit sabulo, quibus verbis occisio vi, & non tantum verbis facta significatur) eadem facilitate, qua asseritur, & reijcitur.

2. sententia. ¶Secunda sententia etiam excusat Moysem, sed alio titulo dicens, quòd Moyses non per modum vltionis, sed per modum defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit Ægyptium, scilicet, defendendo Hebræum, cui Ægyptius iniuriam inferebat, quod licet etiam priuatæ personæ. Ita sentit D. Ambrosius, lib. 1. offi. cap. 36. Quam sententiam etiam approbant Rupertus Abbas, & Lipomanus, loco citato.

3. sententia. ¶Tertia sententia carpit & reprehendit Moysem, atque eius factum, quanuis zelum, & indolem illius laudet. Hæc est D. August. lib. 22. contra Faustum Manichæũ, cap. 70. & D. Hieronymi in Epistola ad Damasum Papam. Explicans enim ibi primam Esaiæ visionem dicit, Moysi conscientiam forduisse extincto Ægyptio. Et D. Chrysost. lib. 3. de prouidentia in principio etiam videtur hoc factum Moysi reprehendere, tanquam homicidium.

4. sententia. Caietani. ¶Quarta sententia est Caietani super illum locum Exodi dicentis, se non videre certam rationem excusandi Moysem, sed incertam tantum. Et quidem, quòd non sit certa ratio excusandi probat: Nam, si aliqua inueniretur, ea esset, vel quia Moyses id fecit ex inspiratione diuina, vt dicit prima opinio; vel quia id fecit non per modum vltionis, sed per modũ defensionis, vt dicit secunda, vel quia Ægyptius ille erat positus publicè ad affligendos Hebræos: tunc enim rectè posset Moyses, etiam, vt priuata persona, illum interficere, tanquam communem hostem reipublicæ Hebræorum: hostes enim reipublicæ potest priuata persona occidere, vt D. Tho. 22. quæst. 64. artic. 3. insinuat: sed nihil horum certò constat ex scriptura. Et quidem, quòd non certò constet ex scriptura illum Ægyptium publicè esse positum ad affligẽdos Hebræos, est res manifesta. Quod autem, nec etiam constet id fuisse factum ex inspiratione diuina, aut per modum defensionis probatur ex verbis scripturæ, quibus ipsum factum refertur. Dicitur enim: Et cũ circunspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscõdit. Sanè circunspectio illa, an aliquis testis adesset, testatur, inquit Caietanus, quod nõ per modum defensionis, sed per modum vltionis occiderit Ægyptium. Et præterea illa eadem circunspectio erat signum humanæ cautelæ, & prouidentiæ, & non diuinæ inspirationis. Et sic non certo constat, an ex inspiratione diuina, vel per modum defensionis Moyses occiderit Ægyptium: & ex cõsequenti nec etiam inuenitur aliqua certa ratio, ipsum excusandi. Sed quòd inueniatur incerta ratio excusandi Moysem probat Caietanus: Nam quanuis non sit certũ, est tamen verisimile, quod Ægyptius ille publicè erat positus affligẽdis Hebræis: quod & sacer textus insinuare videtur. Ante verba enim præfata præmiserat, quod Moyses vidit afflictionem Israel, & Ægyptium percutientem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cutientem. Quasi diceret, quòd, vt publicè positus afflictioni Hebræorum eos percutiebat.

Sententiæ excusantes Moysé sunt probabiliores.

¶Inter has sententias illæ, quæ excusant Moysem ab homicidio,& á iudicio vsurpato, semper mihi visæ sunt præferēdæ. Tum quia Moyses à pluribus sanctis patribus excusatur, quàm accusatur. Tum etiam, quia D. August. in quæstionibus super Exodum, vbi illum excusat,facit mentionem eius sententiæ, quam habuerat in libro contra Faustum Manichæum, eamque tandem deserit. Ac demum, quoniã excusare Moysem,præter quam quòd est excusare hominem sanctum à peccato, est etiam valde consonum alteri loco sacræ scripturæ. Numerorũ enim 12. dicitur de Moyse, quòd erat mitissimus super omnes homines , qui morabantur in terra. Ex quo colligi videtur, quod non vlciscendi causa, sed tanquam dux & liberator populi Israelitici excitatus diuino spiritu Ægyptium interfecerit. Inter sententias autem,quæ excusant Moysem prima videtur præferenda. Tum quia à pluribus ex sanctis patribus asseritur. Tum etiam quia est valde consona ijs quæ habentur Actorum. 7. Dicitur enim quod percussò Ægyptio ęsti mabat Moyses intelligere fratres suos quoniam dominus per manum ipsius daret salutem Israel, quibus verbis significari videtur iam Domino inspirasse Moysi, peripsum esse populum liberandum à seruitute Ægypti, & sic quod ex inspiratione diuina, tanquam tutor & defensor populi à Deo constitutus Ægyptium interfecit. Lepidum autem est , quod ex isto loco colligunt iuris periti,nempe Moysem non fuisse sacerdotem siquidẽ AEgyptiũ interfecit: quasi tũc homicidium voluntariũ efficeret hominẽ indignũ sacerdotio,aut illud,Psal. 98. Moyses & Aarõ in sacerdotibus eius,verũ non esset.

Iudex Ecclesiasticus habet duplicem potestatem temporalem.

¶Circa solutionem ad tertium argumentum D. Thom. aduertendum est, ex mente Caietani in præsenti, quod iudex ecclesiasticus duplicem tantum habet autoritatem temporalem. Vnam ordinariam, & propriè suam, quæ proficiscitur ex ipsa autoritate spirituali: qualis est potestas temporalis necessaria ad conseruationem boni spiritualis, à qua habet, vt si ad bonum spirituale sit necessarium temporaliter priuare aliquẽ principem suo regno, illud possit Papa efficere. Altera potestas est quasi extraordinaria: & est illa, quam iudex ecclesiasticus habet ex speciali priuilegio Regis: qualis est autoritas nostri Cancellarij, quæ etiam est confirmata per Papam. Ex quo infertur, quòd si iudex ecclesiasticus mittat manum suam ad res temporales, supra quas non habet priuilegium, vel quæ necessariæ non sunt ad bonum spirituale, quidquid faciet, aut determinet iudicando, nullius erit momenti. Vnde si in illis imponat pœnam excommunicationis, aut alias pœnas nihil obligabunt. Et ratio est: Nam, quãuis ità sit, vt dicit. D. Tho. in præsentiarum, quòd potestas temporalis est subiecta spirituali , sicut corpus animæ: quia tamen non est omnino subdita, sed in illis rebus tantum, quę concernunt bonum spirituale ; idcirco quidquid extra hoc præceperit erit inane. Hic solet disputari, an iudex excommunicatus ferat verã sententiam, quæ alios liget, sed hoc proprie pertinet ad materiam de excommunicatione, in quarto.

QVÆSTIO. LXI.

De partibus Iustitiæ, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm conuenienter ponantur duæ species iustitiæ, scilicet, commutatiua & distributiua.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod inconuenienter ponantur duæ species iustitiæ, iustitia distributiua, & commutatiua. Nõ enim potest esse iustitiæ species, quod multitudini nocet, cum iustitia ad bonum commune ordinetur. Sed distribuere bona communia in multos, nocet bono communi multitudinis: tum quia exhauriuntur opes communes, tũ etiam quia mores hominum corrumpuntur. Dicit enim Tul. in lib. * de Offic. Fit deterior qui accipit, & ad idem semper expectandum paratior. Ergo distributio non pertinet ad aliquam iustitiæ speciem.

1.q.21.ar.1.cor.& d.33.q.3.ar.4.q.5.& 4 di.46.q.1.ar.1.q.1.

Lib.2.paulò à med. illius in ex. duplex liberalitatis genus,&c.

2 ¶Præterea, Iustitiæ actus est reddere vnicuique quod suum est: vt supra * habitum est. Sed in distributione non redditur alicui quod suum erat, sed de nouo appropriatur sibi id quod erat commune. Ergo hoc ad iustitiam non pertinet.

Quatenus ad concilium,&c. Q.58.a.11

3 ¶Præterea, Iustitia non solum est in principe, sed etiam in subditis: vt supra habitum * est. Sed distribuere semper ad

1.2.q.58.ar.6.& ar.1.& 5.

ad principem pertinet. Ergo distributiua non pertinet semper ad iustitiam.

4 ¶Præterea, Distributiuum iustum est bonorum communium , vt dicitur in quinto * Ethicorum. Sed communia pertinent ad iustitiam legalem. Ergo iustitia distributiua non est species iustitiæ particularis, sed iustitiæ legalis.

Lib.5.c.2. circa fi. & cap.3.

5 ¶Præterea, Vnum & multa non diuersificant speciem virtutis. Sed iustitia commutatiua consistit in hoc, quòd aliquid redditur vni, iustitia vero distributiua in hoc, quòd aliquid datur multis. Ergo non sunt diuersæ species iustitiæ.

Lib.5.c.2. circa fi.1.5

¶Sed Contra est, quod Philosophus in quinto Ethicorum * ponit duas partes iustitiæ, & dicit quòd vna est directiua in distributionibus, alia in commutationibus.

Quæst.58. artic.8.

¶Respondeo dicendum, quòd sicut dictum * est, iustiria particularis ordinatur ad aliquam priuatam personam, quæ comparatur ad communitatem, sicut pars ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi. Vnus quidem partis ad partem, cui similis est ordo vnius priuatæ personæ ad aliam. Et hunc ordinem dirigit commutatiua iustitia quæ consistit in his quæ mutuo sunt inter duas personas adinuicem. Alius ordo attenditur totius ad partes. Et huic ordini assimilatur ordo eius, quod est commune ad singulas personas, quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiua, quæ est distributiua communium secundum proportionalitatem. Et ideo duæ sunt iustitiæ species, scilicet, distributiua & commutatiua.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd sicut in largitionibus priuatarum personarum commendatur moderatio, effusio verò culpatur: ita etiam in distributione communium bonorum est moderatio seruanda, in quo dirigit iustitia distributiua.

¶Ad secundum dicendum, quòd sicut pars & totum quodam modo sunt idem: ita id quod est totius, quodammodo est partis. Et ita cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur , quilibet aliquo modo recipit quod suum est.

¶Ad tertium dicendum, quòd actus distributionis, qui est communium bonorum , pertinet solum ad præsidentem communibus bonis. Sed tamen iustitia distributiua est in subditis, quibus distribuitur : in quantum, scilicet , sunt contenti iusta distributione. Quanuis etiam distributio quandoque fiat bonorum cõmunium, non quidem ciuitati, sed vni familiæ: quorum distributio fieri potest autoritate alicuius priuatæ personæ.

¶Ad quartum dicendum, quòd motus accipiunt speciem à termino ad quem. Et ideo ad iustitiam legalem pertinet ordinare ea, quæ sunt priuatarum personarum in bonum commune. Sed ordinare econtrario bonum cõmune ad personas particulares per distributionem , est iustitiæ particularis.

¶Ad quintum dicendum, quòd iustitia distributiua & commutatiua non solum distinguuntur secundum vnum & multa, sed secundum diuersam debiti rationem. Alio enim modo debetur alicui id quod est commune. Alio modo id quod est proprium.

Svmma Textvs.

Conclusio est affirmatiua. Et probatur: Distinctio specifica habituum ex obiectis est consideranda ; distinguitur enim habitus per actus , & actus per obiecta : sed in republica, in qua iustitia æquitatem constituit , est duplex ordo particularis , & diuersus : vnus totius ad partes , & alter partium inter se se : ergo per illos duos ordines , duæ etiam species iustitiæ erunt distinguendæ. Vna quæ sit totius ad partes, hoc est, quæ communia bona ciuibus bene disponat: & hæc denominatur iustitia distributiua. Altera, quæ æquitatem seruet inter partes: & hæc nũcupatur iustitia commutatiua. Atque ex consequenti cõuenienter ponuntur duæ species iustitiæ, scilicet, commutatiua, & distributiua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius articuli, est aduertendum, quòd quemadmodum fortitudo est virtus, qua homo est fortis; & temperantia, qua est temperatus: ita etiam, & iustitia est virtus, qua homo est iustus. Sed est differentia: Nam fortitudo, & temperãtia, & aliæ virtutes solum respiciunt subiectum: at verò iustitia, quia est ad alterum, semper necessario præsupponit, & includit ordinem ad alterum. Triplex autem in republica potest inueniri ordo. Primus est partium ad totum, Secundus est totius ad partes; & tertius partium inter se. Et sicut est triplex ordo: ità etiam est triplex iustitia. Vna directiua ordinis partium ad totum, hoc est, quæ bonum partium ordinat in bonum totius. Et hæc appellatur iustitia legalis. Sicut enim leges potissimùm respiciunt bonum commune: ità etiam & iustitia legalis, quæ alio nomine appellatur iustitia generalis, non quidem per prædicationem, quomodo animal est generale omnibus speciebus animalis, sed per virtutem inquantum, scilicet, actus cuiuscunque iustitiæ particularis, imo & cuiuscunque alterius virtutis, ordinat ad bonum commune; quod est proprium obiectum illius, vt diximus supra, agentes de iustitia legali. Altera iustitia est, quæ dirigit ordinem totius ad partes, appellaturque distributiua; & est illa, per quam princeps seruat rectitudinem in distribuendo bona communia rei publicæ partibus ipsius; diciturque hæc iustitia particularis, ex sententia D. Thom. hîc ad. 4. Quia quamuis distribuat bona communia, distribuit tamen illa priuatis personis: & motus semper accipit speciem à termino, ad quem. Tertia iustitia est, quæ dirigit ordinem inter partes reipublicæ, efficiens iustum in emptionibus, & venditionibus, & in alijs contractibus, seu commutationibus: diciturque hæc iustitia particularis propter eandem rationem, qua & distributiua.

Triplex in iustitia sicut & triplex ordo.

Quæ iustitia dividatur in distributiuam et commutatiuam.

¶ Ex hoc infertur, quòd iustitia, quæ in præsenti diuiditur à D. Tho. in commutatiuam, & distributiuam, non est iustitia, secũdum totam suam latitudinẽ, sed iustitia particularis, cuius species sũt cõmutatiua, & distributiua. Quod etiam affirmat Arist. lib. 5. Ethicorum. cap. 2. Buridanus. lib. 5. Ethic. quæst. 7. dicit has virtutes non esse specie distinctas. Nec huius rei aliam rationem assignat, nisi, quòd argumenta partis contrariæ non omnino conuincunt. Cæterum hęc ratio neminem ex philosophis contra Aristotelem mouere deberet, nisi ipse validioribus vteretur. Præterquàm, quòd etiam rationes, quæ ad id cõmuniter adduci solent satis abunde rẽ demonstrant in philosophia morali, à qua non est expectãda mathematicã demõstratio, vt dicit Arist. statim in principio libri primi Ethicorum. Prima ratio est illa, quam ponit D. Tho. in isto articulo, & est velut fundamentum omnium aliarũ. Fundatur enim in formali distinctione obiectorũ, quæ solet esse prima radix specificæ distinctionis habituum, vt Arist. atq; D. Tho. in multis locis ostendunt: nos autem illam ad formam reduximus, dum cõstituebamus summam textus. Sed potest præterea secundò hoc ipsum probari hoc modo: Munus iustitiæ particularis est reddere vnicuiq; quod sibi debetur: sed ratio debiti in iustitia distributiua, est specie distincta ab illa, quæ est in cõmutatiua: ergo istæ virtutes specie distinguntur. Consequentia cum maiori est nota: & minor probatur: Eo modo vnaquæque res debetur alicui personæ, quo est eius. Dupliciter autem aliquid potest dici hominis: Vno modo simpliciter, quale est illud, quæ est propria eius possessio. Alio modo secundum quid, quale est illud, quod nõ est propriè suum, nisi quatenus est totius, cuius homo est pars. Ea enim, quæ sunt totius, quodammodo sunt partium: sed iustitia commutatiua versatur circa debitum prioris generis, & iustitia distributiua versatur circa secundum debitum: ergo ratio debiti in iustitia distributiua est specie distincta ab illa, quæ est in cõmutatiua; atq; ex consequenti istę virtutes specie distinguũtur. Tertiò potest id ipsum probari: Nã ibi est opus distincta virtute specie, vbi difficultas operãdi est etiam specie distincta: sed in distributione bonorum communium, quæ princeps habet in sua potestate, nec vnquam fuerunt cinium, est specialis difficultas distincta ab illa, quæ est in commutationibus, & in reddendis illis, quæ ab alijs accepimus: ergo iustitia distributiua, cuius est vincere difficultatem distributionis bonorum communiũ, est specie distincta à iustitia commutatiua cuius est vincere difficultates in commutationibus, & in alijs rebus reddendis existentes. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Quòd enim quis reddat quod ab alio accepit, vel quod non committat fraudem in commutationibus communibus, id ratio, & inclinatio naturalis protinus dictat, fitque faciliori negocio. Cæterum, quòd principes, & bonorum communium dispensatores ea, quæ penes se habent in alios distribuant, si sibi illa vsurpare possunt, ingentem continet difficultatem, vt

Iustitia cõmutatiua & distributiua differunt specie.

vt experientia constat: & sic opus erit ad illam vincendam alia virtute distincta à iustitia commutatiua.

Dubium. Sed dubitabit aliquis, hoc loco, vtrùm iustitia commutatiua sit rursus distinguenda in alias species? Quod est quærere, vtrùm sit constituenda vna iustitia commutatiua ad efficiendam rectitudinem in venditionibus, & alia in emptionibus, & sic de singulis, vel potiùs ad hæc omnia vna, & eadem species specialissima iustitiæ commutatiuæ sufficiat? *Solutio.* Ad quod breuiter respondeo, vnicam tantum speciem iustitiæ commutatiuæ indiuisibilem formaliter esse constituendam. Nam cùm in omnibus contractibus, & commutationibus vnica solum ratio formalis debiti, quæ est reddere vnicuique quod suum est, simpliciter consideretur, vnica etiam iustitia commutatiua erit sufficiens. Et similiter est dicendum de iustitia distributiua, quod est vnus habitus in ordine ad omnem distributionem. Itaque, quemadmodum comedere anguillam, & pastinacam, & oua in feria sexta ad eandem virtutem temperantiæ pertinet, quamuis isti actus materialiter distinguantur: ità etiam, & facere æqualitatem in venditionibus, & emptionibus pertinet ad eandem iustitiam: quamuis isti actus materialiter distinguantur. Si quis autem de iustitia vindicatiua, seu punitiua quærat ad quam speciem iustitiæ particularis pertineat, an, scilicet, ad commutatiuam, vel ad distributiuam? dico, quòd, vt est in principe puniente scelera, est quidem actus elicitus à iustitia commutatiua. Ad iustitiam enim commutatiuam pertinet, constituere æqualitatem simpliciter inter datum & acceptum, & inter culpam & pœnam. Propter quod dicit scriptura, quod iuxta quantitatem debiti erit, & plagarum modus. Cæterum imperatur ille actus à iustitia legali, cuius est respicere bonum commune; & ordinare non solum bona ciuium ad bonum totius reipublicæ, sed etiam pœnas, & vindictas malefactorum, quæ ideò inferri debent, vt in pace & quiete status reipublicæ gubernetur.

ARTICVLVS. II.

¶ Vtrùm medium eodem modo accipiatur in iustitia distributiua, & commutatiua.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quod medium eodem modo accipiatur in iustitia distributiua, & commutatiua. Vtraque enim sub iustitia particulari continetur, vt dictum * est. Sed in omnibus temperantiæ, vel fortitudinis, partibus accipitur vno modo mediũ. Ergo etiam eodem modo medium est accipiendum in iustitia distributiua & commutatiua. *Infr. ar. 4. cor. fi. & 2. di. 27. a. 3. co. & 3. di. 33. q. 1. ar. 3. q. 2. cor. Ivvir q. 1. a. 13. ad. 7. Ar. præced.*

2 ¶ Præterea. Forma virtutis moralis in medio consistit, quod secundum rationem determinatur. Cum ergo vnius virtutis sit vna forma, videtur quod in vtraque sit eodem modo medium accipiendum.

3 ¶ Præterea, In iustitia distributiua accipitur medium, attendendo diuersam dignitatem personarum. Sed dignitas personarum attenditur etiam in commutatiua iustitia, sicut in punitionibus. Plus enim punitur qui percutit principem, quàm qui percutit priuatam personam. Ergo eodem modo accipitur medium in vtraque iustitia.

¶ SED CONTRA est, quòd Philosoph. dicit in 5. Ethi. quòd in iustitia distributiua accipitur medium, secundum geometricam proportionalitatem, in commutatiua autem secundum arithmeticam. *Li. 5. ca. 3. tom. 5.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum * est, in distributiua iustitia datur aliquid alicui priuatæ personæ, inquantum id quod est totius, est debitum parti. Quod quidem tanto maius est quanto ipsa pars maiorem principalitatem habet in toto. Et ideo in distributiua iustitia, tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa persona maiorem habet principalitatem in communitate. Quæ quidem principalitas in aristocratia communitate attenditur, secundum virtutem in oligarchia secundum diuitias, in democratia secũdum libertatem, & in alijs aliter. Et ideo in iustitia distributiua non accipitur medium, secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionẽ rerum ad personas, scilicet sicut vna persona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur vni personæ, excedit rem, quæ datur alij. Et ideo *Ar. præced.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib. 5. Eth. c. 3. à med. tom. 5

dicit * Philosophus, quòd tale medium est secundum geometricam proportionalitatem, in qua attenditur æquale non secundum quãtitatem, sed secundum proportionem. Sicut si dicamus, quòd sicut se habent sex ad quatuor, ita se hab ẽt tria ad duo, quia vtrobique est sesquialtera proportio, in qua maius habet totum minus, & mediam partem eius. Non autem est æqualitas excessus, secundum quantitatem, quia sex excedunt quatuor in duobus: tria vero excedunt duo in vno. Sed in commutationibus redditur aliquid alicui singulari personæ propter rem eius, quæ accepta est, vt maximè patet in emptione & venditione, in quibus primo inuenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adæquare rem rei: vt quanto iste plus habet, quàm suum sit de eo quod est alterius, tantundem restituat ei, cuius est. Et sic fit æqualitas secundum arithmeticam medietatem, quæ attenditur secundum parem quantitatis excessum: sicut quinque est medium inter sex & quatuor, in vnitate enim excedit & exceditur. Si ergo à principio vterque habeat quinque, & vnus eorum accipit vnum de eo quod est alterius, vnus, scilicet, accipiens habebit sex, & alij relinquentur quatuor. Erit ergo iustitia si vterque reducatur ad medium, vt accipiatur vnum ab eo qui habet sex, & detur ei qui habet quatuor. Sic enim vterq; habebit quinque quod est medium.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd in alijs virtutibus moralibus accipitur medium secundum rationem, & non secundum rem. Sed in iustitia accipitur medium rei: & ideo secundũ diuersitatem rerum, diuersimodè medium accipitur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd generalis forma iustitiæ est æqualitas, in qua conuenit iustitia distributiua cum commutatiua. In vna tamen inuenitur æqualitas secundum proportionalitatem geometricam, in alia secũdum arithmeticam.

¶ Ad tertium dicendum, quòd in actionibus & passionib⁹ cõditio personæ facit ad quãtitatem rei. Maior enim est iniuria si percutiatur princeps, quàm si percutiatur priuata persona. Et ideo cõditio personæ in distributiua iustitia attenditur secundũ se. In cõmutatiua autem, secundum quod per hoc diuersificatur res.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet D. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: In iustitia distributiua medium debet accipi secundum proportionalitatem geometricam, idest, secundum æqualitatem proportionis personæ ad rem, quæ per distributionem confertur. Probatur: In iustitia distributiua datur aliquid alicui personæ, in quantum id, quod est totius est debitum parti: sed id quod est totius, & debitum parti, est maius, quantò ipsa pars maiorem principalitatem habet in toto: ergo secundum æqualitatem proportionis personæ ad rem, quæ confertur debet medium in iustitia distributiua attendi: atque ex consequenti, secundum proportionalitatem geometricam, in qua attenditur æquale, non secundum quantitatem; sed secundum proportionem. Itá, scilicet, vt sicut vna persona excedit aliam, ità etiam res, quæ datur vni personæ, excedat rem, quæ datur alteri. Secunda conclusio: In iustitia commutatiua medium debet accipi secundum proportionalitatem arithmeticam, hoc est, secundum æqualitatem rei ad rem. Probatur; In commutationibus datur aliquid alicui singulari personæ propter rem eius, quæ accepta est, vt est videre in emptione, & venditione: ergo in illis ità est necessarium adæquare rem rei, vt quanto iste plus habet, quàm suum est, de eo quod est alterius, tantumdem restituat ei, cuius est. Et sic medium in iustitia commutatiua, accipitur secundum æqualitatem rei ad rem, quæ est æqualitas arithmetica. Ex dictis infertur medium non eodem modo accipiendum esse in iustitia distributiua, & commutatiua, quod erat præcipuum quæsitum huius articuli.

Explicatio Articvli.

Qualiter accipiat medium in virtutibus moralibus.

Pro explicatione huius articuli est aduertendum, quod medium dupliciter accipi potest. Vno modo per comparationẽ ad extrema: qua ratione dicitur mediũ illud, quod

quod æqualiter distat ab extremo, vt centrum in circulo. Et isto modo non accipitur medium in virtutibus moralibus. Fortitudo enim, quæ mediat inter audacias, & timores magis accedit ad audaciam, & similiter liberalitas magis accedit ad prodigalitatem, quam ad auaritiam. Alio modo accipitur medium per commensurationem, seu adæquationem ad aliquam regulam, & mensuram extrinsecam: inter excessum enim, atque defectum regula mediat, adæquatio & conformitas ad talem regulam. Et secundum istum modum debet accipi medium in virtutibus moralibus. Regula autem, cui debent commensurari & conformari operationes virtutum moralium, est regula præscripta à ratione. Conformitas, seu adæquatio ad istam regulam dicitur medium virtutis: quod à ratione constituitur, appellatur medium rationis. Vt verbi gratia, in materia temperantiæ recta ratio præscribit certum modum, seu medium tenendum ab isto homine in comedendo; & si plus comedit excedit regulam; si autem minus deficit ab illa: & si seruat modum conformat se regulæ: quæ conformitas est medium inter excessum & defectum à regula. Et in hoc medio consistit omnis virtus moralis, vt docet D. Thom. quæstione prima de virtutibus, in communi. articul. 13. & 1. 2. quæstio. 64. articul. 1. Et propterea dicebat Aristotel. libro secũdo Ethicorum. capit. sexto quòd virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens, prout sapiens diffinierit.

Virtutũm moraliũ quædã sunt in appetitu aliæ in voluntate.

¶ Secundo est aduertendũ, quòd inter virtutes morales quædã subiectantur in appetitu sensitiuo, vt temperantia, & fortitudo: quarum proprium munus, & officium est reducere passiones appetitus ad mediocritatem conformem rectæ rationi. Aliæ autem subiectantur in voluntate; vt iustitia commutatiua, & distributiua. Et quia istę virtutes versantur circa actiones exteriores, quæ sunt ad alterum, vt diximus supra, proprium officium illarum est, efficere æqualitatem illarum actionum ad suam regulam. Quæ quidem æqualitas est æqualitas rei; & non solum æqualitas rationis, sicut in temperantia & fortitudine. In vtraque enim iustitia, tam commutatiua, quàm distributiua est necessarium, quòd seruetur æqualitas inter ipsas res, quæ commutantur, vel distribuuntur. Est tamen quantum ad hoc differentia inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam. Nam in iustitia distributiua non est neces-

Differentia inter iustitiam cõmutatiuã et distributiuã.

se, vt seruetur æqualitas, secundum quantitatem; sed sufficit, quòd seruetur æqualitas, secundum proportionem, vt, scilicet, qualis est proportio inter vnam personam & ea, quæ per distributionem illi conferuntur, talis etiam sit proportio inter alteram personam, & ea, quæ illi conferuntur. In iustitia autem commutatiua necesse est, vt seruetur æqualitas rei ad rem; non quidem secundum proportionem, sed secundum quantitatem. Et hæc diuersitas æqualitatis inuenta in iustitia commutatiua, & distributiua efficit, vt medium in vtraque iustitia non accipiatur eodem modo; quod vult ostendere D. Thomas, in hoc articulo. Conclusiones autem ab eo positæ, ponuntur etiam ab Aristotel. libro quinto Ethicorum, capitulo tertio, & quarto. Vbi de medio iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ differens dicit medium in vtraque iustitia, debere esse medium inter magis & minus, cæterum medium in iustitia distributiua debere sumi secundum proportionem geometricam, & non secundum æqualitatem quantitatis: cùm tamen in iustitia commutatiua medium sumatur, secundum æqualitatem quantitatis, quod appellatur medium arithmeticum.

Quid sit proportio.

¶ Sed, vt hoc perfectè intelligatur est aduertendum primo, quòd proportio secundum mathematicos, nihil aliud est, quàm certa, & determinata habitudo inter duas res ex aliqua conditione, seu similitudine proueniens. Propterea enim inter binarium, & quaternarium dicimus esse proportionem, quia quaternarij ad binarium est quædam habitudo appellata, proportio dupla, fundata in similitudine, quam isti numeri habent inter se se. Ex quo fit, vt inter finitũ, & infinitum, vt inter Deũ & creaturam nulla possit esse proportio, sicut nec inter hæc potest esse certa, & determinata habitudo.

Differentia inter proportionẽ geometricã & Arithmeticam.

¶ Secundo est aduertendum, quod proportio geometrica, & arithmetica, quantum attinet ad præsens institutum inter alia differunt in hoc, quod proportio geometrica est habitudo inter duas proportiones, vocaturque proportionalitas; & ad minus debet esse inter quatuor terminos. Vt si, verbi gratia, ponam istos quatuor numeros, binarium, ternarium, quaternarium, & senarium: tunc fiet proportio geometrica, si dicamus in hunc modum: sicut se habet binarium ad quaternarium: ità se habet ternarius ad senarium: vtrobique enim est eadem propor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tio, scilicet, dupla: & proportionaliter, & geometricè tantùm excedit quaternarius binarium, quantùm senarius ternarium, scilicet, per medietatem: quanuis non sit vtrobique idem excessus, secundum numerum. Nam quaternarius excedit binarium in duabus vnitatibus: at verò senarius excedit ternarium per tres vnitates. Dicitur autem ista proportio geometrica: quia geometria est, quæ agit de quantitate continua: & inter quascunque duas quantitates continuas eiusdem generis est dare mediam quantitatem, quæ qua proportione excedit vnam illarum, excedatur ab alia: quod non est dare inter quoscunque duos numeros. Vt est videre in his duobus, duo & quatuor: medius enim numerus est tria: qui tamen diuersa proportione refertur ad extrema: nam tria ad duo est proportio sesquialtera, quatuor verò ad tria est proportio sesquitertia. Proportio arithmetica attenditur secundum parem vnitatum excessum: & sic dicimus, quòd tria eandem arithmeticam proportionem habet ad duo, & quatuor, ab vtroque enim distat per vnitatem; quanuis non habeat ad illa eandem proportionem geometricam, vt superiùs dicebam.

Explicatur D. Tho. & Aristot.

¶His constitutis, facile erit intelligere, quid sibi D. Thom. & Aristotel. voluerint, quando dixerunt, iustitiæ distributiuæ medium esse considerandum, secundum proportionem geometricam: & iustitiæ commutatiuæ medium esse considerandum, secundum proportionem arithmeticam. Sensus enim est, quòd in iustitia commutatiua ad hoc, vt medium teneatur, necessarium est adæquare rem rei, secundum quantitatis excessum, nulla habita ratione personarum. Ita, scilicet, vt quantò plus iste habet, quam suum est, tantundem restituat ei, cuius est, minus habenti, sine aliquo respectu ad dignitatem personæ. At verò in iustitia distributiua medium accipiendum est, non secundum eandem quantitatem, sed secundum proportionem. Cum enim bona communia, quæ per iustitiam distributiuam conferuntur, vt honores, & alia huiusmodi, æqualia non sint, nec ciues æquales esse omnes possint, si princeps, vel ij, qui rempublicam regunt, de rebus communibus omnibus æqualiter prouiderent, confusio maxima accideret, & totius politiæ ordo periret; esseque talis æqualitas summa inæqualitas. Debet ergo qui præest communitati diligenter attendere conditiones personarum, & bonorum communium qualitates; quibus inspectis, & ad inuicem compensatis debet etiam ea proportionabiliter distribuere. Ità, scilicet, vt sicut vna persona aliam excedit: ità similiter quod vni confertur excedat collatum alteri. Sed, vt hoc meliùs intelligatur, libet illud tali exemplo declarare: Si decreuit, verbi gratia, princeps decem talenta ciuibus distribuere, debet etiam illa in tot partes partiri, quot sunt ciues, quibus sunt conferenda: tali tamen ratione, vt qualis est proportio meritorum Petri ad merita Pauli; talis sit proportio præmij illius ad præmium huius. Et si merita Petri sunt, vt sex, & Pauli, vt tria, quæ est proportio dupla, & Paulo confertur præmium, vt duo; tunc debet Petro conferri præmium duplum, scilicet, quatuor; vt qualis est proportio meriti Pauli ad suum præmium, puta, sesquialtera: talis etiam sit Petri ad suum præmium. Et hoc est inuenire medium geometricum necessario requirendum in iustitia distributiua. ¶Ex hoc infertur esse accidentarium, & quasi impertinens ad iustitiam distributiuam, quòd indistributione bonorum communium præmium sit æquale merito. Cùm enim non semper æqualis bonorum summa sit ciuibus distribuenda: quoniam respublica humana, quandoque in bonis plus, quandoque minus habet: imo nunc, verbi gratia, distribuit triginta talenta ab hostibus accepta; & alio tempore viginti; & alio decem, fieri non potest, vt semper præmium sit æquale merito. Quod requiritur, solum est, vt in distributione bonorum communium ea proportionalitas meritorum seruetur: vt si Petro propter sua merita conferuntur duo, illi, qui habuerit maiora merita in dupla proportione conferantur quatuor, ad modum iam explicatum. In distributione quidem diuinorum bonorum, quæ à Christo in die iudicij est futura: quia infinita illa sunt, & quæ exhauriri nequeũt, distributio fiet, non solum secundum proportionem geometricam, quæ est, vt quo quisque longius antecellit alios meritis, excedat & præmio; verùm etiã secundũ arithmeticam, quę est, vt quisque tantum recipiat in præmio, quantum habuit in meritis ex diuina gratia profectis. Faxit Deus, vt illius beatissimæ distributionis ex sua benignitate participes simus.

Per accidẽs est in iustitia distributiua & præmiũ sit æquale merito.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm materia vtriusque iustitiæ sit diuersa.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod materia vtriusque iustitiæ non sit diuersa. Diuersitas enim materiæ facit diuersitatem virtutis, vt patet in tẽperantia & fortitudine. Si ergo distributiuæ iustitiæ & commutatiuæ sit diuersa materia, videtur quòd non contineantur sub vna virtute, scilicet, sub iustitia.

2 ¶Præterea, Distributio, quæ pertinet ad iustitiam distributiuam, est pecuniæ vel honoris, vel aliorum quæcunque dispartiri possunt inter eos, qui communitate communicant: vt dicitur in.

Lib. 5. c. 2. circa finem tom. 5. 5.* Ethic. quorum etiam est commutatio inter personas adinuicẽ, quæ pertinet ad commutatiuam iustitiam. Ergo non est diuersa materia distributiuę & commutatiuæ iustitiæ.

3 ¶Præterea, Si sit alia materia distributiuæ iustitiæ, & alia materia commutatiuæ, propter hoc, quòd differunt specie, vbi non erit differentia speciei, non debebit esse materiæ diuersitas. Sed

Lib. 5. Eth. cap. 2. ante med. to. 5. Philosophus * ponit vnam speciem commutatiuæ iustitiæ, quæ tamen habet multiplicem materiam. Non ergo videtur esse multiplex materia harum specierum.

Lib. 5. c. 2. circa finem tom. 5. ¶IN CONTRARIVM est quod dicit in. 5. Ethic. * quòd vna species iustitię est directiua in distributionibus: alia in commutationibus.

Ar. 1. huius q. 58. ar. 2. ad 2. & art. 10. ¶RESPONDEO dicendum, quòd sicut suprà dictum * est, iustitia est circa quasdam operationes exteriores, scilicet, distributionem & commutationem: quæ quidem sunt vsus quorundam exteriorum vel rerum, vel personarum, vel etiam operum. Rerũ quidem, sicut cum aliquis, vel aufert, vel restituit alteri suam rem. Personarum autem, sicut cũ aliquis in ipsam personã hominis iniuriam facit, puta, percutiendo, vel conuitiando, aut etiam cum irreuerentiam exhibet. Operum autem, sicut cum aliquis iustè ab alio exigit, vel alteri reddit aliquod opus. Si ergo accipiamus, vt materiam vtriusque iustitiæ ea, quorum operationes sunt vsus, eadem est materia distributiuæ & commutatiuæ iustitiæ.

Nam & res distribui possunt à communi in singulos, & commutari de vno in alium. Et etiam est quædam distributio laboriosorum operum, & recompensatio. Si autem accipiamus vt materiam vtriusq; iustitiæ actiones ipsas principales, quibus vtimur personis, rebus, & operibus: sic inuenitur vtrobique alia materia. Nam distributiua iustitia est directiua distributionum. Cõmutatiua, verò iustitia est directiua cõmutationum, quæ attendi potest inter duas personas: quarum quædam sunt inuoluntariæ, quædam verò voluntariæ. Inuoluntariæ quidem quando aliquis vtitur re alterius, vel persona, vel opere, eo inuito. Quod quidem contingit quandoque occultè per fraudem quandoque etiam manifestè per violẽtiam. Vtrunque autem contingit aut in rem, aut in personam propriam, aut in personam coniunctam. In rem quidem, si occultè vnus rem alterius accipiat, & vocatur furtum: si autem manifestè, vocatur rapina. In personã autẽ propriam, vel quantum ad ipsam consistentiam personæ, vel quantum ad dignitatem ipsius. Si autem quantum ad consistentiã personæ, sic læditur aliquis occultè per dolosam occisionem, seu percussionem, & per veneni exhibitionem. Manifestè autẽ per manifestã occisionem, aut per incarcerationem, aut verberationem, seu membri mutilationem. Quantum autem ad dignitatem personæ læditur aliquis occultè quidẽ per falsa testimonia, seu detractiones, quibus aliquis aufert famam suam, & per alia huiusmodi. Manifestè autẽ per accusationem in iudicio, seu per conuitij illationem. Quantum autem ad personam coniunctam læditur aliquis in vxore, vt in pluribus occultè per adulterium. In seruo autem cum aliquis seruũ seducit, vt à domino discedat. Et hæc etiam manifestè fieri possunt. Et eadem ratio est de alijs personis coniunctis, in quas etiã possunt omnibus modis iniuriæ committi, sicut & in personã principalẽ. Sed adulteriũ & serui seductio

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt propriæ iniuriæ circa has personas: tamẽ quia seruus est possessio quædam, hoc refertur ad furtum.

¶Voluntariæ autem commutationes dicuntur quando aliquis voluntariè transfert rem suam in alterum. Et si quidem simpliciter in alterum transferat rem suam absque debito, sicut in donatione, non est actus iustitiæ, sed liberalitatis. In tantum autem ad iustitiam voluntariam translatio pertinet, inquantum est ibi aliquid de ratione debiti. Quod quidem contingit multipliciter. Vno modo, quando quis transfert simpliciter rem suam in alterum, pro recompensatione alterius rei, sicut accidit in vẽditione & emptione. Alio modo, quando aliquis tradit rem suam alteri, concedens ei vsum rei cum debito recuperandi rem. Et si quidem gratis concedit vsum rei, vocatur vsus fructus in rebus, quæ aliquid fructificant: vel simpliciter mutuum seu accommodatum in rebus, quæ non fructificant: sicut sunt denarij, vasa, & huiusmodi. Si verò nec ipse vsus gratis conceditur, vocatur locatio & conductio. Tertio modo aliquis tradit rem suam, vt recuperandam, non ratione vsus, sed vel ratione conseruationis, sicut in deposito: vel ratione obligationis, sicut cum quis rem suam pignori obligat, seu cum aliquis pro alio fideiubet. *Nota.* In omnibus autem huiusmodi actionibus siue voluntarijs, siue inuoluntarijs, est eadem ratio accipiendi medium, secundum æqualitatem recompensationis. Et ideo omnes istæ actiones ad vnam speciem iustitiæ pertinent, scilicet, ad commutatiuam. Et per hoc patet respõsio ad obiecta.

Svmma Textvs.

Ante quàm D. Thom. respondeat ad hanc difficultatem præmittit quòd cum iustitia versetur circa operationes exteriores; quæ sunt ad alterum, duplicem materiam possumus in illa considerare. Vnam remotam: & sunt res illæ, quæ distribuuntur, & commutantur; siue sint pecuniæ, siue triticum, &c. Alteram proximã: & est vsus ipsius materiæ remotæ, scilicet, vel distributio, vel commutatio. Et hoc supposito constituit tres propositiones. ¶Prima conclusio: Si loquamur de materia remota, eadem est materia iustitiæ distributiuæ, & commutatiuæ. Probatur: Nam eædem res sunt, quæ possunt inter aliquos & distribui, & commutari. ¶Secunda conclusio. Loquendo de materia proxima, alia est materia iustitiæ distributiuæ, & alia iustitiæ commutatiuæ. Probatur: Materia proxima iustitiæ distributiuæ est distributio illarum rerum, quæ non debentur illis, quibus conferuntur; nisi, quia sunt partes rei publicæ, cuius sunt illa bona; materia autem proxima iustitiæ commutatiuæ est commutatio illarum rerum, quæ sunt debita alicui, quia sunt propria illius: sed istæ duæ actiones, scilicet, distributio, & commutatio sunt inter se specie distinctæ, vt constat ex diuersa ratione debiti in illis inuenta: ergo materia proxima iustitiæ distributiuæ est diuersa à materiâ proxima iustitiæ commutatiuæ. Et ex ista diuersitate materiæ proximæ sumitur diuersitas specifica vtriusque iustitiæ. ¶Tertia conclusio: Omnes commutationes siue voluntariæ, siue inuoluntariæ in ratione commutationis sunt eiusdem speciei: & sic omnes pertinent ad eandem speciem iustitiæ. Probatur: In omnibus illis est eadem ratio accipiendi medium, scilicet, secundum proportionem arithmeticam, hoc est, secundum æqualitatem rei ad rem: ergo in omnibus illis est eadem ratio specifica iustitiæ; atque ex consequenti omnes pertinẽt ad eandem speciem.

Explicatio Articvli.

De prima, & secunda conclusione huius articuli, nihil aliud est dicendum quam quòd dicitur in textu. Sed circa tertiam est aduertendum mentem D. Thom. in illa esse, ostendere, omnium commutationum, siue voluntariarum, siue inuoluntariarum, rectificationem ad eandem speciem specialissimam iustitiæ commutatiuæ pertinere; quanuis diuersimodè. Nam iustitia commutatiua eatenus rectificat cõmutationes inuoluntarias, quatenus restituit damna, quæ ex illis resultant: commutationes verò voluntarias rectificat constituens in ipsis debitam rectitudinem. Ratio autẽ, propter quam dicuntur istæ rectificationes ad eandem speciem iustitiæ commutatiuæ pertinere, est, quia omnes fiũt secũdũ æqualitatẽ rei ad rem, præsupposita prius ratione debiti simpliciter, quod est debitum iustitiæ commutatiuæ, vt diximus articulo 5. huius quæstionis. *Omniũ cõmutationũ rectificatio pertinet ad eandem iustitiam.*

¶Secundò

Quid nomine commutationis importetur.

¶Secundò est aduertendum, quòd nomẽ commutationis non denotat simplicem, vel donationem, vel receptionem: Vbi enim res gratis donatur donoque recipitur nulla est commutatio; sed tunc datio propriè dicitur commutatio (vt nomen præsefert) quando alter dat, vt recipiat, & alter recipit, vt reddat; vt est videre in mutuo, in deposito, in venditionibus, cõductionibus, reliquisq; id genus ciuilibus contractibus. Est autem cõmutatio secundum istam rationem accepta duplex, vna voluntaria, altera inuoluntaria. Voluntaria est, quando quis rem à Domino volente, & consentiente suscipit, vt in mutuo. Inuoluntaria verò, quãdo quis vsurpat sibi rem alienam, vel personã, vel opus inuito Domino. Sed est aduertẽdum, quòd quemadmodũ commutatio voluntaria spõtaneam quandam & voluntariam actionem ex vtraque parte significat, videlicet, tam recipientis, quàm conferentis: ità etiam cõtraria ratione, commutatio inuoluntaria importat actionem inuoluntariam, tam ex parte patientis, quàm ex parte offerentis. Vt est videre in furto, in quo nec Dominus dat, vt recipiat; nec fur capit vt reddat. Sed ille contra suam voluntatem patitur; & hic liberè accipit, quod nollet vnquam rependere. *Argumen.* ¶Et si quis argumentetur: Ille, qui furatur, peccat: ergo talis actio est voluntaria; atq; ex consequenti falsum est dicere, quòd commutatio inuoluntaria, in furto existẽs, tam ex parte patientis, quàm ex parte auferentis est inuoluntaria: respondetur, quòd quanuis furtum, quantum ad acceptionem sit voluntarium; & hac ratione peccatum, vt dicitur in argumento: quia tamen ille, qui liberè accipit nollet reddere acceptũ; commutatio autem voluntaria consistit in hoc, vt sicut vnus voluntariè dat, vt sibi reddatur; ita etiam alter voluntariè accipiat, vt reddat: idcircò furtum in ratione commutationis dicitur inuoluntarium ex vtraque parte. Et idem est dicendum de quacũque alia commutatione inuoluntaria, vt de homicidio, percussione, conuitio, & id genus alijs. Bene potest contingere, quòd is, qui per inuoluntariam commutationem aliquid accipit, id postea reddat, vel voluntariè pœnitentia ductus, vel inuoluntariè à publica potestate compulsus: hoc tamen est impertinens ad hoc, vt ipsa commutatio dicatur voluntaria, vel inuoluntaria. A priori enim radice acceptionis commutatio nomẽ sortitur. Vnde si acceptio fuit voluntaria, quanuis redditio postea sit inuoluntaria, vt contingit in illo, qui post factam emptionẽ vi compellitur pretium persoluere, tota cõmutatio est dicenda voluntaria: & si acceptio fuit inuoluntaria, quanuis posteà redditio sit voluntaria, pari ratione commutatio erit dicenda inuoluntaria. Sed quoniam Aristot. lib. 3. Ethic. duabus de causis dicit accidere inuoluntarium, scilicet, aut vi & metu, aut ignorantia; idcireo lib. 5. Ethico. inuoluntarias cõmutationes adhuc in duas subdiuidit; in eas, scilicet, quæ occultè, & ignorante Domino per fraudem fiunt; & in eas, quæ fiunt manifestè per violentiã, quas omnes D. Thom. in isto articulo latè prosequitur. Et circa illas solùm est aduertendũ, quòd, quanuis in commutationibus inuoluntarijs reperiantur diuersæ species peccatorum, quæ habent propria nomina, & pertinent omnia ad iniustitiam, videlicet, furtum, rapina, homicidium, veneficium, incarceratio, mutilatio, verberatio, falsa accusatio, detractio, derisio, contumelia, susurratio, maledictio, adulteriũ, & huiusmodi, de quibus disserit D. Thom. in subsequẽtibus; omnia tamen, quantum ad rectificationem, pertinent ad eandem iustitiam commutatiuam: quia in omnibus secundum eandem rationem debet fieri restitutio, aut satisfactio. Commutationes similiter voluntariæ per sua quoque membra à D. Tho. explicãtur in isto articulo. Videte literam.

Articvlvs. IIII.

¶Vtrùm iustum simpliciter sit idem quod contrapassum?

Solutio.

Ad Qvartvm sic procedi- 5. Eth. le. 8. *Annot.*
tur. Videtur, quòd iustum sit simpliciter idem quod contrapassum. Iudicium enim diuinũ est simpliciter iustum. Sed hæc est forma diuini iudicij, vt secundum quod aliquis fecit patiatur, secundum illud Matth. 7. In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, ergo iustum est simpliciter idem quod contrapassum.

2 ¶ Præterea, In vtraque iustitiæ specie datur aliquid alicui secundum quãdam æqualitatem, in respectu quidem ad dignitatem personæ, in iniustitia distributiua, quæ quidem personæ dignitas, maximè videtur attendi secundum opera, quibus aliqui communitati seruiunt: in respectu autem ad rem, in qua quis damnificatus est in iustitia commutatiua. Secundum autem vtramque

Universidad de Deusto
Biblioteca

æqualitatem aliquis contrapatitur secũdum quod fecit. Ergo videtur quod iustum simpliciter sit idem, quod contrapassum.

3 ¶ Præterea, Maximè videtur quòd non oportet aliquem contrapati, secundum quòd fecit, propter differentiam voluntarij & inuoluntarij. Qui enim inuoluntariè fecit iniuriam, minus punitur. Sed voluntarium & inuoluntarium, quæ accipiũtur ex parte nostra, non diuersificant medium iustitię: quod est mediũ rei, & non quo ad nos, ergo iustum simpliciter videtur esse idẽ quod contrapassum.

¶ Sed Contra est, quòd Philos. in 5 Ethic. probat non quodlibet iustũ esse contrapassum. *Lib. 5. c. 5. tom. 5.*

¶ Respondeo dicendum, quòd hoc quod dicitur contrapassum, importat æqualem recompensationem passionis ad actionem præcedentem. Quod quidem proprijssimè dicitur in passionibus & actionibus iniurioſis, quibus aliquis personam proximi lædit, putà si percutit, quòd repercutiatur. Et hoc quidem iustum determinatur in lege Exo. 21. Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, &c. & quia etiam auferre rem alterius, est quoddã iniustum facere, ideo secundariò etiã in his dicitur contrapassum, prout scilicet aliquis qui damnum intulit, in re sua etiam ipse damnificetur. Et hoc etiam iustum damnum continetur in lege, Exo. 22. Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit vel vendiderit, quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. Tertiò verò transfertur nomen contrapassi ad voluntarias commutationes, in quibus vtriusque est actio & passio: sed voluntarium diminuit de ratione passionis, vt dictum * est. In omnibus autem his debet fieri secundum rationem iustitiæ commutatiuæ recõpensatio secundum æqualitatem, vt scilicet passio recompensata sit æqualis actioni: non autem semper esset æqualis, si idẽ specie aliquis pateretur, quod fecit. Nam primo quidem cum aliquis iniuriosè lædit alterius personam maiorem, maior est actio, quàm passio eiusdem speciei quam ipse pateretur. Et ideo ille qui percutit principem, nõ solum repercutitur, sed multo grauius punitur. Similiter etiam cum quis aliquem inuoluntarium in re sua damnificat, maior est actio, quàm esset passio si sibi sola res illa auferretur. Quia ipse qui damnificauit alium in re sua, nihil dãnificaretur. Et ideò punitur in hoc, quòd multiplicius restituat: quia etiam non solum damnificauit personam priuatam, sed rempublicam, eius tutelæ securitatem infringendo. Similiter etiã nec in commutationibus voluntarijs esset semper æqualis passio, siquis daret rem suam, accipiens rem alterius: quia forte res alterius est multo maior quã sua. Et ideò oportet secundum quandam proportionatam commensuratione adæquare passionem actioni in commutationibus, ad quod inuenta sunt numismata. Et sic contrapassum est commutatiuum iustum. In distributiua autem iustitia locum non habet, quia in distributiua iustitia non attenditur æqualitas secundum proportionem rei ad rem, vel passionis ad actionem, vnde dicitur contrapassum: sed secũdum proportionalitatem rerum ad personas, vt supra dictum * est. *Quæst. 58. art. 3. & 1. 2. q. 6. art. 5. & q. 24. art. 3.* *Art. 2. huius quæst.*

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd illa forma diuini iudicij attenditur secundum rationem cõmutatiuæ iustitiæ, prout scilicet recompensat prę mia meritis, & supplicia peccatis.

¶ Ad secundum dicendum, quòd si alicui qui cõmunitati seruisset, retribueretur aliquid pro seruitio impenso, nõ esset hoc distributiuæ iustitiæ, sed commutatiuæ. In distributiua enim iustitia non attenditur æqualitas eius quod quis accipit, ad id quod ipse impendit: sed ad id quod alius accipit, secundum modum vtriusque personæ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quãdo actio iniuriosa est voluntaria, excedit iniuriam: & sic accipitur vt maior res. Vnde oportet maiorem pœnam ei recompensari, non secundum differentiam quoad nos, sed secundum differentiam rei.

Svmma Textvs.

Antequam D. Tho. respondeat ad hãc difficultatem præmittit, contrapassum idem prorsus esse, quòd æquale secundum recompensationem passionis ad actionem præcedentem. Quod propriſsimè inuenitur in actionibus & passionibus iniuriosis personarum, iuxta illud Exod. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Sed quoniam auferre rem alienam, est quoddã iniustum facere; ideircò etiam in his secundariò dicetur esse contrapassum, in quantũ ille, qui damnum intulit in re sua damnificatur. Et tandem tertiò transfertur nomen contrapassi ad voluntarias commutationes, in quibus est vtriusque actio & passio. Hoc supposito constituit D. Thom. tres propositiones, quæ virtualiter ex literâ colligũtur. Prima conclusio: Si contrapassum sit pati idem in specie, quod ipse feceris, iustum & contrapassum non sunt idem simpliciter. Secunda conclusio: Si contrapassum sit agere, aut pati æquale, non in specie, sed proportionabiliter ijs rebus, quæ ipse feceris, aut receperis, iustũ & cõtrapassum sunt idẽ. Tertia conclusio: Iustum quod efficit iustitia distributiua non est idem quod contrapassum.

Explicatio Articvli.

Articulus iste ponitur à D. Thom. ad explicandum Aristotelem, qui lib. 5. Eth. cap. 5. contra Pythagoricos, & Rhadamantem legislatorem asserentes contrapassum (quod nihil aliud est, quàm pati idem, quod quis intulit; ita, vt eadem mensura mensuretur, qua metitus est alios: vt si percussit, percutiatur, si occidit occidatur, si furatus est, quod alij bona eius furentur) esse iustum simpliciter, & æquale secundum iustitiam commutatiuam, talem constituit conclusionem: Contrapassum non est idem, quod iustum simpliciter, & æquale secundum iustitiam commutatiuam. Hanc probat Aristo. multipliciter. Primò: Nam si princeps percutiat subditum hominem de media plebe, non erit iustum, quòd ipse percutiatur secundum æqualitatem. Nec similiter si subditus percutiat principem erit satis, quòd ipse parimodo percutiatur, sed multò maiori pœna erit puniendus, secundum æqualitatem iustitiæ commutatiuæ: ergo contrapassum ad modum, quo illud ponebant Pythagorici non est idem, quod iustum simpliciter, & æquale secundum iustitiam commutatiuam. Item: Si fierent duæ operationes prauæ, quarum altera esset voluntaria, altera verò inuoluntaria ex ignorantia, & eadem pœna punirentur; tunc esset idem cõ trapassum, sed non esset idem iustum simpliciter: nam maiorem meretur pœnam, qui operatur voluntariè, quàm qui operatur inuoluntariè ex ignorantia: ergo contrapassum, & iustum simpliciter non sunt idẽ. *Sententia Aristot. de contrapasso*

¶ Sed est aduertendum, quòd contrapassum potest dupliciter intelligi. Vno modo, quòd fiat secundum identitatem speciei, vt, scilicet, patiatur quis quod egit, vt animam pro anima, oculum pro oculo. Et de hoc dicit Arist. non esse iustum simpliciter propter rationes iam dictas. Alio modo potest intelligi contrapassum, quòd fiat secundum æqualitatem quantitatis, & secundum mensuratam proportionem, vt, scilicet, tanta sit passio, quanta fuit actio, quantumcũque diuersarum specierum, vel generũ sint actio, & passio. Vt si, verbi gratia, læsit quis quempiam in bonis corporis, lædatur in bonis exterioribus; & si percussit soluat tantũ læso, & tantum curiæ, & denique recompẽsatio fiat secundum aliquam proportionẽ, etiam si non sit secundum eandem speciẽ. Et hoc modo extenso nomine contrapassi, & passionis ad omnes commutationes, cõtrapassum est idem, quòd iustum commutatiuum, vt D. Thom. dicit in secunda conclusione. Imo ad hoc inuentum est numisma, vt dicit Aristot. loco citato, vt per ipsum in omnibus rebus, & iniurijs fiat recompensatio secundum proportionalem commensurationem. Vnde numus dicitur à nomos, Græco vocabulo, quod idẽ significat, quod les, quasi numus sit lex, regula, & mensura valoris vniuscuiusque rei. Et ex hac distinctione habemus, vnde diuersa dicta negantium, vel affirmantium iustũ de contrapasso saluare possimus. *Contrapassum potest fieri dupliciter.* *Numus ad quid inuentus explicatur.*

¶ In solutione ad primum argumentum dicit D. Thom. quòd forma diuini iudicij attendenda est secundum rationem iustitiæ commutatiuæ. Quibus verbis videtur significare actum, quo Deus in finali iudicio retribuet præmia pro meritis, & supplicia pro peccatis esse actum iustitiæ commutatiuæ: & sic quod in Deo est iustitia commutatiua. Cuius tamen contrarium docet expresse, idem D. Thom. p. p. q. 21. art. 1. & 1. contra gentes, cap. 93. & in 4. dist. 46. q. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad. 1. Capreolus in. 2. dist. 27. quæst. 1. in responsione ad argumenta Durandi nititur conciliare hæc dicta D. Thom. Pro quo notat ex eodem D. Thom. 1. 2. q. *Quæ iustitia sit in Deo, & qualis sit futurus modus diuini iudicij.* *Sententia Capreoli.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.2.q.114.art.3.quòd opus meritorium dupliciter potest considerari: vno modo quantum ad substantiam operis, quatenus procedit ex libero arbitrio: alio modo, secundum quòd procedit ex gratia & motione Spiritus sancti. Et dicit, quòd, si consideretur primo modo, sic inter meritum, & præmium non est æqualitas simpliciter, quàm respicit iustitia commutatiua: sed meritum est multò inferius præmio; atque ex consequẽti, vt remunerante, secundum istam rationẽ non est iustitia commutatiua. Et hoc est, inquit Capreolus, quod vult significare D.Thom. quando affirmat, non esse in Deo iustitiam commutatiuam. Si autem consideretur meritum. Secundo modo, dicit, quòd inter meritum & præmium vitæ æternæ est æqualitas simpliciter. Gratia enim, quam in præsenti habemus, vt D.Tho.1.2.loco citato ad. 1. affirmat, æqualis est vitæ æternæ; non quidem in actu, sed in virtute: qua ratione semen dicitur æquale arbori. Et sic Deus rettribuens mercedẽ vitæ æternæ pro merito, vt procedit ex gratia, exercet actum iustitiæ commutatiuæ. Et isto modo, inquit Capreolus, loquitur D.Tho. hîc ad. 1. Hæc tamen sententia Capreoli nec est ad mentẽ D.Tho. nec vera. Et quidem, quòd non sit ad mentem D.Tho. probatur: Nam.p.p.& 1.contra gentes, locis citatis ex eo D. Tho. probat, non esse in Deo iustitiam commutatiuã, quia Deus nihil accipit à nobis, iuxta illud Paul. ad Rom.11. Quis prior dedit ei & rettribuetur illi. Et Iob.cap.41. Quis ante dedit mihi, & ego reddam ei. Hæc autem ratio ità procedit de opere meritorio, quatenus procedit à libero arbitrio, sicut quatenus procedit ex gratia. Si enim opus quatenus procedit à libero arbitrio, magis est Dei, quam nostri: quia Deus est qui dedit nobis liberum arbitrium, & mouet ad operandum, à fortiori etiam idem opus, quatenus procedit ex gratia, magis erit Dei, quã nostri: siquidem ipsa gratia à solo Deo confertur. Atque ex consequenti, si in præmiando opere, quatenus procedit à libero arbitrio, non inuenitur ratio iustitiæ commutatiuæ, quia Deus nihil accipit à nobis, quod non sit suum, multo minùs inuenietur talis ratio iustitiæ in præmiando opere meritorio, quatenus procedit ex gratia.

Sententia Caietani & aliorum vera.

¶ Quocirca Caietanus in isto articulo, & Ferrara loco citato, & Soto de iustitia & iure, lib.3.q.5.art.4. Absolutè dicunt, nõ esse in Deo propriè iustitiam commutatiuam, esse tamen in eo quendam modum illius. Et hoc est, inquit, quod D.Tho. voluit significare hîc ad. 1. Quæ quidem sententia est vera, atque tenenda. Vnde ad illius explicationem est aduertendum, quòd cùm munus iustitiæ commutatiuæ sit constituere æqualitatem simpliciter inter datum, & acceptũ, siue inter dantem, & accipientem, duo erũt necessaria ad rationẽ illius. Vnum est, quod sit æqualitas simpliciter inter datum, & acceptum, & inter dantem & accipientem: alterum autem, quod sit ibi aliquid verè datum: quod tunc contingit quando id, quod datur vere est ipsius dãtis & non illius, cui datur. Et, quia nihil possumus Deo dare; quod non sit magis ipsius Dei, quàm nostrum, idcircò verè & propriè nihil illi damus, nec ipse propriè accipit aliquid à nobis. Ex quo fit, vt inter Deum præmiantem; & homines, quos remunerat, non possit esse propriè iustitia commutatiua: est tamen quidam modus illius, in quantum Deus dat vnam rem pro alia, scilicet, vitam æternam pro meritis. Et est etiam in ista remuneratione alius modus iustitiæ commutatiuæ: quia præmium semper est æquale meritis: tantum enim præmij Deus vnicuique tribuit, quantum habuit meriti. Nec solum seruatur in hoc æqualitas proportionum inter merita hominum, & præmia illis collata, quod pertinet ad iustitiam distributiuam: sed etiam seruatur æqualitas inter meritum vnius & præmium eiusdem: quod pertinet ad iustitiam commutatiuam. Sed quoniam in iudicio finali duplex est futura actio: vna qua Deus iustos remunerat, tribuendo præmia pro meritis: altera, qua punit peccatores, tribuendo debita supplicia pro culpis, & de prima operatione iam satis probatum est, non esse actum iustitiæ commutatiuæ: quia Deus nihil à nobis accipit, nec nos ei quidquam damus: superest, vt de secunda, scilicet, de punitione malorũ, inquiramus: an sit actus iustitiæ commutatiuæ, vel distributiuę. Caietanus in præsenti tenet, esse actũ iustitiæ distributiuæ. Quod etiam affirmat Ferrara loco citato: & videtur esse sententia D.Th.1.p.q.21. art. 1. &. 1. contra gentes cap.93. Vbi absolutè negat esse in Deo iustitiam commutatiuam, nulla facta distinctione inter actum remunerandi, & actum puniendi. Et ratio videtur esse in promptu: Nã in punitione malorum ità seruatur æqualitas proportionum, vt ea proportione, qua culpa vnius excedit culpam alterius, eadem etiã pœna, quæ infligitur vni, excedat pœnam alteri inflictam: quod est proprium munus iustitiæ distributiuæ, & nõ cõmutatiuæ. Hoc tamẽ nõ obstãte, dico esse lõgè probabilius, quòd, punitio malorũ est actus iustitiæ cõmutatiuæ. Nec est eadẽ ratio de remuneratione, & punitione quãtũ ad hoc: sed remuneratio est actus iustitiæ distributiuę: punitio verò cõmutatiuæ. Ita tenet Soto loco citato. Et proculdubio colligitur ex mente D.Tho. infra. q.108.art.2.ad.1. Vbi dicit punitionẽ peccatorum secundũ quod pertinet ad publicam iustitiam esse actum iustitiæ commutatiuæ. Et ratio est manifesta. Nam in punitione malorum primum, quod attenditur est, quantitas culpæ, vt reddatur pro illa æqualis pœna: quod pertinet ad iustitiam commutatiuam. Si autem contingit, vt eadem proportio inter culpas & pœnas eorum, qui puniuntur seruetur, est per accidens: & res non debent denominari ab eo, quod illis conuenit per accidens; sed ab eo, quod illis conuenit per se.

Duo necessaria ad rationẽ iustitiæ commutatiuæ.

QVÆSTIO. LXII.

De Restitutione.

Restitutio ad quid necessaria.

AD seruandam rerum æqualitatem inter homines, ad quod præcipuè iustitia ordinatur, duo sunt necessaria, vnum per se: alterũ per accidens. Quod per se est necessarium, est, vt quacunque ratione ius suum vnicuique reddatur: ita, vt in omni commutatione semper æqualitas dati, & accepti seruetur. Quod autem per accidens est necessarium, est, vt si quando per præcedentem actionem violata fuerit æqualitas, per subsequentem reparetur restitutionem: est enim restitutio velut medicamentum æquitatis violatæ. Itaq; quemadmodum ad vitam corporalem generatio, atque nutritio sint per se necessariæ, per accidens autem est necessarium medicamẽtum, vt, si quando à statu valetudinis corpus defecerit, per illud reparetur, & pristinæ valetudini restituatur: ità etiam ad vitã moralem æqualitas dati, & accepti est simpliciter necessaria. Restitutio autem est necessaria per accidens, supposito quòd æquitas sit violata. Diximus iã in superioribus de primo, scilicet, de æqualitate inter homines seruãda: & superest nunc, vt dicamus de secũdo, scilicet, de restitutione post violatã æqualitatem facienda: de qua D.Th. in ista quæstione instituit disputationem. Ad cuius intelligentiam est aduertendum: quòd, quemadmodum non quælibet rerum traditio ad iustitiam pertinet, sed illa tantum, in qua ratio debiti simpliciter inuenitur: ità etiam non quæcunq; redditio rei acceptæ, est vocanda restitutio, sed illa tantum, qua id redditur, quod secundum iustitiam iam olim debebatur. Quare si quis pro accepto beneficio gratiam referat, talis relatio non erit dicenda restitutio: quia non ex iustitiæ rigore, sed ex animi gratitudine est debita. Ex quo infero primò; quòd ad restitutionẽ propriè dictam duo sunt necessaria. Vnum est; quòd sit debitum iustitiæ, vt modo dicebam. Alterum autem, vel, quòd præcesserit aliqua actio; per quam aliquid sublatũ sit, quod secundum iustitiam sit alterius; vel, quòd non sit constituta æqualitas eo tempore, quo erat constituenda. Qui enim emptæ rei pretium soluit, vel statim, vel tempore præfinito reddere potiùs, quàm restituere est dicendus. At verò, qui alienum abstulit, vel vltra, quàm oportuit, solutionem distulit, cùm postea æqualitatem reparat, is verè dicitur restituere: quia reducit alium in eum statum, quem habuit, vel debuit habere. Infero secundò, quòd ante restitutionem semper oportet præintelligere aliquã priuationem in eo, cui restitutio est facienda: quæ licet, vt in plurimum supponat moralem defectum in eo, qui restituere tenetur, potest tamen aliquando sine culpa inueniri: vt in rebus inuentis, & in eo, qui propter legitimum impedimentum debitũ statuto tempore soluere non potuit, est videre. Infero tertiò, quòd omnis obligatio restitutionis semper ex eo oritur, quod quis priuatur dominio rei, quod prius habebat. Ex quo sumunt Theologi occasionem disputandi de dominio, ante disputationem de restitutione.

Materia de Dominio.

DE materia dominij disputãt Theologi in.4.distinct.15.& Iurisperiti Institut. de rerum diuisione. &. ff. de acquirendo rerum dominio. & de acquirenda rerum possessione. Gerson lib. de potestate ecclesiastica consider. 13. & lib. de vita spirituali. lect.3.cap.3. Conradus de cõtractibus, titul.1. Metina Complutens. C. de restitutio. q.1. & Soto lib. 4. de iustitia & iure, quæst.1.& sequent. De qua re à nobis quinque sunt tractanda. Primum est, quid sit dominium. Secundum de subiecto dominij; quis, scilicet, habeat dominium. Tertiũ de obiecto dominij, id est, quæ res possint cadere sub dominio, an vita, an fama, &c. Quartum de distinctione dominij, quando, scilicet, incepit dominiorum distinctio. Quintum de modo transferendi dominia. Ad primum igitur deuenientes, vt à nomine ipso exordiamur, aduertẽdum est, quòd dictio, dominium, Latina est, ab optimis viris vsurpata, præcipuè à iurisprudentibus; apud

Universidad de Deusto
Biblioteca

Discrimen inter dominium, dominationem, dominatū.

apud quos extāt in Digestis integri tituli, de rerum dominio. Et est differentia inter dominium, dominationem, & dominatum: quæ omnes sunt voces Latinæ, significantes potestatem in alios. Non eā, quam somniauit Soto lib. 4. de iustit. & iure. quæst. 1. artic. 1. qui dicit has voces differre in eo, quòd dominium semper dicitur in bonam partem; dominatum autem, & dominatio semper accipiuntur in malam, & significant potestatem regiam, non legitimam, sed per tyrannidem partam. Quoniam omnes istæ voces in bonam & in malam partem accipi consueuerunt, vt est videre apud Thesaurū linguæ Latinæ. Sed differentia est in eo, q̄ dominatio, & dominatus fere semper dicuntur de imperio, quod in subditis hominibus exercetur, siue id legitimū sit, siue secus. At verò dominium significat hoc, & etiam facultatē, qua quis vtitur in alijs rebus sensu, & ratione carentibus. Itaque in domo & in fundo habere te dominium rectè dixeris; dominationem autem & dominatum non rectè.

1. Dubium Sententia Conradi.

¶Sed est difficultas, vtrùm dominium sit idem, quod ius. Ad cuius explicationē Conradus in lib. de contractibus tract. 1. quæst. 1. in. 1. & 2. suppositione (suppositō, quòd ius potest accipi dupliciter, vno modo pro lege iura præscribente, in qua significatione leges pontificias appellamus ius canonicum; & leges regias ius ciuile; alio modo pro potestate aliquid agendi: qua ratione dicimus Regem habere ius in subditos, hoc est potestatem) dicit multa. Primum est, quòd si ius accipiatur secundo modo, scilicet, pro potestate legitima aliquid faciendi, tunc ius, & dominium sunt idem. Dicit secundo Conradus, quòd si dominium accipiatur nimis strictè pro potestate non quacunque, sed superioris in inferiorem, quomodo Doctores sæpèsæpiùs loquuntur de dominio: tunc ius, & dominium non sunt idem: sed ius est quid superius ad dominiū. Tam enim superiores, quam inferiores dicūtur habere ius, vt patres habent ius in filios, & filij in parentes: tamen inferiores non dicuntur habere dominium in superiores, loquendo de dominio secundum magis strictam rationē. Dicit tertiò Conradus, quòd si dominium accipiatur, vt accipitur in iure ciuili pro proprietate, & potestate, quæ versatur circa substantiam rei possessæ, vt distinguitur contra vsum, & vsumfructum, tunc ius & dominium non sunt idem, sed ius est quid superius ad dominium. Vsuarius enim & vsufructuarius dicuntur habere ius: & tamen neuter istorum habet dominium: loquendo de dominio pro proprietate, quæ versatur circa substantiam rei. Ex his infertur, quòd secundum sententiam Conradi dominium accipitur tripliciter. Vno modo strictè pro iure superioris in inferiorem. Secundò pro iure proprietatis: quibus duobus modis non conuertitur cum iure. Tertio modo accipitur largè pro iure cuiuscunque rei faciendæ: & sic est idem, quod ius. Quod autem dominium isto tertio modo sumatur, probat Conradus: Nam qui habet ius in re aliqua potest dici dominus eius: ergo & habere dominium illius: atque ex consequenti dominium, & ius sunt idem. Et confirmatur: Qui talem rem ab inuito auferret, proculdubio diceretur furtū commisisse: ergo qui illam habebat erat dominus illius, atque ex consequenti habebat dominium. Probo consequentiam ex definitione furti, qua dicitur, furtum esse contrectationem rei alienæ, inuito domino rationabiliter. Hæc Conradus.

1. Conclus.

¶Sed quoniam in eius sententia plura cōtinentur falsa, & aliena à recto modo loquendi, vt explicemus, quid in hac re sit dicendum sit prima conclusio. Omne dominium est ius, non tamen è contra: nisi velimus magnam vim inferre vocibus. Et quidem quòd omne dominium sit ius, est res manifesta: Nam habere dominium, est esse dominum: omnis autem dominus habet ius in re, cuius est dominus; & sic omne dominium est ius. Quòd autem non omne ius sit dominium, probatur: Nam vxor habet ius in virum, dicente Paulo. 1. ad Corinth. cap. 7. Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, & filij habent ius in parētes, qui curam eorum habere tenentur, & serui habent ius in dominos, à quibus sustentari debent, & tamen nulli horum habent dominium, nec vxor in virum, nec filius in parentes, nec seruus in dominum: ergo non omne ius est dominium, propriè loquendo de dominio.

2. Conclus.

¶Secunda cōclusio: Non omne ius, quod habent superiores in inferiores, est dominium. Probatur primò ex instituta. de iure personali. Vbi ius, quod habetur in personas, & est ius superioris in inferiorē, diuiditur in ius patriæ potestatis, quod dicitur ius paternū, & ius dominij, quod habet dominus in seruos: ergo ius patris, quod est superioris in inferiorē, nō est dominiū, atque ex cōsequēti nō omne ius superioris in inferiorē est dominiū. Secūdò. Prælati ecclesiastici habent ius in sibi subditos, nō tamē sunt domini illorum, iuxta illud Matth. 20. Principes gentium dominantur eorū: vos autē non

non sic: ergo nō omne ius superioris in inferiorem est dominium. Quin potiùs addiderim solum illud ius, quod Dominus habet in seruos, esse dominium: nam ius, quod prælati, siue Ecclesiastici, siue ciuiles, habēt in subditos, & ius quod Reges habent in rempublicam, nulla ratione est appellandū dominium. Qui enim habet dominium est dominus: dominus autem dicit respectum ad seruum: & certum est, quod nec subditi Ecclesiastici, nec ciuiles sunt serui. Vnde Aristot. lib. 1. Politi. cap. 3. distinguit inter imperium ciuile, siue regium, & despoticū, quod est dominatiuum. Et dicit animam habere in corpus dominicum principatū, mentem verò in appetitum, non nisi ciuile, & regium, quod non est dominium.

3. Conclus.

¶Tertia conclusio: Non omnis potestas conuertendi aliam rem in proprium commodum, est dominium. Probatur: Qui tantum habet vsum domus, aut equi, habet potestatem conuertendi talem vsum, in proprium commodum: & tamen certum est illum non habere dominiū domus, aut equi, vnde nec potest illa vendere, nec donare: ergo non omnis potestas conuertendi aliā rem in proprium commodum est dominiū.

4. Conclus.

¶Quarta conclusio: Ad dominium non est necessarium, quòd possit quis vti re, cuius est dominus in omnes vsus. Probatur: Nam pupilli sub tutore existentes sunt veri domini suarum rerum, non tamen possunt illas vendere, nec distrahere. Item primogeniti sunt veri domini illarum rerum, quas habent vinculatas, & tamen non possunt illas alienare. Sunt qui dicant primogenitos non esse veros dominos maioricatus, sed tātum vsuarios, seu vsufructuarios. Oppositā tamen sententia est vera. Tum, quia necesse est assignare aliquem verum dominum illorum bonorum, & nullus fingi potest, nisi ipse primogenitus. Tum etiam, quia, si primogenitus per iniuriam expoliaretur illis bonis, iterum esset in illis restituēdus, quod non esset verum, nisi haberet illorum dominium. Est enim restitutio, vt dicit D. Tho. in articulo primo huius quæstionis, iteratò aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ. ¶Ex dictis possumus colligere veram dominij diffinitionem dicentes, dominium esse facultatem propriam vtendi re in omnes vsus lege permissos, referendo & ordinando eandem rem in propriam vtilitatem & commodum. In qua diffinitione ponitur loco generis, facultas, quæ idem est ac potestas iuridica, & legitima secundum leges, & iura habita, quæ latiùs patet, quam dominium, vt ex supradictis constat. Ponitur autem illa particula, propria, tanquam differentia distinguens dominium à possessione. Sæpèsæpiùs enim contingit, vt quis habeat possessionem alicuius rei, non tamē habet dominium, quia non habet proprietatem, quæ adhuc sub iudice est. Additur etiā illa particula (vtendi re in omnes vsus) ad differentiā vsus, & vsus fructus. In vsu enim & vsufructu non est potestas vtendi substātia rei si propriè loquamur de vsu: & sic qui solum habet vsum, vel vsumfructum non potest alienare rem secundum substantiam, nec per donationem, nec per venditionem, sed salua substantia rei solum potest eius fructibus vti & frui. Ponitur præterea in diffinitione dominij illa particula, in omnes vsus lege permissos, ad explicandū quòd pupillus ante legitimam ætatem verè est dominus suarum rerum, quamuis eis potiundi libertam potestatem non habet, eas vendendo, aut donando quoniam lege humana id prohibetur. Propter quod dicebat D. Paulus, quandiu hæres paruulus est, nihil differt à seruo, non quidem quantum ad dominiū, sed quantum ad vsum, & ideo est sub tutoribus. Similis etiam est ratio de illo, cuius bona vinculo primogenituræ obligata sunt: qui quamuis sit verè eorum dominus, illa tamen nō potest aliqua ratione alienare, quia id sibi ciuili lege est prohibitum. Ponitur tandem in definitione, dominij illā particula, referendo & ordinando eam rem in propriam vtilitatem & commodum, ad differētiam omnium aliarum specierum iuris, in quibus, vt ex dictis constat, non est licitum res subiectas in propriam vtilitatem, & cōmodum conuertere. Rex enim habet ius in subditos, & pater in filios; & tamen neuter illorum potest dici dominus; quia tale ius non ad commodum principis, vel parentis, sed ad commodum subditorum, vel filiorū debet ordinari. Ex hac definitione colligitur discrimen, quod est inter dominium, vsum, & vsumfructum. Nam dominium, quia est facultas, vtendi re prolibito sui domini, fit, vt ità versetur circa substātiam rei possessæ, vt dominus, verbi gratia, domus, non solùm possit eam locare, sed etiam vendere, & diruere, si voluerit; cum tamen vsuarius, & vsufructuarius nullum ius habeant in substantiam rei: sed tantum possint vti fructibus inde collectis. Diuersimodè tamen: Nā qui habet vsum domus, & non vsumfructū, solùm potest illam inhabitare, & non locare eam alijs inhabitandam: at verò qui habet vsumfructum vtrunque potest facere; & sic minus iuris est in vsu, quam in vsufructu. Ex quo fit, vt diuersimodè hæc definiā-

Diffinitio dominij.

tur à

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur à Doctoribus.ff.de vsufructu.Et institu ta.eodem titulo.Nam de vsufructu dicitur, quod est ius vtendi, & fruendi re alterius, salua eius substantia. De vsu autem dicitur, quòd est ius alienis rebus vtendi, & non fruendi. Circa quas definitiones est aduertendum primo ex Conrado tractat.1.de cõ tractib. quæst. 12. quòd istæ voces vsus,& vsusfructus,possunt accipi dupliciter. Vno modo pro ipso actu vtendi rebus possessis, qualis est actualis equitatio, vel habitatio domus, & sic sunt quædam res successiuæ, quomodo nõ accipiuntur istę voces in præ senti. Alio modo possunt accipi pro iure exercendi tales actiones, quod ius est quid distinctum ab ipsa actione:quia potest vnũ sine alio inueniri, & hoc modo accipiunt vsum, & vsumfructum iuris prudentes in præfatis definitionibus.

Distrimen inter vsum & vsumfructum.

Quid sit vti, & quid sit frui.

¶Secundò est aduertendum,quòd vti,& frui cùm ponuntur in definitionibus vsus & vsusfructus non accipiuntur in ea significa tione,qua Theologi in.1.dist.1.illis dictionibus vti consueuerunt, cùm dicunt, quòd vsus est,quando voluntas amando adhæret alicui rei non propter se, sed propter alterum:fruitio verò, quando adhæret propter se. Itaque non est hæc vis horum verborũ in hoc loco,sed vti in præsenti est ex re alie na tibi promissa te solum fructum capere: frui verò est eosdem fructus, & in tuum,& in aliorum,si libuerit,vsum posse conuerte re.Ex quo fit,vt propriè loquendo,apud iu risconsultos iuxta positas definitiones, qui habet dominium alicuius rei, nulla ratione possit dici habere illius vsum,aut vsumfru ctum: quia hæc tantum versantur circa res alienas, & non circa proprias.

2. *Dubium* ¶Sed est difficultas, vtrùm dominium,& titulus dominij sint vna,& eadem res. Hoc quæritur propter Gersonem, & alios Pari sienses, qui vt est videre apud Conradum, tractat. 1. de contract. quæst.1. conclus.4. affirmant titulum dominij,& dominiũ esse prorsus idem.Et idem dicebant de vsu,& ti tulo vsus,& de vsufructu,& titulo vsusfru ctus:nam existimabant,quod titulus domi nij nihil aliud est, quàm habere facultatem vtendi re. ¶Hoc tamen non obstante dico, quòd titulus dominij distinguitur à domi nio,sicut fundamentum à relatione.Domi nium enim est quædam habitudo inter do minum, & rem possessam. Fundamentum autem,ratione cuius in domino existit talis habitudo,seu relatio, est titulus dominij,& iste est vel electio in prioratu,& episcopa tu, vel emptio,aut donatio, aut natiua hæ reditas, vel præscriptio in alijs rebus, quæ

Sententia Gersonis.

Sententia Autoris.

constant, esse quid distinctum à dominio, & causa & fundamentum illius. Et idem est dicendum de titulo vsus, & vsusfru ctus.

¶Sed quoniam diximus in superioribus, dominium rei & vsum illius differre inter sese, idque probauimus in rebus permanen tibus,quales sunt domus,& vinea;quia po test dominium inueniri penes vnum,& vsus penes alterum;est grauis difficultas,an in re bus vsu consumptibilibus, vsus & dominiũ distinguãtur. Ad cuius intelligentiam est ad uertendum,esse quasdam res,quarum fructi bus vtimur ipsis rebus manentibus, vt do mus,vinea,prædium,&c. Alias verò,quarũ rectus vsus consistit in earundem consump tione,vt pecunia, cuius proprius vsus est, illam in alienum dominium transferre, & panis,& vinum, quorum vsus est illa con sumere.Et de istis est sermo,quando quæri mus,an in rebus vsu consumptibilibus vsus distinguatur à dominio.Et loquimur(vt gra uius sit dubium) tantùm de illis rebus,quę vnico actu consumuntur. Nam in veste,li cèt vsu atteratur, quia tamen nõ vnico actu attrita perit, potest vtcunque discerni vsus à dominio, sicut in alijs rebus permanen tibus.

3. *Dubium graue de distinctione vsus à dominio.*

¶Secundò est aduertendum, quòd quan do quærimus, an in rebus consumptibili bus vsus distinguatur à dominio,nõ est ser mo de distinctione istorum secundum esse naturale.Hæc enim tractatio propriè perti net ad Logicum,vel Metaphysicum: & est facile videre,sic distingui;quia constat aliud esse vinum, & aliud vsum vini in esse rei. Sed quod quærimus est,an in huiusmodire bus possit vsus sine dominio inueniri,vel è contra. De qua re est grauis concertatio, non solum inter Doctores Theologos, & iurisconsultos, sed etiam inter summos Pontifices Nicolaum.III. & Clement.V. ex vna parte,& Ioannem. XXII. ex alia. Fuit autem orta hæc controuersia propter fratres ordinis Sancti Francisci, qui nec in particulari, in quo conueniunt cum religio sis aliorum ordinum, nec in communi, in quo distinguũtur ab illis, dicuntur habere dominium suarum rerum, sed quod panis & vini,& aliorum eduliorum dominium re sidet penes summum Pontificem,& ipsi so lum habẽt simplicem istarum rerum vsum. Dominium autem pecuniarum, quæ illis donantur,& consetuntur,residet penes il los, qui tales pecunias dederunt. Et sic in rebus vsu consumptibilibus dominium, & vsus distinguũtur. Hanc sententiam tenet Soto lib. 4. de iustitia. quæstio.1.artic.3.&

Explicatur sensus quæstionis.

Dissensio inter summos Pontifices.

Sententia Nicolai.3. & Clem.

Ledesma

Ledesma in.2.part.4. quæst.18.artic.1. fol. 219. & Nauarro in comment. super capit. non dicatis.12. quæst.1. Contrariam tamen sententiam tenẽt alij quam plurimi autores. Et quidem sententia illorum,qui dicũt do minium & vsum distingui in rebus cõsump tibilibus, & sic posse esse vsum penes fra tres Minores,dominium autem penes alte rum, potest probari pluribus argumentis.

1. *Argum.* Primò ex Nicolao.III. in cap. exijt,qui se minat.de verbo.significatio.in.6.& ex Cle mente.V.in Clement.exiui de paradiso.qui

2. *Argum.* id expresse affirmãt.¶Item secũdò:Ad hoc, vt quis habeat dominium alicuius rei, non est satis, quòd possit vti illa, sed vltra hoc requiritur,quod possit illam cõsumere alie nando,donando, vendendo, & vtendo illa quocunque alio vsu lege permisso,vt ex de finitione dominij superius posita licet colli gere: sed fratres Minores, quanuis vtantur alimẽtis,& vestibus,& alijs rebus, quæ vsu consumuntur,non tamen possunt illas alie nare,aut vendere:ergo non habent illarum rerum dominium.Sed si illæ res sunt pecu niæ, dominiũ manet apud illum,qui dedit, & sic potest illa repetere & accipere tan quam propria bona.Si autem sunt alimẽta, & alia vtensilia, dominium manet penes summum Pontificem,qui potest ea sibi ac cipere, & alijs tribuere tanquam propria

5. *Argum.* bona ipsius Papæ.¶Tertiò sic argumentor: Quando quis amicos conuiuio excepit, nõ facit eos dominos esculentorum, & poculẽ torum,quibus mensa extruitur, quia nec il lis facit facultatem illa surripiẽdi,vt in pro prias domos importent, nec vendendi, aut donandi: sed tantum concedit eis vsum, vt, scilicet,ad mensam sedentes illis vescantur: ergo in rebus vsu consumptibilibus vsus & dominium distinguuntur. Atque ex conse quenti possumus dicere, quòd summus Põ tifex quotidie inuitat fratres Minores, qui bus facit facultatem edendi,atque bibendi harum rerum dominio penes se reseruato. Quare,si ab eis illa auferret non esset habẽ dus tanquam fur,& latro,sed tanquam do

Confirm. minus,qui proprtia recipit.¶Et confirmatur ex illo Act.2.vbi dicitur de fidelibus, quòd erant illis omnia communia. Quibus verbis significari videtur, omnia vsq; ad alimenta esse illis communia. Atque ex consequenti

4. *Argum.* vsus & dominium in rebus vsu consumpti bilibus distinguũtur.¶Quarò argumentor argumento magistri Sori, quo ipse fatetur se conuinci ad hanc sententiam sectandam. Argumentum autem est huiusmodi.Faten tur impugnatores huius paupertatis, posse monachos habere proprium in communi, licèt illud nemo habeat in particulari: ergo possum ego particularis monachus vesci cõ munibus, quanuis non sim particularis eo rum dominus: sed eadem ratio est de toto conuentu, & de toto ordine:ergo poterit totus ordo Franciscanus vti vescibilibus, quanuis omni careat dominio:atq; ex con sequenti vsus & dominium in his rebus di stinguuntur. ¶Vltimò sic argumentor:Ego teneor succurrere pauperi extremè indigẽ ti;non tamen teneor in illum transferre do minium eius rei, qua indiget, verbi gratia, panis,sed tantum vsum: ergo vsus & domi nium in rebus consumptibilibus distinguũ tur.Consequentia cum maiori est nota; & minor probatur, scilicet, quòd in tali casu non teneor transferre dominium:Nam si te nerer,& id non facerem, perinde essem ac si retinuissem alienũ inuito domino, quod est contra iustitiam, atque ex consequenti tenerer ad restitutionem, cuius contrarium diximus esse verum in materia de eleemosy na.Et confirmatur ex illa lege Deuterono mij, cap. 23. Ingressus vineam proximi tui comede vuas,quantùm tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum. Quibus verbis vi detur concedi ingredientibus vineam vsus vuarum absque dominio.

Vlt.Arg.

¶Contrariam tamen sententiã tenet Ioã nes.XXII. in extrauaganti ad conditorẽ. de verb.signif.§.quod autẽ.vbi dicit multa. Primum est,q̃ in rebus vsu consumptibili bus vsus,& dominiũ non distinguũtur, sed cui confertur vnũ,conceditur vtriusq;. Se cundũ quod dicit est, fratres Franciscanos habere vsum,& dominiũ istarũ rerũ. Dicit tertiò,esse figmentũ chimericũ, & verbale (verba sunt Pontificis) affirmare dominiũ eorũ,quæ vsu consumuntur residere penes summũ Pontificẽ. Dicit quartò,ex eo,q̃ fra tres Franciscani habeãt vsum rerũ consum ptibiliũ, dominio penes aliũ existẽte,nihil perfectionis eis accresci,cũ eodẽ modo vtã tur istis rebus, ac eis vtũtur alij mendican tes,qui in cõmuni habẽt dominiũ. Dicit vl timò,hoc figmẽtũ esse iniuriosum Romanę ecclesię.Quare de huius Põtificis sentẽtia ta lẽ statuo cõclusionẽ:In rebus vsu cõsumpti bilibus,vsus & dominiũ nõ distinguũtur:ex quo fit, vt harũ rerũ vsus nulli cõcedi pos sit,quin etiã cõcedatur dominiũ.Et loquor solùm de illis rebus, quæ vnico tantũ actu cõsumuntur,nõ de alijs vtẽsilibus, quæ per aliquod tẽpus in suo vsu durare possint:qua les sunt libri,vestes, & reliqua huiusmodi, longè diuersa est ratio: habẽt enim istę res, quantũ ad hoc, naturã rerũ permanentiũ. Hanc sententiam tenẽt D.Th. & Caiet.in-

Sententia Ioã. XXII.

Conclusio.

I frà

Universidad de Deusto
Biblioteca

fra.q.78.art.1. Et probatur primo ex.l.2.ff. de vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur. Vbi præcipitur, quod cum legatur alicui vsus alicuius pecuniæ, vel alterius rei vsu consumptibilis, ipsa etiam pecunia legetur. Et addit rationem, quia nemo potest vti his rebus, nisi illas consumendo. Quibus verbis manifestè significatur sensum legislatoris fuisse, quòd in rebus vsu cõsumptibilibus vsus & dominium nõ distinguũtur. Itẽ secundò: Qui habent ius vtendi talibus rebus, habent etiam ius consumendi, & in nihilum redigendi ipsarum substantias: ergo sunt illarum domini. Probo consequentiam ex ratione dominij, quæ est, vt versetur circa rei substãtiam. Et confirmatur: Ius, quod distinguitur à dominio, est ius vtendi aliqua re, salua eius substantia: sed hoc fieri nõ potest in rebus vsu consumptibilibus, vt patet ad sensum: ergo in his rebus non potest esse vsus, qui distinguatur à dominio. Item: Multò magis arguit dominiũ, & superioritatem posse rem aliquam consumere, quã posse illam vendere, aut distrahere: sed qui hoc facit habet dominiũ, vt constat: ergo & ille. Item, Si in rebus vsu cõsumptibilibus vsus distingueretur à dominio, sequeretur vsurã esse licitam: consequens autem est falsum, & absurdũ: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nã si in his rebus vsus distinguitur à dominio, sequeretur posse aliquẽ reseruare sibi dominium illarum, & vendere alteri vsum: vt verbi gratia, reseruare sibi dominium tritici, aut pecuniæ, & tradere alteri vsum istorum, & pro illo vsu accipere aliquid ab eo. Sicut, quia in equo vel domo vsus distinguitur à dominio, potest quis retinere sibi dominiũ, & vendere alteri vsum, vel conducendo, vel locando equũ, aut domum: sed hoc est manifestè vsura in pecunia, & in tritico: ergo in rebus vsu consumptibilibus vsus non distinguitur à dominio. Item probatur conclusio peculiariter de Minoritis: Fratres Minoritæ possunt bona vsu consumptibilia, quibus vtuntur vendere donare, & distrahere: ergo sunt veri illorũ, domini: consequentia est nota, & antecedens probatur ex illa extrauaganti Ioan. 22. iam citata, vbi id expressè affirmat, & ex decreto Nicolai.3.in.c.exijt. vbi dicit posse Minoritas facere de rebus, quas possidẽt quod sibi placuerit & libuerit. Sed respondent Minoritæ ad hoc argumentum, vtentes distinctione, qua etiã vtitur Nicolaus in.d.c.exijt. di centes, quòd vsus est duplex, vnus iuris, alter facti. Vsus iuris est, vsus à lege cõcessus, hoc est, habere ex lege ius vtendi re aliqua, qui à Magistro Soto appellatur vsus in habitu. Et talis vsus, dicit, non distinguitur à dominio in rebus vsu consumptibilibus: sed cui competit vsus ex lege, competit etiã dominium. Vsus facti est ipsa actio comedẽdi, vel bibendi. Et hic est, qui distinguitur à dominio, & qui solum inuenitur apud Minoritas. Sed, salua eorum pace, hæc distinctio nihil illos adiuuat. Tum, quia, cùm vsus facti sit rem consumere, non videtur, qua ratione possit à dominio distingui. Tum etiã, quia, si Minoritæ tantùm habent vsum facti, quæro, vtrùm id habeant dominis renuentibus, vel volentibus. Primum dici nõ potest: nam sic vtentes re cõsumptibili peccarent, quod fratres non concedent: ergo id habent dominis volentibus, & consentientibus: sed hoc non solum est habere vsum facti, sed etiam iuris, leges enim statuunt, vt quisque vtatur libere quacunque re domino volente: ergo habent fratres eum vsum, qui non distinguitur à dominio.

Solutio fratrum minorum impugnatur.

¶Et ad primum argumẽtum in contrariũ factũ, respondetur: concedendo Nicol.III. & Clem.V. fuisse cõtrariæ opinionis, vt est videre in locis citatis. Ex hoc tamen non sequitur nostram sententiam esse falsam: quia illã tenet Ioan.XXII. Et in his rebus, quæ non pertinent ad fidem nõ est inconueniẽs, quòd dicamus summũ Pontificem errasse, sicut illud affirmat Ioan. XXII. in extrauaganti ad conditorem iam citata. Cuius verba sunt, quæ sequuntur: Ad conditorem canonũ nõ est dubiũ pertinere cum statuta à se, vel prædecessoribus edita obesse percipit potiùs, quàm prodesse, ne vlteriùs obesse valeant prouidere. ¶Ad secundũ respondetur, falsum esse, quòd ad hoc, vt quis dicatur habere dominium rei, est necessarium, quòd possit vti illa in omnem vsum, sed solùm requiritur, quòd habeat facultatem vtendi re in omnem vsum, lege permissum. Ex quo fit, vt primogeniti, & pupilli etiam dicantur habere dominium suarum opum, quamuis eas in alios transferre non possint, vt ostendimus in superioribus. Certum est autem, quòd Minoritæ lege sunt prohibiti vendere, vel alienare res vsu consumptibiles: quare ex hoc non licet inferre, quòd non habent earum dominium: maximè cùm eis vti possint, vsque ad consumptionem, quod cum solo vsu fieri non potest. ¶Ad tertium similiter respondetur, negando, conuiuas non esse dominos earum rerum, quæ sibi apponuntur, quamuis eas, aut donare, aut vendere, aut in domum asportare nullo modo possint. Hæc enim omnia inuitantis voluntate prohibentur, quæ in hoc casu est habenda pro lege.

Ad. 1. arg.

Ad. 2. arg.

Ad. 3. arg.

Ad

Ad confirmationem respondetur, verum esse, quòd fidelibus in primitiua Ecclesia erant omnia vsque ad edulia communia: non tamen licet ex hoc inferre, quòd vsus & dominium in rebus vsu consumptibilibus distinguuntur. Cùm enim bona dicuntur communia hunc sensum facimus, quòd omnia bona fidelium in acerno quodam cõstituebantur, ex quo singulis quod erat necessarium distribuebatur: postea tamen cũ aliquid vsu consumptibile alicui in particulari assignabant fiebat proprium. ¶Ad quartum argumentum respondetur, quòd quamuis sit verum, quòd possunt monachi habere proprium in communi, licèt nemo illud habeat in particulari; nego tamen ex hoc inferri, quod possit aliquis vesci communibus, non existens eorum particularis dominus. Eo enim ipso, quòd alicui apponitur aliquid ad vescendum cum ipso vsu cõceditur dominium, ad modum iam explicatum. Et idem etiam contingit in toto ordine Franciscano. Sed, vt hoc melius intelligatur, aduertendum est, quòd bona, quæ possidentur à monasterijs sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt vsu cõsumptibilia, vt panis, vinum: alia permanentia, vt domus, libri. Et rursus ista bona possunt considerari dupliciter: vno modo antequã dividantur singulis, & vt sunt in communi cella: alio modo, vt sunt singulis fratribus data, eisque actu concessa ad vsum. Hoc supposito dico primò, quod in bonis permanentibus, nec ante distributionem, nec post distributionem habet aliquis frater in particulari dominium, quãuis habeat vsum sed dominium in nobis residet penes conuentum: in monachis autem Franciscanis potest fieri, vt nec resideat in singulis, nec in toto conuentu, sed, vel penes summum Pontificem, vel penes eos, qui ea bona contulerunt. Dico secundò, quòd in rebus vsu consumptibilibus antequam diuidantur nullus in particulari habet dominium: tamen postquam actu sunt diuisa, & eis actualiter vtuntur, singuli habent dominium tam in nostro ordine, quam in Franciscano. ¶Ad vltimum argumentum respondetur, verum esse, quod nullus tenetur in extrema necessitate conferre dominium pauperi indigenti directè & per se loquendo. Ex vi enim illius præcepti ad ea solùm obligamur, quæ necessaria sunt ad indigentiam talis pauperis subleuandam, ad quam certum est non esse necessarium directè & per se dominiũ, sed solum vsum. Cæterùm, quia talis est illarum rerum natura, vt vsus in eis non possit separari à dominio, idcircò indirectè & per accidens teneor concedere dominium. Et quando ex hoc infertur: ergo si non do, teneor ad restitutionem, negatur consequẽtia. Tum, quia quamuis tenear conferre dominium, illud non est per se, sed per accidens. Tum etiam, quia illa obligatio non nascitur ex iustitia, sed ex lege charitatis, cuius violatio non obligat ad restitutionem, vt diximus in materia de eleemosyna. Ad confirmationem, ex Deuteronomio respondetur negando, quòd illi, cui conceditur vsus vnarum non etiam concedatur dominium illarum, quamtis eas aut vendere, aut donare, aut foras trahere prohibeatur. Ad rationem enim dominij satis est, quod possit quis vti re in omnem vsum lege permissum. Et hæc dicta sint de ista difficultate.

Ad.4.arg.

De bonis monasterio rum doctrina.

Ad vlt.arg.

¶Explicato iam, quid sit dominium, operæpretium est, vt agamus de subiecto dominij, de illis, scilicet, qui possunt habere dominium, quod est secundum punctum à nobis in hac materia pertractandum. In qua re, vt certa ab incertis separemus, supponendum est primò tãquam certum, quòd Deus est omnium rerum verus, & legitimus dominus, iuxta illud Psalm. 23. Domini est terra, & plenitudo eius. Propter quod Iudic. cap.9. in oratione, quam pro victoria contra Assyrios faciebat, hoc modo dicebat: Deus cælorum, creator aquarum, & dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem, &c. Et Salomon confitetur de Deo: Dominus vniuersorum tu es, Fuit quidem Deus ab æterno omnium rerum potestate Dominus. At verò ab orbe condito fuit vsu, atque actu, cum nullæ res antea essent, quæ illi parere possent. Est enim nefas, eo vsque abuti dominij nomine, vt illud inter diuinas personas constituamus, sicut illud nonnulli constituere non verentur, dicentes, quòd Pater habet dominium in Filium & Pater & Filius in Spiritum sanctũ; cũ Filius nullo modo subijciatur Patri, nec Spiritus sanctus Patri & Filio; sed inter omnes personas sit summa æqualitas, quæ ratio ni dominij omninò repugnat, vt fides docet. ¶Secundò est supponendum, quòd omne ius, atque dominium in inferioribus existens deriuatur à Deo tanquam à primo fonte, & tanquam ab vno, & summo omnium rerum domino, iuxta illud Sapient. 10. Per me Reges regnant, & legũ conditores iusta decernunt. Sed est difficultas, vtrùm Deus dederit aliquod dominium brutis, vel alijs rebus ratione carentibus? Nam Maioris in 4.distinct.15.quæst.2. & Conrad. in lib.de contract.tract.2.q.3. ex sententia Gersonis,

De subiecto dominij.

Deus est omnium rerum dominus.

Omne dominium deriuatur à Deo.

Dubium de brutis vtrũ habeant dominium.

I 2 dicunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicunt, non solum Deum, & creaturas rationales, sed etiam bruta & alias res insensibiles habere aliquarum rerum dominium. Et quidem quod brutæ habeant dominium probant ex illo Genes. cap. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam, vt sit vobis in escam, & cunctis animantibus terræ. Item præterea: Nam inter apes est vnus princeps, & inter grues vnus dux, quem cæteræ sequuntur (vt autor est D. Hieronymus in Epist. ad Rusticum Monachum, cuius verba habentur 7. q. 1. cap. in apibus) & inter aues est herodius dux, atq; rex, iuxta illud Psalm. 103. Herodij domus dux eorum: ergo vnum brutum habet dominium supra alterum; & cuncta supra illas res, quibus vescuntur. Quòd autem aliæ res insensibiles etiam habeant aliquod dominium probant similiter ex Genesi cap. 1. Vbi Deus dicitur creasse duo magna luminaria, vnum vt præesset diei, alterum, vt præesset nocti. Et autem præterea: Nam cæli, atque astra huic sublunari mundo dominari videntur, vt potè eui ralorem, atque virtutem influunt, quibus foueatur, ac vegetetur. Propter quod dicebat Aristo. lib. 1. Meteo. Necesse est inuitidum hunc inferiorem subiectum esse lationibus superioribus, vt eius inde virtus gubernetur, &c.

Argumenta pro parte affirmatiua ex Genesi.

Ex apibus.

Ex astris.

Conclusio.

¶ His tamen non obstantibus sit conclusio, quòd Deus nulli creaturæ ex irrationalibus, vel insensibilibus aliquod dominium dedit. Hæc est D. Thomi multis in locis. Et probatur: Si bruta haberent dominium pabulorum, sequeretur, quod qui ea ab eis auferret, faceret iniuriam, atque ex consequenti peccaret: consequens autem est falsum, & absurdum: ergò & illud, ex quo sequitur. Sequela probatur: Nam propter nullam aliam rationem auferens ab alio rem aliquam est iniurius illi, nisi quia tollit ab eo rem cuius habet dominium. Item præterea: Ille solus potest habere aliquarum rerum dominium, qui operatur liberè volens, & ex electione, vt docet Aristo. lib. 6. Ethic. & D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. & 2. Vnde etiam hic respectu eorum, quæ necessario vult, non dicitur propriè dominus: sed creaturæ irrationales necessario agunt quidquid agunt, scilicet, ex instinctu naturæ: ergo nullius rei possunt habere dominium. Et confirmatur: Qui sui aut suarum actionum dominus non est, alia rum rerum externarum dominium habere nullo modo potest, cum hoc secundum ex priori deriuetur, aut illud saltim necessario præsupponat: sed creaturæ irrationales non sunt dominæ suarum actionum, vt docet D. Thom. 1. 2. sæpè sæpiùs: non enim habent intellectum, & voluntatem, nec agunt propter se, quæ necessaria sunt ad dominium: ergo nullius rei sunt dominæ. Item solis hominibus datum est à Deo omnium rerum sublunarium dominium, iuxta illud Genes. cap. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs terræ, &c. quasi diceret in hoc: Faciamus hominẽ ad nostram imaginem, scilicet, intellectu & volũtate liberum: (hæc enim est facies Dei) vt reliquarum rerum vniuersitati, quæ nostra caret imagine dominus constituatur: ergo creaturæ irrationales, quæ non sunt factæ ad imaginem Dei nullius rei possunt habere dominium. Et confirmatur: Habere dominium rei, est ipsare licitè posse vti, vt ex sententia Augustini lib. 83. quæstionum, docet D. Thom. 1. 2. quæst. 16. artic. 1. Sed creaturæ irrationales nulla re possunt vti, nec est enim vsus mediorum ad finem, & creaturæ irrationales non possunt agere propter finem, cum non cognoscant rationem finis: ergo creaturæ irrationales nullius rei possunt habere dominium. Vltimò: Dominij est imperare: sed creaturæ irrationales imperare non possunt: est enim imperare rem aliquam in alium finem ordinare, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 17. quod bruta facere non possunt: ergo nec habere dominium rei.

¶ Et ad primum argumentum desumptũ ex Genesi respondetur, illud testimonium potiùs esse pro nobis, quam contra nos. Dominium enim herbarum, de quo ibi fit sermo, magis significatur datum hominibus, cum quibus loquitur Deus, quàm brutis. Et sic cùm dicit; Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. idem est, ac si dixisset: Ecce dedi vobis herbas ad pascendum armenta, aepe cudes vestras. ¶ Ad aliud de apibus, & de gruibus respondetur, quòd aliqua animalia habeant excellentiam supra alia, id non ex dominio, sed ex naturali instinctu prouenit. Vnde non propriè, sed metaphoricè dicitur vnum alteri dominari, propter excellentiam, quam vnũ habet supra aliud. Ad quem etiam modum dicere possumus aliquem seruire nigredini, & vnam qualitatem alteri: nec ex hoc aliquid sequitur contra nostram conclusionem. ¶ Ad aliud de astris, & de cælis, quæ dicuntur dominari his inferioribus, similiter respondetur, talem loquutionem esse metaphoricam. Si enim Sol, aut Luna, aut cælum influit in hæc inferiora, & propterea dicitur habere superioritatem supra illa; id non ex dominio, sed ex instinctu naturæ prouenit: & sic nullum in eis potest esse dominium. Ex dictis colligitur, solum Deum & creaturas intelle-

Ad argum. ex Genesi.

Ad aliud de apibus.

Ad aliud de astris.

intellectuales, posse habere rerũ dominiũ.

Dubium de angelis, vtrùm habeant dominium rerũ sublunarium.

¶ Sed quoniam creaturæ intellectuales sunt in duplici differentia, quædam enim sunt purè intellectuales, vt angeli, aliæ nõ purè intellectuales, sed rationales, vt homo; est grauis difficultas, an harum rerum sublunarium dominium tantum inueniatur penes homines, an vero etiam inueniatur penes angelos. In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd homines habent dominium rerum sublunarium, vt ex his, quæ dubio præcedenti diximus, satis clarè constare poterit. Dico secundò etiam esse certũ, quod angeli habẽt dominium suarum operationum naturalium. Cùm enim operentur per intellectum, & voluntatem, ex quibus propriarum operationum dominium prouenit, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 1. artic. 1. nulla ratione potest negari, eos esse suarum operationum dominos. Itaque hæc certa sunt. Sed dubium est, vtrùm angeli aliquarum rerum inferiorum dominium habere dicantur. Soto de iustitia & iure lib. 4. quæstione. 1. artic. 2. dicit, angelos tantùm esse dominos suarum operationum naturalium, scilicet, cogitationum, & volitionum, nec aliquod eos posse habere dominium in his rebus inferioribus, materia, & forma constantibus. Et ratio est: Nam cùm istæ res inferiores non sint conditæ propter angelos, sed tantum propter homines, quos Deus instituit finem immediatum omnium rerum creatarum, vt constat ex Genesi capit. 1. & 2. (angeli enim cùm sint spirituales nullo corpore egere possunt) & res quę est propter finem suo tantum fini sit subiecta: manifestè conuincitur tantùm homines, & non angelos harum rerum sublunarium habere dominium.

Sententia Soti cum suo fundamento.

Sententia Autoris.

¶ Hoc tamen non obstante, dico, posse & debere concedi, quòd angeli habent dominium aliquomodo supra hæc inferiora; & non tantum supra res inanimatas, sed etiã supra homines. Probatur: Deus cuncta ista inferiora gubernat, & ad proprios fines perducit medio ministerio angelorum, quorum quosdam fecit præfectos cęlorum, alios animantium brutorum, alios hominum, iuxta illud Pauli ad Hebræos. 1. Omnes sunt ad ministratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: & ad has res ministrandas quilibet angelorum in sua commendatione habet ius, nihil minus, quam præfectus alicuius oppidi, ita, vt non possit ab illo munere impediri sine graui iniuria: ergo est dicendum, quòd angeli aliquo modo habent dominium in hæc inferiora. Et confirmatur ex Daniele cap. 10. Vbi vnus angelus dicitur præfectus Medorum, alter nationis Persarum, alter, scilicet, Michael, dicitur princeps Ecclesiæ, & synagogæ: & similis loquutio inuenitur sæpè sæpius in Apocalypsi: ergo isti angeli habent ius in istas prouincias, atque ex consequenti aliquo modo sunt dicendi domini illarum. ¶ Et ad argumentum Soti respondetur, quòd quamuis hæc inferiora non sint condita propter angelos, tanquam propter eos, qui eis indigebant (angeli enim nihil horum possunt indigere) tamen postquam à Deo habent potestatem illa regendi, atque gubernandi, vnusquisque secũdum peculiarem commissionem sibi à Deo factam, singuli habent ius in partes sibi cõcessas, adeò, vt peculiari quadam ratione possint appellari domini illarum.

Responsio ad fundamentum Soti.

¶ Ex his, quæ diximus de subiecto dominij satis clarè conuincitur ex omnibus creaturis, solos homines, & angelos posse habere dominium. Restat autem nunc explicandum, quæ nam sint illa bona, quorum homo potest esse dominus: quod est agere de obiecto dominij tertio loco à nobis proposito. Quæ res grauiorem & difficiliorem cõtinet disputationem. Loquimur autem in hac parte peculiariter de hominibus, quoniam de angelis ex ijs, quæ diximus dubio præcedenti satis clarè colligitur quænam sint illa, quorum possunt esse domini. Pro huius autem rei intelligentia, est aduertendum, multa esse bonorũ genera, de quibus in præsenti possumus dubitare, an homo illorum sit dominus. Quædam sunt in nobis, & alia sunt extra nos. Rursus ea, quæ sunt in nobis, adhuc sunt in duplici differentia. Quædam enim pertinẽt ad corpus, vt vita, salus, membra, & vsus membrorum: & alia pertinent ad animam, vt ingenium, virtutes, tam intellectuales, quam morales: & denique omnes dotes animæ. Bona autem, quæ sunt extra nos reducuntur ad hæc tria, famam, honorem, & diuitias. Per diuitias intelligo quæcunque bona temporalia, quæ dicuntur bona fortunæ. Inter famam autem & honorem hoc est discriminis: quòd fama est bona æstimatio habita de homine: honor verò est reuerentia exterior alicui exhibita propter aliquam excellentiam: ex quo fit vt fama sit velut parens honoris. Et siquis obijciat, quòd aliquando honoramus eum, de quo habemus siniſtram opinionem, respondetur, illum non esse verum honorem: est enim honor præmiũ virtutis, vt multis in locis docet Arist. De his ergo omnibus bonis est à nobis

De obiecto dominij.

Bona de quibus potest dubitari vtrum illorum homo habeat dominium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in præsenti disputandum, an homo illorum habeat dominiũ, vt ex hoc colligere liceat, an possit illis pro libito vti: & an circa illa possit alicui fieri iniuria, quæ sunt res grauissimæ & valde difficiles.

Dubium de bonis temporalibus.

¶Et vt à clarioribus, & notioribus incipiamus, primò circa bona temporalia, quæ sunt bona fortunæ, est difficultas, vtrùm homo iure naturali illorũ sit dominus? In qua re sit prima conclusio. Homo iure naturali habet dominium omnium rerum inferiorum. Probatur ex illo Psalm. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius; oues & boues, vniuersa, & pecora campi. Quanuis enim istud testimonium possit referri ad Christũ, quatenus homo est, conuenientissimè tamen etiam adaptatur reliquis hominibus. Maximè, cùm illud, quod antecedit, Quid est homo quod memor es eius, non possit ità conuenienter Christo tribui, sicut alijs. Pro eadem etiam conclusione facit illud Genes. cap. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibilibus cæli, &c. Et paulò inferiùs: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibilibus cæli, & vniuersis animantibus; quæ mouentur super terram. Quæ verba explicans D. Chrysost. Hom. 7. ad populum Antiochenum arbitratur hominem esse conditum ad imaginẽ Dei, dicitq; esse imaginem Dei à D. Paulo. 1. ad Corinth. 11. propter præeminentiam dominij, quod in res inferiores habet. Sicut enim Deus dominatur in cælestibus: ità etiã homo dominatur in terrestribus. Idem docet D. Augustin. in lib. quæstionum veteris testamenti. quæst. 45. & refertur à Gratiano in Decretis. 33. q. 5. c. hæc imago. Cuius verba sunt quæ sequuntur. Hæc imago Dei est in hominibus, vt vnus factus sit dominus, ex quo cæteri oriantur, habens imperium Dei quasi vicarius eius: quia vnius Dei habet vir imaginem. Probant autem isti sanctũ hominem dici factum ad imaginem Dei propter præeminentiam dominij ex eo, quòd Paulus. 1. ad Corinth. 11. præcipit, vt mulieres orent in Ecclesia velato capite, viri verò detecto. Et reddit rationem: Nam mulieris caput est vir, caput autem viri est Christus. Velamen capitis denotat, & significat subiectionem: & quia mulier debet esse subiecta viro: idcircò eius caput præcipitur velari. At verò vir, quia soli Deo, qui est eius caput, est subiectus, idcircò eius caput nõ præcipitur velari. Ex quo fit, vt conuenientissimè dicatur imago Dei propter præeminentiam dominij. Ità interpretantur hunc locum Pauli Theophylactus, & Theodoretus, & D. Thom. ibi lectio. 2. ¶Sed est aduertendum, quòd cùm eadem sit natura intellectualis viri, & mulieris, penes quàm præcipuè attenditur Dei imago, idcircò non solum vir, sed etiam mulier absolutè dicitur condita ad imaginem & similitudinẽ Dei. Cùm hoc tamen stat, quòd, si imago consideretur, quantum ad præeminentiam, & dominium, solus vir dicatur imago Dei, & non mulier, quia vir non habet superiorem præter Deum, cùm tamen mulier habeat superiorem virum, qui est eius caput. Potest tandem probari nostra prima conclusio ratione sic: Ad hoc, vt quis dicatur habere alicuius rei dominium sufficit, vt illa ordinetur ad vtilitatem ipsius: & quod ipse possit vti illa pro suo arbitratu: sed ità se habet homo ex iure naturali respectu omnium rerum inferiorum: ergo homo ex iure naturali est dominus illarum.

1. Conclu.

D. Chrys.

D. August.

Nota.

2. Conclus.

¶Secunda cõclusio: Rerũ superiorũ, quales sunt angeli, & cælestia corpora, homo nõ dicitur habere propriè dominiũ. Probatur ex illo Psalmi: cælum cæli domino, terram autem dedit filijs hominum: & ex alijs testimonijs Genesis, quibus dicitur, traditũ dominium hominibus, in quibus non fit mentio rerum superiorum, sed tantum inferiorum: Si autem fuisset communicatum homini dominium supernorum, sicut dixit propheta: Terram autem dedit filijs hominũ: ità etiam dixisset: Cælum dedit filijs hominum. Item ratione hoc ipsum probatur: Angeli sunt superiores hominibus, præsuntq; illis: & corpora cælestia sunt similiter superiora corporibus humanis: ergo homo non habet dominium illorum. Probo consequẽtiam: Nã dominus semper est superior eo, cuius est dominus. Et confirmatur: Homo non potest vti angelis, nec corporibus cælestibus pro suo arbitratu: ergo non potest dici illorum dominus.

1. Argum. contra secundam cõclusionem.

¶Sed contra istam conclusionem argumentor primò ex Paulo ad Hebræos cap. 1. dicente de angelis: Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Quibus verbis videtur significari, angelos esse ministros hominum, atque ex consequenti homines habere ius in angelos, & sic quodammodo homines esse illorum dominos. ¶Item Deuteronomij, capit. 4. prohibens Deus, ne homines Solem, aut Lunam, aut astra adorent, assignat rationem: Quia hæc, inquit, omnia creauit Deus, vt essent in ministerium cunctis gentibus. Et. 1. ad Corinth. cap. 5. cum gloriarẽtur

2. Argum.

tur Corinthi, de suis præceptoribus dicentes: Ego sum Pauli, ego Cephæ, ego verò Apollo, inquit Paulus: Nemo itaq; glorietur in hominibus: omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, &c. Quibus verbis manifestè significat, mundum, quo continentur omnes creaturæ (vt D. Thom. super illum locum dicit) esse hominum, & ex consequenti homines habere ius & dominium super illum. ¶Item ratione sic argumentor: Qui habet potestatem in aliquẽ finem habet etiam potestatem in ea, quæ sunt necessaria ad illum finem: sed homo habet ius conseruandi vitam: ergo etiam habet ius in cælestia corpora, quæ necessaria sunt ad vitæ conseruationem. Et confirmatur testimonio Magistri in. 1. dist. 1. dicẽtis, quòd, sicut homo factus est propter Deum, id est, vt seruiret Deo: ità etiam mundus factus est propter hominem, id est, vt seruiret homini. Quibus verbis significari videtur, hominem esse dominum mundi; siquidem mũdus creatus est, vt seruiret homini.

3. Argum.

Ad. 1. arg.

¶Ad primum argumentum ex Paulo ad Hebræos. 1. respondetur, quòd Apostolus non dicit, Angelos esse ministros hominũ, sed ministros Dei, iuxta illud; Qui facit angelos suos spiritus. Dicuntur quidem angeli missi in ministerium propter electos: ex hoc tamen non licet colligere, quòd sunt ministri hominum; sicut nec ex eo, quòd rex mitteret quosdam ex suis ministris ad reparandam aliquam ciuitatem, liceret inferre, quod illi essent ministri ciuitatis, sed quod essent ministri regis, in tale ministerium missi. ¶Ad aliud ex Deut. cap. 4. respõdetur, quòd Sol & astra dicuntur creata in ministerium hominum, non quia subsint dominio hominis: sed quia sunt condita ad hominum vtilitatem. Ad aliud ex Paulo. 1. ad Corinth. 3. respondetur, cum Magistro sententiarum loco supra allegato, quòd omnia dicũtur nostra, siue superiora, siue æqualia, siue inferiora: diuersimodè tamen. Nam superiora dicuntur esse nostra ad perficiendum; æqualia ad communicandum: inferiora ad vtendum. Et dicuntur omnia ista esse nostra eo modo, quo res dominorum dicuntur esse famulorum; non quidem quantum ad dominium, sed quantum ad vsum. ¶Ad rationem respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Ad hoc enim, quod aliquis dicatur habere dominiũ alicuius rei, non sufficit, quòd illa ordinetur in eum tanquam in finem. Nam, Deus factus est homo propter nos, & propter nostram salutem: & tamen homo non habet dominium verbi incarnati. Sed ad dominiũ alicuius rei vltra hoc, quòd illa debet ordinari in dominum, tanquam in finem, opus est, vt subsit eius facultati, & potestati. Et quia nec angeli, nec cælestia corpora subduntur facultati, & potestati hominis, idcirco homo non potest dici habere dominium illorum. Ad confirmationem respondetur, quòd mũdus dicitur à Magistro factus propter hominem: quia quidquid est in mundo cedit in vtilitatem electorum, & ad illã ordinatur, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum; & alibi: Omnia propter electos.

Ad. 2. arg.

Ad. 3. arg.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an quilibet homo de iure naturali habeat dominium omnium rerũ inferiorum, vel potius iure naturali id pertineat ad hominum vniuersitatem, ità quod nõ ad singulos. In qua re sit tertia conclusio: Dominium rerum inferiorum de iure naturali residet penes totam hominum vniuersitatem, & non penes singulos. Ita, quòd iure naturali nullus in particulari est dominus omnium rerum inferiorum. Probatur primò hæc cõclusio ex D. Augustin. super Ioann. & refertur in Dect. dist. 8. cap. quo iure. Vbi dicit: Quo iure defendes villas Ecclesiæ, diuino an humano? Diuinum ius in scripturis diuinis habemus: Humanum in legibus Regũ. Vnde quisquis possidet, quod possidet, nonne iure humano? Et paulò inferius: Tolle iura Imperatoris & quis auderet dicere, hæc villa est mea, meus est iste seruus, mea est hæc domus, &c. Sed si quilibet homo iure naturali esset dominus rerũ inferiorũ sublato iure Regio, & Imperatoris, posset dicere: hæc villa est mea: hæc domus est mea, quòd est expressè cõtra diuinum Augustinũ: dominiũ enim secum affert proprietatẽ rerũ quarũ est dominium: ità, vt dominus alicuius rei verè possit dicere: hæc res est mea: ergo dominiũ rerũ inferiorũ iure naturali non residet penes singulos homines. Secundò probatur cõclusio: Cõmunitas rerũ est de iure naturali, vt constat ex D. Isido. lib. 5. Etymol. c. 4. & refertur à Gratiano. dist. 1. cap. ius naturale. vbi inter alia, quæ sunt de iure naturali connumeratur communis rerum possessio: ergo nullus homo stando in iure naturali est dominus rerum inferiorũ. Probo consequẽtiã: Nam si aliquis in particulari haberet dominium aliquarum rerum, iam illæ non essent communes hominũ. Et confirmatur: Quia, aut quilibet homo habet dominium rerum inferiorum in solidum, aut nullus: si secundum, habeo intentum: si primum est maximum incõueniens: ergo dominiũ iure naturali re-

3. Conclus.

Nullus homo iure naturali est dominus rerum inferiorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rali residet penes hominum vniuersitatem.

Dubium.

¶De modo autem, quo fuit facta rerum diuisio, dicemus infrà, cùm de rerum diuisione, quarto loco à nobis proposita, fuerit sermo. Et nunc opus est, vt dicamus de alijs bonis, de quibus potest esse dubitatio, an cadant sub obiecto humani dominij. Et primum de ipsis hominibus est difficultas, vtrùm vnus homo possit esse dominus alterius. Genesius Sepulueda in lib. de iure, quo Hispani dominantur Indis, dicit esse quosdam homines natura seruos. Nam Barbari, quales sunt illi, qui sine aliquo cultu more ferarum viuunt, naturaliter sunt serui eorum, qui viuunt politicè: & hac de causa affirmat licite potuisse Hispanos dominari Indis. Probat autem suam sententiã ex Aristot. lib. 1. Polit. cap. 1. & 3. vbi hanc naturalem seruitutem constituit.

Sententia Genesij de Sepulueda.

Nota. 1.

¶Sed pro explicatione huius difficultatis est aduertendum primo ex D. Thom. p. 2. q. 96. art. 4. quòd dominium, secundum quòd refertur ad homines, potest accipi dupliciter: vno modo, vt opponitur seruituti; alio modo, vt opponitur subiectioni. Primũ dominium est verè & propriè dominium, respicitque veram & propriam seruitutem, qualis est legalis. At verò secundum dominium non est verè & propriè dominium, nec respicit veram, & propriam seruitutem, sed impropriam tantùm: qualis est illa, qua subditi subijciuntur prælatis, & vassalli dominis, seu principibus: & consistit in eo, quòd vnus alterius regimini, & gubernationi subdatur.

Dominium ad hominem est relatum est duplex.

Nota. 2.

¶Secundò notandum est, quòd inter dominium, vt opponitur seruituti, & dominiũ, vt opponitur subiectioni, hoc est, discrimînis inter alia, quòd habens dominium primo modo potest vti seruis ad propriam vtilitatem, sicut & alijs rebus, quarum habet dominiũ, vnde potest illos vendere, & alienare. At verò habens dominium secundo modo debet ordinare illud, non ad propriã vtilitatem, sed ad illorum commodum, quibus præest, vt ex supradictis constat.

1. Conclus.

¶Hoc constituto sit prima conclusio: Loquendo de dominio secundum propriam rationem nullus homo iure naturali est dominus, aut seruus. Probatur ex. l. libertas. ff. de statu hominis. vbi dicitur seruitutem esse contra naturam hominis, aut saltim præter naturam. Et loquitur Legislator de propria seruitute, qua vnus homo alteri, tanquam seruus, subijcitur. Item ratione idem probatur: Earum rerum propriè dicitur homo dominus secundum naturã, quæ sunt propter ipsum factæ: sed nullus homo nascitur alterius hominis causa: ergo nullus homo iure naturali est dominus aut seruus alterius.

2. Conclus.

¶Secunda conclusio: Loquendo de dominio, vt opponitur subiectioni, quod est dominium imperfectum, vnus homo iure naturæ potest dici alterius dominus. Probatur ex Aristot. lib. 1. Polit. c. 3. & 4. Vbi dicit seruitutem esse duplicem; vnam naturalem, alteram legalem. Naturalis est, qua homines elegantioris ingenij hebetibus & rudibus dominãtur: ergo secundum sententiã Arist. sapientes & prudentes iure naturæ dominantur insipientibus, & stultis: & sic iure naturæ vnus homo est dominus alterius; loquẽdo de dominio, vt opponitur subiectioni. Item ratione sic argumentor: Sicut in eodem homine anima præstat corpori: ita in toto genere humano vnus præstat alteri: ergo sicut in corpore humano propter suã præstantiam anima iure naturæ dominatur corpori: ita etiã & in toto genere humano ex iure naturæ illi debent dominari, qui fuerint alijs sapientiores, & perfectiores. Et cõfirmatur: Natura hominis est, tam in particulari, quam in communi, vt viuat secundũ rationem, atq; adeò vt eidem obtemperet: ergo sicut perfectio naturalis appetitus sensitiui in homine est, quòd pareat rationi: ita etiam & inter homines naturalis perfectio agrestium, & ignorantiũ erit, quòd sapientium gubernationi subdantur. Propter hoc enim natura sagax quosdam homines ingenio & prudẽtia dotauit, vt essent apti ad imperandum, alios verò neruis & membris roborauit, vt essent apti ad seruiendum, quæ dominatio, atq; seruitus naturales appellantur; essentq; non solum in statu naturæ lapsæ, sed etiam in statu innocentiæ, si homo in illo perseueràsset. Nam quanuis in statu innocentiæ nulla esset miseria, nullaq; ignorantia, nõ tamen essent futuri omnes homines æquales in sapiẽtia & virtute, & in alijs dotibus animæ, tam naturalibus, quàm supernaturalibus: Et ideò qui inter eos sapiẽtia & virtute præstarent dominarẽtur alijs; absq; aliqua tamen molestia. De hac re est videndus D. Tho. 1. p. q. 96. art. 4. & lib. 3. de regimine principum. Sunt etiam videndi Driedo libro de libert. Christiana. pag. 8. & Couarr. lib. 1. Variarum resolutionũ cap. 2. num. 10. & in relectione super regula, peccatum. de regulis iur. in. 6. p. 2. §. 11. Exdictis infertur, quòd si Genes. Sepul. quando dicit, quosdam homines esse natura seruos, loquitur de seruitute impropriè dicta, eius sententia est vera, atque tenenda: si autem loquitur de propria seruitute, sicut loqui videtur, cùm ex eo inferat licitè Hispanos potuisse

Qua ratione homo vnus iure naturæ dicat alterius dominus.

Quæ seruitus esset in statu innocentiæ.

potuisse dominari Indis, ac eos in seruitutẽ redigere, proculdubio eius sententia est falsa, & contra nostram primam conclusionem.

3. cõclusio. Homo ex lege humana potest esse propriè alterius dominus.

¶Tertia conclusio: Loquendo de dominio secundum propriam rationem, vnus homo ex lege humana licite potest esse alterius dominus. Volo dicere, quòd seruitus legalis, qua vnus homo ità alterius imperio subijcitur, vt possit dominus eo vti ad propriam vtilitatem, sicut alijs rebus, quarum habet dominium, est licita, & iure humano introducta. Sed antequam ad probationem huius conclusionis accedamus pro illius intelligentia est aduertendum primò, quòd seruitus legalis, de qua in præsenti est sermo, diffinitur Inst. de iure personarum. §. 1. quòd sit constitutio iuris gentium, qua aliquis alieno dominio contra naturam subijcitur. Ex prima particula huius diffinitionis colligitur, seruitutẽ legalem non esse de iure naturali, sed de iure gentiũ: quod etiam habetur Instit. de iure naturali, & gentiũ. §. ius autem gentium, & in Decreto, di. 1. c. ius gentium.

Obiectio.

¶Et si quis obijciat, quòd Genes. cap. 9. Noe ebrietate depulsa, cùm malediceret Cham filium suum, quia eius nuditatem irrisit, inter alia dixit: Maledictus puer Chanaan seruus seruorũ erit fratribus suis: & paulò inferiùs: Benedictus dominus Deus Sem; sit Chanaã seruus eius, &c. Quibus verbis Chanaan filius Cham propter parentis peccatum seruus efficitur: & sic dicunt Hebræi, quod Ethiopes homines nati ad seruiendum ex Chanaan originem ducunt: sed istæ benedictiones, & maledictiones patriarcharum fiebant nutu diuino: nondumque tunc erat ius gentium introductum: ergo

Solutio.

est dicendum, quòd seruitus non iure gentium, sed potius iure diuino fuit introducta; Respondetur primò, verba illa Noe nõ continere præceptum diuinum; sed esse tantum prophetiam rei venturæ. Cum enim esset Noe iratus in filiũ, Deus ostendit ei pœnas, quas filij Cham propter scelus parentis erant passuri; quarum vna erat, quòd posteritas eius magna ex parte esset seruitura. Et hæc est, quam Noe verbis illis explicat, & declarat. Vel secundo respondetur, locũ illum non esse intelligendũ de propria seruitute, qua quis tanquam mancipium alicui inseruit; seruire enim in sacris literis frequentissime accipitur pro eo, quod est, esse inferiorem, & ferre secundas partes, & non primas. Ad quem modum est intelligendũ illud Pauli ad Rom. 10. Maior seruiet minori, & Genes. cap. 27. Esau dixit parens Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres suos illi subiugani. Constat autem Esau nunquam seruisse Iacob: sed propterea id fuit dictum, quia primas partes obtinuit Iacob in omni re. Ex his possumus colligere, veram intelligentiam verborum D. Ambrosij, quæ habentur. 35. d. capit. sexto die. Vbi dicit: Non esset hodie seruitus, nisi ebrietas præcessisset. In cuius explicatione fallitur Soto lib. 4. de iustitia & iure, quæst. 2. artic. 2. dicens, se ignorare, quid velit Ambrosius, quando inquit, seruitutem ortam ex ebrietate, nisi per ebrietatem intelligat rationis defectum; ità, vt sit sensus quòd ser ui sint velut iumenta. Sed legitimus sensus est, quòd ex ebrietate, in quam incidit Noe, Cham sumpsit occasionem peccandi, & ad id peccatum in pœnam sequuta fuit seruitus. Comendat enim D. Ambrosius eo in loco, sobrietatem. Et, vt id faceret enumerat mala, quæ ex ebrietate sequuntur: inter quę vnum fuit, quòd ex ebrietate sumpsit Cham occasionem peccandi, & Noe maledicẽdi: ad quam maledictionem postea fuit consequuta seruitus filiorum Chanaan. Et sic de primo ad vltimum seruitus videtur orta ex ebrietate. Et hoc est quod D. Ambrosius voluit illis verbis significare.

Explicatur D. Ambrosius.

Dupliciter aliquid dici potest de iure naturali.

¶Dicitur præterea in diffinitione seruitutis legalis, quòd est contra naturam hominis. Ad cuius particulæ intelligentiã est aduertendum ex D. Thom. 1. 2. quæstio. 94. artic. 5. ad. 3. dupliciter posse aliquid dici de iure naturæ. Vno modo quia natura ad illud inclinat: qua ratione dicimus esse de iure naturæ, quòd nemini iniuriam faciamus. Alio modo, quia natura non instituit contrarium illius: qua ratione possumus dicere esse de iure naturæ, quòd homo sit nudus: quia homo in sua conditione non fuit vestitus: sed postea per artem fuerunt vestes inuentæ. Et quod est contra ius naturæ vtroque modo, dicitur esse contra hominis naturam: & quia communitas rerum & libertas erant de iure naturę isto secundo modo, idcirco rerum proprietas, atque seruitus dicuntur esse contra naturam hominis.

Seruitus legalis multis modis potest alicui accidere.

¶Secundo est aduertendum, quòd seruitus legalis multis modis potest alicui accidere. Primus est, si homo maior viginti annis causa percipiendi pretium seipsum vendit. Et hic modus seruitutis erat valde vsitatus in veteri lege, vt constat ex Exodo cap. 21. & ex Leuit. cap. 25. Secundus modus contrahendi seruitutẽm est, quando parentes necessitate compulsi vendunt filios. Ità habetur expresse de parentibus, qui distraxerunt, lege. 1. &. 2. Et hunc modum dicunt nonnulli esse modo in vsu apud Ethiopes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui filios vendunt Lusitanis. Et quidem si hoc verum est, licitè serui illi poterunt possideri alijsque vendi. Cæterum si est verum quod alij affirmant, nempe, quòd homines illi per vim, aut per fraudem à Christianis capiuntur, nec illi, qui capiunt, nec illi, qui ab eis eos emunt, nec etiam illi, qui modo eos possident, erunt tuti in conscientia, quicunque sint illi: sed omnes tenentur ad manumissionem, etiam si non possent alio modo pretium recuperare; & etiam si bona fide tales seruos emerint. Nam si ille, qui bona fide, & iusto titulo, vt emptione, possidet rem aliquam, quam primum resciuerit, esse alienam, tenetur illam restituere, etiam cum dispendio pretij, quod pro illa dedit, vt omnes Doctores fatentur; à fortiori, & ille, qui possidet eum, qui verè seruus non est, sed est sui iuris, tenebitur illum suæ libertati restituere, etiam cum iactura pecuniæ, quam pro illo dedit. Tertius modus contrahendi seruitutem legalem est ex eo, quòd aliquis capitur in iusto bello. Sicut enim ea, quæ capiuntur in bello iusto iure gentium sunt capientium: ita etiam, & homines in bello iusto capti eodem iure fiunt serui capientium. Ità habetur expressè instit. de rerum diuisione. §. Item ea, quæ ex hostibus capiuntur, & ex lege libertas. ff. de statu hominum. Inter seruos autem iure belli captos, & alios seruos, qui seipsos vendiderunt Soto libr. 4. de Iustitia & iure quæst. 2. ar. 2. constituit duplicem differentiam. Prima est, quòd illi, qui se in seruos vendiderunt, nunquam possunt à suis dominis fugere; & si fugiant, non solùm peccant mortaliter, sed etiam tenentur ad restitutionē; sicut & illi, qui furantur rē alienā: at verò illi, qui sunt serui, quia bello iusto capti, licitè possunt fugere, nisi fortè domino fecerint fidem non fugiendi. Et ratio huius differentiæ est: Quia eodem iure gentiū, quo factum est, vt capti in bello iusto sint serui, eodem etiam fuit cautum, vt tandiu inseruiant isti, quandiu seruantur à dominis. Videturque hoc valde consonum rationi: Nam cū illi, qui bello capiuntur non liberè seipsos in seruos dederint, sed inuiti, non est cur illos in tantas angustias detrudamus. Altera differentia est, quòd serui, qui seipsos vendiderunt, nihil possunt sibi acquirere: sed quidquid acquirunt, quocunque titulo acquisierint, est suorum dominorum. At verò capti in bello non tenētur reddere dominis quæ fuerint sibi donata, nec quæ per hæreditatem acquisierint, nec etiam illa, quæ ludo licito fuerint lucrati. Nec alia ratione id probat Soto, nisi, quia

Sententia Soti.

secundum regulas iuris fauores sunt ampliādi, & pœnæ restringendæ. Cæterum, meo iudicio, neutra ex his differētijs est vera. Et quidē ꝙ prima differentia sit falsa, probatur multipliciter. Primò: Nā in cap. ius gētium. dist. 1. glossa apertè dicit seruū in bello iusto captum peccare mortaliter, quando à domino inuito rationabiliter seipsum, qui est propria res ipsius domini. Præterea in cap. si quis serui. 17. quæst. 4. expressè prohibetur, nequis seruum consilio, aut ope iuuet ad hoc, vt fugiat à domino; nec aliquæ ibi fit distinctio inter seruum, qui seipsum vendidit, & illum, qui bello iusto fuit captus: ergo neuter potest licitè fugere. Item: ratione sic argumētor: Non minus fit trāslatio dominij iure gentium, quàm propria voluntate: sed qui propria voluntatē seipsum vendit, ità transfert dominium sui ipsius in eum, qui emit, vt nullo modo liceat ei ab illo fugere; ergo pari ratione, qui est captus in bello, ità iure gentium transfertur in dominium capientis, vt nullo modo liceat ab illo fugere. Et ad argumentum Soti respondetur merè gratis fingi illud ius gētium, quo ipse dicit cautum fuisse, vt tādiu inseruiant capti in bello, quandiu à dominis seruantur, cùm illud nullibi inueniatur expressum. Ex hoc etiam colligitur secundam differentiam minus conuenienter fuisse assignatam: Nam, si ille, qui est captus bello, non est minus seruus capientis, quàm ille, qui est emptus, ementis, manifestè sequitur, quòd, si iste nihil potest habere, quod non sit domini sui, nec etiam ille. Et confirmatur: Nam Instituta. per quas personas cuique acquiritur. §. Item vobis. sic habet: Item vobis acquiritur quod serui vestri ex traditione nāciscuntur, siue ex donatione, siue ex legato, siue ex quauis alia causa acquirat; hoc erit vobis ignorantibus obueniens, ipse enim seruus, qui in potestate alicuius est, nihil suū habere potest, &c. Quibus verbis, vt videtis nulla fit distinctio inter seruum captum bello, & emptum pretio: & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Præterquam quòd etiam communiter Doctores lòquūtur vniformiter de vtroque seruo. Syluester enim in summa. verbo. furtum. quæst. 6. absolutè affirmat, seruum fugientem mortaliter peccare, tenerique ad restitutionem. Idem dicit Nauarr. in Manuali cap. 17. nu. 105. & Couarruuias in lectione super regulam, peccatum. part. 2. §. 11. num. 2. & lib. 1. Variarum resolutionum. cap. 2. num. 10. Et nullus Doctorum, quos ego viderim, ponit discrimen

Impugnat Soto.

Nullum est discrimē inter seruos captos bello & pretio emptos.

crimen inter seruum pretio emptum, & seruum bello captum.

Christiani bello capti ab alijs nō efficiuntur serui.

¶Est tamen aduertendum, quòd Christiani capti bello etiam iusto ab alijs Christianis non efficiuntur serui illorū. Ità habet ex presse Bartolus in lege hostes. ff. de captiuis. & Abbas in cap. sicut. el tercero, de iure iurando. Couarruuias, Nauarro, & communiter Doctores. Quia ius illud, quòd capti in iusto bello efficiantur serui capientium per contrariam consuetudinem, quando Christiani à Christianis capiūtur, abrogatū est: non tamen est abrogatum quantum ad bona eorum, qui capiuntur: sed efficiuntur illa capientium, & debent assignari duci, vt ea inter milites iuxta eorum merita distribuantur, nisi fortè contraria consuetudine sit obtentum, vt fiant illa bona capientium.

De Christianis ab infidelibus captis.

¶Sed maior est difficultas de Christianis captis ab infidelibus in bello iusto ex parte infidelium, vtrùm fiant serui capientium. In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò certum esse, quòd si infideles, qui habent seruos Christianos eos compellunt, vel ad infidelitatem, vel ad deserendum bonos mores: tales Christiani manent liberi, possuntque ab eis licitè fugere: & quicunque illos ad hoc iuuauerit benefacit, vt ostendimus supra. quæst. 10. artic. 10. Et hæc est cōmunis Doctorum sententia. Secundo etiam est certum, quòd si bellum sit iniustum ex parte infidelium, Christiani in illo capti, secundum rei veritatem non sunt serui. Tertio etiam est certum, aliquando posse contingere, quòd bellum aliquod sit iustum ex parte infidelium. Nam si tempore induciarū, vel pace constituta, inter vtrosque, Christiani illos aggrederentur, proculdubio infideles haberent bellum iustum pro se; fides enim etiam hostibus est seruanda. Itaque hæc certa sunt. Sed dubium est de illis Christianis, qui non coguntur ab infidelibus ad peccandum, vtrùm maneant illorum serui? Bartolus, vbi supra tenet, quòd manent serui. Idem tenent Syluester, atque Nauarrus locis citatis, & Soto non videtur esse alienus ab hac sententia. Dicit enim ius gētium debere esse æquale Christianis, & infidelibus. Cæterum contraria sententia videtur mihi longè probabilior, scilicet, quòd Christiani quantumcūque capiantur in bello iusto à Turcis, siue ab alijs infidelibus, nō efficiuntur illorum serui. Ità tenet Couarruuias in regula, peccatum. & Sumina Angelica, & Rosela, & probatur ex lege hostes. ff. de captiuis. Vbi prohibetur ne quis hæreticus, vel Iudæus, vel Paganus, Christianum aliquem habeat mancipium, vel possideat.

Christiani quantūcunque capiantur bello iusto ab infidelibus nō efficiuntur serui.

Idem habetur lege. 2. eodem titulo, & in ea. mancipia. 54. d. & in cap. multorum. de Iudæis & Sarracenis. Vbi dicitur, nulli Iudæo liceat Christianum mancipium in suo dominio retinere: sed si qui apud eos inueniūtur libertas eis seruetur. Quamuis enim ius gentium æquale sit Christianis & infidelibus, vt dicit Soto, meritò tamen illud in fauorem fidelium est ab imperatoribus Christianis reuocatum. Et etiam si non esset in hac parte reuocatum, adhuc tamen, quia Turcæ & Sarraceni innumeros Christianos captiuos iniustè detinent posset ecclesia statuere, vt Christiani ab illis in iusto bello capti possent ab eis licitè fugere, vt diximus, primo tomo, q. 10. art. 10. in fine.

¶His constitutis operæpretium est, vt accedamus ad probandam tertiam conclusionem à nobis positam, qua dicebatur esse licitam seruitutem legalem, qua vnus homo ità alterius imperio subijcitur, vt possit dominus eo vti ad propriam vtilitatem, sicut alijs rebus, quarum habet dominiū. Et probatur primò ex Paulo ad Ephes. 6. dicente: Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, & ad Coloss. 3. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, &c. &. 1. ad Timot. 6. Quicunque sunt sub iugo serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen domini, & doctrina blasphemetur. Et D. Petrus prima sua canonica, cap. 2. similiter præcipit, vt serui sint subditi dominis suis, etiam discolis. Item ratio ne sic argumentor: Seruitus legalis, de qua in præsenti est sermo, vel introducitur, quia parentes necessitate cōpulsi filios vendunt, vel quia ipsi homines causa percipiendi pretium seipsos vendunt, vel tandem, quia in bello iusto aliqui capiuntur, sed omnes istæ causæ stando in iure naturæ sunt licitæ & honestæ: ergo, & ipsa seruitus legalis ex natura sua est licita, & honesta. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Et primo, quòd parentes vendentes filios paruos, & similiter illi, qui seipsos vendūt, in casu necessitatis ex iure naturæ licite faciant, est res manifesta. Nam cùm priùs homines teneantur seruare propriam vitā, quā quodcūque aliud, manifestè sequitur quòd licitè poterunt pro seruanda vita seipsos vēdere. Et eadem est ratio de parentibus respectu paruulorum, cùm paruuli quamdiu non sunt sui iuris inter bona parentum numerentur. Dixi notanter, id esse licitum de iure naturæ; quia inter Christianos isti duo modi contrahendi seruitutem iam non sunt in vsu, quamuis apud alias nationes in vsu habeantur. Quòd autem similiter seruitus

Probat 3. conclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cus iure belli introducta, sit licita, probatur; Homo, vt iam probauimus, potest gratia sustentandæ vitæ libertatem vendere: ergo & victores, qui in bello iusto licitè possunt occidere captiuos, à fortiori poterunt illos in seruitute retinere vel vendere, &c. De hac conclusione est videndus Ledesma in. 2.p.4.q.18. art.1.dubio.11. Et hæc dicta sint de ista difficultate.

Aliud Dubium de dominio famæ. Sententia Caietani.

¶Est aliud dubium, vtrùm, sicut homo est dominus bonorum temporalium, & potest etiam licitè esse dominus alterius hominis, vt dictum est; ita etiam sit dominus propriè famæ, atque honoris? Caietanus infra, q.73. art.2. & in summ. verbo. detractio, partem tenet negatiuam, dicens, hominem non esse dominum propriæ famæ, nec habere proprietatem illius, sed tantum vsum, sicut nec habet dominium, aut proprietatem propriè vitæ. Et probari potest hæc sententia primò ex illo Ecclesiasti. 41. Curam habe de bono nomine, vbi custodes videntur instituti homines propriæ famæ, & non domini, vt pecuniæ, cui & consonat illud Prouerb. 22. Melius est bonum nomen, quam diuitiæ multæ. Item D. August. de bono viduitatis, cap.20. & refertur in cap. non sunt audiendi. 11.quæstio.3. reprehendit eos, qui propriam negligunt famam. Et subdit rationem; Quia nobis necessaria est vita nostra, alijs verò fama nostra. Quibus verbis significare videtur dominium famæ nostræ non esse penes nos, sed penes rempublicam. Et lib.1.de Ciuitate Dei, cap.10.inquit. Præcepto illo non falsum testimonium dices, prohiberi quemquam aduersum se falsè testari, sicut aduersus proximum, quemadmodum, & illo præcepto: Nõ occides, vnà & proximi homicidium, & proprium prohibetur. Ex quo loco sic colligo argumentum: Hæc duo præcepta prohibent tam testimonium aduersus propriam famam, quã proprium homicidium iuxta D. Augustinũ: sed ex hoc secundo colligitur hominem nõ esse dominum vitæ: ergo ex altero pariter elicere debemus, neminem esse dominum propriæ famæ.

Argumẽta Caietani.

1. Corollarium ex sententia Caietani.

¶Ex hac sua sententia infert primò Caietanus, quòd infamare seipsum ex genere suo est peccatum mortale, & grauius, quàm infamare proximum. Nam cùm ex ordine charitatis teneatur homo diligere se, plusquam proximum, grauius peccatum erit infamare se, quam proximum; sicut & grauius peccatum est occidere se, quàm proximum.

2. Corollarium ex eadem sententia.

¶Infert secundo, quòd si quis metu mortis, aut tormentorum infamat seipsum, confitendo crimen, quod nunquam commisit, peccat mortaliter. Si enim non sunt faciẽda mala, vt inde veniant bona (vt cõmuniter dicunt Theologi) multo minus erunt faciẽda mala ad vitãda alia mala, præsertim mala pœnæ; qualia sant tormẽta, cruciatus, & mors.

3. Corollarium Caietani.

¶Tertio infert Caietanus, quòd si quis infamat seipsum confitendo falsum crimẽ, tenetur reuocare confessionem, & restituere famam sibi, & reipublicæ, quod si facere noluerit neganda erit ei sacramentalis absolutio. Et ratio huius est; Quia cum homo sit pars reipublicæ, fama ipsius sicut & vita non solùm erit sua, sed etiam reipublicæ: & sic cum per talem confessionem iniustè prius amauerit rempublicam fama cuiusdam sui mẽbri, tenebitur ad illius restitutionem, sicut tenetur ad restitutionem famæ cuiuscunque alterius, si illum diffamasset. Et si quis obijciat Caietano, quòd fama enumeratur inter bona temporalia, & sic sicut potest homo pro conseruanda vita dare diuitias, & alia bona temporalia; ita etiam poterit dare famam confitendo crimen, quod nunquã commisit, respondet Caietanus, negãdo esse eãdem rationem de diuitijs & de fama. Nã, quia homo non est ità suus, quin etiam sit reipublicæ, cuius est pars: ità debet de seipso disponere, vt nullam iniuriam irrogetur ti: infamando autem se etiam infamat rempublicam, cuius est pars: quia sicut fama totius resultat ex fama partiũ: ita infamia partis resultat in infamiam totius. At verò in diuitijs non ità contingit. Quia enim diuitiæ, secundum rectum ordinem naturæ postponendæ sunt vitæ, & integritati corporis: idcircò qui illas harum rerum gratia consumit nulli irrogat iniuriam. Est præterea aliud discrimen inter hoc, quod est, dare diuitias pro vita, & sanitate; & inter hoc, quod est, dare famam confitendo crimen, quod non fecit. Ex hoc enim, quòd dantur diuitiæ, solùm sequitur priuatio illarum: ad verò ex hoc, quòd quis dat famam confitendo crimen, quod non fecit, nõ solum sequitur priuatio famæ, sed etiam appositio infamiæ. Et sicut nemini licet pro conseruanda propria vita infamare alterum: ita nec infamare seipsum.

Cõclusio cõtra Caietanum.

¶His tamen non obstantibus sit conclusio, quòd homo propriè habet dominium suæ famę & honoris; sicut habet dominium pecuniarũ, & aliorum bonorũ temporaliũ, ita tenet D. Antoninus. 2.p.titulo.2.cap.1. §.3. Adrianus in materia de restitutione. quæst.penultima, Soto lib.4.de iustitia & iure.q.2.art.3. & in relectione. de ratione tegendi, & detegendi secretum, memb.1.q.3. Nauarrus in Manuali, cap.18. numero.46. & in

& in relectione super cap. inter verba. 17. quæst.3. conclusione.6. Corralla.44. Couarruuias lib.1. Variarum resolutionum. cap.2. nume. 8. & videtur esse sententia D. Tho. infra. quæst.129. artic.1. vbi inter alias res humano vsui subiectas famam & honorem cõmemorat. Et probatur nostra conclusio: fama, & honor proprio labore, propriaque industria acquirũtur & augentur: ergo sunus illorũ domini: Probo consequentiã: Nã propterea famus Domini bonorum temporalium, quia illa propria industria, & labore acquirimus: nec videtur alius titulus conuenientior ad habendum alicuius rei dominium, quàm, quod fuerit proprio labore acquisitu. Et confirmatur: Honor est præmium virtutis, vt docet Aristotel. 1. & 10. Ethicorum: sed virtutis talium naturalis, & acquisitæ habet homo dominium, vt infra dicemus: ergo & honoris, qui est præmium illius. Probo consequentiam: Nam qui est dominus operum, quibus aliquam mercedem meretur, etiam erit dominus mercedis pro talibus operibus redditæ: Item: Honor & fama sunt partes felicitatis humanæ, vt autor est Aristot. lib.1. Rhetor. cap.5. sed felicitas est proprium bonum felicis: ergo etiam honor & fama. Tertiò; Si homo non esset dominus propriæ famæ, atque honoris, sequeretur quòd nulla causa, vel ratione liceret sibi famam perdere: sicut quia homo nõ est dominus propriæ vitæ pro nulla causa, vel ratione potest dare vitã, scilicet, nec pro vitanda culpa, nec pro vitanda miseria, nec pro acquirenda salute æterna, vt optimè probat D. August. lib.1. de Ciuit. cap. 2. adducitur que à Gratiano in Decretis. 23.quæst.5. cap. si non licet. consequens autem est falsum: nam quis cognosceret famam & honorem esse sibi impedimẽto ad virtutem, & ad salutem animæ, procul dubio posset illam licitè perdere, vt est videre in D. Ambrosio: de quo legitur, fœminas in suum cubiculum introduxisse, vt hac ratione à consequutione Episcopatus impediretur, & D. August. in libris confessionum sua etiam peccata manifestauit; & D. Anselmus, amissam virginitatem sæpe sæpius deplorat, quòd facere isti sancti nullo modo licitè possent, nisi essent propriæ famæ domini: ergo. Item: Si homo non esset dominus suæ famæ, atque honoris sequeretur, quod altero imponente crimen falsum, aut detegente crimen verum, aliàs occultum, ille, qui infamatur, teneretur respõdere infamanti, & expurgare se à crimine abiecto, sicut, quia ego non sum dominus propriæ vitæ (vt postea dicemus) cuicunque volenti illam tollere, teneor resistere, & impedire illum meliori modo, quo possum, maximè, si id facere fas est, absque eo, quòd alterum occidam: consequens autem est falsum, & absurdum: nam, vt D. Thom. docet infra. quæst.73. artic.4. liberum est homini pati detrimentum famæ, nisi hoc vergat in periculum aliorum; propter quod dicebat D. August. Secũdino Manichæo, & refertur à Gratiano. 11. quæst.3. cap. senti. Senti de Augustino, quod libet sola in oculis Dei cõscientia me excuset; & D. Paul. 1. ad Corinth. 4. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, quin potius Christus Redemptor noster hoc ipsum non solùm verbo, sed etiã exemplo docuit: cùm enim aderant falsi testes, quorum testimonium conueniens non erat, & Pilatus diceret illi: Nihil respondes? ipse respõsum non dedit: ergo. Item: Si homo non esset dominus suæ famæ, id esset, vel, quia respublica est domina illius, quæ, quia Deus famæ, sibi dominium reseruauit, vt de vita dicemus infra: sed nihil horum est dicendum: ergo homo habet dominium propriæ famæ atque honoris. Consequentia cum minori est nota, & minor probatur. Et primò, quòd Deus sibi soli unquã dominium famæ & honoris reseruauerit, est res manifesta, cùm id nec testimonio scripturæ, nec Ecclesiæ diffinitione, nec aliqua euidenti ratione probari possit. Sed quòd respublica non habeat dominium famæ singulorum probatur contra Caietanum: Si respublica haberet huiusmodi dominium sequeretur, quòd etiam si ipsa iniustè infamaret aliquẽ quem, vel imponendo ei falsum crimẽ, vel reuelando occultum, non teneretur ei aliquam famæ restitutionẽ facere: nemo enim tenetur id restituere, cuius est dominus, etiã si in illius dispendio peccet; vt in eo qui prodigè consumit bona propria est videre: hoc autem est adeo falsum, vt nec Caietanus illud concederet: ergo & illud, ex quo sequitur. Vltimo: Homo per iniuriam infamatus potest parcere infamanti: ergo est dominus suæ famæ. Antecedens conceditur à D. Thom. infra. quæst.73. artic.4. ad primum, vbi dicit liberum esse cuique detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in aliorum periculum. Consequentia autem probatur: Nam, si ego non sum dominus meæ famæ, sequitur quòd alter erit dominus illius, cui ex consequenti fiet iniuria, cùm à me iniustè fuerit ablata: sed iniuriam alteri illatam ego non possum remittere: ergo. Ad hoc argumentum Adrianus loco citato, quanuis teneat nostram sententiam, negat

Universidad de Deusto
Biblioteca

gat consequentiam. Et adducit instantiam: Nam certum est, inquit, neminem esse dominum suorum membrorum, vt infra dicemus: & tamen mutilatus membro per iniuriam potest remittere percussori: & sic pari ratione, quanuis ego non sim dominus meæ famæ potero illam condonare ei, qui abstulit. Hoc tamen non obstante dico, quòd ratio à nobis posita est optima, nec instantia ab Adriano adducta aliquid valet. Pro quo nota, quòd res ab aliquo per iniuriã ablata, aliquando potest ipsamet, vel in numero, vel in specie restitui. Aliquando autẽ nõ potest eadẽ, nec in numero, nec in specie reddi, & in tali casu ad faciendã restitutionem debent assumi res diuersi generis, æqualis tamen valoris, secundum arbitrium prudentiæ; vt est videre in absciss̃one brachij. Quia enim brachium semel abscissum, nec idem numero, nec idem specie potest restitui, fit, vt in alijs rebus ex arbitrio iudicis sit resarciendum. Hoc supposito dico, quòd si brachium abscissum posset mihi denuò restitui, nullo modo possem illius restitutionem remittere: tunc enim virtualiter esset brachium abscindere, cuius nõ habeo dominium. Tamen, quia malũ illud ex natura sua est irreparabile, idcirco iustitia, atque prudentia disponunt, vt minoribus compensetur bonis, scilicet, pecunijs. Et quia certum est pecuniarum hominem habere verum, & perfectum dominium, rursus fit, quòd, sicut sanus, atque integer poterat quisque donare centũ aureos, & etiã stipendium, quod pro suo labore erat accepturus: ità etiam post brachium abscissum, potest eosdem centum aureos pro abscissione debitos pro sua voluntate cõdonare. Cæterum in læsione famæ certum est, quòd potest eadem, vel in numero, vel in specie restitui, faciendo, scilicet, vt qui anteà male audiebat, posteà bene audiat. Et sic, si homo non est dominus suæ famæ, nullo modo poterit illius restitutionem remittere. Vnde instantia Adriani nihil valet. Manet ergo fixum, quòd homo est dominus suæ famæ, atque honoris, sicut est dominus pecuniarum, & aliorum bonorum temporalium, vt diximus in nostra conclusione.

Difficultater quæ consurgunt ex posita conclusione.

¶Sed consurgunt ex illa aliquot difficultates. Prima est: Qualiter fieri possit, quòd homo habeat dominium suæ famæ, cum ea ab homine non possideatur, sed sit veluti in depositо in mentibus aliorum? Est enim fama, bona opinio, vel æstimatio, quam alij habent de homine. Secunda difficultas est: Quæro, cuius nam famæ homo est dominus, an illius præcisè, quæ debetur suis meritis, & operibus, an etiam illius, quæ vltra merita ab hominibus conceditur, vel vtriusque? Primum dici non potest; quia tunc sequeretur, quòd, si aliquis haberet maiorem æstimationẽ de aliquo, quàm eius vitæ, & operibus debetur, talis posset tollere, & auferre eam partem famæ, quàm alteri vltra merita concessit absque eo, quod teneretur ad restitutionem, quod nullus concedit. Nec etiam est homo dominus eius famæ, quæ sibi vltra merita conceditur. Nam, si non est dominus eius famæ, quæ debetur meritis, multo minus erit dominus illius, quæ non debetur. Et eadem ratione potest probari, quòd non est dominus vtriusque. Quod & confirmari potest ex eo, quòd, si homo esset dominꝰ vtriusq; famæ, sequeretur, quod qui habebant de aliquo maiorem opinionem, quam eius meritis debebatur, nõ possent posteà aliquid de illa remittere reducẽdo famam ad iustam; consequens autem est falsum & absurdum: ergo, & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nam postquam aliqui habuerunt de aliquo maiorem opinionem, quam eius meritis debebatur, talis acquisiuit dominium supra talem famã: atque ex consequenti iniuste faceret quicũque illum ea priuaret: sed, sicut qui prodigè largitur pecunias parasitis, non potest in uitos talibꝰ pecunijs priuare, quia iam parasiti acquisierunt dominium illarum, quanuis conferens in tali largitione peccetitaĩ proposito qui habent maiorem opinionem de aliquo, non poterunt eam minuere, quia alius eius acquisiuit dominium.

Satisfactio ad difficultatem.

¶Ad primam difficultatem respondetur breuiter negando, quòd homo non possideat proprium famam. Et quando dicitur: Illa bona fama, seu æstimatio non est in ipso, sed in alijs: ergo ipse non possidet eam, respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio est: Quia non omnes res possidentur eodem modo, nec semper possessio est eiusdem rationis: aliter enim possidentur pecuniæ, & aliter honor, atque fama. Pecuniæ enim possidentur, quãdo sunt in manu & potestate possessoris: honor verò atque fama possidentur, quando sunt in mente, & ore illorum, qui bene de homine opinantur & loquũtur: nec fama & honor possunt aliter possideri. Ad secundam difficultatem, vt respondeamus, dico primò, certum esse, quòd homo est dominus eius famæ, quæ suæ vitæ & meritis debetur. Nam cum homo sit dominus suæ famæ, vt abundè supra probauimus, non videtur, quòd alicuius possit magis esse dominus, quàm illius, quæ suis meritis, & vitæ respon

respondet, cùm hæc proprio labore & propriis operibus fuerit acquisita. Dico secundo: Quòd quando homo habet eam famã, quæ eius vitæ & meritis non debetur, alij tamen tenentur habere bonam æstimationem de illo; vt quando quis, verbi gratia, occulte est iniquus, & inhonestus, exterius tamen & in ijs, quæ hominum oculis patẽt apparet probus honestus & religiosus, tunc ille vere habet dominium talis famæ; & qui illum ea priuaret teneretur ad restitutionẽ. Probatur: Nam, quanuis iste non mereatur bonam famam; alij tamen, qui debent iudicare secundum ea, quæ exteriùs apparent, tenentur habere bonam æstimationem de illo: & sic contrarium facientes maximam ei irrogant iniuriam. Dico tertio: Quando fama non debetur meritis nec alij tenentur habere bonam æstimationẽ de aliquo, etiã si ille apud alios bene audiat, non est dominus talis famæ. Verbi gratia, est aliquis concionator parùm doctus, qui apud imperitã plebem obtinet magnam gratiam, reputaturque communiter bonus concionator, ille non est dominus talis famæ, nec qui illũ ea priuat facit iniustitiam; quia cùm ipse publice concionetur nullus tenetur habere bonam æstimationem de illo: & sic qui illum ea priuat propter bonum finem non facit ei iniuriam, nec tenetur ad restitutionem. Si autem id faceret ex inuidia peccaret quidẽ, non tamen contra iustitiam: & sic non teneretur ad restitutionem.

1. Corollarium, quod sequitur cõtra Caietanum.

¶Habemus ergo, hominem esse dominum suæ famæ contra Caietanum, vt diximus in nostra conclusione. Ex qua nonnulla corollaria colligere licebit contraria illis, quæ ex opinione Caietani sequebantur. Primum corollarium est, quòd aliquem infamare seipsum etiam sine causa ex genere suo nõ est peccatum mortale. Probatur primò: Qui id facit non peccat contra iustitiam, quia iustitia est ad alterum, & non ad seipsum, vt docet Aristot. 5. Ethicor. nec contra charitatem proximi: quia, vt suppono, qui infamat seipsum nemini nocet: nec etiã peccat contra propriam charitatem: charitas enim, qua quis seipsum diligere tenetur, primò, & per se obligat ad bona spiritualia, & ad bona temporalia non obligat, nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia; cùm ergo fama propria inter bona temporalia connumeretur manifestè sequitur, quod qui seipsum infamat, etiam si sine causa id faciat, non peccat contra charitatem; & sic non peccat mortaliter. Et confirmatur: Prodigalitas ex genere suo non est peccatum mortale, sed veniale: qui enim prodige expendit diuitias, aut facultates (nisi illę necessariæ essent ad alendam familiam, vel ad subueniendum pauperibus in graui necessitate constitutis) non peccant mortaliter: sed qui seipsum sine causa infamat, solùm committit peccatum prodigalitatis; ergo: Dixi notanter (ex genere suo) nã si persona publica in dignitate, aut magistratu constituta seipsum de graui aliquo crimine infamaret, proculdubio peccaret mortaliter. Et ratio est: Quia cum ille propriam famam habeat alligatam dignitati, & muneri, quo fungitur, eius infamia necessariò vergit in scandalum, & perniciem aliorum; & sic quadammodo peccat contra iustitiam. Similiter etiam ille, qui seipsum, infamat de crimine hæresis, aut apostasiæ, vel de alijs grauissimis, & enormissimis peccatis, quanuis sit persona priuata poterit aliquando peccare mortaliter, vt docet Nauarro ex mente Soti, & aliorum in Manuali, cap. 18. num. 28. tunc, scilicet, quando ex alicuius infamia damnum animę, aut vitæ propriæ, aut alienæ, aut honoris, aut bonorum alienorum sequitur. Animæ propriæ; vt quando indigens notabiliter fama ad se honestè cõtinendum eam prodigit. Animæ alienæ; vt qui pro iusto habitus hæreses, aut alia sua turpissima delicta detegit, quod est probabile fore causam, vt alij in eadem incidant. Vitæ propriæ, vt qui crimen aliquod detegit, ob quod eiusdem, aut alterius membri iacturam mereatur. Infamiæ alienæ; vt quã do monachus, aut monialis seipsos infamãt peccatis, quæ ipsorum ordini, aut monasterio notabilem inferunt infamiã. In quibus casibus dixit Nauarro, esse certum, quod est peccatum mortale seipsum infamare. Et ratio est: nam præiudicat is sibi, vel alteri in ijs, quæ iure renuntiare non potest.

Prælatus infamans seipsum, peccat contra iustitiam.

Quid sit dicendum, de eo qui metu tormẽtorum se infamat.

¶De illo autem, qui metu tormentorũ se ipsum infamat confitendo crimen, quod nõ commisit, multi, & graues Doctores tenent peccare mortaliter: ità, vt si ante mortẽ nõ reuocet, aut retractet talem confessionem, vitam non possit consequi æternam. Ità tenet expresse Abbas in cap. ex parte. de sepulturis. & idem Abbas & Felinus in cap. 1. de testibus cogendis. & Syluester verbo. detractio-quæstione. 3. & Palacios Rubeus. in titulo de iustitia & iure regni Nauarræ. p. 3. §. 2. & in Repetitione de donationibus inter virum & vxorem. §. 70. Nihilominus tamen ad huius rei explicationem dico primò, quòd metu tormentorum confiteri crimen, quod quis fecit, etiam si illud sit occultum nullum est peccatum. Quin potius Scotus in. 4. dist. 15. q. 3. existimat id optime fieri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri, vt reus confitendo crimen, quod fecit, pœnam subeat pro illo à lege taxatam: est enim hęc pœna maximè satisfactoria pro culpa. Dico secundo, quòd metu tormentorũ confiteri crimen, quod quis non fecit, si hoc non redundat in præiudiciũ aliorum, nõ est peccatũ mortale. Ità tenent Soto & alij Doctores citati contra Caietanũ. Et probatur: Nam cùm ille sit dominus propriæ famæ, perdere illam pro vitandis tormentis, non potest esse peccatum mortale: sicut nec etiã est peccatum mortale perdere diuitias, aut alia bona temporalia pro eisdem tormentis vitandis: connumeratur enim fama inter bona temporalia. Dico tertio, quod si confessio delicti, quod quis non fecit, est causa ociosionis eiusdem, tunc talis confessio est peccatum mortale. Verbi gratia: Accusatur quis falsò de aliquo crimine, nec sunt testes sufficientes ad condemnandum illum, sunt tamen sufficientes ad hoc, vt ei tortura adhibeatur, & si metu tormentorum confiteatur damnabitur ad mortem: dico esse peccatum mortale tale crimen confiteri; nõ quia seipsum infamat, cum propriæ famæ sit dominus, vt diximus: sed quia confitẽdo, quod non fecit, est sibi causa mortis, quod est peccatum mortale: Qui enim causam damnidat, ipsum damnum dedisse videtur: Et si hoc voluerunt dicere Abbas & Felinus & alij Doctores superiùs citati, verum affirmauerunt.

Ad argumẽta Caietani. ¶Sed restat nunc respondere ad argumẽta, quæ supra fecimus pro opinione Caietani. Et primo ad illud ex Ecclesiastico. cap. 4. Curam habe de bono nomine, vbi custodes videntur homines institui propriæ famæ, & non dominij, respondetur, quòd ex illo loco solum colligitur præcepto charitatis teneri homines, habere curam proprij honoris, atque famæ: nõ tamen inde inferre licet, quòd contrarium delictum in persona priuata est contra iustitiam; quod necessario esset dicendum, si non esset homo dominus suæ famæ. Et adde, quòd modus ille procurandi bonum nomen, est penitus, vt curam habeamus colendi virtutes, quas veluti vmbra sequitur honor, & fama, & sic in bonum virtutis poterit quisque, si opus est, ea tanquam verus illorum dominus dispensare. Cui & consonat illud Prouerbiorũ. 22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, ad bonum, scilicet, virtutis procurãdum. *Explicatur D. Augst.* Ad aliud ex D. Augst. in libro de bono viduitatis cap. 20. vbi reprehendit eos, qui propriam negligunt famam, respondetur, quòd eo præcise nos admonet, vt non simus propriæ famæ negligentes, ità, vt sine legitima causa illam despiciamus; maximè quando, vel illa possumus reipublicæ inferre, vel sine scandalo non possumus eam prodigere. Loquebatur enim quibusdam mulieribus, quæ cùm insigni sanctitatis loco haberentur in populo, molliebantur ipsæ humilitatis prætextu, siniſtrã de se suspicionem generare, vt vilius æstimarẽtur. Quòd D. Aug. reprehendit: non quia tales mulieres non essent propriæ famæ dñæ: sed quia eã sine scãdalo, vel saltim sine peccato prodigalitatis prodigere nõ poterant. Ad aliud ex eodem D. Augst. lib. 1. de Ciuitate, cap. 10. vbi affirmat, illo præcepto; Non falsum testimonium dices, prohiberi quemquam aduersum se falsò testari, sicut aduersus proximum; quemadmodum & illo præcepto: Non occides, vna & proximi homicidium, & proprium prohibetur: ex quo colligi videtur, quòd, sicut homicidium proprium est contra iustitiam: ità etiam & falsò testificari aduersum se; respondetur, sensum D. Augst. esse, quòd illo præcepto: Non falsum testimonium dices, prohibentur homines non solùm aduersus alios, sed etiam aduersus seipsos falsum testimonium dicere: sicut & illo præcepto: Non occides, prohibẽtur non solùm alios, sed nec seipsos occidere. Non tamen inde infertur, quòd dicere falsum testimonium aduersum seipsum, est peccatum contra iustitiã: sed tantum quod est peccatum: Sicut nec ex illa præcisa forma præcepti: Non occides, colligitur proprium homicidium esse contra iustitiam; sed esse peccatum. Et aliæ rationes sunt, vt dicemus, dubio sequenti, propter quas concludimus, homicidium proprium esse contra iustitiam. Et hæc dicta sint de ista difficultate.

Dubium de dominio bonorum cor poris. ¶Diximus supra hominis bona esse duplicia. Quædam extra hominem, vt diuitiæ, fama, & honor: & de dominio istorum bonorum hactenus dictum est. Alia sunt bona in ipso homine. Et hæc quædam sunt corporis, vt salus, vita, & mẽbra: & alia animæ, vt virtutes. Dicendum est modo breuiter de dominio bonorum corporis, dicturi posteà de dominio bonorum naturæ. Et sic est difficultas, vtrùm homo sit dominus bonorum corporalium, sicut est dominus suæ famæ, atque honoris. Pro cuius dubij expõ catione aduertendum, quod bona corporalia sunt in duplici differẽtia. Quædam enim sunt, quæ suapte natura ordinantur ad vitæ conseruationem, & à quibus vita humana dependet, vt salus, incolumitas membrorum, &c. Alia autem sunt, quæ ex natura sua non ordinantur ad vitæ conseruationẽ, nec

Bona corporalia in duplici differentia.

Certa in hac difficultate. nec ab ipsis vita dependet, vt pulchritudo, &c. Et quidem de istis bonis corporalibus, à quibus vita non dependet, certum est, quòd est propriè homo illorum dominus, cùm possit illa dispensare, sicut dispensat de pecunijs, & de alijs bonis temporalibus. Similiter etiam est certum, quòd habet homo dominium proprij corporis, quantum ad aliquos ipsius vsus. Nam, cùm dicat Paulus. 1. ad Corinth. cap. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: manifestè sequitur, quòd ipsa prius habebat potestatem in proprium corpus, quantum ad actum matrimonialem; alioqui non potuisset illam transferre in virum, cùm nemo possit in alterum transferre, quod ipse non habet. Et eadem ratio est de alijs actibus corporalibus, vt ambulatio, &c. Ex quo infertur, quòd, si quis impediat hominem ab ambulando, vel operando, ligando eius pedes, aut manus, faceret ei iniuriam, quia auferret ab eo vsus membrorum, quorum plenè atque perfectè est dominus. Itaque hęc certa sunt.

Pũctus difficultatis. 1. argumẽtum. ¶Sed dubium est, vtrùm propriæ vitæ atque aliorum bonorum corporalium, quæ necessaria sunt ad vitæ conseruationem, habeat homo plenum, atque perfectum dominium? Et pro parte affirmatiua argumentor in hunc modum: Potest homo propriam vitam perdere pro amico, vt sæpe diximus in superioribus: ergo habet illius plenum, atque perfectum dominium. Probo consequentiam: Nam nullus potest rẽ alienam pro altero exponere. Et confirmatur ex illo Ecclesiast. cap. 15. Deus ab initio cõstituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui: relinquere enim in manu consilij sui nihil aliud esse videtur, quàm facere eum sui atque propriæ vitæ dominum.

2. argumẽtum. ¶Item secundo: Propter vnumquodque tale & illud magis, vt dicit Aristotel. libr. 1. Posteriorum: sed homo est dominus reliquorum bonorum temporalium, propter vitam vt communiter dicunt Theologi: ergo multo magis est dominus vitæ.

1. cõclusio. Homo non est propriè domin' vitæ, nec mẽbrorum. ¶His tamen non obstantibus ad explicationem difficultatis sit prima conclusio. Homo nec membrorum, nec vitæ corporalis est propriè dominus. Ex quo infertur, quòd nec membra, nec vitam corporalem potest pretio vendere, aut illa pro pecunijs commutare. Primum probatur ex lege, liber homo. ff. ad legem Aquiliam. vbi expressè dicitur, neminem esse dominũ suorũ membrorum. Et D. Paulus, ad Galat. 4. inquit: Testimoniũ vobis perhibeo, quod si fieri posset oculos vestros vobis eruilletis, & mihi tradi dissetis: quibus verbis apertè significat, nullũ hominẽ habere potestatẽ suos oculos tradendi, & sic nec habere dominium illorũ. Item in cap. contingit. de sententia excõmunicationis. dicit summus Põtifex: quòd qui percutit clericũ etiã volentẽ incidit in excõmunicationẽ canonis. si quis suadẽte diabolo. Et reddit rationem: Quia licet illa percussio nõ sit violẽta, est tamẽ iniuriosa. Ex quo loco sic colligo argumentũ: Si clericus haberet dominiũ sui corporis, eius percussio voluntaria nõ esset iniuriosa, sicut nec ablatio pallij à sciẽte, & volẽte est iniuriosa: quia homo est dñs proprij pallij: cũ ergo summus Põtifex dicat, quòd percussio clerici volũtaria adhuc est illi iniuriosa, aperte videtur significare, eũ nõ habere proprij corporis dominiũ. Quòd autẽ, nec etiã habeat homo dominium propriæ vitæ, præterquã, quòd conuincitur ex scriptura; dicitur enim Sapient. 16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes imperium: & Deuteronomij c. 22. Ego occidam, & ego viuere faciam; probatur aperta ratione: ille est dominus vniuscuiusque rei, qui citra iniuriam, quam cuipiam irroget, potest ea pro sua voluntate vti, etiam vsque ad illius dispendium, vt diximus explicãtes diffinitionem dominij: sed homo nullam ob causam, nec aliquo colore potest seipsum interficere, lege iustitiæ id vetante: ergo homo non est dominus propriæ vitæ. Dixi notanter (lege iustitiæ id vetante) Nam quamuis lex charitatis, qua quis seipsum & sua diligere tenetur, prohibeat ne quis bona sua exteriora absque aliquo fructu dilapidet, quorum tamen est dominus, non tamen est aliqua lex iustitiæ, quæ id prohibeat: & ideò citra iniuriam potest talia bona effundere, tanquàm verus illorum dominus. Similiter pupillus prohibetur alienare bona, quorum est dominus, non tamen lege iustitiæ. Secus autem est de vita: nam lege iustitiæ prohibetur homo seipsum occidere, sicut & interficere alios. Ex quo cõuincitur non esse magis dominũ propriæ vitæ, quàm alterius.

Obiectio. ¶Si quis autem quærat: Vnde nam conuincitur præceptum illud, ne se homo interficiat, esse præceptum iustitiæ prohibentis rem alienam auferre, & non esse iussionem charitatis, similem illi, qua quis prohibetur, ne bona sua exteriora per prodigalitatẽ cõsumat; dico nullã aliam posse rationẽ assignari, nisi eam, quæ est fons & origo nostræ conclusionis. Nam cũ vita sit fundamẽtum bonorum omnium temporaliũ, quã homo non per se acquirit, sed Dei beneficio, & parentũ opera recepit: conueniẽs fuit

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt illius dominium ei non concederetur, sed Deus illud penes se retineret. Tandem probatur conclusio: Nec ius naturale, nec diuinum, nec humanum concedunt homini dominium propriæ vitæ: ergo homo non est dominus illius. Consequētia est nota: Nam, vt diximus in superioribus, nullum est dominium, quod aliquo iure non fuerit introductum: antecedens autem probatur quo ad singulas partes. Et primum, quòd ius naturale non concedat homini dominium suæ vitæ, est res manifesta. Nam cum primo omnium appetituum naturalium sit ille, quo vnaquæque res appetit se in suo esse cōseruari, iuxta illud, Pellem pro pelle dabit homo, & cuncta quæ possidet pro anima sua: ex quo factum fuit, vt nulli rei natura tribuerit qualitates seu instrumenta, quibus suam corruptionem intendat, sed illa, quibus se conseruet, vt igni calorem, & aquæ frigiditatem, & alijs animantibus suas debitas qualitates, manifestè sequitur, nunquam ius naturæ permisisse homini se interficere: atque adeo, nec tribuisse ei vitæ dominium. Quòd autem, nec etiam illud tribuat ius diuinum, probatur: Nam nunquā ius diuinum concedit aliquid, quod sit contra ius naturæ. De iure autem humano, est res clarissima: eo vel maximè, quòd sunt innumeræ leges positiuæ, quibus grauissimis pœnis afficiuntur illi, qui seipsos interficiunt. Ex quo infertur, eodem modo peccare contra iustitiam qui se interficit, sicut qui interficit alios; quod & affirmat Aristoteles lib. 5. Ethicorum, cap. 10. de qua re est videndus D. Thom. super illum locū, lectione. 17. & D. August. libr. 1. de Ciuitat. cap. 20.

1. cōclusio. Respublica nec princeps habet dominium vitæ subditorū.

¶Secunda conclusio: Respublica, aut princeps, non habet dominium vitæ suorū subditorum. Probatur efficacissima ratione: Si respublica, aut princeps haberet dominium vitæ suorum ciuium, sequeretur, quòd etiā si illos absque aliqua prorsus causa interficeret, non teneretur ad restitutionem; sicut nec ille, qui prodigè consumit bona temporalia, tenetur aliquid restituere; quia est illorum bonorum dominus: consequens autem est absurdum, & contra communem Doctorum sententiam: ergo. Nec obstat, quòd princeps interficit nocentes, aut etiam in bello exponit manifesto periculo mortis vitam suorum: Nam ex primo solùm sequitur, quod est iudex, & sic potest pro delicto punire. Ex secundo autem conuincitur, quòd est reipublicæ custos, & sic potest pro conseruatione totius vitam eorum, qui sunt partes, exponere. Quando autem Aristot. lib. 5. Ethicor. cap. 11. affirmat, quòd qui se, aut alterum interficit, facit in iuriam reipublicæ, non ideò dicit, quia vitę dominium sit penes rempublicam: sed quia cùm respublica sit, cui custodia atq; tutela vitæ ciuium est commissa, ipsa sola est, quæ iure potest homines vita priuare.

3. cōclusio. Deus est qui habet vitæ dominium.

¶Tertia conclusio: Solus Deus est, qui vitæ humanæ habet absolutum dominium, ità, vt non solum tanquam iudex puniendo, vel tanquam custos defendendo, sed etiam absolutè tanquā humanę vitæ autor potest homines interficere. Probatur ex illo Sapient. 16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes imperium: Vbi non loquitur de potestate ac dominio vniuersali, quod Deus habet in omnia: tunc enim tantundē esset dicere, quod Deus habet potestatē vitæ & mortis, ac dicere quod habet potestatē piscium maris, & volatilium cæli, &c. quod non est dicendum: sed loquitur de peculiari quadā potestate, quam sibi Dominus supra vitam humanam reseruauit. Et ratio est: Nam cū vita humana nullo nostro labore acquiratur, sed solo diuino munere sit concessa, ratio postulare videtur, vt eius dominium penes solùm Deum reseruetur. Sed est aduertendum, quòd quanuis Deus habeat huiusmodi plenum dominium supra vitam humanā, quo, eo modo potest homines interficere quo quisque potest occidere proprium iumentum, nunquam tamen illo vsque adhuc, nec in vitā nostram, nec in reliqua bona pro sua misericordia est vsus. Et sic quā do præcepit Hebræis, vt ægyptios spoliarēt, iusto id iudicio factum fuisse, est dicendū, vt ea, scilicet, ratione Hebræi debitā mercedē acciperent pro seruitio luti & lateris. Et quā do Oseæ præcipit, vt ex meretrice filios tolleret, quod tanquā corporū dominus poterat, credendū est, prophetā illā primùm duxisse in vxorem, vt sic etiam eam iure humano cognosceret. Et si Abrahæ tanquā vitæ dominus præcipit, vt filium suū in sacrificiū immolaret, id tamē posteà non permisit. Et quādo Exodi. c. 32. præcipit per Moysen, vt vnusquisq; occideret fratrē suū; id fecit tanquā vindex conflati vituli. Ex quo infertur, cōtra rationē naturalē esse, affirmare, quòd princeps, ità est dominus suorū subditorū, vt possit illos pro sua voluntate absq; aliqua causa occidere, quod multi ex Barbarorum principibus affirmarunt.

¶Sed restat nunc respondere ad argumēta in principio facta. Vnde ad primum, concello antecedenti, negatur consequentia. Et ratio est: Nam mortem oppetere pro amico, nō est seipsum occidere, aut sua vita vti, ac si esset illius dominus, sed est anteponere opus virtutis vitæ corporali, quod naturalis ratio dictat esse faciendum. Ad confirmationem ex Ecclesiastico, respondetur, quòd ideò dicitur dominus reliquisse hominem in manu consilij sui, quia fecit illum dominum suarum actionum. Nec ex hoc infertur, quòd sit dominus vitæ. *Ad. 2. arg.*

¶Ad aliud, quod desumitur ex Aristotele, dicente; propter vnumquodque tale, & illud magis; respondetur, commune illud axioma Philosophorum non aptè ad rem præsentem accommodari. Ex eo enim, quòd simus rerum domini propter sustentandam vitam, nō sequitur, quòd simus domini vitæ, sed solum custodes: sicut nec ex eo, quòd sumus domini actionum nostrarum propter comparandam amicitiam Dei: sequitur, quòd sumus diuinæ amicitiæ domini. Qualiter autem dictum illud Aristotelis sit intelligendum explicant Doctores in Logica.

Dubium de dominio bonorum spiritualium. Primum argumentum propartem negatiuā.

¶Est aliud dubium, vtrùm bonorum spiritualium, vt gratiæ, charitatis, atque fidei homo sit dominus. Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum: Vita spiritualis est longè præstantior vita corporali, nec minori beneficio, & gratia Dei nobis conceditur, quàm vita corporalis: ergo sicut homo non est dominus vitę corporalis, sed Deus sibi illam reseruauit; ità etiā nec est dominus vitæ spiritualis, aut eorum, quæ necessaria sunt ad illius conseruationem, qualia sunt fides, spes, charitas.

Conclusio.

¶Hoc tamen non obstante sit conclusio. Quòd homo est dominus bonorum suorum spiritualium. Ita tenet Cano in relectione de pœnitentia, part. quarta in responsione ad secundum argumentum. Et probatur primò ex illo Ecclesiastici decimo quinto. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quòd placuerit ei dabitur illi: quoniam multa sapientia Dei & fortis in potentia, &c. Item ratione sic argumentor: Superius probauimus, hominem habere dominium bonorum suorum temporalium, & propriæ famæ, quia hæc omnia propria vniuscuiusque industria atque labore comparantur; sed etiam bona spiritualia acquiruntur proprio labore, & propria diligentia: ergo similiter istorū homo est dominus.

Explicatur obiectio quæ poterat esse.

¶Nec obstat, si dicatur, quòd homo acquirit bona spiritualia adiutus supernaturali auxilio Dei: quia sicut acquisitio bonorum supernaturalium non potest esse sine auxilio speciali, & supernaturali: ita etiam nec acquisitio bonorum temporalium potest esse sine generali Dei auxilio. Ex quo fit, vt sicut hoc non impedit, quominus homo sit dominus bonorum temporalium: ità etiam nec illud impediet, quominus sit dominus bonorum spiritualium. Item: Ex eo, quòd homo non est dominus proprię vitæ, si committit furtum, aut fornicationem cum periculo suæ vitæ, peccat duplex peccatum: vnum contra præceptum, de non furando, aut fornicando: & alterum contra præceptum, de non occidendo: quia qui se exponit probabili periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter: sed qui transgreditur aliquod præceptum diuinum, certum est illum amittere gratiam, atque charitatem, non tamen committit duplex peccatum, sed vnum tantum, illud, scilicet, quod est contra præceptum violatum: nec huius rei alia potest assignari ratio, nisi, quòd homo est dominus bonorum suorum spiritualium: ergo ita est affirmandum. Præterea: Volenti se occidere corporaliter quisque priuatus homo potest vim inferre, cogereque vel inuitum, ne se occidat, quam violentiam non licet inferre volenti se interficere spiritualiter, nisi ille, qui infert sit superior, vt omnes Theologi fatentur: sed huius differentiæ nulla alia sufficiens causa potest assignari, nisi quòd vitæ suæ corporalis nemo est dominus; ex quo fit, vt sicut volenti alium occidere vim inferre quilibet potest, vt impediat; ita & seipsum interimere volenti: at verò vitæ suæ spiritualis vnusquisque est dominus, ex quo prouenit, vt iniuriam facias, si vim attuleris, non aliter, ac si domino pecuniarum pecunias suas etiam prodigè consumēti manus ad impediendum injicias violentas: ergo homo est dominus bonorum suorum spiritualium. Et confirmari potest hæc sententia ex D. Thom. infra. quæstione sexagesima quartā, articulo quinto, ad tertium, vbi dicit, quod homo constituitur dominus sui ipsius per liberum arbitriū; & sic licite potest disponere de seipso quantum ad ea, quæ subsunt libero arbitrio. Certum est autem, quòd bona spiritualia subiacent libero hominis arbitrio. Est tamen aduertendum, quòd bona spiritualia sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt, quæ Deus in nobis sine nobis operatur, vt habitus supernaturales, & gratia, & etiam auxilium supernaturale Dei. Et hæc bona non sunt tam propriè nostra, nec sumus ita domini illorum, sicut bonorum temporalium, quia sunt opus Dei & non nostrum. Alia bona supernaturalia sunt, quæ nos ipsi cū auxilio supernaturali Dei operamur, vt actus fidei, charitatis, & deniq; omnia opera meritoria. Et istorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonorum spiritualium, quia propria industria, & proprio labore acquiruntur propriissime dicimur domini. Quanuis etiam priorum bonorum est homo dominus, quantum ad illud, quod est, non cõmittere nouum peccatum iniustitiæ in illorum amissione, vt paulò ante dicebam.

Ad argumẽtum in contrarium. ¶Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Non enim ex præstantia rei sed ex potestate, quam quis habet supra illam, ratio dominij debet desumi: & certum est, quod maiorem potestatem habet homo supra vitam spiritualem, quàm supra vitam corporalem, vt ex dictis patet.

¶Explicatis iam à nobis tribus ex quinque, quæ proposuimus agere de dominio, nempe, quid sit dominium, & quis habeat dominium, & quod sit eius obiectum; consequens est, vt dicamus de distinctione dominij, quando, scilicet, incepit dominiorum distinctio, quod erat quarto loco à nobis propositum. Ad cuius declarationem est prima difficultas. Vtrùm conueniens fuerit fieri dominiorum distinctionem? Et pro parte negatiua arguitur primò ex Clemente Papa in quadam sua Epistola, quæ refertur. 12. quæstione secunda capit. dilectissimis. Vbi dicitur: Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit; sed per iniquitatem alius hoc dixit esse suum, & alius illud: & sic inter mortales facta est diuisio: non autem potest esse, vt quod per iniquitatem fuit introductum, aliqua ratione fuerit conueniens: ergo est dicendum, quod dominiorum distinctio non fuit conueniens. ¶Secũdo: Iure naturali omnia sunt communia, vt constat ex D. Isidoro lib. 5. Etymologiarum. & refertur distinct. 1. capitis naturale: ergo dominiorum distinctio non potuit esse conueniens. Probo consequentiam: Nam id, quod est contra ius naturale, ex necessitate, debet esse iniustum, & iniquum, & sic nulla ratione conueniẽs.

Dubium.

1. argumentum.

Ad. 2. argumentũ.

Confirmatio. ¶Et confirmatur: Contra rationem naturalem esse videtur, quòd quis absque sua culpa priuetur re, ad quam habet ius: sed ante rerum diuisionem quilibet iure poterat omnibus rebus vti; quibus iam, facta diuisione, & rerum appropriatione, licitè vti non potest; & hoc absque sua culpa: ergo dominiorum distinctio fuit iniusta; atque ex consequenti non conueniens.

Sententia Platonis de rerum diuisione. ¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quòd Plato in Timæo sub nomine Socratis, enixè intendit probare, cõuenientissimum esse, quòd talis inter homines respublica instituereturr, vt omnia inter ciues non solum possessiones, verum vxores, atque nati essent communes. Præcipuum huius sententiæ fundamẽtum erat, vt autor est Aristotel. lib. 2. Politicorũ statim in principio, quia supponebat Plato pro certo, optimum esse ciuitati, si sit maximè vnita, atque pacifica: sicut enim discordijs, & litibus disipatur, sic vnitate, & pace seruatur: & videmus, quòd inter ciues maiori ex parte lites, atque discordiæ fiunt propter proprios filios, & vxores, & possessiones; quæ cessarent istis communibus existentibus.

¶In hoc tamen sit prima conclusio. Quòd vxores in communi possiderentur, in nullo statu fuit conueniens. Hanc ponit Aristot. libro secundo Politic. capitulo secundo, & tertio. Et probatur ex multis incommodis, quæ ex tali communitate sequerentur, quæ referuntur, & explicantur à Iabello supra librum secundum Politicorum. tractatu. 1. quæstione prima.

1. cõclusio.

¶Secunda conclusio: Quòd in statu innocentiæ res in communi possiderentur, erat valde conueniens. Probatur: Nam tũc nulla esset inter homines auiditas, ipsaque terra, vel inculta, sua sponte fructus tulisset, vel perparua indiguisset cultura, quam refugisset nemo; ex quo fieret, vt nullũ esset periculum, aut quòd fructus terræ deficerent, aut quòd vlla inter homines oriretur discordia. Quod & olfeciisse videtur Poëta Ethnicus, dum dixit: Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec vllis, sauciata vomeribus per se dabat omnia tellus; contentique ciuis nullo cogente creatis, &c.

2. cõclusio.

¶Tertia conclusio: In statu naturæ lapsæ, & post peccatum, non solùm fuit conueniens, sed & necessarium, vt rerum diuisio fieret. Hanc ponit Aristoteles loco citato. Et probatur: Vno è tribus modis potest intelligi communitas possessionum. Primus est, quòd fundi sint proprij, fructus verò communes. Secundus, quòd agri sint cõmunes, & fructus diuisi. Et tertius, quòd tã agri, quàm fructus sint communes: sed nullus horum est conueniens: ergo. Probo minorem. Et primò, quòd non sit conueniẽs agros esse proprios, & fructus communes; Quia sic daretur ansa discordijs cum labores essent impares (qui enim plures possessiones haberet plus laboraret) & tamen fructus æquiliter vnicuique pro cuiusque necessitate obuenirent, quod nullus æquo animo ferret; sed quisque tantò plus fructuũ vellet percipere, quantò plus hausit laboris.

3. cõclusio.

laboris. Quòd autem nec etiam sit conueniens, quòd agri sint communes & fructus proptij, probatur: Quia sic daretur hominibus occasio ignauiæ, atque socordiæ singulis ad propria ardentissimis existentibus, ad communia autem desibus, & languentibus: & idem sequeretur incommodum, si fructus & fundi essent communes. Item probatur conclusio ex multis commodis, quæ ex diuisione possessionum, & fructuum inter ciues sequuntur, vt autor est Aristot. loco citato. Primum est, quòd seruatur pax & cõcordia inter homines. Dum enim plures vnum curant, communiter oriuntur iurgia atque litigia, vno volente, vt vno modo fiat, altero, aliter. Secundum, quòd possessiones fiunt magis fructuosæ; quilibet enim naturaliter magis insistit circa proprium, quàm circa commune. Nam quod commune est nullius esse reputatur & sic negligentius curatur. Tertium, quòd conseruatur delectatio, quam quisque naturaliter in seipso, & in suo proprio bono habet. Sicut enim quilibet naturaliter amat seipsum, & seipso delectatur; nec hoc est malũ, nec vanum, modo amet se, & delectetur, vt decet, vt dicit Aristoteles libro nono Ethicorum: sic etiam naturaliter amat, & gaudet bonis proprijs, tanquam medijs deseruientibus suæ conseruationi. Hanc autem naturalem delectationem aufert qui bonorum communitatem constituit. Parum enim amatur, paruumque gaudium affert bonum, quod in dominio amantis non continetur, & tale est bonum commune. Quartum commodum est, quòd facta rerum diuisione conseruatur liberalitas inter ciues. Quemadmodum enim cõcessa vxorum communitate, tolleretur temperantiæ virtus, quæ potissimum consistit in eo, quòd quisque ab alieno toro abstineat: sic etiam concessa possessionum communitate, tolleretur virtus liberalitatis, non infimum in republica locum tenens. Nam qui proprium non habet, liberalis esse non potest; cum non sit actus liberalitatis conferre alteri communia, sed propria; sicut nec est opus eleemosynæ, nisi de proprio. Possumus tandem probare nostram conclusionem ex debito ordine in republica seruando. Nam necessarij sunt in republica diuersi ordines, diuersæque classes hominum, ipso etiam Platone consentiente. Qui tres hominum ordines constituebat, scilicet, agricolarum, quibus etiam connumerantur opifices, & custodum, hoc est, militum, ac nobilium reipublicæ tutelæ adscriptorum, & legum prudentium, hoc est, eorum, qui ius dicunt. Sed isti esse non possunt sine rerum diuisione: si enim omnia essent communia, quisque recusaret agricolarum onus, ad aliaque maiora officia anhelaret: & præterea imminente bello, nisi propria essent statuta præmia, nullus vellet se periculo exponere: & denique quotquot possent ad gubernacula aspirarent: ergo conueniẽtissimum fuit, vt rerum diuisio fieret. Sed est aduertendum, nullum esse inconueniens, vt dicit Aristoteles libro secundo Politicorum, quòd cum diuisione facultatum communicatio etiam in multis inter ciues obseruetur, vt inter amicos ad conseruandam vniuersalem beneuolentiam. Quæ communicatio introducta fuit in Lacedæmonia, vbi seruis, & equis, & canibus, & vehiculis, puta, curribus, & plaustris vicissim vtebantur, tanquam si forent vniuscuiusque. Et in Creta legislator instituit quædam communia, scilicet, publica conuiuia temporibus determinatis celebranda, vt inter ciues maior familiaritas existeret. Imo etiam & nunc inueniuntur plura apud homines, quorum dominia non sunt diuisa, vt aer, cælum, elementa, pisces, & aues, &c.

Cõmoda ex rerum diuisione orta.

Necessarius in republica diuersus ordo hominum.

¶Quarta conclusio: Dicere, quòd post naturam lapsam non fuit licitum rerum dominia distinguere, est aperta hæresis. Probatur primò ex Concilio Constantiensi, vbi contrarium huius diffinitur contra Ioannem Hus, qui dicebat nulla ratione esse licitum, quod clerici aliquid in particulari possideant. Et ex Diuo Augustino in libro de hæresi, capit. quadragesimo, quo loco disputat contra quosdã hæreticos Apostolicos nominatos, ea solum ratione, quòd affirmarent non esse licitum Christianis aliquid proprium possidere. Præcipuum huius hæresis fundamentum desumebatur ex illo Lucæ capite decimo quarto. Nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; cum tamen Christus ibi non realem renuntiationem, sed solum affectum prohibeat. Sic enim Christiani debent esse affecti erga res exteriores, vt sint parati omnia relinquere, si id postulet salus animæ. Nonnulli dicunt illis verbis contineri solum consilium, & non præceptum. Sed hoc verum esse non potest: nam illa forma verborum, nisi quis renunciauerit, &c. manifestè continet vim præcepti, sicut & illa: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis; & illa: Nisi quis renatus fuerit, &c. & illa: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Potest

4. cõclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prætereà probari nostra conclusio ex illo Matthæ. capit. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata: si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Quibus verbis aperte significat Christus sine rerum abdicatione posse hominem Christianum vitam æternam possidere.

Ad. 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum in contrarium factum, quod desumitur ex Clemente & refertur. 12. quæstio. 2. cap. dilectissimis. glossa super illum locum interpretatur per iniquitatem, ideſt, per consuetudinem iure gentium introductam, quæ repugnat iuri naturæ. Sed hæc expositio est stulta: nam quod iuri naturali repugnat, nec ins gentium, nec lex appellari potest. Quocirca hac interpretatione omissa, dico, quod Clemens ibi loquitur non de dominio, & proprietate rerum, sed de vsu, qui, vt supra diximus, cum necessitas postulat, debet esse communis. Per iniquitatem autem, atque peccatum fit, vt quis indigentiam patiatur, vno dicente, hoc esse suum, & altero, istud. Vel secundo respondetur, quod Clemens non dicit rerum diuisionem esse illicitam, sed quod fuit orta ex peccato naturæ; quod libenter concedimus: nam, si homines non peccassent, nunquam dominiorum distinctio fieret. Naturalis enim ratio dictabat, vt omnia in communi possiderentur eo tempore, quo nec agri indiguissent cultura, nec in rebus diuidendis aliqua potuisset esse inæqualitas propter hominum innocentiam. ¶ Ad secundum argumentum Scotus in quarto, distinct. 15. quæstio. secunda, conclusione sexta, & Gabriel eadem distinc. quæstio. secunda, dicunt. communitatem rerum fuisse de iure naturali ante lapsum, tunc enim erat præceptum, vt omnia in communi possiderentur. Cæterum post peccatum præceptum illud fuit reuocatum; & sic appropriatio rerum contra nullum præceptum naturale est, quod nunc existat. Sed hæc solutio Scoti est apertè falsa. Primò: Quia ius naturale est omnino immutabile, vt habetur expresse in capitulo. non est peccatum. dist. sexta, vbi ex eo, quòd ius naturale ab exordio rationalis creaturæ incipiens, immobile manet, ostenditur præcepta moralia, nempe. Non furtum facies. Non occides, &c. perpetuam habere immutabilitatem. Et in capitulo hæc quæ. distinctione quinta, etiam dicitur, quòd ius naturale non variatur tempore, sed immobile semper manet. Si ergo rerum communitas in statu innocentiæ iure naturali esset præcepta, vt affirmat Scotus, manifestè sequitur, quòd etiam nunc perseueraret; quod est apertè falsum. Item: Si fuisset præceptum naturale de rerum communitate, aut illud esset vniuersale obligans pro omni statu, aut particulare obligans solum pro statu innocentiæ. Primum dici non potest: quia sic rerum proprietas etiam nunc esset illicita, & præcepto iuris naturalis contraria, quod non solum falsum, sed & hæreticum esse diximus in quarta conclusione. Si autem dicatur secundum, sequitur non fuisse necessarium, quòd præceptum illud in statu naturæ lapsæ reuocaretur; siquidem erat particulare obligans solum pro statu innocentiæ: & sic sententia Scoti secum continet repugnantiam. Præterea: Si præceptum illud iuris naturalis fuit reuocatum; aut fuit reuocatum autoritate diuina, aut humana: non diuina; quia, vt dicit D. Augustinus tract. sexto, super Ioannem, & habetur in capitulo quo iure, distinctione octaua, ius diuinum in diuinis scripturis habetur; nullibi autem in diuinis literis illius præcepti iuris naturalis reuocatio habetur; & sic non potest dici, quòd fuit reuocatum diuina autoritate: Nec etiam humana: Quia, quòd autoritate superioris sancitum, & institutum est, per inferiorem reuocari, aut retractari non potest. Quocirca hac solutione omissa, alij aliter respondent cum Alexandro de Ales, tertia parte, quæstione vigesima septima, membro. 4. dicentes, quòd lex illa, qua rerum communitas præcipiebatur, appellanda est naturalis, si intelligatur instituta solum pro statu innocentiæ: cæterum mutato statu, ipsa quoque lex amissa est. Itaque sensus huius solutionis est, quòd in statu naturæ integræ, erat præceptum iuris naturalis de conseruanda rerum communitate: quod, quia erat particulare pro illo statu tantum, adueniente peccato cessauit: & sic rerum proprietas nunc contra nullum præceptum naturale est. Sed nec hæc solutio mihi satis probatur: tum, quia, vt paulò ante dicebam, id, quod est de iure naturæ, semper & pro omni statu inuariabile manet: tum etiam, quia, licèt in statu naturæ integræ hominibus esset vtile, res in communi possidere; non tamen putò fuisse aliquam legem taliter illos obligantè, vt qui possiderent aliquid proprió, facerent contra ius naturæ.

¶ Vnde aliter ad argumentum respondeo, quod quanuis nullum vnquam fuerit iuris naturalis præceptum, quo rerum communitas præcipiatur; alioquin diuisio dominiorum etiam nunc esset illicita, quod est

Sententia Scoti.

Impugnat Scotus.

Sententia Alexãdria.

Impugnat Alexãder.

Vera solutio argumẽti.

est apertè falsum: adhuc tamen communitas rerum dicitur esse de iure naturali, non positiuè, sed negatiuè. Pro quo est notandum, quòd, vt colligitur ex Diuo Thoma, infra quæstione sexagesima sexta, articulo secundo, ad primum: dupliciter aliquid potest dici de iure naturali. Vno modo positiue: quale est illud, quod ratio naturalis dictat faciendum esse, aut non faciendum; vt quod distinctè præcipit, aut prohibet: alio modo negatiuè: & est illud, quod ex dictamine rationis nec præcipitur, nec prohibetur; sed neutro modo se habet. Hoc supposito dico, quòd communitas rerum est de iure naturali, non positiuè: ratio enim naturalis non dictat, aut præcipit, vt res in communi possideantur, sed negatiuè, ea, scilicet, ratione, quia secundum ius naturale possessionum distinctio non est facta: & sic rerum proprietas non est contra ius naturæ: sed magis ipsi iuri naturali superadditur per adinuentionem humanæ rationis, vt dicit D. Thom. loco citato. Vel secundo respondetur, distinguendo inter dominium & vsum; quòd quanuis res quæ tum ad dominium ex lege naturæ non sint communes, sunt tamen communes, quantũ ad vsum; quæ communitas adhuc manet in casu extremæ necessitatis, in quo quilibet quibuscunque rebus, etiam quantum ad dominium alienis pro sua voluntate licitè vti potest: quod satis est ad hoc, vt res ex lege naturæ cõmunes dicantur. ¶ Ad cõfirmationem respõdetur, quod quãuis verum sit, quòd ante dominiorum diuisioné quilibet habebat ius vtendi quibuscunque rebus, tamen postquam facta est diuisio, solùm potest vti illis, quæ in proprio dominio continentur. Nec hoc est priuari re, ad quam habebat ius sine culpa sua, sed est exercere diuisionem, quæ multis & rationabilibus de causis facta est, vt diximus in tertia conclusione.

Dupliciter aliquid dicitur de iure naturali

Ad confirmationem.

Impugnatur sententia Platonis & eius fundamẽtũ destruitur.

¶ Ad fundamentum Platonis respondetur, ex mente Aristot. lib. 2. Polit. illud non conuincere. Tum, quia primum eius principium, nempe, optimum est ciuitati, quod sit maximè vnita, vel maximè vna, est apertè falsum. Nam cùm ciuitas sit communitas, & communitas sit multitudo, & multitudo repugnet vnitati, non potest fieri, quod optimum illius absolutè sit vnitas, hoc enim esset destruere ciuitatem. Sed dices, Platonem non loqui de vnitate opposita multitudini absolutè, sed de oppolita multitudini hominum diuersarum conditionum, quales sunt, diues, & pauper, nobilis & rusticus, &c. hæc enim dissimilitudo est, quæ parit lites, & inuidias, soluitque vnitatem ciuitatis; & sic optimum est ciuitati, esse vnam, & indiuisam. Sed contra hoc argumentatur Aristoteles tripliciter, & probat, melius esse ciuitati, si sit in ea multitudo dissimilium hominum, quàm tantum similium. Primò: Nam ciuitas non est, sicut exercitus, nec sicut multitudo ordinata ad trahendum aliquod pondus, in quibus similitudo congregatorum melior est: milites enim, quantò magis similes tantò magis ad victoriam intendunt: & trahentes pondus, quantò similiores tantò fortiores sunt: sed est ciuitas, veluti quoddam totum perfectum: videmus autem in naturalibus, & artificialibus, quòd totum perfectum constat ex partibus dissimilibus, vt corpus animalis, imago, domus & vestis, &c. & quæ sunt similium pactuum, vt elementa, sunt imperfecta: non ergo est optimum ciuitati constare ex sola multitudine personarum similium. Secundo: Necesse est esse in ciuitate aliquos principantes, & aliquos subditos: nec est possibile omnes simul principari, & omnes subijci. sed non possunt esse aliqui principantes, & aliqui subditi, siue perpetuò, siue vicissim, nisi sit in ciuitate dissimilitudo hominum: differt enim specie principans, vt sic, à subdito, vt sic, cum sint oppositarum conditionum: ergo ciuitas non potest constare ex sola multitudine hominum similium, & eiusdem conditionis. Tertiò: Ciuitas differt à domo, vt docet Aristoteles libro primo Politicorum, in eo, quod licèt in domo sint necessaria vitæ, non tamen sunt omnia sufficientia: hæc enim habentur per diuersa negotia, & & per diuersa officia, & artificia, quæ exercentur in ciuitate: sed diuersa officia, negotia, & artificia requirunt diuersitatem hominum, & qui sunt Doctores non sunt milites, nec mercatores sunt fabri: ergo principium assumptum à Platone, nempe, optimum est ciuitati esse maximè vnam, est falsum. Potest præterea probari, quòd ratio Platonis non conuincit ex eo, quòd vnitas, quam ipse constituit, maximas parit lites atque discordias, vt ex supra dictis patet: & sic non potest esse optima ciuitati.

Alterũ argumentum ad probandam rerum communitatem.

¶ Sed vltra hæc potest esse aliud argumentum ad probandum, quòd communitas rerum fuerit conueniens: Christus Dominus consuluit suis sectatoribus eam vitæ rationem, quæ melior, atque vtilior erat; consilia enim Euangelij semper dantur de meliori bono: sed consuluit, vt nihil proprium haberent, sed viuerent

Universidad de Deusto
Biblioteca

de communi, ex quo factum fuit, vt in primitiua Ecclesia, quò feruentius omnium amor coaleseceret, in cõmuni viuerent, quo exemplo monachorum vitæ fuerunt institutæ: ergo communitas rerum est conuenientior, quàm diuisio. Et confirmatur: Nam Actorum capit. 5. Ananias dicitur interfectus propterea quòd partem agri venditi sibi reseruauit: ex quo colligi videtur, non solùm fuisse consilium, sed & præceptum, res in communi possidendi.

Confirmatio.

Nota primo pro solutione argumẽti.

¶Pro solutione huius argumenti aduertendum est primò, posse esse aliqua meliora alijs simpliciter, & absolutè, quæ tamen comparata ad particularia subiecta, sunt deteriora, vt volare, vel esse incorporeum absolutè meliora sunt, quàm non volare, vel esse corporeum: tamen respectu hominis sunt deteriora. ¶Secundò est aduertendem aliqua fieri, quæ si comparentur paucis hominibus, sunt conuenientia: cæterùm comparata respectu totius generis humani, sunt noxia & nociua; vt vacare contemplationi per se, & respectu paucorum hominum est præstantissimum: tamen respectu totius rei publicæ est nociũ, & pestilentissimũ. Hoc supposito dico, quòd quanuis simpliciter, & per se loquendo, melius sit in communi viuere, quam res priuatim possidere; imò religiosis, & alijs, qui Deo vacare volunt, melius est sic viuere, quam alio modo: tamen vniuerso generi humano melior est possessio rerum in particulari, propter rationes iã dictas. Vnde ad argumentum respondetur concessa maiori, atque minori, negando cõsequentiam; si loquamur de conuenientia respectu totius generis humani. Ad hoc enim, vt aliqua res possit esse in consilio satis est, quòd ipsa per se sit bona, & quod certo generi hominum sit vtilior, quanuis omnibus in communi non expediat, vt est videre in cœlibatu, & castitate, quę sunt in consilio, tamen si ab omnibus in communi amplecterentur essent pestilentissima, & respectu aliquorum sunt meliora. ¶Ad confirmationem desumptam ex exemplo Ananiæ, Medina Cod. de Restitutione. quæstio. 1. dicit, quòd in statu primitiuę Ecclesiæ forsã Christiani volebant viuere in communi, & sic Ananias fuit interfectus, tanquam voti trãsgressor. Sed hæc sententia mihi non placet. Nam, vt constat ex verbis D. Petri, eo loco dicentis, Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate; quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, sed Deo, &c. liberum erat Ananiæ, vel non vendere agrum, vel si venderet pecuniam sibi reseruare, & sic nõ fuit interfectus, quia fuit contra votum; sed quia voluit decipere Diuũ Petrum, & in eo Spiritum sanctum, persuadens illi se totum agri pretium fidelium communitati obtulisse, cũ tamen sibi partem reseruasset. Nec ex hoc aliquid sequitur contra nostram conclusionem.

Respõdetur ad argumẽtum.

Ad confirmationem.

¶Supposito iam, rerum diuisionem post peccatum fuisse toti hominum communitati cõuenientę, consequẽs est disputare, quo nã iure & qua lege hæc rerũ diuisio fuerit facta, & q̃ fuerit facta iure naturali probat. Id est de iure naturali, quod ratio naturalis dictat esse faciendum: sed ratio naturalis dictat, quòd ad pacificum hominum statum, & ad tranquillitatem reipublicæ seruandã res diuidantur, vt constat ex dictis: ergo rerum diuisio est de iure naturali. Et confirmatur: De iure naturæ est, quòd ea, quæ nulli? sũt, fiant primò occupantis, vt dicitur Instituta de rerum diuisione. §. ferè, sed prima rerum diuisio facta fuit per occupationem: ergo rerum diuisio iure naturali est facta.

Dubium de iure quo rerum diuisio facta fuit.

1. cõclusio.

¶In hoc tamen sit prima conclusio: Negari non potest, aliquarum rerum dominia iure naturali fuisse hominibus diuisa. Probatur: Iure naturæ vnusquisque est dominus suæ famæ, & propriarum suarum actionum: ergo aliquarum rerum dominia iure naturali sunt diuisa.

2. cõclusio.

¶Secunda conclusio: Rerum externarũ diuisio nulla lege naturali, aut diuina est facta. Et quidem, quòd non sit facta lege naturali probatur: Nam alias sequeretur, vitam eorum, qui in communi viuunt, esse cõtra naturam: consequens autem est hæreticum, vt ex supra dictis patet: ergo. Item: Iure naturali omnia sunt communia, vt habet commune axioma, tam Philosophorũ, quàm Theologorum: ergo non potest fieri, quòd eadem bona ex eodem iure sint particularia; atque ex consequenti nec diuisa. Quòd autem, nec etiam sint diuisa iure diuino, probatur, ex D. August. tract. 6. super Ioannem, & refertur in cap. quo iure. d. 8. dicẽte: Quo iure defendis villas Ecclesiæ? diuino, an humano? Diuinum ius in scripturis habemus; humanum in legibus regũ. Vnde ergo quisque possidet, quod possidet? nonne iure humano? Tolle iura Imperatorum, quis audeat dicere: Hæc villa mea est, &c. Item ratione sic argumentor: Lex diuina, qua legimus rerum dominia hominibus fuisse concessa, loquitur in communi, nulla facta rerum diuisione, vt constat ex illo Genes. cap. 1. Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eã, & denominamini piscibus maris:

ris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram, &c. Eademque ferè verba dicta fuerunt capit. 6. ergo iure diuino non fuit facta rerum diuisio. Et si quis obijciat, quòd iure diuino, vt constat ex sacris literis, terra promissionis fuit facta propria populi Israelitici, & Dauid fuit eodem iure constitutus Rex, & denique Deus præcipiebat, quòd decima pars fructuum offerretur Leuitis; Respondeo, nostram conclusionem esse intelligendam in vniuersali: cũ quo stare potest, quòd Deus sua autoritate particularia quædam dominia aliquibus concesserit.

3. Concluſ.

Prima rerum diuisio facta est iu regentium

Argum.

¶Tertia conclusio: Prima rerum externarum diuisio facta fuit iure gentium, licèt posteà iure ciuili plures earundem rerum diuisiones accesserint. Hæc conclusio duas continet partes. Prima est, quòd prima rerũ diuisio facta fuit iure gentium. Secunda, quòd plures earundem rerum posteà diuisiones iure ciuili accesserunt. Prima pars probatur: Hoc interest inter ius naturæ, & ius gentium, quòd quæ pertinent ad ius naturæ, vel sunt prima principia naturæ, vel absolutè sequuntur ex primis principijs: at verò quæ sunt de iure gentium, non sequũtur absolutè, sed facta quadam suppositione, vt diximus supra quæst. 57. art. 5. sed prima rerũ diuisio colligitur ex principijs naturæ, non simpliciter, & absolutè, sed facta quadam suppositione: ergo pertinet ad ius gentium. Consequentia cum maiori est nota; & minor probatur. Nam, quia natura hominis absolutè considerata, necessariũ est, quòd pecora alantur, & agri colantur, vt sic hominibus suppetat cibus, fit, vt hæc pertineant ad ius naturæ. Cæterùm, quia post peccatũ primi parentis natura hominis corrupta mansit; & ex consequenti inclinata magis ad bonum proprium, quàm ad commune, idcircò necessarium fuit, quòd agri atque possessiones diuiderentur: quare iure gentium id fuit factum. Et si quis quærat: Quis nam fuerit primus, qui huiusmodi diuisionem fecit, nonnulli respondent, primũ diuisorem fuisse Adam. Contra quod nonnulli argumentantur: Adam non habuit regiam potestatem, autoritatemue reipublicæ coerciuam; sed solum fuit paterfamilias, qui filijs distribuere, nisi proprium peculiũ non potuit: ergo prima rerum diuisio non fuit facta ab Adam. Cæterùm, quanuis hoc argumentum vim non habet, tum, quia est valde probabile, quod primus parens (licèt nullibi legatur) autoritatem habuit principis, eodem iure, quo fuit solus primusq; parens humani generis; nõ enim est verosimile quòd aliquo tempore fuerit mundus absque humano principe, qui posset male facta vlcisci: tum etiam, quia iure paterno poterat suas facultates, quibus abũdantissimè affluebat, filijs distribuere: imo non esset absurdum affirmare fuisse dominum totius orbis: siquidem erat salus, & mundus propter hominem factus est: non tamen existimo, quòd prima rerũ diuisio fuit facta ab Adã. Nam cum illa sit de iure gentium, vt diximus, non ab aliquo in particulari, sed ab ipsis hominibus tacitè vel expressè consentientibus, introductam fuisse, est dicendum, iuxta explicata à nobis supra. quæst. 57. art. 3. Hoc enim interest inter ius gentium, & ciuile, quòd illa, quæ iure gentium statuũtur nec indigent principe, nec vllo reipublicæ conuentu; sed ratio naturalis ea homines docet, quare ex condicto poterant filij Adã ac deinceps nepotes & pronepotes fundos, & agros occupare, & peculium augere, ipsa docente ratione. At verò ea, quæ sunt de iure ciuili, nisi ab aliquo principe, vel à republica legem ferente, statui nõ possunt. Secũda pars conclusionis, nempe, quòd primæ rerum diuisioni plures posteà iure ciuili accesserunt, est adeò clara & manifesta, vt nõ indigeat probatione. Certũ est enim, quòd tempõrum lapsu reipublicæ imperium suũ & regnorum dominia in Reges transtulerunt, vt habetur in lege, quod principi placuit. ff. de const. princip. atque deinde per legem Agrariam communes agri fuerũt diuisi, & denique sunt plura alia de dominiorum diuisione contenta in iure tam ciuili, quàm canonico.

Diuisioni rerum gentiũ facte, plures posteà accesserũt ex iure ciuili.

Ad argum.

¶Ad argumentum in contrarium factũ, respondetur, id esse de iure naturæ, quod ratio naturalis absolutè considerata dictat, esse faciendum: modo rerum diuisio non est huiusmodi: non enim sequitur ex principijs naturæ absolutè, sed facta suppositione, nẽpè, quod hominis natura post peccatũ corrupta mansit, atque ex consequenti inclinata magis ad bonum proprium, quàm ad cõmune: & sic est de iure gentium. Ad confirmationem respondetur, quòd res exteriores ex iure naturæ dicuntur esse primi occupantis, quantum ad fructus illarum, non quantum ad dominium. Ad hoc enim, vt aliqua res sit alicuius, necesse est, quòd accedat vel ius gentiũ, vel ius ciuile eius dominium conferens.

Incipit dictanda proposuimus de translatione dominij.

Translatio ne dominij.

¶Vltimum eorum, quæ de dominio tractanda proposuimus, erat, de translatione dominij. Ad cuius intelligentiam aduertendum est, quòd dominia possunt transferri vno è duobus modis, scilicet, vel voluntate

Universidad de Deusto
Biblioteca

domini, vel ordinatione legis. Quæ potest esse duplex. Nam vel cohibet voluntatem domini, ne volens transferat dominium in alterum; vel transfert dominium ipso domino inuito. Dicemus suo ordine de vtraque ratione: Et primò de translatione dominij per propriam voluntatem. Et sic est prima

Dubium. difficultas, vtrùm quisque naturali iure valeat propria voluntate rei suæ in alterũ dominium transferre, ad cuius explicationem breuiter, quoniam de hac re plura in subse-

1. Conclus. quentibus sumus dicturi, sit prima conclusio. Maximè est homini naturale, propria voluntate rerum suarum in alterum transferre dominium. Probatur ex Instituta de rerum diuisione. §. traditione. & ex. l. quam. §. lite-

Maximè naturale est homini propria voluntate rei dominium transferre. ræ. ff. de acquirendo rerum dominio. Vbi dicitur; Nihil naturali æquitati esse magis cõueniens, quàm voluntatem domini rem suã in alterum transferre volentis ratam habere. Et ratio est manifesta: Nam qui habet dominium alicuius rei, ex consequenti etiã habet potestatem vtendi illa in omnes vsus à lege non prohibitos, vt diximus supra in definitione dominij: sed posse alienare res proprias earum dominium in alterum trãsfundendo est optimus vsus illarum: inde enim liberalitas, & magnificentia existunt: ergo est maximè naturale homini propria voluntate rerum suarum in alterum dominium transferre. Et confirmatur: Fundamẽtum naturale, & diuinum dominij rerum, est humana ratio, atque libertas: quia enim Deus hominem ad sui imaginem condidit, hoc est, rationalem, & liberum, per quam rationem, & libertatem habet dominium suarum actionum: inde factus est aliarum rerum dominus, iuxta illud Genes. cap. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã, vt præsit piscibus maris, &c. ergo est valde naturale homini, quòd, sicut per voluntatem constituitur dominus: ità etiam per eandem possit rerum suarum dominium à se abdicare.

An actus interior sit sufficiens transferre dominium. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco; vtrùm solus actus interior sufficiens sit ad transferendum rerũ dominium. Verbi gratia: Ego tacitus apud me dico, Do Petro centum: dubium est, an eo ipso sit translatum dominium: ità, vt teneat adimplere promissionẽ; vel potiùs vltra id requiratur aliquis actus exterior? Almainus in. 4. dist. 15. quæst. 2. &

Sententia Almaini & aliorum. Thomas de Argentina in materia de matrimonio. quæst. 1. dicunt solo actu interiori non transferri dominium. Idque probant: Nam matrimonium non contrahitur solo actu interiori; quanuis enim vterque coniugum interius consentiat, nisi consensum exprimat actu exteriori, neuter corporis alterius dominium acquirit; & idem dicendum videtur de translatione dominij cuiuscunque alterius rei. Hæc tamen ratio nihil valet. Nam matrimonium est contractus mutuus: Dupliciter enim potest fieri dominij translatio. Vno modo per mutuum contractum, in quo vltrò citroque nascitur obligatio, vt in matrimonio, & in venditione, vt dicitur in. l. Labeo. 2. ff. de verbo. significat. Et in his certum est, non fieri translationem dominij per solum interiorem voluntatis actum; sed vltra illum requiri signa exteriora, quibus contrahentes certi fiant de mutua voluntate. Alio modo fit translatio dominij sine mutuo contractu, vt in donatione. Et de hoc solum loquimur in præsenti, quando quærimus, vtrùm solus actus interior sit sufficiens ad transferendum rerum dominium. Et cum donatio interior nõ sit iste actus elicitus à voluntate, volo donare, sed iste, do, sicut nec iste actus, volo vouere, est votũ, sed iste, voueo, vel promitto: quando dubitamus, vtrùm per solum interiorem actum transferatur dominium, non est sermo de isto actu, volo dare, sed de isto, do.

¶In qua re, vt certa ab incertis separemus dico primò, certum esse, quòd qui talẽ *1. Certum.* actum habuit, verbi gratia, do Petro, vel, Hospitali centum aureos nulla lege ciuili cogi potest ad talis actus interioris adimpletionem, quo ad vsque foris fuerit explicatus. Lex enim ciuilis sicut nec Ecclesia, non iudicat de occultis, hoc est, de illis, quę ad forum exterius deduci non possunt, quales sunt actus animæ purè interiores. ¶Secũdò: Etiam est certum, quòd posito tali actu *2. Certum.* interiori, non statim transfertur dominium in alterum, sed semper manet in eo, qui talem actum habuit, vsq; ad realem donationem. Nam cum dare sit correlatiuum eius, quod est accipere, quandiu non est, qui accipiat, non est datio, nec translatio dominij; certum est autem, quòd quando donatio fit solo actu interiori, nullus est, qui accipiat. Item: Ego non possum transferre dominiũ in alterum, ipso inuito: sed quandiu tacitus apud me habeo huiusmodi voluntatem interiorẽ, alter non consentit: ergo non transfertur dominium. Et confirmatur ex cõmuni consensu iurisperitorum, qui dicunt ad translationem dominij semper esse necessariam actualem exhibitionem rei, quæ donatur: exhibitio autem nihil aliud est, quam, quòd vnus palam faciat, se dare, & alter accipiat. Itaque hæc certa sunt.

¶ Sed dubium est, vtrùm donatio facta solo

Pũctus difficultatis. solo actu interiori obliget dantem in conscientia ad hoc, vt satisfaciat, vel potius possit reuocare suum actum interiorẽ quoties voluerit, antequam fiat acceptatio? Martinus de Ledesma in. 1. part. 4. quæst. 18. art. 1. dubio. 10. quanuis vtranq; partem probabilem existimet; probabilius tamen atque

Sententia Martini de Ledesma. securius esse dicit, quòd datio facta solo actu interiori, sicut & promissio, tenet & obligat dantem in conscientia, vt satisfaciat.

1. Argum. Quam suam sententiam probat pluribus argumentis. Primò sic: Voces sunt signa conceptus: ergo si vox obligat, non est, nisi ex vi conceptus: atq; ex consequẽti magis obligat conceptus. Et confirmatur: Mentalis donatio est quædam loquutio: ergo si non impleatur, non potest carere mendacio, quod de intrinseca sua ratione est peccatum.

2. Argum. ¶Secundò: Qui solum mente de re aliqua deliberat, illamq; facere proponit, nõdum est obligatus: ergo qui mente loquens tali deliberatione adhibet absolutam donationem dicens, verbi gratia: Do tali indigenti talem pecuniam, aliquid obligationis ad præcedentia adijcit, atq; ex consequenti maiet obligatus. Probo consequentiam: Nam plurimum interest inter actum & deliberationem.

3. Argum. ¶Tertiò: Qui talem donationem mentalem in ipsa mente iuramento firmaret, vinctus manisset ad soluendum: sed iuramentum promissorium non obligat, nisi virtute præcedentis donationis; aut promissionis: ergo ipsa mentalis donatio, aut

4. Argum. promissio ita obligabat. ¶Quartò: Si ille, qui postquam aliquid alicui sola mente donauit, nullam aliam mente conciperet donationem, sed præteritum amicos significaret, dicens, Nihil tibi nunc do, sed heri apud me, hoc tibi dedi, vide an acceptes rapturusq; habeas meam donationem; & alius dicat, Accepto, iam obligatus manet, & nõ, nisi prioris donationis virtute: ergo prius obligabatur, atque ex consequenti sola donatio interior obligat dantem in conscientia. Nec valet, si dicatur, donationem pendere ex alterius acceptatione, & ideò antequàm ipse nouerit non tenet talis donatio. Nam, esto ità sit, quòd donatio pendet ex alterius acceptatione, in præsenti solum intendimus probare, quod ille, qui alteri sola mẽte aliquid donat, tenetur in conscientia id ei significare, & si voluerit acceptare tenebitur ei dare: hoc enim satis est ad hoc, vt dicamus interiorem donationem iure naturæ obligare

Vlt. Arg. in foro conscientiæ. ¶Vltimò sic argumẽtor: Promissio quæ mentalis tenet in conscientia, vt est videre in voto solo actu interiori emisso: ergo idem est dicendum de absoluta donatione. Probo consequentiam: Nam maioris virtutis videtur esse donatio, quã promissio. His tamen non obstantibus sit secunda conclusio. Quanuis opinio Ledesmij sit probabilis, probabilior tamen, atq; verior est illa, quæ affirmat quod donatio, aut promissio solo actu interiori hominis facta nullam obligationẽ inducit in conscientia: sed potest qui illam fecit, aut celare, aut reuocare, cum voluerit. Hæc sententia videtur esse D. Thom. Infrà quæst. 88. art. 1. vbi sic dicit: Promissio, quæ ab homine fit homini, nõ potest fieri, nisi per verba, vel quæcunq; exteriora signa. Et eadem est ratio de donatione. Et in. 4. dist. 38. quæst. 1. artic. 4. quæstiuncula 1. etiam dicit, quòd homo per solum voluntatem non potest obligari, nisi solum illi, qui voluntatis est cognitor. Et ratione sic argumentor. Quandiu homo apud se retinet interiorem donationem, quam facit, alter non habet ius ad rem: ergo nullam illi facit iniuriam aut tacendo, aut reuocando donationem. Consequentia patet: quia, vbi nõ est ius, iniuria esse non potest: & antecedens probatur: Posito tali actu interiori, non statim transfertur dominium in alterum, sed semper manet in eo, qui talem actum habuit vsque ad actualem donationem, vt paulò ante dicebam: ergo alter nullum ius habet ad rem. Item: Si ex mera interiori donatione, aut promissione aliqua oriretur obligatio, ea ortum haberet ex lege, quam mera interiori & priuata voluntate cõdidit: sed huiusmodi priuatæ legis eadem ratione, qua constituuntur, possunt & reuocari, quandiu ab alio non fuerit facta acceptatio: ergo. Et confirmatur: Nam cùm naturale sit hominibus, verbis, aut signis suos conceptus significare, ratio postulare videtur, vt ante significatam promissionẽ, nulla inter illos resultet obligatio. Ex dictis infertur, quòd quanuis sit naturale homini propria voluntate rerum suarum transferre dominium in alterum; non tamen illud trãsfert, nisi verbis, aut signis exterioribus eius voluntatis indicium faciat, acceptetur q; ab illo, cui res confertur. ¶Tertia conclusio:

2. Conclus.

Donatio solo interiori actu facta nullã obligationem inducit.

3. Conclus. Lex humana potest prohibere rerum trãslationem.

Lex humana potest prohibere dominis, ne res suas in alios transferant; atq; etiam potest ipsis inuitis, dominij translationem facere: eique hoc valde consentaneum humanæ naturæ, atq; rationi. Probatur: Nam cum homo naturaliter sit animal sociabile, atque ciuile, & vita mortalium in vnum coalescere non possit, nisi publica auctoritate, quæ & custos reipublicæ, & iustitiæ vindex sit, in pace continuatur: ratio ipsa postulat, vt talis in republica auctoritas sit, quæ possit &

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit & ea, quæ ad custodiam, & illa, quæ ad iustitiæ vindictam spectant, exhibere. Ad legitimam autè custodiam primò est necessarium, vt ciuibus ità prospiciat, vt antequàm eorum libertas pleno iudicio rationis ducatur, sua bona non dilapident: & sic prohibet ne pupilli de bonis suis disponant. Est etiã necessarium, vt sumptus eidem reipublicæ necessarios à ciuibus colligat: partes enim iure naturæ sunt propter totum. Ac deniq; tanquam iudex, & custos iustitiæ debebit maleficia vlcisci: & sic poterit quemlibet ciuium, sicuti vita, ità & bonis priuare, ipsis inuitis. Ex dictis infertur, quòd sicut est naturale homini, vt quisque pro sua voluntate possit de suis bonis dispensare: ità etiã est eidem maximè naturale, quòd id non faciat, humana lege prohibente. Quare prætor in l. 1. de minoribus inquit, quòd naturalem æquitatem sequutus, cauit, ne pueri, quorum consilium infirmum est, multorũque insidijs expositum, suam dispensarent substantiam. Et Vlpianus in. l. 1. de pactis, etiam dicit, æquitatem naturalem esse; quòd qui in tenera ætate de rebus suis pacisc untur, fidei suæ stare non obligentur. Et sic apparet, qualiter prima & tertia cõclusiones, quæ primo aspectu secum pugnare videntur, ex iuris naturalis visceribus colligũtur.

Ad. 1. arg. pro sentẽt. Martini de Ledesma.

¶Sed restat nunc respondere ad argumenta Martini Ledesinij contra secundam conclusionem. Vnde ad primum respondetur, quòd quanuis verum sit, quòd voces sunt signa conceptus, & quòd voces obligant propter conceptus: non tamen inde licet inferre, quòd solus conceptus potest inducere obligationem: sed quod actus interior requiritur ad obligationem. Quod quidem verum est. Quanuis enim quis exteriùs proferat aliquam promissionem; si tamen non habet animum illam adimplendi, non tenebitur in conscientia ad illius impletionem. Et idem est dicendum de eo, qui tantùm interiùs, quidquam promittit, aut donat alteri homini. Itaq; & actus interior & exterior sunt necessarij ad hoc, vt donãs, vel promittens maneat in conscientia ligatus. Ad confirmationem respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam cùm mendacium, vt dicit Magist. in. 3. d. 38. sit falsa vocis significatio, cum intentione fallendi, & ille, qui mente donat, quanuis posteà non adimpleat donationem, sed illã reuocet, non faciat id cum intẽtione fallẽdi, sed vtens iure suo, quo potest propriosactus, quorum verè est dominus, quãdo voluerit reuocare, dũmodo ab altero non sit facta acceptatio, nullo modo potest dici talem reuocationem aliquod in se continere mendacium. ¶Ad secundum argumentum respondetur, concesso antecedenti, negãdo consequentiam. Et ad probationem dico, q̃ quanuis interfit multum inter actum absolutum, & deliberationem, quantum attinet ad ipsorum naturam; tamen quantum ad id, quod est inducere obligationem in conscie tia, sunt æquales; quando actus absolutus mente tãtum retinetur, nec illius ab aliquo fit exterior acceptatio. *Ad. 2. arg.* ¶Ad tertium respondetur, concedendo, quòd qui donationem mentalem iuramento firmaret, vinctus maneret ad soluendum. Et quando dicitur, q̃ iuramentum promissorium non obligat, nisi virtute præcedentis promissionis; & sic videtur, quòd promissio mẽtalis anteà obligabat; dico, sensum esse, quòd non obligat tale iuramentum, quando promissio sine dispendio salutis æternæ adimpleri nõ potest, vel est contra bonos mores, vt dicitur in capit. non est obligatorium. de regulis iuris, in 6. Cum hoc tamen stat, quòd promissio, vel donatio, quæ ex se obligationem non induceret, apposito iuramento sit obligatoria; vt est videre in eo, qui promittit soluere vsuram, aut dare latroni, ipsum occidere volenti, centum aureos: tales enim promissiones, nisi iuramento firmentur, nullæ sunt, vt infrà dicemus in materia de iuramento. Et idem contingit in promissione, aut donatione purè mentali, quæ, nisi iuramentũ apponatur, obligationem inducere non potest; quanuis rationes sint diuersæ. Promissio enim facta de soluendo vsuras, vel de dando latroni aliquam pecuniam, quando non apponitur iuramentum, non obligat; quia non continet plenam libertatem: sic enim promittit, vt promittere nollet. At verò donatio, vel promissio purè mentalis, non appositio iuramento, propterea nõ est obligatoria; quia quandiu exterius nõ profertur, nec fit acceptatio ab alio, donãs, vel promittens est potens reuocare talem donationem, vt diximus in probatione secundæ conclusionis. *Ad. 4. arg.* ¶Ad quartum respondetur, cõcessa maiori, negando minorem. Non enim præcisè ex virtute prioris donationis nascitur obligatio in casu argumenti; sed ex illa simul cum manifestatione & acceptatione illius, cui fuit facta donatio. Vtrumq; enim est necessarium ad hoc, vt illa obliget in cõscientia, vt modo dicebamus. *Ad. vltim.* ¶Ad vltimum respondetur, negando, quòd promissio purè mentalis obliget in conscientia, nisi illa fiat Deo, qui intuetur corda hominũ: quod etiam inuenitur in donatione: & sic nõ differunt quantum ad hoc.

¶Nunc

De translatione dominij secundũ legis ordinationem.

¶Nunc disputãdum est de altero modõ, quo possunt dominia transferri, scilicet, secundum legis ordinationem. In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd leges & iura principum, sicut in initio res singulas singulis addixerũt; ita etiam nunc diuisione facta possunt easdem res ab vno in alterum transferre, præcipereq; dominis, vt non pro suo libito, sed secundum leges talium rerum faciãt alienationem. Secundò etiam est certum; quòd leges non solum possunt impedire translationem dominij, præcipiendo, ne fiat, id est, inducendo culpam, & adhibendo pœnam; verùm etiam faciendo, vt cõtractus sit nullus, & translatio irrita. Et item non solum possunt mihi præcipere, vt bona mea alteri resignem; verùmetiam me inuito illorum dominium in alterum transferre. Et ratio est: Nam cùm respublica ex natura rei sit domina bonorum suorum ciuium, fit, vt pro cõmuni vtilitate possit de illis disponere, nihil minus, quàm si iuris sui essent. Itaq; in genere hæc certa sunt.

Dubiũ grauede trãslatione dominij per cõtractum iure inualidum.

¶Sed in particulari existunt multæ & graues difficultates. Prima est; vtrùm per contractum, qui iure ciuili est nullus, dominiũ transferatur. Quod est quærere, vtrùm lex cùm irritat aliquem contractum; ita irritet, vt stando in foro conscietiæ dominiũ trãsferatur, vel potiùs tantùm sit irritum in foro contentioso. Ad cuius explicationem aduertendum est, quòd dupliciter aliquis cõtractus potest reddi ipso iure nullus. Vno modo ex parte contrahentis: quia, scilicet, personæ redduntur inhabiles ad contrahendum; vt contingit in pupillis, monachis, & amentibus, qui legibus humanis ità prohibentur rerum suarum dominium à se abdicare, vt omnino reddantur inhabiles ad illud transferendum. Alio modo ex defectu alicuius solennitatis iuris; vt contingit in testamentis: vt quando, scilicet, in testamento nuncupatiuo sine tabellionis subscriptione, verbo tenus nuncupantur testes, & hæres, & non sunt septem testes, iuxta id, quod dicitur Institut. de testamentis. §. fin. qui etiã sunt necessarij in testamento subscripto, occluso tamen & obsignato, vt habetur in. l. hac consultissima. C. de testamentis. & in. l. peculiari Regni. 3. Tauri, vel quãdo testator non subscribit, vel non nominat hæredem, vel alius similis defectus committitur. In ijs enim casibus contractus redduntur nulli, non ex defectu personæ, quæ potens erat suorum bonorum dominium à se abdicare; sed ex defectu solennitatis iuris. Similiter iure pontificio cautum est, ne res Ecclesiæ sine tribus contractibus distrahantur, vt in cap. ea enim. 10. q. 2. & in cap. sine exceptione. 12. q. 2. & de rebus Ecclesiæ nõ alienandis à Doctoribus adnotatur. Et si cum vno, vel duobus contractibus res Ecclesiæ fuerint alienatæ, alienatio in iure redditur nulla: non quia personæ fuerint inhabiles ad transferendum dominium; sed quia in tali alienatione aliqua deficit ex conditionibus iuris necessarijs.

Per contrã ctum irritũ ex defectu personæ nullum transfertur dominium.

¶Hoc supposito, dico etiam certum esse, quòd per contractum irritum ex defectu personæ nullum transfertur dominium, nec in foro contentioso, nec in foro conscientiæ. Ità tenet Panormit. in cap. quia plerique. de immunitate Ecclesiarum, quem cõmuniter sequuntur Doctores tam Theologi, quàm Canonistæ: nec in hoc inter ipsos vlla vnquam exstitit dubitatio. Et ratio est: Nam, cùm personæ tunc sint inhabiles ad transferendum dominium, nulla ratione potest fieri, vt alter, aut in foro contentioso, aut in foro conscientiæ talium rerum acquirat ius: & sic tenetur statim eas restituere, nulla expectata iudicis declaratione.

Pũctus difficultatis.

¶Sed dubium est; vtrùm in illis contractibus, qui dicuntur nulli, non ex defectu personæ, sed ex defectu solennitatis iuris, transferatur dominium in foro cõscientiæ. Quod est quærere; an illud testamẽtum, cui deest iuris solennitas, sicut est nullum in foro exteriori secundum leges ciuiles: ità etiã sit nullum in foro interiorit De qua re sunt variæ Doctorum sentẽtiæ. Prima est Panor. supra dictum cap. quia plerique; qui sequutus Innocentium dicit, quòd, si in testamento, quod iure nullum est, sit aliquid legatũ etiam amicitiæ causa, proprius hæres in cõscientia tenetur illud tali legatario reddere. Verbi gratia: Pater meus legauit alicui amico centum aureos, & testamentum est nullum propter defectum solennitatis iuris, dicit Panormitanus, quod ego, qui in hæredi tatem patris succedo, in conscientia teneor illi legatario eos centum aureos soluere, nõ obstante iuris impedimento. Imo constituit regulam generalem, quòd contractus, qui iure humano irritatur, si manet legitimus intra limites iuris naturalis, tenet & obligat in conscientia; nisi fraus, aut dolus interueniat. Eandem sentẽtiam tenet Syluester, verbo, alienatio. §. 12. & citat pro se Antonium de Butrio super cap. quia plerique. de immunitate Ecclesiarum. Qui Antonius de Butrio aliud ponit exemplum, nempe: Cautum est in iure, vt Ecclesia non alienet bona sua immobilia, nisi tribus præcedentibus tractatibus. Dicit iste autor, quòd cessante

Sententia Panorm. & aliorum.

fraude.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fraude,& dolo, quanuis non præcedant illi tres tractatus, si alias translatio esset legitimá cum illis,etiam est legitima & valida in cõscientia, sine illo triplici tractatu : nec Ecclesiastici,qui sic alienauerunt bona immobilia,possunt posteà cum tuta conscientia ea in foro exteriori repetere. Et subdit rationem: Nam in foro conscientiæ omnia sunt reducenda ad limites,& metas legis naturalis,ac iuris gentium.Certum est autem, quòd ad hoc,vt ille contractus,stando in iure naturali, esset validus,sufficiens esset partium consensus sine fraude, & dolo: & sic, vbi hæc affuerint, obligabit in conscientia. Eandem opinionem repetit, idem Sylvest. verbo testamentum.1.quæst.5.dicens,quòd secundum veritatem,siquis sanus,aut infirmus,sanè tamen mentis existens, liberè disponit de bonis suis simplici etiam verbo,sine tabellione,& testibus, tenet illa alienatio & dispositio in foro conscientiæ,ex illo cap.vltima voluntas.13.quæst.2.Vbi textus sic habet; Vltima voluntas defuncti,modis omnibus seruanda est. Eandem sententiam tenet Adrianus quotlib.6.art.1.& in eadem videtur esse Bart.in tract.de fratribus Minoribus.Vbi dicit,quòd,siquis in suo testamẽto fratres Minores instituat hæredes;quãuis illud testamentum secundum ius humanum sit nullum,propterea quòd fratres Minores non sunt capaces habendæ hæreditatis, ille tamen, qui succedit in testamento, tenetur in conscientia ea bona fratribus Minoribus reddere.Et subdit rationem: Nam ille testator errauit per ignorantiam: & si sciret testamentum non valere,alia via bona sua fratribus dedisset;& fraude,ac dolo deficiente standum est in conscientia iuri naturali, ac gentium. Et denique hæc est communis sententia omnium iurisconsultorum,& multorum Theologorum:quæ probari potest pluribus, & efficacissimis argumentis. Primò sic:Cessante fine legis,non solum humanæ, sed etiam diuinæ eiusdem legis cessat obligatio,standumq; est tunc legi naturali, vt est videre in lege de correctione fraterna posita à Christo Matth. cap.18. dum dicit: Si peccauerit in te frater tuus,corripe eum inter te,& ipsum solum,&c.In qua;quia finis legis est emẽdatio fratris, cõmuniter dicũt Doctores,quòd quando non est spes emendæ,nullus tenetur fratrem corripere, iuxta illud D.Augustí.quod refertur de pœnitentia.dist.7.cap.siquis.Si sciré nõ tibi prodesse,non te terrerem, non te admonerẽ, &c. Sed illæ leges,quæ in testamentis præcipiũt aliquas iuris solennitates, solùm sunt inuentæ ad vitandas fraudes, & dolos: ergo vbi

1. Argum. pro sentẽt. Panormit.

ista non interfuerint, leges ipsæ non obligabunt; atque ex consequenti illa testamenta erunt valida in foro conscientiæ. ¶Secundò argumentor ex Innoc. 1111. in cap.quod sicut. & in cap. quia propter. de electione. Vbi dicit,quòd electio facta a maiori parte eligentium, esto deficiat aliqua conditio iuris humani, propter quam sit irrita secundum ius,vt si verbi gratia,non fuit vocatus vnus elector, vel aliquid simile vsu venit; tenet tamen electio in foro conscientiæ,licèt in foro exteriori sit irrita,& nullius momenti : quia non interuenit fraus & dolus; sed eadem est ratio de omnibus alijs contractibus, qui dicantur nulli ex defectu alicuius solennitatis iuris: ergo deficiẽte fraude, & dolo validi erunt in foro conscientiæ. *2. Argum.*

¶Tertiò argumentor ex cap.cum esses.de testamentis, vbi Alexand. 111. interrogatus de consuetudine obseruata in Episcopatu Hostiẽsi,nempe, q̃ nullum testamentũ erat validũ,nisi secũdũ leges humanas septẽ,aut quinq; testibus erat subscriptũ, respondit tales leges à diuina lege,& sanctorum patrũ institutis,& à generali Ecclesiæ consuetudine esse alienas; & ideo standum esse contra illas iuri naturali, secundum quod in ore duorum vel trium stat omne verbum:ergo ex determinatione summi Pontificis illa testamenta, quæ ex defectu solennitatis iuris ciuilis sunt nulla, erunt valida in conscientia,maximè vbi fraus,& dolus nõ interfuerit. *3. Argum.*

¶Quartò:Leges,quæ fundantur in falsa præsumptione,nec dant,nec adimunt ius in foro conscientiæ; quando enim iudex absoluit debitorem; quia creditor sibi deberi nõ probat,cum re vera debeat, tũc debitor nõ manet tutus in conscientia;sed leges,quæ irritant testamenta minùs solennia, fundãtur in falsa præsumptione: ergo nec dant, nec adimunt ius in conscientia:atque ex consequenti testamenta minus solennia erunt valida in foro conscientiæ;ac si tales leges nõ essent latæ. Consequentia cum maiori est nota,& minor probatur:Non ideò leges rejiciunt testamenta minùs solennia;quia velint infirmare voluntatem testatoris, cui potiùs volunt omni ratione cõsulere: sed,quia putant adesse dolum illi testamento,in quo testes per legem requisiti non inueniuntur; & sic iudicant ex illo testamento non sufficienter colligi voluntatem testatoris : ergo fundantur in falsa præsumptione. *4. Argum.*

¶Vltimò: Si testamẽtum esset nullum in cõsciẽtia, ex eo solùm, quòd sine sufficiẽti est factũ solẽnitate, sequeretur vsu sæpè venire posse, quòd qui morti est proximus, nullatenus posset bona sua cui voluerit dare; tunc, scilicet, *Vlt. Arg.*

licet,quando legitimi testes non inueniuntur:sed hoc est maximo cum rigore ius ciuile seruare:ergo non est dicendum.

Sententia Theologorum.

¶ Contrariam tamen sententiam tenent multi ex Theologis, vt est videre apud Magistrum Soto lib.4.de iustitia & iure. q.5. art.3.& apud Martinum Ledesmium. 2. p. 4.quæst.18.art.1.dubio. 12. Quæ similiter probari potest non minoribus,nec in efficacioribus rationibus.Primò sic:Leges humanæ possunt irritare in conscientia eos contractus,vel ea testamenta, quæ sine aliquibus iuris solennitatibus fuerint facta,vt cõmuniter dicũt Doctores tam Theologi,quã Iurisperiti,& à nobis,tanquam certum fuit propositum, secundò loco in initio disputationis:ergo cum illa annullant, ità irrita faciunt,vt nec etiam in foro cõscientiæ sint valida.Probo consequentiam. Nam semper vtuntur leges in tali irritatione eis verbis, quæ significãt plenam,& absolutam annullationem. In lege enim,hac consultissima. C.de testamen.dicitur,quòd vbi testamentum non fuerit subscriptum, pro infecto habeatur: & rursus,ex imperfecto testamento voluntatem defuncti teneri non volumus. Et Instit. quibus modis testamenta infirmẽtur.§.ex eo. dicit Iustinianus: Imperfectum testamentum sine dubio nullum est.Et lege Regni.3. Tauri habetur, quòd vbi testium numerus iustus non fuerit, testamẽtum nullam fidem faciat,nec in iudicio, nec extra. Et in cap.sine exceptione.12.q.2.etiam dicit, quòd alienatio inconsultò facta rerum ecclesiasticarum,sit irrita. Cum ergo leges eam vim habeãt,quãm verbis personãt, ut, vt sine vlla interpretatione illis sit obediẽdum,tam in foro conscientiæ,quàm in foro exteriori. Nec valet,si dicatur, quòd nũquã leges dicunt, quòd irritant in cõscientia ea testamenta, quæ sine iuris solennitate fuerint facta. Nõ enim est in more legislatoris talia verba adijcere, etiam in illis legibus, quas omnes concedunt obligare in conscientia;vt in donatione pupilli, aut in donatione monachi est videre. Ex natura enim cuiuscũq; legis statim sequitur obligatio in cõscientia,vt docet D.Thom.1.2.q.96.nec ad verbis explicare est necesse. *1. Arg. pro sententia Theologorum.*

2. Argum.

¶Secundò.Qui testamentum reliquit illegitimum,perinde discedit,ac sine vllo prorsus moreretur testamento: quandoquidem leges illud nullũ esse dicunt; vt constat ex locis in primo argumento adductis: sed qui sine testamento discedit,nõ potest grauare hæredem ab intestato succedentem,ad hoc,vt in conscientia teneatur hæreditatem alteri conferre,etiam si fraus aut dolus non interueniat; si quis enim absque liberis moriẽs præsente fratre diceret: Ego cõstituo talem hæredem extraneum,aut,tale facio legatum,quod nõ esset donatio;& frater non polliceretur, se id rãtum habiturum;sed potiùs renueret,nec haberi posset copia tabellionis, ac testium,vt secundum leges testamentum conderetur; profectò frater ille, quanuis optimè nouisset defuncti voluntatem, sciretq; nullam iectam fuisse fraudem, non teneretur in cõscientia aut alteri hæreditatem concedere, aut legata implere,non obstante iure naturæ: quia lex iuste ad vitãdas fraudes voluit, ne defuncti voluntas vlla esset,nisi per testamentum constaret : ergo testamentum minùs solẽne nullam obligationem in conscientia inducit. ¶Tertiò:Lex,vt communiter dicunt Doctores, accidentarios casus nõ respicit,sed ea, quæ vt in plurimum contingũt: iura enim, vt ait Pomponius.ff.de legibus. constitui debent in ijs,quæ accidunt,& vsu venire possunt, & non in ijs, quæ præter opinionem & insperatò contingunt: ergo quanuis ratio istarum legum sit, vt fraudibus,dolisque obuietur:Nihilominus tamen etiam si in aliquo casu finis ille deficiat, lex suum retinebit vigorem:atque ex consequẽti contractus contra tales leges facti tam in foro interiori, quàm exteriori erunt nulli. Consequentia est nota; & antecedens probatur multis adductis exemplis : Prohibet lex, ne pueri bona sua alienent pro sua voluntate, cuius vtique legis finis est, ne per eorum imprudentiam bona distrahantur: Contingit aliquando, esse puerum duodecim, vel tredecim annorum ; qui sapienter possit de rebus suis disponere, nõ tamẽ propterea contractus ab ipso facti, inconsulto tutore,validi erunt in conscientia, vt omnes tam Theologi,quam Iurisperiti concedunt. Item: Legis ieiunij finis est corporum maceratio;& tamen quanuis aliquis illa corporis maceratione non indigeat, non propterea exemptus erit à lege ieiunij. Denique: Prohibet lex ad vitandos tumultus, ne quis in nocte arma deferat;nec propterea,qui pacificus est,poterit illa deferre:ergo pari ratione in nostro proposito, quanuis finis legum irritantium contractus sine sufficienti solennitate factos sit obuiare dolis,& fraudibus,licèt in aliquo casu particulari nullus interfit dolus,adhuc tamen lex suum retinebit vigorem. Et ratio est manifesta: Nam aliàs multi scrupuli hominum conscientijs injicerentur;cùm sit valdè obscurum & difficile iudicare,an fraus sit tanta, quod non excuset à ciuili lege, vel potiùs sit tam parua,quòd sit standum iuri naturæ. Et si quis obijciat, *3. Argum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

obijciat, esse contra ius naturæ, quòd qui vult disponere de bonis suis, propter defectum solennitatis ab adimpletione propriæ voluntatis impediatur; respondeo, id non esse contra ius naturæ; sed potius eidem naturæ valde consentaneum; vt hac ratione fraudes ac deceptiones, quas in defunctos humana fallacia extruere posset radicitus tollantur. Respublica enim, cui interest communem ciuium vtilitatem respicere, non solum potest impedire translationem dominij præcipiendo, ne fiat, hoc est, inducendo culpam, & adhibendo pœnam: verum etiã faciendo, vt contractus sit nullus, & translatio irrita, vt diximus in initio disputationis.

4. Argum. ¶Quartò arguitur: Si contractus minùs solennes essent validi in conscientia, vt dicit prima opinio, sequeretur, quòd leges, quæ irritant testamenta sine sufficienti numero testium facta, essent iniustæ, atq; iniquæ, & sic nullo modo obligantes: consequens autem est absurdum, vt omnes Doctores concedunt: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Illa lex est iniqua, quæ sine peccato impleri non potest: sed talis esset lex, quæ irritat testamenta sine sufficienti solennitate facta, supposito, quòd illa sunt valida in conscientia. In quocunq; enim casu testamentum est nullum propter defectũ solennitatis, talis lex seruari non posset sine peccato mortali. Nam, si secundum primam opinionem ille, qui succedit propter defectum testamenti; nõ potest retinere sine peccato mortali res, quas acquisiuit, sed tenetur eas restituere illi extraneo, vel remoto consanguineo, qui fuit à defuncto hæres iustitutus; manifestè sequitur, quòd lex fuit iniqua, atque ex consequenti nulla, cum rex non habeat potestatem condendi leges iniquas, vt docet D. Thom. 1.2.q.90.art.1.& constat ex cap. vltimo. de præscript. vbi dicitur: Omni constitutioni & consuetudini est derogandum, quæ absque mortali peccato obseruari non potest. Soto lib.4.de iustitia & iure.q.5.art.3. qui hanc opinionem probabiliorem existimat, forsan huius argumẽti efficacia commotus, dicit, quòd contractus, cui deest solennitas iuris, licèt in conscientia nõ sit ipso facto simpliciter nullus, veluti ille, qui fieret à pupillo illegitimę ętatis; eatenus tamen est nullus, vt bona conscientia possit quisquam legis beneficio in tali casu vti. Itaq; dicit, quòd si frater meus sine liberis moriens, cuius ego ab intestato hæres sum: per testamentum minùs solenne, quod in iudicio meritò pronuntiabitur nullum, extraneum nuncupauit hæredem; ego tuta conscientia possum hæreditatem adire, & defendere me nullitate testamẽti; quãuis sciã absq; fraude id fratrẽ meũ aliter dispo suisse. Ac proinde quãdo mihi in foro exteriori adiudicabitur hæreditas, optima fide potero eã possidere. Existimat enim Soto ex iura nõ simpliciter, & absolutè irritare testamenta; sed tantum velle, quòd cùm res delata fuerit ad iudicium, tales contractus habeantur nulli. Nam dicit, quòd leges in meliorem partem sunt interpretandæ. Quantũ autem veritatis habeat hæc limitatio Soti, videbimus infrain probatione secundæ cõclusionis.

¶Quocirca sit prima conclusio: Vtraque opinio est tuta in cõscientia. Et siue hæres constitutus testamento minùs solenni possideat hæreditatem, siue succedens ab intestato, aut alter ab altero petat coram iudice, ambo sunt absoluendi. Probatur: Vtraque opinio habet pro se graues autores, apparẽtesque rationes, vt ex supradictis patet: ergo vnicuique erit licitum se illi conformare: atq; ex consequẽti poterit iure absolui. 1. Conclus.

¶Secunda conclusio: Probabilior, & securior mihi semper visa est secunda opinio, nempe, quòd contractus nullus iure humano in foro exteriori, etiam est nullus in cõscientia, & sic dico, quòd quando testamentum est imperfectum, atque adeo nullum ob defectum solennitatis iuris, ille debet succedere legitimus hæres, qui succederet in bonis defuncti, si mortuus fuisset penitus intestatus. Nec placet mihi limitatio, quam insinuat Soto, nempe, quòd, si extraneus nominatus in testamento secundum iura inualido, aut legatarius in tali testamento iam habeant possessionem legati, aut aliorum bonorum defuncti, non statim tenentur ea restituere vero hæredi, quousq; in iudicio condemnentur. Quia dicit, quòd leges illæ non simpliciter irritant testamentum, sed tantum volunt, quòd cum delatum fuerit ad iudicium pronuntietur nullum. Non, inquam, mihi placet hæc limitatio: sed dico, quòd statim nullo iudicio expectato tenentur tales omnia illa bona vero hæredi restituere, siue qui nominatus fuit in testamẽto minùs solenni iam habuerit possessionem, siue non. Et probatur primò: Legatarius, & hæres vocatus in testamẽto inualido nullũ ius habent ad retinenda bona defuncti, quo ad vsque in iudicio condemnentur, nisi vitute illius testamenti inualidi: sed illud testamentum nullam habet virtutem, vt ex supradictis patet: ergo retinere illa bona prædicti nullo modo possunt; sed statim tenentur ea vero domino restituere. Nec valet, si dicatur, quòd ea iura nihil aliud volũt, nisi, quòd

2. Conclus.

quòd huiusmodi contractus in iudicio habeantur nulli, vt dicit Soto. Nam, cum hoc ex ipsis legibus non constet, habendũ erit pro propria imaginatione nõ fundata in lege. Secundò: Si defunctus mortuus fuisset penitus intestatus, prædictus vocatus hæres, & legatarius in testamento inualido nõ possent retinere prædicta bona; sed statim tenerentur ea restituere: ergo & nũc. Probo consequentiam: Nam, cùm factũ testamentum sit nullum, idem est ac si non fuisset factum. Quare securior, & verior erit nostra sententia, nempe, quod statim tenẽtur hæreditatem restituere legatarius & hæres vocati in testamento inualido, legitimo hæredi succedentẽ ab intestato. Quam sententiã tenet etiã Couar. in suo Codice de testam. fol.55.n.4. Et probari potest vltra argumẽta facta pro secunda opinione alijs non minoribus rationibus. Primò sic: Testiũ numerus, atque solennitas, ità est forma substantialis contractus, vt sine illis nihil valeat, & contractus non sit, vt dicit Bart. in l. nemo potest. ff. de legat. 1. ergo sine testium solennitate, & numero contractus tanquã informis nihil valebit, nec in foro exteriori, nec in conscientia. Item: Hoc interest inter laicas potestates, & ecclesiasticas, vt cõmuniter dicũt Theologi sequuti D. Th. 1.2.q.96. art.4. quòd habens potestatem ecclesiasticã immediatè & directè potest obligare ad peccatum mortale, vel veniale pro sua voluntate: at verò qui tantũ habet potestatem secularem nõ potest immediatè & directe obligare ad mortale, vel veniale, sed ipsa lex cũ à principe lata fuerit ex natura rei obligat in conscientia, nec potest Rex facere, q. lex à se lata, postquã semel absolutè & sine vlla limitatione posita est, obliget ad mortale, vel veniale: sed obligabit lex ad mortale, vel veniale ratione materiæ: si enim lex fuerit de materia graui, obligabit ad mortale, & si fuerit de materia leui, obligabit ad veniale: cũ ergo leges irritantes testamẽta absolutè sint positæ à principibus, & sint de materia graui, multumq; cõcernenti bono cõmuni, vt hac, scilicet, ratione fraudes, ac deceptiones, quas in defunctos humana fallacia extruere posset, tollerentur; manifestè sequitur, q. non solũ obligabit in foro contentioso, sed etiã in foro cõscientiæ. Atq; ex consequenti contractus vel testamenta sine iuris solennitate facta nullã obligationẽ inducent in aliquo foro exteriori, aut interiori. Præterea: Si testamenta facta sine sufficiẽte solennitate, vbi fraus, & dolus non interueniũt, essent valida in conscientia, vt dicit prima opinio; sequeretur posse aliquãdo cõtingere, quòd sit aliquis ità perplexus, quòd teneatur sine culpa sua, vel perdere propria bona, vel peccare mortaliter: hoc autem est absurdum: ergo. Probo sequelam: In casu, q. pupillus sit hęres ab intestato eius defuncti, qui per testamentum illegitimum alium extraneum hæredem nuncupauit; tunc enim, si tutor hæreditatem pro suo pupillo nõ petat, poterit postea pupillus agere contra eũ, & in iudicio cõdemnabitur tutor, vt pupillo reddat, quæ pro sua negligẽtia perdidit: Si autem petat peccabit mortaliter secundum primam opinionẽ: quia sciens, & prudens petit, quod non est pupilli (supponendo enim tutori certò constare, nullam interuenisse fraudem in testamento) imò non solũ tutor, sed etiam aduocatus, procurator & omnes alij, qui ad suscipiendam illã hæreditatem secundum leges in foro exteriori cooperarentur, peccarent mortaliter, teneranturq; ad restitutionem, propter eandem rationem: quod nullo modo est dicendũ. Vltimò: Quj bona fide possidet fundum alterius viginti annis, ità illius acquirit dominium etiam in conscientia, quòd quantumcunq; postea sciat, quòd non erat suus, non tenetur illum restituere; & hoc solùm propter leges humanas, sic disponentes: cùm tamen secundum legem naturalem nunquã eius fundi acquisisset dominium, esto illum possedisset centum annis: ergo pari ratione dicendum est de testamento minùs solenni, quod sicut est nullũ in foro exteriori, ità etiã est nullũ in cõscientia, propter dispositionẽ legis humanæ, nõ obstãte, q. secundũ legẽ naturalẽ, quando fraus nõ intercedit, obligationem induceret in conscientia.

¶Sed restat nũc respondere ad argumẽta facta pro prima opinione. Vnde ad primũ dico, quòd finis legis dupliciter potest cessare; aut in cõmuni pro tota republica; aut in casu particulari. Quãdo cessat primo modo, cessat obligatio legis; non autẽ quando cessat in particulari, vt cõmuniter dicũt Doctores in materia de legibus. Et certum est, quòd, quanuis finis legis irritantis testamẽtum minus solenne, qui est obuiare fraudibus, & dolis, cesset in aliquo testamẽto particulari; nõ tñ cessat in omnibus, cũ in alijs possint hæc inueniri. Et ad instãtiã de lege correctionis fraternæ, quæ est lex diuina, & cessat, quãdo in particulari nõ speratur correctio fratris, respõdetur, q. quia finis præcepti de correptione fraterna, nõ est cõmune aliquod bonũ reipublicæ, sed solũ particularis emendatio proximi, idcircò qñ ille finis particularis cessat, superuacanea est correptio; At verò leges, quę irritãt illegitimos cõ

Ad. 1. arg. pro sententia Panor. & aliorũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tractus, habent pro fine bonũ commune: & sic quamuis cesset in particulari, semper earum obligatio firma manet. Vel secundò respondetur, quòd præceptũ correptionis fraternæ, est affirmatiuũ; & sic non obligat, nisi quando, & vbi oportet: aliæ autẽ leges sunt generales, continentes præceptũ negatiuum, quo illegitimi contractus prohibentur: & sic obligant semper, & pro semper, *Ad 2. arg.* etiam quando fraus non intercedit. ¶ Ad secundum argumentũ, desumptum ex Innoc. IIII. in. c. quod sicut. & in. c. quia propter. de electio. respondetur, q̃ summus Põtifex ibi non loquitur de electione, quæ iure positiuo est nulla, sed de illa, quæ infirmaretur, vel cassaretur, si in iudiciũ deferretur, vt ex verbis ipsius textus constare potest. Vnde ponit exemplũ: Vt siquis electorũ ex contemptu non fuisset vocatus: tunc enim electio, quæ fieret à maiori parte illo cõnumerato, valida esset, tã iure humano, quã naturali: licq; electus esset tutus in conscientia, quousq; eius electio cassaretur: quãuis ille contemptus posset agere ad infirmandã talẽ electionẽ. Et hoc potius est pro nobis quã *Ad 3. arg.* contra nos. ¶ Ad tertium argumentũ desumptũ ex cap. cũ esses. de testamen. quod ingẽtem habet difficultatem, vt respondeamus, supponendũ est primò, tanquã certũ, quòd licèt ius naturę sit, vt duo, vel tres testes sufficiant; quia vbi homines naturali syncerità te viuerent, ille numerus esset satis, nihilominus tamen negari nõ potest, q̃ postquam humanæ fraudulentiæ rempublicam infestarunt, sanctissimũ fuit testium numerũ legẽ augere. Illud enim ius naturæ non prohibebat, ne plures exigerentur testes; sed tantũ humanam synceritatem declarabat, nempe, quòd duo vel tres sufficerent. Qui ideò numerus licèt multis in causis tam ciuilibus, quam ecclesiasticis sufficiat; meritò tamen in pluribus alijs exiguntur plures; vt de testamento nuncupatiuo, sine tabellionis sub scriptione facto, & de alijs huiusmodi supra dicebamus. Quin potiùs & ipsa Ecclesia vult, vt in aliquibus causis plures, quã tres exigãtur testes, vt ex cap. Præsul. 2. q. 5. apertè constat. Secundò est supponendum tanquam certũ, quòd summus Pontifex in illo cap. cum esses. de testamen. non est credendus, leges illas humanas voluisse abrogare, quæ plures, quàm duos, vel tres exigunt testes; tum, quia illic nullo abrogationis verbo vtitur; tum etiam, quia Papa non habet autoritatem in leges principum, nisi quatenus sunt contra ius diuinum, vt ipse fatetur in cap. cum ad verum. & in cap. duo sunt 96. d. nec talis abrogatio vnquam à principibus recepta fuit. Sed qualiter hæc, quæ certa sunt, cum verbis illius textus quadrare possint: hoc opus, hic labor est. Glossa super dictum cap. dicit, quòd Papa illic loquitur de legatis pijs, hoc est, de legatis, quę Ecclesiæ à testatoribus relinquuntur: ad ista enim, cum sint pia minor solennitas requiritur; vt explicatur in cap. relatũ. eodem titulo. Vel secundò respondetur, prædictum textum solum habere locum in terris Ecclesiæ, in quibus, quia Papa habet iurisdictionem temporalẽ, potest præcipere quod nõ seruẽtur aliæ leges imperatorũ, & talis erat Episcopatus Hostiensis in Ecclesiæ territorio exiltẽs, estq; hæc solutio multo cõuenièntior: nõ enim semper, nec vbiq; terrarũ etiã in causis pijs admittitur legatũ illegitimi testamenti, quãuis sit valde honestũ hæredes talia pia legata semper adimplere. ¶ Ad quar- *Ad 4. arg.* tum argumentũ respondetur cõcessa maiori negãdo minorem, & ad probationẽ dico, quod non ideo leges reijciunt testamentũ minus solenne, quia putant illi adesse dolũ, sed quia putant illi potuisse adesse dolum, quod verũ est, quare non fundantur in falsa præsumptione, sed in veritate quadam: cuius consideratio pertinet ad legislatorẽ, vt sic fraudes, ac deceptiones, quas homines in defunctos extruere possent, tolleretur. Hæc enim de causa diximus supra posse reipublicam naturalem voluntatem ciniũ in suis dispensandis rebus cohibere, modumque illis præscribere, & est hoc adeo verum, vt arbitror, quod si ex occulto modo soluẽdi debita fraudes crebrescerẽt, posset etiã princeps leges sancire, vt solutio quæ corã testibus non fieret non valerettitã, vt in conscientia posset quod contra legem solutũ esset iteratò peti, nec ea lex fundaretur in falsa præsumptione, sed in veritate concernenti bono cõmuni, sed quidquid hoc veritatis habeat ambigendũ nõ est, quin posit in conscientia pro infacto haberi illegitimus contractus, etiã si fraus nõ interfuerit ob id, q̃ interesse potuit. ¶ Ad vltimũ argumentũ re- *Ad vltimũ argum.* spondetur concedendo sequellã: non enim est inconueniens, quod quis citra culpã suã aut negligentiam ob euentum fortuitũ de suis bonis disponere cohibeatur, vt pax tuta sit in republica: leges enim nõ valent singularia cuncta cauere.

¶ Sed vltra hæc est aliud argumentũ con- *Aliud arg. contra. 2. concluſ.* tra nostrã secundã conclusionẽ desumptũ ex. l. fin. C. de fideicommiss. vbi casu quo quis è vita discedat, & scriptura publica cõstituat hæredẽ, verbi gratia, Petrũ, eidẽque extra testamentum dicat, vt alteri aliquid conferat, præcipit lex quod si de voluntate testatoris, aut dicto ipsius Petri, aut alio modo certo cõstet secundum ipsam iudicetur: & sic videtur quod non solum in foro conscientię, sed etiam in foro contentioso trãsferatur dominium per testamentum minus solenne. ¶ Respondet tamen Sylvest. verbo. testamentum. 1. §. 5. in fin. textũ illum arctandum esse ad fideicõmissa relicta ad pias causas. Cæterũ hæc solutio nihil valet: expresse enim loquitur imperator de quocũq; fidei cõmissario. Quocirca cõmunis sententia iurisprudentium est cũ Bart. interuenisse ibi ad validationẽ fideicommissi in minus solẽni testamenti relicti contractũ inter testatorem & hæredem de prestando fideicõmisso celebratum, & interpositam à testatore stipulationem in fauorem fideicõmissarij. Cæterum, quia iuris ciuilis regulis repugnare accepi, vt quis alteri stipularetur: inuentæ enim sunt stipulationes, vt vnusquisq; sibi stipuletur quod sua interest, & quia imp. non aperit in dict. l. fin. ex contractu deberi fideicõmissum: non videtur admittenda huiusmodi interpretatio: verius itaq; iudico textum illum loqui in fideicommisso, quo quidem nuda voluntate perficiũtur, & nullo testamento cõdito relinqui possunt: nullamq; expostulant iuris solennitatẽ. l. 3. leg. conficiuntur. ff. de iure codicillorũ. leg. si Titio. 95. §. vlt. l. penul. deleg. 1. l. nutu. ff. de legatis. 3. §. præterea. instituta de fideicommissarijs hæreditatibus. vnde in fideicõmissis peculiaris ratio est, ob quam in his minus solennis voluntas totum efficiat, & hãc rationem expresit Iustinia. in. §. fin. institu. de fideicommissar. hæredi. ex quo textu desumenda est dictæ. l. fin. explicatio: meminit enim in eo Imperator suæ nouæ institutionis, quæ stat in dict. l. fin. dum subdit hæc verba, ne depereat vltima voluntas testatoris fidei hęredis cõmissa. Rursus illa decisio speciali ratione procedit in odium hæredis inficiantis & perperse negantis quidquam à se fuisse relictum: vt adnotauit Accurs. ex Ioan. sententia in fine vltimi scholij ad dictum. §. fin. & constat ex illis verbis textus, si hæres perfidia tentus adimplere fidem recusat negando rem, ita esse subsecutam, itẽ ex illis (quod si is à quo relictum dicitur postquam negauerit, &c.) Ob hanc igitur inficiationis perniciem defertur illi iuramẽtum, vtrùm id à se testator petijsset, quo iuramentum præstare recusante sibi relictũ fideicommissarius consequatur.

¶ Diximus in principio præcedentis difficultatis dupliciter posse dominia transferri secundum legis ordinationem, scilicet, vel, quia lex impedit translationem dominij, vt contingit in pupillis monachis, amẽtibus, & in alijs contractibus, qui fiunt sine iuris solennitate, vel quia me inuito bonorum meorum dominium in alterum transfert, vt contingit in præscriptione. Explicato iam priori modo, superest, vt de secundo nostra constituatur disputatio, & sic est alia difficultas, Vtrùm leges quæ existunt de præscriptione transferant in conscientia rerum dominium in possessores. Ad cuius explicationem aduertendum est, quòd præscriptio potest accipi dupliciter, vno modo communiter, vt comprehendit etiam vsucapionem, & sic est acquisitio dominij per cõtinuationem possessionis per spatium temporis à lege diffiniti, vt dicitur. ff. de vsucapio. leg. 3. Alio modo propriè, vt distingui tur contra vsucapionem, & sic est acquisitio dominij circa rem immobilem certo tẽporis spatio, ex quo infertur, quod præscriptio hoc solo differt ab vsucapione, quod præscriptio est de rebus immobilibus, vsucapio vero de rebus mobilibus, & differunt præterea in eo quod breuiori tempore vsucapitur res quam præscribatur, vsucapitur enim res tribus annis, & nõ præscribitur tã facile, vt habetur in institutis de vsucapione, & C. de Sac. Eccl. in auth. quas actiones. cæterum quantum attinet ad præsentem disputationem eadem est ratio præscriptionis & vsucapionis.

Dubium, vtrùm leges de præscriptione transferãt dominiũ.

Quid præscriptio.

¶ Secundò est aduertendũ, quòd præscriptio est duplex: vna longi tẽporis, altera lõgissimi, præscriptio longi tẽporis, est ea quę per decenniũ inter præsentes & per viginti annos fit inter absentes, vtin prædictis institutis, & C. de præscript. lõgi tẽporis auth. malæ fidei dicitur, dicuntur autẽ præsentes existentes in eadẽ prouincia, vel melius hoc die existentes in eadẽ ciuitate secundũ Accurs. vt notat glos. in. l. cum in longi. C. de præscriptione longi tẽporis, quia sicut olim singulæ prouinciæ, ità hodie singulæ ciuitates habent sua regimina; præscriptio autẽ longissimi temporis est, quæ per spatiũ triginta annorum inter præsentes, & per quadraginta inter absentes fit, qualis in rebus Ecclesiasticis est necessaria, & de qua plura extãt capita. 16. q. 3. imo in auth. supra citata quas actiones, hæc omnia distinguũtur. Dicitur enim, q̃ præscriptio decẽnalis, & vicẽnalis sufficit in rebus sæcularibus, trigẽnalis autẽ, & quadragenalis cõpetit rebus ecclesiasticis, vsucapio vero triennio fit inter præsentes, & quadriennio inter absentes, sed contra Romanam Ecclesiã nunquã præscribitur aliquid, nisi centum annis, vt in cap. nemo. 16. q. 3. dicitur & licet secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

antiquas imperatorum leges omnibus eccle sijs fuerit hoc tempus centum annorum cõ cessum, ita vt minus non sufficeret ad præscribendum contra aliquam, hodie tamẽ sola Romana Ecclesia habet hoc priuilegium de iure, & summi Pontifices interdũ cõmunicant illud alicui alteri per indultũ particularе. Ratio autẽ, propter quã longius tẽpus requiritur ad præscribẽdum inter absentes, quam inter præsentes, est, quia ratio postulat, vt præsentium negligentia, nempe, qui in eadem prouincia, vel in eadem vrbe cõmorantur, breuiori tempore puniatur, quã absentium, ad quos nec ità citò, nec ità facile rerum notitia potuit peruenire.

Præscriptio bonæ & malæ fidei.

¶ Tertiò est aduertendũ, q̃ præscriptio rursus est duplex, vna bonæ fidei, altera malæ. Præscriptio bonæ fidei est, cũ quis per totũ tẽpus à lege constitutũ in rei possessione, manet sine conscientia, aut dubio, q̃ sit alterius, sed putãs semper sine aliqua hæsitatione, q̃ sit sua, vel quia in illa successit patri, vel quia alio iusto titulo eã possidet. Præscriptio autẽ malæ fidei opposito modo describitur, quod est, quando quis possidet fundũ aliquẽ cũ conscientia, aut dubio, quod est alterius. Ex quo infertur, ad bonam fidẽ quatuor esse necessaria. Primũ est, substantia ipsa fidei, hoc est, scientia, vel credulitas sine dubitatione, q̃ res illa sit propria: vbi enim hoc fundamentũ non adest, tota vis præscriptionis infringitur. Secundò requiritur possessio; nam vt habet regula iuris sine possessione nõ præscribitur, nec vsu capitur res. ff. de vsucapio. lege sine possessione. Tertiò requiritur titulus, vel naturalis, vel iure legitimus, vel præsumptus: far enim & vsurarius, & alij id genus, res, quas furto, aut pro vsuras acquirũt nunquam præscribunt. Quartò & vltimò requiritur, q̃ prædicta bona fides toto tempore absq; interruptione cõtinuetur, vt expressè habetur in cap. fi. de præscriptio. Nam si interrupta fuerit, vel quia dñs petit, vel alia via, tũc tempora illa interrupta nõ constituũt vnũ legitimũ tempus præscriptionis. ¶ Scio glos. in cap. fin. de præscriptio. affirmare, quòd dubitãs, etiam si habeat iustam dubitandi causam, nihilominus est in bona fide, & citat per se legem, qui scit. ff. de vsur. §. bonę fidei. Imò & Pariorm. eandẽ sententiam tenet, quam dicit ad literam probari ex cap. si virgo. 34. q. vnica. Vbi D. Augustinus affirmat tandiu bonę fidei possessorem rectissimè quemquam dici, quandiu possidere se ignorat alienũ: cũ verò sciuerit, tũc esse malæ fidei. Et certũ est, dicit Panormit. quòd qui dubitat ignorat. Potest præterea formari argumentũ in fauorem huius sententiæ hoc modo: Qui dubitat rem, quam possidet esse suam, bona conscientia potest illã in iudicio defendere, donec tale dubiũ deponat, vel à se per sententiam subtrahatur: ergo permanet semper in bona fide. Et confirmatur ex regula iuris dicente, quòd in dubijs melior est conditio possidentis. Hoc tamen nõ obstante dico, quòd tempus, quo quis non leui scrupulo, sed probabili cõiectura dubitat, rem esse suam, non annumeratur præscriptioni, quin potius ipsum legitimum tempus præscriptionis interrumpit: nec potest qui tale dubium habet aliqua ratione præscribere. Probatur. Nam iã habet conscientiæ vulnus, atq; adeò eius fides nõ est bona: bona enim idem est ac sana atque quieta. Ex quo fit, vt nec etiam ignoret rẽ esse alienam, quod D. August. affirmat ad bonã fidẽ esse necessariũ. Nec Panormit. id animaduertit, quia non erat Dialecticus, vt dicit Adrian. in. 4. in. q. de prescriptione. Ignorantia enim est duplex: vna puræ negotiationis, ideſt, carentia scientiæ, quæ stat cum dubio: altera praue dispositionis, quæ est contrarium iudicium. Et Augustinus non loquitur de hac posteriori, vt putat Panormitanus, sed de prioti. Non enim vult Augustinus possessorem in bona fide manere, quandiu ignorat, hoc est, quandiu non certè iudicat, aut opinatur rem esse alienam sed quandiu ignorat, hoc est, nullam habet, vel probabilitatem, vel coniecturam: sed certo credit rem esse suam, hoc enim sonat bona fides, quod, non læsa conscientia. Accipitur namque fides in præsenti pro cõscientia, sicut & accipitur à D. Paul. ad Rom. 14. quando dicit. Quod non est ex fide peccatũ est. Nec. §. illud. ex leg. qui scit. ff. de vsuris. à glossa citatũ facit contra nos. Ibi enim solũ dicitur, quòd si quis fundũ bona fide ab vsurario emit, & antequã fructus percipiat, agnouerit esse alienũ, hoc est, probabiles habuerit coniecturas, potest quidẽ fructus percipere, quoad vsq; fundus euectus sit, hoc est, publico iudicio sublatus: nõ tamen dicitur, quod conscientia illa tempus legitimæ præscriptionis continuat. ¶ Ad rationẽ, quã formauimus pro sententia glossæ, Adrian. loco citato dicit, nemini esse licitum, rẽ illã possidere, quam dubitat esse suam, nisi quã tum temporis conceditur ad inquirendam veritatem. Et subdit statim, quòd; sicut iniustè quis capit rẽ, de qua dubitat, an sit sua: ità etiam iniustè tenet & possidet. Sed hęc sententia est apertè falsa & toti iuri cõtraria. Nã cũ secundũ ius in dubijs melior sit cõditio possidentis, manifestè sequitur, nõ tantã sciẽtiam esse necessariã ad retinendũ quod quis

Sententia glossæ cum suo fundamento.

Qui dubitat an, res sit sua, non præscribit.

Ad fundamentum glossæ.

quis possidet; quanta ad capiendum priuata autoritate quod nõ possidet, requiritur. Ex quo etiam fit, vt dubius licitè tueri possit possessionem rei, quam habet, quam tamen sub eodem dubio ab alio de nouo suscipere non posset. Quando igitur quis rem aliquã habet, de qua rationabiliter dubitat an sit sua, esto, nullus petat, tenetur adhibere diligentiam, vt veritatem exploret, quam si assequi non potest non ideo tenetur illam rẽ, ad minus totã dimittere, sed pro ratione dubij, vel cum illo diuidere, quem dubitat esse dominum. Vel, si dubitat rem esse suam, & nullo modo etiam sub dubio iudicat esse alterius, quia id penitus ignorat in particulari, debet aliquam partem pauperibus erogare: & sic erit tutus in conscientia. Et ad argumentum respondetur concesso antecedẽti, negando consequẽtiam. Ratio enim, propter quam dubium tollit bonã fidem, nõ est quia sub illo non potest quis rem defendere in iudicio, aut illa vti: sed quia tunc, vt diximus est conscientia læsa: & sic nomẽ bonæ fidei ad præscribendum necessarium obtinere non potest. Et ad confirmationem ex regula iuris respondetur, ibi tantum dici ad vsum rei in dubijs esse melioré conditionẽ possidentis, non autem ad præscriptionem. Erit ergo tunc præscriptio bonæ fidei, cum quis per totũ tẽpus à lege constitutũ in possessione manet sine conscientia, aut dubio, quod sit alterius, vt paulò ante dicebamus.

Dubiũ principale.

¶ His constitutis est nostra difficultas, vtrùm ille, qui toto tempore ad præscribendum ex lege assignato rẽ possidet, quanuis posteà sciat non esse suam, sed alterius, tutò possit illam retinere; vel potiùs teneatur in conscientia eã priori domino restituere? De qua re sunt variæ Doctorum sententię. Prima est eorũ, qui dicũt, quòd quanuis bona fide quis rẽ possideat toto tempore legis, tamen quotiescunq; sciuerit eã esse alienam, etiam si in foro exteriori sibi fuerit adiudicata, tenetur in conscientia eã vero domino restituere: præscriptio enim, vt dicunt, non trãsfert dominiũ in foro cõscientiæ; quãuis in foro exteriori leges disponãt esse transferendũ. Hanc sententiã tenet summa Rosel. in verb. præscrip. & Raymun. in sua summ.

Sententia aliquorum

Argumen.

Quæ probari potest hoc argumento: Respublica, aut Rex neminẽ ciuiũ potest spoliare inuitũ sua substantia, nisi ratione delicti, vel quãdo ipsa respublica indiguerit pro bono cõmunitatis: sed potest contingere, q̃ absq; vlla prorsus domini culpa, aut negligentia quispiam triginta annis possideat alienũ: ergo tũc possessor nullũ dominiũ eius rei alienæ, quã possidet acquiret, esto eã possideat centũ annis, siquidẽ nulla videtur esse legitima causa, propter quã prior dominus sua re priuetur. ¶ Altera opinio est glos. in. cap. fin. de præscript. asserentis semper esse iudicandũ secundũ leges de præscriptione, etiam si possessor malæ fidei rẽ obtineat. Itaq; secũdum istam sententiam non solùm per continuationẽ possessionis per spatiũ temporis à lege diffiniti, quando adest bona fides trãsfertur dominiũ; sed etiã quando adest mala, tam in foro contentioso, quam in foro conscientiæ. Et probatur: Finis legis de præscriptione est, vt sic puniatur dominus ob negligentiam, quam in propria re acquirenda habuit, sed non est minori dignus pœna dum possessor mala fide possidet, quam dum possidet bona: ergo æqua est vtriusque ratio.

Sententia glossæ.

¶ In hoc tamen sit prima conclusio: Nemo tutus in conscientia præscribit beneficio legis humanæ, nisi toto præscriptionis tempore rem, quam habet alterius bona fide possideat. Hæc est expressa determinatio iuris in illa regula: Possessor malæ fidei, nunquam præscribit. Et ratio est: Nam cum ille dicatur possessor malæ fidei, qui cõscius est, aut dubius rem, quam possidet non esse suã, & qui facit contra propriã conscientiã peccet: peccatũ autem nulli debeat patrocinari; manifestè sequitur contra rationem naturalem esse, quòd possessori malæ fidei ius ei ille patrocinetur: & sic dominiũ rei alienæ ei non confert. Scio secundũ leges ciuiles olim possessoribus etiam malæ fidei rẽ possessam fuisse adiudicari solitam, vt Gratian. adnotauit in ca. dilectio. §. potest. 16. q. 3. & habetur expressè in cap. vigilanti. de præscriptio. Cæterũ Alexan. I I I. in eod. cap. easdẽ leges, vel reijcit, vel saltim moderatur, quantũ ad hoc, quòd possessoribus malę fidei nõ patrocinẽtur. Et eandẽ reuocationẽ, seu moderationem Innoc. I I I. in Concil. Lateran. posteà confirmauit, vt est videre in. c. fi. eo. titu. glossa dicit, summũ Pontificẽ nõ potuisse leges illas reuocare: & sic q̃adhuc manẽt in suo vigore. Tamen hæc sentẽtia est falsa. Nam quanuis potestas imperialis distincta sit à pontificia, nec illa huic sit per omnia subiecta; tamen, quia quantum ad regimen animarum spiritualis potestas temporali ex diuino iure est prælata, fit, vt leges ciuiles delictorũ fautrices qualis esset illa, quæ possessoribus malæ fidei faueret, possit de medio tollere. ¶ Secunda conclusio. Possessor bonę fidei legitimo præscriptionis tẽpore elapso tuta cõscientia rẽ tanquã propriã possidet, ità, vt quãuis posteà sciat nõ fuisse suã, nõ teneatur illã priori dño restituere. Hæc est expressa sentẽtia D. Th. quodli. 12. art. 15. quã

1. Conclus.

2. Conclus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam sequitur Scotus in. 4. dist. 15. q. 2. art. 2. Palud. in. 4. dist. 15. q. 2. conclusi. 4. Adria. in. 4. in propria quæst. de præscriptio. Conradus. C. de contract. q. 15. Sylvest. in sum. verbo. præscriptio. P. Soto lib. 4. de iustit. & iure. q. 5. art. 3. & Martinus Ledesmius in. 2. p. 4. q. 18. art. 1. dub. 14. Itaq; secundum omnes istos Doctores in præscriptione non solùm in foro contentioso, sed etiam in foro conscientiæ transfertur dominium; non voluntate prioris dominij, sed beneficio & potentia legis. Probatur: Leges humanæ non solùm possunt mihi præcipere, vt bona mea alteri resignem, verùmetiam me inuito illorum dominium in alterum transferre, quãdo id opus fuerit ad bonum commune, vt communiter dicunt Doctores. Cum enim omnes ciues in republica sint mẽbra vnius corporis, vt dicit Paul. ad Rom. 14. omnes tenentur suo corpori succurrere. Sed conducit quàm maximè ad bonum commune, quòd certa sint rerum dominia, & quod error longi temporis ab hominibus tollatur, & denique tranquilla sit rerum possessio, vt dicitur in. l. 1. ff. de vsucapione. Vbi sic habetur: Bono publico introducta est vsucapio, ne quarundam rerum diu, & ferè semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium: ergo leges de præscriptione non solum in foro contentioso, sed etiã in foro conscientiæ transferunt dominium. Et confirmatur: Leges illæ possunt transferre dominium in vtroque foro: ergo illud transferunt. Probo consequentiam: Nam cum iura etiam pontificia. 16. quæst. 3. per multa capita, & in cap. si virgo. 34. q. vnic. & de præscriptione. cap. sanctorum, sine aliqua limitatione loquantur, & dent dominium rei possidenti eam bona fide toto tẽpore in lege assignato, manifestè sequitur, quod intendunt dare illud etiam in foro cõscientiæ. Imò, quòd leges ciuiles non solum approbentur à pontificibus in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ, probatur ex cap. vigilanti, & ex cap. fin. de præscript. Ex eo enim, quòd pontifices ibi solum irritauerunt præscriptionem malæ fidei à contrario sensu colligere licebit, quòd approbauerunt præscriptionem bonæ fidei, maxime dum debita opera de hoc tractarent, an præscriptio à legibus ciuilibus concessa esset licita in conscientia, vel non.

Ad arg. pro prima opinione.

¶ Ad argumentum pro prima opinione, Adrianus loco citato dicit, quòd, quia principes, & superiores constituerunt leges de præscriptione in pœnam prioris domini, res suas negligentis, vt constat ex cap. vigilanti. de præscrip. vbi sic dicitur: Ephesinus legislator solùm propter vitandam miserorũ segnitiem, & longi temporis spatium, primus tricennali & quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit, &c. quotlescunq; prior dominus nõ fuit negligens, sed ex mera ignorantia inuincibili res suas nõ petiuit infra tempus præscriptionis, quantũcunq; posteà possessor bona fide illas possideat, nõ præscribit in foro cõscientiæ, sed tenetur eas priori domino restituere. Et ratio Adriani est: Nã dicit, q̃ cessante fine legis, quod etiã eius obligatio cesset est necesse. Hæc tamẽ sentẽtia est apertè falsa. Primo; quia in iure nulla talis legitur exceptio; quã tamen summi pontifices conscientiarũ consultores nõ prætermisissent, si esset intelligenda. Secũdo quia quanuis vulgò nõ alia præscriptionis causa circunferatur, quam culpabilis domini negligentia; si iura tamen, & rationes cõsulas, non hæc est potissima; sed certè bonũ publicum, vt, scilicet, certa sint dominia, & trãquilla rerũ possessio, vt dicitur in. l. 1. ff. de vsucap. & in. c. vigiláti. de præscript. iã citatis. Vnde dico, q̃ qui bona fide præscripserit, siue dominus negligens fuerit, siue non, tutus deinde manens in iudicio conscięntiæ retinet rem, quæ erat alterius, eius dominio verè acquisito, nec transacto præscriptionis tempore; quãuis sciat rẽ, quã possidet, esse alienã, tenetur eam restituere. Ratio autem Adriani nihil valet. Tum; quia, cùm lex illa de præscriptione nõ fuerit punitiua alienæ culpæ; sed consultiua boni cõmunis, nõ ille, quem dicit Adrianus, sed hic est potissimus legis finis; & sic illo cessante, nõ cessat lex. Tum etiã; quia quanuis verũ esset, quod finis legis solũ esset ille, quẽ dicit Adrianus, adhuc tamen nõ sequitur, q̃ illo cessante in particulari legis obligatio cesset. Quia, vt diximus dubio præcedenti, ad hoc, vt aliqua lex suũ amittat vigorẽ, necessariũ est, q̃ eius finis nõ in particulari solũ, sed in omnibus cõmuniter cesset, quod in præsenti non cõtingit. Quare hac sentẽtia Adriani omissa, aliter respõdetur ad argumentũ pro prima opinione factũ, negando, scilicet, q̃ respublica nõ possit quenquã suis bonis priuare, nisi propter crimen. Potest enim id facere propter pacem & bonum commune, vt iam sæpè diximus. Et ità cõtingit in præscriptione. Et per hoc etiam patet solutio ad argumentum factũ pro secunda opinione. Explicatis iã eis, quæ ad materiã dominij spectãt, suntq; velut fundamenta restitutionis, operæpretium est, vt ad ipsam restitutionis materiam accedamus, sequuti ordinẽ D. Th. cuius interpretis, licèt in digni, personã agim⁹.

ARTIC-

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ?

Inf. art. 2. & 5. cor.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd restitutio non sit actus iustitiæ commutatiuæ; iustitia enim respicit rationẽ debiti. Sed sicut donatio potest esse eius quod nõ debetur, ita etiam & restitutio, ergo restitutio non est actus alicuius partis iustitiæ.

2 ¶ Præterea, Illud quod iam transijt, & non est, restitui non potest: sed iustitia & iniustitia sunt circa quasdã actiones & passiones, quæ non manent, sed transeunt, Ergo restitutio non videtur esse actus alicuius partis iustitiæ.

3 ¶ Præterea, Restitutio est quædam recompensatio eius quod subtractum est. Sed aliquid potest homini subtrahi non solum in commutatione, sed etiã in distributione, putà cum aliquis distribuens, minus dat alicui quàm debeat habere, ergo restitutio non magis est actus commutatiuæ iustitiæ quàm distributiuæ.

¶ SED CONTRA, Restitutio ablationi opponitur. Sed ablatio rei alienæ est actus iniustitiæ circa commutationes, ergo restitutio eius est actus iustitiæ, quæ est in cõmutationibus directiua.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd restituere nihil aliud esse videtur, quàm iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ. Et ita in restitutione attenditur æqualitas iustitię secundum recompensationem rei ad rem: quod pertinet ad iustitiam commutatiuam. Et ideò restitutio est actus commutatiuæ iustitiæ, quando scilicet res vnius ab alio habetur, vel per voluntatem eius, sicut in mutuo, vel deposito, vel contra voluntatem eius, sicut in rapina vel furto.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd illud quod alteri non debetur, non est, propriè loquendo eius & si aliquando eius fuerit. Et ideò magis videtur esse noua donatio quam restitutio, cum quis alteri reddit quod ei non debetur. Habet tamen aliquam similitudinem restitutionis, quia res materialiter eadem est: non tamen est eadem secundum formalem rationem, quam respicit iustitia, quod est esse suum alicuius. Vnde nec propriè restitutio dicitur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd nomen restitutionis, in quantum importat iterationem quandam, supponit rei identitatem. Et ideò secundum primã impositionem nominis, restitutio videtur locum habere præcipuè in exterioribus, quæ manentes eædem, & secundum substantiam, & secundum ius dominij ab vno possunt ad alium deuenire. Sed sicut ab huiusmodi rebus nomen commutationis translatum est ad actiones vel passiones, quæ pertinent ad reuerentiam vel iniuriam alicuius personæ, seu nocumentum vel profectum, ita etiam nomen restitutionis ad hoc deriuatur: quæ licet realiter non maneant, tamen manent in effectu vel corporali, putà cum ex percussione læditurcorpus. Vel qui est in opinione hominum: sicut cum aliquis verbo opprobrioso remanet infamatus, vel etiã minoratus in suo honore.

¶ Ad tertium dicendum, quòd recõpensatio, quam facit distribuens ei cui dedit minus, quàm debuit, fit per comparationem rei ad rem: vt si quanto minus habuit, quàm debuit, tanto plus ei detur. Et ideò iam pertinet ad iustitiã commutatiuam.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatẽ respondet D. Th. vnica conclusione affirmatiua, quæ probatur in argumento, sed contra, hac ratione: restitutio opponitur ablationi: sed ablatio est actus iniustitiæ versantis circa commutationes: ergo restitutio similiter est actus iustitiæ cõmutatiuæ. Et in corpore articuli hoc modo: In restitutione attẽditur æqualitas iustitię secundum recompensationem rei ad rem: sed hoc pertinet ad iustitiã commutatiuam: ergo restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Restitutio accipitur dupliciter.

PRO explicatione huius artic. aduertẽdũ est primò, q̃ restitutio potest accipi dupliciter. Vno modo largè pro recõpẽsatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

cumscunq; domini iniuste illati, quæ magis propriè dicitur satisfactio, quam restitutio, vt colligitur ex cap. si culpa. extra de iuriis, & damno illato. Vbi dicitur: Si culpa tua datum est damnum, iure super hoc satisfacere te oportet. Alio modo accipitur restitutio propriè pro redditione rei ablatæ. Et sic dicit D. Thom. in hoc articulo, quòd restituere propriè est iteratò aliquem in dominio & possessione rei suæ statuere. Hæc autem duplex restitutio ex duplici iniustitia, quam vnus homo in alterum committere potest, oritur. Prima consistit in rebus exterioribus: vt dum quis rem alienam occupat. Altera autem in actionibus, & passionibus iniuriosis: vt cùm quis ciuem violenter verberat, aut conuitijs aspergit. Prior modus restitutionem exigit, qua in rebus ablatis æqualitas constituatur. Posterior verò expostulat satisfactionem, vt de commissa culpa fiat proximo compensatio. Itaq; satisfactio non est, nisi vbi iniuriosum crimè adfuit; restitutio vero etiã vbi nulla interfuerit ablationis culpa.

Iustitia semper reddit alteri quod suum est.

¶Secundò est aduertendum, quòd iustitia, siue sit commutatiua, siue distributiua, semper reddit alteri quod suũ est, siue quod sibi debetur: & siquis dat alteri quod non est suum, siue quod sibi non est debitum, non erit actus iustitiæ: sed liberalitatis: vt dicit D. Tho. hic in solutione ad secundum.

Discrimina quæ sunt inter iustitiã distributiuã & commutatiuã.

¶Tertiò est aduertendum, inter iustitiam commutatiuam & distributiuam multiplicem esse differentiam. Prima est, quòd cùm inter ciues reipublicæ duplex possit actio inueniri; vna, qua bona communia illius ciuitatis inter ipsos ciues distribuuntur; altera, qua ipsi ciues bona propria inter se cõmutant, iustitia distributiua rectificat primã actionem; & posterior rectificatur per commutatiuam. Differunt secundo in eo, quòd aliter inuenitur suum in iustitia commutatiua, & aliter in iustitia distributiua. Conueniunt quidẽ duæ istæ iustitiæ in eo, quòd vtraque reddit alteri, quod suum est: sed differunt, quia aliter est suũ, quod redditur alicui per iustitiam distributiuam; & aliter, q̃ redditur per commutatiuã. In iustitia enim distributiua, quia redduntur & distribuuntur bona communia reipublicæ, quæ non sunt propriè & simpliciter ciuiũ, inter quos distribuuntur, non redditur propriè & simpliciter suum, sed solum secundum quid, in quãtum, scilicet, bona totius sunt aliquo modo partium. At verò in iustitia cõmutatiua; quia illa, quæ inter ciues cõmutantur, sunt propria illorum, propriè & simpliciter redditur suũ. Et ex hac differẽtia sequitur alia; nẽpe, quòd in iustitia distributiua id, quod redditur, non propriè & simpliciter est debitum illis, quibus redditur, sed solum secũdum quid, in quantum, scilicet; sunt partes illius reipublicæ, cuius sunt illa bona, quæ distribuuntur. At vero in iustitia commutatiua illa, quæ redduntur propriè & simpliciter, sunt debita illis, quibus redduntur, tãquam bona propria illorum. Et ex his differentijs conuenienter colligunt D. Th. & reliqui Doctores restitutionem esse actũ iustitiæ commutatiuæ. Est enim recompensatio ad æqualitatem simpliciter inter datũ & acceptum, quæ ad iustitiam commutatiuam spectat.

Arg. cõtra conclusionem D. Th.

¶Sed contra hoc est apparens argumentum, quod à D. Th. in isto artic. ponitur ter tio loco. Restitutio est quædam recompensatio eius, quod ablatum est: sed non solum per commutationem potest aliquid subtrahi alicui, sed etiã per distributionẽ. Si enim distribuens bona communia det alicui minus, quam debuit: vt si debebat dare decẽ, & non dedit, nisi quinque; tunc alia quinq; sunt ablata: ergo recompensatio illius, quod sublatum est, siue per commutationem, siue per distributionem erit verè restitutio: atque ex consequenti restitutio non est magis actus iustitiæ commutatiuæ, quã distributiuæ. ¶Ad hoc argumentum respondet D. Thom. quòd distribuens alicui minus, quàm debuit; vt si debebat dare decem, & dedit quinq;, tenetur facere recompensationem illius, quod minus dedit per comparationem rei ad rem spectantem ad iustitiam commutatiuam: quare restitutio semper erit actus iustitiæ cõmutatiuæ.

Solutio D. Thomæ.

Instantia Caietani.

¶Sed contra hoc argumentatur Caietanus; Recõpensatio rei ad rem, siue quæ sit ad æqualitatem, simpliciter solum habet locum, quãdo illud, quod ablatum est, erat vere suum, seu proprium respectu illius cui talis fit recompensatio: sed illud minus, quod quis omisit distribuere, non erat propriè suum, nec proprium bonum illius cui non fuit distributum, etiam si debebat illi distribui: ergo recompensatio, quæ fit ratione illius, nõ debet fieri secundum æqualitatem simpliciter, atque ex consequenti, nec spectabit ad iustitiam commutatiuam. Consequentia cũ maiori est nota; & minor probatur: Bona communia per distributionem efficiuntur propria eorum, quibus distribuuntur: ergo quod non fuerit distributum alicui, etiam si debeat illi distribui, non erit bonũ propriũ illius: atq; ex consequenti, nec eius recompensatio erit ad æqualitatem simpliciter nec spectabit ad iustitiam commutatiuam.

¶Ad

¶Ad hoc argumentum respondet idem Caietanus, quòd, licèt illud, quod aufertur per indebitam distributionem, non sit propriè debitum, & proprie suũ simpliciter & absolutè respectu illius, à quo aufertur, vt rectè probat argumentum, est tamẽ proprie debitum & propriè suũ respectu illius, qui tenebatur facere propriũ, & nõ fecit. Quare respectu eiusdem erit facienda recõpensatio secũdũ æqualitatẽ rei ad rẽ. Ità, scilicet, quòd si tenebatur aliquis dare alicui decẽ de bonis cõmunibus, & nõ dedit, nisi quinque, tenetur alia quinque eidem restituere, vt sic sit inter eos debita æqualitas iustitiæ commutatiuæ. Vnde licet absolutè valeat argumentum: Non est proprium: ergo non est restituendum secundum æqualitatem: non tamen valet respectu distributoris, qui tenebatur facere appropriationem, & non fecit. Sed oportet dicere hoc modo: Non est proprium nec distributor tenebatur facere appropriationem: ergo non est restituendum secundum æqualitatem. Sed tunc est falsum antecedens pro secunda parte. Et sic patet qualiter ex debito communi factum fuit debitum proprium respectu illius, qui non distribuit. Quia enim distributor tenebatur facere de communi proprium cuilibet parti secundum suam proportionem: id circo omnibus & singulis partibus tenetur recompensare, secundum æqualitatem iustitiæ commutatiuæ tantum, quantum de portione sibi debita illi non dedit. Et omissa applicatio illius portionis damnificat partem in proprio; non quidem id, quod erat proprium auferendo; sed auferendo appropriationem ad quam tenebatur. Quare recompensatio similiter erit in proprio; atq; ex consequenti pertinebit ad iustitiam commutatiuam.

Corollarium quod sequitur ex posita solutione.

¶Ex solutione huius argumenti colligit Caietanus, quòd, si in aliqua republica esset statutum, vt aliqui prouentus singulis annis distribuerentur inter ciues conscriptos eiusdem reipublicæ, & distributor tribus annis non distribuisset, quarto autem anno pœnitẽtia ductus, vellet eos distribuere, non deberet omnes tales prouẽtus inter ciues, qui illo quarto anno essent cõscripti, distribuere: sed redditus primi anni deberent distribui solùm inter ciues, qui illo anno fuerunt conscripti. Et sic de singulis. Etsi aliqui illorum essent mortui restitutio facienda esset eorum hæredibus. Si verò distributor omnes illos prouentus triũ annorum solùm inter ciues cõscriptos quarti anni distribuisset, omnibus alijs ciuibus aliorum annorum teneretur suas partes restituere. Cæterum si hostis reipublicæ omnes illos prouentus trium annorum surripuisset, sufficienter satisfaceret, eos reipublicæ restituẽdo, quanuis fuerit causa quod ciuibus non distribuerentur. Et ratio discriminis est: Nam cum fur non teneatur illa bona ciuibus appropriare per distributionem, & quamdiu non appropriantur singulis sunt propria reipublicæ, sufficienter satisfacit reddendo ea reipublicæ, cuius sunt. At verò distributor, quia tenebatur singulis annis illa bona appropriare ciuibus conscriptis eiusdem anni, singulos damnificauit, non faciendo appropriationem. Et sic singulis tenetur satisfacere per restitutionem.

Dubium. vtrùm restitutio sit idem quòd satisfactio.

¶In solutione ad secundum argumentũ dicit D. Thom. quòd quanuis restitutio secundum nominis proprietatem, quæ iterationem quandam importat, solùm videatur habere locũ in rebus exterioribus, quæ manentes eædem secundum substantiam, & secundum ius dominij ab vno ad alterum deuenire possunt; inde tamen translatum est nomen ad actiones, & passiones, ad reuerentiam, vel iniuriam alicuius personæ pertinentes. Quæ licèt realiter non manent, manent tamen in effectu; quales sunt corporum percussiones, & iniuriæ, &c. Circa quod est difficultas, vtrùm restitutio idem sit, quod satisfactio? Ad cuius explicationem dico breuiter, quod quanuis communi vsu sæpe restitutio & satisfactio pro eodem accipiantur, notabile tamen est discrimen, quod inuenitur inter istas actiones. Et quia ea, quæ propriè differunt necesse est, quòd in aliquo conueniãt, explicabimus prius, quid nam sit illud, in quo restitutio & satisfactio conueniunt; explicaturi postea eorum differentias. Dico ergo quòd satisfactio, & restitutio in hoc conueniunt, quòd vtraque pertinet ad iustitiam commutatiuam, vtraque enim fit, secundum æqualitatem rei ad rem: in quo commutatiua iustitia à distributiua distinguitur. Nam si quis iniuria aliquem cædit, ad æqualitatis mensuram debet eidẽ satisfacere: sicut & ille, qui ab altero rem aliquam abstulit. Scotus in 4. distinct. 14. quæstio. 2. constituit pœnitentiam sub iustitia vindicatiua, quæ est species distributiuæ. Et sic satisfactionem, quæ est pars pœnitentiæ sub eadem iustitia distributiua constituere debet. Cæterum, D. Thom. 3. part. quæstio. 85. articul. 3. pœnitentiam sub iustitia commutatiua constituit etiam quantũ ad satisfactionem. Afficere enim iniuria aliquem, idem est, ac si rem illi auferas. Et sic satisfacere pro offensa eiusdem, etiam iustitiæ debet esse, ac si rem ablatam reddas. Ve-

Restitutio & satisfactio in aliquibus conueniunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum tamen est, quòd, quoniam Deo post contritum animum, nihil corporeum gratius reddere possumus, quam corporis castigationem, idcirco respectu Dei satisfactio habet quandam punitionis formam, iuxta illud Augustini: Pœnitentia est quædam dolentis vindicta semper puniès in se, quod dolet commisisse. Sed de hoc in materia de pœnitentia.

Satisfactio & restitutio in multis differũt

¶Constituto iam eo, in quo restitutio, & satisfactio conueniunt, operæpretium est, vt dicamus de earum differentijs, quæ sunt plures. Prima sumitur ex parte materiæ, quã constituit D. Thom. in. 4. distinct. 15. quæstio. 1. artic. 5. Restitutio enim propriè versatur circa res exteriores; satisfactio vero non, nisi circa actiones, & passiones iniuriosas, vt diximus in principio huius articuli. Ex quo fit, vt satisfactio non sit nisi vbi iniuriosum crimen adfuit, cum tamen restitutio inueniri possit, etiam vbi nulla interfuit ablationis culpa, vt contingit in deposito, & in rebus inuentis. Secunda differẽtia nascitur ex priori, & desumitur ex parte illorum, quibus restitutio & satisfactio est facienda. Restitutio enim propriè solùm fit hominibus. Nam cùm à Deo nihil propriè possimus auferre, nec etiam aliquid eidem reddere, quod sibi accrescat (bonorũ enim nostrorum non indiget) nulla ratione fieri potest, vt inter Deum & homines vera inueniatur restitutio. At verò satisfactio nõ solum hominibus, sed præcipuè sit Deo. Licet enim in proximos contingat peccare, quos diligere, vt nosipsos tenemur, & ideò illis aliqua satisfactionis ratio debeatur; propriè tamen in Deum solum peccamus. Et sic dicit D. Augustin. peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Quare soli Deo propriè debetur satisfactio ad iustum, quæ vel in hac vita, vel in purgatorio necessario persoluenda est.

¶Tertia differentia sumitur ex diuersitate effectuum vtriusque virtutis. Nam per restitutionem non remittitur peccatum: sed solum à peccando cessatur: cùm tamen per satisfactionem remittatur peccatum, quoad pœnam, remissa prius culpa. Est enim satisfactio, solutio pro debito peccati, quod tãdiu dicitur durare, quandiu durat pœna. Et ex hac differentia sequitur quarta: nempe, quod satisfactio nõ potest fieri sine Dei gratia, vt latè docet D. Thom. in materia de satisfactione. At verò restitutio legitimè fit inter homines sine gratia Dei, imo & sine humana amicitia, quod satisfactioni repugnat. Qui enim reddit inimico totum quod ab illo abstulit, aut mutuo recipit, perfectè dicitur restituere, quãuis ei in suã amicitiã non recipiat. Quinta differentia est, quòd satisfactio est pars pœnitentiæ. Restitutio autem non est pars pœnitentiæ, sed potiùs præambulum ad illam. Qui enim alienam pecuniam contraxit, quã dum est soluendo inuito domino retinet, vel iniuriam, quam illi intulit diluere recusat, non potest dignè ad pœnitentiam accedere, nisi à tali delicto per restitutionem euellatur. Itaque restitutio contritionem, (quæ saltim natura est prior pars pœnitentiæ) antecedit: satisfactio verò etiam confessionem, quæ est secunda pars pœnitentiæ subsequitur. Vltima differentia est, quòd satisfactio non solum viuis ad meritum, verum & defunctis in purgatorio existentibus ad remissionem pœnæ, quando illorum nomine fit, prodesse potest: Cum tamen restitutio, per se loquendo, non ea ratione auxilietur defunctis, vt sedulitas hæredum prosit, vel noceat negligentia, sicuti vulgò existimatur. Qui enim dedit operam in hac vita, vt debita soluerentur, siue negligant hæredes, siue non, ideo tardius à pœna liberabitur. Contra rationem enim est quòd quis pro ea culpa patiatur, quæ iam nullo modo est in sua potestate, secus autem esset si hæredes omisissent sacrificia, vel suffragia: quoniam hæc habent rationem satisfactionis. Ex dictis infertur, satisfactionem, & restitutionem plurimum inter se se distinguĩ, quamuis sæpe sæpius in iure eodem restitutionis nomine appellentur.

Corollariũ

Articvlvs. II.

¶Vtrùm sit necessarium ad salutem, quòd fiat restitutio eius quod ablatum est.

4. d. 15. qu. 1. a. 8. q. 2. Et quol. 12 art. 20.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur quòd non sit necessarium ad salutem quòd fiat restitutio eius quod ablatum est. Quod enim est impossibile, non est de necessitate salutis. Sed aliquando impossibile est restituere id quod est ablatum, puta, cum aliquis abstulit alicui membrũ, vel vitam: ergo non videtur esse de necessitate salutis, quod aliquis restituat, quod alteri abstulit.

2 ¶Præterea, Committere aliquod peccatum non est de necessitate salutis: quia sic homo esset perplexus. Sed quãdoque illud quod aufertur, non potest restitui sine peccato: puta, cum aliquis alicui famam abstulit, verum dicendo: ergo

ergo restituere ablatum non est de necessitate salutis.

3 ¶Præterea, Quod factum est, nõ potest fieri, vt factum non fuerit. Sed aliquando alicui aufertur honor suæ personæ ex hoc ipso, quòd passus est ab aliquo iniustè vituperante eum: ergo nõ potest sibi restitui quod ablatum est. Et ita non est de necessitate salutis restituere ablatum.

4 ¶Præterea, Ille qui impedit aliquẽ ab aliquo bono consequendo, videtur illud ei auferre: quia quod modicum deest, quasi nihil deesse videtur, vt Philosophus * dicit in secundo Physicor.

Lib. 2. tex. 56. tom. 2.

Sed cum aliquis impeditaliquẽ, vt non consequatur præbẽdam, vel aliquid huiusmodi, non videtur quòd teneatur ei ad restitutionem præbendæ: quia quandoque non posset. Non ergo restituere ablatum est de necessitate salutis.

Epist. 54. ad med. illius, to. 2. Et habetur. 14. q. 6. ca. Si res aliena.

¶Sed Contra est, quod Augst. dicit in Epistola * ad Maced. 14. quæst. 6. Si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, nõ remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si (vt dixi) restitui potest.

Ar præced.

¶Respondeo dicendum, quòd restitutio, sicut dictum * est, est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideo restituere importat redditionem illius rei, quæ iniuste ablata est. Sic enim per iteratam eius exhibitionem æqualitas reparatur. Si verò iustè ablatum sit, inæqualitas erit, vt ei restituatur: quia iustitia in æqualitate consistit. Cùm ergo conseruare iustitiam sit de necessitate salutis, consequẽs est quod restituere id quod iniustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quod in quibus non potest recompensari æquiualens, sufficit quòd recompẽsetur, quod possibile est: sicut patet de honoribus qui sunt ad Deum & ad parentes, vt Philosophus dicit * in octauo Ethicorum. Et ideo quãdo id quod

Li. 8. c. vlt. non procul à fine, to. 5.

est ablatum, non est restituibile, per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta, cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione vtriusque personæ, secundum arbitriũ boni viri.

¶Ad secundum dicendum, quòd aliquis potest alicui famam tripliciter auferre. Vno modo verum dicendo, & iuste: puta, cum aliquis crimen alicui ius prodit ordine debito seruato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & iniustè, & tunc tenetur restituere famã, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed iniustè: puta, cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad restitutionem famæ quantum potest, sine mendacio tamen: vtpotè quod dicat se malum dixisse, vel quòd iniustè eum diffamauerit. Vel si nõ possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in alijs dictum * est.

In fol. ad. 1.

¶Ad tertium dicendum, quòd actio contumeliam inferentis non potest fieri, vt non fuerit. Potest tamen fieri, vt eius effectum, scilicet, diminutio dignitatis personę in opinione hominum, reparetur per exhibitionem reuerentiæ.

¶Ad quartum dicendum, quòd aliquis potest impedire aliquem ne habeat præbendam multipliciter. Vno modo iustè, puta, si intẽdens honorem Dei, vel vtilitatem Ecclesiæ, procuret quòd detur alicui personæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquam recompensationem faciendam. Alio modo iniustè: puta, si intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiusmodi: & tunc si impedit ne præbenda detur digno, consulens quòd non detur antequam sit firmatum quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem pensatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis conditionibus personarum, & negotij, secundum arbitrium sapientis: non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si verò iam firmatum sit quòd alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret quòd reuocetur, idem est, ac si iam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Thom. vhica conclusione, quæ talis est: Restitutio eius, quod iniustè ablatum est, est de necessitate salutis. Probatur in argumento, sed contra, testimonio D. Augustini in Epistola ad Marc. dicentis: Si res aliqua, propter quam peccatum est, redi posset, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autē veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et in corpore articuli: Hac ratione conseruare iustitiam est de necessitate salutis: sed ad conseruandā iustitiā est necessaria restitutio iniustè ablatorū: est enim restitutio, vt ex supra dictis patet, recompēsatio æqualitatis violatæ: ergo restitutio eī quod iniustè ablatum est, est de necesitate salutis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius articuli aduertendum est, quòd, vt constat, ex litera D. Thom. dupliciter aliquid potest à proximo auferri. Vno modo iniustè. Et de huiusmodi iniustè ablatis per iniustam acceptionē, ponitur conclusio, qua dicitur, necessariū esse ad salutem, quòd talia iniuste ablata restituantur. Alio modo iuste, vt contingit in mutuis, & in venditione. Et de his dicit D. Thom. in corpore articuli, quòd fiet inæqualitas, si talia restituantur. Sed contra hoc est argumentum: Qui rem alienam iure emptionis, aut mutui accepit, iustè abstulit, & tamen est obnoxius restitutioni: ergo falsum est dicere, quòd qui reddit iustè accepta facit inæqualitatem. ¶Ad hoc argumentum, vt respondeamus supponendū est tanquam certum, ex doctrina D. Thomæ in præcedenti articulo, quòd vndecunque debitum sit contractum, siue ex voluntario commercio, siue ex iniqua vsurpatione, semper illud est reddendum ex necesitate. Neque contrarium huius vult affirmare D. Thom. in isto articulo: sed tantū vult docere id, quod nos ante insinuauimus, nēpe, quòd restitutio, propriè loquendo, nō habet locum, nisi quando præcesit, vel iniusta acceptio, vel detentio. Nam vtrunque horum nomine iniustæ ablationis intelligendum est. Quandiu enim aliquis rem aliquam iustè detinet, quia nondum tempus solutionis aduenit, non est obnoxius restitutioni. Quare si ex necessitate illam restituere compelleretur, proculdubio fieret inęqualitas. Et sic inuniuersum habet verum, quòd restitutio semper est de iniustè ablatis. Nam quæ congruo tempore soluūtur reddi potiùs, quam restitui sunt dicenda. Et per hoc patet solutio ad argumentū.

¶Caiet. in principio sui commenti dicit D. Thom. in isto articulo solum loqui de restitutione iniustè acceptorum, & non de restitutione simpliciter. Idque probare nititur ex titulo eiusdem articuli. Sed proculdubio fallitur. Nam nomine ablatorum, nō solum intelligit iniustè accepta, sed & iniustè detenta, quæ etiam restituere est de necesitate salutis.

Argumentum contra dicta in litera d. Thomæ.

Notæ pro solutione. Responsio.

Dubium.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, quanā ratione sit intelligendum, quod restitutio sit necessaria ad salutem. Ad cuius explicationem aduertendum est, quòd dupliciter aliquid potest dici hominibus ad salutem necessarium. Vno modo per modum applicationis, tanquam mediū, quo virtus Christi capitis nobis applicetur; Siue per solam susceptionem sine aliquo actu, ex parte nostra, vt contingit in baptismo paruulorum. Siue mediante aliqua dispositione, vt contingit in pœnitentia. Qua ratione quædam sacramenta dicuntur hominibus necessaria ad salutem, quia, scilicet, statuit Deus virtutem passionis Christi, non nisi pro illa hominibus applicare. Alio modo dicitur aliquid necessarium ad salutem, non per modum applicationis, sed per modum executionis tantum. Qua ratione præcepta omnia obligantia ad mortale dicuntur necessaria ad salutem, iuxta illud Matthæ. capit. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Dupliciter aliquid potest dici necessariū ad salutem.

¶Hoc supposito dico, quòd ei, qui iniustè quidpiam accepit, vel etiam detinet, restitutio est necessaria ad salutem. Non per modum applicationis: non enim statuit Deus virtutem passionis Christi per restitutionē hominibus applicare ex opere operato, tanquam per sacramenta: sed per modum executionis tantum. Itaque, quemadmodum supposito peccato mortali, est necessarium sacramentum pœnitentię per modum applicationis in re, si adsit facultas, & in voto, si desit: ita etiam supposita iniusta detentione

Respōdetur ad dubitationem.

detentione est necessārium necessitate præcepti restituere aliena. In quo sensu conclusio D. Thom. est de fide tenenda, contra errorem Græcorum, quem refert Castro de hæresib. verbo, restitutio, & Soto lib. 4. de iustitia & iure, quæst. 6. artic. 2. Et probari potest, primò ex Psalmo. 14. vbi inter conditiones ad beatitudinem requisitas, vna ponitur, operari iustitiam. Et Esai. cap. 33. & assignatur tanquam necessarium ad cauendam damnationem, & consequendam cælestem habitationē, ambulare in iustitijs. Certum est autem, quòd restitutio est opus necessarium tam ad conseruandam iustitiam, quam ad ambulandum in illa. Præterea ad Roman. 13. dixit Paul. Reddite omnibus debitū, cui tributū, tributū, & cui vectigal, vectigal, & cui honorē, honorē, & nemini quidquam debeatis, &c. Sed qui retinet alienum, debet: ergo de fide est, quod est facienda restitutio. Ad hoc idem propositum adducunt multa alia scripturæ testimonia Castro & Soto locis citatis. Videte illa.

Quæstio.

¶Et si quis quærat, quænam sit ratio, propter quam D. Thom. peculiariter quæsit de restitutione, an sit necessaria ad salutem, & non illud quærit de iustitia in genere, si restitutio non est alio modo necessaria, quam aliæ operationes virtutum quæ sunt in præcepto? Dico, quòd quamuis restitutionis præceptum hoc habeat commune cum alijs affirmatiuis, quòd exigit determinatum tempus, quo peculiariter obliget: habet tamen hoc particulare, quòd est veluti quædam interdictio status peccati mortalis. Quandiu enim durat iniusta detentio, tandiu quantum ad continuationem perseuerat peccatum, iuxta illud Augustini, adductum in argumento, sed contra: Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et propterea peculiariter quæritur de restitutione, an sit necessaria ad salutem. Ex quo infero, quòd aliter se gerere debent confessarij cum pœnitentibus restitutionem impositā omittentibus, quām cum illis, qui alia præcepta omiserunt. Nam pleraque alia si omittantur sola pœnitentia deleri possunt, quia transiuit obligatio. Cæterum in restitutione semper manet. Et ideò ante absolutionem, si facultas adest, exequenda erit regulariter restitutio. Dixi regulariter: nam pro qualitate personarum, & tēporis opportunitate aliter aliquando facere oportebit, secundum rectam prudentiam confessarij.

Solutio.

Notæ pro confessarijs.

Primū argumentum contra conclusionē D. Thomæ.

¶Sed contra conclusionem D. Thom. argumentor: Qui alienum iniustè accepit satis suæ saluti consulit, si eleemosynas facit: ergo restitutio non est necessaria ad salutē. Consequentia est nota, & antecedens probatur ex Luca, capit. 11. vbi Pharisæis, qui erant pleni rapina, & iniquitate, dixit Christus: Veruntamen, quod supersest, date eleemosynam, & omnia munda erunt. Quibus verbis D. Ambrosius existimat mirè commendari virtutem eleemosynæ. ¶Secundo: Obseruare diuina præcepta sufficit ad salutem, iuxta illud Matthæ. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; sed nullo præcepto diuino præcipitur nobis restitutio rei alienæ: ergo ea non est necessaria ad salutem.

2. argumentum.

¶Ad primum respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dico, quòd loci illius duplex est sensus. Vnus, quod Christus in illis verbis nulla vsus est figura, aut tropo; sed absolutè voluit commendare eleemosynam, tanquam plurimum valentem ad delenda peccata: sicut & illam commendauit Daniel cap. 33. dum dixit Nabuchdonosori: Peccata tua eleemosynis redime. Per hoc tamen non eximitur debitor, aut fur ab obligatione restitutionis, quotiescumque constat cui illa est facienda. Itaq; dat Christus consilium de facienda eleemosyna in eo loco, & non tollit obligationem restituendi. Hanc expositionem sequuntur antiqui patres August. Ambrosius, atque Chrysostomus. Quæ licèt bona sit, non tamen omnino videtur quadrare textui. Nam finis Christi in eo loco est reprehendere Pharisæorū vitam, atque docere eam maximis criminibus esse plenam. Esset autem valde à proposito alienum, eo tempore, quo multa Christus in Pharisæos asperè diceret, & plura restarent dicenda, in medio orationis admonere eos, vt sua illa maxima peccata parua eleemosyna redimerent. Tum, quia sic diminueretur autoritas reprehensionis, cùm non multi facienda viderentur ea vitia, quę tam facilè ab anima possunt deleri: Tum etiam, quia Pharisæi eam emendationem, quam ex Christi reprehensione concepissent, statim remitterent, tam facili oblato remedio. Ac denique, vt dicit Caietanus, quia, licèt præceptum de danda eleemosyna in vniuersali sit sanctum, tamen in particulari ijs, qui furto & rapinæ student, dicere, vt eleemosynis se purgent, impium videtur, & absurdum consilium. Quocirca aliter idem Caietanus interpretatur illum locum dicens, quod verbis illis Christi deriso quædam ironica continetur. Qui tropus frequentissimus est in sacris literis; vt constat ex illo Ecclesiastes. cap. 11. Lætare iuuenis in adolescentia tua, & ambula in vijs, cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, &c.

Ad. 1. argū.

D. Augustin.

D. Ambros.

Explicatur locus Lucæ cap 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

&c. Quo loco certum est Salomonem non præcipere illi ætati, vt lætitiæ se dedat, atq; gaudio, sed potiùs ironia quadam vsus lætentur, hortatur: atque indicat quantus meror & quanta tristitia in modicam eam lætitiam consequantur. Et ideò adducit statim; Pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Ac si diceret: gaude, vt lubet iuuenis; serui voluptatibus tuo arbitratu. At interim scito, quòd non post multum temporis omnium earum rerum sub seuerissimo iudice rationem reddes. Et ad istum modum intellige quod Christus non præcepit Pharisæis eleemosynas dare, sed potiùs per ironiam eos irridet: quia cum tot sint implicati sceleribus, atque rapinis, putant ab omnibus per paruam eleemosynam esse liberandos.

Ad. 2. argumentũ. Sententia Adriani & aliorum de modoquo restitutio est præcepta.

¶Pro solutione secundi argumenti operæpretium est, vt explicemus, quonam mãdato restitutio sit præcepta. Cano in relectione de pœnitentia, part. 4. & Medina. C. de pœnitentia, titulo. 1. quæstio. 6. & Adrianus in. 4. in materia de restitutione, dicunt, quòd præcipitur illo præcepto negatiuo: Non furtum facies. In qua sententia videtur esse D. Thom. articulo. 8. huius quæstionis in responsione ad primum argumentũ. Vbi dicit, quòd præceptum de restitutione facienda, quanuis secundum formam sit affirmatiuum, implicat tamen in se præceptũ negatiuum, quo prohibemur rem alterius detinere. Et quæstio. 66. articulo. 3. ad. 2. etiam dicit, quòd detinere id, quod alicui debetur eandem rationem nocumenti habet cum acceptione iniusta. Et sic sub iniusta acceptione intelligitur etiam iniusta detentio. Sed, vt hæc sententia melius intelligatur, aduertendum est cum Adriano loco citato, quòd quanuis præcepto negatiuo directè & principaliter prohibeatur aliquis actus positiuus, vt illo præcepto: Non occides, prohibetur directè actus occidendi, & illo præcepto: Non furtum facies, prohibetur directè actus furandi; secundario tamen & indirectè etiam prohibetur quidquid æquiparatur actui illi positiuo principaliter & directè prohibito per tale præceptũ negatiuum, etiam si illud, quòd æquiparatur sit purè negatiuum. Et sic dicit, quòd, quia hoc, quod est; Non pascere fame morientem, æquiparatur actui occidendi, iuxta id, quod dicit Symmachus Papa. 85. d. statim in principio, non grandis, differentia est, si mortem inferas, aut non prohibeas. Mortem enim languentibus probatur inferre, qui hanc cùm possit, non excludit. Et D. Ambrosius in cap. pasce. 86. d. Pasce, inquit, fame morientem: quod si non paueris, occidisti. Itaque, quia hoc, quod est, non pascere fame pereuntem, quantum ad nocumẽtum proximi æquiparatur actui positiuo occidendi, idcircò illo præcepto negatiuo; Non occides, prohibetur vtrumque. Et similiter in nostro proposito, quia, non restituere alienum, æquiparatur actui positiuo furandi: per vtrumque enim æquale nocumentum proximo infertur; idcircò istud negatiuum, quod est non restituere, etiã prohibetur illo præcepto, de non furando. Et si quis obijciat; restituere est actus positiuus: ergo si præcipitur, debet præcipi præcepto affirmatiuo, respondet Adrianus, quòd, quotiescunque aliquo præcepto prohibetur aliquid negatiuum, etiam eodẽ præcepto præcipitur actus positiuus illi negatiuo contrarius. Vt, quia hoc negatiuum; quod est, non pascere famẽ pereuntem, prohibetur illo præcepto; Non occides, idcircò etiam eodem præcepto præcipitur actus positiuus, illi negatiuo contrarius, qui est; Pascere fame morientem. Et pari ratione in nostro proposito, quia hoc, quod est, non restituere, prohibetur præcepto de non furando, idcircò etiam eodem præcepto præcipitur actus positiuus, qui est, restituere alienum.

Sententia Adriani sit valdè probabilis, & ingeniosa, melius tamen atq; clarius existimo affirmare, quòd sunt aliquo modo distincta, illud, quo prohibetur, non restitutio sui, detentio rei alienæ, & illud, quo præcipitur restitutio. Nã cum sint duo distincta obiecta, restituere, & non restituere, vnum positiuum, alterum negatiuum; videtur, quòd ad distincta debeant præcepta pertinere. Et confirmatur: Præceptis negatiuis prohibentur actus mali, & præceptis affirmatiuis præcipiuntur actus boni: sed detinere alienum, seu non restituere est malum: restituere verò est bonum: ergo vnum prohibetur præcepto negatiuo, & alterum præcipitur affirmatiuo: atque ex consequenti sunt duo præcepta cuius vtriusque fecit mentionem D. Paul. ad Roman. 13. affirmatiui dicens: Reddite omnibus debita: Et negatiui subiungens: Nemini quidquã debeatis. Hunc modum dicendi sequitur Soto lib. 4. de iustitia & iure. q. 6. artic. 2. in responsione ad secundum argumẽtum. Verum tamen est, quod illud præceptum affirmatiuum restituendi, reducendum erit ad præceptum negatiuum, de non furando. Nam in iure nõ solùm dicitur furtum acceptio rei alienæ inuito domino: sed etiam quæcunque rei contrectatio domino inuito

Sententia aliorum.

Præceptũ affirmatiũ de restituẽdo reducitur ad negatiũ de non furando.

inuito. Imo qui vtitur pignore, aut re mutuata in aliquem vsum contra domini voluntatem, dicitur furtum committere, vt habetur expresse Inst. de obligationibus, quæ nascuntur ex delicto. §. furtum. Et in lege, qui iumenta. ff. de furtis, etiam dicitur, quòd qui iumenta sibi cõmodata longius duxerit, alienaue re inuito domino vsus fuerit, furtũ facit. Ex dictis infertur restitutionem rei alienæ esse in præcepto, siue illud sit negatiuum, vt dicit Adrianus, siue affirmatiuum, vt dicit Soto. Et sic patet solutio ad argumentum.

¶Circa argumenta D. Thomæ est aduertendum, quòd in illis discurrit Doctor Sanctus per omnia genera bonorum temporalium; quorum restitutionem ostendit esse necessariam. Et quia secundum ordinem dignitatis inter alia corporalia primum locũ obtinet vita, idcircò ab illa in primo argumento exordium sumit. Cæterum, quia nos in præsenti agere intendimus de omnibus illis bonis, in quibus obligatio restituendi locum habere potest, inter quæ supremum locum tenent spiritualia, idcircò priùs dicemus de spiritualibus, dicturi posteà de corporalibus secundum ordinem à D. Thom. obseruatum. Quare est prima difficultas, vtrùm ille, qui læsit alium in bonis spiritualibus, teneatur aliquam restitutionem facere? Et pro parte affirmatiua argumentor primò. Quicunque nocet proximo in temporalibus, manet obnoxius restitutioni; sed spiritualia nocumenta sunt grauiora temporalibus: ergo à fortiori, qui nocet in spiritualibus manebit obnoxius restitutioni.

Prima difficultas de restitutione bonorũ spiritualium.

1. argumentum.

¶Secundo: Si nocenti in spiritualibus, non superesset talis obligatio, ex eo potissimum esset, quòd qui peccat sumit voluntariè tale detrimentum: sed hæc ratio nihil valet; nam qui soluit vsuras voluntariè patitur; & tamen alius tenetur restituere: ergo. ¶Tertiò: Qui decipit alium maiori vinculo tenetur, eum ab errore reuocare, quã alij, vt de se patet: sed hoc maius vinculum non potest oriri, nisi ex obligatione iustitiæ, ad quam sequitur necessitas restitutionis: ergo qui nocet in spiritualibus tenetur aliquam facere restitutionem. ¶Quartò: Qui ex malitia reuocauit à religione nouitium, vel professum, tenetur eidem, aut religioni aliquam facere satisfactionem, propter iniuriam illatam: sed status religionis inter spiritualia computatur: ergo etiam in his habet locum restitutio. Et confirmatur: Qui ab altero mentem eripuit per venenũ, aut alia via, vel abstulit scientiæ, aut artis memoriani, nocet in spiritualibus, & tamen

2. argumẽtum.

3. argumẽtum.

4. argumẽtum.

tenetur ad restitutionem, vt omnes concedunt: ergo spiritualia sunt restituenda.

Sententia Adriani & aliorum.

¶Propter hæc argumenta nonnulli ex Theologis dicunt, quòd qui nocuit alicui in spiritualibus, quod contingit quãdo quis consilio, aut exemplo inducit alium ad peccandum, vel reuocat illum à bono opere, scilicet, ab ingressu religionis, vel ab eleemosyna conferenda, propter quod factum fuit, vt amittat gratiam, aut non habeat maiorẽ, talis tenetur eorum bonorum spiritualium facere restitutionem; non quidem eadẽ bona conferendo; nam hoc est impossibile, sed vel rogando, vel hortando, vel orãdo Deum pro ipso; vel quacunque alia via dando operam, vt emendetur, & redeat ad gratiã Dei. Hanc sententiam tenet Adrianus in. 4. in propria quæstione, quam de hoc mouet, in materia restitutionis, & Scotus in. 4. dist. 15. quæstio. 3. artic. 1. Ricardus eadem d. artic. 4. quæstion. 2. Paludanus in. 4. distinct. 15. quæstio. 2. artic. 2. conclusione. 1. Maioris eadem dist. quæstio. 17. dubio vltimo, Antoninus. 2. p. tit. 2. cap. 2. & summa Angelica verbo, restitutio, in principio.

Nõ est possibilis in omni materia certitudo euidentiæ.

¶Pro explicatione huius difficultatis & multarum aliarum, quæ in materia morali frequenter occurrunt, aduertendum est primò ex Arist. lib. 1. Ethic. non esse possibile, quòd in omni materia omnium eorum, quæ ibi tractantur habeatur certitudo euidentiæ. Imò addit Aristoteles esse pertinacis, & hebetis ingenio æqualem in omnibus exigere certitudinem, nec contentum esse illis, quæ in tali materia quo quo modo sciri possunt. Habetque hoc maximè locum in materia morali, in qua imprudentis, & amentis est plus quam coniecturas, aut rationes probabiles, autoritatesque Doctorum, ac virorum prudentum postulare: quod & nos facemus hic & in quacunque alia morali disputatione. ¶Secundò est aduertendum, quod, vt constat ex D. Thom. infra, artic. 6. vno è duobus modis, vel ambobus simul, potest alicui contingere obligatio restitutionis, scilicet, ratione rei acceptæ, vel ratione iniustę acceptionis. Exemplum primi: Petrus, qui rem alterius furatus non fuit, habet eam apud se, vel quia eam emit ab eo, qui furatus fuerat, vel, quia fur gratis illam contulit, tenetur eam restituere ratione rei acceptæ apud se detentæ. Exemplum secundi: Idem Petrus furatus fuit rem alterius, & posteà perdidit illam; aut alius fur ab eo furatus fuit, tenetur nihilominus eam restituere: non ratione rei acceptæ, quia eam apud se non habet, sed ratione iniustę acceptionis. Et sic qui alterius domus combusit, aut messes

Obligatio restitutionis semper oritur, vel ex re accepta, vel ex iusta acceptione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

messes depopulatus est, tenetur restitutionem facere ratione tantùm iniustę acceptionis. Appellamus autem iniustam acceptionem in præsenti quamcumque iniuriam alteri factam, dummodo violationem iustitiæ in se contineat: nam ex hac solum nasci tur obligatio restitutionis.

Primum dictum. ¶His suppositis ad explicationem difficultatis, dico primò, certum esse, quod qui alteri nocuit in spiritualibus bonis, non tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ: non enim habet apud se gratiam, aut virtutem, in quibus nocuit. *Secundum dictum.* ¶ Dico secundo, quòd quanuis alicuius peccatum sit ex suo genere grauissimũ, ex eoque sequatur proximo maximum detrimentum, adhuc intentum ab operante; si tamen non habet annexam iniuriam, nullã relinquit obligationem restituendi. Verbi gratia: Si quis ex sola libidine citra vim, aut fraudem nobilem fœminam ad flagitium inducat, & illa consentiens amittat non solum Dei gratiam, sed & æstimationem apud homines, & statum, ad quem vocãda esset, si castè vixisset; non tenetur aliquid restituere. Fateor peccati grauitatem plurimum augeri, & ex nocumento sequuto, & ex praua intẽtione nocendi: quæ quantò magis fuerit expressa, tãtò magis erit charitati contraria. Sed nego obligationem restituendi superesse. Et probatur ex fundamento posito: Obligatio restitutionis solum habet ortum, vel ex re acceptа, vel ex iniusta acceptione. Sed in casu posito non est res accepta, vt constat, nec etiam acceptio iniusta; nulla enim fœminæ fit iniuria, quæ iustitiæ violationem contineat: ergo nulla manet obligatio restitutionis. Ex hoc infertur, quòd ex peccato scandali, vel materiali, quando ex facto alicuius præter intentionem sequitur ruina proximi, vel formali, quando malum alterius est per se intentum, nunquam relinquitur obligatio restituendi. Scandalum enim formaliter opponitur charitati, & nõ virtuti iustitiæ: & restitutio semper præsupponit iustitię violationem. Secus autem erit de obligatione correctionis fraternæ, quæ ex misericordia procedit, & non ex debito iustitiæ, vt diximus supra, quæstione trigesima tertia. *Tertiũ dictum.* ¶Dico tertio: Quicunque per vim aut fraudem aliquem in peccatum induxit, tenetur ad restitutionem eius damni, quantum possibile fuerit. Probatur: Quando fraus intercedit, aut violentia, est locus iniuriæ, vt patet in ciuilibus contractibus: sed restitutio est veluti reparatio factæ iniuriæ: ergo poterit in eis locum habere. Et si quis quærat, quid tunc facere teneatur, respondeo, quòd si per vim detinet in occasione peccandi, tenetur liberum relinquere: si metu est oppressus, tenetur securum facere: si decepit, tenetur docere veritatem. Sed quoniam hæc remedia potius videntur ad cauenda futura peccata, quàm ad delendum commissa, adhuc dico, quòd iure restitutionis tenetur qui taliter læsit admonere, exhortari, preces ad Deum fundere, ac meliori via, qua poterit, dare operam, vt læsus resipiscat. Cùm enim ex iustitia teneatur spirituale detrimentum, quod per vim, aut fraudem intulit, reparare, & ad id faciendum prædicta media videantur aptiora, & magis opportuna; manifestè sequitur, quod tenetur illa omnia adhibere.

Quæstio. ¶Et si quis quærat, an in temporalibus teneatur facere recompensationem, qui alterum fraudulenter induxit ad peccandum; respondeo, per se loquendo damna spiritualia reparanda non esse per bona temporalia; quia temporalia; & spiritualia sub eodem genere commutabilium non continentur. *Solutio.* Per accidens tamen exigitur aliquando temporalis recompensatio in duobus casibus. Primus est, quando spirituali nocumento fuit etiam annexum malum corporale, vt si vulnerauit eum, quem per violentiam volebat inducere ad peccandum: tantò enim corporalis iniuria fuit maior, quantò causa ex parte inferentis fuit iniustior. Secundus, quando aliquis per vim, aut fraudem in eũ statũ peccati est inductus, à quo sine temporali sumptu eripi non potest. Vt si fœmina per violentiam alterius sit adeò libidini exposita, vt reuocari non possit absque eo, quòd matrimonio copuletur, vel religionem ingrediatur, tunc enim qui causam dedit tanto malo, teneretur illud temporale dispendium subire. Sed an teneatur reuocare à peccato, in quod induxit, etiam cum periculo vitæ; respondeo, quòd cum sola charitas obliget aliquando pro fratribus animam ponere, vt diximus supra quæstione vigesima sexta, articulo quarto, multo magis locum habebit hæc obligatio quã do adest etiam debitum iustitiæ. Vnde, quemadmodum existenti in extrema necessitate tenentur omnes de necessarijs ad statum subenire; sed multo magis ille, qui egẽtis bona diripuit, quia etiam ex iustitia tenetur: ita in nostro proposito. Ex dictis infertur, quod qui absque vi & fraude alium induxit ad peccandum, etiam si malo animo, & dedita opera id fecerit, nullam tenetur

Quãdo malum spirituale est recompensandum bonis teporalibus

Corollariũ

tenetur facere restitutionem. Cuius contrarium Adrianus, & alij affirmabant. Cæterum, si per vim, aut fraudem induxit ad peccandum, vel aliter læsit in spiritualibus, manet obnoxius restitutioni, quidquid dicat Syluester, verbo, restitutio tertia. §. primo. Nec obstat, quòd voluntario quis peccet, ad hoc, vt ille, qui per vim, aut fraudem nocumentum intulit in spiritualibus, excusetur à restitutione. Qui enim per metum virginem compulit, vt sui copiam faceret, vel per vim traxit alium, vt hæreticorum interesset conuentui, à quibus est seductus, non excusatur à restitutione, quanuis vtrobique adfuerit peccantis voluntas. Et ratio est: Nam, quanuis ex ea parte, qua fuit voluntarium, non sit locus iniuriæ, ex ea tamen, qua permissum est inuoluntarium, iniustitia committitur. Sicut & accidit in venditione, in qua licèt sit voluntarium simpliciter, quantum ad substantiam contractus; quia tamen est admixtum inuoluntarium, quantum ad excessum iusti pretij, manet locus restitutioni. Nec etiam obstat, quòd spiritualia nocumenta perfectè ab hominibus reparari non possunt ad hoc, vt ille, qui per vim, aut fraudem damnum intulit, excusetur à restitutione. Nam certum est, quòd erutum oculum, aut manum abscissam solus Deus potest perfectè reparare: & tamen qui tales intulit iniurias aliquam tenetur facere restitutionem. Et item, qui tantum debitorum contraxit, quod pro tenuitate facultatis restituere non potest, tenetur nihilominus ad id, quod potest.

Ad. 1. arg. ¶Sed restat nunc respondere ad argumenta facta in principio quæstionis. Ad primum respondetur concessa maiori, atque minori, negando consequentiam: aliter enim iudicandum est de vitijs oppositis charitati, & aliter de vitijs oppositis iustitiæ. Nam, quia charitas attendit bonum amici, illud peccatum erit magis contrarium charitati, quod grauius detrimentum habet annexum. Tamen, quia iustitia seruat æqualitatem in rebus, secundum voluntatem proximi, illud peccatum erit magis contrarium iustitiæ, quod fuerit magis aduersum voluntati patientis, quanuis ex genere suo sit leuius malum. Ex quo infertur, quòd, quia spiritualia detrimenta quanuis sint maiora, ob idque magis charitati contraria: quia tamen sunt minus contra voluntatem patientis, eo quòd semper in illis adest simpliciter voluntarium, idcirco fit, vt etiam sint minus contra iustitiam. Et oppositio modo se habent temporalia nocumenta; quæ quanuis ex genere suo sint minora, & ob id minus opposita charitati; quia tamen, regulariter loquendo, sunt magis contra voluntatem patientis, fit, vt etiam sint magis contra iustitiam, atque ex consequenti magis obnoxia restitutioni. Restitutio enim, vt diximus, solùm oritur ex iustitiæ violatione. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd ex voluntate peccantis nõ tollitur omnino restituendi obligatio; sed ex eo solum, quòd nullus relinquitur iniuriæ locus. Vnde, quia qui soluit vsuras, volũtariè reddit mutuum, & sic quantũ ad hoc nulla ei fit iniuria; inuolũtarie autẽ dat superabundantiam, ea, scilicet, ratione, quia aliter suæ necessitati consulere non potest; & ob id, quantum ad hoc, patitur iniuriam; sit, vt qui ad vsuras dedit, quidquid vltra sortem accepit teneatur restituere; & idem etiam contingit in spiritualibus, vt diximus in tertio dicto. *Ad. 2. argumentũ.* ¶Ad tertium argumentum, vt respondeamus, supponendum est, quòd deceptio in spiritualibus potest esse duplex. Vna formalis, quando quis sciens & prudens docet perniciosam doctrinam. Et qui taliter decipit tenetur non solum ex charitate, verum etiam ex iustitia suum reuocare errorem: quemadmodum & qui in ciuilibus contractibus alium deciperet. Fides enim, quæ dictorum, atque pactorum constantia, & veritas à Cicerone appellatur, est fundamentum iustitiæ. Altera deceptio est materialis; quando quis putans dicere verum, docuit falsum. Et tunc qui taliter decipit, si verum posteà resciuerit respectu pristini erroris, tenetur solum ex charitate suam sententiam reuocare, cæterum respectu nocumenti futuri, etiam ex iustitia tenetur remedium adhibere; alioqui reus erit damnorum, quæ inde fuerint subsequuta. Sicut & medicus, qui per ignorantiam pro salubri remedio adhibuit pernicio sum. *Ad. 3. argumentum.* *Duplex deceptio est esse de ritualibus.* ¶In quarto argumento tangitur difficultas de illo, qui aliquem à religionis ingressu, vel professione retraxit, an teneatur quidquam restituere? Paludanus in quarto, distinct. decima quinta, quæstione secunda, dicit, quòd qui alteri proposuit religionis sic dissuasit, vt persuaserit ne intret, vel alia via eum vitæ monasticæ subduxerit, tenetur ad restitutionem in integrum, nempe, aut illi religionis ingressum rursus persuadendo; aut alterum eius loco substituendo; aut si neutra istarum via patuerit, obstringitur, inquit, idem ipse intrare. Eandem sententiam *Ad. 4. argumentũ. Dubium de coqui retrahit aliũ ab ingressu religionis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenet Antoninus secunda parte, titulo secundo, capitulo secundo, & Adrianus in quæstione illa citata de bonis animæ restituendis. Verum tamen est, quòd Adrianus ponit quandam limitationem dicens, hanc opinionē tunc esse veram, quando quis, vel religionis odio, vel alio malo animo id fecit; secus autem est, si aut amicitia, aut parentum commiseratione ad id fuerit adductus. Nam tunc dicit, quòd quanuis peccatum committat, lex tamen restitutionis non obligat. Nos tamen supposito quòd in præsenti disputatione possumus loqui, aut de spirituali nocumento, quod per se inuenitur in tali reuocatione, aut de nocumento temporali, quod per accidens potest imminere religioni ex eo, quòd ab ea vir vtilis abducitur.

1. dictum. ¶Ad explicationem propositæ difficultatis dicimus multa. Primum est: Qui per iniuriam retraxit à religione aliquem, ex cuius præsentia proueniebat ipsi religioni temporalis vtilitas, tenetur ad illius restitutionem, siue talis vtilitas prouenerit ex industria personæ, siue ex paterna hæreditate. Dicitur autem ille per iniuriam retrahere aliquem à religione, qui per vim, aut fraudem id facit, vt constat ex dubio præcedenti. Probatur: Damnum illud temporale est contra iustitiam illatum: sed in his proprie habet locum restitutio: ergo ea est facienda. Est tamen aduertendum, quod non semper in his æqualis exigitur satisfactio, sed quantò maius fuerit ius acquisitum ipsi religioni, tantò maior restitutio erit facienda. Nam, si distractus erat professus, & propter iniquam distractionem religio non potest hæreditatem obtinere, tenetur distrahens in totum. Si verò distractus erat nouitius, quia tunc hæreditas pendebat ex futuro euentu, minor quantitas debetur. Et erit adhuc leuior obligatio, si talis distractus solùm apud se proposuerat particularis religionis ingressum. Itaque quemadmodum qui alterius fata destruit, tanto magis restituere tenetur, quantò ipsa fata maturis frugibus fuerint viciniora: ita etiam in nostro proposito. *2. dictum.* ¶Dico secundo: Qui per iniuriam alium impedit ab ingressu, vel statu religionis, tenetur eidem in bonis spiritualibus tantum restituere, quantum humana facultas permiserit. Itaque non solum tenetur remouere impedimenta in futurum, sed etiam admonere, orare, & preces ad Deum fundere, vt antiquum exequatur propositum. Sunt enim omnia ista media tali fini proportionata, vt supra dicebam de alijs bonis spiritualibus. ¶Dico tertio, quòd, qui *3. dictum.* sine fraude, aut dolo impedit alterum ab ingressu, vel statu religionis, quanuis id faciat ex malo animo, aut etiam ex odio religionis, nullam tenetur facere restitutionem. Probatur: Nulla ibi inuenitur iniustitia, quæ per restitutionem sit reparanda, sed solum est peccatum contra charitatem: ergo. *Vltimũ dictum.* ¶Dico vltimo: Ex eo quòd aliquis per iniuriam retrahat alterum ab ingressu religionis, nunquam tanta relinquitur obligatio, vt ipse teneatur pro illa religionem ingredi, aut alterum loco illius substituere. Probatur primò: Quoniam hæc non sunt media per se ordinata, aut necessaria, ad hoc vt augmentum spirituale, quò quis fuit defraudatus ei restituatur. Et præterea, quia cum consilium religionis sequendæ, quo homo à se abdicat propriam voluntatem, sit valde difficile, nullo metu, aut delicti commissione potest quis compelli, vt illud sequatur, etiam si mille monachos, vt exiret, compelleret. Propter quod tantum volentibus dixit Christus Matthæ. decimo nono. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et hinc, vt arbitror, ortum habuit, quòd quanuis sæpe sæpius leges Canonicæ adulteras, vel hæresiarchas, aut alios delinquentes intra monasteria, aut etiam intra arctissimas cancellas occludant, neminem tamen cogunt votum religionis emittere. Fateor quidem, quòd si tantum detrimentum tēporale alicui religioni euenisset, vt non posset, qui fecit iniuriam restituere, teneretur se religioni tradere: sicut & aliquando debitor tenetur se in seruum tradere creditori: tamen quòd teneatur monachus fieri, aut religionem vouere, id prorsus negamus. Et exemplum Magistri Raimundi, quod adducit Syluester, verbo restitutio tertio. §. primo, & cuius meminit Soto libro quarto, de iustitia, & iure, quæstione sexta, articulo tertio, potius est argumentum diuinæ vocationis, quam obligationis, humanæ.

Argumentum cõtra vltimũ dictum. ¶Sed contra hoc est argumentum: Si quis suaderet alieno seruo, vt à domino fugeret, teneretur ad illius restitutionem: sed tantum ius habet religio ad monachum, quantum dominus ad seruum: ergo pari ratione qui suaderet monacho, vt religionem relinqueret, teneretur ad illius restitutionem. *Solutio.* ¶Respondetur tamen, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Nam non est eadem ratio de monacho, & de seruo. Dominus enim habet ius vtile in seruum, sicut & in alias res temporales: & ideò qui contra

contra domini voluntatem seruum adducit, non minus violat iustitiam, quam, si equam solueret, aut bouem abigeret: At verò religio non hac ratione possidet monachum: sed est sicut filius in domo patris, & sicut ciuis in libera ciuitate. Qui enim diuino obsequio seipsos mancipauerunt, & si obligati sint religionis voto, non tamen possidentur, vt serui ad religionis, vel prælatorum temporale commodum, sed ad suam ipsorum spiritualem vtilitatem. Ex quo fit, vt seruitus illa libertate plena sit. Et sic, licèt monachus ea abutatur exeundo à religione pro sua voluntate, solum tamen obligatur voto obedientiæ redire, nec ad aliquam tenetur restitutionē. Et eadem ratio est de illo, qui suasit monacho, vt exiret. Et per hæc patet solutio ad quartum argumentum, cuius occasione hæc omnia dicta sunt. Ad confirmationem respondetur, quòd bona spiritualia sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt, quæ immediatè spectant ad animam, nempe, ad consequendam æternam felicitatem, vt gratia, virtutes, & id genus alia. Et de huiusmodi bonis spiritualibus intelliguntur ea, quæ hucusque dicta sunt. Alia bona spiritualia sunt, quæ non immediatè ordinantur ad salutem spiritualem animæ, vt scientia, ars, & similia. Et de his eadem est ratio sicut de alijs bonis corporalibus. Vnde dico, quòd qui hominem, aut præstigijs, aut alia via dementaret, vel per vim, aut fraudem à literarum studio diuerteret, ad arbitrium boni viri teneretur, sicut in alijs temporalibus damnum reficere. Et hæc dicta sint de tota ista difficultate.

Bona spiritualia, in duplici differentia.

De restitutione vitæ vel membri disputatio. ¶In primo argumento inquirit D. Thom. an restitutio vitæ, vel alicuius membri, sit de necessitate salutis. Et videtur, quòd non, quia est impossibilis. Respondet tamen D. Thom. quòd quando illud, quod est ablatum, non est restituibile, vt vita, & membra, debet fieri recompensatio per aliud, quod sit possibile, vt per pecunias, vel per honorem, considerata conditione vtriusque personæ ad arbitrium boni viri. Sed pro ampliori huius rei declaratione aduertendum est primò, multipliciter posse contingere, quòd aliquis lædat alterum in corpore. Nam primo potest lædere auferendo vitam. Secundò, mutilando membrum. Tertiò, infligendo vulnus, absque alicuius membri mutilatione. Et tandem quartò, in aliquibus bonis corporalibus, à quibus vita non dependet, vt in pulchritudine, celeritate corporis, &c.

¶Secundò est aduertendum, quòd duplex damnum potest sequi ex corporis læsione. Vnum est in bonis temporalibus; vt quando alicui opifici abscinditur manus, qua se & familiam suam alebat. Alterum in ipso corpore tantum, vt quando eruitur oculus, vel aliud infligitur vulnus, ex quo nullum sequitur nocumentum in bonis temporalibus. Et sic duplex potest esse quæstio. Prima, an qui læsit alterum in corpore teneatur facere recompensationem illorum bonorum temporalium, quorum detrimentum patitur, qui fuit corpore læsus. Altera, an teneatur facere recompensationem illius nocumenti; quod intulit. Dicemus de vtraque suo ordine. Et sic ad primam deuenientes, vt certa ab incertis seperemus, dico primò, certum esse, quòd qui læsit alterum in corpore, & ex illa læsione aliquorum bonorum temporalium iactura est subsequuta, vt in exemplo posito de opifice, cui manus fuit abscissa, tenetur in conscientia talium bonorum iacturam compensare. Probatur ex illo Exodi capit. vigesimo primo, quod refertur in capit. primo de iniurijs, & damno illato. Si rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno; & ille mortuus non fuerit, & iacuerit in lecto, qui percusserit, operas eius, & impensas in medicos, restituat. Si dicas hoc esse præceptum veteris legis, & sic per legem Euangelicam fuisse reuocatum, respondeo, quòd licèt præcepta cæremonialia & iudicialia veteris legis fuerint per Euangelicam reuocata, moralia tamen, vtpote, quæ erant de iure naturali, reuocata non fuerunt. Et certum est, quòd præceptum de restituendis operis, & expensis ab illo, qui alterum læsit, est morale præceptum, valde rationi naturali consentaneum. Idem etiam potest probari ex cap. si culpa, extra, de iniurijs, & damno illato. Vbi hæc ponuntur verba: Si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu alijs irrogantibus opem forte tulisti: aut hęc tua imperitia seu negligētia euenerūt, iure super his satisfacere te oportet. Itaque hoc certum est.

Duplex damnum sequi potest ex corporis læsione.

Punctꝰ difficultatis. ¶Sed est dubium, an si ille, qui alterum læsit in corpore, puniatur à iudice pœna legali, teneatur adhuc recompensare damna, quæ ex tali læsione fuerunt subsequuta. Verbi gratia, Occidit aliquis opificē sua industria alentem familiam: & posteà homicida ille suspenditur à iudice, dubium est, an etiam teneatur liberis & vxori compēsare damnū tēporale, quod ex tali homicidio fuit subsequutum. Scotus in. 4. d. 15. videtur

Universidad de Deusto
Biblioteca

significare, quòd talis occisor ad vlteriorem satisfactionem non tenetur, sed sufficienter satisfacit patiendo pœnam, quam alteri intulit. Idem tenet Adrianus in materia de restitutione quæstione vltima. Et ratio est: Nam non videtur æquum, quòd qui luit in corpore, in bonis etiam temporalibus luat, duplicem pœnam pro eodem delicto sustinens.

Conclusio. ¶In hoc tamen sit conclusio: Qui alterum occidit, vltra pœnam mortis, quam iustè patitur, tenetur recompensare damnũ temporale, quòd ex tali occisione vxori & filijs fuit subsequutum. Hanc sententiam tenet Couarruuias libro secundo variarum resolu. capit. decimo, numero septimo, & Nauarro in Manuali capit. decimo quinto, numero vigesimo quinto. Et probatur: Lex naturalis, & diuina obligat talem occisorem ad restituendum parti damnum illatum: sed illa punitio, quę ad vindictam publicam sumitur, solum est compensatio iniuriæ reipublicæ factæ; vt constat ex lege, ita vulneratus. ff. ad legem Aquiliam. & ex capit. vt famæ, de sententia excommunicationis, quæ à debito, quo parti tenebatur non liberat: ergo ea non obstante tenebitur occisor parti satisfacere damnum illatũ. Secundò: Qui duobus hominibus diuersas res debet, per hoc, quòd soluit vni non liberatur à debito alterius: sed homicida ille est debitor reipublicæ, quam occidendo eius membrum iniuria affecit: & præterea est debitor damni temporalis ex tali occisione subsequuti, iuxta illud, quod habetur in cap. vltimo de iniurijs & damno illato: Qui causam damni dat, ipsum damnum dedisse videtur: ergo per hoc quod satisfaciat reipublicæ moriendo, non liberabitur ab obligatione satisfactionis, quæ erga hæredes relinquitur. Vltimò: Fur, qui propter sua delicta suspenditur, tenetur ad restitutionem omnium eorum, quæ furtiuè sustulerat, si habeat vnde possit illa restituere, vt omnes Doctores concedunt: ergo similiter qui occidendo aliquem fuit causa dãni temporalis, tenebitur illud vxori & liberis compensare, quamuis ex alia parte pro delicto suspendatur. Probo consequentiam: Nam æqua est vtriusque ratio. Ex hoc infert Nauarro, quòd hæredes illius, qui decollatus, vel suspensus est per sententiam, obligantur ad restituendum damnum parti illatum, sicut ad soluendum alia debita. Imò etiam dicit, quòd fiscus ad id tenetur, si bona fuerint confiscata, vt colligitur ex lege, non possunt, & ex lege. in summa. ff. de iure fisci. Est tamen hoc intelligendum, quando ad hæredem libera bona defuncti translata sunt. Nam si solùm iure successionis prouenit primogenitura, nequaquam ad id tenetur. Ex quo sequitur, quòd si homicida quandiu vixit nullam restitutionem fecit, tenentur hæredes eandem facere, quam ille si vixisset. Sed hoc moderamine adhibito, quòd, cum hæredes non teneantur ratione iniuriæ à se commissæ; sicut autor criminis, non sunt tantum vrgendi ad restitutionem, quantum homicida. Cum maiori enim grauamine est facienda restitutio, quæ debetur ex iniusta acceptione, quam illa, quæ solum debetur ex re accepta. Quod velut generale documentum habendum est pro omnibus debitis, quæ ex damno per accidens consequuntur. Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, non esse æquũ, quòd qui luit in corpore, pro eodem etiam delicto luat in bonis, vt optimè docet Felinus, in capit. ad liberandum. de Iudæis. Et sic dicit, quòd qui ob delictum luit corpore; eo quod non habet in ære ad pœnam pecuniariam non tenetur, quanuis postea satis bonorum ad eam soluendam acquirat. Cæterum in casu argumenti non pro eodem delicto luit in corpore, & in bonis. Nam in corpore luit propter iniuriam factã reipublicæ, cui interest delicta punire, ne qui nequam sunt nequiores fiant. Obligatio autem restituendi nascitur ex damno illato. Ex quo infero, quòd quando pars læsa vult, quòd delinquens per pœnam corporalem, non solum reipublicæ, sed etiam sibi satisfaciat, ad nullam vlteriorem tenetur recompensationem. Quod etiam colligit Nauarro loco citato ex lege prima. ff. de satisd. cog. & ex leg. si rem. §. omnis. ff. de pignor. act.

Notandum corollariũ Nauarri.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, quantum teneatur restituere ille, qui occidit, aut mutilauit opificem, suã industria liberos & vxorem alentem? Ioannes Maioris in. 4. distinct. decima quinta, quæstione decima nona, dubio vltimo dicit, teneri talem homicidam tantum reddere hæredibus, quãtum defunctus iudicio prudentum in tota vita fuisset lucraturus, deductis tamen laboribus. Quia non est, inquit, æquum, quòd tantum detur quiescenti, quantum daretur laboranti. Sed hæc sententia meritò reijcitur à Magistro Soto libro quarto, de iustitia & iure, quæstione sexta, articulo tertio, & à Couarruuias libro secũdo, variarum, cap. 10. numero septimo, quia tunc contingere posset, quòd nihil superesset restituendum, si labores deducãtur. Vt est videre

Dubium de occidente, aut mutilãte opificẽ.

Sententia Ierõnit.

in eo,

in eo, qui occidit, aut mutilauit hominem, qui solo suo labore lucrum, & victum quæ rebat, vineam, aut agrum colendo. Tunc enim, si labores deducantur, nihil restat quod sit sibi recompensandum. Item qui impedit inuitum ab opere, quo duos argenteos erat lucraturus, tenetur illos in integrum restituere, non deducendo laborem: quia talis impeditus erat accinctus operi: ergo pari ratione, qui occidendo, aut abscindendo brachium impedit alterum à pecunia, quam laborando lucraretur, tenetur illam restituere, nullo deducto labore.

Sententia Scoti. ¶Scotus in. 4. distinct. decima quinta, quæstione tertia, dicit, quòd qui occidit, aut mutilauit opificem, totum illud tenetur restituere, quod ipse lucraretur. Ità quod si suo opere liberos & familias alebat, totum illud tenetur recompensare, qui huius damni extitit causa. Eandem opinionem tenet Adrianus quæstione vltima, de restitutione. & Nauarro in Manuali, capitulo decimo quinto, numero vigesimo sexto, & probatur ex capitulo vltimo, de iniurijs & damno illato. Vbi sic dicitur: Si tua culpa damnum datum est, iure super hoc satisfacere te oportet. Et ratione sic argumentor: Iustitia commutatiua constituit æqualitatem simpliciter inter datum & acceptum; & similiter inter damnum illatum, & id, quod in illius recompensationem redditur: ergo tantum tenetur quisquam reddere, quantum damnificauit, vt sic sit debita æqualitas commutatiuæ iustitiæ. Ex hoc infert Nauarro, confessarium non debere absoluere homicidam illum, aut mutilatorem, nisi facta priùs sufficienti recompensatione ad æqualitatem, si habeat vnde possit satisfacere, aut si non habeat, sine firmo proposito satisfaciendi, habita commoditate. Hæc tamen sententia est nimis rigida. Primò: Quia ex ea sequitur, quòd si vnus artifex alterum occidit, aut mutilauit, & occisor sua arte solum id lucratur, quod defunctus lucrabatur, totum illud tenetur hæredibus defuncti dare: quod est valde durum. Item sequitur, quòd si mercator occidit mercatorem, & occisor solum id lucratur, quod defunctus erat lucraturus, totum illud tenetur hæredibus conferre: quod est valdè graue. Adrianus loco citato nihil horum habet pro inconuenienti. Sed Maioris dicit, quòd postquam familia defuncti habet alunde victum, nihil homicida tenetur ei dare. Fallitur tamen: Nam cum iustitia commutatiua præcipiat, vt quantum ablatum est, tantum reddatur, modò qui abstulit sit soluendo, parum refert, sint ne hæredes diuites, aut pauperes.

¶Quocirca ad explicationem huius difficultatis, quæ grauissima est, suppoenendum est primò tanquam certum, quòd expensæ factæ in curatione illius, qui cæsus, aut occisus est, sunt necessario soluendæ, vt constat ex capit. primo de iniurijs, & dãno illato. *1. certum.* ¶Secundò etiam est certum, quòd damnum temporale ex morte seu ex læsione iniusta alicuius subsequutum, etiam est ad æqualitatem resarciendum ab eo, qui iniustè læsit, aut occidit. *2. certum.* Ratio enim iustitiæ commutatiuæ id postulat; nec quantum ad hoc est aliqua differentia inter Doctores. Cæterum, quoniam non satis constat, quanta ne sit futura illa quantitas requisita ad æqualitatem constituendam inter occisorem, & damnum subsequutũ; ideircò ad id opus est multa prudentia. Caietanus in summa, verbo, restitutio. cap. 3. dicit, quòd illa est assignanda secundum prudentiam boni viri; qui diligẽter considerare debebit, qualitatem vtriusque personæ, scilicet, damnificantis & damnificatæ. Quando enim homicida est dives, maior ei restitutio est iniungenda, quàm si egerer: & si occisus erat inutilis suis, minor, quàm si esset frugi. Sunt item considerandæ aliæ circunstantiæ particulares dignitatis personarũ, & modi occidendi. Et in primis sunt deducendi dies festi, & illi, in quibus homines laborare nõ solent. Sunt etiam deducendæ operæ, quas vxor & liberi faciebant: non enim tenetur qui damnum intulit, has operas compensare. Ac deniq; est considerandũ, quòd id, quòd est in spe, non tantum valet, quantum id, quod est in se. Vnde quemadmodũ qui conculcat triticum incipiens oriri, quãuis sit bona spes de illo, non tenetur tamẽ restituere, quantũ ex illo colligeretur, quia occurrunt frequenter multa pericula, quibus segetes defraudari possunt: ità etiam in nostro proposito non tantum debet reddi illi, qui damnum patitur, quantũ posset ipse suo labore lucrari. Maximè cum posset mori, aut ægrotare, aut multis alijs modis à lucro impediri. Oportet etiam, quantũ ad hoc, considerare conditionem, atque ingenium eius, cui fuit damnum datũ. Nã si erat negligens in operando nõ tantum ei reddi debet, quantum, si erat diligens, cum minus esset lucraturus. De quibus omnibus videndus est Caietanus loco citato, & Soto lib. 4. de iustitia. q. 6. art. 3. circa solutionem ad. 2. argumentum.

1. certum.

2. certum.

Punctus difficultatis.

Sẽtẽtia Caietani vera.

Quæstio. ¶Et si quis quærat, an omnib⁹ in hac parte læsis sit faciẽda restitutio; verbi gratia, occisus est vir, qui suis prouẽtibus alebat parẽtes

Universidad de Deusto
Biblioteca

vxorem, liberos, quin etiam, & in pauperes liberalis erat; dubium est, an homicida teneatur his omnibus satisfacere. Ad quod breuiter respondeo, quòd solum illis tenetur restituere, quos secundum iustitiam defunctus alere tenebatur, quales sunt vxor, filij, atque parentes. Nam, cum restitutio supponat iustitiam commutatiuam violatam; & alij ab vxore, filijs, & parentibus secundum iustitiam ex natura rei non habeant ius ad talia subsidia; manifestè sequitur, quòd solum his tenetur facere recompensationem. ¶ De tempore autem, pro quo ille, qui occidit, aut mutilauit opificem sua opera, vxorem, & filios alentem, teneatur recompensare damnum illatum, sunt variæ doctorum sententiæ, Panormitanus in capit. primo de iniurijs. dicit, quòd tenetur facere recompensationem pro toto tempore vitæ ipsius defuncti: ità quòd si occisus erat triginta annorum, tenetur occisor pro alijs triginta, vel quadraginta recompensationem facere. Et ratio est: Nam, cùm damnum sit illatum pro toto tempore vitæ ipsius defuncti, videtur, quòd pro eodem toto tempore sit damnum resarciendum, vt sic sit æqualitas iustitiæ. Hæc tamen sententia est nimis rigida. Vnde dico, quòd quantum ad hoc etiam habet locum, quod supra dicebam de eo, quod habetur in spe, quod non tantum valet, quantum id quod est in re, maxime cum vita hominis sit incerta & iuuenes mori sæpe contingat, sicut & senes. Quare ad arbitrium boni viri erit facienda restitutio, deductis prius illis, quæ secundum prudentiam deduci debent, vt supra dicebam. Et hæc dicta sint de prima illa quæstione, qua de recompensatione bonorum temporalium, quorum detrimẽtum ex læsione sequitur, disputare proposuimus.

Solutio.

Alia quæst.

Aliud dubium principale.

¶ Supereſt, vt dicamus de secunda: nempe, an pro damno corporali sit etiam faciẽda aliqua recompensatio. Verbi gratia, occidit aliquis hominem, vel amputauit eius brachium, ex quo damno corporali nullum detrimentum in bonis temporalibus fuit subsequutum; dubium est, an ille, qui occidit, aut mutilauit, teneatur pro damno illo corporali aliquam recompensationem facere? In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quod si homo ille occisus, aut truncatus est seruus, tenetur qui illum occidit, aut mutilauit restituere domino illius verum, ac legitimum valorem ipsius serui. Et ratio est: Nam cùm seruus sit bonum temporale domini, in quo fuit iniustè damnificatus, manifestè sequitur, quòd ad æqualitatem erit ei facienda restitutio, vt sit æqualitas iustitiæ commutatiuæ. Sed est dubium, vtrùm qui occidit, aut mutilauit hominem liberum pro damno illo corporali, teneatur ipsi, aut eius hæredibus aliquam facere restitutionem? Nauarro in Manuali, capite decimo quinto, numero vigesimo secundo, partem tenet negatiuam. Eandem tenet Conarruuias libro secundo Variarum capit. decimo, numero septimo. Et in eãdem videtur declinare Glossa in capit. primo, de iniurijs, & damno dato. Et probatur primò: Nam in dicto illo capitulo primo, de iniurijs. solum præcipitur fieri recompensation impensarum, quæ in medicos fuerint factæ, & operarum, quibus læsus caruit nulla facta mentione restitutionis pro corporis læsione; non autem est verosimile, quòd, si illa esset necessaria, prætermitteretur. Præterea in lege, qua actione. ff. ad legem Aquiliam. dicitur patrem consequuturum esse, quod minus ex operis sui filij propter vitiatum oculum sit habiturus, & impendia, quæ in eius curatione fecerit: nulla autem fit mentio recompensationis faciendæ pro læsione oculi. Et in lege ex hac. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. dicitur: Liberum corpus æstimationem non recipit. Et ideò pro illo nihil est necessario restituendum; sed solum est habenda ratio impensarum in curatione factarum, & operarum amissarum. Idem etiam habetur in lege prima. ff. de his, qui effuderint, vel deiecerint. §. sed cum. vbi dicitur: Quando homo liber perit damni æstimatio non fit in duplum, quia in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest. Et in lege vltima, eodem titulo. cum liberi hominis corpus ex eo, quòd deiectum, vel effusum quid erit, læsum fuerit, iudex computet mercedes medicis præstitas, &c. Et paulo inferiùs: Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.. ¶ Secundò, ratione argumentor pro eadem opinione; Qui debet alteri centum aureos mutuò, aut furtim acceptos, nec habet, vnde restituat, iure naturæ manet liber ab obligatione restituendi; nec quisquam obligabit eum ad faciendum aliam recompensationem, aut in bonis spiritualibus, aut in honore: sed qui occidit, aut mutilauit alterum, non potest restituere damnum corporale illatum: ergo iure naturæ manet liber; atque ex consequenti non tenetur facere recompensationem

Sẽtẽtia Nauarri, & aliorum.

1. argumẽtum.

2. argumẽtum.

3. argumẽtum.

tionem in alijs bonis. ¶ Tertiò: Si ille, qui occidit alterum, teneretur aliquam facere recompensationem pro damno corporali, maximè in bonis spiritualibus, quæ etiam defunctis possunt prodesse: sed in his non tenetur: ergo. Probo minorem: Qui occidit paganum non tenetur facere recompensationem, aut restitutionem in bonis spiritualibus, vt constat: ergo nec qui occidit Christianum, cum restitutio in lege naturali fundetur, quæ omnibus est communis. Et confirmatur: Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ ideò commutatiua dicitur, quia habet locum in commutationibus humanis, vt in venditione, emptione, &c. sed bona spiritualia in commutationes humanas venire non possunt: ergo nec compensatio in illis erit actus iustitiæ commutatiuæ, atque ex consequenti nec restitutio. ¶ Quartò: Si Petrus occidit Paulũ, pro quo delicto posteà Petrus occiditur à iudice, vxor & filij Petri nullam aliam tenentur facere recompensationẽ vxori, & filijs Pauli; vt omnes concedunt, & colligi potest ex eo, quod habetur Exod. vigesimo primo, & Leuit. vigesimo quarto, vbi pœna Talionis pro aliquibus delictis iniungitur, vt pro morte nulla alia restitutio imponitur facienda: ergo etiam si Petrus non fuisset occisus à iudice, non teneretur aliquam compensationem facere Paulo, aut eius hæredibus pro damno corporali. Probo consequentiam: Nam ex eo, quod aliquis punitur pœna debita, secundum legem, non deobligatur à restitutione, ad quam prius tenebatur: Vt si quis furatus est centum aureos, pro quo furto suspenditur, non deobligatur à restitutione illorum. Et pari ratione diximus de eo, qui occidit opificem sua opera vxorem, & liberos alentem: quod quamuis pro delicto occidatur à iudice, manet obligatus ad recompensandum damnum temporale vxori, & liberis illatum. ¶ Vltimò: Homo non est dominus vitæ, nec membrorum suorum, vt diximus supra in materia de dominio: ergo, qui abstulit ab eo vitam, aut aliquod membrum nihil ei pro illo tenetur restituere: sed satis fuerit, si domino vitæ satisfaciat per pœnitentiam. Probo consequentiam: Nã qui accepit à seruo decem aureos, qui erant domini sui, sufficienter satisfecisse dicetur, si illos domino recompenset.

4. argumẽtum.

Vltimũ argumentũ.

Conclusio.

¶ His tamen non obstantibus sit conclusio: Pro damno corporali, vt pro ablatione vitæ, aut abscisione membri, necessario est facienda aliqua recompensatio, etiam si ex illo damno corporali nullum sequatur detrimentum in bonis temporalibus. Hæc est cõmunis opinio Doctorũ, quã tenet D. Thomas hic in solutione ad primũ. Caietanus in suma verbo. restitutio. cap. 2. Syluester verbo. restitutio. 3. §. 2. Scotus in. 4. distin. 15. quæst. 3. Gabriel eadem d. quæst. 13. Adrianus in. 4. in materia de restitutione. quæstione vltima. & Soto vbi supra. Sed antequam illam probem, supponendum est, tam autores huius opinionis, quam alterius conuenire in hoc, quòd si quis iniustè deformat aliquam fœminam, ratione cuius deformitatis ipsa non ità conueniens consequitur matrimonium, ac esset consequutura, si illam deformitatem non haberet, talis tenetur damnum recompensare, dando pecuniam, aut augendo dotem, qua illatum nocumentum resarciatur. Et eadem est ratio de illo, qui iniustè defloravit, aut infamauit virginem; ratione cuius infamiæ non ità bene nubit. Verum tamen est, quòd hæc recompensatio non fit propriè pro læsione corporis, sed pro damno temporali inde subsequuto. Hoc supposito probatur nostra conclusio: Quicunque alicuius iniustæ inæqualitatis est causa, tenetur illam recõpẽsare eo modo, quo potest, vt patet ex ratione naturali id dictante, & ex lege cõmutatiuæ iustitiæ, quæ id postulat: sed qui iniustè occidit hominẽ, aut abscidit eius membrum, fuit causa iniustæ inæqualitatis, vt cõstat: ergo tenetur illam resarcire eo modo, quo potest. Præterea, quando damnum est illatum in bonis temporalibus, aut in fama, recompẽsatio est necessario facienda, vt infra dicemus: ergo à fortiori, quando damnum fuerit illatum in bonis corporis. Probo consequẽtiam. Nam bona corporis sunt maiora bonis temporalibus, & ipsa fama. Et confirmatur: Nã aliàs sequeretur esse melioris conditionis illum, qui hominem occidit, quam qui occidit bouem alterius; si quidem iste ex natura rei maneret obnoxi⁹ restitutioni, & alter nõ; quod est absurdum. Item: Si ille, qui occidit alterũ, nihil pro damno corporali teneretur restituere, ex eo esset, quia vitã ad æqualitatẽ cõpensare nõ potest: sed hæc ratio nihil valet; nã qui debet centũ millia aureorũ, etiã si nõ habeat, nisi centũ, tenetur illa restituere: ergo idẽ est dicẽdũ in proposito. Vltimò: Pars læsa propter acceptã iniuriã potest cõuenire cũ homicida, aut cũ eo, qui brachiũ abscidit in pretio temporali, vt omnes fatẽtur: ergo talis homicida aliquid temporale debet ex iustitia. Probo consequentiam: Nam aliàs illa conuentio esset iniusta. Potest tandem confirmari nostra sententia, ex illo Exod. capit. 21. Si quis percusserit oculum

Universidad de Deusto
Biblioteca

hom serui, aut ancillæ, & fecerit eos luscos, dimittet illum liberum pro oculo, quem eruit. Vbi, vt videtis, pro damno corporali recompensatio libertatis iniungitur. Et in eodem capit. Si rixati fuerint viri, & alter percusserit mulierem prægnantem, & abortiuum fecerit, si illa mortua non fuerit, reddet quantum maritus petierit, & arbitri iudicabunt. Et, vt docet D. August. quæst. 80. super Exodum, ibi solum est sermo de abortiuo, nondum animato. Si ergo pro isto recompensatio fieri præcipitur, à fortiori esset facienda, si abortiuum esset animatum. Sunt denique in illo capitulo, plures aliæ recompensationes taxatæ, quæ pro damno corporali fieri præcipiuntur. Ex quibus omnibus colligere licet, esse de iure naturali, quòd pro damno corporali vitæ, aut membrorũ recompensatio fiat, quamuis quantitas, aut qualitas recompensationis ex naturali iure non sit taxata, sed determinetur ex iure positiuo, aut diuino, vt in veteri lege; aut humano, vt in legibus ciuilibus, & canonicis.

Quæstio. ¶Et si quis quærat, quænam sint illa bona, quibus homini occiso, aut mutilato debet fieri recompensatio pro damno corporali, dico primò certum esse, quòd illi, cui brachium, aut aliud membrum fuit iniustè ablatum, vel vulnus citra mortem inflictũ, potest, & debet fieri recompensatio in bonis temporalibus, non ad libitum illius, qui damnum accepit, sed secundum arbitrium boni viri, pluribus circunstantijs consideratis. Nam, quamuis membrum, aut quodcunque aliud bonum corporale præstet quibuscunque temporalibus, vt pote quod est superioris ordinis, iam tamen, secundum humanam æstimationem, est factum pretio æstimabile; & sic illo potest fieri recompensatio, si non ad æqualitatem simpliciter; saltim ad æqualitatem aliquo modo. Dico secundo: Potissimus modus, quo homini iniustè occiso potest, & debet fieri recompensatio est per suffragia, & alia bona spiritualia. Hanc sententiam tenent Scotus, Adrianus, & Soto vbi supra. Et probatur: Recõpensatio, quæ fit pro damno illato cedere debet in vtilitatem damnificati: sed nullũ bonum potest esse adeò vtile iniustè occiso, ac sunt bona spiritualia, atque suffragia: ergo illis potissimè debet fieri recompensatio. Et confirmatur: Qui alium iniuste occidit, non solum irrogat iniuriam corpori, sed etiam animæ, imo animæ præcipue: ergo illa recõpensatio erit conuenientior, quæ fit per bona animæ magis vtilia, qualia sunt spiritualia, atque suffragia. Nolumus per hoc negare, quòd etiam in morte pro damno corpõrali sit aliquod pretium tribuendum, vt fiat debita compensatio. Nam, quemadmodum membrum ex humana æstimatione est factũ pretio æstimabile: ità etiam, & vita. Sed quod dicimus est, quòd vltra istam recompensationem temporalem, debet etiam fieri spiritualis, quę vtilior est, atq; cõueniẽtior.

Solutio.

Alia q.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum recompensatio temporalis, quam dicimus deberi homini iniustè occiso, aut mutilato pro damno corporali, transeat etiam in hæredes. Verbi gratia: Mutilauit Petrus Paulum brachio; & mors Pauli deinde est subsequuta, siue ex illo vulnere, siue ex alio: supponamus, quòd pro illo damno corporali ad arbitrium boni viri debebant reddi Paulo centum aurei; dubium est, an Paulo defuncto Petrus in conscientia teneatur illos centum aureos Pauli hæredibus restituere. Et pro parte affirmatiua est argumentũ: Hæredes defuncti ita in alijs debitis succedunt, quod sunt illis necessario restituenda: ergo similiter sunt dicendi succedere in isto, quod ratione damni corporalis iniustè illati fuit contractum. Patet consequentia: Nã æqualis videtur esse in omnibus ratio. Et confirmatur: Si iudex antequam Paulus moreretur, condemnasset Petrum in illis cẽtum aureis, ratione iniuriæ illatæ, Petrus procul dubio teneretur eos Pauli hæredibus soluere: ergo idem erit dicendum, nulla iudicis condemnatione existente. Probo consequentiam: Nam iudex nihil aliud facere videtur, quam taxare pretium pro damno corporali conferendum, quam tamen taxationem facerent viri prudẽtes suo arbitrio, etiam si nulla iudicis sententia existeret.

Argumentũ pro parte affirmatiua.

Hæredes in duplici differentia.

¶Sed, vt ad propositam difficultatem respondeamus, supponendum est, quòd hæredes alicuius possunt esse in duplici differentia. Quidam sunt necessarij, qui totaliter excludi ab hæreditate non possunt, vt parentes, liberi, & vxores. Alij sunt non necessarij, qui ab hæreditate excludi possunt, vt fratres, & alij consanguinei, & etiam extranei, quos hæredes instituere est liberum cuiquam, non habenti hæredes necessarios. Inter quos hæredes, hoc est discriminis, quòd primi sunt aliquid testatoris, & è conuerso. Homo enim non solùm est bonum suum, sed etiam est bonum vxoris, filiorum, atque parentum. Ex quo fit, vt quando damnificatur homo in corpore, siue per amissionẽ vitæ, siue per membri mutilationem vxor etiam, atque filij, & parentes in bono suo damnificati dicantur, in alijs autem hæredibus, cum non sint ità coniuncti testatori, nec

nec ipse testator sit aliquod bonum ipsorum, etiam si testator damnificetur in corpore, nulla ratione hæredes dicuntur damnificati in bono suo. Hoc supposito dico primò: Si ante mortẽ occisi, aut mutilati, reus fuit condemnatus ad persoluendam pro dãno corporali aliquam quãtitatem pecuniæ, illa necessario erit reddenda hæredibus dãnificati, siue sint hæredes primi ordinis, siue secundi: præsertim si sententia transit in rẽ iudicatam. Probatur: Per illam sententiam erat iam ius acquisitum damnificato ad talem quantitatem pecuniæ: sed hæredes quicunq; sint illi succedunt testatori in omnibus bonis, ad quæ habet ius acquisitum: ergo. Dico secundò: Etiam si damnificatus moriatur ante sententiam latam hæredibus primi ordinis est necessario aliqua recompensatio facienda ad arbitrium boni viri. Probatur: Nam etiam isti hæredes fuerunt dãnificati in bono, quod erat suũ: & quæcũque iniusta dãnificatio debet per restitutionẽ reparari. Dico tertiò: Hæredibus secundi ordinis non est necessario facienda recompensatio pro damno corporali, quando dãnificatus moritur ante sententiam latã. Probatur: Nam isti hæredes non fuerunt damnificati in bono proprio. Et per hoc patet solutio ad argumentum factum pro parte affirmatiua. Ex dictis infertur, amplectendã esse eam communem opinionem, quæ asserit, pro damno corporali aliquam de necessitate faciendam esse recompensationem, pẽsata prius qualitate damnificati, & quantitate dãmni, & possibilitate damnificantis, ad modum iam explicatum.

Responsio ad quæstionem.

Ad arg. pro parte affirmatiua.

Ad 1. arg. ex factis pro sententia Nauar.

¶Sed restat nunc respondere ad argumẽta facta in principio quæstionis. Vnde ad primum quod cõstat ex plurium legum determinatione dico, quòd illæ solum determinant debere fieri compensationem impẽsarum in medicos, & in curationem, & etiã operarum, quibus damnificatus caruit. De compensatione autem facienda pro damno corporali, nihil se velle determinare dicũt. Et reddunt rationem: Quia pro corpore hominis liberi condigna non potest fieri cõpensatio. Ex hoc autem non licet colligere, quod qui damnum intulit, maneat liber à facienda recompensatione pro damno corporali, eo modo, quo potest. Sicut nec ex eo, quòd Deo æquualens reddere nõ possumus, licet inferre, quòd nihil ei reddere debemus. Et quod hæc solutio sit conueniẽs, colligi potest ex eo, quòd compensare in iure idem est, quod ex æquo reddere, seu quasi pari pondere rependere, vt constat ex. l. 1. ff. de compensationibus. Vbi dicitur, compensationem esse debiti crediti contributionem. Quando ergo in illis legibus dicitur, non posse pro corpore hominis liberi fieri compensationem, aut æstimationem, solum est sensus, quod non potest fieri pro illo cõdigna retributio; quod est verum. Et nõ est sensus, quòd qui nocuit in corpore maneat liber ab obligatione satisfaciendi eo modo, quo potest; vt intendebat contraria opinio.

Ad 2. arg.

¶Ad secundum argumentum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam, quia pecuniæ ex natura sua sunt restituibiles, & ille, qui modò non est solũdo, si postea deueniat ad pinguiorem fortunam, tenetur restituere quidquid mutuò, aut furtim accepit, etiam si multis suffragijs, aut orationibus procurauerit satisfacere creditori, nullus est qui illum obliget ad satisfaciendum in bonis spiritualibus, aut in honore: cæterùm, quia vita, aut membra hominis liberi secundum se restitui non possunt, nec potest qui talia abstulit aliquando deuenire ad talem statum, quo ea in specie creditori reddat, sit, vt statim teneatur per alia bona ad arbitrium boni viri damni illati facere recompensationem.

Ad 3. arg.

¶Ad tertiũ argumentum respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, non valere istam consequentiam: Qui occidit Paganum non tenetur facere recõpensationẽ in bonis spiritualibus: ergo nec qui occidit Christianum. Nam cùm ratio naturalis dicter, quòd quando non potest restitui id, quod ablatum est, restitutio fiat in eo, quod cedit in vtilitatem illius, cui iniuria fuit facta; & bona spiritualia, atq; suffragia secundum fidem non possint prodesse Pagano occiso, possint autem prodesse Christiano, fit, vt non sit eadem ratio de vtroque, sed longè diuersa. Ad confirmationem respondetur, verum esse, quòd restitutio est actus iustitiæ cõmutatiuæ, quæ proprie solum habet locum in illis, inter quæ potest esse æquale simpliciter; quales sunt commutationes humanæ. Cæterùm quoniã sunt plura alia, inter quæ licèt non inueniatur perfecta ratio cõmutatiuæ iustitiæ, quia non redditur æquale simpliciter, inuenitur tamen aliqualis ratio iustitiæ, quia redditur quod potest, licèt non totum quod debetur, fit, vt etiam in his inueniatur aliquo modo restitutio, vel potius satisfactio. Et hæc est, quæ habet locũ in bonis spiritualibus, & in recompensatione bonorum corporalium ad arbitrium boni viri.

Ad 4. arg.

¶Ad quartum argumentum Scotus, Gabriel, & Adrianus locis citatis respondent concedendo antecedens. Imò dicunt, quòd qui alterum occidit

Universidad de Deusto
Biblioteca

cidit nullo meliori modo potest pro damno corporali illato satisfacere, quam patiendo pœnam à lege taxatam. Et addunt isti Doctores, quod si iudex homicidam non interfecerit, non potest ipse melius satisfacere, quam exponendo vitam morti in bello contra infideles pro anima occisi. Hæc tamen sententia est apertè falsa. Primò, propter rationem positam in eodem argumento. Si enim, qui occidit alterum, prius quã pateretur pœnam legis, aliquam tenebatur facere restitutionem, sequitur quod ad eandem tenebitur postquam talem pœnã fuerit perpessus. Ex eo enim, quòd quis puniatur pœna debita secundum legem non deobligatur à restitutione ad quam prius tenebatur, vt est videre in eo, qui propter furtum suspenditur. Secundò, patipœnam legis verè, & propriè loquendo non est restituere. Restitutio enim importat redditionẽ illius, quod iniustè fuerat ablatum, aut alterius æquialentis, eo modo, quo melius fieri potest; ità, quòd ex ipsa restitutione aliqua resultet vtilitas ei, cui fuit iniuria facta: Sed ex eo, quod homicida occidatur à iudice, nihil occiso tribuitur, nec eius hæredibus, nec aliquid vtilitatis in eos redundat: ergo per talem pœnam mortis homicidæ inflictam nulla fit restitutio, aut recompensatio defuncto, nec eius hæredibus. Atque ex consequenti si ante pœnam inflictam tenebatur homicida aliquam facere restitutionem, vt Scotus, atque Gabriel concedunt, sequitur, quòd ad eandem tenebitur post pœnæ inflictionẽ. Quo circa nos ad argumentum propositum respondemus negando antecedens. Falsum enim putamus, quòd qui propter homicidium suspenditur à iudice non tenetur ad faciendam aliquam recompensationẽ filijs defuncti. Et ratio est: Nam, cùm ille iniustè damnificauerit eos, occidendo illorum patrem, & hoc damnum nõ resarciatur, per hoc, quòd ipse à iudice occidatur, ratio postulare videtur, vt aliam eis faciat compensationem. ¶ Ad vltimum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiã. Et ad probationem dico, nihil valere exemplum adductum de seruo. Nam, quanuis homo non sit dominus vitæ suæ, habet tamen vsum illius. Vnde, quemadmodũ quãdo aliquis habet vsum alicuius domi, vel fundi, & alius euertit, aut incendit talem domũ, vel fundũ, non solum facit iniuriam domino, sed etiam vsufructuario; & ideò non restituit sufficienter damnum, nisi vtriq; satisfaciat: ita etiam in nostro proposito, quia homo habet vsum vitæ, atq; membrorum, quanuis non habeat dominiũ illorum, nõ poterit qui ista iniustè abstulerit sufficiẽter satisfacere, nisi Deo per pœnitentiam, & ei, à quo abstulit per restitutionem debitã faciat recompensationem. Ex hoc infertur, quòd qui aufert à religioso librum, aut aliquid aliud, quod habeat ad vsum, etiam si ille, qui aufert sit religiosus eiusdem ordinis, vltra hoc, quòd peccat mortaliter, tenetur illud eidem restituere. Et ratio est: Nam cũ habeat facultatem vtendi illo libro, iniuriam facit qui eum ab eo aufert: & sic tenetur illi per restitutionem facere recompensationem.

Ad vlt. argument.

¶ In solutione ad secundum argumentũ agit D. Tho. de restitutione famæ. Et suppo sito, quòd tripliciter potest alicuius fama lædi: vno modo vere & iuste; vt ille, qui seruato ordine iuris, alium de vero crimine accusat: alio modo falsò, & iniuste; vt dũ quis imponit alteri falsum crimen. Tertiò verè & iniustè; vt quando crimen occultum detegitur, constituit tres propositiones. Prima est qui nocet alteri in fama vere & iuste nullam tenetur facere restitutionem. Secunda propositio: Qui nocet alteri in fama falsò, & iniustè, tenetur facere restitutionem dicendo, se falsum dixisse. Tertia propositio: Qui nocet alteri in fama, dicendo verũ crimen, sed occultum, tenetur facere restitutionem sine mendacio tamen. Itaq; non debet dicere se fuisse mentitum; sed quòd fecit iniuste, & male & quòd fides ei adhiberi non debet. Et addit D. Thom. quòd si fama secundum se restitui non potest facienda erit pro illa recompensatio in alijs bonis, sicut dictum est de recompensatione pro damno corporali, quod secundum se est irreparabile. Hæc habet Diuus Thomas in litera. Sed quoniam continent ingentem difficultatem plura ad illorum intelligentiam dicere oportebit. Et vt recto ordine procedamus, aduertendum est primò, quòd fama, vt dicit glossa in capit. vestræ. de cohabitatione mulierum & clerico. est illæsæ dignitatis status, moribus & legibus approbatus, & in nullo deficiens. Vel, vt dicunt Philosophi, atque Theologi, est æstimatio inculpatæ, & bonæ vitæ, quam de aliquo habent homines. Et quoniam vnusquisque reipublicæ ciuis ius habet, vt talis existimetur, qualem propria opera ostendunt, iuxta illud, quod Saluator noster dicit Ioan. 7. Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate, hinc fit quòd tunc aliquis dicitur infamare proximũ quando præclaram eius opinionẽ, quã habebat apud alios prauis

Sententia D Thom. de restitutione fama

Famæ diffinitio.

prauis rumoribus denigrat; atq; adeò tunc etiam dicitur ablatam famã restituere quãdo proximum reducit in eum statum, quẽ in aliorum mentibus habebat. Differt autẽ fama ab honore in eo, quòd honor est cultus & reuerentia exterius homini exhibitus virtutis, & dignitatis causa. At verò fama est bona opinio in mente; & animo aliorũ residens, originemq; ducens, vel à donis supernaturalibus, vel à virtute morali, vel à scientia, vel à nobilitate. Ex quo fit, vt fama lædatur per detractionem, qua alicuius vita, aut verè aut falsè verbis traducitur. Honos verò læditur per irreuerentiam atque contumeliam, quæ tam verbis, quàm factis consistere potest. Et quoniam homines promiores sunt ad malum, quàm ad bonum, fit, vt malum quàm facillime suadeatur; semel autem persuasum egre deleri possit à cordibus hominum. Sæpè enim autoritas vnius, quæ potens fuit generare sinistrã opinionem de aliquo, non est satis ad eam abolendam; quæ est causa, vt restitutio famæ frequentissimè sit necessaria, & difficilimè perficiatur.

Differentia inter honorem & famam.

¶ Secundò est aduertendum, quòd ad hoc vt aliquis alterius famam restituere teneatur, tres conditiones sunt necessariæ. Prima est, quòd ipsa fama verè fuerit læsa. Vnde quantumuis aliquis grauissimã aliquam detractionẽ fecerit, etiã animo lædẽdi, si tamẽ inde nulla infamia est subsequuta, ad nullam tenetur famæ restitutionẽ. Debet enim semper præsupponi inæqualitas, non solũ intenta, sed realiter facta, ad hoc, vt restitutionis obligatio oriatur. Sæpè autem videtur fama auferri, quæ tamen in rei veritate non aufertur. Quod quatuor modis contingit. Primus est, quando peccatum, quod de aliquo dicitur, secundum communem æstimationem non cedit illi in infamiam. Vt si quis dicat de homine aulico, quòd prouocauit alterum ad singulare certamen, vel, quòd seruiuit alicui fœminæ nobili. Secundus: Quando ille, de quo aliquid dicitur, est publicè infamis circa illam materiam. Vt si quis diceret de publica meretrice, quòd iuuenem aliquem admisit. Tertius: Quando infamia est leuis. Quartus: Quando infamator est adeò fide indignus, vt nullus illi fidẽ adhibuerit; vel credicur id ioco dixisse. In his enim omnibus casibus ille, qui crimen detegit, vel falsò illud alicui imposuit, ad nullam tenetur restitutionem ex defectu in famiæ subsequutæ. Secunda conditio necessaria ad hoc, vt quis alterius famam restituere teneatur, est, quòd illam abstulerit, vel lęserit iniustè. Ex quo infero primò, quòd si-

Conditiones necessariæ, vt quis alterius famam restituere teneatur.

quis seruato ordine iuris accuset aliquem de crimine, quod sufficiẽtibus testibus probat, quanuis auferat famam illius, ad nullã tenetur restitutionem. Et idem iudicium est de eo, qui in correctione fraterna adhibuit duos, vel tres testes. Infero secundò, quòd quanuis iudex iniquo animo ferat sententiam contra reum; & accusator similiter ex odio procedat; si tamen sententia fuit iusta ad nullam tenentur famæ restitutionem. Et ratio est: Nam licèt fuerit ablata contra charitatem, non tamen contra iustitiam. Et idẽ iudicium est de illo, qui publicè & iuridicè diffamatum in vno loco diffamat in altero. Infero tertiò, quòd quando aliquis hypocrita ab omnibus reputatur vir sanctus, si quis veritatem reuelat, ad nullam tenetur restitutionem. Imò aliquando præcepto charitatis obligabimur reuelare alijs malitiam illius; ne velamine pietatis, aliòs praua doctrina vel exemplo corrumpat. Qua ratione Christus Dominus in Euangelio sæpè inuehitur contra Pharisæos hypocritas, illorum peccata detegens. Et ratio est: Nam illa fama non est sua, sed per fraudem vsurpata; & sic nulla fit iniustitia in eius ablatione. Infero quartò, quòd quando aliquis seductor iactat se generosum esse, quem alter scit esse infimo loco natum, non violat iustitiam, qui reuelat natales illius propter eandem causam, scilicet; quia, cùm ille per iniuriam tale nomen vsurpat, non priuatur iure suo. Et si quis argumentetur, quod quãdo aliquis iniustè possidet aliena bona, nõ licet cuicunque priuato homini auferre illa, quanuis sciat esse aliena, sed spectat hoc ad publicam potestatem: ergo pari ratione quanuis aliquis sit iniustus possessor alienæ famæ non est à quopiam deturbandus: respondetur, esse latissimum discrimen inter hæc bona. Nam corporalia taliter sunt in potestate possidentis, vt, regulariter loquẽdo, nequeant auferri ab inuito, nisi per vim, aut scandalum. Ex quo fit, vt ad id sit opus ministerio publicæ potestatis. At vero fama sita est in mentibus aliorum: & sic quando non habet ius ad illam absque scandalo per verum testimonium potest auferri. Quare non valet illa consequentia. Infero vltimò, quòd quando quis scit seruum alicuius furem esse, sine culpa potest dominum admonere, aut etiam amicum, ne illum domi recipiat, vel detineat. Et ratio est: Quia tunc verè & iustè infamat, non vt noceat peccatori, sed vt consulat innocenti. Et si inferas: Ergo licebit publicè reuelare crimen, vt omnes caueant, respondetur negando sequelam. Nam occultissimus peccator ius habet, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet, vt ei publica æstimatio conseruetur, quandiu manifestatio non est medium necessarium, vel ad procurandam salutem illius, vel ad alterius periclitantis defensionem. Et sic, quandocunq; dubium est, vel de correptione, vel de futuro periculo, conseruanda est sua fama. Tertia conditio necessario requisita ad hoc, vt quis alterius famam restituere teneatur, est, quòd ille, qui diffamatus fuit eam in integrum non recuperauerit. Nam si illam recuperauit, qui abstulerat nihil amplius tenetur restituere: iã enim facta est æqualitas. Ex quo infero, q siquis accusauit alterum de falso crimine, quod ipse sufficientissimè ostendit fuisse falso impositum, ad nullam vlterius tenetur restitutionem: iam enim damnificatus habet totum, quod amiserat.

Duobus tãtum modis potest quis contra iustitiam infamari.

¶Tertio est aduertendum, quòd vt constat ex D. Thom. in præsenti, duobus tantũ modis potest aliquis contra iustitiam infamari. Primus est, quando falsum crimen alicui imponitur, & iniustè. Secundus, quando imponitur verum crimen, sed iniustè. Et siquis obijciat. Nunquam potest contingere, quod falsum crimen alicui obijciatur, quin hoc fiat iniustè: superflue ergo ponitur illa particula, iniustè, in primo modo auferendi famam contra iustitiam. Respondeo cum Caietano in præsenti, non fuisse superfluè illam particulam positam. Nam quando iudex eum, quem ipse nouit innocentẽ, quia tamẽ in suo tribunali est probatus nocens, condemnat, quo vtique casu, falsum illius crimen facto ipso confirmat, ad nullã tenetur restitutionem: quia non iniustè, sed iustè id facit. Et extra istum casum, nec in iudicio, nec extra potest aliquando falsum crimen alicui imponi, nisi iniustè.

Discrimen quod est inter infamare falsum crimen imponẽdo, & dicendo verum sed iniustè.

¶Quartò est aduertendum, esse latissimũ discrimen inter istos duos modos auferendi famam iniustè. Nam qui illam abstulit, dicendo falsum tenetur dicere se fuisse mentitum, imo quia homines procliores sunt ad credenda mala, quam bona, non satis erit semper coram eisdem, quibus mendacium dixeras, te mentitum asserere: sed vltra id opus erit, vt iureiurando, & adhibitis insuper testibus demonstres te falsum dixisse, vt hac ratione, qui tua culpa fuerat infamia respersus, tua quoq; diligentia purgatus euadat. Donec enim contrariam eius, quam feceras fidem facias, non cessat obligatio restitutionis. Ille vero, qui abstulit famam dicẽdo verum, sed iniustè, siue id fecerit in iudicio, siue extra nõ potest dicere se fuisse mẽtitum. Hoc enim esset mendacium, quod pro salute totius mundi dicere non licet. Ex quo fit, vt hic restitutionis casus sit difficilior. D. Thom. & plerique Doctorum dicunt, quòd debet ille tunc dicere se perperam id dixisse, & iniquè proximum diffamasse, nec esse sibi fidem adhibendam. Sed proculdubio adeo parum, aut nihil ad restitutionem hoc confert, vt citius ac sæpius noceat. Quare hæc dicere non erit opus. Alij recentiores affirmant, quòd debet tũc infamator vti amphibolis verbis, quibus absque mendacio à se prolato alij intelligant se fuisse mentitum. Cæterùm nec hic modus dicendi satis placet. Tum, quia hoc est genus quoddam mendacij. Tum etiam, quia regulariter loquendo, nihil vtilitatis affert. Sed quod mihi in hac parte semper visum est melius, est, quod affirmat Caietanus in isto articulo, nempe, tacendo de priori delicto, laudare, cum veritate tamen, personam illam pluries aperiendo, quod credit ipsum virum bonum, & dare operam ad hoc, quod sic habeatur ab alijs, & hoc ità caute, ne videatur hoc facere pro restitutione, quia tunc esset prioris infamiæ confirmatio. Verba sunt Caietani. Sed est aduertendum, quod quando diximus illum, qui falsò & iniustè aliquem diffamauit, teneri ad affirmandum fuisse mentitum, sermo est de ijs, quæ regulariter contingunt. Nam si Comes, vel Episcopus, vel alia persona magnæ dignitatis hominem plebeium falsò & iniustè infamasset, non teneretur se profiteri mendacem, sed posset alia ratione satisfacere: & qui læsus est tenetur talem satisfactionem acceptare. Si enim ille, qui decem numos furto abstulit, nec eos restituere potest, sine iactura mille aureorum, non tenetur talem restitutionem facere cum tanta iactura, vt omnes Doctores cõcedunt: à fortiori, nec ille, qui in magna dignitate constitutus diffamauit plebeium tenebitur cũ propria infamia eius famam restituere; cum maius sit interuallum inter famam Episcopi, vel Comitis, vel Ducis, & famam hominis plebeij, quàm inter docem & mille aureos. Sed erit tunc facienda restitutio in pecunia ad arbitrium boni viri. Pecunia enim est mensura rerum temporalium, qua etiam fama æstimari potest. Et, vt dicit D. Thom. hic ad secundum, quando fama restitui nõ potest, debet in alijs recompensari. Si autẽ contingat, quòd ille cui non datur facultas retractandi suum dictum; nec etiam habeat pecunias, quibus alienæ infamiæ satisfaciat, non tenebitur ex iustitia eum, qui læsus est orationibus iuuare. Orationes enim, & bona spiritualia non possunt esse satisfactoria ex iustitia rerum temporalium, sed habendus

Nota.

dus erit tunc tanquam impotens satisfactionis, vel tenebitur satisfacere ad illum modum, quo verum dicentes, sed iniustè, satisfacturos esse diximus ex mente Caiet.

Quando ex infamia sequitur temporale damnum qui iniustè infamauit, tenetur illud restituere.

¶Vltimò est aduertendum, quòd quotiescunq; ex infamia damnum in bonis tem poralibus est subsequutum, ille qui iniustè infamauit alterum, tenetur ea in integrum restituere, nec quantum ad hoc potest esse dubitatio inter Doctores. Qui enim causam damni dat, ipsum damnum dedisse videtur: & sic obligatur ad illius restitutionem. Verum tamen est, quòd, quoniam damnum temporale ex infamia subsequutum nõ semper est determinatum, determinandum erit ex arbitrio boni viri, omnibus circunstãtijs consideratis, vt diximus supra de damno tẽporali ex corporali subsequuto.

1. Dubium de restitutione famæ.

¶His constitutis, quæ generalia sunt, operæ pretium est, vt ad alia, quæ in hac materia de restitutione famæ particularia sunt, deueniamus. Et sic est prima difficultas, vtrũ ille, qui alterius famã mẽdaciter læsit, iam tamẽ illud in obliuionẽ est traditũ etiã apud eos, apud quos læsus est, teneatur suũ dictum retractare. Et pro parte negatiua est argumentum: Fama illius pro tunc in re nõ est læsa, si quidem illi, qui audierunt iam bene iudicant, meliq; dicti sunt penitus obliti: ergo nihil restat restituendum. Probo consequentiam: Nam vna ex conditionibus, quas diximus esse necessarias, ad hoc, vt quis teneatur ad famæ restitutionem, est, quòd ipsa fama in re sit læsa. Et confirmatur: Renouare memoriam prioris delicti, quanuis falsò impositi, magis videtur in infamiam, quàm in honorẽ cedere: ergo id nõ

Conclusio.

est faciendum. Hoc tamen non obstante dico cum Caietano in præsenti, quòd qui taliter læsit famam, tenetur suum dictum retractare. Et ratio est: Nam quanuis illi, qui audierunt sint obliti, possunt tamen facile recordari, vt sæpe accidit: & tunc male de illo iudicabunt. Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, negando, quòd in casu posito fama illius non sit læsa. Nam quanuis non sit læsa actu, est tamen læsa habitu; quod satis est ad hoc, vt non deficiat illa conditio. Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Illa enim renouatio memoriæ prioris delicti deseruit ad hoc, vt qui audierunt, sciant id esse falsum: & sic amplius ei nocere nõ potsit.

Dubiũ. 2.

¶Est aliud dubium, vtrũm ille, qui alterius delictum detulit ad prælatum, non seruato ordine correctionis fraternæ teneatur restituere infamiam ex tali delatione subsequutam. Et pro parte affirmatiua est argumentum; Nemini cõceditur facultas à Christo, vel à iure proferendi crimen alterius apud iudicem, seu apud aliquem alium, nisi adhibita prius correctione fraterna: ergo quandiu illa non fuerit adhibita talis delinquens habet ius ad suam famam; atq; ex cõsequenti facit iniustè qui illam aufert & tenetur ad restitutionem. Pro explicatione huius difficultatis est aduertendum. Primò, quòd, quoniam iustitia consistit in æqualitate rei, & charitas essentialiter est amor, cuius proprium munus est velle, vt amicus bonis abundet; hinc fit, varias esse obligationes iustitiæ & charitatis, vnamq; altera ampliorem. Nam iustitia solum obligat ad illa, sine quibus nõ potest stare æqualitas: Charitas verò ad illa, sine quibus non potest stare amicitia. Et certum est, quòd quotiescunque violatur æqualitas rei, violatur etiã amicitia, & non è contra. ¶Secundò est aduertendum, quòd quia fama est bona opinio, quam de alterius virtute habent homines, & homines non iudicant de occultis, sed de illis, quæ in publicam lucem veniunt, id circò tandiu habet vnusquisque ius vt de se alij bene iudicent, non quandiu est bonus & innocens, sed quandiu ità viuit, vt malã illius factum in publicum idoneis testibus deferri non possit. Nam si potest probari, etiam antequam in publicum deferatur bona opinio, quam de illo habent cæteri, non tam ex iustitia debetur ei, quàm gratis datur. Istam tamen bonam opinionem, quam iustitia in isto casu non cõcedit, tribuit charitas, quæ semper aliquid vltra iustitiã dat. Et sic ex charitate tenentur homines bene opinari de illo: quanuis non ex iustitia.

Obligationes iustitiæ & charitatis diuersæ.

Quandiu quis habeat ius vt alij de se bene iudicent.

¶His constitutis dico primò: Si crimen quod ante iudicem defertur non seruato ordine correptionis fraternæ, est ità occultũ, vt idoneis testibus probari non possit, qui illud detulit tenetur ad famæ restitutionẽ. Probatur: Nam cum talis spoliet illũ re sua, ad quam habet ius, non solum peccat cõtra charitatem, & contra præceptum de correptione fraterna, sed etiam contra iustitiam, ex cuius violatione oritur obligatio restitutionis. Dico secundò: Si peccatum alterius potest idoneis testibus probari, licèt illud crimen aliàs sit occultum, qui defert illud ad prælatum non seruato ordine correptionis fraternæ, peccat mortaliter; quia præceptum de correptione violat; non tamen tenetur ad restitutionem infamiæ, quæ ex tali delatione fuerit subsecuta. Probatur: Bona opinio, quam ille in tali casu habet, non debetur ei ex iustitia: ergo qui illam aufert nõ tenetur ad restitutionem. Et ad argumentũ in con-

1. Dictum.

2. Dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in contrarium factum respondetur, concesso antecedenti, distinguendo consequens. Nam ius, quod quis habere potest ad suam famam, est duplex. Vnum propriè dictum; quale est illud, quod ex iustitia habet ortũ. Et istud ius non habet ille, qui committit peccatum, ex natura sua publicum; quale est illud, quod idoneis testibus probari potest. Alterum ius est amicitiæ, & charitatis. Et istud violat, qui prætermisso ordine correptionis fraternæ defert ad prælatum crimẽ, quod ex se est probabile: & sic non tenetur ad restitutionem. Ex violatione enim præcepti charitatis nulla nascitur obligatio restituendi. Diximus in superioribus, quod qui publicè & iuridicè diffamatum in vno loco diffamat in altero, quanuis peccet cõtra charitatem, non tamen peccat contra iustitiam, quoniam ille nullum ius iustitiæ habet ad suam famam.

Dubium. 3. ¶Sed est difficultas, vtrùm qui diffamatum in vno genere vitij diffamat in altero, de quo bene audiebat, ad aliquam teneatur restitutionem? Verbi gratia: Est aliquis homo, qui publicè habetur fur, atque periurus, & à me etiã cognoscitur adulter, quod alij ignorãt. Dubium est, vtrùm possim ego istud crimen occultum alijs reuelare, ablq; eo, quòd aliqua inde oriatur obligatio restitutionis? Palud. in. 4. dist. 29. quæst. 4. propè finem partẽ tenet affirmatiuã. Dicit enim, quòd reuelare occulta peccata eius, qui iã in vno crimine est diffamatus, nullum est peccatum. Et ex hoc infert, quòd conuictus apud iudicem de latrocinio tenetur iudici interroganti omnia alia sua crimina etiam occulta manifestare. Et idem dicit debere facere cum interrogatur de socijs criminis, scilicet, quòd tenetur reuelare non solũ crimen, in quo cum illis communicauit, sed etiam omnia alia illorum peccata. Et probat suam sententiã. ¶Primò ex diffinitione famæ, quæ est illæsæ dignitatis status moribus, & legibus approbatus, & in nullo deficiens. Ex quo sic colligit argumentum. Qui est conuictus de vno crimine iam nõ habet illæsæ dignitatis statum: ergo non habet famam: atq; ex consequenti qui illius peccata etiam occulta manifestat, nullam illi facit iniuriam. ¶Secundò: Præceptum de occultandis aliorum peccatis non ideò ponitur, vt crimina maneant occulta, sed ne is, qui peccauit notetur infamia: sed in casu posito ille iam est infamis: ergo nulla relinquitur causa, propter quam reliqua eius peccata fileantur.

Sententia Paludani.

1. Argum.

2. Argum.

1. Conclus. ¶His tamen non obstantibus, sit prima conclusio: Qui diffamatum in vno genere vitij, vel in pluribus, diffamat in altero, de quo bene audit, non solum peccat mortaliter, sed etiam tenetur ad restitutionẽ. Probatur: Qui id facit non minus est proditor occulti criminis, quàm si reuelatet peccata hominis bonæ opinionis: sed hoc est illicitum, & contra iustitiam: ergo & illud.

¶Item: Qui palam est ebrius, vel fur, & habetur pudicus, habet ius ad illam bonam opinionem, quam de sua pudicitia habent homines: ergo qui eam ab eo auferret reuelando occultum adulterium faceret ei iniuriam: atque ex consequenti teneretur ad restitutionem. Consequentia est nota, & antecedens probatur: si ille non haberet ius ad illam bonã opinionem, ex eo esset, quòd amisit famam sobrietatis: sed hoc non obstat, nam qui sua culpa amisit partem suarũ facultatum, non ideò dicitur amisisse ius ad reliquas portiones, quas possidet: ergo simili modo in proposito. Verũ tamen est, quòd sunt quidam homines ità flagitiosi, & est tã ta coniunctio inter nonnulla crimina, vt reuelatio alterius criminis occulti non sit semper peccatum mortale, nec inducat obligationem restitutionis. Vt, verbi gratia, dicere de infami aleatore, quòd crebrò iurat, aut de illo, qui publicè habetur periurus, & in die dominica non audit rem sacram, non est peccatum mortale. Tales enim homines propter vitæ suæ infamiam parum, aut nihil læduntur ex tali occulti peccati manifestatione. Item dicere de illo, qui virginem incitauit, & induxit ad stuprum, quòd scripsit epistolas amatorias, vel quòd pretio corrupit familiares, non est peccatum mortale. Habent enim hæc peccata inter sese adeo magnam familiaritatem, vt possit vnusquisque ea per se iudicare, aut suspicari etiã nemine dicente. Præterquam quòd ex illis nihil infamiæ accrescit ei, qui virginem incitauerat.

2. Conclus. ¶Secunda conclusio: Intolerabiliter errat Paludanus in eo, quod dicit, quòd conuictus de vno crimine tenetur iudici interroganti sua, & aliorum peccata etiam occulta, & alterius generis manifestare. Probatur: Iudex non potest de istis interrogare; nam de occultis non pertinet ad iudicẽ interrogatio, vt infra dicemus, cùm de iudicijs fuerit sermo: ergo nec ipse tenetur respondere. Et ad vtrunq; argumentum Paludani simul respondetur, negando quod qui est infamis de vno delicto, iam non habeat famam circa alia. Non enim fama adeò cõsistit in indiuisibili, vt per partes amitti nõ possit. Nec obstat diffinitio famæ à iuris prudentibus assignata. Nam ibi solum illa fama

Ad argum. Palud.

fama diffinitur, quæ ex omni parte est integra, atque perfecta.

Dubiũ. 4. ¶Diximus iam de illis, qui directè atque per se alterius famam lædunt, superest nũc disputare de eis, qui lædũt per accidẽs. Et est difficultas, vtrũ ille qui accusatus apud iudicem de aliquo crimine, verè quidẽ, sed iniustè, quia non sunt testes sufficientes ad eius probationem, negat crimen obiectum, ex quo indirectè accusatoris fama læditur, aliquam teneatur facere restitutionem? Caietanus in summa, verbo restitutio, cap. vlti mo, & in isto articulo in solutione ad secũdum dicit, quòd qui verum crimen sibi coram iudice obiectum, quanuis iniustè, taliter negat, quod accusatoris fama læditur, vel quia accusatus dicit illum esse falsariũ, & criminatorem, vel quia ex modo negandi id alij intelligunt, tenetur accusatoris famam restituere. Et loquitur Caietanus, non quando iniustè accusatus procedit animo & intentione diffamandi accusatorem; sed quando solum vult excusare & defendere seipsum; & ex tali defensione sequitur alterius infamia, quod est esse detractorẽ nõ formaliter, nec ex intentione, sed tantum materialiter, & indirectè. Et probat suam sententiam primò: Nam si aliqua ratione accusatus in casu posito non teneretur accusatoris famam restituere, ex eo esset, quod ipse prius fuit iniustè diffamatus: sed hæc ratio non est sufficiẽs: ergo. Probo minorem: Nõ licèt malum pro malo reddere, nec maleficium maleficio compensare: ergo etiam si Petrus iniustè fuerit accusatus, & diffamatus à Ioanne obijciente sibi verum crimen, sed occultum, non propterea licet illi diffamare Ioannem negando verum crimen, aut notando ipsum Ioannem de falsario, & criminatore. Et confirmatur: Qui ab aliquo percutitur alapa non potest alteram ei dare, vt de se patet: ergo pari ratione, qui ab alio percutitur infamia non potest illũ diffamare, quòd si fecerit erit obnoxius restitutioni. ¶Secundò: Iniustè aggressus ab aliquo, si potest se defendere, sine nocumento illius, non erit licitum defendere se cum nocumento: & si potest cum minori non erit licitum defendere se cum maiori; vt si potest tueri vitam abscindendo manum aggressoris, quòd licitè faciet, peccatum erit occidere illum: tunc enim illa occisio iam non esset cum moderamine inculpatæ tutelæ: sed accusatus in casu posito potest se defendere, absque eo, quod accusatorẽ diffamet, dicendo, scilicet, quòd accusator probet crimen obiectum; ergo si diffamat malefacit, atque ex consequenti tenebitur ad

Sententia Caietani.

1. Argum.

2. Argum.

restitutionẽ. Addit etiam Caietanus, quod accusans similiter tenetur restituere famam accusati. Itaque sibi inuicem accusans & accusatus tenentur famæ restitutionem facere; quãuis diuersimodè. Nam accusans, quia verum dixit, quanuis iniustè, non debet restituere famam dicendo se fuisse mentitum, aut falsum dixisse; quia hoc esset mendaciũ: sed debet dicere, se malè feciisse, & iniustè, & quod accusatus non debet reputari talis, qualem ipse dixit, quod verum est; quia vt habetur in cap. vnico. de scrutinio in ordine faciendo, quem humana fragilitas non nouit esse indignum, debet existimare dignum: accusatus vero negans crimen obiectum, & ex consequenti infamans accusatorem de culpa falsarij, tenetur restituere famam dicendo ipsum non esse falsarium, nec criminatorem. Vltimò dicit Caietanus, non posse in hoc casu fieri iniuriæ recompensationem per mutuam remissionem. Et quod dicitur de accusatore & accusato coram iudice quantum ad restitutionem famæ, dicit etiam esse asserendum quando priuatim vnus detegit crimẽ verum alterius, occultũ tamen, & alter negat illud. Ex quo indirectè sequitur, quod ille, qui detegit crimen habeatur pro mendace pernicioso. Hæc Caietanus.

In sententia Caiet. cõtinentur multa falsa. ¶Cæterùm meo iudicio, multa in hac sententia continentur falsa. Quod vt explicem, & simul satisfaciam difficultati propositæ aduertendum est, quòd ille, qui ab aliquo in iudicio accusatur iniustè, quanuis verè, variè potest respondere crimini obiecto. Nam primò potest respondere nihil affirmando, aut negando, sed tantum petendo, vt accusator crimen in iudicium delatũ probet. Secundò potest respondere, negando proposita, vt proponuntur; quòd regulariter in iudicio fieri solet. Et perinde est, ac si diceret: Peccatum meum in publico proponitur, vt publicum, & vt publicè probandum; nego esse publicum. Tertiò potest respondere negando absolutè, se fecisse id, quod obijcitur. Quartò & vltimò, affirmando accusatorem tale crimen sibi imposuisse, & quod est falsarius & criminator.

1. Conclus. ¶Hoc supposito sit prima cõclusio: Qui primo modo se gerit, scilicet, quòd neq; ait, neque negat, sed tantum petit, vt accusator crimen sibi obiectum probet, nihil peccat, nec accusatori aliquam facit iniuriã. In hac conclusione omnes conueniunt. Et probatur: Nam accusatus in casu, de quo loquimur, non tenetur seipsum prodere, vt omnes concedunt; nec modestius quidquam dicere potest in suam defensionem, quam petere

Universidad de Deusto
Biblioteca

petere criminis obiecti probationem. ¶ Secunda Conclusio: Qui secundo modo se gerit, scilicet, quòd negat proposita, vt pronuntur, non peccat, nec ad restitutionem tenetur, etiam si ex tali negatione proueniat quòd alij suspicentur accusatorem fuisse falsarium, & sic famam amittat. Prima pars huius conclusionis, scilicet, quod talis non peccet, probatur. Nam si aliquod peccatum committeret, proculdubio illud esset mendacij; sed non mentitur: ergo. Probo minorem. Ille solum negat crimen, vt est obiectũ atque propositum, scilicet, vt est publicum & iuridice probandum: sed est occultum, & probari non potest, vt supponimus: ergo non mentitur. Secunda pars, scilicet, quòd talis ad nullam teneatur restitutionem etiã probatur. Nam nullã iniuriam facit accusatori: nemo enim vtens iure suo alteri facit iniuriam. Quin potius addiderim, quod etiã si accusatus petat à iudice, vt circa accusatorem faciat quod ex iure fieri solet, circa deficientes in probatione: ex quo fit, quòd accusans non solum infamis, sed etiam punitus euadat, ad nullam ei tenebitur restitutionem. Hoc enim potius accusatori, quã accusato debet imputari. 2. Concluſ.

¶ Tertia Conclusio: Qui tertio modo se gerit, scilicet, quòd absolutè negat crimen sibi obiectum, etiam si ex hac negatione sequatur accusatoris infamia, nullam accusatus tenetur facere restitutionem, Probatur. Accusatus in casu posito habet ius defendẽdi suam famam: ergo etiam si ex negatione, quam pro medio ad id assumit, sequatur accusatoris infamia, ad illius restitutionem non tenebitur: probo consequentiam. Nam quanuis illud medium sit forsan cõtra charitatem, vel, vt melius dicam, præter charitatem, cum sit mendacium, non tamen est cõtra iustitiam; ex cuius violatione solum oritur obligatio restitutionis. Quin potius addiderim, quòd etiam si cum iuramento cõfirmet se illud crimen non commisisse, & sic peccet mortaliter iurando falsum, ad nullam tamen tenetur restitutionem. Et ratio est. Nam non tenetur aliquis ad restituendam famam, quam abstulit, nisi quando peccauit contra iustitiam. In hoc autem casu negans crimen obiectum etiam cum iuramento, non peccat contra iustitiam; cũ potius patiatur iniuriam ab accusante, quã eam illi irroget. Item: qui occidit inuasorẽ ob defensionem propriæ vitæ, nec peccat nec ad restitutionem tenetur: ergo nec qui ob defensionem propriæ famæ diffamat infamantem. Consequentia tenet ex paritate rationis, & antecedens probatur, ex lege. 3. Concluſ.

scientiam. §. qui cũ aliter. ff. ad legem Aquiliam. Vbi dicitur: Qui cum aliter tueri se non potest, damni culpam dat, innoxius est. Vim enim vi defendere omnes leges, omniaque iura permittunt. Idem etiam habetur in. l. vt vim. ff. de iustitia & iure. Imò, vt dicit Caietanus infra. quæst. 64. art. 7. non solùm est licitum interficere aggressorem ob defensionẽ propriæ vitæ; sed etiã ob defensionem bonorum. De quo latè disputat Couarruuias in relectione super Clementinam, si furiosus. de homicidio. part. 3. §. vnico. num. 3.

¶ Quarta conclusio: Qui quarto modo se gerit, scilicet, quòd affirmat accusatorẽ esse falsarium, & criminatorem vltra hoc, quòd peccat mortaliter tenetur restituere famam accusanti, non quidem in integrum, sed solum quoad illam partem infamiæ, quæ resultauit ex eo, quod appellauit illum falsarium, ac criminatorem. Et quantum ad hoc vera est sententia Caietani. Probatur: Illa responsio continet in se mendacium iniuriosum & pernicioſum alteri in re graui: ergo vltra hoc, quod est peccatum mortale inducit obligationem restituendi. Et confirmatur: In nullo casu est licitum imponere alteri falsum crimen; ipsa enim impositio ex natura sua est iniuriosa, & peccatum mortale, si crimen, quod imponitur est mortale: sed in casu, quo reus dicit, accusatorem esse falsarium, cum tamen obijciat verum crimẽ, imponit illi falsum crimen in re graui: ergo peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Potest tandem hoc ipsum probari, secundo argumento à Caietano facto. Nam cùm accusatus possit se defendere absque eo, quòd dicat accusatorem esse falsarium, scilicet, primo, secundo, & tertio modo, iuxta id, quòd diximus in conclusionibus supra positis, non est cur istud medium adhibeat: & si adhibuerit erit iniuriosus, nõ minus, quam ille, qui cum abscissione manus potest vitam tueri, & occidit aggressorem. Sed dubitabit aliquis hoc loco, quã nam ratione possit accusatus in isto casu restituere famam accusanti? Nam si retractat suum dictum prodit seipsum; quod videtur contra rationem. Respondeo, quòd poterit fieri per hoc, quod vterq; sibi restitutionem famæ faciendam remittat, & sic fiat mutua compensatio infamiæ ab vtroq; illatæ. Nam quanuis Caietanus affirmet non posse hoc modo fieri restitutionem famæ, quia existimat nec mutuam remissionem, nec mutuã recompensationem in famæ restitutione habere locum, & fundamentum illius est, quia dicit hominem non esse dominum suæ famæ; 4. Concluſ.

mæ; nihilominus tamen nos contrariũ affirmamus: quod verum esse, ex ijs, quæ diximus in materia de dominio, agentes de dominio famæ, colligere licebit.

Ad. 1. arg. Caiet. ¶ Ad primum argumentum Caietani respondetur concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, non reddi malum pro malo, quando ex defensione propriæ famæ iniustè ablatæ per accidens sequitur infamia illius, qui abstulit: sed tũc tantum, quando ad vindicandam iniuriam illatam malum alteri incutitur; quod nõ fit, quando quis negando crimen obiectum, propriam famam, ad quam habet ius iustè defendit. ¶ Ad confirmationem, vt respondeamus, aduertendum est, quòd dupliciter aliquis potest alterũ repercutere. Vno modo, quia iam ille eum percussit, quanuis cessauerit à percutiendo. Et in isto casu certũ est, nulli particulari esse licitum alterũ repercutere. Tunc enim illa repercussio non esset defensio, sed vindicatio prioris iniuriæ, quam homines propria autoritate sumere non possunt. Alio modo potest quis repercutere alterum, quando ipse adhuc nõ cessauit à percussione, sed in illa perseuerat. Et in isto casu licitum est repercutere; non quidem pro vlciscenda priori iniuria, sed pro vitanda futura: quia habet hæc repercussio rationem defensionis, & non vindictæ. Hoc supposito dico, quòd quando aliquis alterum diffamauit sic, vt iam transierit illa diffamatio, tunc nulli hominum est licitum talem diffamatorem nec per se, nec per accidens diffamare; quia haberet ea secunda diffamatio rationem vindictæ, & non defensionis. Cæterùm, quandiu diffamatio est in fieri, nec censetur consummata, aut completa, vt quando mihi obijcitur crimen iniustè, quod nec mihi probatur, nec ego illi consentio, sed potiùs reclamo; etiam si ex hoc sequatur aliqua infamia illius, qui me accusauit, non propterea peccо, nec teneor ad restitutionem, quia habet hæc secunda diffamatio magis rationẽ defensionis, quam iniuriæ illatæ. Et per hæc patet solutio ad confirmationem. Ad 2. arg.

Ad. 2. arg. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd probat nostram quartam conclusionẽ, qua diximus, quòd quando quis ad defensionẽ vitæ, vel famæ adhibet acrius medium, quã ad id est necessarium, peccat, & tenetur ad restitutionem illius excessus. Quæ restitutio potest fieri, vel per remissionem partis læsæ, vel per cõpensationẽ in alijs bonis ex partium consensu, vt iam sæpè diximus.

Dubiũ. 5. ¶ Sed est difficultas, vtrũ sit vniuersaliter verũ, quod quælibet persona potest suæ famæ restitutionem remittere? Pro cuius intelligentia aduertendum est primò, quòd præsens quæstio duplicẽ potest habere sensum. Primus est, vtrũ ipse infamatus licitè possit remittere suæ famæ restitutionem. Alter, an si infamatus remittat restitutionem suæ famæ, siue licitè, siue illicitè, infamans maneat verè absolutus à debito amplius talem famam restituendi. Et in vtroque sensu erit à nobis quæstio explicanda. Secũdò est aduertendũ, aliud esse loqui in præsentiarũ de persona priuata, & aliud de persona publica. Nã qui gerit personã publicã, quia nõ potest suũ officiũ exercere, si sit infamis, ideo propriam famam habet suo officio mancipatam: ex quo fit, vt qua lege tenetur administrare suum officium, eadem etiam ad obseruandam suam famam teneatur. ¶ His suppositis dico primò: Si persona priuata remittat alteri suæ famæ restitutionẽ, talis remissio est efficax ad hoc, vt debitor maneat tutus in conscientia, nec amplius ad talis famæ restitutionem teneatur. Hæc conclusio est contra Caietanum, qui in sua opinione persistens, qua dicit hominem non esse dominum propriæ famæ, ex consequenti affirmat, quòd, quanuis ille, qui fuit infamatus, suæ famæ restitutionem remittat, ille tamen, qui infamauit, nõ manet tutus in cõscientia, sed semper tenetur ad restitutionẽ; sicut qui accepit rẽ alienã ab eo, qui nõ est verè dominus. Hæc tamẽ sententia iã satis à nobis fuit impugnata, in materia de dominio, & cõtraria pluribus rationibus asserta. Ex qua euidẽti cõsequẽtia colligitur, quod si ille, qui suæ famæ est verus dns illius restitutionẽ remittat, is, qui infamauit, erit tutus in conscientia, nec amplius ad talẽ restitutionẽ faciendã erit obligatus. ¶ Dico secũdò: Quotiescunq; persona priuata suæ famę restitutionẽ remittit, non solũ talis remissio est efficax ad hoc, vt infamator sit tutus in conscientia, sed etiã remittẽs bene facit, & nullum peccatum cõmittit. Probatur: Qui infamauit alterum, regulariter loquendo, non potest ei satisfacere sine aliqua iactura propriæ famæ, aut bonorũ suorũ: ergo remittere restitutionem famæ, regulariter loquendo, erit cõsulere famæ, aut bonis alterius: Sed est maximè honestũ atq; præclarũ negligere propriã vtilitatẽ propter aliorũ cõmoda: ergo etiã erit valde honestũ propriæ famę restitutionẽ remittere. Secundò: Remittere restitutionẽ propriæ famæ est illatas iniurias cõdonare: sed hoc est valde honestũ, atq; laudabile, vt cõstat ex Euãgelio, in quo Christus sæpè hortatur fideles, vt illatę sibi iniurię remissionẽ faciant: ergo. 1. Dictum. 2. Dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vltimò: Certũ est, quòd sicut dissipare propriam famam, quando non adest iusta causa ad id faciendum, est peccatum prodigalitatis; ita etiam quando adest iusta causa est opus maximæ virtutis illam perdere; sed qui remittit propriæ famæ restitutionem, semper habet iustam & legitimam causam id faciendi; cauet enim ne proximus infamiam patiatur, & consulit alienis commodis: ergo semper bene facit, atque ex consequenti non peccat. Est autem hoc intelligendum, dummodo fama non sit necessaria ad consequendam vitam spiritualem. Tunc enim malè faceret, qui infamiæ sibi illatæ restitutionem remitteret. Vt, si esset quis adeò fragilis, & periculis spiritualibus expositus, quòd nisi religionem ingrediatur eius bonum spirituale periclitaretur, sed in religione non recipiuntur homines infames; in hoc casu qui propriæ famæ restitutionem remitteret, proculdubio peccaret: quanuis adhuc ipsa remissio sufficiens esset ad hoc, vt infamator esset tutus in conscientia. Et idem iudiciũ est de eo, qui sine aliorum scandalo suæ famę restitutionem remittere non posset. Vt si, verbi gratia, vir gratis, & magnæ autoritatis notaretur de adulterio, ex quo pusilli inducerentur ad peccãdum; tunc ille non posset licitè suæ famæ remittere satisfactionem. Sed hoc est per accidens, ratione nocumenti inde illati. In quo sensu est intelligendus D. August. quãdo dicit; Qui negligit famam suam crudelis est

1. Dictum. 11. q. 3. cap. non sunt audiendi. ¶ Dico tertio: Si persona publica propriæ famæ restitutionem remittat, vltra hoc, quòd peccat, ipsa remissio est inefficax ad hoc, vt infamator sit tutus in conscientia; sed adhuc tenetur talis famæ restitutionem facere. Hæc cõclusio, quantum ad secundam partem est contra Magistrum Soto lib. 4. de iustitia & iure. q. 6. art. 3. in solutio. ad. 5. vbi dicit prælatum, seu personam publicam in illis peccatis, quæ attingunt propriam personam, & non personam subditorum, si remittat suæ famæ restitutionem, peccare quidem: cæterùm ipsam remissionem sufficientem esse, ad hoc, vt infamator maneat tutus in conscientia, nec ad aliam teneatur satisfactionem. Colligit autem huius sententiæ rationem ex duobus fundamentis. Primum est, ꝙ prælatus, & persona publica tenetur ex iustitia suam famam conseruare, quia habet eam alligatã officio. Et ex hoc infert, quòd peccat, si suæ famæ restitutionem remittat. Secundum fundamentũ est, quòd licet prælatus istam obligationem habeat, adhuc tamen ipsa fama est bonum proprium prælati, & non subditorũ. Et ex hoc infert, quòd taliter potest illius restitutionem remittere, quòd infamator erit tutus in conscientia, vtpotè remissione, quæ facta est à vero domino. Sed meo iudicio in hoc secundo multum fallitur Soto. Et probatur: Prælatus ex iustitia tenetur suam famam conseruare: ergo prælati fama non solum pertinet ad prælatum, sed etiam ad subditos; iustitia enim est ad alterum. Tunc vltra: Prælati fama nõ solùm est prælati, sed etiam subditorum: ergo sola remissio prælati non erit sufficiens liberare detractorem à debito restituendi. Præterea: Ex eo prælatus dicitur habere famam addictã officio ex iustitia, quia prælati fama est perneccssaria ad gerendam personam publicam; sed prælati & personæ publicæ ex iustitia debent præstare suis subditis omnia illa, quæ eis sunt necessaria: ergo etiam debent ex iustitia suam famam subditis: atque ex consequenti fama prælati pertinet ad subditos: ergo sola remissio prælati non erit sufficiens ad hoc, vt diffamator ad nullam vlteriorem teneatur restitutionem. Sed, vt hoc melius intelligatur, aduertendum est, quòd bona opinio, quæ de aliquo habetur, est illius, & potest etiam esse mea, dupliciter. Vno modo, quia in illius bona opinione includitur mea, & ità ex ea depẽdet, vt altero male audiente, me etiam male audire sit necesse. Quia ratione bona opinio filij continetur in fama parentis, maximè in ijs, quæ ad genus & sanguinem spectant. Alio modo dicitur mea bona opinio alterius, non quia fama mea contineatur in illa, aut altero malè audiente me etiam malè audire sit necesse: sed quia bona opinio illius est mihi necessaria ex eo, scilicet, quòd officium, quod mihi ex iustitia præstare tenetur, ipso infami existente commodè præstare non valet. Hoc supposito dico, quòd quanuis fama prælatorum non semper pertineat ad subditos primo modo (non enim semper subditi efficiuntur infames ex flagitijs prælatorum) pertinet tamen semper secundo modo. Quocunque enim vitio prælatus infametur subditi afficiuntur damno, ex eo, quòd redditur sibi prælatus inutilis in ijs, quæ ex iustitia præstare tenetur. Quod satis est ad hoc, vt remissio infamiæ facta à solo prælato, non sufficiat illi, qui ipsum infamauit: sed requiritur præterea, quòd satisfaciat subditis.

Bona opinio quæ de altero habetur potest esse illius & mea dupliciter.

¶ Est aliud dubium, vtrùm illi, qui non affirmando, sed aliorum dicta referentes, crimen occultum alicuius manifestant, sint habendi detractores, & teneantur ad famæ restitutionem? Caiet. infra quæst. 73. artic. 2. partem

Dubiũ. 6.

Sententia Caiet.

partem tenet negatiuam. Et ratio illius est: Nam dicit, quòd illa leuis assertio ex auditu tantum, ex se non est sufficiens causa infamiæ; & si sequitur, est ex leuitate audientium, qui non deberent tam cito credere. Ex quo infert, illum solum, qui absolutè asserit crimen de absente, vel eum qui est causa actiua infamiæ, teneri ad restitutionem. Idem affirmat Adrianus in. 4. in propria quæstione de restitutione famæ, & citat pro se Scotum in. 4. distinctione. 15. quæstione. 4.

Referẽs crimen alterius multipliciter se potest habere.

¶ Sed pro huius rei explicatione est aduertendum, quòd referens crimen alterius multipliciter se potest habere. Nam, vel refert illud animo lædendi, vel sine illo, ex propria, scilicet, leuitate, aut loquacitate. Tunc vltra, vel refert illud coram illis, apud quos scit, eum, cuius crimen manifestat, nihil in famiæ habiturum, vel coram illis, apud quos dubitat, vel certo scit, illum, cuius peccatum refert, aliquid bonæ suæ opinionis amissurum, siue id proueniat ex leuitate audientium, siue ex grauitate criminis. Sũt enim aliqua crimina adeo grauia, & infamiæ plena, vt peior sit leuis suspicio de illis quam plena probatio circa alia.

1. Dictum. ¶ Hoc supposito dico primò, certum esse, quòd qui animo lædendi, non affirmando, sed aliorum dicta referens, crimen alicuius manifestat, siue ex tali manifestatione sequatur infamia, siue non, peccat mortaliter. Probatur: Nam ille malus animus est contra charitatem, quod satis est, vt sit pec-

2. Dictum. catum mortale. ¶ Dico secundò etiam esse certum, quòd quando quis referens dicta aliorum, alicuius crimen manifestat, ex qua manifestatione nihil infamiæ accrescit illi, cuius crimen detegitur, siue id faciat animo lædendi, siue secus, ad nullam tenetur restitutionem. Probatur: Tunc tantum obligat restituturio famæ; quando ea contra iustitiam fuerit violata, vt paulò ante dicebam: sed in casu posito fama illius, cuius crimen manifestatur, nec iustè, nec iniustè fuit violata: ergo nulla illius restat obligatio restitu-

3. Dictum. tionis. ¶ Dico tertio: Quotiescunq; aliquis non affirmando, sed aliorum dicta referens, siue id faciat ex malo animo, siue ex propria leuitate, aut loquacitate alicuius crimen manifestat coram illis, apud quos dubitat, vel certò scit illum, cuius crimen detegitur, aliquid infamiæ habiturum, siue id proueniat ex leuitate audientium, siue ex quauis alia causa, tenetur ad famæ restitutionem. Hoc dictum est contra Caietanum. Et probatur: Talis intulit damnum ex culpa sua: ergo tenetur ad illius restitutionem. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur ex capit. finali. de iniurijs & damno dato. Vbi dicitur teneri ad restitutionem illum, qui damnum intulit etiam ex leuissima causa, aut culpa. Sed est aduertendum, quòd debet ille tunc restitutionem facere, non dicendo, se nihil audiuisse, hoc enim esset mendacium; sed affirmando se leuiter, & sine aliqua consideratione fuisse loquutum, & curando præterea, vt omni modo, quo melius possit ea mala opinio, quam alij conceperunt ab eorũ animis penitus euellatur, iuxta id, quod in superioribus diximus, de restitutione, circa famam facienda.

¶ Et ad rationem Caietani respondetur, quòd, quanuis sit verum, quod leuis assertio ex auditu tantùm, non est sufficiens causa, propter quam homines prudentes, atque cordati debeant induci ad credendum aliquod malum de proximo, cæterum, quoniam homines maiori ex parte sunt ignorantes procliuioresque ad credendum de fratribus malum, quam bonum; hinc fit, vt qui etiam ex auditu, aut dubitando alicuius occultum peccatum manifestat, sufficienté existimetur dedisse causam infamiæ, & sic teneatur ad restitutionem.

Ad rationẽ Caiet.

¶ Est aliud dubium, Vtrùm non impediens detractorem, cum facile possit, ex quo proximi sequitur infamia, aliquam teneatur facere restitutionem. In qua re, vt certa ab incertis seperemus, dico primo, quòd qui volens audit coram alijs detrahentem, quem facile, & sine aliquo suo detrimento potest impedire, peccat mortaliter. Probatur: Talis est causa, sine qua absens proximus, cui detrahitur, non diffamaretur: ergo facit contra charitatem debitam illi. Et confirmatur: Qui potest sine suo detrimento defendere domum, aut pecuniam proximi, ne à furibus accipiatur, & non facit, peccat mortaliter: ergo & qui potest defendere famam, & non defendit. Patet consequentia: Nam maioris valoris est fama, quàm pecuniæ. Dico secundò, etiam esse certum, quòd qui nolens audit detractionem, quam sine suo notabili damno impedire non potest, nec peccat, nec ad aliquam tenetur restitutionem. Probatur: Nulla priuata persona obligatur ad defendendam famam proximi, nisi ex debito charitatis; sed hoc non obligat cum notabili proprio detrimento, vt omnes Doctores concedunt, & nos diximus latè in materia de charitate, agentes de illius ordine: ergo qui contrarium facit, nec peccat,

Dubiũ. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec ad aliquam tenetur restitutionem. Secus autē esset, si ex debito iustitię teneretur quis alterius famam defendere, vt tenentur iudices. Itaq; hæc certa sunt. Sed dubium est de illo, qui volens audit detractionem, quam facile, & sine suo magno detrimento potest impedire, an sicut peccat mortaliter, ità etiam ad aliquam teneatur famæ restitutionem? In cuius rei explicatione omissis varijs opinionibus, dico tertiò: Qui volens audit absentis detractionem, quam facile, & sine suo detrimento potest impedire, quanuis peccet mortaliter, ad nullam tamen tenetur famæ restitutionem; nisi fortè huiusmodi non impediens talis sit conditionis, quod ex officio teneatur absentis famæ prouidere. Hæc conclusio est Adriani in quodl. quæst. 11. & D. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 5. quæstiun. 3. & Caietani infra quæst. 73. art. 2. Et probatur: Qui potest clamando, aut detinendo sine suo nocumento impedire latronem, ne alterius pecuniā furetur, & non facit, quanuis peccet mortaliter, ad nullam tamen tenetur restitutionē, nisi fortè ex officio teneatur talem pecuniam defendere, vt cōmuniter dicunt Theologi. Et ratio est, quia nulla ibi inuenitur obligatio iustitiæ, sed tantum vinculū charitatis: ergo idem est dicendum in nostro proposito. Probo consequentiam ex parita te rationis. Secundò: Quicunq; tenetur ad restitutionem, vel tenetur ratione rei acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis, vt ex mente D. Thom. diximus in superioribus; sed ille, qui non defendit famam proximi, quando ad id ex officio non tenetur, nec habet rem acceptam, vt constat, nec etiam est causa influens actiuè iniustæ acceptionis: ergo non tenetur ad illius restitutionē. Et siquis obijciat: Ille, qui non defendit, est potest infert damnum ex sua culpa; ergo tenetur ad illius restitutionem; respondeo, negando antecedens. Ad hoc enim, vt aliquis dicatur inferre malum, necessarium est, vel quòd influat actiuè in illud, vel quod non impediat cum potest, & tenetur. Tunc enim tantum dicitur omissio sequi naturam sui positiui, quando est eius rei, quam omittēs potest & tenetur facere, vt latè docet D. Thom. in materia de omissione. 1. 2. quæst. 71. artic. 5.

Punctus difficultatis.

Responsio.

¶Diximus iam de obligatione restitutionis, quæ ex violatione famę siue per se, siue per accidens potest oriri, superest nunc disputare de periculo, cum quo quis tenetur ad famæ restitutionem. Et sic est difficultas, vtrùm cum periculo famæ vel vitæ teneatur quis restituere famam, quam iniuste abstulit. Caietanus infra artic. 6. tres rerum ordines distinguit. In primo constituit pecunias, & reliqua bona temporalia. In secūdo famam, atque honorem. In tertio denique vitam, & illa, quæ ad eius conseruationem sunt necessaria. Et dicit, quòd rem inferioris ordinis nemo tenetur cum iactura superioris restituere; vt pecuniam cum detrimento famæ, aut honoris, & famam cum detrimento vitæ. Cæterùm rei, cuiuscunq; ordinis cum detrimento eorum, quæ in eodem ordine constituuntur quisque tenetur facere restitutionem. Hæc sententia Caietani quanuis regulariter loquendo sit vera, si cætera sint paria, nec grandis excessus ex vna parte inueniatur, potest tamen quam plurimas pati instantias. Nam potest sæpè contingere, quòd pecuniam cum detrimento famæ, & famam cum detrimento vitæ teneatur quis restituere, tunc, scilicet, quando pecunia esset in magna quantitate, & fama, cuius iactura restitutio est facienda, non tanti esset, vt secundum prudentiam hominis cordati deberet cum illa comparari. Et similiter quando fama esset cuiusdam hominis grauissimi falsò de re grauissima & valde infami accusati, & vita cum cuius periculo restitutio fit, hominis cuiusdam infimæ classis. In his enim casibus certum est, quod pecuniam cum detrimento famæ, & famam cum detrimento vitæ tenetur quisquam restituere. Et ratio est: Nam quanuis fama ex genere suo sit præstātior, quam pecunia, & vita similiter ex genere suo sit præstantior, quam fama; potest tamen ex parte pecuniæ tantum æris accumulari; vt cumulus ille secundum iudicium hominis prudentis pluris sit faciendus, quam fama alicuius. Et potest similiter fama alterius tot circunstantijs honestari, vt secundum rectam prudentiam pluris sit facienda, quàm vita hominis priuati. Assignareq; possumus huius nostræ doctrinæ exemplum in rebus naturalibus. Nam, quanuis aurum ex genere suo sit præstantius argento, potest tamen tantum argenti pondus ex vna parte constitui, vt multò pluris sit æstimandum, quam minus auri. Patitur similiter instantias alterum dictum Caietani, nempe, quòd res cuiuscunque ordinis cum iactura eorum, quæ in eodem ordine constituuntur, semper restitui debet. Nam, vt diximus in superioribus, si homo magnæ autoritatis infamasset iniustè hominem plebeium, non teneretur cum propria infamia illius famam restituere: sed deberet tunc eam compensare in pecunijs, aut alijs bonis temporalibus.

Sententia Caietani.

Impugnatur Caiet.

Dubiū. 1.

¶Quo-

1. Dictum. ¶Quocirca ad breuem explicationem, & resolutionem difficultatis propositæ, dico primò: Regulariter loquendo: fama alterius læsa restituenda est, etiam cum propriæ famæ iactura. Probatur; Tum, quia non est iustum, vt quis suæ famæ, & suis bonis consulat, cum alterius hominis in eisdem detrimento. Tum etiam, quia, cum in isto casu necessariū sit quod alter maneat infamis, vel is, cui est detractum, nisi alter restituat, vel ille, qui detraxit, ratio ipsa postulat, vt potior sit conditio innocentis. Et siquis obijciat; Ordine charitatis tenetur quisque propria bona anteferre bonis proximorum: ergo non debet quis pati iacturam propriæ famæ vt alienam restituat, respondeo verum esse, quod bona propria sunt anteponenda bonis proximorū ex ordine charitatis. Sed est hoc intelligendū quando bona propria mihi iustè competunt, & etiā proximo. Nā si proximo competunt iustè & mihi iniustè, tunc ordine charitatis propria nō sunt præferenda alienis. Et certum est, quòd in casu nostræ conclusionis propria bona competunt mihi iniustè. Fama enim propria iniustè debetur detractori, cum tamen bona aliena, scilicet, fama illius, cui fuit detractum iustè debeatur ei; & sic etiam ex ordine charitatis tenetur quisque propriæ famæ pati iacturam, vt alienam restituat. ¶Dico secūdò: Tanta potest esse inæqualitas inter personas, & tan grauis potest esse annexa iactura alicui restitutioni, vt non teneatur illam facere qui læsit. Hoc dictum patet ex ijs, quę

2. Dictum.

3. Dictum. diximus in superioribus. ¶Dico tertio: Regulariter loquendo, cum iactura propriæ vitę nullus tenetur famam alteri restituere. Hoc dictum probat Caietanus: quia vita est bonum alterius ordinis, quam fama, & nullus tenetur restituere rem inferioris ordinis cum iactura superioris. Sed hæc ratio est insufficiens, vt paulò ante dicebam. Et sic aliter probatur: Fama, regulariter loquēdo, non est tantum bonum, quantum vita: ergo sicut non tenetur quis restituere decem cum iactura centum aureorum: ità etiā nec tenetur restituere famam cum iactura propriæ vitæ. Maximè cùm inter vitam & famam maior sit distantia, si cætera sint paria, quàm inter decem & centum aureos.

4. Dictum. ¶Dico quartò: In casu aliquo particulari potest contingere, vt teneatur quis alienā famam restituere etiam cum manifesto periculo vitæ. Vt, si verbi gratia, notauit quis iniustè personam nobilem de crimine hæresis, ex quo ipse & tota eius posteritas infamis manet, tenetur in hoc casu famam restituere etiam cum manifesto periculo vitæ. Et ratio est: Nam fama hominis ità illustris, & quæ non solum ad ipsum, sed etiam ad multos alios pertinet, pluris est facienda, quam vita hominis abiecti, atque humilis, secundum prudentiam hominum rectè iudicantium.

¶Est aliud dubium, vtrùm in restitutione famæ habeat locum compensatio? Quod est quærere, an quando abstulit aliquis alicui iniustè famam, quam restituere non vult, & illa fama arbitrio boni, atque prudentis viri merito æstimatur centum aureis posit is, qui infamiam pertulit accipere secretò illos centum aureos in suæ famæ recompensationem? Pro cuius explicatione aduertendum est primò, quòd compensatio nihil aliud est, quam debiti, atque crediti inter se contributio. Verbi gratia, debeo ego Petro decem aureos, quos mihi mutauit, & ipse debebat mihi totidem, petit ille, vt soluam, & ego à soluendo me excuso ratione prioris debiti. Hæc contributio vnius debiti pro altero, ex qua fit, vt nec in foro exteriori compellar ad soluendum, si debitum, quod mihi debet, est liquidum, & clarum, nec in foro interiori soluere tenear, appellatur propriè compensatio. Necessitas autem huiusmodi compensationis ex eo habet ortum, quòd, vt dicitur in lege necessaria. Nostra interest potius non soluere, quam solutum repetere.

Dubiū. 2.

Compensatio.

¶Secundò est aduertendum, quòd, vt docet Panormit. in cap. bona fides. de deposito. Hæc compensatio est duplex, vna directa, altera indirecta. Compensatio directa habet locum in illis rebus, quæ habent functionem in suo genere, id est, quarum vna potest fungi vice alterius. Et hæ sunt, quæ consistunt in numero pondere & mensura, vt quando frumentum compensatur frumento, & vinum vino, aut pecunia pecunijs. Siquis autem deberet alteri quinquaginta aureos, & commodaret illi equum, non posset in his fieri directa compensatio equi pro auro; quia non habent functionem ad inuicem. Compensatio verò indirecta est, quotiescunque res aliqua debitoris ad creditorem peruenit, quam ipse retinet, quousque debitum persoluatur. Vt in exemplo posito, ille, cui debebantur quinquaginta aurei accipit equum alterius, illumque retinet, quousque sibi debitum persoluatur, hæc dicitur compensatio indirecta, quæ habet locum in illis rebus, quæ non habent functionem ad inuicem.

Compensatio duplex, vna directa altera indirecta.

¶His suppositis dico primò certum esse, quod in restitutione famæ nequit fieri di-

1. Dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

recta compensatio cum alijs bonis temporalibus: non enim habent istam functionem ad inuicem, vt constat.

2. Dictum. ¶ Dico secundò in restitutione famę habere locum compensationem indirectā. Vnde, si ille, qui est diffamatus accipiat eam quanti tatem pecuniæ; quæ arbitrio viri prudentis videtur sufficiens pro ablatæ famæ restitutione, poterit illam tuta conscientia retinere. Hoc dictum videtur colligi ex D. Tho. hic ad. 2. Vbi dicit, quòd qui non potest restituere famam, quam iniustè abstulit tenetur illam compensare in alijs bonis. Ex quo loco sic colligo argumentum: Qui abstulit famam iniustè, tenetur illam compensare, saltim ex alijs bonis, ex sententia D. Thom. ergo si noluerit eam cōpensare poterit diffamatus accipere eam quantitatem pecuniæ, quæ videbitur iusta in suæ famæ cōpensationem. Probo consequentiam: Nam, cùm ille teneatur reddere, & non reddat, irrationabiliter erit inuitus, si alius accipiat quod sibi debetur, & sic nulla ei fit iniuria. Et cōfirmatur: Si illud, quod diffamato debetur, esset pecunia, posset per æqualis pecuniæ, vel alterius rei acceptionē damnum compensari: ergo etiam si id, quod debetur sit fama poterit similiter, si alius modus compēsandi nō pateat per acceptionem pecuniæ compensari. Patet consequentia ex paritate rationis.

Quæ sint considerāda circa cōpensationē.

¶ Sed sunt nonnulla considerāda circa compensationem vnius debiti pro altero. Primum est, quòd contra depositum non admittitur compensatio. Verbi gratia, depositi Petrus apud me centum aureos, & ipse debet mihi totidem, non potero compensare quod mihi debet accipiendo pecuniam apud me depositam, vt habetur expressè in cap. bona fides. de deposito. vbi dicitur, q̄ circa depositum non admittitur compensatio. Et subdit statim: In alijs autem sic. Ex quibus verbis colligere possumus, quod in omnibus alijs rebus, præter depositū, habet locum compensatio. Exceptio enim firmat regulam in alijs, vt colligunt DD. ex cap. dominus. 32. q. 7. Idem etiā dicitur in. l. siquis. C. de deposit. Vbi habetur: Circa rem depositam, siue illa sit pecunia, siue quidquam aliud, non est admittenda compensatio. Et tam in hac lege, quam in cap. sillo. iam citato, redditur pro causa, ne contractus qui ex bona fide oritur ad perfidiam protrahatur. Secundò est aduertendum, quòd ad hoc, vt compensatio, quæ non fit autoritate publica, sed priuata possit licitè fieri, aliqua requiruntur; quæ referuntur à Syluest. verbo. furtum. q. 13. n. 17. Primum est, quòd tam in cōpensatione directa, quā indirecta, debitū sit liquidum. Indecens enim est, & satis abominabile, vt in re dubia manifesta detur sentētia, vt dicitur in cap. indecens. 11. q. 1. Secūdum, quod requiritur est, quòd debitū; pro quo fit compensatio, publica autoritate recuperari non possit, aut ex defectu testium, aut iudicis, aut etiam quia res est modica, & expensæ iudiciales multæ. Tertiū, quòd nō sit verosimile, sequi scandalū, aut grauamen alijs. Nemo enim debet cum alterius iactura locupletari, vt dicitur de regulis iuris lib. 6. Quartò & vltimò, quòd hoc non vergat in periculū propriæ vitæ, aut famæ. Vnusquisq; enim tenetur suam vitam, atq; famam conseruare, quanuis dispari ratione. Et quod concurrentibus istis conditionibus posit licitè creditor accipere à debitore quantitatem debito æqualem, eē cōmunis sententia Doctorum. Ita tenet gloss. in cap. ius gentium. dist. 1. Innoc. in cap. olim. de restitutione spolia. Caiet. infra. q. 66. art. 5. Soto lib. 5. de iustitia. q. 3. art. 3. in solut. ad. 1. Couar. lib. 2. Variar. c. 6. n. 14. Nauarr. in cap. inter verba. 11. q. 3. conclus. 6. corol. 66. nu. 294. & Medina. C. de restitut. q. 10. fol. 43. Et probatur efficaci ratione: Per tecompensationem, quæ fit hoc modo, nulli fit iniuria: ergo est licita. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Nam primò non fit iniuria debitori, cuius ego bona in mei debiti compensationem accipio. Cùm enim ille teneatur ea reddere, nulla ei fit iniuria per hoc, quod creditor talia bona ab eo, qui reddere non vult, secreto accipiat. Et confirmatur: Per huiusmodi recompensationem debiti constituitur æqualitas, & tollitur inæqualitas, quæ antea erat: ergo est actus iustitiæ; atque ex consequenti licitus. Nec etiā fit iniuria autoritati publicæ. Nā quanuis iura puniant eos, qui propria autoritate de ijs, quæ sibi debentur sibi satisfaciunt, vt constat ex. l. 1. C. de ijs, qui in propria causa; hoc tamen est intelligendū, quādo seruato ordine iuris potest quis quod sibi ab alio debetur recuperare. Nam qui id non potest autoritate iudicis retinere, & ex alia parte accipiendo clam, seu occultè æquales suo debito, sine scandalo, & perturbatione publicæ pacis suum damnum recompensat, nullam iniuriam facit reipublicæ. Ordo enim iuris ad id fuit institutus, vt ius suum vnicuique redderetur, & publica pax conseruaretur; quod vtrunque inuenitur in illa occulta acceptione, quando aliter compensatio fieri non potest. Si autē quis sine istis conditionibus, rei, quæ sibi debetur, propria autoritate faciat compensationem,

Recompensatio licita aliquibus seruatis cō ditionibus.

Nota valde.

satisfactionem, peccauit quidem, sed ad nullam tenebitur restitutionem. Quin potiùs dico, q̄ etiam si sententia excommunicationis proferatur contra eos, qui talem pecuniam, aut rem acceperunt, ille, qui illam accepit in re compensationem debiti nō tenetur tali excommunicationi respondere, nec illam incurrit ipse, aut illi, qui id scientes non denuntiant, vt optimè docet Syluester verbo. furtum. q. 15. num. 19. & Soto atq; Nauar. locis citatis. Est autem hoc intelligendum, quando debitum est liquidum, nec id, quod accipitur in compensationem, eius quantitatem excedit. Et hæc dicta sint de famæ restitutione.

Circa solutionem ad 3. Diui Thom. Dubium.

¶ In solutione ad tertium argumentum agit D. Thom. de restitutione honoris, qui per iniustam vituperationem aufertur. Et dicit, quòd quanuis actio contumelioſa nō possit fieri, quod non sit facta, potest tamē eius effectus, qui est diminutio dignitatis personæ in hominum opinione per exhibitionem reuerentiæ reparari: & sic violatus honor restituitur. Sed circa istam doctrinā, supposito, quòd honor atq; fama differunt inter sese in eo, quòd fama est bona opinio, quam alij habent de aliquo, honor verò est reuerentia, quę alteri exhibetur, propter aliquam eius excellentiam, vel in genere, vel in virtute, vel in magistratu, vel in doctrina, vt diximus supra, cùm de fama esset sermo, est nūc difficultas, quæ nam sit ista reuerentiæ exhibitio, quam autor affirmat necessariam esse ad resarciendam læsionem in honore illatam. Theologi communiter dicunt, quòd qui læsit alterum in honore, tenetur ab eodem petere veniam. Et hanc dicunt esse exhibitionem reuerentiæ quā D. Thom. affirmat esse necessariam ad restitutionem honoris. Quam suam sententiā probant ex D. August. in regula dicente: Quicunq; maledicto vel conuitio aliquem læserit, meminerit satisfactione, quam citius curare quod fecit. Et subdit statim: Qui autem non vult petere veniam, aut nō ex animo petit, sine causa est in monasterio; etiā si inde non proijciatur. Quasi diceret; est in malo statu. Ex quo manifestè conuincitur, quòd qui fecit alicui contumeliam, tenetur ab eodem petere veniam. Et cōfirmatur ex illo Matth. 5. Si ergo offers munus tuū ad altare; & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Quibus verbis dominus apertè significat, quòd qui infert cōtumeliam, tenetur ab eodem veniam petere.

Sententia aliquorum de restitutione honoris. Argum.

Confirm.

Caietanus infra. q. 72. art. 3. dicit, quòd qui fecit contumeliam non tenetur petere veniam ab inhonorato, sed rātum tenetur eo modo, quo potuerit satisfacere: nec qui lęsus fuit post integram restitutionem potest quidquam aliud exigere. Itaq; dicit, quod qui nocuit alicui in honore, ex præcepto tenetur illi satisfacere: Cæterùm modus satisfaciendi non est in præcepto.

Sententia Caietani.

¶ Sed, vt quid in hac sit tenendum breuibus explicemus, sit prima propositio: Sicut in satisfactione famæ potest cadere remissio: ità etiam in satisfactione honoris. Volo dicere, q̄ sicut potest quilibet dāni in sua fama illati remittere satisfactionē: ità etiam potest condonare contumeliam illatā. Hæc conclusio est contra Caietanū. Qui, vt dicebat hominem, non esse dominū suæ famæ; ità etiam affirmabat, quòd nec est dominus honoris. Ex quo colligebat, quòd nec vnius nec alterius potest remittere satisfactionē. Sed nos, qui contrariam sententiam in superioribus sumus sequuti, ex consequenti dicere debemus, quòd potest homo sui honoris satisfactionem remittere, nō minus, quā satisfactionem pecuniæ, aut aliarum rerum, quarū verè est dominus. Et post talem remissionē qui læsit ità erit tutus in conscię tiā, vt nec teneatur veniam petere, nec aliquam aliam facere recompensationem.

1. Conclus.

¶ Secunda propositio: Si læsus in honore non vult remittere satisfactionem, nisi lædens petat veniam, nec ille honor potest alio modo restitui; tunc qui fecit contumeliam regulariter loquendo, tenetur veniam petere. Probatur: Lædens tenetur satisfacere, nec ad id faciendū est aliud mediū, nisi petere veniam, vt suppono: ergo illud erit necessario exhibendū. Dixi regulariter loquendo. Nam si is, qui læsit est prælatus, esto non habeat vnde restituat, nisi petēdo veniam, non tamen tenetur veniam petere, iuxta illud D. Aug. Quando autē necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba cōpellit, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniā postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi franga tur autoritas.

2. Conclus.

¶ Tertia propositio: Petitio veniæ regulariter loquēdo, est decētissimus & conuenię tissimus modus honoris inter homines restituēdi. Probatur: Nā cū restituere debeat fieri per cōtrariū, & cōtumelia sit signū cōtēptus, quo cōtumeliator gerit se, vt superiorē alterū subijciēs, propriū antidotū erit, contraria humiliatio, etiam vsque ad corporis inflexionem. Sed est aduertendum, quòd nō

3. Conclus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

semper petitio veniæ est sufficiens mediũ ad restituendum honoré læsum. Sæpè enim tanta est contumelia, quòd ad illius restitutionem vltra petitionem veniæ sit necessaria aliqua alia compensatio ad arbitrium viri prudentis. Vt cùm quis alterum alapa percusserit, & in isto casu opus erit, vt vltra petitionem veniæ, alia etiam compensatio adhibeatur, quæ æqualitatem constituat. Sed dubitabit aliquis hoc loco, an si lædẽs non vult petere veniam, sed restituere alio modo, nempe pecunia, quantum læsus voluerit; læsus autem non vult aliam satisfactionem recipere, nisi quòd petat veniam, teneatur tunc is, qui læsit veniam petere? Et pro parte negatiua est argumentum: Talis restituit plusquam debet, vt suppono: dat enim centum aureos pro honore, qui non valet quinquaginta: ergo non tenetur amplius veniam petere.

4. Conclus. ¶ In hoc tamẽ sit quarta propositio: Quãdo is, qui alteri dixit conuitium, vel contumeliam non potest honorem, quem læsit restituere, esto det maiorem pecuniæ summã, quam honor valet, nisi petat veniam, tenetur adhuc veniam petere. Probatur, quousque talis veniam petat retinet iniustè alienum honorem: ergo semper tenetur ad illius restitutionem. Secundò: Qui habet equum, vel phialam argenteam alicuius, ipso inuito non satisfacit dando pecuniã æquivalentem, nec etiam maiorem, nisi propriã rem det vero domino: ergo pari ratione qui retinet honorem alienum, quem sola veniæ petitione potest restituere non satisfaciet dando maiorem pecuniam, quam valet; sed tenebitur adhuc eundem honorem reddere petendo veniam; alias erit in malo statu, nec poterit absolui. Et ad argumentũ respondeo, quòd tunc tantum debet dari pro fama, vel honore æquivalens, quando ipsa, alia via in propria specie reddi non possunt.

5. Conclus. ¶ Vltima propositio: Si lædens alterius honorem potest illũ restituere alia via non petendo veniam, & læsus non vult, nisi quod petat veniam, tunc qui læsit non tenetur veniam petere. Et quantum ad hoc bene dixit Caietanus. Probatur: Nullus obligatur ad modum satisfactionis, sed tantum ad satisfaciendum in integrum: ergo cũ iam ille satisfacit, vel satisfaciet in integrum alia via, non est cur ad petendam veniam teneatur. Ex hoc infertur, quòd si lædens in honore est vir nobilis, læsus autem est agricola, vel alius infimæ classis, non est cur lædentem ad petendam veniam obligemus, cum sint multi alij modi, quibus possit agricolæ fieri satisfactio. Imo cum non sit mos internobiles, & illustres viros huiusmodi veniam petendi, nec etiam ipsi erunt cogendi à confessoribus, vt veniam petãt: sed sat erit si alia via satisfaciant, seruatis euangelicis præceptis.

¶ In solutione ad quartum argumentum agit D. Tho. de eo, qui alterum læsit in bono communi, quod secundum distributiuã iustitiam erat conferendum. Qualis est ille, qui impedit alterum à consequutione beneficij. Et dicit tria. Primum est, quòd qui iustè impedit alterum à consequutione alicuius præbendæ, intendens, scilicet, honorẽ Dei, & commodum Ecclesiæ ad nullam tenetur restitutionem. Secundum dictum D. Thom. est, quòd qui iniustè impedit dignum, aut consilio, aut alia via ex malo animo, ne beneficium consequatur, sed antequam prælatus, vel electores haberent firmatum animum illud ei conferendi, tenetur aliquam compensationem facere perpẽ sis prius cõditionibus personarum, & propinquitate, in qua erat ad tale beneficium obtinendum secundum arbitrium hominis prudentis. Non autem tenetur in totum; quia prouisio illa adhuc poterat impediri. Tertium dictum est, quòd qui impedit ne beneficium obtineat, cui prælatus firmiter iam conferre constituerat, tenetur totum ad æqualitatem restituere secundum suam facultatem. ¶ Primum dictum D. Tho. est certum, & de quo apud Doctores nulla vnquã extitit dubitatio. Et ratio est: Nam cũ talis impeditus non sit dignus beneficio, nulla ei fit iniuria per hoc, quod ab illius consequutione bono animo impediatur. Quin potiùs addiderim, quòd etiam si indignus ex malo alterius animo à consequutione præbendæ impediretur, quanuis talis impediens propter illum malum animum peccaret, nihil tamen teneretur restituere. Esset enim id peccatum non contra iustitiam, sed contra charitatem, cuius violatio ad restitutionem non obligat.

Sententia D. Tho. de eo qui læsit in bonis cõmunibus.

Impediens indignũ à consequutione beneficij nihil tenetur restituere.

¶ Sed circa alia duo dicta plures atque graues cõsurgunt difficultates, quas vt perfectè absoluamus disputabimus, nõ solũ de impediente iniustè, sed etiã de illo, qui distribuit. Et primò de distributore, qui est principalis causa respectu impeditis, & posteà de impedite, qui est causa minus principalis. Ex parte enim vtriusque potest fieri iniuria.

Disputatio de distributore bonorum communium.

¶ Ad primum ergo deuenientes, aduertendum est, quòd bona, quæ alijs conferuntur interdum sunt propria ipsius conferentis, qualia sunt illa, quę donationibus & testamentis destribuuntur. Interdum autẽ non sunt propria conferentis, sed illius distributioni commissa, vel à priuata persona, vt in œconomo, vel à republica, vt in principe contingit. Et hæc rursus sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt instituta, vt alijs gratis donentur. Qualia sunt illa, quæ vel à republica, vel à priuata persona relicta sunt, vt singulis annis vel ciuibus, vel pauperibus distribuantur. Alia autem sunt, quæ non fuerunt instituta, vt gratis donentur, sed principaliter, vt sint stipẽdia eorum, qui in republica aliquod munus exercent, & minus principaliter, vt sint præmia benemeritis distribuenda. Qualia sunt beneficia Ecclesiastica. Quæ quidem primò & principaliter fuerunt instituta in stipendia ministrorum, vt, scilicet, Ecclesia haberet idoneos ministros, & secundario, & minus principaliter, vt clerici, qui moribus, & vita, atque scientia sunt ornati, conuenientia habeant præmia. Ex quo fit, vt qui huiusmodi bona distribuit duo teneatur attendere in illorum distributione. Vnũ est vtilitas Ecclesiæ, vt, scilicet, illum eligat, qui aptus sit exercendo muneri, ad quod eligitur. Et hoc tenetur facere ex iustitia commutatiua, quam inter Ecclesiam ex vna parte, & ministrum ex alia constituere debet, faciendo, scilicet, æqualitatem inter ministrum, quem eligit, & stipendium, ad quòd eligitur. Secundum, quod debet attendere, est meritũ eorum, inter quos fit electio. Nam cùm beneficia non solum sint stipendia pro idoneis ministris, sed etiam præmia quæ secundum iustitiã distributiuam melioribus sint conferenda, sit, vt qui distribuit non solum teneatur habere rationem sufficientiæ ministrorum; sed etiam meritorum quæ in vnoquoque illorum inueniuntur, quod nisi faciat, peccabit contra iustitiã distributiuam.

Distributor beneficiorũ quid teneatur attendere.

1. certum. ¶ Hoc supposito, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd in distributione illorum bonorum, quorũ est dominus qui distribuit, si talis distributio inordinatè fiat anteponendo, scilicet, deteriorem melioribus, licet qui sic distribuit per se loquendo peccet venialiter, & rarò mortaliter, nunquam tamen peccat contra iustitiam: & sic non tenetur ad aliquam restitutionem: vbi enim nulla est violatio iustitiæ nulla etiam est obligatio restitutionis.

2. certum. ¶ Secundò, etiã est certũ, quòd qui bona constituta, vt alijs gratis diuidantur, vel nõ diuidit, vel diuidit iniustè anteponendo, scilicet, indignos dignis, vel dignos digniotibus, tenetur illis restituere, quantum læsit.

Probatur: Qui violat iustitiam distributiuã, tenetur ad restitutionẽ, non minus, quã qui violat iustitiam commutatiuam: sed qui bona constituta, vt alijs gratis diuidantur, vel non diuidit, vel diuidit iniustè, violat iustitiam distributiuam: ergo tenetur ad restitutionem. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur. Tum ex D. Thom. qui articulo primo, huius quæstionis in solutione ad tertium tanquam certum supponit, violationem iustitiæ distributiuæ inducere obligationem restituendi. Tum etiam; quia qui violat iustitiam distributiuam facit inæqualitatem, sicut, & qui violat iustitiam commutatiuam. Omnis autem inæqualitas per restitutionem ad æqualitatem reducenda est. Et si quis obijciat: Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ: ergo tantũ nascitur ex violatione iustitiæ cõmutatiuæ, respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Quanuis enim restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, obligatio tamen restituendi bene potest oriri ex iustitia distributiua violata, vt latè diximus articulo primo, huius quæstionis. ¶ Tertiò etiam est certum, quòd qui distribuit indignis ea bona, quæ principaliter fuerunt instituta, vt essent stipendia eorum, qui in republica aliquod munus exercent, & minus principaliter, vt essent præmia pro meritis, qualia sunt beneficia atque cathedræ, tenetur restituere reipublicæ, quantum læsit. Nã cum talis prouisor ex iustitia commutatiua teneatur talem prouidere ministrum, qui aptus, & idoneus sit ad exercendũ munus ad quod eligitur, manifeste sequitur, quòd si id non facit tantam tenebitur facere restitutionem, quanta opus fuerit ad constituẽdam æqualitatem inter ministrum, quẽ eligit, & stipendiũ, ad quod eligitur. Ex quo infertur, quòd qui præficit Ecclesiæ, aut cathedræ ministrum indignum, suis stipendijs tenetur prouidere de altero digno, vt hac ratione Ecclesiæ satisfaciat. Imo, qui contulerit beneficia huiusmodi indignis non solum tenebitur restituere Ecclesiæ stipendiũ, quod ipsa persoluit, sed etiam damnũ, quod ex mala officij administratione incurrit. Quin potius non solum illi qui præficiunt indignos muneribus, & officijs publicis tenentur restituere tam stipendia, quam damna inde subsequuta, sed etiam ipsi indigni, qui fuerunt præfecti tenentur similiter ad vtriusque restitutionem. Et quidem quod teneantur ad restitutionem stipendij, patet, quia nec faciunt opus, pro quo datur stipẽdium, nec facere possunt, cum careant requisitis ad illius operis executionem. Quod autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

autē etiā teneātur ad restitutionem damni probatur; quia sunt causa illius; quare erūt compellendi illa officia resignare, siue sint Ecclesiastica, siue secularia. Alioqui non erunt absoluendi in foro conscientiæ. Sed est aduertendum, quòd dupliciter aliquis potest esse indignus officio, vel beneficio publico. Vno modo de per se: quia, scilicet, non habet ea, requisita, sine quibus officium, vel beneficium conuenienter administrari non potest. Et de huiusmodi indigno sunt intelligenda, quæ modo diximus. Alij sunt indigni de per accidens; quia licèt habeant ea, quæ requiruntur ad debitam executionem suorum officiorū, tamen vel propter negligentiam, vel propter alia vitia, quibus sunt implicati non debitè munera sua exercent. Et isti non sunt compellendi, vt resignent officia; sed corrigendi, vt illa debitè exerceant. Ad quod si dixerint, se esse paratos, poterunt absolui præuia pœnitentia, de culpis præteritis, & præuia etiam satisfactione de damno, quod ex mala eius administratione fuit subsequutū.

4. certum. ¶Quartò etiam est certum, quòd qui eligit ministrum dignum prætermisso digniori, nihil tenetur restituere Ecclesiæ, cui de tali ministro prouidet. Nam cum inter ministrū dignum, & stipendium ad quod eligitur, sit æqualitas iustitiæ commutatiuæ, sit, vt quātum ad hoc nulla relinquatur inæqualitas, quæ per restitutionem sit reparanda. Itaq; hæc certa sunt.

Dubium de eo qui eligit dignum prætermisso digniori. ¶Sed dubium est, vtrùm ille, qui ad aliquod beneficium, vel ad aliquam cathedrā eligit dignum prætermisso digniori, teneatur aliquid restituere illi digniori prætermisso. Et eadem est dubitatio de illo, qui confert beneficium indigno prætermisso digno, an teneatur aliquid digno restituere. Nam quod teneatur Ecclesiæ quantum læsit satisfacere iam diximus esse certum, & circa controuersiam positum. Magister Soto *Sententia Soti & aliorū* lib. 4. de Iustitia & iure. quæst. 6. art. 3. in solutione ad. 6. argumentum, dicit, quòd qui confert beneficium digno prætermisso digniori, quanuis peccet mortaliter, nihil tamē tenetur restituere, nec Ecclesiæ, nec digniori illi prætermisso. Eandem sententiam tenent Adrianus in. 4. in propria quæstione, de distributione præbendarum. Martinus Ledesinius in. 2. par. 4. quæst. 18. artic. 2. fol. 253. Nauarro in Manuali, cap. 17. num. 69. & sequentibus, & Couarruuias in regula peccatum, parte. 2. §. 7. nume. 6. Præcipuum fundamentum huius opinionis est, quoniā dicunt, quòd huiusmodi bona, scilicet, beneficia Ecclesiastica, atque cathedræ ad id principaliter fuerunt instituta, vt essent stipendia ministrorum; & minus principaliter atque secundario, vt essent præmia bene meritorum. Ex quo factum fuit, vt præcipuum, quod in illorum distributione attēdi debet, est, ne Ecclesia, vel Respublica afficiatur iniuria, accipiendo minus idoneos ministros, quàm pro ratione stipendij esse debent: minus autem principaliter, & secūdario attenditur, & habetur ratio iustitiæ distributiuæ postulantis, vt meliores semper præferantur. ¶Et si quis obijciat: ergo quando beneficium confertur digno, prætermisso digniori, saltim violatur iustitia distributiua, quæ ex sententia D. Thomæ, articulo præcedenti, in solutione ad tertium obligat ad restitutionem, respondent, verum esse, quod in tali collatione violatur iustitia distributiua, & propterea est mala, atque peccatum: non tamen eius violatio inducit obligationem restitutionis. Nam dicūt, quòd violare iustitiā distributiuā, quando illius principaliter nō habetur ratio, sed tantū secūdario & minus principaliter, nullā inducit obligationē restituēdi; nec cōtrariū huius dicit D. Tho. qui solum loquitur de violatione illius iustitiæ distributiuæ, cuius principaliter habetur ratio in bonorum distributione. Quod contingit, quando distributor ea bona distribuit, quæ gratis hominibus conferuntur. Tunc enim qui, vel non distribuit, vel distribuit iniustè anteponendo indignos dignis, vel dignos dignioribus, tantum illis tenetur restituere quantum læsit, ex sola violatione iustitiæ distributiuæ, vt supra dicebam. Ex hoc inferunt isti Doctores primò, quòd distributor in huiusmodi electionibus, siue eligat dignū, siue indignum, nunquam tenetur aliquid restituere digniori prætermisso, sed soli Ecclesiæ. Respectu enim prætermissi, siue ille sit dignus, siue dignior, tantum violatur ea iustitia distributiua, cuius principaliter non habetur ratio in istorum bonorum distributione. Inferunt secundo, quod qui eligit indignum, tenetur restituere Ecclesiæ, vel reipublicæ quantum læsit. Violat enim tunc iustitiam commutatiuam respectu Ecclesiæ, vel reipublicæ, quæ semper habet annexam obligationem restitutionis. Cæterum, si eligat dignum neutri tenetur restituere, nec Ecclesiæ, nec digniori prætermisso propter rationem iam dictam.

Obiectio.

Responsio ex sententia Soti.

Sententia Caietani. ¶Caietanus hic circa solutionem ad quartum, dub. 3. oppositam tenet sententiam, quòd qui confert beneficium digno prætermisso digniori nō solùm peccat mortaliter sed etiam tenetur aliquid restituere digniori illi

ri illi prætermisso. Cuius opinio semper mihi visa est probabilior. Vnde ad illius explicationem aduertendum est primò, quod stat bene, quòd vnus sit absolutè melior in moribus altero, nempe, quia maiori est præditus gratia, atque charitate, & tamen alter minus sanctus sit dignior minister ad aliquam præbendam; quia, scilicet, est doctior, maioris autoritatis, atque prudētior ad finem illius sacerdotij, vel, quia est diligentior, seruietque Ecclesiæ plusquam ille sanctior. Ex quo infertur, quòd, cùm ingitur sit cognoscenda. prouisione beneficiorum, & aliorum officiorum, quæ primo & principaliter fuerunt instituta, vt Ecclesia, vel respublica idoneos haberet ministros, minus autem principaliter, & secundario, vt essent præmia benemeritis distribuenda, præcipuum, quod attēditur, sit vtilitas Ecclesiæ, vel reipublicæ, ille minister erit censendus dignior, qui isti sint consequendo fuerit magis aptus. Vnde fit, quòd si vnus est doctior, & sanctior, sed non ministrabit Ecclesiæ, quia præsens non aderit, alter autem indoctior, & minus sanctus, residebit, sedulòque seruiet Ecclesiæ, hic indoctior erit censendus dignior minister. Imo hic est dignus, & alter non; si quidem alterius doctrina atque sanctitas nihil proderunt Ecclesiæ, ad quam eligitur. Quando autem dico in isto casu, illū minus doctum esse digniorem ministrum, est intelligendum, dum modo sit bonus vir, hoc est, talis de quo cōmuniter habetur opinio, quòd regulariter, &, vt in plurimum non est in peccato mortali. Qui enim est publicus peccator nunquam potest esse dignus minister. Itaque ad dignitatem, & bonitatem ministri necessaria erunt bonitas in moribus, scientia, valetudo, & prudentia ad ministrandum Ecclesiæ sibi commissæ. Quę omnes qualitates, atque circunstantiæ æstimandæ erunt secundùm arbitrium viri prudentis.

Qua ratione dignitas eius qui eligitur sit cognoscenda.

Obligatio restitutionis potest oriri ex violatione iustitiæ distributiuæ.

¶Secundò, est aduertendum, quòd licèt restitutio, cuius officium est constituere æqualitatem inter rem, & rem, sit actus solius iustitiæ commutatiuæ, vt articulo præcedenti diximus ex mente D. Thomæ, tamen eius obligatio oriri potest, nō solum ex violatione iustitiæ commutatiuæ, sed etiam ex violatione iustitiæ distributiuæ, vt ex eodē D. Tho. in eodē articulo in solutione ad tertiū colligere licet. Qui enim non distribuit quod distribuendum accepit, vel iniustè distribuit anteponendo indignos dignis, vel dignos dignioribus, solum violat iustitiam distributiuā, & tamen tenetur ad restitutionem. Ex quo colligitur falsam esse opinionem illorum, qui absolutè dicunt violationem iustitiæ distributiuæ nunquam inducere obligationem restitutionis.

¶Tertiò est aduertendum, quòd bona distribuenda ante distributionem sunt bona communia; post distributionem sunt propria illius, cui fuerint distributa; medio autē tēpore, quo propinquior fuerit distributio, atque electio, magis desinūt esse communia, & accedunt ad esse propria. ¶Vltimò, est aduertendum, quod respectu bonorum distribuendorum, alia est obligatio illius, cui ex officio incumbit distribuere, & alia illorum, ad quos distributio non spectat. Nam distributor ex iustitia tenetur facere quod illa bona sint propria illorum, qui ad ea habenda ex iustitia fuerint eligendi. At vero illi, ad quos id officium non spectat, solum tenetur nō adhibere impedimentum, ne illa bona secūdum voluntatem electoris fiant propria. Ex quo infertur, quòd electo quocunque tempore cessat in electione eligere idoneum, tenetur ad integram restitutionem. Non enim facit, vt id bonum commune, sit propriū illius, cui ex iustitia erat conferendum, quod sine iniuria fieri nō potest. At verò cæteri tantum tenētur ad restitutionem, quatenus impediūt alium à cōsequutione boni communis: quod quoniā paulatim fit proprium, tanto vnus alio magis tenebitur, quanto propinquiori tempore attulerit impedimentum. Itaque, qui in ipso electionis affert impedimentum, quia tunc facilius poterat prouisio impediri, ad minus tenetur, quam qui impedit in fine, vt dicit D. Thom. in solutione ad quartum.

Bona communia post distributionē fiūt propria.

¶His constitutis sit prima conclusio: Qui cunque confert beneficium, aut officium, vel cathedram digno prætermisso digniori, peccat mortaliter. In hac conclusione omnes conueniunt. Et probatur pluribus rationibus. Primo: Nā id facere, scilicet, eligere illo modo, est contra fidelitatem, qua quisque fidelis dispensator, quam vtilissimè potest, negotium sui domini gerere tenetur. Item: Qui præficit dignum prætermisso digniori, necessario id facit ex aliqua ratione, ad electionē nō pertinente, nēpe, vel examicitia, vel precib⁹, vel precio: sed hæc est manifesta acceptio personarū, quæ ex genere suo est peccatum mortale: ergo. Et confirmatur: Collatores beneficiorum, & aliorum officiorum ad rempublicam pertinentium, sunt dispensatores ministeriorū Dei, vt dicit Paulus. 1. ad Corinth. cap. 4. quibus, vt ibidem subiungit, fides sincera est quam maximè necessaria, iuxta illud verbum Christi, Quis putas est fidelis dispensator, & prudens. &c. sed

1. Cōclusio.

Conferens beneficium digno, prætermisso digniori peccat mortaliter.

œconomus

Universidad de Deusto
Biblioteca

œconomus, & dispensator principis, qui quos posset optimos seruos, eodem stipendio non adduceret in seruitium domini sui, reus profecto esset, aut defractæ fidei, aut neglectæ prudentiæ: ergo idem est dicendũ de eo, qui confert beneficium digno prætermisso digniori, atque ex consequẽti peccat mortaliter. Præterea hoc ipsum probatur exemplo Christi. Qui Ioannis.21. Ecclesiæ suæ electurus pastorem, ter rogauit Petrum, Cæteris Apostolis astantibus, an diligeret se plus alijs, vt ex modo eligendi & responsione à Petro data omnibus constaret, se eligere meliorem. Leuitici etiam capitulo.8. omni populo astante eligit dominus Aaron in summum sacerdotem. Quia, vt inquit D. Hieronymus, & refertur in capit. licet. 8. quæst. 1. licèt dominus de constituendo principe præcepisset singularemque elegisset, conuocatur tamen Synagoga, vt sciant omnes, & certi sint, quòd qui præstãtior est ex omni populo, qui doctior, qui in omni virtute eminentior eligitur ad sacerdotium. Oportet enim illum, vt dicit Paulus, testimonium habere bonum etiam ab ijs, qui foris sunt, &c. Diuus etiam Augustinus in illa verba Iacobi cap. 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem domini, dicit: Non est putandum leue peccatum in personarum acceptione habere fidẽ domini gloriæ. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris gloriæ Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore? Et Leo Papa, cuius verba referuntur in ca. Metropolitano. 63. distinct. etiam dicit, ad beneficia ecclesiastica eligendos esse optimos, quod præcipitur in capit. vnico extra, vt ecclesiastica beneficia sine dis. conf. Vnde in pragmatica concilij Basilien sis hæc forma iuramenti eligentium ponitur: Ego N. Iuro, & promitto omnipotenti Deo & sancto, cuius nomini hæc Ecclesia est dedicata, eum eligere, quem credam esse in spiritualibus, & temporalibus meliorem. Est tamen circa istam conclusionem aduertendũ primo, quòd quando beneficium, aut officium est parui momenti, tunc prætermittere digniorem, non erit peccatum mortale. Sicut enim furtum, quod ex genere suo est peccatum mortale; propter paruitatem materiæ fit veniale: ità etiam in proposito collatio illa beneficij exigui, ex paruitate materiæ erit veniale. Secundo, est aduertendũ, quòd etiam si aliquis sit doctissimus, & optimus ad regimen alicuius Ecclesiæ; si tamen est ità alijs negotijs impeditus, quòd probabiliter credatur, quòd non dabit operam Ecclesiæ, vt debet, non est eligendus, nec tunc ille censetur dignus.

¶Secunda conclusio: Opinio Soti dicentis, quòd qui confert beneficium, aut officium digno, prætermisso digniori, quamuis peccet mortaliter, nihil tamen obligatur restituere digniori illi prætermisso, est probabilis, saltim quantum ad illa beneficia, atq; officia, quæ sine oppositione distribuuntur. Itaque est probabile, quòd si princeps, vel patronus nominat in Episcopum, aut in beneficiatum hominem dignum, sciens alterum esse digniorem, nihil tenetur tali digniori restituere. Probatur: Nam cùm hæc sacerdotia non videantur instituta in præmium meritorum, sed in stipendium laborantium, sicut & salarium correspõdet operationi, iuxta illud Lucæ cap. 1. Dignus est operarius mercede sua, &c. 1. ad Corint. cap. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam, & paulò inferius. Qui altario seruit, de altario viuere debet, &c. 1. ad Timotheũ cap. 5. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt. Vbi est ponderandum, quod non dixit; Qui boni sunt; ne quis putaret hæc sacerdotia esse distribuenda in præmiũ meritorum; sed, qui bene præsunt, vt significaret esse distribuẽda pro labore. Et ad Ephes. 4. Dedit Apostolos & Doctores in opus ministerij, hoc est, ad ministrandum. Quod & apertius significauit Dominus, Num. capit. 18. cùm de filijs Leui, dicit: Dedi eis decimas in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi. Pro quo etiam facit capitulum finale. de rescriptis. libr. 6. vbi Prouerbium illud habetur; Beneficium non datur, nisi pro officio. Itaque cũ hæc sacerdotia sint instituta in stipendium laborantium, videtur probabile, quòd qui non laborant nihil debeant accipere: atque ex consequenti distributor nihil tenebitur restituere dignioribus prætermissis qui nihil laboris in Ecclesia Dei impendunt. Sed, quemadmodum dux, qui eligit milites dignos ad bellum, & œconomus, qui eligit operarios dignos in vineam domini, nihil tenẽtur dignioribus restituere, sed si eligunt indignos tenentur domino satisfacere, cui inferunt nocumentum, ità etiam qui eligit dignum ad ministerium Ecclesiasticum, nihil tenebitur restituere, dignioribus prætermissis. Tamen, si eligat indignum tenebitur restituere Ecclesiæ, cui tale detrimentum dedit. Potest præterea probari probabilitas sentẽtiæ Soti, saltim quantum ad illa beneficia, quæ sine oppositione distribuuntur. Nam vbi nõ est debitum legale, non est quod restituatur: sed quando confertur beneficium, aut officium digno, prætermissis dignioribus si- *2. cõclusio.*

ne aliqua oppositione nihil est debitum illis dignioribus: ergo nihil illis est restituẽdum. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Nemini, cui non est ius in re, hoc est, ius perfectum, vel ius ad rem, ideſt, imperfectum, quod est ius ad petendũ coram iudice, est debitum legale; licèt fortè sit debitum morale, vt colligitur ex glossa, & alijs, Institutis, de actionibus in principio, & in lege ex hoc iure. ff. de iustitia & iure, sed illi digniores, qui prætermittuntur quando beneficium datur sine oppositione, nec habent ius in re, nec ad rem, nõ enim possunt illud coram iudice petere: ergo nihil illis debetur, atque ex consequenti nihil est eis necessario restituendum. Et confirmatur: Restitutio, siue redditio præsupponit ablationem secundum mentẽ omnium. sed cui nihil iuris est, nihil iuris auferetur; priuatio enim præsupponit habitũ, seu positiuum, vt constat ex lege decem. ff. de verborũ obligatione, & ex cap. ad dissoluendum, de desponſ. impub. ergo cum illis dignioribus prætermissis nihil sit ablatum per collationem factam digno, si quidem nihil iuris habebant ad tale beneficium, manifestè sequitur, quòd nihil etiam est eis necessario restituendum. Probatur præterea conclusio: Nam videtur valde rigurosum affirmare, quod quando princeps, vel Episcopus nominat hominem dignum ad aliquod officium, vel beneficium, quod sine oppositione confertur, tenetur aliquam facere restitutionẽ omnibus illis hominibus, qui eo officio, aut beneficio cognoscuntur digniores; quod tamen necessario sequitur, si dicamus, quòd restitutio debet fieri digniori, etiam quando beneficium datur sine aliqua oppositione. Ex hac conclusione sequitur primò, quòd qui eligit dignum prætermisso digniori, propriè non peccat contra iustitiam, sed contra fidelitatem Ecclesiæ, cui tenetur prouisor optimum ministrum prouidere. Sequitur secundò, quòd qui eligit indignum nihil tenetur restituere dignis, sed tantum reipublicæ, cui detrimentum dedit. Sequitur tertio, quòd quãuis secundum istam opinionem in his electionibus, non sit obligatio restitutionis, tamen qui eligit, aut consulit, vt dignus eligatur prætermisso digniori, peccat grauissimũ peccatum mortale.

Corollaria quæ sequũtur ex sententia Soti.

3. Cõclusio. Eligẽs dignum prætermisso digniori tenetur ad restitutionem.

¶Tertia conclusio: Ea opinio, quæ affirmat, quòd qui confert beneficiũ digno, prætermisso digniori tenetur aliquid restituere digniori illi prætermisso, est longe probabilior, & mihi certissima, de cathedris & beneficijs, quæ oppositione obtinentur. Probatur: Qui in his beneficijs distribuendis prætermittit digniorem, peccat contra iustitiam distributiuam; est enim acceptor personarum: & acceptio personarum non habet locum, nisi vbi est debitum iustitiæ: ergo obligatur digniori restituere. Probo cõsequentiam: Nam violatio iustitiæ distributiuæ inducit obligationem restituendi, vt ex mente D. Thomæ, diximus in superioribus. Nec valet, si dicatur, vt dicunt Soto, atque Nauarro locis superius citatis, quod, quia iste violat iustitiam distributiuam, minus principaliter intentã, idcircò non obligatur ad restitutionem. Obligatio enim restituendi, quia ortũ habet ex violata æqualitate, vbicunque fuerit illa æqualitatis violatio, siue per contractum, in quo principaliter intenditur iustitia distributiua, siue minus principaliter, intelligi non potest, quin maneat aliqua inæqualitas, quæ per iustitiam atque restitutionem ad æqualitatem sit reducenda. Præterea qui iniustè diuidit bona instituta, vt gratis ciuibus diuidantur, tenetur ad restitutionem, vt in principio huius difficultatis ex mente omniũ suppoſuimus, tanquam certum: ergo, & qui iniustè diuidit beneficia, quæ sunt bona singulis ciuibus distribuenda, similiter tenetur ad restitutionem. Ad hoc argumentum Soto atque Nauarro negant consequentiã. Nam dicunt, quòd aliter sunt debita ciuibus bona instituta, vt illis gratis conferantur, & aliter sunt debita beneficia. Illa enim bona sunt debita secundũ iustitiã distributiuã principaliter intentã: hęc vero per iustitiam distributiuam intentam secundario, & minus principaliter. Ex quo fit, vt illa sint obnoxia restitutioni, hæc autem minimè. Sed hæc solutio nihil valet. Nam si vtraq; bona sunt debita ciuibus ex iustitia distributiua quamuis diuersimode, vt ipsi fatentur: ergo vtraque sunt restituenda, si iniustè diuidantur. Probo consequentiam: Quia obligatio restitutionis semper ortum habet ex debito violato, & parum refert, quòd vno, aut duobus titulis res debeatur, ad hoc, vt sit necessario restituenda, modo illa vere sit debita. Item: Si beneficia, aut officia Ecclesiastica iniustè distributa, non ideò essent dignioribus restituenda, quia hæc non sunt principaliter instituta propter vtilitatem illorum, qui ea habuerint, sed propter vtilitatem, & seruitium Ecclesiæ, aut reipublicæ, sequeretur, quòd si quis modo conferret maximam copiam pecuniæ ciuibus huius ciuitatis diuidenda, primò propter vtilitatem ipsius ciuitatis, & secundario propter vtilitatem ciuium: qui iniustè talia bona diuideret

Universidad de Deusto
Biblioteca

uideret,non teneretur ad restitutionem: Vt si,verbi gratia,quis videns,quòd iste popul⁹ maxime opus habet chirurgis, institueret modo certâ pecuniæ summâ, quotânis chirurgis distribuendam,qui iniuste diuideret ad nullam teneretur restitutionem: consequens autem est falsum,vt de se patet: ergo & illud,ex quo sequit. Nec est simile, quod adduci solet à Doctoribus oppositæ sententiæ de œconomo conducẽte in vineâ domini sui operarios idoneos,& sufficiẽtes, dignioribus prætermissis,qui nihil tenetur ipsis dignioribus restituere. Nõ,inquã,est simile. Nam stipẽdia ab œconomo pro labore data, sic sũt stipẽdia,vt nullo modo sint præmia, cum tamen beneficia,ad quæ eligũtur ministri Ecclesiæ,sic sint stipẽdia,vt etiã sint præmia virtutis,atq; meriti. Ex quo fit, vt œconomus dũ eligit operarios,nõ teneatur attẽdere merita illorũ, inter quos eligit ex iustitia distributiua,sicut distributor beneficiorũ;sed solum ex iustitia commutatiua tenetur attendere æqualitatem , quæ est inter meritum illius,qui adducitur, & stipendiũ, ad quod conducit ; & ex fidelitate domino debita tenetur conducere meliores. Quod nisi faciat,peccabit contra fidelitatem, quæ ex genere suo non obligat ad mortale , vt docet D.Thom. infra. q.113. & non cõtra iustitiam distributiuam , cuius violatio ex genere suo est peccatũ mortale , vt diximus in superioribus. Præterea: Qui impedit digniorem à consequutione beneficij, obligatur ad restitutionem: ergo & qui distribuit beneficiũ digno prætermisso digniori,magis tenebitur ad restitutionẽ. Consequentia ex eo est valida,quòd distributor efficacior causa damni est,quam impediẽs. Antecedẽs verò asseritur à D. Tho.hic, ad.4. Sed dicunt Doctores oppositæ sentẽtiæ.D.Tho.esse intelligendũ solũ de impedientibus per vim, aut fraudẽ. Hæc tamen interpretatio merè gratis adhibetur. Tũ,quia D.Tho.nec violentiæ, nec fraudis meminit: sed tantũ dicit, quòd qui malo animo ex odio impedit digniorem à consequutione beneficij, aliquam tenetur facere restitutionem. Tum etiam; quia,si D.Tho. solùm loqueretur de impediente per vim,aut fraudẽ,sequeretur quòd qui hoc modò impediret dignũ, vt dignior beneficiũ consequeretur, etiã esset obligandus ad restitutionẽ;cuius tamẽ contrariũ dicit D.Tho.in eadẽ solutione.Probo sequelam:Nam inferre vim,aut fraudẽ homini de quo semper habet annexã restitutionẽ. Sed quod nostra sententia peculiariter habeat verũ,ac sit necessaria in cathedris,& beneficijs oppositione obtẽtis,probatur primò:Nã aliquod ius iustitiæ habet dignior ad illud beneficiũ,vel cathedrã,quod oppositione obtinere nititur,quod nõ habẽt alij,qui nõ sunt oppositores: quòd si nõ est ius in re est saltim ius ad rẽ,vel ius ad illã petendã,quo priuatur iniuste quotiescunq; cathedra, vel beneficiũ confertur digno prætermisso digniori:ergo strictiori iure tenetur distributor cõferre beneficiũ digniori, quando intercedit oppositio,quã quãdo confertur sine illa.Secũdò:Est specialis lex,quòd cathedræ & ista beneficia,quæ examine obtinẽtur,conferantur dignioribus: ergo si quis prætermittat istum ordinem conferendo ea dignis,obligabitur ad restitutionem. Antecedens est manifestũ,& consequentia probatur: Nã si esset lex,q̃ vberiores eleemosynæ conferrẽtur pauperioribus, qui hunc ordinem præteriret dando maiorem eleemosynã, minorem necessitatẽ patientibus,proculdubio obligaretur ad restitutionem. Et confirmatur: Si dominus præciperet famulo, vt daret eleemosynam pauperibus propinquioribus , & famulus præteriret hunc ordinem, obligaretur ad restitutionem,quoniã facit cõtra voluntatẽ veri domini,sed Christus,qui est dominus beneficiorũ præcipit, vt dentur dignioribus:ergo si nõ datur erit obligatio ad restitutionẽ. Vltimò: Ex eo quod dominus præcipit hæc beneficia atq; sacerdotia dari gratis, si dẽtur pro pecunia est obligatio restitutionis:ergo si mãdauit dari dignioribꝰ, & secus fiat erit obligatio ad restitutionẽ. Ex hac cõclusione infertur, quòd qui eligit ad aliquod beneficiũ indignum vltra hoc,q̃ ex iustitia cõmutatiua tenetur facere restitutionẽ Ecclesiæ,vt supra dicebã,tenetur etiã aliquid restituere digno prætermisso,cui ex iustitia distributiua beneficiũ conferre tenebatur; vtriusq; enim iustitiæ violatio inducit obligationẽ restitutionis, vt ex dictis patet.

¶Sed contra istam conclusionẽ sunt aliquot argumẽta. Primũ: Principes conferũt officia publica indignissimis prætermissis dignioribus,& inde nulla nascitur obligatio restitutionis:ergo falsum est dicere,quod in qua distributio in beneficijs inducit vinculũ restituẽdi. ¶Secũdò,sic argumẽtor: Prelatus cõferẽs beneficiũ cõsanguineo propter cõsanguinitatẽ, est acceptor personarũ,lęditq; iustitiã distributiuã, & nemo obligat eũ ad restitutionẽ:ergo talis obligatio nõ habet ortũ ex violatione iustitię distributiuę. ¶Tertiò.Si collatio beneficij iniustè alicui distributi,nẽpe,digno prætermisso digniori induceret obligationẽ restitutionis, sequeretur, q̃ illud beneficiũ esset debitũ ex iustitia digniori,atq; ex cõsequẽti,quod dignus,cui fuit collatum

Primũ argumẽtum contra terti am cõclusionem à nobis positã.

2. argumẽtum.

3. argumẽtum.

collatum tenetur illud digniori resignare: consequens autem est falsum,& contra cõmunem doctorum sententiam; nemo enim est,qui obliger dignum cui beneficium fuit collatum,vt illud digniori restituat : ergo & illud,ex quo sequitur. Probo sequelam: Nam si bonum aliquod mihi ex iustitia distributiua debitum detur alteri,tenetur ille illud mihi restituere: vt si centum aurei instituti, vt diuidantur pauperibus, darentur diuitibus, diuites tenerentur illos pauperibus restituere. Et confirmatur: Dignus, cui tale beneficium fuit collatum , occupat ius dignioris:ergo tenetur illud ei restituere.

4. argumẽtum. ¶Quartò: Si violatio iustitiæ distributiuæ induceret obligationem restitutionis,sequeretur, quòd prælatus, vel præstans suffragium digno bona fide , quem existimat digniorem prætermisso eo, qui re vera erat dignior, adhuc tenetur ad restitutionem: consequens autem est falsum, & contra cõmunem Doctorum sententiam: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nã qui aufert ab aliquo id , quod sibi ex iustitia erat debitum, quamuis id faciat bona fide,putans sibi non deberi,statim ac contrarium resciuerit, tenetur illius facere restitutionem. ¶Vltimò:Qui confert beneficium digno multis dignioribus prætermissis, vel ille tenetur facere restitutionem omnibus illis dignioribus,aut vni,aut nulli:non omnibus: tum quia hoc videtur impossibile: tum etiam, quia ipse distributor non tenebatur omnibus illis beneficium conferre, nec vni , cùm non sit maior ratio de vno, quam de altero: ergo nulli; quod est cõtra conclusionem.

Vltimũ argumẽtum

Pro solutione argumẽtorum supponendum primo. ¶Pro solutione horum argumentorum, supponendum est primo, quòd quando eligitur dignus prætermisso digniori , stando in iure communi,electio ipsa valida est,nec rescindi potest in foro exteriori,aut interiori, vt constat ex D. Thom.infra quæst. 63. art.2.ad.3.& quodl.6. artic.9. & quodli.8. articulo.6. Et colligitur ex cap. cùm nobis olim. de electione, & electi potestate. Vbi cuiusdam, qui non erat eminentis literaturæ electio fuit approbata. Et in cap.cùm dilectus, eodem titulo , similiter approbatur alterius electio, etiam si fuerint in eadẽ Ecclesia (vt ibi dicitur) alij digniores. Et ratio D. Thom. atque aliorum est , quia si electio,qua dignus eligitur prætermisso digniori,posset annullari,vix essent vllæ electiones firmæ cum omnes possent in litem , & dubium renocari, dicentibus hominibus illas non fuisse factas de dignioribus , quod vergeret in graue detrimentum Ecclesiæ. Dixi,stando in iure communi. Nam secundum ius modernum , si Episcopus eligat in parochum minus dignum prætermisso digniori , poterit electio per Metropolitanum reuocari,darique beneficium digniori relicto iuxta proprium motum Pij Quinti, de hac re specialiter editum sub anno 1566. De hac re videndus est Couarruuias in regul. peccatum.§.7.num.3. Qui ex isto fundamẽto colligit,quod quãdo patronus præsentat dignum Episcopo,vel Pontifici, Episcopus tenetur illi conferre beneficium , etiam si alij digniores fuerint à patrono prætermissi. Tamen si patronus præsentaret plures, Episcopus teneretur digniorem ex illis eligere. Si autem sint plures patroni , & maior pars eligat dignum,minor vero pars eligat digniorem , tenebitur Episcopus tunc conferre beneficium digno , à maiori parte præsentato. Nam præsentatus à minori in illo casu censetur non præsentatus, vt dicit Couarruuias,vbi supra. ¶Secundo,est supponendum, quòd, licèt sit proprium iustitiæ constituere æqualitatem (ideo enim dicitur iustitia , quia æqualitatem constituit) aliter tamen attenditur æqualitas in iustitia commutatiua & aliter in distributiua. Nam in commutatiua attenditur æqualitas vnius rei ad alteram, secundum proportionem arithmeticam, nullo habito per se respectu,aut consideratione ad personas; quãuis aliquando etiam in illa habeatur iste respectus per accidens;in quantum, scilicet,augetur, aut minuitur valor rei, aut operis ex qualitate personæ. At verò in iustitia distributiua per se,& principaliter habetur respectus ad personas , inter quas distributio est facienda,& minus principaliter,ac dem de ad res distribuendas,vt,scilicet, inter ipsas res,quæ distribuuntur eadem proportio seruetur, quæ est inter personas, inter quas fit distributio. Et hanc æqualitatem constituit iustitia distributiua,quæ non est æqualitas simpliciter, sed æqualitas , secundum proportionem geometricam. ¶Tertiò, est supponendum, quod quamuis iustitia commutatiua,& distributiua in hoc conueniãt, quòd vtraque reddit alteri quod suum est, differunt tamen in eo , quod aliter est suũ, quod redditur alicui per iustitiam distributiuam,& aliter quod redditur per commutatiuam. In iustitia enim distributiua , quia redduntur & distribuuntur bona communia reipublicæ,quę non sunt propriè & simpliciter ciuium , inter quos distribuuntur, non redditur propriè & simpliciter suum, sed solum secundum quid;in quantum, scilicet , bona totius sunt aliquo modo partium.

Supponendũ secundo.

Supponendũ tertio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium. At verò in iustitia commutatiua, quia illa, quæ inter ciues commutantur, sunt propria illorum propriè & simpliciter redditur suum. Ex quo rursus sequitur, quòd in iustitia distributiua id, quod redditur non propriè & simpliciter est debitum illis, quibus redditur, sed solum secundum quid, in quantum, scilicet, sunt partes illius reipublicæ, cuius sunt illa bona, quæ distribuuntur. At verò in iustitia cõmutatiua illa, quæ redduntur propriè & simpliciter sunt debita illis, quibus redduntur, tanquam bona propria illorum.

Ad primũ argumentum. Prima solutio.

¶His suppositis, ad primum argumentum respondetur primò, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Non enim est eadem ratio de principe, & de prælato Ecclesiastico. Nam princeps est veluti dominus officiorum publicorum, qua ratione potest ea, si voluerit vendere. At verò prælatus Ecclesiæ non est beneficiorum dominus, sed dispensator; & sic si ea distribuit contra voluntatem veri domini, tenetur ad restitutionem. Est tamen aduertendũ, quòd quanuis Rex, vel Princeps sit quasi dominus officiorum publicorum, si tamen ea conferat indignis peccabit, & præterea erit reus omnium damnorum, quæ ex mala illa gubernatione fuerint subsequuta, tanquam ille, qui omnium eorum extitit moralis causa, vt diximus in superioribus. Ex quo infertur, quòd licèt Rex, aut Princeps in distributione officiorum merè secularium nõ teneretur seruare ordinem iustitiæ distributiuæ, magis, quàm ille, qui ea bona distribuit, quorũ verè est dominus. Secus tamen esset de præbendis Ecclesiasticis, quarum ex summorum Pontificum concessione & indultu, est patronus atque præsentator. In his enim distribuendis eundem ordinem distributiuæ iustitiæ teneretur seruare, quem alij electores Ecclesiastici obseruare tenentur. Et ratio est: Nam cùm summus Pontifex, qui non est dominus beneficiorum, sed dispensator, non solum peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem, quotiescunque cõfert illa dignis prætermissis dignioribus, vt ex supra dictis patet, & patrono non sit aliter concessa facultas præsentandi ad beneficia Ecclesiastica, quam habet summus Põ quòd si summo Pontifici non est licitum sine obligatione restitutionis conferre ea digno prætermisso digniori, quòd nec etiam id

Secunda solutio.

erit licitum patrono. Vel secundo respondetur ad argumenta, negando, quòd Rex, aut Princeps non teneatur conferre officia publica dignioribus ex iustitia distributiua, vt explicabimus infra quæstione 63. art. 2. circa finem. ¶Ad secundum argumentum respondetur, quòd prælatus quando confert beneficia consanguineis eodem modo se debet habere, ac quando confert ea alijs. Quare si consanguineus est dignior ad nullam tenebitur restitutionem. Cæterum, si non est dignior, nascitur obligatio restitutionis, sicut in alijs, maximè in illis beneficijs, quæ oppositione obtinentur. ¶Ad tertium argumentum respondetur, distinguendo consequens. Nam si ex eo, quòd collatio beneficij facta digno prætermisso digniori, induxit obligationem restituendi, infertur, quòd illud beneficium ex iustitia erat debitũ digniori, antequam digno conferretur, tunc, scilicet, quando computabatur inter bona communia, verum est. Cæterum postquam est appropriatum digno, quæ appropriatio valida est in vtroque foro, vt paulo ante dicebam, falsum est, quòd dignior iam habeat ius ad illud, aut quod dignus teneatur illud resignare. Et quando obijcitur, Si bonum aliquod mihi ex iustitia distributiua debitum detur alteri, ille tenetur illud mihi resignare, vt, si centum aurei ex alicuius instituto pauperibus diuidendi, diuiderentur diuitibus; tunc diuites tenerentur illa pauperibus restituere; ergo idem erit dicendũ de beneficio collato digno, quod ex iustitia distributiua erat debitum digniori; respondetur illud antecedens solum habere verũ in illis bonis communibus, quæ instituta sunt, vt gratis hominibus conferantur, non autem in illis, quæ, quanuis dentur secundũ rationem iustitiæ distributiuæ, conferũtur tamen propter aliquod ministerium in republica exercendum; qualia sunt beneficia Ecclesiastica. Quare concesso antecedenti, neganda erit consequẽtia. Et si rursus obijcias: Dignus, cui beneficium est collatum, non tenetur illud digniori restituere; respõ deo, illud in particulari verum est, imò nec potest. Cæterum tenetur aliquam facere recompensationem ad arbitrium viri prudentis, vel aliud ei beneficium conferre. Ad cõfirmationem respondetur, negando, quòd postquam beneficium est digno collatum, dignus occupet ius dignioris, iam enim dignior non habet ius ad illud, vt ex dictis patet: & sic nec tenetur illud ei restituere. Ita respondet Caietanus hic, dubio 5. ad vltimam confirmationem. ¶Ad quartum argumentum respondetur, negãdo sequelam. Ad hoc enim, vt quis dicatur iustè conferre beneficium, vel quancunque aliam præbẽdam, satis est bona fide illa conferre ei, quẽ existimat digniorem. Vnde, cùm in casu argumenti

Ad 2. argumentũ.

Ad 3. argumentum.

Ad 4. argumentum.

gumenti Episcopus, vel præstans suffragium iustè contulerit beneficium ad nullam tenebitur restitutionem. Est tamen hoc intelligendum, dummodo Episcopus sufficientem adhibeat diligentiam. Nam si nullo præuio examine, & nulla diligentia facta, confert beneficium ei, quem existimat digniorẽ, illo, qui re vera erat dignior, prætermisso, proculdubio tenebitur ad restitutionem. Et si quis obijciat; Qui aufert ab aliquo id, quod sibi ex iustitia erat debitum, quanuis id faciat bona fide, putans sibi non deberi, statim ac contrarium resciuerit, tenetur illius facere restitutionem: ergo pari ratione dicendum est de eo, qui confert beneficium digno, quem existimauit digniorem, prætermisso illo, qui re vera erat dignior, tenebitur ad restitutionẽ, statim, ac cognouerit veritatẽ; respõdetur, illud antecedens, solum habere verum in ijs, quæ sunt debita simpliciter; qualia sunt illa, quæ per iustitiam commutatiuam conferuntur: Non autem in ijs, quæ sunt debita solùm secundum quid, in quantum, scilicet, illi, quibus conferuntur, sunt partes illius reipublicæ, cuius sunt illa bona, quæ distribuuntur. Quæ quidem postquam vni sunt appropriata iam non sunt amplius ipsius communitatis; atque ex consequenti nec partes illius habent ius ad illa. Quare, concesso antecedenti, negatur consequentia.

Ad vltimũ argumentum.

¶Ad vltimum argumentum respondetur, quòd, quanuis metaphysicè loquendo intelligi possit, quòd beneficium conferatur digno, multis dignioribus prætermissis; moraliter tamen id nunquam vsu venit, maximè in illis beneficijs quæ oppositione obtinentur, in quibus maiori ex parte apparet vnus dignior, cui beneficium secundum debitum iustitiæ distributiuæ erat conferendum. Et huic, si alteri minus digno conferatur, erit facienda recompensatio, vel in alio beneficio, vel in bonis temporalibus, deductis prius expensis atque labore, quem in administratione talis beneficij impedire debebat ad arbitrium boni viri, vt diximus de quibuscunque alijs satisfactionibus. Si autem contingat, quòd plures digniores relinquantur, omnibus erit faciẽda aliqua recompensatio. Nam quanuis beneficium vni tantũ erat conferendum, omnibus tamẽ fuit facta iniuria in eo, quòd fuit collatum digno, ipsis dignioribus prætermissis.

Respõsio ad rationes factas pro secunda conclusione.

¶ Restat nunc respondere ad rationes, quas fecimus pro secunda conclusione, ad probandum, quòd sententia Soti, atque aliorum aliquam continebat probabilitatem; saltim quantum ad illa beneficia, quæ sine oppositione distribuuntur. Vnde ad primam dico, falsum esse, quòd beneficia & aliæ dignitates Ecclesiasticæ nõ solũ fuerunt instituta in stipendium pro labore, sed etiam in præmium pro virtute, vt in superioribus diximus. Et sic sunt honorificentissima, & locupletissima, nec respondent labori ad æqualitatem. Ex quo fit, vt secundum rationem iustitiæ distributiuæ sint conferenda, quod si secus fiat erit obligatio restitutionis. Vel secundò respondetur, quòd quanuis ità esset, quod solũ essent stipendia; quia tamen ex voluntate veri domini solum sunt dignioribus distribuenda, si aliter fiat erit obligatio restitutionis. Ad secundam rationem respondetur, concessa maiori negando minorem. Et ad probationem dico, quod dignior habet ius iustitiæ distributiuæ ad beneficiũ, quod est distribuendũ antequam alicui conferatur. Et hoc ius violat distributor, quotiescunq; confert illud digno, digniori prætermisso. Quod quidem non est ius simpliciter, sed ius secundũ quid, sicut nec debitũ, quod per iustitiã distributiuã confertur est debitũ simpliciter, sed tantũ debitũ secũdũ quid, vt diximus in 3. præsupposito. Et ex violatione cuiuscũq; iuris nascitur semper obligatio restitutionis maioris, vel minoris, pro ratione ipsius iuris violati. Ad cõfirmationẽ similiter respondetur, negãdo quod dignioribus illis prætermisis, nihil fuerit ablatũ. Fuit enim eis ablatũ ius illud iustitiæ distributiuæ, quod ad beneficiũ habebant; & sic per restitutionẽ erit necessarie reparandum. Ad vltimam rationem respondeo eo modo, quo paulò ante respõdebã ad quoddã argumentum factũ cõtra tertiam conclusionẽ, scilicet, quod moraliter loquẽdo, nunquã vsu venit, quod plures æquè digniores relinquãtur, maximè cùm dignitas sit pẽsanda, nõ solũ ex bonitate morũ, sed ex pluribus alijs circunstantijs in ordine ad officiũ, ad quod eligitur. Potest enim cõtingere, vt vnus sit dignior altero ad aliquod beneficiũ, qui tamen in ordine ad aliud sit minus dignus, imò indignus absolutè, vt diximus in superioribus. Cæterũ, si ita contigerit, quòd plures æquè digniores relinquãtur, omnibus erit aliqualis cõpensatio facienda. Et hoc est maximũ periculũ, quod Episcop°, aut alij electores incurrũt, ex eo, q beneficianõ distribuãt illis, quos existimãt dignores. Hęc dicta sint de tota ista difficultate.

Disputatio de eo qui impedit alterum à cõsequutione beneficij.

¶ Diximus iam de distributore: superest, vt dicamus de eo, qui est alteri impedimento, ne ei beneficium, aut aliquod aliud

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonum commune conferatur, de quo propriè loquitur Diuus Thomas in solutione ad quartum, & de quo sunt intelligenda tria illa dicta ab ipso in ea solutione posita.

1. cõclusio. ¶Sed, vt hęc res breuibus absoluatur, sit prima conclusio: Quicunque est alteri impedimento per vim, metum, aut fraudem, aut mendacium, ne aliquod bonum consequatur, siue illud sit stipendium, siue præmium, siue detur à distributore, siue à vero domino, tenetur ad illius restitutionem. Itaque si quis mentiens me esse mortuum, aut non esse alicuius consanguineum, aut esse spurium aut ignarum; aut malum, aut per alias fraudes, aut per vim faceret mutari testamentum, aut legatum, aut collationem, aut præsentationẽ beneficij, officij, aut alterius boni factam, aut iam decretam, tenetur illud mihi restituere. Probatur: Nam talis per iniuriam priuaret tam dantem iure donandi, quam eum, qui recipere debebat iure recipiendi: sunt enim omnes isti modi contra iustitiam.

2. cõclusio. ¶Secunda conclusio: Quicunque est alteri impedimento per vim, aut fraudem, aut metum, aut mendacium, ne aliquod supra dictorum bonorum petat, tenetur ad restitutionem eidem faciendam. Et ratio est: Nã quilibet, qui non est planè indignus, habet ius saltim petendi quæcunque munera, siue publica siue priuata, quo si iniustè priuetur, patietur iniuriam, per restitutionem necessario reparandam. Sed est aduertendum, quòd non tenetur talis impedies tantum restituere, quãtum soluere deberet, si bonum illud esset iam debitum, aut acquisitum; sed quantum consideratis circunstantijs, & propinquitate, quam habebat ad illud acquirendũ iudicio boni viri, videbitur conueniens, vt in alijs casibus dicere solemus.

3. Cõclusio ¶Tertia conclusio: Qui non vi, aut fraude, aut mendacio, sed precibus, atque persuasionibus agit cum eo, qui est verus dominus eorum, quæ daturus est, vt quod decreuerat dare vni, det alteri, etiam minus digno, nullam tenetur facere restitutionem. Probatur, quia nulli facit iniuriam. Non domino, cum quo tantum precibus agit; nec alteri, cum talis nullum ius habeat ad hoc, vt illud sibi conferatur, sed totum id sit positũ in alterius sola ac libera voluntate.

4. Cõclusio. ¶Quarta conclusio: Qui precibus, atque persuasionibus (dummodo absit fraus & mendacium) agit cum aliquo etiam digno, ne petat beneficium, vel præbendam, vel cathedram, vt sæpe contingit, ad nullam tenetur restitutionem. Probatur: Quia, vt habet commune prouerbium volenti, & scienti non fit iniuria.

5. Cõclusio ¶Quinta conclusio: Qui pro se, vel pro altero digno petit beneficium, aut cathedram, & illa sua petitio est causa, quòd alius æquè dignus, aut dignior, beneficium illud, aut cathedram non consequatur, etiam si id faciat malo animo (dummodo fraus, aut dolus non intercedant) nullam tenetur facere restitutionem. Hæc conclusio est contra Scotum, & contra Ricardum in. 4. distinct. decima quinta. Qui, vt autor est magister Soto. libro de Iustitia, quæstione sexta, articulo tertio, in solutione ad sextum argumentum, dicunt, quòd, si quis sibi, aut alteri præbendam procurans, alteri sit obstaculo, ne illam obtineat, idque faciat non, vt illi noceat, sed vt sibi, vel amico prosit, ad nullam tenetur restitutionem. Cæterum, si id faciat ex malo animo, alterius procurans nocumentum, restituere tenetur. Cui etiam sententiæ fauere videtur Caietanus hic dubio secundo, circa solutionem ad quartum argumentum Diu. Thom. falluntur tamen isti doctores. Nam, vt optimè docet Nauarro in Manuali, capit. decimo septimo, numero septuagesimo, intentio nocendi, aut malum iniustum inferendi, quanuis inducat peccatum, necessitatem tamen restituendi non inducit, nisi opus aliquod exterius ei adijciatur, quod sit iniurium, & contrarium legibus iustitiæ. Litet enim mala intentione suspendens iustè damnatum, quanuis peccet, non tenetur quidquam restituere. Et miles in bello iusto occidens hostem, vel diripiens ciuitatem malo animo, & fine, peccat quidem, sed non tenetur restituere. Quia licet transgrediatur leges charitatis, vel aliarum virtutum, non tamen transgreditur leges iustitiæ, quarum transgressio sola est iniuria, & obligat ad restitutionem. ¶Et si quis obijciat, legem primam. §. denique. ff. de aqua pluuia arcenda, vbi dicitur, eum, qui puteum effodit, aut aliud opus in suo facit, vnde damnum vicinus accipit, non teneri de damno, si non faciat animo nocendi: ex quibus verbis à contrario sensu colligere licèt, quod si malo animo fuerit tenetur; & Diuum Thomam, qui in isto articulo solutione ad quartum videtur significare, quòd aliquis actus malo animo factus inducit restitutionem in aliquo casu, in quo bono animo factus non induceret; dicit enim quod si intendens is nocumentum alterius propter odium, vel propter vindictam impediat ne ille beneficium aliquod consequatur ad aliquam tenetur recom-

Obiectio.

Respõsio ad obiectionẽ. recompensationem, respondetur ad primũ ex mente Nauarri, vbi supra, quòd licèt argumentum à contrario sensu alioqui sit validissimum in iure lege prima. ff. de officio eius, cui mandata est iuri. & capit. Apostolica, de his, quæ fiunt à prælato, sine consensu capituli, nihil tamen valet, quo ad ea, quorum contrarium exprimitur in iure, vt notat Felinus in capit. significasti. de foro competenti. Pro quo est textus in capit. à nobis. secundo, de sententia excommunicationis. Est autem certum secundum omnes ex iure, quòd intentio mala sine opere iniurioso non obligat ad restituendum damnum, vt supra dicebam. Quæ solutio roborari potest ex eo, quòd Vlpianus in illa lege citata noti vult innuere, quòd obligatio restituendi inducitur propter malum animum; sed, vt clarius confirmaret dictum Marcelli negantis eo casu actionem de dolo dari, dixit, non esse locum actioni de dolo sine malo animo, sine quo dolus non datur, leg. dolum C. de dolo. Ad aliud ex D. Thom. respondetur, quòd non loquitur de actu solo animo malo facto, sed de actu, malo animo iniustè facto. Et sic est intelligendus de opere iniurioso alteri, vel modo iniurioso facto, puta, per vim, metum, vel fraudem, vt supra dicebam. Suppositio iam, quòd mala intentio, vel malus animus non sit sufficiens ad inducendum obligationem restitutionis in eo, qui pro se, vel pro altero digno petit beneficium, aut cathedram, & ea sua petitione est obstaculo alteri æquè digno, aut digniori, ne illud beneficium obtineat, superest modò probare, quod illa petitio non sit iniusta, nec obliget ad restitutionem. Quod quidem sufficienter conuincitur ex eo, quòd qui petit beneficium pro se, vel pro altero digno vtitur iure suo; & nullus vtens iure suo facit alteri iniuriam; quanuis ex tali vsu damnum illius subsequatur. Nemo enim damnum facit, nisi qui facit illud, quod facere ius nõ habet, vt dicit regula iuris.

6. Cõclusio ¶Sexta conclusio: Qui facit, vt beneficium detur indigno, vel quod detur digno, prætermisso digniori, etiam si id faciat precibus, & persuasionibus, nullo dolo, aut fraude interueniente, tenetur ad restitutionem. Si distributor iam decreuerat illud dare digniori prætermisso, tenetur restituere in integrum, & si non decreuerat, tenetur facere restitutionem arbitrariam, secundum propinquitatem, quam dignior habebat ad tale beneficium obtinendum. Hæc conclusio est Diui Thomæ, atque Caietani in isto articulo, & partim contra Sotum dicentem, quòd, si dolus absit, licèt adsint preces, qui fuit causa quod beneficium conferretur digno, prætermisso digniori non tenetur in integrum restituere. Probatur tamen: Beneficium de quo loquimur, cum iam est firmata electoris voluntas, est quasi proprium dignioris, cui elector illud conferebat non ex proprio arbitratu, sed ex debito iustitiæ: ergo qui facit cum electore quod mutet sententiam spoliat digniorem iure suo, & re sibi ex iustitia debita, & quæ est iam quasi propria; atque ex consequenti in integrum tenetur illam restituere. ¶Et si quis obijciat: Electio illa adhuc post firmatum electoris animum poterat impediri, alio, scilicet, digniori occurrente: ergo qui facit, vt beneficium detur digno, prætermisso digniori, etiam postquam electoris animus erat firmatus illud conferre, non tenetur in totum restituere; si quidem non auferet id, quod re vera erat suum. Hoc argumentum petit, vt explicemus, quid intelligat D. Thom. per animum electoris firmatum ad conferendum? Nam, aut intelligit eam firmitatem, qua est illi ius acquisitum, aut firmitatem adhuc impedibilem. Non primum; quia sic non esset firmitas, vt daretur, sed firmitas dans, quæ amplius non est impedibilis. Nec secundum: quia, si est impedibilis, non erit obligatio restituendi in totum, cum multum intersit inter actum & potentiam. Ad hanc difficultatem, vt respondeamus, aduertẽdum est, quòd D. Tho. in hac solutione tres status constituit. Vnũ ante firmitatem, hoc est, antequam distributio sit decreta ad hunc. Secundũ, quando distributio iam est decreta ad hunc digniorẽ, sed non executioni mandata. Tertium, quãdo iam est executioni data. Et quidem de isto. 3. statu, nihil in litera dicitur, in qua de impedimento consequutionis est sermo. Cõ summata autẽ distributione cõsequutio impediri non potest. De primo verò statu dicitur, quòd ad arbitrium boni viri pensatis conditionibus restitutio debet fieri. De. 2. autem statu dicit litera, quòd impediens tenetur ad restitutionem æqualis. Et quod hoc sit intelligendum de isto secundo statu probatur primo ex eo, quod dicit, si est firmatum, quod alteri detur. Et secundo, nam subdit, & aliquis procurat, quod reuocetur. Si autem loqueretur de distributione executioni mandata, non diceret, ly, vt detur, cum iam data esset præbenda. Nec etiam diceret, ly, reuocetur, nã electio postquam est executioni mandata, nõ est reuocabilis;

Obiectio ex D. Thoma.

Explicatur quæ fuerit mens Diu. Tho. in isto articulo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cabilis; quanuis posit aliquando præbenda auferri propter defectum posidétis. Sed supposito, quòd quando D. Thom. dicit, quòd impediens tenetur in totum est intelligendus, quando distributio est decreta ad hunc digniorem, & non est executioni mãdata. Supereſt explicare, quæ nam sit ratio propter quam huiusmodi impediens teneatur in totum; si quidem illa electio adhuc erat impedibilis, nec aufertur quod erat proprium, quæ est difficultas argumenti propositi. Ad quod dico cum Caietano in præsenti, quod paria sunt esse actu meum, & esse ex debito decretum, vt sit meum. Statim enim ac distributione iustitiæ distributiuæ exigente decretum est, vt hoc detur vni, & illud alteri vnicuique parti debetur id, quod est decretum, quasi sibi proprium, quanuis vsque ad executionem decreti non sit illud verè proprium. Et propterea D. Thom. dicit quòd qui hoc aufert tenetur ad restitutionem æqualis. ¶Et si quis rursus obijciat; Potest contingere, quòd decreta iusta distributione aliquorum beneficiorum pro aliquibus, antequam exequutio mandetur, appareat alius dignior, cui secundum rationẽ distributiuæ iustitiæ primus locus debeatur, & tunc qui procurat reuocare distributionem decretam, vt beneficium daretur digniori, non violaret iustitiam distributiuã; nec teneretur ad restitutionem illi, cui erat decretum beneficium, & tamẽ aufert illud; quod erat sibi debitum, quasi proprium: ergo non sunt paria auferre debitum, quasi proprium, & auferre proprium, nam cõstat non esse auferendum beneficium proprium ab aliquo, vt detur digniori; Respondetur, hoc non obstare, quia res non permanet in eodem statu. Nam quandiu distributio decreta habebat rationem iustitiæ, portio decreta huic erat debita illi, quasi propria. Et quo fit, vt quandiu habebat istam rationem non poterat ab illo auferri, nisi iniuste, & erat quasi propria. Cæterum statim ac distributio desijt habere rationem iusti, propter personam digniorem, de nouo manifestatã; desijt illa præbenda debita esse huic, quasi propria; & propter hoc licitè data est alteri.

Alia obiectio.

Solutio.

Corollaria quæ sequũtur ex dictis.

¶Ex dictis infero primò, quòd qui impedit per vim, aut fraudem eleemosynam dandã extremè indigẽti, ex quo sequitur mortaliter non solum tenetur eleemosynam restituere, sed & vitã, cuius priuatio inde fuit subsequuta. Infero secundo, quanto in periculo versentur, qui fraudibus, & dolis impediũt gratias & beneficia, quæ principes excogitauerunt facere, diuertentes eorũ animos ad alios. Isti enim proculdubio obligantur ad restitutionem. Infero tertio, quàm prudentes & cauti debent esse, qui scribendis testamentis morituris assistunt. Si enim infirmus petit consiliũ an sit cõueniẽs relinquere bona sua hospitali, aut certæ personæ, si cõsiliarius illud det sincere & Christiane, nihil tenetur restituere; quia, sicut donatio est libera, ita & consiliũ. Verũ, si fraude, & dolo impedit testamentũ in fauorẽ alicuius domus, vel personę, tenetur aliquid restituere ad arbitriũ viri prudentis; & non in totũ; quoniã donatio non erat determinata, multisq; modis poterat impediri. Cæterũ si eo tẽpore, quo debebat legatũ scribere in fauorẽ alicuius per vim, aut fraudẽ, illud impedit, tenetur in totũ propter rationes superius positas. Et hæc dicta sint de tota ista materia.

¶Caietanus in isto articulo circa solutionem ad quartum argumentũ dub. 5. multũ laborat in explicatione illius regulæ Arist. 2 Physi. text. 56. Quod parũ distat, nihil distare videtur. Obijcitq; quam plurimas exceptiones, quas in materia morali patitur. Nã qui parum abest, vt peccet, nõ ideo dicitur peccare, nec qui parum abfuit, vt hominẽ interficeret, punitur, tanquam homicida, aut tenetur ad restitutionem, sicut nec ille, qui parum abfuit, vt furaretur, & non fuit furatus. Propter quas & alias similes, quas ipse adducit discedit à D. Thom. dicens, quod ex illa regula, non est sumenda ratio efficax in hac materia, quanuis quandoque habeat verum ratione subiectæ materiæ, quæ vel habet magnam latitudinem, vel incertitudinẽ materialẽ, vt in mensuris & numeris. Et propterea D. Tho. illa non fuit vsus in responsione, quanuis eam attulerat in argumẽto. Cæterum Caietanus in hac re fallitur, nec bene percepit mentem D. Thom. Longè enim aliud est parum abesse; vt damnum des, & damnum dare in eo, quòd parum abest, vt sit. D. Tho. autem nõ dicit, q̃ qui parũ abest, vt damnum det, tenetur ad restitutionẽ, & est iudicandus ac si damnum dedisset, vt Caietanus arbitratur: secundum quã intelligentiã procedit obiectiones ab ipso positæ. Sed quod dicit est, quod qui re vera damnũ dat in re, quæ parũ abest, vt sit, tenetur totã restituere, quia quod parũ distat, nihil distare videtur. Et hoc quidẽ verũ est: quòd isto exẽplo fiet manifestum: Sunt fata, quorũ fructus iam iam maturescunt, si parum abfuit, vt venator suo comitatu circuncurrens illa pessundaret ad nullam tenetur restitutionem, quoniam id fuit parum abesse, vt damnum daret, & damnum non intulit. Cæterum si medius transiens illa pessundedit, tenetur in totum, quia id fuit damnũ dare in

Explicatur illa regula quod parũ distat nihil distare videtur.

in fructu, qui parum aberat, vt esset. Et ità in proposito, qui parum abfuit, vt impediret hominem à præbenda, & non impediuit, ad nullam tenetur restitutionem. Tamen, si re vera fuit impedimento, vt ille eam non consequeretur, cum iam distributor habebat firmatum animum conferendi, secundum suam facultatem tenetur in totum, quia damnum intulit in re, quæ parum aberat, vt esset. Et est ponderanda illa particula secundum suam facultatem, quam D. Tho. addidit, vt significaret, quod in huiusmodi impeditionibus vix potest contingere, vt restitutio fiat in integrum.

Quæst. grauissima de damnificãte per accidens.

¶Diximus hucusque in isto articulo de restitutione, ad quam tenetur qui alterũ per se, hoc est, ex intentione damnificauit, vel in bonis spiritualibus, inducendo ad peccatum, vel in corporalibus occidendo, aut mutilando, vel in fama, & honore alterum conuitijs, aut detractione impetendo, vel denique in bonis communibus eorum malam distributionem faciendo, aut impediẽdo, ne fiat bona. Supereſt nunc, vt dicamus de ijs, qui per accidens, hoc est, præter intentionem, in his omnibus damnum inferunt, an teneantur ad restitutionem. Quæ quæstio difficilis est, atque grauissima, & pene innumeras personas concernens. Habet enim locum in iudicibus, in aduocatis, in medicis, in artificibus, & denique in omnibus illis qui vel casũ fortuito, vel ignorantia, aut malitia alteros lædunt. Ad cuius explicationem, quoniam plurimum interest, an aliquid dolo, an culpa, an casu pereat, & an culpa lata, an leui, an leuissima, operæpretium erit, vt vnumquodque horum, quid nam sit videamus. Et loquimur de culpa in præsenti, non, vt loquuntur Theologi cum D. Thom. 1. 2. quæst. 21. art. 2. sed, vt loquuntur iuris periti, cum Panormita. in capit. 1. de cõmodo, & in cap. fina. de depositis, post Bart. in leg. quod Nerua. ff. depositi. Culpa ergo, quantum attinet ad præsens institutũ generaliter sumpta, est voluntaria inordinatio actus, aut deuiatio à bono. Et quia inordinatio, siue deuiatio voluntaria aliquando fit studiosè, hoc est, ex industria, & aliquã do incõsideratè, ideirco iuris periti diuidũt culpam generaliter dictam in dolum, & culpam simplicẽ. Dolus est machinatio, seu circũuentio adhibita ad decipiendum, seu fallendum alium. De quo D. Tho. infra. q. 118. ar. 8. Et est dũplex, alter, qui fit verbis, & vocatur fallacia; alter, qui fit factis tantum, & vocatur fraus. Rursus aut dolus diuiditur in verum, & præsumptum, vt dicunt Bartolus, & Panormitanus, vbi supra. Nã licèt dolus non possit probari, nisi per confessionẽ partis, vel per coniecturas, quo ad forũ exterius iuxta glos. c. 2. de renuntia. li. 6. & in l. dolũ. C. de dolo: tamen quãdo signa sunt manifesta, appellatur dolus verus, quando autẽ nõ sunt manifesta appellatur dolus præsũptus. Verbi gratia, Reliquit quis librũ commodatũ nocte in platea furibus frequẽtata, & est perditus, dicitur apud homines is vero, dolo, vt perderetur, librũ reliquisse. Si autẽ in platea eundẽ librũ reliquit in die, dicitur dolo præsumpto illum reliquisse. Licèt fieri posset, quod neutro casu corã Deo id dolo fecerit, vel quod in posteriore casu dolosè fecerit, & nõ in priori. Ex quo infero primò, frequẽtissimè fieri posse, quòd qui verè corã Deo nõ est in dolo, præsumatur esse in eo corã hominib⁹. Infero. 2. quòd fraus est species doli generaliter sumpti, iuxta l. iuris gentiũ. §. sed si fraudandi. ff. de pactis, diuncta glossa. Infertur. 3. q̃ omnis dolus est culpa. Et sic qui promittit indemnitatẽ alicui de culpa cõmissa per famulũ, tenetur etiã de furto dolosè ab ipso cõmisso, vt dicũt Bart. & Panor. vbi supra. Culpa autẽ simplex differt à dolo in eo, quòd dolus scienter, & studiosè fit, culpa verò ignoranter, vel negligenter. Et est triplex, lata, leuis, & leuissima: lata est, deuiatio incircunspecta, id est, inconsiderata ab ea diligentia, quã homines cõmuniter adhibent. Et sic ignorare illud, quod cõmuniter homines sciunt, lata culpa est. Leuis culpa est deuiatio incircunspecta ab ea diligẽtia, quam homines periti illius artis & professionis adhibere solent. Culpa autẽ leuissima est deuiatio incircunspecta ab ea diligẽtia, quam homines prudentissimi, & peritissimi illius artis & professionis solent adhibere. Vel clarius ad mores dicere possimus, q̃ lata culpa est, quã regulariter, & cõmuniter omnes vitant. Qualis est eius, qui extra domum, aut in scamnum librũ sibi cõmodatum reliquit. Leuis verò, quam regulariter homines diligentes suæ professionis euitant. Qualis est eius, qui librum aliquem cõmodatum intra cellam, hostio tamen aperto reliquit. Leuissima est, quam homines diligentissimi vitare solent. Qualis est eius, qui librum commodatum intra cellam reliquit, quam clanè obserauit, non tamẽ tentauit manu, an bene esset obserata. Casus fortuitus est inopinatæ rei euentus, qui prouideri nõ potest etiam per diligentissimum.

Quid sit culpa.

Quid sit dolus.

Culpa potest esse triplex, lata, leuis, & leuissima.

¶His constitutis, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd quando aliquid perit casu fortuito, nulla est obligatio restitutionis. Verbi gratia: Habeo librum à Petro commodatum, & latrones

Casus fortuit⁹ quid sit.

1. certum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subitò in publica via egressi illum à me per violentiam abstulerunt. Vel apposui ignem comburendis stipulis agri mei in die quieto, & placido, & subito exortus magnus ventus ignem in messes vicini conieit, quem ego impedire non potui, non teneor ad restitutionem illorum damnorum, quæ non ex culpa mea, sed ex casu fortuito processerunt. Hoc habetur expresse in cap. si culpa, de iniurijs, & damno dato. Vbi dicitur: Licèt, qui occasionem dat, damnum dedisse videatur, secus tamen est in illo dicendum, qui, vt non accideret de contingentibus nihil dimisit. Idem etiam probatur ex cap. vnico. de cõmodato. Vbi dicitur: Ei, qui commodatum aliquod accepit, casus fortuitus non debet imputari. Et lege si ex plagis. §. finali. ff. ad legem Aquiliam. pluribus ad pilam ludentibus, illorum vnus conatus percipere pilam alterius seruum impulit, qui cadens fregit crura. Quærebatur, an ille teneretur ad aliquam restitutionem? Et iuris consultus respondit, quod nõ; cum casu magis, quàm culpa videatur factum. Idem etiam habetur in lege occidit. §. in hac quoque actione, eodem titulo. Et ratio est manifesta: Nam cùm ille, cui res in casu fortuito perit, non sit causa illius damni, nec per se, nec per accidens, manifestè sequitur, quòd non debet ei imputari. Et quidem, quòd non sit causa per se patet: nam non illud intendit. Quòd autem non sit causa per accidens probatur. Ad hoc, vt aliquis sit causa per accidens alicuius damni, necessarium est, quòd debuerit, & potuerit illud impedire: certum est autem, quòd casum fortuitum, qui prouideri non potest, nemo potest impedire: ergo. Nauarro in Manuali capit. 17. numero. 179. excipit tres casus, in quibus id, quod casu perit, est restituendum. Primus est, quando culpa præcedit. Vt si quis equũ sibi vsque ad Vallisoletum, accommodatum duxit ad Burgos, & post Vallisoleti transitum incidit in latrones, qui eum à se abstulerunt. Secundus casus est, quando mora intercedit, & res perijt aliter, quàm perisset apud cõmodantem. Verbi gratia: Commodauit aliquis alteri equum ad certum diem, quem ipse vltra retinuit, & tunc equus casu fortuito perit, teneretur commodatarius equũ restituere. Tertius casus est, quando sit pactum, quòd etiam si res casu fortuito pereat, mutuatarius teneatur illam restituere iuxta id, quod dicitur in cap. vnico. de commodato.

1. certum. ¶Secundò etiam est certum, quòd quicunque dolo seu lata culpa fuit causa alterius damni tenetur illud restituere. Et ratio est: Nam si is, qui culpa sua est causa damni alterius, tenetur ad illius compensationem, vt patet ex capit. si culpa, & ex legibus iam citatis, & dolus, & culpa lata sunt magis culpa, quàm leuis, & leuissima; manifestè sequitur, quòd saltim qui isto modo sunt causa damni, tenentur ad illius restitutionẽ. Itaque in his omnes Doctores conueniunt, & certa sunt.

Dubiũ grãue. ¶Sed est difficultas, an ille, qui ex culpa leui, vel leuissima damnum alteri intulit, vel in corpore, vel in bonis, vel in fama, siue in quacunque alia re, teneatur ad illius restitutionem? Innocentius in capit. sicut dignum, de homicidio, tenet, quòd in foro exteriori, etiam, qui ex leuissima culpa damnum alteri intulit, tenetur ad illius reparationem. Addit tamen, quòd in foro interiori, qui ex culpa leui, vel leuissima nocuit, non tenetur ad restitutionem. Et secus est de eo, qui dolo, aut culpa lata damnificauit. Hic enim tam in foro exteriori, quam interiori restituere tenetur. Eandem opinionem sequuntur multi Doctores tam iuris pontificij, quam Cæsarei, quos citat Couarruuias in epitom. in quartum lib. Decretalium, parte. 2. capit. 6. §. 8. numero. 12. Eandem tenet Syluester, verbo. culpa. §. 4. & verbo. aduocati. §. 24. & verbo restitutio 2. §. 12. & 17. Et quidem, quòd in foro exteriori teneatur ille, qui damnum etiam ex leuissima culpa alteri intulit, probat Innocentius ex lege in lege Aquilia. ff. ad legem Aquiliam. Vbi habetur, quòd in lege Aquilia etiam leuissima culpa venit. Quod verò in foro interiori solum ille, qui ex dolo, aut culpa lata nocuit teneatur ad restitutionem, probat Innocentius ex D. Augustino lib. 22. contra Faustum. capi. 44. & refertur. 1541. ca. inebriauerunt. Vbi dicitur: Inebriauerunt Loth filiæ eius, & se nescienti miscuerunt. Propterea culpatus est, non quantum ille incestus, sed quantum illa ebrietas meretur. Ex quibus verbis colligit Innocentium ex mente Augustini, esse imputandam homini culpã, ex qua aliud damnum succedit præter intentionem operantis: non tamen esse imputandum in foro conscientiæ damnum, ex illa subsequutum. Culpandus est, inquit Augustinus, Loth quantum meretur ebrietas, non tamen quã tum meretur incestus ex illa ebrietate subsequutus. Ergo pari ratione in nostro proposito, quanuis culpa leuis, vel leuissima debeat imputari illam admittenti, damnum tamen ex illa subsequutum non obligabit in foro conscientiæ, nec imputabitur illi, qui talem culpam commisit. Et confirmari

Sententia Innocentij & aliorum.

Fundamenta huius sententia.

mari potest hæc sententia hac ratione: damnum subsequutum soluitur in pœnam culpæ præcedentis: sed nemo tenetur in foro conscientiæ ad solutionem pœnæ ante iudicis condemnationẽ: ergo quamis quis cõmittat culpam leuem, aut leuissimam, nõ tenebitur ad restitutionem damni subsequuti in foro conscientiæ ante iudicis condemnationem.

Sententia Glossæ & aliorum. ¶Altera opinio est in alio extremo, quæ tenet, quodcunque damnum sequutum ex culpa etiã leuissima esse necessario restituẽdum in foro conscientiæ. Itaque, si quis fuit causa damni alterius, siue in bonis temporalibus, siue in corporalibus, ex eo quòd nõ adhibuit tantam diligentiam, quantam habere, & adhibere solent peritissimi, & diligentissimi illius professionis, atque artis, tenetur illud damnum reparare. Hanc sententiam tenet glossa in capit. finali. de iniurijs, & Panormitanus expresse ibidem, & Adrianus in materia de restitutione in quæstione quadam, quæ incipit, in foro animę. & summa Angelica verbo. culpa. circa finem. Et probatur primò ex illo cap. finali. de iniurijs. Vbi dicitur, damnum datum ex culpa esse necessario reparandum. Certum est autem, quòd culpa leuissima, culpa est in iure. Et vt dicit Panormitanus ibidem, quia indiffinita æquipollet vniuersali; idem est dicere, damnum datum ex culpa est recompensandum, & dicere, datum ex quacumque culpa. Secundò: In eodem capitulo habentur hæc verba: Nec ignorantia te excusauit, si scire debuisti, ex facto tuo iniuriam verosimiliter posse contingere: sed qui leuissima culpa damnificat debuit scire, quòd damnum poterat ex illa contingere, alioqui si non debuisset scire, non esset culpa: ergo leuissima culpa non excusat à damno ex ea subsequuto. Tertiò: Præterea leges humanæ obligant in foro conscientiæ, vt docet D. Thom. 1. 2. quæstio. 96. artic. 4. & nos etiam dicemus articulo sequenti: sed secundum leges humanas, vt etiam Innocentius concedit, tenetur quisquam ad reparationẽ damni, quod ex culpa leuissima est subsequutum: ergo idem erit dicendum in foro conscientiæ.

Fundamenta huius sententiæ.

Distinctio auctoris. Contractus in duplici differentia. ¶Mihi ex his sententijs extremis, neutra videtur vndequaque vera. Quocirca, vt explicemus, quid in hac re sit dicendum, aduertendum est, quòd contractus sunt in duplici differentia. Quidam enim sunt, per quos non transfertur dominium rei ab vno in alium, vt depositum, locatum, conductum, commodatum, &c. Et ex his quidam fiunt in solam gratiam, & vtilitatem dantis, vt in depositio, quod semper cedit in vtilitatem deponentis, & non depositarij. Alij in solam vtilitatem accipientis, vt in cõmodato. Si quis enim mihi aliquid grãtis commodat, illud solum cedit in vtilitatem meam. Alij autem sunt, qui cedunt in vtilitatem vtriusque, vt in conducto, & locato: Quia enim locatum, vel conductum nõ gratis conceditur, sed pretio; idcircò locatio, & conductio in vtilitatem vtriusque cedere dicuntur. Alij contractus sunt, in quibus transfertur dominium ab vno in alterum, vt sunt emptio, venditio, permutatio, donatio, mutuum, quod in duobus differt à commodato. Primum est, quod mutuum proprie est rerum, quæ vsu consumuntur, & consistunt in numero, pondere, & mensura, vt pecunia, vinum, triticum. Commodatum verò est rerum, quæ vsu non consumuntur, vt equus, mula, vasa argentea, vestis, &c. Secundò differunt in eo, quod per mutuum transfertur dominium rei mutuatæ in illo, cui mutuatur. Si quis enim dat alteri mutuo, decem aureos, vel decem modios tritici ille, cui mutuantur, efficitur illorum dominus. At verò in commodato non transfertur dominium. Similiter etiam depositarius non acquirit dominium rei depositæ. Tamen, si res depositæ fuerint vsu consumptibiles; vt pecunia, vel triticum, & ex facultate deponentis depositarius vtitur illis, tunc depositum transit in mutuum, & qui prius erat depositarius, efficitur mutuatarius, & acquirit dominium illarum rerum, vt docet Nauarro in Manuali capit. decimo septimo, numero. 182.

1. cõclusio. ¶Hoc constituto sit prima conclusio: Opinio, quæ asserit illum, qui ex culpa leui, aut leuissima damnum infert, non teneri in foro conscientiæ ad illius reparationem, est falsa, & periculosa. Probatur primò, ex illo capitulo. si culpa, iam citato. Vbi Gregorius nonus, expresse diffinit eum, qui culpa sua est causa damni alterius, iure teneri ad illius satisfactionem. Videtur autem periculosum ab hac regula tam generali excipere, saltim, eum, qui ex culpa leui damnum infert: cùm hic tam in isto capitulo, quam in pluribus alijs iuris, damni causa appelletur. Et confirmatur: damnum illatum ex imperitia, vel negligentia est necessario recompensandum in foro conscientiæ, vt habetur expresse in dicto capitulo. Cuius verba sunt: si culpa tua datum est damnum, vel iniuria est irrogata, vel alijs irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperitia, aut negligentia obuenerunt, iure super his satisfacere te oportet, nec ignorãtia excusat si scire debuisti ex facto tuo verosimiliter iniuriam posse contingere, vel iacturam: ergo, etiam damnum illatum ex leui culpa est recompensandum in foro conscientiæ. Probo consequentiam. Tum; quia imperitia annumeratur culpæ leui. Inst. de lege Aquilia. §. imperitia. Veluti si medicus ideò seruum tuum occidit, quia male eum secuit, aut perperam medicamentum dedit. Tum etiam, quia culpa leuis est, quando erat quis in eo, quod scitur à peritis illius artis, siue sit per ignorantiam, siue per negligentiam. Si ergo damnum sequutum ex imperitia est necessario restituendum in foro conscientiæ, manifestè sequitur, quod etiam est restituendum quod ex culpa leui sequitur. Pro hoc etiam facit lex illicitas. ff. de officio præsidis. Vbi dicitur circa finem: sicut medico imputari euentus mortalitatis non debet, ità quod per imperitiam cõmisit imputari ei debet. Ex quo colligit Panormitanus in capit. tua nos. de homicidio. aduocatum, qui præbendo erroneum cõsilium, siue per imperitiam, siue per negligentiam, fuit causa, quod ferretur iniusta sententia, tenetur ad satisfaciendum illi parti, contra quam fuit lata. Et idem dicit de medicis, & omnibus alijs artificibus in cap. si culpa, superius citato. Et ad argumentum Innocentij facile est respondere, quod Diuus Augustinus in illo loco solum loquitur de culpa commissa à Lot, & de pœnâ pro illa debita, quam dicit non esse tantam, quantã meretur incestus, sed quantã meretur ebrietas. Nec ibi aliquid loquitur de damno ex tali culpa subsequuto. Ad confirmationem respondetur, falsum esse, quòd quando ex culpa vnius sequitur damnum alterius, id soluendum est in pœnam prioris culpæ; sed ad satisfaciendum pro damno, cuius extitit causa. Et sic tenetur illud soluere in foro cõscientiæ, etiam ante iudicis condemnationem.

offendicula, & sunt tanquam laquei ad irretiendos homines: sed si teneretur quisquã in negotijs, quæ gerit tantam habere peritiam, quantam tenentur habere peritissimi & diligentissimi illius artis, atque professionis, lex, quæ hoc præciperet, esset difficillima, atque durissima: ergo durissimum est dicere, quodcunque damnum ex culpa, etiã leuissima, subsequutum, esse necessario restituendum in foro conscientiæ. Quod autem non posit illa opinio esse vndequaque vera constabit ex subsequentibus conclusionibus, & ex earum probationibus.

¶Tertia conclusio: Quando contractus fit solum in vtilitatem accipientis, vt in cõmodato, tenetur qui accipit etiam de leuissima culpa. Hæc cõclusio habetur expresse in capi. vnicode, cõmodato. Vbi habetur: Si gratia sui quis cõmodatũ accepit, tenetur de culpa etiam leuissima, & in lege in rebus. ff. de commodatis, etiam dicitur: In rebus cõmodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet. 3. Cõclusio.

¶Quarta conclusio: Quando contractus est in vtilitatem vtriusque, scilicet, dantis & accipientis, vt in conducto, & locato, qui accipit tenetur de dolo, & lata culpa, & etiã de leui, sed non de leuissima. In hac conclusione conueniunt ferè omnes Doctores, Abbas in cap. vnico de commodato, & in cap. bona fides, de deposito. Antonius Gomez tom. 2. ca. 7. de commodato, & deposito. Nauarro in Manuali cap. 17. num. 179. & duobus sequentibus. Syluester verbo, cõmodato, & Caietanus infra articul. 6. quam colligunt ex lege illa, in rebus. ff. commodati. Vbi postquam iuris consultus dixit in rebus commodatis tantam diligentiam præstandam esse, quantam quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet, subiungit: Hæc ita, si dumtaxat accipientis gratia commodata sit res, At, si vtriusque, tum temporis de leuissima culpa non tenetur ille, qui accepit, &c. Itaque secundum istos Doctores, & secundum veritatem, si quis locauit alteri equum, aut domum, & pereat equus, vel domus ob culpam leuissimã cõductoris, non tenetur ad restitutionem. Teneretur tamen si periisset ex culpa lata, aut leui. 4. Cõclusio.

¶Quinta conclusio: Quando contractus fit solum in vtilitatem dantis, vt in deposito, accipiens tantum tenetur de dolo, & lata culpa. Itaque, quanuis res deposita apud me pereat ex meâ culpa leuissima, aut leui, non teneor ad illius recompensationem, tenerer tamen, si periret ex dolo, aut culpa lata. 5. Cõclusio

2. Cõclusio. ¶Secunda cõclusio, opinio quæ affirmat, quodcunque damnũ subsequutum ex culpa etiam leuissima esse necessario restituendũ in foro conscientiæ, est nimis dura, nec potest esse vndequaque vera. Et quidem, quòd sit nimis dura probatur, hac efficacissima ratione: Leges non solum diuinæ, sed etiã humanæ, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 95. artic. 3. non debent esse difficillimæ obseruatu, sed suaues, & proportionatæ viribus hominum; ex quo fit, vt quæ sunt multum difficiles, quãuis sint ex obiecto bonæ, sunt tamen perniciosæ, quia præbent hominibus

lata. Hanc conclusionem tenent ijdem Doctores superius citati. Sed est aduertendum, quòd si deponens & depositarius inter se conuenerint, quod depositarius subeat periculum rerum depositarũ pro pretio, quod accipit à deponente, tunc idem iudicium erit de contractu depositionis, & assecurationis. Regulariter tamen loquendo, quando non interuenit huiusmodi pactum, etiam si depositarius pro custodia rerũ depositarum accipiat aliquam mercedem à deponente, si res pereunt ex casu fortuito, vel ex culpa leuissima depositarij, non tenetur ad illarum restitutionem. Secus autem erit si pereunt ex dolo, aut lata, aut leui culpa. Nam quando depositarius accipit aliquid pro deposito, tunc iam ille contractus habet rationem eorum, qui fiunt in vtilitatem vtriusque; in quibus qui accipit tenetur de culpa leui, & non de leuissima, vt diximus in quarta conclusione. Cæterùm, si nihil accipiat pro deposito, tantum tenetur de dolo & lata culpa, vt modo dicebam. Infertur ex dictis falsum esse, quod omne dãnum subsequutum ex culpa etiam leuissima sit necessario restituendum in foro cõscientiæ, vt dicebat Adrianus, Panormitanus, & alij, quos in secunda opinione retulimus. Et ad eorum argumenta, quæ desumta sunt ex cap. fin. de iniurijs. respondetur, quòd, quanuis in illo cap. dicatur damnum ex culpa datum, esse restituendum, & similiter illud, quod ex negligentia, & imperitia est subsequutum non tamen qualiscunque culpa, nec qualiscunque negligentia obligat ad restitutionem damni ex illa subsequuti. Sed iuxta diuersitatem negotiorũ diuersa etiam diligentia est adhibenda. Illa enim diligentia, quæ sufficit ad excusandũ damnum ex ea subsequutum in vno negotio, seu materia, non sufficit ad excusandum in alio, vt constat ex ipso iure. Nã qui ex leuissima culpa fuit causa, vt periret res sibi ad suam tantum vtilitatem accõmodata, tenetur ad illius restitutionem, vt patet ex capit. vnico. de commodato, & ex l. in rebus. ff. commodati. Et tamen eadem leuissima culpa non est sufficiens ad inducendã obligationem restitutionis in eo, qui perdit rẽ in depositò receptam, aut locatam. Itaque illa quæ censetur culpa, & negligentia respectu rei gratis commodatæ, non censetur culpa, aut negligentia respectu rei depositæ, aut locatæ, seu commodatæ in gratiam vtriusque. Et textus ille formaliter est intelligendus ad istum modum; Si culpa tua, aut tua negligentia datum est damnum, sic, vt respectu illius damni sit verè culpa, & verè negligentia, illud est necessario restituendum. Nam si respectu illius damni, nec est culpa, nec negligentia, quanuis respectu alterius in alio negotio, siue in alia materia esset vere culpa, & vera negligentia, nõ inducit obligationem restituendi, ad modum iam explicatum. Et per hoc patet solutio ad primum & secundum argumentum. Ad tertium respondetur, verum esse, quòd leges humanæ obligant in conscientia, vt dicemus articulo sequenti. Cæterùm illæ non præcipiunt, vt quodcunq; damnum, etiam ex leuissima culpa subsequutum sit necessario restituendum.

Ad argum. glossæ & aliorum.

¶Ex dictis in ista quæstione possumus colligere primò, minùs conuenienter Magistrum Soto loquutum fuisse in multis, libro. 4. de iustitia, quæst. 7. art. 2. circa tertiã conclusionem. Nam primo falsus est in eo, quòd nullum discrimen constituit inter cõtractum, qui solum fit in vtilitatem accipiẽtis, quale est commodatum, & illum, qui fit in gratiam & vtilitatem vtriusque, qualis est locatio, & conductio. De quibus omnibus dicit teneri eum, qui accepit de culpa leui & non de culpa leuissima. Cùm tamen sit certum, quòd in commodato non solum ex culpa leui, sed etiam ex leuissima tenetur commodatarij ad restitutionem, vt habetur expresse in cap. vnico. de commodato, & in l. in rebus. ff. commodati. Secundò dicit Soto, quòd tam commodatarius, quàm conductor, qui ex leui culpa fuit causa, vt res commodata, aut conducta periret, aut fieret deterior, tenetur ad restitutionem, non quidẽ in totum, sed pro ratione culpæ. Ità, scilicet, quòd si culpa, ob quam perijt fuit grauis tenetur restituere in totum, si autẽ fuit leuis solum in parte pro quantitate culpæ. Sed hoc etiam est falsum. Nam cùm illo capitulo iam citato absolutè dicatur ex leuissima culpa teneri ad restitutionem eũ, qui fuerit causa, quòd commodatum pereat, nec dicat teneri in parte, manifestè sequitur, q ex leuissima culpa tenetur in totũ, & à fortiori quando res commodata perierit ex culpa leui. Nec obstat ratio ab eodem Soto adducta circa finem corporis articuli, scilicet, quia non est rationi consentaneum, vt propter leues culpas, quæ sunt veniales, veniat quis tanta pœna plectendus, vt teneatur restituere totum illud, quod ob leuẽ culpam perit. Non, inquam, obstat hæc ratio. Tum, quia in præsenti nõ loquimur de culpa, vt loquuntur Theologi, qui illam diuidunt in mortalem, & venialem; sed, vt loquuntur iurisconsulti. Tum etiam; quia, vt optimè dicit Adrianus, quantum attinet ad

Impugnatur Soto circa multa in quibus errauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

obligationem restituendi per accidens, atque impertinens est, an proueniat ex culpa mortali, aut veniali; sed solum debet attendi, an qui damnum intulit sit causa illius vel ex dolo, vel ex culpa, vt de his loquuntur iurisperiti. Tertio dicit Soto, quòd quãdo depositarius accipit aliquam mercedem, vel aliquod pretium, etiam si citra culpam suam pereat res deposita, tenetur ex iustitia ad illius restitutionem, sicut qui contractu assecurationis periculum subit. Sed hoc etiã est falsum. Tum; quia qui accipit à deponẽte pretium pro custodia rei depositæ, non illam assecurat. Tum etiam; quia, cùm iste contractus cedat in vtilitatem vtriusq;, ità est loquendum de illo, sicut de conductione, aut locatione, vt iam diximus.

Articvlvs. III.

¶ Vtrùm sufficiat restituere simplum, quod iniustè ablatum est?

Infr. art. 4. cor. Et. 12. q. 105. art. 2. ad. 9. Et 4. dist. 15. q. 1. ar. 5. q. 2. ad 5.

AD Tertivm sic proceditur. Videtur, quòd non sufficiat restituere simplum quod iniustè ablatum est. Dicitur enim Exod. 22. Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem: & occiderit vel vendiderit: quinque boues pro vno boue restituet: & quatuor oues pro vna oue. Sed quilibet tenetur mandatum diuinæ legis obseruare. Ergo ille qui furatur tenetur restituere quadruplum, vel quintuplum.

2 ¶ Præterea, Ea quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt dicitur ad Rom. 15. Sed Lucæ. 19. Zachæus dixit ad Dominum, Si quem defraudaui, reddo quadruplum: ergo homo debet restituere multiplicatum id quod iniustè accepit.

3 ¶ Præterea, Nulli potest iustè auferri id quod dare non debet. Sed iudex iustè aufert ab eo qui furatus est plus quã furatus est pro emenda: ergo homo debet illud soluere: & ita non sufficit reddere simplum.

¶ Sed Contra est, quia restitutio reducit ad æqualitatem quod inæqualiter ablatum est. Sed aliquis reddendo quod accepit simplum reducit ad æqualitatem: ergo solum tenetur restituere tantum quantum accepit.

¶ Respondeo dicendum, quòd cum aliquis iniustè accepit rem alienã, duo sunt ibi consideranda: quorum vnum est inæqualitas ex parte rei, quæ quandoque est sine iniustitia, vt patet in mutuis. Aliud autem est iniustitiæ culpa, quæ potest esse etiam cum æqualitate rei: putà cum aliquis intendit inferre violentiam, sed non prævaler. Quantum ergo ad primum, adhibetur remedium per restitutionem: in quantum per eam æqualitas reparatur: ad quod sufficit quod restituat tantum quantum habuerit de alieno. Sed quantum ad culpam, adhibetur remedium per pœnam, cuius inflictio pertinet ad iudicem. Et ideo antequam sit condẽnatus per iudicem, nõ tenetur restituere plus quàm accepit. Sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam soluere.

¶ Et per hoc patet responsio ad primũ: quia lex illa determinatiua est pœnæ per iudicem infligendæ: cum ad obseruantiam iudicialis præcepti nullus teneatur post Christi aduentum, vt supra habitum * est. Potest tamen idem vel simile statui in lege humana: de qua erit eadem ratio. *1.2.q.104. art.3.*

¶ Ad secundum dicendum, quòd Zachæus id dixit quasi supererogare volens. Vnde & præmiserat: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.

¶ Ad tertium dicendum, quòd iudex condemnando, iustè potest accipere aliquid amplius loco emendæ: quod tamen antequam condemnaretur nõ debebat.

Svmma Textvs.

SVpposito, quòd in acceptione rei alienæ duo possunt considerari, vnum est rerũ inæqualitas, quæ sine delicto iniustitiæ reperiri potest, vt patet in mutuo & in deposito, alterum est delictum iniustitiæ, quod etiam cum æqualitate rei potest reperiri, vt patet in eo, qui conatus est inferre detrimentum, & non intulit, respondit D. Thom. ad difficultatem propositam per tres propositiones. Prima conclusio: Si solum habeatur ratio inæqualitatis, quæ cõtingit in acceptione rei alienæ, sufficit reddere tantum, quantum ablatum fuit. Secunda conclusio: Si habeatur ratio culpæ, quæ interdum in acceptione rei alienæ contingit, non sufficit reddere tantum, quantum ablatum fuit; sed vltra id est necessarium satisfacere per pœnam à lege vel ab homine impositam. Tertia conclusio: Nullus tenetur subire pœnam ante iudicis condemnationem: & sic ea non existente satis erit reddere tantum, quantum ablatum fuit, vt sit homo tutus in conscientia. Has conclusiones non probat D. Thom. sed illas, vt notas, relinquit ex superioribus.

Explicatio Articvli.

PRima conclusio huius articuli est certa, & ab omnibus concessa. Et ratio est: Nam cùm restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, cuius est æqualitatem constituere inter rem & rem, nulla habita consideratione, an illa inæqualitas iustè fuerit facta, vt in mutuo, vel iniustè, vt in furto ad hoc, vt restitutioni debitæ sit satisfactum, satis erit tantum reddere, quantum fuit ablatum nulla iudicis condemnatione expectata, ex natura rei, quanuis aliquando per accidens (tunc scilicet, quando debitum non est clarum) sit etiam necessarium iudicis sententiam expectare. Sed circa posteriores conclusiones multæ, atque graues se offerunt difficultates de legibus humanis pœnã pro delictis imponentibus disputandæ. Quas vt recto ordine declaremus, operæpretiũ est, vt prius videamus, an leges humanæ habeãt vim obligandi in foro cõscientiæ. Hoc enim principio ignorato, non satis poterit constare, an pœna in foro conscientiæ sit subeunda ante iudicis condemnationem, vel non. De quo D. Thom. agit in isto articulo. Et quidem, quòd leges humanæ non possint in conscientia obligare, probatur primò: Si lex humana obligaret in foro conscientiæ, sequeretur eam posse obligare ad culpam mortalem: Hoc autem est falsum: ergo. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Homo sicut non potest gratiam inducere, ita nec illa priuare: sed culpa mortalis priuat gratia: ergo homo nõ potest condere legem, quæ obliget ad mortalem culpam. ¶ Secundò: Sicut subditi tenentur parere principibus, atque potestatibus, ita etiam serui dominis, & filij parentibus. Sed præcepta parentum, vel dominorũ non obligant in foro conscientiæ: ergo nec præcepta principum, vel potestatum. ¶ Tertiò: Potestas ciuilis nequit ligare, aut soluere in foro conscientiæ, cũ hoc peculiariter fuerit datum à Christo Petro, & Ecclesiæ: ergo nec condere legem, quæ obliget in foro conscientiæ. Patet consequentia: Nam hoc est ligare in foro conscientiæ. Et confirmatur: Potestas ciuilis non est spiritualis, vt constat: ergo non potest obligare in foro conscientiæ, cum hoc spirituale sit.

Dubium, vtrùm leges humanæ possint in conscientia obligare.

1. Arg. pro parte negatiua.

2. Argum.

3. Argum.

¶ Quartò: Si leges humanæ obligarent in foro conscientiæ, sequeretur eas esse obseruandas, etiam cum periculo vitæ: consequés autem est falsum: ergo. Probo sequelam: Nam cum culpa maius malũ sit, quã mors; si leges humanæ obligant in foro conscientiæ, sequitur, quòd potius mori, quàm illas transgredi debeamus. *4. Argum.*

¶ His tamen non obstantibus, supposito, quòd lex humana est duplex, vna ecclesiastica, altera ciuilis; ad explicationem difficultatis sit prima conclusio: Leges ecclesiasticæ humanæ obligant in foro conscientiæ ad culpam mortalem: & contrarium dicere est hæreticum. Hæc conclusio est contra Vvicleph, Ioannem Hus, atq; Lutherum, qui dicunt Ecclesiam non habere potestatem ad condendas leges, quæ obligent in foro conscientiæ. Quorum error damnatus est in Concilio Constantiensi, Sess. 10. & 15. & in Concilio Vienensi, & habetur in Clement. ad nostrum. de hæretic. & in Bulla Leonis X. contra Lutherum, artic. 27. Et probatur apertis testimonijs sacræ scripturæ. Luc. 10. dicit Christus: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Et Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus. Et Matth. 23. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; quæcunq; dixerint vobis facite. Et D. Paul. 1. ad Thessal. cap. 4. Scitis quæ præcepta dederim vobis, per Dominum Iesum. Et paucis interiectis: Itaq; qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit spiritum suum sanctum in nobis. Hoc etiã Moyses clarissimè docuit cùm populo Israel murmuranti aduersus eum, & Aaron fratrem eius, dixit: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & mane panes in saturitate, eo quòd audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum. Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Ex quibus duobus vltimis locis apertè conuincitur, præcepta iusta præpositorum Ecclesiæ non esse dumtaxat humana dicenda, cũ vim suam & robur habeant à præcepto diuino; præsertim cum illorum contemptores tanquam contemptores diuinorum præceptorum coram Deo reputentur. *1. Concluſ.*

¶ Secunda conclusio: Leges ciuiles obligant in foro conscientiæ, & contrarium dicere *2. Concluſ*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere est temerarium. Probatur ex.1.Petri.c. 2.Vbi dicitur: Subditi estote omni creaturæ propter Deum, siue regi tanquam præexcellenti, siue ducibus tanquam à Deo missis. Et ad Rom.13. Subditi estote, non solũ propter iram, sed etiam propter conscientiam: id est, non solum propter vltionẽ præsentem, sed etiam propter iudicium futurũ, vt explicat D. Ambr. Dixi notanter primam conclusionem esse de fide, & secundam ità certam, vt contrarium sit temerarium: quia quanuis D. August. in Epist. 54. quæ est ad Macedonium, & D. Chrysostomus in commentarijs super D. Paulum, & alij Doctores dicant, Apostolos in his duobus locis modo citatis apertè loqui de lege ciuili, vt textus ipse ostendere videtur; quia tamen apertiora sunt testimonia quæ loquuntur de lege ecclesiastica, quibus & accedit Ecclesiæ determinatio, iure optimo diximus primũ esse de fide, secundum autem ità certum, vt contrarium dicere sit temerarium. Probatur tamen vtraq; conclusio aperta ratione: Tam potestas ciuilis, quàm ecclesiastica est necessaria, vt homines possint bene & faciliter viuere: ergo vtraque obligat in foro conscientiæ. Antecedẽs est manifestum: Nam potestas ciuilis conseruat homines in pace: potestas verò ecclesiastica dirigit eos ad bona spiritualia alterius vitæ, in quibus vera fœlicitas consistit. Consequentia autẽ probatur: Vtraque potestas esset vana, si careret potestate obligandi homines in foro conscientiæ: frustra enim esset in principe talis potestas, si subditi non tenerentur parere legibus à se latis: ergo dicendum est, quod tam lex ciuilis, quam ecclesiastica obligat in foro conscientiæ. De hac re videndus Kophensis, art.27. contra Lutherum, & Castro in libro de hæresi. verbo, Ecclesia, hære.1. & Ayala in libro de traditionibus diuinis, & apostolicis. p.3.

3.Conclus. ¶Et si quis quærat, quanam ratione potestas humana possit homines obligare in foro conscientiæ, in hoc sit tertia conclusio: Potestas humana habet vim obligandi in foro conscientiæ, quatenus subest potestati diuinæ, & legi æternæ. Itaque, quemadmodum in naturalibus causæ secundæ producunt suos effectus, nõ ipsæ absolutè & per se, sed quatenus subsunt motioni primæ causæ: ita etiam in præsenti potestas humana, quæ est veluti causa secunda producit hunc effectum, qui est obligare homines in conscientia non absolutè & per se, sed quatenus subest motioni potestatis diuinæ, atque legis æternæ. Ex quo sequitur prædictam obligationem dimanare à duplici voluntate, scilicet, à voluntate potestatis humanæ aliquid constituentis, quæ est veluti causa secunda, & à voluntate potestatis diuinæ & legis æternæ in generali præcipientis, vt quidquid ab humanis potestatibus præcipitur id firmum, & ratum habeatur. Habentque se istæ voluntates, veluti causæ subordinatæ, ex quibus tanquam ex concursu primæ causæ cum secunda existit in lege illa vis obligandi in foro conscientiæ, vt rectè docet D. Thom. 1. 2. quæstione. 96. artic. 4.

Quæstio. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm illa obligatio existens in lege habeat ortum ex voluntate legislatoris, vel ex materia rei præceptæ. Et ratio dubitandi est: Nam si dicamus obligationem oriri tantum ex volũtate legislatoris, sequeretur in voluntate legislatoris positum esse, quod lex aliqua grauissima obliget ad culpam venialem, & leuissima ad mortalem; consequens autem est falsum: ergo. Si verò dicamus, obligationẽ oriri ex natura rei, quæ præcipitur, etiam sequitur, quòd legislator non posset effice re, vt lex aliqua à se posita ad nullam culpã obliget; consequens autem est contra consuetudinem præceptorum, quæ in religione ponuntur, in quorum initio statim dicitur voluntatem legislatoris esse, quod præcepta illa non obligent ad mortale nec ad veniale: ergo. Item etiam sequitur, plures leges humanas nullam obligationem inducere in foro conscientiæ, siquidem plures res ex illis, quæ in illis præcipiuntur ex natura sua sunt indifferentes, nec multum cõducibiles ad bonum commune: hoc autem etiam est absurdum; quia, vt paulò ante dicebam, leges humanæ obligant in conscientia: ergo.

Explicatio quæstionis. Dico sunt considerandа in lege. ¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est primò, quòd in lege duo possumus cõsiderare. Vnum est imperium, quod in ea inuenitur: & est veluti substantia ipsius legis. Cum enim ad hoc, vt rex, vel princeps dicatur legem ferre, non satis sit, quòd iudicet aliquid fieri oportere, & quod velit id fieri, sed vltra hoc requiritur, quòd statuat illud faciendum, non quidem consulendo, aut adhortando, sed efficaciter præcipiendo, sit, vt lex nihil aliud sit, quàm quoddam imperiũ rei probatæ per iudiciũ, & voluntatem: vel, vt melius dicam, vis quædam imperans id, quod principis iudicio, & voluntate probatur. Ex quo fit, vt Doctores atque philosophi distinguant in lege duplicem vim, vnam directiuam alteram coactiuã. Nam ex eo, quòd lex statuit res ratione probatas, dirigit, & docet quid faciendum

faciendum sit. Et sic est in ea vis directiua. Quia autem non solum statuit & docet, quæ recta sunt, sed etiam eadem efficaciter præcipit, habet vim similiter coercitiuam quarum quælibet est de intrinseca ratione legis; continetur; vtraq; in imperio. Hãc duplicem vim significare voluit Moyses Deut.33. quando dixit de Deo, quod apparuit habens in manu dextra igneam legem. Nam sicut in igne sunt duo, scilicet, claritas & comburendi vis; sic in lege est doctrina praui, atq; recti, quæ tanquam quoddam lumen dirigit, & est etiã potestas cogendi, & supplicia inferendi, pertinẽs ad vim coactiuam. Propter hoc etiã dicitur Psal. 18. quod lex Domini est immaculata, & conuertens animas. Immaculata quidẽ, quia habet vim dirigendi, & perducendi ad bonum: & conuertens animas propter efficaciam & coactionem. Secundum quod potest considerari in lege, est ordo ad bonum commune, à quo efficitur, vt sit recta lex.

Imperiũ in lege existẽs habet ortũ à voluntate legislatoris. ¶Secundò est aduertendum, quòd impetium existens in lege ortum habet à voluntate legislatoris. Ex eo enim aliquid præcipitur & lege statuitur; quia legislator vult. Cæterùm ordo ad bonum commune non ex voluntate legislatoris, sed ex natura rei præceptæ oritur. Non enim ex eo, quòd legislator vult, lex à se lata ordinatur ad bonum commune. Sed potiùs, quia res præcepta ex natura sua habet proportionem ad bonum commune, ad illud ordinatur. Tertiò est aduertendum, quòd lex ab vno habet, quòd obliget, ab alio autem, quòd magis, aut minus obliget. Nam quod obligat habet, quia est imperium à legitima potestate positum. Quod autem magis, aut minus obliget, habet ex eo quòd res præcepta magis aut minus conuenit cum bono communi. Hoc supposito dico, in voluntate legislatoris esse positum, quòd lex à se lata obliget in foro conscientiæ, quia in voluntate legislatoris est positum cohibere imperiũ, sine quo propriè non est lex, nec obligat. Cæterùm, postquam aliqua lex est statuta, non est positum in manu legislatoris facere, quod magis aut minus obliget, id est, quòd obliget ad mortale, vel veniale. Quod enim aliqua lex magis, aut minus obliget id prouenit ex eo, quòd res præcepta magis aut minus conuenit cum bono communi. Non potest autem legislator facere quod res, quam præcipit magis, aut minus conueniat cum bono communi; sed id habet ex sua natura. Ex dictis infero primò, quod præcepta, quæ continentur in constitutionibus religiosorum, proprie loquendo non sunt lex, sed potiùs quædam decreta hominũ prudentum, habentia magis vim consilij, quã legis, cum non contineat verum imperium necessario requisitum ad substantiam legis. Infero secundò, quòd quando legislator vult præcipit aliquam rem valde conducentem ad bonum commune, non est positum in eius voluntate facere quòd talis lex obliget ad veniale. Nec è conuerso, si præcipiat rem, quæ parum conducit ad bonum commune, erit in eius potestate positum, efficere, quod obliget ad mortale; id enim prouenit ex natura rei, vt diximus.

Alia quæst. ¶Et si quis quærat, quibus nam modis possimus colligere, legem aliquam obligare ad mortale, respondeo in genere, quanti tatem obligationis sumendam esse ex materia rei præceptæ in ordine ad bonum commune. Cæterùm, quia difficile est cognoscere, quando materia rei præceptæ multum, vel parum conferat ad bonum commune, idcircò ad hoc ponuntur aliquæ regulæ. Et primò de lege ecclesiastica sit prima regula: Quotescunque leges ecclesiasticæ decernunt aliquid tanquam necessarium ad sacramentorum susceptionem, obligant ad mortale. Tales enim leges versari censentur in re graui, vt lex, quæ statuit ne matrimonia contrahantur inter consanguineos vsq; ad quartum gradum, quia præbet materiam necessariam ad matrimonium. Similiter lex, qua Episcopus, vel Papa reseruat sibi aliqua peccata, ita vt si contra fiat, sacramentalis pœnitentiæ sit nullum, obligat ad peccatum mortale. Secunda regula: Illæ leges quæ continent formale præceptum, scilicet, Præcipimus in virtute Spiritus sancti, aut obedientiæ, vel quę adiungunt pœnam excommunicationis, obligant ad mortale. Quia, nisi legislatores iudicassent, quòd præcipiunt vehementer expedire bono communi, nec ponerent pœnam excommunicationis, nec id præciperent in virtute Spiritus sancti. Et subditi, quandiu apertè non constat de iniustitia, aut leuitate legis tenentur stare iudicio suorum maiorum. Tertia regula: Quando fideles communi consensu existimant legem aliquam obligare ad mortale, etiam si forma præcepti nõ sit valde seuera, nec imponatur pœna grauis, obligat ad peccatum mortale, vt lex de ieiunio, & de abstinendo ab esu carnium feria sexta. Quanuis Caietanus infra. q.147. non attendens ad hunc communem consensum iudicauerit has leges de ieiunio, & delectu ciborum non obligare ad mortale. Cæterũ hæc sententia est falsissima. De legibus ciuilibus ferè eodem modo est iudicandum. Nam ex

1.Regula.

2. Regula.

3.Regula.

necessi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessitate reipublicæ, ex materiæ grauitate, & ex pœna imposita cognoscendum est, an obligent ad mortale, nec ne. Ex quo sequitur ptimò, quòd si tempore, quo respublica fame laborat, vel bellum imminet, feratur lex ne triticum, vel arma extra rempublicam deferantur, talis obligabit ad mortale: quia in his casibus res præceptæ maximè conducunt ad bonum commune. Sequitur secundo quod leges ciuiles, quæ aliquid statuunt circa materiã iustitiæ, quales sunt illæ, quæ taxant pretia rerum, maiori ex parte obligant ad mortale: quia hæc virtus est, qua maximè respublica conseruatur. Sequitur tertiò: leges ciuiles, quæ minantur pœnam capitis, aut exilij perpetui, semper obligare ad mortale. Seueritas enim ipsa pœnæ efficaciter suadet rem, quæ præcipitur esse valde conducentem ad bonum commune, reliquæ autem leges, quæ versantur circa materiam temperantiæ, quales sunt illæ, quæ præcipiunt quibus vestibus, vel cibis sit vtẽdum, vel circa materiam aliarum virtutum, maiori ex parte nõ obligant ad mortale: nisi fortè earum transgressio fiat ex cõtemptu. Tunc enim eas trãsgredi esset mortale; cum contemnere superiorem & eius mandatum res sit grauissima, & peccatum mortale.

Ad. 1. arg. factum pro parte negatiua.

¶Restat nunc, vt respondeamus ad argumenta in principio facta. Ad primum respondetur, distinguendo maiorem. Duplici ter enim dici potest, quòd aliquis ad culpã obliget. Vno modo, vt agens principale. Et hac ratione nullus potest ad culpam obligare, nisi solus Deus. Alio modo tanquã causa secundaria quæ innititur vi & efficacia primæ causæ. Et hoc modo homines suis legibus possunt obligare ad culpam, quatenus subsunt potestati diuinæ, vt diximus in tertia conclusione. Nec ex hoc aliquod sequitur inconueniens.

Ad. 2. arg.

¶Ad secundum respondetur concessa maiori, negando minorem. Nam præcepta parentum, & dominorum etiam obligant in foro conscientiæ, sicut & leges superiorum. Quod, vt explicemus, aduertendum est, quòd cum obligatio in foro conscientiæ in legibus, vel in præceptis inuenta, ortum habeat ex subiectione, quam quis habet ad superiorem, fit, vt ad cognoscendũ, vtrùm lex aliqua, vel præceptum obliget in conscientia, necne, necessarium sit attendere ad subiectionem, quam quis habet ad superiorem. Et cùm non omnes in omnibus, nec in eisdẽ æqualiter subijciantur, fit cõsequenter, vt leges, vel præcepta ab aliquo superiori posita nõ æqualiter, nec eodem modo omnes obligent, sed magis, aut minus pro maiori, aut minori subiectione habita ad superiorem in re, quæ præcipitur. Ex quo infertur, q̃ cum filij iure naturæ subdantur parentibus in dispensatione suarum facultatum, & in moderatione propriæ vitæ respectu virtutum, si filius sine licentia patris dispensat bona paterna, etiã si sit vnicus hæres, peccat mortaliter. Et similiter si pater præcipiat filio, vt abstineat ab aliquo consortio, tenetur id facere sub reatu peccati mortalis. Itẽ, quia vxor subditur quantum ad dispositionem rei domesticæ, & quantum ad ea, quæ circunstant actum coniugij, sub reatu peccati mortalis tenetur parere marito præcipiẽti, ne quid etiam sub prætextu eleemosynæ alteri tribuat. Quod intelligitur, dummodo vir non sit nimis durus. Tunc enim aliquid facultatis tribuendum erit vxori, vt patet exemplo Abigail. 1. Reg. cap. 25. Propter eandem causam tenetur etiam vxor parere viro in ijs, quæ pertinent ad ornatum. Et aliquando si vir præcipiat vxori, vt se domi contineat tenetur illi parere sub reatu culpæ mortalis. Item, quia serui subijciũtur dominis præcipuè in ijs, quæ sunt necessaria ad procurationem rei domesticæ; idcircò si dominus præcipiat seruo, vt emat triticum, vel vendat certo tempore, tenetur parere sub reatu peccati mortalis.

Ad. 3. arg.

¶Ad tertiũ argumentum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam ligare, aut soluere, vt sunt actus clauium pertinentes ad ecclesiam important remissionẽ, aut detentionem culpæ iudiciaria potestate. Quod facere nequeunt leges ciuiles, quibus obligent in foro conscientiæ, & inducant obligationem ad culpam mortalem. Inducere enim obligationem ad culpam, non est ligare, sed potius cõstituere aliquid in genere virtutis: ità, vt eius contrarium sit peccatum. Ad confirmationem respondetur, quòd quamuis potestas ciuilis non sit spiritualis, potest tamen obligare in foro cõscientiæ in quantum subest potestati diuinæ, & ab ea mota operatur.

Ad 4. arg. Difficultas

¶In quarto argumento tangitur difficultas, vtrùm leges humanæ obligent ad sui obseruantiam cum periculo mortis? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est quorundam asserentium, quòd lex humana nunquam potest obligare ad sui obseruantiam cum periculo mortis. Et ratio eorum est: Nam vnusquisque iure naturali tenetur propriam vitam conseruare: & ius positiuum non potest iuri naturali derogare. Altera sententia est in alio extremo, quæ asserit, quamcunq; legem humanam obligan-

obligantem ad culpam mortalem siue venialem, ex consequenti etiam obligare ad sui obseruantiam cũ periculo mortis. Hanc tenet Caietanus. 1. 2. q. 96. art. 4. Sed, vt hęc res breuiter absoluatur aduertendũ est primò, quòd in præsenti non quærimus, an pro vitanda morte sit admittenda culpa aliqua, vel mortalis, vel venialis. Nam certum est apud omnes, nullam esse admittendam pro quocunq; periculo vitando. Sed quod quærimus est, vtrùm superueniente periculo mortis, ità cesset legum humanarũ obligatio, vt sine aliqua culpa eas transgredi possimus. Secũdu est aduertendũ, q̃ periculi mortis dupliciter potest coniungi cũ obseruantia legum humanarum. Vno modo intrinsecè. Et est quando ex ipsis legibus, ità oritur periculum mortis, vt potuerit esse præuisum a legislatore. Vt quando dux hostibus ingruentibus imponit militibus præceptum, quòd ituruant. Alio modo accidentariè, & ab extrinseco. Vt quando quis mortem minatur alicui, nisi transgrediatur legem humanam. Quod adhuc potest fieri dupliciter; vno modo in contemptum legum; alio modo solum in odium personæ.

Nota. 1.

Nota. 2.

Nota. 3.

Tertiò est aduertendum, certum esse, quòd leges humanæ possunt obligare ad sui obseruantiam, etiam cum periculo vitæ. Nam cum homines non solùm quantum ad ea, quæ possident, sed etiam quantum ad se ipsos sint partes reipublicæ, fit, vt respublica possit eorum vitam periculo exponere pro conseruando, & tuendo bono publico. Vnumquodq; enim compositum iure naturæ potest exponere periculo partem pro conseruatione totius. Nec est verum dicere, vt dicebat prima opinio, quòd iure naturæ tenetur quisque seruare propriam vitam in omni casu. Nam illam periculo exponere, tum pro amico, tum pro republica honestissimum est. Præter quàm, quòd idẽ ius naturæ, quod præcipit conseruare propriam vitam concedit etiam vnicuiq; cum posito facultatem exponendi periculo partem pro conseruatione totius, vt modo dicebam. Sed est difficultas, vtrùm hac potestate, quam respublica habet obligandi ad obseruantiam suarum legum cum periculo mortis in omnibus legibus à se latis, ità vtatur, vt nullus possit etiam ob vitandũ mortis periculum illas licitè transgredi. ¶Ad cuius explicationem dico primò, quòd quotiescunq̃ periculum mortis coniungitur cum obseruantia legis intrinsecè, tunc lex humana obligat etiam cum periculo mortis. Nã si leges humanæ possunt obligare ad sui obseruantiam cum periculo mortis, & talis lex statuitur, ad cuius obseruantiam intrinsecè sequitur periculum mortis, manifestè sequitur, quòd legislator vult eum illo obligare; alioquin non conderet eam legem, ad quam vult intrinsecè sequi mortis periculum. Ex hoc infertur, quòd, si tẽpore, quo pestis viget, Episcopus præcipiat parochis, vt maneant in suis Ecclesijs, & sacramenta ministrent, vnusquisque tenetur parere. Item: Si tempore, quo hæretici grassantur Episcopus præcipiat visitatoribus, vt exerceant munus suum, tenentur id facere, etiam cum periculo mortis. Et similiter si dux ingruentibus hostibus det signũ militibus irruendi, tenentur id facere, etiam cum mortis periculo. Quia omnes istæ leges, atque præcepta sunt talis naturæ, vt ad eorum obseruantiam intrinsecè sequatur periculum mortis à legislatore præuisum.

¶Dico secundò, quòd, si periculum mortis imminet ab extrinseco, infertur tamen in odium & in contemptum legis, & religionis, potius est subeunda mors, quam exeunda vestis; cum tamen alioqui liceat monachis habitum deponere propter vitanda minora pericula. Item: Si Lutherani alicui fidelium mortem minarẽtur, nisi vesceretur carnibus in sexta feria, idque facerent in contemptum Ecclesiæ, potiùs esset moriendum, quã violanda lex. Cuius rei est optimum exemplum. 2. Mach. cap. 6. & 7. Huiusq; rei ratio est: Nam quoniescunq; bonum publicum, & commune periclitatur, singuli de ciuitate tenentur illud procurare, atque tueri, etiam cum periculo mortis: sed sic est, quòd in tempore, quo tyrannus in contemptum legis, vel religionis mortem minatur alicui non facienti contra legem, bonum commune, quod maximè legibus continetur, periclitatur: ergo potiùs est mortiendum, quàm violanda lex.

2. Dictum.

¶Dico tertiò, quòd in omnibus alijs casibus, leges humanæ non obligant ad sui obseruantiam cum periculo mortis. Et ratio est: Quia legislatores in ferendis legibus ità debent attendere ad bonum commune, vt tamen habeant rationem boni priuati: sed maximum bonum priuatum cuiuscunq; est vita: ergo ità debent eius rationem habere, vt non quacunq; ex causa illud in periculũ adducant. Ex quo infertur, leges de audiendis missis, de communicatione paschali, de recitandis horis, & reliquis huiusmodi non obligare ad sui obseruantiam cum periculo mortis. Ecclesia enim, quæ prudentissima

3. Dictum.

mater

Universidad de Deusto
Biblioteca

mater est, non vult in his rebus, cum tanto dispendio obligationem inducere. Quin potius addiderim, quod non solum leges humanæ non obligant ad sui obseruantiam cũ periculo mortis, imo nec plures ex diuinis & naturalibus. Quod ita esse constat: Nam lex naturalis est, quod subueniamus pauperi extremè indigenti: hæc tamen non obligat cum periculo mortis. Item: Lex diuina erat, quòd nullus comederet panes propositionis, nisi soli sacerdotes: & tamen Dauid vt habetur. 1. Reg. 21. in extrema necessitate constitutus de illis comedit, nec in ea re peccauit, vt dicitur Matth. cap. 12. Item: Li. 1. Machab. cap. 4. dicitur, quòd Mathatias pugnauit in die sabbathi, existimans, se non teneri cum tanto discrimine ad obseruantiam legis diuinæ, id prohibentis. Vnde ad exactam huius rei intelligentiam supposita illa celebri distinctione, qua dicitur, aliqua esse mala, quia prohibita, & alia prohibita, quia mala; dico, quòd quæ sunt prohibita, quia mala, id est, ea quæ sunt intrinsecè mala, vt fornicari, aut mentiri, nunquam licet facere, siue sint peccata mortalia, siue venialia, etiam ad vitandum mortis periculũ. Quia cum hæc sint intrinsecè mala nullatione possunt licitè fieri. Implicat enim ꝙ sit malum, & quod licitè fiat. Cæterum ea, quæ sunt mala, quia prohibita, licèt facere ad vitandum mortis periculum, siue diuina, siue humana lege præcipiatur. Nec Deus nec Ecclesia volunt suis legibus obligare cum tanto dispendio. Ex quo infertur, quòd cum tantum ea, quę præceptis negatiuis naturalibus prohibentur sint intrinsecè mala tantum huiusmodi leges, regulariter loquẽdo, obligant ad sui obseruantiam cum periculo mortis: Aliæ verò minimè, ex æquitate præcipientis, nisi in casibus exceptis in 1. & 2. dicto. Et per hoc patet solutio ad quartum argumentum, cuius occasione hęc dicta sunt.

Aliud dubiũ graue.

¶Supposito iam, quòd leges humanæ tã ciuiles, quàm canonicæ obligant ad sui obseruantiam in foro conscientiæ, est difficultas, vtrùm hoc sit commune omnibus legibus, vel potiùs ab hac obligatione excipiantur leges pœnales, de quibus peculiariter in isto articulo est sermo. Quæ quidem quæstio duplicem potest habere sensum. Primus est, vtrùm illæ leges, quæ aliquid vel præcipiunt, vel prohibent apposita pœna (has enim pœnales appellamus) ita obligent in conscientia, vt cõtrarium facientes peccẽt.

1. sensus quæstionis.

2. sensus quæstionis.

Secundus sensus est, vtrùm qui transgrediũtur legem pœnalem teneantur in conscientia pœnam persoluere. Et in vtroq; sensu est necessariò hæc quæstio tractanda, ad intelligentiam eorum quæ D. Thom. dicit in. 2. & 3. conclusionibus. Ad primum ergo sensum quæstionis deuenientes, dico, fuisse opinionem quorundam iuris prudentium, qui asseruerũt leges pœnales non obligare ad culpam, sed tantum ad pœnam. Huius sententiæ mentionem facit Syluest. verbo, inobedientia circa finem. Et probatur aliquibus argumentis. Primò sic: Plures leges sunt quæ imponunt pœnam irregularitatis contra transgressores, & tamen non obligant ad culpam: ergo leges pœnales non obligant ad culpam. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Nam iudex, qui occidit iustè malefactores, & similiter bigamus ex lege humana fiunt irregulares: hi tamen nullam culpam committunt. ¶Secundò: Qui aliquid præcipit apposita pœna virtualiter dat subditis optionem, vt eligãt quod maluerint, scilicet, vel facere quod præcipitur, vel subire pœnam: ergo poterit vnusquisque quoduis illorum eligere: atq; ex consequenti qui eligit pœnam subire, erit liber à culpa. Et confirmatur: Votum, vel iuramentum pœnale nõ obligat ad culpam: ergo nec lex pœnalis. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Nam qui iurat se non lusurum, vel si luserit daturum aliquam eleemosynam, vel ieiunaturum, si postea ludat non peccat, sed tantum tenetur soluere pœnam.

Disputatur dubium in primo seu-fu.

1. Argum.

2. Argum.

¶In hac difficultate, vt certa ab incertis separemus, dico primò certum esse, quod legislator potest efficere, vt leges vel præcepta à se imposita nullam obligationẽ inducant in conscientia, vt supra diximus. Potest enim leges condere, non setio imperãdo, sed tanquam consulendo, & proponendo rectas quasdam regulas, quales diximus contineri in constitutionibus monachorũ.

1. Certum.

¶Secundò etiam est certum, quòd si legislator aliquid seriò præcipiat non erit positũ in eius potestate efficere, quod tale præceptum non obliget in cõscientia. Quia eo ipso quod seriò aliquid præcipit, alij in conscientia tenentur ei parere. Itaque hæc certa sunt.

2. Certum.

¶Sed dubium est, vtrùm cum legislator statuit legem apposita pœna, ipsa sola appositio pœnæ sit sufficiens argumentum ad cognoscendum, quod in lege illa non contineatur verum imperium, sed quod legislator id statuit tanquam consilium, relinquẽs subditis liberam potestatem eligendi, vel facere quod in lege præcipitur, vel pœnã subire. Nam si ità est verisimum esset, quòd leges pœnales non sunt propriè leges, nec cõtinent

Pũctum dissicultatis.

tinent verum imperium, atq; ex consequenti nec obligant in conscientia ad culpam. Si autem ex appositã pœna id non colligitur, nulla erit causa, propter quam leges pœnales excipiamus à communi ratione aliarũ legum. ¶Ad huius rei explicationem suppositò, ꝙ pœna propriè loquendo dicit respectum ad culpam: Tum quia habuit ortum à culpa, iuxta illud Paul. ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors, nomine mortis intelligens omne genus pœnarum, vt omnes Doctores interpretantur: Tum etiam, quia pœna est tanquam medicina culpæ; Id enim, quod per culpam violatum est, & labefactatũ per pœnam reuocatur ad æqualitatẽ: sit

1. Conclus.

prima conclusio. Pœna apposita in lege, ex se & ex natura sua ostendit, quòd legislator habuit voluntatem imperandi, & condendi legem obligatoriam. Probatur: Nam, si pœna dicit ordinem ad culpam, vt modo dicebam; manifestè sequitur, quòd cum legislator statuit pœnam eo ipso ostendit se condidisse legem obligatoriam ad culpam. Loquimur enim in præsenti de pœna, non vt de illa loquuntur Philosophi appellantes pœnam quemcunq; cruciatum, quem quis patitur, vel à febre, vel ab alio quouis morbo afferente dolorem, sed iuridicè pro eo, quod est vltio & vindicta. Vindicare enim & vlcisci, & supplicium poscere, atq; adeò pœnam infligere, non nisi pro culpa licitũ est. Secundò: Si legislator simpliciter, & sine appositione pœnæ aliquid præciperet, omnes fatererentur, quòd tale præceptum est verè lex obligans in conscientia, & quod legislator habuit intentionem obligandi: ergo pari ratione, & quando pœnam statuit. Patet consequentia: Nam illa appositio pœnæ potiùs est signum, quòd legislator, non vtcunque vult fieri id, quod præcipit, sed quod vehementissimè vult: siquidem pœnã sumit de transgressoribus. Vltimò: In legibus pœnalibus ponuntur inæquales pœnæ: legislator autem id non faceret, nisi iudicasset in trãsgressione illarum legum inesse culpas inæquales, vt sic iuxta mensurã delicti esset, & plagarum modus, vt dicitur Deut. c. 25. ergo pœna apposita in lege ex se & ex sua natura, ostendit, quod ipsa obligat ad culpã. Quod & confirmari potest exẽplo illius primæ legis, quã Deus in statu innocentiæ primis nostris parentibus imposuit: in qua, quia eius præuaricatio tam longe grauissima erat, acerbissimam etiam pœnam comminatus est, dicens: In quacunque hora comederis morte morieris. Ex quo factum fuit, vt mors ac cæteræ calamitates & ærumnæ, quę si in puris essemus naturalibus conditi, non pœnæ, sed natura nobis essent, iam nunc ob culpam Adæ expoliantis nos originali iustitia, quæ ab his seruaremur incolumes, pœnæ dicuntur & sunt.

¶Secunda conclusio. Omnes leges etiam pœnales obligant in conscientia ad culpã, nisi contrariũ explicetur à legislatore: Hęc conclusio sequitur ex priori. Nam si pœna apposita non est argumentum, quod legislator noluerit obligare ad culpam, sed potius, quòd voluerit, vt diximus, manifestè sequitur, quod leges pœnales obligant ad culpã, nisi contrarium explicetur. Et ad primum argumentum in contrarium respondetur, quòd irregularitas in iudice, aut bigamo nõ est pœna: Quamuis enim arceantur à sacris ordinibus suscipiendis, id non est, vt pœna afficiantur, sed tantùm propter decentiam, & significationẽ. Vnde dico, quòd irregularitas est duplex. Vna, quę incurritur ratione delicti; vt quando excõmunicatus celebrat, vel suscipit sacros ordines. Et hæc est vera pœna. Altera, quæ imponitur propter decẽtiam, & significationem, vt in iudice & bigamo. Et hæc non est propriè pœna, vt omnes concedunt. Ex quo infertur, quòd quãdo in bulla Cruciatæ datur facultas absoluendi à quacunq; censura ecclesiastica, non intelligitur de irregularitate imposita propter decẽtiam, aut significationem; quoniã hæc nõ est propriè pœna, aut cẽsura: sed tã tũ de ea, quæ cõtrahitur ex delicto. De hac re videndus, est Soto in. 4. d. 27. q. 3. art. 1.

2. Conclus.

Ad. 1. Arg.

¶Ad secũdũ respõdetur, negãdo, ꝙ in lege pœnali legislator liberũ faciat subditis eligere quod voluerint, scilicet, facere quod præcipitur, vel subire pœnã. Sed tãtũ vult, ꝙ singuli legi obediãt. Et, vt efficacius moueat eorum animos ad id faciendum adiungit pœnæ metum. Sicut & Dominus Exod. 21. & Leuit. 20. legibus à se latis, quas certum est obligasse in conscientia, grauissimas pœnas apposuit, vt sic saltim pœnæ metu inducerentur subditi ad faciendum, vel non faciendum id, quod in foro conscientiæ ex lege naturæ facere, vel non facere tenebãtur. Qui maledixerit (inquit) patri suo, aut matri, morte moriatur. Si mœchatus fuerit quis cum vxore alterius morte moriatur, &c. Et tamen certum est, quòd tam maledicens patri, quam mœchans cum vxore alterius grauissimam incurrebant culpam, à qua ex positione pœnæ non excusabantur. Ad confirmationem respondetur, quòd iuramentum, vel votum pœnale potest fieri dupliciter. Vno modo sub disiunctione: vt siquis voueat se

Ad. 2. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non lusurum, vel si luserit ieiunaturum. Et qui hoc modo vouet, vel iurat, si posteà luserit, non erit reus voti, vel iuramenti: sed tantum tenebitur ieiunare; quia id solū est, quod iurauit. Alio modo potest fieri votū absolutè de aliqua re. Tamen posteà iurās, vt voti, vel iuramenti sit memor, imponit sibi aliquam pœnam, si iuramentum fregerit, subeundam. Et tunc votum illud, vel iuramentum pœnale obligat in conscientia. Et huius rationis sunt omnes leges pœnales, quæ absolutè aliquid, vel prohibēt, vel præcipiunt.

2. sensus quæstionis.

¶ Sequitur, vt dicamus de quæstione in secundo sensu; vtrùm, scilicet, leges pœnales obligent transgressores in conscientia ad subeundas pœnas. Quæ adhuc potest dupliciter intelligi. Vno modo, vt sit sensus; vtrū transgressores legum pœnalium teneantur in conscientia pœnam subire, cum à iudice fuerint condemnati. Alio modo, vtrùm ante iudicis condemnationē teneantur ad pœnam subeundam. Et quidem de quæstione primo modo intellecta facilis est determinatio. Nam certum est, quòd transgressores legum pœnalium post iudicis condemnationem; tenentur in conscientia pœnam subire; hoc est, tenentur non resistere iudici, aut ministris pœnam inferentibus. Et ratio est: Nam cum iudex, atque ministri iustè eas pœnas inferant, si subditi non tenerentur in conscientia illas perpeti, daretur bellum iustum ex vtraque parte, quod est impossibile, vt diximus in 1. tom. q. 40. Cæterùm, quoniam plures pœnæ sunt, quæ nō solum in passione, sed etiam in actione consistunt; dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm, quemadmodum post iudicis condemnationem tenentur transgressores legum pœnalium perpeti pœnam, ita etiam teneantur eam sibi propria actione inferre. Pro cuius declaratione est aduertendum, quòd pœnæ sunt in multiplici differentia. Quædā enim sunt, quæ sine vlla prorsus actione inferuntur: sed consistunt in sola passione. Quales sunt excommunicatio, & irregularitas. Et de his non est sermo in præsenti disputatione. Aliæ pœnæ sunt, quæ cōstant partim ex actione, & partim ex passione, vt pœna capitis, & pœna exilij, &c. Sed actiones, quæ immiscentur huiusmodi pœnis adhuc sunt duplices. Quædam enim sunt talis naturæ, vt à nemine possint commodè exerceri, nisi ab eo, qui pœnam patitur: vt actio, quæ inuenitur in pœna exilij, & in pœna pecuniaria. Aliæ autem sunt, quæ vel à iudice, vel à ministris multò commodius possant exerceri, quam ab eo, qui pœnam patitur.

Pœnæ sunt in multiplici differentia.

Qualis est actio, quæ inuenitur in pœna suspendij, aut capitis.

1. Dictum.

¶ Hoc constituto dico primò, quòd transgressor legis pœnalis post iudicis condemnationem tenetur in conscientia exercere eas actiones, quæ sunt necessariæ ad pœnā subeundam, & ab alio, nisi ab ipso commode exerceri non possunt. Itaq; debet nocēs post iudicis condemnationem progredi in locum, quo pœna est afficiendus, & similiter debet soluere pecuniam, qua mulctatus est, & ascendere scalam, si fuerit suspendendus. Probatur: Talis tenetur non resistere iudici, aut ministris pœnam inferentibus; sed qui ea, quæ ad pœnam subeundam necessaria sunt, & ab alio, nisi ab ipso commode fieri non possunt, recusaret, illis resistere: ergo peccaret: atq; ex consequenti tenetur omnia illa facere.

2. Dictum.

¶ Dico secundò, q transgressor legis pœnalis post iudicis condemnationē non tenetur exercere eas actiones, quæ commodius à ministris, quam ab ipso fieri possunt, quamuis sint necessariæ ad pœnam subeundam. Itaque non tenetur nodum colo aptare, nec gladium in iugulū mittere, aut sibi manus quoquo modo inferre. Et ratio est: Nā, cùm huiusmodi actiones ab alio commodius, quàm ab ipso nocente possint exerceri, & ad eas illum obligare sit inhumanum, non videtur dicendū, quod eas exercere teneatur.

Quæstio.

¶ Et si quis quæ rat, vtrùm, si quis iustè à iudice damnaretur ad bibendum poculum lethale, talis teneatur, & possit illud licitè bibere; non obstante sententia aliquorum, partem negatiuam tenentium, quia dicunt, illud esse sibi mortem inferre, quod est intrinsecè malū, respō deo oppositū esse lōgè probabilius, atq; verius. Et probatur primò: Bibere de se non est actio lethalis, quanuis bibere venenum lethale sit: sicut nec progredi in locum ex se est actio lethalis, quanuis progredi in locum neci destinatum lethale sit: ergo sicut nocens post iudicis condemnationem tenetur, & potest hoc secundum facere: ita etiam & primum. Secundò: Illa pœna nequit executioni mandari sine ista actione, quæ ab alio, nisi ab ipso exerceri nō potest: ergo tenetur eam exercere. De hac re plura erunt dicenda infra. q. 69. art. vlt.

Responsio.

An transgressores legum pœnalium, ante iudicis condemnationem teneā tur pœnam subire.

¶ De quæstione alio modo intellecta, sci licet, vtrū transgressores legū pœnaliū ante iudicis condēnationē teneātur in cōsciētia pœnā subire, maior est difficultas. Sed quoniā illam latè disputauimus in 1. tom. q. 11. art. 4. idcirco ab ea in præsenti supersedebimus. Et solùm dicemus illa, quæ ad intelligentiam D. Thomæ fuerint necessaria,

suppositō

supposito prius, quòd non loquimur de illis legibus, quæ decernunt pœnas non latas, sed ferendas. Nam de his nulla est dubitatio, quòd earum transgressores non tenentur pœnam subire ante iudicis condemnationem: sed de illis, quæ ipso iure inferunt pœnas, quales sunt illæ in quibus istæ particulæ ponuntur, ipso facto, ipso iure, vel quid simile. Nam cùm leges pœnales sint odiosissimæ, & sic iuxta regulam iuris in meliorem partem interpretandæ, quotiescunque prælatus præcipit aliquid sub aliqua pœna siue excommunicationis, siue priuationis, siue pecuniæ soluendæ, semper est intelligendus loqui de pœna seu excommunicatione per iudicem ferenda, nisi in ipsa lege, aut præcepto dicatur, transgressores illius ipso iure, aut ipso facto, aut nulla iudicis expectata sententia, pœnas incurrere. Itaque est dubitatio, vtrùm transgressores illarum legum, quæ inferunt pœnas ipso iure incurrendas, teneantur eas in conscientia subire ante iudicis condemnationem. De qua re est celebris opinio Cā-

Celebris opinio Cast.

stri in lib. de iusta hæreticorum punitione, cap. 6. & de lege pœnali. lib. 2. cap. 8. & 9. Qui vniuersaliter dicit de omnibus legibus pœnalibus pœnam ipso iure inferentibus, quòd obligant transgressores in conscientia ad soluendam pœnam nulla iudicis sententia expectata. Ex quo infert, quòd hæreticus statim ac incidit in crimen hæresis tenetur in conscientia tradere fisco bona sua, quorum domino ipso iure priuatur per cap. secundum leges. de hæreticis, lib. 6. Eādem sententiam tenent quam plurimi ex Canonistis: quos refert Cordoua lib. 1. quæstione. 36. Contrariam sententiam tenent

Sententia D. Thom.

D. Thom. atque Caietanus in isto articulo. Sed pro breui resolutione huius difficultatis, supposito quòd ex pœnis, quæ legibus ipso iure imponuntur, quædam sunt, quæ in mera priuatione consistunt, vt excommunicatio & irregularitas, aliæ autem sunt, quæ requirunt aliquam actionem passioni adiunctam, siue actio sit ex illis, quæ commodius fiunt à nocente, siue ex illis, quæ fiunt commodius à iudice, vel à ministris, dico primò, quod trāsgressores legum pœnalium ante iudicis condemnationem incurrunt eas pœnas, quæ in sola priuatione consistunt. Itaque si iudex ecclesiasticus præcipit aliquid sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vel ipso facto incurrendæ, quicunque illam transgreditur ante iudicis condemnationem erit excommunicatus. Et idem est de irregularitate, suspensione, & priuatione vocis, tam actiuæ,

1. Dictum.

quam passiuæ. Et ratio huius est, vt dicit Caietanus in isto articulo. Quia cum huiusmodi pœnæ in mera priuatione consistant, ità, vt ad eas inferendas nulla actio requiratur ex parte delinquentis, potest ecclesia eas inferre cum sola notitia criminis, quam habet transgressor. ¶ Dico secundò, quòd trāsgressores legum pœnalium non tenentur in conscientia ante iudicis condemnationem subire eas pœnas, quæ in actione & passione consistunt. Probatur: Leges, quia mortuæ sunt, egent iudice, atque ministro, qui eas executioni mandet, seuerè animaduertens, quoscunque transgressores quantum ipsæ leges patiuntur: sed nullus potest in causa propria esse seuerus, ac rectus iudex: ergo nullus ad legem pœnalem in se exequendam est rectus minister: atque ex consequenti nullus obligabitur ad subeundam pœnam ante iudicis condemnationem. Et confirmatur: Nam est ab omni humanitate alienum, quod qui in occulto crimen commisit seipsum condemnet ad iacturam bonorum, vel ad pœnam exilij, aut mortis, & quod seipsum perdat futurus iudex, reus, ac cusator, & testis in causa propria. Ex quo fit, vt leges pœnales quantum ad diuersas partes, quas continent ad aduersos etiā sint intelligendæ, quod loquantur. Nam in eo, quòd præcipiunt, ne quis faciat hoc, aut illud subditos alloquuntur. In eo autē, quòd pœnam confiscationis bonorum, aut exilij apponunt ad iudices tantum, per quos simiiles pœnæ veniunt executioni mandandæ, dirigunt sermonem. Ex eo enim Aristot. 5. Ethic. iudicem ad actum appellat: quia ipsius munus est lege agere contra reos.

2. Dictum.

¶ Sed est difficultas, vtrùm reus, qui negat veritatem in iudicio, quam fateri tenebatur, propter quod liberatur à pœna, teneatur in conscientia illam persoluere, ac si esset de ea condemnatus. Dixi notanter, si tenebatur fateri veritatem. Nam si non tenebatur, certum est, nullam esse obligationem. Et pro parte affirmatiua sunt quam maxima argumenta. Primò, iste homo per iniustitiam impedit executionem pœnæ, ad quam fiscus habet ius: ergo tenetur illam restituere. Probo consequentiam: Nam qui per iniustitiam impedit ius, aut lucrum alterius, manifestè obligatur ad restitutionem. ¶ Secundò sic argumentor: *Iste* per iniustitiam negat veritatem, ex quo sequitur, quòd non soluat pœnas: ergo per iniustitiam non soluit illas; atque ex consequenti tenetur ad restitutionem. ¶ Tertiò: Si iudex non damnaret istum malefactorem ad pœnam lege

Dubium.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

statutam; si tabellio conficeret sententiam falsam; si testes dicerent falsum testimonium, si aduocatus patrocinaretur, vt à pœna liberaretur; vniuersi tenerẽtur ad restitutionẽ: ergo à fortiori obligatur ipse reus, qui per iniustitiam impedit pœnæ executionem.

4. Argum. ¶Quartò: Si iste non teneretur ad solutionẽ pœnæ, sequeretur dari bellum iustũ ex vtra que parte, quod nulla ratione est dicendũ. Nam reus poterit tueri bona sua secundũ istam opinionem; & ex alia parte, si fiscus cognosceret istum negasse veritatem, cõtra iustitiam posset eius bona occupare; quod esset bellum iustum. ¶Vltimò: Qui occultat, aut negat veritatem in solutione tributorum, continuò obligatur restituere: ergo simili ratione obligabitur ad restitutionẽ qui negauerit veritatem in executione pœnæ. In contrarium tamen est consuetudo, qua constat neminem soluere istas pœnas, licet multi in iudicio veritatem negent.

Vlt. Arg.

Reus in iudicio veritatem negans multis est iniurius.

¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, q reus iniustè in iudicio veritatem negans multis est iniurius; iudici, cui obedientiam negat debitam; accusatori, quem infamat; soctjs criminis, qui maiorem fortè coguntur pœnam subire, quam si dixisset veritatem. Et tandem est iniurius fisco, cui pœna est applicanda. Et quidem certum est, q iudici tenetur de dãno dato, si propter hoc perdidit bonũ nomen, aut priuatus fuit officio, vel aliquid aliud incommodum subijt. Et idẽ iudiciũ est de accusatore, si propter hoc aliquas fecit expensas, aut fuit infamatus, vel q pœnam talionis subiret, fuit compulsus. Atq; adeò idẽ iudiciũ erit, si ex negatione veritatis fuisset cõdemnatus innocens, aut socij maiorẽ pœnã subissent. Omnium enim istorum est vna & eadem ratio, scilicet, q est causa iniusta omnium istorũ detrimentorũ, & sic tenentur ad omniũ illorũ restitutionẽ. Cæterũ de pœnis mihi videtur dicendũ, quod negans iniustè veritatem non tenetur illas soluere ante iudicis condemnationẽ; & q satis est ad rigorem legis, q pœnas soluat, quando à iudice ad id fuerit compulsus. Probatur: Nemo tenetur soluere pœnas, nisi condemnatus, vt diximus in superioribus: sed in nostro proposito reus non est condemnatus: ergo non tenetur illas soluere. Secundò: Potissima ratio, qua demõstratur, neminẽ esse obligatum ad soluendam pœnam ante iudicis condemnationẽ est, quoniam aduersatur iuri naturali, quod idem homo sit agens, & accusator, & proditor sui ipsius: sed hæc ratio non minus habet locum in eo, qui iniustè veritatem in iudicio negauit, si compellitur ad soluendas pœnas; siquidem futurus erit accusator & proditor sui ipsius: ergo non est dicendum, quòd tenetur illas soluere. Vltimò: Ex oppositis sententia sequuntur quam maxima incõuenientia. Nã primò sequitur, quòd qui contra veritatẽ negant in iudicio se lusisse, tenentur soluere pœnas pronuntiatas contra ludentes. Secundò sequitur, quòd clericus negans in iudicio crimen, propter quod sacerdotio erat priuandus, tenetur continuo beneficium resignare, ante iudicis condemnationem. Sequitur tertiò, quòd si reus, qui negauit veritatem esset damnãdus pœna perpetui exilij, aut carceris, teneretur in conscientia ire in exilium, aut se perpetuo carceri mancipare, antequam à iudice cogeretur. Hæc autem nullo modo sunt dicenda: ergo. Nec illud argumentum est validum: Iste per iniustitiam negat veritatem, ex quo sequitur, quòd non soluat pœnas: ergo per iniustitiã detinet pœnas. Sicut non valet: Malefactor per iniustitiam infert violentiã custodi carceris, ex quo sequitur quod non soluit pœnas: ergo per iniustitiam non soluit pœnas. Nam, licèt iste non habeat ius ad inferendam violentiam custodi carceris; iure tamẽ naturali est sibi cõcessa fuga: qua subsequuta, iure etiam potest non soluere pœnas. Et eodẽ modo dico in nostro proposito, quòd licèt reus non habeat ius ad negandam veritatem iniustè; iure tamen naturæ est sibi concessum, vt non soluat pœnas ante iudicis condemnationem, ne simul sit actor, & reus in propria causa. Et per hoc patet solutio ad primum & secundum argumentũ.

Ad. 1. & 2. Argum.

Sed est aduertendum, quòd postquam reus est iam condemnatus ad iacturam bonorũ suorum, vt condemnantur hæretici, in conscientia tenentur nullam illorum partem occultare. Alioqui erunt habẽdi fures, qui rem alienam accipiunt inuito domino rationabiliter. Post factam enim cõdemnationem iam illa bona sunt fisci, à quo sine domini voluntate iustè auferri non possunt.

Negans iniustè veritatem non tenetur pœnas soluere

¶Ad tertium argumentum respondetur, cõcesso antecedenti negãdo consequentiã. Iudex enim ex officio tenetur dicere ius, & tribuere, atq; applicare pœnas fisco. Quod, ni si fecerit tenetur ad restitutionẽ nõ in pœnã delicti, sed, quia dãnum intulit fisco, nec suum officium fecit. Et idẽ iudiciũ est de tabellione, aduocato, & testibus. Cæterùm reus, quanuis peccet negando veritatẽ, vtitur tamen iure suo, non soluendo pœnam quousque condemnetur. Nullus enim obligatur, esse minister iustitiæ, & sibi pœnam inferre. Ex quo infero, posse aliquando cõtingere

Ad. 3. arg.

tingere, quòd causa principalis non teneatur ad restitutionem: & tamen causæ minus principales, & adiuuantes teneantur, vt patet in nostro casu. ¶Ad quartum dico, q reus ante iudicis condemnationem habet bellum iustum ex parte sua. Potest enim detinere & tueri bona propria: & si fiscus ea vsurparet ante iudicis condemnationẽ, peccaret mortaliter, teneturq; ad restitutionem. ¶Ad quintum similiter respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam soluere tributum non est pœna, sed debitum, vt infra dicemus.

Ad. 4. arg.

Ad vltim.

Corollariũ pro transgressoribus legis de frumento non vẽdendo vltra taxatũ pretium.

¶Ex dictis infertur, quòd si quis transgrediatur legem de frumento, qua nequis vltra taxatum pretium sub certa & determinata pœna triticum vendat, sancitur, non tenetur illam subire ante iudicis condemnationem, quanuis teneatur statim restituere id, quod vltra taxatũ pretium accepit. Hoc enim non ad pœnam, sed ad materiam iustitiæ pertinet. Et oportet quàm maximè Theologum esse attentum ad discernendũ id, quod in lege pertinet ad materiam iustitiæ, & id, quod ad pœnã spectat. Illud enim statim ante iudicis cõdemnationem est reddendum; & hoc non, nisi post factam condemnationem. Itaque, si sit lex, quæ præcipiat, vt tritici modius quatuordecim argenteis vendatur, & qui contrarium fecerit soluat quinquaginta, qui vendit carius tenetur cõtinuò restituere excessum iusti pretij: ob id, scilicet, quia accipit plusquam ex iustitia debet habere. Cæterùm ad pœnam non tenetur, nisi condemnatione præcedente. Et idem iudicium est de tabellionibus, qui statim restituere tenentur, quidquid vltra taxatum pretium acceperint, vtpotè, quod pertinet ad materiam iustitiæ, non tamen pœnam pro simili transgressione impositã, sicut nec ille, qui traijcit pecunias aut merces ab vno regno in alterum, non obstante quod lex hoc sub grauissimis pœnis prohibeat. ¶Sed de traiectoribus horum bonorũ possumus meritò dubitare, vtrùm dato, quòd non teneantur pœnam soluere ante iudicis condemnationem, an saltim peccẽt mortaliter tales prohibitas merces deferẽtes. Bartholomæus de Medina Salmanticen sis. 1.2.q.106.art. 4. absolutè tenet partem affirmatiuam. Sed ego ad propositam difficultatem sub distinctione respondeo. Nam vel illæ leges factæ sunt ad bonum commune regni, ne, scilicet, regnũ rebus sibi necessarijs careat, aut in proprium commodum eius, qui præest. Qualis videtur esse illa quę prohibet, ne sal extrinsecus afferatur, aut illæ, quibus in regnorum confinibus, quæ ei

Dubium de deferentibus merces prohibitas.

Sententia Autoris.

dem principi subijciuntur, mercium extractores, & commercia prohibentur, non tam in ipsorum regnorum commodum, quàm in proprium quæstum. Et quidem, si leges sint prioris ordinis, certum est, quòd obligant in conscientia magis, vel minus pro ratione boni communis, quod ex ipsis resultat, vt in superioribus diximus. Ex quo fit, quòd si tempore, quo respublica fame laborat, vel bellum imminet, contra præceptũ legis, triticum, vel arma extra rempublicã deferantur, deferens peccabit mortaliter, quia in his casibus res præceptæ maximè conducent ad bonum commune. Cæterũ, si leges sint secundi ordinis, ordinatæ, scilicet, in proprium quæstum, & in proprium commodum, tantùm abest, vt obligent ad mortale, quòd illarum transgressores nullã culpam committunt. Lex enim, quæ ad bonum commune non ordinatur, non est lex, vt optimè docet D. Tho. 1.2.q.90.art.2. & sic nec obligationem inducit. Huius sententiæ videtur esse Magister Soto lib. 4. de iustitia & iure. q. 6. art. 4. quanuis ipse in publicas leges oblatrare nolle dicat. Fuerunt nonnulli ex iuris prudentibus, inter quos præcipuus est Dec. cõsil. 252. & 269. qui dixerũt Reges & Imperatores de plenitudine suæ potestatis posse à suis subditis rerũ dominium auferre, & ex consequenti condere leges, quibus singulorum bona ad proprios vsus conuertant. Quorum præcipuum fundamentum desumitur ex illo. 1. Reg. cap. 8. vbi populo Iudæorum regem petenti dixit Samuel: Hoc erit ius Regis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, agros quoq; vestros, & vineas, & olueta optima tollet, & dabit seruis suis; sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit; seruos etiã vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet; vosque eritis ei serui, &c. Ex quo loco videtur colligi Deũ tribuisse Regi facultatẽ conuertendi in proprios cõmoda omnia subditorum bona agros & filios, &c. Et tandem redigendi illos in seruitutẽ. Et confirmatur ex illo Luc. 22. Reges gentium dominãtur eorũ, inter vos autem non sic. Ex quo loco sic cõligo argumentum: Christus ibi constituit discrimen inter secularem potestatem, & ecclesiasticã, & dicit ad regiam potestatẽ pertinere, bona subditorum in proprios vsus cõuertere, quod ecclesiasticæ potestati nõ licet: ergo Reges seculares id possunt efficere. Iteꝝ: Bona & corpora eorũ, qui in bello victi sunt, iure gentiũ sunt victoris; ità q victor potest illa in quẽcunq; vsum cõuertere: sed Reges bello sibi subiecerũt prouincias: ergo ita sunt domi

Sententia iurisprudẽtum.

Fundamentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni bonorum; & corporum subditorum, vt possint illa in proprios vsus conuertere.

Reges non sunt domini bonorũ subditorũ.

¶His tamen non obstantibus, dico, quòd asserere Reges ità esse dominos bonorum subditorum, vt possint sibi ea assumere, quãdo libuerit, est falsum, & temerarium, & scandalosum, excogitatumq; ad alendam tyrannidem. Nolumus negare, quòd priuatorum bona sint reipublicæ, cùm id postulat publica necessitas. Nam certum est, quòd quemadmodum pars ordinatur ad totum, & natura exponit periculo partem pro cõseruatione totius, ità etiam priuati ordinantur ad rempũblicam, & debent pro salute publica sua bona conferre, quòd nisi fecerint poterit princeps eos ad id compellere. Sed quod negamus est singulorum bona ità esse regis, vt possit illa assumere, & conuertere in vsus sibi vtiles quãdo voluerit. Probatur primò, ex illo Deut. cap. 17. vbi positis pluribus ad formam viuendi pertinenti bus, quam Reges obseruare debent, tandem in fine capitis dicitur. Nec eleuetur cor eius in superbia super fratres suos, nec declinet in partem dexteram, aut sinistram. In quo testimonio primo est aduertendum, quod subditi appellantur fratres Regis, & non serui, vt hac ratione significetur ad Regem pertinere subditorum commoda, vt fratrũ procurare, non autem illorum bona, velut seruorum in propriam vtilitatem conuertere. Deinde etiam cum dicitur, quod Rex nõ debet declinare ad dexteram, aut sinistram phrasi Hebraica præcipitur, vt teneat æquitatis certum iter, nec alicui suorum ciuium noceat, vt communiter exponũt Doctores: ergo Reges non ità sunt domini subditorum, vt possint illorum bona in proprios vsus conuertere. Item Ezech. cap. 46. præcipit Deus principibus, vt nõ accipiant de hæreditate populi per violentiam, nec de possessione eorum, sed de possessione sua hæreditatem dent filijs suis. Inuehiturq; in pastores, & principes eò quòd subditorum bonis pro sua libidine vterentur dicens cap. 34. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini, &c. Pluraque alia subdit, quibus apertè docet officium principis esse subditorũ bona procurare, atque tueri, non autem illorum bona in proprios vsus cõuertere. Itẽ 3. Reg. c. 21. Elias ex persona Domini minatur mortem Achaz & Iezabel, eo quòd Naboth agrum paternum eis dare recusantem interfecerunt, & bona eius inuaserunt: Sed si Reges essent Domini bonorum subditorũ Naboth iniustè agrum denegasset; & ex consequenti iustè esset à Regibus interfectus: Cuius tamen contrarium constat ex ipso textu; ergo Reges nullum talem dominiũ habent. Item ratione idem probatur: Hac vna re potissimum distinguitur à tyrannide regia potestas, quòd hæc habet pro fine commodum subditorum; illa verò propriã vtilitatem: sed si Reges haberent potestatẽ, quã Deus cõcedit, finis illius esset propria vtilitas, & non subditorum felicitas: ergo non esset regia potestas, sed tyrannis illa, quã reges exercent. Item natura, aeq; ratio magis intendunt bonum cõmune, quam priuatũ: ergo ea tantum ratione approbatur à natura regia potestas, & vnius dominatio in quã tum ordinatur ad bonũ commune; atq; ex consequenti ratio docet regiam vtilitatem referendam esse ad bonũ cõmune, & non è contra. Praterea: Si reges verè sunt Reges, omnem suam potestatẽ habent à republica, cũ non natura, sed populi consensu tacito, vel expresso factũ sit, vt vnus omnibus præsit: sed ratio naturalis dictat, quòd nullus populus & nulla respublica dederit Regibus plenam potestatem, atq; dominium in bona subditorum: ergo Reges illã non habent. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Nam quęcunq; respublica sui commodi gratia Regem constituit, vt, scilicet, Rex singulos ciues ab iniuria tuerentur, efficeretq; beatos, atq; fœlices, non autem propter principis vtilitatẽ, nec vt eos bonis priuaret. Et confirmatur hoc præcipuè de Regibus Hispaniæ. Nã, vt ex historia constat, eo tempore, quo Mauri totam fere Hispaniam occuparunt, extincta Gothorũ nobilitate, pauci ex ijs, qui remanserunt, detulerunt principatũ Pelagio, non vt omniũ esset dominus, sed, vt cõmuni consilio, atq; viribus Mauros debellaret, & amissam patriam recuperaret: ergo Reges non habent maiorem potestatem in subditos. Tandem hoc ipsum probatur ex l. vlt. C. si cõtra ius, vel vtilitatem publicã. Vbi Iustinianus præcipit iudicibus, ne legem aliquam à se latã, vel pragmaticã in disceptatione cuiuslibet litigij patiãtur proferri, si aduersam vtilitati publicæ esse constiterit: ergo intelligebat Imperator, quod sibi ob nullam causam licet violare iura publica, atq; ex consequenti spoliare ciues bonis suis, cũ nulla re magis violetur ius commune. Idem etiã intelligebat Iulianus Imperator. Et sic in quadã sua Epistola dicit, suum munus esse non cõplurima ex subditis colligere, sed complurimum eis prodesse. Tandem hoc ipsum probatur ex iuramento, quod solici erant præstare Reges Hispaniæ antequam principatum

Quod rex non sit dominus bonorum subditorũ probatur multipliciter.

tum acciperent, vt constat ex Concil. Toletano. 8. cap. 10. vbi dicitur, quòd nulli Regum liceat principatum subire, nisi prius iurent, quod erũt actibus iudices, & vita modesti, in prouisionibus rerũ parci, & quod nulla vi ac factione scripturarum, vel diffinitionum contractus à subditis, vel exigãt, vel exigendos intendant; & quod erunt in conquisitis rebus nõ perspectantes proprij iura commodi, sed consulentes patriæ atq; genti. Ex quibus omnibus manifestè conuincitur, quam falsè, periculosè & scandalosè fuerit locutus Decius cum dixit, posse Reges, & Imperatores de plenitudine suæ potestatis à suis subditis rerum dominium auferre, & condere leges propriam tantum vtilitatem respicientes.

Ad fundamentũ Decij ex. 1. Reg.

¶Et ad fundamentum ipsius desumptum ex lib. 1. Reg. Respondetur, quòd in illo loco non ponuntur ea, quæ Rex iure potest facere, sed quæ per iniuriam interdum efficit, abusus sua potestate. Quæ omnia ità latè commemorauit Samuel, vt deterreret populum Hebræum contra suum morem antiquum Regem petentem; hacq; ratione desistere faceret ab incepto consilio, visis & cognitis malis, quæ euenire poterant ex eo, quòd postulabant. Ità exponit hunc locum

D. Hieron. D. Hieronymus super. 8. cap. Oseæ in illa verba; Ipsi regnauerunt & non ex me. Quẽ communiter sequũtur omnes sancti Patres, atq; Theologi, & Clemens lib. 1. recognitionum, &

D. Cypria. D. Cyprianus lib. 8. Epistolarum Epistola. 9. Ad aliud ex Luca respondetur, quòd ex illo loco potiùs damnatur ratio dominandi gentilium, quam approbatur. Nã Christus propterea vult vicarios suos longissimè recedere ab illa imperandi forma, quia iniqua est, & iniusta, & per tyrannidẽ introducta: cùm munus cuiuscunq; principis tam secularis, quàm ecclesiastici sit subditorum bona procurare, vt dictum est. Ad vltimum respondetur, concedendo, quòd Reges in eos, quos iusto bello vicerunt, & in eorum bona habent potestatem, vel plenam, si omnino eos superarunt, vel limitatam, iuxta positas conditiones, si eos acceperunt in deditionem. Nego tamen, quòd omnes Reges bello sibi subiecerunt prouincias, quin potiùs maiori ex parte facti sunt per electionem, & multitudinis beneplacitum. Præter quàm quòd etiam si Reges bello sibi subiecissent prouincias, non tamen ex hoc sequitur, quòd ipsi soli habent rerum dominium, cùm etiam milites, & subditi illi, quorum opibus, & viribus bellum gestum est, atque adeò ipsa respublica cuius nomine gestum est, in partem eius dominij venire debeant. Et sic constat quòd non omnium bonorum dominium habet Rex, sed tantum eorum, quæ sibi iure competunt. Hæc dixerim contra Decium, qui suo pessimo consilio totum reipublicę statum conatus est euertere contra communem Doctorum sententiam, & contra scripturæ, atque rationis autoritatem. Ex quo infero, nullam legem posse principes condere in propriam vtilitatem, quæ vim habeat obligandi in conscientia, quòd fuit à nobis in principio huius disputationis propositum, atque probatum.

Dubium graue de vectigalibus.

¶De tributis, atque vectigalibus est non leuis difficultas, an teneantur subditi illa soluere ante iudicis condemnationem, vel antequam ab exactoribus, quod illa soluãt fuerint requisiti. Enricus de Gãdauo quodlib. 3. quæstio. 22. & Angelus de Clauasio in summa. verbo. pedagium. quæstio. 1. partem tenent negatiuam. Et ratio illorum est: Nam existimant eas leges, quæ præcipiunt soluere tributa, aut vectigalia, esse pœnales, & nullus tenetur pœnam soluere ante iudicis condemnationem. Alia tamen est cõmunis sententia Theologorum, & iurisconsultorum in cap. innouamus. extra de censibus. Qui dicũt teneri ciues, & subditos omnes iusta tributa & vectigalia soluere, etiã ante iudicis condemnationem: quod nisi fecerint, ad restitutionem erunt obligati. Hęc est sententia D. Thom. in Opusc. 20. de regimine principum lib. 1. cap. 12. & in eodẽ Opusculo lib. 3. cap. 5. & 11. & ad Rom. 13. lect. 1. Sed, vt hæc res perfectè intelligatur phra à nobis erunt dicenda, supponendo prius, tanquam certum, quod respublica, at que princeps eius autoritatem habens, potest imponere & exigere tributum à subditis, iustis & rationabilibus de causis. Cùm enim nullus militet suis stipendijs, vt dicit Paul. 1. ad Corinth. 9. & Rex militet pro populo tanquam custos pacis illius, manifestè sequitur, quòd poterit à republica, quam defendit iustum tributum petere. Et propter hoc dicebat Paul. ad Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributũ, & cui vectigal, vectigal. Et appellat tributum, debitum, vt hac ratione omnes intelligant, principem habere ius iustitiæ ad illud petendũ. Et paulò inferiùs. Ideò tributa pręstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes, &c. Quasi diceret: Quia Reges seruiũt Deo & populo, ideò tributa præstatis, hoc est, præstare debetis. Pro hoc etiã facit illud. 1. ad ad Cor. 9. Quis pascit gregẽ, & de lacte eius nõ edit, & Matt. 22. dixit Christus: Reddite ergo, quę sunt Cęsaris Cęsari, &c. &

Sententia communis.

Respublica atque Rex possunt exigere tributa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

loquebatur de pecunia tributi. Matth. etiã capit. 17. cùm exactores tributi peterent à Petro didragma, quæ fuit Christus, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum à filijs suis, an ab alienis? & respondit Petrus: Ab alienis, Liberi ergo sunt filij, dixit Christus: nec condenauit principes tributa exigentes: possunt ergo illud iustis ac rationabilibus de causis petere, & contrariũ dicere est aperta hæresis. Ex quo simili ter conuincitur, quòd principe petente tributum cum causa rationabili, subditi nec possint, nec debent illud negare, aut resiste re; alioqui daretur bellum iustum ex vtraque parte, quod est impossibile. Præterquã, quòd etiam testimonia, quæ dicunt principes posse tributa imponere, potiùs præcipiunt subditis vt illa soluant, vt patet ex ijs, quæ adduximus. Itaq; hoc certum est.

Subditi nõ debent negare tributum iustũ regi petẽti.

Pactus difficultatis.

¶ Sed cùm sint varia genera tributorum diuersis ex causis imposita, dubium est, vtrũ omnia illa sint iusta, atq; soluenda in foro conscientiæ ante iudicis condemnationẽ, vel antequam ab exactoribus petantur. Ad cuius rei explicationem est aduertendum primò quod ad hoc, vt gabellæ, vel tributa iusta sint tria ad minus requiruntur, scilicet, autoritas, causa & forma. Autoritatem illa imponendi habent Imperator, Papa, Cõcilium, Rex, & antiquissima consuetudo, de cuius initio nulla est memoria, vt declarat Inno. Papa in cap. super quibusdã. de verb. signific. Vbi habetur: Duximus declarandũ illa esse pedagia, guidagia, salinaria, interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranensis consilij largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cuius non extat memoria, introducta. Idem habetur in cap. innouamus. de censibus. Sed est aduertendum, quòd habet locum in hoc præscriptio iuxta communem Doctorum sententiam. Ex quo fit, vt multę ciuitates, aut populi, aut domini temporales iura principis in hac re præscripserint, vt possint nouas gabellas imponere, quod ius ex antiquissima consuetudine eas imponendi acquirere potuerunt. Secundum requisitum iusti tributi est causa, quæ est necessitas, vel vtilitas publica. Non enim talia imponenda sunt, ob principis seu domini priuatam vtilitatem, quandoquidem non populus propter Regem, sed Rex propter populum est institutus. Posset tamen tanta esse principis aut domini inopia, cui communes redditus non sufficerent, vt pro sua ipsius debita sustentatione subditis gabellam imponere esset licitum. Sed tunc hoc non tam in priuatam domini vtilitatẽ, quàm in totius regni, seu reipublicæ vtilitatem redundare est dicendum. Maximè si rex in eam inopiam incidit rem sui regni vtiliter agendo, bello, scilicet, pro regni defensione habito, aut alia simili de causa, quæ ad regni vtilitatem pertinet. Et est aduertendum, quòd non maiores gabellę sunt imponendæ, quàm causa, propter quam imponuntur exigit. Alioqui in ea parte, qua excedit, iniusta erit exactio ob causæ iustę defectum, & excessus veniet restituendus, vt habetur in cap. quia pleriq;. de immunita. ecclesia. Vbi extorta vltra quam causa exigit, restitui mandantur, & tantundem pauperibus reddi. Tertium requisitum iustorũ tributorum, est forma, vt scilicet, talia æqua licet secundum proportionem geometricã subditis imponantur, attenta singulorum facultate. Et his tribus conditionibus existentibus gabellæ, atque tributa erunt iusta. Alitera autem illarum deficiente, quòd etiam tributa sint iniusta erit necesse.

Tria requiruntur vt tributa sint iusta.

Non maiores gabellæ sunt imponendæ quã causa exigit.

¶ Est etiam tanquam primum principiũ ad tributorum iustitiam presupponendum, quod non imponantur personis reipublicæ exemptis, quales sunt ecclesiastici respectu tributorum laicorũ, iuxta illud Matth. 17. Liberi sunt filij, scilicet, à tributo, de quo ibi erat sermo. Vndé Genes. 47. dicitur de Ioseph, quòd fecit tributariam totam Ægyptum, vna excepta terra sacerdotalis. Hoc etiam disponunt multæ leges ciuiles relatæ in cap. generaliter. 18. quæst. 1. & leges particulares huius regni in noua Recopilatione lib. 9. titul. 18. leg. 6. & 7. Et in iure canonico etiam præcipitur sub excõmunicationis sententia, ne laici tributa imponant clericis, vel ab eis illa exigant, nisi fortè de licentia Papæ, vt patet ex cap. non minus. & ex cap. aduersus. de immunit. Eccles. & ex cap. nouerint. de sententia excommunicationis. & ex cap. quanquam. de censibus. in. 6. quæ excommunicatio reseruata est pontifici in Bulla Cœnæ Domini. Verum est tamen, quòd non gaudent his priuilegijs clerici minorum ordinum, qui beneficia actualiter non habuerint, nec alij clerici, quo ad illas res, quas emunt, aut vendunt ad mercaturam exercendam, vt patet ex legibus regni citatis, & ex alia noua lege nuper edita per Philippum. II. quæ habetur lib. 1. Recopilat. titulo. 4. leg. 2. quibus consonat lex. 6. & 7. Partita. 5. Vbi videndus est Gregorius Lopez, versiculo, Clerigo, & Nauarro in Manuali cap. 17. numero. 201. & Medina. C. de restitutione. quæstione. 15. qui latè disputat an hæc exemptio clericorum à tributis laicorũ

Tributa nõ debent imponi exemptis, quales sunt clerici.

fit

sit de iure diuino. Et concludit rectè, quòd non, licèt sit illi valde consona. Sunt etiã aliquæ res exemptæ à tributis, scilicet, illæ, quas quis emit, aut vendit pro vsu vitæ, & familiæ, vt patet ex lege parti, modo citata, & ex lege vnic. Codice de vectigalibus, vbi sub pœna capitis prohibetur, quod nullus de his rebus tributũ accipiat. Vnde Caietanus in summa. verbo. vectigal. & Ledesma in secunda, parte quarti, quæst. 18. art. 3. dubio. 10. vniuersaliter dicunt, iniustũ omnino esse, & nulla ratione ferendum tributum, quod supra his rebus fuerit impositũ. Imo Hostiensis dicit, quòd nulla consuetudo in contrarium aliquid valebit, quia erit irrationabilis. Cæterũ consuetudo totius ferè Christiani orbis tenet contrariũ. Nec videtur negandum, quòd ex causa vrgenti, & valde necessaria reipublicæ supra huiusmodi posit imponi tributum, vt bene Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 5. artic. 2. & Syluest. verbo. Gabella. 3. quæst. 5. cum alijs pluribus. Et ità de facto sæpe videmus poni tributũ, quod vulgò vocatur, sisa, circa carnes, vinum, pisces, &c. Et licet Castro de lege pœnali, lib. 1. cap. 5. censeat hoc tributum esse iniustum, quia per illud non plus soluit, qui plus habet, sed qui pluribus indiget, non tamen est damnandum, quia vix potest reperiri cõmodior via ad succurrendum publicis necessitatibus, vt rectè docet Medina loco citato.

Res exẽptæ à tributis.

Nominatributorum.

¶ Secundo notandum, quòd quanuis Summistæ ex iuris prudentibus innumera nomina tributorum multiplicent, vt refert Syluester in summa. verbo. Gabella; illis tamen omnibus cum suis interpretationibus omissis, dico, quòd Gabella aliquando soluitur de bonis ab homine possessis, idque iuxta subditorum facultatẽ, & dicitur collecta. Aliquando de bonis venditis, eamque soluit venditor, & dicitur vulgariter, alcauala. Aliquando de bonis emptis, & illam soluit emptor de rebus ad cibum, & potum pertinentibus, & dicitur, asisium. Aliquando de bonis, quæ per certum locum portãtur, seu vehuntur, & dicitur vectigal, seu guidagiũ, seu pedagium. Aliquando de bonis ex maci acquisitis, & dicitur theloneum. Aliquando de bonis inuentis, seu aliter conquisitis, quæ varias habent nuncupationes. De quibus omnibus certum est, quòd si iustè fuerint posita illa soluenda erunt in conscientia, secus autem si iniustè. Alius modus gabellæ solitus erat antiquitus solui, qui appellabatur, census, à censendo; ideo dictus, quia ad illum soluendum, quòd facultates recenserentur, erat necessarium, vt inde tributum pro vtiusciuisque substantia solueretur, vt notatur in leg. forma. ff. de censibus. Cæterùm nunc peculiariter census illa solam pensionem significat, quam subditi viritim pro capite Regi exhibent. Et est illa, de qua Iudæi Matth. 22. Christum sciscitabantur, quærentes, an esset licitum censum dari Cæsari, an non? Alia enim tributa, quæ principes pro defensione, & gubernatione reipublicæ imperabant, nihil tribuere recusabant, sed recusabant censum. Ideò quod hic subiectionem significabat, à qua se liberos, tanquam filios Abrahæ, profitebãtur, iuxta illud, quod dicebant Ioan. 8. Nos filij Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. Principes Christiani rarò, aut nunquam istum censum petunt ob id, quòd nec ad sumptus publicos, nec ad status conseruationem est necessarius. Et præterea; quia in principe illum exigente quandam imperandi elationem, & superfluam habẽdi pecunias cupiditatem significat, principes Christianos minimè decentem.

Quæ gabella dicatur census.

¶ His constitutis sit prima conclusio: Si aliquod tributum imponitur à Rege, quod cum causas habeat iustas, honestum quoque est, æquum, & tolerabile; tenẽtur subditi in conscientia illud soluere, esto non exigatur à publicano, si lex hoc præcipiat. Probatur: Leges obligant in foro conscientiæ, vt supra diximus, quantum ad id, quod præcipiunt, quanuis non quantum ad solutionẽ pœnæ ante iudicis condemnationem: sed illæ leges, quæ præcipiunt tributa soluere cũ conditionibus positis, sunt iustæ nec numerandæ inter pœnales quantum ad id, quod est, vt tributum soluatur: ergo obligant in conscientia, & tenentur subditi illas seruare. Secũdò. Debitores decimarum tenentur eas soluere clericis, esto non exigantur sola lege humana Ecclesiastica ad id obligante, quia iusta est, & in Ecclesia recepta; nec de hoc vnquam aliquis dubitauit: ergo pari ratione vectigalia iusta tenentur subditi soluere antequam exigantur, si lex illud intendit. Probo consequentiam: Nam non est minus iusta hæc lex, quam illa, cùm non minus debeatur principi condecens pensio, atque sustentatio, quàm Ecclesiasticis.

1. Cõclusio

¶ Secunda conclusio: Vbi est consuetudo, quòd vectigalia, seu gabellæ non soluantur, nisi petita, quicunque palam transit viarectã, cum suis mercibus, aut eas vendit sine fraude & dolo, nec aliquis apparet publicanus, qui ea exigat non tenetur ad restitutionem, esto prædicta tributa non soluat, sed si venerit quæstor, & quærit ab illo, an vendiderit, tenetur dicere verum, nec potest

2. Cõclusio

Universidad de Deusto
Biblioteca

test id celare. Probatur: Leges tributa, aut gabellas imponentes, quamuis ad eorum solutionem etiam antequam exigãtur posint obligare in conscientia, vt diximus in prima conclusione, consuetudo tamen potest legẽ interpretari, & veterem abrogare, & inducere nouam sine noua præceptione, vt autor est D.Thom.1.2.q.97.art.3. ergo ista cõsuetudo erit sufficiens ad hoc, vt nullus teneatur soluere gabellas, nisi petitas. Leges enim, quę quemadmodũ à principe instituũtur, ità etiam ab eodem interpretationem accipiunt, dupliciter possunt interpretari. Vno modo verbis illas declarando. Alio modo factis, in quantum publicis moribus, recepta consuetudo principe vidente, & consentiẽte, manifestè ostendit, volũtatem eius esse, quòd leges à se latæ tali, aut tali modo intelligãtur; Non quidem, vt iacent, sed, vt exequi permittũtur. Sed est aduertẽdũ, quòd ad hoc, vt cõsuetudo leges possit interpretari, duo requiruntur. Vnũ est, quòd cõsuetudo sit adeò recepta, vt neminẽ possit latere. Talis enim in iure proprie dicitur cõsuetudo, vt constat ex diuo Isidoro, & refertur in Decretis.d.1. Vnde quãuis aliquid à multis frequẽter obseruetur, occultè tamẽ, & ita vt probabile sit illud ad notitiã principis nõ peruenisse, talis cõsuetudo nõ poterit leges interpretari. Secũdum, quod requiritur, est, quod princeps formaliter, vel interpretatiue approbet eum modum seruandæ legis, quẽ consuetudo induxit. Quod quidem tunc erit, quando cognita consuetudine nõ puniret legis transgressores, etiam si in iudiciũ deferrẽtur. Nam quamuis princeps sciat suas leges non seruari, nec etiam puniat transgressores, nisi quãdo accusantur. Hæc indulgentia non erit sufficiens argumentum ad ostendendum, quod princeps eam consuetudinẽ approbet, vel formaliter, vel interpretatiue. Cum talis indulgẽtia oriri possit, vel ex negligentia principis, vel ex quadam animi lenitate, & non ex voluntate, quam habet talem consuetudinem approbandi. Ex quo infero primò, quòd consuetudo optimè interpretata est legem de ieiunio. Quamuis enim lex antiqua fuerit, vt semel tantum in die cibus sumeretur, idque post horam nonam, hoc est hora tertia post meridiẽ, consuetudine tamen iam introductum est, vt tempore serotino aliquid cibi sumatur & quòd in eisdem diebus cibum sumere possimus ante horam nonam: vnde id facere nullum erit peccatum. Infero secundo, quòd quamuis crebra consuetudine à tabellionibus, & stabularijs sit receptum exigere aliquid vltra pretium taxatum à republica, hæc tamen consuetudo non habet vim leges interpretandi; vnde in conscientia tenentur nihil amplius accipere. Et ratio est: Nam quamuis id frequentissimè fiat, principe vidente & consentiente, quia tamen quotiescunque aliqui huiusmodi transgressores deferuntur in iudicium puniuntur iuxta leges impositas, dicendum est quod princeps, nec formaliter nec interpretatiuè talem consuetudinẽ approbat, quod requiritur ac hoc, vt possit leges interpretari.

Quæ sint necessaria, vt consuetudo possit legẽ interpretari.

Cõsuetudo interpretata legẽ de ieiunio.

Nota pro tabellionibus.

¶Tertia conclusio: Omnes tenentur tributa, atque gabellas soluere (modò iusta sint) etiam antequam ab exactoribus exigantur, quod nisi fecerint restitutioni erũt obnoxij: Itaque non puto esse cõsuetudine receptum, quòd talia tributa maximè illud, quod vulgò dicitur, alcauala, nõ reddantur, nisi petita. Probatur: Contrarium facientes seuerè à iudicibus puniuntur. Et præterea: hæc consuetudo non soluendi tributa, nisi petantur plurimos latet: ergo non habet vim interpretandi leges: atq; ex consequenti erunt intelligendæ, vt iacent, obligabuntque in conscientia, etiam ante exactionem. Magist. Soto, lib.3. de iustitia & iure.q.6.ar.7. vbi pluribus nititur alcualæ gabellam honestare, iustamque ostendere, dicit hoc forsan moderamine esse vtendum, quod cum res venduntur, quæ nõ sunt grandis pretij, non tenentur venditores publicanos ad soluendũ quærere, sed satis erit soluere, dum ab illis petitur dummodo vẽditores nõ vtantur fraude, & dolo se occultent, quod etiam repetit lib.4.q.6.art.4. Sed huius dicti ego rationem non inuenio: nisi forte excusari dicantur ex paruitate materiæ. Sed hoc non est peculiare moderamen huius legis. Præterquam, quòd tantum potest esse nocumentum subsequutum ex illa patui pretij rerum venditione, vt ratione damni illati teneantur omnes ad restitutionem, ac si rem magni pretij vẽdidissent. Sicut dici solet de illis, qui singulos racemos accipientes totam vineam deuastarunt, ex quo grauissimum damnũ domino fuit subsequutum. Quapropter verum existimo, quòd nisi ex grauitate, & iniustitia tributi, excusentur subditi ab illius solutione ante exactionem, ex consuetudine excusari nõ poterunt. Et quando tributum est iniustũ, etiã si fraude & dolo, ab illius solutione liberẽtur, ad nullã erũt obligati restitutionẽ. ¶Si quis autem quærat, quid sit faciendũ quãdo est dubiũ de iustitia tribati, & sunt rationes probabiles pro vtraque parte, respondeo, quòd, si tributum fuerit antiquum, & longa consue-

3. Cõclusio

Sententia Sotι de solutione alcualæ.

Quæstio.

Solutio.

tudine receptum, non obstante hoc dubio erit in conscientia soluendum, vt docet Castro lib.1. de lege pœnali, cap.10. Et ratio est: Nam Rex est in possessione talis tributi exigendi, & in dubijs melior est conditio possidentis. Cæterum si tributum de nouo imponatur, & sit dubium de illius iustitia, non tenebuntur ciues in conscientia illud soluere. vt dicunt Gabriel in.4. distin. 15.quæst,5. artic.2. & Medina quæstio.13. propter eandem rationem. Nam tunc ciues sunt in possessione suarum rerum, & in dubijs melior est conditio possidentis. Et præterea: Quia noua tributa semper præsumũtur iniusta in iure, nisi constiterit de contrario, vt patet ex cap. quanquam de censibus in.6. Nec obstat illud axioma commune; In dubijs præsumendum est pro sententia, vel mandato superioris: quia hoc intelligitur, quando non agitur de interesse ipsius. Hinc sequitur, quòd quando tributum antiquum de nouo augetur, & est dubium an tale augmentum sit iustũ, non tenentur ciues, quo ad illud excessum, licet teneantur quo ad antiquum.

Sententia autoris.

Dubium de legibus venari, piscari & ligna scindere interdicitur.

¶Est aliud dubium huius articuli proprium, de legibus & statis, quibus scindere ligna, venari, atque piscari in certis locis, & temporibus interdicitur, an obligent in conscientia, ad incommodum ex tali venatione, aut piscatione, aut lignorum scissione subsequutum statim soluendum, & ad pœnam post latam iudicis sententiam. Ad cuius explicationem est aduertendum primò, quòd piscari, venari, & scindere ligna, aliquando interdicuntur iustè, & aliquando iniustè: iustè quidem, quando fit ex rationabili causa. Quæ potest esse triplex. Prima, quando hæc interdicũtur ob causam, & vtilitatem publicam, ne, scilicet, feræ, aut aues omnino pereant, sed illarũ suppetat copia. Et hac ratione iustè fuerunt positę leges interdicentes venationem, aut piscationem in illis temporalibus, in quibus tam feræ quàm pisces suos fœtus edunt. In multis etiam locis ob hanc eandem causam prohibetur scissio lignorum, ne, scilicet, syluæ, quæ maximè necessariæ sunt ad bonum commune, omnino pereant. Secundo, interdicuntur ista iustè ex causa, vt ità dicam, principali, vt, scilicet, Rex, aut princeps, aut Magnates, quæ sua studia in rempublicam inferunt, habeant aliquod solatium, quo proprios animos relaxent. Sed est aduertendum, quod loca ob hanc causam concessa, aut interdicta debent esse pauca, nec debent omnibus ea æqualiter licere. Plura enim licent principi, quam alijs, siue Ducibus, siue Comitibus, & pauciora viris ex classe inferiori. Tertia causa iustæ interdictionis est, proprietas: quia, scilicet, flumen, vel sylua, quæ interdicitur est propria interdicentis. Dominus enim vniuscuiusque fundi iustè potest interdicere, ne quis illum piscationis, aut venationis, aut scissionis lignorum gratia ingrediatur, vt habetur Instituta. de rerum diuisione. &. ff. eodem titulo. Iniustè vero interdicuntur hæc omnia, quotiescunque, sine aliqua ex supra dictis causis prohibentur. Itaque triplex tantum potest esse causa iustæ prohibitionis, scilicet, bonũ cõmune, recreatio Magnatum, & particularis proprietas.

Quando venari, piscari & ligna interdicantur iustè, & quãdo iniustè.

Loca in quibus piscatio vel venatio interdicitur possunt esse multiplicia.

¶Secundò, est aduertendum, quòd sylua, in qua ligna scindere, aut venationi intendere, interdicitur, & etiam flumen, in quo prohibetur piscatio, vel pertinet ad propriam rempublicam, vel ad alienam, vel ad priuatam personam. Rursus animalia, quæ capi prohibentur, aut sunt de genere quadrupedum, aut aues; & præterea, aut sunt feræ, aut mansuetæ, vel partim sunt feræ, & partim mansuetæ, vt columbæ. Et denique, aut illa animalia capiuntur intra ipsa loca, vel extra. Nam singula ex his peculiarem habent rationem. Tertiò, est aduertendum, quod quemadmodum ista possunt iustè & iniustè interdici; ità etiam & pœna, quæ transgressoribus imponitur interdũ potest esse æqua, & interdum iniqua. Æqua quidem erit, si fuerit pecuniaria, iniqua verò si fuerit corporalis. Nam, quia qui cædunt ligna in aliena sylua ex communi gentium consuetudine, non perinde habentur fures, ac si in aliena domum ingredientes, pecunias surripent, fit, vt ex eodem iure gentium non in corpore, sed in pecunijs luere debeant.

¶His constitutis sit prima cõclusio: Qui ligna cædunt, vel venantur, vel piscantur in alieno loco iustè prohibito, tenentur ad pœnam legis, sed non antequam sint comprehensi. Probatur: Nam lex nõ obligat ad pœnam ante iudicis condemnationem.

1. cõclusio.

¶Secunda conclusio: Qui ligna cædit in loco iustè prohibito, proprio tamen iure reipublicæ, male facit, & ob id tenebitur ad pœnam legis, quando fuerit conuictus: non tamen tenetur in conscientia aliquid restituere. Probatur: Iste nihil accipit de alieno, sed de ijs, quæ communia sunt: non est autem verosimile, quòd respublica voluerit eum obligare ad restitutionem, nisi in casu, quo faciat magnam stragem; tunc enim restitutioni erit obnoxius, vt cõmuniter dicunt Doctores: ergo.

2. cõclusio.

¶Tertia conclusio: Qui lignantur, venã-

3. Cõclusio

tur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur,aut piscātur nō in loco suæ reipublicæ, sed in alio ei proximo,aut vicino, cuius habitatores idem facere consueuerunt in loco suæ reipublicæ,non tenentur ad restitutionem earum rerum,quas acceperint.Probatur:Nam illa oppida vicina , quæ mutuò prædas agunt , tacito quodam consensu videntur sibi ea condonare, dummodo pœnā soluant,quando in præda capiuntur; aliudque dicere esset condemnare penè infinitos homines,qui vix abstinere possunt à similibus mutuis prædationibus,aut venationibus.

4.Cōclusio. ¶Quarta conclusio:Qui ligna cædunt in sylua prorsus aliena,proculque posita à finibus suæ reipublicæ,siue sit alicuius communitatis, siue alterius priuatæ personæ,tenētur in conscientia ante iudicis condemnationem ad restitutionem eius, quod acceperunt.Probatur:Nam acceperunt alienū inuito domino rationabiliter.

5.Cōclusio ¶Quinta conclusio: Qui piscantur , aut venantur in loco prorsus alieno , nisi is locus sit cinctus muris,nō tenetur ad restitutionem eius, quod acceperunt. Itaque non est idem iudicium de arboribus, quas terra fert,& de animalibus,quæ ipsa se alunt , ac subinde mutant locum. Et ratio est: Nam cum ille,cuius est sylua, non ità cēseatur dominus animalium,ac arborum,fit,vt non tām faciat iniuriam animalia accipiens,quā ta faceret scissor lignorum, & sic inæqualiter tenentur ad restitutionem. Dixi notanter dummodo locus non sit muratus. Nam qui piscatur in alterius piscina, aut venatur in agro muris cincto,non planè excusatur à restitutione rei acceptæ, cum pisces atq; feræ illic contentæ verè sint domino subiectę prope eodem modo,ac si essent cicures. Dixi prope eodem modo;nam non sunt planè cicures. Cuius rei signum est,quod,licet ea capere cum vagantur extra septum loci, quod non liceret , si essent planè cicures.

6. Cōclusio ¶Sexta conclusio: Feras aues,etiam in terris alterius muris cinctis accipere licet,nec qui accipiunt aliquam tenentur facere restitutionem. Probatur: Nam cùm istæ aues liberè vagentur nullo proprio loco contineri dicuntur.

7.Cōclusio ¶Septima conclusio:Qui aues partim feras,& partim cicures , quales sunt columbæ acceperit intra terminos à lege præscriptos ad restitutionem tenetur: si autem eas acceperit extra terminos,nihil tenetur restituere.Et ratio est: Nam intra terminum à lege præscriptum habentur cicures,iuxta terminum autem habentur tāquam ferę. Ex quo fit,vt interdum qui illas occidit teneatur ad restitutionem, & interdum,non. Est tamē huic conclusioni moderatio adhibēda, scilicet, quòd qui habet sata intra terminum à lege præscriptum,si inuenerit columbas sata conculcātes poterit eas licitè capere,nec tenetur ad restitutionem. Vnicuique enim licitum est proprium damnum propulsare, quòd nisi captis columbis commode fieri non potest.

¶Sed contra istam conclusionem est argumentum: Qui erigunt huiusmodi columbaria peccant mortaliter,quia faciunt iniuriam ijs, qui habent agros circumcirca, quorum sata à columbis necesse est deuastari:ergo qui illas capit,siue intra terminum , siue extra non peccat;quin potius propulsat cōmunem iniuriam ; atque ex consequenti ad nullam tenetur restitutionem. ¶Pro solutione est aduertendum,quod Caietanus in summa.verbo.columbarium,affirmat,quòd qui statuunt columbaria in loco alijs perniciosa peccant mortaliter, propter rationem argumenti. Cæterum,quoniam legesid concedunt potius videtur distinguendum,scilicet, quòd dominus columbarij, aut suppeditat columbis sufficiens pabulum , aut secus. Si suppeditat,videtur posse erigere columbarium ex legum concessione;& qui huiusmodi hominis columbas caperet teneretur ad restitutionem: nam de hoc tantū loquitur nostra conclusio. Si autem nō suppeditat cibum, & ob id columbæ satis circunstantibus inferunt graue damnum, vnicuique erit licitum eas capere, sine obligatione restitutionis,vt recte probat argumētum. De hac re est videndus Syluester,verbo.restitutio.3.§.4.& Soto lib.4.de iustitia quæst.6.art.4.

Argumentum cōtra 7.cōclusio.

Responsio.

8.Cōclusio Octaua conclusio: Quando quis lignatur,venatur, aut piscatur in sylua,aut fluuio iniustè prohibito,nec tenetur aliquid restituere,nec pœnam soluere, etiam post iudicis condemnationem. Et ratio est: Nā cùm iste nullum peccatum contra iustitiā committat,quin potius iniustè supradicta prohibens contra illam faciat;manifestè sequitur,quòd nec ante,nec post iudicis cōdemnationem alicui erit obnoxius restitutioni.

Articvlvs. IIII.

¶Vtrùm aliquis debeat restituere quod non abstulit.

Ad Qvartvm sic proceditur. Videtur quòd aliquis debeat restituere,quod non abstulit. Ille enim qui damnū infert alicui, tenetur damnum remouere. Sed quando aliquis

quis damnificat aliquem vltra id quod accepit: puta,cum aliquis effodit semina:damnificat eum qui seminauit in tota messe futura. Et sic videtur quod teneatur ad eius restitutionem: ergo aliquis tenetur ad restitutionē eius quod non abstulit.

2 ¶Præterea. Ille qui detiner pecuniā creditoris vltra terminum præfixum: videtur eum damnificare in toto eo, quod lucrari de pecunia posset: quod tamen ipse non aufert: ergo videtur quòd aliquis teneatur restituere, quod non abstulit.

3 ¶Præterea, Iustitia humana deriuatur à iustitia diuina. Sed Deo debet aliquis restituere plus quàm accepit ab eo: secundum illud Matthæi. 25. Sciebas quod meto,vbi non semino:& cō grego vbi non sparsi:ergo iustum est,vt etiam restituat homini aliquid quod non accepit.

¶Sed Contra est, quod recompensatio ad iustitiam pertinet in quantum æqualitatem facit. Sed si aliquis restitueret quod non accepit, hoc non esset æquale: ergo talis restitutio non est iustum quod fiat.

¶Respondeo dicendum, quòd quicunque damnificat aliquem , videtur ei auferre id in quo ipsum damnificat.Damnum enim dicitur,ex eo quod aliquis minus habet quam debet habere, secundum Philosophum in quinto Ethicorum. * Et ideo homo tenetur ad restitutionem eius, in quo aliquem damnificauit. Sed aliquis damnificatur dupliciter. Vno modo quia auferetur ei quod actu habebat: & tale damnum est semper restituendum, secundum recompēsationem æqualis, puta, si aliquis damnificet aliquem diruens domum eius,teneturad tantum quātum valet domus. Alio modo si damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi. Et tale damnum non oportet recompensare ex æquo, quia minus est aliquid habere virtute quàm habere actu. Quia autem est in via adipiscendi aliquid , habet illud solum secundum virtutem , vel potentiam, & ideo si redderetur ei, vt haberet hoc in actu,restitueretur ei quod est ablatum non simplum sed multiplicatum: quod non est de necessitate restitutionis, vt dictum * est. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum & negotiorum.

Lib.5.c.4. tom.5.

Ar.præced.

¶Et per hoc patet responsio ad primum,& secundum. Nam ille qui semē sparsit in agro , nondum habet messem in actu, sed solum in virtute. Et similiter ille qui habet pecuniam , nondum habet lucrum in actu, sed solum in virtute:& vtrumque potest multipliciter impediri.

¶Ad tertium dicendum,quòd Deus nihil requirit ab homine, nisi bonum quod ipse in nobis seminauit. Et ideo verbum illud, vel intelligitur, secundū prauam existimationem serui pigri, qui existimauit se ab alio non accepisse:vel intelligitur quantū ad hoc, quòd Deus requirit à nobis fructus donorum qui sunt,& ab eo, & à nobis: quanuis ipsa dona à Deo sint sine nobis.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet Di. Thom. per tres propositiones.Prima conclusio: Vnusquisque tenetur damnum,quod alteri dedit restituere.Probatur: Damnum alteri dare, idem est, quod quidpiam ab ipso auferre : sed qui abstulit aliquid ab aliquo ex iustitia tenetur illud restituere: ergo,& qui damnum dedit. Consequentia cum minori est nota,& maior probatur ex Aristot.5.Ethicorum,cap.5.dicente,damnum quempiam accipere nihil aliud esse,quàm minus habere, quam habere debuit. Sed quoniam dupliciter potest contingere quod quis aliquid ab alio auferat, scilicet, vel auferendo id, quod ipse actu habebat, vel auferendo id, quod tantum erat in potentia,ponit D. Thom. alias duas conclusiones. Secunda conclusio: Quicumque alteri adimit quod ipse actu habebat,tenetur ad æqualitatem idem restituere. Hæc ex superioribus est manifestior , quàm quæ indigeat probatione. Tertia cōclusio: Quicunque alteri damnum dat in eo,quod non actu,sed solum in potentia habet, non tenetur illud ad æqualitatem restituere, ac si in actu

Universidad de Deusto
Biblioteca

actu habuisset, sed ad æqualitatem illius potentiæ, pensata prius propinquitate ad actū, & perpensis similiter personarum ac negotiorum conditionibus. Probatur: Id, quod nondum actu est, sed in via & in potentia, non tantum valet, ac si esset actu: ergo si sic ablatum reddendum esset, secundum valorem actus, non simplum, sed auctum restitueretur, ad quod nullus per iustitiam obligatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE materia huius articuli iam satis, abūdeque diximus articulo secundo huius quæstionis. Quocirca duabus primis cōclusionibus, vt notis prætermissis, tantum circa tertiam est difficultas, vtrūm vera sit. Et pro parte negatiua arguitur primò: Si ille, qui rem habet in spe, non vult eā tunc vendere, sed expectare pericula omnia vsq; ad actum ipsius, qui contra eius voluntatem illam diriperet, non solum teneretur restituere, quantum tunc valebat, sed quantū ad humanam apparentiam erat valitura: ergo conclusio D. Thom. est falsa. Consequētia est nota, & antecedens probatur: nam si Petrus, verbi gratia, haberet pullum equi valentem nunc decem aureos, promittente tamen in futurum se valiturum centum, & dictus Petrus vult suum equum alere seruareque in posterum, tunc qui illum occideret, non solum teneretur restituere decem, quos equus valet, sed etiam centum, quos in tempore futuro erat valiturus: ergo non tantum est restituendum quod valet res pē sata potentiæ propinquisate, sed qūta etiā actu in posterum valitura. ¶Secundò, Qui pecuniam creditoris detinet vltra prefixum tempus, non solum tenetur restituere eam pecuniam, sed etiam totum lucrum, quod creditor propter illam moram amisit: sed illud lucrum nondum erat in actu, sed tantum in potentia, atque virtute: ergo totum quod est in potentia est restituendum, sicut & illud quod est actu.

¶His tamen non obstantibus dico, quòd conclusio D. Thomæ, est vera, & ratio ad illam probandam adducta efficacissima: si tamen cum quadam limitatione intelligatur. Pro quo est aduertendum, quòd dupliciter potest aliquis alteri nocere in illis rebus, quas in potentia possidet, scilicet, casu & per inaduertentiam, aut dedita opera, per iniuriam domino inuito, atque renuente. Et quidem si damnum fiat primo modo, tunc deductis expensis, quas dominus facturus erat (illæ enim non sunt ei sublatæ, sed penes ipsum manent) considerāda sunt pericula ad arbitrium boni viri, vt restitutio fiat, iuxta id, quod D. Thom. dicit in tertia conclusione. Cæterum, si damnū fiat secundo modo deductis similiter expensis, longe maior erit restitutio facienda. Nā valor rei tunc pensandus erit, ac si res iam actu sit, aut paulò minus; nulla habita ratione periculorum, quæ vsque ad actū possunt interuenire. Et ratio est: Nam cum dominus illius rei, quæ est in potentia suo periculo (vt supponimus) tempus percipiendorum fructuum velit expectare, & ad id faciendum habeat ius, quo ipso inuito non potest iustè priuari, fit, vt dum ab inuito auferuntur huiusmodi fructus, non solum ex re, quam in potentia habebat, sed etiam iure præstolandi tempus fructus percipiendi spoliari dicatur, quæ duo æquiualent rei actu existenti, atque possessæ. Et in hoc casu non habet locum conclusio D. Thom. est que ille, in quo procedit primum argumentum ad quod ex dictis patet solutio. ¶Ad secundum argumentum respondet D. Tho. hic ad secundum, iuxta doctrinam positam in tertia conclusione, quod qui pecuniam, quam debet non soluit tempore à creditore præfixo, nō solū tenetur ipsam pecuniam reddere, sed etiā restituere damnum, quod ex illa negligentia creditori accreuit. Non quidem in integrū, quia lucrū non erat certum: sed ad arbitrium prudentis viri, pensatis prius quantitate pecuniæ, & negotiorū conditionibus, atque circūstantijs. Quæ sententia communiter ab omnibus recipitur. Ex quo infertur, quàm pessimè faciant nobiles, atque magnates, qui multis annis inuitis mercatoribus detinent pecuniam, qua multa alia bona lucrari possent. Vltra hoc enim quòd peccant id facientes tenentur ad restitutionem lucri cessantis, tanquam illi, qui huius nocumenti causa iniustè extiterunt, quam nisi faciant non erunt à confessoribus absoluendi.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco: Si mercator mutauit alicui mille aureos, hac conditione, vt mutuatarius illos redderet infra annum, mutuans autem intra id tempus incidit in notabile detrimentum ob id solū, quod non habuit suam pecuniam, an mutuatarius teneatur id damnum mercatori satisfacere. Et pro parte affirmatiua est argumentū: Nam ille, fuit causa illius dānitergo. Dico tamen, talem mutuatarium ad nullam restitutionem teneri ex debito iustitiæ. Tū, quia nullam iniuriam mutuanti intulit, cùm ipse volens per totum annum mutuauerit. Tum etiam, quia nec mutuatarius prædictū mutuum cum illo onere acciperet. Quocirca quod diximus inter respondēdum ad secundum

Dubiū circa tertiam conclusionem.
1. argumentum.
Ad. 1. arg.
Ad. 2. argumentū.
2. argumētum.
Conclusio D. Tho. vera.
Dubium.
Argumentum.
Conclusio.

cundum argumentum, nempe, quod debitor tenetur ad restitutionem illius, quod creditor ex defectu sitæ pecuniæ amisit, est intelligendum, quando tempus differtur vltra voluntatem creditoris, non autem quandiu ex voluntate vtriusque tempus solutionis durat. Tota enim ratio, propter quam ab illo, qui est in mora soluendi potest negotiator lucrum cessans exigere, non est ea precisè, quod pecunia negotiatoris in virtute plus valet, quam si non esset negotiationi expolita; sed hæc iuncta cum alia, nempe, quòd præter voluntatem ipsius mercatoris retinetur. Quare quandiu mercator sua sponte alienatam à se habet pecuniam, nullā ratione poterit lucrum cessans exigere. Sed de hoc infra dicemus in materia de vsu ris. q. 78. ¶Et si quis quærat, an qui accipit ab alio mutuò mille aureos soluendos infra annum, ex iusta tamen causa non soluit, nempe, quia non potuit, teneatur restituere damnum, quod creditor ex dilatione solutionis incurrit: Et quidem videtur pars affirmatiua vera: nam detinet is alterius pecuniam domino inuito. In contrarium tamen est, quòd nullus incurrit aliquam restitutionis obligationem sine culpa. Et certum est, quòd non soluens, quia aliud facere nō potest, nullam culpam committit. ¶Ad hubius tamen explicationem dico, dupliciter posse contingere, quod quis præfixo tempore non soluat. Vno modo, quia simpliciter non est soluendo, quia, scilicet, nec habet, nec potest habere, vnde soluat. Et qui ob illam causam decreto tempore non soluit, non tenetur ad restitutionem damni inde subsequuti. Contra rationem enim naturalem esset, quòd qui facit totū quod potest, vt seruet ea, ad quæ tenetur, ad aliquid aliud obligetur. Secundo modo potest vsu venire, quòd debens pecuniam præfixo tempore non reddat, non quia nō posset, sed quia non potest sine aliquo magno suo detrimēto. Vt, si, verbi gratia, non posset illam reddere, nisi domum, aut alia bona vendat, & tamen post tempus præfixum poterit soluere totum quod debet, sine illo damno. Et tunc certum est, quod tenetur de damno, quod sequitur creditori ob dilationem solutionis. Nullus enim debet seruare se indēnem cum nocumento alterius. Et sic, si vult retinere bona, soluat damnum, quod propter hoc infert alteri.

¶In solutione ad tertium adducit D. Thomæ illud testimoniū ex Matth. 25. Sciebas, quòd meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi? Quo videtur significari, quòd aliquid nos debemus reddere Deo præter id, quod accepimus. Eiusque constituit duas expositiones. Prima est, quòd verbum Christi intelligitur non secundum rei veritatem, sed secundum existimationem eius serui nequā, qui ex odio arbitrabatur Deum plus petere, quam seminarat. Cum tamen secundum fidem tota radix meritorum nostrorum sit gratia Dei. Ex quo fit, vt quidquid meriti illi offerimus ipse prius in nobis seminasse sit dicendus. Et quod hic sit legitimus sensus illius loci, colligi videtur ex eo, quod Christus dixit: Ex ore tuo te iudico, serue nequam. Quasi diceret: Non ex rei veritate, sed ex tua falsa existimatione, qua credis, Deum petere quod non seminauit, arguo te inertiæ, atque negligentiæ. &c. Secunda expositio est, quòd Deus dicitur petere aliquid à nobis præter gratiam quam confert, quia exigit nostrum assensum, quo ab illo moueri sinamus, vsumque gratiæ, quo ipsa augeatur. Cæterum, quoniam Deus ipse est, qui mouet nos ad assentiendum vltra hoc, quod fruges meritorum nostrorum in nobis seminat per gratiā, sincerior, atque textui conformior apparet prima interpretatio, nec hæc secunda omnino sequenda. Caietanus. Caietanus super istum locum Matthæi dicit, quòd Deus secundum proprietatem sermonis, & secundum veritatem, dicitur, metere, vbi non seminauit, & colligere vbi nō sparsit, dum ex malis, quanuis grauibus, quę homines committunt bona aliqua elicit. Mala quidem, quę nos facimus quasi quædam semina nostra sunt, quæ nos male operantes seminauimus, & non Deus, qui non culpæ, sed virtutis est autor. Vt ipse Israelem per quendam prophetā docens ait: Audi Israel, ex me adiutorium tuum; perditio autem tua ex te. Cum ergo ex malis nostris bona elicit, metit, vbi non seminarat. Quod & Moyses Deuter. 32. significare voluisse videtur, cùm de Deo loquens ait: Suggeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nomine petræ, eo quod sterilis illa sit & ponderosa, peccatum non immerito significari potest: mel autem, quia dulce est bonū quodlibet designat. Tunc ergo Deus mel de petra suggerit, quando ex malis, quæ cōmittimus maiora elicit bona. Tam immensa est enim diuinæ bonitatis fœcunditas, vt non solum ex bonis bona, sed ex malis, quæ illo permittente plurima subinde fieri contingit, bona semper elicere velit. Quinimò Deus, cuius rerum est summa potestas, vt Aū- D. Augustini verbis vtar, cum summè bonus sit, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis. Nisi vsque adeò esset omnipotens, vt bene faceret etiam de malo. Nō quidem

Quæstio.
Responsio sub distinctione.
Explicatur illud Matth. meto vbi non semino.
Caietanus.
D. Augustinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem, quia malis ipsis virtutem, & potestatē ad bonum aliquod producendum Deus tribuerit: nam hoc sentire summæ dementiæ esset: cùm veritas dicat, Matth. 7. Arbor mala nō potest bonos fructus facere: sed quia illa, quæ ex se facere nequeunt, Deus pro sua immensa bonitate ex eis occasione accepta elicit, bona, scilicet, faciendo, quæ, nisi mala præcessissent non fuisset facturus. Mala quidem fuit primi hominis inobedientia, & diuini præcepti transgressio. Sed hæc Deo autore in maximum cessit bonum, cum ad hominis redemptionem; qui propter peccatum à dæmone captiuus tenebatur, Deus homo fieri, & pro hominibus mori dignatus est. Nulla etiam lingua, nullusque intellectus capere sufficit, quale quantumque peccatum commiserint, qui agnum innocentissimum Dei, scilicet, & hominis filium tam crudeliter, & tam turpiter interfecerunt. Sed hanc cædem, quæ grauissimo Iudæorum scelere commissa est, Deus in nostram, hoc est, totius humani generis vtilitatem conuertit: cùm per illius mortem omnium delicta condonauerit, omnibusque regni cælestis introitum patefecerit. Quæ omnia nisi Christi morte intercedente nullus assequi potuisset, iuxta illud Pauli ad Hebr. 9. Sine sanguinis effusione nō fit remissio, nec sine sanguine sacerdos in secundum intrabat tabernaculum. Et ideò Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta, vt omnibus in posterum patentem accessum relinqueret. Itaque nullum à quouis homine malum committitur, quod Deus pro sua erga nos immensa pietate non vertat in aliquam, aut illius, qui commisit, aut aliorum vtilitatem. Plurimum autem interest inter eos, qui mala committunt. Nam si is, qui malum facit, ferreum habet cor, & intractabile, malum illius, Deus in aliorum iustorum, qui secundū propositum vocati sunt sancti, vertit vtilitatem. Si autem aliquem ex electorum numero peccare contingat, etiam hoc ipsum peccatum Deus pro sua pietate illi facit prodesse in bonum, dum ex perpetrato scelere humilitatem illum, atque cautelam docet, vt cautior, scilicet, viuat atque diligentior in sui custodia præstet. Et propter hoc dicebat Paulus Roman. 8. Diligentibus Deū omnia cooperantur in bonum. Omnia, inquit, siue bona siue mala sint. Nam electis Dei in bonum etiam cooperantur mala, dum ex ipsis humiliores, & doctiores reddūtur. Quod vice versa contingit peccatoribus, quos ex bono etiam opere interdum superbire, ac detrimentum pati videmus. Et idcirco dicebat Sapiens Ecclesiast. 42. Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Viri nomine iustus & fortis significatur, mulier vero infirmam, & fragilem mentem figurat. Contingit autem sæpe sæpius, quòd vir fortis in peccatum labatur, & homo peccator ac debilis bene operetur. Sed hoc inter vtrumque interest; quòd peccator ex bono opere superbit, & sic grauius læditur; vir autem fortis & iustus ex eo, quòd se male egisse cognoscit, humiliatur, & cautius viuit, ac inde ad maiorem iustitiā surgit. Quia ergo magis proficit iustus ex vnius peccati ruina, quàm homo peccator, ex aliquo opere bono, conuenienter dicit Sapiens meliorem esse iniquitatem viri quam mulierem benefacientem. Plura alia adduci poterant ad hoc propositum ex illo Esaiæ: Dicite iusto, quoniam bene. Vbi omnis boni plenitudo iustis hominibus promittitur. Et ex illo Psalm. 1. Folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet semper prosperabuntur. In cuius loci interpretationem dictum videtur quod ex D. Paulo, ad Rom. 8. adduximus. Sed quoniam non concionatoris, sed interpretis D. Thomę munus suscepimus, ab illis supersedemus. Et hæc dicta sint de toto isto articulo.

Articvlvs. V.

¶ Vtrùm oporteat semper restitutionem facere ei, à quo acceptum est aliquid.

4. dist. 15. q. 1. a. 5. q. 4. & opus. 67. & 73. 6. 17. et. 18.

Ad Qvintvm sic proceditur. Videtur, quòd non oporteat semper restitutionem facere ei, à quo acceptum est aliquid. Nulli enim debemus nocere. Sed aliquando esset in nocumentū hominis si redderetur quod ab eo acceptum est, vel etiam in nocumentum aliorum, puta, si aliquis redderet gladium depositum furioso: ergo non semper est restituendum ei, à quo acceptum est.

2 ¶ Præterea, Ille qui illicitè aliquid dedit non meretur illud recuperare. Sed quandoque aliquis illicite dat quod alius etiam illicite accepit, sicut apparet in dante & recipiente aliquid simoniace: ergo non semper restituendū est ei, à quo acceptum est.

3 ¶ Præterea, Nullus tenetur ad impossibile. Sed quandoque est impossibile restituere ei, à quo acceptū est, vel quia

quia est mortuus, vel quia nimis distat, vel quia est ignotus: ergo non semper faciēda est restitutio ei, à quo acceptum est.

4 ¶ Præterea, Magis debet homo recōpensare ei, à quo maius beneficiū accepit. Sed ab alijs personis homo plus accepit beneficij, quam ab illo qui mutuauit, vel deposuit, sicut à parētibus: ergo magis subueniendum est quandoq; alicui personæ alteri, quàm restituēdū ei, à quo acceptum est.

5 ¶ Præterea, Vanum est restituere illud quod ad manum restituentis per restitutionem peruenit. Sed si prælatus in iustè aliquid ecclesiæ subtraxit, & ei restituat, ad manus eius deueniet: quia ipse est rerum ecclesiæ conseruator: ergo non debet restituere ecclesiæ à qua ablatum est.

¶ Sed Contra est, quod dicitur, Roman. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal vectigal.

¶ Respondeo dicendum, quòd per restitutionē fit reductio ad æqualitatem commutatiuæ iustitiæ, quæ consistit in rerum adæquatione, sicut dictū * est. Huiusmodi autem rerum adæquatio fieri non posset, nisi ei, qui minus habet quàm quod suum est, suppleretur quod deest. Et ad hanc supplerionē faciēdam, necesse est, vt ei fiat restitutio, à quo acceptum est.

Art. 2. huius. q. & q. 58. ar. 10.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod quando res restituenda apparet esse grauiter nociua ei, cui restitutio facienda est, vel alteri: non ei debet tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad vtilitatem eius, cui restituitur. Omnia enim quæ possidentur, sub ratione vtilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet rem alienam, sibi appropriare, sed vel reseruare, vt congruo tēpore restituat, vel etiam alibi tradere tutius cōseruandam.

¶ Ad secundum dicendum, quòd aliquis dupliciter aliquid dat illicitè. Vno modo quia ipsa datio est illicita, & contra legem, sicut patet in eo qui simoniacè aliquid dedit. Et talis meretur amittere quod dedit. Vnde nō debet ei restitutio fieri de his. Et quia etiā ille qui accepit, contra legem accepit, non debet retinere, sed debet in pios vsus conuertere. Alio modo aliquis illicitè dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita: sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Vnde & mulier potest sibi retinere quod ei datum est. Sed si superfluè ad fraudem, vel dolum extorsisset, tenetur eidem restituere.

¶ Ad tertium dicendum, quòd si ille cui debet fieri restitutio sit omnino ignotus, debet homo restituere secundū quod potest, scilicet, dando in eleemosynas pro salute ipsius, siue sit mortuus, siue sit viuus: præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ei⁹, cui est restitutio facienda. Si vero sit mortuus ille, cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi eius, qui computatur quasi vna persona cum ipso. Si vero ille sit multum distans, debet sibi transmitti quod ei debetur, & præcipuè si sit res magni valoris, & possit commodè trāsmitti. Alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, vt pro eo cōseruetur, & domino significari.

¶ Ad quartum dicendum, quòd aliquis de hoc quod est sibi proprium, debet magis satisfacere parētibus, vel his à quibus accepit maiora beneficia. Nō autem debet aliquis recompensare benefactori de alieno. Quod cōtingeret, si quod debet vni, alteri restitueret: nisi fortè in casu extremæ necessitatis, in quo posset, & deberet alicui etiā auferre aliena, vt patri subueniret.

¶ Ad quintum dicendum, quòd prælatus potest rē ecclesiæ surripere tripliciter. Vno modo, si rem ecclesiæ non sibi deputatam, sed alteri, sibi vsurparet, puta, si Episcopus vsurparet sibi rē capituli. Et tunc planū est quòd debet restituere, ponēdo in manus eorum, ad quos de iure pertinet. Alio modo, si rem Ecclesiæ suæ custodiæ deputatam

Universidad de Deusto
Biblioteca

in alterius dominium transferat, puta, consanguinei, vel amici. Et tunc debet restituere Ecclesiæ, & sub sua cura habere, vt ad successorem perueniat. Tertio modo potest prælatus surripere rem Ecclesiæ solo animo, dum, scilicet, incœpit habere animum possidendi eam vt suam, & non nomine Ecclesiæ: & tunc debet restituere, talē animum deponendo.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Thomas, vnica conclusione vniuersali, quæ talis est: Necessarium vbique, & semper est, ei facere restitutionem, à quo res sublata est. Probatur: Restitutio est actus commutatiuæ iustitiæ, per quam inter personas, quæ inæqualia habent, æqualitas constituitur. sed hæc rerum adęquatio legitime constitui non potest, nisi eidem ipsi reddas, quod ei abstulisti; si quidem ille est, qui propter tuam ablationem minus habet: ergo semper vero domino debet fieri restitutio. Eandem etiam conclusionem probat in argumento, sed contra, ex illo Pauli ad Roman. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, & cui vectigal, vectigal.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVæstio huius articuli præcipua est in materia restitutionis, & ad quam plerique Doctorum, conclusionum multitudine respondent. Propterea, quod in illa vnica generalis regula tradi non potest. Aliquā do enim res suo Domino est restituenda: aliquando præhabenti, etiam si sua non fuerit: aliquando Ecclesiæ: aliquando pauperibus: aliquando fisco, aut cameræ apostolicę: prout iure talia bona huic, vel illi fuerint applicata. Cæterum quoniam maiori ex parte illi, à quo res fuit ablata, restitutio est facienda, vt patet de restitutione spoliatorum per totum, & ex cap. re integranda. 3. q. 1. ab solutè D. Tho. in hoc articulo posuit conclusionem, qua dicit restitutionem ei faciēdam esse, à quo res est sublata. Cui ex sententia Caietani hic tanquam limitatio pro ratione, fuit adiunctum ne ille, scilicet, à quo res est accepta, habeat minus iusto. Quo datur intelligi, quòd qui accipit aliquid ab eo, qui non erat verus dominus, vt qui accipit à latrone, vel à filio familias, vel à monacho non illi, à quo accipit, cum iste non habeat minus iusto, sed vero domino restituere tenetur.

Generalis regula.

Res restituēde sunt in duplici differētia.

¶Cæterum, vt hæc res melius intelligatur aduertendum est, quod res restituendę sunt in duplici differentia. Quædā enim sunt sine possidentis voluntate sublatæ: aliæ vero ab ipso possidente datę. Et quidē de rebus sine possidētis voluntate sublatis, supposito, quòd is, qui rē ablatā habet, eā retinere non potest. Dico primò, quòd si is, qui pra habebat furtiuē, aut per vim, aut per notoriā iniustitiam eam tenebat, non illi, qui ius ad rē habere dignoscitur, est restituēda. Itaque, si quis rē ab eo, qui non erat verus dominus sustulit, vt pote à latrone, nō ei, sed domino, cui ipse surripuerat est reddēda. Et ratio est: nam cū fur nullū ius ad illā rē habeat, nulla ei fit iniuria, si sibi nō restituatur. Nec obstat quod dicitur in cap. in literis. de restitutione spoliatorū, scilicet, q. prædo secundū iura est primò restituēdus in casu, quo quis accepit rē ab eo possessam. Nā hoc nō procedit de prædone notorio, cū certū sit huiusmodi prædones potiūs esse suspendendos, quā in possessione illarū rerū, quas iniustē possidēt constituēdos, vt notat glossa in dicto illo cap. Sed procedit de illo prædone, de quo dubitatur, an iustè possideat, nec ne. Hic enim, interim quòd nō cōstat ad quē res ipsa pertineat in foro contētioso, restituē d' venit, sed nō in cōsciētia, si certū sit prædonē rē illā per rapinā obtinuisse. Dico. 2. q. si res, quæ retineri non potest, fuerat ei, à quo sublata est, vel cōmodata, vel locata, vel impignorata, vel administratione tradita, tūc illi, cui subtracta est, venit restituēda, etiā si nō sit verus illius dominus. Itaq; si quis accepit iniustē rē aliquā ab eo, qui illā cōmodatam, aut locatā, aut alio quouis iusto titulo possidebat, tenetur illā restituere nō vero dño, sed ei, à quo accepit. Et ratio est: Nam, cū iste bona fide rē illā possideat, ac honesto titulo retineat, ad ipsaq; vtendū ius habeat, vnde & in iudicio potest eā repetere, fit, vt nō vero dño, sed sibi sit restituenda, etiā si rē illā vltra tēpus accōmodationis, aut locationis possideat, ad ipsū enim ꝓprie pertinet de re illa rationē suo dño reddere.

¶Et si quis quærat, an si is, qui accepit ab aliquo rem non suā iusto tamē titulo possedisset, restituit eam vero domino, teneatur ali quam facere satisfactionē ei, à quo accepit, respondeo sub distinctione. Nam, vel ex eo, quod illa res redditur vero domino, is, qui eam antea possidebat, afficitur detrimento aut non. Si nō afficitur, nihil est illi restituē dum, cū obligatio restitutionis ex illato detrimēto oriatur. Si autē afficitur detrimēto necessariū erit id damnū per restitutionē re cōpensare, cū sit per iniustitiā, atq; iniuriam datū. Dico tertiò, quòd, si is, cui aliquid subtractū est, erat verus dñs, liberā suarū rerum ad

Quæstio.

Responsio.

administrationē habens, ei, & non alteri; est restitutio facienda. Et in hoc casu procedit conclusio posita à D. Tho. in isto articulo. Nec obstat, quòd bona defuncti restituūtur hæredi, & quæ ignoto debētur, restituūtur pauperibus. Nam hæredes personā defuncti gerunt. Ex quo fit, vt, quòd eis confertur, defuncto etiā dari dicatur. Et quod restituitur pauperibus, similiter redditur domino, cum pauperes per se nullum acquirant dominiū, niii, quia loco veri domini subrogantur.

Argumentum.

¶Sed contra hoc est argumentum: Qui dolo elicit pecuniam abalio, fingendo se esse pauperem, aut consanguineum illius, tenetur talem pecuniam restituere, vt de se patet, & non ei, à quo accipit: ergo falsum est dicere, quòd semper quod res aufertur à vero domino ei, & non alteri est facienda restitutio. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Qui isto modo sua sponte pecuniam dedit pauperi, etiā si sit deceptus in eo, quòd habuit talē pauperem; aut pro cognato, aut pro consanguineo, nō tamen fuit deceptus in eo, quòd fecit eleemosynam: ergo transtulit dominium, aut in veros pauperes, aut in veros parentes, atque ex consequenti illis est facienda restitutio. ¶Propter hoc argumentum Medina, in codice de restitutione, quæst. 2. dub. 2. dicit, quòd pecunia isto modo habita, est restituenda, vel pauperibus, vel parentibus, quorum nomine fuit accepta; & non illi, qui eam dedit. Cæterum contrariū mihi videtur dicendum. Et ratio est: Nam cùm error atque deceptio tollant voluntarium, vt autor est D. Thom. 1. 2. quæstio. 6. ar. 8. & talis ex errore dederit pecuniam, manifestè sequitur, quod inuoluntariè eā dedit, atque ex consequenti quod non transtulit dominium illius. Medina loco citato respondet ad istā rationē, fatendo illic versari errorem. Dicit tamē, quòd ille error versatur circa personam, cui datur, & nō penes ipsam donationem. Nam quod Petrus, verbi gratia, det huic personæ, ex errore prouenit, & idem hæc persona illius rei, quæ inuoluntariè datur domina non fit. Tamē ad hoc vt det pauperi, aut cognato, non errore aliquo, sed voluntate potius inducitur. Et sic pauperi, aut cognato acquiritur dominium: quare illis, & non domino erit facienda restitutio. Dico tamen, quòd hæc solutio est metaphysica, nec in re morali admittenda. Vnde contra illam sic argumentor: Petrus non vult dare eleemosynam pauperi in commnni, aut cognato in communi, sed huic pauperi, aut huic cognato in particulari; non enim paupertati, aut cognationi pecunia datur, quamuis sint causa donandi: sed respectu huius personæ in individuo donatio ex ineficax & inuoluntaria: ergo non abdicat à se dominium. Et confirmatur: Qui dat eleemosynam certæ personę petenti, ipsi & non alteri intendit dare: ergo si isti non dat voluntariè, nul li dat voluntariè, atque ex consequenti nō abdicat à se dominium. Tertiò: Huiusmodi homo ideò vltrò & sua sponte dat, quia alius petit: itaque, nec cognato, nec vero pauperi daret, nisi quia petit: sed nec verus cognatus, nec verus pauper petit: ergo nullum illis dominium transfert, atque ex consequenti sibi, & non alteri est facienda restitutio. ¶Sed pro maiori huius rei intelligentia, ne rerum similitudine decipiamur, aduertendum est, dupliciter posse contingere, quòd quis per fallaciam pecuniam extorqueat. Vno modo nihil petendo, sed ipsa specie sanctitatis, aut paupertatis, quam præsefert, inuitando alios, vt eleemosynas, quas in veros pauperes erant facturi in ipsum conferant. Alio modo rogando, atque petendo, & ad rogata impetranda, falso sanctitatis, aut paupertatis, aut cognationis nomine vtendo, eaque ratione maiorem aliquam pecuniæ summam eliciendo, quam quæ ex charitate pauperibus communiter conferri solet. Hoc supposito dico duo. Primum est, quòd si isto secundo modo fiat, tunc proculdubio est vera nostra sententia, quam contra Medinam posuimus. Dico secundò, quòd, si petens solum priori modo vtatur, tunc res acceptæ non dominis, sed veris pauperibus sunt restituendæ. Et quantum ad hoc vera est sententia Medinæ, quam etiam tenet Adrianus in. 4. in materia de restitutione, quæstione propria de hac re, quæ incipit. Consequenter quæro. Et ratio illius est, non quam adducit Medina, sed quia in casu posito, quoniam is, qui dat vltro & sua sponte offert, eratq; id alioqui pauperibus collaturus, rectè interpretamur ipsum, non tam personæ, quam pauperibus voluisse donare. Ex quo fit, vt non illi sed pauperibus sit restitutio facienda. Et per hoc patet solutio ad argumentum factum contra conclusionem D. Thomæ.

Sententia Ioannis de Medina.

Impugnat Medina.

Dupliciter potest quis per fallaciā pecuniā extorquere.

Sententia autoris.

¶Diximus in superioribus, quod qui accipit rem ab eo qui nō est verus dñs, vt qui accipit rē à latrone, filio familias, aut monacho, non ei, à quo accipit, sed vero domino debet facere restitutionē. Sed est hoc intelligendū cùm tribus limitationibus, quas notat Soto lib. 4. de iustitia & iure. q. 7. art. 1. in corpore. Prima est, quòd sit certus rem

Limitationes nec propositæ sententiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illam esse alterius, & non illius à quo accipit: nam si res est dubia cum in dubijs sit melior conditio possidentis, eidem à quo fuit ablata, vt ipse videat cuius est, restituenda erit. Secunda limitatio est, quòd restituens id posit facere, sine suo magno incommodo. Nam si latronem, aut filium familias timeat, à quibus credit, quòd nisi eis reddat, vapulabit, vel quid simile accipiet, non tenetur cum tanto dispendio, nec etiam cum minori rem vero domino reddere, sed erit satis restituere ei, à quo accepit. Et si quis obijciat, Ille, qui accepit rem à latrone, non ex charitate, sed ex iustitia tenetur eam vero domino restituere: ergo, cum aliqua eius iactura tenetur id facere; Probo consequentiã: Nam iustitia, vt supra diximus, etiam cum propriæ vitæ periculo obligat, quod nõ contingit in charitate; respondeo, concesso antecedenti, negando cõsequentiam. Et ad probationem dico, quòd quamuis vno è duobus modis posit quis obligari ad restitutionem, scilicet, ratione acceptionis, & ratione rei acceptæ, tamen quantum ad vim obligandi differunt ista duo, quam plurimum inter se se. Nam qui ex acceptione iniusta est obnoxius restitutioni, vt fur, tenetur ad illam, si aliter fieri nequit, etiam cum damno suorum bonorũ, modo non sit grauissimũ. At verò qui obligatur ad restitutionem solum ratione rei acceptæ, vt in casu proposito de latrone & filio familias, quia in ea re omnis iniuria abest, casuque videtur factum, vt res alterius ad se deuenerit, non tenetur id restituere cum aliqua sua iactura. Tertia limitatio est, quòd quando quis rem vero domino restituit, & non ei, à quo accepit, vtrumque id moneat eius, quem facit, latronem, scilicet, ne posteà pœnitentia ductus iteratò restituat, quod semel est restitutum, dominum autẽ ne alia via procuret id recuperare. Et hæc dicta sint de rebus alicui subtractis contra ipsius possidentis voluntatem.

Tripliciter potest contingere, q̃ aliquis alteri rẽ suã det.

¶Restat nunc dicendum de illis rebus, quas retinere non possumus, etiam si eas habuerimus ex præhabentis voluntate, quia scilicet, præhabens eas nobis contulit. Ad cuius intelligentiam est aduertendum, tripliciter posse contingere, quod quis alteri rem suam det, scilicet, vel absolutè, vel conditionaliter, vel ob causam. Fit quidem, si absolutè res est donata & donatio non valet, donanti est restituenda. Ex quo enim donare non potuit, perinde est ac si donatio non fuisset facta: & sic ad donantem res donata deuoluitur. Si autem dedit conditionaliter, conditione non existente, similiter res ad donantem redire debet, siquidem non, nisi sub conditione donauit. Et idem est dicendum de eo, qui rem dedit ob causam honestam, non liberaliter, sed aliqua necessitate commotus, vt qui dat iudici, vt iustitiam ei faciat, aut qui dat dituiti, vt sibi mutuet. In his enim casibus dãti est restitutio facienda. Si autem ob causam turpem fuit facta donatio, vt si quid datum est alteri, vt aliquid indebitum agat, puta, iniustam ferat sententiam, aut falsam deponat, aut flagitium aliquod committat, tunc communis videtur sentẽtia Doctorum, quòd res illa non est danti restituẽda, eo quòd obstat sibi sua turpitudo. Ita refert Syluester verbo restitutio. 2. §. 1. Sed contra hos facit ratio (loquendo in foro cõscientiæ) quod leges, quæ in odium turpitudinis statuunt res illas turpiter datas, non esse dantibus restituendas, sunt pœnales. Et sic in conscientia non obligant ante sententiam latam, iuxta glossam approbatam in capit. fraternitas. 12. quæstio. 2. & iuxta id, quod nos articulo. 3. huius quæstionis latè diximus. Ac proinde dantis turpitudo non poterit ei obstare, quo minus datum ante sententiam contra dantem latam possit eidem restitui. Verum in hoc casu videtur mihi distinguendum. Nam, vel causa turpis, ob quam res donata erat, est post modum subsequuta, vel non. Si primum, tunc non danti est taliter acceptum restituendum, sed pauperibus. Et ratio est; quia qui ob causam illam donauit causa subsequuta, visus est omnino dominium rei datæ à se abdicasse; & sic non sibi est reddenda. Si autem causa non fuit subsequuta, tũc eidem est restituendum quod ob talẽ turpem causam fuerat acceptum. Et ratio est: Nam cum non nisi ob causam illam donauerit, ea non subsistente non est visus à se rem sic datam abdicasse; & sic est sibi in conscientia restituenda. Quamuis enim homo ob turpitudinem suam sit dignus, qui re sua priuetur, non tamen ideò ipso facto est priuatus, cùm aliud sit hominem esse dignum priuari, & aliud ipso facto priuatum esse, vt constat ex illo celebri dicto Augustini, Peccator non est dignus pane, quo vescitur. Si res autem sit data simoniace, tunc non danti, sed Ecclesiæ, in cuius iniuriam res est data, venit restitutio facienda, iuxta dispositionem iuris in cap. de hoc autem, de simonia. Sed de his latius dicemus in subsequentibus.

De dãte ob causam turpem.

Sententia D. Thomæ in solutione ad. 1.

¶In solutione ad primum argumentum dicit Diu. Thom. quòd quando res restituenda

fuenda nocua est domino petenti, aut alteri, non reddenda, sed in aliud tempus, quando iam ex restitutione nullum sequetur incommodum, est fideliter seruanda. Et ratio est: Nam restitutio in vtilitatem domini rei ablatæ, vel detentę, & non in eius perniciem fieri debet. Ex quo infert primo Caietanus, quòd principi iniustè bellum gerenti non est reddenda pecunia debita, qua diutius bellum gerat. Infert secũdo, quòd clerico, aut cardinali volenti per simoniam comparare sibi beneficia Ecclesiastica, pecuniæ debitæ non sunt reddendę. Infert tertiò, peccare mortaliter nũmularios, qui huiusmodi hominibus beneficia, aut Ecclesiasticas dignitates pecunijs comparare volentibus, eas mutuò dant.

Dubiũ de petente rẽ suã, vt illã perdat.

1. argumẽtum.

2. argumẽtum.

1. dictum certum. ¶Sed quoniam hæc non æqualem continent veritatem, ad illorum intelligentiam aliqua erunt dicenda. Et, vt à certioribus incipiamus, dico primò, certum esse, quòd quotiescunque aliquis bono modo, & sine iniuria alterius potest detinere depositum, ne illud reddat domino in malos vsus consumere volenti; siue id sit futurum cum iniuria alterius, siue sine illa, tenetur id ex charitate facere. Nam cum Deus vnicuique mandauerit de proximo suo, manifestè sequitur, quemlibet bono proximi consulere debere, siue illud corporale sit siue spirituale. *2. dictum certum.* ¶Secundò, etiam est certum, quòd, cùm quis petit ab alio rem suam, (siue is eã iusto, siue iniusto titulo habeat) ad occidẽdum se, vel alium, vel ad inferendum sibi, vel alijs in bonis corporis aliquod incommodum, vt si petat gladium ad amputandum sibi, vel alteri manum, aut etiam si petat rem suam ad nocendum alijs notabiliter in bonis fortunæ, nulla ratione est sibi restituenda. Probatur: Quilibet potens liberare proximum à tanto malo, à quo ipse, cùm sit in tam vehementi passione, nisi cùm magna difficultate liberare se non potest, tenetur; sed in præfatis casibus, qui habet rem petentis, potest illum liberare à malo, à quo ipse nisi magna cum difficultate non liberaretur: ergo tenetur id facere, atque ex consequenti tenetur non reddere rem illius, etiam enixe petenti. Secundò: Si furiosus iam haberet proprium gladium in manu ad se, vel alios occidendum, quilibet, qui sine suo notabili detrimento id efficere posset, tenetur illud à manu illius arripere: ergo à fortiori tenetur non dare, quando est in sua potestate. Nec obstat, quòd dominus sit inuitus; nam est inuitus irrationabiliter. Itaque hæc certa sunt.

¶Sed est difficultas, an si dominus rei eam obnixè petat, non, vt noceat sibi, nec alteri in bonis corporis, nec etiam, vt alteri notabiliter noceat in bonis fortunæ, sed vult pecuniam suam ad ludendum, vel ad dandum scorto, vel ad prodigendum, non obstante hoc, sit ei res sua restituenda. Et pro parte negatiua est argumentum. Restitutio, vt dicit D. Thom. hic in solutione ad primum. ordinatur in vtilitatem eius, cui restituitur, sed in casu posito ille, qui restituit nocet vero domino, cum si ipse non dedisset, alius non prodigeret rem suam: ergo id non debet facere. ¶Secũdò: Vnicuiq; mãdauit Deus de proximo suo Eccles. 17. ergo depositarius tenetur consulere rei alterius seruando eam. Et confirmatur: Si aliqua ratione teneretur dare depositu ex eo esset, quod non licet retinere alienum domino inuito: sed tunc dominus est inuitus irrationabiliter: ergo hoc non obstat.

Sententia Caietani.

¶Ad hanc difficultatem Caietanus in isto commentario videtur respondere, non esse licitum reddere depositum sic petenti ad peccandum. Affirmat enim, quòd nõ licet pecuniam depositam domino reddere, vt Cardinalatum emat, & longè minus alicui pecuniam in talem vsum mutuare. Cæterũ quidquid sit de mutuatione, in qua maior videtur esse ratio culpæ, quia cum minus obligetur mutuans, magis videtur esse causa peccati, de depositu dico reddendũ illud esse vero domino obnixè petenti, etiã si habens talem pecuniam certò sciat, dominũ velle illam ad expendendũ cum scortis, & viris sceleratis. Hanc sententiam tenet Adrianus in quodl. q. 2. ad secundũ argumẽtũ, & Soto lib. 4. de iustitia & iure. q. 7. ar. 1. quam & cõmuniter sequuntur omnes Theologi. Et probatur primò ex illo Pauli ad Romanos. 3. Non sunt facienda mala, vt inde veniant bona: sed retinere pecuniam alterius ipso inuito, quando ex illius concessione nihil amplius sequitur, quam quod ipse prodigat illam, est malum: ergo id non est faciendum. Consequẽtia cum maiori notã, & minor probatur: Est priuare alterũ iure, quod sibi ex iustitia debetur: ergo. Et confirmatur: Non licet alicui retinere aliũ vi, ne intret ad scortum: ergo nec etiam licet retinere pecuniam vi, quam vult dare scorto. Secundò: Morale principium est, q̃ quotiescunque occurrunt duo mala simul, quorum vnum debet fieri, minus est eligendum: sed minus malum est quod alter prodigat pecuniam, aut rem suam, quàm quod tu ipso inuito illam detineas: ergo debes illam restituere. Consequentia cum

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

maiori est nota, & minor probatur: Pecuniæ detentio est peccatum cõtra iustitiam, cùm detinens priuet alterum suo iure, & propria libertate, quod est iniustum, & collatio pecuniæ solum potest esse contra charitatem: sed maius malum est violare iustitiam, quam violare charitatem, quia maior est obligatio iustitiæ, quam obligatio charitatis: ergo potius hoc quam illud est faciendum. Vltimò: Ideò si occultus peccator petit Eucharistiam à proprio sacerdote, sacerdos tenetur illam ei dare, quanuis petens grauissime peccet, quia vtitur iure suo in petendo, & ideò, si maritus habens super se votum castitatis petit ab vxore debitum, vxor tenetur illud reddere, quanuis maritus peccet mortaliter, quia in petendo similiter vtitur iure suo: ergo pari ratione, quanuis dominus petat depositum ad consumendum illud cum scortis, depositarius tenetur id reddere, quia petens vtitur iure suo. ¶Et si quis argumentetur: Nemo habet ius ad peccandum: ergo quomodocunque ille petat depositum ad peccandum, etiam citra suam, aut aliorum iniuriam est illi denegandum, nonnulli respondent negando consequẽtiã. Nã dicũt, quod petit ad dandũ, vel ad cõsumendũ, ad quod habet ius licet nõ habeat iª ad culpã, quæ dationi, vel cõsumptioni adiũgitur. Et sic in illa consequentia committitur vitium, quod dici solet, variatio appellationis. Hæc tamen solutio nihil valet. Nam eodem modo, quo nõ habet quis ius ad peccandum, nec etiam habet ius ad dandum, si datio est peccatum; vt in eo, qui dat simoniacè. Secus autem erit de mercede meretricis, in qua dare non est peccatum, licet ipsa fornicatio peccatum sit. Quocirca hac solutione omissa, quidquid sit de illo fine, ad quem dominus suam pecuniam petit, dico, nihil valere illam consequentiam. Nam petendo, quod suum est, vtitur iure suo. Et si dicas, petit, vt eo abutatur, ad quod non habet ius: ergo respondeo, quòd ius dupliciter potest accipi. Vno modo pro lege. Et sic nemo habet ius peccãdi, cum neminem lex peccare permittat, approbando peccatum. Alio modo accipitur ius pro eo, quod est debitum, hoc est, pro eo, quo quis citra iniuriam vtitur. Et hac ratione dicimus, quod qui dat pecuniam suam simoniacè, vel ad aliud peccatum, vtitur iure suo, hoc est, dat quod suum est, atque adeò nemini facit iniuriam, nisi soli legi, quam iniuriam legi factam depositarius non tenetur vitare.

Obiectiõ.

Solutio aliquorum.

Ad. 1. arg. ¶Ad primum argumentum in principio factum respondetur, illud quidem probare, quod si depositarius bono modo potest detinere depositum, ne illud in malos vsus cõsumere volenti reddat, tenetur id facere. Cæterum, si alius obnixè petat, debet dare, nec tunc depositarius est, qui rei domino nocet, sed potius ipse est, qui sibi nocumẽtum infert. ¶Ad secundum argumentũ respondetur, concesso antecedenti, negãdo consequẽtiam, vel potiùs distinguendo consequens. Nam si depositarius potest consulere rei alterius, sine aliqua illius iniuria, tũc verũ est, quòd non debet depositũ reddere, vt recte colligitur ex illo testimonio. Cæterũ, si consiliũ non potest dari, sine manifesta iniuria, vt contingit in eo, qui obnixè petẽti rẽ suã reddere recusat, nõ debet tunc depositarius domino inuito depositũ retinere; neq; contrariũ colligitur ex testimonio citato. Ad cõfirmationem respondetur, dupliciter posse cõtingere, quòd quis habeat rẽ alterius, domino irrationabiliter inuito. Vno modo irrationabiliter inuito cõtra charitatẽ tantũ, quod contingit, quando quis retinet eã rẽ, quam dominus in malos vsus vult conuertere, citra iniustitiã tamẽ. Alio modo, inuito irrationabiliter contra iustitiã. Quod cõtingit, quando qui retinet eã rẽ, quã dominus in suam, vel aliorum iniuriam vult conuertere, vt quando retinet quis inuito domino gladium, quo se, aut alium vult interficere. Hoc suppositio dico, quod tunc tantum est licitum retinere rem alterius, domino inuito, quando ipse contra iustitiam est inuitus. Vnde cum in casu argumenti tantum sit inuitus irrationabiliter contra charitatem, fit, vt nemini sit licitum contra eius voluntatem rem suam detinere. Et si quis quærat, quænam sit ratio, propter quam est licitum retinere rem alterius domino contra iustitiam irrationabiliter inuito, & non inuito irrationabiliter contra charitatem? respondeo, id prouenire ex eo, quòd maiori vinculo tenetur quis vitare peccata alterius, quę sunt contra iustitiam, in quibus necessarium est, quod innocens patiatur, quam quæ sunt contra charitatem: in quibus solum ille qui peccat detrimentum patitur spirituale, quod propria voluntate potest vitare.

Ad. 2. arg.

Vera solutio.

¶Diximus in superioribus, depositarium teneri ad non reddendum depositum, quando dominus eo vti vult ad suam, vel aliorũ iniuriam, & similiter quando illud petit in malos vsus etiam citra aliquam iniustitiã, quanuis huius rei obligatio non sit adeo stricta, vt ex dictis patet; supereſt nunc disputare, quonam iure depositarius in his casibus teneatur rem alienam detinere, an, scilicet,

Dubium.

scilicet, ex iustitia, vel solum ex charitate. Verbi gratia: Petit quis gladium suum ad occidendum alterum, & ille qui eum habebat ei dat, dubium est, an peccet contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem damni subsequuti, vel potius solum peccet contra charitatem. Et quidem quod non peccet contra iustitiam probatur primò: Ille non tenebatur defendere fratrem ex lege iustitiæ, sed solum ex lege charitatis: ergo per hoc, quòd dedit gladium domino, quo frater fuit occisus, non peccauit contra iustitiam, sed solum contra charitatem. Et cõfirmatur: Si viderem ego Petrum gladio impetentem Paulũ, & cum possem, non defenderem illum, non peccarem contra iustitiã, sed solum contra charitatem, vt ex se cõstat: ergo idem erit dicendum in nostro proposito. ¶Secundò: Si talis depositarius peccaret contra iustitiam, ex eo præcipue esset, quòd est causa homicidij: sed non est causa homicidij: ergo. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur: Si dominus gladij, illum peteret coram iudice, & iudex præciperet, vt illum daret, depositarius teneretur gladium conferre, etiam si intelligeret secuturam esse mortem, & tunc non esse causa homicidij: ergo nec antea. Probo consequentiam: Nam conferens eodem modo cõcurrit. ¶Tertiò: Si depositario graue damnum immineret à domino gladij, si illum nõ redderet, posset reddere, sine aliqua iustitiæ violatione: ergo etiam si reddat tali dãno non imminente, non peccat contra iustitiam, nec est causa homicidij. Probo consequentiam: Nam homicidium est intrinsecè malum, & sic propter nullum metum faciẽdum. ¶Vltimò: Si talis depositarius dando gladium peccaret contra iustitiam, sequeretur, quod eadem ratione peccaret contra iustitiam dando pecunias, quibus scit gladium emendum, & similiter peccaret contra iustitiam reddendo pecunias mercatori, quas scit dandas esse ad vsuras; atque ex cõsequenti teneretur ad omnium istorum restitutionem: Consequens autem videtur absurdum, & valde rigurosum: ergo & illud ex quo sequitur.

1. argumẽtum.

2. argumẽtum.

3. argumẽtum.

Vltimũ argumẽtum.

Sententia Caietani. ¶Caietanus in isto articulo solùm dicit eum, qui in casu posito reddit domino gladium, peccare. Non autem explicat, an tale peccatum sit contra iustitiam, nec an reddens teneatur ad restitutionem, nec nè? Sed in summa, verbo, restitutio, cap. 1. explicans illam particulam, non manifestans, dicit, q̃ qui non defendit proximum à morte, vel rapina, cùm potest, peccat contra iustitiã, & tenetur ad restitutionẽ. Quod si verum est, à fortiori erit verũ, quòd qui reddit gladium furioso occidere volẽti, peccabit cõtra iustitiã, & obligabitur restituere, ex mẽte eiusdẽ Caietani. Soto lib. 4. de iustitia & iure. q. 7. art. 1. constantissimè defendit, eum, qui reddit gladiũ peccare contra iustitiã, & teneri ad restitutionem damni subsequuti. Cæterùm, vt quid in hac re dicendum sit, explicemus, distinguere oportebit. Nam, vel dominus rei à depositario eam exposcit, vt sibi, aut alteri iniuriam faciat, nempe, se, aut aliũ occidendo, aut mutilando, aut percutiendo, aut etiã alijs in bonis fortunæ nocendo; vel solum petit rem suam in aliquẽ alium abusum, qui non habet annexam iniuriam, scilicet, ad scortandum, ludendum, vel prodigendum.

Sententia Soti.

Quo supposito sit prima conclusio: Si dominus rẽ suã male vsurus est in sui, vel alterius perniciem, atque iniuriam, vtraque lege, charitatis, scilicet, atque iustitiæ tenetur depositarius illam non reddere: quod si secus faciat, tenetur restituere damnum subsequutum. Et quidem, quòd lege charitatis ad id sit obligatus, est res manifesta, cùm vnusquisque teneatur proximum diligere, sicut seipsum. Sed quod etiam teneatur lege iustitiæ, probatur: Contrarium facere est præbere materiam ad inferendam iniuriã alteri: sed vnusquisque ex iustitia tenetur non inferre alteri iniuriam: ergo si præbeat, peccabit contra iustitiam, atque ex consequẽti erit obnoxius restitutioni. Secundò: Reddẽs depositum in casu, quo loquimur, est causa positiua damni subsequuti: ergo peccat cõtra iustitiam. Consequentia est nota, & antecedens probatur ex similibus casibus: Qui commodat, aut præparat gladiũ, quo scit alterũ esse occidendũ, peccat contra iustitiã, & tenetur ad restitutionẽ, vt cõstat ex lege. si pignore. ff. de furtis. Item, qui vendit venenum, quo scit alterum esse occidendũ, & qui vendit arma tempore iniusti belli, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem, vt docet Caietanus spra, q. 10. arti. 4. & infra. quæst. 169. art. 2. ad. 4. & si bellũ iniustum fuerit contra clericos, qui vendit arma, manet excommunicatus, & irregularis, vt idem Caietanus dicit in eisdem locis: item qui dat alteri clauem adulterinam, qua scit furaturum, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, ex cõmuni Doctorum sententia: sed isti non magis cooperantur iniustitiæ, quàm ille, qui dat gladium occidere volenti: ergo sicut isti sunt causa positiua damni, propter quod obligantur ad restitutionem: ita, & ille. Et confirmatur: Talis depositarius reddens

1. cõclusiõ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gladium, secundum leges punitur tanquam malefactor: signum ergo est, quod violat iustitiam.

2. conclusio. ¶Secunda conclusio: Si dominus re sua malè vsurus est citra alterius iniuriam, tunc sola lege charitatis tenetur depositarius illam non reddere, si commode & sine iniuria petentis id facere potest. Itaque, si habens rem alterius quam sine iniuria potest retinere, eam domino reddit, vt dilapidet, scortetur, profundat, prodigat, &c. solum peccat contra charitatem, & nullo modo contra iustitiam. Probatur: Aliud est non inferre malum, & aliud vitare: ad hoc enim tenemur ex charitate, & ad illud ex iustitia: sed reddere depositum in casu nostræ conclusionis, solùm est non vitare malum: ergo solum est contra charitatem, & nullo modo contra iustitiam. Et confirmatur: Dominus bona propria in malos vsus conuertendo citrà alterius iniuriam, non peccat contra iustitiam, vt de se patet: ergo, nec qui talia bona ei reddit, vt illis malè vtatur. Probo consequentiam: Nam multo minor ratio iniuriæ apparet in hoc, quam in illo.

Ad 1. argumentum. ¶Ad primum argumentum in contrarium factum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Aliud enim est non defendere proximum, & aliud positiue cõcurrere ad id, ex quo sequitur eius mors. Primum est contra charitatem, & secundũ contra iustitiã. Hocque inuenitur in eo, qui gladium dat occidere volenti, & sic peccat contra iustitiam. Et eodem modo respondetur ad confirmationem. ¶Ad secundum respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd quãuis eodem modo concurrat ad mortem alterius in genere naturæ qui reddit gladium ex præcepto iudicis, & qui reddit ex propria voluntate, diuerso tamen modo dicitur concurrere in genere moris. Et sic, quãdo dat ex proptia voluntate imputatur ad peccatum iniustitiæ; cùm ex iustitia teneatur non inferre damnum alteri. At verò, quando dat iubente prætore, non imputatur ei ad culpam, cùm ex præcepto eius cuius est præcipere, atque consulere bono subditorum id faciat. ¶Ad tertium argumentũ respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam: nullus enim tanto detrimento tenetur fratris mortem cauere. Et quando dicitur: Homicidium est intrinsece malum: ergo propter nullum metum est faciendum; respondeo verum esse, quando homo est per se causa homicidij. Cæterum, quando solùm est causa per accidens, qualis est ille, qui reddit depositum petenti, non tenetur cum suo grauissimo detrimento homicidium vitare.

Ad 2. arg. Ad 3. argumentum.

Ad vltimũ ¶Ad vltimum argumentum respondetur, negando primam illationẽ: qui enim daret pecunias, quibus gladius emitur multum remote concurreret ad homicidium inde subsequutum. Ad secundum inconueniens de eo, qui redderet pecunias, quas scit dandas esse ad vsuras, dico primò, quòd fortè illud est verum. Vel possumus dicere secundo, quòd etiam dare huiusmodi pecunias est causa multum remota ad acquirendas vsuras. Nam vltra redditionem est necessaria voluntas ipsius mercatoris, atque etiam voluntas illius, qui vsuras persoluere debet, vt ille, qui reddit, dicatur causa damni inde subsequuti: cùm tamen ille, qui dat gladium occidere volenti, multò magis propinqua occisionis causa existat, & ideò tenetur ad restitutionem.

Sententia D. Tho. in solutione ad 2. ¶In solutione ad secundum argumentũ, in quo de restitutione eorum, quæ pro crimine perpetrando ab aliquo conferuntur, agitur, dicit duo D. Tho. Primum est, quòd quando datio est illicita, & contra legem, vt quando quis aliquid simoniace, vel pro homicidio dat, tunc id, quod datur, nec est reddendum ei, qui dedit, nec etiam retinendum ab eo, qui pecuniam accepit, sed in pios vsus conuertendum. Dicit secundò, quòd si datio non est illicita, quanuis opus, pro quo datur sit illicitum, vt accidit in quæstu meretricio, tunc is qui accipit, verum rei dominium acquirit, nec tenetur ad restitutionem. Et si quis contra istud secundum dictum D. Thom. argumentetur. (Nam, vel ista datio dicitur licita, quia id, pro quo datur, est pretio æstimabile, vel quia non habet obiectum malum; primum dici non potest, nam sic pari ratione etiam diceretur licita & transferret dominium in illum, qui accipit, datio, qua quis pro homicidio pecuniam dat, siquidem emit id, quod est pretio æstimabile, cuius contrarium D. Thom. affirmat in primo dicto, & habetur expresse in iure; nec etiam potest dici secundum, tum quia datio, qua quis pro actu venereo pecuniam dat, non est bona ex obiecto, vt cõstat: tum etiam, quia quando quis dat pecuniam iudici, vt iustam proferat sententiam, talis datio est bona ex obiecto, & tamẽ non transfertur talis pecuniæ dominium in iudicem, vt patet ex iure: ergo male dicit Diu. Thom. quòd quando datio est licita, quanuis opus, pro quo datur sit illicitũ, tunc is, qui accipit verum acquirit dominium, nec ad aliquam tenetur restitutionem,) respondetur, D. Tho. in præsenti solã illã dationem vocare illicitam, quę lege positiua non permittitur,

Explicatur litera Diui Thomæ.

mittitur, quanuis stando in iure naturæ esset licita. Ex quo fit, quod, quia dare meretrici pretium pro actu venereo, non est lege prohibitum, dare autem pro interfectione est prohibitum, ideo illa donatio appelletur licita, & hæc illicita, & illa transfert dominium, & hæc non. Quanuis stando in solo iure naturæ per vtranque dominium transfertur, vt dicemus in subsequentibus. Et hoc quantum attinet ad explicationem literæ D. Thom.

Dubium graue de acquisitis per actum malum. Sententia Caietani. ¶Cæterùm ad explicandam veritatẽ eorum, quæ dicit, est non leuis difficultas, an acquisitum ex quouis opere peccaminoso sit necessario restituendum. De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ, Prima est Caietani. Qui 2. 2. quæstio. 32. art. 7. supposito, quòd nec datio sit bene, nisi de re propria eius, qui dat, nec emptio, aut venditio potest fieri, nisi de re, quæ natura sua est vendibilis, dicit duo. Primũ est, quòd, si id, quod datur, aut accipitur est alienum, & id, quod venditur, aut emitur, non est res vendibilis, vt res sacra, tunc taliter acquisita sunt necessario restituenda. Ratio illius est: Nam, cùm huiusmodi contractus non habeãt idoneam materiam, fit, vt quæcunq; acquisitio per illos facta sit secundum se mala, & inualida. Secundò dicit Caietanus, quòd si id, quod datur est proprium dantis, & id, quod venditur, aut emitur, est venale, pretioque æstimabile, quanuis acquisitio alioqui sit peccatum, tunc acquisita ex talibus contractibus non sunt restituenda. Cæterùm hoc secundũ dictum Caietani est apertè falsum. Et ratio est: Nam quæ quis acquirit hominis interficiendi causa, & quæ acquirit testis ob falsum testimonium, & quæ acquirit iudex ob iniquam sententiam sunt necessario restituenda, nec retineri possunt, vt infra dicemus ex mente D. Thom. in hoc articulo, quãuis dentur hæc à veris dominis, & res pro quibus dantur sint pretio æstimabiles, atque vendibiles, non minus, quã turpis actio à meretrice præstita.

Sententia Panormit. ¶Quocirca hac sententia Caietani omissa, est secunda opinio Panormitani in capit. quia plerique. de immunitate ecclesiarum, quæstio. 10. conclus. 3. indistinctè dicentis, quidquid acquisitum fuerit ex opere peccaminoso esse necessario restituendum. Eandem tenẽt Innocentius atq; Hostiensis in cap. cum sit. de iudicijs. Ad quos etiam accedere videtur Paludanus in. 4. dist. 15. Et probari potest hæc sententia aliquibus argumentis. Primò ex cap. cum sit. de iudicijs. vbi summus Pontifex præcipit Episcopis, quòd compellant Iudæos, vt quidquid ex officio publico lucrati fuerint, restituant pauperibus. Et addit pro causa: Quia nõ est licitum Iudæis inter Christianos officium gerere. Quibus verbis significari videtur, omne illud, quod per actum illicitum fuerit acquisitum debere pauperibus dari. Et confirmatur ex cap. ad liberandum. eodem titulo. Vbi deferentes arma Sarracenis restituere præcipiuntur quidquid ex illicita illa negotiatione fuerit acquisitum. ¶Secundò sic argumentor: Si quis pretium accipit pro re sacra tenetur illud restituere, vt constat ex Concilio Constantiensi, Sess. 43. & ex pluribus alijs capitibus iuris: ergo & qui accipit pretium pro opere peccaminoso tenetur illud restituere. Probo consequentiã: Quia qui accipit pretium pro re spirituali, ideò tenetur ad illius restitutionem, quia ipsa res spiritualis gratis donari debet, nec est pretio æstimabilis: sed nec etiam peccatum est pretio æstimabile, cùm ob nullum pretium sit faciendum: ergo si pretium pro illo accipiatur erit necessario restituendum.

1. Arg. pro sententia Panormitani. 2. Argum. 3. Argum. ¶Tertiò: Excessus inter pretium, & id, quod pretio emitur, semper est restituendus, vt seruetur iustitiæ æqualitas: sed cum datur aliquid pro opere peccaminoso non seruatur iustitiæ æqualitas: ergo excessus erit necessario restituendus. Iste autem excessus est in toto valore pretij, cùm peccatum, quod emitur, sit nullius valoris atq; nihil: ergo totum pretium pro actu peccaminoso accepetum erit restituendum.

Sententia Medinæ. ¶Medina Complutensis. C. de restitutio. quæst. 20. propter hæc argumenta tenet hãc eandem sententiam, sed moderamine adhibito. Dicit enim, quòd opus peccaminosum, pro quo pretium datur, dupliciter potest esse malum; vno modo absolutè, & de sua intrinseca ratione, vt furtum, adulterium, fornicatio, alio modo non ex sua natura, sed ratione alicuius circunstantiæ extrinsecus aduenientis, vel loci, vel temporis, &c. Et hac ratione vendere rem iusto pretio, quod ex sua natura non est malum, potest reddi peccatum, ex eo, scilicet, quòd contractus fiat, aut cum excommunicato, aut in die festo, aut in loco prohibito, &c. Quæ omnia habent se tanquã circunstantiæ extrinsecus ipsi operi aduenientes. Hoc supposito, dicit, quod quæ acquiruntur per actum peccaminosum isto secundo modo, non sunt necessario restituenda, sed sunt illius, qui accipit. Si enim mercenarius, qui in die festo suas operas locauit, pretium accipiat, non tenetur ad mercedis restitutionem. Et ratio est: Nam, quòd hic pretio æstimatur nõ est diei festi violatio, quæ mala est, atq; peccatum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

catum,sed huius hominis opera atque labor alteri fructuosus, & ob eam causam pretio dignus. Dicit secundo Medina,quòd acquisita ex opere peccaminoso primo modo,scilicet,ex adulterio,homicidio,aut fornicatione sunt necessario restituenda, vtpotè quæ dantur pro re nullius pretij. Addit tamen, quòd si quæ acquirantur ex opere malo nõ pretij nomine,sed alio titulo,scilicet, donationis, illa non sunt necessario restituenda. Nam si verbi gratia, propter perpetratum scelus det quispiam alicui centum, non tanquam illud emens, sed voluntariè donans, talia non sunt restituenda. Ex quo infert, quòd si acquisita à meretricibus fuerint tã quam pretium operis obscœni,illa erũt omnino restituenda. Si autem fuerint liberè ab amatoribus donata, poterunt retineri. Et quia verosimile est eos, qui ad meretrices accedunt libere velle donare quæ illis conferunt, subinde dicit, ipsas meretrices regulariter loquendo non obligari ad restitutionem.

Impugnatur Medi.

¶Hæc sententia Medinæ quantum ad primum dictum est vera. Cæterùm quantum ad secundum in quo conuenit cum Canonistis superius citatis,est apertè falsa,& cõtra communem Doctorum sententiam. Et ratio est: Nam, quanuis peccatum secundũ suam rationem formalem, id est ex ea parte,qua discordat à lege diuina,sit nihil, & nullius valoris, pro materiali tamen, quod potissimè intenditur ab emptoribus, est quædam actio humana liberè facta,coniunctaq; cum labore atque vtilitate, ex quo fit, vt sit pretio digna,sicut reliquæ actiones humanæ; quæ ideò sunt vendibiles & pretio æstimabiles,quia conducibiles vitæ humanæ. Quod vt rectè intelligatur,aduertẽdum est,quòd de pretio vniuscuiusq; rei dupliciter possumus loqui. Vno modo physicè sine vllo respectu & comparatione ad aliud;qua ratione Philosophi naturales loquuntur. Et pretium isto modo nihil aliud est,quàm vniuscuiusq; rei perfectio,& magnitudo. Alio modo possumus loqui moraliter. Et secundum istam cõsiderationem solum illæ res dicũtur pretiosæ,quæ aliquo modo sunt vtiles, & conducibiles ad humanos vsus. Sumitur enim pretiũ morale,de quo nos in præsenti loquimur,per comparationem ad vsus humanos,habita ratione vtilitatis,& indigentiæ vniuscuiusq; rei; ex quo etiam venditiones & commutationes ortum habuere. Si enim vnusquisque sibi ipsi sufficiens esset, nulla esset commutatio,nulla venditio, nulla empuo,atque ex consequenti, nec etiam pretium aliquod morale esset. Itaque humana necessitas est, quæ rebus vtilibus pretiũ constituit,& magis vtilibus maius pretium. Et sic ex vtilitate,& ex maiori vtilitate omnium rerum pretium ortum habuit: æstimationem autem rei etiam desumimus principaliter ex illius vtilitate, & minus principaliter ex alijs,nempe, ex difficultate, labore, periculo,sumptibus, quæ ipsam circunstãt. Ex quo fit, vt si qua res nullo modo est vtilis, quantumuis ex alia parte sit coniuncta cum magna difficultate,atque labore, nullo modo pretio digna nec æstimanda dicetur. Si autem est vtilis etiam si sit facillima, nulloque labore fiat,erit pretio digna; Et si cum alijs circunstantijs coniungatur, erit magis æstimanda, atque pretiosior. Ex quo rursus fit secundò,quòd,quoniam primaria & præcipua ratio,atque fundamentum pretij & æstimationis rei,est vtilitas in ordine ad vsus humanos,quandiu aliqua res manet vtilis,tandiu erit pretio digna: & tunc erit nullius pretij,quando facta fuerit prorsus inutilis. Vnde,quia turpitudo, quæ inest operi prauo non reddit illud inutile in ordine ad vsus humanos, sit tertiò, quòd opus peccati ex eo,quod peccatum est,non amittit suum valorem,atq; ex consequenti, nec etiam amittit pretium, vt dicebant Medina, & alij iurisperiti: & sic iustè poterit vendi: & accipi pretium pro illo.

Vnde sumatur rei pretium.

Sententia aliorum.

¶ Alij Doctores alia ratione vtuntur ad respondendum difficultati propositæ. Supposito enim,quòd in his rebus, quæ turpiter acquiruntur,aliquando turpitudo se tenet solum ex parte recipientis, aliquando ex parte vtriusque,scilicet,dantis,& accipiẽtis, & aliquando ex parte circunstantiarũ. Dicunt primò,quòd si turpitudo tantum se teneat ex parte accipientis, vt siquis det iudici pretium, vt ferat iustam sententiam, tunc taliter acquisita sunt restituenda illi, qui dedit. Dicunt secundò, quòd si turpitudo se tenet ex parte vtriusque, vt cum datur aliquid iudici,vt proferat iniustam sententiam,aut gladiatori, vt hominem interficiat, taliter acquisita sunt restituenda non ei,qui dedit,sed pauperibus. Dicunt tertiò, quòd, si turpitudo tantum se tenet ex parte modi,aut circunstantiarum, vt cum quis operas suas in die festo conducit, taliter acquisita non sunt restituenda.

Impugnatur præfata sententia.

¶Sed nec hæc sententia est vndequaque vera, quanuis propiùs accedat ad veritatẽ. Errat enim in secundo asserto. Tum, quia quando aliquid datur meretrici, vt allicia-

& tamen taliter acquisita non sunt necessario restituenda, vt dicit D. Thom. hic ad secundum, & nos probauimus latè in. 1.to mo.q.32.art.7. Tum etiam, quia, quanuis frà sit,quòd aliquando sunt restituenda illa, quæ per actũ, in quo turpitudo intercedit ex parte vtriusque acquiruntur; vt cũ quis dat iudici pretium, vt proferat iniustam sententiam,aut gladiatori, vt hominem interficiat; est tamen falsum affirmare, illud esse restituendum pauperibus, si intelligatur ante iudicis sententiam. Nam,cùm leges,quæ præcipiunt taliter acquisita pauperibus erogari, sint pœnales,sit, vt ante iudicis condẽnationem non debeant quantum ad id, in quo pœnam imponunt, exequutioni mandari, vt diximus supra articulo. 5. huius quæstionis.

Restitutio tantum inducitur quando fuerit facta inæqualitas.

¶Quocircà his omnibus sententijs prætermissis,vt quid in hac re verum sit,explicemus, aduertendum est primò, quòd,cùm restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ æqualitatem efficiens, vt diximus articulo primo huius quæstionis, tunc tantum erit inducenda,quando fuerit facta inæqualitas. In contractibus autem humanis, quantum attinet ad præsens institutũ ex triplici fonte potest dimanare inæqualitas. Scilicet, vel,quia res, quæ venditur est nullius pretij,aut non tanti,quanti venditur. Vel,quia res,quæ gratis donanda erat, pro pretio datur. Vt si œconomus eleemosynam daturus aliquid à pauperibus peteret. Vel denique, quia contrahentes sunt inhabiles ad cõtrahendum. Itaq;, si omnia ista à contractibus defecerint, nullo modo in eis inæqualitas reperiri poterit; atque ex consequenti, nec ex eis restitutionis obligatio inducetur.

Quod res aliqua non sit digna pretio potest accidere dupliciter.

¶Secundò est aduertendum,quòd aliqua res non sit pretio digna, aut quod sit gratis donãda,dupliciter potest accidere, scilicet, vel ex natura ipsius rei,vel ex positione, & ordinatione legis positiuæ ordinantis, atq; præcipientis, vt quæ alioquin pretio digna erant,gratis dentur. Et quidem ex natura rei censentur nullius pretij,ea, quæ vsibus humanis nullo modo sunt vtilia, vt supra diximus. Et similiter ex natura rei sunt gratis donanda ea; quæ ex natura ipsius rei sunt diuinitus in commune bonum infusa, nec labore nostro, aut marte acquisita. Quales sunt res spirituales. Dixi notanter; Ex natura rei diuinitus infusa. Nã siquis ex infusione acciperet sciẽtiã rerũ naturaliũ, vt Adã, atque Salomon, fortè non teneretur eam cæteris gratis impartiri. Quia, quanuis talis homo eam scientiam sibi per laborem non comparauerit,sed gratis datam habuerit; ex natura tamen rei competit illi, vt labore atque exercitio comparetur, & sic est infusa solum per accidens. Ex lege autem earent pretio,& sunt gratis donanda ea,de quibus nominatim prohibet lex,ne vendantur,aut præcipit, vt gratis detur, quanuis alioqui ex natura sua sint pretio digna. Similiter etiam,quòd personæ sunt inhabiles ad contrahendum,dupliciter accidere potest. Vno modo ex natura rei,quia,scilicet, carent ratione,atque arbitrio,vel absolutè,vt furiosus,vel secundum quid,vt qui penitus ignorat,quid agatur,vel si non ignorat, fit ipso inuito. Hi enim omnes ex natura sua sunt inhabiles ad contrahendum. Ex quo fit, vt qui, vel ab ipsis aliquid emit, vel ipsis vendidit quidpiam,quanuis res alioqui sint vendibiles,facit inæqualitatem ex defectu libertatis ex altera parte,& sic tenetur ad restitutionem. Altero modo possunt personæ esse inhabiles ad contrahendum, ex lege positiua; quæ quidem facit, vt qui alioqui standi in iure naturæ erant habiles ad contrahẽdum, ex legis ipsius iusta ordinatione sint inhabiles,vt pupilli & primogeniti, &c.

Diuisio actuum humanorum quidam sunt boni, & quidam mali.

¶Tertiò est aduertẽdum, quod actuũ humanorum quidam sunt boni, & quidam sunt mali. Rursus ex bonis quidam sunt eiusmodi, vt ad eos efficiendos nulla lege obligemur,sed est in nostra potestate facere,vel non facere,vt ingredi religionẽ,& alia quæ sunt in cõsilio. Qui quidẽ actus,quia vtiles sunt,sunt pretio digni,& quia illos ex præcepto nõ tenemur facere, nec etiam obligamur eos gratis donare. Alij actus boni sunt, quorum habemus præceptum, consistuntque partim in negatione, vt non occidere, & partim in positione, vt Deum colere. Qui licet sint pretio digni, quia sunt vtiles; quia tamen sunt in præcepto,&c. & incumbit nobis necessitas illos efficiendi,vendere queunt, sed sunt gratis donandi. Alij actus humani sunt mali. Et hi omnes ex natura rei, quia sunt vtiles vsibus humanis, sunt pretio digni. Et, quia non est præceptum, vt gratis fiant,sed potiùs est præceptum,ne fiant;nõ tenemur illos gratis facere. Ex quo sequitur, quòd ex natura rei omnis actus peccaminosus,est pretio dignus. Cæterùm ex ordinatione legis positiuæ est maximum discrimen inter hos actus malos. Nam eos, qui sunt coniuncti cum iniuria alterius,lex positiua facit inuendibiles, vt furtum, homicidium, &c. vel quia voluit, vt illi actus nullius essent pretij,vel quia fecit ipsas personas contrahentes inhabiles, & inidoneas. De alijs autem actibus, qui fiunt citra alterius iniuriã,vt fornicatio,prodigalitas, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil statuit; sed eos suæ naturæ, & conditio ni reliquit, &c.

1. Conclus. ¶His constitutis sit prima conclusio. Stando in iure naturæ ea, quæ quis accipit, vel pro faciendo opere bono, quod erat in præcepto, vel pro omittendo prohibito, sunt restituenda ei, qui dedit. Vt si, verbi gratia, dedit quis pretium iudici, vt ferat iustam sententiam, vel amico mulieroso, ne scortetur. Hæc conclusio est contra Magistrum Soto lib. 4. de iustitia, q. 7. art. 1. in solutione ad secundum. Illam tamen tenet glos. in. l. vt puta. ff. de conditionibus ob turpem causam. quam sequuntur omnes Summistæ. Et probatur; Talia opera ex eo, quòd sunt in præcepto, sunt gratis donanda, vt paulò ante dicebam: ergo quanuis sint pretio digna, qui aliquid pro eis accipit tenetur ad illius restitutionem.

2. Conclus. ¶Secunda conclusio: Stando in iure positiuo ei, qui huiusmodi res pretio emit ab alio, non semper datur repetitio; sed tunc tãtum, quando emitur res alteri iniuriosa. Itaque, si quis det Petro centum, ne hominem interficiat, aut ne proferat iniustam sententiam, lege potest agere contra illum, & illa centum in iudicio repetere. Cæterùm, si illa dedit, ne scortaretur, non habet ex lege facultatem illa repetenti. Et quidem, quòd possit repetere in primo casu, habetur expresse in dicta illa lege, vt putà. iam citata. Sed quod non possit in secundo colligitur verosimiliter ex eo, quòd lex illa est pœnalis, atque ex consequenti stricti iuris, nec extendenda, nisi ad ea, quæ expresse in illa ponuntur. Nulla autem ibi fit mentio de pretio, quod quis dat alteri, ne ea peccata committat, quæ sine aliorum iniuria perpetrari possiunt. Ratio autem, propter quã in primo casu ex lege positiua datur facultas repetendi, & non in secundo, est, quia cùm finis legis sit prospicere bono communi, atque consulere paci publicæ, ad quam maximè pertinet vt homines non solum pretio, sed etiam propria sponte ab aliorum iniuria abstineant, idcircò, si id propter pretiũ fecerint, datur facultas repetendi. Et si quis obijciat contra istam conclusionem; Stando in iure naturæ ea, quæ quis accipit, vel pro faciendo opere bono, quod erat in præcepto, vel pro omittendo prohibito, etiam si illud non sit alteri injuriosum, sunt restituenda in foro conscientiæ, vt diximus in prima conclusione: ergo poterit conferens, nisi reddantur illa, in iudicio repetere; respondeo concesso antecedenti, negando cõsequentiam. Nam, quemadmodum aliquando contingit, quòd per aliquem contractũ dominium rei transferatur, & tamen illius repetitio possit fieri in foro exteriori, ab eo, qui dominium non habet, vt diximus supra in. 1. tom. quæst. 32. art. 7. circa solutionem ad secundum agentes de ludo, in quo lex translationem dominij non prohibet, & tamen repetitionem concedit: ità etiam ali quando contingere potest, quòd ille, cui dominium debetur, rem suam in iudicio repetere non possit, vt est videre in illis mulieribus, quæ publicæ non sunt, quæ quidem non minus, quàm publicæ pro vsu sui corporis pretium accipere possunt, vt quæst. 32. art. 7. circa tertiam conclusionem Diui Thomæ ostendimus. Vnde qui quidquam illis promisit tenetur in foro conscientiæ illud soluere, nisi fortè excessus iustæ æstimationis pro ratione personarum immodicus esset. Et tamen quantum ad forum iudiciale meretrici datur in iudicio actio petendi pretium promissum, illi verò, quæ non est publico loco exposita, denegatur, vt cõstat ex lege idem si ob stuprum. ff. de cõditionibus ob turp. cau. Et ità contingit in proposito, quod quanuis ille, qui accipit pretium pro faciendo opere bono, quod erat in præcepto, vel pro omittendo prohibito, quando illud non est alteri iniurioſum, ex lege naturæ in foro conscientiæ teneatur ad restitutionem pretij, in foro tamen iudiciali non conceditur ei, qui dedit, facultas repetendi, nisi quando opus, pro quo datur, est eiusmodi, quod cedit in alterius iniuriam.

Obiectio.

Responsio.

¶Tertia conclusio: Stando in sola lege naturæ, quæ quis accipit in pretium pro rebus sacris & spiritualibus, sunt restituenda ei, qui dedit. Et quidem, quòd pro rebus spiritualibus accepta sint restituenda; probatur manifestè: Nam cùm istæ res sint gratis donandæ, iuxta illud Christi, Gratis accepistis, gratis date; quanuis ex alia parte infinito pretio sint dignæ, quicunque illas vendit ex iure naturæ tenetur pretium restituere. Quod autem huiusmodi pretium, stando in iure naturæ, sit restituendum ei, qui dedit, negant multi: sed nos illud probauimus supra quæst. 32. art. 7. circa secundam conclusionem D. Thom. De quo etiam plura dicemus infrà in propria materia de simonia. quæst. 100. 3. Conclus.

¶Quarta conclusio: Stando in solo iure naturæ, merces operis praui, atque peccaminosi, cuiusuis generis sit illud, non est restituenda, sed est illius, qui accipit. Itaque quę quis acquirit causa interficiendi hominis, aut iniustam sententiam proferendi, stando in solo iure naturæ, sunt propria illius, qui accipit, nec illa tenetur restituere. Hæc conclusio 4. Conclus.

clusio probatur eisdem rationibus, quibus supra impugnauimus sententiam Medinæ, atque Canonistarum. Quarum præcipua & fundamentalis est, quòd, cùm istæ actiones non sint in præcepto, sed potius sint cõtra præceptum, nullus tenetur eas gratis exhibere. Et ex alia parte, quia in ordine ad humanos vsus afferunt vtilitatem, illis, scilicet, quorum causa fiunt, sunt pretio æstimabiles: & sic nullam facit inæqualitatem qui illas vendit; atque ex consequenti, stando in iure naturæ, nõ tenetur pretium restituere.

1. Arg. contra quartã conclusionẽ à nobis positam.

¶Sed contra istam conclusionem sunt alij quot argumenta. Primum desumitur ex D. August. Epist. 54. ad Macedonium. Qui dicit: Si iustitia syncerius consulatur, iustius dicitur aduocato; Redde quod accepisti, quando in iudicio contra veritatem astitisti, iudicem fefellisti, iniustam causam vicisti, quam cuiq; dicitur in quolibet officio militanti; Redde quod accepisti, quando iudice iubente hominem nefarium vicisti, in iudicium adduxisti, & ne fugeret tenuisti, &c. Quibus verbis D. August. in hunc modum argumentatur: Si iustum est, vt iudex, aut minister iudicis restituat id, quod accepit pro condemnando nefario homine, & in carcerem reducendo: ergo multò iustius est, quòd aduocatus restituat, quidquid accepit pro iniusto patrocinio. Atque ex cõsequenti ex sententia Augustini secundum ius naturæ restituendum est illud, quod quis

2. Argum. pro opere praui accepit. ¶Secundò sic argumentor: Teneatur iudex restituere quod accepit pro iusta sententia ferenda: ergo à fortiori tenebitur restituere quod accipit

3. Argum. pro iniusta. ¶Tertiò: Iudas proditor, quãuis erat homo nequissimus, non fuit ausus retinere pretium acceptum pro iniusta Christi Domini traditione; sed pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens; Peccaui, tradens sanguinem iusti; signum ergo est, quòd ex naturæ lege non est licitum retinere pretium pro praui opere acceptum.

Ad. 1. arg. ¶Ad primum argumentum respondetur, D. August. in illo loco nõ loqui de eo, quod est secundum ius naturæ, quo certũ est aduocatum non teneri ad restitutionem eorũ, quæ pro iniusto patrocinio accipit. Sed solum ostendit, quam iustum esset, quod legibus Imperatoris præciperetur, vt aduocatus restitueret quæ ex iniusto patrocinio acquirit; etiam si ad id ex naturæ iure non teneatur. Et si quis instet, D. August. dicere, iustius esse, quòd aduocatus rediat taliter acquisita, quàm quod iudex, aut eius minister restituant quod pro iusta sententia, aut pro debito ministerio acceperint; sed iudex etiam stando in iure naturæ tenetur facere restitutionem eius, quod pro iusta sententia accipit, vt diximus in prima conclusione: ergo est sententia D. August. quòd aduocatus ex eodem iure tenetur quidquid pro iusto patrocinio datur, restituere; respondeo D. August. in illo loco non facere comparationem earum rerum in ordine ad ius naturæ, sed in ordine ad leges ciuiles, quas tacito quodam modo reprehendit, propterea quòd dant facultatem repetendi id, quod quis iudici pro iusta sententia proferenda tribuit; non autem concedunt repetitionẽ illarum rerum, quæ pro iniusto patrocinio aduocatis conferuntur, cum tamen maior sit malitia & iniquitas aduocati, quam iudicis. ¶Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam iusta sententia cum sit in præcepto, & gratis conferenda, vendi non potest. At verò sententia iniusta, quia est pretio digna, nec gratis conferenda, cum non sit in præcepto, sed potiùs contra præceptum, bene potest ex natura rei pro pretio dari absque eo, quòd inæqualitas fiat. Ad. 2. arg.

¶Ad tertium argumentum respondetur primò, male desumi argumentum ex tam pessimi hominis facto. Vel secundo respondetur, id naturale esse hominibus, quòd cùm graui aliquo affectu corripiuntur incitati à vi passionis, plura faciunt, ad quæ alioqui non tenentur. Et sic Iudas ex mœrore, quẽ de suo facinore conceperat se suumq; scelus detestans, non solum proiecit pretium, quod apud se poterat retinere, sed etiam diuinæ pietati diffidens, seipsum laqueo suspendit. Vnde, sicut non valet argumẽtum; Iudas laqueo se suspendit: ergo & nos idem facere debemus: sic etiam nec concludit, quòd si Iudas non retinuit pretium pro iniusta Christi venditione acceptum, nec etiã quicunque alij illud pro male factis retinere possiunt. Vel tertiò respondetur, id factum fuisse à Iuda non vt satisfaceret iustitiæ, sed Deo sic disponente, vt vaticinium illud adimpleretur, quod fuerat prædictum ex eius nõmis agrum emendum in sepulturam pro pauperibus, vt sic Christus omni in re vtilis esset mortalibus. Ad. 3. arg.

¶Quinta conclusio: Suppositis legibus ciuilibus, & iure positiuo, quæ dantur pro operibus prauis coniunctis cum alterius iniuria, sunt necessariò restituenda. Probatur ex lege mulctarum. C. de modo mulctandi. vbi omnia sic acquisita adijciuntur fisco. De huiusmodi iq; iniurioſis operibus est intelligenda lex illa generaliter. de verborum õbligationibus, cum dicit, turpes stipulationes esse 5. Conclus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes esse nullius momenti. Agit enim solum de operibus cum alterius iniuria factis. Est etiam pro hoc textus in cap. non sanè. 14. q.5.vbi id peculiariter de iudice iniustè ferente sententiam diffinitur. Et ratio huius decreti est,nō quia actiones præuæ nō sunt pretio dignæ; iam enim constat ex superioribus eas ex natura sua iustè posse vendi;sed quia sublato pretio minus homines allicientur ad inferendam alijs iniuriam.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an qui aliquid acquisierunt ex operibus prauis iniuriosis, teneantur illud statim restituere ante iudicis condemnationē? Et pro parte negatiua est argumentū: Tales obligantur ad restitutionē ex lege pœnali: sed huiusmodi leges non obligant ante iudicis condemnationē:ergo. In hoc tamen sit sexta cōclusio: *6. Conclus.* Illa bona sunt restituenda ante iudicis condemnationem. Hāc ponit Mag. Soto lib.4. de iustitia.q.7.art.1.ad.2. Et probatur: Lex ipso iure reddit personas inhabiles ad recipiendum aliquid pro operibus iniuriosis:ergo si recipiant,tenentur illud statim in conscientia restituere. Nec obstat argumentum in contrarium adductū: Nā vt diximus art. 3.huius quæstionis,illæ leges pœnales, quæ tantum imponunt pœnam consistentem in priuatione, bene possunt obligare ad illam ante iudicis condemnationem. Et talis est lex, quæ facit personam inhabilem ad recipiendum quidquam ex opere iniurioso.

¶De eo autem, cui debet fieri restitutio ante iudicis condemnationem, est nō leuis difficultas inter Doctores. Soto loco citato, dicit,illud esse restituendum ei,qui dedit. Et ratio illius est: Quia licèt per legē ille, qui accipit, fuerit redditus inhabilis ad retinēdum quod non erat suum,ille tamen,qui dedit,non potuit priuari re propria ante iudicis condemnationē. In hoc tamen sit septima conclusio: *7. Conclus.* Pretium acceptum pro sentētia iniusta, aut pro homicidio perpetrando causa subsequuta,est restituendum,non illi, qui dedit, sed pauperibus ante iudicis condemnationem, & post condemnationē iudicis,fisco. Posui illam particulam,causa subsequuta. Nam quando opus,pro quo pretium datur,non subsequitur, certum est,illud esse restituendum illi,qui dedit iuxta id,quod diximus in principio huius articuli de contractibus conditionalibus. Et quidem,quòd pretium illud non sit restituendū ei, qui dedit probatur efficacissima ratione: Stando in solo iure naturæ,seclusō omni iure positiuo, ille, qui dat pecuniam pro homicidio subsequuto, non manet dominus illius pecuniæ: ergo nec per ius positiuum iuri naturali superadditum acquirit dominium talis pretij. Consequentia patet: Nā ius positiuū non fauet delicto illius, qui dat pecuniā pro homicidio;faueret autē,si præciperet sibi restitui rē, cuius dominiū stando in iure naturali ad se nō pertineret. Antecedens autē probatur: Quia libera, & spontanea voluntate abdicauit à se dominiū illius pecuniæ,& transtulit illud in eū, cui dedit. Nihil autē est magis æquū,quàm,quòd per domini voluntatē, volentis rē suā in alium transferre,dominiū conferatur, vt dicit Instit.de rerum diuis.§.per traditionē. Et confirmatur: Per ius positiuū, ille, qui accipit pretiū,ità redditur inhabilis ad illud retinēdum, vt non acquirat dominiū illius,cū tamen stando in solo iure naturæ,illud acquireret: ergo à fortiori ille,qui dat,& stando in solo iure naturali nō haberet dominiū illius pretij, per ius positiuū redditur inhabilis ad illud recipiendū: atq; ex consequenti non sibi sed pauperibus, vel fisco debet restitui. Hāc sententiā tenet Cord.lib.1.q.32. art.3.& Couar. regula peccatū.p.2.§.2. Dixi autem in conclusione, illud pretiū ante iudicis condemnationē esse restituendum pauperibus, & post condemnationē fisco. Tum, quia,vt docet D.Th.infr.q.66.art.7. res,quæ homini redundant, pauperū sustētationi iure naturæ debentur,iuxta illud D. Ambrosij: Esurientium panis est,quē tu detines: nudorum indumentū est, quod tu recludis;miserorū redemptio, & absolutio est pecunia,quā tu in terra defodis, &c. quod refertur.47.d.Tū etiam;quia sunt quam plurima capitula iuris positiui, quæ dicunt ea, quæ proprio domino carēt pauperibus esse distribuenda, qualia sunt.c.cum tu. de vsuris.&. c. qui habetis. &.c.non sanè.14.q.5. Ex quo fit, vt quotiescunq; alicui rei legitimus dñs deest,illud pauperibus sit tribuendū. Fisco autem nunquā datur, nisi id,quod post iudicis sententiā ei fuerit applicatū. Cū ergo in casu,de quo loquimur res,quæ datur pro homicidio perpetrando non possit retineri ab illo,qui accipit, nec etiā debeat reddi illi, qui dedit, sequitur, q̄ caret vero domino: & sic ante iudicis condemnationē dāda erit pauperibus. Et ad fundamētū Soti respōdetur,falsum esse, q̄ ille,qui dedit pecuniā pro homicidio priuetur re sua ante iudicis cōdemnationē per hoc,quod nō restituatur illi. Nā cū ipse iā nō habeat dominiū illius,sed illud in alterū transtulerit,manifestè sequitur,quod nihil ab eo auferatur.

¶Octaua cōclusio: Quæ dantur pro opere turpi nulli iniurioso, vt pro stupro,fornicatione,&c. nō solū secūdū legē naturalē,sed *8. Conclus.*

etiam

etiam secundum leges humanas non sunt restituenda. Hæc conclusio est diffinita in.l. idem. ff. de conditionibus ob turpem causam. Vbi dicitur, quòd licèt meretrix turpiter agat in eo, quòd meretrix est,non tamē turpiter facit in eo,quod pretiū accipit pro meretricio. Et confirmatur: Nam licèt meretrix non sit domina sui corporis,est tamē domina vsus ipsius. Vnde pro illo vsu potest pretium & mercedem exigere. Maximè cum in legibus humanis non tantum permittantur meretrices, sed etiam pretium taxetur. Et quod dico de meretricibus,est etiā dicendum de alijs fœminis inhonestis, cuiscunque sint conditionis:imò & de viris, si aliquid acceperint, vt libidini fœminæ, vel alterius viri deseruiant, cum omnium sit vna & eadem ratio, scilicet, quòd actiones illæ sunt pretio æstimabiles,nec talis cōditionis, vt debeāt gratis exhiberi. Nec præterea ex alia parte est lege prohibitum, ne detur pretium pro illis. De hac re videnda sunt quæ diximus in.1.tom.q.32.art.7.circa tertiam conclusionem D. Thom.

Ad arg. pro sententia Panormit. ¶ Restat nunc respondere ad argumenta in principio huius quæstionis facta pro opinione Canonistarum. Vnde ad primum & secundum dico, quòd textus in illis adducti particularem continent determinationem, nec ex illis aliqua potest desumi vniuersalis contraria nostris conclusionibus. Ad tertium respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico;falsum est,quod peccatum nullius est valoris, vt ex superius dictis satis constare potest. Et hæc de tota ista difficultate.

Sententia D. Tho. in solut. ad. 3. ¶ In solutione ad tertium argumentum explicat D.Thom. cui, & quomodo sit facienda restitutio, quando verus dominus non comparet, vel quia mortuus est, vel multum distans,vel omnino ignotus. Et cōstituit tres propositiones. Prima est: Si dominus est mortuus, restituenda est eius hæredibus, qui personam defuncti repræsentant, & succedunt in iure, quod ille habebat. Secunda propositio: Si creditor sit absens transmittenda est illi res, si commodè fieri poterit,& si non potest commodè trāsmitti,debet in aliquo loco tuto deponi, vt domino conseruetur. Tertia propositio: Si Dominus sit omnino ignotus,præmissa sufficienti diligentia ad ipsum inquirendum, restitutio est facienda pauperibus, vel alijs pijs vsibus: per hunc enim modum redditur res domino meliori modo, quo potest. *Explicatur litera Diui Thom.* Hæc dicit D. Thom.in solutione ad tertiū, quæ suo ordine erunt explicanda. Et quidē circa primam propositionem nihil aliud est dicendum, nisi quod siue hæredes sint necessarij, quales sunt illi quos testator, nisi legitima, rarissimaq; de causa exhæredare non potest,vt filij respectu parentum,& parentes respectu filiorum, siue succedentes ab intestato,vt fratres atque consanguinei, siue ex testamento, vt alieni quomodocūque quis sit alterius hæres,eidem est faciendā restitutio. Et si desunt hæredes restituendum erit illud pauperibus, vel in pios vsus consumendū. Et in hoc omnes conueniūt. Circa secundam propositionem est aduertendum, quòd si non potest commodè res transmitti,nec est vltra spes,quod in posterum dabitur commoditas transmittendi,iudicari debet de illa, ac si dominus esset mortuus. Si quis autem quærat quando dicetur res commodè posse transmitti? respondeo ad id considerari debere valorem rei,distātiam, creditoris sumptus in ipsa transmissio ne faciendos, aliasque circunstantias ad arbitrium boni viri. Et si sumptus & labor transmissionis rei valorē excedunt,non dicetur tūc cōmodè posse transmitti,vt bene notat Scotus in.4. dist.15.q.2.art.5. Et idē est dicendum, si moraliter certum est periculum,quod res transmissa ad dominum nō perueniet.

Dubium. ¶Sed maior est difficultas de sumptibus, atque expensis,quibus res trāsmitti debeat D.Thom.de hoc nihil determinat. Soto lib. 4.de iustitia. q.7.art.1.ad.3. breuiter dicit, quòd qui via iniusta debitum contraxit suis expensis tenetur illud transmittere,secus autem est de eo, qui via iusta contraxit. Sed latius atque melius Medina.C. de restitut. q.2.art.3.& Ledesma,2.p.4.q.18. art. 5. ad 3.& Nauarro in Manuali. cap.17.num.42. De quorum mente dico primò,quòd,si debitor sic erat bonæ fidei possessor, quòd rē suam esse & nemini eam debere putabat, tunc satisfacit,si quando sciuerit se debitorem esse rem illi soluat,seu restituat,aut restituendam deponat,vbi se repererit,nec tenetur rem ad creditorem suis expensis mittere. Itaque satis est,ei significare,se debito rem esse, & rem debitam seruare,vel in loco tuto eam deponere. In hoc dicto communiter conueniunt Doctores. Et ratio est: Nam cum iste solum teneatur ad restitutionem ratione rei alienæ, & non ratione iniustæ acceptionis, satis erit rem ipsam reddere eo tempore, & eo loco, quo rem alienā esse resciuerit. *1. Dictum.*

2. Dictum. ¶Dico secundò, quòd malæ fidei possessor ille,scilicet, qui iniustè contra voluntatem domini detinet rem vltra tempus constitutum proprijs expensis,tenetur illam remittere ad locum, in quo accepit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pit, vel iniustè occupauit. Ita habetur expresse in cap. Episcopis. & cap. re integranda. 3. q. 1. & lege si vero. ff. de rei vendicatione. Et ratio est: Nam aliàs iniquitas furis legitimo domino, qui iniuriam passus est præiudicium afferret, quod per restitutionem non repararetur. ¶ Dico tertiò, quòd, si dominus iniustè spoliatus recedit à loco, in quo res ab eo ablata fuit, & eam illuc erat asportaturus, non tenetur debitor proprijs expensis illam ad ipsum transmittere; sed satis erit, quòd rem transmittat illis expensis deductis, quas dominus in asportatione facturus erat. Probatur. Nam licèt fur teneatur rem acceptam restituere cum damnis, & lucris cessantibus inde consequutis, nullum tamen aliud tenetur lucrum superadijcere. Esset autem nouum lucrum, si dominò sine expensis rem, quam ipse cum dispendio asportaturus erat remitteret. ¶ Sed quid, si in transmissione pereat ipsa res ob nūtij infidelitatem, vel alio casu? Medina, atque Ledesma locis citatis respondent cum Panormitano in cap. significante. de pignori. quòd, si transmissa res debita erat in propria specie, & indiuiduo, & transmittens adhibuit diligentiam moraliter sufficientem; si res pereat, non tenetur valorem restituere. Et ratio est: Nam cum non sua culpa perierit, non sibi, sed creditori, qui eius rei dominium habebat, perire debet. Si autem res non erat debita in propria specie, & indiuiduo, sed solum secundum valorem, atq; pretium, tunc si transmissum pretium in via pereat non liberatur transmittens ab obligatione restitutionis. Et ratio est: Nam, cum pretium illud nondum in creditoris potestatem peruenerit, nec eius subiectū sit dominio, sed adhuc maneat in dominio debitoris, non creditori sed debitori perire debet, nisi fortè creditor nuntium misisset, vel aliter transmissionis modum determinasset, tunc enim ipsi periret res & non debitori transmittenti. Hic modus dicendi verissimus est, quanuis in primo casu addendum existimo, quod si res in propria specie & indiuiduo erat debita, & transmittens erat malæ fidei possessor, iniustèq; accepit vel retinuit rem, non liberatur ab obligatione restitutionis, nisi quando cum effectu res ad domini potestatem peruenit. Vnde quātamcunq; diligentiam adhibeat ad securè transmittendum, si res perit adhuc tenetur valorem restituere. Et ratio est: Nam, cùm ille non solum teneatur ad restitutionem ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis, quo ad vsq; res ad dominū perueniat, iniustæ acceptionis obliquitas perseuerat, censeturq; per iniuriā proximus damnificatus, quod damnum per restitutionem erit adhuc resarciendum.

3. Dictum.

Quæstio.

Responsio.

Verus rei dominus dupliciter potest ignorari.

¶ Circa tertiam propositionem D. Tho. in qua de restitutione eorum, quorum dominus ignoratur, agit, aduertendum est dupliciter posse contingere, quòd alicuius rei verus dominus ignoretur. Vno modo in particulari, & non in vniuersali. Quod accidit, quādo quis certò scit se debere vni ex duobus, vel tribus, ignorat tamen in particulari quis illorum sit. Vt si verbi gratia, mercator certo sciat, se defraudasse vnum è duobus mercatoribus, cū quibus cōtractū iniit & ignoret vter illorum fuerit. Idemq; contingit in duce bellum iniustum gerente qui certò scit prædam à se factam esse hominū alicuius certæ ciuitatis: ignorat tamen in particulari quid cuiusque sit. Et in his casibus certum est, rem esse diuidendam inter eos, de quibus dubitatur, magis, vel minus pro ratione dubij: nec aliter restitutio fieri potest. Alio modo potest contingere, quòd ignoretur verus rei dominus, cui restitutio est facienda in vniuersali. Et tunc etiam est certum secundum omnes, quòd diuidenda est inter pauperes, vel in alios pios vsus cōuertenda, vt ex pluribus capitibus iuris manifestè constat, maximè ex cap. cum tu. de vsuris. Vbi dicitur acquisita per vsuras restituenda esse pauperibus, quando non supersunt illi, à quibus accepta fuere, nec eorū hæredes. Et assignatur pro ratione, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Dubium de iure quod habent pauperes.

¶ Cæterùm de iure, quod pauperes habent ad huiusmodi iniustè acquisita quādo verus illorū dominus ignoratur in vniuersali non leuis est controuersia inter Doctores Soto lib. 4. de iustitia. q. 7. art. 1. ad. 3. dicit, quòd stando in solo iure naturali huiusmodi incerta debita sunt reipublicæ, vel ciuitatis. Nam cum res vniuersæ in communi sint traditæ humano dominio, quarum diuisio iure gentium facta est, fit, vt dum expectatus legitimo tempore dominus nō cōparet, iteraēò veniant in vsum publicū. Addit tamen, quòd quoniam Christi vicarius totius reipublicæ Christianæ curā gerit, iure & meritò potuit hæc bona, quasi cōmunia reipublicæ pauperibus applicare, qui eiusdem reipublicæ sunt egena membra; & sic re vera ea applicauit. Ex quo infert primò, quòd dominium harum rerū non transit in pauperes, ac si creditorum essent hæredes; sed dum ipsis datur, quasi creditoribus soluitur, & tunc per dationem acquirūt verum dominiū. Infert secundò, quòd quādo respublica his debitis ad alios pios vsus eguerit, cessat tunc ius erogādi pauperibus. Ius enim positiuum, quale dicit esse hoc de conferendis iniustis acquisitis, quando ignoratur dominus pauperibus non potest iuri naturali derogare. Hæc Soto.

Sententia Soti.

Sententia vera.

¶ Couarruuias in regul. peccatū. p. 2. §. 1. de mente D. Tho. in isto art. dicit incertā debita non solum iure humano, sed etiam naturali esse restituenda pauperibus, vel in alios pios vsus conuertenda. Quæ sententia mihi multò magis probatur. Quocirca ad illius explicationem sit prima conclusio: Bona ab aliquibus iniustè accepta, quanuis verus illorum ignoretur dominus, non efficiūtur communia, sed semper manent in dominio priorum dominorum. Dixi notanter, iniustè accepta. Nam de bonis amissis, quę vulgò appellantur, mostrencos, alia est ratio, vt posteà dicemus. Hæc conclusio est contra Sotum, vbi supra. Illam tamen tenet Cāietanus hic, & videtur esse D. Tho. in solut. ad 3. Vbi dicit, quòd si ille, cui debet fieri restitutio, est omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet, dando eleemosynas pro salute ipsius, siue sit mortuus, siue viuus. Quibus verbis apertè significat hominem illum ignotum bonorum illorum non amisisse dominium, siquidem expendenda esse dicit in eo, quod ei fuerit magis vtile. Et ratione sic arguūtur: Nullus amittit dominium rei, quam habet, nisi vel voluntate sua, vel legis sententia: sed nulla est lex, quæ dominum à quo bona iniustè ablata sunt, suis bonis priuet, ob id, quod dominus ignoratur, nec aliqua potest esse iusta causa talem legem condendi, nec præterea ipse dominus à se abdicat illorum bonorum dominium: ergo semper manet dominus, quanuis sit ignotus. Et confirmatur: Nam aliàs sequeretur, quòd per totam alterius iniuriam priuaretur quis suadum. Præterea hoc ipsum probatur ex tacito quodam consensu, atq; iudicio omnium Doctorum, & legum, de huiusmodi bonis loquentium. Qui dicunt, atque iudicant expendenda ea esse in illis, quæ magis videbūtur conformia voluntati veri domini. Qualia sunt distributio in pauperes, & in alios pios vsus. Quod nunquam dicerent, si iudicarent per talem veri domini ignorationē fieri communia.

1. Concluſ.

2. Concluſ. ¶ Secunda conclusio: Ista bona vero domino ignoto restituēda sunt eo modo, quo melius ei restitui possunt. Hæc conclusio sequitur ex priori. Nam si adhuc dominus ignotus habet dominium istarum rerum, sequitur, quod ei & non alteri meliori modo, quo fieri potest, sunt restituenda. ¶ Sed quoniam res aliqua vno è duobus modis potest alicui reddi, scilicet, vel dando eam ei in manu sua, quam restitutionem fieri ignoto domino est impossibile, vel ex ipsius voluntate rationabiliter præsumpta consumendo illam in eo, quòd sibi vtilius futurum iudicatur. In hoc sit tertia conclusio: Talia bona iniustè accepta, quorum domini ignorantur, conuertenda sunt in eos vsus, qui fuerint futuri vtilissimi vero domino, quales sunt eleemosynæ, suffragia, &c. Probatur: Nam hoc facere est illi sua bona restituere meliori modo, quo potest. Ex hoc infero primò contra Magistrum Sotum non esse de iure positiuo, sed de iure naturali, quod bona iniustè acquisita in pios vsus conuertantur. Nam cum ius naturale sit, quòd suum vnicuique reddatur, & conuertere ista bona in pios vsus, sit illa veris dominis restituere, manifestè sequitur, nō esse minus de iure naturali, quod in pios vsus diuidantur, quam quòd veris dominis reddantur. Infero secundò, quòd quamuis sola potestas ecclesiastica possit determinare vsum pium, in quem ista bona sint conuertenda, vtpotè ad quam pertinet determinare illa, quæ spiritualia sunt, aut conferunt ad bonum spirituale (cùm enim ista bona, vt dixi, ex natura rei consumi debeant in vtilitatem, & commodum spirituale veri domini, & istud commodū parari possit multis modis, potestas ecclesiastica poterit diffinire vnum certum, quo paretur) cæterùm conuertere ista bona in alios diuersos vsus, nec Papa, nec Rex potest facere, nisi in casibus, in quibus possunt pro bono reipublicæ accipere bona priuatorum. Et ratio est: Nam cum ista bona verè sint bona priuata, & non communia, vt ex dictis patet, sequitur, quòd nec Papa, nec Rex licitè poterit ea accipere, nec illa conuertere in vsus publicos, nisi in illis casibus, in quibus tanquam illi, quibus incūbit cura totius reipublicæ, possunt bona ciuium pro cōmodo & necessitate communitatis accipere. Verum tamē est, quòd minor causa erit aliquando sufficiēs ad hoc, vt Rex conuertat ista bona in vsus reipublicæ, quàm alia, quorum domini non ignorātur. Probabiliter enim præsumimus, quod domini ignoti faciliùs permittent pro bono reipublicæ abdicari à se illa bona, quam illa, quæ actu possident, & quorum fructum percipiunt.

3. Concluſ.

Corollariū contra Sotum.

Dubium de rebus inuē tis.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrū idē sit dicēdū de rebus inuētis, quod dicim⁹ de rebus iniustè acquisitis, quādo facta sufficiēti tic-

Universidad de Deusto
Biblioteca

diligentia illorū verus dominus ignoratur. *Sententia Caiet.* Caietanus in præsenti parte tenet affirmatiuam, quam sequitur Nauar. in Manual. c. 17. n. 176. & Couar. in regul. peccatū. p. 3. §. 1. Estq; hæc communis sententia omniū Sū mistarum in verbo, inuētum, & omniū ferè *Fundamentū Caiet.* iurisprudentium in cap. cū tu. de vsuris, & cap. cum sit. de Iudæis. Qui vnanimiter dicunt res inuentas, de quibus vero similiter creditur, quòd habent dominiū, licet facta sufficienti diligentia inueniri nō possit, esse necessario restituendas pauperibus, vel in alios pios vsus distribuendas, nec posse ab inuentore retineri. Et probatur: Tum, quia eadem videtur esse ratio de his inuentis, ac de alijs debitis incertis. Tum etiam, quia in authen. omnes peregrini. C. communia. de succesio. & l. penult. tit. 1. p. 6. dicitur, bona peregrini defuncti ab intestato, cuius hæredes non inueniuntur, distribuenda esse per iudicem in pios vsus. ¶ Alij affirmant, quod *Aliorum sententia.* huiusmodi bona post elapsum tēpus à lege statutū censentur cōmunia, & vt talia applicantur illis, quibus à lege applicari præcipiuntur. Cęterùm Sarmiento. 6. select. c. 10. *Sarmiento.* ex professo docet huiusmodi bona retineri posse tuta conscientia ab inuētoribus, post factam sufficientem inquisitionē: quā etiam sententiā tenent aliqui ex iunioribus Thomistis: in eandemq; propendit multū Soto lib. 5. de iustitia. q. 3. art. 3. ad. 2. quæ & mihi *Sententia vera.* videtur probabilissima. Et probatur primò: Huiusmodi bona haberi videtur pro derelictis à vero domino: ergo in nullius bonis existunt; atq; ex consequenti, qui ea primo occupauerit, sine iniustitia poterit retinere. Et confirmatur; In iure pro eodē reputātur ignorari dominū rei, & rem nullū habere dominū, vt latè ostendit Sarmiento vbi supra: sed si iltæ res nullū haberent dominū, herent primi occupantis: ergo idē etiam cō tingit in proposito. Secundò: Qui reperit thesaurū acquirit eius dominiū, saltim quātum ad partem illius, vt omnia iura proclamant, quę est videre apud Sotū loco citato: ergo, & qui inuenit bona à dominis derelicta, & quasi proiecta. Probo cōsequentiā: Nā eadem est vtriusq; ratio. Sed de hoc plura dicemus infr. q. 66. art. 5. ad. 2. ¶ Et ad fun- *Ad fundamentum Caiet.* damentum primæ opinionis dico, non esse eandem rationē de inuentis, & de alijs debitis incertis iniustè contractis. Hæc enim per iniustitiā fuēre occupata, & nulla æquitas patitur, vt ex sua iniustitia quis commodum reportet. At verò illa iustissimè possidentur ab inuentore. Nec lex citata de peregrino mortuo facit cōtra nos; bona enim illius non dicuntur incerta. Et sic secundū iura, cùm ille discesserit ab intestato, debuit per iudicē de bonis illius in fauorē animæ suæ suppleri testamentum. Nec etiā obstant aliæ leges huius regni, quibus bona incerta, quæ vulgò appellantur, mostrenca, iudicibus tradi præcipiuntur, vt post factam per certum tempus sufficientem domini inquisitionem, eo nō inuento regiæ cameræ adiudicentur, vt est videre lib. 6. nouæ Recopilat. tit. 13. leg. 67. & 68. Non inquam obstant hæ leges, quia non sunt receptæ, tanquam obligantes in conscientia. Imò multi de earū æquitate dubitant, inter quos vnus est Couar. loco citato. num. 5. An autē ille, qui rem inuenit, possit domino comparere aliquid ab eo petere pro eius traditione, quod vulgò appellatur, hallazgo, explicatur à Sarmiento, vbi supra, ex mente aliquo rū Doctorū. Et resolutio est, quòd solū potest petere expensas, si quas fecit pro rei custodia, aut pro veri domini inquisitione. Ni si fortè dominus sua sponte, atq; liberaliter in gratiarum actionem, aliquid ei vltra largiri velit, tunc enim licitum esset illud recipere.

¶ Est aliud dubium circa eandem D. Th. propositionem, an in casu, quo facienda est restitutio pauperibus, sit liberum debitori, quibus voluerit restituere; vel potius teneatur facere restitutionem ex Episcopi autoritate, & secundum eius electionem. Hostien. *Sententia Host. & aliorum.* in cap. cum tu. de vsuris, quem etiam sequū tur alij Doctores, dicit necessariam esse ad hoc Episcopi autoritatem. Quod probat ex *Fundamēt.* cap. cum sit. de Iudæis. Vbi dicitur: Iudæus inter Christianos officium publicum gerēs quæcunq; ex tali officio lucratus fuerit, inter pauperes Christianos secundum prouidentiam diœcesani distribuere est compellendus. Idem etiam videtur statutum in illo cap. cum tu. de vsuris. quantum ad illa, quæ vsurarius illicitè acquisiuit, quandiu non constiterit de vero domino. Et ratione sic argumentor: Episcopus ex officio habet, q̄ sit pater pauperū, & quod suscipiat eorum curā, vt constat ex. c. diuinæ. 87. dist. & ex. c. Episcopus. 3. distinct. 88. ergo ad ipsum prior pertinebit administrare bona pauperibus debita, illāq; distribuere. ¶ Contrariam *Sententia Nauar. & aliorum vera.* tamen sententiam tenent Nauarro in Manuali cap. 17. num. 92. Soto lib. 4. de iustitia. quæst. 7. artic. 1. ad 3. & alij cum Sylue stro. verbo. restitutio. 3. q. 5. Vbi plurimos ad hoc citat autores, qui vnanimiter dicūt, eum, qui restitutioni est obligatus, ob incerta debita iniustè contracta, per seipsum sine Episcopo, & etiam sine confessore restituere posse. Pro qua sententia facit cap. sicut

sicut dignum. de homic. §. eos autem. Vbi de quodam, qui bona defuncti inique detinebat, & ex ipsis quædā pauperibus erogauerat dicit, q̄ quæ aliena erant, si poterāt eis, quorum fuerant restitui, non debebāt pauperibus erogari. Vnde à contrario colligitur, q̄ si non poterāt ijs, quorū fuerant bona illa, restitui, quod poterat ea pauperibus erogare. Idem etiā probatur ex. c. religiosus. de testam. lib. 6. Vbi in sententia habetur exe cutorē testamenti liberē debere mādata exequi testatoris. Ex quo loco sic colligo argumentum. Exequutor liberē, hoc est, sine Epi scopi autoritate, potest mandata exequi testatoris: ergo à fortiori ipse testator si viueret posset per seipsum restitutionē, tam certorum, quàm incertorum facere. Et ratione sic argumentor: Si verus dominus compareret, illi debitor facturus erat restitutionē per seipsum, & non per Episcopū: ergo idē poterit & debebit facere quando restitutio fit non domino immediatè, sed pauperibus; siquidem eadem est vtriusq; ratio. Et cōfirmatur. Quilibet habet facultatē, & ius propriam conscientiam exonerandi, & satisfaciendi suæ obligationi, prout sibi melius videbitur expedire: sed prædicta restitutio sit ad exonerādam debitoris conscientiā: ergo poterit ipse eam facere pro sua voluntate. Quin potius addiderim cum Nauarro loco citato, quòd Episcopus contrariū iubere nō poterit, nec regulariter in eo contra voluntatem debitoris se interponere. Quod est adeò verum, quòd consuetudo in contrariū minimè valeret; siuè, quia contra legem naturalē esset; siuè, quia irrationabilis. Dixi regulariter: Nam in quatuor casibus bene poterit Episcopus taliū bonorū restitutionem aduocare. Primus est, quando restitutioni obligatus moritur absq; hærede, & exequutore. Secundus, quando qui restituere tenetur non vult id facere, & in iudicio contra illum proceditur. Tertius, quando quī restituere debet non rectè distribuit. Quartus, quādo huiusmodi res ab eo, qui est, aut fuit manifestus vsurarius possidentur, vt est videre in Nauarro loco citato. Ex quo infertur, q̄ poterit debitor eligere pauperes non solum ex oppido, vbi intulit iniuriam, sed etiā ex alijs. Et quanuis sit optimum consilium, eligere pauperiores, atq; meliores, nō tamen est de necessitate rigorosa satisfactionis: sed satis erit eligere minus pauperes, dū modo vere pauperes sint. Imò & si ipse debitor sit pauper pro ratione suæ necessitatis, etiam poterit sibi partē retinere, vt cōmuniter dicūt supra citati autores. Et ratio horū est: Nam cū obligatio huiusmodi bona pauperibus restituendi non fundetur in aliquo iure, quod ipsi pauperes per se primo habeant, sed in iure, quod ipse dominus habebat, satis erit quòd restitutio quibuscū que pauperibus fiat. Nomine autē pauperū intelligimus nō solū eos, qui cōmuniter di *Qui intelligantur nomine pauperum.* cuntur pauperes, sed etiam quoscunq; alios pro ratione sui status indigentes: imò & ec clesias atq; monasteria ornamentis, luminaribus, ædificijs, & alijs similibus indigentia, vt docent Sylvest. verb. restitutio. 3. q. 3. & Nauar. c. 17. n. 93. & in Apologia de redditibus eccleiast. q. 5. monito. 28. Quo loco ad idem propositū citat Ioann. Andr. D. Tho. Adrian. & alios. Verum tamen est, quòd, licēt de rigore autoritas Episcopi ad huiusmodi restitutiones in pauperes faciēdas nō sit necessaria, si res tamen esset alicuius momenti, optimū mihi videretur consiliū Episcopi autoritatē interponere, vel saltim iudicium prudentis confessarij. Maximè quando debitor totum, vel partem vult sibi applicare, cùm nullus in causa propria habeatur rectus iudex.

¶ Et ad argumentū primū factū pro sententia Hostien. quod desumitur ex. c. cū sit. de *Ad fundamentū Hostiensis.* Iudeis. respondetur, eo in loco solū fieri sermonē de Iudæo, cui cū esset interdictū offi cij publicū dari, ipse tamen illud exercens multa à Christianis extorsit. Quæ cū incerta essent Christianis pauperibus erant erogāda. Et cū non esset iustū huiusmodi erogationē illius Iudæi fidei cōmittere, qui & alienarū rerū cupidus erat, & Christianos odio habebat, quos expoliare, prout poterat conabatur, idcircò ordinatū fuit, vt diœcesani manu, aut autoritate ea bona distribuerētur. Quod similiter agendū esset, quando distributio fidei debitoris cōmissa haberetur suspecta. Ad aliud ex. c. cū tu. de vsur. dico, textū illū potiùs agere pro nobis, quam contra nos. Habetur enim ibi in sententia, q̄ vsurarij cogendi sunt vsuras restituere ijs, à quibus eas acceperūt, vel hæredibus suis, & eis deficientibus, pauperibus erogare. Quibus verbis potius significatur, nō cōpetere Episcopo ius bona incerta pauperibus erogandi, licēt ei cōpetat ius cōpellendi vsurarios, vt incertas vsuras pauperibus distribuant, quàm eius contrarium. Ad rationem respondetur, officium Episcopi, erga pauperes esse, dare illis eleemosynas de proprio, procurareque, vt alij eas dent. Non tamen ex hoc colligere licet, quòd habeant ius ad eas eleemosynas distribuendas, quas alij, vel sponte sua, vel ex debito faciunt.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrūm *Dubium.* ille, qui in pauperes distribuerat ea debita

Universidad de Deusto
Biblioteca

incerta, quorum dominus inueniri non po terat, teneatur postea vero domino cõparé te, eadem sibi iterum restituere. Hanc difficultatẽ versat Gabriel in. 4. d. 15. q. 2. art. 3. dub. 4. & Syluest. verbo, restitutio. 3. q. 4. De quorum mente dico primò, q; si nõ præcesserat sufficiens domini inquisitio, in tali casu tenetur debitor iterũ bona restituere. Et *Responsio.* ratio est: Nã, cùm vsq; ad talẽ inquisitionẽ non debeat dominus iudicari ignotus, vt recte docet Soto loco citato, fit, vt iniustè fuerit spoliatus. Dico secundò, q; si facta sufficienti domini inquisitione bona fide distribuit omnia, quæ habebat, nihil amplius tenetur restituere, etiam si verus dominus cõpareat. Bona enim fides non patitur, vt semel exactum amplius exigatur, vt dicitur. de regul. iur. in. 6. reg. 83. Et ratio est: Nam ille iam semel perfectè satisfecit suæ obligationi. Dixi notanter, si omnia, quæ debebat distribuit: Nã si solũ distribuisset partẽ, residuũ teneretur vero dño restituere, etiam si per bullã cõpositionis Papæ, vel eius cõmissario satisfecisset: nõ enim præsumitur, Papam voluisse facere compositionẽ, nisi in casu, quo verus dominus amplius non compareret. Quid autẽ sit dicendũ de huiusmodi bullis cõpositionis, & vtrũ bene faciant, qui illis vtuntur explicabimus infra. q. 66. art. 5. circa solut. ad 1. argum. D. Tho.

Nota circa solutionem ad 4. D. Thom.

¶ In solutione ad quartũ argumentũ, dicit D. Th. q; quamuis ex propriis arctius teneatur quis parentibus succurrere, quã alienis; illa, quæ aliorũ sunt, potius sunt reddenda ipsis, quã parentibus impendenda, nisi in casu extremæ necessitatis; in quo posset, & deberet quisq; etiã auferre aliena, vt patri subueniret. Circa quod est grauis difficultas, debitore & patre in extrema necessitate existentibus, cui illorũ teneatur debitor, si non potest vtriq; subuenire. Et similis dubitatio est, quãdo creditor, & debitor laborant extrema necessitate, nec debitori est aliud, quo sibi possit subuenire, nisi quod à creditore accepit, an teneatur illud domino reddere? Sed quoniã de hoc latè diximus in 1. tom. q. 31. art. 3. idcircò hic ab huius rei disputatione supersedemus. Solet etiã quæri, an ille, qui in extrema necessitate constitutus, rẽ ab alio acceptã consumpsit teneatur illã restituere, cũ ad pinguiorẽ fortunã peruenit? Sed hoc similiter est à nobis disputatum. 1. tom. q. 32. art. 5. Quo etiã loco latè diximus de dominio, quod ecclesiastici habent respectu rerum ecclesiasticarum, & an teneantur illa restituere, quando prodigè consumunt; quæ est materia quintiargumenti D. Tho. in isto art. Videte ibi.

ARTICVLVS VI.

¶ Vtrùm teneatur semper restituere ille qui accepit.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quòd nõ teneatur semper restituere ille, qui accepit. Per restitutionẽ enim reparatur æqualitas iustitiæ, quæ consistit in hoc, quòd subtrahatur ei qui plus habet, & detur ei qui minus habet. Sed contingit quãdoque, quòd ille qui rem aliquam subtraxit alicui, non habet eam, sed deuenit ad manus alterius: ergo non tenetur ille restituere qui accepit, sed alius qui rem habet.

2 ¶ Præterea, Nullus tenetur crimen suum detegere. Sed aliquando aliquis restitutionem faciendo, crimen suum detegit: vt patet in furto: ergo nõ semper tenetur ille qui abstulit, restituere.

3 ¶ Præterea, Eiusdem rei non est multotiens restitutio facienda. Sed quandoque multi simul rem aliquam surripiunt, & vnus eorum eam integrè restituit. Ergo non semper ille qui accepit, tenetur ad restituendum.

¶ SED CONTRA, ille qui peccauit, tenetur satisfacere. Sed restitutio ad satisfactionem pertinet: ergo ille qui abstulit tenetur restituere.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd circa illum qui rem alienã accepit, duo sunt consideranda: scilicet ipsa res accepta, & ipsa acceptio. Ratione autem rei tenetur eam restituere, quandiu eã apud se habet: quia quod habet vltra id quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei cui deest secundum formam commutatiuæ iustitiæ. Sed ipsa acceptio rei alienæ potest tripliciter se habere. Quãdoque enim est iniuriosa, scilicet contra voluntatem existens eius, qui est rei dominus, vt patet in furto, & rapina. Et tunc tenetur ad restitutionem, non solum ratione rei, sed etiam ratione iniuriosæ actionis, etiam si res apud ipsum non remaneat. Sicut enim qui percutit aliquem, tenetur recompẽsare iniuriã passo, quamuis apud ipsum nihil maneat: ità etiam qui furatur, vel rapit, tenetur

netur ad recompensationem damni illati, etiam si nihil inde habeat. Et vlterius pro iniuria illata debet puniri. Alio modo aliquis accipit rẽ alterius in vtilitatem suam absque iniuria cum voluntate, scilicet eius cuius est res, sicut patet in mutuis. Et tunc ille qui accipit, tenetur ad restitutionem eius quod accepit non solum ratione rei, sed etiam ratione acceptionis, etiam si rem amiserit: tenetur enim recompensare ei, qui gratiam fecit: quod non fieret, si per hoc damnum incurrat. Tertio modo aliquis accipit rem alterius absque iniuria, non pro sua vtilitate, sicut patet in depositis. Et ideò ille qui sic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis: quinimo accipiendo, impendit obsequium. Tenetur autem ratione rei. Et propter hoc si ei subtrahatur res absq; sua culpa, non tenetur ad restitutionẽ: secus autem esset si cum magna sua culpa rem depositam amitteret.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd restitutio non ordinatur principaliter ad hoc, quòd ille qui plus habet, quàm debet, habere desinat: sed ad hoc, quòd illi qui minus habet suppleatur. Vnde in his rebus quæ vnus potest ab alio accipere sine eius detrimento, non habet locum restitutio: putà cum aliquis accipit lumen à candela alterius. Et ideò quanuis ille qui abstulit, non habeat id quod accepit, sed in alium sit translatum: quia tamen alter priuatur re sua, tenetur ei ad restitutionem, & ille qui rem abstulit ratione iniuriosæ actionis, & ille qui rẽ habet ratione ipsius rei.

¶ Ad secundum dicẽdum, quòd homo, etsi non teneatur crimen suum detegere hominibus, tenetur tamen crimen suum detegere Deo in confessione: & ita per sacerdotem, cui confitetur, põt restitutionẽ facere rei alienæ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quia restitutio principaliter ordinatur ad remouendum damnum eius, à quo est aliquid iniustè ablatum: ideò postquã ei restitutio sufficiens facta est per vnũ, alij non tenentur ei vlterius restituere, sed magis refusionẽ facere ei* qui restituit: quod tamen potest condonare. *Alias quandoq;.*

SVMMA TEXTVS.

SVppositò, quòd in eo, qui rem alienam accepit duo possint cõsiderari, scilicet, res accepta, & acceptio, quæ adhuc potest esse duplex, vna iniusta, vt in rapina, altera iusta, vt in mutuo, & in deposito, respõdet D. Th. ad difficultatẽ propositã per quatuor propositiones. Prima cõclusio: Qui habet rem alienam quocunq; modo eam habeat tenetur illã restituere ratione rei acceptæ. Probatur: Qui habet id, quod est alterius, habet plus quàm suũ est, & damnificatus similiter habet tantũdem minus in suo: ergo secundũ formam iustitiæ cõmutatiuæ oportet inter hos equalitatẽ constituere, auferendo ab eo, qui habet plus, & dando illi, qui habet minus, vt sic fiãt æquales, sicut erãt à principio antequã vnus plus & alter minus haberet, quã suũ erat. Secunda cõclusio: Qui iniustè aliquid accepit, vt accidit in furto, & rapina, tenetur illud restituere, etiã si id penes se nõ habeat ratione iniustæ acceptionis. Probatur: Qui alteri iniuriã intulit tenetur eandẽ refarcire, etiã si nulla inde sibi fuerit lucri accessio; ob id, scilicet, quod alteri, vel famã, vel honorẽ abstulit: ergo pari ratione, qui iniustè ab aliquo rẽ accipit ratione dãni illati, similiter obligandus erit ad restitutionem. Tertia cõclusio: Quicunq; accipit aliquid ab aliquo iustè, hoc est, domino volente, sed propter solam accipientis vtilitatẽ, vt accidit in mutuo, tenetur illud restituere, nõ solũ ratione rei acceptæ, sed etiã ratione acceptionis. Vnde, quantũcũq; sine culpa sua pereat, adhuc erit obligatus ad restitutionẽ. Probatur: Nã qui rẽ alienã iustè in suũ vsum accipit, nõ solũ propter beneficiũ acceptũ, sed etiã de iustitia obligatur alterũ indemnẽ seruare. Quarta cõclusio: Qui accipit aliquid ab alio iustè, nõ propter suã vtilitatẽ, sed propter vtilitatem ipsius dantis, vt accidit in deposito, tenetur illud restituere ratione rei acceptæ, & non ratione acceptionis. Quare, si res illa pereat sine magna culpa accipientis, ad nullam amplius obligabitur restitutionem. Probatur: Qui isto modo rem accipit non fit custos ex iustitia, sed ex gratia, & beneuolentia: ergo si absque sua culpa pereat non sibi, sed domino perit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

EX doctrina huius articuli sufficienter colligitur, omnem obligationẽ restitutionis ortũ habere, vel ex re accepta, vel ex acceptione. Inter quæ hoc est discriminis, quòd *Omnis obligatio restitutionis oritur vel*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex re acepta vel ex iniusta acceptione.

quòd res aliena semper obligat, vt constat ex prima conclusione. Acceptio autem rei alienæ non obligat semper, nisi quando vel est iniusta, vel facta in vtilitatem solum recipientis. Et differunt præterea in eo, quod obligatio restituendi orta ex sola re aliena, solum durat pro tempore, quo manet res apud eum, qui illam habet; cùm tamen obligatio, quæ habet ortum ex acceptione, perpetuò duret, vt infra dicemus. Nomine autem rei alienæ in præsenti intelligimus, nõ solum ipsam rem acceptam præcise; sed etiã pretium illius, si fuerit vendita, vel commutata; & fructus, qui ex tali re fuerint percepti, & denique totum illud, in quo quis ex re aliena fuerit factus ditior. Id enim totum restituendum venit eodem titulo, quo ipsa res; vt bene notat Caietanus in isto articulo. Non autem erit restituẽdum illud, quod bona fide ex fructibus rei fuerit consumptum, absque eo, quod ille, qui consumpsit, fuerit factus ditior, vt communiter colligunt Doctores ex lege. item veniunt. §. præter hæc. ff. de peti. hæred. & ex. l. sed & si lege, eodem titul. Itaq;, si quis bona fide accepit à latrone agrum, cuius fructus per aliquod tempus percepit, statim ac resciuerit, agrum illum fuisse alienum, tenetur illum vero domino restituere cum omnibus suis fructibus, non solum quos habet, sed etiam quos illis vsibus consumpsit; in quibus, nisi tales fructus haberet, alia propria bona erat consumpturus, deductis tamen expensis atque laboribus. Cæterùm, si illos fructus cõsumpsit, quia illius agri donatione, vel acquisitione factus ditior, statũ mutauit splendidiusque vixit, tunc nihil præter agrum, tenetur restituere: siquidem ex alienæ rei acceptione non factus est ditior. Alia exempla adducit ad hoc idem declarandum Soto lib. 4. de iustitia. quæst. 7. artic. 2. Videte ibi. Dixi notanter, rem alienam esse restituendam cum fructibus, qui ex tali re fuerint percepti: Quia si non ex re ipsa, sed ex industria possidentis proueniant fructus, non tenentur obnoxij restitutioni. Vnde, si quis bona fide haberet pecunias alienas, & eis alias lucraretur, non teneretur talia lucra restituere, cùm non ex pecunia secundum se, sed ex arte & industria illis vtentis proueniant dicenda.

Dubium.

¶ Sed dubium est, vtrùm si quis bona fide emit quidquam à latrone, & posteà eadem bona fide illud vendit alteri, deinde autem cognoscit rem illam esse alienam, teneatur rescindere contractum, reddereq; pretium emptori, & rem vero domino? Et pro parte negatiua est argumentum: Iste vendit rem, quam nec ratione rei alienæ, nec ratione iustæ acceptionis tenetur restituere: ergo nullam fecit iniustitiam, atque ex consequẽti non tenetur rescindere contractum. ¶ Secundò: Si illa res esset ablata ab eo, qui eam vendit, vel esset consumpta eo in tempore, quo bona fides durabat, nulla amplius esset obligatio restitutionis, vt omnes Doctores concedunt: ergo nec quando venditur bona fide. ¶ In contrarium tamen sunt non mi nora argumenta. Primum est, pretium, quod venditor accepit non est suum: ergo tenetur illud restituere. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Accipit illud pro re, quæ non est sua: ergo nec ipsum pretium est suum. ¶ Secundò: Iste venditor nullo titulo potest rei venditæ pretium retinere: ergo tenetur illud restituere. Probatur antecedens: Non potest illud retinere titulo vẽditionis, quæ nulla est, nec titulo rei propriæ, cùm id pretiũ ex re aliena proueniat: ergo nullo titulo. ¶ Tertiò: Si apud talem venditorem aliquis fructus rei furtiuæ maneret, teneretur illum restituere, vt paulò ante dicebam: sed id pretium est veluti fructus rei alienæ: ergo etiam tenetur illud restituere. ¶ Vltimò: Siquis bona fide emeret vitrum pro gemma, & eadem bona fide illud venderet, posteaq; cognosceret esse vitrum, teneretur id emptori explicare, & rescindere contractum, vt omnes Doctores concedunt, quia tenetur quisq; seruare emptorem indemnem, reddereq; illi venditionem certam, atq; securam: ergo idem etiam erit dicendum in nostro casu.

2. Argum.

1. Arg. pro parte affirmatiua.

2. Argum.

3. Argum.

Vlt. arg.

Sententia Soti.

¶ Soto lib. 4. de iustitia. q. 7. art. 2. in huius dubij explicationem dicit tria. Primum est, quòd talis venditor nõ tenetur aliquid domino rei restituere, vt probant argumenta pro parte negatiua facta. Dicit secundò, quòd talis venditor tenetur rescindere cõtractum, pretiumq; emptori reddere, vt ipsum seruet indemnem. Dicit tertiò, quòd, si non est metus quod aliquando scietur rem esse furtiuam, vel quod aliquando res à secundo emptore petetur, non tenetur ille, qui bona fide vendit, nec pretium reddere emptori, nec rem domino. Et quidem quod non obligetur ad restituendum aliquid vero domino, probatur argumentis in principio factis. Quòd autem nec etiam obligetur ad reddendum pretium emptori, patet; quia in casu posito nullum damnum ei dat.

Impugnatur Soto & explicatur vera sententia.

¶ Cæterùm, meo iudicio, hæc sententia Soti, præter quam quòd quantum ad duo priora dicta secum pugnare videtur, quantum ad tertium est apertè falla. Quod suo ordine probatur. Et primò, quòd secum

1. Arg. pro parte negatiua.

pugnet, quantum ad duo priora dicta, est manifestum. Nam si venditor, de quo loquimur, tenetur rescindere contractum, vt emptorem seruet indemnem, vt dicitur in secundo dicto, qualiter potest esse verũ, quòd nihil tenetur domino restituere cum eo ipso, quòd rem venditã apud se habeat, debeat illam restituere vero domino ratione rei alienæ, vt ipse fatetur? Quod autẽ tertium dictum etiam sit falsum probatur argumentis secundo loco factis. Et præterea, quia nullus apparet titulus, propter quem talis venditor pretium rei alienæ possit retinere. Quare tenebitur in omni euentu re scindere contractum, remq; vero domino restituere: Vel, si id non potest fieri tenebitur pretium dare ei qui patitur.

Ad. 1. arg. pro parte negatiua.

¶ Et ad primum argumentum respondetur, venditorem illum ratione rei alienæ teneri ad restitutionem. Id enim pretium est alienum, vt ex dictis constat. Quare, si bona fide illud etiam consumpsisset, nec ex tali consumptione fuisset factus ditior, nihil teneretur restituere.

Ad. 2. arg.

¶ Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam in casibus antecedentis ille, qui rem consumpsit, vel à quo ablata est sine eius culpa, nec ratione rei alienæ, nec ratione acceptionis tenetur ad restitutionẽ. At verò in casu, de quo loquimur qui rem vendit est obnoxius restitutioni ratione rei alienæ, cuius pretium apud se retinet. Et sic non est æqua vtriusq; ratio.

Aliud dubium.

¶ Est aliud dubium, vtrùm, qui bona fide emit rem à latrone, quam posteà scit esse alienam, teneatur eã vero domino restituere, vel potius possit eam latroni reddere, vt pretium pro illa datum recuperet? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est quorundam, qui dicunt talem emptorẽ teneri rem vero domino restituere, & non latroni, etiam cum iactura pretij, quod pro illa dedit, si verosimiliter credit, latronem talem rem vero domino non redditurum. Hanc sententiam tenet Soto lib. 4. de iustitia. q. 7. art. 2. Ledesma in. 2. p. 4. q. 18. art. 6. Couar. in regula peccatum. p. 3. nu. 3. & Medina. C. de restitut. q. 10. Verum tamen est, quòd Medina affirmat hoc solum habere verum, quando res empta non est vsu consumptibilis. Nam si sit consumptibilis vsu, & latro maneat potens ad restituendum illam in alijs rebus vero domino, dicit, quòd emptor nec tenetur illam reddere vero domino, nec latroni, vt pretium recuperet; sed poterit eam sibi retinere. Cæterùm hæc distinctio Medinæ meritò reijcitur à Couarruuias, loco citato. Quapropter ea omissa, generaliter probatur prædicta opinio, quã tum ad omnia bona. Primò: Quicunque habens rem alienam tenetur eam vero domino restituere, vt dicit D. Thom. in prima conclusione; sed talis emptor habet rẽ alienam: ergo tenetur eam vero domino restituere, & non latroni. ¶ Secundò: Latrone non comparente, talis emptor teneretur re vero domino restituere, etiam cum iactura proprij pretij: ergo, etiam si latro compareat. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur: Nam per accidens est, quòd latro compareat, vel non compareat, ad hoc, vt habẽs rem alienam ad illius obligetur restitutionem. Et confirmatur: Si latro esset mortuus, vel absens, statim emptor teneretur rem vero domino restituere: ergo etiam si sit præsens. Probo consequentiam: Nam ex eo quòd latro sit præsens, dominus rei non habet minus ius ad rem suã, quàm si esset absens. ¶ Tertiò: Qui emit rem à latrone non potest eam vendere, vt pretium suum recuperet: ergo nec dare eam latroni propter eundem finem. Probo consequentiam: Nam latro minus ius habet ad rem alienam, quàm quis alius. ¶ Vltimò: Si emptor, postquam cognouit rem esse furtiuam, reddit eam latroni, vt pretium recuperet, in foro exteriori condemnabitur, vt eam iterum vero domino restituat: ergo id tenebatur in conscientia facere ante condemnationem. Probo consequentiam: Nam forum externum quando non fundatur in falsa præsumptione, semper est iustum, & foro conscientiæ conueniens. ¶ Secunda sententia est quorundam Iuniorum, dicentiũ, quòd qui bona fide ignorans rem esse furtiuam illam emit, cùm primum contrarium resciuerit potest eam latroni reddere, vt suum pretium recuperet. Cæterùm si mala fide, hoc est, sciens, aut verosimiliter dubitans rem esse furatam, eam emit, tenetur omnino illam domino restituere; etiam si pretij pro ea dati iacturam pati debeat.

1. Senten.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Vlt. arg.

2. Sentent.

¶ Tertia sententia est in alio extremo, quæ asserit eum, qui emit rem à latrone, etiam si mala fide id fecerit, posse illam ei, à quo emit reddere ad recuperandum suum pretium, si aliter ipsum recuperare non potest. Hanc tenet Alexand. Alen. 4. part. quæstio. 86. memb. 3. artic. 1. Gabriel in. 4. dist. 15. quæst. 3. art. 3. dubio. 5. Summa Angelica. verbo. restitutio. versiculo. emens, quæstione. 1. & Nauarro in Manuali capit. 17. numero. 84. Et probatur: Quilibet debet sibi magis, quàm alteri consulere: ergo talis emptor non tenetur rei dominum seruare indemnem cum æquali suo

3. Sentent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

damno. Item: Nullus tenetur rem, quam habet vero domino reddere, si ex tali reddi tione sequitur sibi maius, vel æquale nocumentum, vt diximus artic. præcedenti: sed ità accidit in proposito: ergo. Dices maiorē esse veram, quando ille, qui habet rem alienam, eam non accipit iniustè: qui autē sciēter & mala fide emit rem à latrone, accipit iniustè. Sed contra hoc sic argumentor. Licèt emptor emerit iniustè, ipse tamen non fuit iniusta causa, quod verus dominus spoliaretur: ergo non tenetur cum suo dispendio rem domino immediatè restituere: sed satis erit illam reddere latroni, vt ipse reddat vero domino. Præterea: Vera restitutio est constituere res in statu, in quo erant ante iniustam acceptionem: sed tempore, quo emens iniustè egit, reserat in potestate latronis: ergo satis erit ad satisfaciendū præcepto de restitutione, reddere rem emptam in potestate illius, à quo accepit. Item: Latro principaliter tenetur facere restitutionē, habetq; ius petendi illam rem, vt restituat: ergo qui tradit rem latroni, vt ipse restituat, sufficienter satisfacit obligationi restitutionis. Et confirmatur: Emptor non tenetur restituere optimo modo possibili, & qui sit vtilissimus domino, maximè, si id sine suo dispendio facere non potest: ergo satis est, quod restituat quantum est ex se per latronem, à quo ipsam rem accepit. Vltimò: Ea venditio, qua latro rem vendidit, fuit iure nulla: ergo meritò potest rescindi per emptorem, vt suum pretium recuperet.

troni, reddēdo, admonendoq; ipsum, vt illā domino tribuat. ¶ Ad secundū respondetur, *Ad. 2. arg.* concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam quando latro non comparet nullus est alius modus restitutioni, quàm rem domino immediatè tradere. Et præterea: Quia cùm nō sit spes recuperandi pretium nulla relinquitur iusta excusatio non reddendi rem domino. Secus autem est, quando à latrone in prōptu potest pretium recuperari. Et eodē modo respondetur ad cōfirmationem. ¶ Ad tertiū *Ad. 3. arg.* respondetur, concesso antecedenti, negādo consequentiam. Reddere enim rem latroni, à quo illam accepit, est medium per se ordinatum ad restituendum domino, cū ipse latro sit, qui principaliter est obligatus restituere vero domino. At verò vendere rē alteri, non est medium per se ordinatum ad restituendum domino: & sic nulla ratione est licitum. ¶ Ad vltimum respondetur simi *Ad vltim.* liter, negādo consequentiam: Nā in foro exteriori præsumetur ille malitiosè reddidisse rem latroni, vel saltim occultasse latronem: & sic in pœnam cogetur pretium soluere: cum tamen in foro conscientiæ, in quo pœnæ istæ non debētur ante condemnationē, aliter sit dicendum.

¶ Circa secundam conclusionem D. Tho. est aduertendū, quòd qui rem accipit iniustè, non solum tenetur ipsam restituere: sed etiam damna, quæ ex tali iniusta acceptione venerant, atq; etiam lucra, quæ ob illam domino cessarunt. Ad hæc enim omnia iniu stitia iniustæ acceptionis se extendit, vt ex supradictis patet. Vocamus autem iniustam acceptionem, non solum, quādo quis à principio rem per iniuriam accepit; sed etiam quando eandem iniuriosè contra domini voluntatem detinet: atq; adeò quamlibet iniustam damnificationem, in quacunq; re, siue fiat accipiendo, siue comburendo, siue præscindēdo, siue quouis alio modo. Sēper enim quod in huiusmodi interuenit damnum alterius, dicitur iniusta acceptio; quia accipitur ab inuito domino quod suū est; quanuis nulli quandoq; detur, sed annihilatur. Omnis ergo qui damnificator est alterius, tenetur ad restitutionem; non ratione sui lucri, sed ratione iniustæ acceptionis suę damnificationis: estq; longè maior obligatio restitutionis habens ortum ex iniusta acceptione, quam quæ oritur ex re aliena præcisè; cum illa semper habeat annexam iniuriam; hæc verò minimè. Vt est videre in eo, qui habet rem alienam, quam putat esse suam. Ex quo fit, vt qui fuerit causa iniustæ acceptionis, semper teneatur restituere id,

Qui rē acēcipit iniuſte tenetur non ſolum eā, ſed etiā damna reſtituere.

Sententia Autoris.

¶ Mihi ex his sententijs hæc vltima videtur longè probabilior propter rationes mò adductas; dummodò addantur duæ limitationes. Prima est, quòd emptor aliter, quā reddendo rem latroni pretium à se datū recuperare non possit. Nam si commodè potest vtrumq;, scilicet, rem domino restituere, & pretium à latrone accipere, proculdubio id erit faciendum, cum tunc nulla sit iusta excusatio, quominus rem vero domino reddat; nisi fortè verosimiliter constaret rē à latrone esse domino dandam. Secunda limitatio est, quòd intelligatur hæc sententia quando est spes recuperandi pretium à latrone. Nam, si latro totaliter disparuisset, restituenda esset res vero domino, nec pretiū ab illo peti potuisset, vt patet ex l. in ciuile. C. de furtis. ¶ Et ad primum argumentū in contrariū factum respondetur, illum, qui habet rem alienā, quam emit à latrone, teneri quidem restituere eam vero domino, nō tamen immediatè, sed prout cōmodè potuerit, ne ipse detrimentū patiatur. Vnde satis erit, quod quantum est ex se, restituat rē la

Ad. 1. arg. pro prima sententia.

citer se potest habere. Nam vel putat, quòd detegendo adulterium poterit adhibere remedium, quia, scilicet, credetur ei, & probabit quod dicit. Ex quo fiet quod spurius ab hæreditate expelletur, & succedet legitimus hæres. Vel existimat, quòd postquam adulterium suum fuerit manifestum, nullū adhibebit remedium; quia nec credetur ei, nec ipsa probabit quod dicit, & sic semper illegitimus manebit in hæreditate. Tunc vltrà: Adhuc quando credit suam reuelationem profuturam, distinguendum est: Nam, vel præfata mulier potest detegere suum crimen, sine mortis suæ, vel spurij periculo, vel non.

1. *dictum certum.*

¶ Hoc constituto, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd si per hoc, q̄ prædicta mulier suū adulterium manifestet, existimat nihil profuturam, quia nec filius, nec maritus credent ei, & sic in effectu nulla sequetur restitutio, non tenetur suum crimen manifestare. Esset enim id opus vanum; & ex quo nihil vtilitatis, & multum nocumenti deduci posset. Ita tenent communiter omnes Doctores. Exceptis duntaxat Adriano, & Paludano; qui dicunt, quòd etiam quando nulla est spes remedij, tenetur mater filio manifestare veritatem: sicut & prædicator tenetur dicere verum, etiam si sciat nihil profecturum; & ille, qui simul cum alijs proximum infamauit, tenetur suam retractare sententiam, adhuc quando certò scit, quod non credetur; quia simul cum ipso proximum infamarunt, quā suo. Sed ego dico, non esse eandem rationē de prædicatore, & de muliere adultera in hoc casu. Prædicator enim, quia non solum tenetur dicere veritatem, vt credētibus proficiat, sed etiam, vt veritas in iudicio coram Deo habeat contra peccatores suum debitū testimonium, magisque iustificetur causa diuina, non solum tenetur loqui quando est spes emendæ, sed etiam quando certò scit, nihil profuturum. At verò adultera pro nullo alio fine tenetur suum crimen manifestare, nisi pro restitutione faciendā: quare isto cessante cessat similiter obligatio crimen detegendi. De illo autem, qui simul cum alijs proximum infamauit, dico, falsum esse, quòd teneatur retractare sententiam, quando nulla est spes proficiendi. Secus autem esset, si speraret abstergere infamiam, vel totaliter, vel in parte.

2. *dictum certum.*

¶ Dico secundo, etiam esse certum, quòd, quanuis adultera certò credat suam criminis manifestationem profuturam, & quod restitutio fiet in effectu, si tamen ex altera parte est certa moraliter, quòd maritus occidet illam, vel filium spurium, vel adulterū, aut quòd sequentur alia multa scandala, & inimicitiæ, regulariter loquendo non tenetur suum crimen reuelare, nec seipsam perdere. In hoc dicto similiter conueniunt omnes Doctores, tam Theologi, quàm iuris prudentes. Vno excepto Adriano, qui vniuersaliter affirmat, talem adulteram teneri suum crimen manifestare, etiam cum suæ & aliorum vitæ periculo. Quod probat ex regula iuris superius adducta pro secunda sententia: Vtilius scandalum nascitur, quàm veritas vitæ, vel iustitiæ relinquatur. Restitutio autem rei alienæ pertinet ad vitæ, vel iustitiæ veritatem, cum sit de iure naturali, & diuino. Et confirmatur: Adultera non concurrit positiuè ad scandala, quæ ex sua manifestatione sequuntur, sed tantum permissiuè: ad iniustam autē damnificationem mariti, & hæredum, quæ sequitur ex sua non manifestatione concurrit positiuè: ergo potius tenetur prouidere ne sequatur id damnum, quàm ne sequantur scandala, vel peccata. Hoc tamen non obstante probatur nostrū secundum dictum; quod simūl etiam est dictum fere omnium Doctorum, tam Theologorum, quàm iuris prudentiū, ex cap. officij. de pœnit. & remiss. Vbi Innocentius Papa dicit, mulieri adulteræ non esse denegandam pœnitentiam, licèt propter metum mariti nolit reuelare crimen suum. Quod communiter dicunt Doctores esse intelligendū, saltim quando est periculum vitæ. Secūdò: Ex duobus malis minus est eligendum, vt habetur in cap. nemi. & in capit. duo mala. 13. distinct. sed minus malum est, quòd non fiat restitutio temporalium bonorum, quam quòd fiat cum tanto detrimento, & cū tot scandalis, atque peccatis, cum ibi solum peritentur bona externa: hic verò corporæ & animæ: ergo illud potius est eligendum. Item: Nullus tenetur aliquid alteri restituere cum maiori notabili detrimento, quam intulit: sed maius notabiliter detrimentum pateretur mulier, si cum suæ mortis periculo illam faceret recompensam, & suum crimen manifestaret: ergo non tenetur id facere. Et confirmatur: Ad saluandam vitam licitum esset præfatæ mulieri accipere de nouo bona temporalia alterius: ergo à fortiori erit licitum illa retinere, atque tacere, vt vitam conseruet. Vltimò: Muliere illa existente in extrema necessitate, tam maritus, quàm legitimus filius, qui in bonis patris succedere debet, tenerētur prædicta omnia illa bona ei dare, si omnibus indigeret ad suam extremam necessitatem leuandam; & si non

darent

Universidad de Deusto
Biblioteca

darent ipsa posset illa de nouo accipere: ergo à fortiori, vt vitam conseruet, poterit eadem bona licite retinere, & suum scelus nõ manifestare. Et confirmatur? Prædicta mulier in extrema necessitate existente, quilibet extraneꝰ posset, imò teneretur à marito præfata bona accipere, & dare eam mulieri ad suam extremam necessitatem leuandam: ergo ipsa similiter potest ea accipere, atq; ex consequenti etiam retinere, vt incolumis euadat. Dixi notanter (regulariter loquẽdo) nam fortè poterit esse casus (vt infra dicemus) in quo mulier etiam cum periculo vitæ teneatur suum crimen manifestare. Et ad primum argumentum Adriani respondetur, quòd restitutio non est necessaria, nec pertinet ad veritatem vitæ, & iustitiæ, nisi omnibus circunstantijs concurrentibus, quę secundum rectam rationẽ concurrere debent ad hoc, vt eius præceptum sit obligatorium, & dñs sit rationabiliter inuitus. Est enim præceptũ de restitutione facienda affirmatiuũ, obligans solùm, quando, & quomodo oportet. In casu autem posito non concurrunt tales circunstantiæ; & sic non est obligatorium, nec pertinens pro tunc ad vitæ veritatem; vt diximus supra artic. 3. huius quæstionis, cùm ostenderimus leges nõ obligare ad sui obseruantiam cum periculo mortis. Ad confirmationem respondetur, negando maiorem. Nam adultera etiam positiuè suo modo concurrit ad illa scandala, in quantũ, scilicet, sequũtur ex actu positiuo, quo seipsam infamat. Et si hoc non est satis ad hoc, vt dicatur positiue concurrere, multò minus dicetur cõcurrere positiue ad damnificationem mariti & hæredum; si quidem ipsa nihil positiue ab illis accipit, sed tantùm se habet negatiue tacendo & nõ obstando dãnis.

3. dictum certum.

¶Dico tertio, etiã esse certum, quòd quãdo mulier sine suæ mortis, vel aliorum periculo non potest suum crimen detegere, & similiter quando credit suam criminis manifestationem nihil profuturã, tenetur quãtum potuerit cutare, vt filius ille legitimus plus accipiat de illis bonis, in quibus, si veritas constaret, succedere debebat, quã alius spurius. Item, tenetur suadere viro, vt det quantum plus poterit de bonis filio legitimo, quam spurio, etiam si causam non manifestet. Item tenetur suadere filio, vt inmodò post ingressum iuxta concilij Tridẽtini formam suam hæreditatem in legitimos renuntiet. Soto lib. 4. de Iustitia, q. 7. art. 2. ad. 1. dicit, non esse cur ad hunc ingressum religionis persuadendum de iustitia teneatur. Cæterũ Corduba lib. 1. sui quæstionarij. q. 31. affirmat ad id teneri ex iustitia. Nã ex iustitia obligatur facere quantum poterit, vt legitimi hæredes indemnes fiant, siue per hunc, siue per illum modum. Et si hoc ab adulterino mater precibus nequit obtinere, ex bonis paraphernalibus habitis extra dotem tenetur legitimis quantum poterit, recompensãte, atque etiam ex liberis bonis, si quæ habet, quantum poterit secundũ leges relinquere, abstinereque à victu, & vestitu immoderato, solis necessarijs concenta, vt sic mariti facultas magis ac magis augeatur. Si autem contingat, quòd maritus nullum alium filium legitimum habeat, per se loquendo, tenetur quantum poterit, satisfacere illis hæredibus, qui succedũt marito abintestato. Quanuis aliquando per accidens poterit contingere casus, in quo teneatur restituere extraneis. Tunc, scilicet, quãdo mulier est certa moraliter, quòd in defectu filij maritus non consanguineis sua bona, sed extraneis, vel alicui operi pio esset relicturus. Alia remedia poterunt occurrere pro diuersitate negotiorum, & circunstantiarum, ad quæ similiter facienda erit obligata mulier adultera: sed illa vniuscuiusque prudentiæ relinquuntur. Et videndus est de illis Corduba, loco citato, & frater Ludouicus Lopez in suo Instructorio conscientiæ. p. 1. ca. 88. &. 89. Itaque hæc certa sunt.

Punctus difficultatis.

¶Sed dubium est, quando non est periculum mortis, quia vel maritus iam decessit, vel est senex, atque patiens, & nullum aliud est remedium ad restituendum, nisi detegere crimen, ex quo sequitur propria infamia; manifestato autem scelere credetur ei, expelleturque spurius, & legitimus hæres succedet in bonis, an teneatur tunc mulier adultera suum crimen manifestare? Hãc quęstionem mouet Caietanus in opusculo decẽ & septem responsionum. Respõ. 14. Respõdetque ad illam negatiuè: constituens regulam generalem, quod nullus tenetur ad restitutionem bonorum inferioris ordinis cũ detrimẽto bonorũ superioris. Eandẽ sententiã tenet idẽ Caietanus in sũma. verbo. adulteriũ, & Nauarro in Manuali c. 16. num. 44. & Medina C. de restitutione. q. 3. causa, 4. & Castro. de lege pœnali. lib. 2. c. 11. Et probari potest hæc sententia. Primò: Ex cap. officij. de pœnit. & remissio. Vbi cum quæstio moueretur de ea, qui filiũ susceperit ex adulterio, aut partũ alterius falsò sibi supposuit, & id marito reuelare nõ audet, an esset ad pœnitentiã admittẽda? Respõdet in illo textu sũmus Põtifex affirmatiuè. Qua sua responsione manifestè significauit, tũc mulieri adulteræ esse pœnitẽtiæ sacrificiũ imponendũ quãdo ipsa ex iusto timore suũ crimẽ nõ manifestat. Qualis procul dubiò est in illa, quę timet infamiã. Et sic nõ peccat tacẽdo, si quidẽ ei pœnitẽtia nõ denegari præcipitur. Nõnulli ex iuris consultis dicunt textum illũ nõ esse intelligendum de pœnitentia sacramentali, quæ est absolutio à peccatis: sed de pœnitentia iuncta per ipsum pœnitentem adimplenda, quæ etiam in peccato mortali existentibus potest iniungi. Cæterum hæc expositio textui non quadrat. Tum, quia dicit, in illo casu non esse pœnitentiam denegandam, sed exhibendam. Quibus verbis innuitur talem pœnitentiã esse mulieri adulteræ debitam. Quod de pœnitentia iuncta dici non potest, cum hæc nec sit necessaria, nec debita, sed libera, tam ex parte pœnitentis, cui liberum est eam petere, quàm ex parte confessarij, cui similiter est liberum eam iniungere. Tum etiam, quia si mulier in peccato permaneret, cuius ratione sacramentalis pœnitentia esset illi deneganda, nihil illi satisfactoria pœnitentia pro peccatis iniuncta, prodesse posset; cum hæc locum non habeat, antequam culpa, quo ad Deum sit remissa. Et denique, nam subiungit textus, quòd sacerdos illi mulieri, postquã fuerit ad pœnitentiam admissa discretam imponat satisfactionem. Quo apertè significatur prius de pœnitentia sacramentali fecisse sermonem; si quidem de pœnitentia non deneganda, & de satisfactione discreta imponenda, tanquam de diuersis loquitur. Intendit ergo summus Pontifex excusare prædictam mulierem à debito suum crimen reuelandi, quando fuerit iusta causa timoris, qualis procul dubio est timor infamiæ: & sic non tenebitur ad restitutionem, cũ propriæ famæ iactura. Ad hanc eandem sententiam probãdam adducunt isti autores illa eadem argumenta, quæ nos fecimus supra pro opinione illorum, qui dicebant bona exteriora cum propriæ famæ iactura non esse necessario restituenda, quæ iterum repetere esset prolixum.

Sententia Caietani, & aliorũ.

Inepta interpretatio Canonistarum.

Nota.

¶Pro explicatione huius difficultatis, quæ ferè eadem est cum præcedenti, & solum differt ab illa in eo, quod ibi de restitutione bonorum temporalium cum periculo famæ in generali dixi nus, hîc autem de eodem in casu particulari est sermo, supponendum est primo, quòd fama est quoddam bonum tẽporale præstantius ex se, quam bona fortunæ, compensabile tamen cum alijs bonis tẽporalibus, vt ex principijs D. Thomæ, supra deduximus, maximè art. 2. in solutione ad secundum. Secundò est supponendum, quòd magna bona fortunæ & maximè communia præferenda sunt famæ vnius priuatæ personæ. Imò tanta poterunt esse ista bona fortunæ, vt etiam sint præferenda famæ Regis, vel cuiusẽque alterius. Quod ex eo solùm colligere licẽt, quod potest Rex compellere ciues, vt exponant non solum famã, verum etiam vitam pro bonis cõmunibus. Quanuis enim fama genere suo sit quid præstãtius bonis fortunæ, tãta tamen potest esse pecunia, quod secundum arbitriũ viri prudẽtis excedat famã. Sicut licet aurũ genere suo sit pretiosius argẽto, nihil vetat, magnũ pondus argenti præponderare in valore minimo ponderi auri. Maximè cum pretiũ rei semper moraliter sumatur ex vtilitate, quam affert in ordine ad vsus humanos, vt diximus articulo præcedenti.

1. cõclusio.

¶His positis sit prima conclusio: Si secũdum iudicium viri prudentis bona, quibus legitimi hæredes priuãtur, sunt maioris pretij, quàm fama mulieris, in conscientia tenetur adultera suum crimen manifestare, vt hæredes talia bona recipiant. Hæc conclusio est intelligenda in casu, quo mulier non habet aliunde, quo restituat, & quod nullũ aliud sequitur incommodum, quàm propria infamia; & quod posita criminis reuelatione, in effectu sequetur restitutio, vt ex supra dictis patet. Probatur: Nocumentũ, quod adultera intulit, & infert quando est causa, quòd legitimus hæres suis bonis priuetur, est maioris pretij, quàm fama, qua ipsa priuatur, suum crimen detegendo: ergo tenetur illud resarcire cum propria infamia. Hanc conclusionem tenet Paludanus, Maioris, Adrianus, Soto locis citatis, Syluester verbo. adulterium. quæst. 1. Vbi pro eadem sententia citat Innocen. Panorm. Hostiensem & alios super cap. officij. de pœnitẽtijs. Qui vnanimiter dicunt, quòd si mulier habeat probationẽ sufficientem, vt sibi credatur, & ex alia parte non immineat periculum mortis, vel aliorum scandalorum, tenetur suum crimen reuelare. Secus autem erit, si non habeat probationem, qua verosimiliter sit credenda, aut timeat probabiliter periculum mortis. Verumtamen est quod Soto vbi supra, & Couarruuias in regula peccatum parte. 1. fol. 40. dicunt, quòd si adultera esset profutura, teneretur etiam cum periculo vitæ crimen detegere, in casu grauissimo, quo regnum aliquod ex eius adulterio ad spurium esset transferendum, quorũ assertio mihi non displicet.

2. cõclusio.

¶Secunda cõclusio: Si bona fortunæ, quibus legitimi hæredes priuantur, fuerint parua, vel mediocria; ita, vt secundum iudiciũ viri prudentis fama, qua mulier est prædita sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta sit maioris pretij, non tenetur cum sua infamia facere restitutionem. Probatur: Nullus tenetur pati notabiliter maius detrimentum, quam intulit, vt restituat, quod alteri debet: ergo nec mulier illa tenetur tã tam pati iacturam in propria fama, v t hæredibus faciat restitutionem. ¶ Corduba in *Sententia Cordub.* suo quæstionario lib. 1. q. 31. dicit, quòd tũc tantum adultera tenetur cum propria infamia facere restitutionem, quando legitimus, qui propter eius adulterium hæreditate fraudatur, non est filius ipsius adulteræ, sed solum mariti ex alia coniuge defuncta. Nam, si sit filius ipsius, dicit, quòd etiam si magna sit hæreditas, non tenebitur cum notabili suæ famę detrimento crimen manifestare. Et ratio est: Nam in hoc casu filius legitimus defraudatus non erit rationabiliter inuitus, cùm pro matris honore res temporales postponere teneatur quicũque filius; *Impugnatur Cordub.* Hæc aduertentia Cordubæ mihi non displicet, dummodo ei limitatio adiungatur. Scilicet, quòd primogenitura, qua legitimus filius fraudatur, non sit multum præclara, nec etiam ipsa mater ex obscuro genere sit progenita. Nam, si sit paruæ reputationis, & nominis, talisque, quòd maritus eã ante matrimonium fornicariè cognouerit, & eius magis, quàm generis amore captus, eam duxit in vxorem, proculdubio tenebitur suum crimen reuelare, etiam si primogenituram habiturus sit proprius filius. Et ad argumentum desumptũ ex cap. officij. respondetur, verum esse, quòd ibi loquitur summus Pontifex de sacramentali pœnitentia non deneganda mulieri, quæ ex metu mariti suũ crimen non reuelat. Sed illud est intelligendũ vel in casu, quo ipsa mulier aliter potest facere restitutionem, vel quando non solùm fama adulteræ periclitatur, sed etiã imminet illi periculum vitæ, verosimiliterque creditur, quòd alia sequentur scandala, atq; peccata, vt Doctores supra illum textum declarant. Vel tertio possumus dicere, quòd loquitur textus supposito, quòd nulla sit spes, quòd per talem manifestationem poterit fieri restitutio. In hoc enim casu, vt supra diximus, non tenetur adultera suum crimen reuelare.

Quæstio. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an filius illegitimꝰ teneatur matri de sua illegitimita te reuelanti secretum, fidem præstare? Fra- *Sententia Bartholomæi de Medina.* ter Bartholomæus de Medina in sua Instructione confessorum Hispano sermone conscripta, audacter affirmat, filium illum valde stultè facturum, si postquam natus est in domo patris sui velit assensum matri præbere, si quidem statim ac illud crediderit, tenetur in conscientia alijs filijs legitimis hereditatem relinquere. Et sic dicit confessarios debere tali filio consulere, ne matri assentiatur. Quandiu autem dubitauerit de dicto matris post semel aditam hæreditatem, nihil tenebitur restituere, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Hæc Medina. Cæterum Soto lib. 4. de iustitia. q. 7. artic. 2. *Sententia Soti.* quanuis concedat, quòd filius illegitimus maioti ex parte non tenetur matri, quanuis iuranti, fidem adhibere, dicit tamen, quòd quando sciens conuincitur, tempore sui cõceptus, patrem putatiuum absuisse, vel quia id est euidens, vel quia alia ratione ei constat tempore, quo fuit conceptus, matrem suam ab illo patre putatiuo non fuisse cognitam, atque adeo, quando tam vehemens est matris persuasio, quòd filius adulterinꝰ intus in mente credere conuincitur; quod continget quando mater, quæ aliàs talem filium amanter tractauit, & quæ est moribus reformata timoratæque conscientiæ, & propriæ famę amica, nec mentiri solita, maximè si in mortis articulo id faciat, aut in tempore sacro, puta, in hebdomada sancta, suum crimen filio spurio reuelat; tenebitur in cõ *Sententia autoris.* scientia tunc filius illegitimus hæreditatem à se abdicare, etiam si in foro exteriori sibi fuerit adiudicata; quia sententia fori exterioris fundatur tunc in falsa præsumptione. Quæ sententia est proculdubio vera, atque tenenda, nec poterit in hoc casu confessarius consulere spurio, ne matri assentiatur, absque peccato mortali, quidquid dicat Medina.

¶Sed est non leuis difficultas de eo, quod *Alia quæst.* facere tenetur adulter, an, scilicet, obligetur ad aliquam restitutionem? Quæ quæstio duplicem potest habere sensum. Primus est, vtrùm pro solo actu adulterij, qui iniustus est, & iniuriosus marito, teneatur adulter aliquam illi facere restitutionem. Et in hoc sensu non procedit nostra disputatio. Communiter enim dicunt Doctores, quod licet ille actus sit iniustus, non tamen est ea iniustitia talis, quæ solita sit recompensari, nisi ex illa aliud sequatur damnum. Non enim omnis iniustitia solita est semper recompensari, vt est videre in eo, qui baptizauit aliquem contra suam voluntatem. Qui actus est iniustus; quia Deus spontaneos, & non coactos voluit baptizari. Non tamen pro hac iniustitia tenetur aliquid restituere. Alter sensus est, an adulter pro damno ex adulterio subsequuto, quando filius inde genitus patri putatiuo alendus, & inter alios legitimos hæreditatem obtenturus supponitur, aliquam teneatur facere restitutionem.

Et in

Et in hoc sensu procedit nostra difficultas. In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd quandiu adulter non credit, nec credere debet, quod filius ex adulterio natus est suus, nihil tenetur restituere. Ita habet Syluester, verb. adulterium. q. 5. quem communiter sequuntur Doctores. Et probatur ex cap. habuisse. 33. distinct. Vbi dicitur, in re dubia non esse proferendam certam & absolutam sententiam. Et præterea, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Dico secundo, etiam esse certum, quòd quando mater præsefert speciem leuitatis, solitaque est cum alio, vel alijs adulterari. siue quando ipsa quoque dubitat, an filius sit mariti, vel adulteri, atque etiam quando adulter reputat eam ad se obligandum mentiri; non tenetur ei fidem adhibere, nec credere quòd filius est suus, atque ex consequenti nec aliquid restituere. Hoc colligi videtur ex leg. Lucius. ff. de conditionibus & demonstrationibus. Vbi dicitur, quòd si duo eodem tempore habeant consuetudinem cum eadem muliere, neuter tenetur agnoscere partum. Itaque hæc certa sunt. Sed dubiũ est, quando adulter credit, vel credere debet filium illum illegitimũ esse suum, quia, scilicet, tempore conceptionis maritus aberat, & mulier alioqui honestissima, & præclara pollens fama erat; & si habuit rem cum illo ad id vi & minis fuit adducta, nunquamq; posthac siniſtra aliqua laborauit opinione, sed timorata semper conscientiæ fuit habita: & deinque tot concurrunt indicia, atque signa, vt adulter ad credendum filium esse suum conuincatur, an in hoc casu teneatur tum marito ea restituere, quæ in alendo, educandoque supposito filio expendit, tum etiam hæredibus eam, qua fraudantur hæreditatem, Soto lib. 4. de iustitia & iure. q. 7. arti. 2. dicit, quòd adulter in hoc casu nullam ex iustitia tenetur facere restitutionem, bene tamẽ ex decentia & honestate, quã suã sententiam probat, primò ex lege. Lucius, iam citata. Vbi dicitur, q̃ nemo, cuius patris filius sit, satis probare potest. Secũdò: Adulter in casu posito non est proxima causa dãni subsequuti, nec ipse est, qui supponit filium, sed mater: ergo non ipse, sed mater ex iustitia tenetur ad restitutionem. Hoc tamen non obstante, dico, quòd in casu, quo adulter credit, vel credere debet filium adulterinũ esse suum, tenetur proculdubio restituere marito, vel eius hæredibus totum damnũ, quod ex tali suppositione patiuntur, sicut paulò ante dicebam de ipsa adultera. Hanc sententiam tenet Nauarro in Manuali cap. 16. nu. 49. quam dicit esse communem. Et probatur: Adulter sua culpa dedit tale damnum: ergo tenetur illud restituere. Probo consequentiam ex cap. si culpa de iniurijs, & dãno dato. Vbi dicitur: Si culpa tua datum est damnum iure super hoc satisfacere te oportet. Nec obstat dicere, quòd tantum fuerit causa remota. Quia, vt bene probat Nauarro, non est magis causa propinqua mulier, quam vir, cùm vterque eodem modo, & eodem actu concurrant ad damnum. Secũdò: Actus adulterij ex natura sua ordinatur ad generationem: ergo debuit adulter præcauere damna ex tali generatione subsequuta, quod si non fecit, sibi imputetur.

¶Ex hoc infertur primò, quòd si adulte- *Corollaria quæ sequũtur ex dicta.* ra restituerit totum damnum ex proprijs bonis, adulter tunc tenebitur eidem medietatem recompensare; tanquam ille, qui parti ceps fuit iniustitiæ. Infertur secundo, quòd si filius fuerit expositus alicui Ecclesiæ, vel hospitali ab illisque tanquam pauper alitus, tam adulter, quàm adultera tenebuntur eis alimenta restituere, nisi fortè paupertas eos excuset. Et ad primum argumentum Soti respondetur, quòd quanuis nullus possit euidenter cognoscere, cuius patris sit filius, sunt tamen multæ rationes, quę reddũt nos moraliter certos huius rei, & quando istæ concurrunt tenetur pater filium agnoscere, restituereque damna ex sua generatione subsequuta. Ad secundum respondetur primò, negando antecedens. Ad hoc enim, vt adulter dicatur proxima causa dãni subsequuti, non est necessarium, quod filium supposuerit: sed satis est quod illũ genuerit: si quidem ex tali generatione ex natura rei sequitur damnum. Vel secundo respondetur, q̃ ad hoc, vt quis teneatur restituere damnũ, quod sua culpa intulit, non est necessariũ, quòd sit proxima, & immediata causa damni; sed satis est, quòd sit remota, vt constat ex ca. finali. de homicidio. lib. 6. & ex dictis per nos ar. 2. huius quęstionis dubio vltimo. Ex dictis patet solutio ad vltimum argumẽtum factum pro opinione Caietani, dicentis, nunquam teneri hominẽ restituere bona temporalia cum iactura famę, cuius occasione hæc dicta sunt.

¶Restat nunc respondere ad argumen- *Ad 1. arg. pro sententia Adriani.* ta facta pro opinione Adriani, & aliorum, qui ex opposito affirmabant bona temporalia iniustè ablata esse restituenda necessario, etiam cum detrimento propriæ famæ. Et ad primum quod desumitur ex illa regula iuris: Vtilius scandalum nascitur, quam veritas vitæ relinquatur; respondetur restitutionem non pertinere ad ve-

ritatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritatem vitæ, nisi omnibus circunstantijs concurrentibus, vt paulò ante dicebam. Et istæ non concurrunt semper, quod quis debet restituere alienum cum suæ famæ periculo; sed solum quando restituenda res præstat famæ; quia tunc dominus est rationabiliter inuitus, & non aliter.

Ad.2.arg. ¶Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Accipere enim alienum est contra præceptum negatiuum iuris naturalis, quod propter nullam causam licitè transgredi potest. At verò retinere alienum est contra præceptum affirmatiuum de restitutione facienda, quod solum obligat vbi, & quando oportet. Et quando dicitur, quòd in iure pro eodem indicantur, accipere rem alienam, & eandem retinere, dico id esse intelligendum, quando detentio fit sine iusta & rationabili causa. Ad confirmationem similiter respondetur, negando sequelam propter eandem rationem. Et hæc dicta sint de tota ista difficultate, nō minus graui, quàm prolixa.

Dubia quæ mouet Caietanus in solutione ad.3. arg. ¶Circa solutionem ad tertium argumentum, vbi D. Tho. dicit, quòd vno restituente, cæteri non tenentur domino, sed illi prorata, qui restituit, qui tamen poterit condonare, mouet Caietanus in præsenti tria dubia. Ex quibus primum relinquitur vsque in articulum sequentem, quo loco de illo commodior erit disputatio. Secundum est, vtrùm iniusti raptores maneant tuti in conscientia per hoc solū, quòd creditor remittat illis atq; condonet debitum. Aliqui Doctores, quorum vnus est Soto lib. 4. de iustitia. q. 7. art. 4. censent, huiusmodi condonationes, atque remissiones non esse tutas in cōscientia, nisi prius creditori offeratur debitum, vt id si velit, accipiat, aliàs censetur inuitus remittere, & donare. Cæterùm melius mihi videtur, dicendum cum Caietano in præsenti, hoc non esse necessarium, sed sufficere, quòd debitor petens remissionem in rei veritate habeat paratissimum animū ad soluendum cùm potuerit, si creditor nolit remittere. Hoc enim satis est ad hoc, vt creditor dicatur liberè, & spōte remittere, & vt ipse debitor creditore remittente maneat tutus in conscientia. Tertium dubium Caietani est, quando plures ità simul concurrunt ad aliquod furtum, vt quilibet in solidum teneatur totum damnū restituere, an possit dominus vni debitū cōdonare, & exigere illud in integrū ab aliis. Et videtur quod sic. Ille habet iurecōtra quēlibet illorū in solidū: ergo poterit cui voluerit remittere, & à quo voluerit exigere. Respōdetur tamen cum Caietano, quòd licet possit iste in foro exteriori dissimulare cū vno, & petere ab aliis, non tamen potest ità vni condonare, quòd non teneatur in conscientia suam partem refundere sociis in solidum restituentibus. Itaq; si vult cōdonare, & remittere vni non poterit totum debitum ab illis exigere, sed debebit illam partem deducere, quam ille, cui remissionem fecit, restituere tenebatur. Ita Caietanus hic. Et est verissimum: quia non potest dominus vni condonare cum aliorum iniuria. Esset autē manifesta iniuria, quòd aliquibus in solidum soluentibus socius suam partem non refunderet, prout ex iustitia tenebatur.

Articvlvs. VII.

¶Vtrùm illi, qui non acceperunt, teneantur restituere.

Ad Septimvm sic proceditur. Videtur quòd illi qui non acceperunt, non teneantur restituere. Restitutio enim quædam pœna est accipientis. Sed nullus debet puniri, nisi qui peccauit: ergo nullus debet restituere, nisi qui accepit.

2 ¶Præterea, Iustitia non obligat aliquem ad hoc, quòd rem alterius augeat. Sed si ad restitutionem teneretur non solum ille, qui accepit, sed etiam illi, quin qualitercunque cooperantur, augeretur ex hoc res illius, cui est aliquid subtractum: tum quia sibi multoties restitutio fieret: tum etiam quia quandoque aliqui operam dant ad hoc quòd aliqua res alicui auferatur, quæ tamen ei non auferetur: ergo non tenentur alij ad restitutionem.

3 ¶Præterea, Nullus tenetur se periculo exponere ad hoc, quod rem alterius saluet. Sed aliquando manifestando latronem, vel ei resistendo aliquis periculo mortis se exponeret. Non ergo tenetur aliquis ad restitutionem propter hoc, quod nō manifestat latronem, vel non ei resistit.

¶Sed Contra est, quod dicitur Rom. 1. Digni sunt morte, non solū qui faciunt, sed etiam qui cōsentiunt faciētibus: ergo pari ratione etiam consentientes debent restituere.

¶Respondeo dicendum, quòd sicut dictum * est, ad restitutionem tenetur

Ar. præced.

tenetur aliquis non solum ratione rei alienæ quam accipit, sed etiam ratione iniuriosæ acceptionis. Et ideo quicunque est causa iniustæ acceptionis, tenetur ad restitutionē, Quod quidē contingit dupliciter, directè, scilicet, & indirectè. Directè quidem quando inducit aliquis alium ad accipiendum. Et hoc quidem tripliciter. Primò quidem modo, mouendo ad ipsam acceptionē: quod quidē fit præcipiendo, consulendo, cō senticndo expressè, & laudando aliquē quasi strenuum de hoc, quòd aliena accipit. Alio modo ex parte ipsius accipientis, quia, scilicet, tum receptat, vel qualitercunque ei auxilium fert. Tertiò modo ex parte rei accepte: quia, scilicet particeps est furti, vel rapinæ, vel quasi socius maleficij. Indirectè vero, quando aliquis non impedit, cum possit & debeat impedire. Vel quia subtrahit præceptum, siue consilium impediens furtum, vel rapinā: vel quia subtrahit suum auxilium, quo posset obsistere: vel quia occultat post factum: quæ his versibus comprehenduntur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstans, nō manifestans.

¶Sciēdum tamen, quòd quinq; præmissorum semper obligant ad restitutionem. Primò iussio, quia ille qui iubet, est principaliter mouens, Vnde ipse principaliter tenetur ad restituendū. Secundò consensus in eo, sine quo rapina fieri non potest. Tertiò recursus, quia, scilicet, aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium præstat. Quartò, participatio, quando, scilicet, aliquis participat in crimine latrocinij, & in præda. Quintò, tenetur ille qui non obstat, cum obstare teneatur. Sicut principes qui tenentur custodire iustitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscunt, ad restitutionem tenentur: quia reditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, vt iustitiam cō seruēt in terra. In alijs autē casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper cō filiū, vel adulatio, vel aliquid huiusmodi, est efficax causa rapinæ. Vnde tūc solum tenetur cōsiliator, aut palpo, id est, adulator ad restiturionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsecuta.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd non solū peccat ille qui peccatū exequitur sed etiā qui quocūq;, modo peccati est causa, siue consiliando, siue præcipiendo, siue quouis alio modo.

¶Ad secundum dicendum, quòd principaliter tenetur restituere ille, qui est principalis in facto. Principaliter quidem præcipiens, secundariò vero exequens: & consequenter alij per ordinē. Vno tamen restituēte illi, qui passus est damnum, alius idem restituere non tenetur, sed illi qui sunt principales in facto, & ad quos res peruenit, tenentur aliis restituere, qui restituerunt. Quādo autem aliquis præcipit iniustam acceptionem, quæ non sequitur: non est restitutio facienda, cum restitutio principaliter ordinetur ad reintegrandam rem ejus, qui iniustè est damnificatus.

¶Ad tertium dicendum, quòd non semper ille qui non manifestat latronē tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit: sed solum quādo incumbit alicui ex officio, sicut principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculū. Propter hoc enim potestate publica potiuntur, vt sint iustitiæ custodes.

Svmma Textvs.

Svpposito, quòd potest quis obligari ad restitutionem, tam ratione rei acceptæ, quàm iniustæ acceptionis; respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per quatuor propositiones. Prima conclusio: Quicunque est causa iniustæ acceptionis, tenetur ratione illius ad restitutionem. Hanc conclusionem non probat D. Thom. sed illam, vt notam ex superioribus relinquit. Secunda conclusio: Nonem modis potest accidere, vt sit quis iniustæ acceptionis causa, qui hoc versiculo explicari solēt: Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Participans, mutus, non obstans, non manifestans. Hanc conclusionem non probat Diu. Thom. sed illam declarat, colligendo sufficientiam prædictorum nouem modorum, hac distinctione. Dupliciter potest quis esse causa, vt alter quid agat; vel accipiat, scilicet, directè, vel indirectè. Directè rursus tripliciter, scilicet, vel ex parte acceptionis, mouendo ad ipsam. Quod potest contingere vno è quatuor modis: nempe, præcipiendo, consulendo, consentiendo, & factum laudando. Aut ex parte accipientis: quia ipsum quis ad se reuertêtem receptat, aliuue modo fauet ac protegit. Quod vno rursus nomine significatur. Aut denique ex parte rei acceptæ; vt cum quis eiusdem furti, vel rapinæ sit particeps, vel maleficij socius, quod vere participans significatur. Et sic sunt sex modi, quibus homo directè potest esse causa acceptionis, nempe, iussio, consilium, consensus, palpo, hoc est, adulatio, vel criminis laudatio, recursus, & participans. Indirectè poterit quis esse causa, si eum, quem impedire potest, ac debet, non impedit. Quod vno è tribus modis contingit, scilicet, vel cessando à præceptione, aut à consilio, quod dicitur mutus: vel nõ obstando cum possit, vel factum occultando. Tertia conclusio: Ex his nouem modis quinque obligant ex genere suo ad restitutionem, nempe, iussio, consensus, recursus, participans, & non obstans, cum ex officio obstare tenetur & potest. Hanc conclusionem ex eo solum probat D. Thomas, quòd isti omnes verè sunt iniustæ acceptionis causa. Quarta conclusio: Ex alijs quatuor modis non semper restitutionis vinculũ emergit. Et ratio est: Quia non semper, qui consulit, nec qui adulatur, nec qui non præcipit, aut consulit, nec qui nõ manifestat, sunt causa iniustæ acceptionis. Si quando autem contigerit, eos esseveram causam, tunc etiã fient restitutionis debitores.

Quæ dicatur causa efficax.

li quæstione, de concurrentibus cum fure, & Nauarro in Manuali capit. 17. numero. 18. absolutè dicunt illum solum dicendum esse efficacem causam iniustæ acceptionis, sine quo talis acceptio non fieret. Itaque est certa regula apud istos Doctores, quos etiam sequuntur innumeri alij: Quòd si furtum non fieret sine aliquo, & ille concurrit, is censeri debet causa efficax. Tamen si furtum fieret sine illo, etiam si ipse concurrat, non debet censeri causa efficax: atque adeò nec erit obligandus restituere in solidum, sed tantùm tenebitur restituere eam partem furti, quæ ad ipsum peruenerit. Vel certè tenebitur restituere quantum plus furatum fuerit, ex eo, quod ipse concurrit, quam alias furatum fuisset. Adrianus loco citato aliqua ex parte moderatur hanc regulam dicens, quòd si fur non furaretur sine socio; & ego me illi socium adiunxi, teneor in solidum restituere, non obstante quod in mei defectu alius adiungeretur, qui iam iam expectabatur. Soto lib. 4. de Iustitia. quæst. 7. art. 3. acriter inuehitur contra istam regulam; illamque multis rationibus impugnare nititur. Primò, quia ex illa sequeretur, quòd si quis dominus plures habens famulos ad omne nefas paratissimos, & obseruantissimos, vni illorum præciperet, vt inimicum occideret, vel eius segetes comburerent, & ipse id faceret ad nullam teneretur restitutionem, si quidem quod iste facit alius famulus erat facturus. Imò sequeretur, quod si famulus videret dominum parantem se ad necem inimici, quem certissimè erat occisurus, etiam si ipse præueniendo dominum inimicum occideret, non teneretur aliquid restituere. Consequens autem est absurdum: ergo. Item: In naturalibus quando duo ignes eidem combustibili applicantur, licèt vnus sine alio sufficeret comburere, vterque tamen dicitur vera causa combustionis: ergo pari ratione in moralibus, quando duo concurrunt ad idem furtum, licèt vnus sine alio id esset facturus, quilibet illorũ erit dicendus efficax causa furti, atq; ex consequenti vterque erit obligatus restitutioni: Tandé hoc ipsum probat ex illo Matthæ. 18. Necesse est, vt veniant scãdala; sed vę homini illi, per quẽ scandalũ venerit. Quibus verbis aperte significat Christus, quod quanuis per aliũ scandalum erat venturum, ille tamẽ solus erit in culpa, per quem venit. Quocirca hac sententia omissa, dicit ex mẽte Caietani in præsenti non debere regulari quid sit, vel nõ sit causa efficax iniustę receptionis per istas cõditionales negatiuas. Si isto non

Quicunq; est causa efficax iniustæ acceptionis tenetur ad restitutionem.

Explicatio Articvli.

Materia huius articuli est grauissima valdeque necessaria, & de qua Doctores multa dicũt. Quæ, vt debitè disponantur sequemur, vt moris est, ordinem conclusionum D. Thomæ. Vnde circa primam est aduertendum, illam esse certissimam. Omnes enim conueniunt in hoc, quòd quicunque est causa efficax iniustæ acceptionis, tenetur restituere, quod iniustè fuerit acceptũ. Cæterum in explicando, quæ non sit dicenda efficax causa acceptionis iniustæ nõ omnes eodem modo loquuntur. Syluester verbo, restitutio. 3. quæstione. 6. & Adrianus in quarto, in materia de restitutione specia-

non fuisset, alius fecisset, vel nisi iste fecisset, alius non fecisset, quæ nihil ponunt in esse. Sed optima regula erit, inquit Soto, si dicamus illum esse efficacem causam furti, & obligari ad restitutionem, qui fecit aliquid, aut omisit quod alicuius est momenti ad ponendam in re acceptionem iniustam. Ille autem, qui non facit aliquid notabile, non cẽsebitur causa efficax. Vt si, verbi gratia, latronibus iam admouentibus scalas ad furandum, alius de nouo aduenerat, qui scalas teneret, vt alij ascenderent. Ille non censeretur causa efficax iniustæ acceptionis; quia nihil notabile fecit ad ponendum in re furtum. Secus autem esset, si se latronibus adiunxisset, ac simul cum illis diriperet, & auferret prædam. Similiter famulus vsurarij, cui dominus pecunias committit seruandas, non est causa efficax vsurarũ, nec tenetur aliquid restituere. Secus autẽ erit, si gerat negotia domini, celebretque vsurarios contractus nomine ipsius. Hæc sententia Soti atque Caietani in re vera est. Immerito tamen Soto reprehendit Syluestrum, & alios, qui primam regulam posuerunt, cum ipsi non de operantibus, sed de illis, qui sunt causa, quòd alij operentur, loquantur: quod est magis conforme litere D. Thomæ. Et vt hoc intelligatur, aduertendum est, dupliciter posse aliquem concurrere ad iniustam acceptionem. Vno modo immediatè per seipsum, vel accipiendo, vel occidendo, vel comburendo, vel quouis alio modo nocendo. Et de hoc non est dubium, quin sit causa efficax iniustæ acceptionis; siue alij essent accepturi, siue nõ. Nec Syluester, & alij id intendunt negare, vt falsò illis imponit Sotus. Alio modo mediatè. Quod contingit, quando ipse nec accepit, nec nocet, sed est causa, quod alij noceant, & accipiant. Et de his procedit eorum sententia. Suntque illi, de quibus D. Thom. particulariter loquitur in isto articulo, vt ex eius titulo colligere licet, qui sic habet; Vtrùm illi, qui non acceperunt, teneantur restituere. Et de illis verissima est regula, quam prędicti Doctores posuerunt. Quod & probari potest, ex lege vulgaris. §. qui furti. ff. de furtis. & ex lege ita vulneratus. ff. ad legem Aquiliam. Vbi dicitur: Si duo, aut plures simul eandem trahem, aut lignum, aut quoduis aliud ponderosum furtum important, quod singuli baiulare non possunt, vnusquisque tenetur in solidum actione furti. Ex cuius contrario sensu colligere possumus, quod si singuli totum portare possunt, nemo tenetur, nisi pro parte. Et ratio est, quia non videtur tunc fuisse causa totius furti, sed tantum partis; quod requiritur, vt in solidum quis teneatur. D. etiam Thomas in hoc articulo, explicans quando consentiens teneatur ad restitutionem, dicit, tunc teneri, quando sine ipso rapina fieri non potest. Nec argumenta Soti aliquid valent; quæ procedunt de illo, qui immediate per seipsum aliquid iniustè accipit. Vel certe de illo, qui ità cum alio concurrit, vt non solum ipse immediatè suam partem accipiat, sed etiam sit mediata causa, quòd alter aliquã partem teneat. De quo non est dubiũ, quòd tenetur restituere, tam id, quod ipse accepit, quam quod alter. Vt si verbi gratia, duo ità intrarent ad deprædandam domum, vt vnus sine altero intrare non auderet; tunc quilibet teneretur totum quod furati fuerint, in solidum restituere. Quia licet quilibet non sit causa immediata totius furti, sed suæ partis, quilibet tamen, saltim mediatè, ad totum concurrit. Ex quo infertur, regulam illam non esse reijciendam vniuersaliter, prout illam absolute reijcit Caietanus, hic, & Soto loco citato, & Ledesma. 2. p. 4. q. 18. art. & Couar. in regula peccatum. p. 2. §. 12. sed potius explicanda & intelligenda in sensu ab eius autoribus posita. Qui est, quòd ille debet censeri causa efficax iniustæ acceptionis ab alio factæ, qui suo præcepto, consilio, vel fauore ita mouet alium ad accipiẽdum, quod sine tali motione non acciperet. Et è contrario, ille non erit iudicandus causa efficax, qui suo præcepto, consilio, vel fauore nec mouit, nec adiunit aliud, vt accipere, sed omnino impertinenter se habuit, cũ alius nihil minus acciperet sine illius præcepto, cõsilio, vel fauore, ac cũ illo. Tũc enim, nulla resultat obligatio restituendi ex tali præcepto, vel cõsilio, cũ in ordine ad effectũ dãni inferẽdi perinde se habeat, ac si nõ esset. Quod & ista ratione probatur: Si me præcipiẽte, vel cõsulente alius nollet damnũ inferre, nihil teneor restituere, quia nullius dãni sum causa: ergo licet alius inferat damnũ, si id nõ facit ex vi mei præcepti, vel cõsilij, sed ex peruersa voluntate, quã ipse habet, nihil teneor restituere. Probo consequentiã: Nam nec huius damni ego sum causa.

Dupliciter potest aliquis cõcurrere ad iniustam acceptionem.

Quæstio.

¶ Et si quis quærat, quid sit dicendum si alius habet voluntatem peruersam, & efficacem ad inferendum damnum, & ex meo cõsilio, vel præcepto mouetur, non ad inferendum damnum simpliciter, sed ad inferendum cum maiori promptitudine, & animi firmitate, respondeo, quòd tunc teneor restituere non integrè, sed quantum ex illa maiori animi firmitate, & acceleratione

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad arbitrium viri prudentis creuit damnum illatum. Et eadem ratione, si fur firmiter decreuerat furari centum, & ex meo consilio fuit motus ad furandum ducenta, non teneor omnia integrè restituere, sed illa centum dumtaxat, quorum ablationis ego extiti causa, vt contra Adrianum docet Couarruuias loco citato.

Dubium. ¶ Circa eãdem primam cõclusionem D. Thomæ, est difficultas, vtrùm quando multi simul concurrunt ad eandem iniustam acceptionem, teneantur singuli restituere in solidum quidquid omnes iniustè

1. dictum. acceperunt. Ad cuius explicationem dico primò, quòd si omnes illi mutuo consensu, & ex proposito, vt meliùs possint, & securius damnum inferre, simul concurrunt, singuli tenentur in solidum. Probatur: Singuli sunt causa iniustæ acceptionis, non solum quantum ad id, quod vnusquisque accepit, sed etiam quantum ad id, quod alij tulerunt, cum singuli inuicem se moueant: ergo singuli tenentur in solidum. In

2. dictum. hoc dicto omnes Doctores conueniunt. Dico secundo, quòd si omnes illi non ex proposito, & mutuo consensu, sed casualiter, & fortuitò simul concurrunt, nullus tenetur in solidum, sed singuli pro parte, quam tulerant. Probatur: Nam quantum ad illã solùm fuerunt causa damni, & non quantum ad alias; si quidem, vt supponimus nullus alterum monit ad inferendum damnũ. Sed est hoc intelligendum, quando multi fortuitò, & casualiter concurrentes res diuersas accipiunt, aut damnificant in diuersis partibus. Nam si contingat, quòd totũ damnum fiat à singulis immediate, ità, vt omnium actiones per modum vnius totum effectum indiuisibiliter agentis concurrãt; etiam si ad id casualiter, & sine mutuo cõsensu conuenerint, in solidum tenentur totum damnum restituere. Vnde si duo recipiant calicem, aut domum alienam combusserint, aut hominem occiderint, quilibet illorum tenebitur totum damnum in solidum restituere, etiam si vnus nec moueret, nec induxerit alium, sed potius doleat quòd comes accesserit, quia solus totum

3. Corolla. damnum inferre volebat. ¶ Ex dictis infero primò, quòd quotiescunque duo, vel plures æquè primò, ac simul ad totum damnũ concurrerint, siue id ex proposito, siue casualiter fuerit factum, singuli tenentur totum damnum restituere, non obstante, quòd vnus sine alio idem damnum intulisset. Et ratio est: Nam singuli sunt causa totius dãni: & quanuis sint multi, atque diuersi, omnes tamen concurrunt ad totum effectum per modum vnius causæ indistinctè, & indiuisibiliter operantis. Sicut quando duo ignes æquè primò applicantur eidem stuppæ, totus effectus tribuitur singulis. ¶ Infero *2. Corolla.* secundo, q; omnes ac singuli milites in bello iniusto mala fide bellantes, tenentur in solidum totum damnum per tale bellum illatum restituere; quia omnes ac singuli sunt causa totius damni, & mutuo se mouent ad illud inferendum. Dixi mala fide: Nã si bona fide gesserint bellum, licèt à parte rei esset iniustum, solum ratione rei acceptæ tenerentur restituere illud, in quo ex præda facti fuissent ditiores. Verum tamen est, quòd regulariter loquendo, excusantur tales milites à restitutione in solidum, tum ratione impotentiæ, tum etiam, quia rationabiliter debent præsumere principem gessisse bellum iustum: nec ad singulos spectat agere de iure belli. ¶ Infero tertio, quòd sin- *3. Corell.* guli Canonici præstantes in capitulo suffragium cum iniuria alterius tenentur, per se loquendo, in solidum restituere damnum inde subsequutum: quia omnes in vi vnius, & indiuisibilis causæ totum damnum inferunt. Et si quis obijciat, Contingit sæpe sæpius maiorem partem Capituli præstitisse iniquum suffragium, & quòd alij videntes damnum irremediabiliter esse conferendũ, conformant se maiori parti, ne socios offendant, & tunc non ex vi illorum, qui vltimo loco suffragium tulerũt damnum sequitur, cum iam per suffragia præcedentia sufficiẽs & efficax causa illius esset posita: ergo non sunt tunc obligandi ad restitutionem, qui vltimo loco suffragium dederunt. Atque ex consequenti non est verum dicere, quòd singuli de Capitulo præstantes suffragium cũ iniuria alterius teneantur in solidum damnum restituere. Propter hoc argumentũ Cajetanus in summa. verbo. restitutio. & Nauarro in Manuali c. 17. num. 21. dicũt illos, qui vltimo loco suffragãtur ad nullã teneri restitutionẽ, cũ eorũ suffragiũ impertinẽter se habeat ad effectũ subsequutũ. Contrariã tamẽ sententiã existimo verã, quã tenet Medina. C. de restitutione. q. 7. Et ratio est: Nã licèt nõ omnes simul fuerint suffragati, sed vnꝰ post aliũ successiue: exequutio tamẽ sententiæ capitularis iniquæ simul fit ex vi omniũ suffragiorũ indiuisibiliter & indistinctè, exequutorq; sententię æqualiter mouetur ex vi omniũ. Atq; adeo ille ordo suffragia præstãdi per accidẽs se habet ad dãnũ inde subsequutũ. Quod & confirmari potest ex Innocentio in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maiori parte Capituli, vbi inquit, quòd existẽs in cap. nisi contradicat male actis, habetur pro

Quid sit dicẽdũ de suffragantibꝰ in capitulo.

pro consentienti, quo ad peccatum, & quo ad pœnas; & ità iudicabitur in foro exteriori, à fortiori ergo id erit verum quando existens in capitulo non solum non contradicit, verum etiam positiue se conformat præstando suffragium. Et idem proportionabiliter est dicendum de suffragijs iudicum, & gubernatorum, quando de præiudicio tertij agitur, & de suffragijs studentium in

4. Corolla. cathedratum prouisionibus. ¶ Infero quarto, quòd comitantes latronem non animo nocendi, sed potiùs impediendi damnum si possint, per se loquendo nihil tenentur restituere, cum non sint causa damni, sed tendant magis ad conseruationem iustitiæ. Dixi per se loquendo. Nam per accidens bene poterit contingere, quòd teneantur, vt si latro nisi alijs comitantibus non esset iturus. Vel si dominus non sineret rem suam furari, si videret latronem solum, vt accidit in casu posito à Medina Cordicet de restitutione. quæstione septima, de illo, qui pergens rapere vestem alterius, alius animo impediendi damnum, ei se socium adiungit, & dominus vestis videns duos fugit, vestemque reliquit; alias non fugiturus, nec vestem relicturus, si solum latronem vidisset. In hoc enim casu est communis sententia, quòd socius tenetur damnum restituere. Quia, licèt bona intentione pergeret, incautè tamen: & sic vere fuit causa efficax, quod dominus iniustè spoliaretur. Secus autem esset, si ipse dominum certiorem faceret, cum sufficienti cautela, quod non animo nocendi, sed iuuandi potius comes iret: nam tunc non ipsi, sed domino rei esset damnum imputandum.

Modi quibꝰ potest aliquis cõcurrere ad iniustã acceptionem. ¶ Circa secundam conclusionem, in qua Dñs. Thom. enumerat modos, quibus aliquis potest ad iniustam acceptionem concurrere, aduertendum est, quod omnes illi nouem ab ipso positi intelligendi sunt de cooperante, & non de ipso executore. Ex quo manifestè sequitur, quòd secundum sententiam illius tantum sunt decem modi opetandi iniustè. Primus est eius, qui iniustitiam exequitur, vt qui furatur, vel occidit. Et de hoc non loquitur in isto articulo. Secundus est, præcipere, vel iubere, hoc est, autoritatiuè, & quasi cum quadam coactione inducere alios ad iniustè accipiendum. Tertius est, consulere, hoc est, per modum cuiusdam adhortationis mouere. Quartus consentire, hoc est, tacitè, vel expressè approbare. Quintus adulari, hoc est, cum quadam laude, & plausu incitare. Sextus receptare, hoc est, per modum potestatis, & defensionis cuiusdam iniuitare. Septimus participare, hoc est, capere partem prædæ iniquæ, vel partialiter conuenire ad ipsum maleficium, quomodo libet operando. Octauus tacere, hoc est, non adhibere præceptum, vel consilium, prout tenetur, ad cauendum damnum alterius. Id enim significatur per mutum in præsenti. Nonus non obstare, hoc est, non adhibere auxilium in opere, prout ex officio tenetur. Decimus & vltimus est, nõ manifestare, hoc est, occultare damnum iam facti, quod ex officio reuelare tenebatur.

Dubium de sufficientia præditorũ modorum. ¶ Sed dubium est, vtrum isti modi cooperandi ad iniustitiam sufficienter sint à Diu. Thom. enumerati. Et pro parte negatiua argumentor primò: Qui ministrat instrumentum, paraticalas, dat signum, mõstrat viam, docet artem furandi, defendit, vel comitatur malefactores, est causa iniustæ acceptionis, vt de se patet: nullo tamen ex illis nouẽ modis continetur: ergo debet assignari plures. *1. argum.* ¶ Secundo, consentiens, receptator, adulator, & participans nullo modo videntur esse causa iniustæ acceptionis, cum potiùs supponant eam factam, quam ad illam concurrant: ergo non debent assignari tot causæ iniustæ acceptionis. Sãta Angelica verbo furtum constituit decem modos causandi iniustam acceptionem. Nam vltra nouẽ D. Thomæ assignatos ponit decimum, qui est cooperatio. Alij ex opposito non curãt tot modos distinguere, sed dicũt, quod aliquot istorum sunt superflui, & coincidunt inter se. Cæterum ad huius rei explicationem dico breuiter, quòd licet forsan modi causandi iniustam acceptionem possent melius aliter enumerari, atque distingui, tamen D. Thomas non multum solicitus fuit de hoc, sed illam assignauit distinctionem, quæ communis erat Doctorum, estque procul dubio bona, atque sufficiens, vt ex ratione ipsius in litera posita colligere licet. ¶ Et ad *Ad. 1. arg.* primum argumentũ respondetur, quòd omnes illi modi causandi, quandam important cooperationem respectu iniustæ acceptionis, & sic redeunt ad participantem. Cuius nomine, vt diximus, non solum intelligitur qui partem prædæ accipit, sed etiam, qui est particeps criminis, vel præstando auxilium, vel quomodo libet operando, vt cõstat ex §. interdum quoq; inst. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. Verum tamẽ est, quòd qui doceret artẽ furandi in cõmuni & quasi speculatiuè, nõ cõseretur ad furta cooperari. Secꝰ autẽ esset de illo, qui practicè & in particulari, & in ordine ad opus hic & nũc exercendum id doceret. Et eadem est ratio

Conclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad.1.arg. de monstrãte viam. ¶Ad secundum respondetur, quod consensus, & adulatio non solum possunt referri ad furtum factum, sed etiam ad faciendum. Et, vt sic sunt causæ iniustæ acceptionis. Et idem dico de receptante. Nam ex eo, quòd quis paratum se exhibet, atque offert ad receptandum latrones, prouenit sæpe sæpius, quòd ipsi animentur ad scelera perpetranda. Et hic est etiam causa iniustæ acceptionis. Sed pro huius rei maiori intelligentia, atque etiam pro conuenienti explicatione tertiæ & quartæ conclusionis Diu. Thomæ, operæpretium est, vt per singulos modos suo ordine discurrentes declaremus quando ex vnoquoque illorum oriatur obligatio restitutionis, & quando non. Certum est enim, quòd non omnes vno & æquali rigore obligant, vt rectè docet autor in isto articulo, dicens in tertia conclusione, quòd ex nouem modis, quinque, nempe, iussio, consensus, recursus, participans, & non obstans, quando ad id ex officio tenetur, ex genere suo obligant ad restitutionem. In quarta autem conclusione affirmat, quod alij quatuor, nempe, consilium, adulatio, mutus, & non manifestans, non semper obligationem inducunt. Quod est intelligendum, per se loquendo, & quantum est ex natura rei. Cùm tamen possit aliquando contingere, quod nec iubens, nec consentiens, nec alij similiter teneantur ad restitutionem; tunc, scilicet, quando per se non sunt causa efficax iniustæ acceptionis. Quocirca illud potissime in his omnibus erit obseruandum, vt in particulari respiciamus, an aliquis sua actione, vel omissione fuerit causa mouens alterius animum ad accipiendum iniustè: an vero omnino impertinenter se habuerit, & per accidens. Et rursus, an ex tali motione in effectu fuerit sequutum damnum. Nam quantumcunque aliquis imposuerit præceptum, vel dederit consilium de damno inferendo, & alter decreuerit facere, si tamen non fecit, nulla inde resultat obligatio restituendi. Et item quantumcunque ego præcipiam, vel consilium dem, & alter damnum inferat, si tamen ad id faciendum ex meo præcepto, vel consilio non mouetur, sed ex sua voluntate, quæ ad id erat determinata, & præceptum, vel consilium meum impertinenter se habet ad damnum illatũ, nihil teneor restituere.

De prima personaque potest cooperari iniustæ acceptioni.

¶ Iuuans ergo qui est prima persona ex ijs: quæ causant acceptionem iniustam, per se loquendo tenetur in solidum totum damnum restituere, etiam si nihil inde reciperit, vt constat ex capit. Iulianus. 11. q. 3. Sed est hoc intelligendum cum duabus limitationibus. Prima est, quod damnum in re sit subsequutum. Secunda, quòd ipsa iussio sit efficax causa iniustæ acceptionis, vel probabiliter credatur efficax, vt ex communi Doctorum sententia docet Syluester verbo. restitutio. 3. quæstione. 6. Nam vbi est solum dubium, nihil tenetur restituere cum cæteris paribus in dubijs sit melior cõditio possidentis. leg. si ob turpem. ff. de cõditionibus ob turp. cau.

De secũda personaque est cõsulẽs, dubiam.

¶Secunda persona causans iniustam acceptionem, est consulens, de qua maior est difficultas, an teneatur in solidum totum damnum restituere semper, quod est causa efficax illius. Et pro parte negatiua est argumentum ex. §. tua tantum. Institut. de mandato. & ex. §. interdum quoque. institut. de obligationibus, quæ ex deli. nasc. Vbi expresse habetur, quod qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit, & adhortatus fuit ad furtum, non tenetur furti. Et reddit rationem Iuris consultus: Quia liberum est vnicuique sequi alterius consilium, vel nõ sequi. ¶Secundò sic argumentor: Aliquando contingit, vt det quis bona intentione, & sine peccato consilium, & tamen ex illo iniustum damnum sequatur, vt patet in casu, quo latro erat paratus rem magni pretij furari, & meo consilio fuit inductus ad hoc, vt rem minoris pretij furaretur. In hoc casu consulens non tenetur restituere damnum: & tamen eius consilium verè fuit causa efficax illius: ergo non semper quod consilium est causa efficax damni, inducit obligationem restitutionis. ¶Tertiò: Qui consilium alteri dat, vt pro tanto pretio rẽ suam vendat, credens hoc ipsi venditori cõuenire, & sic ad consilium eius rem suã vendit, in quo tamen realiter manet defraudatus, nihil tenetur vẽditori restituere, ex quo cõsilium quod dedit, fraudulentum nõ fuit, vt constat ex regula iuris in. 6. qua dicitur: Ex consilio, nisi fraudulentum fuerit, non nascitur obligatio: ergo non semper quod consilium est efficax causa damni, inducit obligationem restituendi. ¶ Quartò: Qui consulit, non aufert rem, nisi in quantũ dat consilium iniquum: ergo satisfaciet per hoc quod contrarium consilium det, nec ad vltiorem tenebitur restitutionem.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

4. argum.

Conclusio.

¶His tamen non obstantibus dico, quòd qui suo consilio mouet ad furandum, vel rapiendum iniustè eum, qui alias non erat paratus, tenetur in solidum totum damnũ restituere. Et probatur: Tale consilium vere est

re est causa efficax damni illati. vt patet ex Aristotel. 2. Physic. vbi consiliarium vocat causam efficientem: ergo tenetur ad illius restitutionem. Et confirmatur: In iure consiliarius & consentiens eodem modo puniuntur, & iudicantur ac ipse delinquens, vt constat ex. c. notũ sit. 2. q. 1. & ex ca. sicut dignum. de homicidio, & ex capit. nuper. de sententia excommunicationis, & ex leg. qui seruo. ff. de furtis, & ex leg. 1. ff. de seruo corrupto: ergo consiliarius, & consentiens non minus tenentur ad restitutionem, quàm delinquens. Et eadem ratio est de illo, qui fraudulenter consulit fieri aliquid, ex quo proximus damnificatur, etiam citra manifestam rapinam, aut furtum, vt patet ex lege, quod si cum scires. ff. de dolo, vbi ille qui dolose, & sui lucri gratia consuluit mutuare debitori non idoneo obligatur ei, cui consilium dedit, restituere. Et meritò quidem, si quidem per fraudem fuit causa, quòd ille minus haberet, quàm erat habiturus. Et idem est dicendum de illo, qui fraudulenter consulit, teneri ad restitutionem eum, qui re vera non tenetur, vel non teneri eum, qui tenetur. Obligatur enim ipse in conscientia damnum, cuius est causa, recompensare. Et hoc, quod dicitur de cõsilio rapinæ, habet etiam locum in consilio de collectis imponendis clericis, sine licentia Papæ; & in consilio vsurarum; & in consilio malo aduocati, etiam ex ignorantia, vt infra dicemus; & in consilio de non restituendo aliena; & in consilio condendi iniqua statuta, & in quocũq; alio cõsilio dãnificãdi proximũ scienter, vel ex ignorantia crassa, sine quo talia nõ fierẽt, vt est videre apud Syluestrum verbo. restitutio. 3. q. 6.

Ad.1.arg.

¶Et ad primum argumentum respondetur, quòd in illo. §. tua tantum. non est sermo de consilio respectu debiti; sed de consilio non fraudulento respectu contractus, vel quasi contractus. Ex quo certum est, quòd nulla nascitur actio contra eum, qui dedit, vt constat ex regula. 62. de regulis iuris in sexto. Vbi dicitur. Nullas ex consilio dummodo fraudulentum non sit, tenetur, &c. Ad aliud ex. §. interdum. Medina Codice de restitutione, dicit, quòd loquitur de foro iudiciali, in quo ex solo consilio sine ope nulla nascitur obligatio. Hæc tamen solutio est falsa: nam, vt modo dicebam, etiam in foro exteriori consiliarius, & consentiens eodem modo iudicantur, & puniuntur, ac ipse delinquẽs. Quocirca hac solutione omissa, respondeo, quòd in illo. §. solum est sermo de consilio, & adhortatione respectu illius, qui iam erat omnino determinatus ad delictum faciendum; nec ex alterius consilio ad id fuit motus. Et quod Iurisconsultus ibi non intendat negare eum, qui suo fraudulento consilio delinquentis animum mouit, obligari, patet manifestè ex. §. vnde illud. Institu. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, & ex. §. non solum. Institut. de iniurijs. quibus locis videnda est glossa.

¶Ad secundum argumentum aliqui, vt Caietanus infra quæstione. 78. articulo. 4. absolutè dicunt, nulla ratione esse licitum consulere minus malum, nec inducere ad illud, vt vitetur maius malum. Si enim non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, vt dicit Paulus ad Romanos. 3. multo minùs erunt facienda, vel consulenda eadem mala ad alia vitanda. In eadem sententia fuit Soto super tertiũ caput Epistolæ ad Romanos, quanuis posteà libro sexto, de Iustitia, quæstione prima, articulo quinto, contrarium ex professo doceat, & meritò. Nam id non tam est malum consulere, quam retrahere à maiori malo. Sensus enim talis consilij non est absolutus; Fac istud malum minus, sed quasi conditionatus, scilicet; Si omnino decreuisti facere malum, potiùs fac hoc minus, quam illud maius. Et sic consilium non fertur in malum absolutè sed in comparationem, qua dicitur, potiùs esse faciendum minus malum, quã maius. Quod proculdubio est actus bonus; & qualem habuit Loth, dum offerens Sodomitis filias, dixit; Abutimini eis. Vnde dico ad argumentum, quòd qui latroni paratissimo ad furandum rem magni pretij consulit, vt loco illius rem minoris pretij eiusdem domini furetur, ad nullam tenetur restitutionem. Licet enim fuerit causa, quod illa res numero à latrone aceiperetur, non tamen id causauit iniustè, sed iustissimè, vtiliter rem ipsius domini gerens. Et obligatio restitutionis, non ex acceptione simpliciter, sed ex iniusta acceptione habet ortum, vt sæpe diximus. Dixi eiusdem domini. Nam, si res minoris pretij, esset alterius domini, consulens illam furari, peccaret, & teneretur ad restitutionem: quia non est licitum nocere vni, ad tollendum alterius nocumentum.

Ad.2.arg.

¶Ad tertium argumentum, vt respondeamus, aduertendum est, quòd consilium, quod quis dat, vel potest esse respectu delicti, vel respectu alicuius contractus, vel quasi contractus. Si sit respectu delicti, & illud moueat animum operantis ad ipsum perpetrandum, proculdubio qui

Ad.3.arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

consilium dedit, tenetur totum damnũ inde subsequutum restituere, vt in resolutione difficultatis dictum est. Si autem sit respectu contractus, vel quasi contractus, quale est illud, quod datur de vendenda re, vel locanda, &c. tunc distinguendum est. Sunt enim, qui consilium præstant, in multiplici differentia. Quidam, quibus ex officio, seu ratione eminentiæ, aut stipendij incumbit alijs consulere. Quales sunt aduocati, Theologi, confessores docti, medici, alijque huiusmodi, quibus fides solet, aut debet adhiberi. Et tales in consulendo debẽt prius dare operam, quatenus rectè & salubriter consulant. Alioqui, si damnum inde alicui subsequatur, illis imputabitur, siue fuerint prius ad consulendum exacti, siue ipsi se intromiserint, vt constat ex ijs, que diximus articulo secundo agentes de culpa lata, leui, & leuissima. Alij autem sunt, qui cõsilia præstant non tales, quales dixi, vt idiotæ, aut mulieres inexpertæ: & in his plurimum refert an præbeant consilium antequam ab eis fuerit postulatum, vel post. Nã si antequam ab eis consilium postuletur, ipsi sẽ ad consulendum ingerunt, & consulendo nocent, eis erit damnum imputandum, qui ex imperitia nociuum præbuerunt consilium, & alienum officium vsurparunt. Nec in tali casu per bonam fidem excusantur, quæ vbi culpa, vel imperitia, vel negligentia adest damnificantem non excusat, vt dicitur in cap. si culpa tua. de iniurijs. Si autem huiusmodi personæ non se ingerant ad consulendum, antequam ab eis consilium petatur, tunc per bonam fidem excusabuntur, & damnum solum petentibus imputabitur, qui cum haberent viros doctos, & expertos, à quibus de veritate, quam quærunt, possent informari, imperitorum quæsierunt consilium. Secus autem esset si fraudulenter, & cum dolo illud dedissent, vt supra diximus. Et si quis obijciat; Impertinẽs est, ad hoc, vt consilium datũ inducat obligationem satisfaciendi, quòd detur cum dolo, aut sine illo, cùm huiusmodi obligatio non ex dolo, sed ex causali, aut reali damnificatione oriatur, & non minus damnificat, qui sine dolo consulit, quam qui cum dolo: ergo malè dicitur, quòd personæ ignorãtes, quibus non conuenit ex officio consilium dare, si cum dolo, & fraudulenter illud dãt, vt noceant, tenentur ad restitutionem, secus autem minimè. Item non minus videtur impertinens, quod nociuum consilium detur ante, vel postquam petitur, cum qualiter inferat damnum, ante & post. Respondetur; quòd obligatio restituendi non ex nuda damnificatione oritur, sed ex iniusta & culpabili, qualis est quæ per consiliũ fraudulentũ euenit, cũ tunc læsus rationabiliter posit esse contra cõsulentem inuites; & nõ quando cum bona fide post postulationem datur consilium. Et per hoc patet solutio ad tertium argumentum. ¶ Ad vltimum respõdetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ille enim, qui suo consilio mouet alium ad furandum non satisfacit per hoc, quod det contrarium consilium de nõ furando, vel de restituendo id, quod fuerat furatum: sed etiam tenetur cum effectu restituere damnum illatum: Si ille, qui dedit non restituit. Et ratio est: Quia, sicut nõ obligámus consulentem ad restitutionem, nisi quando cum effectu per eius consilium res est ablata; ita etiam, nec est deobligandus à restitutione, nisi quando cum effectu res ablata est reddita domino, vt par sit ratio, quantum ad obligationem & quantum ad deobligationem, seu absolutionem. Parum enim refert, quòd det quis consilium bonum, si per illud malus effectus, qui per consilium iniquum fuerit positus, non auferetur. Et idem est dicendum de præcepto, consensu, & adulatione, quãtum ad hoc pro posito.

Ad. 4. arg.

¶ Tertia persona causans iniustam acceptionem, est consentiens. Et est ille, qui tacitè, vel expressè approbat illam: ex quo fit, vt alius moueatur ad damnum inferendum. Et quidem, si talis consensus non est causa efficax damni subsequuti, qui sic consentit, quãuis peccet mortaliter, ad nullam tenetur restitutionem, cum nulla ibi causalitas inueniatur respectu nocumenti. Cæterum si est causa efficax, ità, vt sine illo factum nõ fuisset, tenetur sic consentiens in solidum totũ damnum restituere. Ex quo fit, vt posimus distinguere inter consensum absolutè, & consensum, vt causa; & iste obligatur restituere, ille vero minime. Verbi gratia: Agitur de iniũdo bello iniusto, & sunt aliqui, quorum consensus sufficiens est, vt bellum incipiatur, illi, scilicet, ad quos spectat de his rebus agere: & sunt alij, quorum consensus est impertinens ad bellum causandum, quales sunt homines de media plebe. Primus consensus dicitur non solum consensus, sed etiã causa. Et iste est, qui in consentientibus inducit obligationem restitutionis. Alter verò appellatur solum consensus. Et licèt inducat peccatum in ipsis consentientibus, non tamen inducit obligationem restitutionis; cum restitutio non ex peccato simpliciter, sed ex damno iniustè causato, quod in præsenti non inuenitur, ortum habeat.

De. 3. persona qua est consentiẽs.

¶ Quarta

De. 4. persona quæ est palpans.

¶ Quarta persona causans iniustam acceptionem, est palpãs, seu adulator. Et est ille, qui cum quadam laude, & plausu incitat ad inferendam iniuriam, teneturq; in solidum, si probabiliter credit, ex sua adulatione aliũ esse motum ad damnificandum proximum. Alias quamuis peccet mortaliter laudando delictum, nihil tenetur restituere.

De. 5. persona quæ est receptans.

¶ Quinta persona causans iniustam acceptionem, est receptans, quæ nomine recursus significatur. Et est ille, qui per modum potestatis cuiusdam, & defensionis inuitat ad inferendam iniuriam. Sed quoniam huiusmodi receptio multiplex esse potest, vt explicemus quando ex illa obligatio restitutionis oriatur, & quando non, dico primo, certum esse, quòd qui antequam fiat furtũ, vel rapina, offert se paratum ad receptandum furem, ex quo illius animus mouetur ad maleficium perpetrandum tenetur in solidum totum damnum restituere, tanquam vera causa illius. Secundò etiam est certum, quòd qui bona fide receptat furem ignorans, quòd sit fur, nihil tenetur in cõscientia restituere, siquidem nulla ratione dici potest causa damni inde subsequuti. Imò etiam si dubitet, an sit fur, non tenetur ad restitutionem. Dubium enim in proposito non tollit bonam fidem, cùm nemo debeat iudicari malus nisi constet. ¶ Sed dubium est, an qui recipit furem post peccatum commissum, nihil participando de præda teneatur aliquid restituere. Et pro parte negatiua est argumentum: Talis receptans non est causa damni cum illud iam præsupponatur illatum: ergo nihil tenetur restituere. ¶ Secundò: Recipere huiusmodi latrones sæpè est necessarium, & opus charitatis, tũc, scilicet, quando latro fugit iudicem, vel dominum rei à quibus, nisi esset qui receptaret, occideretur: sed ex opere charitatis nullus debet obligari ad restitutionem, cum ex bono opere non debeat quis damnum reportare: ergo.

Dubium. 1. Argum. 2. Argum.

¶ Hoc tamen non obstante supposito, q. dupliciter potest quis recipere fures, scilicet, formaliter, & materialiter, ad explicationem difficultatis sit prima cõclusio: Qui recipit furem, vel latronem, etiam cognitũ, non formaliter, sed materialiter, hoc est, ratione amicitiæ, vel cõsanguinitatis, aut etiã causa communis humanitatis, quæ est care re hospitio, nihil tenetur in conscientia restituere. Probatur: Talis nec cooperatur latrocinio, vt sic, nec est causa iniustæ acceptionis, aut detentionis; sed per se loquẽdo facit potius actum pietatis: ergo nihil tenetur restituere. Et confirmatur ex l. 2. ff. de receptoribus, vbi dicitur, quòd consanguinei latronum, illos recipientes non debent tam seuere puniri, sicut alij. Item: Quando excõmunicantur fautores & receptores hæreticorum, nomine fautorum, & receptorum, vt optimè probat Nauarro in Manua. cap. 27. num. 26. & Caietanus in summa. verbo. excommunicatio. cap. 1. non intelliguntur illi, qui materialiter ratione communis pietatis, vel necessitatis hæreticos recipiunt: sed illi solum, qui eos recipiunt, qua ratione hæretici sunt, vt, scilicet, in hæresi maneant, & foueantur: ergo pari ratione dicẽdum erit de illo, qui recipit furem materialiter, quòd ad nullam tenetur restitutionẽ.

1. Conclus.

¶ Secunda conclusio: Qui scienter recipit latrones formaliter post crimẽ perpetratũ, etiam si nihil recipiat de furto, nec anteà se obtulerit ad recipiendum, tenetur in solidũ totum damnum restituere. Hanc conclusionem tenent communiter omnes Doctores cum D. Thom. in isto articulo. Et probatur: Illi dicuntur recipere latrones formaliter, qui illis patrocinium, & defensionem præstant, ne cogantur desinere à furtis, & restituere: sed tales manifestè sunt causa iniustæ acceptionis, vel detentionis: ergo obligãtur ad restitutionem. Et confirmatur ex l. 1. ff. de receptatoribus. & ex cap. qui consentit. 11. q. 3. & ex cap. qui aliorum. 24. q. 3. & ex cap. qui cum fur. extra, de furtis. Quibus locis habetur, quòd qui defendit fures, & alios errantes, tenetur sicut illi; imò damnabilior est ipsis, qui errant. ¶ Et ad primum argumentum respondetur, negando eos, qui recipiunt fures formaliter, non esse causam dãni. Sunt enim causa vel iniustæ acceptionis, vel saltim detentionis, vt diximus in secunda conclusione. ¶ Ad secundum respondetur, illud quidem probare, quòd qui recepit latronem in casu necessitatis, ne occidatur, non tenetur ad restitutionem. Quod est verum. Sed est hoc intelligendum, quando non potest fieri restitutio salua hominis vita. Nam qui prædam tradere potest, sine morte latronis, & illam occultat, proculdubio tenetur ad restitutionem; cùm nullus habeat ius occultandi, aut detinendi rem alterius, nisi in quantum est hoc necessarium ad tuendam propriam vitam, vel alienã, aut famam & honorem, longè maioris pretij, quàm res furata.

Ad. 1. arg. Ad. 2. arg.

¶ Sexta persona causans iniustam acceptionem, est participans, hoc est, ille, qui vel partem prædæ iniquè accipit, vel partialiter concurrit ad ipsum maleficium, quomodoliber operando. Ad cuius intelligentiam aduertendum est, aliud esse loqui de partici-

De. 6. persona quæ est participãs.

 cipanti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipantibus in crimine,& aliud de participā tibus in re ipsa. Et quidem de participantibus in re aliena absq; eo, quod participent in crimine iam dictum est in superioribus, quod qui bona fide id facit ignorans rem esse furtiuam,solum ratione rei acceptæ tenetur restituere, vel ipsam rem, si penes se manet, vel id, in quo ex illa fuit factus ditior. Tamen qui mala fide participat, vel sciens rem esse iniustè acquisitā, vel id crasse ignorans,non solum ratione rei acceptę, sed etiam ratione iniustæ acceptionis tenetur restituere quidquid,siue per donationē, siue per alium contractum accepit. Atque adeo,quantumcunque res perierit, vel consumpta fuerit, etiam sine noua culpa sua, semper manet obligatus ad restitutionem, vt docet D.Thom. hic,& articulo præcedē ti. Ex quo infertur, quòd non licet etiā per modum eleemosynæ scienter quidquam accipere de rebus furtiuis, nec de illis comedere,nisi fortè in casu extremæ, vel grauissimæ necessitatis. Vnde nec vxor, nec filij, nec famuli raptorum,aut vsurariorum nulla alia bona habentium præter iniustè acquisita possunt vesci,aut sustentari,vel recipere stipendia ab illis, absq; eo, quod maneant obnoxij restitutioni. Secus autem erit si tales raptores & vsurarij alia bona habeant, & res iniustè acquisitæ ex illis sint, quæ vsu consumuntur, vt pecuniæ,triticū, &c. Tunc enim, postquam huiusmodi bona fuerint permixta licitum erit ab vsurarijs, vel furibus eleemosynas, & stipendia, & alimenta accipere, dummodo ex hoc non reddantur impotentes ad restituendum, vt diximus in.1.tom.quæst.32.art.7.

De vxore & filijs viri vsurarij.

¶Et si quæras,quid facient vxor, & filij raptoris, vel vsurarij alia bona non habētes, quàm quæ iniustè acquisiuit? Respondeo, quòd tenentur aliunde vitam quærere, vel seruiendo,vel ab amicis petendo, vel aliter laborando, vt tantundem lucrentur quantum de alienis bonis consumunt, vt docet Syluest.verb.vsura.8.& Medi.C. de resti.q. 10. Et hæc de participantibus in re ipsa. De illis autem,qui participant in crimine, vel cooperādo aliquo modo, vel aliquid patrā do,ità, vt verè sint causa, vel quod alius furetur & rapiat, vel quidquam accipiat iniustè,similiter est dictū,quod tenentur in solidum restituere,ac ipse fur,vt patet ex.c.fi. de iniuria,& damno dato. Sed quid dicendum erit de ratificante, & gratum habente damnum,quod suo nomine fuit factum? Natarro cap.17.n.133.ex mente Aug.in summa.verbo,furtum.§.20.dicit, quòd talis est particeps criminis; æquiparaturq; præcipiti; & sic tenetur ad restitutionem. Maximè si ille,qui fecit damnum non fuisset illud facturus, nisi existimasset alteri gratum fore. Dico tamen, quòd, si per talem ratificationem,nec impeditur alter à restitutione,nec mouetur ad continuandam retentionem in iustam,nulla ex illa nascitur obligatio restitutionis,cum nullius iniustæ acceptionis sit causa. Nec obstat regula iuris, quæ dicit,rata habitionem retro trahi,& mandato comparari. Nam procedit solum de pœnis criminis in foro exteriori soluendis. De famulis & ministris latronum,& vsurariorum iā diximus suprà,quòd, nisi ministrent in ipso maleficio tanquam instrumenta partialia, multumque conducenda ad ipsam iniustam acceptionem,nihil tenentur restituere, nec etiam tabelliones publica vsurarum instrumenta facientes,aut testes subscribentes;cū ex vi talium instrumentorum non obligentur alij soluere vsuras,nec ad id recipiantur in foro exterioti Secus autem esset,si tabellio,aut testes falsum,aut fictum conficerent instrumentum, ex quo mutuatarius vsuras soluere cogeretur,vt dicit Gabriel in. 4. d. 15.q.11.art.2.conclus.3.

De famulis furum.

¶Septima persona causans iniustam acceptionem,est mutus, hoc est,ille,qui non adhibet præceptum,vel consilium,prout tenetur ad cauendum damnum alterius. Octaua non obstans, hoc est, non adhibens auxiliū in opere, prout ex officio tenetur. Nona & vltima,non manifestans,hoc est, occultans damnum iam factum, quando ex officio id reuelare tenetur. Sed circa has tres personas est difficultas quando ex tacendo, vel non obstando, vel non manifestando sequatur obligatio restitutionis? Caietan. in sum. verbo, restitutio.cap.1.dicit,quòd quanuis regulariter & per se, his titulis non tenean tur restituere,nisi illi, quibus ex officio incumbit damna impedire;per accidens tamē comprehenduntur etiam sub hac obligatione omnes homines quando ratione vrgentis necessitatis sub mortali tenentur damnū proximi impedire,& non impediunt. Et sic dicit, quòd si homo priuatus videat, quòd aliqui cum notabili damno rerum proximi volunt domum eius deprædari, & ipse cū id possit sine suo, vel alterius detrimento impedire, non impedit, non solum peccat mortaliter, quod omnes Doctores concedunt,sed etiā tenetur ad restitutionem, idē videtur affirmare Ricard. in. 4.dist.15.art. 4.q.5. & probatur ex cap.sicut dignum.de homicidio.§. ille etiam, & ex cap. quantæ. de sentent. excommunicatio. & ex cap.qui cū fure.de furtis, & ex alijs innumeris,quibus

De 7.de 8. & de 9.per sona quæ sunt,facēs, non obstāt, non manifestant.

Sententia Caiet.

Argum.pro sententia Caiet.

bus dicitur, quod quicunq; potest manifesto facinori obuiare, & non obuiat, fauere censetur delinquentibus. Et confirmatur,ille vere est causa iniustæ acceptionis,illamque vult saltim indirecte: ergo tenetur ad restitutionem. Summa Angel. verbo.furtū. §.24.dicit,quòd priuati homines nunquam tenentur restituere ex eo, quod non impediunt damnum cum possint, nisi id faciant dolosè. Cæterùm quādo ex malo dolo simulant,nec obstant, tenentur ad restitutionē.

Sententia Autoris.

¶Mihi ex his sententijs neutra videtur vera. Vnde dico,quòd tunc solùm tenentur ad restitutionem, mutus non obstans, & non manifestans, quando ex speciali officio tenentur damna impedire. Hanc sententiam tenet D.Thom.hic & Syluest.C.de restitu. quæst.9. Et probatur: Qui non tenentur obstare ex officio, solum obligantur ab obstā dum ex charitate,& non ex iustitia: sed obligatio restitutionis solum oritur ex iustitia: ergo quantunuis aliquis dolosè & mala intentione omittat obstare damnis proximi, si ad id ex officio non obligatur,ad nullam tenetur restitutionem. Secundò: Si ex eo,q aliquis non dat eleemosynam extremæ indigenti pauper moriatur, vel alia sequantur incommoda, nulla inde oritur obligatio restitutionis,quia ad eleemosynam danda non ex iustitia, sed ex misericordia,& charitate obligamur: ergo pari ratione erit dicendum in proposito. Et ad argumentū pro sententia Caietani, respondetur,illud solum probare,quod qui non obstant,cum possunt,sunt rei furti, vel homicidij coram Deo ratione violatæ charitatis: sed nō obligantur hominibus restituere,quia non peccant contra iustitiam. Ad hoc enim, vt omittens facere aliquid dicatur contra iusticiam peccare tria requiruntur. Primū,quòd possit illud facere. Secundum, quòd teneatur id ex iustitia facere,hoc ex officio, cui incumbit. Qua ratione prætor contra iustitiā peccabit non obstans damna subditorum. Tertium, quòd non faciat. Ex quo infero cum Sylueſtro,verbo.restitutio.3. quæst.5. & cum alijs cōmuniter, quòd Reges,Principes,Duces,iudices,tabelliones,procuratores,aduocati,custodes publici, medici,confessarij,& alij quicunque officiales tenētur damna rerum, quæ suæ curæ, vel custodiæ fuerint commissæ restituere, si ex negligentia,cum possint,illa non impediunt. Ex iustitia enim ratione officij hæc damna impedire obligantur. An autem teneātur ex culpa leui, vel leuissima explicatum est supra articulo secundo prope finem. Infero secūdò,quòd testis iuridicè interrogatus,& quicunque alius qui ex præcepto superioris tenetur denūtiare furem, si taceat, & dissimulet veritatem, totum,quod fur non restituit,tenebitur in conscientia restituere. Ita tenet Nauarro cap. 17.nu. 134. Et ratio ex superioribus est aperta. Sed est hoc intelligendum, quantum ad res iniustè acceptas, & non quantum ad pœnas, quibus delinquentes essent dānandi. Infero tertiò,quòd famuli, quibus ex speciali officio incumbit res domesticas custodire, vel generaliter, vel specialiter,si ob notabilem ipsorum negligentiam damnificentur, obnoxij erunt restitutioni. Imò si pro tali custodia mercedem acceperint tenētur etiam de leui,quia contractus est in vtilitatem vtriusq; partis, iuxta dicta in artic. 2. Secus autem erit de alijs famulis, quibus ex speciali officio istarum rerum custodia non incumbit. Tales enim licet peccent contra fidelitatem non impediendo damna dominorum, non tenē tur ad restitutionem, quia non peccant cōtra iustitiam. Sed quid de famulo deputato ad custodiendam domum; ne quis noctu intret,vel exeat, an si aliquis ex domesticis exeat ad furandum alibi, teneatur talis custos ad restitutionem. Soto lib.4.de iustitia. q.7.art.3. respondet affirmatiuè. Nec suæ sententiæ aliquam rationem assignat. Cæterùm mihi videtur dicendum oppositum. Et ratio est: Nam illud officium non obligat illum ex iustitia in ordine ad extraneos,sed tantum in ordine ad suum damnum,& domesticos illius,& sic tantum tenebitur restituere damnum rerum domesticarum. In ordine autem ad vicinos nō erit magis obligandus, quam si id officium non haberet. Infero quartò,quòd custodes agrorum,vel vinearum non manifestantes damna tenentur ad illorum restitutionem. Obligantur enim ex officio cauere, & declarare nocumentum. Sed quid dicendum erit de custodibus nemorum,& ferarum,qui nec manifestant damna,nec exigunt pœnas an teneā tur ad restitutionem? Et pro parte negatiua est argumentum: Cæsores lignorum, & venatores nihil tenētur restituere, vt diximus in superioribus: ergo nec ipsi custodes tacentes. Ad huius tamen rei explicationem dico primò,quòd si lignorum scissio,atque venatio iniustè fuerit prohibita, custodes non manifestantes, nec exigentes pœnas nihil tenentur restituere, etiam si iuramento firmauerint,se id facturos. Probatur. Qui interdicunt scissionem lignorum,vel venationem,in nostro casu peccant contra iustitiā: ergo similiter peccabunt custodes pœnas exigentes: nec iuramentum debet esse vinculum

3. Corolla.

4. Corolla.

1. Corolla.

2. Corolla.

Universidad de Deusto
Biblioteca

culum iniquitatis. Dico secundò: Si prohibitio est legitima, custodes non manifestantes, vel non exigentes pœnas, tenentur ad restitutionem, tam pœnæ non exactæ, quã damni inde subsequuti. Probatur: Nam tenentur id ex iustitia facere & non faciunt. Item: Isti custodes propter suam negligentiam sunt in causa, quod domino syluæ lucrum cesset, & damnum emergat, cum tamen ex iustitia teneantur id cauere: ergo sunt obligãdi ad restitutionẽ. Consequẽtia est nota, & antecedẽs probatur, quia ex negligentia custodis erit penuria lignorum, & ferarum: ex quo fiet, quòd si dominus velit vel vendere, vel locare syluam suam, minus pretij accipiet: ergo. Dico tertiò, quòd si res est parui momenti, & custodes semel, aut bis tacent non sunt obligandi ad restitutionem. Dominus enim syluæ, nisi barbarus sit, & agrestis id debet ratum habere. Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Venatores enim, & lignorum scissores non tenentur soluere pœnas ante iudicis condemnationem. At verò custodes ex officio, & iustitia tenentur illos condemnare.

Dubium. ¶ Sed huius occasione atq; etiam pro maiori intelligentia eorum, quæ dicta sunt, operæpretium est, vt explicemus non leuẽ difficultatem, an iudex nõ condemnans reũ ad pœnam, quam ex iustitia debet, teneatur in conscientia ad similis pœnæ restitutionẽ.

1. Argum. Et pro parte negatiua est argumentum primum desumptum ex consuetudine, qua cõstat multos probatissimos iudices has executiones pœnales dissimulare, quos tamen

2. Argum. non statim restituere obligamus. ¶ Secũdò: Reus non tenetur soluere pœnam, quia pœna est, ante iudicis condemnationem, sed etiam est pœna, quòd iudex persoluere teneatur pro illo, quem iniustè absoluit: ergo

3. Argum. non statim tenetur illud restituere, sed post alterius iudicis condemnationem. ¶ Tertiò: Pœna infligenda pro scelere aliquando est pecuniaria, & aliquando corporalis, vt pœna capitis, carceris, vel exilij: sed iudex non condemnans reum ad pœnam corporalem, non tenetur illam in conscientia subire ante alterius iudicis condemnationem: ergo nec pœnam pecuniariam; cum æqua videatur esse vtriusque ratio. ¶ Vltimò: Qui negat veritatem in iudicio, quam ex iustitia fateri tenebatur, non tenetur restituere pœnam prius quam in iudicio condemnetur, vt diximus artic. 3. huius quæstionis: ergo nec iudex in nostro proposito obligabitur ad restitutionem ante iudicis condemnatio-

Vlt. arg.

nem. Probo consequentiam: Nam vterque per iniquitatem iustitiæ executioni obstat.

1. Conclus. ¶ His tamen non obstantibus, ad explicationem difficultatis sit prima conclusio. Quando iusta sententia iam est pronuntiata contra reum, & iudex non applicat pœnas illi, cui applicare debet, tenetur in conscientia ad illarum restitutionem. Verbi gratia: Profert iudex iustã sententiam contra hæreticum, cuius bona secundum legem debent applicari fisco, & ipse iudex illa applicat alteri, tenetur in conscientia tulia bona fisco restituere. Probatur: Fiscus post sententiæ pronuntiationẽ iam habet ius acquisitum ad tales pœnas: ergo si sibi non reddantur, patitur iniuriã; atque ex consequenti qui illam infert, erit obligatus restitutioni. Et quod dico de iudicibus, est etiam intelligendum de testibus, testibus & alijs ministris iustitiæ impedientibus, quòd pœnæ post latam sententiam applicentur cui ex iustitia sunt applicandæ.

2. Conclus. ¶ Secunda conclusio: Iudex per iniquitatem non condemnans reum ad soluendas pœnas in lege impositas, & quas soluere debet, tenetur ad illarum restitutionem. Probatur: Iudex ex iustitia & ex officio tenetur illas pœnas fisco adiudicare vel illi cui applicantur: ergo si per iniquitatem id non facit peccabit contra iustitiam, atque ex cõsequenti tenebitur ad restitutionem. Secundo: Iudex est custos iustitiæ, qui perinde ius suũ vnicuiq; reddere debet, sed fiscus petendo pœnas debitas, petit ius suũ: ergo si iudex id non reddit facit iniustitiã & tenetur ad restitutionem. Tertiò. Qui de alieno facit eleemosynam, obligatur ad restitutionẽ, quia dat quod non est suum: ergo pari ratione iudex inferior sine autoritate superioris pœnas remittens, obligabitur ad restitutionem: quia facit condonationem de re aliena. Rationes istæ sunt D. Thomæ infra q. 67. art. 4. & in 4. d. 46. art. 2. quæstiuncula secunda.

3. Conclus. ¶ Tertia conclusio: Quando iudex in rebus parui momenti pœnas dissimulat non tenetur ad illarum restitutionem. Probatur: Tum, quia ità expedit bono communi, tum etiam, quia id videtur facere ex consensu superioris, ac supremi principis, qui de hac re nũquam sunt soliciti. ¶ Et ad primum argumentum respondetur, consuetudinem illam solum habere locum in rebus parui momenti. ¶ Ad secundũ respõdetur, negando minorẽ. Nõ enim est pœna, quod iudex teneatur persoluere pro illo, quem iniustè absoluit, sed vera ratio iustitiæ, exigentis, vt continuo ante iudicis condemnationem restituat ille, qui per iniquitatem damnum intulit, & fecit inæqualitatem.

Ad. 1. arg.

Ad. 2. arg.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiã. Ex eo enim, quòd pœna pecuniaria non reddatur fisco, resultat damnum in temporalibus, quod necessario per restitutionem est resarciendũ. At verò ex eo, quòd latro non occidatur, vel alia corporali pœna non plectatur, quã uis fiat iniuria reipublicæ, & legibus id præcipientibus, nullum tamen damnum temporale inde resultat. Et non est in consuetudine apud homines eas iniurias restituere, ad quas nullum damnum temporale sequitur; vt est videre in adulterio, & in baptismo contra parentum voluntatem facto.

Ad vlt. arg. ¶ Ad vltimum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiã. Iudex enim cum custos sit iustitiæ atq; actor debet vni cuique ius suum tribuere, quod nisi faciat obligabitur ad restitutionem. At verò reus est patiens; & sic nõ obligabitur subire pœnam ante iudicis condemnationem.

Sententia D. Tho. in solut. ad 2. argum. ¶ In solutione ad secundum argumentũ dicit D. Thom. quòd quando plures concurrunt ad eandem iniustitiam, ille principaliter tenetur restituere qui est principalis in facto; & vno restituente ei qui passus est damnum, alij eidem restituere non tenẽtur. Circa quod est difficultas, an quando multi tenentur alicui restituere, vno illorũ restituente, alij totaliter maneant liberi ab obligatione restitutionis. Ad cuius intelligentiam aduertendum est, varijs modis posse contingere, quòd multi vni teneantur restituere. Primò, ita, vt nemo teneatur in solidum, sed quilibet in parte. Quod contingit, quando plures seorsum, & in diuersis vicibus alicui inferunt nocumentum. Secundo ità, vt quilibet teneatur in solidũ æquè primò. Quod contingit quãdo plures æqualiter concurrunt ad damnum inferendum. Tertio ità, vt quilibet teneatur in solidum, sed non æquè primò. Quod contingit, quãdo plures idem damnum inferunt, sed vnus est dux, atque princeps mouens alios, & inducens ad illud efficiendum: & alij tantum se habent tanquam ministri. Rursus aliquãdo potest contingere, quòd vnus habeat totam prædam: & aliquando, quòd sit diuisa inter omnes; & aliquando, quòd nulla sit præda ablata: sed quod damnum sit datum, sine aliqua vtilitate eorum, qui dederunt.

Dubium. Varijs modis contingit, vt multi vni teneantur.

1. Dictum certum. ¶ Hoc supposito, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd quando plures obligantur non in solidum, sed per partes, vno suam partem restituente, alij similiter suam destituere tenebuntur, sicut prius. Nec de hoc potest esse dubitatio. Si autem contigerit, quòd dominus vnum illorum comprehenderit, quem in foro exteriori totum damnum restituere compellat, alij isti, & non domino suas partes restituere debebunt. Tum, quia ex eorum iniquitate passus est damnum, saltim indirectè, & mediatè; tum etiam, quia dominus recuperando ab isto totum damnum videtur in illum cessisse ius, quod habebat in alios. ¶ Secundò etiam est certum, quòd quando multi tenentur in solidum, & vnus illorum totum damnum integrè restituit, reliqui omnino manent deobligati à restitutione in ordine ad dominum. Ità habetur expressè in l. si plures. ff. de dolo. Et ratio est manifesta: Nam iam dominus habet totum, quod debebat habere; & restitutio ad nihil aliud ordinatur, quam, vt quisque habeat quod habere debet. Bona enim fides non patitur, vt idem bis exigatur, vt dicitur in l. bona fides. ff. de regulis iuris. Vnde quando dicimus, multos obligari in solidum, non est sensus, quòd omnes tenentur totum reddere complexiuè, seu copulatiuè, sed diuisiuè in defectu aliorum. Itaq; hæc certa sunt.

1. Dictum certum.

Punctus difficultatis. ¶ Sed dubium est, an socij criminis ei teneantur restituere, qui primus totum damnum domino restituit? Angel. in sum. verb. furtum. §. 16. in fin. dicit, quòd ex iustitia tales socij nihil alteri tenentur restituere, quia obstat eis sua turpitudo. Et probari potest hæc sententia primò: Vbi est par causa turpitudinis, non resultat actio vnius contra alterũ, vt habetur expressè in l. 2. & 3. ff. de conditionibus ob turpem causam, sed isti latrones turpiter egerunt furando: ergo vnus non tenetur alteri. ¶ Secundò: Socij nihil accepe-

1. Argum.

2. Argum. runt ab eo, qui integre restituit: ergo nullo restitutionis iure ei obligantur. Probo consequentiam: Nam restitutio præsupponit semper iniustam acceptionem, vel rem acceptam. Contrariam sententiam tenet Syluester, verbo, restitutio. 3. quæstione. 6. quam dicit esse communem, & pro illa citat plurimos autores.

1. Conclus. ¶ Sed ad explicationem difficultatis sit prima conclusio: Si ille, qui domino totum damnum restituit, totam similiter prædam tulerat, aut fuerat causa principalis, & tanquam dux alios ad iniquitatem mouens, socij nihil tenentur restituere. Probatur: Nullam habẽt obligationem restitutionis in ordine ad dominum, quia, vt supponimus, est iam seruatus indemnis; nec in ordine ad illum, qui restituit, quia, cùm ipse fuerit eis causa iniquitatis in ipsum debet totum damnum

Universidad de Deusto
Biblioteca

num refundi: maximè si totam prædam tulit: ergo nihil tenentur restituere. Ex hoc infertur; quòd si famulus ex præcepto heri aliquem occidat, hero restituente, totaliter manet liber ab obligatione restitutionis. Tamen si herus non restituat, tenebitur ipse in solidum parti læsæ satisfacere. Et similiter si iudex ad instantiam alterius profert iniustam sententiam cum iniuria proximi, si ille, in cuius fauorem sententia fuit data, in integrum restituit, ipse totaliter manet liber ab obligatione restitutionis: alioquin minimè. Dico tamen, quòd, si socij criminis aliquid participauerunt ex præda, quo facti fuerint ditiores, etiam si dux, qui fuit causa principalis, totum damnum restituat, per se loquendo tenentur duci id, in quo facti sunt ditiores, ratione rei acceptæ restituere. Nam, cùm illud non possint aliquo iusto titulo retinere, & non sit reddendum domino, vt diximus, relinquitur, quòd ipsi duci sit dandum. Dixi, per se loquendo: nã per accidens bene potest contingere, quòd nihil teneantur restituere: scilicet, vel, quia intercedit tacita donatio & remissio ducis, vel quia videntur id percepisse non tanquã prædam, sed tanquam stipendium, & salarium pro labore in obsequium ducis impẽso. Stipendium enim pro tali labore acceptum iustè potest retineri, sicut & illud, quod accipitur pro lenocinio.

2. Conclus. ¶ Secunda conclusio: Quando multi ex mutuo consensu æqualiter concurrunt ad furtum, si vnus in integrum restituit domino damnum illatum alteri, tenentur illi pro rata restituere quantum ex præda percepe runt. Hæc conclusio est D. Thom. hic ad secundum. Et probatur primò: Nam alias is, qui primo restituit, esset peioris cõditionis, quàm alij; cum tamen fuerit melioris conscientiæ. Item: Alij nullo iure possunt retinere rem, quam furati sunt: ergo debẽt necessariò illam restituere, & non priori domino, vt diximus: ergo ei, qui primò restituit succesitq; in ius prioris creditoris spoliati. Sed quid dicendum erit, si nihil mã sit penes socios, nec ex scelere perpetrato facti fuerint ditiores? Respondeo, quòd similiter tenentur pro rata satisfacere priori restituenti. Itaque, si quatuor, verbi gratia, æquè principaliter succenderunt domum, aut agrum vicini, & vnus totum damnum restituit, alij pro rata ex iustitia tenentur ei satisfacere, quidquid dixerit Caietanus arti culo præcedenti dub. 1. circa secundum ar-

ad 1. arg. gumentum. ¶ Et ad primum argumentum pro sententia Angeli respondetur, quòd illæ leges procedunt quoad forum exterius, in quo vni furi non datur actio contra socium. Vel secundò respondetur, quòd adhuc stando in rigore legis solùm habetur, quòd ex turpitudine non nascitur obligatio. At verò in casu, de quo nos loquimur, non ponimus obligationem oriri ex turpitudine furti præteriti, sed ex restitutione, quam vnus fecit pro se & socijs, quæ honestissima fuit. ¶ Ad secundum respondetur, quòd socij tenentur satisfacere priori restituenti, etiam quando nihil acceperit ratione iniustæ acceptionis, non ipsi immediatè factæ, sed factæ alteri cuius vicem ipse gerit statim at totum damnum persoluit. Et hæc dicta sint de toto isto articulo. *Ad 2. arg.*

Articvlvs. VIII.

¶ Vtrùm quis teneatur statim restituere, an verò possit restitutionem differre?

4. d. 17. q. 3. art. 2. q. 4. ad 3.

Ad Octavvm sic proceditur. Videtur, quòd non teneatur aliquis restituere statim, sed potius licitè possit restitutionem differre. Præcepta enim affirmatiua non obligant ad semper. Sed necessitas restituẽdi imminet ex præcepto affirmatiuo: ergo non obligatur homo ad statim restituendum.

2 ¶ Præterea, Nullus tenetur ad impossibile. Sed quandoq; aliquis nõ potest statim restituere: ergo nullus tenetur ad statim restituendum.

3 ¶ Præterea, Restitutio est quidam actus virtutis, scilicet, iustitiæ. Tempus autem est vna de circunstantijs quæ requiruntur ad actus virtutum. Cùm ergo aliæ circunstantiæ non sint determinatæ in actibus virtutum, sed determinabiles secundum rationem prudentiæ: videtur quod nec in restitutione sit tempus determinatum, vt scilicet, aliquis teneatur ad statim restituendum.

¶ Sed Contra est, quòd eadem ratio esse videtur in omnibus, quæ sunt restituenda. Sed ille qui conducit opera mercenarij, non potest differre restitutionem, vt patet per illud quod habetur Leuit. 19. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane: ergo neque in alijs restitutionibus faciendis potest fieri dilatio, sed statim restituere oportet.

¶ Res-

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut accipere rem alienam est peccatũ contra iustitiam, ita etiam detinere eã, quia per hoc, quòd aliquis detinet rem alienam inuito Domino, impedit eum ab vsu rei suæ, & sic ei facit iniuriã. Manifestum est autem, quod nec modicũ tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Eccles. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum: & ideò quilibet tenetur statim restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo, qui habet vsum rei concedere.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd præceptum de restitutione facienda, quanuis secundum formam sit affirmatiuum: implicat tamen in se negatiuum præceptum, quo prohibemur rẽ alterius detinere.

¶ Ad secundum dicendum, quòd quando aliquis non potest statim restituere, ipsa impotentia absoluit eum ab instanti restitutione facienda: sicut * etiam totaliter à restitutione absoluitur, si omnino sit impotens. Debet tamen remissionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per se, aut per alium.

De solut. c. Odoardus clericus.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quia cuiuscunque circunstantiæ omissio cõtrariatur virtuti, pro determinato est habendum, quod oportet illam circunstantiam obseruare. Et quia per dilationem restitutionis committitur peccatum iniustæ detentionis, quod iustitiæ opponitur: ideo necesse est tẽpus esse determinatum, vt statim restitutio fiat.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet D. Thom. vnica conclusione, quæ talis est: Vnusquisque tenetur statim restituere damnum, vel si non potest, debet à domino dilationem petere. Probatur: Sicut auferre rem alienam est contra iustitiam; ità & eandem inuito domino retinere, cũ per vtrumq; dominus impediatur ab vsu rei: sed nulli licet quantumcunq; modico tempore, agere contra iustitiam, iuxta illud Eccles. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum: ergo nec retinere rem alienam: atque ex consequenti debet ea statim restituere, aut petere dilationem à vero domino. Eandem conclusionem probat in argumento, sed contra, ex illo Leuit. 19. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane. Quod etiam dicendum videtur de quibuscunq; alijs debitis, cum omnium sit vna & eadem ratio.

Explicatio Articvli.

Probatur conclusio D. Thom.

Conclusio huius articuli est certa, & cõmuni Doctorum consensu recepta, quã & singuli multis ac diuersis rationibus probant. Sed illa est præstantissima, quòd præceptum restituendi, licet sit simpliciter affirmatiuum, intrinsecè tamen includit quãdam negationem ad præceptum non furandi reductiue pertinentem, scilicet, ne detineas rem alienã inuito domino, vt in principio articuli secundi à nobis fuit explicatum. Et sic quemadmodum statim semper ac pro semper tenemur non furari; ità etiã semper ac pro semper, atque adeo statim tenemur non retinere alienum, sed illud vero domino restituere. Potest etiam hoc ipsum probari ex eo, quod ista retentio esset velut quædam continuatio furti, cum non multum intersit, quo ad periculum animæ iniusta detinere, ac inuadere aliena, vt dicitur in cap. sæpè. de restitutione spoliatorũ. Vbi glossa notat, quòd in iure pro eodem reputantur auferre, & detinere iniustè. Et in. l. eum qui. §. quoties. de verbo. oblig. etiã dicitur; Id, quòd absque termini præfixione debetur, statim deberi.

1. Arg. contra conclu. D. Thom.

¶ Sed contra istam conclusionẽ sunt aliquot argumenta, quæ videntur habere difficultatem. Primum est: Præceptum contritionis includit etiam negatiuum, scilicet, ne permaneas in peccato: & tamen non obligat statim: non enim tenetur peccator statim ac peccat, vel recordatur, se peccasse, cõfiteri; sed tempore determinato, tũc, scilicet, quando vel instat periculum mortis, vel accipiendum est, aut administrandum sacramentum: ergo pari ratione dicendum est in proposito. Et confirmatur, D. Thom. dicit, restitutionem obligare statim, quia non licet, etiam per modicum tempus, in peccato permanere: ergo non aliter obligat præceptum restitutionis, quam præceptum contritionis, vel non permanendi in peccato.

2. Argum.

¶ Secundò: Quia alias sequeretur, furem nõ restituentem peccare nouo peccato in singulis instantibus, quibus rem alienam detinet, atque adeò peccare infinities: consequens autem est absurdum: ergo. Probo sequelam: Nam qua ratione transacto furto peccat fur, non restituendo statim, ità etiã transacto illo instanti peccabit, si non restituat

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuat in sequenti: & sic de alijs in infinitum.

Responsio Cate. ad. 1. argum.

¶ Ad primum argumentũ Caietanus hîc, & infra. q. 66. art. 3. ad 2. & in opusc. 17. 1. tom. qui est de tempore, quo obligat cõtritio: eandem omnino rationem dicit esse de præcepto contritionis, & restitutionis. Affirmatque, quòd vtrumq; obligat statim; quia, sicut præceptum restitutionis implicitè includit negationem non retinendi aliena; ità etiam præceptum contritionis implicitè includit negationẽ non retinendi odiũ Dei, quod generaliter includitur in omni peccato. Addit tamen Caietanus, quòd non incurritur nouum peccatum contra huiusmodi præcepta, quo ad vsque aliquis per actum positiuum de nouo detineat, aut velit detinere alienum, vel odium Dei. Sine tali enim actu positiuo detinere rem alienã, vel odium Dei, non intelligitur per modũ actus, sed per modum habitus: & nouũ peccatum non consistit in habitu, sed in actu. Idem ferè sentire videtur Soto lib. 4. de iustitia. q. 6. art. 1. & q. 7. art. 4. & lib. 5. q. 3. ar. 1. ad. 2. & in. 4. d. 17. q. 2. art. 6. Sed hæc sententia mihi non placet. Vnde dico, latum esse discrimen inter præceptum contritionis, & restitutionis. Sub illo enim non cadit formaliter, & per se cessatio ab actu peccati: sed solus actus quidã specialis, & positiuus, qui est dolor de peccatis præteritis propter Deum summe dilectum. Sub præcepto autem restitutionis formaliter, & per se cadit cessatio ab actu malo, qui est detentio rei alienæ. Stat enim, quòd peccator cessauerit ab actu peccandi, imò quod totaliter deposuerit affectum peccandi, & tamẽ, quòd non satisfecerit præcepto contritionis. Nõ autem stat, quòd cessauerit ab actu detinendi rem alienam, nisi per restitutionẽ illius. Atque adeò qui peccauit, verbi gratia, peccatum fornicationis, & deposuit animũ fornicandi, licèt non statim conteratur, nõ peccat speciali peccato impœnitentiæ; nec etiã continuat peccatum fornicationis, sed solũ dicitur manere in peccato ratione malitiæ, quę per modum habitus relinquitur ex peccato præcedẽti. At verò qui iniustè accipit rem alienam, nisi statim restituat continuè peccat peccato iniustitiæ. Itaq; non solum manet in peccato ratione maculæ per modum habitus, sed etiam ratione detentionis iniquæ, quam continuat semper per modũ actus. Vnde sicut ille, qui pergit ad occidendum inimicum, quãdiu durat ille actus, etiã si per multos dies duret, peccat cõtinuè per modum actus: ità etiam qui detinet alienũ iniustè & non restituit, cum potest, peccat continuè actualiter: quia illa detentio, quãtumcunq; longa, est veluti vnus actus exterior, & cum sit volita saltim indirectè, semper imputatur ad peccatum. Ex his facile respondetur ad argumentum in forma negando consequentiam. Præceptum enim cõtritionis non includit formaliter, & intrinsecè obligationem non permanendi in peccato, siue per modum actus, siue per modum habitus: sed solum includit obligationem habendi actum doloris de peccato præterito. Et inde secundariò consequitur, tanquã finis præcepti, quod homo non permaneat in peccato. At verò præceptũ restitutionis intrinsecè includit obligationem non retinendi alienum iniustè: & ideò obligat statim, & semper, ac pro semper. Sicut enim qui decreuit perpetrare homicidiũ, & continuat istum actum per plures dies, tenetur statim, & in quolibet instanti desistere ab illo proposito: ita qui detinet alienum iniustè tenetur statim, & in quolibet instanti nõ detinere, sed restituere: quæ quidẽ detẽtio peccatum distinctũ est ab iniusta acceptione, saltim formaliter. Ex hoc infertur, quòd præceptum restituendi, quia includit in se formaliter & intrinsecè cessationẽ ab actu, qui est detinere alienum, non fert circunstãtiam temporis, sicut alia præcepta affirmatiua. Sed potius, sicut cętera negatiua omne tempus excludit; ac ſubinde nullam permittit moram, sed statim est restituendum. Hoc tamen statim aliter de actu mentis interno est intelligendum, & aliter in opere externo arbitrandum. Nam quantum ad propositũ internum, cum primum cuiq; venerit in mẽtem in rei alienæ debito esse, proponere debet habita opportunitate restituere. Cæterùm quantum ad actum exteriorem, ad statim, non est mathematicè indicandum, qua si in puncto indiuisibili consistat; sed moraliter, ac ciuiliter. Si enim alicui in lecto iacenti, aut ad mensam recumbenti occurrit, se aliquid debere, non iure compellitur statim surgere, sed expectare potest absq; fraude & dolo opportunitatem, qua transacta de nouo incipiet esse in mora, ac ſubinde in culpa. Quia enim redditio exterior est quidam actus positiuus, egens mora tẽporis ad sui exequutionem; idcirco est necessarium, quòd præceptũ restituendi quantũ ad hoc non obliget pro tempore indiuisibili, sed pro illo, quod moraliter sufficit ad reddendum alienum.

Impugnatur Caiet.

Respondetur ad. 1. argum.

Corollar.

¶ In secundo argumento tangitur difficultas; an præceptum restituendi inducat nouũ peccatum, si nõ fiat statim restitutio, vel potiùs solum inducat continuationem quandam præcedentis peccati, quod commissum fuerat

Ad. 2 arg. Dubium.

1. Argum. fuerat per iniustam acceptionẽ? Et quidem, quòd nouũ peccatũ inducat: probatur primò: Qui non statim restituit transgreditur præceptũ negatiuũ de non retinenda re aliẽ

2. Argum. na: ergo cõmittit nouũ peccatũ: ¶ Secundò: Præceptũ de restituendo est affirmatiuũ, cuius tẽporis circunstantia est statim: ergo singulis momentis obligatur homo restituere, atq; ex consequenti, si id non faciat cõmittit nouũ peccatũ. Et confirmatur: Præceptũ restituendi obligat non solũ ad primum instans, sed ad singula momenta; cuius euidẽs argumentũ est, quod transacto primo momento, adhuc tenetur homo statim restituere, quo ad vsq; faciat restitutionẽ: ergo per singulas tẽporis morulas cõmittit nouũ peccatũ. ¶ His tamen non obstantibus, ad explicationem difficultatis dico primò, q̃ quandiu quis corde & opere retinet rẽ alienã, est in statu peccati mortalis. Nolo dicere, q̃ est habitualiter peccator ratione maculæ, quæ ex iniusta acceptione relinquitur: nam hoc cõmune est omni peccato: sed quòd est in statu actualis iniquitatis, quã cõtinuat toto tempore, quo non reddit alienũ; sicut & ille, qui per multũ tẽpus perseuerat in actua li proposito fornicãdi. Et propter hoc dicebat D. Aug. non remitti peccatũ, nisi restituatur ablatũ. Hoc dictũ sequitur ex ijs, quę

1. Dictum.

2. Dictum. diximus in solut. ad. 1. ¶ Dico secũdò, q̃ qui detinet rẽ alienã iniustè, à primo instanti, in quo fuit, occupatio, vel detentio iniusta, tantũ peccat vno & eodẽ peccato continuato, quoad vsq; per specialẽ actũ renouetur. Itaq; quanuis in prorogatione restitutionis semper augeatur peccatũ, eoq; fiat grauius, atq; deterius, quo plus durat: tũ quia ex prorogatione restitutionis crescit damnũ, & iniuria proximi: tum etiã, quia illa circunstantia tẽporis notabiliter aggrauat. Imo potest esse tanta mora in restituendo, q̃ sit de necessitate confessionis. Nã quanuis peccatũ continuatum non differat specie à non cõtinuato in genere naturæ, differt tamen in genere moris, quantũ ad grauitatem, circũstãtia autẽ, quæ notabiliter aggrauat, est necessario conferenda. Itaq; quanuis in prorogatione restitutionis semper augeatur peccatũ, non tamẽ semper peccatur de nouo. Sed tunc tantum quando est nouũ propositum, vel directè, vt quando nolo restituere, vel indirectè, vt quando proposui restituere, & eum pergerẽ ad restituendũ, ex quadã notabili negligentia, per multũ tempus fui obli-tus. Tunc enim, quia per propositũ restituẽdi fuit interruptum actuale peccatum non restituendi; & per negligentiam ſubsequutã renouatum est nouum, ac distinctum peccatum à priori; sicut & noua voluntas, quanuis indirecta. Ex hoc infertur, quòd in duo bus tantum casibus potest quis committere nouum peccatum contra præceptum de restitutione facienda. Primus est, quotiescunque directè & expressè renouatur propositum retinendi rem alienam per specialem actum. Et ad hoc non sufficit qualecunque propositum renouatũ: sed requiritur, quòd ità proponat quis rem alienam detinere, q̃ etiam, si nunquam id decreuisset, modò decerneret. Nam si propositũ est simplex, & sine ista reflexione, potiùs dicitur continuatio prioris propositi, quã nouus actus. Quia licet sit nouus & distinctus physicè, non tamen moraliter, quòd pertinet ad nostrũ instituti. Secundus modus est, quando quis proposuit restituere, & posteà data opportunitate non restituit. Tunc enim, saltim indirectè est noua voluntas, & per consequẽs nouum peccatũ. Soto & alij addunt plures alios casus. Scilicet, quando creditor petit legitimè, & quando, etiam si non petat, patitur grauem necessitatem; & quando se offert noua cõmoditas ad restituendũ, & non restituit; & quando quis implicat se negotijs, quibus verosimiliter redditur impotẽs ad restituendũ; & tandem quando vtitur de nouo re aliena ad aliquem vsum extraordinarium, & prætio æstimabilẽ. Sed nos dicimus, quod in his omnibus casibus regulariter & per se non est nouum peccatũ, sed noua circunstantia aggrauans illud. Quia hæc omnia in voluntate absoluta detinendi rẽ alienam, & non restituendi includuntur: & quandiu ista voluntas non renouatur, non fit nouum, & distinctum peccatum. Et si-

In duobus casibus potest quis cõmittere nouũ peccatũ contra præceptum restituendi.

quis obijciat, quòd ex hoc sequi videtur plus peccare eum, qui habuit propositum restituendi, quàm qui nõ habuit, per idẽq; tempus perseuerauit in voluntate non restituendi, siquidem ille peccauit dupliciẽ peccato, & iste vno tantum, quod est absurdũ; respondeo, quod istud vnum propter continuationem, per se loquendo, æquiualet illis duobus. Potest etiam per accidens sæpè-sæpiùs contingere, quod sit peioris cõditionis is, qui proposuit restituere & non restituit in quantum ex renouatione illius voluntatis detinendi rem alienã regulariter intenditur praua voluntas. Et per hoc patet solutio ad secũdũ argumentũ factũ in principio articuli, cuius occasione hęc dicta sunt. ¶ Ad primũ ex illis, quibus probauimus, nõ restituentẽ peccare nouum peccatũ, respondetur, illud quidẽ concedere, q̃ quãdo est nouum propositũ est nouũ peccatum, quod verum est, Tamen quandiu durat idem

Obiectio.

Responsio.

Ad. 1. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

propositum, etiam est idem peccatū continuatum, vt diximus. ¶Ad secundū respondetur, concedendo, quòd præceptū restituēdi obligat ad statim, ratione præcepti negatiui in illo inclusi. Cæterū solū est nouū peccatum, quando est noua cōmissio, cōtra id negatiuū præceptū. Et eodē modo respōdetur ad confirmationē. Ex dictis infertur, quod debet esse confessarius valdè cautus, neeos absoluat, qui sunt obnoxij restitutioni; nisi firmiter proponant statim restituere, si commodè possint, cū non sint minus isti in statu peccati mortalis, quā illi, qui actu sunt in proposito furandi. Imò erit sæpenumero necessariū nō absoluere ante actualē restitutionē; tunc, scilicet, quando pœnitens in alijs confessionibus statim restituere proposuit, & nō fecit. Talis enim cogendus esset restituere, si potest, antequā absoluatur. Et eadem ratio est de illis, qui sunt in articulo mortis, & possunt statim restituere, qui non sunt absoluendi, nisi restituant. Nec satis erit hoc ad hæredes remittere. Tum, quia qui hoc faciūt regulariter nō habēt syncerā, & absolutā intentionē restituendi, sed cōditionalē tantū, scilicet, si moriantur: tum etiā, quia hæredes vix huiusmodi restitutiones adimplent. Cæterū, si cōmodè in articulo mortis fieri nō potest restitutio, cōmittēda erit hæredibus bona fide. ¶Sed quid si pœnitēs dicat, se velle statim partē restituere, & post mensem, vel annū aliā partē, nec potest cōfessarius illi persuadere, vt statim totū restituat, quamuis pōsit? Sum. Angelica verbo, restitutio, vlt. §. 5. videtur dicere cum Hostiensi, quod potest tūc & debet confessarius absoluere illū, quia vtiliter aget negotiū creditoris, qui tandē recuperabit suū debitū hac via. Tum etiā, quia alias pœniteret in desperationē. Cæterū contraria sententia est vera, & tenēda, quā sequitur Soto lib. 4. de iustitia. q. 7. art. 4. Adria. q. 2. de restit. dub. 7. Sylvest. verb. restitutio, 5. §. 1. Medina. C. de restitutio. q. 5. in fin. & Nauar. c. 17. n. 66. Et probatur: Qui potest totū restituere statim, & non restituit, est in statu dānationis: ergo nō erit absoluendus propter aliquā vtilitatē creditoris, & si pœnitēs inde erit in desperationē, sibi imputetur. Dixi, q Angelus videbatur esse illius sententiæ. Nā ipse non loquitur in casu nostræ dubitationis, sed absolutè affirmat, posse & debere aliquando confessarius impendere absolutionē nolenti restituere, vt sic creditoris negotiū vtilius agatur. Ex quo manifestè cōuincitur, quòd ex sententia illius potius id erit dicendum, quando vna pars restituitur statim, & altera differtur post mensem, vel annū. Sed sit hoc est falsum, vt diximus, multò magis falsum erit, quod Angel. in illo loco asserit.

Ad 2. arg.

Nota pro confessario.

Quæstio.

Responsio.

Multa possunt hominem liberare ab obligatione restituendi. Dubium, vtrum impotentia ex cuius à debito restituendi.

¶Explicata iam necessitate, quam singuli habent restituendi statim quod iniustè detinent: operæpretiū est, vt dicamus de ijs, quę possunt hominem liberare ab obligatione statim restituendi, quæ sunt numero multa, & de quibus non leuis est controuersia inter Doctores. Et quoniā inter has præcipua est impotentia ipsius debitoris, primò quærimus de illa, vtrum impotentia restituendi liberet debitorē ab obligatione restituēdi statim, vel simpliciter, ità vt amplius ad restitutionem non teneatur. Quæ quæstio non procedit de impotētia simpliciter, quę est quando quis nihil omnino habet in bonis, quo restituere posit. De hoc enim certum est, quod ad restitutionem non obligatur; quia, vt habet cōmune proloquium, ad impossibile nemo tenetur. Sed quæstio est de impotētia secundū quid; qualis est in eo, qui habet bona, vnde restituat, sed id efficere non potest, quin incurrat extremam, vel graue necessitatē, aut saltim magnū damnū suarū rerū; quia, videlicet, cogetur vendere agrum, vel domū, vel vineam pretio vilissimo: ex quo in bonis suis temporalibus grauem iacturam patietur. In qua difficultate, vt certa ab incertis separemus, dico primò,

1. Dictum certum.

certū esse, quod quando quis non potest restituere debita temporalia, siue iustè, siue iniustè cōtracta, sine probabili vitæ periculo, vel notabili infamiā, censeri debet impotēs, & excusatus à restitutione, quandiu illud probabile periculū durat. Quod debet intelligi regulariter & per se loquendo. Nam per accidens contingere poterit casus, in quo teneatur quis bona externa restituere cum detrimento propriæ famæ, imò & vitæ, si ad arbitrium viri prudentis bona temporalia fuerint maioris pretij, quam fama vel vita, vt diximus art. 6. huius quæst. ¶Secundò etiam est certū, quòd in extrema necessitate constitutus non tenetur ea bona restituere, quibus ipse, vt suæ necessitati subueniat, opus habet, siue illa fuerint iustè, siue iniustè habita. In extrema enim necessitate omnia sunt communia saltim quantū ad vsum ex iure naturæ, cui ius gentium, quo rerum diuisio facta fuit, derogare non potest, vt diximus in superioribus. An autē ea, quæ in extrema necessitate consumpsit, teneatur quis solnere postea cum ad pinguiorem fortunam peruenerit, varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Sed de hoc nos diximus supra in. 1. tom. q. 32. art. 5. vbi etiam declarauimus, quid facere debeat debitor, quando creditor est in simili extrema

2. Dictum certum.

necessitate, nec debitum sufficit subuenire vtriq; Itaq; hæc certa sunt. Sed dubium est de illo, qui non potest restituere absq; eo, quòd in graui aliqua necessitate constituatur, aut magnū aliquod detrimētū patiatur, vel in statu, vel in bonis temporalibus? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est Ricar. in. 4. d. 15. art. 5. q. 4. ad 5. asserentis, quòd qui accipit alienum, tenetur statim restituere, si habet aliquid vltra necessitatem sustentationis naturæ, licet sit sibi necessarium ad victum secundum decentiam suæ personæ, vel status. Et subdit rationem; quia non est licitum de alieno viuere cum seculari honore. Pro eadem sententia citantur Innocen. Hostien. & alij multi ex Canonistis, vt est videre apud Sylvest. verbo, restitutio. 5. q. 1. Sed illam proculdubio tenent Adrian. in. 4. in materia de restitutione. q. 2. dub. 6. & Medi. C. de restitutio. q. 3. caus. 3. & q. 5. per totam. Qui absolutè dicunt, propter nullam necessitatem citra extremā vitandam, posse aliquem excusari à restitutione. Altera sententia est in alio extremo, quæ affirmat, quòd nūquam tenetur homo restituere debitum cum notabili iactura sui status, vel rerum, ità quod redigatur in grauem necessitatem. Hanc tenet Sylvest. vbi supra. §. 4. & 5. Et citat pro se Archi. Ioan. de Neapoli, Scotū, & alios. Idem tenet summa Angel. verbo, restitutio. 3. §. 4. & Nauar. c. 17. n. 56. Tertia sententia est media, & affirmat, quod qui per latrocinia, & fraudes, aliaue via iniusta debita contrahit, tenetur ea omnia integrè restituere non obstante, quod mendicatione, vel labore manuū suarum victum quærere cogatur. Cæterùm si citra iniuriā licitè negotiando debita incurrit, non erit redigendus ad eas angustias, sed tenebitur solum moderari sumptus, & pōpam, vt quam cito potuerit soluat cum maiori sua commoditate. Ita tenet Soto lib. 4. de iustitia. q. 7. art. 4. Et quantum ego existimo, est sententia Caiet. hic & in Sum. verb. restitutio. c. 6. & D. Antoni. 2. p. tit. 2. c. vlt.

Pūctur difficultatis.

Sententia Ricardi & aliorum.

Sententia Sylvestri & aliorū.

Sententia Caiet. & aliorum.

Debita multipliciter contrahi possunt.

¶Cæterùm, vt in hac varietate opinionum, quid mihi dicendum videatur, declarem, aduertendum est, quòd debita restituenda aliquando fuerunt contracta ex iusta aliqua causa, vt ex mutuo, vel ex venditione credita pecunia facta; aliquando autem ex causa iniusta, vt ex furto, rapina, vsuris, &c. Rursus restitutio aliquando debet fieri cum detrimento debitoris in solis bonis temporalibus recepto, aliquando autem cum iactura proprij status. Qui potest esse duplex. Vnus iustè acquisitus: qualis est ille, qui proprijs rebus sustentatur. Alius verò acquisitus iniustè, qualis est ille, qui ex iniquitate & rapinis fuit conflatus. Ac tandem, quando debet fieri restitutio, vel creditor patitur eandem necessitatem, quam debitor, vel solus debitor est, qui ingens patitur detrimentū. Creditor autem ex dilatione solutionis, vel nullum recipit damnum, vel exiguum.

¶Hoc constituto sit prima conclusio: Si debitor patitur graue damnum ex eo solū, quod substantia restituenda est ingens, non ideo potest restitutionem prorogare, vel in toto, vel in parte. Hæc conclusio est certa, & ab omnibus recepta. Et probatur: Quia alias melior esset conditio illorum, qui debita ingentia per iniuriam contraxerunt, quam qui minora debent, quod est absurdum. Et item, quia hoc non est pati iacturā, vel damnū proprioru, sed dimittere aliena.

1. Conclus.

¶Secunda conclusio: Si debitor patiatur graue damnum ex eo solum, quod non lucratur ex alieno, si statim restituat, nō ideò liberatur ab obligatione statim restituendi. Hanc conclusionem similiter tenēt omnes fere Doctores cum Magistro Soto lib. 4. de iustitia. q. 7. art. 4. & Cordu. in tractat. de casibus conscientiæ Hispano sermone scripto. q. 68. Et ratio est manifesta: Nam nullus habet ius lucrandi pecunia aliena domino inuito; & item, quia hoc non est perdere proprium, sed non vti alieno.

2. Conclus.

¶Tertia conclusio; Qui non potest restituere sine notabili iactura rerū suarum, vel status, quem iustè acquisiuit, nō tenetur statim restituere, sed poterit restitutionē differre, expectareq; meliorē cōmoditatē, siue debita fuerint contracta iustè, siue iniustè. Est autē hoc intelligendū quando creditor ex dilatione solutionis nō patitur simile, vel æquale detrimentū. Nā in hoc casu tenebitur debitor etiā cū proprio detrimento statim restituere. Tum, quia citra extremā necessitatē multò melior est cōditio creditoris, quā debitoris, vt communiter dicūt Doctores. Tum etiā, quia alias duplicaretur dānū creditoris, cū ex vna parte careat re sua, & ex altera incurrat nouū damnū, non minus, quā ipse debitor. Probatur nostra cōclusio primò ex sacris literis, quæ sæpènumerò dicūt debitores nō esse opprimēdos, nec in paupertatē redigēdos. Quale est illud Esai. c. 58. vbi dñs reprehendēs populū dicit, Debitores vestros oēs repetitis. Et Exo. 22. si pecuniā mutuā dederis populo meo pauperi, qui habitat tecū, nō vrgebis eū, quasi exactor. Et paulò inferius. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentū, ante solis occasum reddes ei, &c. Itē idē probatur ex iure ciuili. Dicitur enim. §. vlt. inst. de actio. inhu-

3. Conclus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

manum esse spoliatum fortunis suis in soli dum condemnare. Et ideò quando aliquis facit cessionem bonorum, semper debet de duci aliquid ne egeat, sed habeat vnde com petenter viuat, iuxta personæ exigentiã, vt patet ex.l. in condemnatione. ff. de regulis iuris, & ex.l.qui bonis.ff. de cessione bono rum: ergo contra omnem æquitatem, & na turalem humanitatem est, obligare aliquẽ ad ità restituendum, vt cogatur incurrere grauissimam necessitatem, citra extremam. Et confirmatur ex.l.4.tit.4.p.5. vbi dicitur, quòd qui donauit aliquid tenetur illud tra dere, dummodo donatori relinquatur, vnde competenter viuere possit. & secundum cõ munem vsum Imperatorum & Regum no biles & milites ære alieno oppressi accipiũt ab eis schedulas, ne ita omnia statim solue re cogantur, vt ab statu suo decidant: ergo est hoc seruandum in conscientia. Et ratio ne sic argumentor: Secundũ ordinem cha ritatis quilibet tenetur, si potest, commodè subuenire proximo ne amittat statum, aut incurrat aliter grauissimã necessitatem: er go rationabiliter præsumitur creditoré nõ velle restitui sibi debita, cum tanta iactura debitoris. Et si velit, nõ vult rationabiliter; atq; adeo non est standum ipsius voluntati, iuxta regulam Scoti, quam mirè laudat Syl uester, citatque quam plurimos Doctores il lam amplectentes, qui dicit, Detentio rei alienæ licita est, quando dominus rei ratio nabiliter debet velle eam retineri.

4. Concluſ. ¶Quarta conclusio: Si debitor nihil habet iustè acquisitũ, sed totus illius status cõ flatus est ex iniquitate, & rapinis, tenetur statim restituere etiam cum iactura illius, non obstante, quòd redigatur ad mendicita tem, vel ad quærendum victum ex proprio labore. Probatur, ex.c.si quis.de furtis. & ex cap. cum tu. de vsuris. Vbi fur & vsurarius coguntur omnia restituere, si habent in bo nis, non obstante, quòd relinqui debeant in magna necessitate. Et in cap. exijt. de verb. signific. in.6. dicitur, nemini esse licitum de alienis viuere, si aliunde potest ex eleemo synis, aut ex manuũ labore vitæ necessaria quærere. Quod intelligendum est de illis, qui iniustè contraxerunt debita, nihilq; ha bent quod non sit iniustè acquisitum. Isti enim cum nihil habeant suum, licèt omnia restituant, nullum patiuntur damnũ in pro prijs bonis: & sic ex hoc nõ excusantur. Se cus autẽ est de illis, qui cùm multa habeãt propria bona, multa etiam debita iustè con traxerunt, ad quorum solutionem statim fa ciendam non est æquum, vt omnium iactu ram patiantur. Et confirmatur: Nã alias da retur occasio iniquis hominibus deprædã di, & retinendi res alienas: præterquã quod nullum est ius & nullus titulus, quo prædi cti homines bona illa retineant. Et si quis obijciat; Nullus obligatur ad restituendum cum detrimento famæ, vel honoris: ergo nec cũ detrimento status, ex quo pendet fa ma, & honor; respondeo, aliud esse quòd isti amittant pompam, & statũ, & aliud, quod infamentur de furto, quod forsan alias erat occultum. Ad primũ enim tenentur iuxta quartam conclusionẽ, & non ad secundum per se loquendo. Quanuis etiã ad hoc pos sit esse obligatio in aliquo casu, in illo, scili cet, quo tenetur quis bona temporalia cũ detrimento famæ restituere, iuxta dicta, in art.6. Imò si esset spes probabilis, quòd post breue tẽpus ex hæreditate, vel ex bonis alio titulo iustè acquisitis, poterunt omnia resti tuere sine iactura status, non erunt cogen di subitò deperdere statum, & pompam; in omnibus enim debet habere locũ modera men prudentiæ. Ex dictis infertur posse au tores primæ & secundæ opinionis concilia ri per hoc, quod primi loquantur de illis debitoribus, qui iniquè per rapinam, & fur tum, vel vsuram mala fide debita contraxe runt. Secũdi autem de illis debitoribus, qui per licitas negotiationes aduersa fortuna redacti sunt ad eas angustias, vt sine graui damno suarum rerum, vel sine mutatione status debita restituere non possint. Et sic omnes cõcordabũt in eisdẽ cõclusionibus.

5. Concluſ. ¶Quinta conclusio: Quandocunq; debi tor nõ potest omnibus creditoribus statim restituere, & est probabilis spes, q̃ post bre ue tẽpus poterit integrè omnibus satisfa re, licitũ erit differre restitutionẽ. Hanc ad mittit Adria. vbi supra. Et probatur: Secun dũ iura coguntur creditores expectare solu tionẽ, si maior illorũ pars velit, licèt alij re nuant, vt patet ex.l.fin.C. qui bonis cedere possunt. & ex.l.5.tit.15.p.5. ergo naturalis æquitas postulat, quod non restituatur vni, si inde debitor redditur impotens ad omni bus debitoribus restituendũ, & est probabi lis spes quod poterit posteà omnibus resti tuere. Sed nunquid tenebitur restituere in teresse, & dãnũ, quod interim passi sunt cre ditores ex dilatione restitutionis? Caiet. hic dicit, q̃ nõ tenetur quãdo dilatio, & mora prouenit ex eo, q̃ nõ potuit soluere sine pe riculo vitæ, aut famæ. Secus autẽ est, si pro ueniat ex eo, q̃ non potuit soluere sine no tabili dãno rerũ temporaliũ. Quam etiam sententiam nos in superioribus fumus se quuti. Sed stãdo in rigore, videtur etiã posse dici, quod qui sine culpa contraxit debitũ, & fuit

& fuit in mora, etiã sine culpa sua non tene tur ad interesse, & damnũ, sed solũ ad prin cipale, quanuis prima sententia est securior,
1. Corolla. & forsan verior. Ex dictis infero primò, q̃ regulariter loquendo, nunquã tenetur artifex suæ artis instrumenta vendere pro resti tutione eorũ, quæ debet, cũ per talia instru menta sustentet vitã, & paret sibi viã ad re stitutionẽ. Dixi, regulariter loquendo: nã si
2. Corolla. essent furata restitui deberẽt. Infero secũdò, quòd qui necessitate oppressus facit cessio nẽ bonorũ, tuta conscientia potest retinere quæ Iudex sibi reseruauit, ne egeat. Verum est tamen, quòd cessio bonorũ nõ debet ad mitti cũ latronibus, & alijs, qui nihil habẽt præter iniustè acquisita. Et idẽ dixerim, de nobilibus & militibus, quibus ex concessio ne iuris, vel principis concessa sunt alimen
3. Corolla. ta secundũ decentiam sui status. Infero ter tiò: Qui vndiq; corradunt pecunias alienas per modũ mutui, cũ nihil habeant nec spe rent habere, vnde soluere possint, decipien tes miseros creditores, peccant grauissimè, cogendiq; sunt cũ magno rigore ad resti tutionẽ, eo modo, quo diximus de latroni bus, cũ sit hoc genus quoddã furti franduleti. De hac re videndus est Cord. in tract. de casib. conscien. q.68. in.3. puncto illius.

¶Explicato iam quando impotentia debitoris excusat ab obligatione, statim restituẽ di, deueniendũ est ad alias causas, de quibus Doctores solẽt similiter dubitare; an vel ex cusent à debito restituendi simpliciter; vel
1 Causa ex causis ab obligatione restituẽdi. ab obligatione statim restituẽdi. Inter quas prima & præcipua est, voluntaria remissio, vel donatio creditoris. De qua nonnulli af firmant, nõ esse sufficientẽ ad liberandũ debitorẽ à necessitate restituẽdi, nisi actu fiat ei rei debitæ restitutio. Qua facta poterit creditor, si velit, donare. Quã suã sententiã
Sententia aliquorum. probant primò ex illa regula iuris, Res per quas causas nascitur, per easdẽ dissoluitur. Ex qua colligũt, q̃ cũ obligatio restituẽdi
1. Argum. orrũ habuerit ex actuali rei alienę acceptio ne, nec satis fuerit ad illã inducendã præpa ratus animus ad iniustè accipiendũ, ita etiã nec sine actuali rei ablatæ restitutione au
2. Argum. ferri potest. ¶ Secundò: Quanuis spoliatus in fauorem spoliantis iuri suo renuntiet, non ideò spoliator manet liber à debito spolia restituendi, vt habetur expresse in capit. solicitè, extra de restitutio. spoliat. quia qui renuntiat spoliatus, vt inquit tex tus, non videtur sponte renũtiare: ergo idẽ est dicendũ in proposito. Et confirmatur ex decreto August. dicẽtis nõ remitti peccatũ,
Alia sentẽ. nisi restituatur ablatũ. Alij dixerunt, quòd libera remissio per creditorem facta liberat debitorem ab obligatione restituendi, dum modo debitor actu offerat creditori id, quod debet, alioquin minime. Et ratio est: Nam remissio si sponte non fiat, non est va lida. Quando autẽ ad preces, vel debitoris, vel alterius remissio fit, non oblato in prõ ptu eo, quod debetur, non videtur sponte fieri; & sic non tollit obligationem restituẽ di. Alij affirmant, quòd ad hoc, vt prædicta remissio sit valida, quanuis non requiratur quòd debitor actu restituat, nec quod rem debitam in promptu offerat, requiritur ta men, quòd secundum animi præparationem sit paratus debitum soluere in actu, in casu, quo creditor remittere nolit.

Sententia Autoris. ¶Sed contra hos omnes talem statuo cõ clusionem: Libera & spontanea remissio creditoris sufficiens est per se solã liberare debitorẽ à necessitate restituendi, modo cre ditor talis sit, qui remittere & donare pos sit. Nam remissio facta per mente captũ, aut minorem non valet; sicut nec donatio. No mine autem liberæ & spontaneæ remissio nis intellige illam, in qua nulla interuenit vis, vel fraus. Vnde qui extorqueret remis sionem, fingendo se multò pauperiorem, quam sit, vel comminando, quod nihil so lueret, nisi cum illo fiat compensatio pro rapi na, non maneret tutus in conscientia. Proba tur nostra conclusio: Obligatio restituendi suspenditur, & cessat ex libero consensu eli cito creditoris, vt dicit D.Th. in isto artic. vnde si liberè actu consentiat, quod res sua apud debitorem per mensem, aut per annũ retineatur, tutus erit debitor illo tempore rem illam detinendo: ergo pari ratione, si li berè consentiat, quod debitor rem debitã ad semper retineat, similiter erit tutus in cõ scientia, etiam si rem debitam nõ restituat. Et confirmatur: Non minus operatur domi ni consensus, vt alter rem suam retineat, quam, vt eam de nouo accipiat; sed ex con sensu domini libero potest alter rem suam de nouo occupare: ergo & retinere. Item: Res aliena ideò est de necessitate restituen da; quia eius detentio est iniusta: sicut enim restituere alienum, est actus iustitiæ; ita & detinere alienum est contra iustitiam: sed quando res aliena domino liberè consen tiente, ab aliquo retinetur, non est iniusta detentio, vt patet in commodato, & deposi to: ergo nec quando dominus libere con sentit, quod res sua à debitore ad semper re tineatur erit iniuriosa, aut iniusta talis detẽ tio. Sed est aduertẽdum, quòd remissio, vel condonatio creditoris non excusat à restitu tione munerum, quæ iudices, vel visitato res, vel hæretici exoluerũt, vt patet ex.c.sta

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutum.§.si quid.de rescript.in.6.& ex.c.exigit.de censib.in.6.& in Clem. de hæret.Et ratio est: Nam iura reddunt hos inhabiles ad taliter recipiendum, sicut & reddit minores inhabiles ad donandū. Quanuis & dici posset, quòd forsan hæc iura procedunt quoad forum exterius, & non quoad conscientiam.

Ad.1. arg. ¶Et ad primum argumentum pro prima opinione, respondeo, quòd regula illa potius facit pro nobis, quam contra nos. Sicut enim obligatio restituendi alienū non nascitur, nisi ex detentione iniusta rei alienæ, quæ tunc existit, quando est contra domini voluntatē: ità etiā nec obligatio restitutionis aufertur, nisi per cessationem iniustæ detentionis, quæ est quando dominus cōsentit, vt res retineatur. Et sic res per quas

Ad.2. arg. causas nascitur per easdem dissoluitur. ¶Ad secundū respondetur, ꝙ textus citatus procedit ex præsumptione, vt ex ipsomet apparet, ait enim, ꝙ præsumitur non sponte renuntiare, qui spoliatus renuntiat. Nihilominus tamen, si verè sponte renuntiaret, teneret in conscientia renuntiatio, vt dicitur in cap. immediatè sequenti. Et idē cōtingit in proposito. Ad confirmationē ex D. August. respondeo, dictū illud nō esse intelligendū de actuali restitutione. Contingit enim sæpè sæpiùs peccatū remitti antequā res ablata actu restituatur. Quod nec August. negaret. Vt quando homo verā Deo pœnitentiā agens proponit, se alienum restituere, vel, quando poterit, vel quādo oportuerit. Sed intelligitur de restitutione secundū mentis præparationem, & de illa restitutione, quā facere est necesse: qualis est restitutio rei iniustè retentæ. Quando autē dñs liberè remittit, iam desinit esse iniusta detentio.

2. Causa. ¶Secunda causa, de qua solet dubitari, an excuset ab obligatione statim restituendi, est damnum temporale, vel spirituale, quod sequitur ipsū creditori, aut alteri tertio, sed de hoc iam diximus latè art. 5. huius quæst. in solutione ad. 1.

3. Causa. ¶Tertia causa, secundū quosdā iuristas est excōmunicatio creditoris. Dicūt enim cum gloss. in. c. absolutos. de hæret. quòd quādiu creditor manet in excōmunicatione, debitor est absolutus ab obligatione restituēdi. *Sententia Medina.* Med. C. de rest. q. 3. caus. 9. dicit (supposito, quòd dupliciter potest aliquis esse excōmunicatus, scilicet, generaliter, & particulariter, seu nominatim, & quod presens quæstio non intelligatur de excōmunicato generaliter, de quo non est dubiū, quin debitores teneantur illi debita reddere, cum possint eum eodem licitè cōmunicare, non solū in humanis, sed etiam in diuinis, vt constat ex constitutione, seu limitatione Concilij Cōstantien. & Basilien. & Lateran. sub Leone X. vbi in sententia dicitur, ꝙ taliter excōmunicati non sunt magis vitandi, quā si excōmunicati essent, antequā declarentur, excepto casu de violenta manuū in clericū iniectione; sed de excommunicato nominatim. Qui rursus distingui potest ex parte rei debitæ. Nā vel id, quod debetur nominatim excōmunicato, est debitū naturale, aut diuinū re ipsa contractū, & per viā restitutionis soluendū, vt si quis aliquid ab eo furatus est aut mutuū, seu cōmodatū accepit. Vēl est debitū nō ex re, sed ex verbis contractū, putà, ex stipulatione, promissione, aut iuramēto.) Dicit inquā Medina quod per excommunicationē creditoris nō excusatur debitor à restitutione eorū, quæ ex iure naturali, & diuino debentur, bene tamē à solutione illorū, quæ debita sunt ex promissione, vel iuramēto. Sed melius mihi dicendū videtur generaliter cū Sylvest. verb. excōmunicatio. 5. n. 21. ꝙ per excōmunicationē creditoris, nū *Sententia Autoris.* quā excusatur debitor ab obligatione restituēdi, quæ est sententia D. Th. in. 4. Cuius maxima est, ꝙ obligatus excommunicato ante sententiā, est etiā obligatus post, nisi ab obligatione absoluatur, vt vassallus quoad iuramentū fidelitatis. Et ratio est: Nā quāuis ille, qui promisit, vel iurauit, quidquā alteri dare, liberè & volūtariè ad id se obligauit, postquā tamen facta est promissio, ità est ex iure naturali, & diuino id soluere obligatus ac si debitū re ipsa fuisset contractū per mutuū, vel per cōmodatū: & sic eadē est vtriusque ratio. Vide de hac re Sylu. loco citato.

¶Quarta causa, quę solet assignari ad auferendā obligationē restitutionis, est recōpēsatio debitorū. Verbi gratia. Debeo ego Petro ex vno cōtractu centū, & ipse ex alio debet mihi totidē, dubiū est, an per recompensationem horū debitorū tollatur obligatio restituendi. Et non est setmo de compensatione, quæ fit vtroq; volente. Hāc enim certum est esse licitam, & valere ad tollendam obligationem restituendi, sed de recompensatione facta altero renuente, vel ignoráte. De qua re est sententia Panormitani in ca- *Sententia Panorm.* pit. bona fides. de depos. Quòd si res hinc inde debitæ sint ex illis, quæ consistunt in numero, pōdere, & mēsura functionēque admittūt ad inuicē, vt vinum, triticum, pecunia, &c. per cōpensationē aufertur obligatio restituendi. Secus autem erit, si res hinc inde debitæ differant ratione. Nam, siquis debeat mihi equum, & ego debeam ei quinquaginta ducatos, non habet in his debitis locum

4. Causa.

Dubium.

locum compensatio. Et ratio est, Quia fortè mea interest habere equum potius, quàm pecuniam debitam, aut è contra. Cæterùm, quanuis hæc sententia habeat verum in foro contentioso, & similiter in foro conscié tiæ, quando creditor sine incōmodo potest aliter rem suā recuperare. Dico tamē, quòd *Sententia Autoris.* si creditor sine suo incommodo non potest rem recuperare in foro conscientiæ, indistinctè erit tenendū, quòd est locus cōpensationi; siue res hinc inde debitæ sint eiusdem; siue differentis rationis, modo is, qui huiusmodi compensatione vtitur, satisfaciat debitori, si aliquid inde damni patitur. Est autem intelligendum dūmodo cætera sint paria. Nam si debitum vnius est certū, & debitum alterius dubiū, non erit licitū vnius pro altero facere compensationem. Nec similiter, si debitū vnius sit pro tempore presenti, & debitū alterius pro tēpore futuro. Nec etiam potest fieri compensatio debitorum, quando alterum illorum est depositū, quia de hoc habetur peculiare priuilegiū, in. c. bona fides. de depos. propter fidelitatē maximè seruandam in contractu depositi, in quo res soli fidei depositarij cōmittitur. Siquis autem quærat, an possint recompensari debita iustitiæ cum beneficijs gratuitis; respondeo negatiuè. Nam qui gratis dat aliquid suo creditori, non intendens per illud soluere debitum, transfert eius dominiū titulo donationis: & sic non manet liber ab antiqua obligatione iustitiæ. Si autem quādo dedit oblitus erat debiti ex voluntate interpretatiua, poterit iudicari, quòd voluit re- *Corollar.* stituere, atq; adeo manebit liber. Ex hoc infertur, quòd qui debet alteri temporale nō excusatur ab obligatione restituendi per hoc, quòd det ei beneficium aliquod ecclesiasticum, vt rectè docet Nauar. c. 17. n. 81. contra quosdam iuristas. Quia cùm hoc sit gratis conferendū, non potest habere ratio nem solutionis debiti ex iustitia. Verum tamen est, quòd si post datum beneficium gratis creditor causa gratitudinis debitum remiserit, debitor à restitutione liber erit. Et idem est dicendum de officijs, quæ sine simonia, aut peccato emi & vendi non possunt. Quanuis non de illis, quæ licitè venduntur, & emuntur, qualia sunt officia secularia, horum enim datio, aut procuratio impensi creditoris facta idonea est debiti solutio. vt colligitur ex cap. totum. 1. q. 3.

5. Causa. ¶Quinta causa, de qua dubitatur, an tollat obligationem restituendi, est solutio facta creditori creditoris. Verbi gratia. Debeo ego Petro centum, & ipse debet totidem Ioanni; dubium est, an ego liberer ab obligatione soluendi Petro per hoc, quod eā cē tum soluam Ioanni. Et non loquimur de solutione, quæ fit vni creditori ex sententia & consensu alterius. Nam de hoc non est dubium, quin liberet ab obligatione restituendi. Sed de ea, quæ fit proprio creditore inscio, aut inuito. Nec etiam loquimur de eo, quod fiet in foro exteriori; sed de eo, quod debet fieri in foro conscientiæ, quando solum inuenirur hoc, quod est soluere vni, quod alteri debetur; seclusā omni alia in iustitia, & omni scandalo. Et vt rectè intelligatur, sit casus, quem assignat Medina quæstione. 5. causa. 5. Ego debebam Petro decē, & totidem debebat Petrus Ioanni: sed Ioānes ob defectum probationis non poterat iuridicè, nec alia via sua decem recuperare: defunctus est Petrus, cui ego decem debebam, quod meum debitum occultum erat, quia clam illa decem à Petro abstuleram: sed ego sciens Petrum tantundem Ioanni debere, solui Ioanni decem, quæ Petro debebam. Dubium est, vtrùm potuerim id sal ua conscientia facere, manens liber ab obligatione restitutionis. Ad quod omissis varijs modis dicendi breuiter respondeo affirmatiuè. Et probatur: Quod ego feci, Petrus *Sententia Autoris.* facere debuisset, remque eius vtiliter gessi: ex quo id ad salutem animæ ipsius expediebat: et in hac solutione per me facta, vel consensit Petrus, vel saltim consentire debuisset, si sciret me pro illo suum debitum soluisse: ergo nec peccaui, nec maneo obligatus ea iterum restituere; siquidem in foro conscientiæ iniustum est, vt semel solutum iterum soluatur. Secundò: Per istam solutionem res est iam ad æqualitatem redacta, sumpta securitate, quòd secundus creditor non āget contra priorem: ergo iam non est, quòd amplius per restitutionem ad æqualitatē reducatur. Consequētia est nota, & antecedens probatur: Nā secūdus creditor habet iā quod sibi à priori debebatur, & prior est iā à debito, quo secūdo tenebatur liberatus: debitor etiā iā reddit quod debebat: ergo omnia sunt ad æqualitatē redacta. Et cō firmatur: Qui in casu posito soluit Ioanni pro Petro defuncto, nulli facit iniuriam: quia non defuncto, vt cōstat, ex quo facit, quòd ipse si viueret facere debuisset: nec etiam hæredibus, qui sicut succedūt in bonis defuncti succedunt etiā in obligatione, qua defunctus tenebatur: ergo nec peccat, nec tenetur ad restitutionē, atq; ex cōsequēti solutio facta creditoris creditori per se loquendo est sufficiens liberare hominē à debito amplius restituēdi. De hac re videndus est Medina. C. de restitu. loco citato.

Universidad de Deusto
Biblioteca

6. Causa. ¶Sexta causa differēdi restitutionem, est incertitudo debitorum, quæ facit, vt restitutio non sit facienda, interim quòd verus dominus inquiritur. Sed de hoc iam nos diximus supra art. 5. circa solutionem ad tertiū argumentum.

7. Causa. Dubium. ¶Septima causa est, iuris, aut iudicis autoritas. De qua est difficultas, an qui iuris vel iudicis autoritate aliquid retinet, alioqui nō suum, aut alteri debitum, liberetur in conscientia ab obligatione restituendi? Et pro parte affirmatiua est argumentum ex c. qui

Argum. peccat. 23. q. 4. Vbi dicitur. Nemo peccat legis autoritate vtens: ergo qui iuris autoritate rem aliquam possidet non peccat; atq; ex consequenti nō tenetur eam restituere. Et confirmatur: Talis rei detentio non est iniuriosa, nec iniusta: non enim nascitur iniuriæ occasio, vnde iura nascuntur, vt dicitur in. l. meminerunt. C. vnde vi. & quod iure fit iustè fit, vt habetur in cap. quid dicā. 14. q. 4. ergo si res iure retinetur, iustè tenetur, atq; ex consequenti non erit necessario restituenda.

Conclusio. ¶His tamen non obstantibus, dico, quòd non semper tutus est, nec à restitutione alienus qui secundum ius, aut iudicis sententiā aliquid tenet, vt est videre in eo, qui rem suam vendendo emptoré citra dimidium iusti pretij defraudauit. Qui quidē secūdum iura tutè in foro exteriori retinet excessum iusti pretij. Et tamen in conscientia talis venditor tutus non erit excessum iusti pretij retinendo. Similiter qui alienū per tempus lege diffinitum possidet, etiam si cum mala fide possederit, potest secundū iura illud retinere; cum tamen in conscientia à restitutione non sit liber. Possessor enim malæ fidei nunquam præscribit. Et ad hunc modum posset de alijs exemplificari. Cuius rei ratio est: Nam, sicut iura multas iniquitates, & mala permittunt, vt maiora vitentur, nec protinus eas cōmittentes sunt à peccato coram Deo immunes, vt constat; ità etiam eadem iura defraudatis sæpè actionem contra defraudantes negant, quia sic ad optimum reipublicæ regimen est conueniens: nec tamen ideo ipsi defraudantes à culpa & restitutione sunt liberi. Tunc ergo erit homo tutus, & à restitutione agenda liber iuris autoritate vtens, quando ius non permissiuum; sed concessiuum fuerit, ex intento volēs rem alicui applicare. Tūc enim res illa in dominium eius transit, cui iure applicatur. Secus autem erit, si ius sit permissiuum, aut si solùm actionem concedat, aut repetitionem neget: quia talia non reseuant in conscientia debitorem ab obligatione restitutionis. Similiter etiam sententia iudicis, quanuis sit lata secundum iura, & secundum allegata, & probata non excusabit ab obligatione restitutionis, si falsæ presumptioni, aut probationi innitatur. Sed de hoc latius infra. q. 67. ¶Et ad argumentum in cō trarium factum respondetur, quòd omnia iura in eo adducta procedunt de legibus cōcessiuis; & non de permissiuis, quales sunt multæ in corpore iuris.

Ad arg.

8. Causa. ¶Octaua causa, de qua solet dubitari, an liberet debitorem ab obligatione restituendi, est ingressus religionis. De qua breuiter dico, quòd qui vere alieno est obligatus, potest religionem intrare, relinquendo creditoribus bona, quæ habebat, nec tenetur ad procurandum, vnde debitum soluat, manere in seculo, vt optimè docet D. Tho. infra q. vlt. art. 6. ad 3. & Syluest. verbo, religio. 2. §. 4. cum Host. Ioan. Raym. Palud. & alijs. Et ratio est: Quia, vt bene dicit D. Tho. loco citato, persona hominis liberi secundum iura ciuilia, non obligatur ad solutionem pecuniariam, sed solum res, nec debet impediri quis ex huiusmodi debitis, ne instinctum Spiritus sancti sequatur. Verum tamen est, quòd tenebitur monasterium talia debita soluere, ex bonis illius, si quæ attulerit, atq; etiā ex illis, quæ per ipsum acquisierit, siue ex donatione, siue ex testamento. Imò dicunt aliqui, quòd teneatur talis monachus absolutis diuinis officijs in monasterio operari, quantum poterit, vt lucretur, vnde soluat. Sed hæc sententia est falsa, vt docet Syluester loco citato. Similiter etiā est falsum, quòd dicit Medina. C. de restitut. q. 3. caus. 8. ex mēte Gersonis, & aliorum Parisiensiū, quòd peccat debitor religionem ingrediēs, si posset in seculo lucrari, vnde solueret, vt ex dictis patet.

9. Causa. ¶Nona causa est, cessio qua debitor bonis cedit. De qua iam nos nōnihil diximus, agentes de impotentia debitoris, in isto articulo. Et sic nunc solum restat dicendum, quòd facta publica cessione sicut fieri debet secundum iura, si contingat postmodū debitorem ad pinguiorem venire fortunā, totum id, quod debebat, tenetur integrè restituere, vt constat ex cap. Odoardus. de solutionibus. Vbi dicitur, huiusmodi debitorem teneri dare cautionem de soluendo, quando ad pinguem venerit fortunam. Qui textus, quanuis non apertè loquatur de eo, qui bonis cesserat satis tamen id ibidem significatur. Idem etiam dicitur in. l. 1. C. de bonis. Itaque cessio bonorum nō conceditur ad liberandum hominem totaliter à debito, sed ad liberandum à carceris molestia.

¶De-

¶Decima & vltima causa, de qua solet dubitari, an liberet hominem ab obligatione restituendi, est parvitas materiæ. De qua dico, quòd licet non liberet totaliter à peccato, liberat tamen à peccato mortali, vt commune est in omni præcepto. Et si quis quæ rat, quæ nam debeat censeri parua quantitas liberans ab obligatione restituendi sub

Dubiū quæ dicatur parua quantitas. peccato mortali, Nauarro in Manuali cap. 17. num. 4. post longam de hac re disputationem concludit, esse id, quod ad valorem dimidij argentei non accedit. Nam quòd ad istum valorem attingit, putat, per se loquendo, esse sufficientem quantitatem ad mortale. Sed melius Soto lib. 5. de Iustitia. q. 3.

Sententia Nauarri. Sententia Soti vera. art. 3. ad. 3. dicit, vnū, vel duos argēteos, per se loquēdo, nō esse satis ad inducendā mortalem obligationem: posse tamen per accidens contingere, vt quælibet quantitas quā tunuis minima, obliget sub mortali. Primò ratione damni emergentis, siue in temporalibus, siue in spiritualibus, vt si quis à sartore vnam acum, quam habet, vel ab scriba calamum furaretur, quibus deficientibus operas vnius, vel plurium dierum amitteret, vel grauem aliquam iram incurreret, aut alia peccata committerent. Tunc enim qui sciret, aut scire deberet hæc damna ventura, peccaret mortaliter, ratione dāni emergentis, has res minutissimas furando, aut eas post furtum non restituendo. Secundò: Poterit per accidens peccare mortaliter, qui res etiam minimas non restituit ratione iustæ excommunicationis impositæ. Vt si, vbi gratia per furta minutissima à diuersis, nec in facto consentientibus tota vinea vicini fuisset deuastata. Tunc, licèt nullus eorum peccauerit mortaliter, iustè posset excommunicatio inferri contra non restituentes ad vitandum graue damnum proximi: & qui non restitueret per accidens peccaret mortaliter, vt bene dicit Soto lib. 4. de Iustitia. q. 7. art. 4. & in. 4. sententiarum, dist. 20. q. 1. art. 1. Qui autem multiplicat minima furtā, ita vt efficiat notabile damnum, cum primùm quantitas inceperit esse notabilis, tenebitur sub mortali facere restitutionem, vt communiter dicunt Doctores. Aduertit tamen prudenter Nauarro cap. 17. numero. 140. debere hoc intelligi, quando magna tēporis interualla inter illa minima furta nō intercesserint. Nam si famulus, verbi gratia, furriperet hodie vnum quadrantem, & post mensem alium, vel duos, ità, vt in fine vnius, vel duorum annorum confecerit summam quatuor, vel sex regalium, non tenebitur sub mortali illorum facere restitutionem. Moraliter enim loquendo id non cē-

Quæstio. setur vnum notabile damnum; sed multa parua, & minima. ¶Si quis autem quærat, an ille, qui multiplicando minima furta, graue damnum intulit, in aliquo illorum peccauerit mortaliter. Soto vbi supra dicit, vltimum furtum paruum, quo primum pervenitur ad magnam quantitatem, esse peccatum mortale. Sed melius dicendum existimo cum Nauarro nullum illorum furto-

Responsio. rum esse mortale, nisi in illis tacitè, vel expresse habuerit quis voluntatem retinendi magnam quantitatem, primo, siue secundo, siue vltimo leui furto fuerit adiuncta. Si autem talis voluntas non intercedit, quod libet leue furtum erit peccatum veniale, & peccatum mortale erit non restituere graue damnum, quod ex huiusmodi leuibus furtis fuerit conflatum. Et idem dicendum est de illo, qui per parua furta diuersis hominibus facta, magnam acquisiuit quantitatē. Quicunque enim habet voluntatem acquirendi, vel detinendi res alienas in magna quantitate per istam viam, peccat mortaliter, teneturque ad restitutionem; licèt non videatur obligandus cum tanto rigore, qui accepit à diuersis, sicut ille, qui accepit ab vno, cùm facilius præsumi possit tacita condonatio, vel remissio ex parte plurium, à quibus res paruæ fuerunt ablatæ, quam ex parte vnius, qui graue aliquod protulit nocumentum.

Dubiū de ordine quo debet fieri restitutio quādo sunt multi creditores. ¶Explicatis iam, vtcunque causis, quæ possunt hominem excusare ab obligatione, vel restituendi simpliciter, vel restituendi statim, pro complemento huius materiæ, agendum restat de ordine, quo debet fieri restitutio, quando sunt plures creditores, nec procedit quæstio de debitore habente, vnde omnibus statim, vel pro tempore quo debet soluat. Tunc enim certum est, nullū esse ordinem necessario seruandum; cùm pa rum referat incipere solutionem ad hoc, vel ab illo, dummodo omnibus sit soluēdo quā tum debet. Sed est quæstio de illo, qui non habet vnde omnibus soluat, sed quibusdā, à quibus debeat incipere solutionem. De qua re agit Syluester verbo. restitutio. 6. q. 5. Nauarro in Manuali, cap. 17. num. 47. & sequentibus, Medina Cod. de restitutione, q. 2. art. 5. Gabriel in. 4. distinct. 15. quæst. 2. in fine. & D. Antoninus. 2. p. titulo. 2. cap. 7.

Debita sūt in multiplici differentia. Ex quorum mente ad explicationem difficultatis aduertendum est, quòd debita possunt esse in multiplici differentia. Quædam enim sunt certa, quorum creditores sciuntur, alia incerta, quorum creditores, vel ignorantur, vel non comparent. Item quædam sunt omnino aliena; qualia sunt illa,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ nunquam in dominium debitoris tranſierunt. Et alia de rebus iam appropriatis creditori, licèt cum obligatione reſtituendi. Rurſus, quædam ſunt bona fide, & licitè contracta: alia contracta illicite, & per iniquitatem. Præterea eſt diſtinguendum inter creditores. Quidam enim ſunt, qui habent actionẽ realẽ in bona debitoris, quia, ſcilicet, vel ſũt eis impignorata, vel hypothecata ingenerali, aut in ſpeciali tacitè, vel expreſſe. Alij autẽ ſunt nõ habẽtes actionẽ realẽ in bona debitoris, ſed in perſonam tantũ, ſine aliqua impignoratione, vel hypotheca.

1. cõcluſio. ¶Hoc conſtituto, ſit prima concluſio: Debita certa præferri debent incertis. Hæc recipitur communiter ab omnibus. Ex quo infero cum Sylueſtro loco citato, & cum Caietano in ſumma. verbo. reſtitutio. capit. 8. grauiter errare, & peccare illos, qui prius faciunt compoſitionem cum Epiſcopo, vel Papa, ſupra debitis incertis, vt ea ſibi reſeruent, quam reſtituant debita certa, quando non poſſunt, vtriſque ſufficere. Vltra hoc enim, quòd peccant mortaliter, tenentur perinde debita certa reſtituere ac ſi nullam feciſſent compoſitionem.

2. cõcluſio. ¶Secunda concluſio: Ex debitis certis illa ſunt primò reſtituenda ſuis dominis, quæ non tranſierunt in dominium debitoris, ſed ſunt omnino aliena. Itaque commodatum, depoſitum, raptum, aut furto ſubtractum, quod adhuc in ſua forma, & ſpecie reperitur, ante omnia eſt ſuo domino reddendum, nec poteſt ex illo, aut ex eius valore alijs creditoribus fieri reſtitutio. Hanc concluſionem ponit Baldus communiter receptus in leg. pro debito Cod. de bonis iud. aut poſſi. Et ratio eſt manifeſta: Quia hoc in bonis eius, qui reſtituere debet, non connumeratur, cum eius dominium nunquam ad illum fuerit tranſlatum, & reſtitutio nõ ex alienis, ſed ex proprijs eſt facienda. Imò ſi quis vendiderit alteri rem, cuius pretium nondum accepit prius tenebitur emptor, apud quem res empta manet, id pretium ſoluere, quam quodcunque aliud debitum. Nam quanuis rei emptæ dominium in ipſum emptorem verè fuerit tranſlatum, vt conſtat ex lege. traditionibus. Cod. de pactis. ſemper tamen manet obligata ſolutioni, quamdiu in propria forma, & ſpecie penes ipſum emptorẽ inuenitur, iuxta dictum Baldi vbi ſupra. Eſt enim æquum, & rationi conſentaneũ, quòd venditor quantum ad hunc effectum cæteris creditoribus præferatur, quando omniũ ſolutioni debitoris bona non ſufficiunt. Et idem pari ratione dicendum videtur, de omni illo, quod titulo oneroſo datum fuit. Cæterum, ſi res empta pluris valeat, quam pretium pro ea promiſſum, eo pretio ſoluto vẽditori, reſiduum cedet alijs debitis ſoluendis.

3. Cõcluſio ¶Tertia concluſio: Inter creditores illi ſunt præferendi, qui actionem realẽ habuerint in bona debitoris, ſiue ratione impignorationis, ſiue hypothecæ generalis, vel ſpecialis tacitè, vel expreſſæ. Hoc habetur expreſſè in leg. pro debito. Cod. de bonis iudicis auctoritate poſſeſsis. Et ratio eſt manifeſta: Nam cum iſti habeant ſpeciale ius ad prædicta bona, fit, vt reliquis alijs creditoribus ſint præferendi. Et ſi quis quærat, qui nam dicatur habere tacitam impignorationem, vel hypothecam? reſpondeo, quòd primò, bona mariti ſunt tacitè hypothecata pro dote vxoris ſibi tradita, vt patet ex leg. aſſiduis. Co. qui potiores in pignore habentur, & ex leg. 17. titulo. 11. p. 4. vbi idem dicitur de bonis paraphernalibus, quę in viri poteſtatem tranſierunt. Quando autem hæc hypotheca debeat alijs præferri explicat Couarruuias lib. 1. Variarum. cap. 7. numero. 1. Secundo: bona illius, qui cum fiſco contraxit, eo ipſo manent fiſco hypothecata, vt patet ex leg. 2. C. in quibus cauſis pign⁹, vel hypotheca tacitè contrahatur. Tertiò: domus, vel nauis conſtructa, vel reparata, vel cuſtodita per pecuniam ad hoc mutuatam manet eo ipſo pro tali pecunia hypothecata, vt patet ex le. 2. ff. qui potiores in pignore. & Authẽtica. de collatione dotis. §. ijs cõſequens, collatione. 3. & ex leg. 28. tit. 25. p. 5. Quarto: res empta ex pecunia ſpecialiter pro tali emptione mutuata manet eo ipſo hypothecata tali pecuniæ, vt dicitur expreſſe in Authentica modo citata.

4. Cõcluſio. ¶Quarta concluſio: Inter creditores, quibus res debitoris ſunt hypothecatæ cæteris paribus, atque regulariter, præferendi ſunt antiquiores. Ita habetur expreſſe lege. 2. ff. qui potiores, & leg. 27. & 33. titulo. 13. par. 5. vbi dicitur, quod prior hypotheca etiam generalis præferenda eſt poſteriori quantũcunque ſpeciali: Ad quod etiam facit regula iuris in. 6. Qui prior eſt tempore prior eſt iure. Eſt autem hæc prioritas temporis accipienda non ex tempore ſolutioni deſtinato, ſed ex tempore, quo contractus, vel hypotheca fuit facta. Dixi, cæteris paribus, & regulariter: nã ſunt aliqui caſus, in quibus poſterior hypotheca præferẽda eſt priori, vt patet ex leg. 28. & 29. titulo. 13. par. 5. Vbi dicitur, quòd qui mutuauit pecunias ſpecialiter pro conſtruenda, vel reparanda domo, aut naui, aut alia re ſimili, aut pro aſportandis mercibus, ità habet ſibi res illas pro

pro tali pecunia hypothecata, vt ſit præferendus alijs creditoribus, quibus eædem res fuerint ante hypothecatæ, dummodo anteriores illæ hypothecæ in fauorem fiſci, aut dotis coniugalis non ſint factæ: Nam hypotheca facta fiſco, aut vxori pro dote priuilegiata eſt in multis, vt docet latè Couarruuias lib. 1. Variarum, cap. 7. num. 1. & 2. Si cõtingat autem eadem bona eſſe hypothecata fiſco, & vxori, antiquior hypothecã erit præferenda: vt patet ex leg. 2. Cod. de priuilegijs fiſci. Et ſi eſt dubium, quæ nam fuerit prior, indicandum erit in fauorem dotis, vt docet bene Couarruuias loco citato.

5. Cõcluſio ¶Quinta concluſio: Inter creditores nullam habentes actionem realem in bona debitoris, ſed tantùm in perſonam, nulla eſt ſeruanda temporis antiquitas; ſed ſimpliciter ſunt inter illos diuidendæ res pro rata ſecundum proportionem debitorum. Hæc concluſio habetur expreſſe in leg. pro debito. Cod. de bonis iud. aut poſſeſ. eſtque cõmunis Doctorum, quanuis Medina loco citato videatur dicere, antiquiores eſſe præferendos. Ex quo infertur, non poſſe debitorẽ integrè vni ex creditoribus ſoluere, quãdo non habet vnde ſoluat omnibus; cederet enim hoc in fraudem, & iniuriam aliorum. Et ideò talis ſolutio reuocatur ſecundum iura, vt conſtat ex leg. 1. & 2. & ex leg. pupillus. ff. quæ in fraudem, & leg. ſi non ex pedierit. §. ſi pupillus. ff. de bonis autorit. &c. Verum tamen eſt, quòd ſi aliquis creditorum fuerit vigilantior, vel magis ſolicitus ad petendum debitum in iudicio, vel extra prius illi erit ſoluendum ſecundum iura. Imò, ſi debitor ex pietate ſolueret creditori pauperi, & multùm indigenti, etiam ſi ille non peteret nullum eſſet peccatum, vt dicunt Sylueſter, atque Medina locis citatis, quanuis in foro exteriori à iudicibus ſecundum iura talis ſolutio reuocaretur.

Nota.

Difficultas ¶Sed eſt difficultas, an debita iniuſtè contracta per furtum, rapinam, & vſuras ſint præferenda alijs licitis contractis? Et loquimur ex ſuppoſitione, quòd res iniuſtè ablata in individuo non extet. Nam, ſi extaret, certum eſt, illam prius debere vero domino reſtitui, vt ex dictis patet. De qua re ſunt variæ Doctorum ſententiæ. Prima

Sententia Antonini. eſt aliquorum, quos refert D. Antoninus, vbi ſupra. Qui dicunt, debita ex furto, vel rapina priùs eſſe ſoluenda, quam debita vſuraria: & hæc prius quam alia licitè contracta. Quam etiam ſententiam tenet Medina Complutenſis. q. 2. art. 5. Et ratio iſtorũ eſt: Nam cum reſtitutio ordinetur ad reſarciendam iniuriam, vbi fuerit maior iniuria, maior etiã erit obligatio reſtitutionis. Certum eſt, quòd in furto, & rapina eſt maior iniuria, quàm in vſura, & in vſura, quàm in alijs debitis licitè contractis: & ſic prius debita contracta per furtum & rapinã, & deinde cõtracta per vſuras, ac tanden contracta licitè, erunt reſtituenda. Imò, cum maior ſit iniuria in rapina, quã in furto, prius acquiſitum per rapinam, quam acquiſitum per furtũ erit reſtituendũ, vt dicit Medina loco citato. Altera ſentẽtia eſt Caietani in ſumma, verbo reſtitutio cap. 8. & Nauarri in Manuali cap. 17. num. 52. & fratris Ioſephi de Angles in ſuis Floribus. Qui dicunt debita licitè contracta prius eſſe ſoluenda ab vſurario, quãm ea, quæ contraxit per vſuras, etiam ſi iſta ſint anteriora illis; dummodo ex cõtractibus licitis ſuperuenientibus poſt acquiſitas vſuras non fuerit debitor factus pauperior ad ſoluenda debita vſuraria. Nã tunc in eo ſolùm, in quo fuerit factus pauperior, & impotens ad ſoluendas vſuras, præferenda erunt in ſolutione debita vſuraria debitis licitis, & non in reſiduo. Sed quanuis iſti autores cõueniant in ſententia, differunt in ratione. Caietanus enim dicit, eius rei rationem eſſe, quia ex quo debita licita non prius ſoluerentur, quàm vſuræ extortę, iam inciperent detineri aliena inuito domino. Quam rationem non inapparenter impugnat Medina vbi ſupra. Nauarro dicit, ideò debita licita prius eſſe ſoluenda, quàm illicita vſurarum, quia magis conſtat, quòd tibi debeo, quod mihi mutuaſti, aut vendidiſti, quam quod per vſuram mihi ſoluiſti cùm de mutuo, aut venditione nullus dubitauerit eſſe ſoluendum; de vſuris autem dubitauerint quàm multi. quanuis malè. Ioſephus dicit, ideò non teneri vſurarium reſtituere vſuras priùs, quàm alia debita licitè contracta, quia mutuatarius ex mutuo ſibi dato ſub vſuris conſequutus eſt aliquam vtilitatem, quam non ſunt conſequuti cæteri creditores, cum quibus vſurarius licitè cõtraxit, res eorum emendo, aut mutuum ab illis accipiendo. De debitis autem contractis per furtum, & rapinam non loquuntur iſti autores.

6. Cõcluſio ¶Sed contra omnes talem ſtatuo concluſionem, quæ ſit ſexta in ordine: Inter prædicta debita nullus eſt ordo ſeruandus, ſed reſtituenda erũt pro rata iuxta proportionẽ propoſitã in quinta cõcluſione. Ità tenet Angelus in ſumma. verbo. reſtitutio. 2. §. 13. Et probatur: Nam iura diſponentia, vt inter debita, quæ non habent hypothecas nulla habeatur ratio temporis, ſed diuidantur bona

Universidad de Deusto
Biblioteca

na debitoris pro rata inter creditores, generaliter loquuntur de omnibus debitis, nulla facta distinctione, an licitè, vel illicitè fuerint contracta. Et confirmatur: In casu posito nullus creditorum habet actionem realem in bona, sed tantum personalem: ergo nulla est ratio, propter quam vnus in restitutione alteri præferatur. Nec obstat ratio Medinæ. Nam restitutio non tam attendit iniuriam in modo accipiendi, quàm inæqualitatem in rebus acceptis. Nec etiam obstat ratio Caietani. Quia quæ per licitos contractus fuere accepta iam non sunt aliena sed propria ipsius debitoris: & ideò expendêda erunt in satisfaciendo obligationi personali, quam ipse habet secundum proportionẽ ad ea debita, quibus obligatur. Nec etiam obstat ratio Nauarri. Nam, quanuis aliqui perperam dubitauerint, an vsurarius teneatur ad restitutionem eorum, quæ per vsuras acquisiuit, hæc inepta dubitatio non impedit, quominus iure naturæ teneatur talia debita restituere, sicut & illa, de quibus nullus vnquam hucusque dubitauit. Ad rationem enim debiti, per accidens est, quòd quis de illo dubium habuerit, vel non. Nec tandem obstat ratio Iosephi de Angles: cum ad inæqualitatem prouenientem ex contractu vsurario, & quæ resartienda est per restitutionem sit omnino extrinsecum, & accidentarium, quod mutuatarius ex mutuo sub vsuris dato commodum reportauerit, vel non. Maximè cùm simile cõmodum, imò & maius posit accrescere creditori ex licito contractu: nec hoc impedit, quò minùs debitor teneatur tale debitum restituere, simul cum alijs, ex quibus nullum lucrum fuit reportatum.

Vltima cõclusio.

¶ Vltima conclusio: Ea, quæ dicta sunt in præcedentibus conclusionibus, regulariter sunt obseruanda secundum ius commune: poterit tamen multoties contingere, vt alio ordine sit facienda restitutio. Tùm propter varias circunstantias & speciales, quas prudens debitor considerare debebit: cum etiam propter multiplices & distinctas ordinationes regionum, quæ, nisi cum ratione naturali apertè pugnent, obseruari debebunt in conscientia, vt omnes doctores fatentur, quantùm ad ordinem restituendi. Si quis autem contra præscriptum ordinẽ restituerit, præterquam quòd peccabit mortaliter, erit obligatus resarcire damna inde creditoribus subsequuta, quantum cõmode poterit. An autem creditores, qui contra præscriptum ordinem acceperint, vel integram restitutionem, vel parcialem, maneant tuti in conscientia, varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Quibusdam probabiliter dicentibus, quod non: quia sicut debitor non habet ius ad dandum: ità nec ipsi ad recipiendum. Præterquàm, quòd talis acceptio redundat in iniuriam aliorum creditorum. Sed oppositam sententiam existimo probabiliorem. Nempe, quòd, qui accipit à debitore totum summ debitum, adhuc, quando ipse non est soluendo omnibus, quibus debet, est tutus in conscientia, nec tenetur aliquam facere restitutionem. Et ratio est: Nam talis nõ accipit magis, quam debit, atque ex consequenti, nec habet magis quam debet habere. Quod autem alter iniustè deserit, id, non sibi, sed danti est imputandum. Sed est hoc intelligendum quando creditores non habẽt ius ad rem ratione pignoris, aut hypothecæ. Nam in hoc casu non erit licitum creditoribus, debitum accipere, alijs insolutis manentibus, cùm violent iustitiã, quæ præscribit, vt illis priùs, quàm sibi per prædicta satisfiat. Ex quo infero, peccare generos, atque nurus de bonis sororum accipientes, vel retinentes, quod sibi debetur, scientes eorum bona alijs magis priuilegiatis deberi, vt docet Nauarro cap. 17. nu. 52. Et hæc dicta sint de tota ista materia restitutionis.

QVÆSTIO. LXIII.
De Acceptione personarum, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm personarum acceptio sit peccatum.

Inf. art. 2. co. Et Ro. 2. lect. 2.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd personarum acceptio non sit peccatum. In nomine enim personæ intelligitur personæ dignitas. Sed considerare dignitates personarum pertinet ad distributiuam iustitiam: ergo personarum acceptio non est peccatum.

2 ¶ Præterea, In rebus humanis personæ sunt principaliores, quàm res: quia res sunt propter personas, & non econuerso. Sed rerum acceptio non est peccatum: ergo multo minus acceptio personarum.

3 ¶ Præterea, Apud Deum nulla potest esse iniquitas, vel peccatum. Sed Deus videtur personam accipere, quia interdum duorum hominum vnius conditionis, tionis, vnum assumit per gratiam, & alterum relinquit in peccato, secundum illud Matth. 24. Duo erũt in lecto, vnus assumetur & alius relinquetur: ergo acceptio personarum non est peccatum.

¶ SED CONTRA, Nihil prohibetur in lege diuina nisi peccatum. Sed personarum acceptio prohibetur Deuter. 1. Vbi dicitur: Non accipietis cuiusquã personam: ergo personarum acceptio est peccatum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd personarum acceptio opponitur iustitiæ distributiuæ. Consistit enim æqualitas distributiuæ iustitiæ in hoc, quod diuersis personis diuersa tribuuntur, secundum proportionem ad dignitates personarum. Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ, propter quam aliquid, quod ei confertur, est ei debitum, non est acceptio personæ, sed causę. Vnde glos.* super illud ad Ephes. 6. Personarum acceptio non est apud Deũ, dicit quòd Deus iudex iustus cautas discernit, non personas. Puta, si iudex aliquis promoueat aliquem ad magisterium, propter sufficientiam scientiæ, hic attenditur causa debita, nõ persona. Si autem aliquis consideret in eo, cui aliquid confert, nõ id propter quod id quod ei datur, esset ei proportionatũ, vel debitum, sed solum hoc, quòd est homo (puta, Petrus vel Martinus) hic est acceptio personæ: quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam, quæ faciat cum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ. Ad personã autem refertur quæcunque conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono. Puta, si aliquis promoueat aliquem ad prælationem vel magisterium, quia est diues, vel quia est cõsanguineus suus: est acceptio personæ. Contingit tamen aliquam conditionem personæ facere eam dignam respectu vnius rei, & non respectu alterius. Sicut consanguineitas facit aliquẽ dignum ad hoc, quòd instituatur hæres patrimonij, nõ autem ad hoc quòd conferatur ei prælatio Ecclesiastica. Et ideo eadem conditio personæ in vno negotio considerata facit acceptionẽ personæ, in alio autem non facit. Sic ergo patet, quod personarum acceptio opponitur iustitiæ distributiuæ, in hoc quòd præter proportionem agitur: nihil autem opponitur virtuti nisi peccatum. Vnde consequens est, quòd personarum acceptio sit peccatum.

Glos. inter linea. ibid.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in distributiua iustitia considerãtur conditiones personarum, quę faciunt ad dignitatis, vel debiti causam. Sed in acceptione personarũ considerantur conditiones, quæ nõ faciunt ad causam, vt dictum* est.

In corp. art.

¶ Ad secundum dicendum, quòd personę proportionantur, & dignæ redduntur in aliquibus, quæ eis distribuuntur, propter aliquas res, quæ pertinent ad conditionem personæ, & ideo huiusmodi conditiones sunt attendendæ tanquam propriæ causæ. Cùm autem considerantur ipsæ personæ, attenditur non causa, vt causa. Et ideò patet quanuis personæ sint digniores simpliciter, non tamen sunt digniores quo ad hoc.

¶ Ad tertium dicendum, quòd duplex est datio. Vna quidem pertinẽs ad iustitiam, qua scilicet, aliquis dat alicui quod ei debetur. Et circa tales dationes attenditur personarum acceptio. Alia est datio ad liberalitarẽ pertinens, qua, scilicet, gratis datur alicui quod ei non debetur. Et talis est collatio* munerum gratiæ, per quam peccatores assumuntur à Deo. Et in hac donatione non habet locum personarum acceptio: quia quilibet absque iniustitia potest de suo dare quantum vult, & cui vult: secundum illud Matth. 20. An nõ licet mihi quod volo facere? Tolle quod aliud est, & vade.

De cons. di. 4. cap. Nec quemquam.

SVMMA TEXTVS.

Litera huius articuli est valde notanda, continetur que in illa vnica conclusio affirmatiua, quæ talis est: Acceptio personarum est peccatum. Quam probat Diu. Tho. in argumento, sed contra, ex eo, quòd

acceptio

Universidad de Deusto
Biblioteca

acceptio personarum in sacris literis est prohibita. Dicitur enim Deuteronomij. 1. Non accipietis cuiusque personam, &c. Nihil autem in scriptura prohibetur, nisi peccatum. Et in corpore articuli hac ratione: Acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiuæ: sed nihil opponitur virtuti, nisi peccatum: ergo acceptio personarum est peccatum. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur: Æqualitas iustitiæ distributiuæ consistit in hoc, quòd diuersis personis diuersa tribuantur, secundum proportionem ad dignitatem earum: & acceptio personarum est quando quis alicui aliquid tribuit non propterea, quod id, quod datur, est ei proportionatum, & debitum: sed propter aliud humanum respectum minus cõuenientem cum re collata: ergo iustitia distributiua, & acceptio personarum sunt opposita.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac materia disputat Abulensis super Matthæum, cap. 25. à quæst. 108. vsque ad. 110. D. Antoninus. 2. par. titulo. 1. ca. 19. &. 20. Summistæ. verbo. acceptio personarum. & verbo. beneficium. & verbo. electio. Gabriel in. 4. distinct. 15. quæst. 7. Soto lib. 3. de Iustitia, quæst. 6. & Alexander Alés. 2. par. quæst. 119. per totam. Ad cuius intelligentiam, vt à nomine ipso exordiamur, aduertendum est, quòd, quamuis hoc nomen acceptio personarũ, nec Ciceroni, nec priscorum Latinis sit vsu frequens, est tamẽ iam apud Sacros, atque Theologos valde receptum, & Latinitate donatum. Idemque signi ficat apud nos, quod apud Græcos prosopolipsia, vt constat ex illo ad Romanos. 2. Nõ est acceptio personarum apud Deum. Vbi pro acceptio personarum codex Græcus, id nomen habet. Idemque contingit Act. 10. in illis verbis. Non est acceptor personarũ Deus; in multisque alijs locis sacræ scripturæ. Et quoniam prosopolipsia compositũ nomen est à prosopon, quod personam seu faciem significat, & à libo, quod est accipere, & in compositione, respicere, idem prorsus erit acceptio personarum quod respectus personarum, seu respicere faciem hominis, iuxta illud Prouerb. 18. Accipere personam in iudicio non est bonum. Et in Psal. 81. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis. Quæ phrasi loquẽdi præcipiuntur iudices taliter sententiam proferre, vt nulla hominis qualitate, puta, sexu, ætate, patria, genere, opibus, pauperie, idque genus reliquis, quæ extra rem, & causam sunt, eorum animi corrumpantur. Id enim totum nomine personæ intelligitur in præsenti. Ad quod allusisse videtur Dominus Leuit. 19. quando dixit: Non considerabis personam pauperis, nec honores vultũ potentis. Est ergo acceptio personarum vitium, quo id, quod ex debito iustitiæ est vni personæ cõferendum, exhibetur alteri, non propter meritum eius ad ipsam rem, quæ cõfertur, sed propter conditionem non congruẽtẽ. Vt si quis cõferret episcopatũ alicui, quia est Petrus, aut Ioannes, vel affinis, quæ nihil faciunt ad esse dignum episcopatu. Nã si conferret, quia ad id est aptus, non diceretur acceptor personarum: cùm hæc conditio sit sufficiens, vt ei episcopatus ex iustitia distributiua debeatur. Ex quo infero primò, quòd in his, quæ dantur mere ex liberalitate, & non ex debito iustitiæ, non potest habere locum acceptio personarum, etiam si magis vni personæ, quàm alteri dentur. Verbi gratia: Donat quis de suis bonis centum amico, vel consanguineo ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, nec ea confert extraneo, quamuis vel sit melior, vel egeat magis, non est acceptor personarum; quia, quòd dat est proprium ipsius, nullique debitum: & in re sua vnusquisq; est moderator & iudex. Hac ratione probat D. Thom. super epistolam ad Romanos cap. 2. non esse personarum acceptionem apud Deum, in eo quòd peccatorum quosdam in suis peccatis relinquit, alijs ad se vocatis per gratiam. Acceptio enim personarum opponitur iustitiæ, & sic tantum habet locum in his, quæ dantur ex debito, quod iustitia consideret. Deus autem non ex debito, sed ex gratia peccatores vocat ad pœnitentiam; iuxta illud Pauli ad Titum. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et ad Rom. 11. Si ex operibus iam non ex gratia. In talibus autem beneficijs gratis datis liberum est non solum Deo, sed etiam homini dare cui voluerit, iuxta illud Matth. 20. An non licet mihi quod volo facere, vel oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Tolle quòd tuum est, & vade, &c. Infero secundo quòd tunc dicetur quis personas accipere, quando in distributione bonorum, quæ ex iustitia debentur, non causam debitam, sed rationes, & motiua ad finem, de quo agitur, impertinentia, considerat. Omnia enim, quæ ad rem non pertinent, nomine personæ comprehenduntur in proposito. Sed est aduertendũ, posse aliquando contingere, quod id, quòd respectu vnius distributionis est causa debita, respectu alterius sit motiuum impertinens. Si quis enim virum egregiè doctum, non tamen vsque adeo moribus compositum viro sanctо, sed ignaro in optione alicuius cathedræ anteferret, non personarum acceptor haberetur, cum eruditio & non sanctitas sit potissima causa, propter quam quis cathedræ est præferendus. Secus autem esset, si talem virum doctum præferret in ea electione, in qua vir probitate cõspicuus exigeretur. Itaq; quicũq; in distributione cõsiderat illam proprietatem personæ, propter quam id, quod confertur, est ei debitum, non est acceptor personarum, secus autem erit, si cõsideret aliam conditionem ad rem, quæ confertur, non congruentem, quamuis sit conueniens respectu alterius. D. Thomas in conclusione huius articuli solùm dicit, acceptionem personarum esse peccatum: non autem declarat, an sit mortale, vel veniale. Quia, vt manifestum, ex dictis relinquit, illam ex genere suo esse peccatum mortale: est enim peccatum contra iustitiam, &, vt dixit, q. 59. art. 1. omne tale, ex genere suo est mortale. Dico, ex genere suo. Nam ex ignorantia materiæ, bene poterit aliquando contingere, quòd sit veniale. Vt, si quis amicum minus dignum in electione ad officium, quod parum reipublicæ confert, præstantiori præferret. Potest præterea probari, acceptionem personarum esse ex genere suo peccatum mortale ex plurimis testimonijs sacræ scripturæ, quibus ea grauissimè interdicitur & cauetur. Dicitur enim Deuteronom. cap. 1. Non accipietis cuiusque personam. Et Iacobus cap. 2. suæ canonicæ: Nolite in personarum acceptione habere fidem. Et Leuit. 19. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Quod etiam peccatum fuit quàm maximè ab antiquis Philosophis reprehensum, odiumque habitum, vt patet ex eo, quòd Areopagitæ, vt refert Lucianus in Hermotimo, in tenebris iudicare fuerunt soliti, ne, scilicet, ad dicentes, sed ad ea, quæ dicerẽt respicere possent. Et Aristot. libr. 1. Rhetoricorum, illam oratutiæ partem, quæ ad commouendos affectus exposita est, condemnauit. Areopagum Athenien sium hac maximè ratione cõmendans, quòd illã à suo iudicio relegata haberent. Socrates etiam ob id solùm ad æquitatis culmen euehitur, quod nec vxorem, nec liberos ad iudicium adducere voluit, cum de eius capite ageretur, ad excitandum iudicum commiserationem. A quo vitio Christum fuisse immunem testati sunt Pharisæorum discipuli, cum Herodianis dicentes: Non respicies personam hominis, &c. Matth. cap. 22.

¶ In solutione ad tertium argumentum, dicit D. Thom. Non esse acceptionem personarum apud Deum: quia ea, quæ conferuntur ex debito, sed ex mera gratia conferuntur; & vbi non est debitum, non potest esse ratio iniustitiæ, quæ in acceptione personarum includitur. Contra quam nonnulli Doctores tenent, rationem, propter quam in Deo non est acceptio personarum, non esse illam, quam D. Thom. assignat, sed, quia ille, qui à Deo assumitur, est magis dispositus. Quod affirmare videtur D. Hieronym. Abaeuc cap. 2. in illa verba: Iustus autem ex fide viuit. Et quod hoc ita sit dicendum probatur ex illo Actorum cap. 10. In veritate comperi, quòd Deus non est acceptor personarum; sed in omni gente, qui timet Deũ, & operatur iustitiam acceptus est ille. Vbi D. Petrus vitium acceptionis personarum à Deo excludit, non quia confert non debita; sed quia illa tribuit in omni gente, meliùs disposito, & inuocanti se. Item D. Paulus ad Romanos. 2. cum dixisset, Tribulatio, & angustia in omnem animam operantis malum. Iudæi primum, & Græci; gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco, subdit statim: Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quasi significans ob id in Deo non esse acceptionem personarum; quia reddit vnicuique, siue Iudæo, siue Græco secundò opera sua. Hoc tamen non obstante, dico, sententiam D. Thom. esse verissimã, quamuis & alia sententia etiam habeat veritatem. Quod, vt intelligatur, aduertendum est, quod bona, quæ Deus hominibus impartitur, sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt, quę aliquod meritum ex parte nostra præsupponunt. De quibus loquitur Paulus. 2. ad Timoth. cap. 4. dum dixit: Bonum certamen certaui: cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Et dominus Genes. cap. 4. dum dixit ad Cain: Nonne si bene egeris recipies. Et Matthæ. 5. Merces vestra copiosa est in cœlo. Merces enim semper correspondet merito. Alia bona sunt, quæ non præsupponunt in nobis meritum. Qualia sunt, iustificatio impij, & omnia illa, quæ antecedunt ipsam iustificationem. Quo supposito dico, quòd quantum ad priora bona, bene potest Deus probari non esse acceptor personarum ex eo, quòd illa confert melius dispositis, vt rectè probant testimonia adducta ex Actis, & ex Paulo, ad Rom. 2. Cæterum, quantum ad bona secundi generis, de quibus intelligũtur loca à D. Tho. adducta in tertio argumento, quale est illud Matth. 24. Erũt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alius relinquetur, ea solum ratione liberatur Deus ab acceptione personarum

De nomine acceptionis personarum.

In gratuitis non habet locum acceptio personarum.

Quando dicatur quis personã accipere.

In Deo nõ est acceptio personarũ, & quare.

Bona quæ Deus impartitur sunt multiplicia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

narum, quòd non confert debita, sed gratuita. Hæc solutio est D. Augustini in Epistola ad Simplicianum. Adducitque illam Adrianus quodlib. 5. Sed est aduertendũ, quòd etiam in istis donis merè gratuitis secundum veram Theologiam est Deus adeò paratus ea hominib* impartiri, vt nullus, nisi, quia ex malitia sua non vult, ab illis exciperetur, iuxta illud: Ego sto ad ostium, & pulso. Et Iob. 25. Ipsi rebelles fuerunt. Propter quod dicebat D. Chrysostomus sermone. 8. de Resurrectione. Is Deum præsentẽ nõ habet, qui Dominum abesse compellit, & ille absentiam Christi sustinet, qui non quærit. De hac re videndus est D. Thom. in. 3. d. 25. q. 2. art. 1. quæst. 1.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrum in dispensatione spiritualium locũ habeat personarum acceptio.*

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd in dispensatione spiritualium locum non habeat personarum acceptio. Conferre enim dignitatẽ Ecclesiasticam, seu beneficiũ alicui propter consanguinitatem, videtur ad acceptionem personarum pertinere: quia consanguinitas non est causa faciens hominem dignum ecclesiastico beneficio. Sed hoc non videtur esse peccatum: cum hoc ex consuetudine prælati Ecclesiæ faciant: ergo peccatum personarum acceptionis non videtur locũ habere in dispensatione spiritualium.

2 ¶ Præterea, Præferre diuitẽ pauperi videtur ad acceptionem personarum pertinere, vt patet Iac. 2. Sed facilius dispẽsatur cum diuitibus & potẽtibus, quòd in gradu prohibito contrahant matrimonium, quam cum alijs: ergo peccatum personarum acceptionis non videtur locum habere circa dispensationẽ spiritualium.

vó. quæstio. 7. ca. Monasterium. de electione, & electi potestate. c. cũ nobis. c. cũ dilectus.

3 ¶ Præterea, Secundum * iura sufficit eligere bonum, non autem requiritur, quod aliquis eligat meliorem. Sed eligere minus bonum ad aliquid altius, videtur ad acceptionem personarum pertinere: ergo personarum acceptio non est peccatum in spiritualibus.

61. diſt. c. Episcopat. c. Nec eme ritis. c. Nullus. c. Obitum, c. Sacrorum ca nonum.

4 ¶ Præterea, Secundum * statuta Ecclesiæ eligendus est aliquis de gremio Ecclesiæ. Sed hoc videtur ad acceptionem personarum pertinere: quia quandoq; sufficientiores alibi inuenirẽtur: ergo personarum acceptio non est peccatum in spiritualibus.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Iac. 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi. Vbi dicit glossa * Augustinus. Quis ferat, si quis diuitẽ eligat ad sedem honoris Ecclesię, contempto paupere instructiore & sanctiore.

Epiſto. 29. ad Hier. de elinãdo ad fin. tom. 5.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum * est, acceptio personarũ est peccatum, in quantum contrariatur iustitiæ. Quanto autem in maioribus aliquis iustitiam transgreditur, tãto grauius peccat. Vnde cum spiritualia sint temporalibus potiora, grauius peccatũ est personas accipere in dispensatione spiritualium, quàm in dispensatione tẽporalium. Et quia personarum acceptio est cum aliquid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipsius, considerare oportet, quod dignitas alicuius personæ potest attẽdi dupliciter. Vno modo simpliciter, & secundum se: & sic maioris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationẽ ad bonum commune. Contingit enim quandoq; quòd ille qui est minus sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam secularem, vel propter aliquid huiusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad vtilitatem communem, secundum illud. 1. ad Cor. 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ: ideo quandoq; absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur. Sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoq; cõcedit minus bonis:

2. ar. præced.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod circa consanguineos prælati distinguendum est. Quia quãdoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum

ctum, & bonum commune. Et sic si dignioribus præferantur est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium. Quorum prælatus Ecclesiasticus non est dominus, vt possit ea dare pro libito: sed dispensator secundum illud. 1. ad Corinthios. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi: & dispensatores ministeriorũ Dei. Quandoque vero consanguinei prælati Ecclesiastici sunt æquè digni, vt alij. Et sic licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre: quia saltem magis in hoc præeminent, quòd de ipsis magis confidere potest, vt vnanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent. Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi.

¶ Ad secundum dicendum, quòd dispensatio matrimonij contrahendi principaliter fieri consueuit propter fœdus pacis firmandum. Quod quidem magis est necessarium communi vtilitati circa personas excellentes. Et ideo cum eis facilius dispensatur absque peccato acceptionis personarum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quantum ad hoc quòd electio impugnari non possit in foro iudiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem: quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quòd hoc sit propter aliquam causam. Quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur magis idoneus: si vero non pertineat ad negotium id quod consideratur, vt causa, erit manifestè acceptio personæ.

¶ Ad quartum dicendum, quòd ille qui de gremio Ecclesiæ assumitur, vt in pluribus consueuit esse vtilior, quantum ad bonum commune: quia magis diligit Ecclesiam in qua est nutritus. Et propter hoc etiam mandatur Deuteronomij decimo septimo. Non poteris alterius gentis hominem facere regem, qui non sit frater tuus.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet Di. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: Accipere personas in distributione bonorum spiritualium, est grauius peccatum, quàm illas accipere in distributione bonorum temporalium. Probatur: Acceptio personarum in tantum est peccatum, in quantum contrariatur iustitiæ: sed quanto aliquis in bonis maioribus iustitiam transgreditur, tantò grauius peccat: ergo qui accipit personam in distributione spiritualiũ grauius peccat, quam qui accipit in temporalibus; si quidem ille in maioribus bonis iustitiam transgreditur, quàm iste.

¶ Secunda conclusio: Quandoque in dispensatione bonorum spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, præferuntur melioribus sine acceptione personarum. Probatur: Dignitas alicuius personæ potest attendi dupliciter. Vno modo simpliciter, & secundum se. Et sic maioris dignitatis est ille, qui magis in spiritualibus gratiæ donis abundat. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Sed contingit aliquãdo, quod qui est minus sanctus, & minus sciens, possit magis conferre ad bonum cõmune, vel propter potentiam, vel propter industriam: ergo in hoc casu qui simpliciter est minus bonus, erit præferendus meliori sine acceptione personarum. Probo cõsequentiã: Nam dispensationes spiritualiũ principalius ordinantur ad bonum commune, iuxta illud Pauli. 1. ad Corint. 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius articuli, qui præcipuus est in hac materia, aduertendum est, quòd spiritualia bona, quæ hominum ministerio dispensari possunt, sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt purè spiritualia, vt sacramenta, sacra doctrina, & virtus, atque gratia, quæ per huiusmodi media

Bona spiritualia quæ dispensari possunt sũt duplicia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominibus communicatur. Alia sunt temporalibus admixta, vt sacerdotium, beneficium, dignitas ecclesiastica, & aliæ prælaturæ, quibus homines in Ecclesia fungi solent. Et quamuis in priorum bonorum dispensatione acceptionis personarum peccatū etiā contingere possit, vt si parochus, vel concionator cui ex officio hoc munus incūbit, propter extrinsecos, & accidentarios respectus prædicaret, vel cōferret sacramēta, qui busdam præ alijs, nō secuata proportione ad legitimam causam & rationem hæc administrandi; nihilominùs tamen potissima difficultas huius articuli non est de acceptione personarum, quæ in istorum bonorum dispensatione inueniri potest; sed de illa quæ inuenitur in distribuendis spiritualibus bonis secūdi generis, beneficijs, scilicet, vel dignitatibus ecclesiasticis. Et quoniā acceptio personarum in hoc consistit, quòd hæc bona non secundum dignitatem personarum, sed secundum rationes impertinentes dispensentur, præferendo, vel minus dignos dignioribus, vel omnino indignos dignis, id circò ante omnia opus est explicare, quid ad hoc requiratur, vt quis beneficio ecclesiastico, aut dignitate dignus habeatur. Et dico generaliter, quòd requirantur quatuor cōditiones. Prima est, habilitas, seu capacitas iuridica. Secunda honestas morum. Tertia scientia competens. Quarta & vltima, inductia rerum agendarum. Per habilitatem, seu capacitatem iuridicam intelligimus ætatē legitimam, aliasque qualitates, seu conditiones, quas ius petit, vel tāquā omnino necessarias, ad hoc, vt alicuius electio sit valida, vel ad hoc, vt fiat sine peccato mortali. Qualis est in Episcopo, quòd sit ex legitimo toro natus, & Licentiatus in Theologia, vel in iure, aut saltim approbatus per aliquā vniuersitatem. Et insuper, quòd habeat triginta annos cōpletos, vt patet ex cap. eū in cunctis. de electione, & ex concilio Tridentino sessio. 7. de reformatione. In curato aute requiritur, q̄ attingat saltim vigesimū quintū annum. Et sic de alijs, de quibus latè Sylvester. verbo. ætas, & verbo. beneficium. & verbo. electio. Per honestatem morum, intelligimus, quòd non sit improbus, & vitiosus, sine charitate Dei, saltim per modum habitus, & consuetudinis. Per scientiam competentē intelligimus, quòd habeat earū rerū, quæ ad suū officiū spectant, sufficientē cognitionem, vt debitè illud exercere possit. Ex quo fit, vt pro ratione officiorū maior, vel minor scientia sit necessaria. Et tandē per inductiam rerum agendarū intelligimus prudentiā, animique vigorē, atque applicationē ad solicitè agenda, quæ sibi iuxtā exigentiā sui officij incumbunt. Ex quo infero primò, quòd eligere aliquē sine istis cōditionibus, vel sine aliqua illarū, vbi sunt alij, qui possunt eligi cum illis per se loquendo, est peccatum acceptionis personarum contra iustitiam distributiuam. Infero secūdo, quòd eo magis quis dignus habetur beneficijs ecclesiasticis, quo magis de istis conditionibus participauerit. Nec ad colligendum quis sit dignior, satis erit, vnam conditionem aduertere: sed opus erit omnes diligenter attendere, ponderareque illas ad inuicem in ordine ad principalem finem eius beneficij, vel dignitatis, quæ confertur. Poterit enim contingere, vt minus bonus in moribus, si præemineat in scientia, vel industria rerum agendarum sit præferendus simpliciter digniori, vt dicit Diuus Thomas in isto articulo.

Quæ sint necessaria, vt quis habeatur dignus beneficio ecclesiastico.

¶Sed est difficultas, vtrùm morum probitas ita sit necessaria condicio ad hoc, vt quis censeatur dignus beneficio ecclesiastico, vt eligere, vel promouere improbum ad quodcunque munus ecclesiasticum semper sit peccatum mortale? Cuius dubitationis sensus non est, an huiusmodi improbi homines possint habere dignitates ecclesiasticas. Certū est enim secundū fidem, quòd peccatum mortale non ità reddit hominem totaliter inhabilem, & incapacem ad habendas dignitates, & beneficia ecclesiastica, vt non possit habere veram iurisdictionem, & esse verum prælatum & parochum, sicut alij homines iusti, vt contra Vuitcleph, & alios hæreticos diffinitum fuit in concilio Constan. sessione. 8. &. 15. vt est videre apud Castrum in lib. contra hæreses verbo. potestas. Sed quod quærimus solum est, an promouere & eligere homines peccatores ad beneficia ecclesiastica semper sit peccatum mortale. Et pro parte negatiua argumentor primò: Contingit sæpe sæpius hominem vitio sum, & peccatorem esse valde vtilem Ecclesiæ soliciteque administrare sacramenta, & docere populum optime: ergo in hoc casu non erit peccatum mortale illum eligere. Et confirmatur: Nam alias rarissimi essent digni ad beneficia ecclesiastica, cum vix inueniri possit, qui non sæpe peccet mortaliter. Imo in aliquibus regionibus maximè inter hæreticos & in montanis, non sunt alij, qui velint & possint exercere curam animarum, nisi qui in publico peccato mortali sunt constituti: ergo saltim in hoc casu erit licitum eligere peccatores. Secundò: Sunt multa beneficia, quorū ministeria in peccato mortali, sine nouo peccato

Dubium.

Sensus quæstionis.

1. argum.

2. argum.

peccato possunt exerceri, vt patet de cantoribus, de custodibus ornamentorum Ecclesiæ, & de alijs, qui obligationem ex beneficio non habent, nisi recitare horas Canonicas: ergo eligere homines improbos, & peccatores ad huiusmodi beneficia non erit peccatum mortale. ¶Vltimò: Deus sæpe confert donum prophetiæ miraculorum, & similia hominibus peccatoribus propter aliorum vtilitatem: ergo id etiam nos possumus facere in electione beneficiorum. Contrariam sententiam tenent communiter omnes Doctores absolutè dicentes, quòd quicunque confert quodcunque beneficium, vel ecclesiasticam dignitatem homini peccatori, peccat mortaliter. Ità tenet Caietanus hic, & in summa. verbo. electio: quem sequuntur alij Summistæ. & Soto libro tertio de iustitia. quæstione. 6. articulo secundo, conclusione secunda.

3. argum.

1. cōclusio.

¶Sed, vt quid in hac re sit dicendum, explicemus, est prima conclusio: Peccatores ità debent reputari indigni ad beneficia ecclesiastica, quæ habent annexam curam animarum, vel obligationem administrandi sacramenta, quales sunt Episcopi, & Curati, vt qui tales elegerint semper peccent mortaliter. Probatur primo ex Paulo. 1. ad Timoth. cap. 3. & ad Titum. 1. Qui describens qualis debeat esse Episcopus primò omnium dicit: oportere Episcopum irreprehensibilem esse, & sine crimine, &c. Christus etiam Dominus, Ioannis vltimò, traditurus Petro curam pastoralem, priùs illum examinauit an haberet charitatem, dicens, Petre diligis me plus his? Cui Petrus respondit: Tu scis Domine, quia amo te. Et Christus ad illum: Pasce oues meas. Item ratione sic argumentor: Promouere peccatores ad huiusmodi beneficia est applicare illos ad eos actus exercendos, quos sine peccato mortali exercere non possunt: ergo est cooperari peccato, atque ex consequenti fieri participem suorum delictorum. Quod & significare voluisse videtur Paulus prim. ad Timotheum capit. quinto, dum dixit: Nemini manus citò imposueris, nec communicaueris peccatis aliorum. Quasi dicat: si facilè ordinaueris indignos communicabis peccatis illorum. Nec valet, si dicatur, quòd poterit sic electus redire ad meliorem mentem, vel abstinere ab administratione sacramentorum, dum fuerit in mortali, ponendo vicarium. Nam hoc est per accidens: & quātum est ex vi electionis per se applicatur electus ad eos actus, quos sine mortali exercere non potest. Præterea Episcopus, & parochus tenentur pascere populum, non solum verbo, sed etiam exemplo bonæ ædificationis: sed qui est in peccato mortali, maximè si illud fuerit publicum, non ædificat, sed potius scandalizat, iuxta illud Diu. Gregorij in pastorali capit. secundo. Nemo amplius in ecclesia nocet, quàm qui peruerse agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur: ergo qui huiusmodi peccatores ad talia beneficia eligit, peccat mortaliter. Tandem probatur conclusio, ex cap. cum in curatis. §. inferiora. de electione. Vbi dicitur, neminem esse eligendum ad beneficium cum cura animarum, qui non moribus commendandus existat. Idem etiam habetur in capit. indecorum. & in capit. sequenti: de ætate & qualitate ordinandorum. & alibi sæpe, & in concilio Tridentino. sessione vigesima tertia, capitulo primo de reformatione, & sessione. 24. cap. 12.

2. cōclusio.

¶Secunda conclusio: De alijs beneficijs non est adeò certum, quòd sit peccatum mortale eligere ad illa homines prauos, & peccatores: est tamen probabilissimum. Et quidem, quod non sit ità certum de istis beneficijs sicut de illis, est res manifesta, cum rationes, quæ procedunt de primis, non procedant de secundis. Sed quod hoc sit probabilissimum probatur: Tum, quia iura ecclesiastica, quæ repellunt peccatores ab ecclesiasticis beneficijs, vniuersaliter loquuntur, nulla facta distinctione de curatis, & non curatis. Tum etiam, quia videtur notabilis irreuerentia, mancipare diuinis obsequijs, & quasi offerre Deo famulum, & ministrum, qui sit ipsi inimicus. Propter quod Leuitici capit. 11. quibuscunque ministris Leuitici ordinis dicebat Dominus: Sancti eritis, quia ego sanctus sum.

¶Et ad primum argumentum in contrarium factum respondetur, quòd quamuis contingat aliquando hominem peccatorem esse vtilem Ecclesiæ, quantum ad substantiam operum, quæ facit; adhuc tamen censetur indignus, qui ad beneficium eligatur; quia ea opera non facit modo grato Deo. Ad confirmationem respondetur, negando sequelam. Multi enim sunt, qui per Dei gratiam regulariter viuunt sine peccato mortali, quamuis aliquando ex humana fragilitate peccent. Præter quam

Ad. 1. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod ad hoc, vt electo rectè faciat electionem, non est necessarium, quod sit omnino certus eligendum esse in gratia, sed satis est id more humano nosse, quantum humana fragilitas patitur. Quem enim non nouimus peccatorem & indignum, iudicare debemus iustum, & dignum, vt dicitur in capit. vnico. de scrutinio. Si verò contigerit in aliqua regione, nullum esse idoneum ad administranda sacramenta, nisi qui sit in peccato mortali, permittendus erit tunc pro communi bono populi, & regionis illius ministerium accipere ad modū, quo permittuntur meretrices: Nec qui in hoc casu peccatorem eligit, eius participat peccato; quia quantum est ex se eum ad bonum ordinat, & applicat. Quòd autem electus abutatur potestate sibi tradita licitè permittitur, nec tenetur elector id cauere: sicut quando sunt alij, qui volunt & possunt sine peccato administrare. Sed iste casus est multum per accidens; & nos loquimur in conclusionibus de ijs, qui per se & regulariter contingunt. ¶ Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam, licèt ministrare in minoribus quo ad singulos actus, non sit peccatum mortale, tamen deputare aliquem ad id, quasi ex officio in mortali exercendum, est notabilis irreuerentia facta Deo, atque sufficiens ad inducendam culpam mortalem. ¶ Ad vltimum respondetur, negando consequentiam. Nam prophetia, & similia dona non ordinantur intrinsece ad actus sacros, qui pertineant ad cultum Dei, sicut ordinantur beneficia Ecclesiastica. Vel secundo respondetur, quòd Deus tanquam dominus absolutus, in cuius manu sunt omnia corda hominum, pro sua voluntate secundum abyssum suorum iudiciorum, potest eligere quem voluerit ad quamcunque dignitatem. Prælati autem eligentes non debent hoc attendere; sed secundum regulas magis speciales iudicare, curareque tanquam fideles dispensatores, vt tales ministri Deo inseruiant, qui ei sint grati. Et hæc dicta sint de honestate morum, quæ requiritur ad dignitatem ministri.

Ad. 2. arg.

Ad. 3. arg.

Dubium.

¶ De scientia competenti est speciale dubium, an Theologia reddat hominem magis idoneum ad Episcopalem dignitatem, quam iuris prudentia. Hostiensis & Abbas supra capit. 1. de consanguinitate, & affinitate, quos etiam sequuntur alij Canonistæ suam rem agentes, dixerunt priscis temporibus, quando hæreses vigebant in Ecclesia Episcopos debuisse esse Theologiæ peritos, vt contra hæreticos disputare, & eorum argumenta soluere optimè scirent. At verò nunc vbi hæreses non vigent iuris prudentes esse præferendos, tanquā illi, qui de Ecclesiastica, & politica gubernatione, quæ præcipue est necessaria plus callent. Cæterum hæc sententia meo iudicio non solum est falsa, sed & periculosa, & Ecclesiæ perniciosa. Quod affirmare non anderem, ne propriam causam agere iudicarer, nisi vsque adeo essent aperta testimonia sacræ scripturæ, & manifestæ rationes ad id conuenientes, vt omnes suspicionem procul amoueant. Primum argumentum ad id probandum desumitur ex ipso nomine pastoris, quod proprium est Episcoporum, vt constat ex multis locis sacrarum literarum, maximè ex illo Pauli ad Ephesi. 4. Dedit quosdam pastores, & Doctores, &c: sed proprium & præcipuum munus Ecclesiastici pastoris est scripturæ eloquia reuoluendo, recolere, ac meditari: vnde doctrinæ pabulum gregi subministret, vt autor est D. Hieronymus, & refertur in cap. si quis. 36. distinctio. vbi dicit: Duo sunt Pontificis opera, vt adeò discat, legendo scripturas diuinas, & sæpius meditando, vt populum doceat, quod non ad iuris peritum, sed ad Theologum pertinet. Secundò: Præcipuum munus Episcopi est prædicare, atque legere Euangelium, vt dicitur in concilio Tridentino, sessione. 5. cap. 2. & sessio. 24. cap. 4. de reformatione, & in concilio Chartag. 4. & refertur in cap. Episcopus. 38. distinct. Vbi dicitur: Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet; sed lectioni, orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacet. Idem etiam habetur in concilio Remen. cap. 14. &. 15. sed hoc non pertinet ad Canonistas, vt constat, sed ad Theologos: ergo Theologia ex se reddit hominem magis idoneum ad dignitatē Episcopalem. Tertio. Officium Episcopi non solum est extirpare hæreses, sed etiam prædicare, docereque populum mysteria fidei, & præcepta morum, ex Euangelio, & ex scriptura, vt constat ex concilio Tridentino locis citatis: sed hoc est proprium munus Theologorū, cū ad Canonistas nō pertineat perscrutari scripturam, sed decreta pontificia: ergo. Et confirmatur: Ad Episcopum propriè pertinet paratum esse ad reddendam rationem eius, quæ in nobis est fides, vt dicit Petrus in sua Canonica: sed hoc non potest efficere iuris peritus: ergo non solum quando sunt hæretici, sed semper etiam præstat Episcopum esse Theologum.

Sententia Canonistarum.

Sententia autoris.

logum. Vltimò: Episcopi in sua consecratione olim, secundum cæremoniale antiquum, interrogabantur, an vtrunque scirent testamentū, vt Richardus quodlib. 4. & Syluester in Summa. verbo. Episcopus. numero. 5. adnotarunt: licet iam collapsis temporibus non interrogentur; nisi, an velint se diuinæ scripturæ sensibus accōmodare, & quæ inde hauserint plebem docere: quod vtrunque ad Theologum, & non ad Canonistam spectat: ergo per se loquēdo, Theologus præstat iuris perito. Dixi per se loquendo. Nam per accidens contingere poterit, vt Canonista merito præferatur Theologo, tunc, scilicet, quando habuerit insignem prudentiam in rebus gerendis, egregiumque zelum animarum. Imo qui in his fuerit præcipuus, licet non sit adeò Theologus, vel Canonista poterit sæpe sæpiùs præferri vtrique. Per prudentiā enim, & sanctum zelum facilè supplebit defectum Theologiæ, vel iurisprudentiæ, constituendo idoneos ministros. Et condignitas personæ ad Episcopale officium, non ex peritia tantum, sed etiam ex alijs circunstantijs in ordine ad finem ipsius venit considerāda, vt diximus in superioribus. Tametsi ille, in quo hæc omnia excellentia doctrinæ illustraret malori iure super Ecclesiæ cā delabrum esset constituendus: Nec obstat, quòd Theologus non sit ità aptus, & idoneus ad dirimendas, & iudicandas lites. Nā cum hoc non pertineat per se ad Episcopū, sed per accidens, suppleri melius poterit per alios, quam munus prædicandi, & docendi, quod est proprium ipsius. Ex dictis infertur Theologos per se loquendo, & cæteris paribus, etiam esse aptiores ad beneficia curata, quàm Canonistas, cum parochi assumantur ad partem curæ Episcopalis, debeantque prædicare, & docere populum, vt dicitur in cōcilio Tridentino locis citatis.

Theologi cæteris paribus sunt aptiores ad Ecclesiastica beneficia.

Dubiū grauc.

¶ His constitutis, circa primam conclusionem huius articuli sunt multæ ac graues difficultates. Prima est, an quando multi digni concurrunt ad idem beneficium sit peccatum mortale acceptionis personarum, eligere minus dignum, prætermisso digniori? Ad cuius explicationem aduertendum est, aliud esse quærere, vtrùm electio sit valida, & firma, ità, vt rescindi, aut reuocari nō possit? Aliud, vtrùm sit licitè, & absque peccato mortali facta? Et aliud, vtrùm eligens minus dignum aliquam teneatur facere restitutionē? De primo non agimus in præsenti, cum iam supra quæstione præcedenti, ar. 2. circa solutionem ad quartum argumentum D. Thomæ, explicuerimus, quod standa in iure communi, & antiquo ad hoc, vt electio sit valida, & firma, nec reuocari possit, regulariter loquendo, non requiritur & electus fuerit dignior, sed satis est, quòd eligatur dignus. Quod etiam docet D. Thom. in hoc articulo in solutione ad tertiū. Dixi regulariter loquēdo, ad vitandas varias opiniones Canonistarum, dicentiū, quod in aliquibus potest reuocari electio, ex eo solum, quòd non fuerit dignior electus. De quibus videndus est Couarruuias, regula, peccatū. par. 2. §. 7. num. 3. Dixi etiam, stando in iure antiquo. Nam secundum ius modernum, si Episcopus eligat in parochum minus dignum, relicto digniori, poterit electio reuocari per Metropolitanum, reuocaturque in praxi dando beneficium digniori relicto, iuxta proprium motum Pij Quinti de hac re specialiter editum, sub anno. 1566. Nec etiā agimus de tertio, cum eodem loco fuerit similiter disputatum, an qui eligit dignū prætermisso digniori teneatur aliquid restituere, responsumque fuerit affirmatiuè: maximè in illis beneficijs, quę oppositione obtinentur. Sed quod quærimus est, an qui eligit minus dignum in ipsa electione peccet mortaliter, peccato acceptionis personarū? Quod quanuis eodem loco fuerit similiter tactum, non tamen fuit ita ex proposito disputatum, sicut disputabitur in præsenti, vbi est proprius locus illius. Et est sermo tā de electoribus, quàm de patronis habentibus ius præsentandi, & de renuntiantibus, vel resignantibus in fauorem alterius, & de confirmante, vel approbante electionem præsentantis, vel resignantis. Non enim est omnium vna & eadem ratio. Non autē loquimur de illis, qui vel eligunt, vel præsentant indignum. Nam hos certum est peccare mortaliter; cùm, vt dicitur in cap. graue nimis. de præbēdis. hoc cedat in magnū detrimentū ecclesiarū, in notabilemq; iniuriā dignorū. Et licèt glossa ibi. verſi. suspendātur. dicat, electionē indigni esse validā, reuocariq; nō posse, nisi alias esset irregularis, cōtrariū est verū, scilicet, ꝙ quānis talis electio nō sit in se irrita, potest tamē, & debet irritari, vt colligitur ex cap. nonnulli. de clericis nō residētibus. & habetur expressè in cōcilio Tridentino, sessione. 7. cap. 1. de reformatione. Vbi etiā renouātur pœnæ in illo cap. graue nimis. impositæ cōtra eligētes indignū. Itaq; tota difficultas huius articuli cōsistit in explicādo, an quādo multi digni concurrūt ad idē beneficium sit peccatū mortale eligere minus dignum digniori relictō? Et pro parte negatiua argumentor. 1. ex Paulo. 1. ad Timotheum. cap. 3. & ad Titum. 1. Vbi de

Explicatur sensus quæstionis.

Puncti difficultatis.

1. argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eligendo in Episcopum, solum dicit, quòd sit prudens, sobrius, pudicus, & doctus; non autem dicit, quòd sit prudentissimus, &c: ergo ex mente Pauli non est necessarium eligere digniorem, sed sat erit eligere dignum. Et confirmatur ex capit. monasterium. 16. quæstione. 7. & ex capit. cum nobis. de electione. vbi dicitur, satis esse, quòd electus non sit malus, & indignus, licèt non sit adeo eminens, sicut cæteri.

2. argum. ¶Secundò: Non tenemur nobis eligere meliora, nec semper facere quod melius est: ergo multo minus tenebimur eligere Ecclesiæ meliores ministros, & vtiliores, modò eligamus conuenientes. Probo consequentiam: Quia secundum ordinem charitatis, magis tenemur prouidere nobis, quam alijs, maximè in rebus spiritualibus. Et confirmatur: Per electionem digni satis prouidetur vtilitatibus Ecclesiæ, si quidem datur minister debitus iuxta rationem stipendij designati: ergo nullum est peccatum

3. argum. in tali electione. ¶Tertiò: Per hoc, quod aliquis dignus eligatur, ad beneficium, prætermisso digniori nulla fit iniuria Ecclesiæ, nec digniori prætermisso: ergo nullum est peccatum. Consequentia est nota, & antecedens probatur, quo ad primam partem, ex eo quòd eligendo dignum datur Ecclesiæ quantum debetur pro ratione stipendij; & quo ad secundam partem, quia dignior non habet ius iustitiæ ad hoc, vt eligatur, aliàs ipsum prætermittés teneretur ad restitutio

Vltimũ argumẽtum. nem, quod Doctores non concedunt. ¶Vltimò: Si conferens beneficium digno prætermisso digniori peccaret mortaliter, sequeretur, quòd electores tenerentur semper exquirere omnium dignissimum, & quòd patroni habentes ius præstandi tenerentur præsentare digniorem, quem possunt habere; & similiter, quòd resignantes, aut renuntiantes beneficium in fauorem alterius, tenerentur semper renuntiare in fauorem digniotis, nec satis esset renuntiare in fauorem digni: imò sequeretur, quod essent iniusta statuta quarundam ecclesiarũ, quibus cauetur, ne eligantur extranei ab illa Ecclesia, vel oppido, vel familia, cum sæpe contingat extraneos esse digniores: hæc autem omnia sunt absurda, & contra cõmunem praxim: ergo.

¶Propter hæc argumenta multi Doctores dicunt, quòd eligentes minus dignum relicto digniori non peccant, saltim mortaliter. Ita tenet glossa super capit. licèt. 8. quæstione ptima, & super capit. constitutis. de appellatio. versiculo magis. & capit. 3. de iure patronatus. & capit. 2. de officio custodis. quam sequuntur alij, vt refert Couarruuias. regula peccatum, parte. 2. §. 7. numero. 3. Fauet etiam aliquo modo huic sententiæ Caietanus in summa. verbo. beneficium. & verbo. electio. & in tantaculo. 12. quæstione. 4. Dicit enim, quòd per se loquendo, non tenentur electores eligere digniorem, quanuis de per accidens ad hoc teneantur sub mortali. Et ratio illius est: Nam beneficium per se loquendo, est onus laboriosum, impohtum beneficiato: excludere autem digniorem ab onere atque labore nullum est peccatum, sed per accidens ratione annexi stipendij, & honoris rẽporalis, quæ secundum iustitiam distributiuam sunt conferenda dignioribus, fit grauis iniuria illis, si prætermittantur; & sic per accidens est peccatum mortale.

Sententia glossæ & aliorum. ¶Sed pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quòd, quanuis in sacerdotalibus muneribus ecclesiasticisque beneficijs ac dignitatibus, quæ ad ecclesiarum oblequia pertinent, potissimum habeatur ratio iustitiæ commutatiuæ, quæ in hoc cõsistit, quòd sunt quædam stipendia atque mercedes datæ ministris pro vigilantia, & laboribus in vtilitatem, & commodũ ecclesiæ impensis, iuxta illud Num. 18. Filijs Leui dedi omnes decimas in possessionem pro

Beneficia sunt stipendia. ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Et paulò inferiùs, de decimis dicitur, quòd sunt pretium pro ministerio, quo sacerdotes seruiunt in tabernaculo testimonij, propter quod Christus Lucæ cap. 10. cùm Apostolos tanquam messores, & operarios dimitteret in orbem, subiũgit: In eadem autem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Quasi significans sustentationem ex iustitia commutatiua sibi deberi; siquidem redditio mercedis ad hanc iustitiam pertinet. In quã etiam sententiam dixit Paulus. 1. ad Corint. 9. Neminem suis stipendijs militasse vnquam, citans illud Deuteronomij. 25. Non alligabis os boui triburanti, affirmansque propter nos id fuisse scriptum. Vnde subdit: Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est carnalia vestra metamus? Quibus verbis commutatiuam iustitiam insinuari, nemo est qui ambigat. Et prima ad Timotheum quinto. Qui bene, inquit, præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt. Non dixit: Qui boni sunt, nequis falleretur, existimans personis ipsis ob sua merita per iustitiam tantum distributiuam honores ac præbendas debe-

ri: sed

ri: sed, qui bene præsunt, vt disceremus beneficium dari potissimum propter officium, ad modum iustitiæ commutatiuæ, iuxta verbum eiusdem in eodem loco, qui in sacratio operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altario deseruiunt cum altario participant. Itaque est veluti quidam contractus ad iustitiam commutatiuam pertinens inter Ecclesias, ex vna parte, & beneficiatos & ministros ex alia. Illæ præstant stipendia & honores pro ministerijs, & illi obligant se ad exhibenda conuenientia officia pro præmijs acceptis, à quibus si defecerint peccabunt contra iustitiam commutatiuam, & erunt obnoxij restitutioni. Sed quanuis potissimum in his beneficijs habeatur ratio iustitiæ commutatiuæ, vt modò dicebam, negari non potest, nec debet, quin etiam sacerdotia & Ecclesiasticæ præfecturæ specimen habeant bonorum cõmunium, benemeritis Ecclesiæ iuxta illorum dignitatem, & excellentiam, secundum rationem iusticiæ distributiuę, conferendorũ, vt latè probatum est ar. 2. quæstionis præcedentis, circa solutionem ad quartum argumentum D. Thomæ.

1. cõclusio. ¶Hoc constituto ad explicationem difficultatis sit prima conclusio: Eligere minus dignum, relicto digniori ad beneficia, quæ habent annexam curam animarum, vel aliã gubernationem perpetuam, per se loquendo, est peccatum mortale. Dixi notanter, ad beneficia, quæ habent curam animarum annexam, nam de alijs non est ità certum. Imo Soto libr. 3 de iustitia, quæstione. 6. ar. 2. generaliter dicit, non esse peccatum mortale prætermittere digniorem in prouisione illorum beneficiorum, quæ nec habent annexam curam animarum, nec gubernationem perpetuam. Quia in ordine ad hæc adeo parum requiritur de dignitate personæ, vt omnes, qui sunt digni, sint fere æque digni. Cuius sententiam ego verã existimo: saltem in ijs, quæ sine concursu prouidentiæ. Nam in canonicatibus, & alijs beneficijs, ad quæ plurium oppositorum numerus concurrit, non dubito esse peccatum mortale, prætermittere notabiliter digniorem: cùm grauis ei fiat iniuria, in hoc, quòd impeditur à consequutione eius, quod secundum statuta Ecclesiæ sibi debetur. Dixi etiam, per se loquendo: nam per accidens bene poterit contingere, quòd non sit peccatum mortale eligere minus dignum etiam ad beneficia curata, relicto digniori, scilicet, vel ratione ignorantiæ, vel quia Episcopus longa experientia est certus eum, quem eligit, esse satis dignum. Tunc enim, licèt alter appareret dignior, de quo non est ita certus, sine peccato mortali posset eligere minus dignum; cum certum secundum prudentiam præferendum sit dubio. Similiter non erit peccatum mortale præferre minus dignum, quando excessus dignitatis est paruus: quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. In omnibus alijs casibus semper quòd præfertur minus dignus digniori, est peccatum mortale acceptionis personarum, vt dicitur in prædicta conclusione. Quã tenent cõmuniter omnes Doctores, D. Tho. hic in solutione ad tertiũ, & infra q. 185. arti. 3. & quodl. 4. arti. 15. & quodl. 6. ar. 9. & super. 21. c. Ioã. lectio. 3. Alexander Alensis. 2. p. q. 119. membro. 1. Summa Angelica. verbo. acceptio personarũ. §. 6. Altisiodorensis lib. 2. tract. 33. cap. 3. art. 4. Syluester. verb. restitutio. 3. §. vltimo, & verbo. acceptio personarum. §. 2. Maioris in. 4. d. 24. q. 3. Adrianus in materia de restitutione. in peculiari quæst. de collatione officiorum, & beneficiorum Ecclesiæ. Qui citat pro eadem Hostiensem, Ioannem Andreæ, Archidiaconum, & Laurentium. Eandẽ tenet D. Antoninus. 2. p. tit. 1. cap. 20. §. 1. Gabriel in. 4. d. 15. q. 7. ar. 3. dub. 2. conclusione 2. & Caietanus hic & in summa, verbo. acceptio personarum. Soto lib. 3. de iustitia. q. 6. art. 2. conclusione. 9. Couarruuias in regula peccatum, part. 2. §. 7. numero. 3. qui plures alios Canonistas citat pro eadem sententia. Et est mirum, quòd fere omnes Episcopi tenent contrariam, illique in praxi adhærent, quanuis fere nullus sit, qui eam sequatur, adeò potens est vitium acceptionis personarum. Possem ad hanc sententiam probandam plures & efficaciss. as afferre rationes, nisi ille à nobis articulo secundo, quæstionis præcedentis circa solutionem quarti argumenti Diu. Thomæ in probatione primæ conclusionis fuissent adductæ. Quare pro nunc solum sufficiat, quòd, nisi in dispensatione beneficiorum haberetur exacta meritorum ratio, nemo esset, qui literarum studia sequeretur, nemo, qui alijs imbueretur moribus. Ex quo quanta detrimenta Ecclesiæ Christi succreuerint, hæresum pestes, & animarum pericula testantur. Preterquam quòd illa virtus, quæ iubet seruare in præmijs proportionem, quæ est in meritis, admonet subinde, vt optimus qui rationabili diligentia inueniri potest cæteris præferatur. Facere autem cõtra iustitiam ex genere suo est peccatũ mortale, vt docet D. Tho. in hac 2. 2. q. 59. ar. 4. Videte de hac re Inno. in cap. dudum el. 1. de electione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. cõclusio. ¶Secunda conclusio: In collatione beneficiorum non tenetur quis eligere digniorem, qui metaphysicè potest haberi, sed qui moraliter & commode secundum statuta & leges iustas vniuscuiusque Ecclesiæ inuenitur. Itaque vbi est statutum, vt eligatur aliquis ex concurrentibus ad examen intra certum tempus publico edicto designatum, non tenetur electo r, imò nec potest, eligere digniorem, qui non concurrat; sed debet eligere digniorem ex illis, qui intra id tempus fecerint oppositionem: iam enim illi habent ius, vt sibi, & non alijs, beneficium conferatur. Si quis autem quærat, an istæ, & similes leges sint iustæ? respondeo, quòd semper debent præsumi iustæ, quando fuerint consuetudine receptæ, & prælati non contradicunt. Maximè, si iure communi approbentur, vt videtur approbari consuetudo de non eligẽdis extraneis ab ea Ecclesia, cuius est beneficium, vt cõstat ex Epistola secunda Cælestini Papæ ad Episcopos Galliæ ca. 5. & ex beato Leone Epistola. 82. cap. 5. & ex beato Gregorio, vt habetur in cap. nec emeritis, & in cap. nullus inuitis, & in cap. obitum. 61. distinct. Vbi habetur, quòd non ordinetur Episcopus extraneus, quando ex clericis eiusdem Ecclesiæ reperitur aliquis dignus. Specialiter etiam habetur hoc ipsum in cap. in nomine Domini. 23. dist. de electione summi Pontificis. Vbi dicitur, quòd solum is eligatur ex clericis Romanæ Ecclesiæ. Imo in cap. oportebat. & in cap nullus. 79. distinctione, expresse dicitur, quòd nemo promoueatur ad pontificatum, nisi ex Cardinalium collegio, si ibi fuerit repertus aliquis idoneus. Vnde miror, quòd Soto dixerit, nullam esse legẽ quæ præcipiat non eligere summum Pontificem, nisi ex collegio Cardinalium. Verũ est, quòd ista decreta non ità obligant Cardinales, vt ex rationabili causa non possint eligere in Pontificem aliquem non Cardinalem, vt sæpe fuit factum.

1. Corolla. ¶Ex dictis infero primò, regulariter loquendo, non teneri electorem, quærere digniorem inter eos, qui iam fuerint alijs Ecclesijs eiusdem ordinis deputati, cum isti non commode possint à suis Ecclesijs passim dimoueri. Imo Euaristus Papa in Epistola secunda, ad Episcopos Ægypti, quæ refertur in cap. sicut vir. 7. q. 1. dicit, Episcopos non esse mutandos ab vna Ecclesia in aliam absque ingenti necessitate. Tùm ne detur occasio ambitioni: tum etiam, vt Ecclesiæ perfectius seruiatur. Dixi regulariter loquendo; nam ex rationabili causa bene poterit Episcopus mutari ab vna sede in alteram, vt dicitur in cap. mutuationes, eadem causa & quæstione. Imò poterit contingere casus, in quo electo r teneatur eligere digniorem ad vnam Ecclesiam, etiam ex illis, qui in alijs minoris momenti fuerint occupati. Sed hæc omnia electoris prudentiæ relinquuntur. 2. Corolla. ¶Infero secundo, quòd si contingat simul vacare duas Ecclesias, vel Episcopatus, quorum vnus est pinguior in redditibus, & alius magis indigens cura pastorali, non erit dignior eligendus ad pinguiorem Episcopum, sed ad eum, qui magis indiget, vt notat bene magister Soto lib. 3. de iustitia. q. 6. art. 2. circa. 9. conclusionem. In his enim electionibus potius est habenda ratio profectus animarum, quam redditum temporalium, cũ finis principalis electoris non debeat esse ditare, vel præmiare electum, sed prouidere maiori necessitati animarum, vt diximus in superioribus.

3. Corol. ¶Infero tertiò, quòd quando sunt plures electores, & electio fit ad plura suffragia, si contigerit rem eo esse deuolutam, vt aliquis electorum sit certus quòd dignior non eligetur, etiam si ipse ei suum suffragium præstet, & ex altera parte est probabile periculum, quòd ipso suffragante pro digniori ea pars præualebit, quæ vult eligere omnino indignum; poterit tunc ad obuiandum electioni indigni; imò tenebitur præstare suffragium digno, relicto digniori; si sit aliqualis spes, quòd eo modo electio indigni euitabitur, & eligetur dignus. Et est hoc verũ adhuc, si iurauerit se electurum digniorem. Semper enim iuramentum est intelligendum, supposito, quòd possit illum eligere, habita ratione maioris vtilitatis Ecclesiæ, quæ semper præ oculis est habenda.

3. Cõclusio ¶Tertia conclusio: Id quod diximus de electoribus, dicendum est etiam de patronis habentibus ius præsentandi, scilicet, quòd tenẽtur sub mortali præsentare digniorem inter illos, qui secundum leges, & statuta iusta talis patronatus, præsentari possunt. Hæc conclusio probatur ex concilio Tridẽtino, sessione. 24. cap. 1. de reformatione. Vbi generaliter dicitur, omnes qui habent quodcunque ius ad præsentationem Episcoporum, teneri sub mortali, procurare diligenter, vt dignior promoueatur. Et in ca. 18. de patronis Ecclesiæ. dicitur, teneri similiter, præsentare digniores ad parochiales Ecclesias. Et ratio est manifesta: Nam omnia incommoda, quæ sequũtur ex eo, quòd electores non eligant digniorem, sequuntur etiam ex hoc, quod patroni non præsentẽt digniorem. Et item: Nam etiam patroni suo modo sunt dispensatores bonorũ Ecclesiæ, ipsiſ-

ipsiſque incumbit de ministris prouidere. Quicunq; autem principis œconomus, & dispensator, qui quos potest optimos seruos eodem stipendio in seruitium domini sui, non adducit, reus profecto erit, aut effractæ
1. Arg. con tra 3. conclusionem. fidei, aut neglectæ prudentiæ. ¶Sed contra istam conclusionem est argumentũ desumptum ex cap. monasterium. 17. q. 7. vbi dicitur, quòd qui monasterium, vel oratorium canonicè construxerit ex suis bonis, poterit ei præficere presbyterum, quem voluerit, dummodo malus non extet. Et in Concilio Tridentino loco proximè citato, cùm de patronis ecclesiasticis dictum fuisset, quòd tenentur digniorẽ præsentare, à patrono laico solum exigitur, quòd præsentet idoneũ: ergo saltim loquendo de laicis patronis dicendum erit, quòd non tenentur sub morta li præsentare digniores, sed satis erit præsen
2. Argum. tare dignos. ¶Et ratione sic argumentor: Patronus laicus ideò habet ius præsentandi, vel quia construxit, vel quia dotauit ecclesiã ex proprijs bonis: ergo, sine vllo peccato poterit applicare redditus, & præfecturam illius ecclesiæ, cui voluerit, dummodo sit dignus, & idoneus. Probo consequentiã: Nam quilibet est rei suæ moderator & arbiter, potestq; de illa prout voluerit disponere, sine vitio acceptionis personarum, & sine aliqua iniustitia, maximè cum nulla fiat iniuria ecclesiæ, siquidem illi datur minister dignus, non ex bonis ecclesiæ, sed ex bonis patroni alendus, & sustentandus. Et quod dicimus de patrono dotante, vel construẽte per se ipsum ecclesiam, videtur etiã dicendum de hæredibus, qui in eodem iure succedunt. ¶Propter hæc argumenta, & si-
Sententia aliquorum milia Cæsar Lambert. 2. de iure patronatus. p. 1. q. 10. art. 5. num. 17. cum nonnullis Canonistis affirmat, patronos non teneri præsentare digniorẽ, sed sat esse præsentare dignũ. Et, vt ingenuè fatear, videtur mihi hæc sententia valde probabilis, loquendo de illis patronis laicis, qui ideò habẽt ius præsentandi, vel quia construxerunt, vel quia dotauerunt ecclesiam. Nam de illis, qui hoc priuilegio gaudent ex sola summi Pontificis concessione, non est cur alio modo loquamur, quam de ipso summo Pontifice. Quanuis & probabilius & securius existiment affirmare, vniuersaliter de omnibus, quòd semper tenentur præsentare digniorem, vt affirmant Couarruuias Soto & alij communiter.

Ad. 1. arg. ¶Et ad primum argumentum respondetur, quòd iura illa solum probant præsentationem minus digni validam esse, recipiendamque in foro exteriori, quo ad patronos laicos, vt dicemus in. 4. conclusione. Cùm hoc tamen stat, quòd ipse patronus in conscientia peccet mortaliter præsentando minus dignum. ¶Ad secundum respondetur, Ad. 2. arg. quòd licèt ecclesia fuerit dotata ex bonis patroni, tamen postquam iam illa bona trã fierunt in ius & potestatem ipsius ecclesiæ ratio postulat, vt dispensari debeant secundum quod ad maius bonum ipsius fuerit expediens. Ea enim lege fuetunt acceptata ab ecclesia saltim virtualiter, & interpretatiuè.

Quæstio. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an possit patronus fundans, vel dotans ecclesiam instituere, quòd eius beneficium semper cõferatur alicui ex sua familia, & non alijs etiã digniori bus, dũmodo in sua familia dignus reperiatur? Soto lib. 3. de iustitia. q. 6. art. 2. Sententia in solutione. 2. argumenti contra. 9. conclu Soti. sionem dicit, quòd si institutio illa habet annexam curam aliquam animarum, vel gubernationem, tunc iniquissima est, & non ferenda quatenus obstat, vt dignior eligatur. Vnde si quis prouentibus suis monasterium fundaret eo vinculo, vt Prior, vel Abbatissa nõ nisi ex suo genere, aut patria crearetur, non deberet ea lex in contumeliam Euangelij seruari. Secus autem esset si institutum beneficium non haberet curam animarum, vel gubernationem annexam: Nam tunc satis esset inter designatos, & vocatos digniorem eligere, vt visus, & ratio proclamant. Quia cum tali institutori ac fundatori ex munere & officio suo non incũbat distributionem facere, & illa sint sua bona, nõ stringitur rationem habere dignioris. Sed melius dicendum existimo cùm Couarruuias loco citato, tale statutum posse fieri de consensu ecclesiæ, etiam si beneficium habeat curam, aut gubernationem annexam. Nam, cùm illud præsupponat esse semper ecclesiæ præficiendum dignum, nulla ei aut subditis irrogatur iniuria. Quare possit acceptationẽ, & consensum ecclesiæ licitum erit patrono eligere ex sua familia, etiam si extra illam sint multi alij digniores; dummodò in sua familia sint digni, & inter illos dignior eligatur. Nec obstat cap. adducerem. de institut. vbi reprehenditur grauiter Patriarcha Constantinopolitanus, quòd solos Venetos præficeret ecclesijs Constantinopolitanis, alijs nationibus neglectis. Nam ille Patriarcha hoc faciebat propria autoritate, & non iure aliquo patronatus, nec de consensu ecclesiæ, aut aliquo præcedente pacto cum illa. Facit etiam pro hac sententia, quòd ipse Soto loco citato maximè laudat leges, quæ præcipiunt, vt ad beneficia patrimonialia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non nisi ciues, aut qui tali oppido sunt oriũ di recipiantur, etiam si præstantiores aliun de aliquando acciri possent. Imò dicit id etiam deberi sanciri in beneficijs saltem parochialibus, quibus annexa est animarum cura, vt in Concil. Trident. ipso præsente fuit consultatum; cum non sit maior ratio de his, quam de illis.

4. Concluſ. ¶Quarta conclusio: Beneficiati, qui de licentia summi Pontificis resignant, vel renũtiant sua beneficia in fauorem alicuius, non tenentur quærere digniorem, sed sat erit resignare in fauorem digni. Hæc conclusio est Caietani in summa, verbo, beneficium, quem communiter sequuntur Doctores. Et probatur ex communi stylo, & praxi, qua constat Papam in his renuntiationibus solùm petere, vt promouendus sit dignus. Et ratio est: Nam cùm tale beneficium non cõferatur, vt bonum commune, sed tanquam iam approbatum ipsi renuntianti, absq; vitio acceptionis personarum poterit conferri cuicunq; digno renuntians voluerit. Et præterea: Quia cum iste, qui habet beneficium, possit licitè non ampliùs laborare, quàm ille dignus, quem sibi substituit, sit laboraturus, nullam facit iniuriam ecclesiæ in tali renuntiatione. Si autem renuntians in tali collatione peccaret, id necessario esset, vel quia facit iniuriam ecclesiæ, vel alijs dignioribus. Sed est aduertendum, quòd istę renuntiationes in fauorem alicuius certæ personæ factæ hac tempestate ab Episcopis admitti non possunt, sed à solo summo Pontifice. Et si Episcopus virtute talis renuntiationis beneficium prouideret, prouisio esset nulla, censereturq; beneficiũ totaliter vacare, vt patet ex proprio motu Pij. V. de hac re edicto anno. 1567. Non sunt etiam similes renuntiationes facilè admittendæ, maximè cum regressu post vitam præsentis possessoris, quia imaginem præseferunt hæreditariæ successionis, quæ longissimè ab Ecclesia exulare debet, tanquam propria antiquæ synagogæ, vt bene aduotat Hormisda Papa in quadam epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Hilarius Papa in quodam concilio Romano ab ipso celebrato cap. 5. & Alexander. I I I. in cap. ad hæc. de decimis. Quibus consonat cap. apostolica. 8. q. 1. & cap. consuluit. de iure patronatus. Quare in cõcilio Tridentino, sess. 25. cap. 7. de reformatione grauissimè cauetur iste abusus sub his verbis: Cùm in beneficijs ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & patrum decretis contraria, nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu ad beneficium ecclesiasticum cuiuscunque qualitatis concedatur.

Nota pro renũtiationibus beneficiorum.

5. Concluſ. ¶Quinta conclusio: Illi, ad quos pertinet confirmare, instituere, vel approbare presentatum à patrono; si præsentatus fuerit dignus tenetur eum admittere & confirmare. Ità habetur expresse in cap. pastoralis, de iure patronatus, & in Concil. Trident. sessio. 24. cap. 18. de reformatio. Si autem præsentatus fuerit omnino indignus, tenentur illũ repellere. Et si præsentati fuerint plures, tenentur ex illis digniorem eligere. Quod est intelligendum quando patronatus est secularis. Nam si sit ecclesiasticus obligatur præsentare digniorem; & si præsentet minus dignum non debet admitti, vt in eodem concilio dicitur. Cuius verba sunt, quæ sequuntur: Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque illi, & non alteri collatio ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero iuris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non aliũ pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicauerit Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur. Quod si ius patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à patrono præsentatus fuerit, ab eius deputatis vt supra examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.

Ad. 1. arg. in principio dubitationis factum. ¶Ad primum argumentum respondetur, Quòd licèt Paulus non faciat expresse comparationem in illo loco, ex modo tamen loquendi illius, satis clarè colligitur eligendũ in Episcopum debere esse inter alios conspicuum, & dignissimum. Maximè cum dicat, debere esse irreprehensibilem, sine crimine, bonumq; habentem testimoniũ, etiã ab his, qui foris sunt; quod nisi præstantissimis conuenire non potest. Ad confirmationem respondetur ex illo cap. monasterium. solum colligi, quòd præsentatio digni facta à patrono valida est, & recipienda in foro exteriori, vt nos etiam diximus in. 5. conclusione. Loquitur enim particulariter textus solum de illis, qui oratorium, vel capellaniã instituerunt; qui poterunt ei præficere quẽcunq; presbyterum voluerint, modo malus non existat. Nec est cur Hostiensis & Abbas ex hoc disimillimo textu argumentum trahant ad probandum in omnibus distributionibus bonorum communium ecclesiæ satis esse eligere dignum, cùm nulla de hoc ibi fiat mentio. ¶Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Quilibet enim potest cedere iuri suo, & non potest cedere iuri ecclesiæ, & digniorum: maximè quando ex iustitia

iustitia tenetur illis consulere. Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Fidelitas enim Ecclesiæ debita, eiusq; statuta in re tam graui obligare sufficiunt sub mortali ad eligendum ministrũ digniorem.

Ad. 2. arg.

¶Ad tertium argumentum respondetur, quòd quanuis per electionem minus digni prætermisso digniori non violetur iustitia commutatiua, nec in ordine ad ecclesiã, nec in ordine ad digniorem, violatur tamẽ iustitia distributiua, quæ disponit, vt beneficia singulis pro vniuscuiusq; dignitate cõferantur. Et hoc satis est, vt inducatur culpa mortalis, & obligatio ad restitutionem, vt diximus quæstione præcedenti art. 2. Præterquàm, quòd sic distribuens facit contra fidelitatem ecclesiæ debitam in re grani, vt sæpè est insinuatum.

Ad vltim. argum.

¶Ad vltimum ex dictis patet solutio. Iam enim est declaratum qualiter electores diligenter tenentur inquirere digniorem, quantum commodè & moraliter ad arbitrium boni viri fuerit possibile. De patronis autem, & de præsentantibus, ac resignantibus, & confirmantibus, iuxta vniuscuiusque munus, erit distinguẽdum, ad modum, quo nos in cõclusionibus distinximus: hoc vnum pro certo & indubitato habentes, quòd nunquam est licitum nec eligere, nec præsentare, nec confirmare indignum; quantumcunq; quis de sua substãtia, velit talem ministrum instituere. Nemo enim nec ex suis facultatibus licitè potest contra ius naturale, & diuinum sacer dotium creare. Et hæc dicta sint de ista difficultate.

Aliud dubium.

¶Est aliud dubium consequens ad præcedens, vtrùm conferre eidem plura beneficia sit peccatum acceptionis personarum, aut ea retinere sit licitum? Non censentur autem plura beneficia in proposito illa, quę sunt annexa, vel ità perpetuo vnita, vt vnũ ab alio depẽdeat, siue vnio facta fuerit propter tenuitatẽ, siue propter alias iustas causas, de quibus est videndum capitulũ vnio. 10. q. 1. & cap. Episcopis. 16. q. 1. & cap. sicut vnire. de excel. prælat. & Concil. Trid. sess. 21. cap. 5. & sess. 24. cap. 13. de reformatione. Pro cuius difficultatis explicatione aduertendum est primò, quòd beneficiorũ pluralitas absolutè & generaliter loquẽdo, est res valde suspecta, atq; reprobata in iure canonico propter multa inconuenientia, quæ secum affert, vt est videre in cap. quia in tantum, de præbendis. Vbi dicitur, hanc pluralitatem esse canonibus inimicam, vtpotè, quæ dissolutionis, & diuagationis materiam inducit; certumq; continet animarũ periculum. Et in extrauaganti. execrabilis. de præbendis. habetur, quòd inter alia incõmoda, quæ ex beneficiorum pluralitate sequuntur, hæc etiam proueniũt. Primò, quòd vnus & forsan indignus ad vnum officium vendicat sibi plurimotum, qui mendicare coguntur, stipendia; cum tamen illi essent magis literati, & probi. Secundò, quòd paratur diuagandi materia. Tertiò, quòd diuinus cultus minuitur. Quartò, quòd hospitalitas in ipsis beneficijs debita non tenetur. Quintò, quòd deseruntur ecclesiæ, & patẽt ruinis, sine defensore. Sextò, & quod, vt ibi summus Pontifex dicit, amarius est dolendum, quòd animarum cura negligitur. Ac tandem vt dicitur in Concil. Trid. sess. 24. cap. 17. quòd hac vna via vniuersus ecclesiæ ordo peruertitur. Cæterùm, licèt ista pluralitas habeat semper speciem mali propter inconuenientia prædicta, non tamẽ est adeò intrinsecè mala contra ius naturale, & diuinum, quin multis & rationabilibus de causis possit honestari, & licita fieri, vt omnes Doctores fatentur, & constat ex iure, quod non solum eam permittit, sed etiã positiuè. & expressè in aliquibus casibus illam concedit. Propter quod Magister Soto lib. 3. de iustitia. q. 6. art. 3. supposita quadã D. Thom. distinctione, qua triplex actionũ ordo distinguitur; primus earum, quæ deformitatem habent inseparabilem, vt mendacium. Secundus earum, quæ sunt indifferentes, vt deambulare. Tertius earum, quæ licèt per se nudè, & absolutè consideratę deformitatem quandam repræsentent, circunstantijs tamen vestitæ licitè fieri possunt, vt hominem occidere, quod iudici & defendẽ esse licet; affirmat, quòd pluralitatem beneficiorum habere non est res primi ordinis, siquidem in eo humana iura aliquando dispensant; nec etiam secundi, cũ non sit per inde indifferens habere plura beneficia, ac habere plures vestes. Cùm hoc absolutè cõsideratum nullam implicet, aut malignitatem, aut indecentiam: illud autem, si nudè spectetur, statim sonet quandã ordinis peruersitatem. Tum, quia ratio docet, vt vnicuiq; ministerio suus propriè deputetur minister. Tum etiam, quia cultus diuinus detrimentum patitur. Sed est res tertij ordinis, quæ, scilicet, licet, per se & absolutè cõsiderata in malum sonet, potest tamen talibus circunstantijs vestiri, ac exornari, vt fiat licita; sicut de facto exornatur in multis casibus, quorum sex referuntur in gloss. 21. q. 1. in princip. quam sequitur Soto loco citato & magna ex parte Syluest. verbo, beneficium. 4. & Gabriel in. 4. dist. 15. q. 8. art. 3. dub. 2. Sed parum ordinatè, nec omnino verè isti

Beneficiorum plura habere ex genere suo est multum suspecta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rè isti casus ponuntur: & idcircò eos prætermittendos censeo. Maximè, quòd ex ijs, quæ dicturi sumus meliùs constabunt.

Inter bene ficia quædã requirunt personalem residentiã, & quædam non.

¶Secundò est aduertendum, quòd ex beneficijs ecclesiasticis quædam sunt, quæ habent annexam curam animarum, vt Episcopatus, beneficia curata, aliæque dignitates similes. Et hæc omnia ex iure diuino requirunt personalem residentiam, vt latè docet D. Thom. infra. q. 185. art. 5. Alia beneficia sunt, quæ licèt non habeant annexam curã animarum, requirunt tamen personalem residentiam, saltim ex iure canonico. Cuiusmodi sunt canonicatus & aliæ dignitates ecclesiarum cathedralium, & collegalium: & etiam illa beneficia, quæ vulgo appellantur, beneficios seruideros. Et quoniam quantum ad obligationem personalis residentiæ in huiusmodi beneficijs non potest assignari regula generalis, standum erit statutis, & consuetudinibus receptis vniuscuiusque ecclesiæ. Alia demum beneficia sunt, quæ nec habent curam animarũ annexam, nec aliquam requirunt residentiam. Qualia sunt simplicia sacerdotia, quæ vulgò præstamerias, dicuntur. Sub quo etiã nomine comprehenduntur capellaniæ, sub certo titulo solenniter ab episcopo collatę, vt bene notat Sylvest. verbo, beneficiũ. 4. 9. fin. cum gloss. in Clement. 2. de decimis, & alijs.

¶ His constitutis ad explicationem difficultatis sit prima conclusio: Non licet conferre alicui plura beneficia curata, quorum quodlibet requirat residentiam, aut collata retinere sine legitima dispensatione. Itaq; dico, quòd episcopatus & parochiæ, & id genus sacerdotia in animarum curam instituta, vsque adeò non possunt absque legitima dispensatione ab eadem persona obtineri, vt illa conferens, & etiam Papa sine legitima causa dispensans grauiter delinquat: nec eius delictum excusat ambientem, obtinentem, & retinentem à culpa; sed tenetur in conscientia talia beneficia resignare. Hęc conclusio non solùm est sententia D. Tho. quodl. 9. artic. 15. & Adriani in depluralitate beneficiorum, verum & sacri canones id insinuant, vt patet ex cap. ad hæc. & ex cap. de multa. de præbendis. & ex cap. quia non nulli. de clericis non resident. & ex extrauaganti Ioann. 22. de præbendis, quæ incipit, execrabilis, & magis copiosè ex Concilio Tridentino, sessione. 7. capit. 4. & sessione 24. capit. 17. Vbi dicitur, quòd talia beneficia non possint retineri sine per viam vnionis ad vitam, siue commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine, & quòd

1. Conclus.

habens vnum beneficium requirens residẽtiam, si obtinet alterum eiusdem generis, sit ipso iure priuatus primo, &c. Et quidem, quòd conferens talia beneficia, seu Papa in illis dispensans, sine legitima causa grauiter peccet, probatur primò ex Paulo, qui prælatos ecclesiæ non dominos, sed dispensatores solitus est appellare, dicens: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Et subdit statim: Hic autem iam quæritur, vt inter dispensatores fidelis quis inueniatur. Imò Christus Luc. 12. etiam dixit: Quis putas est fidelis dispensator, & prudens? Certum est autem, quòd nullibi tanta fides exigitur, quàm in committendis concredendisque animabus illius curæ, qui præsens semper gregi suo prospiciat. Quare qui contrarium fecerit, plura beneficia curata eidem tribuens sine rationabili causa, quòd grauiter delinquat, erit necessarium. Et propter hoc D. Bernard. libro. 2. de consideratione, ad Eugenium, capit. 6. dicebat, potiùs Pontificem summum, qui spiritualis est, omnes iudicans & à nemine iudicatus, debere non sua voluntate pro lege vti, sed Christum præ omnibus imitari; qui non suam, sed patris voluntatem venit facere, vt omnia non pro sua voluntate, sed pro communi commodo dispenset; aliàs, vt dissipator erit censendus. Et ratione sic argumentor: Sacerdotia, quæ habent curam animarum annexam rectè nequeunt sine præsentia administrari, tanta est vigilantia animabus curandis, ac prospiciendis necessaria: sed nullus potest simul residere in pluribus ecclesijs: ergo sine vrgentissima causa eaque ecclesiæ necessaria, nec etiam poterit citra graue crimen super hoc dispensari. Præterquam, quòd est manifesta acceptio personarum, plura beneficia, sine legitima causa intuitu carnis, aut consanguinitatis, aut alio titulo impertinenti eidem conferre. Acceptio autem personarum ex genere suo est peccatum mortale. Sed quòd nec ille, cui plura curata beneficia sine causa legitima fuerint collata, possit illa in conscientia retinere, probatur: Nam si summus Pontifex non est dominus, sed dispensator, vt diximus; & iniqua dispensatio non dispensatio, sed dissipatio est dicenda, manifestè sequitur, quòd qui iniquam petit dispensationem iniquitatis etiã est causa; & qui ea vtitur eadem semper irretitur iniquitate. Dicunt nonnulli huiusmodi dispensatum esse tutum in conscientia, quia potest vnam ecclesiam per se ipsum, & alteram

alteram per idoneum vicariũ supplere. Sed hæc ratio est insufficiens. Nam cum beneficium intuitu personæ ob suam, scilicet, dignitatem vnicuique conferatur, & hæc per pauperem mercenarium suppleri non possit, vt optimè docent Hostien. & Panorm. super cap. extirpandæ. de præbendis, sit, vt non sit tutus in conscientia, qui per vicarium ecclesiam sibi commissam gubernat. Maximè cum huiusmodi vicarij maiori ex parte sint indigni. Et si sunt digni, vt locũ habeant mercenarij, non tamen sunt digni pro ratione fructuum beneficij. Soluit ecclesia stipendia iusta & sufficientia pro viro docto, & graui, qui si præsens adesset suis eleemosynis, consilijs, & autoritate plurimum suo gregi proficere posset; & sic non sit ei satis ad æqualitatem, quando vicarius ad nihil horum valens tribuitur. Præterquàm, quòd, vt dicit Christus, mercenarius, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, vidit lupum venientem & dimittit oues, & fugit. Quibus verbis apertissimè declarat esse latissimum discrimẽ inter proprium pastorem, & mercenarium, quantũ attinet ad id, quod est ouium vtilitati & cõmodo prospicere. De hac re vide Syluestr. verbo, beneficium. in. 4. num. 4. Ex hoc infertur, quòd qui sine legitima causa fuerint à Papa dispensati, vt habeant plura beneficia curata, non debent absolui, quoad vsq; vno solo retento aliorum faciant resignationem. Ità tenent D. Thom. Panormit. Syluest & alij. Quin potius addiderim, quòd si dispenset cum aliquo, vt habeat beneficia simplicia, in tanta multitudine, vt longè excedant congruam sustentationem, iuxta exigentiam, & qualitatem personæ, nec etiam iste erit absoluendus, donec illa relinquat. Quia hoc est contra naturam & institutionem horum beneficiorum: atq; adeo contra ius naturale, & diuinum, vt optimè docet Nauarro ex mente plurium aliorum in Manuali cap. 25. num. 129. Caietanus in Sum. verbo, beneficium, dicit, non esse facile de negandam absolutionem dispensatis à Papa super pluralitate beneficiorum, etiam curã animarum habentium, quanuis dispensatio fuerit facta sine rationabili causa. Quia licet dispensatio sit mala, tamen postquam facta est, tenet, sicq; dispensatus solum manet obligatus prouidere sufficienter curæ animarum per se ipsum, vel per vicarium. Sed hæc sententia est falsa, vt ex supradictis paret. Maximè quantum ad beneficia curata. Nam de beneficijs simplicibus in excessiua multitudine obtentis forsan posset eius opinio admitti, dummodo qui illa retinet pie expendat redditus in vsus pauperũ, iuxta opinionem Cardin. supra Clem. gratiæ de rescript.

¶Secunda conclusio: Per legitimam dispensationem bene potest quis plura beneficia curata obtinere, nec sic dispensans aliquod peccatum committit. Hæc conclusio recipitur communiter ab omnibus, constatq; manifestè ex iure. Sed est aduertendum, quòd ad hoc, vt dispensatio sit legitima debet semper rationabilis causa interuenire. Causæ autem rationabiles huiusmodi dispensationis possunt reduci ad tres. Prima est, necessitas ipsarum ecclesiarum. Quãdo, scilicet, propter paucitatem ministrorũ idoneorũm, ne ecclesiæ vacent & iacturam patiantur, vni, & eidem plures dantur, vt constat ex cap. clericus. 21. q. 1. de quo multa Hostien. in cap. graue de præbendis. Secunda causa, est necessitas personæ. Quando, scilicet, redditus sunt adeo tenues, vt nõ sufficiant honestæ sustentationi, iuxta qualitatem personæ, vt notant Doctores in cap. de multa. de præbendis. Vbi dicitur, quòd circa sublimes, & literatas personas poterit autoritate apostolica prouideri, vt habeant plures dignitates, vel beneficia, etiam curata. Ad idem etiam pertinet, quòd in Extrauaganti citata. de Cardinalibus, & filijs Regũ, aliorumq; principum, dicitur, scilicet, quòd debẽt in hac parte maiori prærogatiua gaudere. Verum tamen est, quòd in Concilio Trident. sess. 24. cap. 15. & 17. non videtur admitti, quod pro necessitate cuiuscunque, siue episcopi siue Cardinalis dẽtur sibi plura beneficia, quæ residentiã requirant. Sed dicitur, quòd eorum necessitas ex alijs beneficijs simplicibus, vel alia via suppletur. Tertia causa, est pia vtilitas. Quando, scilicet, est valde vtile, commodumq; ecclesijs, vt plures commendentur eidẽ propter eminentem scientiam, probitatem, industriam, nobilitatem, & alias egregias eius animi dotes; quarum ratione certum est, quòd plus ipse absens, quã alius præsens ecclesijs proderit. Qua de causa dispensatum legimus à D. Gregorio cum quodam Archiepiscopo Tarroconensi, vt simul esset episcopus Fundensis, vt constat ex cap. relatio. & ex cap. illud. 21. q. 1. Ad hanc etiam causam, quantum ego arbitror, debet reduci quod dicitur in cap. de multa. de sublimibus, & literatis personis, quòd maioribus beneficijs sunt exornandæ. Hoc enim non ad illustrium cõmodum, sed ad ecclesiæ splendorem est referendum: quæ dum erat in cunabilis potentiaq; seculari premebatur, opus habebat, vt illustrium viribus fulciretur: & ob id, vt aliquantò

2. Conclus.

Causæ propter quas dispensari potest, vt quis habeat plura beneficia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quantò plus stipendiorum sortirentur fuit indultum. Sine dispensatione autem summi Pontificis, etiam si aliqua ex dictis rationabilibus causis existat, nunquam est licitum plura ex supradictis beneficijs habere, vt ex mente D. Thom. quodlib. 9. artic. 15. docet Nauarro in Manuali capit. 17. nume. 125. quidquid dicant Soto atque Syluester locis citatis.

3. Concluſ. ¶ Tertia conclusio. In beneficijs simplicibus, nec habentibus curam, nec residentiã exigentibus, qualia sunt, præstameriæ nulla est necessaria dispensatio, vt eadem persona plura obtineat. Hanc conclusionem ponit Soto lib. 3. de iustitia. q. 6. art. 3. concluſ. 4. quam tenẽt communiter omnes Doctores. Et probatur manifestè: quia istorum pluralitas nullo iure est prohibita. Ex quo infertur, quòd qui plura haberet, per se loquendo, nullum peccatum committeret. Dico per se loquendo. Nam per accidens contingere poterit, vt hoc sit illicitum; tunc. scilicet, quando tot coaceruarentur beneficia simplicia, vt congruentem beneficiati iustè tationem, iuxta qualitatem personæ, longè excederent. Vt enim dicitur in cap. cum teneamur. de præbendis. & alijs multis, qui habet vnum beneficium sufficiens ad decẽtem sustentationem, iuxta qualitatem personæ & status, non potest aliud obtinere. Et hinc ortum arbitror, quòd in cap. non potest. & in cap. si metu. de præbendis, in. 6. cauetur, vt qui beneficiũ aliquod à Papa impetrant, ei referant, si habent aliud quantõcunq; modicum; aliàs collatio secundi beneficij erit irrita & nulla.

4. Concluſ. ¶ Quarta conclusio: In beneficijs non curatis residentiam exigentibus, quales sunt canonicatus, & aliæ dignitates cathedraliũ, vel collegalium ecclesiarum, necessaria est dispensatio, vt eadem persona duo, vel plura obtineat, quanuis facilius in istis, quam in curam habentibus procurari, concediq; debeat dispensatio. Imò, vt dicit Syluester, verbo, beneficium. 4. §. vlt. legitima causa in terueniente potest episcopus, vt vna persona duo ex dictis beneficijs, vel in eadem ecclesia, vel in diuersis obtineat, dispensare, quod est intelligendum quando sunt diffor mia, vt bene notant Doctores. Itaq; potest dispẽsare, vt quis in eadem ecclesia habeat canonicatum, & dignitatem, atq; etiam canonicatum, & altare, seu beneficium alicuius capellaniæ. Pro quo facit cap. 1. cũ glos. de consuetudine lib. 6. & Feder. consil. 115. Non tamen potest dispensare, vt quis habeat duos canonicatus, aut dignitates. Imò nec duo altaria poterunt haberi in titulum in eadem ecclesia ex dispensatione episcopi; quia altaria data in titulum dicuntur beneficia, secundum glossam in Clement. 2. de decimis, & sunt conformia. Altaria tamẽ quæ non dantur in titulum bene haberi poterũt ex dispensatione episcopi. In personatibus verò, vel dignitatibus, vel administrationibus, aut officijs perpetuis quocunque nomine censeantur solus papa dispensat siue in eadem ecclesia, siue in diuersis, vt patet ex capit. de multa. de præbendis. Nam quanuis textus ille solum de eadem ecclesia prohibere videatur, Doctores dicunt hoc etiam habere locum in ecclesijs diuersis per cap. nonnulli. de clerico non residente, quidquid dicat Innocentius in dict. cap. de multa.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm sit licitum alicui taliter habere duo beneficia, vel ex illis, quæ animarum curam habet annexam, vel quæ personalem requirunt residentiam, nec ab alio, quàm à Papa dispensatur, vt vnum illorum sit proprium, & alterum habeatur in commenda? In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò,

1. Dictum certum. certum esse, quòd nullus potest retinere duo ex prædictis beneficijs sine papæ dispensatione, si vnum illorum est proprium & alterum habetur per modum perpetuæ commendæ. Ita enim dicitur expressè in Concilio Trident. sess. 7. cap. 4. Cuius verba sunt, quæ sequuntur. Quicunque de cætero plura curata, aut aliàs incomparibilia beneficia ecclesiastica, siue per viam vnionis ad vitã, siue commẽdæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine, & titulo simul retinere præsumpserit, beneficijs ipsis iuxta constitutionis Innocent. III. dispositionem, iure ipso etiam præsentis canonis vigore priuatus existat.

2. Dictum certum. ¶ Secundò etiam est certum, licitum esse sine Papæ dispensatione habere duo beneficia curata, vnum in titulum, & alterum in commendam ad tempus, scilicet, ad sex menses tantum, vt permittitur cõmendari in cap. nemo. de electione. lib. 6. nec contrarium huius cauetur in Concilio Tridenti. Itaq; quanuis non sit in vsu, quod episcopus super pluralitate beneficiorum dispenset. bene tamen poterit ob ingruentem necessitatem habenti in titulum vnum curatum aliud ad tempus commendare, dum nõ patet ad curiam aditus. Sed est difficultas,

Punctus difficultatis. vtrùm ad hoc, quòd alicui ex Papæ dispensatione tribuantur duo beneficia; vnum in titulum, & alterum in commendam perpetuam, ità, vt possidentis conscientia sit tuta, sit necessaria aliqua causa ex ijs, quas diximus intercedere debere ad hoc, vt eidem duæ

Sententia Canonistæ. duæ ecclesiæ in titulum conferãtur? Canonistæ, quorum est forum iudiciale penitus attendere, communiter dicunt, cuiuslibet hominis conscientiam sic duas præbendas possidentis tutam esse; quia hoc non est propriè habere duo beneficia, vel duas ecclesias, quod iure diuino & humano videtur interdictum. Cæterùm verius dicendum, existimo, quòd eædem causæ, imò & iustiores si fieri potest, debent coire, vt quis digne in conspectu Dei fruatur vna præbenda sub titulo, & altera sub commendatione, quam necessariæ sunt, vt ambæ habeantur in titulo. Hæc est sententia Sotilib. 3. de iustitia q. 6. artic. 3. & Nauarri in Manuali cap. 25. num. 125. Qui affirmat de beneficio commendato in perpetuum idem esse dicendũ, quod de dato in titulum, iuxta Cardinalem Alexandri cap. cum autem. 44. dist. & Gomez in regul. de infirmis resig. quæst. 13. & citatos per eum. Et ratio est manifesta: Nã quantum attinet ad rei veritatem, idẽ prorsus est, quod alicui duo ecclesiæ conferantur in titulũ, & quod commendentur perpetuò. Quare rationes prohibentes, ne illud licitè fiat sine iusta & rationabili causa, etiam obstabunt, ne hoc sit tutum in conscientia. Dixi, quòd iustiores, si fieri possit, causæ debent intercedere ad hoc, quam ad illud; quoniam hic commendationis prætextus præuaricatio est legis: & eo crimino sior, quo fit magis in frandem legis. Nam, vt dicitur in l. contra. ff. de legibus. in fraudem legis facit, qui saluis verbis legis sentẽtiam eius circumuenit. Et lege nõ dubium, eodem titulo etiam dicitur; Non dubiũ est in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem. Ex hoc infertur, quòd quemadmodum ille, qui sine legitima causa est dispensatus à Põtifice, vt duo beneficia curata retineat, non debet absolui, nisi alterum illorũ relinquat; ità etiam nec est absoluẽdus qui habet vnũ in titulo & alterum in commenda, eãdem iuxta causa non existente.

Dubium de beneficijs pueris collatis. argumentum. ¶ De beneficijs Ecclesiasticis pueris collatis dubitari solet, an ea conferens peccet peccato acceptionis personarum? Et pro parte negatiua est argumentum: Contingit sæpè; piùs, puerum esse egregiæ indolis magnæque spei, quòd in ecclesia erit vtilissimus: ergo huic beneficium conferre, vt ex eo educetur, & instituatur, nullum est peccatum. Et confirmatur ex Concilio Tridentino, sessione. 23. cap. 18. de reformatione, vbi facultas vniendi, & applicandi beneficia simplicia collegijs puerorum, qui ad vtilitatem ecclesiæ in seminarijs instituuntur, episcopis conceditur, quod non faceret cõcilium, nisi pueris beneficia conferre esset licitum. Ad huius tamen rei explicationem aduertendum est, quòd, vt constat ex Concilio Tridentino, sessione. 23. cap. 6. nunquam est licitum pueris ante. 14. annum ea clesiasticum aliquod beneficium conferre; nec post decimum quartum annũ possunt eisdem illæ dignitates tribui, quibus anima rum cura est annexa, nisi saltim vigesimum quartum ætatis sux annum attingerint, vt dicitur in eodem Concilio Tridentino, sessione. 24. cap. 12. De canonicatibus autem, & alijs dignitatibus, seu portionibus, quibus animarum cura nulla subest, etiam dicitur in eodem capitulo, quòd clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis nõ minores ad illas asciscantur. Ex quo manifestè conuincitur, quòd si episcopus contrà prædicta iura beneficium aliquod cõtulerit, vltra hoc, quod electio erit irrita, nec in hac parte poterit episcopus dispensare, peccabit mortaliter peccato acceptionis personarũ, tanquam ille, qui nõ ex dignitate personæ, cum illa sit indigna secundum ius, sed ex affectu alicuius conditionis extrinsecæ & accidentariæ omnino mouetur ad talia beneficia conferenda; quod propriè est accipere personas. Et idem dicendum erit de Papa, quando sine iusta & rationabili causa ad talia beneficia habenda dispensauerit: Nec de hoc aliqua potest esse dubitatio. Sed quod habet difficultatem est, an sit peccatum acceptionis personarum, conferre pueris post decimum quartum annum illa beneficia simplicia, quæ vulgò appellãtur præstameriæ, & quæ quòd ipsis non conferantur nullo iure est prohibitum, imò tacitè approbatur à concilio Tridentino, sessione. 23. cap. 6. Caietanus in summa. verbo. beneficium. cap. 2. absolutè tenet partem affirmatiuam, quam tanta verborum grauitate explicat, vt nec vnum ab eis adimere velim. Dicit ergo, Conferre pueris ecclesiastica beneficia existentibus alijs adultis idoneis, non solũ inexcusabile, sed intolerabile videtur. Tum quia pueri sunt solum idonei in spe, adulti autem in re. Tum, quia officium diuinum deuotè & studiosè persoluere nequeunt, cũ nec humana officia valeant exercere, nisi vt pueri: & tamen beneficiatorum nullus excusatur ab officio diuino. Nec est verum, quòd secundum iura canonica concedantur beneficia pueris. Imò expressè hoc reprehẽditur extra. de præbendis. cap. super inordinata. Et si alicubi sunt ordinatæ aliquæ præbendæ pro pueris, vide illorum statuta; & vt putò inuenies, quod non sunt beneficia ecclesia-

Ætas ad recipiendũ beneficium idonea.

Sententia Caiet. notãda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ecclesiastica, sed quędam prouisiones ad sustentandos & alendos pueros in seruitio ecclesiastico. Vnde nec tenentur tales ad officium diuinū; sed ad id, ad quod sunt quasi conducti. Hæc Caietanus. Cuius sententia mihi quàm maximè placet, hoc vno explicato, quod tempore Caietani, vt existimo non erat prohibitū in iure, quod pueri post primum septennium simplicia beneficia haberent, vt docet Sylvest. verbo, ætas. At verò nunc post concilium Tridentinum facultas quæcunq; beneficia habendi ante decimum quartum annum est interdicta; & sic non est tam in spe idoneitas pueri nunc, sicut antea. Ex quo fit, vt aliquando possit esse licitum alienumque à vitio acceptionis personarum, talia beneficia pueris conferre, apparentibus, scilicet, in ipsis maximis signis bonæ indolis, & optimæ spei. Sed debet hoc fieri quam rarissimè & maxima cū cautela. Tum; quia spes, quæ potest haberi de pueris, est valde incerta: quare est periculum quod beneficia illis collata maneant in personis valde indignis. Tum etiam; quia experientia docet, quod vix adimplent obligationem recitandi officium diuinum, & quod ex abundantia diuitiarum fiant deteriores, iuxta illud Plauti; Ne puero diuitię. De quo Erasmus in Adagio; Ne puero gladius. Et per hoc patet solutio ad argumentum. *Ad argum.* Ad confirmationem dico, quod collegium puerorum non est puer.

Dubium de pensionibus

¶ De annuis autem pensionibus, quæ ab hinc octoginta annis percrebuerunt in ecclesia, est non contemnendum dubium, an tuto imponantur beneficijs, recipianturque ab eis, quibus exhibentur? Pro cuius intelligentia aduertendum est, eam esse naturam pensionum, de quibus loquimur, quòd non habent annexos ecclesiasticos titulos, cum pensionarius nō sit beneficij possessor, sed tantùm possidēti imponitur onus eas soluendi, potestq; imponi vel personæ quamdiu possederit, vel, quod est vsu frequentius, ipsis fructibus beneficiorum. Ex quo fit, vt pensionarius nullam habeat annexam curam, nec obligationem persoluendi officium canonicum: & hac ratione huiusmodi redditus tutissimi existimantur. Ni hilominus tamen dico, quòd nisi ex iusta & rationabili causa conferantur vltra hoc, quod conferens peccabit mortaliter peccato acceptionis personarum, & iniustitiæ, illi, quibus fuerint collatæ, non erunt tuti in conscientia. Probatur: Papa taliter est dispensator bonorum ecclesiæ, quòd non est dominus: ergo sicut ex rationabili causa potest diuidere, & applicare huic, vel illi reditus ecclesiasticos; ita sine illa non potest id iustè facere. Et confirmatur: Per huiusmodi solutionem pensionū ꝛæpēnumerò fraudantur ministri stipendijs debitis, ecclesiaque priuatur debito cultu & ministerio: ergo illas imponere sine causa non solum est peccatum acceptionis personarum contra iustitiam distributiuam; sed etiam quidam modus furti & rapinæ in ordine ad ecclesiam, atque ministros. Ex quo factum fuit, vt in cap. extirpandę. §. fi. & in cap. auaritia. de præbendis. huiusmodi pensiones quàm grauiter reprehendantur.

Sententia Autoris.

Quæ sunt iustæ causæ pensionis imponendæ

¶ Siquis autem quærat, quæ nam sint iustæ causæ pensionis imponendæ? respondeo, quòd sunt plures. Prima & iustissima est sustentatio eorum, qui multum in ecclesia laborauerunt; iamq; senio & infirmitate confecti laborare non possunt, iuxta capit. quanuis. 7. quæst. 1. Ad quam etiam causam reducitur, quod in concilio Tridentino, sessione. 21. cap. 6. habetur, nempe, quòd si aliquis parochus aliàs honestæ vitæ fuerit illiteratus, adiungatur ei vicarius ab episcopo asignata conuenienti pensione pro ipsius sustentatione. Secunda causa est, supplere indigētiam vnius ecclesiæ inopis ex alia rum abundantia. Quare olim Archiepiscopus pro sustentatione canonicorum paupe rum poterat ecclesijs inferioribus abundan tibus pensionem imponere, vt patet ex cap. cum venisset. de restitutione spoliatorum. & ex cap. auaritia. de præbendis. Sed hoc isto tempore non licet, nisi Papæ autoritate. Tertia causa est, dirimere lites; vt si duo habeant litem circa aliquod beneficium, & pro bono pacis vni detur pensio, vt cedat alteri, iuxta id quod dicitur in cap. nisi essent. de præbendis. Quarta causa est, labor impensus à milite, Duce, vel Rege in defensionem ecclesiæ. Æquum enim est, vt ecclesia sit illis grata. Qua de causa decimarū tertiæ Regibus Hispaniæ collatæ leguntur. Et possent concedi congruentius illis, qui ecclesiæ negotia, vel in concilio, vel in curia, vel alibi gerunt; sicut olim mos erat ijs, qui prælatis in adiutorium adhibebantur prouentuum partem quotannis impertiri. Semper tamen sunt ità pensiones imponendæ, vt ministris congrua sustentatio relinquatur. Vnde in concilio Trident. sessione. 24. cap. 3. sanctissime cauetur, ne pensio aliqua assignetur in episcopatu, cuius redditus non excedunt duo millia ducatorum, nec in ecclesia parochiali, cuius redditus nō excedunt centum aureos. De illis autem pensionibus, quæ ad instantiam Regis, vel aliorum principum suis famulis, vel famulorum filijs

filijs conferuntur, dico, quòd poterunt iusti ficari quando merita regis, vel principis in ecclesiam adeò fuerint egregia, vt quòd hæc in ipsorum gratiam fiant postulare videantur. Illæ autem debebunt censeri maximè iustæ, quæ scholasticis pauperibus, & no bilibus, de quibus est probabilis spes, quod erunt vtiles ecclesiæ conferuntur. Semper tamen excessus, qui in hac re esse videtur, esset cauendus. Et est aduertendum, quod non possunt istæ pensiones conferri filijs clericorum super beneficijs, quæ eorum parentes actu obtinent, vel aliquando obtinuerunt per Concilium Tridentinum, sessione vigesima quinta, cap. 15.

An pensionarij teneātur dicere officium B. Virginis.

¶ An autem pensionarij teneantur recitare officium paruum Beatæ Virginis, & restituere fructus perceptos pro rata, nisi illud recitauerint, varietate opinionum disputatur ab autoribus; multis partem affirmatiuam tenentibus propter proprium motum Pij Quinti, quem refert Nauarro in Manuali, capite vigesimo quinto, numero. 122. & alijs negantibus. Tum, quia ille proprius motus non est solenniter apud nos promulgatus: tum etiam; quia non videtur vsu & consuetudine receptus. Et præterea; quia eius verba non apparent adeò stricta & rigorosa, vt debeant censeri tam grauem & tam nouam obligationem inducere, sub mortali. Cęterùm mihi prima sententia videtur vera & tenenda, quam sequitur Nauarro in illo loco. Nec rationes in contrarium adductæ aliquid valent. Tū, quia nulla solennior propriorum motuum summi Pontificis fuit vnquam apud nos necessaria promulgatio, quam quod Romæ ad valuas D. Petri, & chancellariæ affigerētur, & inde ad fideles deriuarentur. Quod de illo factum fuisse dubitare non possumus; siquidem in corpus aliorum propriorū motuum summorum Pontificum est relatum. Tum etiam; quia cum grauissimè & seuerissimè præcipiat Pius V. quod quicunq; habens beneficium cum cura, aut sine illa, horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel alijs diebus responderent, si quotidie diuiderentur, qui vero matutinum tantum dimidiam, qui cæteras omnes horas aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat, & idem dicat sentiendum de pensionario, qui officium parum Beatæ Mariæ Virginis dicere reliquerit; non est cur affirmemus verba Pontificis non esse adeò stricta, & rigorosa, vt tam grauem & tam nouam obligationem inducant. Falsum est etiam dicere, quòd proprius ille motus non est vsu & consuetudine receptus, cum plures ego viderim pensionarios, qui illius vi, & obligatione se astrictos iudicauerint. Et hęc dicta sufficiant de acceptione personarum, quæ in beneficiorum ecclesiasticorum distributione potest inueniri.

Dubium graue.

¶ Est alia grauis difficultas circa istum articulum, vtrùm in distributione officium, & magistratuum secularium possit contingere vitium acceptionis personarum? Quod est quærere, an rex & alij electores teneantur in conscientia semper ad hæc officia eligere digniores. Pro cuius intelligentia aduertendum est, quòd dignitas in præsenti sumenda erit per comparationem ad ipsa officia publica, ità, vt ille dignior iudicetur, qui in ordine ad officium, vel dignitatem, ad quam eligitur, aptior existit. Et quoniam non omnes dignitates æquales sunt, nec eiusdem rationis, fit, vt plures ad vnam, quam ad alteram, diuersæque ad diuersas necessariæ sint animi dotes. Sed generaliter loquendo, quæ in iudicibus & gubernatoribus ciuitatis, qui vulgò appellantur, Corregidores, Regidores, Iurados, &c. requiruntur, sunt scientia competens, prudentia, dexteritas in rebus agendis, animi robur, ac zelus iustitiæ, & boni publici. Nobilitas etiam adiuuat ad dignitatem, vt ex iure probat Gregorius Lopez part. 2. titulo. 9. lege. 2. versiculo, Nobles homes, & titulo. 18. lege. 9. versiculo, Sobre los otros homes. Alij addunt cum Magistro Soto libro tertio, de iustitia, quæstione sexta, articulo quarto, requiri etiam necessario probitatem morum, scilicet, quòd non sint in peccato mortali. Cæterùm, si sermo sit de peccato occulto, quod non sit iniustitiæ per modum habitus, non videtur simpliciter necessarium, quod eligendus sit sine peccato mortali, vt bene notat Caietanus in summa, verbo, electio. Stat enim aliquem in seipso esse vitiosum, & tamen in ordine ad alios esse iustitiæ, & boni publici zelatorem. Nec obstat, quòd in superioribus dixerimus ad hoc, vt quis sit dignus ad beneficia ecclesiastica, necessariam esse maximè probitatem morum, cum illi ordinentur ad actus sacros, quos in peccato mortali digne exercere non possunt; isti autem minimè.

Vnde erit considerada dignitas ad officiū.

¶ Secundò est aduertendū, quòd dignitates, & officia secularia videtur habere proportionem

Officia secularia habēt aliqualem proportionem cū beneficijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem cum beneficijs ecclesiasticis, quantum ad hoc, quòd, quemadmodum beneficia non fuerunt instituta, vt gratis donarentur, sed principaliter, vt essent stipendia eorum, qui in republica aliquod munus exercent, minùs principaliter, vt essent præmia benemeritis distribuenda, vt diximus supra quæstione præcedenti articulo 2. circa solutionem ad quartum argumentum: ita etiam officia secularia, atque dignitates cum suis lucris videntur primò, & principaliter instituta in stipendia ministrorum, vt, scilicet, respublica habeat idoneos ministros; & secundario & minus principaliter, vt viri, qui moribus, scientia, atq; prudentia sunt ornati conuenientia habeant præmia. Ex quo fit, vt qui huiusmodi bona distribuit, duo possit attendere in illorum distributione. Vnum est, vtilitas reipublicæ, vt, scilicet, illum eligat, qui aptus sit exercendo muneri, ad quod eligitur. Et hoc tenetur facere ex iustitia commutatiua, quam inter rempublicam ex vna parte, & ministrum ex altera constituere debet, faciendo æqualitatem inter ministrum, quem eligit, & stipendium; ad quod eligitur. Secundum, quòd potest attendere, est meritum eorum, inter quos fit electio: Nam cum officia secularia non solum sint stipendia pro idoneis ministris, sed etiam videantur esse præmia quæ secundum iustitiam distributiuam melioribus sunt conferenda, fit, vt qui distribuit non solum videatur obligari habere rationem sufficientiæ ministrorum, sed etiam meritorũ, quæ in vnoquoque illorum inueniuntur, quod ad iustitiam distributiuam pertinet.

Distribuentes officia secularia sunt in duplici differentia.

¶Tertiò est aduertendum, quod illi, ad quos spectat officiorum publicorum ministros eligere, sunt in multiplici differentia. Quidam enim sunt plenam habentes potestatem supra ipsam rempublicam. Quales sunt Reges, Imperatores, & illi, qui similem istis sine dependentia ab altero, quo quo nomine censeantur, habent autoritatem. Alij sunt, qui ab ipsis regibus in eminenti loco constituti, vice & nomine eorum inferiores ministros eligunt. Quales sunt Proreges, consiliorum præsides, & quicunque alij, ad quos officiales reipublicæ ex regis mandato instituere spectat. Alij denique sunt aliquorum oppidorum domini, regibus, & principibus subiecti, vt marchiones, duces, comites, cæterique domini, quibus ex iure in proprijs terris iustitiæ ministros nominare conuenit. Inter quos electores hoc est discriminis, quòd rex non tanquam dispensator, nec tanquam rei publicę vicarius, sicuti Venetorum dux, qui semper est à republica pendens, sed tanquã ipsa eadem respublica æqualemq; habẽs potestatem cum illa, est reputandus, vt potè ille, cui, & in quem populus omne suum imperium, & potestatem contulit. Ex quo fit, vt nec possit illũ vllo pacto dimouere, nec eius filios iure hæreditario regnandi spolia re, post quam semel ei illud contulit, nisi vbi aperta tyrannide regnum pessundaret: & tunc solo beneficio naturalis iuris quo vim vi repellere licet. Itaque regnum est suum, sicut cuiusq; ciuis sua est domus. Atq; adeo quæcunque facultas, & ius reipublicæ penes ipsum est; licèt non respublica propter ipsum, sed ipse propter rempublicam sit cõstitutus: & ideò ex iustitia omnia in publicum commodum debeat referre proreges verò, & consiliorum præsides, & quicunq; ex mandato regis officiales instituunt, non sunt domini, sed dispensatores. Quibus in omnibus necesse est, quòd domini voluntatem sequantur. Alij autem domini particularium oppidorum medio modo se habent; & differunt à regibus in hoc, quòd Ducatus, verbi gratia, vel Marchionatus non cẽsetur tanquam per se respublica, nec ad ducem, vel marchionem absolutè pertinet, iura, quę subditi seruant, instituere, nisi dependenter à rege, quamuis teneantur ministros iustitiæ decenti stipendio conducere. A pro regibus autem, & alijs regis dispẽsatoribus differunt in eo, quòd oppida & vassalli verè sunt dominorum possessio, quod in regis vicarijs non contingit.

¶His constitutis, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd reges distribuentes indignis officia publica, quæ instituta fuerunt, vt essent stipendia eorum, qui in republica aliquod munus exercent peccant contra institiam commutatiuam, qua tenentur talem ministrum eligere, qui aptus sit & idoneus exercendo munaeri, ad quod eligitur. Reges enim ex commutatiua iustitia tenentur ratione tributorum, quæ soluit, debitam reipublicæ ad ministrare iustitiam. Et idem dicendum est de alijs particularibus dominis ministros in dignos in suis oppidis constituentibus. Vnde erunt obligati resarcire damna, quæ ex tali prouisione indigni, fuerint subsequuta, vt diximus supra quæstione præcedenti, art. 2. circa solutio. ad. 4. arg. ¶Secundò etiam est certum, q̃ proreges, consiliorum præsides, & quicunq; alij, ad quos officiales reipublicę ex mãdato regis instituere spectat, ex iustitia distributiua tenẽtur offerre eos, quos moraliter loquendo, pro ratione officij

1. Dictum certum.

2. Dictum certum.

officij iudicauerint digniores, quod nisi fecerint peccabunt peccato acceptionis personarum contra iustitiam distributiuam. Probatur: Huiusmodi electores officiorum reipublicæ sunt dispensatores ministeriorum regis: ergo tenentur illa secundum regis voluntatem distribuere: ea autem est, quod dentur dignioribus. ergo. Et confirmatur: Qui huiusmodi officijs præfecit dignũ præ termisso digniori, necessario id facit ex aliqua ratione ad electionem non pertinente; nempe, vel ex amicitia, vel precibus, vel pretio: sed hoc est manifesta acceptio personarum: ergo: Itaque hæc certa sunt.

Pũctus difficultatis.

¶Sed dubium est, vtrùm etiam ipsi reges ex distributiua iustitia teneantur ad officia publica eos eligere, quos moraliter loquendo, pro ratione officij dignores iudicauerint. De qua re est sententia Caietani in summa verbo, electio, partem negatiuam tenentis. Quæ probari potest aliquibus argumentis. Primò sic: Respublica transtulit omne suum imperium & potestatem in regem, vt diximus in tertio notabili, constare que potest ex. l. 1. ff. de constitut. princi. ergo potest rex de omnibus officijs ad rempublicam pertinentibus libere disponere nullo habito respectu ad merita ciuium. Et confirmatur: Rex accipiens administrationem reipublicæ non se obligauit gubernare optimo modo, quo potest, sed solum ad bene gubernandum: ergo non tenebitur eligere ministros optimos, sed tantum bonos, & sufficientes. Probo consequentiam: Nam istos eligit in partem administrationis sibi iunctæ. ¶Secundò: Tunc tantum iustitia distributiua habet locum, quando bona communia sunt distribuenda inter ciues, tanquam inter partes communitatis: sed rex non tenetur diuidere hæc officia cum suis lucris inter ciues, imò potest in præsidentia regia & in senatorijs dignitatibus alienigenas constituere: ergo non faciet contra iustitiam distributiuam, dando ea dignis pretermissis dignioribus. Et confirmatur: Finis regiæ potestatis non est bene meritos præmiare, sed solum prouidere publicè vtilitati: ergo relinquendo digniores, non facit contra iustitiam distributiuam, atque ex cõsequenti, nec est acceptor personarum.

1. Argum.

2. Argum.

Vlt. Arg.

¶Vltimò: Rex est dominus absolutus istorum officiorum, vnde potest illa vendere, si voluerit, vt patet ex communi consuetudine, & vsu: ergo non potest in illorum collatione peccare contra iustitiam distributiuam. Probo consequentiam: nam vbi non est ratio debiti, non potest esse ratio iustitiæ.

Conclusio.

¶His tamen non obstantibus sit conclusio, quòd rex, & quicunque alius elector sub peccato mortali tenetur eligere ad officia publica digniores, quantum commodè potuerit secundum rationem iustitiæ distributiuè. Hanc videtur supponere Soto libro tertio, de iustitia, quæstione sexta, articulo quarto. Sed illam expresse tenet Didacus Perez libro septimo, Ordinationum regali. titulo. 2. l. 22. in principio. Vbi dicit eandem esse rationem quãtum ad hoc de istis officijs, & de dignitatibus ecclesiasticis. Et probatur primò ex proportione, quam supra diximus habere hæc officia secularia ad beneficia ecclesiastica. In quibus, quia non solum sunt stipendia laborum, sed præmia pro bene meritis necessarium est, quòd electores habeant rationem iustitiæ distributiuæ, alioqui peccabunt mortaliter, & erunt acceptores personarum: ergo idem dicendum est in proposito. Et confirmatur: Nam omnia ferè inconuenientia, quæ in republica ecclesiastica sequuntur ex eo, quòd minus digni eliguntur, sequuntur etiam suo modo in republica ciuili. Verum est tamen, quòd non erit adeò graue peccatum accipere personas in horum officiorum electione, sicut in electione dignitatum ecclesiasticarum; quia temporalia non sunt tanti momenti sicut spiritualia, vt dicit Diuus Thomas in prima conclusione huius articuli. Secundò sic argumentor: Rex debet distribuere hęc officia secularia cùm non possit ea in se ipso retinere, nec omnia eidem conferre: ergo vel debet illa distribuere sine aliquo ordine pro sua voluntate, vel cum ordine aliquo. Primum non est dicendum, cum id in maximum damnum reipublicæ redundaret, quod ipse ex iustitia tenetur cauere: ergo secundum. Sed nullus potest esse conuenientior ordo, nec pro republica in communi, nec pro ciuibus in particulari, quorum omnium commodum rex ex institia tenetur prospicere, quam seruare ordinem iustitiæ distributiuæ conferendo singula singulis pro vniuscuiusque dignitate & merito: ergo hunc ordinem tenetur princeps sequi, alioqui erit acceptor personarum. Tertiò: Si respublica ad plura suffragia eligeret huiusmodi ministros quilibet sub peccato mortali teneretur suffragari digniori: sed rex in sua electione reipublicæ, & singulorum ciuiũ officio fungitur: ergo pari ratione tenetur eligere digniorem. Consequẽtia cũ maiori est nota, & minor probatur: Nã ideò rex habet potestatẽ eligendi ministros reipublicæ, quia ipsa respublica omne suum

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperium,& potestatem in illum contulit. Vltimò : Respublica confert tributum , & alia iura regia virtualiter, & interpretatiuè sub hac conditione, vt sibi ministri digniores tribuantur : ergo id tenentur principes efficere. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Vnaquæq; respublica sui cõmodi gratia Regem constituit, vt, scilicet, Rex singulos ciues ab iniuria tueretur, effi ceretq; beatos,atq; felices, sed ad hoc facit quam maximè quod digniores ministri eligantur: ergo virtualiter , & interpretatiuè voluit vt sibi digniores ministri tribuerentur. Pro hac conclusione videnda sunt quæ diximus supra quæstione præcedenti art.3. dum contra quosdam canonistas probaremus, quòd Reges non ità sunt domini bonorum subditorum , vt possint illa in proprios vsus conuertere.

Nota pro solutione argumentorum.

¶ Et vt ad argumenta in contrarium facta respondeamus supponendum est, quòd Reges si vere sunt reges omnem suam potestatem habent à republica cum non natura,sed populi consensu tacito , vel expresso factum sit, vt vnus omnibus præsit. Ratio autem naturalis dictat , vt nullus populus, & nulla respublica dederit regibus potestatem plenam, & liberam facultatem quoscũque sibi ministros præficiendi , sed eos qui ipsi reipublicæ fuerint aptiores , & conuenientiores, alioqui non rectè sibi respublica consuluisset regem eligendo, nec monarchia esset optimus modus gubernationis, quod Aristoteli & veritati repugnat propter multas rationes , quas est videre apud Iabellum tractatu.1.de ciuitate Christiana, cap.3.Ex quo infero duo.Primum est,quòd principes non habent maiorem potestatem in rempublicam , quàm quæ ab ipsa tacitè vel expresse acceperunt, quæ prosus est eadem, & tam perfecta,quam ipsa respublica habet.Infero secundò, quòd principes atq; reges ex iustitia tenentur bono communi meliori modo,quo possint prorspicere,alio qui muneri à republica iniuncto non satisfacient. ¶Hoc constituto ad primum argumentum respondetur concesso antecedenti,negando consequentiam.Nam cũ respublica transtulerit in regem omnem suã potestatem,non tanquam in dominum omnino absolutum, sed tanquam in administratorem, & gubernatorem fidelem , non pro ipsius regis vtilitate principaliter , sed pro vtilitate ipsius reipublicæ , atque adeò sub tacita conditione, vt digniores ministros sibi prouideret,fit,vt Rex id facere teneatur, ne acceptor personarum existat.Ad confirmationem respondetur, verum esse , quod rex solũ se obligauit bene gubernare rempublicam.Cæterum,vt bene munus suum exequatur,necessarium est, vt in officijs conferendis sequatur ordinem iustitiæ distributiuæ tanquam ille, qui, vt fidelis dispensator meliori modo, quo potest tenetur reipublicæ commodo consulere. ¶Ad secundum respondetur primò,concessa maiori, negando minorem.Tenetur enim rex officia publica huius regni in ciues distribuere , & non in alienigenas, vt colligere licet ex.l. 9. tit.1. p.2.vbi Greg.Lopez id egregiè notat. Habeq; hoc maximè verum,suppositã consuetudine,quæ de hoc videtur esse quæ in proposito ius & obligationem inducit , vt idẽ Gregor.Lopez aduertit.l.2. tit.19.p.3.vers. vezinos, saltim quo ad officia tabellionum, quæ cautum est, ne alijs, quàm naturalibus dentur,vt patet lib.7.ordinat.regali.tit.2.l. 3.& 25.Vel secundò respondetur,quidquid sit de antecedenti , negando consequentiã. Quamuis enim non arctetur rex,vt ex ciuibus semper eligat,arctatur tamen meliores eligere,siue ex his,siue ex illis,quia id ratio iustitiæ distributiuæ postulat, ipsaq; respublica soluens tributa. Ad confirmationem respondetur, quòd licet finis principalis regiæ potestatis , & officiorum publicorum non sit premiare bene meritos,est tamen finis secundarius atq; debitus, ne literarum, & totius probitatis studia iaceant , vt diximus articulo præcedenti.de beneficijs ecclesiasticis.Propter quod bene, consulteq; Solon & Demetrius dicebant, duo hæc diuina nomina,præmium,scilicet, & pœnam,cuncta gubernare, & Vlpianus de iustitia & iure.lib.1.bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoq; exhortatio ne efficere cupimus.¶Ad vltimum argumẽtum nonnulli concedunt regem esse dominum absolutum officiorum publicorũ. Sed contrarium tenet Adrianus de restitutione in quadam quæstione de eo,qui mutuat pecunias regi pro officio consequendo.Quod & supponit Soto loco citato . Et meritò, quia cum non possit rex liberè de istis officijs disponere in proprium commodum dando ea ad libitum , quibus & quomodo voluerit, sed teneatur illa , prout reipublicæ expedierit distribuere , non potest fieri, vt illorum verus & absolutus dominus dicatur.

Ad.1.arg. *Ad.2.arg.* *Ad vlt. argumentum*

¶Sed consurgit ex hoc non leuis difficultas, vtrùm possint ista officia publica licitè vendi, siue à rege, siue à magnatibus , siue ab episcopis , siue à prætoribus, siue à particularibus, qui ea prius , vel à rege , vel à principe emerũt.De qua re sunt variæ Doctorum

Dubium, vtrùm officia publica possint vendi.

Sententia Adriani.

Sententia Caietani.

Incommoda quæ sequũtur ex officiorum venditione

ctorum sententiæ. Prima est Adriani loco citato absolutè dicentis , nulla ratione esse licitum talia officia vendere . Et ratio illius est. Nam,si Rex non est verus , & absolutus dominus istorum officiorũ,vt modo dicebam , fit, vt ea licite vendere nullo modo possit. Alia sententia est in alio extremo eorũ,qui dicunt Regem esse verum, & absolutũ dominũ officiorũ reipublicæ, qui consequenter affirmant eũ pro sua voluntate posse illa cui voluerit vendere,non minus,quàm alias res proprias. Caietan. in sum.verbo, officiorum secularium venalitas, dicit , quòd licèt ista venditio speculatiuè, & metaphysicè loquẽdo , possit licitè fieri, moraliter tamen , & practicè sine peccato fieri non potest. Quam eandem sententiam sequitur Soto lib.3.de iustitia. q.6.art.4.in solut.ad argum.Sed,vt nos difficultati propositæ satisfaciamus , supponimus primò, quòd venditio istorum officiorum est de illis rebus,quæ licèt non sint intrinsecæ malæ , habent tamen maximam speciem mali, regulariterq; vergũt in peccatum,vt paulò ante in isto articulo de beneficiorum pluralitate diximus. Et idem dicit infrà D. Tho. de arte negotiatoria. Habet enim hæc officiorum venditio quàm plurima incommoda,& inconuenientia annexa.Quorum primum,& præcipuũ est,quòd conferuntur in dignis,dum in illorum prouisione non tam virtutis,quam pecuniarũ habetur ratio. Secundum,quòd Tabelliones & procuratores similesq; officiales extorquent excessiua stipendia à misera plebe , vt sic pretij , quòd pro officio dederunt faciant recompensatiõem.Tertiũ, quòd magistratus, & dignitates inde vilescunt, cũ non in præmiũ virtutis,atq; prudentiæ,sed pro pecunijs,quæ tã indignis , quam dignis ad illas viam parant tribuũtur.Quartum,quòd leges ipsę atq; iura hac ratione violantur,ac transgrediũtur. Quo enim modo, aut scribam,aut prætorẽ, aut quemuis aliũ officialem,qui pretium empti officij, à ciuibus extorquere debet,fidem non violaturum,aut aliam iniuriã non intentaturũ iudicabimus,cum eos lucri gratia, & non iustitiæ administrandæ studio officia emere videamus? Et deniq; quando hęc omnia cessarent , hoc vnũ est sufficientissimum inconueniens,quod cum principes inferioresq; domini pro stipendijs,quæ à populo recipiunt,eis gratis iustitiam administrare teneantur,non solũ eam non administrant gratis, verum nec contenti quod sibi gratorum contributiones pro ministris conferantur, nouum quoq; lucrum ex administratione iustitiæ officiorum venditione si-

bi extorquent, quod regulariter loquendo culpa, atq; iniustitia vacare non potest.

¶Hoc constituto ad explicationẽ difficultatis sit prima conclusio: Rex ex iusta & rationabili causa licitè potest vendere officia publica debitis seruatis conditionibus atq; circunstantijs, per quas prædicta inconuenientia quantum fieri poterit vitentur. Hãc conclusionem tenent communiter omnes Theologi. Et probatur: Huiusmodi officia ex natura sua sunt vendibilia & pretio æstimabilia, cum sint temporalia,vtilia,honorifica,nec habeant aliquid spirituale annexũ: ergo ex iusta & rationabili causa in casu necessitatis ad subueniendum publicæ necessitati,licitè poterũt vendi. Et confirmatur: Licet vendere statũ alicuius magnatis, imò licet alicui reipublicæ liberè suam iurisdictionem ulicui tradere prò pretio, & etiam licet Regi vendere suum statum , aut illius partem:ergo pari ratione erit licitum ex iusta, & rationabili causa vendere officia publica. Conditiones autẽ,quæ seruari debẽt ad prædictam officiorum venditionem honestandam sunt mulcæ.Prima,quòd non vẽdantur, nisi in maxima necessitate reipublicæ.Secunda, quòd non vendantur iudicaturæ,sed alia officia inferiora; ex quibus non tam administratio iustitię, quàm exequutio eorum, quæ à iudicibus decernuntur pendet. Tertia, quòd contrahatur potestas huiusmodi officialium inferiorum, taxenturq; stipendia moderata, & similiter cõtrahatur rectorum ciuitatũ,ne liberè de granioribus negotijs decernere possint,sed quadam subordinatione,& dependentia à supremo tribunali. Quarta,quòd non vendantur excessiuis pretijs, ne emptores pro recuperando pretio populum deprædari cogantur. Quinta,& quæ maximè ad rẽ pertinet est , quod non vendantur minus dignis,quam par est, aut quam eligendi essent, si citra venditionem electio fieret. Vendere enim hæc officia nulla habita ratione dignitatis , sed pecuniarum,procul dubio est peccatum mortale. Verum est tamen,quòd in examine diligentiæ, siue prouisio fiat per venditionẽ, siue per simplicem electionem,nõ est opus adhibere metaphysicam, sed moralem diligentiam.

1.Conclus.

¶ Secunda conclusio : Quamuis Regi liceat vendere officia publica cum conditionibus supra positis,non tamen est licitũ aliis magnatibus, nisi fortè ex consensu Regis , vel ex immemoriali consuetudine tale ius habeant. Probatur : Quando Rex tradidit magnatibus statum , quem habent non est visus tradere illis tam amplam

2.Conclus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

potestatem, vt possint pro sua voluntate etiam in casu necessitatis officia vendere, cum hoc ex natura sua præseferat speciem mali: ergo illud nõ poterũt efficere, nisi ad id, vel ex Regis facultate, vel ex consuetudine ius habeant. Et confirmatur ex vsu nõ permittendi magnatibus huiusmodi officiorum venditiones, quem in supremis Regis cõsiliarijs obseruari videmus. Quare multo minus erit licitum prætoribus, aut alijs senatoribus vendere officia lictorum, aut alia inferiora, quorũ prouisio ipsis cõmittitur, nisi fortè ex expresso consensu Regis. Verũ est tamen, quod si prætor committat lictori particularem aliquem actum, quem ipse per seipsum exercere potuisset, & sic reportare totum lucrum, bene poterit cũ lictore pacisci de diuidendo lucro; quia cũ prætor habeat ius ad totum nullã facit iniuriam, si id reseruata sibi pensione alteri tradat.

3. Conclus. ¶ Tertia conclusio: Particulares, qui prædicta officia à Rege emerunt non possunt illa, siue per viam venditionis, siue per simplicem renuntiationem in alterum transferre, nisi de licentia Regis. Verum est tamen, quòd regulariter datur eis facultas illa trãsferendi; dummodo ante vigesimum diẽ mortis ipsorum translatio fiat, vt latè docet Didacus Perez vbi supra.

4. Conclus. ¶ Vltima conclusio: Episcopi habentes iurisdictionem secularẽ, sine recognitione superioris in tẽporalibus bene poterunt vẽdere officia secularia in casu necessitatis cũ conditionibus supertius positis. Probatur: Sunt veluti Reges, in quos respublica omnem suam potestatem, & iurisdictionem cõtulit: ergo poterunt per se efficere totum illud, quod ad ipsius reipublicæ commodum fuerit necessariũ. Secus autẽ erit, si habeant potestatem Regi subordinatã, sicut alij magnates. Nam tunc multò magis cauere debebunt ab huiusmodi officiorum venditione, quàm illi: cum præter absurda, quæ superius enumerata sunt, hoc etiã sequatur, quòd scandalo Christianos oculos offendunt, nõ gratis dantes, quod gratis acceperũt. Quòd non solũ de spiritualibus, sed etiã de secularibus, quæ ad custodiã spiritualiũ instituta sunt, est intelligendum. Quantum autem attinet ad officia iurisdictionis ecclesiasticæ notariorum, & aliorum similiũ, certum est, quòd non possunt licitè ab episcopo vendi, cum proximè accedant ad spiritualia, debeantq; habere salaria multum moderata, vt ex pluribus decretis Concilij Tridentini constat. Maximè sessio. 7. cap. de refor. vbi dicitur, ab ecclesiastico ordine omnem auaritiæ suspicionem abesse debere.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrũm in exhibitione honoris, & reuerentia habeat locum peccatum acceptionis personarum?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd in exhibitione honoris, & reuerentiæ non habeat locum peccatum acceptionis personarum. Honor enim nihil aliud esse videtur, quàm reuerentia quædam alicui exhibita in testimonium virtutis, vt patet per Philosophum * in 1. Ethi. Sed prælati & principes sunt honorandi, etiam si sint mali, sicut etiam parentes, de quibus mandatur Exod 20. Honora patrem tuum & matrem tuam, & etiã domini sunt à seruis honorandi, etiam si sint mali: secundum illud, 1. ad Tim. 6. Quicunq; sunt sub iugo serui, dominos suos honore dignos arbitrentur: ergo videtur, quòd acceptio personæ nõ sit peccatum in exhibitione honoris. *Lib. 1. c. 5. com. 5.*

2 ¶ Præterea, Leuit. 19. præcipitur, Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Sed hoc videtur ad acceptionem personarũ pertinere: quia quandoq; senes non sunt virtuosi: secũ dum illud Dan. 13. Egressa est iniquitas à senioribus populi: ergo acceptio personarum non est peccatum in exhibitione honoris.

3 ¶ Præterea, Super illud Iacobi. 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem, &c. dicit gloss * August. Si hoc quod Iacobus dicit: Si introierit in cõuentũ vestrũ vir habens annulum aureum, &c. intelligatur de quotidianis conuiuijs, quis hic non peccat, sit tamen peccat? Sed hæc est acceptio personarum diuites propter diuitias honorare. Dicit enim * Greg. in quadam homil. Superbia nostra retunditur: quia in hominibus nõ naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed diuitias honoramus. Et sic cum diuitiæ non sint debita causa honoris, pertinebit hoc ad personarum acceptionem: ergo personarum acceptio non est peccatum circa exhibitionem honoris. *In epist. 2. ad Hieron. tom. 2.* *Homil. 28. in Euangelia mediante.*

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur * in gloss. Iacob. 2. Quicunque diuitem propter *Gloss. interlinearis fi*

per illud Iacobi. 2. Nolite in personarũ acceptionibus

propter diuitias honorat, peccat. Et patiratione, si aliquis honoretur propter alias causas, quæ non faciunt dignum honore: quod pertinet ad acceptionẽ personarum: ergo acceptio personarũ in exhibitione honoris est peccatum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd honor est quoddam testimonium de virtute eius, qui honoratur. Et ideò sola virtus est debita causa honoris, sciendum tamen, quod aliquis potest honorari non solum propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius. Sicut principes & prælati honorãtur, etiam si sint mali, in quantum gerunt personam Dei & communitatis, cui præficiuntur: secundum illud Prouerb. 26. Sicut qui immittit lapides in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem. Quia Gentiles rationem attribuebant Mercurio, aceruus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator quandoque mittit vnũ lapillum loco centum marcarum: ita etiam honoratur insipiens qui ponitur loco Dei, & loco totius cõmunitatis. Et eadem ratione parentes, & domini sunt honorandi, propter participationem diuinæ dignitatis, qui est omnium pater, & dominus. Senes autem sunt honorandi, propter signum virtutis, quod est senectus, licet hoc signũ quãdoque deficiat. Vnde, vt dicitur Sap 4. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita est immaculata. Diuites autem honorandi sunt propter hoc, quod maiorem locum in communitatibus obtinent. Si autem, solum intuitu diuitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis personarum.

¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatẽ respondet D. Th. per tres propositiones. Prima cõclusio: Honor soli virtuti debetur. Probatur: Honor est veluti quoddã testimoniũ virtutis eius, qui honoratur: ergo soli virtuti debetur. Secũda conclusio: Homines non tantũ sunt honorãdi propter propriã virtutẽ, sed etiã propter alienã, quã repræsentãt. Probatur: Principes, & prælati sunt honorãdi etiã si sint mali, in quantũ gerũt personã Dei, & cõmunitatis cui præficiũtur, iuxta illud Prouer. 26. Sicut qui immittit lapides in aceruũ Mercurij; ita qui tribuit insipiẽti honorẽ. Et parentes atq; domini sunt etiã honorandi, quãuis sint mali propter participationẽ diuinæ dignitatis, qui est omniũ pater & dñs. Et deniq; senes sunt honorãdi propter signũ virtutis, quod est senectus, quanuis hoc signũ quandoq; deficiat: ergo homines non tantũ sunt honorãdi propter propriã virtutẽ, sed etiã propter alienã. Tertia conclusio: Honorare diuites tantũ propter diuitias, est peccatũ acceptionis personarũ. Hãc cõclusionẽ nõ probat D. Th. sed illã, vt notã relinquit, cũ diuitiæ sint causa oino extrinseca & accidẽtalis ad honorẽ exhibẽdũ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVæstio huius artic. principaliter posita est pro explicatione sentẽtiæ cuiusdã, quæ habetur apud D. Iac. in. 2. c. suæ canonicę, qui inquit, Fratres nolite in personarũ acceptione habere fidẽ Dñi nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim, si introierit in conuentũ vestrũ vir aureũ annulũ habẽs in veste cãdida, introierit autẽ & pauper in sordido habitu, & intendatis in eũ, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei; Tu sede hîc bene; pauperi autẽ dicatis; Tu sta illic, aut sede sub scabello pedũ meorũ, nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationũ iniquarũ. Quasi diceret; Nolite fratres mei in vobis simul cũ fide Dñi nostri Iesu Christi glorioſi, vel Dñi eternæ glorię, admittere vitiũ acceptionis pſonarũ, quod erit si diuitẽ propter diuitias solas plus iusto honoraueritis, aut pauperẽ propter inopiã despexeritis. Si etenim vobis cõgregatis ingrediatur vir aliquis annulos aureos gestãs in manibus, vestẽ indutus pretiosam, & splẽdidã, & simul etiã ingrediatur pauper in veste vili minimèq; pretiosa, istis autẽ sic ingredientibus ceperitis oculos cõijcere in illũ diuitẽ præclara veste indutũ, pro soliſq; diuitijs illi exhibẽtes indignũ honorẽ, dixeritis; Tu sede hîc honestiori loco, pauperi autem dixeritis; Sta illic in abiecto loco, aut, sede sub scabello pedum nostrorum, propter inopiam tantũ sic pauperẽ despicientes, nõne hoc ipso indicatis iniquas cogitationes, & iniquũ iudiciũ vestro animo inledere? Quasi dicat profecto ita erit. His verbis apertè significans in honoris exhibitione plurimũ inesse posse acceptionis personarũ. Sed quoniã honoris exhibitio ad res, quæ nõ ex debito, sed ex mera gratia hominibus conferuntur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Explicatur modus quo in honoris collatione potest inueniri acceptio personarum.

pertinere videtur, idcircò explicandus restat modus, quo in honoris collatione acceptio personarum inueniatur. Pro cuius intelligentia supponendum est primò, quòd honor, vt diximus in superioribus nihil aliud est, quàm reuerentia alicui exhibita propter aliquam eius excellentiam, siue interiorem, siue exteriorem. Et quia secundū rectam rationem nihil absolutè debet reputari excellens, nisi bonum honestum, fit, vt soli virtuti propriè debeatur honor secundum Aristotelem. 4. Ethic. cap. 3. per quandam autem participationem etiam poterit alicui exhiberi honor reuerendo ipsum, in quantum habet imaginem, aut vestigiū virtutis, licet in se non sit studiosus, vt latè D. Tho. explicat in litera. Ad quod probandū adducit illud Prouerbiorum. 26. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem. Cuius loci sensus est, quòd quemadmodum in ratiocinio, seu computo, in quo antiquitus homines vtebantur lapillis, sicut modo vtuntur denarijs plumbeis, siue stāneis, contingit sæpè siæ piùs, quòd lapillus, vel denarius, qui nunc ponitur pro vno dipondio ponatur posteà pro centum, vel pro mille aureis, nec æstimatur tunc secundum valorem, quem in se habet, sed secundum valorem eius numeri, ad quem significandum destinatur: ità etiā contingit aliquando quod homo insipiens, qui secundum se deberet esse in infimo loco, constituatur in statu valde honorabili, habeaturq; in magna reputatione apud homines, & tunc non secundum valorem, quē habet in se iuxta propriam virtutem, sed secundum dignitatem loci, in quo constituitur est honorandus. Mercurius apud Gentiles rationis suæ computi Deus habebatur. Et sic idem est aceruus Mercurij, quod aceruus ratiocinij, seu computi. Ianſenius in prouerbia. cap. 26. aliter interpretatur istum locum: sed eius interpretationes nihil faciunt ad nostrum propositum. Itaq; præter virtutem sunt etiā aliæ excellentiæ, propter quas hominibus in hoc sæculo debentur honores. Prima est diuina repræsentatio. Principibus enim & Magistratibus ideò honores exhibemus, quamuis praui sint, quia Dei personam gerunt atq; repræsentāt. Ex quo factum fuit, vt Arist. lib. 5. Eth. c. 6. dixerit, honorem esse mercedem, & præmium magistratus: eundem quoq; debent propter eandem causam serui dominis, iuxta illud Pauli ad Tim. 6. Quicunq; sunt sub iugo serui dominos suos honore dignos arbitrentur, Mox debetur honor aliquibus in testimoniū alicuius virtutis. Et hac ratione honoramus illustres, & sanguine ingenuos, quorum maiores arbitramur virtutū gradibus sublimem conscendisse locum. Sed multò iustius debetur honor parentibus, qui nos genuerunt propter participationem diuinæ dignitatis, qui est omnium pater, & dominus. Senectus etiam honorari præcipitur Leuit. cap. 19. dū dicitur: Coram cano capite consurge, & honora personam senis; quia est signum virtutis, quamuis fallax, atq; defectibile. Et propterea Sap. 4. dicitur: Senectus venerabilis est non diuturna, nec annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita est immaculata. Ex quo infertur, quod his omnibus honorem deferre, etiam si virtus in illis non sit; nulla est acceptio personarum, si quidem habent causam honoris.

Dubium circa. 3. cōclusionem D. Thom. Argum.

¶Sed circa tertiam conclusionem D. Th. quā dicitur, honorare diuites tantum propter diuitias esse peccatum acceptionis personarum, est difficultas, vtrùm vera sit. Et pro parte negatiua est argumentum: In gratuitis non potest reperiri acceptio personarum, vt dicit D. Thom. artic. 1. huius quæstionis, in solutio. ad. 1. sed honor, qui exhibetur diuiti propter diuitias tantum, non est debitus nec illi nec alteri, sed mere gratuitus: ergo non potest in illius collatione committi vitium acceptionis personarum. Et confirmatur: Per hoc, quòd ego aperiā caput diuiti propter diuitias tantum, nemini facio iniuriam: ergo non pecco peccato acceptionis personarum. In hac dubitatione, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd qui exhibet honorē diuiti, ea solum ratione, quia diues est, peccat, cum non habeat sufficientem causam honorem conferendi, & in gratuitis potest esse peccatum, nisi debitis fiant circunstantijs, vt est videre in eo, qui temere, & sine ratione bona sua elargitur. Secundò etiam est certum, quòd quotiescunq; in honoribus debitis indignus prefertur, qui id facit, peccat peccato acceptionis personarum nō conferens vnicuiq;, quod secundū iustitiā distributiuam sibi debetur. Et sic qui in cōuentu Christiano, vbi vnicuiq; locus debetur secundū propriā virtutē superhonoraret diuitē, esset acceptor personarū, vt dicit D. Iacobus in illo cap. 2. suæ canonicæ. Tertiò etiam est certum, quòd honorare diuitem ob eam rationem, quod eminentiorem locum obtinet in republica, vel in quantum ipsę diuitiæ sunt instrumenta virtutum ipsi diuiti, aut alteri ex communicatione, non est acceptio personarum, nec peccatū, vt dicunt D. Thom. atq; Caietanus in isto articulo. Et ratio est manifesta: Nam cum diuitiæ, vt sic participent rationē virtutis, fit, vt rectè possint esse causa honoris exhibendi, sicut diximus de alijs. Itaque hæc certa sunt.

1. Dictum certum.

2. Dictum certum.

3. Dictum certum.

Punctꝰ difficultatis.

Sententia Caietani.

Impugnatur Caietanus & explicatur difficultas

¶Sed dubium est, vtrùm exhibere honorem diuiti propter diuitias tantum eo tempore, quo talis honor non videtur alteri debitus, nec fit alicui iniuria, sit acceptio personarum? Caietanus in isto commentario dicit, quòd sicut gratis dando pecuniā quādo, & vbi non oportet, peccat quis contra liberalitatem, quamuis nulli faciat iniuriam, ità gratis honorando aliquem propter diuitias peccat contra obseruantiam, quæ est quædam virtus, de qua agit D. Thom. infra quæstione. 102. Cæterum, quia hoc quod est honorare aliquem propter diuitias, ideò est peccatum, quia non causa honoris debiti accipitur tāquā causa illius, quod ad acceptionem personarum spectat, idcircò hoc peccatum reductiuè pertinet ad vitium acceptionis personarum, cùm tamen propriè & secundum se in illo non contineatur. Hic modus dicendi Caietani præterquam quòd aduersatur D. Thomæ, qui absolutè concedit honorare diuites tantum propter diuitias esse peccatum acceptionis personarum, quod non diceret, si solum reductiuè, & non per se ad illud pertineret, est falsus. Quod, vt explicem, aduertendum est, quòd licèt honorare aliquem in honoribus priuatis videatur res gratuita, nec ad iustitiam rigurosam pertinens, tenetur tamen vnusquisque ex quodam debito morali omnes honorare secundū merita singulorum; ad quod ordinatè faciendum ponitur virtus moralis, quæ est obseruantia, pars subiectiua iustitię. Ex quo fit, vt qui honorat homines nō secundum proportionem ad merita vere peccat contra iustitiam distributiuam, atque ex consequenti non tantum reductiue, sed per se est acceptor personarum. Verum est tamen, quòd quoniam materia huius iustitiæ maiori ex parte est leuis, quicunque illam transgreditur regulariter loquendo tantum peccat venialiter. Et est intelligendum hoc, non de quibuscunque extrinsecis honoris signis, sed de veris honoribus, qui sunt quādo signa hæc extrinseca, vt capitis detectio, & humiliatio tanquam testimonia exhibentur intrinsecę existimationis, quę de diuitijs habetur reputando illas, vt sic, tanquam aliquid magnum, & dignum reuerentia. Nam reuereri diuites exteriùs iuxta communes leges vrbanitatis, & comitatis nullō est peccatum, vt docet D. Augustinus supra secundum caput Epistolæ D. Iacobi, & in Epistola. 29. Vbi latè testimonium illud explicat. Et ad argumentum in cōtrarium factum respondetur, negando antecedens. Nam cum honor sit debitus vnicuique secundum propriam excellentiā, nec diuitiæ seorsum existimatæ aliquam præseferant excellentiam honore dignam, fit, vt qui tantum propter diuitias honorem tribuit contra iustitiā peccet distributiuam: & sic vere est acceptor personatum. Et eodem modo respondetur ad confirmationem, quamuis si in illa tantū sit sermo de signis exterioribus dico, quod illa exhibere propter diuitias secundum leges vrbanitatis & amicitiæ nullum est peccatum.

Artic. vltvs. IIII.

¶Vtrùm in iudicijs locum habeat peccatum acceptionis personarum.

Ad Qvartvm sic proceditur. Videtur, quòd in iudicijs locum non habeat peccatum acceptionis personarum. Acceptio enim personarum opponitur distributiuæ iustitię, vt dictum * est. Sed iudicia maximè videntur ad iustitiam commutatiuam pertinere: ergo personarum acceptio non habet locum in iudicijs. *Ar. 1. huiꝰ quæst.*

2 ¶Præterea, Pœnæ secundū aliquod iudicium infliguntur. Sed in pœnis accipiuntur personæ absq; peccato: quia grauius puniuntur qui inferunt iniuriā in personas principum, quàm qui in personas aliorum: ergo personarū acceptio non habet locum in iudicijs.

3 ¶Præterea, Ecclesiast. 4. dicitur, In judicando esto pupillis misericors. Sed hoc videtur esse accipere personā pauperis: ergo acceptio personarum in iudicijs non est peccatum.

Extra de regu. Iurit reg. 12. De sentent. & re iudicata c. cū aterni. Q. 60. a. 1.

¶Sed contra est, quòd * dicitur Prouerb. 18. Accipere personam in iudicio non est bonum.

¶Respondeo dicendum, quòd sicut dictum * est, iudicium est actus iustitiæ, prout iudex ad æqualitatem iustitię reducit ea, quę inæqualitatem oppositam facere possunt: personarum autem acceptio inæqualitatem quandam habet, in quantum attribuitur alicui personæ præter proportionem suā, in qua consistit æqualitas iustitiæ. Et ideo manifestum est quòd per persona

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum acceptionem iudicium corrumpitur.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quod iudicium dupliciter potest considerari. Vno modo quantum ad ipsam rem iudicatam: & sic iudicium se habet communiter ad commutatiuam, & ad distributiuam iustitiam. Potest enim iudicio diffiniri qualiter aliquid commune sit distribuendum in multos, & qualiter alteri vnus restituat, quod ab eo accepit. Alio modo potest considerari quantum ad ipsam formã iudicij, prout, scilicet, iudex etiam in ipsa commutatiua iustitia ab vno accipit, & alteri dat. & hoc pertinet ad distributiuam iustitiam. Et secundum hoc in quolibet iudicio locum habere potest personarum acceptio.

¶Ad secundum dicendum, quòd cũ punitur aliquis grauius propter iniuriam in maiorem personam commissam, non est personarum acceptio, quia ipsa diuersitas personæ facit, quantum ad hoc, diuersitatem rei, vt supra * dictum est.

*2.2.q.58.art.10. ad.3° & q.61.a.2.ad.3.

¶Ad tertium dicendum, quòd homo in iudicio debet pauperi subuenire quantum fieri potest: tamen sine læsione iustitiæ. Alioquin non haberet locum illud quod dicitur Exod.25. Pauperis quoque non misereberis in iudicio.

Summa Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet Diu. Thom. vnica conclusione affirmatiua, quam probat in argumento, sed contra, ex illo Prouerb.18. Accipere personam in iudicio non est bonum. Et in corpore articuli hac ratione, Iudiciũ est actus iustitiæ, quo iudex ad æqualitatem reducit ea, quæ per dationem & receptionem inæqualia erant, sed hoc iudicium consuenit aliquando corrumpi ex eo, quod non ad causam, sed ad personam, hoc est, ad pretium, preces, odium, vel fauorem cõijcitur oculus, quod est personas accipere: ergo in iudicijs habet locum acceptio personarum.

Conclusio D. Tho. certa, & colligitur ex iure.

Explicatio Articvli.

Conclusio huius articuli est certissima. Et colligitur manifestè ex iure, si quidẽ inter regulas, quæ in.6. constituuntur. 12. est quòd in iudicio non est acceptio personarum habenda. Grauitas autem huius criminis inde constare poterit, quòd cum iudex, vt autor est Aristotel. libr.5. Ethicor. adeo debeat esse custos iusti, vt eum Cicero in libro de legibus iustitiam appellauerit animatam, nulla potest esse immanior peruersio, quàm quod ab ipso iudice iustitia corrumpatur. Perinde enim est ac si ipsa iustitia se suis manibus dilaniaret, aut ratio in rationem ageret. D. Thom. sup. q.60.ar.1. determinauit omne iudicium actum esse iustitiæ, nulla facta declaratione, an esset actus iustitiæ commutatiuæ, vel distributiuæ. At verò nunc in solutione ad primum docet; quod quauis iudicium quantum ad materiam, & rem iudicatam aliquando ad commutatiuam, & aliquando ad distributiuam iustitiã pertineat, tamen quantũ ad formã iudicij semper pertinet ad iustitiã distributiuã. Propriũ enim est distributiuæ iustitiæ, attendere proportionem inter plures seruãdam. Et forma iudicij in hoc consistit, vt debita proportio inter partes seruetur, ita, vt vnusquisque litigantium sententiam accipiat secundum proportionem ad ius, quod habet. Ex quo infertur, quòd cùm iudex in sua sententia alicuius personæ intuitu prædictam proportionem non seruat, acceptor personarum sit dicendus.

¶Sed quoniam ea, quæ iudex debet efficere sunt in duplici differentia; quædam enim sunt, quæ in ipso iure determinatè pronuntur, vt quod suscipiat testes, vel faciat informationem de quibus non est dubium, quòd si ex causa ad rem non pertinente, vt ex amicitia alterius partis, aut ex precibus, aut pretio relinquantur, talis iudex erit manifestus acceptor personarum. Alia autem sunt, quæ ipsius iudicis arbitrio relinquuntur; vt quòd proferatur sententia tali, vel tali die, aut hora; aut quòd dictum testium statim, vel postea sumatur, aut quod concedatur talis, vel talis terminus, est difficultas, an in his, quæ relinquuntur arbitrio iudicis, possit habere locum peccatum acceptionis personarum. Et eadem est quæstio de principe, quantum ad ea, quæ suo arbitrio relinquuntur, vt si remittat vni reo pœnam, & non alteri, eodem crimine & circunstantijs existentibus, & de prælato dispensante cum vno & non cum altero in simili causa? Et pro parte negatiua est argumentum: Hæc omnia sunt gratuita in meroque iudicis arbitrio constituta: acceptio autem personarum solùm habet locum in debitis, vt diximus in superioribus: ergo in illis non potest esse acceptio personarum. Hoc tamen

Dubium.

Argumentum.

non

Sententia autoris.

non obstante, dico, quòd omnia gratuita cõgerere in fauorem vnius partis ex causa ad rem non pertineate, vitium est acceptionis personarum, siue in principe, siue in iudice, siue in prælato. Ità tenet Soto lib.5. de iustitia. q.6.art.5. quem communiter sequũtur recentiores. Et ratio illius est: Nam ea non sunt omnino gratuita, sed debita potiùs ex quadam æquitate naturali, quod sufficiens est ad hoc, vt illa tribuens sine causa, quæ ad rem pertineat, sit acceptor personarum. Item: Vsus potestatis, quem habet princeps, iuder, vel prælatus est bonũ quoddam publicum ad commodum & vtilitatem subditorum ordinatum: ergo ex iustitia distributiua tenentur illud dispensare & applicare ad subditos secundum dignitatem causæ vniuscuiusque, quod nisi fecerint erunt acceptores personarum. Dixi ex causa ad rem non pertinente. Nam si iudici certo constaret, vnum ex litigantibus esse innocentẽ iniusteque ab altero vexari, nullam faceret iniustitiam, imò nec iniquitatẽ, si citra scandalum in omnibus gratuitis ex hac ratione innocentis causam ageret: non tamen liceret illi legis necessaria prætermittere, aut dissimulare: quia cum sit legum custos, debet semper secundũ allegata & probata iudicium proferre. Quanuis verũ esset quod licet prętermittendo, & violando iura in fauorem manifesti sibi innocentis delinqueret, & nonnunquam mortaliter, tũ propter scandalum, tum etiam, quia contra officium suum leges præuaricaret, nihil tamen teneretur actori restituere, cum nihil quod suum esset ab eo auferret. Ex dictis infertur, quod vbicunque fuerint vtrinque opiniones æque probabiles, poterit iudex secluso scandalo in fauorem amicorũ, nũc secundum vnam, & nunc secundum alterã iudicare: cum hoc sit mere liberum, & gratuitum, nec ex aliqua obligatione dependens. Parcè tamen admodum id faciendũ erit: tum, quia regulariter sequitur scandalum, tum etiam, quia est magnum periculum, ne affectus amici corrumpat intellectum faciendo, quod appareat probabilis opinio, quæ re vera non est probabilis.

Dubium.

¶An autem liceat iudici sine acceptione personarum secundum opinionem minus probabilem iudicare, relicta probabiliori, & vniuersaliter, an sit licitum sequi opinionem probabilem non obstante, quod contraria sit probabilior, quæstio est valde difficilis, & de qua sunt variæ Doctorum sententiæ. Soto libro.3. de iustitia. q.6. art.5. in solutione ad quartam argumentũ, dicit, quòd quanuis in speculabilibus scholarum disputationibus parum referat, quòd quis minus probabilia ingenij ostentandi gratia defendat, in practicis tamen quæ alienam vitam respiciunt, nefas esset iudicem infirmiorem opinionem sectari, sicut & medico in practica, ex qua salus pendet infirmi, ac multò magis Theologo in ijs, quæ sunt fidei: quin verò iudex aliter faciens restitutioni fieret obnoxius. Hæc Soto. Quam etiam sententiam tenet Syluester verbo. opinio. §.2. & Conradus in libro de contractibus, quæstione vltima, & Caietanus in summa verbo. opinio. Et probari potest aliquibus argumentis. Primò sic: Qui sequitur opinionem probabilem relicta probabiliori exponit se periculo peccandi, si quidem eligit id, quod est minus certum relicto certiori: ergo peccat. Secundò: In dubijs tutior pars est eligenda, vt habet regula communis: sed opinio probabilior est tutior: ergo illa est sequenda. Et confirmatur: Quando ex vtraq; parte periculum est, ratio postulat, vt in eam fiat inclinatio, quæ maioribus fuerit confirmata rationibus: sed talis est opinio probabilior: ergo. Tertiò: Iudex, qui pronunciat sententiam contrà eam, qui probabiliora testimonia adducit, certè peccat mortaliter contra iustitiam, & est acceptor personarũ: ergo & qui sequitur in iudicando opinionem probabilem relicta probabiliori. Probo consequentiam: Nam rationes, quæ faciunt vnam sententiam probabiliorem sunt veluti maiora testimonia pro illa. Et confirmatur ex cap. iuuenis. de sponsalibus. vbi dicitur: In dubijs id, quod certius existimamus esse sequendum.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

Sententia autoris.

¶His tamen non obstantibus, dico, quòd contraria sententia est longè probabilior, nempe, quòd quotiescunque fuerit opinio probabilis potest iudex secundum illam sine acceptione personarum, imo sine quocũque alio peccato iudicare. Et idem est dicendum de medico curante infirmum, & de Theologo procedente in his, quæ sunt fidei secundum sententiam probabilem. Probatur: Ex eo opinio aliqua dicitur probabilis, quòd possumus eam sine reprehensione, & vituperatione sequi: ergo implicat contradictionem, quòd sit probabilis, & quod non possimus eam licitè sequi. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Opinio non dicitur probabilis ex eo, quod in eius fauorem adducantur rationes apparentes, & quod habeat assertores & defensores; nam sic omnes errores essent opiniones probabiles: ergo est probabilis ex eo, quod possumus eam sine reprehensione sequi: quod faciunt viri sapientes, qui illam tenẽt.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

& optima argumenta, quibus confirmatur, quæ sequi non est improbabile, vt dicit Aristotel. lib. 1. Topi. cap. 1. & 1. Ethic. capit. 4. Secundò: Illa est opinio probabilis, quæ est conformis rectæ rationi, & existimationi virorum sapientum atque prudentum: ergo illam sequi nullum est peccatum. Consequentia est euidens, & antecedens probatur: Quando aliqua sententia non est conformis rectæ rationi, sed contrariæ illi, non potest esse probabilis, sed manifestus error: ergo tunc erit probabilis, quando fuerit cõformis rectæ rationi, existimationique virorum prudentum. Dices, opinionem probabilem esse quidem conformem rectæ rationi. Cæterum, quia opposita est conformior tenetur iudex secundum illam proferre sententiam. Contra hoc sic argumentor: Nullus obligatur sequi id, quod melius, & perfectius est: sed satis erit facere quod est bonum; nullus enim obligatur sequi virginitatẽ, aut fieri religiosum, quamuis virginitas, aut religio perfectior sit, quam status matrimonij: ergo pari ratione nullus obligatur sequi sententiam probabiliorem, quamuis sit melior, si quidem probabilis est bona. Vltimò: Licitum est docere, & proponere in scholis opinionem probabilem; relicta probabiliori, vt Soto & alij concedunt: ergo etiam est licitum eam consulere, atque ex consequenti, eam sequi. Probo cõsequentiam: Nam licitum est facere, quòd licitum est docere. Ex hoc infertur, quòd poterit iudex pronunciare sententiam contra propriam opinionem, quando intelligit oppositam esse probabilem. Nam quamuis habeat opinionem speculatiuam, in contrarium est tamen certus practice, & moraliter quod quamcunque opinionem probabilẽ est licitum sequi. Est autem hoc intelligendum, dummodo altera opinionum, vsu & consuetudine non sit recepta: nam tunc secundum illam tenebitur iudicare, vt dicitur in lege. minime. de legibus. & in cap. cũ dilectus. de consuetudinibus. Et ratio est: Nam consuetudo est optima legum interpres. Similiter etiam in dissensione opinionum, illa erit sequenda, quæ fuerit mitior, atque fauorabilior, vt dicitur in lege. semper in obscuris. ff. de regulis iuris. & in cap. disciplina. 45. distin. ex quibus delumptæ fuerunt istæ regulæ, In dubijs reo est fauendũ, &, Melior est conditio possidentis. Propter eandem etiam rationem conditio impossibilis, quæ solet omnes contractus irritare, in fauorem matrimonij, & in fauorem testamẽti habentur pro non adiectæ, vt dicitur in cap. vltimo. de conditionibus appositis.

¶Et ad primum argumentum factum pro sententia Soti respondetur, negando antecedens. Nam cum certum sit, quòd probabilis opinio sequi potest, qui id facit nullo modo se exponit periculo peccandi. *Ad 1. arg.*

¶Ad secundum respondetur, illam regulam: In dubijs tutior pars est eligenda, esse intelligendã, quando vtraque pars habet periculum. Nam, si vtraque est secura & tuta; quod contingit, quando ambæ opiniones sunt probabiles, quanuis probabilior sit tutior, licitum erit ceram sequi. Præterquàm, quòd etiam illa regula, quam plurimas patitur instantias. Nam si præcipiat alicui prælatus rem difficillimam, de qua subditus dubitat, an iure præcipiat, non tenebitur cum tanto periculo, & discrimine obedire, donec constet ius præcepti; licet in præstanda obedientia certus sit, quòd non peccat. Ité: Si quis petat à me fundum, quem iure possideo, cuius petitionis causa incipio dubitare, an sit meus: non teneor statim illũ reddere, licèt in reddendo certus sim, quod nõ peccem. Ad confirmationem respondetur; maiorem illam propositionem habere verum, quando ex vtraque parte est periculum. Tamen in sequendo opinionem probabilem nullum est periculum, vt ex dictis patet. *Ad 2. arg.*

¶Ad tertium argumentum respondetur, concesso antecedenti, negando cõsequentiam. Et ad probationem dico, esse latissimum discrimen inter testimonia, quæ quis adducit pro suæ causæ probatione, & rationes, quæ reddunt aliquam opinionem probabilem. Nam testimonia, quia adducuntur ad facti confirmationẽ, quo maiora fuerint, efficiunt ipsam causam digniorem. Et recta ratio dictat, quod sententia proferatur secundum maiorem dignitatem causæ, nec est aliqua opinio probabilis, quæ dicat licitum esse contra huiusmodi hominẽ sententiam proferre. At verò rationes, quæ reddunt aliquam opinionem probabilem, tenent se ex parte iuris. Et ratio postulat, vt quotiescunque in iure fuerint duæ opiniones, vna probabilis, altera probabilior, licitũ sit vnicuique quam maluerit sequi. Alias illa, quam sequi non erit licitum, nulla ratione merebitur nomen sententiæ probabilis. Ad confirmationem ex cap. iuuenis, respõdetur, vel, quòd loquitur de dubijs, quorum quodlibet continet periculum, in quibus semper tutior pars est eligenda, vt diximus in solutione secundi argumenti; vel q. est sermo de eo, quod est certius in facto propter maiora testimonia, quæ ad illius probationẽ adducuntur: quod similiter erit semper præferendum dubio, vt modò dicebam. *Ad 3. arg.*

¶Vltimum

Vltimũ dubium.

¶Vltimum dubium circa istam materiam est, vtrùm sicut in iudicijs sic etiam in legibus ferendis, maximè quibus imponuntur tributa subditis, habeat locum acceptio personarum? Soto lib. 3. de iustitia. quæstione. 6. art. 2. latè disputat de hac re, quantum attinet ad tributa, de quo etiam nos supra diximus, artic. 3. quæstionis præcedentis. Qua re pro nunc breuiter dico, certum esse quòd acceptio personarum potest habere locum; tum in alijs legibus; tum maximè in illis, quibus tributa imponuntur. Si enim princeps sine iusta & rationabili causa condat legem in fauorem alicuius, vel aliquarum personarum, quæ in aliorum notabile detrimentum vergat, proculdubio peccabit mortaliter, & erit acceptor personarum. Vt si statuat legem qua præcipiat, quòd certum genus mercium vsui hominum valde necessarium non possit nisi ab hoc, vel ab illo vẽdi. Tunc enim lucra, quę conceduntur vni, vel alteri sine causa perirent alijs. Et nõ solum perirent lucra, sed etiam insurgerent grauissima damna, cum longe cariùs cogerentur ciues illas merces emere, quàm emptura esset, si talis lex posita nõ esset. Quod est manifestè contra iustitiam distributiuam præcipientẽ, vt fauores publici sicut & onera secundum proportionem diuidantur, iuxta illud Pauli. 2. ad Corinth. 8. Non, vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. Verum est tamen, quòd ex rationabili causa bene posset fieri talis lex, vt si quis sua industria & labore certum genus mercium reipublicæ vtilium adinuenisset, nullus vltra eum id vendere posset, taxato prius per publicam potestatem pretio conuenienti. Et hac ratione iustissime illis qui libros composuerunt priuilegia conceduntur, vt ipsi soli eos vendant. Ex hoc infertur, quòd si leges tributorum non seruauerint debitam proportionem ad causam, pro qua ponuntur, & ad facultatem, & possibilitatem eorum, quibus imponuntur, debitis circunstantijs secundum rectam prudentiam consideratis, non erunt iustæ, nec obligabunt in conscientia. Qua ratione dixere multi, quòd tributum vulgò appellatum, sisa, non est iustum, quia in illo non plus soluit, qui plus habet, sed qui pluribus indiget. Et idem dicunt de illo tributo quod dicitur, alcauala. Sed iam nos satis de hoc. q. 62. art. 3.

Resolutio difficultatis.

QVÆSTIO. LXIIII.

De virtijs oppositis commutatiuæ iustitiæ, in octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

¶Vtrum occidere quæcunque viuentia sit illicitum.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod occidere quæcunque viuentia sit illitum. Dicit enim Apostolus ad Roman. 13. Qui ordinationi Dei resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Sed per ordinationem diuinę prouidentiæ omnia viuentia conseruantur, secundum illud Psal. 146. Qui producit in montibus fœnum, & dat iumentis escam ipsorum: ergo mortificare quæcunque viuentia videtur esse illicitum. *1. d. 39. q. 2. a. 2. cor. Et. 3. cõtra. c. 112. fin.*

2 ¶Præterea, Homicidium est peccatũ ex eo, quòd homo priuatur vita. Sed vita communis est omnibus animalibus & plantis: ergo eadem ratione videtur esse peccatum occidere bruta animalia & plantas.

3 ¶Præterea, In lege diuina non determinatur specialis pœna nisi pro peccato. Sed occidenti bouem vel ouem alterius statuitur pœna determinata in lege diuina: vt patet Exodi. 21. ergo occisio brutorum animalium est peccatum.

¶SED CONTRA est, quòd Augustin. dicit *in. 1. de Ciuit. Dei, Cùm audimus, Non occides, non accipimus hoc dictum esse de frutetis: quia nullus eis est sensus, nec de irrationalibus animalibus: quia nulla nobis ratione sociantur. Restat ergo, vt intelligamus de homine quod dictum est, Non occides. *Li. 1. c. 20. declinando ad fi. 10. 5.*

¶RESPONDEO dicendum, quòd nullus peccat ex hoc, quòd vtitur re aliqua ad hoc, ad quod est. In rerum autem ordine imperfectiora sunt propter perfectiora: sicut etiam in generationis via, natura ab imperfectis ad perfecta procedit. Et inde est, quòd sicut in ge-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in generatione hominis prius est viuũ, deinde animal, vltimo autem homo: ita etiam ea quæ tantum viuunt, vt plãtæ, sunt communiter propter animalia, omnia autem animalia sunt propter hominem. Et ideo si homo vratur plantis ad vtilitatem animalium, & animalibus ad vtilitatem hominis, non est illicitum, vt patet per Philosophum * in primo Polit. Inter alios autem vsus maximè necessarius esse videtur, vt animalia plantis vrantur in cibum, & homines animalibus, quod sine mortificatione eorum fieri non potest. Et ideo licitum est & plantas mortificare in vsum animalium, & animalia in vsum hominum ex ipsa ordinatione diuina. Dicitur enim Genes.1. Ecce dedi vobis omnem herbam & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ. Et Genes 9. dicitur, Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.

Lib.1.c.5. à medio, & 6.7.to.5.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd ex ordinatione diuina conseruatur vita animalium & plantarum non propter seipsam sed propter hominẽ. Vnde, vt Augustinus dicit * in primo de Ciuitat. Dei, iustissima ordinatione Creatoris vita & mors eorum, nostris vsibus subditur.

Lib.1.c.20 in fin.to.5.

¶Ad secundum dicendum, quòd animalia bruta & plantæ non habẽt vitam rationalem, per quam à seipsis agãtur, sed semper aguntur quasi ab alio, naturali quodam impulsu. Et hoc est signum, quòd sunt naturaliter serua, & aliorum vsibus accommodata.

¶Ad tertium dicendum, quòd ille qui occidit bouem alterius, peccat quidem: non quia occidit bouem, sed quia damnificat hominẽ in re sua. Vnde non continetur sub peccato homicidij, sed sub peccato furti vel rapinæ.

Svmma Textvs.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Tho. vnica conclusione, quæ talis est: Licitũ est plãtas mortificare in vsum animalium, & animalia in vsum hominis. Hanc probat D. Thom. in argumento, sed contra, ex D. August. lib. 1. de Ciuitate. cap. 20. dicente: Cũ audimus: Non occides. nõ accipimus hoc dictum esse de frutetis, quia nullus eis est sensus; nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur, sed de homine, &c. Eandem probat in corpore articuli; tum testimonio scripturæ; tum etiam aperta ratione. Testimonium habetur Genes. cap. 1. Vbi Deus dixit hominibus: Ecce dedi vobis omnẽ herbã, & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam, & cũctis animantibus, & cap. 9. Omne, quod mouetur & viuit erit vobis in cibum. Et ratione sic argumentor: Nullus peccat ex eo, quòd vtatur re aliqua ad id, ad quod est: sed omnes plantæ sunt propter animalia, & animalia propter hominem: ergo licitum erit vti plantis in vsum animalium; & animalibus in vsum hominum. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Ordine naturæ imperfectiora sunt propter perfectiora, sed plantæ sunt imperfectiores animalibus, & animalia sunt imperfectiora homine, vnde videmus, quòd in generatione hominis prius est viuum, quod conuenit plantis, & deinde animal, & vltimo homo: ergo plantæ sunt propter animalia, & animalia propter hominem.

Explicatio Articvli.

RAtio, quæ mouet D. Thom. ad præmittendum istum articulum materiæ de homicidio, fuit impugnare sententiam Manichæorum asserentium, animalium animas membra esse Dei, & ideo impietatem esse illorum carnibus vesci, aut illa occidere, vt autor est D. August. lib. 1. de Ciuit. cap. 20. & lib. 6. contra Faustũ Manichæum capit. 4. 5. & 6. Cæterum conclusio D. Thom. nõ solum est de fide tenenda propter aperta testimonia scripturæ, quæ ab ipso adducuntur atque etiam propter illud Gene. 1. Dominamini piscibus maris, & volucribus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram, vbi plenum dominium Deus hominibus concessit supra quæcunque animantia: & certum est, quòd dominium est ius assumendi aliquid in suam facultatem, atque vsum, quem homo in multis animalibus habere non potest, nisi eis vescendo: verum etiam est lumine naturali nata, quo constat imperfectiora esse propter vsum perfectiorum, vt materia propter formam, plantæ propter bruta, & bruta propter hominem. Qua ratione Aristoteles libro primo Politicor. probat, venationem syluestrium animalium esse licitam, & naturalem, vtpote, qua homo vendicat sibi quod est naturaliter suum, præter quam quod cum

Ratio quæ mouit D. Tho. ad præmittendã hãc difficultatem.

cum nulla genera ciborum immunda sint ex natura sua immunditia culpæ, vt docet D. Thom. 1. 2. quæstion. 102. articulo. 6. ad primum, iuxta illud Christi Matth. 15. Non quod intrat per os coinquinat hominem; ratio naturalis dictat, quòd omnibus possit homo pro sua voluntate vti. Pro quo etiam facit illud Actorum. 10. Vbi dicitur, quòd cum vidisset Petrus linteum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, audiuit vocem dicentem: Occide & manduca. Et cum Petrus respondisset; Absit à me Domine, quia nunquam manducaui commune & immundum; facta est iterum vox ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Quasi significans, nulla esse animalia, quibus vesci ex natura rei nõ sit licitum. Idem etiam dicit Di. Augustin. lib. 6. contra Faustum capit. 15. Vbi latè de hoc disputat contra Manichæos, citans illud à postoli ad Titum. 1. Omnia munda mundis. Et in cap. 8. eiusdem lib. dicit: Omnis creatura Dei bona est, omnia enim, quę naturaliter sunt in ordine suo bona sunt, & nemo eis peccat.

Dubium.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm vsus, qui nunc est vescendi carnibus animalium fuerit etiam ante diluuium D. Thom. 1. 2. quæstione. 102. articulo. 6. ad secundum, dicit, quòd esus carnium videtur post diluuium introductus. Tunc enim Genes. 9. dictum est: Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem. Et hoc ideò, quia à terra nascentia magis pertinebant ad simplicitatem vitæ. Et super Epistolam ad Romanos cap. 14. in illa verba; Is, qui manducat non manducantem, non spernat, etiam dicit, quòd terræ nascentia à principio fuerunt homini concessa ad edendum. Et post diluuium primò legitur concessus eius carnium. Quibus verbis significare videtur, quòd ante diluuium non solum, non fuerunt in vsu carnes, sed nec etiam fuerunt licitæ. Eandem sententiam tenet Nicolaus de Lira super Genes. capit. 9. & Abulens. super Genes. capit. 1. Qui expressius affirmat prohibitum fuisse tunc tale nutrimentum. Et probari potest hæc sententia aliquibus argumentis. Primò ex illo Genes. cap. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis semen tem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ. Quibus verbis videtur Deus hominibus cibos taxasse, vt, scilicet, non manducarent carnes, sed fructibus vescerentur. Et subdit statim: Et factum est ita. Quasi significans, quòd nihil aliud manducauerunt, nisi id, quod à Deo fuit determinatum. ¶Item Genes. capit. 9. postquam dictum est ad Noe de arca egredientem: Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, subdit statim: Quasi olerà viuentia tradidi vobis omnia. Ac si diceret: Hactenus non, nisi olera vobis in cibum permisi; cæterum deinceps non minus quam ipsa olera erunt vobis animalia in edulium. Et ne ignorarent modum, quo illa edere deberent, adiecit statim, excepto quod carnem cum sanguine nõ comedetis. Ex quo loco sic colligo argumentum: Vel prius comedebant carnes, vel non. Si comedebant, vel cum sanguine, vel sine illo. Si comedebant sine sanguine: ergo nulla fuit causa tale præceptum de nouo imponendi. Si autem comedebant cum sanguine, reddenda erit ratio, propter quam Deus ante permiserit carnem cum sanguine manducare, & postea illud prohibuerit. Maximè cum Aristotel. 7. Ethic. cap. 5. comedere carnes crudas enumeret inter vitia feritatis. Hæc autem assignari non poterit: ergo est dicendum, quòd tunc incepit vsus carnes manducandi. Et ideò modus fuit præscriptus, scilicet, vt elixis, vel assis vterentur, & non crudis, vt feræ.

Sententia D. Tho. & aliorum.

1. argum.

2. argum.

¶Potest præterea hoc ipsum probari, ex Boecio Seuerino, qui primam mundi ętatem cõmendans, lib. 2. de Consolat. metro. 5. in hunc modum loquitur:

3. argum.

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande.

¶Nam post cæteris ætatibus ingruentibus, eò licentia hominum peruenit, vt iam vulgo omnes.

Pectora, brachia, vultum,
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
vel quò non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquã homine, ventri indulsit non omne legumẽ

¶Versus sunt Iuuenalis, quibus Satyrã. 15 finiuit: nominat autem Pythagoram, eo quòd is cum sentiret, animas hominum post mortem in brutorum, vel hominum corpora transire, carnibus abstinuit, ne, scilicet, comedendo, animas hominum absorberet. Porrò quod ait. Ventri indulsit non omne legumen, fabam intelligit, qua etiam abstinuit Pythagoras, quia faba cibus est multam inflationem afferens, ac proinde contraria tranquillitati mentis. Traditur ab Aulo Gellio, lib. 4. Noct. Attic. c. 11. Eundem carnium vsum, ceu rem immanem & nefandam latissimè

Universidad de Deusto
Biblioteca

simè prosequitur Ouidius, lib. 15. Metam. ab illo carmine.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis. &c. Vsque ad illud.

Heu quantum scelus est in viscera viscera condi. Alteriusq; animantem animantis viuere letho!

Et infrà quàm plurima elegantissimè. Faciens autem mentionem de prima mundi ætate, cuius etiam suprà meminit Boetius, sic ait idem Ouid. eodem loco:

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen, Fœtibus arboreis, & quas humus educat, herbis Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Instituerat verò de hac ætate sermonẽ iam superiùs, lib. 1. nam de hominibus illius sęculi loquens dixerat.

Contentique cibis nullo cogente creatis Arbuteos fœtus, montanáq; fraga legebant: Cornáq;, & in duris hærentia mora rubetis.

Ex quibus facile colligitur ante diluuiũ prædictum vsum vescendi carnes minime viguisse. ¶ Vltimo sic argumentor: Ante diluuium virtus ad alenda, vegetanda, roborandaque corpora mortalium vigebat in herbis, vtpote quæ ex aquæ inundatione nondum vim amiserant: ergo tunc nõ erat necessarius carnium esus, sicut postea; atque ex consequenti non erat à Deo concessus.

Vltimũ argumẽtum.

Sententia Victoriæ & aliorũ pro habilior.

¶ Contrariam tamen sententiam tenet Victoria in relectione de temperantia, numero. 3. & Soto lib. 5. de Iustitia quæstione 1. articulo 1. quam ego probabiliorem existimo. Vnde ad illius explicationem, vt à notioribus incipiamus dico primò, certũ esse, quòd iure naturali ante diluuium esus carnium non erat illicitus, vt patet ex ijs, quæ diximus in principio huius articuli. Et præterea, quia per legem Christi naturalis lex non fuit abrogata. Quare, si tunc erat contra ius naturæ, quòd homines carnibus vescerentur, etiam esset modo, & semper; si quidem lex naturalis inuiolabiliter manet eadem apud omnes, vt docet D. Thom. 1. 2. quæstione 94. art. 4. Dico secundo etiam esse certum, quòd in statu innocentiæ quantouis sęculo durasset nunquã homines carnibus vescerentur. Et ratio est: Nam fructus paradisi fuissent, tum affluentissimi, tũ etiam virtute solidissimi ad nutriendos, vegetandosque homines; & cum in illa felicissima ætate nulla esset inordinata affectio nullus superfluis vteretur, sed essent necessarijs contenti. Dico tertio, meo iudicio etiã esse certum, quòd esus carnium ante diluuium nulla diuina lege erat prohibitus, tũ quia nullibi habetur talis prohibitio; tum etiam quia illa dicebatur ætas legis naturæ, ea solùm de causa; quia nulla alia, vel paucissima præcepta haberet, nisi quæ erant de lege naturali. Quod & intellexisse videtur D. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 1. ad quartum, quando dixit, generaliter ante legem Moysi nulla lege fuisse prohibitum esum animalium, sed propter abominationem, & consuetudinem abstinebant homines ab aliquibus. Dico vltimò, esse probabilissimũ, quod ante diluuium statim post naturam lapsam homines carnes manducauerunt, illisque frequenter in cibum vtebãtur: probatur, ex Genes. c. 4. Vbi Abel laudatur, propterea q̃ de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, hoc est, de pinguioribus sacrificium offerebat. Nulla autem esset iusta causa talis laudationis, nisi homines talibus animalibus vescerentur. Ad hoc nonnulli respondent, quòd, quanuis animalia eo tempore non erant vtilia in esum, erant tamen vtilia causa pellium & vellerum ad vestitum. Sed hæc solutio mihi non placet. Primò: Quia eadem est ratio de vsu lactis, & de vsu animalium quantum ad cibum, cum non fuerit vnum magis concessum, quam alterum in illo primo cap. Genes. Secundò: Quia si homines eo tempore solum haberent animalia in vsum pellium ac vellerum ad vestitum non esset cur sacrificium Abel tanti fieret, propterea quòd de primogenitis, & de adipibus fuisset oblatum, si quidem ad vsum pellium, & vellerum parum, vel nihil referre videatur, quòd animalia sint primogenita, & crassa. Ad cibum autem quam plurimum. Et item, quia non apparet quid tunc fieret de volucribus cicuribus, vt de gallinis, cùm nec oua essent concessa in edulium. Præterea probatur conclusio ex Genes. capit. 7. vbi præcepit dominus ad Noe, vt tolleret de animalibus mundis septena, & septena; de immundis autem duo & duo. Et distinguebantur munda ab immundis ex eo, quòd illa erant idonea ad vescendum, ista verò minimè, vt dicunt multi Doctores. Alij affirmant, vt D. Tho. 1. 2. q. 103. arti. 1. ad quartum, quòd munda, & immunda distinguebantur per ordinẽ ad sacrificia. Sed hoc mihi non videtur verum. Tum, quia non est credibile, quòd sacrificia fierent de rebus inanibus, & quæ nulli vsui essent sacerdotibus. Si autem homines non vescerentur carnibus ipsa animalia essent prorsus inutilia, saltim turtures, & columbę, quæ ad nihil aliud valent, quam ad esum. Et tamen nullus dubitat, quòd ex his, & ex gallinis fuerint in arca introducta septena & septena, tanquam ex animalibus mundis. Tum etiam; quia cùm tunc non esset

esset determinatũ, ex quib' animalibus debe rent fieri sacrificia; sed hoc fuit declaratũ in lege scripta, non apparet, qua ratione munda distinguerentur ab immundis per ordinem ad sacrificia, sed per ordinem ad conuenientiam, quam habebant ad vsum edendi. Atque ex consequenti homines ante diluuium vtebantur carnibus ad vescendum. Præterea hoc ipsum probatur, supposito prius, quòd esus carniũ post naturæ lapsum fuit vitæ humanæ, eiusque incolumitati valde naturalis, adeò vt medici nihil salubrius in cibis ponant, quam naturam statim à sua conditione carnes habuerunt. Tunc sic argumentor: Si ante diluuium homines carnibus non fuerunt vsi, id fuit; vel, quia erant illis interdictæ; vel, quia earum salubritas atque sapor nondum erant eis nota; vel quia ad vitam degendam non erant necessariæ. Primum dici non potest; quia, vt constat ex superioribus, nullo præcepto, vel diuino, vel naturali erat prohibitus esus carnium; imò contrarium natura docebat. Nec secundum; quia non est verosimile, quòd per mille sexcentos annos, nunquam homines speculando optimam carnium ad cibum naturam agnouerint, aut experientia deprehenderint. Maximè cum Doctores dicant gentes illas circà ortum humani generis ingenio & sagacitate præ suis posteris valuisse. Nec etiam tertium. Nam, quanuis verum esset, quòd hominibus in sua integritate manentibus, propter humanam tunc frugalitatem, & modestiam non vescerentur carnibus, sed fructibus, qui abundantissimi, & salubrimi essent, fuissent contenti, vitiata tamen natura, nullum est argumentum, quod, quia carnes non erant necessariæ, ideò non erant in vsu: corruperat enim omnis caro viam suam. Imò ex eo, quòd homines illi ad malum proni peioribus se voluptatibus immerserunt, probabilissimè colligitur, talibus etiam escis, & eduliorum delicijs se se dedisse: Maximè cum dicat Iosephus libr. 1. Antiquitatum, quòd propè ante diluuium nulli parcebatur vitio, aut flagitio. Relinquitur ergo esse valdè probabilius, quod homines ante diluuium carnes manducauerunt. Quam etiam sententiam sequi videtur Caietanus super Genes. cap. 9. quanuis ita obscure loquatur, vt vix constet, quæ sit eius mens.

Ad. 1. arg. ¶ Vnde ad primum argumentum in contrarium factum, quod erat desumptum ex Genes. cap. 1. respondetur, quòd verba illa; Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. dicta fuere hominibus in statu innocentiæ existẽtibus, in quo ligna paradisi satis fuisse ad cibum, tum propter illorum virtutem, tum etiam propter hominum frugalitatem, nemo est, qui dubitet, nec ad aliud tempus refertur quod sequitur statim; Et factum est ita. ¶ Ad secundum respondetur, quòd quia *Ad. 2. arg.* Genesi cap. 1. herbæ tantum fuerãt declaratæ à Deo in cibum hominum propter ligna paradisi, quibus tunc vescebantur, & natura viciata, hominum genus naturali iure etiam carnes adhibuerat, eoque forte propè diluuium hominum feritas deuenta erat, vt erudis illis cum sanguine vterentur, id circò Deus à diluuij periculo egressis concessit tanquam ius naturale, vt pisces & carnes ederent, eo excepto, quòd non crudas, sed igne paratas vescendas intelligerent. Propterea que dixit; Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis. Nonnulli dicunt, quòd ante diluuium homines carnibus humanis vescebantur, sicut & Canibales nuper ab Hispanis reperti. Deus autem hanc inhumanitatem & feritatem hominibus interdicere volens præcepit ne carnem cum sanguine, hoc est, cum impietate ac feritate proximo rumque homicidio comederent. Sanguis enim in scriptura pro homicidio, & feritate capitur sæpè sæpius. Sic Semei Dauidi obijciebat, quòd vir sanguinum esset. 2. Reg. ca. 16. & Psalm. 54. Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos, hoc est, homines efferati, & homicidæ. Cui sententiæ plurimum fauere videtur quod statim sequitur in textu: Sanguinem enim animarum vestrarum requiram. Quæ verba, vt Caietanus inquit, non reddunt rationem prioris dicti, sed tantũ addunt moderamen per modum exceptionis. Ac si apertiùs diceretur: Et si dedi vobis tanquam herbas viridis omne, quod viuit, declaro tamen, quòd solum hominem à materia alimenti excipio. Iniustum est enim, vt homo alimentum sit, aut homini, aut cuicumque alteri animali. Pro quo etiam facit litera iuxta Hebræum, quæ sic habet: Et solum sanguinem vestrum ad animas vestras requiram, hoc est, & solum sanguinem vestrum, qui est ad animas vestras seruandas, hoc est, vitas vestras seruandas, tequiram tanquam iniustè ablatum. Anima enim communiter accipitur pro vita in sacris literis, iuxtà illud: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur: Et illud: Quam commutationem dabit homo pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

anima sua. Et illud: Anima mea in manibus meis semper. ¶Ad tertium argumẽtum, quod erat desumptum ex testimonio Boetij, & Ouidij respondeo, quòd verba illa referenda sunt ad statum innocentiæ, nec in illo verum habere possunt. ¶Ad vltimum ex dictis patet solutio. Supposito, quòd homo licitè potest animalia occidere in proprium alimentum, eaque in quoscunque alios vsus conuertere tanquam verus illorum dominus, potest esse difficultas, vtrùm bruta occidere sola recreationis causa propter voluptatem sit licitum. Ad cuius explicationem, præmisso, quòd ex animalibus quædam sunt vtilia, alia inutilia, & alia nocua, dico primò, quòd occidere animalia tam nocua, quam inutilia sola recreationis causa nullum est peccatum. Hoc probat D. Thom. in solutione ad primum testimonio D. Augustini libr. 1. de Ciuitat. capit. 20. dicentis: iustissima ordinatione Creatoris vita & mors brutorum nostris vsibus subditur. Dico secundo, quòd occidere animalia vtilia, quantum est ex se sola recreationis causa nullum est peccatum. Hoc etiam dicit D. Thom. 1. par. quæstio. 9. art. 1. ad. 3. & in hoc art. ad tertium. Et probatur eadem ratione. Dico tertio, quòd occidere animalia vtilia sine aliqua causa particulari ad minus erit peccatum veniale, quia est actus prodigalitatis, perinde ac mittere in fluuiũ centum aureos. Et hoc intelligitur, quando talia animalia fuerint propria. Nam si sint aliena erit peccatum mortale iniustitiæ illa occidere propter damnum, quod inde domino resultat.

Ad. 3. arg.

Ad vltimũ argument.

Articvlvs. II.

¶Vtrùm sit licitum occidere peccatores.

Inf. q. 108. art. 1. & 3. Et. 1. 2. q. 100. ar. 8. ad. 3. Et. 3. contra ca. 140. Et Ro. 12. le. 3.

AD Secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd non sit licitum occidere homines peccatores. Dominus enim Matthæ. 13 in parabola prohibuit extirpare zizaniam, qui sunt filij nequam, vt ibidem dicitur. Sed omne quod est prohibitum à Deo, est peccatum: ergò occidere peccatorem est peccatum.

2 ¶Præterea, Iustitia humana conformatur iustitiæ diuinæ. Sed secundum diuinam iustitiam peccatores ad pœnitentiam reseruantur: secundum illud Ezech. 8. Nolo mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat: ergo videtur omnino esse iniustum, quod peccatores occidantur.

3 ¶Præterea, Illud quod est secundum se malum, nullo bono fine fieri licet: vt patet per Augustinum * in libro contra mendacium, & Philosophum in. 2. Ethicor. Sed occidere hominem secũdum se, malum est: quia ad omnes homines tenemur charitatem habere. Amicos autem volumus viuere & esse: vt dicitur in. 9. Ethic: * ergo nullo modo licet hominem peccatorem occidere.

Cap 7. parũ ante medi. to. 4. Lib. 2. Eth. c. 6. parum ante fin. tom. 4. Lib. 9. c. 4. tom. 5.

¶Sed Contra est quòd dicitur Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Et in Psalmo. 100. In matutino interficiebã omnes peccatores terræ.

¶Respondeo dicendum, quòd sicut dictum * est, licitum est occidere animalia bruta, in quantum ordinantur naturaliter ad hominum vsum, sicut imperfectum ordinatur ad perfectum. Omnis autem pars ordinatur ad totum, vt imperfectum ad perfectum. Et ideo omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus, quòd si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicuius membri, puta, cum est putridum, vel corruptiuum aliorum membrorum, laudabiliter & salubriter abscinditur. Quælibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars ad totum: & ideo si aliquis homo sit periculosus communitati & corruptiuus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter & salubriter occiditur, vt bonum commune conseruetur. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit, vt dicitur. 1. ad Cor. 5.

Ar precedẽ.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd Dominus abstinendum mandauit ab eradicatione zizaniorũ, vt tritico parceretur, id est bonis. Quod quidem fit, quando non possunt occidi mali, quin simul occidantur & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos sequaces: ita quod sine bonorum

Lib. 3. c. 2. ãmed. to. 7. norum periculo interfici non possunt, vt Augustinus * dicit contra Parmenianum. Vnde Dominus docet magis esse sinendum malos viuere, & vltionem reseruandam vsque ad extremum iudicium, quàm quod boni simul occidantur. Quando vero ex occisione malorum non imminet periculum bonis, sed magis tutela & salus, tunc licite possunt mali occidi.

¶Ad secundum dicendum, quòd Deus secundum ordinem suæ sapientiæ quandoque statim peccatores occidit ad liberationem bonorum, quandoque autem eis pœnitendi tempus concedit, secundum quod ipse nouit suis electis expedire. Et hoc etiam humana iustitia imitatur proposse. Illos enim qui sunt pernicioſi in alios, occidit: eos vero, qui peccant, alijs grauiter non nocentes, ad pœnitentiam reseruat.

¶Ad tertium dicendum, quòd homo peccando, ab ordine rationis recedit. Et ideo decidit à dignitate humana: prout, scilicet, homo est naturaliter liber & propter seipsum existens: & incidit quodammodo in seruitutem bestiarum: vt, scilicet, de ipso ordinetur secundum quod est vtile alijs, secundum illud Psalm. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et Prouerb. 11. dicitur. Qui stultus est seruiet sapienti. Et ideo quanuis hominem in sua dignitate manentem occidere sit secundum se malum, tamẽ hominẽ peccatorem occidere potest esse bonum, sicut occidere bestiam. Peior enim est malus homo quàm bestia, & plus nocet, vt Philosophus dicit * in primo Politicorũ, & in septimo Ethicorum.

Li. 7. Ethi. c. 6. in fin. tom. 5.

Svmma Textvs.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Tho. per vnicam conclusionem, quæ talis est: Malefactores interficere est iustum, & licitum. Quam probat in argumẽto, sed contra; ex illo Exod. 22. maleficos nõ patieris viuere. Et in corpore articuli hac ratione. Ideo animalia licitum est interficere, quia sunt in nostrum vsum ordinata, tanquã imperfectius in id, quod perfectius est, sed etiam singuli homines sunt ordinati in rem publicam, tãquam imperfectum in id, quod est perfectius; sunt enim partes reipublicæ, & vnaquæque pars naturaliter ordinatur in totum: ergo quotiescũque incolumitati reipublicæ fuerit expediens, habet ipsa ius ciues morte afficiendi ne totum inficiatur. Si quidem, vt dicit Paul. 1 ad Corinth. 5. modicum fermentum totam massam corrumpit.

Explicatio Articvli.

A Pvd isto articulo incipit D. Thom. agere de homicidio. Et quanuis ratio postulabat, vt homicidij diffinitionem præmitteremus toti disputationi; quia tamen ea assignari non potest, nisi explicato prius, quid nomine homicidij intelligamus, quod proculdubio est illud, quod Deus in illo quinto præcepto Decalogi. Nõ occides, interdicit, operæpretium erit, vt primò omniũ explicemus, quidnã sit illud, quod eo præcepto prohibetur. Et quia Exod. 20. vbi nos legimus, Nõ occides, Hebraicè habetur vna vox, quæ idem significat, ac non homicides (si ità licet loqui) certum erit hoc præcepto non prohiberi brutorum animalium occisionẽ, vt hæretici Manichæi affirmabant, sed tantùm occisionem hominum. Cæterum quia id præceptum absolutè, & sine aliqua limitatione constituitur, & in multis casibus est licitum occidere, vt certo constat, & nos in frã sumus dicturi, non leuem continet difficultatem, explicare, quod & qualiter homicidium in illo præcepto prohibeatur. Scotus in quarto, d. 15. q. 3. dicit absolutè & generaliter eo præcepto prohiberi cuiuscunque hominis siue nocentis, siue innocentis, & quacunque autoritate, siue publica, siue priuata factam occisionem. Itaque quicũq; alterum occidit quacunque ex causa, & qua cũq; autoritate id faciat, peccat cõtra id præceptũ, nisi in casibus iure diuino exceptis. Nam cum illa prohibitio sit generalis cunctos mortales, nemine excepto, occidere vetans, & diuina, supra quam solus Deus potest dispensare, fit, vt nullum etiam nocentem priuata, aut publica autoritate interficere sit licitum, nisi in casibus à Deo in veteri lege, quæ ius diuinum cõtinebat expressis. Qualis est ille Leuit. 19. Qui occiderit occidatur; & plures alij, qui numerantur Exod. 21. Ex quo infert primò, non esse licitum occidere furem diurnum, quantumcũque grauia furta committat, cum hoc in veteri testamento non concedatur. Imò Exod. capit. 22. dicitur, quòd solus nocturnus fur

Quid prohibeatur hoc præcepto, non occides, explicatur.

Sententia Scoti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in fragranti delicto acceptis morte opprimatur: Infert secundò, quòd nec etiam nunc inter fideles licitum est occidere adulteram. Nam quanuis Leuitici 20. id præciperetur, Ioannis tamen octauo, id præceptum à Christo fuit reuocatum in illis verbis: nec ego te condemnabo. Hæc sententia Scoti continet multa falsa. Nam primum falsum est dicere, quod id præceptum, Non occides, ea est generalitate intelligendum, vt cunctas hominum occisiones, quacumque autoritate factas comprehendat. Quod ista ratione ostendo: Quod est de se licitum, & per se bonum, non est prohibitum præcepto diuino: sed occidere hominem in propriam defensionem est per se bonum; vtpote quod est secundum inclinationem naturalem: ergo non est prohibitum illo præcepto, non occides. Atque ex consequenti cum in lege veteri id non fit exceptum, manifestè sequitur, quod illud præceptum non est ea generalitate intelligendum, vt omnia homicidia quæcũque ex causa facta cõprehendat. Nec valet, si dicatur, quòd ideò homo potest inuasorem occidere, non faciendo contra illud præceptum, quia quod intendit non est occidere, sed seipsum defendere, ad quod per accidens sequitur alterius occisio. Nã, quanuis ità sit, quòd primus, & præcipuus finis eius, qui aggressorem occidit, sit sua defensio, secundariò tamen, & tanquã medium ad id necessarium etiam vult inuadentis mortem. Quare, si nunquam est licitum ex intentione hominem occidere, nec etiam licebit eundem interficere in propriam defensionem. Maximè cùm ille, qui se defendit ex intentione etiam possit hostis iugulum petere, vt omnes Doctores cõcedunt. Secundum falsum, quod in sententia Scoti continetur est, quòd non est licitum publicæ, aut priuatæ autoritati aliquẽ etiam malefactorem interficere, nisi in casibus in veteri lege expressis. Contra quod sic argumentor: Vel præcepta illa occidendi malefactores in veteri lege contenta erãt legalia, aut naturalia: si legalia: ergo in morte Christi cessarunt, atque ex consequenti non erit licitum modò hominem occidere, etiam in illis casibus, qui in veteri testamẽto excipiuntur. Si autem fuerunt naturalia, vel, vt verius dicam, iuris naturalis interpretatiua, sequitur quòd ipso lumine naturali illi casus erant ab eo generali præcepto, Non occides, excipiendi, seu potius non includebantur in illo; atque ex consequenti non erat necessarium, quòd particulariter à Deo exciperentur. Secundò:

Impugnatur Scotus

Si respublica ciuilis modò non haberet facultatem alios malefactores interficiendi quam qui erant excepti in veteri lege, sequeretur, quòd nec etiam posset eosdem alijs excogitatis mortibus interimere, nec alios vllo corporali supplicio afficere, puta, fures flagellis cædere, aut alia grauissima delicta mortis comminatione prohibere: consequens autem est absurdum, & cõtra tenorem legis capitalium. ff. de pœnis. vbi incendiarijs, & alijs delinquentibus capitis pœna decernitur, & parricidæ, quòd in dolium inclusus submergatur, & hæreticis, quòd exurantur; quæ pœnæ in veteri lege non erant taxatæ: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nam, sicut illud esset contra generalitatem præcepti de non occidendo, ità & hoc. Tertiò: Vel ante legem Moysi erat licitum interficere blasphemum, & homicidam, vel non. Si dicatur primum: ergo non ex concessione, & dispensatione Dei est licitum interficere malefactores, sed ex natura rei, quod est contra Scotum. Si autem dicatur secundũ: Contra: Id quod non licuit in lege naturæ, nunquam licuit: Lex enim Moysi, aut lex gratiæ non fuere dispensationes legis naturæ, sed potius è contra multa erant licita in lege naturæ, quæ tamen in lege Moysi prohibita fuerunt: ergo si non licuit in lege naturæ interficere homicidam, aut adulteram, nec etiam id esset licitum in lege Moysi, cuius contrarium fatetur Scotus. Vltimò: Ante legem scriptam respublicæ gentium iure & merito malefactores interficiebant: imò nulla vnquam (quod sciam) extitit tam barbara & inculta respublica, quæ ob aliqua certa crimina mortem maleficis infligendam non decerneret: nec hoc faciebant, quia illi casus excepti essent in lege scripta, cum tunc non esset illa lex, nec quanuis esset, gentiles ei subderentur, sed lumine naturali ducti: ergo ratio, propter quam nunc est licitum maleficos interficere, non est exceptio veteris legis, sed ipsum ius naturæ, quod hoc dictat. Ex hoc infertur etiam esse falsum, quod dicebat Scotus, nempe, quòd non est modò licitum interficere diurnum furem, quia id in veteri lege non erat concessum. Et similiter quòd non est licitum interficere mulierem adulteram. Præterquàm quod affirmat de reuocatione illius legis facta à Christo est merè figmentum, nec probabili aliqua consequentia deduci potest ex Euangelio. Christus enim ibi non induit personã iudicis. Quin potiùs negare est visos sibi id iudicium seculare in quantum homini competere, & solum

& solum, vt prædicator regni cælestis admonet accusatores, vt pro salute animarum consequenda iudicium à seipsis inciperent. Propterea dixit, Qui fuerit vestrũ sine peccato primus in eam lapidem mittat.

Sententia aliorũ Theologorum.

¶ Quocirca hac Scoti sententia omissa, alij Theologi affirmant præcepto illo. Non occides, solum prohiberi mortem innocentis: Ita, vt quando dicitur Exod. 23. Insontem, & iustum non occides, sit veluti explicatio illius præcepti generalis de non occidendo, quod in eodem libro capit. 20. positum erat. Sed nec hæc sententia est vera. Tum; quia qui priuata autoritate occidit malefactorem, & hominem sceleratum transgreditur hoc præceptum, cùm non sit aliud, contra quod faciat, & tamen non occidit hominem iustum, & innocentem. Tũ etiam; quia iudex qui prætermisso ordine iuris publica autoritate occidit hominem nefarium, etiam violat præceptum de non occidendo, quanuis iustum hominem non interficiat. Et sic non tantum prohibet insontis & iusti occisionem. Alij affirmant eo præcepto, Non occides, solum prohiberi occisionem priuata autoritate factam. Sed nec hæc interpretatio est sufficiens. Primò: Quia qui hominem: cum moderamine inculpatæ tutelæ interfecit, propria autoritate id facit; & tamen id præceptum non transgreditur, cùm talis occisio sit licita, & honesta. Nec valet, si dicatur hominem illum non occidere priuata autoritate, sed publica, aut diuina, quam ad id habet: quia non alio, sed eodem iure, quo quis ad seruandam vitam potest comedere, potest etiam interimere aggressorem quando ad vitæ conseruationem est necessariũ. Nisi fortè dicamus, quòd etiam quisque publica & diuina autoritate manducat, quod est ridiculum. Et præterea: Quia respublica atque Rex innocentem hominem interficientes, præceptum de nõ occidendo trãsgrediuntur, vt certum est, & tamen nõ priuata, sed publica autoritate id faciũt: ergo sensus illius præcepti non tantũ est, ne quis priuata autoritate interficiat.

Præceptũ, nonoccides est iuris naturalis & nõ positiui.

¶ His ergo interpretationibus omissis, vt ad veram atque legitimã eius præcepti. Nõ occides, intelligentiam accedamus, suppo-nendum est, quòd illud præceptum non est positiuum, sed iuris naturalis, sicut & omnia alia præcepta Decalogi: Quod ex hoc vno colligere licebit, quod semper lumine naturali fuit notum homicidium esse illicitum, atque culpabile. Deducebaturque hoc euidenti consequentia ex illo primo principio morali; Quod tibi non vis alteri ne feceris. Ex quo infero primò, quòd hoc præceptum semper fuit idem & æquale ante legem scriptam, in lege, & nunc post legem in Euangelio. Lex enim naturalis nunquam fuit matata, nec abrogata, nec limitata, aut extensa, cùm sit lumen naturale supra nos à principio signatum, vt autor est Diu. Thom. 1. 2. quæstione. 94. articulo. 4. Quare si licebat interficere adulteram, aut homicidam in lege Moysi, etiam hoc esset licitum ante legem, & erit modo in Euangelio. Infero secundo, quòd omne illud homicidium eo præcepto prohibetur, quod stando in sola lege naturæ est malum, & irrationabile. Et ad hoc solum oportet respicere, vt vniuscuiusque homicidij iustitiam cognoscamus, & nun ad exceptiones factas in lege Moysi; cùm omnia illa, si solum sint iudicialia, iam cessauerint; & si sint moralia sint veluti explicatiua iuris naturalis. Nec est hoc, explicare idem per idem, aut ignotum per ignotius. Nam cùm homicidium non sit malum, quia prohibitum, sed prohibitum, quia malum, ad intelligendum, quod nam sit homicidium, quod illo præcepto prohibeatur, optime dicimus quod respiciamus, tanquam ad causam, ad id, quod iure naturali est malum. Infero tertio, quòd illo præcepto de non occidendo, quod naturale est, & comprehendens omne illud homicidium, quod iure naturæ est malum, non magis prohibetur homicidium factum priuata autoritate quam publica; cum vtrunque possit esse conforme rectæ rationi, si debitis circunstantijs fiat, & difforme, si aliqua ex illis desit. Quod, vt intelligatur aduertendum est, quòd hominis occisio dupliciter potest fieri. Vno modo ex intentione, & certo proposito, vt quando iudex intendit occidere malefactorem. Alio modo præter intentionem; non dico à casũ nec inuoluntarie, sed propter alium finem, quem si occidens aliter consequi posset, non occideret. Vt cùm quis in sui defensionem, vel reipublicæ occidit inuasorem, quem, si aliter posset se defendere, non occideret. ¶ Hoc supposito dico, quòd ex intentione, solum publicæ autoritati est licitum occidere malefactores. Solis enim publicis magistratibus, atque principibus, qui curam reipublicæ gerunt est hoc iure naturali, & diuino concessum, iuxta illud Pauli ad Romanos decimo tertio. Non sine causa gladium portat; vindex enim Dei est. Et ratio est: Nam cùm malefactores sint membra nociua reipublicæ,

Hominis occisio dupliciter potest fieri.

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eodem iure naturali, & diuino, quo est licitum abscindere membrum corruptum, & nociuum toti corpori, erit etiam licitum gerenti curam reipublicæ hominem pernicioſum, & boni communis corruptorem, interficere, etiam si hoc in scriptura non inueniatur: quia lumine naturali est notum, bonum commune præferendum esse proprio. At verò ex intentione occidere, semper est prohibitum priuatæ personæ. Quare ne talis faciat contra prædictum præceptū, & vt eius occisio sit conformis rectæ rationi, opus erit, vt aliter; quàm occidendo, propriam vitam saluari non posit. De quo nos plura infra dicemus. Ex dictis omnibus colligere licet, verum & legitimum sensum illius præcepti. Nō occides esse, quòd omne & solum illud homicidium prohibeatur, quod intrinsecam deformitatem dicit ad rationem; atque adeò eo vsque generale erit, quo ratio naturalis dictabit, vitam humanam esse seruandam. In casu autem, quo eadem ratio occisionem hominis, aut iubet, aut permittit, non erit præceptum de non occidendo. Et sic nec aggressoris occisio, nec malefactorum interfectio publica autoritate facta erunt eiusdem præcepti exceptiones; cùm nunquam in illo fuerint comprehensæ, nec à natura prohibeantur. Ità interpretatur hoc præceptum D. Thom. 1.2. quæst. 100. artic. 8. vbi dicit, homicidiū prohibitum hoc præcepto habere rationem indebiti. Hoc est, illud prohibetur, quod ex se est irrationabile & malum. Eandem expositionem sequitur Victoria in relectione de homicidio numero. 15. 16. & 17. & Soto li. 5. de iustitia, quæst. 1. articulo. 2. Supposita iam conuenienti interpretatione illius præcepti. Non occides, facile erit homicidij diffinitionem assignare, dicentes, quòd est iniusta hominis occisio. Quam diffinitionem ponit D. Antoninus. 2. part. titulo. 7. cap. 8. & Syluester verbo. homicidium. Et quoniã homo ex anima rationali, & carne, aut corpore constat, fit, vt percutiens hominẽ mortuum, aut corpori inanimato caput abscindens, non possit accusari homicidij, vt notat Baldus per textum ibi in lege prima. numero. 19. Cod. qui accus. non possunt, & in leg. sortem. Cod de his, quibus, vt indignis. & in leg. ex hoc iure. num. 10. ff. de iustitia & iure. Ex quo sequitur, quòd nec incurrat irregularitatem qui corpori mortuo, & vita functo membrum abscinderit, etiã animo illũ occidendi, si eum viuum comperisset, vt ex mente Archidiaconi, & aliorũ notat Couarruuias in relectione super Clementinam, si furiosus. de homicidio part. 2. numero. 1. Et quoniam omnis iniustitia ex genere suo est peccatum mortale, in eo, quod dicitur homicidium esse iniustam hominis occisionẽ, manifestè declaratur omne homicidiũ esse peccatum mortale, & tantò grauius quantò iniustitia, quæ fit homini dum vita priuatur, est maior. Grauitatem autem huius delicti ex multis poterimus colligere in sacris literis; sed præcipuè ex pœna, qua Deus homicidas afficiendos tam in hoc seculo, quam in futuro esse dicit. Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit, dixit Christus Matthæ. 25. & Apocal. 13. Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi. Et Genes. 9. Quicunque fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius. Quæ tam ad mortem æternam quã ad temporalẽ referri possunt. Vtraq; enim dignus est, atque reus, qui priuata autoritate gladium accipit. Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra, dixit Dominus ad Cain, Genes. 4. ad significandum, quam multum homicidij peccatum esset puniendum. Potestque interpretari vox sanguinis, hoc est, vox consanguinitatis, vt sit sensus: Generatio, quæ ex Abel existet, nisi fuisset interfect⁹, requirit, vt grauissimam de te sumam vindictam. Vnde subdit: Maledictus igitur eris super terram. Fuitque tanta hæc maledictio, vt etiam ipsam terram comprehenderit. Propter quod adiecit. Cùm operatus fueris terram, nõ dabit fructus suos. Vagus & profugus eris super terrã omnibus diebus vitæ tuæ, &c. Et est ponderandum, quòd tantũ quatuor peccata dicũtur clamare ad Deum in scriptura. Primũ est, oppressio innocentũ. Exod. 2. ascẽdit clamor filiorũ Israel ad Deũ. Secũdum, peccatũ Sodomiticũ. Gen. 18. Clamor Sodomorũ, & Gomorrhęorũ multiplicat⁹ est. Tertiũ, detẽtio mercedis mercenariorũ, Iacob vltimo: Ecce merces operationũ vestrarũ, quę fraudata est à vobis clamat; clãmor eorũ in aures domini Sabaoth introiuit. Quartũ & vltimũ est peccatũ homicidij Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui, &c. Et omnia hęc peccata, vel sunt homicidiũ, vel habent quandam speciẽ homicidij. In peccato enim cõtra naturã illud funditur, quod corporis humani potuisset esse materia, & sic est quasi homicidiũ. In oppressione autẽ innocẽtiæ, & detentione mercedis etiã aufertur id, quod est quasi vita eorũ. Vnde Ecclesiastici. 34. dicit. Panis egentiũ, vita pauperis est; qui defraudat illum homo sanguinis est. Et ibidem: Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Et rursus ibidem: Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Ex quo fit, vt hæc

Grauitas peccati homicidij ex multis colligitur.

vt hæc peccata, sicut & homicidium ad Deum clamare dicantur: sanguis etiam Christi Domini nostri dicitur clamare ad Deum; sed longe melius, quàm sanguis Abel, vt dicit Apostolus, ad Hebræos. 12. Iste enim vindictam postulat: at verò ille propitiationem, & misericordiam pro fidelibus.

Conclusio D. Tho. probatur testimonijs scripturæ.

¶His iam sic constitutis operæpretium erit, vt ad literæ D. Thomæ explicationem accedamus. Et à conclusione articuli, qua dicit, licitum esse malefactores interficere, initium sumentes, dico, illam esse de fide, vtpote quæ ex sacris literis euidenter colligitur. Fuerunt enim in illis quam plurimæ leges, quæ ob aliqua particularia scelera homines morte punire iubebant, vt patet ex Leuitici. 20. Vbi is, qui declinauerit ad Magos & Atiolos interfici præcipitur: & similiter is, qui maledixerit patri, aut matri. Christus etiam Matthæi. 25. dixit: Qui gladio percutit gladio peribit. Præterquàm, quòd contrarius error, qui fuit Vvaldensium asserentium, nullam esse causam, propter quam homo iustè occidatur, etiam si id fiat ex iudicis præcepto, vt refert Castro in libr. de hæreticis. verbo. occidere. vniuersum reipublicæ statum subuertit. Nisi enim sceleratissimi occidantur nulla erit in populo quies; & nulla pax permanebit in illo: sed mali homines tanto licentius quoscunque iustos affligent, quantò certiùs nouerint se propter nullum scelus esse occidendos. Et sic mortem, quã secundum hanc sententiam non licet iudici inferre peccatoribus ipsis malis hominibus, in quoscunque iustos impune exercere licebit: essentque homines iuxta dictum Abachuc capit. 1. sicut pisces maris, quorum maiores sæpe deuorant minores. Vt ergo sit in populo debita quies, & tranquillitas expedit, vt sceleratissimi quique homines, præsertim de quibus nulla est spes emendæ, occidantur: ne propter illorum causam tota respublica collabatur. De hac re videndus est Castro loco modo citato, & lib. 2. de iusta hæreticorum punitione capit. 12. De quo nos etiam plura diximus in. 1. tomo, quæstione. 10. articulo. 8. Vbi similiter ostendimus, quantum conueniat occidere hæreticos incorrigibiles per illam parabolam zizaniorum maximè designatos.

Quæstio.

De quibus Diu. Thom. agit hic solutione ad primum. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an liceat iudici, eum hominem occidere, qui nondum peccauit; timetur tamen valde de illo, quod multa & grauia peccata sit commissurus in rempublicam? Absolensi super Exodum capit. 21. circa finem, tenet partem affirmatiuam. Contrarium tamen sine dubio est verum, & tenendum. Quod probatur primò exemplo Dei, qui nunquam pro peccatis futuris punit, sed tãtum pro præteritis & commissis. Et præterea; Quia ille, qui nondum peccauit est verè innocens; occidere autem innocentem nunquam est licitum. Item: Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona: sed est maximum malum & intolerabile, quòd vir iustus pro futuro peccato puniatur: ergo hoc non est faciendum. Maximè, cum malis, quæ in futurum imminent, multis aliis modis possimus consulere, scilicet, per exilium, per bonam instructionem, & per cõminationem. An autem in bello liceat occidere innocentes, à quibus in posterum malum timetur, alia est quæstio, quæ à nobis explicata fuit in materia de bello supra quæst. 40. art. 1.

Responsio.

¶In solutione ad secundum dicit D. Tho. quòd quemadmodum Deus secundum ordinem sapientiæ, quandoque statim peccatores occidit ad liberationem bonorum, quandoque autem eis tempus pœnitendi concedit, secundum quod ipse nouit suis electis conuenire: sic etiam humana iustitia debet hoc quãtum poterit imitari, eos, qui in alios pernicioſi sunt, occidendo, & illos, qui alijs grauiter nõ nocent ad pœnitentiã relinquãdo. Quod debet intelligi quando peccata non sunt publica, nec in aliorum perniciem vergentia: nam alias non habebit tam amplam facultatem, sicut Deus, vt infrà dicemus. Sed poterit quis dubitare, an quãdo princeps, vel iudex iudicijs intelligit, quod si reum pœna capitis afficiat statim ille perditus sit iturus in infernum, si autem ignoscit, existimat probabiliter eum in meliorẽ mentem rediturum, consequuturumque vitam æternam, posit, & teneatur illi parcere, veniamque donare. Et pro parte affirmatiua est argumentum. Vita corporalis vniuscuiusque ordinatur ad spiritualẽ eiusdem: ergo tunc concedenda erit corporalis, quando ea opus fuerit ad consequendã spiritualem. ¶Secundò: Iudex, vel princeps in eo casu tenetur proximũ diligere ex charitate: sed si pœna capitis afficiat non diligit illum, si quidẽ non vult illi vitam super naturalem: ergo peccat, atque ex consequẽti tenetur parcere. Et confirmatur: Omnis pœna huius vitæ debet esse medicinalis ei, cui confertur, vt omnes Doctores concedunt: sed pœna capitis in casu posito non est medicinalis, vt constat: ergo non debet imponi.

Dubium.

1. argum.

2. argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶His tamen non obstantibus dico, quòd quanuis iudices prompti ores debeant esse ad miserendum, quàm ad puniendum; si tamen iustitia postulat, vt alicui capitis pœna imponatur, etiam si per reuelationem certo cognosceret talem malefactorem cõtinuo in infernum descensurum, non deberet à iustitiæ executione cessare. Tum, quia, si contrarium esset verum, omnes malefactores hoc artificio vti possent, quod fingerent se impœnitentes, vt hac ratione morte euaderent, quod in damnũ reipublicæ quã maximè cederet. Tum etiam; quia vindicatio scelerum quæ ex amore reipublicæ, quam omnibus alijs priuatis bonis anteponere debemus, procedere debet, non in bonum huius, sed in bonum commune reipublicæ ordinatur. Facit autem quam maximè ad bonum commune, quòd malefici interficiantur propter multas & graues causas, quas Galenus vir præter Medicinæ scientiã in omni genere Philosophiæ clarissimus, in opusculo, cui titulus est Quod animi mores corporis temperaturã sequantur, refert, hoc modo dicẽs: Deploratos, & facinorosos tres ob causas rationi cõsentaneas è vita tollim⁹: Ne videlicet superstites contumeliã nobis inferant. Et, vt eiusdem notę homines in terrorẽ producant tanquã pari supplicio exciendos, si præter ius quid patrauerint: Tertia, quia illis ipsis mori præstat eo malitiæ profectis, vt nullus animi Medicinæ faciẽdę locus sit, nec à Musis ipsis quidẽ corrigi, aut à Socrate & à Pythagora meliores reddi queant. Hæc Galenus: Quæ à nobis latè ex diuinis literis & ratione naturali petitis argumentis fuerunt explicata, atque declarata in primo tomo. q. 10. art. 8.

Ad 1. arg. ¶Et ad primum argumentum respondetur, concesso antecedenti, distinguendo consequens. Dupliciter enim potest intelligi, quòd vita corporalis ordinetur ad consequẽdam spiritualem. Vno modo tanquam medium per se ordinatum ad illã, sine aliquo damno, & præiudicio reipublicæ: alio modo, tanquam medium per accidens ordinatum, & cũ præiudicio alterius. Quo supposito dico, quòd quando vita corporalis necessaria fuerit primo modo, tunc concedenda erit ad consequendam spiritualẽ ei, qui illa opus habuerit, non autem quãdo fuerit necessaria secundo modo. Et in casu, de quo loquimur, certũ est, quòd, cùm malefactor sua culpa pereat, vita corporalis non est per se necessaria ad suam conuersionem, sed per accidens, & ex malitia illius. Præterquàm, quòd ex talis vitæ concessione manifestum sequitur damnum reipublicæ, vt ex dictis patet. ¶Ad secundum respondetur; concessa maiori, negando minorem. Princeps enim, atque iudex, quantum est ex se, in casu argumenti, vult tali malefactori vitam spiritualem. Quòd autem ille eam non consequatur prouenit ex sua culpa, atque malitia, quòd pœniteri non vult. Præterquàm, quòd cum eodem tempore concurrat præceptum conseruandi bono communi, quod præferendum est particulari, fit, vt non solum ex iustitia, sed etiam ex charitate teneatur iudex plus illud, quam hoc deligere. Ad confirmationem respondetur, negando minorem. Nam etiam in eo casu inflictio mortis ex se est medicinalis ei, qui eam patitur, quanuis ex culpa sua illi non prosit. Vel, si non prodest, vt conuertatur, proderit, ne si superstes sit quotidie peior euadat. Præstat enim mori, quàm male viuere; ne sic progrediens secũdum duritiam suam & impœnitẽs cor thesaurizasset sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuique iuxta opera eius, vt dicit Paulus ad Romanos capit. 2. Ob hanc etiam causam Deus, qui diues est, in misericordia, & longanimis in patientia, multos in pueritia, & adolescentia ex hac vita præripit, ne, scilicet, crimina à quibus tunc liberi sunt, postea viuentes committant, iuxta illud Sapientię quarto. Placens Deo factus dilectus viuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum, &c. Itaque valet tunc inflictio mortis, vel ad tollendam culpam, si conuertatur, vel ad illius terminationem, si non conuertatur: si quidem ob eo auferetur potestas amplius peccandi.

Ad 2. arg.

Articvlvs. III.

¶Vtrùm occidere hominem peccatorem liceat priuatæ personæ.

Infra. quæ. 65. a. 1. co. & ad. 2. Et 4. dist. 37. q. 2. ar. 1.

Ad Tertivm sic proceditur. Videtur quod occidere hominem peccatorem liceat priuatæ personæ: in lege enim diuina nihil illicitum mandatur. Sed Exodi. 32. præcepit Moyses, Occidat vnusquisque fratrem suum, & amicum & proximũ suum, pro peccato vituli conflatilis: ergo etiam priuatis personis licet peccatorem occidere.

Ar. præced. ad. 3. 2 ¶Præterea, Homo propter peccatum comparatur bestijs, vt dictũ * est. Sed occidere bestiam syluestrem maximè nocentem cuilibet priuatæ personæ licet: ergo & pari ratione occidere hominem peccatorem.

3 ¶Præterea, Laudabile est, quòd homo etiam si sit priuata persona, operetur quod est vtile bono communi. Sed occisio malefactorum est vtilis bono communi, vt dictum * est: ergo laudabile est, si etiam priuatæ personæ malefactores occidant.

Art. præc.

¶Sed Contra est, quòd Augustinus dicit * in 1. de Ciuit. Dei: Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur: & tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam vsurpare non timuit.

Lib. 1. c. 6. in med. & c. 22. in fi. tom. 5.

¶Respondeo dicendum, quòd sicut dictum * est: occidere malefactorem licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius cõmunitatis. Et ideò ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conseruandæ. Sicut ad Medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam autoritatem. Et ideò eis solum licet malefactores occidere, non autem priuatis personis.

Ar. præc.

¶Ad Primvm ergo dicendũ, quòd ille aliquid facit, cuius autoritate fit, vt patet per Dionys. * 12 capit. Cœlestis Hierarch. Et ideò vt Augustinus dicit * in 1. de Ciuitate Dei, non ipse occidit qui ministerium debet iubenti, sicut administriculum gladius est vtenti. Vnde illi qui occiderunt proximos & amicos ex mandato Domini, non hoc fecisse ipsi videntur: sed potius ille, cuius autoritate fecerunt. Sicut & milites interficit hostem autoritate principis, & minister latronem autoritate iudicis.

Ex cap. 5. Lib. 1. c. 1. circa prin. tom. 5.

¶Ad secundum dicendum, quòd bestia naturaliter est distincta ab homine. Vnde super hoc non requiritur aliquod iudicium, an sit occidenda si sit syluestris: si vero sit domestica, requiritur iudicium non propter ipsam, sed propter damnum domini. Sed homo peccator non est naturaliter distinctus ab hominibus iustis. Et ideo indiget iudicio publico, vt discernatur an sit occidendus propter salutem communem.

¶Ad tertium dicendum, quòd facere aliquid ad vtilitatem communem quod nulli nocet: hoc est licitum cuilibet priuatæ personæ: sed si sit cum nocumento alterius, hoc non debet fieri, nisi secundum iudicium eius ad quem pertinet æstimare quid sit subtrahendũ partibus pro salute totius.

Summa Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet D. Thom. vnica conclusione negatiua, quam probat in argumento, sed contra, testimonio D. Augustini, lib. 1. de Ciuit. cap. 6. dicentis: Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur; & tantò amplius quantò sibi potestatem à Deo non concessam vsurpare non timuit. Et in corpore articuli. Hac ratione nocentium hominum interfectio in tantum est licita, in quantum ad bonum commune refertur: ergo, & in quantum fit ab eo, cui cura, atque custodia boni communis est commissa: sed cura communis boni solis principibus, eorumq; ministris, & non cuicunque priuatæ personæ incumbit: ergo solis principibus, & eorum ministris, & non priuatis personis est licitũ maleficos interficere. Et confirmatur exẽplo amputationis membri humani; quæ, quia ad bonum totius corporis semper ordinatur, tantum medico præcisè incumbit, cui infirmi cura demandata est, vt secundũ medicas leges illam faciat.

Conclusio D. Tho. est ita & lumine naturali nota.

Explicatio Articvli.

Conclusio huius articuli est certissima: vtpotè quæ non solum testimonio Pauli ad Rom. 13. probatur, dum dicit: Vis non timere potestatem? Fac bonum, & habebis laudem ex illa: Si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, &c. Quibus verbis & antecedentibus à principio illius capitis ex professo declarat solis principibus, & publicis potestatibus pertinere vindictam sumere de malefactoribus; verùm etiam communi omnium Philosophorum consensu, & aperta atque euidenti ratione conuincitur. Quare nulla vnquam extitit tam agrestis, & tam barbara natio, quæ pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

natis personis proprias iniurias vleiscendi copiam & facultatem fecerit. Ratio autem est: Nam si eidem ipsi, qui iniuriam passus est propriam vindictam natura commisisset, nemo esset, qui se vltra iustum & æquũ non vindicaſſet, cùm dolor illatæ iniurię rationem obscurans, & affectum in rabiem trahens faceret, vt non quantum iustitia postulat, sed quantum quisque sibi vindictæ sumendum proponeret, se vindicaret. Quòd sine manifesta iniuria fieri non possit latis apertè declarat communis ac perniciosus nobilium abusus, quo honoris ceremonias eò superstitiosè prosequuntur, vt pro minima iniuria hominibus mortem inferre non dubitent. Cùm ergo iusticiæ effectus non perturbato animo, sed integro atque maturo iudicio exequutioni mãdari debeat, iuxta illud Deut. 16. Iustè quod iustũ est exequeris, opus fuit quàm maximè, vt non pars læsa, sed communis persona omni affectione, atque passione libera particularia crimina, iniuriasque vleisceretur. Imo nec ipsis hominibus hoc prorsus concredi debuit, vt dicit Arist. 5. Ethi. cap. 6. sed rationi legibus instructæ, quam in alteram partem flecti est impossibile. Is autem, cui hæc sententia dura & acerba videbitur, non eo tempore, quo ipse iniuria est affectus, sed quo alterum iniuria affecit de illa sententiam proferat. Tunc enim certum est quòd iudicabit æquissimum, vt non hosti suo, sed reipublicæ curã gerenti modus propriæ vindictæ committatur, &, vt ratio dictat, quod tibi non vis, alteri ne feceris.

¶ Est ergo conclus. huius articuli lumine naturali nota, atque certissima. Sed sunt contra illam nõnulla argumenta, quæ peculiares quasdam continent difficultates.

1. Argum. contra conclusionem D. Thom. Primum ponitur à Caietano in isto articulo. Et est huiusmodi: Cuicumque priuatæ personæ licitum est occidere tyrannum: ergo falsò affirmatur nunquam esse licitum occidere malefactores priuata autoritate. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Primò testimonio D. Thomæ in. 2. d. 44. q. 2. art. 2. affirmantis, quòd quando non est recursus ad superiorem, laudabiliter tyrannus occiditur à priuata persona. Secundo exemplo Aiod, qui Iudicum capit. 3. valde laudatur: propterea quod Eglon Regem tyrannum priuata autori-

2. Argum. tate interfecit. ¶ Secundò principaliter sic argumentor. Maritus licitè potest mulierem in adulterio deprehensam priuata autoritate interficere, vt dicitur in lege Grachus. C. ad legem Iuliam. de adult. & in lege marito. ff. eodem titulo, ergo falsum est dicere, quòd nunquam est licitum malefactores priuata autoritate interficere.

3. Argum. ¶ Tertiò. Quando accusator per calumniam prævalet aduersus innocentem, vsque ad mortem: innocens iustè poterit illum priuata autoritate interficere indicereque illi singulare certamen, vt Caietanus in summa verbo. duellum, & infra q. 95. art. 8. affirmat, quia non habet aliud remedium: ergo aliquando est licitum interficere malefactores priuata autoritate.

4. Argum. Quartò eo tempore quo per iniquitatem iudicis, qui non vult causam discernere, est mihi occlusa omnis via ad recuperandas res meas, licitè possum illas per vim, aut fraudem ab iniquo possessore recupecare, & hoc non ob aliam causam, nisi, quia non patet alius modus, quo seruem me indemnem. ergo pari ratione, quando ego fuerim passus injuriam, nec ab iniquo iudice queo ius meum obtinere, licitum erit mihi propria autoritate iniuriam vindicare, si quidem nullum aliud mihi remedium restat. Et sic aliquando erit licitum malefactores priuata autoritate interficere, ¶ Vl-

Vlt. Arg. timò: Fingamus mulierem innocentem cũ viro suo in lecto iacere, à quo scit continuo esse iugulandam, quoniam maritus ad id habet paratum gladium, in hoc casu licitum est vxori anteuertere fabulam, occidereq; maritum propria autoritate, cùm aliud remedium ad saluandam vitam non habeat: ergo aliquando est licitum malefactorem propria autoritate interficere. ¶ Plura alia

Ad. 1. arg. id genus poterant fieri argumenta contra conclusionem D. Thom. sed hæc sunt, quæ aliquam videntur habere difficultatẽ & ex quorum declaratione alia omnia soluere erit facillimum. Vnde ad primum, in quo de occisione tyranni est termo deuenientes, aduertendum est, quòd tyrannus *Tyrannus duplex.* est duplex. Vnus in ipso iure dominij; qua lis est ille, qui vel vi armorum, vel aliàs iniquè occupat rempublicam. Alius in modo tantum regendi; qualis est ille, qui cum aliàs sit verus dominus, & verus rex, tyrannice tamen regit omnia in propriam vtilitatem conuertens, discordiasque inter subditos, aut seminans, aut nutriens, vt ipse lucretur, vel exaltetur. Quo supposito dico primo, licitum esse cuicunque priuatæ personæ primi generis tyrannum interficere propter duas causas. Prima: quia vim vi repellere licet. Secunda quia quandiu talis tyrannus rempublicam occupat, habet manifestum & iniustum bellum, cum ipsa republica; & sic quilibet ciues, tanquam pars ipsius autoritate publica potest illum inter-

interficere. Et de isto tyranno loquitur Diuus Thomas in testimonio adducto in argumento, de eodemque currit exemplum Aiod. Fuit enim Eglon Rex Moab: qui per iniquitatem atque vim percusserat Israel & possederat ciuitatem Palmarum, vt in eodem capitulo tertio Iudicum dicitur. Et sic iuste Aiod tanquam pars illius reipublicæ iure naturæ potuit illum interficere. Nec hoc est malefactores propria, aut priuata autoritate occidere, quod Diuus Thomas in hoc articulo negat, posse licite fieri, sed se, atque suam rempublicam defendere, quod quisque ciuis in casu necessitatis facere tenetur. Dico secundò nulla ratione esse licitum secundi generis tyrannum priuatæ personæ interficere; & contrarium dicere est manifestus error. Probatur primò ex Concilio Constantiensi, sessione decima quinta, vbi tanquam hæresis damnatur sententia eorum, qui dicunt quemlibet tyrannum licitè posse à quolibet suo subdito occidi, quod de eo qui per tyrannidem rempublicam regit esse intelligendum, communiter dicunt Doctores. Item ex Diuo Petro. Qui in prima sua canonica, capite secundo, admonet Christianos, subditos esse dominis non tantum bonis, sed etiam malis, & discolis. Hæc enim, inquit, est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste. Quasi diceret: Quicunque subditi Regibus, & quicunque serui dominis tenentur parere, non solum quando benigni, & faciles fuerint; sed etiam quando difficiles, atque onerosi, per iniquitatemque gubernantes. Hæc enim est euangelicæ gratiæ perfectio, si propter timorem Dei dictante conscientia sustineat quis patienter tristia, aut grauia sine causa, aut suo merito eiusmodi patiens. Nam quæ erit perfectio, aut quæ supererogatio, quodue singulare præmium erit, si patienter ea tantum sustineatis mala, quæ pro peccatis vestris inferuntur vobis? Et propterea subdit: Quæ enim est gratia, si peccantes & collaphizati suffertis? Quibus verbis, vt videtis, tantum abest, vt concedat Apostolus facultatem subditis, suos dominos, quando in gubernatione male se gesserint interficiendi, vt tamen præcipiat eis in omnibus parere, vt Euangelio satisfaciant. Potest præterea hoc ipsum probari ex ipso nomine tyranni, quod non tantum regi, aut principi conuenit, sed etiam cuicunque alteri aliquod dominium exercenti, si vel tale dominium sibi non conuenit, aut si conuenit ad plura se extendit, quam lex sui dominij permittit. Vnde Episcopus dicetur tyrannus quando, aut per vim, & violentiam obtinet Episcopatum, aut si iure possidet, non tamen secundum iura regit, & gubernat; sed, vel exactiones vltra debitum extorquet, vel alia similia exercet, quæ Episcopo non licent. Et eodem modo Papa posset esse tyrannus: & maritus similiter dicetur tyrannus erga vxorem, si non illam tanquam carnem suam, sed tanquam mancipium tractauerit. Tunc sic argumentor: Si quilibet tyrannus licitè posset à suis subditis occidi, sequeretur maxima totius iustitiæ confusio; quia tunc vxor posset occidere maritum suum, cum tyrannicè in illam dominaretur. Et possent oues interficere suum pastorem, siue ille esset vnus simplex parochus, siue Episcopus, siue Papa, si istorum aliquis tyrannicè regeret: Posset etiam filius interficere parentem si legem paternæ dominationis quoquo modo excederet: hoc autem est apertè falsum, vtpotè quod non solum viam cuilibet subdito ad inobedientiam, sed etiam ad necem suo superiori inferendam aperit: quoniam dicet illum esse tyrannum: ergo & illud, ex quo sequitur. Præterea hoc ipsum probatur: Nam quantumuis aliquis sit sceleſtus, & criminosus, non tamen potest iustè ab aliquo occidi, nisi ab habente potestatem, & iurisdictionem. Sceleſtissimus enim homo fuit Cain, qui primus sanguinem humanum fudit, fratremque occidit: & tamen, cùm timeret, ne ob sua scelera à quolibet qui illum inuenisset occideretur, dixit illi Deus: Nequaquam ità fiet: sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. Quasi significans, non quemlibet habere potestatem homines, quamuis malefactores, interficiendi. Et propterea dicebat Paulus: Quis es tu, qui iudicas alienum seruum: sed subditi, non habent potestatem suos dominos, quamuis tyrannos interficiendi, si enim illam haberet esset à Deo, cum nullus habeat in aliquem potestatem, nisi illa sit desuper data: nullibi autem legitur, quod Deus subditis hanc dederit potestatem, vt absque superioris sententia possint occidere tyrannos: ergo id nulla ratione est licitum. Vltimò: Illi, qui solum sunt tyranni in modo regendi habent verum ius ad regnum: ergo non sunt illo priuandi, quo ad vsque à superiori condemnentur. Si autem non habuerint superiorem inuocandus erit Deus, qui est adiutor in opportu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

portunitatibus, & in cuius manu cor regis existit, quique propter peccata populi permittit sæpè sæpiùs tyrannos regnare. Qualiter autem se debeat habere populus quando maxima tyrannide fuerit oppressus explicat D. Thom. lib. 1. de regimine principum. capit. 6. De hac re est videndus Castro libr. 14. aduersus hæreses. verbo, tyrannus. Et per hæc patet solutio ad 1. argumentum.

Ad. 2. arg. ¶ Ad secundum respondetur, negando antecedens. Maritus enim, qui vxorem in adulterio deprehensam occidit proculdubiò peccat mortaliter contra legem de nõ occidendo, cum priuata autoritate id faciat, & contra inauditam partem procedat, quod legi naturali repugnat. Posset enim tunc vxor multa allegare, scilicet, vel licentiam mariti, vel metum cadentem in virum constantem, vel ignorantiam inuincibilem. Et præterea: Nam contra ius naturale est, quòd quis fungatur officio iudicis, accusatoris, & testis, quod facit maritus in illo casu. De quo videndus est Syluester verbo, adulterium. §. vltimo. Verum est tamen, quòd quamuis maritus in tali occisione peccet, non tamen punitur lege propter grauitatem doloris, quem tunc ferre est difficillimum. Et huc probant leges in argumento adductæ. Et si quis contra hoc argumentetur, ex capit. interfectores. 33. quæstione. 2. vbi Nicolaus Papa in hunc modum inquit; Interfectores suarum coniugum sine iudicio, si non addas adulterarum, quid aliud censendi sunt, quam homicidæ; quibus verbis significare videtur, interfectores suarum coniugum adulterarum non esse homicidas, alioqui impertinenter dixisset, si non addas adulterarum, & in cap. admonere. eadem causa, & quæstione, Stephanus Papa Astulphum, quòd vxorem suam interfecisset tanquam homicidam reprehendens, assignat pro causa, quòd eam cum alio viro rem nefariam facientem non inuenisset, vnde à contrario sensu colligi videtur, quòd homicida non esset nec reprehensione dignus, si eam cum alio viro rem nefariam facientem inuenisset. Respondeo, hæc minimè contra propositam sententiam concludere. Vnde ad capitulum interfectores. respondetur cum glossa, quòd non ideò dixit; si non addas adulterarũ, quia velit significare homicidam non esse, qui adulteram, sine iudicio occidit; sed innuit, quod est homicida, qui vxorem sine iudicio occidit, maximè si adultera non est. Vel dico secundò Papam id dixisse, habito respectu ad leges ciuiles, secundum quas, qui vxorem in adulterio deprehensam occidit, non habetur pro homicida quo ad pœnam. Quod & significare videtur idem Papa in cap. immediate sequenti, cum dicit, licitum esse secundum legem mundanam vxorem adulteram interficere, non tamen secundum legem ecclesiasticã. Et ad cap. admouere dico, Papam ibi non assignare pro causa homicidij, quòd vxorẽ adulterantem non inuenit, sed pro causa huius, quod est Astulphum tam crudeliter vxorem occidisse, cum causam mortis in ea non inueniret. Et ità illi textus non obstãt, quo minùs occidere vxorem in adulterio deprehensam ante iudicis condemnationẽ sit peccatum mortale. Et est aduertendum, quòd antiquitus etiam licebat patri impune filiam in adulterio captam interficere, vt patet ex. l. patri. & ex. l. nec in ea. ff. ad legem Iuliam de adulterijs, & ex. l. castitati. C. eodem titulo. Sed postea mutata est hæc lex in id, vt verberata in monasterium occluderetur, vt constat ex authen. sed hodie. C. eodem titulo. & ista lex est nunc in vsu in Gallis, & in multis alijs prouincijs respectu mariti; nam quæ de patre loquitur iam prorsus ab vsu aboleuit. Hispani autẽ quãtum ad vxores adulteras sequuntur legem antiquam. Non cum illo rigore, vt adultera necessaria morte damnetur, sed quod tradatur marito cum facultate, vt si velit eam interficiat. Quam legem iustam esse non est cur dubitetur. Tum, quia crimen eam pœnam mereri videtur. Tum etiam; quia Hispanorum ingenio de hac re vix aliter posset fieri satis. ¶ An autem prolata sententia iudicis contra adulteram maritus licite possit illam interficere, varietate opinionum disputatur à Doctoribus, quibusdam partẽ negatiuam tenentibus cum glossa in cap. interfectores modo citato, & in sequenti. Et ratio est: Nam maritus non habet maiorem autoritatem ad vxorem occidendam post iudicis sententiam, quam antea: sed anteà occidens peccaret mortaliter, vt modo dicebam: ergo & post. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur. Et quæro, vnde habeat maritus illam autoritatem? Non à lege veteri diuina, quæ adulteram lapidari iubebat. Tum, quia illa iam per nouam legem specialiter, quo ad cæremonialia & iudicialia reuocata est. Tum etiã, quia, si quantum ad hoc, lex vetus aliquam autoritatem præstaret: non solum posset maritus vxorem occidere, sed teneretur, quandoquidem lex illa, quæ adulteram lapidare iubebat præceptiua erat, & quam transgredi non esset licitum; cuius tamen contrarium

An maritus licite interficiat vxorẽ adulteram iudicatam.

tium communiter sentiunt Doctores. Nec etiam habet autoritatem à lege noua: cum hæc nullibi iubeat, nec concedat maritis, vt vxores adulteras interficiant. Imo Christus adulteram accusatam clementissimè absoluit. Nec à lege canonica: cum hæc similiter nullibi concedat, vt maritus adultẽ ram occidat; quin potiùs abhorreat sanguinem, viroſque sanguinolentos irregulares efficiat, etiam si quemcunque iustè occidi fecerint. Nec à lege ciuili: nam hæc quantum ad hoc nihil aliud disponit, quam quod iudex in sua sententia iubeat vxorẽ in adulterio deprehensam viro suo tradi, vt si velit eam interficiat, & si velit secum retineat. In hoc autem nec lex, nec iudex videntur dare marito autoritatem illam occidendi, cùm nec illi id iubeant, nec concedant, sed rem suo arbitrio committant. Ità, scilicet, vt si eam occidat impune id fecisse iudicetur, nec ob id pœna aliqua à iudice puniatur. Hoc autem non releuat à culpa, cùm maritus non necessitate legis, sed sua voluntate vxorem interficere sit dicendus: ergo etiam post latam iudicis sententiam peccat vxorem occidendo, sicut antea. ¶ Hoc tamẽ non obstante dico, quòd post sententiam iudicis contra adulteram latam licitè potest maritus illam occidere. Ita tenet D. Thom. in. 4. distinct. 37. quæst. 1. vbi dicit, non esse dubium maritum in hoc casu culpa, & pœna carere, si vxorem ex zelo iustitiæ, & non ex appetitu vindictæ occidat. Eandem etiam sententiam tenent communiter omnes Theologi. Et probatur: Maritus tunc non sua, sed publica autoritate id facit, scilicet, ex sententia, & licentia iudicis, vxorem sibi, vt si velit eam occidat, tradi iubentis. ergo occidendo nullum committit peccatum. Secundò: Si vir non posset licitè tunc vxorem occidere, sequeretur, quòd iudex peccaret tradendo illam viro, siquidem cooperaretur peccato: consequens autem est falsum; nam nullus conformans se iustæ legi facit peccatum: Lex autem, quę disponit, vt vxor adultera marito tradatur interficiẽda iusta est, vt diximus: ergo & illud, ex quo sequitur. Item, si in casu posito maritus nõ licitè occideret vxorem, sequeretur, quòd ipsa se licitè posset defendere, & quod quęcunque priuata persona posset illam eripere, iuxta illud Prouerb. 24. Eruc eos, qui ducuntur ad mortem: quod intelligi debet de ijs, quos non licet occidere: consequens autem est falsum, & contra communem Doctorum sententiam: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Quia quicunque inuaditur tum peccato, & sine causa potest defendi ab alio. Vltimò: Maritus tunc institutur minister iustitiæ: ergo licitè potest vxorem occidere. Nec valet, si dicatur, quod permittitur illi vxoricidium, non vt licitè faciat, sed vt impune: nam hoc primi regio iam fruebatur, etiam si absque iudicio in fragranti delicto illam interficeret. Cum ergo solenni forma iudicij condemnata traditur marito vxor, signum est, quòd conceditur sibi facultas, tanquam ministro iustitiæ illam licitè interficiendi. Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, quòd maritus in casu posito occidit coniugem autoritate iudicis, iuxta ciuiles leges iudicantis. Nec obstat, quòd iudex non præcipiat marito, vt vxorem interficiat, sed id suo arbitrio relinquat. Nam dupliciter aliquis potest à iure, vel à iudice ad aliquid faciendum autoritatem habere. Scilicet, cum iussione, & præcepto iuris, aut iudicis; vel sine præcepto, & iussione. Primam autoritatem habent ministri iustitiæ. Nam iudices tenentur iuxta leges iudicare & exeçutores similiter; quales sunt speculatores, & lictores, iuxta mandatum iudicis, quod iudicatum fuerit tenentur executioni mandare. Secundam autem autoritatem, cum libertate habent mariti ad occidendum vxores adulteras. Qui etiam dicuntur ministri iustitiæ, quamuis liberi & voluntarij; quales multi inueniuntur in iure. Nam sic sacerdos à Curato licentiatus, habet autoritatem sine iussione, & præceptione ad pœnitentes in confessione audiẽdum, si velit, & ad eosdem absoluendum, si velit. Et sic etiam multi iudices delegati habent autoritatem ad excommunicandum, si velint, etiam si id facere non teneantur; nõ tamen propterea negandi sunt id facere autoritate legis. Et ità quamuis relinquatur in voluntate mariti, vt si velit vxorem adulteram occidat, non tamen hoc impedit, quo minus iuris, aut iudicis ad eam occidendam autoritatem habere dicatur. Et hæc de secũdo argumento principali contra conclusionem D. Tho. factum, dicta sufficiant.

Sententia Autoris.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium argumentum Caietanus in locis in argumento adductis respondere videtur, concedendo, quòd innocens licitè potest accusatorem per calumniam vsque ad mortem præualentem interficere, eumque prouocare ad singulare certamen. Nam cũ accusator tunc iniustè innocentem aggrediatur gladio materiali iudicis, & quicunque inualus gladio licitè possit etiam cum morte aggressoris se defendere, fit, vt licitè etiam tunc possit innocẽs in propriam defensionem accusatorem interficere. Sed hęc

sententia

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententia est aperte falsa. Primò: Nam ex ea sequeretur, quòd qui accusaret innocentem bona fide ex ignorantia inuincibili, licitè posset ab eo interfici in propriam defensionem: Consequens autem est falsum & contra rectam rationem; nam sic esset maxima perturbatio in republica: & vnusquisque suum accusatorem interficeret, dicens, se ab eo iniuste accusari, quod est absurdum: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Si quis inuaderet me bona fide ex ignorantia inuincibili, ego licitè possem illum interficere in meam defensionem: sed accusans aggreditur innocentem gladio materiali iudicis, secundum Caietanum: ergo etiam si ex ignorantia inuincibili id faciat licitè poterit ab innocenti interfici. Secundò: Quando Dominus mittit seruum ad me interficiendum, quanuis sit licitum occidere seruum me inuadentem, non tamen est licitum occidere dominum domi manentem, vt omnes concedunt: ergo pari ratione, quanuis accusator occidat me per iudicem, non erit licitum occidere illum domi manentem. Vltimò: Si sententia Caietani esset vera, sequeretur, quòd siquis per calumniam me accusando esset causa, quòd ego conijcerer in carcerem, aut quòd perderem bona mea, liceret mihi illum occidere: consequens autem est plusquam falsum: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Nam, si quis per vim priuata autoritate me conijceret in carcerem, aut acciperet bona mea licitè possem illum interficere in meam defensionem; & secundum Caietanum accusator tunc infert vim. Sed de hoc plura dicemus articulo septimo huius quæstionis, cùm de occisione inuasoris in propriam defensionem fuerit sermo. Vnde ad argumentum respondetur, negando antecedens: sed debet innocens in eo casu ex necessitate mori, sicut & quando probatur nocens secundum allegata & probata.

Ad.vl.arg. ¶ Ad quartum argumentum respondetur, concessa maiori, atque minori, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam qui res proprias ab iniquo possessore accipit, solum sumit id, quod sibi ex iustitia debetur; estque ius suum certum & determinatum; nec ex hoc magna sequitur perturbatio in republica. At verò, qui vindicat iniuriam propria autoritate vltra hoc, quòd vsurpat publicum iudicium, accipit id, quod non sibi ex iustitia debetur, cùm nullus teneatur pœnam soluere ante iudicis condemnationem. Præterquàm, quòd huiusmodi vindicationes in magnam cederent perturbationem reipublicæ. Ad vltimum respondetur, quòd si illa occisio mariti ab vxore facta fuerit defensio, licita erit, secus autem si fuerit aggressio. Quid autem requiratur ad hoc, vt alicuius occisio dicatur facta in propriam defensionem explicabimus infra artic. 7. huius quæstionis. Vltra hæc solet hîc constitui aliud argumentum desumptũ ex facto Moysi Exo. 2. qui propria autoritate videtur interfecisse Ægyptium, & tamen eius factum non solum excusatur à culpa, sed etiam laudatur à sanctis. Cæterùm de hoc iam nos diximus supra q. 60. arti. 6. circa solutio. ad. 2.

Explicatur locus Exo. cap. 32. ¶ In primo argumento huius articuli obijcit D. Tho. contra suam conclusionem testimonium illud Exod. cap. 32. Vnusquisq; fratrem suum amicum, & proximum occidat, quo filijs Leui post vituli conflationem in pœnam delicti præcepit, vt vindictam sumerent de filijs Israel. Circa quod est aduertendum, quòd cum Moyses legitimus esset iudex loco Dei constitutus ad nefandam illam vituli conflati idololatriam vlciscendã, & tanta esset futura cædes, nempe, triginta trium millium, necesse habuit plures instituere executores ministros: & tales fuerunt omnes illi, quibus præceptum imposuit, vt vnusquisque fratrem suum, amicum, & proximum occideret. Vnde isti non propria autoritate, sed autoritate præcipientis sunt dicendi homines illos interfecisse; sicut & miles, qui autoritate principis occidit hostes in bello, & minister latronem autoritate iudicis. Dum enim quis quidpiam per ministerium, quod inbenti debet, facit, non ipse propriè facit, sed alter, qui iubet, vt dicit D. Augustin. lib. 1. de Ciuit. cap. 1. statim in princip. & D. Dionys. de cœlesti Hierarch. cap. 11. Quod autem dicit, Vnusquisq; fratrem suum amicum, & proximum occidat, non est intelligendum, quòd temerè ac promiscuè præceperit, vt quilibet quemlibet occideret, esset enim turbulenta Andabatarum pugna; sed maturò consilio condemnatis illis, qui patrati sceleris fuerant in culpa, qui quidem erant numero multi, numerosam etiam ministrorum copiam ad id destinauit; quibus ideo necessarium fuit, vt, frater fratrem, & amicus amicum occideret. Nonnulli affirmant, quòd fratres eo loco appellantur non illi, qui sunt eodem parente geniti, sed qui sunt ex eodem populo. Quod ex eodem textu colligi videtur. Dicitur enim quòd cõgregatis ad Moysen omnibus filijs Leui dixit eis: Ite & redite de porta vsq; ad portã per medium Castrorũ, & occidat vnusquisq; fratrem, & amicũ, & proximum

proximum suum, fecerunteque filij Leui iuxta sermonem Moysi. Ceciderunteque in die illa quasi triginta tria millia hominum. Quibus verbis significari videtur, nullum de tribu Leui fuisse interfectum. Et cum contingere non posset, vt qui erant ex eodem parente geniti ad diuersas tribus pertinerent, & soli filij Leui dicantur interfectores, fit, vt quilibet eorum potuerit germanum fratrem interficere. Sed dicebantur fratres occidere ea solum ratione, quia hominibus ex eodem populo assumptis mortem inferebant. Hæc tamen sententia mihi non placet. Vide vetus exemplar, quòd fratres eo loco appellantur, non solum illi, qui erant eiusdem populi, sed etiam illi, qui erant geniti ex eodem parente; & quod vere frater fratrem occidit. Quod ex eodem textu probatur. Post factam enim incestæ sectionem dixit Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, scilicet, dum eodo vindictam zelo Dei, vnusquisque in filio, & fratre suo: Quibus verbis aperte significatur, aliquos de Leuitis fuisse tunc interfectos, tanquam transgressores in peccato vituli. Et quod dicitur, Congregati sunt ad Moysen omnes filij Leui, est intelligendum iuxta illud modum loquendi, quo maior pars accipitur pro toto, vel è contra. Quemadmodum dicimus, totum collegium facere, quod maior pars facit. Sacra enim scriptura frequentissimè vtitur modis loquendi inter homines vsitatis. Sic Iudicum 20. dicitur: Congregati sunt omnes filij Israel, quasi vir vnus; & tamen non fuerunt omnes in tribu Galaad, vt ibidem subditur capitur.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco pro complemento huius articuli, vtrum, quòd nullus priuata autoritate possit malefactores interficere, vtrum possit princeps, vel respublica priuatis personis facultatem concedere, vt per ipsos malefactores occidantur? Et pro parte affirmatiua est argumentum: Sæpè læpius id faciunt principes & respublica, nec tamen propterea reprehenduntur; aut aliquam videntur facere iniustitiam, ergo id est licitum. Et confirmatur: Eo ipso, quòd priuata persona talem habet facultatem, est iam quasi minister iustitiæ, publicaque autoritate occidit hominem: sed nulla est iniquitas, quod princeps, vel respublica ministris committat malefactorum interfectionem: ergo. Vltimò impertinens est, quod in puniendis malefactoribus hæc, vel illa obseruentur cæremoniæ: ergo poterit princeps, vel respublica cuicunque priuatæ personæ facere facultatem, vt malefactores interficiat. Ad explicationem tamen difficultatis sit prima *1. Concluſ.* conclusio: Nec princeps, nec respublica possunt facere alicui facultatem, vt alterum occidat, antequam de peccato iurisdice conuincatur, pro illoque ad mortem damnetur. Probatur. Nam est contra ius naturæ, vt contra inauditam partem, indictaq; causa sententia proferatur, & sic quilibet quamuis pernicioſus audiendus erit. Propter quod dicebat Festus Iudex, Actorum capit. 25. Non est consuetudo Romanis condemnare aliquem hominem, priùs quam is, qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad ablata crimina, quæ ei obijciuntur. Secundò: Ex mente rei non conuenit reipublicæ, & bono publico, vt talis facultas priuatæ personæ fiat: orientur enim ex illa grauissima scandala, & inconuenientia; cum posset talis condemnatus amicos, & consanguineos in suam defensionem conuocare: ergo nec res nec respublica potest talem facultatem concedere. Probo consequentiam: Nam autoritas regis, & cuiuscunque alterius potestatis semper debet ad bonum commune ordinari.

2. Concluſ. ¶ Secunda conclusio: Postquam aliquis iuste ad mortem est damnatus, licitè potest princeps, vel respublica cuicunque priuatæ personæ dare facultatem, vt illum occidat. Ita solitus erat dicere Magister Victoria super istum articulum. Quam sententiam tenet Syluester, verbo, assassinus. §. 3. & verbo, homicidium. 1. §. 7. dicto. 6. & Angelus, verbo, homicidium. 1. §. 6. Et probatur argumento ex pro parte affirmatiua facto. Non est tamen hoc faciendum frequenter, nisi ob grauissimam, & vrgentissimam causam.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum occidere malefactores liceat clericis?

Infr q. 70. ar. 1. ad 3. Et 4. d. 25. q. 2. art. 2. q. 2. AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd occidere malefactores liceat clericis. Clerici enim præcipuè debent implere, quod Apostolus dicit primo ad Corinth. 4. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Per quod nobis indicitur, vt Deum & sanctos eius imitemur. Sed ipse Deus, quem colimus, occidit malefactores: secundum illud Psalm. 135. Qui percussit Aegyptum

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum primogenitis eorum. Moyses etiã à Leuitis fecit interfici viginti tria millia hominum, propter adorationem viruli: vt habetur Exodi. 32. Et Phinees sacerdos interfecit Israelitem cum Madianitide coëuntem, vt habetur Numeri 25. Samuel etiam interfecit Agag Regem Amalec, & Elias sacerdotes Baal, & Matarthias eum qui ad sacrificandum accesserat: & in nouo testamento Petrus Ananiam & Saphiram: ergo videtur, quòd etiam clericis liceat occidere malefactores.

2 ¶ Præterea, Potestas spiritualis est maior, quam temporalis & Deo coniunctior. Sed potestas temporalis licite malefactores occidit tanquam Dei minister, vt dicitur Roman. 13. ergo multo magis clerici, qui sunt Dei ministri, spiritualem potestatem habentes, licitè possunt malefactores occidere.

3 ¶ Præterea, Quicunque licitè suscipit aliquod officium, licite potest ea, quæ ad officium illud pertinent, exercere. Sed officium principis terræ est
Arr. prace. malefactores occidere: vt dictum * est: ergo clerici qui sunt terrarum principes, licitè possunt occidere malefactores.

¶ Sed Contra est, quòd dicitur 1. ad Timot. 3. Oportet episcopum sine crimine esse, non vinolentum, non percussorem.

¶ Respondeo dicendum, quòd non licet clericis occidere, duplici ratione. Primò quidem, quia sunt electi ad altaris ministerium in quo repræsentatur passio Christi occisi: qui cum percuteretur, non repercutiebat, vt dicitur. 1. Petri 2. Et ideò non competit, vt clerici sint percussores, aut occisores. Debent enim ministri suum dominum imitari, secundum illud Ecclesiast. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Alia ratio est, quia clericis committitur ministerium nouæ legis, in qua non determinatur pœna occisionis, vel mutilationis corporalis: Et ideò vt sint idonei ministri noui Testamenti, debent à talibus abstinere.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd Deus vniuersaliter in omnibus operatur quæ recta sunt, in vnoquoque tamen secundum eius congruentiam. Et ideo vnusquisque debet Deum imitari in hoc, quod sibi specialiter congruit. Vnde licet Deus corporaliter malefactores occidat, non tamen oportet quod omnes in hoc eum imitentur. Petrus autem non propria autoritate vel manu Ananiam & Saphiram interfecit, sed magis diuinam sententiam de eorum morte promulgauit. Sacerdotes autem vel Leuitæ veteris testamenti erant ministri veteris legis, secundum quam pœnæ corporales infligebantur. Et ideò etiã eis occidere propria manu cõgruebat.

¶ Ad secundum dicendum, quòd ministerium clericorum est in melioribus ordinatum, quàm sint corporales occisiones, scilicet, in his quæ pertinent ad spiritualem salutem. Et ideò non congruit eis, quòd minoribus se ingerant.

¶ Ad tertium dicendum, quòd prælati ecclesiarum accipiunt officia principum terræ, non vt ipsi iudicium sanguinis exerceant per seipsos, sed quod eorum autoritate per alios exerceatur.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatẽ respondet D. Thomas cer. t. vnica conclusione negatiua, quã probat in argumento, sed contrà, ex illo Paul. 1. ad Tim. 3. Oportet episcopum sine crimine esse, non vinolentũ, non percussorem, &c. Et in corpore articuli duplici ratione. Prima desumitur ex repræsentatione. Consecrantur enim clerici altaris ministerio, in quo iugis sit passionis Christi memoria. Qui cùm in ara Crucis occideretur percussus non percutiebat, vt dicit D. Petrus. 1. sua canonica. cap. 2. Et sic ad Christi imitationẽ conueniens est, vt clerici non sint percussores. Secundũ enim iudicẽ populi, sic & eius ministri, vt habetur Ecclesiastic. 10. Secunda ratio desumitur ex cõueniẽtia. Cũ enim clericis cõmittatur ministeriũ nouæ legis, in qua nulla occisionis, vel mutilationis pœna decernitur, fit, vt nõ possint esse idonei ministri noui testamẽti, nisi à talibus abstineãt.

Explicatio Articvli.

Pro explicatione huius articuli aduertendum est, quòd in eo non est sermo de clericis occidentibus malefactores propria autoritate. De his enim certum est, quòd peccant tãtò grauiùs, quam cæteri homines, quantò clerici propter sui status perfectionem debent magis à propriarum iniuriarum vindicatione abstinere. De quo diximus articulo præcedenti. Sed loquimur de clericis habẽtibus iurisdictionem secularem, vel ordinariam, vel delegatam. Et de illis quærimus, an liceat eis, vel tanquam dominis, vel tanquam iudicibus ad id designatis, publicâ autoritate malefactores interficere? Ad
Cãclu. D. Thoma cer. t. quod D. Thom. breuiter, & clarè respondet vnica conclusione negatiua; quæ certissima est, vtpote quæ clare atque manifeste ponitur in iure. Sic enim habetur in ca. neminẽ. & in c. Episcopũ. 45. d. & in cap. sententiã, & in ca. clericis. extra, ne clerici, vel monachi. & in cap. sæpe, & in cap. his, quibus, & in ca. sententiã sanguinis. 23. q. 8. Idem etiã habetur de clerico percussore per multa capita. Sed dubium est de iure, quo huiusmodi malefactorum interfectiones clericis interdicũtur. In qua re, vt certa ab incertis separemus dico primò, certũ esse, quòd hæc prohibitio non est de iure naturali. Nulli enim naturali iuri repugnat, quòd Episcopus malefactores sibi subditos morte afficiat. Secundo etiã est certũ, quòd est de iure humano positiuo. Sic enim habetur expresse in capitibus modò citatis?

Dubium. Sed est dubium, vtrùm sit de iure diuino positiuo? Et pro parte affirmatiua est argu-
1. argu. mentum, ex Paulo. 1. ad Timotheum. cap. 3. dicente, oportet episcopum irreprehensibilem esse, non vinolentum, non percussorem. &c. Quibus verbis significare videtur
2. argu. ex iure diuino Episcopis conuenire, quod neminem interficiant. Item secundo: Christus dominus nullam temporalem potestatem in homines exercuit, malefactores interficiendo: ergo nec eius ministri id possunt efficere ex iure diuino. Probo consequentiam: Nam
Conclu. ministri Christi non habẽt maiorem potestatem, quam quæ ab ipso fuit tradita. ¶ His tamen non obstantibus dico, non esse de iure diuino positiuo, quod episcopi, vel alij clerici malefactores publica autoritate non interficiant. Quòd probatur primo: Nam talis prohibitio nullibi ex iure diuino legitur facta, nec testimonium adductum ex Paulo. 1. ad Timot. cap. 3. contrarium probat, vt modo dicemus. Et præterea, quia si ex iure diuo clerici essent prohibiti malefactores interficere, sequeretur, quòd nulla ratione Papa posset super hoc dispensare, hoc autẽ est absurdũ: nã vt cõmuniter dicũt Doctores, bene potest clericus ex summi Pontificis dispensatione in causa sanguinis iudex sedere, aut vero militare: ergo & illud ex quo sequitur. Probo sequelã: Nã in iure diuino Papa dispensare nõ potest. Vltimò Papa per seipsum multos malefactores interficere præcipit; nec tamen propterea male audit apud homines: ergo non est prohibitum iure diuino, quod clerici malefactores interficiant. Antecedens est manifestũ, & consequentia probatur: quia præcepta diuina, quæ clericos obligãt multò magis debent ipsum summũ Pontificem, tanquam superiorem, & quẽ maior decet sanctitudo, obligare. ¶ Et ad primũ argumentum in cõ- Ad 1. arg. trarium factum respondetur, quòd verba illa Pauli non ideo ponuntur, vt inhibeat clericis, ne tanquam publicæ potestates malefactores occidant: sed ne tanquam priuatæ personæ sint percussores. Quod inde colligitur, quod sub vno, & eodem tenore sermonis dicit, oportere episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, non litigiosum, non cupidũ, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos, &c. Quasi diceret, oportere eum, qui in Episcopum, aut in quemlibet alium sacerdotem est eligendus, talis esse vitæ, vt nihil reprehensione dignum aduersus ipsum iure ac meritò obijci possit. Sed sit sobrius, morum granitate ornatus, prudens in agendis, conuersatione & aspectu pudicus, hospitum, ac peregrinorum susceptor, & pauperum prouisor. Non sit autem multo vino deditus, nec percussor, hoc est, contentionum amator, nec turpe sectans lucrum, aut auarus, &c. quæ omnia ad personam eligendam in particulari spectant, nec de peccatorum occisione publica autoritate fienda aliquam mentionem facit Apostolus. Ex quo infertur properam à D. Thoma in argumento, sed contra, locum illum fuisse adductum ad probandum, quod clericis non est licitum publica autoritate malefactores interficere. Nisi forte dicamus, quòd illum non adduxit, tanquam continentem legem, quæ prohibeat, ne clerici in causa sanguinis iudices existant, sed solum per modum consequentiæ atque exempli. Ac si diceret, quòd cùm Apostolus præceperit, ne illi in Episcopos, & sacerdotes eligantur qui fuerint percussores, meritò Ecclesia cauit, vt clerici ab omni prorsus abstineant percussione, tam priuata, quàm publica autoritate facta. Et sic solum erit

Universidad de Deusto
Biblioteca

de iure positiuo talis prohibitio, quæ omnes clerici in vniuersum comprehenduntur, siue sint sacris initiati, siue in minoribus constituti. Quamuis sit differentia. Nam sactis initiati, exercentes causam sanguinis, peccant mortaliter: at verò illi, qui solum sunt in minoribus constituti non peccant mortaliter: quia tales ordines sacri non sunt: sed tantum venialiter. Super vtrisque tamen potest summus Pontifex facile dispensare, tanquam super iure merè positiuo. Si quis autem quærat, vnde habuerit ortum, quòd Ecclesia talem clericis fecerit prohibitionem, respondeo, quòd habuit ortum: tum ex Paulo dicente, quòd nullus militàs Deo, debet se implicare secularibus negotijs: tum etiam ex veteri testamento. Dicitur enim de Dauid. 1. Paralip. capitulo 28. quòd cum cogitasset ædificare domum, in qua requiesceret arca fœderis, & ad eam ædificandam omnia præparasset, dixit Dominus ad illum; Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis. Quasi significans, non futuros idoneos ministros Ecclesiæ, qui fuerint interfectores. Quod & in noua lege multo conuenientius fuit interdictum, tam propter repræsentationem, quàm propter conuenientiam, vt autor est D. Thom. in hoc articulo. De qua re videndus est Maioris in 4. dist. 15. qui bene illam versat, atque ostendit, hanc etiam consuetudinem in Ecclesia Gentilium fuisse obseruatam. *Ad 2. arg.* ¶ Ad secundum argumentum in quo ex eo, quòd Christus secularem potestatem iudicandi non assumpsit, sed tantum spiritualem, colligitur, quòd nec clerici, qui sunt Christi ministri, potuerunt eandem secularem potestatem exercere, respondeo, illam argumentationem solùm conuincere, quòd potestas Ecclesiastica, qua ratione spiritualis est ad iudicia secularia ferenda, se extendere non potest, nisi quatenus habet ordinem ad finem spiritualem. Cum hoc tamen stat, quòd clerici possint esse principum secularium ministri, eorumque nomine nocentum sanguinem effundere; quod ecclesia omnino interdicit. Imò stare posset, quòd Episcopi omnes illos interficerent, qui finem supernaturalem quoquo modo perturbarent; quod tamen per seipsos ex Ecclesiæ prohibitione facere non possunt. Relinquitur ergo esse de iure merè positiuo, quòd Episcopi, aut clerici publica autoritate malefactores interficere non possint. Si quando autem contingat, prælatum ecclesiasticum habere iurisdictionem temporalem, suoque officiali iniungere, vt supra aliquo maleficio inquirat, & iustitiam exequatur, & ipse officialis mandatum exequens aliquem interficiat, immuniserit talis prælatus ab omni culpa, & ab omni pœna. Dicitur enim in capit. Episcopus ne clerici, vel monachi libro 6. quòd licet clericis non liceat causas sanguinis agere, eas tamen cum iurisdictionem habent temporalem, debent & possint metu irregularitatis cessante alijs delegare. Vide ibi.

Dubium de pœnis quibus clerici percussores res subijciuntur.

Sed est difficultas, quæ nam sint pœnæ, quibus clerici percussores ex iure subduntur. Ad quod breuiter dico, quòd omnes occisores, & mutilatores siue post ordines sacros susceptos, siue ante id fecerint, ex iure canonico fiunt irregulares, hoc est, inhabiles ad ecclesiastici ordinis susceptionē, & ad iam susceptī exequutionem? Est enim irregularitas, vt ex plurium Doctorum sententia colligit Couarruuias in relectione, de homicidio. p. 1. numero 1. Canonicum impedimentum, ex facto, seu defectu proueniens, quo quis prohibetur ad ecclesiasticos ordines promoueri, & in eisdem ministrare. Hoc statutum habetur in cap. Episcopum. 45. dist. & in capitu. aliquantos. dist. 51. & in capitulo 1. & in capitu. clerici. & in capit. quicunque 23. quæstio. 8. & in cap. de cætero. & in capitu. ad audientiam, de homicidio voluntario, & in multis alijs locis. Ad cuius intelligentiam aduertendum est primò, quòd, quanuis in iure canonico sæpe dicatur, omnes percussores deferentesque arma esse irregulares, communiter tamen intelligunt Doctores tali prohibitione solum comprehendi eos qui fuerint, vel occisores, vel mutilatores. Vnde Panormitanus in capitulo 1. qui clerici, vel vouen. affirmat solam sanguinis effusionem non inducere irregularitatem. Quam etiam sententiam sequitur Glossa supra clementinam vnicam de homicidio voluntario. Imo ipse textus hoc asserit, cum dicat, eum tantum, qui occidit, aut mutilat esse irregularem. Ex quo infero primò esse latissimum discrimen inter excommunicationem, & irregularitatem, quantum ad illum, qui manus violentas injcit in clericum. Nam quicumque percutit clericum, etiā si illū nec occidat, nec mutilet, nec vero sanguinē fundat, erit excōmunicatus, iuxta canonem, Si quis suadente diabolo. At verò ad hoc, vt talis percussor sit irregularis, opus erit, vel quòd sit occisor, vel mutilator. Infero secundo quòd omne homicidium, & omnis mutilatio, etiam si fiat citra sanguinis effusionem, erit inductiuum irregularitatis. Ita enim habetur expresse in iure. ¶ Secundo est aduertendum, quòd ad hoc, vt hæc irregularitas incurratur non est necessarium, quòd actus, per quem inducitur, sit peccatum, sed satis erit, quòd sit occasio, vel mutilatio voluntaria, etiam si per virtutem fuerit facta. Iudex enim, & ministri iustitiæ malefactores interficientes iure fiunt irregulares; & tamen certum est, eos in tali occisione non peccare, sed potius mereri, cum sit actus iustitiæ. Dixi, sufficere occisionem aut mutilationem voluntariam. Nam per illam, quæ inuoluntaria fuerit irregularitas non incurritur, vt de homicidio casuali in articulo 8. infra dicturi. Ex quo fit, vt infans occidens, nisi dolo sit capax irregularitatem non incurrat, vt notant Panormitanus in capitulo 1. de delictis puerorum, & Ioannes Andreas ibidem, & idem est dicendum de furioso vt colligitur ex Clementina, si furiosus, de homicidio. Pro quo facit lex. 1. C. de falsa moneta. ¶ Tertiò est aduertendum, quòd ad irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione incurrendam, semper est necessarium, quod factum intercueniat. Quantumcunque enim quis ex deliberata voluntate decreuerit hominem occidere, etiam si ea ex causa cum telo armatus insidias illi intenderit, dummodo ipsum nec occiderit, nec membri ei amputauerit, non incurrit irregularitatem. Lex enim promotionis factum requirit, vt dicitur in capitulo vltimo. 15. quæstione 1. Deo quo etiam facit tex. in cap. sicut 32. quæst. 2. & in cap. cogitationis. de pœnitentia. dist. 1. Dico requiri factum, vel proprium, vel alienum, in quo quis, vel mandato, vel consilio, vel promissione, vel cooperatione, vel animatione, vel auxiliatione participat: quidcunque enim quoquo modo occisionis, vel mutilationis causa existit, irregularitatem incurrit, vt rectè docet Syluester verbo. homicidium. 5. §. 3. De hac re videndus est Couarruuias in relectione de homicidio parte secunda num. 5. Soto libr. 5. de iust. quæst. 1. ar. 4. dicit, quòd qui effundit semen in ecclesia eodem modo est irregularis, ac ille, qui hominem interficit. Sed certe talis pœna in toto iure non inuenitur, nec eius meminit Syluester, verbo irregularitas, dum casus pro quibus in iure irregularitas est imposita, recenseret. Nunquam autem irregularitas incurritur, nisi in casibus iure expressis, vt habetur in cap. is, qui. de sententia excommunicationis, libro 6. Sunt autem notandæ duæ regulæ valde necessariæ, circa irregularitatem, tam ex homicidio, quàm ex quacunque alia causa proueniemē. Prima est, quòd nullus Iudex, Magister, aut Doctor debet in dubio aliquem irregularem iudicare, vt constat de pœnitentia dist. 1. §. pen. Secunda regula est, quòd quilibet in dubio debet se irregularem reputare, vt dicitur in cap. ad audientiam. eodem titulo. Itaque ad hoc, vt quis irregularis iudicetur, aut condemnetur nullum debet esse dubium, an irregularitatem incurrerit. Vt autem quis ad ecclesiasticos ordines non promoueatur, neque in eis administret (nisi præuia dispensatione) etiam in dubio debet se reputare irregularem, ne forsè periculo peccandi se exponat. Has regulas constituit Hostiensis in dicto capi. ad audientiam. Ex quo infertur, quòd in foro contentioso, vbi agitur ad pœnam, non debet quis in dubio irregularis reputari. In foro autem animæ, in quo de pœnitentia salutari imponenda agitur, secus erit faciendum.

Irregularitas incurritur per actum virtutis.

Quid requiritur vt irregularitas incurratur ex homicidio vel mutilatione.

Regula notanda circa irregularitatem.

In solutione ad tertium argumentum dicit D. Thom. quòd quando prælati ecclesiastici accipiunt officia principum terræ, non illa accipiunt, vt ipsi per seipsos iudicium sanguinis exerceant, sed, vt id eorum auctoritate per alios exerceatur. Circa quod est aduertendum, quòd coniunctio dominij, temporalis cum spirituali in Episcopis, & alijs prælatis ecclesiasticis, non æquam, quantum ad vtrumque, reddit in illis conditionem, vt possint scilicet, & tanquam prælati, omnia illius officij, & tanquam domini, omnia illius dominij, ac si solum essent domini, exercere. Certum est enim, quòd Episcopus, qui etiam est dominus temporalis, non potest exercere iudicium sanguinis, nec bellare; quæ tamen licite posset si tantum esset dominus temporalis. Dominium enim temporale ità tunc ab spirituali modificatur, vt quæcunque decent prælatum, dedeceant etiam & dominum, qui simul est prælatus, & dominus. Et merito quidem: nam nobilius semper debet trahere ad ignobilius. Ex quo etiam infertur, quòd nec licebit huiusmodi prælatis, & dominis vacare venationibus, aut alijs, quæ clericis & prælatis sunt prohibita. Eadem enim est ratio quo ad esse licitum, vel illicitum in omnibus, quanuis fortè non sit eadem pœna.

Nota circa solutionem ad 3. D. Tho.

Discrimen inter excommunicationem & irregularitatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS V.

¶ Vtrum liceat alicui occidere seipsum.

Suprà qu. 51. arti. 3. ad 2. & in 1. 2. q. 124 artic. 2. ad 2. Et 3. q. 47. arti. 6. ad 3. Et 4. dist. 49. qu. 5. art. 3. q. 2. ad 6. Et Hebr. 11. le. 7. lo. 1.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd alicui liceat seipsum occidere. Homicidium enim est peccatum, in quantum iustitiæ contrariatur. Sed nullus potest sibi ipsi iniustitiam facere: vt probatur in 5. Ethicorum *, ergo nullus peccat occidendo seipsum.

2 ¶ Præterea, Occidere malefactores licet habẽti publicã potestatẽ. Sed quãdoque ille, qui habet publicã potestatẽ est malefactor, ergo licet occidere seipsũ.

3 ¶ Præterea, Licitum est, quòd aliquis spontaneè minus periculum subeat, vt maius periculum viter: sicut licitum est, quòd aliquis etiam sibi ipsi amputet membrum putridum, vt totum corpus saluetur. Sed quandoque aliquis per occisionem suipsius vitat maius malum, vel miseram vitam vel turpitudinem alicuius peccati: ergo licet alicui occidere seipsum.

4 ¶ Præterea, Sãson seipsum interfecit: vt habetur Iudicũ 16. qui tamẽ connumeratur inter sanctos: vt patet Hebr. 11. ergo licitũ est alicui occidere seipsum.

5 ¶ Præterea, 2 Machab. 14. dicitur: quòd Razias quidam seipsum interfecit, eligens nobiliter mori potius, quã subditus fieri peccatoribus: & cõtra naturalem, & contra charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere. Et ideo suiipsius occisio semper est peccatum mortale, vtpote contra naturalem legem, & contra charitatem existens. Secundo, quia quælibet pars id quod est, est totius. Quilibet autem homo est pars communitatis: & ita id quod est, est communitatis. Vnde in hoc quòd seipsum interficit, iniuriam communitati facit, vt patet per Philosophum in 5. Ethico *. Tertio, quia vita est quoddam donum diuinitus homini attributum, & eius potestati subiectum, qui occidit & viuere facit. Et ideo qui seipsum vita priuat, in Deum peccat: sicut qui alienum seruum interficit, peccat in dominum, cuius est seruus: & sicut peccat ille, qui vsurpat sibi iudicium de re sibi non commissa. Ad solum enim Deum pertinet iudicium mortis & vitæ, secundum illud Deute. 32. Ego occidam, & ego viuere faciam.

Lib. 5. cap. vlt. to. 5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd homicidium est peccatum non solum quia contrariatur iustitiæ, sed etiã quia contrariatur charitati, quam habere debet aliquis ad seipsum. Et ex hac parte occisio sui ipsius est peccatum per cõparationem ad seipsum. Per comparationem autẽ ad communitatem & ad Deum, habet rationem peccati etiam per oppositionem ad iustitiam.

¶ Ad secundum dicendum, quòd ille qui habet publicam potestatem, potest licite malefactorem occidere per hoc, quòd potest de ipso iudicare. Nullo autẽ est iudex suiipsius. Vnde nõ licet habẽti publicã potestatẽ, seipsum occidere propter quodcunque peccatũ: licet tamen ei se committere iudicio aliorũ.

¶ Ad tertiũ dicendũ, quod homo cõstituitur dñs sui ipsius per liberum arbitriũ. Et ideo licitè potest homo de seipso disponere quãtũ ad ea, quæ pertinẽt ad hanc vitã, quæ hominis libero arbitrio regitur. Sed trãsitus de hac vita ad aliã feliciorẽ non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati diuinæ. Et ideo

ideo nõ licet homini seipsum interficere, vt ad feliciorẽ trãseat vitã. Similiter etiã nec vt quaslibet miserias præsentis vitæ euadat: quia vltimũ malorũ huius vitæ & maximè terribile est mors, vt patet per Philosophum in 3. * Ethic. Et ideo inferre sibi mortem ad alias huius vitæ miserias euadendas, est maius malum assumere ad minoris mali vitationem. Similiter etiam non licet seipsum interficere propter aliquod peccatum commissum. Tum quia in hoc sibi maximè nocet, quod sibi adimit necessarium pœnitentiæ tempus. Tum etiam, quia malefactorem occidere non licet, nisi per iudicium publicæ potestatis. Similiter etiam non licet mulieri seipsam occidere ne ab alio corrumpatur: quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, vt viter minus crimen alienum. Non enim est crimẽ mulieris per violentiam violatæ, si cõsensus nõ adsit: quia non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, vt Lucia dixit. Constat autem minus esse peccatum fornicationem vel adulterium, quàm homicidium, & præcipue sui ipsius, quod est grauissimũ, quia sibi ipsi nocet cui maximam dilectionem debet. Est etiã periculosissimũ: quia non restat tẽpus, vt per pœnitentiam expietur. Similiter etiã nulli licet seipsum occidere ob timorẽ, ne cõsentiat in peccatũ: quia nõ sunt faciẽda mala, vt veniãt bona, vel vt viteturmala, præsertim minora & minus certa. Incertũ enim est, an aliquis in futurũ cõsentiat in peccatũ. Potens est enim Deus hominẽ quacũq; tentatione superueniẽte liberare à peccato.

Lib. 3. c. 6. to. 5.

Lib. 1. cap. 21. à med. to. 5.

¶ Ad quartum dicendum, quòd sicut Aug. * dicit in 1 de Ciuita. Dei. Nec Samson aliter excusatur quòd seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quòd latenter Spiritus sanctus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Et eãdem rationẽ assignat de quibusdã sanctis fœminis, quæ tempore persecutionis seipsas occiderũt, quarum memoria in ecclesia celebratur.

¶ Ad quintum dicendum, quòd ad fortitudinem pertinet, quòd aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, & vt vitet peccatum. Sed quod aliquis sibi ipsi inferat mortem vt viter mala pœnalia, habet quidem quandam speciem fortitudinis: propter quod quidam seipsos interfecerunt, æstimantes se fortiter agere, de quorum numero Razias fuit. Non tamen est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non valẽtis mala pœnalia sustinere: vt patet per Philosophum * in tertio Ethic. & per Augustinũ in primo * de Ciuitate Dei.

Lib 3. Eth. c 8 to. 5. Lib. 1. c. 13 circ. me. to. 5.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatẽ respondet D. Tho. vnica cõclusione, quæ talis est: Occidere seipsum est grauissimũ peccatũ mortale. Quã probat in argumento, sed contra ex D. Aug. li. 1. de Ciuitate cap. 2. dicẽte, quòd illo præcepto. Non occides, non solũ prohibetur alterius mors, sed etiã propria. Et in corpore articuli triplici ratione. Prima est: Homo seipsum occidẽs, nõ solũ facit cõtra inclinationẽ naturalẽ, qua vnaquæq; res suã appetit conseruationẽ, sed etiã cõtra charitatẽ, qua quilibet debet seipsum diligere: ergo cõmittit grauissimũ peccatũ mortale. Secũda: Qui seipsum occidit, facit iniũriam rei publicæ, vt dicit Arist. li. 5. Ethi. cap. vltimo: tollit enim partẽ reipublicæ, cũ quilibet homo sit pars. Tertia. Vita humana est donum quoddã diuinũ, cuius dominũ manet penes ipsum Deũ: ergo qui illã à se aufert facit iniustitiã Deo, non minus, quã ille, qui interficit alienum seruum, vel vsurpat iudicium de re sibi non cõmissa, atque ex consequenti peccat grauissimè.

EXPLICATIO ARTICVLI.

MAteria huius articuli est grauissima, & in qua explicãda operæpretium erit, vt multa dicamus. In quibus rectũ ordinẽ seruabimus si prius de veritate cõclusionis, postea autẽ de rationibus, quibus D. Tho. illã probat, fecerimus sermonẽ. Ad primũ igitur deueniẽtes, est prima difficultas: vtrũ cõclusio D. Thomæ vera sit. Et pro parte negatiua argumẽtor primo: Nullus scies, & volẽs potest se occidere: ergo cõclusio D. Tho. præsuppo nit falsum, nẽpe quòd possit inueniri deiectũ occitionis sui ipsius. Cõsequẽtia est nota, & antecedẽs probatur: Voluntas nõ potest ferri, nisi in bonũ, quòd Arist. affirmat li. 3. de anima. & in præsenti supponitur tanquã verũ;

Dubium de veritate conclu. D. Tho. 1. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed nō esse,aut desinere esse nullā habet rationem boni:ergo nullus sciens, & volens, potest interficere seipsum. Nec obstat si dicatur,quòd cum anima sit immortalis,nondū finit esse,saltim quantū ad meliorē partē sui, qui se interficit. Nā ad min⁹ probat argumētū,quòd qui nō haberet spē alterius vitæ,nō posset seipsum interficere,quod D. Tho. negaret. Et cōfirmatur: Impossibile est,quòd aliquis nolit esse beatus,vt latè probat D. Aug. li.17.de Ciuitate.c. 7. sed qui vult non esse nō vult esse beatus,cū qui nō est, beatus esse nō possit:ergo nullus est,qui velit nō esse;atque ex consequēti nec se interficere. ¶ Secūdo,Qui seipsum interficit,nulli facit iniuriā: ergo nō peccat mortaliter. Cōsequentia est nota,& antecedēs probatur. Et primò,quòd nō faciat iniuriā sibi,est res manifesta,cū volēs patiatur,& sciēti,& volēti nō fiat iniuria. Sed,quòd nec etiā faciat iniuriā reipublicæ, quod D. Tho. affirmat in hoc articulo, probatur. Primò: Nā qui se occidit,aut mutilat,nihil tenetur reipublicæ restituere;quod nō esset si in tali occisione,aut mutilatione aliquā illi faceret iniuriā:ergo. Itē;si occidens ob id peccaret mortaliter, quia facit iniuriā reipublicæ;sequeretur,quòd qui saltim bona venia reipublicæ,vel adepti licentiā à republica(sicut mos fuit apud aliquas nationes)se interficerēt,nō peccarent: hoc autem D. Thonō cōcedit:ergo se occidens nullā facit iniuriā reipublicæ. Et cōfirmatur: Qui bona tēporalia volēs perderet,nec sibi,nec reipublicæ aliquā faceret iniuriā:sed nō minus res tēporales sunt reipublicæ,quā hominis vita,imò multo plus:ergo nec qui se interficit,facit sibi,aut reipublicæ iniuriā. ¶ Tertio principaliter sic argumētor: Licitū est vnicuiq; nō se defendere à latrone inuadēte,quādo vitā propriā aliter,quā alterū occidēdo tueri nō potest,vt cōmuniter dicunt Doctores:ergo etiā erit licitū se interficere. Probo cōsequentiā: Nā eodē præceptō tenetur quis defendere propriā vitā,quo tenetur se nō occidere. Et cōfirmatur: Duobus in extrema necessitate existētibus,habentibusq; solum vnicū panē, quo vnus tātū potest vitā tueri,licitū est vnicedere panem alteri;sed hoc est seipsum interficere:ergo. ¶ Quarto sic argumētor: Si esset vnus esset cū Rege in naufragio essetq; in vna tabula, vel nauicula,quæ vtrumq; sustinere nō posset,licitū esset seruo desilire in mare,si ne spe euadēdi, vt Regē à morte seruaret, quòd est se interficere. Itē: Licitum est dānato ad mortē etiā habita opportunitate fugiēdi non fugere,sed expectare,q̄ est morti cooperari. Itē: Licitū est dānato ad mortē veneni hausti,ipsum bibere, vel dānato ad mortē vt fame cōficiatur,oblato pane non comedere,quia vnicuiq; est licitū cōformare se iustæ sentētiæ:sed hæc omnia importāt sui ipsi⁹ occisionē:ergo licitū est aliquādo seipsum occidere. ¶ Quinto: Licitum est vnicuiq; tēpore pestis cum manifesto periculo mortis amicos visitare. Itē etiam est licitū cū eodē mortis periculo nauigare,vtiq; exercitijs militaribus,vt hastiludio,& taurorū agitatione:ergo etiā est licitum seipsum occidere. Probo cōsequentiā: Nā eodē præcepto prohibetur quis ne seipsum occidat,& ne se ponat manifesto mortis periculo. Et cōfirmatur: Licitū est vitā breuiorē facere abstinētijs, & duro victu, alijsq; vitæ austerioris rigoribus: ergo etiā est licitū se interficere. Consequentia tenet ex dicto Hieronymi,affirmantis,nihil interesse paruo,an magno tēpore te interimas. Et antecedēs probatur ex vsu;qui est in monasterijs,vbi certum est vitā esse breuiorem, quā extra. ¶ Sexto: Nō tenetur homo in extremo periculo cōstitutus salutē redimere quacumq; pecunia,vel toto patrimonio:si enim quis ad salutē indigeret herbā aliqua,vt, verbi gratia,radice pōtica,quā,nisi daret,suū regnū aut principatū obtinere nō posset,nō tenetur illud dare: ergo nō tenetur in hoc casu vitā seruare,atq; ex cōsequēti potest se interficere. ¶ Septimō: Semper est licitū subire minus malū,ad vitandū maius: sed maius malū est infamia,& ignominia secundū hominum æstimationē quā mors:ergo saltim ad vitandam ignominiam & infamiam erit licitum mortē subire,ac se interficere. ¶ Vltimò non esse licitū se occidere nō est ità per se notū, quin possit à multis inuincibiliter ignorari: imò multi fuerunt ex ijs,qui reputātur sapiētes,qui aliquorū hominū propriā occisionē miris laudibus extulerunt: ergo saltim illi, qui putāt se fortiter,& laudabiliter agere se interficiētes,nō peccabūt,vt Cato,Brutus,Lucretia &c. Et cōfirmatur: De quibusdam sanctis fœminis legitur,quòd cū essent à tyranno damnatæ,vt igne cōburerentur, ipsæ se prius in illū præcipitauerūt: Sāson etiam,& Saul,Rasias,& Eleazarus se interfecerūt: quitamē nō solū nō vituperātur,sed potius laudātur in scriptura. De Sāsone enim dicit Paul⁹ ad Hebr.11.quòd per fidē vicit regna,operatus est iustitiā &c. De Rasia autē dicit historia,quòd maluit laudabiliter mori, quàm subditus fieri peccatoribus Eleazarus etiam laudatur in libris Machabæorum:ergo aliquando est licitum se interficere.

Hæc sunt argumēta,quibus cōclusionem D. Tho. possumus aliqua ex parte impugnare. Quibus nō obstantibus dico, quòd quicūque seipsum interficit,quacunque ex causa id

2. argum.

3. argu.

4. argu.

5. argu.

6. argu.

7. argu.

vlti. argu.

Conclu.

id fiat,semper peccat mortaliter. Hāc probat D. Augu. li.1.de Ciuit.à.c.17.vsque ad 27. Et cum videantur esse tres causæ, propter quas possit homo mortem sibi excusabiliter conscīscere: prima ob metum pœnæ siue dedecoris:secūda ne per alienam libidinem in oppresso corpore mens inuita violētiam patiatur:tertia propter declinationē peccati; de singulis in particulari probat,nullā illarū esse sufficientem ad hoc,vt quis sine peccato mortē sibi possit inferre. Vnde de prima causa in c.17.loquens dicit: Si nō licet priuata potestate alicui hominē occidere,vel nocentē,cuius occidēdi licentiā lex nulla cōcedit: profectò etiā qui seipsum occidit homicida est,& tātò fit nocētior,cū se occiderit,quātò innocētior in ea causa fuit,qua se occidendū putauit. Nam si Iudæ factum meritò detestamur;eumq; veritas iudicat:cum se laqueo suspēdit,scelerataē illius traditionis auxisse potiùs quā expiasse cōmissum, quoniā Dei misericordiā desperādo exitiabiliter pœnitēs nullū sibi salubris pœnitētiæ locū reliquit, quā tò magis à sua nece se abstinere debet,qui tali supplicio quid in se puniat nō habet:Iudas enim,cū se occidit sceleratū hominē occidit, & tamē nō solū Christi,verū etiā suæ mortis reus finiuit hāc vitā,quia licet propter suū scelus,alio suo scelere occisus est. Hæc Augusti. De secūda autē causa dicit in c.18. Cur homo,qui male nihil fecit,sibi malefaciat,& se ipsum interficiendo hominē interficiat innocentem,ne alium patiatur nocentē;atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienū? Dices,ne vel aliena polluat libido,metuitur. Non polluet, si aliena erit. Si autē polluit,aliena nō erit. Cū enim pudicitia virtus sit animi, comitēque habeat fortitudinem,qua potius quælibet mala tolerare,quā malo cōsentire decernat; & nullus magnanimus,& pudicus in potestate habeat quid de sua carne fiat,sed tantū quid annuat mente,vel renuat,quis sana mēte putauerit perdere pudicitiā,si forte in apprehēsa & oppressa carne sua exerceatur,& expleatur libido nō sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi nō erit, nec pertinebit ad ea bona,quibus bene viuitur, sed in bonis corporis numerabitur; qualia sunt,vires,pulchritudo,sana integraq; valetudo,ac siquid huiusmodi est,quæ bona,etiā si minuātur,bonā iustamq; vitā omnino non minuunt. Quod si tale aliquid est pudicitia, vt quid pro illa,ne amittatur,etiā cū periculo corporis, laboratur. Si autē animi bonum est,etiā oppresso corpore nō amittitur. Hæc Augustinus. Tandē de tertia causa dicit in c. 27. Restat vna causa,qua vtile putatur,vt se quisq; occidat,scilicet,ne in peccatū irruat, vel blandiēte voluptate,vel dolore sæuiēte. Quā causam si voluerimus admittere,eo vsq; progressa proueniet,vt horrēdi sint homines tūc,se potiùs interimere, cū lauacro sanctæ regenerationis abluti vniuersorū remissionē acceperint peccatorum. Tūc enim tēpus est cauēdi omnia peccata futura,cum omnia sunt deleta præterita. Hoc autē quā sit absurdū,pluribus ostēdit D. Augustinus in eodē capitulo. Quo tandē concludit si mortē sibi spōte inferendi vlla causa iusta esse posset,proculdubio iustior,quam ista,non esset. Quia verò nec ista est: ergo nulla est. Non itaque vobis,ò fideles Christi, sit tædio vita vestra, si ludibrio fuit hostibus castitas vestra. Habetis magnam veramque consolationem,si fidam conscientiam retinetis, non vos consensisse peccatis eorum, qui in vos peccare permissi sunt. Hæc Augustinus. Sed rationibus probo eandē conclusionē. Primo sic: Occidēs seipsum facit contra præceptū charitatis:ergo peccat mortaliter. Cōsequentia est nota,& antecedens probatur: Non minus tenetur homo se diligere,quā proximū, imò ex amore,quem habet erga se sumenda est regula in dilectione proximi,cū veritas dicat: Diliges proximū tuū, sicut teipsum: sed si homo occidat proximū facit contra charitatē:ergo & si occidit seipsum. Secūdo: Qui se occidit facit iniuriā reipublicæ:ergo peccat mortaliter. Cōsequentia est nota,& antecedēs probatur: Quidquid homo est, est ipsius reipublicæ,sicut pars sui est totius:ergo qui se occidit aufert à republica quod suū est atque ex cōsequenti facit illi iniuriā. Tertio: Occidēs seipsum facit contra præceptū Decalogi; Nō occides, quod habetur Exod. 20.& Deutero.ca.5.ergo peccat mortaliter. Cōsequentia est nota & antecedens probatur: Illo præcepto: Non occides,prohibetur omne homicidiū quòd stādo in sola lege naturæ est malū,& irrationabile,vt dixim⁹ in art.2.huius quæstio. sed talis est occisio sui ipsius:ergo. Et cōfirmatur ex D. Aug.li.1.de Ciuit.c.20.dicēte;Si falsi testimonij nō minus reus est,qui de se ipso falsum fatetur,quā si aduersus proximū hoc faceret,cū in eo præcepto,quo falsum testimoniō prohibetur,aduersus proximū prohibeatur,possitq; nō rectè intelligentibus videri,nō esse prohibitū, vt aduersus seipsum quisque falsus testis assistat,quāto magis intelligendū est,non licere homini seipsum occidere:cum in eo, quod scriptū est:nō occides,nihilo deinde addito, nullus nec ipse vtiq;,cui præcipitur intelligitur exceptus? Quibus verbis apertè docet D. Aug. illo præcepto: Nō occides, quamcunq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominis,etiã sui ipsi* occisionẽ esse prohibi tã.Maximè,cũ in isto præcepto. Nõ occides, nõ fuerit positũ,proximũ tuũ,sicut in præce pto de nõ dicendo falsum testimoniũ fuit ad ditũ,aduersus proximũ tuũ. Quarto: Occide re seipsum est cõtra naturalẽ inclinationẽ ho minis. Nõ enim homo solũ,sed & omnia ani mãtia,atq; adeò res omnes suæ corruptioni resistunt;pro viribusq; adnituntur se in rerũ natura cõseruare,vt dicit Arist.li.2.de gene ratione. Estque hoc adeò experientia cõper tum,vt probatione nõ sit opus:sed facere ali quid contra naturalẽ inclinationẽ est pecca tũ:ergo & occidere seipsum. Cõsequẽtia cũ maiori est nota,& minor probatur: Natura lis hominis inclinatio semper est in bonũ & honestum propensa; ergo facere cõtrà illam est illicitũ. Probo consequentiã: Nã bono,ni si malũ,cõtrarium esse nõ potest. Tota vis hu ius rationis in eo consistit, vt explicemus, qualiter naturalis hominis inclinatio sem per sit in bonum,nec malum aliquãdo sug gerat,quod à multis,tanquã falsum reijcitur. Sed de hoc nos paulò infra dicemus,cũ primã rationẽ positam à D.Tho.in hoc art.exã minauerimus. Vltimò probatur cõclusio: Vi ta humana est donũ quoddã diuinũ,cuius do miniũ remanet penes ipsum Deũ,vt diximus supra in materia de dominio: ergo qui illã à se aufert facit iniuriã Deo,nõ minus,quã qui interficit alienũ seruũ, vel vsurpat iudicium de re sibi nõ commissa,atque ex consequen ti peccat mortaliter.

Ad 1.arg. ¶ Sed restat nũc respondere ad argumẽta in cõtrariũ facta. Vnde ad primũ respõdeo, negã do antecedẽs. Et ad probationẽ dico, quòd obiectũ volũtatis nõ est solũ verũ bonum, sed etiã apparẽs bonũ. Cũ enim obiectũ non moueat voluntatẽ,nisi mediãte cognitione; nihil enim volitũ quin præcognitum, & id quod est malũ ex se possit apprehẽdi vt bonũ,nihil refert ad mouẽdã volũtatẽ,an sit ve rũ bonũ, vel æstimetur verũ bonũ. Quoniã ergo interficere seipsum,aut prorsus nõ esse, potest ex errore æstimari bonum, fit, vt ex hac parte non impediatur,quo minus possit quis sciens & volẽs seipsum interficere. Sed quoniã ista solutio solũ ostendit,posse homi nẽ ex errore velle nõ esse,aut interficere se, dico secũdo nõ esse in cõueniens,quòd ali-
Aliquando potest aliquis velle non esse. quis sine errore velit nõ esse;vt est videre in dãnatis. Nam licet,nõ esse,absolutè sit malũ: cõsideratum tamẽ tanquam mediũ ad cauen dam summam miseriã,est bonũ. Magna enim portio felicitatis est, carere vltima miseria. Et licet,esse, absolutè sit bonũ, & appetibi le;tale tamen esse, scilicet,cum summa mise ria coniũctum,re vera est eis malũ,meliusq; esset eis nõ esse,quã sic esse. Quod & Domi nus in euangelio significare voluit, dũ apud Lucam c.23.dixit de Iuda proditore: Bonum erat ei, si natus nõ fuisset homo ille. Quem locũ licet nonnulli interpretẽtur, vt melius fuisset Iudæ nõ nasci,nõ tamẽ melius nõ cõcipi,aut nõ esse;nõ tamẽ puto Christum ha buisse respectum ad differẽtiã illã inter natũ esse & conceptũ esse;sed absolutè protulisse, meli* futurũ illi,omnino nõ esse,quã ita per ditũ esse. In qua etiã significatione dixit Sapiẽs Ecclesiastici c.30. Melius est mors,quã vita amara. Et Apocal.c.6. Desiderabũt mor tẽ & fugiet ab eis. Damnati ergo nõ errãtes, sed rectè intelligẽtes,cupiũt nõ esse. Ad cõ firmationẽ vt respõdeamus,aduertẽdum est, quod aliter est loquẽdũ de appetitu remotio nis mali,& aliter de appetitu persequutionis boni: Nam,quia quando homo desiderat aliquã miseriã à se remoueri,vtitur se tanquam termino à quo,& nõ est necesse,quòd termi nus à quo permaneat immobilis, hinc fit, quòd,vt homo fugiat aliquã miseriam,bene potest desiderare nõ esse. Cæterũ, quia in ap petitu,quo prosequitur aliquod bonũ, vti tur se homo tanquam termino ad quẽ,& in omni motu necessarium est,quòd terminus, ad quẽ,remaneat;hinc est,quòd si prosequi tur homo aliquod bonũ sibi, ex necessitate etiã debeat desiderare se esse. Quo posito ad argumentũ respõdeo,quòd qui cõstitutus in summa miseria desiderat nõ esse,appetit sibi beatitudinẽ,nõ per modũ prosequutionis bo ni,sed per modũ remotionis mali. Et sic nõ est necessariũ,quod permaneat. Vel secundo respõdetur,quòd,quia nullus potest velle ab solute quod scit se nũquam adepturũ,ac per cõsequens nec eligere mediũ ad illud conse quendũ,quod cõsequi non sperat,fit, quòd cũ damnati firmiter credant se nunquam fu turos felices, nec etiam velint esse, quòd necessariũ est ad felicitatẽ,imo eo ipso,quòd damnati cupiunt felices esse,cupiũt etiam ex cõsequenti miserias vitare;quas,nisi nõ essen do,fugere nõ possunt:& sic cupiũt non esse.

Ad 2.arg. Ad secundũ argumentum cum sua cõfirmatione,vt respõdeamus,aduertendũ est primò,esse latissimum discrimẽ inter propriam hominis vitam,& alias res corporales. Nam rerũ corporalium ità est verus dominus, vt possit pro suo arbitratu illis omnibus vti: omnia enim subiecit Dominus sub pedibus eius. Quare non tenebitur ad illarum rerum conseruationẽ:sed poterit pro sua volũtate, vel tenere illas,vel dimittere. Vnde occidẽs proprium equum, aut comburens propriam domum, nulli facit iniuriam. At verò propriæ vitæ, aut proprij corporis non est ita dominus, sed solus Deus est,qui vitæ,& mortis habet dominium, vt diximus latè in materia de dominio. Et sic homo, quantum ad hoc, peculiariter est seruus Dei. Quare occidens seipsum faciet iniuriam Deo, à quo vitam non ad perdendum, sed ad illa vtendum, dono accepit. Et, sicut non est immunis ab iniuria, qui alium interficit, etiam eo petente, vt est videre in eo, qui ad petitionem Saulis, ipsum interfecit,qui postea à Dauid,tanquam reus mortis,fuit punitus: quia,scilicet, nullus est ità dominus vitæ suæ,vt possit cuicunque se interficiendi facultatem dare: ita & qui se occidit iniuriæ Deo factæ erit reus. Vt enim apud Ciceronem dicit Pythagoras,prohiben tur mortales sine iussione Imperatoris, vel domini de præsidio, & statione vitæ discedere. Respublica autem, vel princeps non habent dominium vitæ subditorum, quan-
Ad 3.arg. nis custodia illis, ac tutela vitæ ciuium sit commissa. Et propterea, qui se interficit iniuriam dicitur facere reipublicæ, vt diximus in materia de dominio. Secundo est aduertendum,quòd,vt constat ex D.Thom.hic in solutione ad primum seipsum occidens com parari potest vel ad Deum,vel ad rempublicam,vel ad seipsum. Et quidem,si comparetur ad seipsum,peccatum illud non est contra iustitiam, vt rectè probat argumentum factum. Est tamen contra charitatem, qua vnusquisque seipsum diligere tenetur. Si autem comparetur ad Deum,vel ad rempublicam, peccatum illud erit contra iustitiam: quamuis diuersimodè. Nam comparatus ad Deum, homo, qui se occidit peccat contra iustitiam, in quantum destruit id, quod est ipsius Dei. Ex quo fit, vt si posit, teneretur talis vitæ facere Deo recompensationem. Comparatus autem ad rempublicam facit contra iustitiam: Non quia tollit id,quod est verè ipsius reipublicæ: respublica enim non habet dominium vitæ subditorum: sed quia facit iniuriam illi, auferendo id, quod suæ curæ atque custodiæ est commissum. Quare non tenebitur reipublicæ vitam, vel membrum à se abscissum restituere: sed solum resarcire iniuriam factam. Ex quo sequitur, quòd, quamuis cum bona venia reipublicæ, seipsum quis interficiat,adhuc peccabit mortaliter,tam contra charitatem,qua propriam vitam tueri tenetur,quàm contra iustitiam, ex qua obligatur non destruere id,cuius dominium est penes solum Deum. Et per hoc patet solutio ad argumentum,cum sua con-
Ad 3.arg. firmatione. ¶ Ad tertium vt respondeamus, aduertendum est, quòd occidere se, potest stare dupliciter. Vno modo directè, infe-

rendo in se manus. Quod contingit,quándo mors imperatur ab isto actu: Volo me occidere: Quod nunquam est licitum, nec pro Deo, nec pro virtute, vt supra probatum est. Si enim in sacris concilijs damnantur sæpe qui prætextu sanctitatis membra sibi abscindunt, quantò magis damnandi erunt seipsos occidentes? Quare nec pro Christo poterit Martyr se iugulare. Alio modo contingit se occidere indirectè & per accidens. Quod contingit, quando homo potest conseruare vitam, & non conseruat. Et hoc tunc solum imputatur ad culpam homicidij, quando tenetur homo vitam tueri.
Multi casus sunt in quibus non tenetur homo vitam propriã vitã tueri.
Sunt autem quam plurimi casus, in quibus quamuis possit, non tenetur homo tueri vitam. Non enim obligatur illam conseruare omni modo possibili, nec omni cibo, aut medicina pretiosa vti, aut verò adire saluberrimam prouinciam,vt diutius viuat. Quo supposito dico,quòd si inuasus à latrone aliter non possit se defendere,quàm latronem interficiendo,non dubito,quin sit opus consilij, & perfectionis permittere se occidere, potiùs quam latronem in tali casu mittere in perditionem. Nec hoc est seipsum occidere: sed non conseruare vitam quando non tenetur. Et quod hoc ita sit dicendum probatur: Si Christianus deprehensus in solitudine à Pagano inuaderetur, eo quod Christianus esset, & ipse posset se ab illo defendere, etiam licite, & sine scandalo fidei, nemo dubitaret, quin esset opus patientiæ, ferre tunc æquabiliter mortem in testimonium fidei: Et hoc non ob aliam causam, nisi,quia non tenetur tunc vitam conseruare: ergo pari ratione dicendum erit de eo, qui inuasus à latrone nõ potest aliter propriam vitam tueri, quam latronem occidendo. Et confirmatur: Christus Dominus licitè se poterat defendere à Iudæis, vel Gentilibus, qui illum tyrannicè oppresserunt: tamen id non fecit: ergo non quicunque licitè potest vitam suam saluare tenetur, modò pro bono virtutis illam expendat. Pro quo etiam facit,quòd decẽ millia Martyrum,qui pro Christo mortui sunt, non videtur quod non potuissent se defendere licitè & pugnare aduersus tyrannos, sicut & nunc Christiani se tuentur contra Paganos. Et tamen id facere noluerunt. Quare non dubito, quin plerunque martyrium sit sub consilio, & quod multi Martyres se vltro martyrio obtulerunt, cum ad id non obligarentur. Quod satis consonum videtur consilio Pauli ad Romanos duodecimo, dicentis: Non vos vindicantes charissimi: sed date locum iræ, & Dominus in Euange-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lio Matthæi. 5. Ego autem dico vobis, non resistere malo: Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram. Pro quo est considerandum, quod licèt, vt dictum est, homo non sit dominus sui corporis, aut propriæ vitæ, sicut aliarum rerum, aliquid tamen dominij, & iuris habet in vita sua, scilicet, vsum illius, ratione cuius qui nocet in corpore, non solum facit Deo, qui est supremus Dominus vitæ, sed etiam ipsi homini priuato iniuriam. Et hoc ius, quod homo habet in proprium corpus, potest aliquando laudabiliter dimittere, atque perdere: sicque patienter ferre mortem, quamuis habeat ius se defendendi. Et si quis contra hoc argumentetur: Plus tenetur homo seruare propriam vitam, quam vitam proximi, amicabilia enim, quæ sunt ad alterũ, sunt ex amicabilibus, quæ sunt ad se: sed quilibet tenetur defendere vitam proximi innocentis, quando quis per violentiam vult illum interficere, iuxta illud Prouerb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses: ergo idem est dicendum de propria vita, atque ex consequenti, quilibet tenetur illam defendere, atque tueri quandocunque licite potest, etiam cum morte inuasoris: Respondetur primò, concessa maiori, negando minorem. Non enim semper tenetur homo vitam proximi innocentis defendere, etiam quando licitè potest. Nam si Christianus se vltrò offert Martyrio ad augmentum fidei extra tempus necessitatis, quando, scilicet, est opus consilij, dato, quòd Christiani possent illum eripere de manu tyranni, etiam sine scandalo, non credo, quòd tenerentur. Et sic non est vniuersaliter verum, quòd quilibet tenetur vitam innocentis defendere quando licitè potest. Pro quo facere videtur reprehensio, quam Christus Dominus dedit D. Petro, propterea quòd volebat eum eripere de manibus Iudæorum, dicens: Mitte gladium tuum in vaginam: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum? &c. Matth 26. Vel secundo respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Non enim sequitur, quòd si teneor defendere vitam proximi, quòd teneor defendere meam. Possum enim, vt dictum est cedere iuri meo, non tamen possum cedere iuri fratris. Cuius rei signum est, quòd non teneor defendere bona mea temporalia, iuxta illud: Si quis petierit à te tunicam, da ei & pallium. Et tamen certum est, quòd si possum sine meo periculo defendere bona innocentis à raptore, teneor. Et per hæc patet solutio ad tertium argumentum. In confirmatione, quę in eodem argumento ponitur, tangitur difficultas, an pro priuata persona licitum sit vnicuique propriam vitam ponere. In qua re multi partem tenent negatiuam. Contrarium tamen existimo verum, atque laudabile, vt à me latè fuit explicatum in primo tomo q. 26. artic. 4. Quod & confirmari potest ex illo Ioann. cap. 14. Maiorem charitatem nemo habet, quàm, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vbi non distinguit de persona priuata, aut publica. Et in alio loco: In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere, &c. Quare omnino concedendum est in casu posito in argumento licitum esse, panem alteri concedere, cum manifesta pernicie propriæ vitæ. Nec hoc est se interficere: sed pati mortem pro gloriosa virtute. ¶ Ad quartum quod ex aliquibus particularibus casibus constabat, respondetur, illud nihil facere contra nostram conclusionem: sed solum probare, quòd in illis casibus est licitum non tueri vitam cum possimus, quod nos in præsenti non negamus. An autem omnes illi casus sint liciti, explicabimus infra quæst. 69. artic. 4. *Ad 4. Arg.*

¶ Ad quintum respondetur, quòd, vbi amicus indigeret auxilio & obsequio meo in ægritudine, vel consilio in conscientia, non dubito, quin possem adiuuare illum cum quantocunque periculo proprio: cæterum, qui nihil esset profuturus, non videretur carere temeritate, si tam graui periculo se exponeret sine fructu. Nisi fortè dicamus, hoc ipsum, scilicet, amicitiam, & fidem in amicos seruare, esse magnum fructum. Quare saltem vxorem, quæ cum magno periculo marito peste laboranti assideret, etiam si hoc officium non esset illi vllo pacto profuturum, sed vt pereunti amico officium & consolationem præstaret, tanquam alicuius peccati ream condemnare non auderem. *Ad 5. Arg.*

Ad aliud, quod in eodem argumento habetur, de nauigatione, & de exercitijs militaribus, quæ coniunctum habent periculum, dico, quòd ad cognoscendum quid in illis liceat, habendus erit respectus, non solum ad circunstantias pro tempore occurrentes, sed etiam ad illas, quæ magis, & vt in plurimum contingere solent. Atque etiam est habendus respectus ad bonum, vel malum, quod ex illis resultat, tam in communi, quam in particulari. Quare, quia nauigatio absolutè loquendo, est vtilis communi bono (cum excom-

excommunicatione nationum & prouinciarum per nauigationem factam, respublicæ grauissima tam in pace, quam in bello commoda accipiant) & si propter periculum tempestatum homines deterrentur à nauigatione fieret magna iactura boni publici, fit, vt ipsa nauigatio absolutè loquendo, sit licita, & laudanda, etiam si aut vix, aut nunquam nauigari sine magno periculo posset. Cum hoc tamen stat, quòd si secundum peritiam artis nauigatoriæ in aliquo tempore tales concurrant circunstantię, vt communiter loquendo, sic nauigantes extraordinarium aliquod periculum patiantur, nec ad id subeundum sit vrgens magna aliqua necessitas boni communis, vel priuati: qui sic nauigauerint peccabunt mortaliter. Quia, vt dixi, habenda est ratio boni communis, & circunstantiarum, non solum absolutè, sed pro tempore. Et eodem modo dicendum est de exercitijs militaribus. Quia enim necessarium est reipublicæ milites habere ad defendendam patriam, qui sine militari exercitio prorsus bello inutiles essent, fit, vt exercitia militaria etiam si periculum habeant annexum, omnino sint licita. Tamen, quia sunt quædam exercitia militaria parum periculosa: qualia sunt equestria aliaq; multa, quę ad exercendos milites sufficiunt: ideircò alijs multum periculosis vti erit illicitum. Cæterum, si milites sine magno etiam & graui periculo exerceri non possent, non ideo omnino omittenda essent exercitia bellica. Minus enim temporale malum tolerandum esset, ad euitandum maius, ne, scilicet, aut patria perderetur, tyrannique illam occuparent, aut in bello hostes victores multò plures occiderent, quia milites non sunt exercitati, quàm si omnia bellica exercitia assumere potuissent. In confirmatione in eodem argumento posita tangitur difficultas, vtrùm liceat abbreuiare vitam per abstinentiam? Ad cuius explicitionem omissis pluribus ad materiam temperantiæ pertinentibus. Dico primò, quòd ex intentione abbreuiare vitam per abstinentiam, aut per alios austeriores rigores nunquam est licitum. Est enim hoc contra charitatem, qua seipsum & propriam vitam diligere tenetur: & sic peccatum mortale; in qua significatione dixit D. Augustinus in regula: Carnem vestrã domate ieiunijs & abstimentijs, quantum valetudo permittit. Et de moribus Ecclesiæ: Regula temperantiæ est necessitas præsentis vitæ. Dico secundo, quòd vti alimentis, quibus homines communiter vtuntur, & in quantitate, quæ solet sufficere ad valetudinem conseruandam, dato, quòd ex hoc abbreuietur vita etiam notabiliter, & hoc percipiatur, nullum est peccatum. Hanc conclusionem ponit Victoria in relectione de temperantia num. 14. Et probatur: Nullus tenetur protelare vitam per alimenta, quantum potest: non enim tenetur vti cibis optimis delicatissimis, & pretiosissimis, etiã si ea sint salubertima: imò hoc esset reprehensione dignum: ergo qui vtitur alimentis, quibus homines communiter vtuntur, quanuis ex hoc abbreuietur vita, nullum peccatum committit. Et confirmatur: Nam contrarium esset damnare omnia ieiunia, tam Ecclesiastica, quam monastica. Ex quo infero, non teneri quenquam vti medicinis ad prolongandam vitam, etiam vbi esset probabile periculum mortis, puta, quotãnis sumere pharmacum ad vitandas febres, vel aliquid huiusmodi. Si quis autem singulari inedia, vel cibo ità nocuo vteretur, vel sciens, vel ex propria opinione contra bonorum & sapientum sententiam, vt breui abrumperetur vita, non excusaretur à mortali: quia id non esset non protelare vitam, sed illam abrumpere: quod sine mortali fieri nõ potest. Nisi fortè id faceret ex peculiari auxilio, & reuelatione diuina. Quo supposito ad confirmationem respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ad probationem ex D. Hieronymo dico, testimonium illud procedere de eo, qui ex intentione abbreuiandi propriam vitam illis cibis vteretur, quibus intelligeret id esse futurum. Tunc enim perinde esset homicida, ac si vni eo tantum ictu seipsum necaret. Quia, vt dicit Hieronymus, nihil interest paruo, an magno tempore te interimas. Ad sextum argumentum respondetur, verum esse, quòd in casu posito non tenetur quis totum patrimonium dare pro vita seruanda: sed reputabitur tunc non habere remedium: & ille, qui illud negat erit homicida. Non enim tenetur homo omnia media adhibere ad vitam seruandam: sed satis erit ponere illa, quæ ad hoc ex se ordinata sunt, atque congruentia. Nec hoc est se interficere, sed non prolongare vitam omni modo possibili: ad quod non tenetur, vt diximus. Ex quo infero, quòd, cùm quis sine spe vitæ ægrotat, dato, quod aliquo medicamento pretioso posset per aliquot horas, aut etiam dies vitam producere nõ tenetur illud emere, sed satis erit vti communibus remedijs. *Ad 6. Arg.*

Qualiter liceat abbreuiare vitam per abstinentiam.

¶ Ad septimum argumentum respondetur primò, concessa maiori, negando minorem. Vita enim maius bonum est, quam bona temporalia, inter quę gloria honor, & fama reponuntur. Vnde ex eo, quòd quis pro vitando maximo *Ad 7. Arg.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

maximo malo potest minus subire, non rectè colligitur, quòd pro vitanda infamia, aut dedecore poterit mortem oppetere. Cuncta enim, quæ habet, dabit homo pro anima sua: cùm omnia ad vitam, tanquam ad finẽ ordinet. Quod & significare voluisse videtur, qui dixit: Curam habe de bono nomine. Hoc enim permanebit tibi magis, quàm mille thesauri. Et alibi: Melius est nomen bonũ, quàm diuitiæ multæ. Quibus locis, vt videtis, bonũ nomen non ad vitam, sed ad thesauros comparat, quasi significans vitam pretiosiorem esse quacunq; fama, aut gloria. Quare de illa dixit Ecclesiasticus c. 30. Non est census super salutem corporis. Vel secundo respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Nam cum homo per liberũ arbitrium tantum sit constitutus dominus suarũ actionum, vitæ autẽ dominium penes se non habeat, sed illud sit Deo reservatum, vt diximus in materia de dominio: fit, vt de omnibus, quæ subsunt libero arbitrio disponere possit: de vita autẽ, quæ Dei tãtum potestati subijcitur minimè: Et sic ob nullam prorsus causam, etiam vita præstantiorem, poterit se illa priuare. Quare nec qui illo Pauli desiderio arderet dissoluendi, & esse cum Christo, posset sine peccato seipsum necare, quantò minùs, vt extremas mundi huius calamitates fugiat. Maximè, cum dicat Arist. lib. 3. Ethic. Vltimum malorum temporalium esse mortem. Et sic qui, vt malis alijs careret, se vita orbaret, malus tunc contra naturam eligeret malum, vt minus vitaret. ¶ Ad vltimum argumentum, in quo ex eo, quòd non esse licitũ se interficere, potest ab aliquibus inuincibiliter ignorari, colligitur saltim illos, qui id inuincibiliter ignorant posse se sine peccato interficere: respondeo, non esse dubiũ, quòd hoc præceptum se non interficiendi, quod naturale est, fuerit ab aliquibus ignoratum, sicut & apud Paganos fuerunt olim, & modo sunt ignorata alia plura ad legem naturalem pertinentia. Qualia sunt præceptum de vitanda fornicatione, & præceptum de non vindicandis proprijs iniurijs. Cæterùm respectu nullorum istorum ponimus in illis ignorãtiam inuincibilem. Sed dicimus cum D. Paulo ad Rom. 1. Quòd in pœnam suæ perfidiæ tradidit illos Deus in reprobũ sensum, vt faciant quæ non cõueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, homicidijs, &c. Et sic non excusantur à peccato. Quod autem lumine naturali cognosci potuerit esse illicitum seipsum interficere: probatur ex Aristotele lib. 5. Ethi. dicentis, non esse magnanimi mortem sibi consciscere, sed pusillanimi, & non potentis ferre vitæ labores. Quod & D. Augustinus latè ostendit lib. 1. de Ciuit. cap. 22. dicens: Si rationem diligentius consulas, nec animi magnitudo recte nominatur, vbi quisque non volendo tolerare, vel quæque aspera, vel aliena peccata, se ipse interimit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest, vel duram sui corporis seruitutem, vel stultam vulgi opinionem. Maiorque animus meritò dicendus est, qui vitam ærumnosam magis potest ferre, quàm fugere, & humanum iudicium maximè vulgare, quod plerunque caligine erroris inuoluitur, præ conscientiæ luce ac puritate contemnere. Quamobrem, si magno animo fieri putandum est, cùm sibi homo ingerit mortem, ille potius Cleombrotus in hac animi magnitudine reperitur, quem feruntlecto Platonis libro, vbi de immortalitate animæ disputauit, se præcipitem dedisse de muro, atque ita ex hac vita migrasse ad eam, quam credidit esse meliorem: Quod tamen magnè potius factũ esse quam bene testis ei potuit esse Plato ipse, quem legerat. Qui profecto id præcipuè, potissimumque fecisset, vel etiam fieri præcepisset, nisi ea mente, qua immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum esse iudicasset. Hæc Augustinus. Quapropter idem in cap. 19. & 23. multis declarat nec Lucretiam, nec Catonem, nec similes quosque, qui seipsos interfecerunt laudabiliter, sed potius malè, & contra rationem fecisse. Si enim resistendo Lucretia se à culpa liberauerat, non erat digna, quæ se occideret. Et si in culpam consenserat, sui ipsius iudex futura non erat. Occidit ergo se ex pusillanimitate: quia infamiam ferre non valuit. Ad confirmationẽ respondetur, quòd si quando de sanctis fœminis legitur ea, cum à tyranno ad mortem essent damnatæ, prius se in ignem coniecisse, quam ad illum à litoribus essent applicatæ, quod peculiariter dicit historia de sancta Apollonia, vel quod talis historia non est omnino certa, quod Augustino placet, vel, quòd si est vera, tam erant iam fœminæ illæ rogo admotæ, vt essent penè coniectæ. Vel tertio quod id fecerunt ex diuino instinctu, & inspiratione, aut tandem, quòd cum essent fœminæ, atque adeo iuris subtilitatis insciæ per inuincibilem ignorantiam fuerunt excusatæ. Ad aliud quod adducitur de Samsone, Saule, Rasia, & Eleazaro, dico non esse omnium vnam & eandẽ rationem. Nam Samson, quem Paulus ad Hebræos. 11. inter sanctos retulit, necessario erit excusandus. Quod fieri poterit vno è duobus modis. Primus est, si dicamus, quòd spiritu Dei motus id fecit. Quod affirmat D. Augustin. lib. 1. de Ciuitat. cap. 26. Nec hoc est diuinare, sed colligi videtur ex ipso textu. Dicitur enim, quòd cùm orasset Dominum, vt redderet sibi pristinam fortitudinem, qua vleisceretur se de hostibus suis, apprehendens ambas columnas, quibus nitebatur domus, alteramq; earum dextra, & altera læua tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philisthijm. Orationem præmisit, vt sic cognosceretur, quòd diuinis & non proprijs confisus viribus, tantum aggrediebatur opus. Secundus modus est, quòd non interfecit se Samson ex intentione: sed cùm iuste vellet hostes opprimere, concomitanter admisit propriam mortem tolerare propter bonum vltionis, quod honori diuino suæque reipublicæ erat valde necessarium: quod licite fieri posse nemo est qui ambigat. Certum est enim, quẽquam in prælio propriam patriam defendentẽ, certum de sua morte, posse facinus aggredi, quod suæ reipublicæ saluti, hostibus autem detrimento maximo sit futurum. Vt de Eleazaro legitur lib. 1. Machabæorum, cap. 6. qui ingressus sub ventre elephantis, qui regem Antiochum residere credebat, elephantem ipsum gladio confodit, ipse vero bestiæ ruina oppressus præclaram mortem inuenit. Quia, vt dicit Scriptura, se libenter pro populo posuit. Quod factum tantum abest, quod sit peccatum, vt D. Ambrosius lib. 1. de Officijs cap. 40. mirificis laudibus Eleazarum extulerit. Ad idem etiam potest referri exemplum, quod à Valerio Maximo libr. 5. titulo de fortitudine adducitur de Lucio Scæuola. Qui vt patriam liberaret, propriæ vitę dispendio inimicum Regem interficere decreuit, quanuis in eo, quod igni manum apposuit temerarius fuerit iudicandus. Sic ergo videtur etiam posse excusari Samson, sine recursu ad instinctum cælestem, si miracula, sine necessitate multiplicare noluerimus. Ratio autem, propter quam quis propriam patriam defendens, certus de sua morte, potest facinus aggredi, quod suę reipublicæ vtilitati, & inimicis detrimento sit futurum, assignatur à Caietano super librum Iudicum ca. 16. sic dicente: Non eligitur in huiusmodi casibus mors propria in seipsa, sed per se eligitur mors hostium, & concomitãs propria mors toleranda admittitur propter bonum vltionis. Perspicuũ est autem humanas actiones morales iudicandas esse bonas, vel malas moraliter, & per se ex obiecto consono vel disono rationi rectæ, quidquid sit de concomitantibus. Vt patet de hominẽ iniquum occidente, se defendendo: qui non peccat, quanuis iniqui concomitetur æterna mors in inferno, quia defendens hæc non intendit, quanuis cognoscat: sed intendit defendere se, ad quod sequitur & mors corporis & animæ alterius. Hęc Caietanus. De Saule non est idem iudicium. Cùm enim dimissus fuerit, imò repulsus à gratia Dei, non est necesse quærere excusationes. Sabellicus scribit de Saule, eum non se interfecisse, sed de morte sibi consciscenda cogitasse. Verum, quia visum est impium, vitam violenter abrumpere, ab Amalechita quodam ignorante quis esset, fuit interfectus. Sed est hic turpis lapsus Christiani historici, cum primi Regum cap. vltimo dicatur, incubuisse Saulem supra gladium suum, & sic vitam finisse. De Rasia cuius historia habetur. 2. Macha. cap. 14. an peccauerit se interficiendo, varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Nicolaus de Lira partem tenet negatiuam, quam ex ipso textu nititur probare. Dicitur enim, quòd volens Nicanor manifestare odium, quod habebat in Iudæos misit milites, quingentos, vt Rasiam comprehenderent. Putabat enim si illum decepisset, sese cladem maximam Iudæis illaturum. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam dirumpere atque ignem admouere cupientibus, cum iam comprehenderetur gladio se petijt, eligens nobiliter potius mori, quam subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniurijs agi. Quæ verba tantum absunt, vt Rasiæ factum vituperent, quòd illud valde laudare videntur. Quod non faceret scriptura, si illicitum esset, atq; peccatũ. Quo circà dicit Nicolaus, quòd huius interfectionis duplex fuit causa. Vna ne fortè vi tormẽtorum inclinaretur ad gentilem ritum, quod erat maximum malum. Altera, ne in contemptum Dei cæli, eius vita in ludibrio haberetur: sicut Samson se interfecit Iudicũ ca. 16. Et in his duobus casibus dicebant Hebræi non solum licitum, sed etiam meritorium esse seipsum interficere: quia talis interfectio ordinatur in Deum. Vel si hoc non sufficit ad Rasiæ excusationem, poterit dici, quòd fecit hoc per specialẽ instinctum Spiritus sancti. Omnes enim homines sunt Deo mortis debitores: quod debitũ Deus de quolibet potest repetere, quandocunque, & quomodocunque voluerit, siue per manum propriam, siue per alienam. Hæc Nicolaus. Contrariam tamen sententiam tenet D. Thomas hic ad. 5. qui Rasiam à culpa non excusat, sic dicens: Quod aliquis sibi ipsi inferat mortem, vt vitet mala pœnalia, habet quidem quandam speciem fortitudinis, propter quod quidam seipsos interfecerunt æstimantes se fortiter agere, de quorum numero fuit Rasias:

Ad vltimũ argument.

De Eleazaro.

Excusatur Samson à peccato se occidendo.

Quid sit dicendum de Rasia, an peccauerit se interficiens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rasias: non tamen est vera fortitudo: sed magis quædam mollities animi, non valentis mala pœnalia sustinere. Eandem sententiam sequitur Burgensis supra. 14 capitulum libri 2. Machabæorum. Quam probat ex D. Augustino lib. 1. de Ciuit. c. 23. dicente: Multi se interemerunt, ne in manus hostium deuenirent, non modo quærimus, vtrùm sit factum: sed vtrùm fuerit faciendum? Quippe ratio etiam exemplis anteponenda est: cui quidem exempla concordant. Sed illa quæ tantò digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate anteferenda sunt, non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli, quia & ipse Dominus Christus quando eos, si persecutionem paterentur fugere admonuit de ciuitate in ciuitatē, potuit admonere vt sibi manus inferrent, ne in manus persequentium peruenirent. Porrò, si hoc ille non iussit, aut monuit, vt hoc modo sui ex hac vita migrarent, quibus migrantibus mansiones æternas se præparaturum esse promisit, quælibet exempla opponant gentes, quæ ignorant Deum, manifestum est, hoc non licere colentibus vnum verum Deum. Restat ergo, vt quando dicitur: Non occides intelligamus, nec alterum, neque te. Non enim qui se occidit alium quam hominem occidit. Quasdam autem exceptiones eadem ipsa diuina fecit auctoritas, vt liceat hominem occidi. Et ideò nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui Deo autore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum eius leges, hoc est, iustissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis: quia voluit filium nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere. Et meritò quæritur, vtrùm pro iussu Dei sit habendum, quòd Iephte filiā, quæ patri occurrit, occidit, cum se immolaturum Deo id vouisset, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurrisset? Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppresit, nisi, quia spiritus hoc latenter iusserat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. Hæc Augustinus: Quibus verbis significare videtur, nec Rasiam, nec quemcunque alium ex ijs, qui seipsos interfecerunt à crimine homicidij fuisse liberatos. Pro quo etiam facit, quod nos ex D. Augustino in superioribus adduximus, ad probandum, nullā posse dari iustam, & rationabilem causam propriæ occisionis. Mihi ex his sentētijs hęc secunda videtur longe probabilior. Quapropter dicendum existimo, non fuisse Rasiam in sua morte à culpa immunē. Animi enim mollities, & languor fuit proprio gladio male occumbere, quam vinci, quod & Sauli atque Catoni vituperio datur. Quando autem dicit historia, quod maluit nobiliter mori, quàm subditus fieri peccatoribus, non est intelligendum secundum rei veritatem, sed secundum eius existimationem. Et hæc dicta sint de tota ista difficultate.

¶ Prima ratio, qua D. Tho. in hoc articulo suam probat conclusionem, talis est: Homo seipsum occidens facit contra inclinationem naturalem, qua vnaquæque res suam appetit conseruationem: ergo peccat. Probo consequentiam: Nam facere contra inclinationem naturalem peccatum est. Et quidem si inclinatio naturalis semper est in bonum, & honestum propensa, nec malum vnquam suggerit, ratio est efficacissima. Nam, quemadmodum virtuti quidquam contra facere semper est illicitum, quia ea non, nisi ad honestum inducit: ita prorsus, si id ad quod homo suapte natura, & inclinatione fertur, semper est bonum, huiusmodi inclinationi contrauenire, malum erit: bono enim nisi malum contrarium esse non potest. Cæterùm, quia non omnes recipiunt quod natura semper inclinat in bonū, quin potius multi nec contemnendi affirmāt, naturam & gratiam, legem & inclinationem naturalem, esse contrarias, sibique inuicem repugnare: operępretium est, vt explicemus, an verum sit, quòd natura semper inclinet in bonum: ex hoc enim principio omnis vis illius rationis dependet. Et pro parte negatiua argumentor primo. Appetitus humanꝰ naturaliter fertur in omne bonum: sed bonum delectabile est bonum quoddam: ergo appetitus humanus naturaliter fertur in illud. Tunc vltra: Sed bonum delectabile plerunq; contrariatur rationi, atq; adeò est malum atque peccatum: ergo appetitus naturalis aliquando inclinat in malum, & in peccatum. Et confirmatur: Theologi ponunt motus primò primos, & subitos, tam in voluntate, quam in appetitu: sed nihil aliud sunt tales motus, quam inclinationes quædam naturales in malum: ergo natura aliquando inclinat in malum. Secundo: Homo ex charitate, & secūdum virtutem tenetur diligere Deū, plusquā se, præferreq; bonū cōmune bono priuato, vt ex doctrina D. Pauli docet D. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 3. sed natura hominis magis inclinat ad diligendū se, quàm

Prima ratio qua D. Tho. probat suam conclusionem.

Dubiū an natura semper inclinet ad bonum.

1. Argum.

2. Argum.

quàm ad diligendum Deum, & bonū commune: ergo natura hominis ex se inclinat in malum, & in peccatum. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur ex communi illo axiomate Philosophorum: Amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium. Et confirmatur: Homo naturaliter inclinatur ad aliquas actiones, & non ad honestas: quia aliàs istæ non essent difficiles, nec opus esset virtutibus ad hoc, vt illas homo posset operari, cum ex sententia Aristotel. virtus versetur circa difficile: ergo

3. Argum. inclinat ad actiones malas. ¶ Tertiò: Inclinatio appetitus est naturalis, cum ipse sit potentia naturalis, & eius inclinatio non sit aliud ab appetitu: sed appetitus ex sua natura non obedit rationi, quin potius tendit in contrarium: ergo inclinat in malum & in peccatum. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Ea potissimum ratione fuit iustitia originalis in primis parentibus constituta, vt appetitum sensitiuum contineret in officio, efficeretque, vt ipse voluntati, & voluntas rationi, & ratio Deo, essent subiecta: ergo istæ partes non habent hoc ex sua natura, atque ex consequenti inclinant in malum. Probo consequentiam: Nam alias nullum esset, aut munus, aut opus iustitiæ originalis. Et confirmatur: Fomes inclinat ad peccatum, vt docent Theologi cum Magistro lib. 2. Sententiarum: sed fomes nihil aliud dicit, quàm naturam, & naturales hominis potentias dono iustitiæ originalis destitutas, vt in eodem loco idem Theologi defendunt: ergo homo

4. Argum. per suas naturales potentias fertur & inclinatur in malum. ¶ Quarto: Si homo conderetur in puris naturalibus, hoc est, sine iustitia, & sine peccato eodem modo inclinaretur ad malum, sicut inclinatur nunc ex fomite: ergo hæc inclinatio ad peccatum est homini naturalis. Et confirmatur: Experientia constat, multos homines procliuiores esse ad vitia: & hoc, vel ex propria complexione, vel ex syderum constellatione: ergo aliquando in homine est prauа in malum inclinatio sibi congenita. Tandem hoc ipsum probatur sacræ Scripturę testimonijs. Nam Genes. 8. dicitur: Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Quibus verbis significari videtur naturam humanam ex se esse procliuem, & inclinatam ad malum. Et Matth. 26. dixit Christus: Spiritus promptus est, caro autem infirma. Quod exponens Apostolus ad Galat. cap. 5. inquit: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Et ad Rom. 7. Video aliam legem in mēbris meis repugnantem legi mentis nostræ, & captiuum me ducentem in legem peccati. Et alibi: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Et iterum: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Quibus omnibus testimonijs manifestè significatur, carnis appetitum esse malum, contrariumque spiritui, & legi Dei: Sed carnis desideria sunt naturalia, vt constat: ergo naturalis inclinatio aliquando est in malum & in peccatum. Quod & confirmari potest ex Arist. lib. 2. Ethi. dicente: Oportet, vt homo studiosus sit, quod ab ijs vitijs se abducat, ad quæ natura maximè inclinat.

¶ Propter hæc argumenta multi dicunt, naturam humanam ex se ad malum inclinare. Ex quo factum fuit, vt innumeris eam iniurijs affecerint appellantes illam, interdum nouercam, interdum inimicam, interdum malorum parentem, scelerumque ultricem. Sed hæc sententia proculdubio non solum in naturam humanam, sed etiam in Deum eius autorem est impia atque iniuriosa. Quocirca ad explicationem difficultatis propositæ, sit prima conclusio fundamentalis: Omnis natura, omnisque inclinatio naturalis bona est, & tendit ad bonum, nec aduersatur rationi. Hanc ponit D. Tho. in. 3. d. 29. q. vnica, art. 3. & 1. p. q. 6. art. 5. & q. 63. ar. 4. Et probatur: Finis & bonum, sunt idem: sed omne agens agit propter finem: ergo propter bonum, atque ex consequenti tendit in illum. Et confirmatur: Omnis creatura est bona, vtpote procedens à bono principio, scilicet, Deo: ergo habet bonam inclinationē. Secūdo: Inclinatio naturæ humanę, & cuiuscunq; alterius est immediatè à Deo, cum Deus sit autor ipsius, atq; adeò omniū, quæ consequuntur ad illam, quorum vnum est naturalis inclinatio: qui enim dat formā dat consequentia ad formam, vt dicit Aristo. ergo nō potest esse mala, nec ad malū. Probo consequentiam: quia motus naturalis, seu ex naturali inclinatione tribuitur generanti, hoc est, primo autori, & causæ ipsius naturalis inclinationis, vt docet Arist. 8. Physicorum, quem communiter sequuntur Doctores: grauia enim, & leuia ea vna ratione à generante, & non à seipsis moueri dicuntur, quia eam inclinationem atque adeò necessitatem ad motum, vel sursum, vel deorsum à generante acceperunt: ergo non potest esse malus, neque peccatum, imputaretur enim ipsi Deo: quod dicere, vel cogitare est impiū. Et confirmatur: Si motus lapis deorsum, vel motus ignis sursum, peccatum esse, nulli dubium est, quin id peccatum Deo potius esset tribuēdum, quàm ipsis grauibus, & leuibus,

1. Conclu.

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ talem à Deo acceperunt inclinationem, & similiter, si appetere fœlicitatem esset peccatum, non tam homini, quàm Deo, qui sic hominem constituit, vt naturaliter appeteret fœlicitatem esset imputandum: ergo nullus motus, qui est secundum inclinationem naturalem, est peccatum: atque adeo natura nunquam inclinat ad malum. Hac ratione vtitur D. Tho. ad probandum, primam angeli operationem non potuisse esse peccatum: Nam cum fuerit dilectio sui ipsius, ex qua omnes aliæ operationes proficiscuntur, & quæ ex naturali inclinatione ortum habet; si ille amor esset malus, & peccatum, Deus esset causa peccati, quod est impium, & absurdum. Item: Non potest Deus producere in anima habitum inclinantem ad peccatum, quia hoc diuinæ bonitati repugnat: ergo nec potuit dare naturalem inclinationem ad malum. Consequentia est nota: quia non minus est causa actus vitiosi inclinatio naturalis, quàm habitus vitiosus. Antecedens autem probatur: Non potest Deus producere in intellectu habitum inclinantē ad falsum: hac enim ratione probant Theologi fidei diuinæ non posse subesse falsum, quia est infusa à Deo, qui falli, nec nec fallere potest: ergo nec etiā potest producere in anima habitū inclinantem ad peccatū. Probo cō sequentiam: Quia non minus repugnat summæ bonitati peccatum, quàm summæ veritati falsum. Hac etiam ratione possumus à priori demonstrare, prima principia naturalia nō posse esse falsa. Nam cum noster intellectus naturali quadam inclinatione illis assentiatur, si ea falsa esse possent, Deus & natura inclinarent ad falsum, quod est omnino repugnans. Præterea Deus non potest peccare: ergo nec producere in homine naturalem inclinationem ad peccandum. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur: Quāuis hæc cōsequentia nō sit bona, Deus cōcurrit cum homine ad peccandum: ergo peccat, hæc tamen est valida: Deus se solo inducit hominem ad peccandū: ergo peccat; sed si Deus produceret in homine naturalem inclinationem ad peccatum, se solo induceret ad peccādum: ergo peccaret, quod est absurdum. Potest tandem hoc ipsum pluribus sacræ scripturæ testimonijs probari. Primum habetur apud D. Iacobum in sua canonica ca. 1. Qui inquit: nemo cùm tentatur dicat, quòd à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est. Ex quo loco sic colligo argumentum: Si naturalis hominis inclinatio tenderet in malum, Deus esset tentator malorum, consequens autem est contra Apostolum: ergo & illud ex quo sequitur. Probo sequelam: Nihil aliud est tentare, quam facere inclinationem ad malum: sed si Deus produceret naturam tendentem in peccatum, faceret inclinationem ad malum: ergo tentaret. Et confirmatur: Ea solum ratione Dæmon dicitur tentare, quia inducit ad peccandum: sed si Deus faceret inclinationem ad malum, induceret ac peccatum: ergo tentaret. Secundum testimonium habetur Ecclesiastici ca. 7. Vbi dicitur: Deus fecit hominem rectum, & ipse immiscuit se infinitis quæstionibus. Quæ verba verum habere non possent, si Deus hominem cum naturali illa ad malum inclinatione produceret. Alibi etiam dicitur, quòd Dei perfecta sunt opera. Non autem viderentur adeò perfecta, si homo cùm naturali ad malum inclinatione produceretur. Præterea sic argumentor: De diuina sapientia dicitur, quòd attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: sed non esset suauis Dei dispositio, si cum Deus homini legem, & præcepta dederit, naturam in contrarium trahentem, & inclinantem dedisset: ergo non est dicendum, quod id fecit. Et confirmatur: Si Deus non dedit homini propensionem, & inclinationem ad bonum potius, quàm ad malum, vel id fecit, quia non potuit, vel quia non voluit. Primum non est dicendum; quia id diuinæ potentiæ repugnat. Nec secundum: quia tunc inuideret Deus mortalibus hanc fœlicitatem, quæ ad diuinorum præceptorum obseruantiam est tam necessaria; quod similiter est impium & stultum: ergo debemus dicere, quod tam homini, quàm quibuscunque alijs rebus dedit Deus inclinationem ad bonum. Quæ fuit prima conclusio fundamentalis à nobis superioribus posita. Sed, cum homo naturaliter ex duabus naturis sit compositus, rationali, scilicet, & sensitiua, quas Apostolus ad Romanos 12. exteriorem, & interiorem hominem appellat; cuius dicti sensus non est, quod anima sit interior homo, aut natura rationalis, corpus verò exterior homo, aut natura sensitiua; sed quod totus homo secundum spiritum est homo interior; & idem totus homo secundum carnem est homo exterior: dubium est, an iste homo secundum vtramque partem naturaliter inclinetur in bonum, an verò tantum secundum partem rationalem? Et est sermo de bono, vel malo morali: nam de transcendentali non est dubium. Soto lib. 1. de natura & gratia. cap. 3. & Victoria in relectione, de homicidio. num. 6. dicunt, quòd homo tantum secundum partem rationalem tendit in bonum, non

non autem secundum partem sensitiuam. Quin potius addit Victoria, nec de potentia Dei absoluta potuisse aliter fieri. Nam cum natura appetitus sensitiui sit, quòd inclinet ad malum morale, & naturæ rerum per diuinam potentiam mutari non possint, fit, vt nec per eandem potentiam fuerit factibile, quod appetitus sensitiuus ad bonum morale inclinet. Dicunt tamé isti Doctores, quòd, quia homo est simpliciter homo, in quantum rationalis, & nō in quantum sensitiuus, idcircò, absolutè loquendo, illa erit dicenda inclinatio hominis, quæ cōuenit illi, in quantum homo: qualis est inclinatio voluntatis, & intellectus: non autem inclinatio partis sensitiuæ, quæ, aut non est inclinatio hominis, aut non est hominis, in quantum homo. Et quia hæc suapte natura semper tendit in bonū, fit, vt semper dicatur homo, ex natura sua ordinatus & inclinatus in bonum, quanuis appetitus sensitiuus in malum tendat.

Hic modus dicendi Soti, atque Victoriæ mihi non placet. Quocirca vt quid in hac re probabilius videatur, paucis declarem, sit

2. Conclu. secunda conclusio: Pars rationalis in homine, & intellectualis in angelo, semper inclinat naturaliter in bonum honestum, & consonum rationi. Probatur: Omnis potentia naturaliter fertur in suum obiectū: sed obiectum appetitus intellectiui est bonum honestum: ergo naturaliter fertur in illud. Secundo: Ratio naturalis dictat, virtutem, & honestatem esse sectandam, & turpitudinem fugiendam: sed appetitus intellectiuus, qui est voluntas naturaliter inclinat ad sequendum dictamen rationis: ergo. Denique hoc ipsum probant omnes rationes, quæ ad probādam primam conclusionem fuerunt à nobis positæ. Tertia conclusio: Pars sensitiua in homine naturaliter inclinat in bonum sensibile, quod interdum est contrarium bono rationis. Probatur: Bonum sensibile est obiectum appetitus sensitiui, sicut bonum rationis est obiectum appetitus intellectiui, siue voluntatis: ergo sicut voluntas naturaliter inclinat in bonum honestum: ita etiam appetitus sensitiuus inclinat in bonum sensibile. Quarta conclusio: Pars sensitiua in homine formaliter, & propriè non inclinat in malum morale, sed semper in bonum. Probatur: Pars sensitiua in homine formaliter & propriè inclinat in bonum sensibile: sed hoc formaliter, & propriè non est malum morale, si intra naturam appetitus sensitiui contineatur, cum non sit voluntarium, quod est principium boni, vel mali moralis: ergo appetitus sensitiuus formaliter non inclinat in malum morale. Secundo: Inclinatio appetitus sensitiui non est mala malitia morali: ergo nec tendit formaliter in malum morale. Probo consequentiam: Nam nihil potest tendere in malum morale, vt sic, quin eius tendentia sit mala malitia morali. Et confirmatur: Non aliter appetitus sensitiuus inclinat in malū morale, quam eius obiectum, scilicet bonum sensibile, vel delectabile: sed ex eo, quòd obiectum appetitus sensitiui, puta bonum sensibile, vel delectabile, vt vinum suaue, & aurum moueant voluntatem ad malum morale, nec dicuntur mala moraliter, nec inclinare ad malum, nec est qui cōqueratur de Deo, quòd fecerit aurum pulchrum, & vinum suaue: ergo pari ratione dicendum est de appetitu sensitiuo, quòd nec est malus nec inclinat in malū morale. Quin potius loquendum erit de illo, ac si esset à nobis omnino separatus, veluti Mundus, ac Dæmon: cuius proinde inclinatio non imputatur nobis ad culpam, nisi adsit voluntatis consensus. Vltimò: Inclinatio appetitus sensitiui æquè est à Deo, sicut inclinatio voluntatis: ergo si habetur pro inconuenienti, quòd Deus voluntati dederit inclinationem naturalem in malum morale, quia sic Deus esset causa mali moralis: quare non idem habebitur pro inconuenienti de appetitu sensitiuo? Ex dictis infertur, quòd omnis natura tendit in bonum, nec est aliqua, quæ secundum se totam, vel secundum partem habeat naturalem inclinationem in malum, quidquid dixerint Soto, atque Victoria de parte sensitiua hominis. Sed restat nunc respondere ad argumēta in contrarium facta. Vnde ad primum, concesso antecedēti cum prima consequentia, dico, verum esse, quòd bonum delectabile plerunque contrariatur rationi. Non tamen ex hoc infertur, quòd appetitus sensitiuus tendens in illud naturaliter inclinat in malum, & in peccatum: quia non tendit in bonum delectabile, in quantum malum est, & contrariatur rationi, sed in quantum est bonum quoddam sensibile. Et hic non formaliter, sed tantum materialiter dicitur inclinare in malum, ea, scilicet, ratione, qua inclinat naturaliter in suum obiectum, quod interdum est contra rationem. Vel secundo respondetur, quòd quanuis appetitus sensitiuus suapte natura inclinet in bonum hominis, sitque institutus, vt rationi obediat, interdum tamen per accidens ex nostræ naturæ defectu, & ex abusu nostræ considerationis inclinat ad malum. Quod vt intelligatur aduertendum est, quòd, quemadmodum potentiæ sensitiuæ ex sua natura ordinantur ad perfectam hominis intellectionem, & cognitionem (omnes enim sen-

Ad 1. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sus tam interiores, quàm exteriores intellectui deseruiunt, accidit tamen aliquando, vt sint occasio errandi, vt est videre in baculo in aquam immerso, de quo per sensum aliter iudicabimus, quam est,) & quemadmodum naturæ corporales, quæ à Deo propter bonum hominis sunt institutæ, aliquando in ipsius tentationem & laqueum deseruiunt, vt dicitur Sapient. cap. 14. ita etiam appetitus sensitiuus, qui natura sua est institutus ad officia sensibilia, & corporalia, in illisque omnibus paratus est obedire rationi, interdum per accidens ad malum inducit: tum propter nimiam adhæsionem ad bona sensibilia, cum quibus nascimur, alimur, & cresceimus, tum etiam propter imperfectionem nostræ conditionis. Itaque, quanuis omnis naturalis appetitus sensitiui inclinatio sit in hominis bonum, quod, vel ex eo colligi poterit, quòd in eo est naturalis inclinatio ad congressum cum muliere, quæ optima est, & ad speciei conseruationem necessaria, & impetus naturalis ad resistendum cõtrarijs, qui ad rem corruptibilem conseruandam est per necessarius, ex defectu tamen nostro hęc aliquando tendit in malum, & appetitus, qui conuenienter propter conseruationem speciei fuit tributus, aliquando inclinat ad mulierem alienam: & impetus, sine quo res conseruari non poterant etiam inducit ad vindicandas iniurias propria authoritate, quod malum est, atque peccatum: hoc tamen non ex defectu naturæ, nec ex defectu Dei, sed potius ex culpa nostra, qui rebus aliter, quã à Deo ordinatæ sunt, vti volumus, ortum habet. Maximè, cùm Deus hominem in iustitia originali condiderit, quæ potens erat appetitum sensitiuum in officio continere, subditumque facere rationi. Et si postea homo in aliquem incidit laborem sibi potius, quam diuinæ sapientiæ est imputandum, tanquam, si oculos sibi eruisset. Ad confirmationem respondetur, quòd motus primi, & subiti, qui tam in voluntate, quam in appetitu inueniuntur, dicuntur naturales, non, quia à naturali inclinatione proueniunt, sed quia non sunt liberi. Accipitur enim naturale dupliciter. Vno modo, vt distinguitur contra liberum, aliò modo vt distinguitur contra id, quod non est ex inclinatione naturali. Et naturale in præsenti accipitur primo modo. Qua etiam ratione dicimus, errores intellectus, & sensus aliquando esse naturales, hoc est, non liberos, quanuis non sint naturales, quasi à naturali inclinatione intellectus prouenientes. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd maius bonum proprium hominis est bonum diuinum, & bonum commune, quàm illud, quod est particulare ipsius, & sic ex natura sua magis illud diligit, quam istud, quod & nos late explicuimus in primo tomo quæst. 26. artic. 3. Vbi diximus, quòd quemadmodum membrum magis inclinatur ad bonũ totius, quàm ad bonum proprium: periclitatur enim manus pro corporis salute, ità homo, quem Deus reipublicæ partem constituit, plus inclinatur ad bonum vniuersale, quam ad priuatum, & ad diligendum Deum magis, quam seipsum: cùm Deus sit vniuersale bonum, sine quo creaturæ subsistere non possunt. Nonnulli affirmant, quòd membrum non plus inclinatur ad bonum totius, quam ad proprium, nec exponit se periculo pro salute totius: sed ipsum totum est, quod exponit membrum pro se. Sed certe hoc est negare ordinem diuinum. Nam cum Deus corporis membra propter bonum totius solum fecerit, & non propter se, non videtur rationi consentaneum, quod membris naturalem inclinationem bono totius contrariam dederit: & sic magis debent diligere bonum commune, quam priuatum. Quod verò homo cum difficultate, & mœrore vitam, aut bona temporalia pro Deo exponit, non ostendit, quòd non inclinatur magis ad diligendum Deum, quàm seipsum. Nam hæc difficultas non ex defectu inclinationis nascitur: sed cum homo simul naturaliter inclinetur ad diligendum Deum, & ad conseruandam vitam: & hæc inclinatio, vtpote posterior sit vehementior, fit, vt maxima cum difficultate sequatur priorem & maiorem inclinationem. Habemusque de hoc apertissimum exemplum in eo, qui meru mortis proijcit merces in mare. Qui quidem, quanuis magis inclinetur ad diligendam vitam, quàm merces, quia tamen etiam naturaliter inclinatur ad diligendum opes, id facit maxima cum difficultate. Ad confirmationem respondetur, quòd quãuis homo naturaliter inclinetur ad actiones honestas, adhuc tamen sunt difficiles propter repugnantiam partis sensitiuæ, quæ in id inclinat, quod interdum est contra bonum rationis. ¶ Ad tertium iam ex dictis patet solutio. Fuit enim appetitus sensitiuus à Deo institutus, vt obediret rationi. Quod, vt semper & promptè faceret, dedit Deus primo homini iustitiam originalem: ipse autem ex culpa sua illam perdidit. Et sic repugnantia, quam nunc patimur, potius nobis, quam Deo est imputanda. Quanuis nec etiam nunc potest peccatũ in appetitu reperiri, quod satis est, vt dicamus partem sensitiuam non inclinare ad malum formaliter. Ad confirmationem respondetur, quòd dicitur fomes à Theologis inclinare ad peccatum, ea solum ratione, quia appetitus sensitiuus iustitia originali destitutus in ea bona sensitiua inclinat, quæ cõtraria sunt bono rationis. Hoc autem non est inclinare ad malum formaliter, sed tantum materialiter, vt diximus. Et eodem modo respondetur ad quartum. Ad confirmationẽ de inclinationibus, quas contrahimus, vel ex consuetudine, vel ex constellatione syderum, respondet Caietanus infra q. 141. ar. 1. quòd, quanuis inclinatio speciei non possit esse ad malum, inclinatio tamen individualis bene potest ad peccatum trahere. Imò sæpè sæpiùs trahit. Et ratio illius: Nam dicit, quòd inclinationes individuales non procedunt à Deo immediate, sed mediantibus causis defectibilibus: quas non est inconueniẽs causare praua inclinationem. Probabilius tamen dicendum existimo, quòd omnis inclinatio, siue specifica, siue individualis, modo naturalis sit, & ab autore naturæ indita, non potest esse in malũ propter rationes iam dictas: quanuis ex particulari complexione vnus in quædam sensibilia vehementius inclinari possit, quam in alia. ¶ Ad vltimum argumentum, quod ex testimonijs sacræ scripturæ erat desumptum. Et primo ad illud ex Genesi cap. 8. Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum, &c. Respondeo quòd scriptura eo in loco loquitur, non de natura hominis in communi, sed de hominibus illius seculi, in quibus vitia atque peccata adeò creuerunt, vt in tam infinita hominum multitudine, solus Noe fuerit inuentus iustus. Et propterea dicitur, quòd omnis sensus, & cogitatio hominum erat intenta ad malum. Vel secundo respondetur, illud esse intelligendum de inclinatione partis sensitiuæ, quæ prona ad malum dicitur, quia fertur in id, quod interdum est contra bonum rationis. In quo etiam sensu dicit Paulus ad Roma. 7. Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Et ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Ad quem etiã modum sunt interpretanda quęcunque loca scripturæ, quæ aliquid contra nostram sententiam significare videntur. Et hæc dicta sint de toto isto articulo. Circa secundam & tertiam rationem D. Thomæ erat disputandum, an respublica, vel Deus habeant dominium vitæ ciuium, vt ex hoc colligeremus, qualiter se occidens vtrique faciat iniuriam. Sed est iam satis à nobis dictum de hoc in materia de dominio.

Ad 2. arg.

Ad vltimũ argument.

Ad 3. arg.

ARTICVLVS VI.

¶ Vtrum liceat in aliquo casu interficere innocentem.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd liceat in aliquo casu interficere innocẽtem. Diuinus enim timor non manifestatur per peccatum: quoniam magis timor Domini expellit peccatum, vt dicitur Eccle. 1. Sed Abraham commendatus est quòd timuit Dominum: quia voluit interficere filium suum innocentem: ergo potest aliquis innocentem interficere sine peccato. 2. sent. 94. art. 5. ad 2. & q. 10. ar. 8. ad 3. Et 1. q. 9. art. 6. ad 3. Et opus. 9. qu. 86. Et Hieb. 11. le. 4.

2 ¶ Præterea, In genere peccatorum quæ contra proximum committuntur, tanto maius videtur aliquod esse peccatum, quanto maius nocumentum infertur ei, in quem peccatur. Sed occisio plus nocet peccatori, quàm innocenti, qui de miseria huius vitæ ad cælestem gloriam transit per mortem. Cum ergo liceat in aliquo casu peccatorem occidere: multo magis licet occidere innocentem vel iustum.

3 ¶ Præterea, Illud quod fit secundum ordinem iustitiæ, non est peccatum. Sed quandoque cogitur aliquis secundum ordinem iustitiæ occidere innocentem, puta cum iudex qui debet secundum allegata iudicare, condemnat ad mortem eum, quem fuit innocentem per falsos testes conuictum. Et similiter minister qui iniuste condemnatum occidit, obediens iudici: ergo absque peccato potest aliquis occidere innocentem.

¶ SED CONTRA est, quod dicitur Exodi. 23. Insontem & iustum non occides.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd aliquis homo dupliciter considerari potest. Vno modo secundum se, alio modo per comparationem ad aliud. Secundum se quidem considerando hominem, nullum occidere licet: quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur. Sed sicut supra* dictum est, occisio pecca- Art. 2. huius quæst.

Universidad de Deusto
Biblioteca

toris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur. Vita autem iustorum est conseruatiua & promotiua boni communis: quia ipsi sunt principalior pars multitudinis. Et ideo nullo modo licet occidere innocentem.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd Deus habet dominium mortis & vitæ. Eius enim ordinatione moriuntur & peccatores & iusti. Et ideo ille qui mandato Dei occidit innocentem, talis non peccat, sicut nec Deus, cuius est executor. Et ostenditur Deum timere eius mandatis obediens.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in pensanda grauitate peccati magis est considerandũ id quod est per se, quàm id quod est per accidens. Vnde ille qui occidit iustum, grauius peccat, quàm ille qui occidit peccatorem. Primò quidem quia nocet ei, quem plus debet diligere: & ita magis contra charitatem agit. Secundo, quia iniuriam infert ei, qui est minus dignus, & magis contra iustitiam agit. Tertio, quia priuat communitatem maiori bono. Quarto, quia magis Deum contemnit, secundum illud Lucæ.10. Qui vos spernit, me spernit. Quòd autem iustus occisus ad gloriam perducatur à Deo, per accidens se habet ad occisionem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Iudex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentius examinare testes, vt inueniant occasionem liberãdi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet cum superiori relinquere iudicandum. Si autem hoc non potest, non peccat, secundum allegata sententiam ferens: quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocẽrem. Minister autem iudicis condemnantis innocentem, si sentẽtia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire: aliàs excusarẽtur carnifices, qui martyres occiderunt. Si vero non contineat manifestam iustitiam, non peccat præceptum exequendo: quia ipse non habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed iudex cui ministerium exhibet.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio huius articuli est negatiua, quam probat D. Thom. in argumento, sed contra, ex illo Exodi. 23. Insontem, & iustum non occides. Et in corpore articuli hac ratione: Homo innocens, nec consideratus secundum se, nec in ordine ad bonum commune, potest licite interfici: ergo nunquam est licitum interficere innocentem. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Et primo, quòd homo innocens secundum se consideratus nunquam licite interficiatur, est res manifesta. Nam omnes etiam iniquissimi secundum se considerati quantum ad naturam, quam Deus in illis fecit, & per occisionem corrumpitur, sunt diligendi. Quod autem nec etiam sit licitum interficere innocentem consideratum in ordine ad bonum commune, probatur: Ideo occisio peccatoris fit licita, per comparationem ad bonum commune: quia istud per peccatum corrumpitur: sed vita innocentis est conseruatiua, & promotiua boni communis, cum innocens sit principalior pars multitudinis: ergo per ordinem ad bonum commune nunquam est licitum interficere innocentem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVæstio huius articuli duplicem potest habere sensum. Primus est, vt loquatur de eo, qui re vera est innocens, & legitimè probatur talis. Alius autem, vt loquatur de eo, qui re vera est innocens, legitime tamen probatur nocens. Et quanuis quæstio in hoc secundo sensu maiorem contineat difficultatem, quam in primo: in isto tamen articulo solum versabitur in primo sensu, explicanda in secundo infra q. 67. artic. 2. cum de iudice fuerit sermo. Et quanuis quæstio adhuc in primo sensu vniuersaliter intellecta non multam videatur habere difficultatem, cum ratio dictet eum, qui rẽ & iure probatur innocens, non occidendum, sed defendendum potius à republica, nõ est facile explicatu, an sit aliquis casus particularis, in quo propter bonum ipsius reipublicæ eum, qui re & iure habetur innocens sit licitum interficere. Et vt presius dubiũ cõstituatur, sit casus, quòd tyrãnus obsidens rẽpublicam petit caput alicuius innocentis, eo forsan quòd sibi est aduersus, vt de principe quodã ciuitatem Athenienſium obsidione opprimente, dicit historia, quod Demosthenẽ perdendum postulauit, ea facta promissione, quod

Duplex sensus huius quæstionis.

quod totam rempublicam alias vastandam incolumẽ relinqueret. Est difficultas, vtrùm

Dubium. sit licitum tunc pro salute totius reipublicę, quæ alias periret, vel innocentem interficere, vel tradere tyranno interficiendum? Et

1. Argum. pro parte affirmatiua argumentor primo: Innocẽs in eo casu ex charitate tenetur pro salute totius reipublicæ, se tradere tyranno: ergo nisi id faciat poterit compelli à republica, atque ex consequenti tradi tyranno. Antecedens est manifestum, cum vnusquisque ex charitate teneatur propriam vitam periculo exponere pro bono communi. Et antecedens probatur: Quando aliquis ex charitate obligatur qui dquam facere, & est extrema necessitas, nisi id faciat, potest compelli à republica: vt, verbi gratia, quia diuites ex charitate tenentur facere eleemosynas, si in casu extremæ necessitatis illas non faciunt, poterunt ad id à republica compelli, vt diximus in materia de eleemosyna: sed in casu nostræ disputationis innocẽs tenetur ex charitate pro salute reipublicæ se tradere tyranno, & est extrema necessitas: ergo nisi id faciat poterit ad id compelli, atque ex conse-

2. Argum. quenti tradi tyranno. ¶ Secundo. Respublica habet ius suos ciues pro salute totius manifesto mortis periculo exponendi, vt communiter dicunt Doctores: ergo & tradendi illos tyranno interficiendos, quando ad salutem communem fuerit necessarium. Probo consequentiam ex paritate rationis. Et si dicatur, quòd ideò hoc vltimum non est licitum, quia tradere innocentem tyranno non est medium necessariò & per se ordinatum ad liberationem reipublicæ: contra hoc sic argumentor: Quòd in casu posito innocens se tradat tyranno, est medium per se & necessario ordinatum ad liberationem reipublicæ: ergo & quòd respublica illum tradat. Consequentia videtur nota, & antecedens probatur: In casu posito innocens tenetur se tradere pro bono communi: ergo talis tradi-

3. Argum. tio est medium per se & necessario ordinatum ad illud. ¶ Tertio, Respublica in casu disputationis nõ tenetur talem innocentem defendere: sed poterit aperire portas, vt comprehendatur à tyrãno: certum est enim non teneri rempublicam vnum innocentẽ tueri, cum tanto periculo atque dispendio: ergo etiam poterit illum tradere. Probo consequentiam: Nam moraliter loquendo, idem prorsus est non defendere, quod tradere.

4. Argum. ¶ Quarto. Si tyrannus mihi comminaretur mortem, nisi meam linguam illi offerrem abscindendam, possem illam ei offerre, vt omnes concedunt: ergo & si minatur reipublicę mortem, nisi vnũ ciuem tradat, poterit illum tradere. Probo consequentiam: Nam vtrobique est expositio partis pro salute, & conseruatione totius. ¶ Vltimò: Ea de causa occidere innocẽtem probatum nocentẽ, est licitum: quia, si sententia non pronunciaretur secũdum allegata & probata, respublica destrueretur: sed in casu, de quo loquimur, nisi innocens tradatur, destruitur respublica, vt supponimus: ergo etiam erit licitum illum tradere.

Vltimum argumẽt.

¶ Propter hæc argumenta, qui affirmaret, quòd respublica in hoc singulari casu potest innocentem tradere tyranno, nihil diceret improbabile. Ceterum quoniam opposita sententia magis vera est, atque recepta, opus erit illam probare, supposito prius tanquam certo, quòd ob nullum metum, & ob nullam causam potest respublica per se ipsam innocentem occidere. Est enim occisio innocentis, siue publica, siue priuata autoritate facta intrinsecè mala: hoc est, ità necessariò immutabiliter, vel indispensabiliter mala, & lege diuina, & naturali prohibita, vt stante materia prohibitionis ipsius certè, per hominem ex nulla causa, aut fine, nulla etiam circumstantia, aut casu quocunque, à sua malitia possit separari. Sicut & mœchari, furari, peierare, & mentiri, quæ nunquam ab homine rectè fieri possunt. Non sunt autẽ facienda mala, vt inde eueniant bona, vt dicit Apostolus ad Rom. 13. Hoc supposito, quòd nec etiam sit licitum tradere tyranno innocentem interficiendum pro salute totius communitatis probatur hac ratione. Qui talẽ faceret traditionem positiuè cooperaretur peccato: ergo peccaret: atque ex consequenti ex nullo metu, & ex nulla causa posset illod licitè facere. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Si tyrannus minaretur reipublicæ mortem, nisi virginem traderet violandam, & respublica illam traderet, procul dubio cooperaretur stupro, atq; peccaret, cùm talem traditionẽ facere non posset, nisi consentiens violationi, quæ est intrinsece mala: sed eodẽ modo se habet qui tradit innocentem interficiendum, cùm occisio innocentis non sit minus intrinsece mala, quàm stuprũ: nec qui tradit innocentem interficiendum posit magis id facere absque eo, quod consentiat peccato, quam qui tradit virginẽ violationi: ergo sicut vnus cooperatur peccato, atque peccat: ita & alter.

Conclusio.

¶ Et ad primum argumentum in contrarium factum respõdetur primo, concesso antecedenti negando consequentiã. Et ad probationem dico, quòd quando ex præcisa, & sola ratione charitatis obligatur quis aliquid facere, etiam si sit extrema necessitas, non põ

Ad 1. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

test ad id compelli. Et ità contingit in proposito, quòd ex sola charitate tenetur homo se tradere tyranno, ne respublica destruatur. At verò dices in extrema necessitate, non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia tenetur eleemosynas facere, vt ostêdimus latè in primo tomo q. 32. ar. 5. Et ideò si illas nõ faciat poterit ad id à Iudice compelli. Cùm enim extrema necessitas faciat bona diuitis esse communia, qui pauperem impedit ab illorũ consequutione facit illi iniuriam: atque ex consequenti peccat contra iustitiã. Et si quis argumentetur: Quando aliquis tenetur ex iustitia aliquid dare, tenetur ad restitutionẽ, si non dat, sed qui non subuenit pauperi extremè indigenti, nihil tenetur restituere, quãuis peccet mortaliter: ergo illud præceptum nõ pertinet ad iustitiam, sed solũ ad charitatem: respondeo, negando maiorem. Falsum est enim, quòd omnis obligatio, quæ oritur ex iustitia obligat ab restitutionem. Nam ex iustitia tenetur pater alere filium, & filius patrem, vt in leg. si quis à liberis. §. si quis. ff. de liberis agnoscendis. Vlpianus diffinit: & tamen, si nec pater tribuat filio alimentum, nec filius patri in casu necessitatis, necessitate transacta, nihil tenentur restituere: non ergo omnis lex iustitiæ præcipiens aliquid dare, obligat non dantem ad restitutionẽ. Sed distinguẽdum est, quòd lex iustitiæ dupliciter potest præcipere aliquid dare. Vno modo simpliciter: vt cùm quis debet alteri aliquid, vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis. Et tunc talis lex iustitiæ obligat non dantem ad restituendum. Alio modo in casu particulari: vt præcipit alimẽta præbere in casu necessitatis. Et tunc cessante necessitate, cessat obligatio: vt contingit in proposito. Vel possumus secundo respondere ad primum argumentum, quòd quemadmodũ qui est cõstitutus in extrema necessitate non potest compelli ad hoc, vt de necessarijs simpliciter ad propriam vitam subueniat alteri, extremam necessitatem patienti: ità etiam nec qui sine suę vitæ dispendio potest subuenire reipublicę, est compellendus, vt se tradat tyranno, cũ ipse similiter sit in extrema necessitate non perueniendi ad manus illius. Vel dico tertio quòd tunc solum in extrema necessitate potest respublica cogere ciues ad id, quod ex charitate tenentur, quãdo id fuerit medium per se necessarium ad tali subueniendum necessitati. Vnde quia traditio innocentis in casu, de quo loquimur, non est medium per se necessarium; sed tantum per accidens ex malitia tyranni; non poterit respublica innocẽtem compellere, vt se tradat, & multo minus illum tradere occidendum.

Est enim homicidium, vt communiter dicũt Doctores, non per se bonum, sed potiùs priuatio vitæ, quæ bonum hominis est. Et ideò nunquam est licitum, nisi ex fine, cuius est per se medium necessarium, honestum redditur. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd tunc potest respublica suos ciues pro bono totius manifesto mortis periculo exponere, quando id fuerit medium per se necessarium ad consulendum publicæ saluti: non autem, quando fuerit medium necessarium ex malitia alterius. Vnde quia mors innocentis in casu, de quo loquimur, nunquam potest esse medium per se necessariũ, nunquam etiam erit licitum eo vti, nec occidendo innocentem, nec illum tradendo interficiendum. Et quando obijcitur: Innocens tunc ex charitate tenetur se tradere tyranno pro bono publico: ergo talis traditio est medium per se necessarium ad illud, respondeo, quòd quia est medium per se necessarium ad liberationem reipublicæ, quod innocens tunc obligetur ad subueniendũ illi, etiam cum periculo mortis, ideò ad id ex charitate obligatur. Cæterum quia non est medium per se necessarium, quod ad id à republica compellatur, ideircò compelli non potest. Sicut, quia est medium per se ordinatum ad honorem diuinum, quòd quis pro Christo martyriũ patiatur, ideò ad id sæpe ex charitate obligatur. Tamen quia nõ est medium per se necessarium, quòd ad id à republica compellatur, ideircò compelli non potest. Et ratio huius est: nam vtrobique est tantum obligatio ex charitate. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, concesso antecedenti, negando consequẽtiam. Et ad probationem dico, non esse idem, moraliter loquẽdo, non defendere innocentem & tradere illum tyranno, sicut nec pati mortem pro amico, & parare sibi illam proprijs manibus. Primum enim est licitum, vtpote, quòd in mera negatione consistit: non autem secundum cum sit agere. ¶ Ad quartum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam mẽbrum sicut non potest habere distinctum esse per se à toto, nec est aliquo modo propter se, sed propter totũ, à quo habet esse: ita nec est capax iuris, vel iniuriæ. At verò homo, quia licèt sit pars politica reipublicæ, naturaliter tamẽ est suppositum propter seipsum existens, atque adeo per se capax iuris, aut iniuriæ, fit, vt eam ei respublica irroget, quotiescunque sine causa, & culpa sua tradit illum tyranno interficiendum. Ad vltimum respondetur similiter concessa maiori, atque minori, negando consequentiam. Et ratio est: Nam occidere

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

Ad 4. arg.

Ad vltimũ argument.

occidere innocentem probatum nocentem per se est medium necessarium ad reipublicæ conseruationem, cùm, nisi secundum allegata, & probata esset semper iudicandum, generaliter via ad multiplices iniustitias, fraudes, & mortes hominum innocentum aperiretur, vt videbimus infra q. 67. artic. 2. At verò tradere innocentem tyranno interficiendum, nunquam potest esse medium per se necessarium ad patriæ liberationem. Et sic illud est licitum & honestum: hoc autem minimè. Ex dictis infertur, nunquam esse licitum etiam pro bono totius reipublicæ, aut occidere innocentem, aut tradere interficiendum. Bene tamen posset respublica in casu, quo tyrannus eam valde opprimeret, nisi innocentem daret, non defendere illũ, sed aperire portas, vt inimicus faceret, quæ vellet. Si enim nullus tenetur cum propriæ vitæ periculo innocentem liberare, quia secundum ordinem charitatis magis se, quam proximum debet diligere: à fortiori nec respublica tenebitur cum communi detrimento vnum ciuem defendere, quanuis innocentem.

De innocẽte occiso in bello.

¶ Alius casus, de quo in hoc articulo potest esse dubium, an liceat in illo innocentem interficere, est in bello. Ad cuius explicationem dico primò, certum esse, quòd in bello iusto nunquam est licitum directè & per se innocentes occidere. Tum quia fundamentum iusti belli est iniuria, vt docet D. Tho. supra q. 40. art. 1. & innocentes nunquam possunt iniuriam inferre, alias innocentes non essent. Tum etiam, quia si in republica non est licitum pro delictis malorum innocentes interficere, nec etiam iderit licitum in bello, cum respublica eodem modo se debeat habere contra hostes intraneos, & extraneos, vt docet Victoria in relectione de iure belli. numero 34. & 35.

1. Dictum.

2. Dictum.

¶ Dico secundò quòd per accidens, & præter intentionem iudicum est peccatum in bello iusto innocentes interficere. Vt si, verbi gratia, princeps bellum iustum gerens parat ciuitatem expugnare, nec id efficere potest, nisi adhibitis tormentis bellicis bene poterit eis vti, quanuis apertè cognoscat plures innocentes in tali expugnatione esse interficiendos. Probatur: Talis occisio innocentum non est voluntaria: ergo nec peccatum. Consequentia tenet ex regula D. Augustini libr. de vera religione. capit. 14. dicentis: Peccatum in tantum est peccatum, in quantum voluntarium. Antecedens autem probatur: Illa occisio innocentum solum est voluntaria in sua causa, vt constat: sed hanc non tenentur milites vitare cum habeant iustum bellum, vt supponimus: ergo non est voluntaria. Et confirmatur: Nam, vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæst. 6. artic. 3. & quæst. 75. artic. 8. id quod non tenemur vitare nulla ratione potest esse nobis voluntarium ad culpam. Sed est aduertendum esse maximè cauendum, ne ex bello sequantur maiora mala, quam per ipsum vitantur. Si enim ad summam belli victoriam parum confert expugnare arcem, aut oppidum, in quo sunt multi innocentes, non videtur licitum ad expugnandos paucos nocentes, plures innocentes interficere, subijciendo ignem, aut alias machinas apponendo, quibus indifferenter innocentes cum nocentibus opprimantur. Similiter nunquam erit licitum innocentes interficere, etiam per accidens, & præter intentionem, nisi quando bellum iustum alia via expediri, aut geri non potest, iuxta illud Mattha 13. Sinite vtraque crescere, ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco. Vtrùm in bello iusto liceat eos innocentes interficere, ex quibus in futurum periculum imminere intelligitur. Verbi gratia, pueri Saracenorum nunc sunt innocentes, merito tamen de illis timemus, ne facti adulti bellum gerant contra Christianos, dubium est, vtrùm liceat istos dum sunt innocentes interficere. Et pro parte affirmatiua est argumentum: Nam Deutero. capit. 20. præcepit Dominus filijs Israel, vt expugnantes aliquam ciuitatem omnes puberes interficerent: non est autem credendum omnes fuisse nocentes: ergo. In hoc tamen dico tertio, quòd licet posit fortasse probabiliter defendi, innocentes in casu posito posse licitè occidi, longe tamen probabilius, atque verius est oppositum. Quod affirmat Victoria in relectione de iure belli, numero 38. Et probatur primò: Quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, vel, vt euitentur maiora mala. Secundo: Nam videtur intolerabile, quòd quis occidatur pro peccato futuro, maximè cum alia remedia possint adhiberi, vt captiuitas, exilium, &c. Ex dictis infertur, quòd, siue iam parta victoria, siue in ipso actu belli constiterit de innocentia alicuius, & milites possunt eum liberare, id facere tenentur, & sic semper est verum, quod nunquam est licitum per se occidere innocentem. Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, quòd Deus, qui est Dominus omnium, iratus, & indignatus eis populis, de quibus loquebatur speciali suo mandato voluit illos omnino perdi, sicut

Quæstio.

Argumentum.

3. Dictum.

Ad argũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

perdidit Sodomam,& Gomorrham, mittens ignem deuorantem tam innocentes, quam nocentes: Hanc tamen licentiam Deus de lege non communicauit. De illis,qui in bello sæpe in pignus, hoc est, en rehenes, dari consueuerunt solet dubitari,an quando sunt innocentes sit licitum illos interficere, nisi hostes pactum seruauerint? Sed procul dubiò hoc difficultatem non habet, cum certum sit eos non esse occidendos, nisi forte aliquod peccatum commiserint, propter quod mortem mereantur, & tunc iam non sunt innocentes. Et hoc de bello quantum ad communem congressum.

Difficultas ¶ Sed de singulari certamine est difficultas,an si ego, verbi gratia, video militem in me irruentem,quem certò scio esse innocentem, quia credit bellum iustum contra me gerere,licite possim eum interficere? Et pro parte negatiua est argumentum: Implicat contradictionem,quòd detur bellum iustum ex vtraque parte:ergo si ille iustè contra me pugnat, ego non possum iustè contra illum agere atque ex consequenti nec illum interficere. Hoc tamen non obstante dico, contrarium esse verum,atque tenendum. Tum, quia bene possunt duo ex ignorantia iuste pugnare, si vterque credit se iustam causam defendere. Tum etiam: quia quanuis in ipso conflictu constaret mihi iustitiam stare ex altera parte, bene possum me defendere, cum non tenear mortem pati. Et sic non solum ex falsa præsumptione, vt quidam dicunt,quia,scilicet, vterq; putat alterum esse nocentem,sed etiam aperte cognita vnius innocentia poterit alter tunc licitè pugnare: quanuis non poterit quem innocentem iudicat occidere, nisi in propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et per hoc patet solutio ad argumentum. Si quis autem quærat, vtrùm miles in bello possit illum aggredi, quem scit esse innocentem? respondeo, quod si bona fide credit se iustum gerere bellum,etiam si alium putet esse innocentem, vel quia idem ipse credit,vel quia inuitus in exercitu retinetur, bene potest illum aggredi. Aggressio enim in bello habetur pro defensione. Et præterea,quia cùm vnus princeps habeat ius alterum aggrediendi,eodem iure omnes eius milites potiuntur. Ille autem,qui crediderit iniustum se gerere bellum,nulla ratione poterit aggressionem facere,quanuis aggressus poterit se defendere,&c.

Responsio.

ARTICVLVS VII.

¶ Vtrum liceat alicui occidere aliquem, se defendendo.

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur quòd nulli liceat occidere aliquem, se defendendo. Dicit enim Augustinus * ad Publicolam de occidendis hominibus, Ne ab eis quisquam occidatur,non mihi placet consilium, nisi forte sit miles aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro alijs, accepta legitima potestate, si eius congruat personæ. Sed ille qui se defendendo,occidit aliquem, ad hoc eum occidit, ne ipse ab eo occidatur: ergo hoc videtur esse illicitum. *4.dist.25. q.2.art.2i q.2. ad 2. & 3. Epist.154. ad med.illa to.2.Et habetur 23. q.5.cap.de occidend.*

2 ¶ Præterea, In primo * de libero arbitrio dicitur, Quomodo apud diuinam prouidentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt. Eas autem res dicit esse contemnendas,quas homines inuiti amittere possunt, vt ex præmissis * patet. Horum autem est vita corporalis: ergo pro conseruanda vita corporali, nulli licitum est hominem occidere. *Lib.1.ca.5 non multùm procul à fi. tom.1. In diuisione quæst.*

3 ¶ Præterea, Nicolaus Papa dicit, vt habetur in Decretis * dist.50.de clericis pro quibus consuluistis, scilicet, qui se defendendo Paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendari possunt ad pristinum statum redire,aut ad altiorem ascendere, scito nos nullam occasionem dare,nec vllam tribuere licentiam eis, quemlibet hominem quolibet modo occidendi. Sed ad præcepta moralia seruanda tenẽtur cõmuniter clerici, & laici. Ergo etiam laicis nõ est licitum occidere aliquem, se defendendo. *In Decretis dist.50.ca. de his clericis.*

4 ¶ Præterea, Homicidium est grauius peccatum,quàm simplex fornicatio vel adulterium.Sed nulli licet committere simplicem fornicationem, vel adulteriũ,vel quodcunq; aliud peccatum mortale pro conseruatione propriæ vitæ:quia vita spiritualis præferenda est corporali,ergo nulli licet defendendo seipsum, alium occidere,vt propriam vitam conseruet.

5¶ Præ-

5 ¶ Præterea, Si arbor est mala, & fructus,vt habetur Matth. 7. Sed ipsa defensio sui videtur esse illicita, secundum illud Rom. 12. Non vos defendentes charissimi:ergo & occisio hominis exinde procedens est illicita.

¶ SED CONTRA est, quod Exod.22. dicitur, Si effringens fur domum,siue suffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quàm propriam domum: ergo etiam si aliquis occidat aliquem pro defensione vitæ suæ,non erit reus homicidij.

¶ RESPONDEO dicendum,quòd nihil prohiber vnius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius verò sit præter intentionem. Morales autem actus respiciũt speciem secundum id quod intenditur. Non autem ab eo quod est præter intentionem, cum sit per accidens, vt ex supradictis * patet. Ex actu ergo alicuius seipsum defendentis, duplex effectus sequi potest. Vnus quidem conseruatio propriæ vitæ, alius autem occisio inuadentis. Actus ergo huiusmodi ex hoc, quòd intenditur conseruatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quòd se conseruet in esse quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione prouenies illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam vtatur maiori violentia, quàm oporteat, erit illicitum. Si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defensio. Nam * secundum iura, vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, vt hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad euitandam occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ suæ prouidere, quàm vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet nisi publica authoritate propter bonum commune (vt ex supradictis * patet) illicitum est quòd homo intendat occidere hominem, vt seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam authoritatem,qui intendens hominem occidere ad sui defensionem refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro iudicis pugnante contra latronem: quanuis etiam & isti peccent,si priuata libidine moueantur.

Qu.43.ar. 3 & 1.2.q. 1.ar.3. & q.19.ar.7.

Dist.1.ca. Iur.nat. Extra de homic. ca.fignificasti.2. de sentent. excom. ca. Si verò. Et ff.de iusti. & iure.L. *vt vim. Ar.2.& 3.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd authoritas August. intelligenda est in eo casu,quo quis intendit occidere hominem,vt seipsum à morte liberet. In quo etiam casu intelligitur authoritas inducta ex lib. * de libero arbitrio. Vnde signanter dicitur, pro his rebus in quo designatur intentio. Et per hoc patet responsio ad secundum. *In ar.2.hu ius art.*

¶ Ad tertium dicendum,quòd irregularitas consequitur actum homicidij, etiam si sit absque peccato: vt patet in iudice, qui iustè aliquem condemnat ad mortem. Et propter hoc clericus, etiam si se defendendo interficiat aliquem,irregularis est:quamuis non intẽdat interficere,sed seipsum defendere.

¶ Ad quartum dicendum, quod actus fornicationis,vel adulterii,non ordinatur ad cõseruationem propriæ vitæ ex necessitate,sicut actus, ex quo quandoque sequitur homicidium.

¶ Ad quintũ dicendũ,quod ibi prohibetur defensio,quæ est cũ liuore vindictæ. Vnde glossa * dicit. Non vos defendentes,id est, non sitis referentes aduersarios. *Glos. inter lin.ibid.*

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatẽ,quæ præcipua est in hac materia,respondet D. Thom. per tres propositiones. Prima conclusio: Nemini licet aggressorem occidere, quãdo id non fuerit necessarium ad propriã defensionẽ. Secunda conclusio: Licitum est aggressorẽ occidere, quãdo aliter propriam vitã tueri non possimus. Has duas cõclusiones probat D. Tho. vna & eadẽ ratione. Ad quam pro certo supponit duo. Primum est, posse cõtingere,quòd vni',& eiusdẽ actionis

Universidad de Deusto
Biblioteca

duo existant effectus, quorum alter ex intentione agentis proferatur, alter autem accidat præter eius intentionem: vt dum quis terram fodiens, vt vitem plantet thesaurum reperit. Secundo supponit, quòd actus morales semper ex eo speciem sortiuntur, quod in proposito, & intentione agentis extiterat. Ab eo autem, quod accidentarium est nec laudem, nec vituperium recipiunt, vt est videre in venatore, qui sagittã in feram dirigere intendens, hominem interfecit. Qui quidem non est censendus homicida, propterea, quòd iste effectus est accidentarius, & præter eius intentionem. His suppositis sic argumentor. In eo, qui seipsum defendens alterum occidit duos effectus est considerare, scilicet propriæ vitæ conseruationem, & alienæ exitium: quorum primus est intentus, & posterior accidentarius. Ille autem effectus, ex quo actio speciem sortitur, nullam habet rationem mali, cum vnicuique rei sit proprium, & naturale conseruare se in suo esse, quantum potest: & sic ex illa parte nullatenus potest vitiari actio. Poterit autem vitiari ex accidentario effectu ex illo fine subsequuto, quando ille non fuerit medium legitimam habens proportionem cum fine; hoc est, quando non fuerit necessarium ad propriæ vitæ conseruationem. Et sic vtraque conclusio ex eodem syllogismo sic consequens; nempe, quod quando occisio aggressoris nõ est necessaria ad propriæ vitæ defensionẽ, est illicita: quando autem est necessaria, est licita. Tertia conclusio: Occidere alterum ex intentione in propriam defensionem, solum est licitum ei, qui vtitur publica autoritate. Probatur: Sola publica autoritas est, quæ ex intentione potest hominem occidere propter bonum commune, vt constat ex secundo & tertio articulo huius quæstionis: ergo qui sine publica autoritate in suam defensionem ex intentione hominem interficit, peccat. Ille autẽ dicitur publica autoritate in propriã defensionem ex intentione alterum occidere, qui habens publicam autoritatem, & intendens hominem occidere ad propriam defensionem, tefert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro iudicis pugnante contra latronem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima conclusio est certa & de qua nulla apud Doctores extat controuersia. Cum enim certum sit, voluntariam hominis occisionem esse illicitam, vtpote quæ naturali illo præcepto: Non occides prohibetur, sit, vt quando in aggressione ad propriæ vitæ defensionem non fuerit necessaria, perinde sit peccatum, ac si occidens inuasus non esset. Cæterum circa secundam, in qua D. Thomas dicit licitum esse aggressorem interficere, quando aliter propriam vitam tueri non possumus, est difficultas, vtrùm vera sit. Et pro parte negatiua argumentor primo ex D. Augustino, libro primo de libero arbitrio, dicente: Impolluta lege, qui occidunt, ne ipsi occidantur, quomodo esse queant impolluti, non video. Et in epistola ad Publicolam, quæ est 154. & refertur 23. quæstione 5. capitulo de occidendis, etiam dicit: De occidendis hominibus, ne ipsi occidantur non placet consilium. ¶ Item ratione sic argumentor: necessarius ordo charitatis exigit, vt vitam spiritualem proximi, nostræ corporali præferamus, vt diximus in primo tomo. quæstione. 26. articulo. 4. est enim vita spiritualis non solum præstantior, verum etiam finis, ad quem omnia temporalia referri debent: sed qui priuata autoritate alterum aggreditur peccat mortaliter: ergo inuasus tunc potius debet perpeti mortem, quam alterum occidere, ne pereat in æternum. Et confirmatur: Si inuasus in eo casu non teneretur perpeti mortem, maximè, quia aggressor voluntarie id facit, suaque culpa perit: sed hæc ratio nihil valet: ergò. Probo minorem. Si ea ratio aliquid valeret, sequeretur, quòd nunquam tenemur vitam corporalem ponere pro spirituali proximi; si quidem semper proximus sua culpa perit, nunquamque damnatur, nisi pro suo delicto: consequens autem est falsum, vt latè ostendimus in materia de charitate: ergo & illud, ex quo sequitur. ¶ Tertio: Pro salute spirituali proximi obligantur homines vitam corporalem ponere, quando proximus, vel ex ignorantia, vel ex infirmitate in peccatum labitur, vt diximus in materia de correctione fraterna quæstione. 33. articulo secundo. sed potest contingere casus, in quo vnus homo, vel ex infirmitate iracundiæ, vel ex ignorantia alterum aggrediatur: ergo saltim tunc aggressus tenebitur potius propriam mortem perpeti, quam occidere aggressorem, ne proximus detrudatur in infernum. ¶ Vltimò: Non licet occidere aggressorem ex intentione, vt dicit D. Tho. in tertia conclusione: sed qui occidit hominem in propriam defensionẽ, occidit illum ex intẽtione: ergo peccat. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Qui occidit hominem in propriam defensionem, verè vult se defendere, & non est aliud medium ad id, nisi occidere aggressorem: ergo ex intentione vult occidere illum: siquidem ex sententia Aristotelis, qui vult finem vult etiam necessaria ad finem.

Dubium circa secundam Diui Tho.

1. argumentum.

2. argu.

3. argu.

Vltimum argumentum.

¶ Propter hæc argumenta Gerson in tractatu de eucharistia dicit, nemini esse licitum aliquem occidere in propriam defensionem. Quam etiam sententiam, tenet Abulens. super Matth. capitulo 5. quæstione. 109. & Augustinus de Ancona in opusculo de autoritate Ecclesiæ. quæstione 52. articulo 3. Hugo de sancto Victore in opusculo de charitate. In hoc tamen sit prima conclusio: Occisio hominis, quæ fit in propriam defensionem, vim vi repellendo, secundum omnes leges, adeò est licita, vt nec ad culpam, nec ad pœnam imputetur. Hæc enim lex, vt dicit Cicero in Oratione pro Milone, non facta, sed nata est. Non eam suscepimus; sed à natura arripuimus. Et in capitulo ius naturale. dist. prima, inter alia eiusdem iuris, hoc etiam ponitur, violentiæ per vim repulsio. Vnde ff. de vi & vi armata lege. 1. & ff. de iustitia & iure. lege. vt vim. dicit Florenti. Iure hoc euenit, vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. Et lege. iniuriarum. ff. de iniur. Iuris exequutio non habet iniuriam. Cum ergo quisque se defendendi ius habeat, sequitur quòd nemini tunc iniuriam faciat. Et in capitulo significasti. 2. de homicidio. & in capitulo. si vero. primo. de sententia excommunicatio. etiam habetur. Vim vi repellere leges, omniaque iura permittunt. Et ff. ad legem Aquiliam lege etsi. expresse dicitur, quòd qui alium ferro se petentem occiderit, non videtur iniuria occidisse. Adeò enim naturale est, cuique rei existere, vt in id, quod sibi noceat, statim insultet. Hanc eandem conclusionem probat sufficienter ratio à D. Thoma adducta in hoc articulo. Sed est aduertendum, quòd quanuis D. Thom. hìc ad tertium dicat clericum, qui se defendens occiderit aliquem, fieri irregularem: nunc aliter contingit. Est enim materia iuris positiui irregularitas: & iure nouo in Clementina vnica de homicidio, quæ incipit: Si furiosus statutum est, quòd is, qui aliter mortem euitare non valens suum occiderit inuasorem irregularis non est. Quæ lex, si tempore D. Thomæ extitisset nunquam diceret contrarium. Et sic est verum, quòd occisio hominis in propriam defensionem facta, vim vi repellendo, secundum omnes leges adeò est licita, vt nec ad culpam, nec ad pœnam imputetur; quod fuit à nobis positum in prima conclusione.

1. Conc.

¶ Secunda conclusio: Ad hoc, vt occisio hominis in propriam defensionem facta, sit licita, quinque conditiones requiruntur. Prima est, quòd vis inferatur. Secundum etiam rationem naturalem, & secundum leges, vim tantum vi repellere licet. Vnde, si iudex per calumniam & falsos testes innocentem occidat, non poterit tunc innocens illum interficere. Et idem dicendum est, quando accusator per calumniam, etiam vsque ad mortem, aduersus innocentem prævaluerit, vt articulo. 3. huius quæstionis ostendimus contra Caietanum. Et ratio est; quia tunc non est vis. Et præterea; quia, si in his casibus licitum esset proprias iniurias vindicare, vniuersus reipublicæ status perturbaretur, singulis hominibus dicentibus, se iniurijs & calumnijs opprimi. Secunda conditio est, quòd occisio fiat in propriam defensionem, & propulsationem iniuriæ. Quare qui alterum aggressus fuerit, peccatum homicidij, committit. In explicando autem, quando sit aggressio, & quando sit defensio, hic opus, hic labor est. Nec conuenientior regula adhiberi potest, quam iudicium viri prudentis, defensionem ab aggressione distinguẽtis. Tertia conditio est, quòd occisio fiat in ipso actu defensionis, vt dicitur in capitulo significasti. supra citato. Quare, si aggressor videns se viribus deficere fugeret, non poterit tunc ille, qui iniuriam patiebatur eum persequi, vt occidat: quia iam cessauit violentia. Nec similiter poterit tepercutere aggressorem ipsa percussionis violentia transacta: quia iam non est defensio, nec vis inferturi sed erit vindicatio prioris iniuriæ, quam priuatæ personæ facere non est licitum. Quarta conditio est, quòd occisio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt dicitur in capitulo significasti. supra citato. & in capitulo. olim, de restitutione spoliatorum. Appellatur autem moderata tutela, quando quis in sua defensione modum non excedit, secundum regulas prudentiæ. Ex quo infertur, quòd, si cum leui percussione potest quis se ab aggressore defendere, non poterit tunc illum interficere, cum ille excessus secundum regulas prudentiæ, non possit dici factus cum moderamine inculpatæ tutelæ. De hac re vide Sylvest. verbo. bellum, secundo. §. primo.

2. Conclu.

Quinque conditiones requiruntur vt occisio hominis in propriam defensionẽ facta sit licita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta conditio est, quod ille, qui iniuriam patitur aggressorem non occidat ex intentione. Hanc ponit D. Tho. hic in tertia conclusione. Sed quoniam ingentem in se continet difficultatem, eam remittimus explicandam, cum de tertia conclusione fuerit sermo.

Ad 1. arg. Et ad primum argumentum in contrarium factum respondetur cum D. Thom. hic ad primum, quòd D. Augustinus in illis locis loquitur de eo, qui ex intentione hominem occidit; qui quidem peccat, etiam si id faciat in propriam defensionem, vt dictum est in tertia conclusione. ¶ *Ad 2. arg.* Ad secundum vt respondeamus, supponendum est, quod ordo charitatis quando anteponit vnam rem alteri, scilicet, maiorem minori, non semper obligat ad hoc, vt teneatur quis prius prouidere, & curam agere eius rei, quam anteponit. Sed obligat dumtaxat ac hoc, vt si illæ duæ res existant in æquali periculo, & ego non possim subuenire vtrique, in tali casu præferam maiorem minori. Poterit tamen contingere, vt aliquando ex illis duabus rebus maiori, scilicet, & minori potius ego debeam subuenire minori, quam maiori: vel quia minoris cura mihi ex officio incumbit: vel quia maior non est in æquali necessitate cum minori. Quo supposito ad argumentum respondeo, quòd quamuis verum sit, quod ex ordine charitatis potius teneatur homo diligere salutem spiritualem proximi, quàm suam corporalem; ex hoc tamen non infertur, quòd in casu argumenti teneatur perpeti mortem, ne alterum occidat. Ponere enim vitam propriam pro anima proximi non est actus charitatis, ad quem de necessitate teneamur, nisi in casu, quo eius saluti obligamur prouidere, qui est casus necessitatis, vt docet D. Thom. 2.2. quæstione. 26. articulo. 5. ad 3. Et iste non est, quando aliquis per iniquitatem me inuadit, cum tunc in nullo necessitatis, sed iniquæ voluntatis articulo sit constitutus. Cùm ergo tunc defensori incumbat cura prouidendi saluti propriæ vitæ, nec teneatur vitæ corporali, aut spirituali inuasoris prouidere, fit consequens, vt cum ordinata dilectione charitatis, qua magis salutem spiritualé proximi, quam propriam vitam diligere tenetur, possit etiam hunc actum tutelæ cum consequente damno vtriusque vitæ alterius, non prætermittere. Et quòd hoc ita sit necessario dicendum probatur contra Abulensem, atque Gersonem, qui eo solum argumẽto conuicti tenuerunt contra D. Thomum. Nam si verum esset, quòd nefarijs hominibus contra nos irruentibus, teneremur vitam dare, ne illi in propriam defensionem interfecti detruderentur in infernum, procul dubiò perturbaretur ius naturale, esset-que lex Domini intolerabilis contra illud: Iugum meum suaue est, & onus meum leue: Daretur præterea occasio nefarijs hominibus viros iustos interficiendi, cum scirent se in defensione non esse occidendos, quod rationi naturali repugnat, vt colligere licet ex libro primo Machabæorum capitulo secundo. Vbi dicitur, quòd, cùm simili audacia Machabæorum hostes sabbathis eos adorirentur, arbitrantes tunc illos non posse pugnare, decreuerunt Machabæi etiam illis sanctis diebus, non obstante præcepto diuino de non pugnando in sabbatho, seipsos defendere; propterea quòd ratio naturalis dictabat vim vi esse repellendam. Ad confirmationem respondetur concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd quamuis verum sit, quòd semper homo perit sua culpa, dantur tamen aliqui casus, in quibus tenemur pro salute spirituali proximi mortem subire, illi, scilicet, qui tam graues sunt, vt in illis constitutus vehementer egeat, ex natura rei, alterius ope. Vt quando, Verbi gratia, constantia illorum Martyrum, de quibus fit mentio in historia Sebastiani, vi tormentorum vacillabat, minabaturque ruinam; & similiter quando in persequutione fidei intelligit aliquis valde probabiliter, quod sua morte alij fideles fortiores erunt ad defendendam fidem, tunc ille tenebitur optare mortem pro salute spirituali aliorum. Et idem dicendum est de tempore pestis, quòd quilibet sacerdos tunc tenetur audire confessiones, etiam cum periculo contagionis, quando proprij curati non adsunt. At vero in casu argumenti similis casus non est, vt constat ex dictis. ¶ *Ad 3. arg.* Ad tertium argumentum respondetur, distinguendo maiorem. Nam quando dicitur, quòd pro salute spirituali proximi obligantur homines vitam corporalem ponere, si proximus ex infirmitate, vel ignorantia in peccatum labatur, hæc propositio potest efficere duplicem sensum. Vnus est vniuersalis, scilicet, quod semper, & in omni euentu tenetur homo vitam corporalem propriam pro spirituali proximi dare, siue ipsa vita corporalis sit medium per se ordinatum ad spiritualem, siue non. Et hic sensus est falsus, nec à nobis positus in materia de correptione fraterna. Alter sensus est, quòd tunc tenetur

tur homo vitam corporalem ponere pro spirituali proximi, quando vita corporalis fuerit medium necessarium, & per se ordinatum ad spiritualem. Et hic sensus est verus, à nobisque propositus & probatus in eo loco. Si enim ciuitas, vel persona aliqua vincibili quadam ignorantia laborat, quam ego solus possum tollere, ordine charitatis teneor cum periculo vitæ veritatem detegere. Et tempore pestis tenetur prælatus etiam cum manifesto mortis periculo suo populo adsistere; quia hæc sunt media per se ordinata ad vitam spiritualem. Nunquam autem potest contingere, quòd quando vnus alterum aggreditur, siue ex malitia, siue ex ignorantia, siue ex infirmitate id faciat, vita eius, qui inuaditur sit medium per se ordinatum ad salutem spiritualem aggressoris: Et sic nunquam tenetur perpeti mortem, ne aggressorem occidat. ¶ *Ad vltimum argumentum.* Ad vltimum argumentum ex ijs, quæ dicenda erunt circa tertiam conclusionem D. Thomæ patebit solutio.

Dubium. Supposito iam, quòd est licitum occidere aggressorem in propriam defensionem vim vi repellendo, est difficultas, vtrùm teneamur id facere, vel potius possimus perpeti mortem, ne inuasorem interficiamus? Et quidem, quòd nõ sit licitum perpeti mortem colligi potest, ex D. Thoma in hoc articulo, qui dicit, teneri nos potiùs consulere vitæ propriæ, quam alienæ. Et ratione sic argumẽtor: Ordine charitatis plus se quisque diligere tenetur, quam alterum, vel saltem tenetur non diligere alterum plusquam se; cum mandatum Dei sit, vt proximos, sicut nos ipsos diligamus: sed qui patitur mortem, ne alterum interficiat, diligit proximum plusquam se; ergo peccat. In contrarium tamen est: Nam, si potest homo] propriam vitam corporalem periculo exponere pro corporali amico. Vt diximus in primo Tomo quæstione. 26. articulo. 4. à fortiori poterit perpeti mortem, ne aggressor descendat in infernum: vt autem quid in hac re sit tenendum paucis explicemus. Dico primò, quòd potest contingere casus, in quo innasus teneatur non se defendere, si aliter, quam aggressorem interficiendo, propriam vitam tueri non potest: tunc, scilicet, quando aggressor est Rex reipublicæ valde necessarius: Et hoc non propter ipsum Regem, sed propter bonum commune, quod ex eius vita resultat, quod ordine charitatis anteferendum est bono priuato. Dico secundo posse etiam contingere casum, in quo innasus teneatur se defendere, etiam cum occisione aggressoris; tunc, scilicet, quando inuasus est persona rei publicæ valde necessaria, propter eandem rationem. Dico tertio in alijs casibus liberũ esse vnicuique, vel defendere propriam vitam, vel cedere iuri suo: perfectio enim virtutis est, ponere vitam pro amico, atque adeò pro inimico, vt salutem æternam consequatur. Et ad D. Thomam respondeo, quòd quando aliquis patitur mortem, ne aggressorem interficiat, non ponit vitam suam pro vita corporali alterius, sed, vel pro bono spirituali, vel pro bono virtutis, quod ex ordine charitatis præferendum est vitæ. Ad rationem respondetur primò, quòd ordo charitatis, quo homo tenetur non plus proximum, quam seipsum diligere, attendendus est secundum vitam spiritualem, cuius ideò detrimentum pati non debet pro toto orbe. Quantum autem ad temporalia non est ille ordo necessarius, cùm temporalia non per se, sed tanquam media pertineant ad perfectam felicitatem. Vel secundo respondetur, negando, quòd qui patitur mortem, ne alterum interficiat, diligit proximum plusquam se. Et ratio est: Quia, vt docet D. Thom. secunda secundæ quæstio. 26. articulo 4. tunc dicitur homo simpliciter se diligere, quando diligit se secundum virtutem. Et certum est, quòd qui patitur mortem, ne alterum interficiat, eiusque animam detrudat in infernum, maximè diligit se secundum virtutem, cum pro bono virtutis propriam vitam exponat.

3. Dictum.

Ad argumentum.

Argumentum. Sed dubitabit aliquis hoc loco, an pro bonis temporalibus defendendis licitum sit latronem interficere? Estque sermo, quando aliter bona tueri non possumus. Et pro parte negatiua argumentor primo ex D. Augustino, qui libro primo de libero arbitrio, capitulo 5. dicit: Quomodo apud diuinam prouidentiam à peccato liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Pro hoc etiam facit illud Exodi capitulo. 22. Si effringens fur domum, siue fossodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit homicidium perpetrauit, & ipse morietur. Supra quæ verba dicit D. Augustinus, & refertur in capitulo superfodiens. de homicidio. Propterea est licitum furem nocturnum in fragranti delicto morte opprimere, nõ autem orto iam sole, quòd noctu discerni nequit, venerit ne ad furtum faciendum, an

Dubium.

Argumentum ex testimonio Augustini.

1. dictum.

2. dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Argumentum ex ratione.

an ad homicidium, ſicuti luce ſolis deprehendi poteſt. Quibus verbis ſignificatur, ſolum metu mortis licere furem occidere, & non metu amiſſionis bonorum. ¶ Et ratione ſic argumentor: Homo tenetur plus prouidere alienæ vitæ, quam proprijs rebus: tenetur enim præponere vitam proximi omnibus ſuis rebus exterioribus, vt docet D. Thom. ſecunda ſecundæ quæſtio. 26. Ex quo habuit ortū dictum illud, qui poteſt & nō paſcit fame moriētē homicida eſt: ergo qui pro cōſeruandis rebus exterioribus occidit proximum, facit cōtra charitatē, atq; ex conſequenti peccat.

Referūtur diuerſæ ſententiæ de difficultate propoſita.

In hac difficultate explicanda non omnes eodem modo loquuntur. Quidam enim dicunt, quòd quando accidit, quòd inuaſor nititur res meas auferre, quas ego, etiam ſi auferantur, per viam iudicis recuperare poſſum, non eſt licitum defendendo res, occidere raptorem. At verò ſi non poſſum per viam iudicis res meas recuperare, ſi auferuntur, licitum erit tunc defendendo res raptorem interficere. Nec huius dicti aliam rationem aſsignant; niſi, quòd defenſio rerum eſt licita, iuſque ciuile hoc concedit, vt patet ex lege furem. ff. ad legem Corneliam. de ſicarijs. Alij dicunt, quòd licet impune occidere furem pro ſaluandis rebus quantum ad forum ciuile, ſed in foro conſcientiæ non licet. Hanc ſententiam tenet Panormitanus in capitu. de homicidio. loquendo de laicis. Nam de clericis affirmat in capitu. ſuſcepimus. eodem titulo. & in capitu olim el 1. de reſtitutione ſpoliatorum. quod licet clericis res defendere cum baculo, vel gladio, non tamen ad ſæua procedere, id eſt, occiſionem, etiam ſi res aliter ſaluari non poſsint: ſed potiùs debet ſuſtinere rerum iacturam. Et in cap. 1. eodem titulo. in verbo. ſe & ſua defendendo ſeu liberando, dicitur, nullo modo licere clericis occidere aliquem defendendo ſua, ſed ſe & ſua. Alij autem vniuerſaliter dicunt, quòd quando aliquis res ſuas defendere non poteſt, quin ex defenſione ſequatur occiſio inuaſoris, licitè poteſt detendendo res, illum occidere. Hanc ſententiam tenet Caietanus in hoc articulo, quæ proculdubio eſt vera, atq; tenenda. Et probatur primò ratione D. Thomæ in hoc artieu. Quæ talis eſt: In eo, qui bona ſua defendens alterū occidit, duos effectus eſt conſiderare, ſcilicet, bonorum propriorum conſeruatiōnē, & alienæ vitæ exitium: quorum primus eſt intentus, & poſterior accidentarius: ſed ille effectus primò intentus, à quo actio ſpeciem ſortitur, nullam habet rationem mali,

Sententia Caietani vera.

cū vnuſquiſq; habeat ius res ſuas defendendi: ergo licitum eſt vnicuique res ſuas defendere; etiam ſi ex hoc accidentariò ſequatur alterius mors. Et confirmatur: Bona externa ſunt media neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ, ſtatus, & honoris: ergo ſicut pro defenſione vitæ eſt licitum occidere aggreſſorem: ità etiam pro defenſione bonorum externorum. Secundo, hoc ipſum probatur ratione Caietani: Cuilibet imminet cura rerum ſuarum in ordine præcipuè ad virtutem, & vitæ conſeruationem: vitæ autem alterius non imminet cura, niſi in caſu neceſsitatis: ſed quilibet tenetur plus habere prouidentiam eorum quorum curam ſibi imminet ſimpliciter, & abſolutè, quàm eorum, quorum cura non ſibi imminet, niſi in caſu: ergo plus tenetur diligere bona ſua, quæ ſunt adminicula propriæ vitæ atque virtutum, & quorum cura ſibi imminet, quàm vitam proximi extra caſum neceſsitatis Sed quando latro inuadit me, vt bona mea ſubripiat, non eſt in caſu neceſsitatis, ſed in caſu ſummæ iniquitatis, cum ipſe ſponte ſua in eo periculo ſe conſtituat inferendo iniuriam, quam ego euadere non poſſum, niſi ipſum interficiendo: ergo non teneor tunc plus diligere vitam proximi, quā bona mea, atque ex conſequenti in bonorum meorum defenſionem potero illum occidere. Si quis autem quærat, quandiu duret tempus, quo poteſt homo cum morte latronis ſuas res defendere, an ſcilicet, tunc tantum, quando fur rem non arripuit, vel potius etiam ſit licitum dum rebus onuſtus fugit, eum armis inſequi, & ſi aliter deprehendi non poteſt iacto telo ſternere? reſpondeo, toto illo tempore fragrantis delicti, licitum eſſe vim vi repellere, quod durat etiam dum fugit. Poſtquam autem aliquo ſe recepit iam non erit licitum vi aggredi, ſed ſolum detinere, quoadusque iudex eum capiat; quia iam ceſſauit vis: & ſic non eſt licita defenſio per violentiam. Quādo autem dicimus, quòd pro defenſione rerum eſt licitum latronem interficere, eſt intelligendum, dummodo bona alicuius ſint momenti. Nam pro re vili, nempe, pro valore duorum, vel trium ducatorum, ſicut vitam periculo exponere delictum eſſet; ita & alium occidere. Nam, quamuis quiſque ſe ſuaque tuendi ius habeat, conferendum tamen eſt ſecundum iudicium viri prudentis damnum, quod ſibi cauet cum nocumento, quod infert, licet ſemper ſit iudicanda melior conditio poſſi-

Ad argumentum de ſmiztum ex teſtimonio Auguſtini.

ſidentis. ¶ Et ad primum argumētum, quòd conſtabat teſtimonijs D. Auguſtini, reſpondetur, vel quòd forſan D. Auguſtinus fuit illius ſententiæ, quod exiſtimauerit ob ſola bona temporalia non eſſe licitum latronem interficere, vel melius, quòd loquitur, vt optimus philoſophus moralis, do cens ea, quæ vt in plurimum contingunt. Vix enim accidere poteſt caſus, in quo bona temporalia à latrone diurno citra eius mortem eripi non poſsint. Et quando hoc eſt, nunquam eſt licitum illum interficere, vt conſtat ex lege furem. ff. ad legem Corneliam, de ſicariis. Vbi dicitur: furem nocturnum ſiquis occiderit, impune feret, ſi parcere ei ſine ſuo periculo non potuit. Parcere, ſcilicet, liberando res ſuas. Et in lege. ſed & ſi. ff. ad legem Aquiliam. Si quis enim cùm furem apprehendere poſſet, maluit occidere, iniuriam feciſſe videtur. Idemque habetur in capitulo interfeciſti. de homicidio. Et ratio eſt manifeſta: Nam, ſi in defenſionem propriæ vitæ non eſt licitum aggreſſorem occidere, niſi cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc eſt, quando aliter vitam liberare non poſſumus, à fortiori id erit dicendum de defenſione bonorum. Ex quo multi Iuriſconſulti inferunt, quòd etiam, quando eſt ſpes recuperandi via iuridica furtum, non licet furem occidere. Et quidem ſi ſpes ſit certiſſima, quòd facili negotio recuperabitur, verum apparet. Tamen, ſi res eſt dubia, liberum erit domino, ſuo iure vti. Quare in illo capitulo interfeciſti, iam citato, ſubditur; Si ſine odij meditatione te tuaque liberando, huiuſmodi Diaboli membra interfeciſti, ſi ieiunare volueris, bonum eſt tibi. Quaſi dicat, non teneris.

Ad arg. ex ratione.

¶ Ad rationem reſpondetur, quòd cum maiori dilectione proximi, quàm rerum, ſtare poteſt, quod actum tutelæ rerum exerceam, cum diſcrimine vitæ proximi. Nam, cum illa maior dilectio proximi non obliget, niſi in caſu neceſsitatis; & hæc tutela rerum oriatur ex cura particulari, quam illarum habeo, ſit, vt in caſu, quo vita proximi non eſt in neceſsitate, poſſim rebus conſulere, etiam cum illius periculo. Itaque, ſicut ſtat me plus diligere ſalutem animæ proximi, quàm meam corporalem, & tamen de ſalute proximi nunquam cogitate, nec illam in particulari amare, de corporali autē vita mea cogitare ſæpe illamque in particulari diligere, propter iniunctam mihi iſtius curam, & non illius: ita etiam ſtat, quòd plus ego teneat diligere vitam proximi, quàm res meas, & tamen de illa nunquam in ſpeciali habere curam, niſi in caſu neceſsitatis; de iſtis autem, quàm maximè propter iniunctam mihi curam mearum rerum, & non vitæ alterius. Et ſic falſum eſt, quòd tenetur homo plus prouidere alienæ vitæ, quā proprijs rebus, quod fuit poſitum in antecedenti. Quanuis ſit verum, quòd tenetur plus diligere alienam vitam, quàm res ſuas in caſu neceſsitatis ad modum iam explicatum. ¶ Ex dictis in hoc dubio poſſumus colligere, quid dicendum ſit ad alterius explicationem: nempe, an liceat mulieri repellendo violentiam ſtupri, adulterij, ſodomiæ, vel aliquid huiuſmodi aggreſſorem occidere, quando aliter euadere non poteſt. Si enim hoc eſt licitum pro defenſione bonorum temporalium (vt modo dicebam) à fortiori etiam licebit pro tuenda propriorum membrorum integritate, & tantò plus quantò vis hæc magis æſtimatis rebus infertur, maiuſque periculum conſeuſus ex hoc imminet, qui virtutis bono contrariatur. Vnde Tullius pro Milone, laudabiliter commemorat militem adoleſcentem, qui ne turpiter pateretur à tribuno militari propinquo Caij Marij, ipſum interfecit. Verum tamen eſt, quòd ſi talis mulier nolit aggreſſorem occidere, ſed quantum poteſt, ne ſtuprum patiatur ſe tuetur, peccatoque mente renititur multò maioris virtutis opus efficiet, ſicut, & qui inuaſus ne alterum occidat permittit ſe interfici. Quæ enim in vita patitur, virginitatem non amittit: nec, vt D. Lucia dicebat: coinquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis, quòd & D. Auguſtinus multis probat lib. 1. de Ciuitate capit. 18.

Corollariū

Aliud dubium.

¶ Sed eſt aliud dubium, vtrum pro defenſione honoris licitum ſit proximum interficere? Et, vt clarius procedamus, ſit caſus, quòd vir nobilis & illuſtris vidit inimicum gladio appropinquantem ad ſe interficiendum, & quod fugiendo poteſt vitam liberare, quod ſine magno ſuo dedecore efficere non poteſt. Eſt difficultas, an teneatur tunc cum infamia fugere, ne propriam, vel hoſtis vitam mortis periculo exponat, vel potius poſſit aggreſſorem occidere in ſuam defenſionem, ne fugiens honorem amittat?

Argumentum.

Et quidem, quòd teneatur fugere, probatur. Tunc occiſio aggreſſoris dicitur facta cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando aliter vitam tueri non poſſumus: ſed in caſu, de quo loquimur, nobilis ille & illuſtris vir aliter, quàm occidendo ini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

inimicum potest propriam vitam tueri, scili cet fugiendo: ergo tenetur fugere, ne occi dat.

Conclu.

Hoc tamen non obstante dico, quòd non tenetur fugere, sed poterit inimicum occi dere in proprij honoris defensionem. Proba tur: Tunc dicitur defensio fieri cum modera mine incolpatæ tutelæ, quando citra detri mentū, quod sit alicuius momenti, relinqui non potest: sed talis est illa, quæ fit ne honor amittatur: ergo est dicenda moderata, atque ex consequenti licita. Et cōfirmatur: In de fensionē bonorum licitum est aggressorem occidere, vt cōstat ex dictis: ergo & in defen sionem honoris. Patet consequentia: Nā ho nor quid præstantius est bonis tēporalibus, iuxta illud: Melius est bonū nomē, quā diui tiæ multæ. Ex hoc infertur primò, quòd in casu, de quo loquimur, tā clerici, quā mona chi obligati erunt fugere: istarū enim perso narū honor nō in armis, sed in patientia cō sistit. Infero secundo quòd similiter homo plebeius nō poterit alium occidere, ne ipse fugiat: Non enim est fuga homini plebeio adeo ignominiosa, vt pro illa vitanda possit proximum interficere. Infero tertio, quòd si quis aggrederetur alterum, vt leui eum fu ste percuteret, licitè posset talis in propriam defensionem aggressorē occidere. Est enim hæc iniuria adeò grauis, maximè apud Hispa nos, vt pro illa vitanda, si alia non restat via, aggressorem occidere sit valde licitum. Et si quis obijciat, quòd ex hoc sequi videtur li cere prouocato in duellum exire, siquidem si ne honoris iactura aliud facere nō potest, res pondeo, negando sequelam. Tum, quia qui prouocatus exit in duellum nō repellit vim vi, sed potius cooperatur iniquitati, qua alter ipsum prouocat. Tum etiam; quia pri uata autoritate exire in duellum non est vir tus. Et sic nec qui id nō facit aliquem hono rem amittit, qui præmium est virtutis. Et hæc dicta sint de eo quod est licitum facere in propriam defensionem aggressorem interfi ciendo.

Duo dubia dissoluēda proponūtur

Sed restat nunc alia duo dubia explicare, quæ nō de inuasoris interfectione, sed de in nocētis morte in propriæ vitæ defensionem facta, loquūtur. Primum est, vtrùm fugiens equo inuasorem iniustum, possit licitè pro terere, sicq; occidere puerum in via iacentē, videns se aliter euadere non posse. Et eadem difficultas est de eo, qui alium impellit in flu men, vel præcipitium, vt ipse mortem euadat. Secundum: vtrùm prægnans, vel in partu periclitans, ad seruandam vi tam suam in casu, quo aliter eam serua re non potest, licitè possit sumere medici nam, vel aliquid facere, idque per alium procurare, vnde aborsus & mors fœtus iam animati certissime sequatur? Et vtrùm simi liter, medicus, vel obstetrix id facere possit?

Explicatio prioris dubiæ.

Ad quorum primum deuenientes, pro bre ui illius resolutione dico primo, quòd actu de se directo ad mortem alterius, etiam si non ex intentione id faciat, nullus scienter potest, vel iacentem in via proterere, vel aliquem in flumen, aut in præcipitium im pellere, vt ipse mortem euadat. Probatur: Puer iacens in via, vel alius, qui in præ cipitium est impellendus, non est aliquo modo inuasor iniustus, vt suppono, & est iustus possessor vitæ, atque loci, in quo est, cum inde commode recedere non possit, vt alius fugiat: ergo iniustè alius scienter actu directo in mortem illius, aut proterendo, aut impellendo eum occideret, vt ipse mortem euaderet. Probo consequentiam: Nam iustus possessor vitæ nullo modo po test scienter ab alio occidi actu directo in mortem eius, quacunque ex causa, & quomodocunque priuata autoritate fiat, nisi in defensionem ab iniusto inuasore, vt ex supradictis patet. Et confirmatur: Non est licitum alicui rapere panem, vel tabu lam in naufragio à iustè possidente in extre ma necessitate vtriusq;, vt seipsum à morte liberet, quia, vt dicit Paulus ad Rom. 3. Nō sunt facienda mala, vt inde eueniant bona: ergo nec etiam est licitum, vel mittere alte rum in præcipitiū, vel iacentem in via prote rere scienter, actu directo in mortem alte rius, vt ipse mortem euadat. Probo con sequentiam: Nam æqua est vtriusque ra tio. Dico secundo, quòd actu indire cto in mortem alterius, directo autem ad euasionem mortis propriæ bene potest quis aut iacentem in via proterere, aut alte rum in flumen, aut in præcipitium impelle re. Vt si, verbi gratia, aut paululū diuertit, aut per saltum equi probabiliter credit vtriusq; saluare vitam, quānis res ad votum nō succe dat. Ita tenet Sylvester verb. homicidiū. 2. q. 26. Et probatur: Talis occisio nō est volūta ria: ergo nec peccatū. Cōsequētia tenet, ex di cto celebri Augustini: Peccatū intentum, est peccatū in quantū voluntarium. Et antece dēs probatur: Illa occisio solū est voluntaria in sua causa, sed illam non tenetur homo vi tare, cum vnusquisque habeat ius propriam vitam saluandi: ergo non est voluntaria. Probo consequentiam: Nam, vt dicit D. Tho. 1. 2. quæstione. 6. articulo 3. & quæ stione. 73. articulo. 8. quod non tenemur vi tare, nulla ratione potest esse nobis vo luntarium ad culpam. Itaque, quemad modum

modum in bello iusto innocentes non dire ctè, sed & indirectè, & per accidens est lici tum occidere: ita etiam & in proposito. Et hoc quantum attinet ad primum dubium.

Explicatio dubij posterioris.

¶ Ad secundum quanuis Sylvest. verbo, me dicus. q. 4. ex sententia Ioannis de Neapoli indistinctè dicat, quòd nec prægnans ad pro priam vitam seruandam potest licitè su mere medicinam, vnde aborsus & mors fœ tus iam animati certissime sequatur, nec me dicus, nec obstetrix illam præbere, & quan uis alij dicant, quòd ipsa mulier potest qui dem talem medicinam sumere, medicus autem & obstetrix non possunt illam con ferre: ego ad propositam difficultatem sub distinctione respondendum existimo. Di stinctio autem est: Nam, vel illa medicina, vel opera, vel industria, quæ adhibetur est de se directè immediatè, & principaliter collatiua sanitatis, vt sanguinis minutio, bal neum, pharmacum purgatiuum humorum, emplastrum mitigatiuum doloris, & alia hu iusmodi. Aut verò ex natura sua directè & principaliter non est collatiua sanitatis, sed vel mortifera, vel ad mortem seu aborsum ordinata, vt venenum, dilaceratio, percus sio, &c. Quo supposito dico primò, quòd primi generis medicamentis licitum est ip si mulieri, vel per se, vel per alios vti. Atq; etiam medici, & obstetrices poterunt talia medicamenta applicare, quanuis per acci dens ex illis aborsus seu mors fœtus sequa tur. Probatur: Talia medicamenta ex sua na tura directè, & immediatè sunt salutifera, ad salutemq; ordinata, quanuis per accidens, atq; indirectè sint mortifera, morsq; fœtus ex illis sequatur: ergo licitum erit ea mulie ri modo prædicto periclitanti applicare ex intentione illam à morte liberandi. Probo consequentiam: Nam vt dicit D. Thom. in hoc articulo, actiones humanæ ex eo, quod per se est in intentione operantis, speciem sumunt, & non ex eo, quod sequitur per ac cidens. Et confirmatur. Mulier potiùs ius ha bet ad possessionem suæ vitæ tuendam, etiā cum periculo fœtus, quam ipse fœtus ad suā cum periculo matris, cum vita fœtus ex vita matris, & non è contra vita matris ex fœtus vita dependeat: ergo licitum erit per media conuenientia matris vitam curare etiam cū periculo fœtus. Pro hoc etiam facit ratio, quam dubio præcedenti adduximus, ad pro bandum esse licitum puerum in via iacen tem indirectè interficere, vt equo fugiens mortem euadat; æqua enim est vtriusq; ra tio. Dico secundò, quòd secundi generis me dicamentis, nec ipsi mulieri, nec medico, nec obstetrici aut alteri cuicunque licitum erit vti cum certo periculo fœtus, etiam ex intentione matrem à morte præseruandi. Et ratio est: Nam huiusmodi homicidij me dium, ex causa quacunque, & quomodo cunque, autoritate priuata fiat, est illicitum, nisi in defensionem ab iniusto inuasore, vt ex dictis patet. Certum est autem, quòd fœ tus in matris vtero existens nulla ratione potest vitæ matris dici iniustus inuasor. Et si in hoc casu loquitur Sylvester, verbo, me dicus. quæst. 4. ex mente Ioannis de Neapo li eius sententia est vera. Pro qua etiam fa cit D. Ambrosius relatus in capit. denique. 14. quæstione. 5. qui inquit: Si alteri sub ueniri non potest, nisi alter lædatur, com modius est neutrum iuuare. Et hæc dicta sint de secunda conclusione D. Tho.

Dubium graue circa tertiam conclusio. D. Thom.

¶ Circa tertiā in qua dicit, quòd occidere aliquem ex intentione in propriam defen sionem, solum est licitum ei, qui vtitur pu blica autoritate, est grauis quæstio de ani mo, & intentione, quo est licitum inuaso rem iniustum occidere, vtrùm, scilicet li ceat suam vitam defendenti, velle ex inten tione directè occidere aggressorem ob præ dictum finem suæ defensionis, collum eius, aut pectus gladio, siue certa sagitta, vel glo bulo ignito transfigendo? Quod est quære re, an sit licitum hanc aggressoris occisio nem ex intentione, & certo proposito eli gere, vt medium necessarium ad propriæ vi tæ conseruationem? Sicut medicus ex in tentione, & certo proposito elegit venæ se ctionem, vel medicinæ sumptionem ad sa lutem infirmi consequendam. Et sicut mi les in bello, & iudex, seu minister iustitiæ ex proposito, & intentione directè ele git occidere hostem reipublicæ, vel male factores ad ipsius reipublicæ commodum, & vtilitatem. In qua re duplex est opi nio Doctorum: Vna, quæ asserit ità esse li citum priuato homini ex intentione, & ele ctione occidere iniustum suæ vitæ inuaso rem, cum debito moderamine; sicut est licitum iudici, exequutorique iustitiæ, aut militi in bello ex intentione pro sua si mul, & boni communis reipublicæque de fensione idem facere. Itaque secundum istam opinionem licitum est vnicuique ex intentione, & directè velle occidere ag gressorem, tanquam medium necessarium ad propriæ vitæ conseruationem. Hanc sententiam tenet Alexander Alens. 3. part. quæst. 54. membr. 2. artic. 11. §. 2. in respon sione ad secundum, & quartum argumen tum. Nauarro in Manuali capit. 15. nu mero. 2. Sylvester, verbo, homicidium. pri mo. quæst. 5. & Soto lib. 5. de iustitia. quæst.

Duplex est opinio de hac re 1. Sententi

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. art. 8. Licet verbis videatur sentire cum D. Thoma, qui contrarium dicit, in 3. conclusione huius articuli. Et probari potest hæc sententia aliquibus argumentis. Primò sic: Ad efficacem volitionem finis semper sequitur necessatio eius medij electio, quod ad talis finis consequutionem iudicatur necessarium, vt dicit Aristot. 7. Ethic. cap. 3. Ex quo fit, quòd, si volitio finis est licita, volitio etiam medij sit licita, atque honesta: sed in casu, de quo loquimur defensio, atque conseruatio propriæ vitæ est efficaciter volita, iudicaturque vt medium necessarium ad illam occisio inuasoris, vel gladio, vel sagitta, vel globo ignito facta, vt supponimus: ergo poterit hic ex intentione, & directè eligi tanquam medium necessarium ad vitæ conseruationem. ¶Secundò: Quandocunque aliquis seipsum defendit, vim vi repellendo, non solum potest ex intentione velle, aut eligere caute ictus inuasoris recipere, sed etiam ipsum repercutere, si id fuerit necessarium, vt omnes Doctores concedùt: sed hæc violétiæ repulsio atq; percussio est aggressoris occisio certa, vt supponimus: ergo etiam erit licitum illam ex proposito, & intentione eligere, tanquam medium necessarium ad vitæ conseruationem. ¶Tertiò: Quia ex fine sumitur necessitas medij ad illum, eodem præcepto, quo præcipitur finis, præcipitur etiam medium ad illum: sed in casu, de quo loquimur, finis, scilicet, propriæ vitæ conseruatio, atque defensio, est necessarius necessitate præcepti; quilibet enim tenetur suæ vitæ consulere mortemque vitare; ad quod occisio inuasoris est medium cognitum necessarium, vt suppono; cùm alia via ad finis consequutionem peruenire non possit: ergo saltem quando fuerit in præcepto propriæ vitæ conseruatio, erit similiter in præcepto aggressorem occidere. Atque ex consequenti, tunc erit licitum directè & ex intentione id eligere. ¶Quartò: Ex duobus malis etiam culpæ minus est eligendum, vt constat ex cap. duo mala. & ex cap. nerui. 15. distinct. Ex quo fit, vt ad vitandam mortem licita sit, & abscisio brachij, & acceptio rei alienæ, quarum quælibet aliàs seorsum prohibita est: quia tunc minor prohibitio cedit maiori: sed maius malum culpæ est esse causam etiam omissiuam mortis suæ, quam alterius; sicut & grauius est seipsum, quàm alterum occidere; ex ordine enim charitatis magis tenetur homo suæ vitæ consulere, suamque mortem vitare, quàm alienam: ergo pro conseruatione vitæ, aut pro propria morte vitanda eligenda erit etiam ex intentione mors, vel occisio inuasoris.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

4. Argum.

¶Alia sententia est, quæ affirmat, nulli ex intentione esse licitum, quemquam, etiam inuasorem, priuata autoritate interficere; sed solum id licere publicæ autoritati, hoc est, habenti curam reipublicæ, vel eius executori. Hanc tenet D. Thomas in hoc articulo, & Abulensis super 5. caput Matth. quæstione. 199. & fere omnes Thomistæ. Quanuis non omnes eodem modo explicent, quid sit secundum hanc opinionem occidere ex intentione. Soto lib. 5. de iustitia, quæstione. 1. artic. 8. dicit, quòd occidere ex intentione est alterum aggredi ipsum præueniendo, vel ad vindicandam præteritam iniuriam, vel ad cauendam futuram. Et hoc solum dicit esse licitum habenti publicam autoritatem, ad sui & reipublicæ defensionem, vt militi in bello, & executori iustitiæ contra homines reipublicæ pestilentes. Occidere autem non ex intentione esse censet, quotiescunque aliquis inuaditur, ac se defendens cum moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem quomodocunque occidit. Quod dicit esse licitum cuicunque priuatæ personæ, etiam ipsum occisionem volendo, & eligendo, vt medium necessarium ad finem conseruationis propriæ vitæ. Sicque dicit esse intelligendum D. Thom. in hoc articulo. Sed proculdubio hæc sententia re non differt à prima opinione, nec aliqua ex parte attingit mentem autoris; quod ex verbis ipsius clarè patebit intuenti. Dicit enim, quòd ex actu hominis se defendentis duplex effectus sequi potest. Vnus, qui est conseruatio propriæ vitæ. Et ex hoc effectu specificatur actus defensionis: estque licitus, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Alius effectus est, occisio hominis inuadentis. Et quia hominem occidere non licet, nisi publica autoritate, ob bonum commune; ideò illicitú est, quòd homo intendat hominem occidere, vt se defendat, & propriam vitam seruet. Sed hoc solum licet ei, qui habet curam boni communis, & publicam autoritatem; qui intendens hominé occidere ad sui defensionem, hoc refert ad publicum bonum, vt est iudex, iustitiæque minister pugnans contra latrones, & miles pro republica contra hostes pugnans in bello. Quanuis & isti peccent, si priuata libidine moueantur. Hæc D. Thom. Quibus verbis apertè significat, quòd tunc solum inuasus licitè ex intentione occidit inuasorem, quádo autoritate publica id facit. Nam, si sit priuata persona, & ex intentione

2. Sentent.

Modus dicendi Soti.

tione interficiat aggressorem, proculdubio peccabit. Et sic nulla ratione potest expositio Soti quadrare literæ, & menti D. Tho. Præterquàm, quòd illa nominum interpretatio, qua dicit idem esse, occidere ex intentione, quod occidere aggrediendo; & occidere non ex intentione, quod occidere, dú quis prius inuasus est; aliena est ab omni recto ordine interpretandi, nec D. Tho. illam vnquam commentus est, quando etiam dixit autor, inuasum licitè occidere non ex intentione inuasorem pro suæ vitæ defensione, nunquam affirmauit licere sibi occisionem illam velle, vel eligere, vt medium ad vitæ conseruationem, sed vt effectum per accidens subsequutum ex actu defensionis, nec tale vocabulum medij, sed effectus est apud illum, vt ex dictis patet. Quocirca hæc Soti interpretatione omissa, Victoria in relectione de homicidio. num. 17. dicit, quòd occidere ex intentione est occidere ex certo proposito occidendi, quare iudex intendit malefactorem vita priuare. Et hoc modo nulli priuato, licet etiam inuasorem occidere, sed solum publicam autoritatem ad id habenti. Præter intentionem autem occidere est non solum à casu, & inuoluntariè, sed propter alium finem, quem si occidens posset aliter consequi nõ occideret. Et hoc modo ait Victoria; Licitum est cuiquam in sui defensionem iniustum inuasorem occidere, quem interficere nollet, si aliter se defendere posset. Sed certè nec hæc sententia satis explicat rem. Ex illa enim sequeretur, licitum esse vnicuique insidiantem suæ vitæ occidere, aut veneno, aut fraudibus, aut alijs modis ex electione, & proposito illum interficiendi ad finem vitæ tuendæ, quando aliter vita saluari non posset; quod nos in superioribus ostẽdimus esse falsum. Quare hac etiam interpretatione omissa, Caietanus in hoc articulo, quem multi alij sequuntur, dicit idem esse ex intẽtione, quod ex certo proposito, & electione hominem occidere, id, scilicet, vt medium ad finem propriam vitam conseruandi eligendo, directeque volendo. Et hac ratione dicit, nulli, nisi publicam autoritatem habenti, vt iudici, aut ministro iustitiæ, aut militi in bello est licitum aggressorem occidere. Erit tamen homini priuato licita iniusti inuasoris occisio, tanquam effectus consequens defensionem. Et hoc dicit esse secundum Diuum Thomam inuasorem occidere, non ex intentione, hoc est, non ex proposito, vel electione ipsum interficiendi, etiam ad finem conseruandi vitam, sed vt est effectus per accidens, quanuis præuisus consequens ad vitæ defensionem. Itaque, quemadmodum debilitatio infirmi non est directè, nec ex proposito à medico intenta, vel electa, vt medium ad sanitatem; sed est solum effectus cutationis, qui quanuis præuisus sequitur per accidens, ad actionem illius, estque omnino præter intentionem medici, quanuis indirectè volita: ita etiam & occisio inuasoris aliquo modo, & indirectè non vt medium, ad finem conseruationis vitæ; sed, vt effectus ex licita defensione præter intentionem, sicè per accidens consequens quanuis præuisus, cùm alicuius inuoluntarij admixtione debet esse volita, & sic est licita, cùm tamen aliàs à priuata persona ex intẽtione licitè fieri non posset. Et hæc est proculdubiò vera, & germana sentẽtiæ D. Th. interpretatio.

Modus dicendi Victo.

Modus dicendi Caiet.

¶Mihi ex his duabus opinionibus ea, quæ est D. Thom. ad mentem Caietani intellecta, probabilior, atque tutior videtur. Non obstante, quòd dicerem defendenti se ab iniusto inuasore cum moderamine inculpatæ tutelæ, licitum esse illum scienter occidere, idque confuse ità velle, sicut Deus scit sibi licitum esse, quomodocunque id licitum sit, nec oportere in particulari scire, aut examinare, qua intentione id actualiter faciat. Itaque nulli priuatæ personæ est licitum ex intention, hoc est, ex proposito eligendo occisionem, vt medium ad propriæ vitæ conseruationem, eam que directè volendo aggressorem iniustum occidere, quanuis possit id indirectè velle tanquam effectum, ex sua defensione per accidens subsequutum, vel saltim ità in confuso velle occidere, sicut Deus scit sibi licitum esse. Appello autem in præsenti, iniustum inuasorem, eum, qui iniustus est ex parte causæ, quia, scilicet, me sine iusta causa occidere vult, quanuis non sit iniustus ex parte sua, vel quia est furiosus, vel amens, vel inuincibiliter putans se iustam causam habere me occidendi. Hunc enim etiam me defendendo, modo supra posito licitè occidere possum. Et quidem, quòd hæc sententia Diui Thomæ hoc modo intellecta sit vera, atque tenenda, probatur multipliciter. Primò sic: Ex intention, siue proposito, vel electione (quod idem est) occidere hominem, quantumcunque criminosum, nociuúq; reipublicæ nulli priuata autoritate est licitum; quia hoc, vt diximus, naturali illo diuinoque præcepto; Non occides, prohibetur: sed id solo est licitum habenti curam reipublicæ, vel iustitiæ ministerium: ergo nec etiam erit licitum

Sententia Autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum alicui priuata autoritate ex intentione, vel electione occidere aggressorem in propriam defensionem. Probo consequentiam: Nam magis tenetur homo ad reipublicæ, cuius pars est, quam ad propriæ vitæ conseruationem, cùm pro salute reipublicæ teneatur quilibet suam vitam corporalem exponere. Ad hanc rationem autores primæ opinionis respondent, concesso antecedenti, negando consequentiam. Dicunt enim, quòd pro suæ vitæ defensione quilibet inualus, etiam si priuatus homo sit non priuata autoritate, sed publica, iure sibi naturali, atque diuino ad id concessa iniustum aggressorem occidit: sicque licite ex intentione id facit. Itaque, sicut iudex, vel iustitiæ executor ex officio est minister reipublicæ, vt ex iustitia possit licitè malefactores occidere: ita etiam quicunque ex concessione legis naturalis, & humanæ per legem diuinam approbatæ, vel saltem non reprobatæ, fit minister ipsius reipublicæ, vt in casu necessitatis, cum debito moderamine iniustum inuasorem occidere possit. Pro defensione autem reipublicæ nulli priuato est licitum quemquam ex intentione occidere, nisi aliquo modo autoritatem publicam ad id habeat à republica, vel ab habenti curam ipsius. Quia non priuati hominis, sed habentis aliquod ministerium publicum, est decernere, quando & quomodo, & per quos reipublicæ defensio & conseruatio facienda est. Hæc tamen solutio, quantum ad id, quod dicit, priuatos homines publica autoritate in casu necessitatis occidere aggressores, est omnino insufficiens; cum occidere autoritate legis id concedentis, nec sit, nec sonet idem, quod occidere autoritate publica, nisi fortè dicamus, quòd comedens cibos prohibitos in necessitate autoritate legis id concedentis, publica autoritate id faciat, quod est omnino absurdum. Secundò pro sententia Diui Thomæ sic argumentor: Non est licitum fornicari, mentiri, vel peierare ad finem conseruandi vitam, quando aliter seruari non potest, vt communiter dicunt Doctores: ergo nec etiam est licitum homini priuato ex intentione occidere aggressorem, vt propriam vitam conseruet. Probo consequentiam: Quia hæc omnia vno, & eodem iure sunt prohibita. Nec valet, si dicatur, quòd ideò fornicatio, vel periurium ad saluandam vitam, non est licitum, quia id medium à natura ad eum finem, nec est per se ordinatum, nec necessarium: occisio autem inuasoris sic. Nam ex eo, quòd aliquod medium non sit à natura ordinatum ad aliquem finem, non redditur illius electio illicita, quando alias id medium ad talem finem fuerit, vel necessarium, vel conducens, nec prohibitum. Vt est videre in marito ad salutem extremè coitu indigente, qui quidem poterit eo fine licitè ad suam vxorem accedere, quamuis id medium ad talem finem à natura non fuerit ordinatum. Et sic non ex ea parte, qua fornicatio, vel periurium non est medium per se ordinatum à natura ad vitæ defensionem, eius electio erit violanda, sed ex alia, nempe, quia id alias æquè, aut magis est prohibitum, quam permittere se occidere, vel mori. Nunc autem eadem ratio est in præfata consequentia, scilicet, quod eodem iure æquè, aut magis prohibetur hominis occisio ex intentione, priuata autoritate facta, quàm permittere se occidi ab aggressore. Et sic vel vtrumque negari, vel vtrumque concedi eadem ratione debebit. Tertiò: Qui non, nisi cum debito moderamine potest aliquid licitè velle, aut agere, is non dicitur id velle, nec verè per se dire ctè, & ex intentione vult effectum inde subsequutum, vt dicitur in cap. si culpa tua. de iniur. & damn. dat. Sed qui inuasus se defendens licitè occidit inuasorem, necessario id debet facere cum debito moderamine: ergo non ex intentione. Tandem hoc ipsum probatur autoritate Diui Augustin. in Epistola ad Publicolam, quæ est numero. 164. & refertur in cap. de occidendis. 23. quæstione. 5. Qui sic ait: De occidendis hominibus, ne ab alijs quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt non per se hoc faciat, sed pro alijs, vel pro ciuitate, vbi ipse etiam est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ. Quæ verba intelligenda esse de eo, qui ex intentione alterum occidit affirmat D. Thom. hic ad primum. Idem etiam affirmat in Epistol. ad Macedonium, quæ habetur in cap. cum homo. eadem causa, & quæstione. Et expressiùs, atque latiùs libr. 1. de libero arbitrio, capit. quinto.

¶ Et ad primum argumentum pro prima opinione factum respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Tum, quia, si ea aliquid valeret eadem ratione concluderetur, licitum esse cuiquam agere contra quemcunque iniustè calumniantem, vel insidiantem, aut machinantem mortem ipsius, illumque occidere. Itemque sequeretur, licitum esse fornicari ad conseruandam vitam, siquidem conseruatio vitæ potest esse efficaciter volita, indiè rique tum ad finem, non redditur illius electio illicita, quando alias id medium ad talem finem fuerit, vel necessarium, vel conducens, nec prohibitum. Vt est videre in marito ad salutem extremè coitu indigente, qui quidem poterit eo fine licitè ad suam vxorem accedere, quamuis id medium ad talem finem à natura non fuerit ordinatum. Et sic non ex ea parte, qua fornicatio, vel periurium non est medium per se ordinatum à natura ad vitæ defensionem, eius electio erit violanda, sed ex alia, nempe, quia id alias æquè, aut magis est prohibitum, quam permittere se occidere, vel mori. Nunc autem eadem ratio est in præfata consequentia, scilicet, quod eodem iure æquè, aut magis prohibetur hominis occisio ex intentione, priuata autoritate facta, quàm permittere se occidi ab aggressore. Et sic vel vtrumque negari, vel vtrumque concedi eadem ratione debebit. Tertiò: Qui non, nisi cum debito moderamine potest aliquid licitè velle, aut agere, is non dicitur id velle, nec verè per se dire ctè, & ex intentione vult effectum inde subsequutum, vt dicitur in cap. si culpa tua. de iniur. & damn. dat. Sed qui inuasus se defendens licitè occidit inuasorem, necessario id debet facere cum debito moderamine: ergo non ex intentione. Tandem hoc ipsum probatur autoritate Diui Augustin. in Epistola ad Publicolam, quæ est numero. 164. & refertur in cap. de occidendis. 23. quæstione. 5. Qui sic ait: De occidendis hominibus, ne ab alijs quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt non per se hoc faciat, sed pro alijs, vel pro ciuitate, vbi ipse etiam est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ. Quæ verba intelligenda esse de eo, qui ex intentione alterum occidit affirmat D. Thom. hic ad primum. Idem etiam affirmat in Epistol. ad Macedonium, quæ habetur in cap. cum homo. eadem causa, & quæstione. Et expressiùs, atque latiùs libr. 1. de libero arbitrio, capit. quinto.

Ad. 1. arg. factum pro 1. sententia.

¶ Et ad primum argumentum pro prima opinione factum respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Tum, quia, si ea aliquid valeret eadem ratione concluderetur, licitum esse cuiquam agere contra quemcunque iniustè calumniantem, vel insidiantem, aut machinantem mortem ipsius, illumque occidere. Itemque sequeretur, licitum esse fornicari ad conseruandam vitam, siquidem conseruatio vitæ potest esse efficaciter volita, indiè rique

rique vt medium ad illam necessarium fornicationem; quod tamen nos in superioribus diximus esse falsum. Tum etiam, quia ex illo antecedenti solum colligitur, quòd eo modo debet homo necessariò velle illam occisionem, quo iudicat eam ad finem efficaciter volitum necessariam. Stat autem, quòd cum hoc, quòd vere iudicat hominis occisionē necessariā, vt mediū ad vitæ conseruationē, simul etiā iudicet illā necessariā, vt effectū necessario, quāuis per accidēs cōsequutū, ad defensionē efficaciter volitā. Et cum simul etiam sciat talem occisionem ex intentione factam alias sibi esse prohibitā, vt paulò ante dicebam, poterit etiam stare, quod eam nolit, vt medium, sed solum, vt effectum ad actionem defensionis propriæ per accidens subsequutum; & sic quod de facto licitè illam velit per accidēs, volitione cum inuoluntario admixta; quia, scilicet, illam nollet, si se aliter defendere posset. Nō enim necessitatur voluntas velle aliquid sub omnibus rationibus, quibus ostenditur esse volendum: sed potest ex sua libertate velle sub hac, & non sub illa ratione sibi ostensa. Potestque etiam diuidere, vbi intellectus componit. Et sic falsum est, (vt videtur tacitè subsumi in minori) quòd solum iudicat homo illam occisionem esse mediū necessarium ad vitæ defensionem: sed etiam & potiùs iudicat esse effectum illius: & sub hac ratione per accidens cum admixtione inuoluntarij vult eam, vt dictum est. Et si quis loqui voluerit, supposito, quòd solum iudicet homo occisionem aggressoris esse medium necessarium ad propriam defensionem, nō admitto casum. Nā repugnat hypothesi, scilicet, q. inuasus licitè occidat inuasorē autoritate priuata, quod esse nō potest, si illū occidat ex intentione, vel illā occisionē eligat, vt mediū ad defensionē, quod idē est.

Ad. 2. arg.

¶ Ad secundum respondetur, negando maiorem; quatenus dicit licitum esse ex intentione, velle etiam repercutere. Non enim hoc licet; sicut nec velle occidere. Quamuis bene liceat velle vim vi repellere, & velle eludere ictus inuasoris, & velle se defendere, percutiendo, & occidendo; ità, scilicet, vt occisio, atq; percussio sint effectus tantum defensionis, defensio autem sit obiectum intentionis, vel electionis. Plurimum enim refert, hoc, vel illo modo dicere, stando in rigore verborum. Falsa est etiā minor, qua dicitur vitæ defensionem esse inuasoris occisionem, aut percussionem, cū differant hæc formaliter, & occisio sequatur ex defensione per accidēs, tanquam effectus illius. Ex quo fit, vt etiam per accidēs cum admixtione inuoluntarij possit esse volita, vt diximus.

¶ Ad tertium argumentū respondetur primò, quidquid sit de maiori propositione, negando minorem, quatenus in ea dicitur, inuasoris occisionem esse tunc medium ad defensionem vitæ. Nam est etiā effectus illius, & vt talis, & non vt mediū, potest esse per accidens volita, ad modū iam explicatū. Vel secundo respondetur, quòd illa propositio posita in maiori: Eodem præcepto, quo præcipitur finis, præcipitur etiam mediū ad illum, est intelligenda, dummodo alias non sit æquè, aut magis prohibitū illud mediū, quam finis ipse est in præcepto. Fornicatio enim, aut periurium non rectè eligitur ad conseruationē vitæ, etiam si ad id sit aliquomodo mediū conducēs, & necessariū, & nō alia ratione, nisi quia æquè, aut magis hęc media prohibita sunt, quam vitæ conseruatio præcipitur, vt supra in secunda probatione dictum est. Vnde, quia in proposito occisio inuasoris ex intentione facta, æquè, aut magis prohibetur, quàm propriæ vitæ conseruatio præcipitur, sit, vt non licitè eligi possit, vt medium ad vitæ conseruationem.

Ad. 3. arg.

¶ Ad quartum argumentum, supposito, quòd illa maior propositio; E duobus malis etiam culpæ minus est eligendum, vera est de illis malis culpæ, quæ aliqua ratione à sua malitia exui possunt, quia tunc maior obligatio deobligat à minori: & illud minus malum, ex quo respectu maioris habet aliquam rationē boni, est eligendū, aut permittendum: non autem de malis culpæ, quę ex nulla causa possunt licitè fieri: & sic potiùs debet homo mori, quàm alterum eligere, respondeo concessa maiori, negando minorem. Nam, quāuis verū sit, quòd se vel alterū cōmisiuè ex intentione priuata autoritatē occidere, nunquam potest licitè fieri, & sic nullo modo est hoc præeligendū alterō, siue illud sit grauius, siue minus graue, omissiuè tamē occidere, hoc est, esse causam mortis suæ, vel alterius permittēdo se, vel alterū mori ex iusta & rationabili causa, bene potest licitè facere, etiā in casu, quo esset licitum vtriusq; vitæ prouidere, vt diximus in superioribus. Nō enim tenetur homo omni modo posibili, nec in omni casu, aut eueta cū magna ferè omniū temporaliū iactura, aut maximo cū labore propriā, vel alienā vitā seruare, sed modis tantū, & cibis & medicamentis, quæ cōmuniter & cōmodè haberi possunt. Et quādo obijcitur, quòd ex ordine charitatis tenetur homo magis suæ vitę, quā alienæ consulere, respondeo, vel quòd ille ordo solū est attendendus secundū vitam spi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritualem, & non ſecundum bona temporalia, quæ non per ſe, ſed tanquam media pertinent ad perpetuam felicitatem, vel, quòd qui patitur mortem, ne alterum interficiat, non plus diligit proximum, quam ſe, vt in principio huius articuli dictum eſt. Et hæc ſufficiant pro iſtius difficultatis explicatione.

Articvlvs. VIII.

¶ Vtrùm aliquis caſualiter occidens hominem, incurrat homicidij reatum?

4. diſt. 25. q. 2. art. 2. q. 2. ad 3.

Ad Octavvm ſic proceditur. Videtur, quòd aliquis caſualiter occidens hominem, incurrat homicidij reatum. Legitur enim Geneſ. 4. quòd Lamech credens interficere beſtiam, interfecit hominem: & reputatum eſt ei ad homicidium: ergo reatum homicidij incurrit, qui caſualiter hominem occidit.

2 ¶ Præterea, Exodi. 21. dicitur, Si quis percuſſerit mulierem prægnantem, & aborſum fecerit: ſi mors eius fuerit ſubſequuta, reddat animam pro anima. Sed hoc poteſt eſſe abſque intentione occiſionis: ergo homicidium caſuale habet homicidij reatum.

3 ¶ Præterea, In decretis diſtinctio. 50. * inducuntur plures canones, quibus caſualia homicidia puniuntur. Sed pœnæ non debentur niſi culpæ: ergo ille qui caſualiter hominem occidit incurrit homicidij reatum.

In Decret. d. 50. cap. Miror, & cap. Clericum, & ca. De his clericis, & ca. Siquis viduam. Epiſt. 154. nõ multum procul à fine epiſtol. tom. 2.

¶ Sed Contra eſt, quòd Auguſt. * dicit ad Publicolam, Abſit, vt ea quæ propter bonum aut licitum facimus, ſi quidem propter hoc præter noſtram voluntatem quicquam mali acciderit, nobis imputetur. Sed contingit quandoque, vt propter bonum aliquod facientibus homicidium conſequatur caſualiter: ergo non imputatur facienti ad culpam.

Lib. 1. tex. 49. & 50. tom. 2.

¶ Respondeo dicendum, quòd ſecundum Philoſophum in ſecundo * Phyſic. Caſus eſt cauſa agens præter intentionem. Et ideò ea quæ caſualia ſunt ſimpliciter loquendo, non ſunt intenta, neque voluntaria. Et quia omne peccatum eſt voluntarium ſecundum Auguſtinũ conſequens eſt, quòd caſualia, in quantum huiuſmodi, non ſunt peccata: contingit tamen, id quod non eſt actu, & per ſe volitum vel intentum, eſſe per accidens volitum vel intentum, ſecundum quod cauſa per accidens dicitur remouens prohibens. Vnde ille qui non remouet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat remouere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter. Vno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo quando non adhibet debitam ſolicitudinem. Et ideò ſecundum iura, ſi aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidij reatum: ſi verò det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitę, non adhibens diligentiam debitam, nõ euadit homicidij reatum, ſi ex eius opere mors hominis conſequatur.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd Lamech non adhibuit ſufficientem diligentiam ad homicidium vitandum, & ideò reatum homicidij non euaſit.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ille qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ. Et ideò ſi ſequatur mors mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidij crimen, præcipuè cum ex tali percuſſione in promptu ſit, quòd mors ſequatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſecundum canones imponitur pœna his qui caſualiter occidunt, dantes operã rei illicitæ, vel non adhibentes diligentiam debitam.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem reſpondet D. Thom. per quatuor propoſitiones. Prima concluſio: Nihil caſuale, in quantum huiuſmodi, poteſt eſſe peccatum; bene tamen quatenus quidquam habuerit admiſtum voluntarij. Probatur: Peccatum in tantum eſt peccatum, in quantum voluntarium, vt dicit D. Auguſtinus contra Fauſtum: ſed caſus ſecundũ Ariſtotelem 2. Phyſic. text. 49. & 50. eſt cauſa præter intentionem, atq; adeò præter voluntatẽ agentis: ergo caſualia, vt ſic nullã poſſunt habere rationem culpæ, bene tamen quatenus habuerint aliquid voluntarij admiſtũ. Secunda concluſio: Qui dans operam rei licitæ, adhibenſque alioqui ſufficientem diligentiam, aliquem occidit, non eſt homicidij reus. Hæc concluſio ſequitur ex priori. Eſt enim tunc homicidium reſpectu illius, purè caſuale nihil habens voluntarij admiſtum: & ſic nec poteſt habere rationem culpæ. Tertia concluſio: Qui dans operam rei licitæ, negligens, occidit hominem, eſt homicidij reus. Quarta concluſio: Qui dans operam rei illicitæ alterum, quamuis caſualiter occidit eſt homicidij reus. Has duas vltimas cõcluſiones probat D. Th. vna & eadẽ ratione. Quæ talis eſt: Tam in eo, qui dans operam rei licitæ per negligentiam occidit hominem, quàm in eo, qui dans operam rei illicitę caſualiter alterum interficit homicidium eſt voluntarium: ergo habet rationem culpæ in vtroque. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: Contingit id, quod actu per ſe nec volitum, nec intentum eſt per accidens eſſe volitum, & intentum quatenus non impedit quis quod impedire poterat, & debebat, ne illud ſequeretur: ſed hoc inuenitur tam in eo, qui dans operam rei licitæ per negligentiam occidit hominem, quàm in eo, qui dans operam rei illicitæ caſualiter alterum interficit, cùm primus non adhibeat diligentiam, quam tenetur adhibere; & ſecundus det operam illis rebus, quas vitare tenebatur, ne homicidiũ ſequeretur: ergo reſpectu vtriuſque homicidium eſt voluntarium: atque ex conſequẽti peccatum.

Explicatio Articvli.

Quid ſit homicidiũ caſuale.

Homicidium caſuale, de quo in iſto articulo eſt ſermo, eſt quod fit præter intentionem, & voluntatem operantis. Poteſtque eſſe duplex, vt D. Thom. affirmat. vnum carens culpa, quod largè ſumpto vocabulo appellatur homicidium caſuale, cũ tamen propriè non ſit dicendum, niſi occiſio hominis cauſalis (eſt enim homicidium nomen, quod in ſua ratione culpam includit.) Et contingit quotieſcunque occiſio taliter ſit à cauſa, vt nec in ſe, nec in ſua cauſa fuerit voluntaria. Vt quando quis dans operam rei licitæ, & omni adhibita diligentia alterum occidit. Vt ſi verbi gratia, reparans rectum poſitis ſignis in via, ſubmittens regulas, ſtultè incedentem vitra ſigna interfeciſſet. Alterum eſt culpabile, quod propriè dicitur homicidium caſuale. Et contingit, quando non eſt volitum in ſe, ſed in ſua cauſa. Vt ſi dictus reparator ſigna non poſuiſſet. Accidere enim poteſt, vt dicit D. Thom. in hoc articulo, quod non eſt per ſe actu volitum & intentum, eſſe volitum, & intentum per accidens, in quantum cauſa remouens, vel non remouens prohibens dicitur cauſa per accidens. Et ſic ei, qui non remouet, quæ remouere debet, ex quibus ſequitur homicidium, dicitur illud quodam modo voluntarium. Poteſt autem huiuſmodi culpabile homicidium caſuale contingere dupliciter, vt conſtat ex tertia & quarta concluſionibus, ſcilicet, vel, quia datur opera rei illicitæ, vel ſi dãtur licitæ, eſt non adhibita ſufficienti diligentia. Ponit autem Caietanus in præſenti tres conditiones neceſſariò requiſitas ad hoc, vt homicidium caſuale alicui imputetur, tam ad culpam, quàm ad pœnam. Prima eſt, quòd non ſit in eo intentio occidendi: quia alias iam non eſſet caſuale homicidium, ſed voluntarium. Secunda, quòd ex opere illius, cui imputatur mors, ſequatur. Et ratio eſt: Nam, cùm tale homicidium non ſequatur ex intentione illius, vt dicitur in prima conditione, ſi nec etiam ſequitur ex eius opere, nulla relinquitur cauſa, propter quam ſit ei imputandum. Et ex hoc capite excuſatur ab homicidio percuſſor, non intendens occidere, quando mors ex mala cura, vel regimine ſequitur. Quare in particularibus caſibus iudicandis oportebit diligenter aduertere, an ex illius, cui homicidium non imputatur, opere mors fuerit ſubſequuta. Tertia cõditio eſt, quòd occidens debuerit remouere id, ex quo homicidium ſequitur. Ad hoc enim, vt alicui occiſio imputetur non ſolum requiritur, quòd potuerit remouere illud, ex quo mors ſequitur, puta, ſectum lapidis, vel accinctum gladium; ſed etiam, quòd debuerit id auferre. Hoc eſt, quod diuino, vel naturali, vel humano iure fuerit obligatus ad remouendum illud, vel poſitiuè auferendo accinctum gladium, vel negatiuè abſtinendo ab actu lapidis. Et ratio huius conditionis eſt; Quia ad hoc, vt homicidium alicui imputetur, oportet, quòd ſit voluntarium directè, vel indirectè. Et cùm caſuale non poſſit eſſe directè voluntarium, neceſſariũ eſt, quòd ſit voluntarium indirectè. Conſtat autem ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 6. art. 3. quòd ad voluntarium indirectè non eſt ſatis, quòd voluntas poſſit aliquid prohibere ſed etiam requiritur, q̃ debuerit id prohibere, alioqui nõ imputabitur ei. Quare in huiuſmodi caſibus iudicãdis cõſiderare oportebit,

Tres conditiones neceſſariæ, vt homicidiũ caſuale alicui imputetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

an is, cui homicidium imputatur, teneatur ad abstinendum ab opere, vel ad remouendum illud, ex quo mors est subsequuta. Ex hoc enim capite excusatur ab homicidio, qui petenti à se centum aureos, alioqui cogetur ire ad occidendum aliquem, vel aliquos, vt totidem lucretur, negat, vel nō dat. Nam quanuis possit dare, & sic prohibere homicidia, non tamen tenetur.

Dubium. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm quodcunque homicidium casuale, quod homini imputatur ad culpam, sit semper peccatum mortale? Et pro parte affirmatiua est argumentum: Homicidium ex genere suo est peccatum mortale, vt diximus in superioribus; sed illud verè & propriè est homicidium: ergo peccatum mortale. Hoc tamen non obstante, dico cum Caietano in

Conclusio. præsenti, quòd ille, qui casualiter, & præter intentionem alterum occidit, non peccat maiori peccato, quàm fuit actus ille; ex quo homicidium fuit subsequutum. Itaque, si clericus prohibitus equitare, equum ascendit in casu, quo talis ascensus non erat, nisi peccatum veniale; tale homicidium non erit, nisi peccatū veniale. Et similiter si venator dans operam rei licitæ, ex negligētia, quia non satis circunspexit, occidit hominem, & negligentia non fuit nisi venialis, homicidium similiter non erit, nisi veniale. Si autem causa culpam habuerit mortalem, leuiorem tamen, quam est ex genere suo homicidium, non erit in ipso homicidio culpa grauior, quàm fuit in causa. Hanc sententiam probat Caietanus ex doctrina D. Thom. in pluribus locis, & præterea ex D. Augustino lib. 22. contra Faustum, cap. 44. Qui loquens de congressu Loth cum suis filiabus dicit, eius peccatum non fuisse tantum, quantum fuit incestus, sed quantum in culpa fuit ebrietas illius. Et ratio est manifesta: Nam cum peccatum in tantum sit peccatum, in quantum voluntarium, & homicidium casuale non sit voluntarium in se, sed in sua causa, sequitur, quòd non potest habere maiorem malitiā, quam causa. Ex hoc infertur, quòd si monachus; aut clericus dans operam venationi, quæ respectu vtriusque est venialiter illicita, sufficienti adhibita diligentia, emittant sagittam in nemore, & occidāt hominem, tale homicidium erit peccatum veniale. At vero laicus in eodem casu eadem adhibita diligentia, nec etiam venialiter peccabit. Quia causa ex qua homicidium fuit subsequutum in illo nullum fuit peccatum. Ex hoc infert Caietanus, & bene, quòd si religiosus sacerdos bona fide

Corollar.

mouerit infirmum, vt melius iaceat, adhibueritque sufficientem diligentiam, ne moriatur, non est cur ex hoc scrupulum capiat, an mors fortè ex tali motione fuerit acceleratа. Quidquid enim licitum est conuersis in hoc opere, est etiam licitum sacer dotibus. Nec vllus debet esse irregularitatis timor, vbi nulla est culpa negligentiæ, quæ ita faceret reum conuersum, sicut clericum. Et siquis quærat, quamnam diligentiam debeat adhibere homo, vt alterum occidens præter intentionem, non sit reus homicidij? Respondeo cum Caietano in præsenti, huiusmodi diligentiam secundum arbitrium viri prudentis esse pensandam, habita ratione negotij, loci, personæ, temporis, facti, aliarumque circunstantiarum. In quibusdam enim negotijs diligens erit, qui aliquid, vt consueuit fieri, facit. Vt est videre in pulsante campanas iuxta solitum ordinem; qui nullius est reus negligentiæ, etiam si inde alterius mors subsequatur, vt dicitur in cap. Ioannes, extra de homicidio. At verò in alijs, aliquid periculi quanuis à remotis annexum habentibus, vt quis dicatur diligens, necessarium erit, quòd ea sic disponat, & faciat, vt circunspiciat quę rationabiliter considerari debent. Fortuita enim, quæ viri prudentes communiter non cogitant, si eueniant, non erunt nobis imputanda: quia homines sumus, humanaque ratione gubernamus nos, & nostra. Itaque generaliter illa dicetur sufficiens diligentia, quam probi viri sufficientem iudicauerint. Ex quo infero, quòd parentes infantulos teneellos in lecto tenentes, si illos occidant homicidij rei erunt; quia non adhibent sufficientem diligentiam. Nec secundum arbitrium viri prudentis excusantur. Quin potius addiderim, quòd etiam si illos non occidant peccant mortaliter, quia manifesto periculo incerficiendi se exponunt. Nisi fortè aliàs ex honestis circunstantijs excusentur, scilicet; quia lectus est extensus, nec parentes habent puerum prope se, nutrixque consueuit in eodem loco & situ inueniri, quo se incipiendo dormire posuit, & implacabilitas pueri aliud exigit. His enim concurrentibus non esset irrationabile periculum timere. Propter quod in capite, consuluisti. 2. quæstione. 5. non omnino præcipitur parentibus, ne pueros in lecto teneant, sed tantū dicitur, quòd admoneantur, & protestentur, ne negligētia prouenientе mors subsequatur. Et simile est in omnibus alijs actibus licitis periculosis; quales sunt ruinæ domorum, iactus lapidum: in quibus quidē tantò maiori opus

est

est consilio & solicitudine quanto periculum propinquius timetur. Et hæc dicta sint de homicidio casuali, quantum ad culpam.

Dubium. Quando incurratur irregularitas ex hominis occisione. ¶Sed superest nunc pro complemento huius materiæ explicare quando ex hominis occisione, siue voluntaria sit, siue inuoluntaria, siue culpabili, siue inculpabili, irregularitas incurratur? Ad cuius declarationē supponendum est, quòd hominis occisio in genere potest esse triplex. Vna voluntaria, & per se intenta; siue sit licita, vt in iudice, & in eo, qui se, & sua defendit; siue illicita, vt in eo, qui iniustè interficit alium. Altera

Occisio hominis triplex. est merè casualis, & præter intentionem: qualis est illa, quæ nec in se, nec in sua causa est volita. Tertia est, quæ quanuis directè & per se non sit voluntaria, est tamen volita indirectè, & per accidens. Et contingit, quando non impedit quis eam occisionem, quam potest & tenetur vitare, quæ, vt paulo ante dicebam, est & dicitur propriè homicidium casuale. Hoc supposito, vt certa ab

1. dictum certum. incertis seperemus. Dico primò, certum esse, quòd ex occisione in re casuali, qualis est illa quæ nec in se, nec in sua causa est volūtaria, nulla incurritur irregularitas. Ita habetur expresse in cap. lator, & in cap. dilectos, & in cap. ex literis. 1. & 2. & in cap. significasti. & in capit. Ioannes, de homicidio. Et ratio est: Nam licet ad irregularitatem incurrendam nullum exigatur peccatum, vt posteà dicemus, requiritur tamē, quòd operationes illæ, à quibus irregularitas oritur, sint humanæ ex iudicio rationis, & non ex sola sensualitate procedentes. Homo enim non quatenus sensualis, sed quatenus rationalis irregularitatem incurrit. Et sic necessarium est, quòd operationes illæ, propter quas infligitur, rationales sint, hoc est, ab homine habente vsum rationis profectæ. Ex quo infero. 1. quòd homo furiosus hominē occidēs irregularis non est, vtpote qui nullum habet vsum rationis, quo eius actio voluntaria esse possit, vt dicitur in Clementina, si furiosus. de homicidio. Et eadem ratio est de infante hominem interficiente, vt in eodem loco habetur. Infero secundo, quòd homicidium casuale priuata autoritate factum, nunquam imputatur ad irregularitatem, nisi habeat culpam admixtam; quia alias non erit voluntarium. Infero tertio, quòd dormiens alterum occidens, quia is intellectu, & ratione caret, ac furioso similis est, vt dicitur in cap. merito. & in cap. sane. 15. q. 1. nec etiam incurrit irregularitatē. Quod & habetur expresse in Clementina. si furiosus. iam citata. Cuius verba sunt: Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, seu occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Quod est intelligendum, nisi in casu, quo ipse vigilans satis cognitū haberet, quòd dormiens arma caperet hominesque persequeretur. Tunc enim, si nō adhiberet diligentiam, quam debuit in præcauendo, ne dormiens alteri noceret, proculdubio esset irregularis, veniretq; punięndus, licet non pœna ordinaria; vt ex communi sententia Canonistarū docet Couarruuias in relectione de homicidio. p. 3. in principio. nu. 6. Dico secūdo, etiā, esse certum, ꝙ

2. dictum certum. quæcunque hominis occisio voluntaria, siue sit culpabilis, sine inculpabilis inducit irregularitatem, vno dumtaxat casu excepto, quòd est, dum quis in proprię vitæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem interficit. Et quidem, quòd quæcunque hominis occisio voluntaria, siue fiat cum peccato, siue sine illo, siue per se, siue per alium, mandato, consilio, defensione, promissione, cooperatione, animatione, & auxiliatione, sit inductiua irregularitatis, cōstat ex c. 1. de homicidio. & ex notatis ibidem per Doctores, vt est videre in Syluestro. verbo. homicidium. 3. q. 2. Quod autem ab hac generalitate excipiatur casus, quo quis in proprię vitæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem interficit, probatur ex Clementina. si furiosus. de homicidio. iam citata. Vbi postquam dixit summus Pontifex, nec furiosum; nec infantem, nec dormientem homicidijs à se factis incurrere irregularitatem, subiungit statim: Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, aut mutilat inuasorem. An autē ille, qui in proprij honoris defensionem cum alias fugiendo mortem euadere posset, & qui pro bonis temporalibus conseruandis, vel pro amicis licitè aggressorem interficit, irregularitatem incurrat, varietate opinionum disputatur à Doctoribus, vt est videre apud Couarruuiam in relectione. de homicidio. par. 3. §. vnicus, num. 4. 5. & 6. Verior tamen, & tutior sententia est, quòd qui in sui defensionem occidit alterum, quando fugere potest, quanuis non peccet, fit irregularis; & si militer ille, qui in defensionem bonorum, aut amicorum aliquem interficit. Et ratio est: Nam cum de iure communi antiquo omnis, qui voluntariè interficit, siue cū peccato, siue sine illo, sit irregularis, & in Clement. illa. si furiosus. solum excipiatur qui alterum in sui defensionem occidit, quando aliter vitam saluare non potest, fit, vt in cæteris casibus maneat firmum ius commune. Et si quis obijciat, quòd in Concilio Tri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dent. sessione. 14. cap. 7. de reformatione. datur facultas ordinario, vt dispenset in homicidio, quod quis committit se defendendo; ex quo videtur concludi, quòd etiam in hoc casu irregularitas incurratur, respõdeo, quòd hæc constitutio intelligitur, quando est ambiguum, an qui se defendit excesserit modum inculpatæ tutelæ. Nam quando certò constat, quòd aliter vitam tueri non poterat, nulla erit prorsus necessaria dispensatio. ¶ Dico tertio, etiam esse certum, quòd quotiescunque ex vulnere à me illato non sequitur mors, etiam si euasio mortis fuerit miraculosa, non efficior irregularis. Irregularitas enim per homicidium tantum incurritur, vt diximus supra art. 4. quod in isto casu non inuenitur. Et idem est dicendum, quando ex vulnere, quod ego intuli non sequitur mors, sed aliunde, scilicet, vel ex imperitia chirurgi, vel ex malo regimine infirmi, vt dicitur in cap. presbyterum, & in cap. ad audientiam. de homicidio. Et ratio est: Quia tunc non qui percutit, sed, vel chirurgus, vel ipse infirmus est homicida. Et si quis obijciat: Quando vulnus re vera est graue, quanuis infirmus non sibi satis caueat, nec fuerit adhibita illa curatio, quæ si adhiberetur euaderet, nihilominus dum mo ritur, re vera ex vulnere moritur: ergo quãtumuis negligentia infirmi, vel medici fuerit causa homicidij, ipse etiam percussor erit reus illius, atque ex consequenti irregularit. Et confirmatur: Nam enim nec infirmus teneatur tota cautela possibili sibi cauere, nec optimum exquirere medicum, imò nec medicus solertissimã adhibere curationem, videtur dicendum, quòd, quanuis non simpliciter ex vulnere, sed adiunctis alijs negligentijs, mors fuerit subsequuta, nihilominus percussori erit imputanda, qui per iniuriam causam dedit. Respõdeo, q̃ quãdo ex vulnere aliquo homicidium subsequitur, medicorum iudicio erit standum; vt in capit. significastitu. 2 admonetur ad bunomodum. Quod si vulnus re vera lethale erat, & ex quo, vt in plurimum, homines mori solent, non obstante quacunque negligentia ex parte infirmi existente, homicidium vulnerãti erit imputandum. Si autem vulnus ex se lethale non erat, & ob negligentiam infirmi, vel medici mors subsequitur, tunc quantum ad culpam percussoris nihil fortuitus ille euentus refert, cũ tota præfuerit in actione, qua vulnus fuit illatum. Cæteram quantum ad irregularitatem excusatur, vt modo dicebam. Vulneratus enim postquam semel vulnus accepit, iure naturæ tenetur vigilanter suæ consulere saluti, & chirurgus simili-

3. *dictum certum.*

ter ob fidem muneris sibi iniũcti: quod nisi fecerint homicidij rei erunt. ¶ Dico quarto, etiam esse certum, quòd quotiescunque aliquis, siue dans operam rei licitæ, siue illicitæ non adhibita sufficienti diligentia, aliquem casualiter interficit, incurrit irregularitatem. Itaque semper quòd homicidium est per accidẽs voluntarium, ex ea ratione, quòd occidens non adhibuit diligentiam, quam poterat, & tenebatur adhibere, ne ex suo facto homicidium subsequeretur irregularitas incurritur. Ita tenent communiter omnes Doctores, vt est videre apud Couarruuiam in relectione de homicidio. par. 2. §. 4. num. 2. Et ratio est: Quia non est dubium, quin in eo casu homicidium fuerit aliqua ratione voluntarium, quanuis per accidens iuxta doctrinam traditam à D. Tho. ex mente Aristotelis. 1. 2. quæst. art. Si quis autem quærat, an sit necessarium, quòd negligentia, ex qua homicidium sequitur, semper sit culpa mortalis, vt irregularitas incurratur, vel potius sufficiat venialis, respondeo, quòd quanuis Soto lib. 5. de Iustitia. q. 1. art. 9. ante solutionem ad argumenta, dicat, esse difficile creditu, quòd irregularitas, quæ ceu pœna propter culpam imponitur, incurratur ex sola veniali; contrarium tamẽ est verum, atque tenendum: Quod affirmat Caietanus in præsenti. Nam dicit, casuale homicidium semper imputari danti operã rei illicitæ quo ad pœnã irregularitatis, & culpam aliquam, quamuis non semper ad culpam mortalem. Quibus verbis satis apertè declarat, posse irregularitatem ex homicidio prouenientem ex sola culpa veniali incurri. Et, vt ingenue fatear, neminem aliũ vidi, qui de hac re dubitaret, nisi solum Magistrum Somm. Et immeritò quidem. Nam cum irregularitas non sit pœna aliqua propter delictum imposita, sed tantum canonicum impedimentum ex facto, seu defectu proueniens, quo quis prohibetur ad ecclesiasticos ordines promoueri, & in eisdẽ ministrare, vt ex mente quam plurium Doctorum colligit Couarruuias in relectione de homicidio parte prima in principio, num. 12 non est, cur miremur, si ex homicidio, quod solum procedit ex culpa veniali, incurratur. Maximè, cùm videamus in iudice, & alijs ministris iustitiæ irregularitatem incurri, sine aliquo peccato, etiam leui, imò ex actu honesto, & studioso iustitiæ: qualis est malefactorum interfectio. Itaque hæc certa sunti

4. *dictum certum.*

¶ Sed quod habet difficultatem in præsenti est, an semper, quòd aliquis dans operam rei illicitæ quantacunque adhibita diligentia, ne ex opere suo homicidium sequatur,

Pũctum difficultatis.

tur,

Sententia Caietani, & Canonistarum.

1. argum.

tur, alterum interficit, fiat irregularis? Caietanus in præsenti tenet partem affirmatiuam, quam communiter sequũtur Canonistæ in cap. dilectus. & in cap. significasti. 1. de homicidio. Et probari potest hæc sententia. Primò, ex c. tua nos. in principio. de homicidio. vbi monachus, qui tumorẽ, pietatis causa, ferro aperuit, quia vulneratus mortem obijt, irregularis censetur, etiam si omnem diligentiam adhibuerit, quam chirurgus peritissimus adhibere tenebatur. Nec huius rei alia ratio potest assignari, nisi, q̃ dedit operam rei illicitæ, non simpliciter, sed sibi, quia chirurgus esse nõ poterat. Tex. est in cap. sententiam sanguinis, ne clerici vel monachi. Vbi dicitur: Nullus clericus rupturij, vel balistarijs, aut huiusmodi viris sanguinum præponatur, nec vllam chirurgiæ artem diaconus, subdiaconus, vel sacerdos exerceat, quę ad vstionẽ, vel incisionem inducit. Qua ratione Panormitanus ibi colum. penultima, & finali, ac Paulus Parisius consil. 96. colum. vlt. lib. 4. tenent, clericum in minoribus constitutum beneficium ecclesiasticum habentem, esse irregularem, si ex chirurgiæ officio, cui operam dat, aliquis mortem obierit, ablque eius culpa, tanquam, qui artem sibi interdictam exerceat.

2. argum.

¶ Potest secundo ea sententia probari ex textu in cap. sicut. de homicidio. Vbi illicitè ludens cum fœmina prægnante, censetur irregularis, si ex tali lusu casu contigerit fœtus animati abortus. Quod intelligendum est, etiam si nullam culpam in eo ludo homicidio præstiterit, vt habet communis omnium Doctorum interpretatio. Quasi hæc irregularitas minime cõtraheretur à fratre, vel consanguineo, qui cum fœmina prægnãte licitè eodem lusisset modo. ¶ Tertiò: Ad idem conducit textus in capitulo. dilectus. de homicidio. Vbi decisum habetur, non esse clericum irregularem, qui cum equitaret, absque eius culpa, puerum equi impulsu occidit, quia, scilicet, operam dabat rei licitæ. Quibus verbis significari videtur, quòd si operam rei illicitæ dedisset, & is casus contigisset, foret irregularis. Eadem ferè responsio traditur in cap. significasti. primo, eodẽ titulo. Et sic verum videtur semper, quod aliquis dans operam rei illicitæ, quantacunque adhibita diligentia, ne ex opere suo homicidium sequatur, alterum interficit, fieri

3. argum.

Vltimũ argumẽtum

irregularem. ¶ Et tandem ratione sic argumentor: Qui dans operam rei illicitæ, alterum occidit, etiam si omnem adhibeat diligentiam, ne ex eius facto homicidiũ sequatur, verè est reus homicidij, vt D. Thom. in hoc articulo affirmat. Cuius verba sunt quæ sequũtur. Secundũ iura, si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidij reatum. Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, nõ euadit homicidij reatum, si ex eius opere mors hominis consequatur: ergo dans operam rei illicitæ, etiam si omnẽ adhibeat diligentiam ex mente D. Thom. erit irregularis.

¶ Sed contra istam sententiam, quæ communis est Canonistarum possunt fieri multa, & efficacissima argumenta, ad probandum non semper, quòd homo dat operam rei illicitæ, si alias adhibet omnem diligentiam, ne eius facto homicidium sequatur, fieri irregulare. Et, vt efficacius probent intentum oportet præmittere, tanquam certum ex communi omnium Doctorum sententia, nullum homicidium casuale à priuata persona commissum imputari ad irregularitatem, nisi aliquam peccati malitiam habeat annexam. Itaque quicunq; excusatur à culpa talis homicidij, excusatur etiam à pœna irregularitatis ex illo prouenienti. Dixi nõ tanter, casuale. Nam homicidium voluntarium, quale est illud, quod homo facit in propriarum rerum, vel honoris, vel amici defensionem, bene potest inducere irregularitatem, etiam si culpabile non sit, vt paulò ante dicebam. Et ratio est: Quia homicidium ad hoc, vt sit inductiuum irregularitatis, debet esse voluntarium. Illud autẽ, quod casuale est, non potest esse voluntarium, nisi peccati malitiam habeat annexam. Itaque requiritur in homicidio casuali malitia peccati: non, quia ipsa per se sit necessaria, vt irregularitas incurratur: sed, quia arguit voluntarium in opere, ex quo homicidium sequitur, quod est conditio necessario requisita ad irregularitatem contrahendam. Ex quo colligi videtur, quòd, si contingat aliquando esse malitiam in opere, ex quo homicidium casuale oritur; & tamen ea non obstante adhuc homicidium remanet omnino inuoluntarium, illud non esse magis inductiuum irregularitatis, quàm si nullã culpam haberet annexam: si quidem adhuc deerit illi id, quod intrinsecè est necessarium, vt irregularitas incurratur. ¶ Hoc constito, sic argumẽtor: Quando aliquis dans operam rei illicitæ alterum casu interficit; vel irregularitas tunc oritur ex culpa, quam habet in eo, quod dat operam rei illicitæ, vel ex illa, quæ contingit in negligentia nõ præcauendi quæ homicidio casuali poterãt causas dare. Non oritur ex hoc posteriori; quia,

Nullũ homicidiũ casuale imputatur ad irregularitatem nisi habeat culpã annexam.

Argumẽta contra sententiã Caietanorũ.

vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt supponimus, homicidium à casu, & præter voluntatem ac intentionem accidit, adhibitaque fuit omnis diligentia, quæ ad id præcauendum adhiberi potuit, ac debuit: ergo habet ortum ex culpa priori. Sed potest sæpè sæpiùs contingere, quod illa priori culpa dandi operam rei illicitæ existente, adhuc homicidium sit omnino inuoluntarium, non minus, quàm si occidens daret operam rei licitæ: ergo tunc nulla ratione poterit esse inductiuum irregularitatis. Et confirmatur: Nam, si ex sola illa priori culpa irregularitas oriretur, sequeretur, eam in multis casibus esse constituendam, de quibus viri vtriusque iuris peritissimi meritò dubitant; imò plerique illorum absolutè dicunt, irregularitatem non incurri: consequens autem est irrationabile: ergo. Probo sequelam. Et ad id efficiendum sit primus casus in eo, qui aduersus regiam prohibitionem chartas ad ludendum illicite conficeret, ad quas alijs posteà ludentibus orta contentione, vnus alterum interficit. In hoc casu, qui chartas lusorias confecit dedit operam rei illicitæ, ex qua præter eius intentionem, fuit subsequuta mors, quam ipse maiori adhibita diligentia præcauere non potuit. Itaque habuit primam culpam, quæ in dando operam rei illicitæ consistit: & non habuit secundam, quæ est, non adhibuisse sufficientem diligentiam: & tamen non incurrit irregularitatem, vt optimè probat Socin. in capi. ad audientiam, numero. 49. ergo prior illa culpa simpliciter non est sufficiens inducere irregularitatem. Secundus casus est in eo, qui cum esset artifex ex ferro furto sublato ensem formauit, quo postea emptor alterum interfecit. Ille quidem dedit operam rei illicitæ, ex qua posteà præter eius intentionem fuit mors subsequuta, & tamen non incurrit irregularitatem, vt docet Alfonsus à Castro, libro. 2. de potestate legis pœnalis. cap. 14. versic. hic tamen admoneo: ergo solum hoc, quod est dare operam rei illicitæ, non est sufficiens causa, vt casualiter interficiens incurrat irregularitatem. Item: Qui alterius vxorem per adulterium polluerit, etiam si ex ea causa maritus illam occiderit, non fit irregularis, vt idem Alfonsus à Castro in dicto cap. docet; quia tale homicidium non sequitur per se & necessario ex adulterio; sed tantum occasionaliter præter intentionem adulteri: & tamen si illa prior culpa ad irregularitatem sufficeret, proculdubio talis adulter fieret irregularis: ergo illa præcisè non sufficit. Præterea sumo argumentum ex capit. ex literis. 2. vbi monachus excusatur ab irregularitate, quia cum campanam de campanili deponeret, coniecto ligno inopinato puerum interfecit. Fac opus illud fuisse seruile, aut ex quauis alia circunstantia illicitum; an propterea esset irregularis? Profecto minimè credendum est. In capit. dilectus. iam citato, etiam excusatur ab irregularitate clericus, qui sanitatis gratia equum ascendens inopinatè alterum interemit. Fac equitationem illam eidem clerico fuisse nocuam, fecisseque eum contra iussionem medici, quando equum ascendit; an proterea diceretur irregularis? Profectò nulla ratio est, vt credas, vt latè probant Soto libr. 5. de Iustitia, quæstione. 1. articulo. 9. & Couarruuias in relectione de homicidio, parte. 2. §. 4. numero. 9. cum tale peccatum ex natura sua nihil ad homicidium contulerit: ergo ex eo præcisè, quod quis dans operam rei illicitæ alterum casu occiderit non fiet irregularis. Item: Si hoc solum sufficeret ad irregularitatem contrahendam seque retur, quod si quis cædens arborem; quæ erat sua, optimè circunspexit, ne quemquam opprimeret; quauis posteà cadens arbor transeuntem fortè compresserit, non erit irregularis. Et tamen si arbor non erat sua eadem præcedente diligentia, fiet irregularis; quoniam dabat operam furto. Item sequeretur, quòd si nobilis secularis dans operam venationi in proprio nemore merè casualiter hominem interficeret, non esset irregularis ad sacros ordines susciendos: & tamen si nemus esset alienũ, & contra domini voluntatem feras illic deprædaretur fieret irregularis, quia dabat operam rei illicitæ: hæc autem sunt falsa, & contra communem Doctorum sententiam: ergo non est dicendum ex eo præcisè, quòd quis dans operam rei illicitæ alterum interficit, fieri irregularem.

Sententia autoris.

¶ Propter hæc argumenta videtur mihi hæc sententia vera, atque tenenda. Quocirca, vt explicem quando ex eo, quòd quis dans operam rei illicitæ alterum casualiter interficit, incurrat irregularitatem, quod D. Thom. in hoc articulo videtur vniuersaliter affirmare, estque cõmunis sententia Canonistarum, vt dicit Couarruuias in relectione, de homicidio. par. 2. §. 4. numero. 1. Dico, tunc tantum homicidium casuale danti operam rei illicitæ fore ad irregularitatem imputandũ, quando ille actus illicitus ex natura sua fuerit ordinatus ad læsionem, vel homicidiũ, vt explicat Socin. in dicto cap. ad audientiam. de homicidio.

Quãdo homicidiũ casuale inducat irregularitatem.

cidio. num. 49. Vel, quando homicidium ex illo opere illicito per se & necessario, & nõ per accidens fuerit subsequutum, vt dicit Alfonsus à Castro libr. 2. de potestate legis penal. cap. 14. Vel denique, quando illicitum, quod est per se volitum, ità fuerit periculosum, vt natura sua ex illo, vel sæpè, vel frequenter mors sequatur. Vt si, verbi gratia, clericus dat operam rei bellicæ, aut torneamenta, aliaque pugnæ simulacra exerceat, quæ clericis vetita sunt: tunc enim etiam, si imprudens & nesciens, alium præter suam intentionem occideret, fieret irregularis, quia dabat operam rei illicitæ. Itaque, vt homicidium casuale ratione rei illicitæ, sit irregularitatis inductiuum, necessarium est, quòd opus, cui consultò opera datur, ex genere suo sit periculosum. Et huc tendunt omnes iuris Pontificij decisiones, quæ propter homicidium casuale ex opere illicito etiam præter intentionem operantis, adhibitaque per eum diligentia, quæ potuit, & debuit adhiberi, subsequutum, irregularitatem decernunt, vt probat textus in cap. vltimo. de homicidio. in. 6. cùm dicitur, quod homicidium sequutum præter intentionem imputatur danti operam rei illicitæ, id est, mandato inferendi iniuriam, quia mandando in culpa fuit, & hoc euenire posse debuit cogitare. Et ratio huius est, Quia, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 20. artic. 5. soli illi euentus ex aliquo opere subsequuti minimèque ab operante prænogniti, sed præter eius intentionem contingentes, operanti imputantur, qui per se & necessario ex priori opere sequuntur, aut saltem in pluribus ex illo eueniunt, euenireque solent, quia solum isti possunt habere rationem voluntarij. Vnde cum homicidium, vt irregularitatem inducat, debeat esse voluntariũ, & illud, quod casuale est, hoc habere nõ possit, nisi, vel, quia operans debitam diligentiam non adhibuit, vel, quia id opus exercet, ad quod naturaliter sequitur mors, vel sæpe, vel regulariter; sit, hoc esse necessariũ, vt casualitet occidens irregularitatem incurrat. ¶ Ex dictis infero primò, hoc esse discriminis inter dantem operam rei licitæ, & illicitè operantem, quantum attinet ad homicidiũ casuale inde subsequutũ: quòd danti operam rei licitæ ex eo solum imputatur homicidium, quòd non adhibuit diligentiam, quam tenebatur, & poterat adhibere, ad præcauendum, ne homicidium sequeretur. At verò illi, qui dat operam rei illicitæ, etiam imputatur ex hoc, quòd opus exerceat, ad quod ex propria natura, vel semper, vel frequenter homicidium sequitur. Plurimum autem interest inter hæc duo. ¶ Infero secundò, quòd quantum attinet ad irregularitatem incurrendam ex eo, quòd quis dat operam rei illicitæ, ille solus actus dicitur illicitus, qui ratione alicuius periculi, vel mortis, vel abscisionis membrorum fuerit prohibitus. Nam si non ratione periculi, sed ex alia causa est prohibitus, profectò talis prohibitionis transgressio non facit homicidium magis voluntarium, quàm si id præceptum non esset. Et sic nec inducit irregularitatem; quæ, vt diximus, ex solo homicidio voluntario ortum habere potest. ¶ Infero tertiò, quid dicendum sit de clerico; qui venationi illicitæ operam dans, absque eius culpa, omni diligentia præmissa, taculo hominem confixit, illumque occidit, existimans esse feram. Nã si venatio erat prohibita ob pericula homicidij, vulnerum, aut mortis, quæ ex simili venandi modo regulariter contingere solent; qualis est venatio vrsorum, aut aprorum, proculdubiò talis clericus fieret irregularis. Cæterum, si venatio solum esset interdicta propter honestatem, vt clericis interdicitur, vel propter custodiam animalium; nunc non dicerem talẽ venatorem fieri irregularẽ, si nulla alia culpa in dicto actu contigisset, nisi quod venator interdictæ venationi operam dabat. Et ratio est: Quia illa culpa illicitæ venationis ad homicidium non pertinet, sed tantum ad transgressionẽ præcepti, de non venando, quæ ad irregularitatem ex homicidio casuali inferendam sufficiens non est, vt paulò ante dicebam. Quod & colligi potest ex eo, quòd, si venatio interdicta nõ esset, nulla inde irregularitas contraheretur, vt omnes concedunt. Irregularitas autem non ad culpam transgressionis præcepti, quæ secundum ecclesiasticas sanctiones illã producere non potest, sed ad culpam homicidij reducenda est.

2 corollar.

3. corollar.

1. corollar.

¶ Sed restat nunc respondere, ad argumenta in contrarium facta. Vnde ad primũ quod erat desumptum ex cap. tua nos. de homicidio. dico, ideò monachum, qui tumorẽ ferro aperuit, ex quo vulnerati mors fuit subsequuta, iudicari irregularem, quia chirurgiæ ars, quæ adustionem, vel incisionem inducit, idcirco est prohibita clericis, quia ex ea, vt in plurimũ, vel mors, vel mẽbri abscisio sequitur. ¶ Ad secundũ, quod erat desumptum ex cap. sicut. de homicidio. respondetur, quòd irregularitas, de qua in eo textu est sermo, non deducitur ab ea culpa, quam homo habuit in eo, quod inhoneste, vel libidinis causa cum fœmina ludebat.

Ad. 1. arg. Canonistarum.

Ad. 2. arg.

Hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc enim ex sua natura nec ordinatur ad homicidium, vel aborsum, nec illius periculum continet; quod necessarium est, vt qui dat operam rei illicitæ, irregularitatem incurrat. Sed deducitur ex eo, quod ille lusus cum fœmina prægnate periculosus est, prębetque frequentissimè occasionem aborsus & ideo est illicitus, atque prohibitus.

Ad.3.arg. ¶Ad tertium, ex capit. dilectus, dico, ex illo textu præcipuè Caietanum secutum Canonistas à contrario sensu collegisse omnẽ, qui dat operam rei illicitæ, quando ex eius facto sequitur homicidium, fieri irregularem. Cæterum argumentum à contrario sensu in his, quæ sunt de iure positiuo, ipsis etiam iurisprudentibus consentientibus, est inualidum.

Ad.4.arg. ¶Ad rationem respondetur, falsum esse, quòd qui dans operam rei illicitæ alterum occidit, etiam si omnem adhibeat diligentiam, ne ex eius facto homicidium sequatur, fiat homicidij reus, siue loquamur de reatu homicidij, quantum ad culpam, siue quantum ad pœnam. Nam quantum ad peccatum, si ille, qui dat operam rei illicitæ adhibuit diligentiam, quam debuit, & potuit, ne casuale homicidium se queretur, & nihilominus id casu contingit, solum illius actus illiciti, cui operam dabat reus erit, & non homicidij, quod omnino fuit præter eius voluntatem. Quantum autem ad pœnam, nec etiam incurrit irregularitatem, vt ex superioribus patet. Et quando D. Thom. dicit, quòd qui dat operam rei illicitæ, & etiam qui dat operam rei licitæ, debitam non adhibens diligentiam, non euadit homicidij reatum, loquitur solum de reatu pœnæ, qui est irregularitas, sequutus communem Canonistarum sententiam, vniuersaliter affirmantium, quęcunque dantem operam rei illicitæ fieri irregularem, si ex eius facto homicidium sequatur. Ex dictis potest constare, quando, & quomodo irregularitas ex homicidio incurratur.

Dubiũ de eo qui potest absolue ab irregularitate

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, quis nã possit ab hac irregularitate absoluere, siue supra illam dispensare? Et procedit quæstio præcipuè de habentibus bullam Cruciatæ, an, scilicet, per illam possint supra irregularitatem dispensari? Et pro parte affirmatiua est

Argumen. argumentum: In bulla Cruciatæ conceditur facultas eligendi confessorem, qui possit ab omnibus censuris ecclesiasticis absoluere: constat autem irregularitatem esse censuram: ergo etiam poterit absoluere ab irregularitate.

Irregularitas duplex. ¶Pro explicatione huius difficultatis, aduertendum est, quòd irregularitas est duplex. Vna quæ ponitur ratione delicti: qualis est illa, qua excommunicatus celebrans, aut suscipiens ordines efficitur irregularis. Et hæc verè est pœna, atque censura ecclesiastica. Altera est, quę tantum imponitur propter significationem, vel indecentiam; qualis est illa, quæ ex bigamia, vel sanguinis effusione, hoc est, homicidio incurritur. Et hæc non est proprie censura, nec pœna pro delicto imposita; sed solum est impedimentum Canonicum ex facto, seu defectu prouenies; quo quis prohibetur ad ecclesiasticos ordines promoueri, & in eisdem ministrare. Et est aduertendum, quòd quanuis cum hominis occisione sæpe contingat esse admixtam culpam, interdum mortalem, vt in homicidio voluntario, interdum autem venialem, vt de casuali diximus; nunquam tamen censetur irregularitas imponi in pœnam peccati in homicidio inuenti, sed solum ratione significationis. Quod inde colligere licebit, quòd non minus incurritur irregularitas propter occisionem hominis, cui nulla culpa est coniuncta, vt est videre in iudice, & in eo, qui in suorum bonorum, vel amicorum defensionem alterũ occidit, quam propter homicidium, quod est peccatum, siue mortale, siue veniale. Ex quo manifestè conuincitur, quòd nunquã irregularitas, quæ propter homicidium incurritur, est appellanda pœna, aut censura ecclesiastica, sed tantum canonicum impedimentum, siue contrahatur ex homicidio culpabili, siue inculpabili.

1.cõclusio. ¶Hoc constituto sit prima conclusio: Nullus per bullam Cruciatæ potest absolui à secundi generis irregularitate. Ita habent communiter omnes Doctores scholastici. Et constat ex consuetudine, qua videmus, quòd si est dispensandum cum iudice, qui latronem interfecit ad sacros ordines suscipiendos ad summum Pontificem est recursus. Et ratio est: Nam hæc irregularitas, proprie loquendo, nec est censura, nec pœna pro delicto imposita: nullus autem per bullam Cruciatę potest obsolui nisi, vel à pœna, vel à culpa.

2.Cõclusio ¶Secunda conclusio: Irregularitas primi generis absolui potest per bullam Cruciatæ. Ita tenet Soto in.4. distinctio.22. quæstione.3.articulo.1. Et ratio est: Nam bulla dat facultatem absoluendi ab omnibus censuris ecclesiasticis. Hæc autem irregularitas verè & propriè est censura, atque pœna, vt ex supradictis patet. Verum est, quòd Soto loco citato appellat irregularitatem ratione delicti impositam omnem illam, quæ ex homicidio priuata autoritate facto

facto incurritur. Et sic consequenter dicit, quòd quilibet idoneus confessor, potest per bullam Cruciatæ ab illa absoluere. Sed hæc sententia est falsa, & præter communem Doctorum opinionem, vnanimiter dicentium ab ea irregularitate, quæ ex homicidio contrahitur absolui non posse. Tum, quia nunquam propriè habet rationem pœnæ, quanuis ex peccato incurratur. Tum etiam; quia, nec est credibile, quòd summus Pontifex tam amplam facultatem confessarijs cõcesserit. Qui affirmaret per bullã Cruciatæ nulla irregularitate siue primi, siue secũdi generis posse confessariũ absoluere, satis probabilitèr & securè loqueretur. Tum quia mos Romanæ curiæ, quando concedit facultatẽ tollendi irregularitatẽ, hic est, vt dicat; Concedo facultatem dispensandi super irregularitate, siue irregularitatibus. Hæc autem verba in bulla non ponuntur; sed solùm conceditur facultas absoluendi à censuris ecclesiasticis. Tum etiam; quia propositum summi Pontificis in bulla Cruciatæ videtur esse, dare facultatem confessario per ipsam electo, vt absoluat pœnitentem ab omnibus criminibus, tollatque omnia impedimenta huius absolutionis. Certũ est autem, quòd irregularitas nullam præstat impedimentum ad sacramẽtum pœnitentiæ reciplendum. Diximus tamen, quòd irregularitas primi generis potest absolui per bullam Cruciatæ, quia id est valde probabile, & communi Doctorũ interpretationi conforme.

3.Cõclusio ¶Tertia conclusio: Episcopus habet autoritatem dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto prouenie̊te, excepta illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario. Ita habetur expresse in concilio Tridentino sessione.24.cap.6.de reformatione. Caietanus in summa verbo irregularitas dicit duo. Primum est, quòd qui habet autoritatem dispensandi in omni irregularitate citra homicidium voluntarium, poterit etiam dispensare in omnibus alijs casibus instæ occisionis humanæ; qualis est illa, quæ fit à iudice. Nam homicidium tantum significat iniustam occisionem. Dicit secundo, quòd qui habet talem facultatem, etiam poterit dispensare supra quodcunque homicidium casuale, quanuis fuerit indirectè volitum. Quoniam tale homicidium in iure nõ dicitur voluntarium, sed casuale. Hæc sententia Caietani quibusdam videtur certissima, mihi tamen quantum ad primum dictum videtur apertè falsa. Ius enim Canoni cum non vtitur hoc vocabulo, homicidium, adeo strictè, & metaphysicè, sicut dicit Caietanus. Sed quæcunque hominis occisio, etiam iustè à iudice facta, appellatur homicidium. Et cùm sit voluntariũ, solus ille poterit super irregularitate ex illo prouenie̊te dispensare, qui dispẽsat supra homicidiũ. volũtariũ, qui est solus summus Põtifex, vt cõstat ex vsu & consuetudine. Quod autẽ in iure non solum appelletur homicidiũ insuꝑ sta hominis occisio, sed etiã quæcunq; alia iustè facta, probatur ex Clementina, si furiosus, de homicidio, vbi hominis occisio, quã quis in propriam defensionem facit, homicidium appellatur. Et tamen certum est, talẽ esse iustam, & inculpatã occisionẽ. Homicidium tamen casuale, quanuis non sit peccãtũ, vocatur homicidiũ, vt est videre in toto titulo de homicidio voluntario, & casuali. Et sic fundamentum Caietani est nullũ. Et hæc dicta sint de tota materia de homicidio.

QVÆSTIO. LXV.

De Mutilatione membrorum, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

¶Vtrùm mutilare aliquem membro suo, in aliquo casu possit esse licitum.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd mutilare aliquem membro suo in nullo casu possit esse licitum. Damascen. enim dicit * in secundo libro, quòd peccatum committitur per hoc, quòd receditur ab eo, quod est secundum naturam in id, quod est contra naturam. Sed secundum naturam à Deo institutum est, quòd corpus hominis sit integrum membris. Contra naturam autem est, quod sit membris diminutũ: ergo mutilare aliquem mẽbro, semper videtur peccatum.

Lib.2.c.4. & 30. & lib.4.c.21

2¶ Præterea, Sicut se habet tota anima ad totum corpus, ita se habent partes animæ ad partes corporis: vt dicitur * in secundo de anima. Sed non licet aliquem priuare anima, occidendo ipsum, nisi publica potestate: ergo etiã non licet aliquem mutilare membro, nisi

Li.2.te.9. tom.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi forte secundum publicam potestatem.

3 ¶Præterea, Salus animæ præferenda est saluti corporali. Sed non licet aliquem mutilare se membro propter salutem animæ, puniuntur enim secundum statuta * Niceni Concilij, qui se castrauerunt propter castitatem conseruandam: ergo propter nullam causam aliam licet aliquem membro mutilare.

In Decretis di. 55. ca. Si quis abscinderit. Et ca. Si quis per ægritudinem.

¶Sed Contra est quòd dicitur Exodi. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedē pro pede.

¶Respondeo dicendum, quòd cùm membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum. Vnde disponendum est de mēbro humani corporis, secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidē vtile est ad bonum totius corporis: per accidens tamen potest contingere quòd sit nociuum, puta, cum membrum putridum est totius corporis corruptiuum. Si ergo membrum sanum fuerit, & in sua naturali dispositione consistens, non potest præscindi absque totius corporis detrimento. Sed quia ipse totus homo ordinatur, vt ad finem, ad totam cōmunitatem cuius est pars, vt suprà dictū * est, potest contingere, quòd abscisio membri, etsi vergat in detrimentū totius corporis, ordinatur tamen ad bonum communitatis, in quantum alicui infertur in pœnam ad cohibitionem peccatorum. Et ideo sicut per publicam potestatem aliquis licitè priuatur totaliter vita propter aliquas maiores culpas, ita etiam priuatur membro propter aliquas culpas minores. Hoc autē non est licitum alicui priuatæ personæ, etiam volente illo cuius est membrū: quia per hoc fit iniuria communitati, cuius est ipse homo & omnes partes eius. Si verò membrum propter putredinem sit totius corporis corruptiuū, tunc licitum est de voluntate eius, cuius est membrum putridum, membrū præscindere propter salutem totius corporis, quia vnicuique commissa est cura propriæ salutis. Et eadem ratio est si fiat voluntate eius, ad quem pertinet curare de salute eius, qui habet mēbrum corruptiuum: aliter autem aliquem membro mutilare est omnino illicitum.

Q. 61. a. 1. & 2. & 4. præced. ar. 1. 2. & 5. Quæstio.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd nihil prohibet id quod est contra particularem naturam, esse secundum naturam vniuersalem, sicut mors & corruptio in rebus naturalibus est contra particularem naturam eius quod corrumpitur, cum tamen sit secundum naturam vniuersalem. Et simiiter mutilare aliquem membro, etsi sit contra naturam particularem corporis eius, qui mutilatur, est tamen secundū naturalem rationem in comparatione ad bonum commune.

¶Ad secundum dicendum, quòd totius hominis vita non ordinatur ad aliquid proprium ipsius hominis, sed ad ipsam potius omnia quæ sunt hominis ordinantur. Et ideo priuare aliquē vita, in nullo casu pertinet ad aliquem, nisi ad publicam potestatem, cui committitur procuratio boni communis. Sed præcisio membri potest ordinari ad propriam salutem vnius hominis. Et ideo in aliquo casu potest ad ipsum pertinere.

¶Ad tertium dicendum, quòd mēbrum non est præscindendum propter corporalem salutem totius, nisi quādo aliter toti subueniri non potest. Saluti autem spirituali semper potest aliter subueniri, quàm per membri præscissionem: quia peccatum subiacet volūtati. Et ideo in nullo casu licet membrū præscindere, propter quodcunque peccatum vitādum. Vnde Chrysostomus * exponens illud Matthæi. 19. Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum: dicit non per membrorū absciſionem, sed malarū cogitationem interemptionem. Maledictioni enim est obnoxius qui membrum abscindit. Etenim homicidiæ sunt, qui casta præsumunt. Et postea subdit, Neque concupiscentia mansuetior ita fit sed molestior. Aliunde enim habet fontes sperma quod in nobis est, & præcipuè à proposito incontinenti & mente negligente. Nec ita absciſio membri comprimit tentationes, vt cogitationis frænum.

Homil. 63. in Mat. circa med. to. 2.

Summa Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet Diu. Thom. per tres propositiones. Prima conclusio: Sicuti publica potestate potest quis licitè ob graue crimen vita priuari: ita etiam & propter leuius poterit membro truncari. Probatur: Sicut partes humani corporis sunt membra illius, atque adeò in eius seruitium, atque administriculum creata: ita etiam & singuli ciues sunt membra totius reipublicæ, in eiusque seruitium & vtilitatem relata: ergo sicut de membris corporis dispensamus ad modum, qui saluti totius fuerit congruentior: ita etiam, & de singulis ciuibus erit dispensandum, quatenus saluti reipublicæ fuerit conuenientius: sed membrum sanum absque detrimento corporis, cui commodum est, abscindi non potest, membrum autem infectum est abscindendum, quia toti nocet: ergo pari ratione, quando ciues reipublicæ nocumentum intulerit, sicut publica auctoritate potest omnino extingui, si crimen id mereatur, poterit etiam membro mulctari, si peccatum non sit ita graue, quamuis membrum quod abscinditur, ex altera parte corporali sanitate vigeat, sitque vtile personæ.

¶Secunda conclusio: Quando membrum aliquod naturali morbo corruptum fuerit ex voluntate ipsius ægroti ad eius vitam seruandam poterit abscindi. Probatur: Vnusquisque habet ius propriam vitam seruandi: ergo quando absciſio membri ad id fuerit necessaria, perinde atq; alia medicamēta poterit quisque illam sibi optare.

¶Tertia conclusio: Extra hos duos casus, nullus nec publica, nec priuata auctoritate, etiam ex consensu illius, qui mutilandus est, potest, vel seipsum, vel alterum membro priuare. Probatur: Vita totius ex membrorum integritate constat: ergo sicut homicidium nulli est licitum, se vel alterum interficiendo: ità etiam nec mutilatio.

Explicatio Articvli.

Materia hæc de mutilatione membrorum appendix est ad materiam de homicidio, pertinensque ad complementum illius. Quare ferè idem dicendum est de ista, quod de illa diximus, tam quantum ad culpam, quàm quantum ad pœnam irregularitatis. Hoc vno excepto, quòd, cùm membra ordinentur ad vitam naturalem, tanquam ad proprium finem, licitum erit sæpe sæpiùs priuatis hominibus velle perpeti tacturam membrorum, quando ad propriæ vitæ conseruationem fuerit necessarium, vt Diu. Thom. in secunda conclusione affirmat. Et est latissimum discrimen inter morbum corporale, & spirituale, quantum attinet ad mutationem. Nam propter morbum spirituale vitandum non ipsis priuatis personis, sed solum reipublicæ est licitum suos ciues mutilare, cum tamen ob morbum corporale vice versa sit licitum infirmo membrum sibi ex medici consilio permittere abscindi, nec respublica illum ad id cogere posit. Et ratio est: Nam, cùm vnus quis in particulari sit propriæ vitæ custos: respublica autem sit custos boni communis, fit, vt ad vnumquemque priuatum hominem pertineat consulere vitæ corporali, ad respublica autē consulere bono communi. Et si quis quærat, an, vel respublica ciuem, vel pater filium, vel prælatus subditum posit compellere, vt quando ad salutem fuerit necessarium membrum sibi abscindi permittant, respondeo de patre atque republica certum esse, nullum ad hoc habere ius, cùm eorum munera ad consulendam priuatæ saluti, vel ciuis, vel filij non ordinentur directè, & per se. De prælato autem propter singularem obedientiam, quam sibi subditus promisit, dico, quod posse subditum compellere, vt ea medicamenta reciperet, quæ necessaria essent, etiam si in illorum susceptione aliqualis difficultas inueniretur. Tamen ad hoc, vt ingentissimum dolorem in membri amputatione, vel corporis incisione ferret, nullo præcepto posset astringi: quia nullus tenetur cum tanto cruciatu, aut vitam seruare, aut prælato parere. Nō enim est digna salus tanto dolore, vt Marcium quendam Romanum dixisse fertur. Et propterea D. Tho. in secunda conclusione dixit, quòd quando membrum aliquod naturali morbo est corrup-

Discrimen inter morbum corporale & spirituale.

Ce tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum ex voluntate ægroti, & non aliter ad eius vitam seruandam licitè potest abscindi.

Dubiũ circa 3. cõclusio D. Tho.

¶Sed circa tertiam conclusionem, quæ absque aliqua exceptione generalem continet doctrinam dicens, nulla de causa præter iam exceptas, esse alicui licitum, vel à se, vel ab altero membrum truncare, est difficultas, vtrùm vera sit. Et pro parte negatiua est argumentum. De Origene refert Eusebius lib. sexto, historiæ Ecclesiasticæ capit. sexto, quod præscidit se, vt castitatem seruaret; ad literam adimplens illud Euangelij: Sunt quidam eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum: & tamen eius factum à multis fidelibus laudatur. Item Diu. Marcius, vt in eius historia habetur amputauit sibi pollicem, ne sacris initiaretur: ergo propter salutem spiritualem licitum est aliquando se mutilare.

1. argum.

2. argum.

¶Secundò: Si quis haberet alligatã manu ferro, videretque flammã ignis iam iam ipsum inuadentem, aut hostes irruentes, quos aliter quam membrum sibi amputando effugere non posset, licite illud efficeret: & qui à canibus detentus mortem timeret, proculdubio posset sibi vnam partem præscindere, vt libere euaderet. Item, qui domi occlusus ab hostibus interficiendus detinetur, licitè potest cum manifesto periculo fractionis membri, per fenestram se dimittere; ac tandem si tyrannus minaretur alicui mortem, nisi manum à se præscinderet, licitè illud facere posset: ergo in pluribus alijs casibus ab illis, quos Diu. Thom. excipit est licitum hominibus se mutilare.

3. dictum.

¶His tamen non obstantibus. Ad explicationem difficultatis dico primò: Nunquam esse licitum alicui, vel propter agones carnis vitandos, vel propter quodcunque aliud bonum spirituale consequendum, aut se præscindere, aut membrum sibi amputare. Hoc diffinitur in Concilio Niceno, cuius decretum habetur in capit. si quis à medicis, quinquagesima quinta distinctione, & in concilio Arelatensi. 2. capit. 7. & in canonibus Apostolorum. cano. 22. & 23. Rationesque huius veritatis habentur apud Diu. Thom. hic ad. 3. & copiosius apud Diuũ Augustinum lib. vnico de virginitate. capit. 23. &. 24. & apud Diu. Basilium in opusculo de virginitate. Ex quo infertur peccasse Origenem mortaliter, se castrando, nisi forte ex ignorantia inuincibili, aut ex instinctu spiritus sancti excusetur. Quo etiam modo excusandus erit Diuus Marcius in eo, quod sibi pollicem abscindit, si vera est hæc historia. De quo valde dubito. De hac re videndus est Couarruuias libro primo Variarum resolutionem, capit. 2. numero. 8. & libr. 2. capit. 1. nume. 11. & in relectione, de homicidio. part. 1. num. 6.

2. dictum.

¶Dicò secundo, in alijs casibus in secundo argumento numeratis, vltra vltimum, licitum esse cuiquam membrum sibi abscindere, nec id est contra sententiam Diu. Thomæ, quia omnes illi continentur in secunda conclusione, cum ferè idem sit, quod homo ratione ægritudinis membrum abscindat, & quod id faciat ad vitandum mortis periculum, metu non ab extrinseco, sed ab intrinseco illato. Qualis est ille, quem patitur is, qui habens manum alligatam ferro, vel ad fugiendum ignem iam iam accedentem, vel hostes properantes ad se interficiendum, illam abscindit; & qui à canibus detentus membro truncatur, vt liber euadat, ac denique, qui occlusus domi ad mortem vitandam cum periculo fractionis cruris, aut brachij per fenestram fugit. In his enim casibus ratio naturalis dictat id esse faciendum pro totius conseruatione, & pro maiori malo vitando. De vltima autem instantia, quæ adducitur de tyranno mortem alicui minante, nisi membrum sibi abscindat, iam diximus in superioribus, id non esse licitum, quia metus tunc non ab intrinseco, sed ab extrinseco incutitur. Et quando membri abscisio solum ab extrinseco est necessaria, faciendo non est.

Ex dictis patet solutio ad argumenta.

De irregularitate propter mutilationem.

¶De irregularitate tam mutilantium, quam mutilatorum, vt dicamus aduertendum est primo, quòd qui mutilat alterum, siue iustè, siue iniustè faciat, non causa infirmitatis, nec propriæ vitæ defensionis, irregularis est, vt communiter dicunt Doctores cum Syluestro, verbo. homicidium, tertio. §. quinto, & cum glossa supra Clementinam, si furiosus, de homicidio, habeturque hoc expresse in capit. aliquantos. quinquagesima prima distinctione, & in pluribus alijs capitibus iuris, maximè titulo de homicidio. Itaque est eadem ratio occisionis, & mutilationis, quantum ad irregularitatem, quæ ex illis incurritur. Et meritò quidem. Nam cum vnumquodque hominis membrum sit pars vitæ illius, fit consequens, vt mutilator quadantenus sit dicendus homicida, hoc est membri occisor, atque adeo irregularis. Non sufficit autem, ad irregularitatem incurrendam, quòd

quòd quis membrum debilitet, imò forte, nec quod ipsum citra detruncationem mortificet. Nam pœnæ sunt restringendæ: & iura solum loquuntur de mutilatoribus. Dixi, forte. Nam glossa loco citato, & Panormitanus in capit. cum illorum. de sententia excommunicationis, tenent, quòd qui reddit membrum ineptum, & aridum etiam citra detruncationem incurrit irregularitatem. Sed oppositum videtur mihi probabilius propter rationem modo dictam.

De mutilatis & corpore vitiatis.

¶De mutilatis autem. & corpore vitiatis etiam est lex Ecclesiastica, quæ illos irregulares censet, & reddit, ità, vt nec ad sacros ordines promoueri, nec promoti in eisdem ministrare possint. Quæ lex ex antiqua consuetudine originem duxisse videtur. Dicitur enim Leuitic. capit. vigesimo primo. Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias domino, nec panes Deo suo. Et paulò antea dixerat Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias suas: qui habuerit maculam non offeret Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, vel si paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, si hernioſus, &c. Idem etiam obseruabatur apud Ethnicos. Si quidem, vt dicit Plinius libro septimo naturalis historiæ. capit. vigesimo octauo. Sergius in prætura à sacris arcebatur, eò quòd debilis esset. Et Seneca lib. quarto. Declamationum declamatione prima, etiam præmittit apud Gentiles eam legem viguisse, vt sacerdos integer sit. Quasi dicens, vbique gentium esse visum, quòd sacerdotes sacrorum que ministri corpore sint integri, nullam maculam habentes, & qui nullam possint corporis fœditate notari. Idem etiam olim vim obtinuit apud Romanos, ab ætate Romuli ducta consuetudine, qui sacerdotes elegit genere excellentes simul, & virtute præstantes; nec tamen inopes, aut corpore vlla ex parte trunco, vt testatur Dionysius libro secundo Romanarum antiquitatum. Idem apud Persas vsu receptum fuisse tradit Alexander ab Alexandro libro sexto. Dier. genial. cap. 14.

1. cõclusio.

¶Sed, vt quid in hac re nunc sit obseruandum, paucis explicemus, sit prima conclusio: Corporis vitium impedit hominem sacris ordinibus donari; cùm id, vel impedimentum præstat ordinis exequutioni, vel insignem inducit deformitatem. Textus est in dicto capitulo vigesimo primo Leuitici. Cuius seriem morali quadam interpretatione prosequitur Diuus Gregorius capit. vndecimo, primæ partis Pastoralis, & refertur in capit. hinc etenim, quadragesima nona distinctione. Idem etiam probatur ex toto titulo de corpore vitiatis. Maximè capit. 2. & ex capit. si Euangelica. quinquagesima quinta distinctione. Quæ verò sit deformitas insignis arbitrio Episcopi relinquitur, vt patet ex capit. 2. de corpore vitiatis. & ex notatis ibidem per Doctores, qui vnanimiter id affirmant. Sed est aduertendum conclusionem à nobis positam habere vniuersaliter verum quo ad ordines suscipiendos. Nam quò ad susceptos solum inducitur irregularitas, quantum ad illum ordinis actum, qui, vel ob insignem deformitatem, vel defectum vitio corporis impeditur, vt notat Abbas in capit. 2. de cleric. ægrot. Et Socinus in capit. audientiam. de homicidio. 21. & Gonsalus à Villadiego tractat. de irregularitate. capit. de corpore vitiatis. Qua ratione qui patitur vitium corporis celebrationem impediens, nempe, in illis digitis, qui ad consecrationem, & eleuationem hostiæ fuerint maximè necessarij, solum abstinebit à celebratione missarum, & non à diaconatus, vel subdiaconatus ministerio. Et qui ob deformitatem insignem ab altari arcendus est, non impeditur absolutionis sacramentum ministrare. Qua in re omnes Doctores conueniunt.

2. cõclusio.

¶Secunda conclusio: Si quis membrum sibi culpa propria abscideri, irregularis est, etiã si ea abscisio nec impediat ministeriũ ordinis, nec insignem deformitatem inducat. Hæc conclusio ad eos propriè pertinet, qui propria voluntate pudenda, vltro sibi executerunt. Et probatur ex capit. pœnitentes, & ex capit. si quis abscideri, & ex capit. qui partem. quinquagesima quinta distinctione, & ex capit. maritum, distinctione. 33. & ex cap. vlt. dist. 37. Sub qua etiam conclusione comprehenduntur quicunque culpa sua ab alijs abscisionem istam passi sunt. Vt si, verbi gratia, quis ob adulterium à marito adulteræ iniuriam vleiscente viribus amputaretur, quod anno millesimo quingẽtesimo trigesimo septimo, tribus sacerdotibus prope Pinciam contigisse autor est Couarruuias in relectione. de homicidio. parte prima, numero sexto. Quòd autem isti similiter irregulares fiant, docent Ioannes Andreas, & Hostiensis in dicto capitulo ex parte. de corpore vitiat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Gonsalus à Villadiego loco modo citato. Si quis verò non sua culpa, nec sua sponte, sed, vel à medicis, vel per vim, aut insidias hostium, vel puer in cunabulis sectus fuerit, & virilia aliudue membrum amiserit, promoueri poterit, & promotus iam, cum is casus acciderit, in ordinibus susceptis ministrare: vt constat ex capit. ex parte primo, & ex capit. significauit. & ex capit. ex parte, secundo de corpore vitiatis. & ex capit. Eunuchus quinquagesima quinta distinctione. De hac re videndus est Couarruuias loco modo citato, & Syluester verbo. homicidium. 5. §. 5. Sed quoniam dictum est, tam mutilatores membrorum, quàm membris mutilatos fieri irregulares, dubium est, quid nomine membri in præsenti intelligamus? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Quidam enim dicunt, id solum in præsenti appellari membrum, quod est pars principalis corporis, habetque proprium, & speciale officium, vt pes ad ambulandum, manus ad apprehendendum, &c. Et secundum istam opinionem digiti membri rationem non habent, nec illorum mutilatores etunt irregulares. Hanc sententiam tenet glossa in Clementina de homicidio. & Syluester verbo homicidium. 3. §. quinto, & Angelus in summa. verbo. homicidium. 5. §. sexto. Alij sunt, qui contrarium affirmant. Et ratio illorum est: Nam cum membra sint illa, ex quorum positione totius corporis integritas consurgit, & ille, cui vnus digitus deest, non possit dici corpore integer, colligi videtur, quòd & digitus erit membrum, & qui illum abscideris irregularis. Sed, vt quid in hac re sit dicendum, explicemus, aduertendum est ex Caietano in præsenti, quòd, cùm illa pars corporis dicatur membrum, quæ actum habet, iuxta illud Pauli ad Romanos. 12. Omnia autem membra non eundem actum habent, & in iure Canonico inter membra computentur non solum membra habentia actum separatum, sed coniunctum; vt patet de testiculis, quorum officium non, nisi genitalibus exercetur; Eunuchi nanque inter mutilatos computantur, vt constat ex distinctione quinquagesima quinta, & ex toto titulo, de corpore vitiatis. fit consequens, vt nomine membri in materia mutilationis appelletur non solum membrum principale habens separatum officium; sed etiam membrum accessorium & consodale. Et quoniam digitus est membrum habens etiam proprium officium, euidentius, quam dicti testiculi, vt patet in exercitio musico, vbi digiti magis, quam manus exercentur, fit rursus, quòd digiti inter membra sint computandi: quare qui digitum absciderit erit irregularis. Secus verò erit de parte digiti, quæ ità est pars, vt nullius membri appellationem habeat, vt dicitur in capit. de presbytero. de corpore vitiatis. Et hæc dicta sint de toto isto articulo.

Articvlvs. II.

¶ Vtrùm liceat patribus verberare filios, aut dominis seruos.

Ad Secvndvm, sic proceditur. Videtur quòd non liceat patribus verberare filios, aut dominis seruos. Dicit enim Apostolus ad Ephesios nono, Vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Et infrà subdit, Et vos domini eadem facite seruis, remittentes minas. Sed propter verba aliqui ad iracundiam prouocantur, & sunt etiam minis grauiora: ergo neque patres filios, neque domini seruos debent verberare. *Infr. q. 72. ar. 2. ad. 2.*

2 ¶Præterea, Philosophus dicit in. 10.* Ethicorum, quod sermo paternus habet solum admonitionem, non autem coactionem. Sed quædam coactio est per verbera: ergo parentibus non licet filios verberare. *10. Eth. vlti. ante med. 10. 5.*

3 ¶Præterea, Vnicuique licet alteri disciplinam impendere. Hoc enim pertinet ad eleemosynas spirituales, vt supra dictum* est. Si ergo parentibus licet propter disciplinam filios verberare, pari ratione cuilibet licebit quẽlibet verberare: quod patet esse falsum, ergo & primum. *Q. 32. a. 2.*

¶Sed Contra est quod dicitur Prouerbiorum. 13. Qui parcit virgæ, odit filium suum. Et infrà. 23. Noli subtrahere à puero disciplinã. Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animã eius de inferno liberabis. Et Ecclesiastici 33. dicitur, Seruo malcuolo tortura & cõpedes.

¶Res-

¶Respondeo dicendum, quòd per verberationem nocumentum quoddam infertur corpori eius qui verberatur: aliter tamen quàm in mutilatione. Nam mutilatio tollit corporis integritatem, verberatio verò tantummodo afficit sensum dolorẽ. Vnde multo minus nocumentum est, quàm mutilatio membri. Nocumentum autem inferre alicui non licet, nisi per modum pœnæ propter iustitiam. Nullus autem iustè punit aliquem nisi sit eius iurisdictioni subiectus. Et ideo verberare aliquem non licet, nisi habenti potestatem aliquam super illum, qui verberatur licitè. Et quia filius subditur potestati patris, & seruus potestati domini, licite potest verberare pater filium, & dominus seruum causa correctionis & disciplinæ.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd cum ira sit appetitus vindictæ, præcipuè concitatur ira, cum aliquis se reputat læsum iniustè: vt patet per * Philosophum in. 2. Rhetoricæ. Et ideo per hoc quòd patribus interdicitur, ne filios ad iracundiam prouocent, non prohibetur quin filios verberent causa disciplinæ: sed quòd non immoderatè eos affligant verberibus. Quòd verò indicitur dominis, quòd remittant seruis minas, potest dupliciter intelligi. Vno modo, vt remisse minis vtantur: quod pertinet ad moderationem disciplinæ. Alio modo vt aliquis non semper impleat quod cõminatus est: quod pertinet ad hoc, quòd iudicium quo quis comminatus est pœnam, quandoque per remissionis misericordiam temperetur. *2. 1. c. 13. parum à prin. to. 6.*

¶Ad secundum dicendũ, quòd maior potestas maiorẽ debet habere coactionem. Sicut autem ciuitas est perfecta communitas, ita princeps ciuitatis habet perfectam potestatem coërcendi. Et ideo potest infligere pœnas irreparabiles, scilicet, occisionis, vel mutilationis. Pater autem & dominus, qui præsunt familiæ domesticæ, quæ est imperfecta communitas, habent imperfectam potestatem coërcendi secundum leuiores pœnas, quæ non inferunt irreparabile nocumentũ. Et huiusmodi est verberatio.

¶Ad tertium dicendum, quòd exhibere disciplinam volenti, cuilibet licet. Sed disciplinam nolenti adhibere, est solum eius, cui alterius cura cõmittitur. Et ad hoc pertinet aliquem verberibus castigare.

Summa Textvs.

Supposito per verberationem inferri nocumentum corpori illius, qui verberatur, aliter tamen quàm in mutilatione; nam mutilatio tollit corporis integritatem, verberatio verò solum afficit sensum dolore, respondet Diu. Thom. ad propositam difficultatem hac conclusione. Pater licitè potest verberare filium, & dominus seruum, causa correctionis & disciplinæ. Probatur in argumento, sed contra, ex illo Prouerbiorum. 13. Qui parcit virgæ odit filium suum. Et capit. 23. noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de morte liberabis. Et in corpore articuli hac ratione: Verberatio ad faciliorem castigationem promptioremque correptionem spectat: sed hanc possunt exercere patres in filios, & domini in seruos, vt pote qui in eos aliqualèm habent autoritatem: ergo & patres filios, & domini seruos licitè possunt verberare.

Explicatio Articvli.

Conclusio huius articuli est de fide tenenda, vt pote, quæ manifestis diuinæ scripturæ testimonijs probatur, quæ adducuntur à Diu. Thom. in argumento, sed contra. Sed est difficultas, vtrum stando in solo iure naturæ, sit licitum parentibus filios, vsque ad necem verberare, quando illorum culpa alias talem pœnam meretur. Et pro parte affirmatiua est argumentum: iure naturæ incumbit parentibus filios educare, illosque moribus instituere: sed ad huiusmodi educationem sæpè sæpiùs est necessaria mortis & mutilationis vindicta, vt supra diximus, de republica: ergo patres stando in sola lege naturæ habent ius filios interficiendi, aut mutilandi. Et confirmatur: In initio mundi non erat alia respublica, quàm domestica: ergo ratio tunc postulabat, quòd, si aliquis *Dubium.* *Argumen.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

filiorum delinqueret, seuerè vsque ad necem à parentibus puniretur; atque adeo parentes iure naturæ habebant ius filios interficiendi, aut mutilandi, pro eorum delictis.

Sententia autoris.

¶ His tamen non obstantibus dico, ipsum ius naturæ huiusmodi vltiones, per se loquendo, parentibus interdicere, illasque soli publicæ potestati tribuere. Dico per se loquendo: Nam si contigerit aliquando enim, qui publicæ potestatis munus exercet, habere filium grauiter delinquentem, bene poterit illum vsque ad necem punire. Hoc tamen non facit in quantum pater: sed ist quantum est publica potestas. Hanc conclusionem tenent communiter omnes Doctores, estque iuxta gentium confirmata. Et probatur: Ratio naturalis dictat vitam humanam, cuius dominium penes solum Deum est, non deberi absque maturissimo iudicio, iuxtaque ordine extingui: ergo eadem ratio naturalis dictat, vt hoc non committatur tantæ multitudini, quanta est parentum, qui nec leges sciunt, nec causarum meritа perpendere possunt. Et eadem est ratio de mutilatione. Nam cum abscisio membrorum ex sua natura ad mortem animalis ordinetur, sicut & incolumitas ad vitam; ad illum tantum pertinebit mutilare, cuius est posse occidere.

Ad argu.

¶ Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Sic enim natura parentibus filios educare concessit, vt tamen lineam præscripserit, ad quam vsque eorum facultas accedere possit: quæ non est filiorum mutilatio, aut occisio, sed solum verberatio ad modum iam explicatum. Et quando hoc non sufficit, publica incipiet autoritas maiores ac grauiores imponere pœnas, vt dicitur in lege. si filius. Codice. de patria potestate, & lege. prætor. ff. de iure iurando. §. præterea. Ad confirmationem respondetur: In initio mundi penes Adam fuisse publicam potestatem, iure dominij orbis, quod tunc penes ipsum erat: aucto autem mortali genere, orbeque iure gentium per familias distributo, vnaquæque habuit principem, vel saltim aliquos, penes quos publica potestas resideret. Et sic nunquam parentes habuerunt autoritatem proprios filios, aut mutilandi, aut interficiendi. Si qui autem fuerint, qui vagè viuerent, nullam reipublicæ formam habentes, cùm contra naturam hominis, qui ex se animal est sociabile, atque ciuile, vitam degerint, non est cur ex illis contra nostram sententiam efficax argumentum sumatur. Possunt ergo parentes filios reprehendere, ac si opus fuerit verberare. Mutilare autem & occidere minimè, nisi quando publicam simul habuerint potestatem.

An semper expediat filiorum verberatio.

¶ An autem semper expediat huiusmodi filiorum verberatio, non potest vno verbo explicari, sed iuxta vniuscuiusque naturam, atque iudolem agendum erit. Et sic dico primò, maxima discretione opus esse, ne bene nati ex verberatione efficiantur ignaui, & meticulosi. Non enim est omnium vna & eadem condicio. Et sic diuersimodè corrigendi sunt liberi, aliter serui, aliter ingeniosi, aliter stulti, cum aliquibus sufficiant verba, aliis autem non verbera, vt dicit Seneca in libro, de moribus. Dico secundo, debere semper parentes in huiusmodi correctionibus intendere punitionem, & emendam filiorum: vindictam autem nunquam. Hoc enim interest inter personam publicam, & privatam, quòd publica non solum intendit punitionem delicti, sed etiam vindictam iniuriæ reipublicæ illatæ; quoniam hoc ad bonum commune ipsius reipublicæ spectat. At verò persona priuata, quoniam eius non est respicere bonum commune, nec etiam potest vindictam imponere, sed solum punitionem, aut emendam illius, qui suæ curæ fuerit commissus, siue sit filius, siue seruus, siue discipulus. Ex quo fit, vt pro ætate, & pro conditione, & pro ingenij vniuscuiusque sit semper puniendus. Quod & significare voluisse videtur Paulus ad Ephes. 6. dum dixit: Vos parentes nolite prouocare ad iracundiam filios vestros. Et paulò inferius, Vos domini eadem facite seruis, remittentes minas, &c.

Dubium de prælatis verberantibus subditos clericos.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an parentes, vel prælati, vel pædagogi aciter verberantes filios, vel subditos, vel discipulos clericos incurrant excommunicationem canonis. Si quis suadente diabolo. Hanc difficultatem mouet Syluester, verbo. homicidium. sexto. §. 4. dicto octauo. Refertque sententiam Panormitani, & aliorum, in capit. cum voluntate. de sententia excommunicationis. Qui sub distinctione respondent, quòd, vel clericus est constitutus in maioribus ordinibus à diaconatu, & supra, vel in minoribus à subdiaconatu, & infra. Et dicunt, quòd si est constitutus in maioribus, quicunque illum percutiens immoderatè, siue sit pater, siue prælatus, siue pædagogus incurrit excommunicationem. Secus autem erit, si fuerit in minoribus constitutus. Quoniam hoc expresse habetur in illo capitulo. cum voluntate. de sententia excommunicationis. Vbi dicitur, posse clericos seniores zelo deuotionis adolescentes in minoribus ordinibus turbantes diuinum officium leniter percutere. Et paulò inferius etiam dicitur, quòd obtentu prælationis, & magisterij in subditos scholares idem facere possunt. Et in capit. ex tenore expresse habetur, licere prælato verberare inferiorem, etiam si sit subdiaconus. Ex quo infert Syluester, quòd si prælato id licet, eodem iure licebit patri. Caietanus in summa. verbo. excommunicatio. capit. 10. generaliter dicit, licere parentibus atque prælatis, quoscunque filios, vel subditos clericos verberare, seu percutere, ex rationabili causa. Quam etiam sententiam tenet Syluester loco citato. Et quidem de prælato nulla ratione est dubitandum quin possit subditos etiam sacerdotes modo consueto, flagellis cædere, vt constat ex decretis distinctio. quadragesima quinta, per totam. Nec consequentia à prælatis ad parentes deducta est tam liquida, sicut Syluester arbitratur. Prælati enim habent publicam potestatem ac iurisdictionem, cum vi coercitiua, quam parentes in filios habere non possunt. ¶ Hoc tamen non obstante dico, licitum etiam esse parentibus, atque magistris, quoscunque filios, vel discipulos etiam in sacris constituros cum debito moderamine causa disciplinæ verberare. Ita enim colligitur ex capit. ex tenore, iam citato, & ex capit. cum voluntate. de sententia excommunicationis. §. si qui vero. Si quis autem quærat an pater, vel magister, vel prælatus debitum modum verberationis excedentes incurrant sententiam excommunicationis, respondeo, quòd non; dummodò verberatio tantum fiat per modum disciplinæ, & non ex odio, nec in fraudem canonis propter vindictam. Itaque, quanuis pater, vel prælatus grauiter delinquant in casu verberationis clerici, non erunt excommunicati; dummodo talis excessus in fraudem canonis non fiat. Et ratio est: Nam eo ipso, quòd parentibus atque prælatis est iure concessa facultas filios, vel subditos verberandi, ratio ipsa postulare videtur, vt non propter quemcunque excessum excommunicatio incurratur. Maximè, cum non possit semper homo esse tam attentus, vt nunquam virtutis limitem transgrediatur. Quando autem excessus esset adeò enormis, & præter consuetum modum verberandi factus, vt odij indicium præseferret, vt si, verbi gratia, pater, vel prælatus arrepto fuste clericum feriret, proculdubio incurreret excommunicationem. Et propterea in capit. cum beatus Paulus, & in capit. disciplina, quadragesima quinta distinctio. admonentur prælati lenitatis, ne, scilicet, tam immodicis verberibus, quam salutiferis verbis suos subditos instituant. Diuus etiam Paulus dicit oportere Episcopum esse non percussorem. Et in huius rei testimonium affirmant sancti Doctores tribuisse Dominum Moysi virgam directionis, & non Aaron sacerdoti. Quando autem Aaron habuit virgam in manibus fuit florens, vt non tam punitionis, quam consolationis videretur, iuxta illud: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. De præceptoribus religiosorum, vel aliorum clericorum contra voluntatem suorum masorum illos verberantibus, etiam dico, quòd non incurrunt sententiam canonis, quanuis per opus illicitum videantur manus violentas in clericos injecere; dummodo verberatio non procedat ex odio, vel in fraudem canonis; propter vindictam. Hæc enim facultas conceditur à iure pædagogis, atque magistris, vt possint suos discipulos etiam clericos verberare. Et sic, quanuis prohibitio prælati fecerit, quòd peccauerint, non tamen, quòd incurrant excommunicationem, cum prælati non habeant potestatem supra sententiam excommunicationis. Ex quo infertur, prælatos suos subditos verberantes, quam rarissimè incurrere excommunicationem, quanuis grauiter delinquant in illorum punitione.

Conclusio notãda pro prælatis.

De marito verberante vxorem.

¶ De marito solet similiter dubitari, an licitè possit verberare vxorem? Ad quam breuiter respondeo, quòd potest, dummodo id cum debito moderamine, & ex causa legitima faciat. Quanuis enim vxor sit subdita viro, non tamen potest vir illam, tanquam famulam animaduertere; sed tanquam sociam, & æqualem. In cuius rei signum dicunt Doctores eductam fuisse de costa, & non de pede, vt habetur Geneseos capit. 2. Ex dictis in isto articulo colligitur semper ad verberationem, siue ad quamcunque aliam percussionem, quæ nomine verberationis intelligitur in præsenti, esse necessariam aliquam superioritatem in verberante, alioqui illicite fiet, & contra iustitiam. Et cum sola fragrantia delicti non faciat superiores circumstantes, rursus sequitur, quòd nullus poterit non subditum verberare, etiam si

Universidad de Deusto
Biblioteca

in fragranti delicto comprehendatur. Nisi forte id opus fuerit ad propriæ vitæ, aut rerum, aut innocentis defensionem, iuxta dicta in materia de homicidio, &c.

Articvlvs. III.

¶Vtrùm liceat aliquem hominem incarcerare.

Ad Tertivm sic proceditur. Videtur quòd non liceat aliquem hominem incarcerare. Actus enim est malus ex genere, qui cadit suprà indebitam materiam, vt suprà *dictum est. Sed homo habens naturalem arbitrij libertatem est indebita materia incarcerationis, quæ libertati repugnat: ergo illicitum est aliquem incarcerare. 1.2.qu.18. art.2.

2 ¶Præterea, Humana iustitia regulari debet ex diuina. Sed sicut dicitur Ecclesiastic. 15. Deus reliquit hominem in manu cõsilij sui: ergo videtur quòd non est aliquis coercendus vinculis vel carcere.

3 ¶Præterea, Nullus est coërcendus nisi ab opere malo, à quo quilibet potest aliud licitè impedire. Si ergo incarcerare aliquem esset licitum ad hoc, quòd cohiberetur à malo, cuilibet esset licitum aliquem incarcerare, quod patet esse falsum: ergo & primum.

¶Sed Contra est quod Leuitici. 24. legitur, quendam missum fuisse in carcerem propter peccatum blasphemiæ.

¶Respondeo dicendum, quòd in bonis corporis tria per ordinem considerantur. Primò quidem integritas corporalis substantiæ, cui detrimentũ affertur per occisionem, vel mutilationem. Secundo delectatio, vel quies sensus, cui opponitur verberatio, vel quod libet sensum dolore afficiens. Tertiò motus & vsus membrorum, qui impeditur per ligationem, vel incarcerationem, seu quamcunque detentionem. Et ideo incarcerare aliquem, vel qualitercunque detinere, est illicitũ, nisi fiat secundum ordinem iustitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd homo qui abutitur potestate sibi data, meretur eam amittere. Et ideo homo qui peccando abusus est libero vsu suorum membrorum conueniens est incarcerationis materia. 11.q.3.c. priuilegiũ.

¶Ad secundum dicendum, quòd Deus quandoque secundum ordinem suæ sapientiæ peccatores cohibet ne possint peccatum implere, secundum illud Iob. 5. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Quandoque verò eos permittit quod voluerint agere. Et similiter secundum humanã iustitiam non pro qualibet culpa homines incarcerantur, sed pro aliquibus.

¶Ad tertium dicendum, quòd detinere hominem ad horã ab aliquo opere illicito statim perpetrando, cuilibet licet, sicut cum aliquis detinet aliquem ne se præcipitet, vel ne alium feriat. Sed simpliciter aliquem includere, vel ligare, ad eum solũ pertinet, qui habet disponere vniuersaliter de actibus & vita alterius: quia per hoc impeditur non solum à malis faciendis, sed etiam à bonis agendis.

Svmma Textvs.

Ad propositam difficultatem respondet D. Thom. vnica tantum conclusione, quæ talis est: Soli publicæ potestati est licitum subditos carceri mancipare, siue in pœnam, siue ad cautelam alicuius mali vitandi. Probatur: In bonis corporis tria per ordinem considerantur. Primum est eius integritas, cui per occisionem ac mutilationem nocetur. Secundum, sensualis delectatio, ac voluptas, quæ per verberationem impeditur. Tertium, membrorum vsus, qui per carceres, aliaque ligamina cohibetur. Sed primum nocumẽtum, propter eius grauitatem soli reipublicæ reseruatur, vt dictum est articulo primo huius quæstionis, secundum autem quoniam leuius est etiam parentibus atque dominis permittitur: ergo tertium, quod non solum est via ad primum, verum etiam quædam illius inchoatio, cùm ob id reus carceri mancipetur, vt vel

vel auditus supplicio deputetur, vel ob leuius crimen aliam luat pœnam, condecens est, vt soli reipublicæ, penes quam est potestas vitæ & mortis, deputetur.

Explicatio Articvli.

Quatuor sunt iniuriæ quæ facto inferuntur.

Institutum Diui Thomæ in hac quæstione, & præcedenti fuit, agere de iniurijs, quæ facto inferantur in personam. Suntque numero quatuor; scilicet, homicidium, verberatio, mutilatio, & incarceratio. Nam vulneratio, quæ specialem videtur habere rationem iniuriæ, si magna fuerit reducitur ad occisionem, aut mutilationem. Si autem fuerit parua, reducitur ad verberationem; cum verbera, vulnera quædam sint. Et sic non habet specialem rationem iniuriæ, vt docet Caietanus in præsenti. Diximus autem iam de tribus prioribus, scilicet, occisione, mutilatione, & verberatione: & sic solum superest agere de incarceratione. Ad cuius intelligentiam aduertendum est, quod carcer potest accipi dupliciter: vno modo propriè pro loco ad malefactorum punitionem pro bono communi instituto; alio modo largè & extensiue pro quacunque detentione. In præsenti autem, quando dicit Diuus Thomas solam publicam potestatem posse licitè aliquem carceri mancipare, solum loquitur de carcere primo modo. Nam si de carcere secundo modo sit sermo, certum est, quòd etiam parentes possunt filios incarcerare; sicut & possunt illos punire: cum carcer isto modo acceptus nihil aliud sit, quam quædam punitio. Carceris autem propriè dicti adhuc est duplex vsus in republica; vnus qui est conseruare malefactores, dum eorum causæ tractantur ac deciduntur: alter in pœnam, qui apud ecclesiasticam potestatem ad verbera procedere non potentem, est valde vsitatus. Inter istos autem duos vsus, hoc est discriminis, quòd nunquam est licitum vti carcere in pœnam, quo ad vsque rei causa fuerit plenè perfecta: cùm contra rationem sit, quòd alicui non conuicto pro crimine, de quo est suspectus, certa pœna inferatur. Ad hoc autem, vt vsus carceris primo modo sit licitus, satis est, quòd probabiliter credatur, aliquem crimen commisisse, quod iustitia postulat puniri: maximè, si sit probabilis timor de fuga delinquentis. *Carcer duplex.*

Dubium. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an quilibet, qui ab altero iniuriam, vel factum est passus, possit illum propria autoritate detinere, quo ad vsque veniat iudex, qui sibi, vel de illata iniuria, vel de re subtracta satisfactionem faciat. Ad cuius explicationem dico primò, Ei, qui iniuriam est passus, nullatenus esse licitum alterum detinere, per se loquendo. Quia cum hoc non sit necessarium ad propriam defensionem, sed solùm ad punitionem, vel vindicationem, quæ propria autoritate fieri non debet, sit, vt talis priuata detentio per se loquendo semper sit illiciti, & iniuriosa. Dico secundò, quòd quando talis priuata detentio fuerit necessaria ad proprtiorum bonorum recuperationem, licitè poterit fieri à quacunque priuata persona. Et ratio est: quia tunc non ordinatur per se loquendo, ad punitionem, vel vindicationem, sed ad suorum bonorum defensionem, quæ vnicuique iure naturæ est commissa, etiam cum manifesto periculo illius, qui per iniuriam ea auferre voluisset, vt diximus in superioribus. Et siquis rursum quærat, an sit licitum vnicuique alterum detinere propter suum, vel aliorum commodum, ne, scilicet, interficiat se, aut alterum; vel ne aliquod peccatum committat? Dico primò, quòd siquis ex infirmitate, vel passione vellet seipsum interficere bene posset à quocunque, etiam inuitus, detineri, quo ad vsque periculum tolleretur. Probatur: Possem ego illum defendere à quocunque alio, etiam cum periculo inuasoris: ergo & à se ipso ex infirmitate, vel passione operante cum inuoluntaria detentione. Sed hoc maximè ad parentes seu propinquos spectat, qui aliquale supra infirmum ratione consanguinitatis videntur habere ius. Dico secundò: Qui vellet occidere proximum, vel aliquam grauem iniuriam ei inferre, licitè posset à quocunque deteneri, quo ad vsque periculo prouideretur. Probatur: Licitum est defendere innocentem cum morte alterius: ergo & cum illius inuita detentione. Dico tertiò: qui nollet se interficere, sed alia flagitia committere sine alterius detrimento, non posset simpliciter detineri: nisi ab habentibus curam illius. Dixi simpliciter: Nam ad horam bene poterit ab alijs detineri, vt dixit Diuus Thomas hic ad tertium. Et ratio est: Tum, quia huiusmodi peccata regulariter loquendo, non rectè vitantur per detentionem: tum etiam, quia esset agere contra libertatem hominis, quod priuatæ personæ non licet. *Aliud dubium.* 1. *Dictum.* 1. *Dictum.* 2. *Dictum.* 2. *Dictum.* 3. *Dictum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrùm peccatum aggrauetur ex hoc, quod prædictæ iniuriæ inferuntur in personas aliis coniunctas.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd peccatum non aggrauetur ex hoc, quòd prædictæ iniuriæ inferuntur in personas alijs coniunctas. Huiusmodi enim iniuriæ habẽt rationem peccati, prout nocumentum alicui infertur contra eius voluntatẽ. Sed magis est cõtra hominis voluntatẽ malũ quod in propriã personã infertur, quã quod infertur in personam coniunctã: ergo iniuria illata in personam coniunctam est minor.

2 ¶ Prætereà, In sacra Scriptura præcipuè reprehenduntur qui pupillis & viduis iniurias inferunt. Vnde dicitur Ecclesiast 35. Non despiciet preces pupilli nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Sed vidua & pupillus non sunt personæ alijs coniunctæ: ergo ex hoc, quòd infertur iniuria personis coniunctis, non aggrauatur peccatum.

3 ¶ Prætereà, Persona coniuncta habet propriam voluntatẽ, sicut & principalis persona. Potest enim aliquid ei esse voluntarium quod est contra voluntatem principalis personæ, vt patet in adulterio, quod placet vxori, & displicet viro. Sed huiusmodi iniuriæ habent rationem peccati, prout consistunt in voluntaria commutatione: ergo huiusmodi iniustitiæ minus habẽt de ratione peccati.

¶ SED CONTRA est, quòd Deuter. 28. ad quandam exaggerationem dicitur, Filij tui, & filiæ tuæ tradentur alteri populo videntibus oculis tuis.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd quanto aliqua iniuria in plures redundat, cæteris paribus, tanto grauius est peccatum, & inde est, quòd grauius est peccatum si aliquis percutiat principem, quàm personam priuatam: quia redundat in iniuriã totius multitudinis, vt suprà dictum * est. Cum autem infertur iniuria in aliquam personam coniunctam alteri, qualitercunque illa iniuria pertinet ad duas personas. Et ideò cæteris paribus ex hoc ipso aggrauatur peccatum: potest tamen contingere, quòd secundum aliquas circunstantias sit grauius peccatum, quod fit contra personam nulli coniunctam, vel propter dignitatem personæ, vel propter magnitudinem nocumenti.

1.2 q.73. art.9.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd iniuria illata in personam coniunctam, minus est nociua personæ, cui coniungitur, quàm si in ipsam immediatè inferretur: & ex hac parte est minus peccatum. Sed hoc totum quod pertinet ad iniuriam personæ, cui coniungitur, superadditur peccato quod aliquis incurrit ex eo, quòd aliam personam secundum se lædit.

¶ Ad secundum dicendum, quòd iniuriæ illatæ in viduas & pupillos magis exaggerantur: tum quia magis opponuntur misericordiæ, tum quia idẽ nocumentum huiusmodi personis inflictum, est eis grauius, quia non habẽt releuantem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd per hoc, quòd vxor voluntariè consentit in adulterium, minoratur quidem peccatum & iniuria ex parte ipsius mulieris. Grauius enim esset si adulter violenter eam opprimeret. Non tamen propter hoc tollitur iniuria ex parte viri: quia vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir, vt dicitur. 1. ad Corinth. 7. Et eadem ratio est de similibus. De adulterio tamen, quia non solum iustitiæ, sed etiam castitati opponitur, erit locus infrà agendi in tractatu de temperantia.

Dist. 84.

q. 154. ar. 1.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd quantò aliqua iniuria in plures redundat cæteris paribus, tantò est grauius peccatum; & hinc est, quòd percutere principem est grauius peccatũ, quam percutere personam priuatam, quia percussio principis redũdat in iniuriã totius multitudinis; respondet D. Th. ad propositã difficultatẽ per duas propositiones. Prima conclusio: Cæteris paribus grauius peccatũ est delinquere in personã, cui alij sunt cõiũcti, quã delinquere in illos, qui cõsangui-

sanguineis & necessarijs carent. Probatur: Quãdo infertur iniuria in personam alteri coniunctã, illa iniuria quodãmodo refertur ad duos: ergo cæteris paribus, est grauior, quàm si inferretur in illum, qui nullam haberet personam coniunctam. Probo consequentiam ex posito fundamento. Secunda conclusio: Ex particularibus circunstantijs bene potest fieri, quòd illa iniuria sit minor, quæ fit contra eum, qui plures habet personas coniunctas, scilicet, propter dignitatem personæ, vel propter magnitudinem nocumenti.

1.2. q. 87. art. 8.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid intelligatur nomine personæ.

PRo huius articuli explicatione aduertendum est primo ex Cæterano in prælegs. quod nomine personæ coniunctæ hic intelligimus in primis consanguineos, & affines, vt patrem, filij, generum, leuirũ, &c. Et deinde, quoscunque alios œconomica necessitudine copulatos, vt maritum, vxorem, patronum, familiares, &c. ac denique extra domum, quoscunque amicos aliosq; necessarios. In his enim omnibus importatur respectus coniunctionis ad alterum, ratione cuius iniuria alicui illata augeri potest. Ratio autem, propter quam ex multiplicatione coniunctorum peccatum augetur est: Nam, cum filius sit aliquid patris, & vxor aliquid mariti, quin etiam & amicus sit alter ego, quicunque vnum lædit, in omnes est iniurius: & quanto iniuria & detrimentum in plures profunditur, tanto grauior est, vt docet D. Tho. 1-2. q. 87. art. 8. & 9. Imò potest esse tanta coniunctio inter aliquos, vt etiam si illi personæ, cum qua quis delinquit, non fiat iniuria, quia scienti, & volenti non fit iniuria, tedatur tamen persona coniuncta. Vt est videre in eo, qui, aut alterius vxorem in adulterium, aut puellam in stuprum sua sponte consentientem compressit: qui quidem non facit iniuriam volentibus, illa tamen infert marito ac patri.

Dubium.

¶ Siquis autem quærat, an semper quod peccatum fit contra personam habentem plures alias coniunctas, sit grauius, illaque circunstantia sit necessario confitenda? Dico primò, quòd tunc tantum peccatum factum contra personam habentem alias coniunctas augetur, quando fuerit eius naturæ, quòd eius iniuria transeat in alios. Nam si solum nocet illi, in quem peccatur, vt furtum, quod non est notabile, & ex quo patetes, aut proximi nihil damni suscipiunt, non augetur ex circunstantia multitudinis coniunctorum: cum illud tantum noceat vni & nõ pluribus. Quæ est ratio, propter quam D. Thom. in hoc articulo dixerat peccatum

1. Dictum.

contra aliquem factum augeri ex multitudine coniunctorum ad ipsum. Dico secũdò, quòd quamuis circunstantia multitudinis coniunctorum aggrauet sæpissimè notabiliter peccatum, vt quando quis occidit hominem suæ familiæ valde necessarium: hæc tamen circunstantia maiori ex parte non mutat speciem, cum non inducat particularem rationem peccati, sed solũ faciat peccatum differre secundum magis & minus intra eandem speciem. Dico tertiò, quod circunstantia multitudinis coniunctorum, quando notabiliter aggrauat peccatum, etiam si non mutet speciem, est necessario confitenda. Quia, vt communiter docent Doctores in materia de confessione, non tantũ illæ circunstantiæ sunt necessario explicandæ in confessione, quæ mutant speciem, sed etiam illæ, quæ aggrauãt notabiliter. Vt est videre in eo, qui commisit peccatum mortale & veniale eiusdem speciei: qui quidẽ, secundum omnes, tenetur hanc circunstantiam confiteri, quamuis non mutet speciem. Et quidem si furatus fuisset non satisfaceret dicendo se furtum commisisse mortale, nisi quantitatem, quæ notabiliter aggrauat peccatum, expressisset. An autem quando in similibus peccatis fit notabilis iniuria communis, debeat etiam illa fieri particularis & certa restitutio, seu satisfactio, explicatum est à nobis in superioribus, quæst. 62. artic. 2.

2. Dictum.

3. Dictum.

QVÆSTIO LXVI.

De Peccatis iustitiæ oppositis, in nouem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm naturalis sit homini possessio exteriorum rerum?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd non sit naturalis homini possessio exteriorum rerum. Nullus enim debet sibi attribuere quod Dei est. Sed dominium omnium creaturarum est proprium Dei, secundum illud Psalm. 23. Domini est terra, &c. ergo non est naturalis homini possessio rerum exteriorum.

Inf. contra c. 22. fi. & 127. fin.

2 ¶ Prætereà, Basilius * exponens verbum diuitis dicentis Luc. 12. Congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bo-

In serm. ad diuites ana tos à medio illius.

na

Universidad de Deusto
Biblioteca

na mea: dicit, Dic mihi quæ tua: vnde ea sumens in vitam tulisti? Sed illa quæ homo possidet naturaliter, potest aliquis conuenienter dicere esse sua: ergo homo non possidet naturaliter exteriora bona.

Li. 1. defi. ca. 1. circa med. to. 2.

3 ¶ Præterea, Sicut Ambrosius * dicit in libro de Trinitat, Dominus nomen est potestatis. Sed homo non habet potestatē super res exteriores: nihil enim potest circa earum naturā immutare: ergo possessio exteriorum rerum non est homini naturalis.

¶ Sed Contra est, quod dicitur in Psalm. Omnia subiecisti sub pedibus eius, scilicet hominis.

¶ Respondeo dicendum, quòd res exterior potest dupliciter considerari. Vno modo quantum ad eius naturam, quæ non subiacet humanæ potestati, sed solum diuinæ, cui omnia ad nutum obediunt. Alio modo quantū ad vsum ipsius rei, & sic habet homō naturale dominium exteriorum rerū: quia per rationem & voluntatem potest vti rebus exterioribus ad suam vtilitatem, quasi propter se factis. Semper enim imperfectiora sunt propter perfectiora, vt supra * habitum est. Ex hac ratione Philosophus probat in primo * Politicorum, quòd possessio rerum exteriorum est homini naturalis. Hoc autem naturale dominium super cæteras creaturas, quod competit homini secūdum rationem, in qua imago Dei consistit, manifestatur in ipsa hominis creatione, Genes. 1. vbi dicitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, &c.

Q. 64. art. 1.

Lib. 1. cap. 5. tom. 5.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd Deus habet principale dominiū omnium rerum. Et ipse secundum suā prouidentiam ordinauit quasdam res ad corporalem hominis sustentationem. Et propter hoc homo habet naturale rerum dominium, quantū ad potestatem vtendi ipsis.

¶ Ad secundum dicendum, quòd dives ille reprehenditur ex hoc quòd putabat exteriora bona esse principaliter sua, quasi non accepisset ea ab alio, scilicet à Deo.

¶ Ad tertium dicendum, quòd illa ratio procedit de dominio exteriorū rerum quantum ad naturas ipsarum. Quod quidem dominium soli Deo cōuenit, vt dictum * est. *In corp. art.*

Summa Textvs.

Vpposito, quòd res exterior potest dupliciter considerari, vno modo quantū ad eius naturam, quæ non subiacet humanæ potestati, sed diuinæ, cui omnia ad nutum obediunt, alio modo quantū ad vsum, respondet D. Thom. ad propositum difficultatem, hac conclusione: Homo habet naturale dominium rerum exteriorum, quantū ad vsum illarum. Probatur: Homo per rationem & voluntatem potest vti rebus exterioribus ad suam vtilitatem, tanquam propter se factis, semper enim imperfectiora sunt propter perfectiora, qua ratione Aristot. lib. 1. Polit. cap. 5. probauit possessionē rerum externarum esse homini naturalem: ergo homo habet naturale dominium rerū externarum, quantum ad vsum illarum. Et confirmatur ex Genes. cap. 1. Vbi in ipsa hominis creatione hoc naturale dominium super cæteras creaturas conueniens homini per rationem, in qua Dei imago consistit, fuit manifestatum, dum dicitur: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs terræ, &c.

Artic. vlvs II.

¶ Vtrùm liceat alicui rem aliquam quasi proprium possidere.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd non liceat alicui rem aliquam quasi propriā possidere. Omne enim quod est contra ius naturale, est illicitum. Sed secundum ius naturale omnia sunt communia: cui quidem communitati contrariatur proprietas possessionū: ergo illicitum est cuilibet homini appropriare sibi aliquam rem exteriorem.

3. contra ca. 127. fin. Et opusculo 28. libr. 4. cap. 4.

2 ¶ Præterea, Basilius * dicit, exponēs prædictum verbum diuitis. Sicut qui præueniens spectacula, prohiberet aduenientes, appropriando sibi quod ad communem vsum ordinatur: similes sunt diuites, qui communia, quæ præoccupauerunt, æstimant sua esse. Sed illicitum esset præcludere viam alijs ad potiendum communibus bonis: ergo illicitum est appropriare sibi aliquam rem communem.

In serm. ad diuites auctor, post med. illius.

In ser. 81. to. 3. Et habetur dist. 47. cap. Sicut hi.

3 ¶ Præterea, Ambrosius * dicit, & habetur in Decret distinct. 47. cap. sicut hi. Proprium nemo dicat quod est cōmune. Appellat autem communes res exteriores, sicut pater ex his quæ præmittit: ergo videtur illicitū esse, quòd aliquis appropriet sibi aliquam rem exteriorem.

Ca. 40. to. 6. & refertur. 24 q. 3. c. Quidā autem.

¶ Sed Contra est, quòd Augustin. dicit * in libro de Hæresibus: Apostolici dicuntur, qui se hoc nomine arrogātissime vocauerunt, eo quòd in suam communionem non acciperent vtentes coniugibus, & res proprias possidētes: quales habet Catholica Ecclesia, & monachos & clericos plurimos. Sed ideo isti hæretici sunt, quia se ab Ecclesia separantes, nullam spem purant eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipsi carent. Est ergo erroneum dicere, quòd non liceat homini propria possidere.

¶ Respondeo dicendum, quòd circa rem exteriorem duo competunt homini, quorum vnū est potestas procurandi & dispensandi: & quantum ad hoc licitum est, quòd homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam propter tria. Primo quidem, quia magis solicitus est vnusquisque ad procurādum aliquid quod sibi soli competit, quàm id quod est cōmune omnium vel multorum: quia vnusquisque laborem fugiēs, relinquit alteri id quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorū. Alio modo, quia ordinatius res humanæ tractantur, si singulis immineat propria cura alicuius rei procurandæ. Esset autem confusio, si quilibet indistinctè quælibet procuraret. Tertio, quia per hoc magis pacificus status hominum conseruatur, dum vnusquisque re sua contentus est. Vnde videmus, quòd inter eos qui cōmuniter & ex indiuiso aliquid possident, frequentius iurgia oriuntur.

¶ Aliud vero quod competit homini circa res exteriores, est vsus ipsarum. Et quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores vt proprias, sed vt cōmunes: vt scilicet de facili aliquis eas cōmunicet in necessitates aliorū. Vnde Apost. dicit. 1. ad Tim. vlt. Diuitibus huius seculi præcipe facilè tribuere, communicare.

¶ Ad Primvm ergo dicendū, quòd communitas rerum attribuitur iuri naturali: non quia ius naturale dictet omnia esse possidenda communiter, & nihil esse quasi proprium possidendum: sed quia secundum ius naturale nō est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum condictum, quod pertinet ad ius positiuum, vt suprà * dictum est. Vnde proprietas possessionū non est contra ius naturale, sed iuri naturali superadditur per adinuentionē rationis humanæ.

Q. 57. art. 2. & 3.

¶ Ad secundum dicendum, quòd ille qui præueniens ad spectacula prępararet alijs viā, non illicitè ageret. Sed ex hoc illicite agit, quòd alios prohibet. Et similiter diues non illicite agit si præoccupans possessionem rei, quæ à principio erat communis, alijs etiam communicat. Peccat autem si alios ab vsu illius rei indiscrete prohibeat. Vnde Basilius * ibidem dicit, Cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris: ille verò patientiæ præmijs coronetur.

Loco citato in argum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cū dicit Ambrosius, Nemo proprium dicat quod est commune: loquitur de proprietate quantum ad vsum. Vnde subdit, Plusquam sufficeret sumptui, violenter obtentum est.

Summa Textvs.

Vpposito, quòd circa res exteriores duo possunt homini competere, vnum est potestas illas procurandi, & dispensandi, alterum est vsus ipsarum; respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Licitum est, imò necessarium ad vitam humanā, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd homo, quantum ad potestatem procurandi, & dispensandi res exteriores, illas in particulari possideat. Probatur triplici ratione. Prima: Quia vnusquisque est magis solicitus ad procurandum, quæ sibi soli cõpetunt, quam quæ sunt communia omniũ. Secunda: Quia ordinatius res humanæ tractantur, quando singulis imminet cura particularis alicuius rei procurandæ. Tertia: Quia per hoc status hominum magis pacificus conseruatur, dum vnusquisq; re sua cõtentus est. Secunda conclusio: Quantum ad vsum rerum non debet homo habere res exteriores, vt proprias, sed vt communes: ad hunc sensum, quòd de facili eas communicet necessitatem patientibus; iuxta illud Pauli ad Tim. cap. vltim. Diuitibus huius seculi præcipe, facile tribuere.

EXPLICATIO DVORVM articulorum.

SVprapositos duos articulos constituit D. Thom. tanquam fundamentum materiæ furti. Nam cùm nullus dicatur fur, nisi qui rem alienam accipit domino inuito, vt dicemus articulo sequenti, opus fuit prius explicare, an in hominibus possit esse aliquarum rerum dominium, in quarum ablatione furtum cõsistat. Sed quoniam de hoc satis superq; dictum est à nobis in materia de dominio, q. 62. vbi explicauimus, qualiter homo omnium rerum externarum iure naturæ dominium habeat, atq; etiam qualiter earundem rerum dominia iure gentiũ fuerint diuisa, quæ est materia, quam Diu. Thom. in his duobus articulis tractat; idcir cò ab illa nunc supersedendum duxi, remittentes lectorem ad præfatum locum, ne pluries eadem repetamus. Sed, vt istorum articulorum litera intelligatur, aduertendum

Nota circa 1. articul.

est primò circa primum, quòd, quoniam quod conuenit alicui, semper conuenit ei secũdum modum illius; ex quo fit, vt quod conuenit superiori & inferiori, eminẽtius, & perfectiori quodam modo conueniat superiori, quam inferiori; hinc fit, quòd res exteriores, quibus vescimur, quæ imperfectiores sunt, non solum nobis, sed etiam animalibus, diuersimodè dicantur factæ propter animalia & propter nos. Nã quia animalia non se agunt, sed aguntur naturæ instinctu, ideircò non conuenit eis habere dominium, aut possessionem rerum, quibus vescuntur, quanuis propter ipsa fuerint factæ. At verò homini, quia rationis particeps est, atque liber, per modum dominij & possessionis conuenit, vt sit supra imperfectiora, quæ propter ipsum facta sunt. Itaque diuersimodè dicimur nos, & cætera animalia vti rebus exterioribus, non solum quantum ad hoc, quòd homines etiam vtũtur animalibus tanquam propter se factis, sed etiam quantum ad hoc, quòd homines vtuntur rebus tanquam naturaliter domini ex natura sua rationali; cùm tamen animalia non tanquam domini, sed instinctu naturæ illis vti dicantur. Et sic adhuc impropriè dicitur esse in illis vsus rerum, quibus vescuntur, sicut & impropriè est in illis dominium, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 14. artic. 1. Et propterea idem D. Tho. in hoc articulo non solum ex imperfectione rerũ externarum probauit dominium hominis supra illas, sed etiam ex ratione & voluntate, quibus illis vtimur; suntque præcipuum & immediatum fundamentum dominij.

¶ Circa secundum articulum notanda est distinctio de potestate dispensandi, aut procurandi res, & de vsu illarum, penes quam dicitur dominia quantum ad potestatem dispensandi, aut procurandi res, esse diuisa, non autem, quantum ad vsum illarum. Quod non est sic intelligendum, quasi voluerit D. Thom. significare, nullum in particulari habere dominium vsus rerum, quoniam hoc est apertè falsum, vt ex dictis in materia de dominio clarè poterit constare. Sed quod intelligit est, quòd habentes potestatem procurandi, & dispensandi res tenentur in casu necessitatis illas facere cõmunes superflua naturæ & personæ tribuẽtes, vt diximus in. 1. tom. quæst. 32. agentes de eleemosyna. Propterea enim D. Ambr. dixit: Plusquam sufficit sumptui, violenter obtentum est. Quasi diceret: Nemo quo ad vsum dicat aliquid proprium, quia omnia quo ad vsum communia sunt, vt, scilicet, in extrema necessitate constitutis superfluum naturæ communicetur; quoniam tunc eis, vt commune debitum est. Imò etiam extra hos casus consuluntur diuites, vt facilè tribuant necessitatem patientibus, quia omnis summa Christianæ vitæ in misericordia posita est; cùm sic & possessores, bonæ dispensationis meritum, & pauperes patientiæ coronam possint habere, absq; iniqua inæqualitate rerum externarum.

Nota circa 2. articul.

ARTICVLVS. III.

¶ Vtrùm sit de ratione furti occultè accipere rem alienam.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd non sit de ratione furti occultè accipere rẽ alienam. Illud enim quod diminuit peccatum, non videtur ad rationem peccati pertinere. Sed in occulto peccare pertinet ad diminutionem peccati: sicut è contrario ad exaggerãdum peccatum quorundam, dicitur Isaiæ. 3. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt: ergo non est de ratione furti occulta acceptio rei alienæ.

Ambros. in ser. 81. non procul à fine, tom. 3. Et habetur dist. 47. ca. Sicut ij. ante med.

2 ¶ Præterea, Ambrosius * dicit, & habetur in Decretis distinct. 47. Minus est criminis habenti tollere, quàm cum possis & abundans sis, indigentibus denegare: ergo sicut furtum consistit in acceptione rei alienæ, ita & in detentione ipsius.

3 ¶ Præterea, Homo potest furtim ab alio accipere etiam quod suum est, puta rem quam apud alium deposuit: vel quæ est ab eo iniustè ablata, Non est ergo de ratione furti, quòd sit occulta acceptio rei alienæ.

Lib. 10. ca. 6. incipit Fecundus dicitur est, à med. illius.

¶ SED CONTRA est, quod Isid. dicit * in lib. Etymolog. Fur à furuo dictus est, id est, à fusco: nam noctis vtitur tempore.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ad rationem furti tria cõcurrunt. Quorum primum conuenit sibi, secundum quod contrariatur iustitiæ, quæ vnicuique tribuit quod suum est, & ex hoc competit ei, quod vsurpat alienum: secundum verò pertinet ad rationẽ furti, prout distinguitur à peccatis, quæ sunt contra personam, sicut ab homicidio & adulterio: & secundum hoc cõpetit furto, quòd sit circa rem possessam. Si quis enim accipiat id quod est alterius, non quasi possessio, sed quasi pars: sicut si amputet membrum: vel sicut persona coniuncta, vt si auferat filiam, vel vxorem, non habet propriè rationem furti. Tertia differentia est, quę complet rationem furti: vt scilicet occulte vsurpetur alienum. Et secundum hoc propria ratio furti est, vt sit occulta acceptio rei alienæ.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod occultatio quandoque quidem est causa peccati, puta cum quis vtitur occultatione ad peccandum, sicut accidit in fraude & dolo. Et hoc modo nõ diminuit: sed constituit speciem peccati, & ira est in furto. Alio modo occultatio est simplex circunstantia peccati. Et sic diminuit peccatum. Tum quia signum verecundiæ est: tum quia tollit scandalum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd detinere id quod alteri debetur, eandẽ rationem nocumenti habet cum acceptione iniusta. Et ideo sub iniusta acceptione intelligitur etiam iniusta detentio.

¶ Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet id quod est simpliciter vnius, secundum quid esse alterius: sicut res deposita est simpliciter quidem deponentis: sed est eius, apud quem deponitur, quantum ad custodiam. Et id quod est per rapinam ablatum, est rapientis, non simpliciter, sed quantum ad detentionem.

SVMMA TEXTVS.

PRopositum D. Thom. in isto articulo est, assignare furti definitionem, quæ; vt ex litera patet, in hunc modum se habet: Furtum est occulta vsurpatio rei alienæ. Quam D. Thom. ex tribus quæ necessaria sunt ad rationem furti explicat. Primum est commune furto cum alijs vitijs contra iustitiam factis. Et hoc explicatur quando dicitur, quòd est vsurpatio. Vsurpatio enim iniustam quandam acceptionem importat. Secundum conuenit furto in quãtum distinguitur ab illis peccatis, quæ fiunt contra personam: qualia sunt homicidium, adulterium, mutilatio, &c. Et hoc explicatur quando dicitur, quòd est vsurpatio rei alienæ, hoc est, rei ab altero possessæ. Siquis enim accipiat id quod est alterius non quasi possessio, sed quasi pars; vt si amputet membrum; vel quasi persona coniuncta, vt si auferat filiam, vel vxorem nõ dicetur propriè fur. Tertium, quod inuenitur in furto, habetque se tanquam complens rationem illius est, quòd occultè vsurpetur alienum. Et hoc explicatur quando dicitur, quòd est occulta vsurpatio. Et sic constat completã & perfectam diffinitionem furti esse, quod est occulta vsurpatio rei alienæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac materia de furto disputant Doctores in. 3. dist. 5. agentes de decẽ præceptis, & in 4. dist. 15. agentes de restitutione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

re. Alexander Alens. 3. part. quæst. 26. Antoninus. 1. part. titul. 1. cap. 14. Nauarr. in Manual. capit. 17. Aluarus Pelag. libr. 2. de planctu Eccleſiæ. capit. 46. & 47. Medin. C. de reſtit. à quæſt. 4. vſq; ad 10. Soto lib. 5. de iuſtitia. quæſtione. 5. & Summiſta verbo, furtum, & verbo, rapina. Ad cuius intelligentiam, vt à nomine ipſo exordiamur, aduertendum eſt, primò, quòd de Etymologia huius vocis, furtum, varie loquuntur Doctores. D. enim Iſidor. lib. 10. Etymologiarum, affirmat, furtum. quia clanculatiam quandam acceptionem ſignificat, deriuari à furuo, hoc eſt, fuſco, ſeu nigro. Quam etiã interpretationem ſequitur Varro de re ruſtica lib. 1. Sed iuriſconſultus. l. 1. ff. de furtis hanc nominis Etymologiam reijciens, dicit, furtum, ſeu fur à ferendo, ſeu auferendo deduci. Quæ interpretatio videtur longè conuenientior, quamuis & prima ſuam habeat probabilitatem. Græcè enim fures appellantur, feras, à ferè, quod ferre ſeu auferre ſignificat. ¶ Secundò eſt aduertendum, quòd furtum à Canoniſtis definitur, quòd ſit cõtrectatio rei alienæ mobilis corporalis, fraudoloſa inuito domino, facta animo lucrandi, ſiue ipſius rei, ſiue vſus rei ſiue poſſeſsionis. Quã definitionẽ colligunt ex. l. 1. ff. de fur. & ex. §. 1. inſt. de oblig. quę ex delicto nascuntur. Illamque interpretantur, vt eſt videre apud Sylueſtrum, verbo, furtum. §. 1. & apud Nauarrum in Manuali cap. 17. num. 1. hoc modo; ſcilicet, quòd dicitur contrectatio, ad denotandum, quòd ſine illa, quo ad homines furtum eſſe non poteſt, etiam ſi ſit voluntas contrectandi, vt dicitur in dicta. l. 1. §. 1. Quo ad Deũ tamen, vt furti peccatum dicatur quis commiſiſſe, ſufficiens erit voluntas contrectandi, vt habetur in. c. vulgaris. de pœnit. diſt. 1. Dicitur præterea, rei alienæ; quia in re propria, vt ſic, non poteſt eſſe furtum. Secus autem eſſet, ſi alius ſupra eam haberet aliquod ius, vel commodati, vel impignorationis. Tunc enim illam contrectans, etiam ſi eſſet verus dominus diceretur furtum committere: quia, vt ſic, eſt contrectatio rei alienæ, vt habetur in. l. eum æs pignori. & in. l. ſi is qui rem. la. 1. ff. de furtis. Dicitur præterea, mobilis corporalis; Nam in immobilibus, vt eſt ager, & incorporalibus, vt ſunt actiones, & ſeruitutes furtum committi non poteſt, vt dicitur in l. verum. la. 1. ff. de furtis. Talia enim contrectari non poſſunt. Dicitur præterea, fraudoloſa: Nam iocoſa, & officioſa, quæ ad reddendum cautiorem dominum facta fuerit, & ſimiliter illa, quæ ſine animo furandi fit, vt ſiquis putans rem eſſe ſuam, vel poſſe eam ab altero, qui ius ſupra illam habebat accipere, accipit, furtum non eſt: quamuis poſtea re comperta teneatur ad reſtitutionem. Dicitur præterea, inuito domino: Nam quando quis contrectat rem alienam, quia credit dominum permiſſurum, eſtque iuſta cauſa credendi, furtum non committit, vt dicitur in. l. ſi is qui rem. ff. de furtis. Etiã dubijs præſumitur dominus inuitus, vt habetur in. l. vas. §. velare. ff. eodem titulo. Dicitur præterea, lucri faciendi cauſa, vel animo lucrandi: Nam, ſiquis alienam rapuerit ancillam non cauſa lucri, ſed libidinis, furtum non committit, vt conſtat ex. l. verum. la. 2. ff. eodem titulo. Dicitur tandem, ipſius rei vel poſſeſsionis: Quia non ſolum committit furtũ, qui rei dominiũ lucrari vult, ſed etiam, qui in re ipſa vult lucrari vſum, aut poſſeſsionem, vt habetur in. l. qui ſacra. ff. de furtis. ¶ Hæc tamen furti definitio à Canoniſtis aſsignata, præterquàm, quòd eſt nimis longa, vtpotè eorum, qui non tam curant rei ſubſtantiam definire, quàm aliquid docere, quod ad legum explicationem conducat, eſt contra Ariſtotelem docentem definitionem debere eſſe quàm breuiſſimam, orationem, rei naturam compendio explicantem; continet etiam nonnulla falſa. Nam primo falſum eſt, quòd qui non accipit rem alienam animo lucrandi non poteſt furtum committere. Qui enim illam accipit, vt in flumen proijciat, aut incendio tradat, nullius lucri cupidus; ſed vt proximo iniuriam inferat, vere committit furtum. Et tamen certum eſt id animo lucrandi non facere. Item etiam eſt falſum, quòd furtum debet eſſe contrectatio rei mobilis, & corporalis. Qui enim acciperet occultè alienum agrum, ſeu alienum ius non minus eſſet fur, quàm qui acciperet alienam veſtem. Præterquam quòd, cum hæc materialiter ſe habeant in acceptione alterũ iniuriosa, ſpeciem variare nequeunt.

Vnde dicatur furtũ.

Definitio furti Canoniſtarum.

Impugnatur præfatis definitionis.

¶ Quocirca hac Canoniſtarum definitione omiſſa, breuiter, atque ſuccinctè, furtum ex mente Diui Thomæ in hoc articulo, & omnium fere Theologorum definientes dico; Quòd eſt occulta vſurpatio rei alienæ. In qua definitione ponitur vſurpatio loco generis, quæ latius patet, quam furtũ. Qui enim ab altero aliquid per rapinam accipit, verè vſurpat, & tamen propriè non dicitur fur, ſed raptor. Differunt enim ſpecie furtum, & rapina intra idem genus iniuſtæ acceptionis, ſiue vſurpationis, vt infra dicemus conuenientius, etiam definitur furtum per vſurpationem, quam

Diffinitio furti Diui Thom.

quam per contrectationem, cum contrectatio ſolum rei contactum ſignificet: & certum ſit, poſſe eſſe ſæpè ſæpius furtum ſine aliquo reali contactu per ſolam vſurpationem. Dicimus, rei alienæ, vt copioſiſimè res omnes furto captas comprehendamus. Nec opus eſt exprimere rei, vel vſus rei, vel poſſeſsionis. Nam qui re aliena inuito domino vtitur, aut eius obtinet poſſeſsionem, verè dicitur quodammodo rem alienam vſurpare. Nomine autem rei alienæ intelligimus rem ab altero poſſeſſam, vt optimè explicat D. Thom. in hoc articulo. Qui enim accipit id, quod eſt alterius non quaſi poſſeſsio, ſed, vel quaſi pars, vel quaſi pertinens coniuncta; vt qui abſcindit brachium, vel aufert vxorem, aut filiam non dicitur propriè fur. Dicitur præterea, occulta, ad differentiam rapinæ, quæ non occultè, ſed manifeſte, atque per violentiam fit. Qua particula ſufficienter declaratur fraudulentia, quæ in furto inuenitur. Qui enim clam domino rem accipit fraudem nectit. Et ſimiliter etiam explicatur, quòd acceptio furti debet fieri domino inuito, cùm ignorantia cauſet inuoluntarium, vt docet D. Tho. 1. 2. quæſtione. 6. arti. 8. Et ſic fruſtrà ponebantur illæ particulæ, fraudulenta, ſeu fraudoloſa, & domino inuito, quas iuris prudentes ſuæ furti definitioni adijciebant. ¶ Ex hac definitione ſequitur, rapinam non eſſe ſpeciem furti. Sed ſunt hæc duo vitia ſpecies contrarie diſtinctæ, cùm furtum ſit occulta vſurpatio, rapina verò manifeſta, & violenta, vt docet Ariſtoteles dict. 5. Ethic. cap. 2. Itaque vſurpatio, ſeu iniuſta acceptio primò omnium diuiditur in furtum, & rapinam. Deinde autem vtraque iſtarum ſpecierũ ex parte obiecti ſubdiuidi poteſt in alia quatuor membra. Nam ſi id, quod iniuſtè accipitur, eſt ſacrum, vocatur ſacrilegiũ. Et ſi eſt poſſeſſio pertinens ad rempublicam, vocatur, peculatus. Si verò fiat acceptio de grege diſperſo vocatur, abigeatus. Si autem ſit vſurpatio hominis, vt vendatur, vocatur, plagium. De duobus prioribus agitur in capitulo. quid ergo. 2. quæſtione. 4. De tertio extat integer titulus libri. 47. Digeſtorum. De quarto autem etiam extat titulus. ad leg. Flau. de Plag. Et ſiquis contra hoc argumentetur; In lege. ſi vindidero. ff. de furtis. Et inſtituta de vi bonorum raptorum dicitur, rapinam eſſe ſpeciem furti, raptoremque teneri actione furti, & ſimiliter D. Auguſti. libr. ſecundo quæſtionum ſuper Exodum, quæſtione. 71. & habetur in capit. pœnale. 14. quæſtio. 5. affirmat nomine furti, intelligi quancunque rei alienæ illicitam acceptionem, non enim permittit rapinam qui furtum prohibuit, reſpondeo ſanctos patres atque iuriſconſultos frequentiſſime vti hac voce furtum latiſſima quadam ſignificatione, pro quacunque rei alienæ iniuſta acceptione; cùm tamen ſecundum proprietatem ſolum ſignificet occultam rei alienæ vſurpationem, quæ eſt ſpecies diſtincta contra rapinam, vt ex dictis patet.

Rapina nõ eſt ſpecies furti.

¶ Sed contra definitionem furti à nobis aſſignatam ſunt aliquot argumenta, quæ indigent ſolutione, vt rei veritas clarior pateat. Primò, ſic argumentor: Vſura eſt occulta acceptio rei alienæ; & tamen non eſt furtum, cùm ſpecie differat ab illo: ergo definitio furti non eſt bona. ¶ Secundo: Cùm filius, vel vxor ſurripit aliquid à patre, vel marito ipſis neſcientibus, eſt occulta acceptio rei alienæ, & tamen neuter illorum furtum committit, vt habet communis opinio Doctorum; neuter enim eſt infamis, aut punitur pœna furti: ergo definitio furti non eſt bona. ¶ Tertio. Qui domino videnti, & ſciẽte rem alterius accipit ſine aliqua violentia, eſt vere fur; & tamẽ non vſurpat rem occulte: ergo inſufficiẽter dicitur, ſolã occultã vſurpationẽ rei alienæ eſſe furtũ. ¶ Vltimò: Nomine rei alienæ, vt diximus in explicatione definitionis intelligimus rem ab altero poſſeſſam: ex quo intulimus, quòd, ſi quis filiam, vel filium ab aliquo ſurripuerit, non erit fur. ſed hæc particula, non ſic rectè explicatur, cum vſurpando filiam poſſit quis furtum committere: ergo. Probo minorem: Qui occultè vſurpat ſeruum alterius, eſt verus fur, vt omnes Doctoræ concedunt: ergo & qui occultè vſurpat filium, vel filiam. Probo conſequentiam: Nam non minus poteſt miniſtrare filius, vel filia patri, quàm ſeruus.

1. arg. contra diffinitionẽ furti.

2. arg.

3. arg.

Vltimum arg.

¶ Ad primum argumentum reſpondetur primò, negando maiorem. Vſura enim non importat in ſua ratione, quòd ſit occulta vſurpatio rei alienæ; quamuis hoc aliquando poſsit ei accidere: cùm tamen furtum id includat intrinſecè & eſſentialiter. Præterquàm quòd, vſura, & quæcunque alia acceptio iniuſta contractuum ſemper habet adiunctam fraudem & dolum. Et tamen in furto & rapina non eſt per ſe neceſſarium, quòd admiſceatur fraus, aut dolus. Vel ſecundo reſpondetur, quòd quando dicimus, furtum eſſe occultam vſurpationem, nomine occulti, non ſolum intelligimus clancularium acceptionem, ſed etiam inuoluntariam reſpectu illius, à quo res accipitur, ità, quòd fiat ipſo inuito. Nam ignorantia vt docebam,

Ad 1. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

causat inuolûtatium. Certum est autẽ, quod iniustitia in vsura, & alijs contractibus inuenta, fit domino partim volente, & partim nolente. Volente quidem contrahere & pacisci, nolente autem suo iure fraudari. Ex quo fit, vt tales cõmutationes voluntariæ appellentur: cùm tamen furtum, & rapina prorsus fiant domino nolente: & sic computantur inter commutationes inuoluntarias, differuntque specie à prioribus. ¶ Ad secundum in quo de furtis à filijs, seu vxoribus cõmissis est sermo, seorsum dicemus. Et primò de filijs cum Syluestro verb. furtũ. q. 11. quod vere furtum committũt aliquid de bonis parentum surripientes, contra eorum voluntatem, cum totum ibi inueniatur, quod requiritur ad rationem furti. Ex quo infert primò, quòd si res accepta est notabilis, erit peccatum mortale. Infert secundo, quòd si sint alij hæredes, tenentur cõhæredibus partem restituere, atque etiam parẽtibus, si filij haberent peculium castrése, hoc est militaria stipendia, vel alia bona libera. Quod est intelligendum, nisi voluerit patet filio furtum remittere, sicut posset illud remittere extraneo. Quæ omnia vera sunt, & rationi consentanea. Ex quibus ego infero tertio, quòd, si ad petitionem parentum pro re illa graui à filijs vsurpata, superiores induxerint sententiam excommunicationis, tenentur filij illam restituere ne excommunicatione irretiantur: nisi fortè constet eis de opposita voluntate parentum: cùm sint ibi omnia necessaria ad excommunicationem incurrendam. Verum est tamen longè grauiorẽ quantitatem esse necessariam ad hoc, vt furtum à filio commissum censeatur peccatũ mortale, propter quod excommunicatio incurratur; quã quæ requiritur in alijs personis: cùm quicunque parentũ iure præsumantur pro conditione sua, & statu indulgere filijs minutiores ac clãculatarias istas vsurpationes. Imò adhuc, quando furtũ fuit peccatum mortale, regulariter loquendo, non est præsumendus pater, voluisse filios excommunicationis censuras ferire; quanuis in dubio securius & salubrius erit petere absolutionem. Et idem prorsus, quòd diximus de filijs respectu parentum, habet etiam verum de vxore respectu mariti. Hoc addito ex mente Angeli in summa. verb. furtũ. § 35. quòd, si vxor habens virum prodigum celauerit de bonis illius contra eius prohibitionem, vt sibi, & viro, ac filijs prouideat tempore necessitatis, nullum peccatum committit, nec tenetur obedire viro præcipienti, vt sibi omnia tradat, quia id esset dare gladium furioso. Sed tenetur tunc vxor perinde se habere, ac si virum non haberet. Præterquàm quòd si multum creuerit prodigalitas viri, poterit vxor bona sua ac dotem retinere vt seruet se indemnem, vt communiter docent Doctores. ¶ Ad tertium vt respondeamus, aduertendum est, quòd accipiens rem alterius domino sciente, & videnti, dupliciter se potest habere in tali acceptione. Vno modo, vt existimet dominum nihil scire, aut videre: quanuis re vera contrarium contingat. Et tunc verè ac propriè furtum committit. Nã cùm actiones humanæ ex fine per se intento speciẽ desumãt, & ille per se intendat rẽ occultè, & non manifestè accipere; cõsequẽs est, vt sit verè furtum. Alio modo, vt existimet dominũ videre, ac scire talem actionem: est tamẽ paratus se defendere aut violentiam inferre. Et iste non dicitur verè ac propriè fur, sed raptor, vt ex supra dictis patet. Et sic argumentum factum nihil obstat definitioni furti à nobis assignatæ. ¶ Ad vltimum argumentum respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, non esse eandem rationem de seruo, aut ancilla alicuius, & de eius filia, aut vxore. Nam, quia seruus, & ancilla connumerantur interres à domino possessas, sunt enim illius, sicut equus, aut quoduis aliud animal, fit, vt qui seruum, aut ancillam occultè vsurpat, verè dicatur furtum committere. Secus autem erit de filia, & vxore, quæ sub hominis potestate tanquam res ab ipso possessæ existere nequeunt. Sortitur tamen huiusmodi filiæ, aut vxoris iniusta acceptio diuersa nomina ex diuersis finibus, propter quos vsurpari contingunt. Nam, si vsurpentur, vt in seruitutem redigantur, talis vsurpatio dicetur captiuitas, quæ sub vitio incarcerationis inter iniurias personales quæstione præcedenti posito, cõprehenditur, cùm vtrũque repugnet libero corporis vsui. Si autem vsurpentur nõ simpliciter, sed ad horam pro concubitu, & hoc fiat ipsis inuitis, raptus erit. Si verò fiat eis consentiẽtibus, extra propriasluxuriæ species, aut stupri, aut adulterij, aut simplicis fornicationis, iuxta qualitatem tam personæ extrahentis, quam extractæ, non video aliam deformitatem. Et quoniam serua non est sub domini potestate quo ad concubitum, cùm talis vsus serui non sit domini, fit, vt qui acciperet alienam seruam propter coitum, nisi forte ex hoc à domini seruitio impediretur, nullum furtum committeret, magis quàm coeundo cum illa in domo domini ipso inuito. Et hæc dicta sint de furti definitione.

2. argu.

3. argu.

Ad vltimum argumentum.

Cir-

Dubium circa solu. ad 2. D. Tho.

Circa solutionem ad secundum in qua dicit D. Thom. detinere id quod alteri debetur eandem rationem nocumenti habere cum acceptione iniusta, mouet Caietanus in præsenti graue dubium; an scilicet, detinens rem alienam inuito domino continuo peccet, vel potiùs aliquando, & quando id fiat. Sed quoniam hæc omnia sunt latè à nobis explicata supra quæstione. 62. articulo. 8. in principio, idcirco ab illis in præsenti supersedimus, remittentes lectorem ad præfatum locum, vbi contrariam sententiã tenuimus in multis ei, quã Caietanus in hoc commento prosequitur.

In solutione ad tertium dicit D. Thom. nihil prohibere, id quod est vnius simpliciter, esse alterius secundum quid: vt res deposita, quæ simpliciter est deponentis, secundum quid est eius apud quem deponitur, scilicet, quantum ad custodiam. Et eodem modo quod est per rapinam ablatũ, est rapiẽtis, non simpliciter, sed quantũ ad detentionẽ. Quibus verbis duo videtur significare autor. Vnum est, quòd raptor habet ius ad custodiam, vel detentionem eius rei, quam furto abstulit. Secundùm quod, qui furtim accipit rem suam à raptore, peccat, & committit furtum tanquam is, qui accipit id, quod secundum quid, scilicet quantum ad detentionem est alterius. Quod vtrumque videtur falsum. Quod sic probo primò: Raptor nullum habet ius detinendi rem, cum teneatur illam non detinere, peccetque mortaliter, volendo detinere; & tandiu sit in peccato mortali, quandiu detinet: ergo falsò asseritur rem raptam esse raptoris, quantum ad detentionem. Consequentia est nota, & antecedens, quo ad omnes suas partes fuit satis à nobis probatum, quæstione. 62. articulo. 8. in principio. ¶ Secundo, furtum non committitur in re propria, nisi alius habeat ius ad illam, vel pignoris, vel locationis, vt tenet omnis communis sententia Doctorum, habeturque expresse in lege si res §. primo. & in lege. si is, qui rem. ff. de furtis. sed in casu, de quo loquimur, qui accipit rẽ à raptore, accipit rem suam, ad quam raptor nullo ius, vel pignoris vel locationis habet: ergo nullum furtum committit, nec peccat. ¶ Tertio: Communis sententia Theologorum est, licitum esse cuique, rem propriam recuperare ab iniquo possessore, quando id iuridice efficere non potest: ergo si recuperet nullum furtum committit. His tamen non obstantibus adhuc dicit Caietanus in præsenti sententiam D. Thomæ, quantum ad vtrunque dictum esse veram, si recte intelligatur. Nam primum verum est, quod raptor habet ius ad custodiam, vel detentionem eius rei, quam furto abstulit, ad hunc sensum, quòd non potest priuata autoritate auferri ab eo inuito, nec dominus potest sibi ipsi ius dicere. Et item, quòd cùm raptor teneatur retinere rem, non sibi, sed domino restituendã, si posteà dominus accipit illam occultè à raptore iniuriam facit ei. Pro quanto ex ignorantia incurrit duplex damnũ. Vnum, quod est perdere rem, alterum, quod tenetur eius pretium iterum domino restituere, nesciens quòd res ad illum peruenerit. Secundum etiam dictum D. Thomæ habet verum in eo, qui accipit rem suam, putans esse alienam: qui quidem formaliter est fur, cùm actiones humanæ, vt sæpe dictum est, ex intentione speciem desumant: & præterea damnificetur proximus in iure detentionis, & vinculo restituendi, vt declaratum est. Nã qui occultè accipiet rem propriam à raptore ex intentione accipiendi proprium, & non damnificandi proximum, nullum furtũ committeret vt rectè probant duo vltima argumenta. Tenebitur tamen sic accipiens insinuare ei apud quem res existebat, quòd iam est liber à vinculo restitutionis, ne ex ignorantia bis eiusdem rei faciat solutionem.

1. argumẽtũ contra id quod dicit D. Tho. in solutione ad 3.

2. argu.

3. argu.

Responsio ad omnia simul.

Articvlvs iiii.

¶ Vtrum furtum & rapina sint peccata differentia specie.

Inf. art. 9. cor. Et q. 3. ar. 1. cor. Et ad 2. Et 2. cor. 12.

AD Qvartvm sic proceditur. Videtur, quòd furtum & rapina non sint peccata differentia specie: Furtum enim & rapina differunt secundum occultum & manifestum: furtum enim importat occultam acceptionem, rapina verò violentam & manifestam. Sed in alijs generibus peccatorum, occultum & manifestum non diuersificãt speciem; ergo furtum & rapina non sunt peccata specie diuersa.

1. q. 3. ar. 1. cor. 11. ar. 6.

2 ¶ Præterea, Moralia recipiũt speciẽ à fine, vt suprà dictũ * est. Sed furtũ & rapina ordinantur ad eundẽ finẽ scilicet habẽdũ aliena: ergo nõ differũt specie.

Lib. 19. ca. 17. & incipit, Religio fur. à medio.

3 ¶ Præterea, Sicut rapitur aliquid ad possidẽdũ, ita rapitur mulier ad delectãdũ. Vnde & Isidorus dicit in libro Etymologiarũ, * quòd raptor dicitur corruptor, & rapta dicitur corrupta. Sed raptus dicitur, siue mulier auferatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

publice, siue occulte? Ergo & res possessa rapi dicitur, siue occulte, siue publice rapiatur: ergo non differunt furtum & rapina.

Lib. 5. c. 2. in fi. to. 5. ¶ Sed Contra est, quod * Philosophus in quinto Ethicorum, distinguit furtum à rapina, ponens furtum occultum, rapinam verò violentam.

¶ Respondeo dicendum, quod furtum & rapina sunt vitia iustitiæ opposita, in quantum aliquis alteri facit iniustum. Nullus autem patitur iniustum volens, vt probatur in quinto * Ethicorum. Et ideo furtum & rapina ex hoc habent rationem peccati, quòd acceptio est inuoluntaria ex parte eius, cui aliquid subtrahitur. Inuoluntarium autem dupliciter dicitur, scilicet per ignorantiam, & violentiam, vt habetur in tertio * Ethicorum. Et ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum. Ergo propter hoc differunt specie.

Lib. 5. c. 9. ante med. to. 5.

Lib. 3. c. 1. to. 5.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd in alijs generibus peccatorum non attenditur ratio peccati ex aliquo inuoluntario, sicut attenditur in peccatis oppositis iustitiæ. Et ideo vbi concurrit diuersa ratio inuoluntarij, est diuersa species peccati.

¶ Ad secundum dicendum, quòd finis remotus rapinæ & furti idem est. Sed hoc non sufficit ad identitatem speciei, quia est diuersitas in finibus proximis. Raptor enim vult per propriam potestatem obtinere; fur verò per astutiam.

¶ Ad tertium dicendum, quòd raptus mulieris non potest esse occultus ex parte mulieris, quæ rapitur. Et ideo etiam si sit occultus ex parte aliorum, quibus rapitur, adhuc remanet ratio rapinæ ex parte mulieris, cui violentia infertur.

Svmma Textvs.

Conclusio est affirmatiua. Quam probat D. Thom. in argumento, sed contra ex Aristo. libro. 5. Ethicorum c. 2. distinguẽte furtũ à rapina, penes, hoc quod illud est occultũ, hæc autẽ violenta. Et in corpore articuli hac ratione: Differentia specifica actuũ attenditur penes formalem distinctionem obiectorum: sed hæc est in furto & rapina: ergo differũt specie. Cõsequentia cũ maiori est nota, & minor probatur: Furtũ, & rapina in hoc conueniunt, quod ambo iustitiæ commutatiuæ aduersantur, quatenus per vtrumque iniustum fit, iusque alienũ violatur: sed iniustum nullus patitur, nisi inuitus, & contra suam voluntatem, vt docet Arist. 5. Eth. ca. 9. ergo ex diuerso modo, quo actiones iniuriosæ fuerint inuoluntariæ debẽt inter sese specie distingui. Sed inuoluntarium est duplex, vt docet Aristil. 3. Ethic. cap. 1. vnũ per ignorantiã, alterum per violentiam, quæ specie distinguũtur: ergo furtũ, quod ex sua ratione dicit iniustam acceptionẽ, domino ignorante, specie differt à rapina, quæ in sui ratione dicit iniustã acceptionẽ dño conscio, ac violentiam patiente. Itaque ad intelligendam distinctionẽ, quæ est inter furtũ, & rapinam, non ad rẽ alienam, quæ est quid materiale, sed ad rationẽ inuoluntarij in vtroque inuentam, quæ est quid intrinsecum, & essentiale iniustæ acceptioni, est aspiciẽdum.

Explicatio Arzicvli.

Pro explicatione huius articuli aduertendum est primò, quod hoc nomẽ, rapina, multipliciter accipitur à Doctoribus. Vno modo impropriss imè, & largissime pro qua cunque indebita vsurpatione cuiuscunque rei, siue corporalis, siue spiritualis. In qua significatione dixit Paulus ad Philip. cap. 2. loquens de Christo: Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Alio modo minus largè, sed adhuc impropriè pro illicita vsurpatione, vel occupatione rei temporalis occultè siue manifestè facta. In qua significatione dixit Ambrosius: Qui vsuram accipit rapinam facit. 14. quæstione. 4. & D. Augustinus: Si quid inueniſti, & non reddidisti rapuisti, eadem causa & quæstione. Tertio & vltimò accipitur rapina propriè, & strictè, vt distinguitur contra furtũ, & vsurã. Qua ratione loquimur in præsenti de rapina. Estque, vt ex sententia D. Thomæ in hoc articulo colligere licet, ablatio rei alienæ iniusta, & violenta. Ex quo infertur, quòd, nec qui rem suam etiam per violentiam tollit ab eo, qui abstulerat, nec qui alienam iustè, vt in bello, nec qui alienam iniustè non per vim, sed latenter vt in furto, nec qui ex voluntate domini, vt in vsura accipit, rapinam committit. Non est autem necessarium ad rapinam, quod violenter & publicè fiat, quidquid dicat summa Angelica in

Nomen rapina accipitur multipliciter.

in verbo rapina. cum non sit de ratione illius, quod fit publicè alteri, quàm ei, à quo res per violentiam ausertur, vt constat ex capit. pœnale. 14. q. 5. Ex quo factum fuit, vt in lege prima. C. vi bonorum raptorum. rapina dicatur violenta acceptio rerũ, & raptor, qui bona aliena rapit vi & apertè. Vbi est ponderandum, quòd non dixit publicè, sed aperiè, id est, domino sciente, & vidente, seu, vt dicitur in dicto capit pœnale, visibiliter, quia id solum est necessarium.

Rapina potest fieri multipliciter.

Potest verò rapina fieri multipliciter. Primò, in vsurpatione dominiorum, vel statuum: secundo in extorsionibus iniustis dominorũ, & communitatum: tertio in extorsionibus iniustis officialium, quarto in bellis iniustis: quinto in vsurpationibus factis per priuatas personas, vt in naufragijs, stratis, & huiusmodi iniuritis alijs.

Furtum & Rapina distinguũtur ex diuersa ratione obiecti.

Secundo est aduertendum ex Caietano in præsenti, quod intentio D. Thomæ in ratione, quam in hoc articulo constituit, non est inferre diuersitatem specificam furti, & rapinæ ex diuersa dispositione mentis personæ læsæ. (accidit enim peccato meo, quod mens eius qui hæditur hoc vel illo modo disponatur) sed ex diuersa ratione obiecti, circa quod versantur. Ex eo enim, quòd iniustè accipiens iniustum facit, sufficienter colligitur, quòd obiectum acceptionis tam in furto, quam in rapina est iniustum. Et quia iniustum, vt sic, includit in se rationem inuoluntarij respectu illius, qui iniustum patitur, cùm nullus patiatur iniustum volens, rursus sit, vt secundum rationem inuoluntarij in iniusto inclusum, possint actiones iniuriosæ specie distingui. Sicque rapina, quæ est acceptio iniusta inuoluntarij per violentiam distinguitur specie à furto, quod est acceptio iniusta inuoluntarij per ignorantiam. Et cõstituuntur duæ species: vna furti accipiendo occultè alienum, altera rapinæ, accipiendo violenter. Quam differentiã non solum morales philosophi, verùm & Iurisconsulti, qui ex eadem philosophia suas leges elicuerunt, cognoscunt, vt patet ex lege, sed nouo iure. Codice de seruis fugitiuis, & ex lege. fur. ff. de furtis. Nonnulli solent distinguere furtum à rapina ex eo, quòd furtum fit in tenebris, rapina autem sub luce diei. Vel ex eo, quòd furtum committatur in absentia domini, rapina verò in eius præsentia. Sed neutra istarum distinctionum est sufficiens, cùm contingere possit, vt furtum in die, & in domini præsentia fiat, rapina autem in nocte & domino absente. Si quis enim vi noctu ædes aggrediatur, paratus vim inferre, etiam si nemo sit intus, erit raptor. Si autem in die domino præsente, & præ modestia tacente, bona surripiat, nulla vi illata, nec paratus inferre, quoniam existimat dominum nihil videre, verè & propriè furtum committet. Itaque proprissima, & specifica differentia inter furtum, & rapinam existens, ex eo solum est desumenda, quòd furtum latenter, & absque aliqua violentia fit, rapina verò seu latrocinium violenter. Et hinc rapinæ culpa præ illa, quæ est in furto, augescit, vt videbimus articulo vltimo huius quæstionis.

Iurisprudẽtes distinguunt duplicem furem.

Iurisprudentes solent distinguere duplicem furem, nocturnum, scilicet & diurnum. Quæ distinctio ad id solum deseruit, quòd personæ priuatæ licitum est impunè furem nocturnum occidere, vt habetur Exod. 22. & de homicidio. capitulo. si perfodiens, cum tamen furem diurnum occidere non ità priuatæ personæ permittatur. Et ratio est: Nam cum fur nocturnus timeat, ne agnoscatur, aut infametur, aut in furto deprehendatur, iure præsumitur, quod venit paratus occidere ne deprehendatur: ac proinde meritò conceditur cuique facultas illum impunè occidendi. Maximè si dominus ad suarum rerum defensionem alio remedio vti non possit. At verò in fure diurno, quia alia remedia habet is, qui bona surripiuntur, potest enim furem agnoscere, contra eumque cognitum in iudicio agere, potest etiam clamore, & vicinorum conuocatione furtum impedire; quæ remedia non ità solent noctu occurrere; non ita conceditur facultas impunè furem occidendi. Quanuis tam die, quàm nocte licitum erit, in conscientia bonorum aggressorem occidere; quando id ad illorum defensionem fuerit necessarium, vt diximus supra quæstione, 64. articulo. 7. Distinguunt præterea ijdem iurisprudentes furtum in manifestum; quale est illud, cum quo fur ipse deprehenditur, antequam rem furtiuam in domum deportet, & occultum; quale est illud, cum quo fur non ità deprehenditur, vt constat ex lege secunda & tertia. ff. de furtis. Sed hæc distinctio similiter deseruit solum ad pœnam iuris furi inferendum, quæ diuersa contra manifestum, & occultum legitur instituta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS V.

¶ Vtrum furtum semper sit peccatum.

Inf.q.118. art.4. cor. Et 2.q.42 q.2.art.4. co. Et mal. q.10.arti. 2.co. Et quæst. 15.arti.2. cor.princi pio.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quòd furtū non semper sit peccatum. Nullum enim peccatum cadit sub præcepto diuino. Dicitur enim Eccles. 15. Nemini mandauit impiè agere. Sed Deus inuenitur præcepisse furtum. Dicitur enim Exodi 12. Fecerunt filij Israel sicut præceperat Dominus Moysi, & expoliauerunt AEgyptios: ergo furtum non semper est peccatum.

2 ¶ Præterea, ille qui inuenit rem non suam, si eam accipiat, videtur furtū committere, quia accipit rem alienam. Sed hoc videtur esse licitum secundum naturalem æquitatem, vt iuristæ dicunt: ergo videtur quòd furtū non semper sit peccatum.

3 ¶ Præterea, ille qui accipit rem suā, non videtur peccare: cum non agat contra iustitiam, cuius æquitatem nō tollit. Sed furtum committitur etiam si aliquis rem suam occultè accipiat ab altero detentam vel custoditam: ergo videtur quòd furtum non semper sit peccatum.

¶ SED CONTRA est quod dicitur Exod.10. Non furtum facies.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd si aliquis consideret furti rationem, duas rationes peccati in eo inueniet. Primò quidem propter contrarietatem ad iustitiā, quæ reddit vnicuique quòd suum est. Et sic furtum iustitiæ opponitur, in quantum furtum est acceptio rei alienæ. Secundò, ratione doli, seu fraudis quam fur committit occulte, & quasi ex insidijs rem alienam vsurpando. Vnde manifestum est, quòd omne furtum est peccatum.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd accipere rem alienam vel occulte, vel manifeste authoritate iudicis hoc decernentis, non est furtum: quia iam fit sibi debitum per hoc, quòd sententialiter sibi est adiudicatum. Vnde multo minus furtum fuit, quòd filij Israel tulerunt spolia AEgyptiorum de præcepto Domini, hoc decernentis pro afflictionibus, quibus AEgyptij eos sine causa afflixerant. Et ideo signanter dicitur Sapi.10. Iusti tulerunt spolia impiorum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd circa res inuentas est distinguendū. Quædā enim sunt quæ nunquā fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris. Et talia occupanti concedūntur. Et eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum nō est aliquis possessor, nisi quòd secundū leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatē domino agri, si in alieno agro inuenerit. Propter quod in parabola Euangelij dicitur Matt.13. de inuentore thesauri absconditi in agro, quòd emit agrū, quasi vt haberet ius possidendi totum thesaurum. Quædam verò res inuentæ fuerunt de propinquo in alicuius bonis. Et tunc si quis eas accipiat nō animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis nō habet, non cōmittit furtum. Et similiter si pro derelictis habeantur, & hoc credat inuētor, licet sibi eas reineat, non cōmittit furtum, aliàs autem committitur peccatū furti. Vnde Augusti. dicit * in quadam Homi. & habetur 14.quæst.5. Si quid in uenisti, & non reddidisti, rapuisti.

Serm.38. de verbis Apo. à medio to.10. Et habetur 14.q.5.ca. Si quid.

¶ Ad tertium dicendū, quòd ille qui furtim accepit rem suam apud alium depositam, grauat depositarium: quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innoxium. Vnde manifestum est quòd peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij. Qui verò furtim accipit rem suam apud alium iniustè detentā, peccat quidem, non quia grauet eum qui detinet (& ideò non tenetur ad restituendum aliquid vel ad recompensandum) sed peccat contra communem iustitiā, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium, iuris ordine prætermisso. Et ideo tenetur Deo satisfacere, & dare operam vt scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

CONclusio huius est articuli affirmatiua, quā probat D.Tho. in argumento sed contra, ex illo Exod.10. Non furtum facies. Et in corpore articuli hac ratione: furtum aduersatur iustitiæ reddenti vnicuique quod suum est, continetque in se quandam rationem doli, seu fraudis in quantum fur occultè & quasi ex insidijs rē alienam vsurpat: ergo semper est peccatū.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusio huius articuli est certissima, & lumine naturali nota, vtpote quæ ex illo principio. Quod tibi non vis alteri ne feceris, euidenti consequentia deducitur. Cæterùm circa responsiones, quas D.Tho. argumentis à se propositis adhibet, sunt non leues, nec contemnendæ difficultates. Et sic circa solutionem ad primū, in qua de facto filiorū Israel quo Ægyptios absque peccato ex Dei mādato expoliauerūt agitur, est quæstio grauis, vtrum habuerit id factum rationem furti. Scotus in 3.d.37.q.1. partem tenet affirmatiuam, quam probat ex eo, quòd fuit occulta vsurpatio rei alienæ domino inuito, quod rationem furti constituit. Dicit tamen filios Israel in eo facto non peccasse, quia ex mandato Dei, qui potens fuit in præcepto de non furando dispensare, id fecerunt. Eandem sententiam tenet Okam in secūdo d.19. Qui dicit, non solum potuisse Deū in illo præcepto de nō furando, & in omnibus alijs Decalogi dispensare, verū etiā cōtrariū illorū præcipere. Quo facto meritoriū esset cōtra præcepta Decalogi operari, etiā si operatio esset odium Dei. Quam tuam sententiā nulla alia ratione probat, nisi ea communi & ab eo sæpiùs repetita, quod non implicat contradictionem, Deus potest facere: hoc nō implicat: ergo. Hæc tamen sententia adeò est absurda, vt contra eam disputare non sit necesse. Qua enim ratione potest intelligi esse bonum odio habere summū bonū, & summā rectitudinē, qui est Deus. Quare qui hoc diceret necessario fateri cogeretur, eundem posse esse, amicum & inimicum Dei. Amicum quidem; quia illius obsequitur volūtati: inimicū autem, quia eū odio prosequitur, quod est impossibile. ¶ D. Tho. 1. secundæ quæst.100.art.8. qui dicit omnia præcepta Decalogi ita esse indispensabilia, vt nec de potentia Dei absoluta possit super eis cadere dispensatio, consequenter affirmat, factum illud filiorum Israel quo Ægyptios spoliauerunt, furti rationem non habuisse, sicut nec habuit rationem culpæ. Quæ sententia est vera, atque tenenda. Ad cuius explicationem aduertendum est, primò, quòd dispensare in lege, propriè loquendo, nihil aliud est, quàm ratione legis inuariata manente, aliquem in particulari ab eius obligatione eximere. Est enim latissimum discrimen inter hæc quatuor verba, irritare si abrogare, interpretari, & dispensare secundum quòd legibus accōmodantur, vt communiter dicūt Doctores. Irritare enim, est legem cassare, & impedire, ne robur obtineat. Quomodo princeps autoritate in ipso existente potest irritare legem ab aliqua ciuitate institutā, eam non approbando. Et similiter maritus potest irritare vota vxoris, & pater vota filiorum, antequam perueniant ad legitimam ætatem. Super quibus quidem si solida essent dispensare non possent. Abrogare legem est, postquam vim habet in totum tollere ne amplius obliget. Ad quod requiritur plena potestas supra ipsam legem. Interpretari autem est legem declarare. Ad quod tantum requiritur iudicium & eruditio. Vnde quilibet potest legem interpretari, etiā si nullam habeat potestatem gubernatiuam. Pertinetque hoc ad virtutem epicheiæ, qua quisque vti potest in casu, quo obseruantia legis propter aliquas circunstantias pugnat cum bono communi, vt docet D. Thom. 1 secundæ quæstione 96. articulo. 6. Dispensare verò est autoritate superioris relaxare obligationem legis in aliquo particulari. Quod quidem fit quotiescunque aliquis excipitur ab obseruantia legis ex facultate sibi à superiori peculiariter concessa, sine qua legi esset subiectus. Itaque dispensare, propriè loquendo tunc tantum est, quando ratione legis inuariata manente, aliquis in particulari ab eius obligatione eximitur. Et si ratio legis variatur non dicitur in ea dispensari: sed quod cessat lex. Secundo est aduertendum, quòd quamuis ratio iusti, & boni, generaliter loquendo, consistat in hoc, vt nullus malum operetur, nec alterius iura violet; hæc tamen ratio à parte rei inueniri non potest, nisi in actionibus particularibus, vt non furari, non occidere, non mœchari, &c. Quarum aliquæ ita habent intrinsecam, & coniunctam rationem recti, vt ab illis separari non possit. Aliæ verò ita habent coniunctam rationem mali, vt ab illis sit prorsus inseparabilis, vt est videre in odio Dei. His positis sit.

Dubiū gra ue. Sententia Scoti.

Sententia D.Tho.

Discrimē quod est inter irritare abrogare, interpretari & dispēsare legibus accommodata.

Prima Conclusio: Supra illud præceptum generale, non est iniuste operandum, & vnicuique ius suum est tribuendum, nulla *1.conclu.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione potest cadere dispensatio. Probatur: Nam si liceret ex dispensatione iniuste operari, idem esset licitum, & illicitum, iustum, & iniustum; idemque esset consentaneum rationi, & dissentaneum: darēturque duæ contradictoriæ simul veræ, quod per omnem potentiam est impossibile.

2. Concl. Secunda conclusio: Supra præcepta particularia eorum actionum, in quibus ratio iusta atq; debita necessario, & inseparabiliter inest, nulla ratione potest cadere dispesatio. Probatur: Idem esset dispensare in his præceptis particularibus, quòd in illo generali supradicto: sed supra illud non potest cadere dispensatio, vt diximus in prima conclusione: ergo nec supra hæc. Consequentia cùm minori est nota, & maior probatur: Non possunt hæc præcepta particularia violari, quin violetur præceptum commune, & generale de non iniustè operando: sed hoc non potest licite fieri: ergo.

3. Concl. Tertia conclusio quæ sequitur ex supradictis est, quòd omnia decem præcepta Decalogi sunt prorsus indispensabilia, etiam de potentia Dei absoluta. Probatur: Omnia & singula illorum habent necessariò & intrinsece coniunctam rationem iusti, atque recti: ergo licitè contra illa fieri non potest. Consequentia est nota, & antecedens probatur: In præceptis Decalogi non præcipitur, vt reddamus Deo, & proximo debitum, quomodocunque, sed quando recta ratio dictauerit esse reddēdum: vt præceptum de non furando nō præcipit, ne alienum accipiamus, sed, ne illud iniuste accipiamus: & item præceptum, de non occidendo, non præcipit, ne vnquam occidamus; sed tantum ne iniustè id faciamus: sed implicat contradictionem, quod licitè fiat id, quod est ex se & intrinsecè malum: ergo etiam implicat, quod illa præcepta sint dispensabilia. Et confirmatur: Præcepta affirmatiua Decalogi præcipiūt id, quòd ex se est rectum; negatiua autem prohibent id, quòd ex se est iniustum & malum: ergo implicat contradictionem, quòd sint dispensabilia. Probo consequentiam: Nam si essent dispensabilia, liceret facere, quod secundum se est iniustum, quod est impossibile.

1. corollarium. ¶ Ex dictis infero primo. Deum nulla ratione dispensasse in præcepto de non furando, cum filijs Israel eo tempore, quo illis præcipit, vt Ægyptiorū vasa surriperēt. Est enim hoc vnum ex illis, quæ in Decalogo continentur, supra quæ vt diximus, etiam de potentia Dei absoluta, cadere non potest dispēsatio. Infero secundo quòd, cùm illud factū peccatum non fuerit, nec etiam potest habere rationem furti, quod intrinsece, & essentialiter malum est. Sed cum videatur esse occulta acceptio rei alienæ domino inuito, vt dicebat Scotus, quæ est diffinitio furti, non facile erit explicare, qualiter in se rationem furti non contineat. Ad cuius explicationem aduertendū est, quòd Deus in vniuersum ortem duas habet potestates. Vnam iure creationis, ratione cuius est Dominus non solū bonorum omnium externorum, verùm etiā corporum, & humanæ vitæ, atque angelorū, quos tanquam propria opificia ad nihilum redigere potest. Alteram tanquam legislator, & vniuersalis omnium iudex. Quas in præsenti claritatis gratia distinguimus. Quo supposito dico primo, quòd, si Deus non haberet primam potestatem, sed solum secundam tanquam legislator, & iudex nunquam posset præcipere, vt vnus rē alteri⁹ domino inuito, si innocēs esset, licitè vsurparet: quia hoc adeo est intrinsece malū, vt per nullam potētiam iuste fieri nequeat. Cæterum quia Deus etiam primam habet potestatem, hoc est, dominium supra omnes res, multò melius atque perfectius, quàm quilibet homo dominium habet supra pallium à se possessum, fit, vt cuiuscūque rem ipso inuito possit alteri tradere. Nec hoc est dispensare in furto: sicut nec tu, quando rem tuam alteri tradis, in furto dispensas. Sed est solum rē suam dare cui vult. Itaque, sicut pater vestem parui filij eo inuito tradens amico, non dispensaret in furto, licet inuitus filiolus expoliaretur, quia pater est verus dominus: & sicut prælatus meus me inscio, & inuito concedēs alteri facultatem capiendi meos libros, non dispensaret in furto, sed solum traderet quod suæ distributioni est commissum: ità etiam licèt Deus Ægyptiorum vasa, tāquam dominus tradidisset Hebræis, & posteà eisdem terrā Promissionis primis habitatoribus inuitis; non diceretur dispensare in præcepto de non furando, nec ea acceptio à filijs Israel facta haberet rationē furti. Nam quamuis particulares domini inuiti suis bonis spoliarentur, à supremo tamen Domino facta fuisset legitimè donatio. Quod satis est ad hoc, vt nec acceptio sit furtum, nec donans dicatur dispēsare in præcepto de non furādo. Quod & ex eo cōfirmari potest. Nam etiam si per impossibile Deus non fuisset legislator, nec aliqua in leges potestate fungeretur, adhuc illa vsurpatio vasorum à filijs Israel facta esset legitima, & licita. Quod euidens est testimonium nihil ibi dispensationis interuenisse, cum dispensare vt supra dicebam, nihil aliud sit, quàm autoritate superioris legis obligationem relaxare. Hæc à me sub conditione dicta sunt, quoniam existimo,

Deus habet duas potestates.

2. corollarium. peccatum non fuerit, nec etiam potest habere rationem furti, quod intrinsece, & essentialiter malum est. Sed cum videatur esse occulta acceptio rei alienæ domino inuito, vt dicebat Scotus, quæ est diffinitio furti, non facile erit explicare, qualiter in se rationem furti non contineat. Ad cuius explicationem aduertendū est, quòd Deus in vniuersum ortem duas habet potestates. Vnam iure creationis, ratione cuius est Dominus non solū bonorum omnium externorum, verùm etiā corporum, & humanæ vitæ, atque angelorū, quos tanquam propria opificia ad nihilum redigere potest. Alteram tanquam legislator, & vniuersalis omnium iudex. Quas in præsenti claritatis gratia distinguimus. Quo supposito dico primo, quòd, si Deus non haberet primam potestatem, sed solum secundam tanquam legislator, & iudex nunquam posset præcipere, vt vnus rē alteri⁹ domino inuito, si innocēs esset, licitè vsurparet: quia hoc adeo est intrinsece malū, vt per nullam potētiam iuste fieri nequeat. Cæterum quia Deus etiam primam habet potestatem, hoc est, dominium supra omnes res, multò melius atque perfectius, quàm quilibet homo dominium habet supra pallium à se possessum, fit, vt cuiuscūque rem ipso inuito possit alteri tradere. Nec hoc est dispensare in furto: sicut nec tu, quando rem tuam alteri tradis, in furto dispensas. Sed est solum rē suam dare cui vult. Itaque, sicut pater vestem parui filij eo inuito tradens amico, non dispensaret in furto, licet inuitus filiolus expoliaretur, quia pater est verus dominus: & sicut prælatus meus me inscio, & inuito concedēs alteri facultatem capiendi meos libros, non dispensaret in furto, sed solum traderet quod suæ distributioni est commissum: ità etiam licèt Deus Ægyptiorum vasa, tāquam dominus tradidisset Hebræis, & posteà eisdem terrā Promissionis primis habitatoribus inuitis; non diceretur dispensare in præcepto de non furando, nec ea acceptio à filijs Israel facta haberet rationē furti. Nam quamuis particulares domini inuiti suis bonis spoliarentur, à supremo tamen Domino facta fuisset legitimè donatio. Quod satis est ad hoc, vt nec acceptio sit furtum, nec donans dicatur dispēsare in præcepto de non furādo. Quod & ex eo cōfirmari potest. Nam etiam si per impossibile Deus non fuisset legislator, nec aliqua in leges potestate fungeretur, adhuc illa vsurpatio vasorum à filijs Israel facta esset legitima, & licita. Quod euidens est testimonium nihil ibi dispensationis interuenisse, cum dispensare vt supra dicebam, nihil aliud sit, quàm autoritate superioris legis obligationem relaxare. Hæc à me sub conditione dicta sunt, quoniam existimo,

stimo, Deum in illa vasorum traditione, non absoluta dominij potestate fuisse vsum, sed legitima iudicis autoritate. Et sic dico secundo quòd, quoniam de laboribus, quos Hebræi Ægyptijs impenderant in luto & latere, mercedem non acceperant, iusto Dei iudicio factum est, vt Ægyptij ab Hebræis suis bonis spoliarētur. Quando autem iudex criminosum aliquē inuitum suis bonis priuat, nec illa accipiens committit furtum, nec ipse iudex dicitur in furto dispensare. Quoniá prohibitione illa furandi, solum id, quod ius naturæ vetat, interdicitur, nempe, innocentem inuitum autoritate priuata suis bonis priuari: sicut & præcepto de non occidendo solū id prohibetur, quod lex naturalis abhorret. Quare cùm iudex tradit reum carnifici interficiendum, non dicitur dispensare in homicidio, quia prohibitio illa ad talem occisionem non extenditur, imò illam præcipit. Sicut nec est dispensatio, quòd quis inculpata tutela inuasorem interficiat, vt latè diximus in materia de homicidio q. 64. arti. 2. Et hæc est ratio saluandi Hebræos, quam D. Thom. sequitur hic ad primum. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm licitum sit principibus Deum imitati, in hoc, vt aliquid occulte præcipiāt citra publicum ministrorum tumultum exequēdum. Quod est quærere, vtrum possit licitè princeps priuatim alicui præcipere, vt occultè alterum bonis aut vita spoliet, & vtrùm tale præceptum accipiens teneatur illud exequutioni mandare. Ad cuius explicationem dico breuiter, quòd si dicta causa, lataque condemnationis sententia id faceret, proculdubiò esset licitum ei parere, quia expedit aliquando secretas huiusmodi executiones fieri. Nec id tunc esset, aut furtum, aut homicidium, sed executio iustitiæ. Cæterum, si iudicij forma ac ordine non seruato, id præciperet non solum princeps peccaret, verum etiam quicunque præcipienti obsequeretur. Tenentur enim principes, iudiciario ordine semper procedere, cum non sint Deus, qui errare nō potest. Nisi forte in aliquo casu particulari, qui rarissimè contingit, in quo delictum sit manifestū, nec punitio moras, aut strepitum publicum patiatur, sine magno reipublicæ detrimento.

Quæstio.

Responsio.

Sententia D. Tho. de rebus inuentis.

¶ In solutione ad secundum argumentum, agit D. Tho. de rebus inuentis, pomtq; hanc distinctionem. Quædam inuenta sunt, quæ nullius vnquam fuerunt propria, vt lapilli & gemmæ, quas maritimum littus procreat. Et talium inuentores nulli restitutioni subduntur. Quæ enim nullius vnquam fuerunt primo occupanti conceduntur. Et eadem ratio est de inuētione thesauri, cuius domini nulla extare potest memoria. Præterquam, quòd legibus ciuilibus tenentur inuentores medietatem dare domino agri, si in alieno fuerit inuentus. Cui ordinationi consonare videtur parabola Euangelica Matth. 13. de inuentore thesauri in alieno agro absconditi, qui, vt ius haberet totum thesaurum possidendi agrum emit. Aliæ res inuentæ sunt, quæ de propinquo fuerunt in alicuius bonis. Et tunc, aut habentur pro derelictis, idq; credit inuentor, aut non. Si primum, potest inuentor illa retinere, nec furtum committit. Si autem sit secundū, & inuentor illa sibi retineat, furtum committit, iuxta illud Augustini in quadam homilia: Si quid inueneris, & non reddideris, rapueris. Hęc D. Thom. Ad quorum intelligentiam aduertendū est, quòd, vt constat ex D. Tho. in præsenti, bona inuenta possunt esse in triplici differentia. Quædam enim sunt, quæ nullius vnquam fuerunt, vt lapilli, & gemmæ in littore maris inuentæ. Alia, quæ alicuius aliquando fuerunt: prioris tamen domini nulla extat memoria, sed nec extare potest, vt thesaurus vetustus. Et denique alia, quæ in propinquo fuerunt in alicuius bonis. De quibus omnibus suo ordine erit dicendum. Et primò de illis, quæ nullius vnquam fuerunt, res est certa atque manifesta, quòd sunt primi occupantis, vt dicitur Institutta de rerum diuisione. §. feræ. & §. lapilli. & ff. eodem titulo. Et ratio est: Nam littora maris iure gentium manserunt communia. Idemque iudicium erit de auri aliorumque metallorum venis in viscēribus terræ repertis. Verum tamen est secundum Mercatum, in libro de contractibus, quòd erit licitum Principibus, atq; Regibus aliquando ex iustis, & rationabilibus de causis aliquibus in particulari priuilegia concedere, vt ipsi soli & non alij in certis littoribus maris gemmas, & lapillos piscandi fa cultate potiantur. Nam cum hæc sint communia, libetum erit ei, qui boni communis curam gerit ea alicui in particulari concedere, si boni communis ratio id postulauerit. Quomodo piscationem thymnorum reseruatam in Hispania existimo Duci Metymnensi. Non tamē adeò stricto rigore harum rerum concessionem seu appropriationē per hæc priuilegia alicui facta, est dicendum, vt reliqui ità inhibeantur talibus locis prædicta piscari, vt ea restituendi in conscientia obnoxij fiant. Sed solum indicitur iudicibus, ne cæteros ibi piscari sustineant, in talisque piscationis aggressores pœnas præscriptas, aut præscribendas exequantur.

Bona inuenta in triplici differentia.

¶ Sed dubium est, vtrùm licitum sit vni- *Dubium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuique vnius nationis ad aliam quæsitum aurum in venis terræ existens peregrinari? Et

Argumen. pro parte affirmatiua est argumentum: res illæ iure gentium manserunt communes, & indiuisæ, vt modo dicebam: ergo licitum erit cuiq; illas habendi gratia, quo voluerit properare. Hoc tamen non obstante, dico, id nõ

Conclusio. esse omnino licitum, nisi vel incolæ ipsi consentiant, vel eas minas omnino habeant pro derelictis. Regiones enim iure gentium sunt diuisæ. Et sic quamuis gentibus illius regionis illæ res censeantur communes, respectu tamen externorum censentur particulares. Quare aduenæ eas incolis inuitis vsurpare non poterunt. Non enim valent Galli mineralia inueniendi gratia, ad nos properare, nec nos ad illos proprijs habitatoribus inuitis, vt de se patet. De argenti autem, vel auri

Quid sit dicendum de fodinis apud Indos repertis. fodinis in regionibus occidentalium inter Indos repertis, deque iure, quod Hispani supra illas sibi acquirere possunt, multa dicenda supperent: sed pauca nunc à nobis pro præsenti instituto dicere etit sufficiẽs. Quorum primum est, idque certissimum, Indos infideles propter suam infidelitatem rerum suarum dominio nõ esse priuatos, vt ex mente D. Thomæ ostendimus latè in primo tomo quæst. 10. artic. 10. Dico secundo contrà Turcas, atque Sarracenos multis de causis iustum Christianos gerere bellum. Nam primo sunt nobis hostes infestissimi, apertisque nostram cum persequutionibus, tum irrisionibus religionem insectantur: tum etiam, quia terras, atque regiones, quæ olim nostræ fuerunt inuasas præoccupatasque habent. Ex quo fit, vt principum Christianorum ad id à Papa potestatem publicam habentium, autoritate, sicut bello subijci, ità & terrarum, quas possident, dominio expoliari priuariq; possint. At verò Indos, qui sicut anteà Christi nomen non audierant, ità nec illud susceperant, nec nobis infensi erant, nihilque nostrum inuaserant, dominio suorum minerarium, & aliarum rerum priuare iniquum, & iniustum est omnino. Nisi cum talia mineralia, prout in sua relectione de Indis, docet Victoria, pro derelictis haberent. Quod tũc contingeret, quando peregrinis Hispanis venientibus, & sine oppressione eorum argentum, vel aurum suffodientibus, ipsi nihil curantes gauderent, ægreque non ferrent. Dico tertio, quod postquam Indi gremio Ecclesiæ per baptismum sunt aggregati, sub eodemque Christiano Rege degunt, quia peiores ob id conditionis esse non debent, quòd se fidei religionique Christianæ per baptismum addixerunt, nec etiam possunt licitè suis mineralibus, aut aliarum rerum dominio inuiti spoliari. Ita habetur expresse in extrauaganti Ioannis 22. quæ incipit. Iudæi de Iudeis. Cuius verba sunt, quæ sequũtur: Iudæi ad fidem conuersi, non sunt in suis possessionibus & bonis alijs, quocunque nomine censeantur, quæ conuertionis tempore obtinebant, vel obtinebunt, occasione prædicta molestandi, nec permittẽdi ab alijs molestari, sed protegendi, & defendendi, vt sic de seruitute ad libertatem se transisse percipiant. Quia dignum est & iuri consonum, fonte renatos baptismatis, Iudaica cæcitate dimissa, amplioribus fauoribus, & gratijs abundare, vt qui in perfidia abundabãt non cogantur mendicare fideles. Quæ decreta inter hos iam nouiter conuersos Indos locum etiam habere debent. Ex quo infertur, nulla ratione esse licitum Hispanis apud Indos de gentibus eorũ mineralia, nisi ipsis cõsentientibus surripere, quantò magis eos suis possessionibus expoliare, inuitosque ad suffodienda metalla destinare. Vbi, quia natura sunt imbecilles, nec ad tantum laboris subeundum pares, animas inter tam operosum negotium sæpe exhalare contingit, vt testes sunt qui viderunt. Quare qui contrarium fecerint, aut facere permiserint, præterquam quòd sunt in statu peccati mortalis, obnoxij etiam erunt restitutioni. Et hæc dicta sufficiant de illarum rerum inuentione, quæ sub nullius vnquam potestate fuerunt.

§ De illis autem, quæ alicuius aliquando fuerunt, prioris tamen domini iam nulla memoria extare potest, quales sunt thesauri per uetusti, vt dicamus, aduertendum est primò, quòd thesaurus nihil aliud est, quàm pecu-

Thesaurus quid sit. nia sub terra, vel alibi absconsa, tempore vetustiori, cuius ignoratur dominus, & de cuius occultatione nulla extat memoria, vt dicitur in lege nunquam. §. thesaurus. ff. de acquirendo dominio. & melius Instituta de rerũ diuisione. §. thesauros. & lege. 1. C. de thesauris. Secundo est aduertendum, quòd de inuentione thesauri quædam habentur dispo-

Quæ habẽtur dispos ta in iure de thesaurir. sita iure communi. Quorum primum est, quòd, si thesaurus magica arte fuerit inuentus, siue in proprio, siue in alieno agro, totus est fisci, vt dicitur in lege vnica. Cod. de thesauris. libr. 10. Est autem hæc lex pœnalis. Quare taliter inueniens thesaurum non tenebitur illum reddere ante iudicis condemnationem. Secundum quod disponitur est, quòd thesaurus sine magica arte inuẽtus in agro proprio totus sit inuentoris, vt dicitur Instit. de rerum diuisione. & lege vnica de thesauris iam citata. Et si quis obijciat, legem septimam tituli. 12. libr. 6. ordinamentorum regalium, dicentem thesauros vbicunque inueniantur totos esse Regis, & cũ eum quintam partem inuentori concedi, nonnulli respondent, quòd debet explicari per legem 45. tituli. 28. par. 3. quæ contrarium discernit, vel quod loquitur lex illa de thesauris aliquo iure ad Regem pertinentibus. Quales sunt illi, qui in loco regis fuerunt inuenti. Alij, quorum præcipui sunt Paludanus in 4. d. 43. ar. 5. & Antoninus 2. p. tit. 2. cap. 15. §. 2. affirmant consuetudine totius orbis iam omnes thesauros esse Principis. Sed hanc consuetudinem condemnat Syluester, verbo inuentum. §. 3. dicitque esse contra æquitatem naturalem, secundùm quam ea, quæ in nullius bonis sunt, primò occupanti conceduntur. Idem asserit Soto lib. 5. de iustitia. q. 2. art. 3. Imo addit, quòd Rex non posset iusto titulo quartam, vel quintam partem ab inuentore exigere. Et sic hoc in Hispania nõ est in vsu, nec vbi esset, existimat cõscientias obligare: sed posse inuentores secundum ius commune tuta conscientia totum thesaurum possidere. Quia prædictus titulus Instituæ nihil meminit principis. Sed vbi ait, quòd qui reperierit in loco alieno, medietatẽ det domino, subdit, quòd pari ratione si inueneric in loco Cæsaris, dimidium det Cæsari, & si in fiscali loco, vel publico, det etiam medietatem fisco. Et idem habetur leg. non intelligitur. ff. de iure fisci. §. si in locis. Quæ leges non loquuntur, nisi vbi loca sunt propria principis, vel ciuitatis. Geterum sententia Paludani non est omnino improbabilis. Et ratio est: Nam licèt ea, quorum non extat dominus, iure gentium primò occupanti concedantur, potest tamen Respublica talia bona sibi applicare, post quorum applicationem iam communia non erunt. Et eadem ratio est de principe, qui pro necessitate reipublicæ thesauros communes sibi applicare potest. Et confirmatur: Nam si ratio Syluestri aliquid valeret, sequeretur legem illam, quæ statuit thesaurum inuentum in agro alieno pro medietate cedere domino agri, & pro medietate inuẽtori, esse iniustam, liquidè est contra æquitatem naturalem, qua hæc bona primò occupanti conceduntur: consequens autem est falsum, vt antea dicemus: ergo &c. illud, ex quo sequitur. Sed dicet Syluester hoc factum fuisse propter pacem reipublicæ. Et pace etiam tatione dicere ego possum propter bonum publicum, posse Regem sibi thesauros applicare. Quare quod mihi in hac re tutum videtur est, quod in acquisitione thesaurorum vnusquisque suæ prouinciæ leges sequatur, nisi manifestam contineant iniquitatem. Nec in regno nostro aliæ sunt, quam communes à nobis superius commemoratæ, & in subsequentibus commemorandæ. Tertium quod disponitur iure communi, est, quòd thesaurus in alieno agro inuentus ab eo, qui inconsulto domino dedita opera illum quærebat, totus est domini agri, nec inuentor potest eum sibi retinere, vt dicitur in legibus proximè citatis. Poterit tamen sui laboris mercedem deducere: Iuxta mentem glossæ in cap. si quid. 14. q. 5. Quod similiter est intelligendum, dummodo dominus agri sciens & prudens tãquam totum tribuens quærenti, vel, qui ipse non vult quærere, vel alia de causa, inquisitioni non consenserit. Tũc enim totus thesaurus in vtilitatem inuentoris cederet, quãuis ager esset alienus, vt rectè docet Syluester in aurea Rosa, in communi virginum, Euangelio primo, casu 39. Quartum quod disponitur est, quòd quando thesaurus in agro alieno fortè, & præter intentionem ab eo, qui aliud agit, reperitur inter inuentorem, & dominum agri per æquales partes distribuatus, vt constat ex legibus superius citatis. Et hoc fortè ad seruandam pacem. Idemque ius est de eo, qui in ædibus, quas emit, vetustum, & longi temporis thesaurum repererit: Etiam si ea vsus prudentia, quam Dominus in Euangelio laudi tribuit, ædes emerit. Eadem enim, quantum ad hoc, est ratio thesauri in agro inuenti, & eius, qui intra domum continetur, quidquid dicant multi. Secus autem esset, si aut in muro domus, aut in eius penetralibus pecuniam quispiam, aut quiduis aliud, quod antiquus possessor per oblitionem reliquerit, reperisset. Tunc enim in prioris possessoris, aut suorũ heredum id cederet vtilitatem: vt dicitur in lege à tutore. ff. de rei vendicatione. Quia talis pecunia aut res, thesauri nomine gaudere non potest, vt docet Nauarro in Manuali c. 17. nu. 175. Ex dictis infertur, creditorem, qui in domo, quam pignori habet, & maritum, qui in terra dotali vxoris thesauram inuenit, teneri eum cum debitore, & cum vxore diuidere. Et similiter qui in agro, aut domo ad modicum tẽpus conductis, imò & ad longum tempus nempe ad vitam, vel ad vitæ, vel ad decem annos: quæ omnia longi temporis spacia constituunt. Nullus enim horum est integer dominus, vt dicitur in leg. 2. ff. si ager, vel emphyt. petat. Et sic dimidium directo domino dare tenetur. Et eadem est ratio de inuentore habente dominium directum: qui quidem tenetur dare dimidium habenti vtile, vt colligitur ex Bartolo in leg. si is. §. finali. ff. de acquirendo rerum dominio, & in lege in causæ. ff. de procu. & §. thesauros. iust. de rerum diuisione. Dominium directum dicitur habere is, qui rei proprietatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem sine vsufructu habet. Vt qui in Emphyteusin perpetuam, aut ad vitam agrum dedit, vel ad decem annos locauit. Dominium autem vtile dicitur habere is, qui sine rei proprietate habet ius ea fruendi, vel perpetuò, vel pro sua vita, aut plus, vel saltem pro decem annis, iuxta glossam Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & allegata per Decium cons. 204. Et est aduertendum, quòd lex præcipiens, vt dimidium thesauri in alieno agro bona fide inuenti domino tribuatur, & similiter illa, quæ dicit, vt si quis ex industria in alieno solo thesaurum quærit, totum det domino agri, non sunt pœnales, vt rectè docet Caietanus in hoc articulo. Et sic obligant in conscientia etiam ante iudicis condemnationem.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an qui euidenter scit in agro alieno latere thesaurum, vel minerale posit illum tacito mysterio comparare, vt sic sibi totum thesaurum reseruetur. Et pro parte negatiua argumẽtor

1. Argum. primò: Qui scit lapidem aliquem esse pretiosum, cuius virtutem reconditam venditor ignorat, tenetur illum admonere, ne in rei venditione debito pretio fraudetur, vt infra videbimus in materia de emptione, & vẽditione: ergo & in casu, de quo loquimur similiter tenetur emptor venditorem admonere thesauri in agro latentis, ne iusto pretio fraudetur. Probo consequentiam, ex paritate rationis. Et confirmatur: Ager cum illo thesauro valet centum millia ducatorum: ergo est inæqualitas, quòd duobus millibus ematur. Consequentia est nota. Et antecedẽs probatur: Si dominus fundi in eo sciret talem thesaurum contineri, iuste posset illum pro tali pretio vendere: ergo vere valet tale pretium. Probo consequentiam: Nam quod dominus sciat, vel non sciat, non auget pre-

2. Argum. tium rei. ¶ Secundo: Qui inuenit thesaurum in agro alieno secundum ius commune, legesque ciuiles tenetur dimidium domino agri tribuere: ergo non potest licite talem agrum emere, vt totum thesaurum sibi reseruet. Probo consequentiam: Nam habet iam dominus agri ius acquisitum ad dimidiam partem thesauri, quo fraudatur in tali emptione.

Conclusio. ¶ His tamen non obstantibus, dico, eum qui scit in agro alieno thesaurum latere, licitè posse tacito mysterio talem agrum comparare. vt sic sibi totum thesaurum reseruet. Ita significatur apertè in illa parabola Matthæi cap. 13. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Vbi Christus Dominus maximè laudat eius negotiatoris prudentiam, qui inuento thesauro in agro alieno illum emit, vt sic totum thesaurum sibi reseruet. Eandem etiam prudentiam laudat D. Thom. hic ad secundum, & Soto lib. 5. de iustitia q. 3. art. 3. idemque faciunt communiter omnes Theologi. ¶ Vnde ad primum *Ad 1. arg.* argumentum cum sua confirmatione respondetur, esse latissimum discrimen inter venditionem aliarum rerum, & venditionem agri, in quo latet thesaurus. Nam res aliæ, quia secundum se & secũdum omnes virtutes, quas habent venduntur, fit, vt quam primum emptor venditorem iniusto rei valore fuisse defraudatum sciuerit, teneatur illud in cõscientia restituere. At verò, ager tantum venditur ratione superficiei, & non ratione thesauri in eo contenti: sicut nec venditur ratione aeris, aut ratione solis. Et sic nulla facit venditori iniuriam in eo, quod thesaurũ in agro contentum emptor occultet. Cuius rei euidens signum est, quòd qui bona fide emit agrum, in quo occultatur thesaurus, nihil tenetur restituere, etiam si postea illum inueniat. ¶ Ad secundum respondetur, quòd qui *Ad 2. Arg.* inuenit thesaurum in agro alieno secundum leges ciuiles, tenetur dimidium domino tribuere: idque propter pacem, & tranquillitatem reipublicæ seruandam. Cessat autem omnis perturbatio, quando dominus fundi ante venditionem nihil de thesauro cognoscit. Et sic non est cur post emptionem dimidia pars priori domino tribuatur. Et si obijciatur, vt obijcitur in argumento, quòd postquam emptor cognouit in agro alieno contineri thesaurum, iam dominus illius habet secundum leges ciuiles ius acquisitum ad dimidium illius, quo fraudatur, quando per ignorantiam agrum vendit, respondeo, talem venditorem non habere ius acquisitum ad dimidium thesauri, nisi in casu, quòd agro in suo dominio manente, thesaurus extrahatur. Secus autem erit ipso agrum vendente ad modum iam explicatum. Et hæc de thesauris, alijsque rebus, quarum prioris domini nulla memoria extare potest, dicta sufficiant.

¶ Superest, vt dicamus de illis rebus, quæ *Dubium de rebus inuẽtis. Sententia Caietani & aliorũ.* in propinquo fuerunt in alicuius bonis, earumque dominus ignoratur. De quibus est difficultas, vtrùm sint alicui restituendæ, vel potius retineri possint ab eatum inuentoribus? Caietanus supra q. 62. art. 5. dixit huiusmodi res, si post factam sufficientem inquisitionem adhuc dominus ignoratur, restituendas esse pauperibus, nec retineri posse ab inuentore. Quam etiam sententiam sequitur Nauarro in Manuali cap. 17. numer. 170. & Couarruuias in regula. peccatum. p. 3. §. 1. Estque communis Summistarum in verbo inuen-

inuentum. & omnium ferè iurisprudẽtium, in cap. cum tu, de vsuris & in cap. cum sit. de Indæis. Quorum omnium ea potissima est *Fundamentum Caiet.* ratio, quòd cum istæ res sciantur esse alicuius, nec pro derelictis haberi possint, videtur, quòd debent distribui secundum illorum dominorum voluntatem interpretatiuã, quæ ea est fama, vt eorum animæ prodesse possint, sicut diximus supra q. 62. ar. 5. agentes de restitutione eorum, quorum dominus ignoratur. Pro hac etiam sententia facit cap. si quid inuenitis. 14. q. 5. & ea multi abidem, quod est desumptum ex Origene. homilia 14. licet Gratianus illud D. Hieronymo tribuat. Vbi dicitur, quod qui inuenta non reddit, rapit. Quod item affirmat D. Augustinus homilia 9. libr. 50. homiliarum, & sermone secundo de verbis Apostoli. ¶ Alij Doctores *Alia sententia. Fundamentum illius.* dicunt talia bona pertinere ad principem ciuitatis, vel ad rempublicam, à quibus distribuantur, vel in pios vsus, vel in alia reipublicæ commoda, nec posse inuenorem ea sibi retinere. Itaque in hoc conuenit cum prima opinione. Præcipuum fundamentum huius sententiæ est, quoniã pro certo habet quilibet bona, ex quo dominum non habent, in vsus communes reipublicæ cedere oportere. Taliaque sunt inuenta, quorum priores domini post sufficientem inquisitionem non comparent. Pro quo etiam faciunt lex. 6. & 7. lib. 6. tituli. 15. recopilæ. Vbi sic statuitur: Toda cosa hallada se entregue a la justicia, y deue ser guardada vn año, y dos meses, y si no pareçe dueño despues de pregonada, deue ser dada para la camara del Rey. Quibus verbis apertè significatur res inuentas non esse pauperibus distribuendas, sed Regi accrescere.

Sententia autoris. ¶ Cæterùm mihi (quod bona pace tantorum virorum dixerim) semper visum est probabilius, talia inuenta tuta conscientia posse ab inuentoribus retineri, post factam sufficientem inquisitionem. Quam sententiam ex professo docet Sarmiento 6. Selectarum. cap. 10. illamque sequuntur multi alij ex inferioribus Thomistis, vt est videre apud Petrum à Nauarra in suo opere, de restitutione. lib. 4. cap. 2. dub. 9. Et probatur primo: Huiusmodi bona videntur haberi pro derelictis à vero domino: ergo in nullius bonis existunt: atque ex consequenti qui ex primò occupauerit sine iniustitia poterit retinere. Et confirmatur: In iure pro eodem reputantur, ignorari dominium rei, & rem nullum habere dominum, vt latè ostendit Sarmento vbi supra: sed, si istæ res nullum haberent dominum, fierent primi occupantis: ergo idem etiam contingit in proposito. Secundo: Qui reperit thesaurum acquirit eius dominium, saltim quantum ad partem illius, vt ex dispositione iuris communis paulo ante probauimus: ergo & qui inuenit bona à dominis derelicta, & quasi proiecta. Probo cõsequentiam: Nam æqua est vtriusq; ratio. Et confirmatur: Nulla ratio naturalis, nec aliquod ius euangelicum, aut ecclesiasticum, aut ciuile conuincit, talia bona inuenta, esse pauperibus, vel cuiuis alteri tribuenda: ergo sunt ipsius inuentoris. Consequẽtia est nota, & antecedẽs probatur. Et primò, quòd nulla *Ad fundamentum Caietani.* sit ratio naturalis id præcipiens: Nã si aliqua esset, maximè quod ratio naturalis dictet bona aliena in veritate spiritualẽ priorib. dominis esse expendenda: talis autem est erogatio in paupẽres, vt diximus supra q. 62. ar. 5. agẽtes de restitutione eorum, quorũ dominus ignoratur. Sed hæc ratio nihil conuincit. Tum: quia tantum procedit de rebus per iniquitatẽ acquisitis, quarũ dominium in iniustum possessorem transire non potest, vt communiter dicunt Doctores. & inuentio non est iniqua acquisitio. Tum etiam: quia, si ea aliquid valeret eadem prorsus esset ratio de thesauris inuentis, quos constat priores habuisse dominos, quamuis illorum memoria non extet, & tamen certum est illos in dominium transiisse inuentorum, vt paulò ante docuimus. Quodautem nec etiam ius aliquod, quod præcipiat bona inuenta pauperibus, aut cuiuis alteri conferri, probatur. Et primò de iure Euangelico est res manifesta. Sed quod nec etiam sit ius Canonicum, aut Ciuile id præcipiens, sic ostendo: Si aliquod esset ius Canonicum, maximè caput. si quid inueniti. 14. qu. 5. & cap. nullus. ibidem pro prima sententia adducitur. Sed hæc iura nihil obstant. Quia, vt docet Magister Soto, lib. 5. de iustitia. quæst. 1. artic. 3. solum loquuntur, quando eo animo retinentur inuenti, vt etiã si dominus appareret non restituere vellet, vel quando inuentor debitam non vult facere diligentiam, vt exponit glossa. Idque ex textu apertè colligitur. Nam dicit: Alienum negares, & tullères, si posses, Deus corda interrogat, non manum, &c. Nonnulli autores solẽt adducere ad probandum, quod inuenta ex dispositione iuris sunt pauperibus erogãda, cap. cum tu de vsuris. Tamen illud solum loquitur de debitis ex delicto cõtractis, quæ meritò à domino recuperari non posse, decernuntur, sed pauperibus erogãda. Imo nec vniuersaliter, caput illud loquitur de omni debito iniusto, sed tantum de vsuris in pœnam vsurariorum. Quamuis ex ratione textus rectè extendatur ad omnia iniustè accepta. Dicit enim: Quia secundum verbum Augustini

Universidad de Deusto
Biblioteca

stini, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, hoc est, male acceptum. De iure Ciuili particulari huius regni disponente, quòd bona inuenta iudicibus tradantur, vt post factam per certum tempus sufficientem domini inquisitionem, eo non inuento regiæ cameræ adiudicentur, maior difficultas est apud Doctores. Ex illis enim colligi videtur inuentores non posse res perditas, quarum domini non comparent, apud se retinere, sed illas omnes in bonum reipublicæ, aut principis cedere, vt dicebat secunda opinio. Cæterum meo iudicio nec etiam istæ leges obstant. Primò: Quia non loquuntur vniuersaliter de omnibus inuentis, sed tantum de illis, quæ vulgò appellantur, mostrencos, quæ sunt pecudes, & alia animalia errantia, vt patet ex ipsis legibus, & ex cõsuetudine, quæ est optima legum interpres. Secundo: Quia nec etiam sunt receptæ tanquam obligantes in conscientia. Imò multi de earum æquitate dubitant, inter quos vnus est Couarruuias in regula peccatum p. 3. §. 1. numer. 5. Et per hæc patet solutio ad argumenta pro prima & secunda opinione facta.

Ad fundamentum secundæ opinionis.

Dubium.

¶ Circa solutionem ad tertium argumentum D. Thomæ est difficultas, an qui impotens est recuperare rem suam, vel aliquid sibi debitum via iuris, accipiendo illam occultè sine scandalo committat peccatum coram Deo. Et pro parte affirmatiua est argumentum: In nullo casu est licitum alicui propriam iniuriam priuata autoritate vindicare: ergo nec recuperare propria bona. Probo consequentiam: Nam sicut mihi debentur de iustitia propria bona: ita & satisfactio iniuriæ. Et confirmatur: Talis priuata autoritate recuperans bona propria agit contra iustitiam communem, prohibentem, ne quis in re sua ius sibi dicat: ergo committit peccatum coram Deo. In contrarium tamen est: Nam ratio postulare videtur, vt in defectu iudicis meliori modo, quo potest vnusquisque se indemnem conseruet, etiam si priuata autoritate id faciat. ¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est ex Caietano in præsenti, aliud esse, quantum attinet ad præsentem disputationem, loqui de eo, quod regulariter debet fieri: aliud autem de eo, quòd est faciendum in casu particulari, in quo vel propter detinentis, vel iudicis iniustitiam, vel propter defectum probationis, vel propter maius damnum amicitiæ, aut pacis, aut rerum non potest quis rem suam, aut sibi debitam via iudicis retinere. Nam, regulariter loquendo, certum est, neminem posse sine peccato priuata autoritate rem suam recuperare.

Argumen.

Nota ex Caietano.

Maximè si via iuridica facile est potens illam obtinere: quia id esset iudicium sibi vsurpare, prætermisso ordine iuris, quod regulariter loquendo sine peccato fieri nequit. At verò quod in casu particulari ex vrgente aliqua necessitate id fiat, nullum est peccatum, quia non est vsurpare iudicium: sed potius ius, quod sibi ex iustitia debetur, exequi, vt dicit Caietanus in isto commento. Quod & confirmari potest ista ratione. Licita est recompensatio priuata autoritate facta, vt diximus in materia de restitutione. Verbi gratia: Debet Petrus mihi centum, & ego debeo eidem totidem: licitum est mihi ex causa rationabili propria autoritate facere talium debitorum recompensationem: Sed quando accipio rem meam, quam aliter recuperare non possum, virtualiter facio debitorum recompensationem: ergo licite id facere possum. Sed est aduertendum, quod ad hoc, vt talis priuata acceptio iusta sit, multæ requiruntur conditiones. Prima est, quòd certum sit rem accipienti deberi. Nam in dubijs melior est conditio possidentis. Secunda, quòd accipiens sit certus, non posse sine maximo incommodo via iuridica rem suam recuperare: alias tanquam vsurpator iudicij publici peccatum committeret. Tertia quòd caueatur diligenter: ne debitor iteratò rem acceptam restituat. Et propter hoc dicit D. Thom. in hoc articulo, quod tenetur accipiens debitorem talis acceptionis admonere, ne per ignorantiam iniustitiã patiatur bis idẽ restituens. Quarta conditio est, quòd nunquã res propria per violentiam accipiatur. Nunquam enim est licitum priuatæ personę, vim inferre, nisi vim repellendo. Vnde si aliter, quã per vim non potest quis recuperare bona sua, censendus erit sine remedio: cum postponendum sit bonum priuatum cõmodo, & tranquillitati publicæ, quem per illationem violentię necessum est perturbari. Sed est aduertendũ, quòd quando aliquis contra iustitiam, ac etiã per violentiam accipit rem suã, licet peccet mortaliter, non tamẽ tenetur illam restituere, nec respondere ad sententiam excommunicationis contra illius rei accepto res latam. Tum: quia non retinet alienũ, sed suum, & sic non obligatur ad restitutionem. Tum etiã: quia quamuis peccauerit accipiendo, nõ tamen peccat retinẽdo, & sic non obligatur ad excommunicationem respondere.

Cõditiones quæ requiruntur vt recompensatio sit iusta.

Ad argũ.

¶ Et ad argumentũ pro parte affirmatiua quę stionis factũ, respondetur, cõcesso antecedenti, negando consequentiam. Qui enim accipit rem suam accipit id, quod sibi ex iustitia debetur, & quod est certum ac determinatum sibi deberi. Quare si ex causa rationabili,

bili, & citra scandalum id faciat, nulla sequitur perturbatio reipublicæ, nec aliquod est peccatum. At verò qui priuata autoritate, propriam iniuriã vindicat, nec accipit, quod sibi ex iustitia debetur, cùm nullus teneatur pœnam subire ante iudicis condemnationẽ: nec præterea ipsa satisfactio iniuriæ est certa, aut determinata: & sic semper peccat. Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Qui enim ex rationabili causa rem propriam occultè accipit, non est dicendus, propriè loquendo, ius sibi dicere, sed potius quod sibi debetur exequi, vt paulo ante dicebam. Et sic non vtitur autoritate aliqua: sed sola occulta acceptione.

Articvlvs VI.

¶ Vtrùm furtum sit peccatum mortale.

Locis supra art. 5. inductis.

Ad Sextvm sic proceditur. Videtur, quòd furtum non sit peccatum mortale. Dicitur enim Prouer. 6. Non grandis est culpæ, cum quis furatus fuerit. Sed omne peccatum mortale est grandis culpæ: ergo furtum non est peccatum mortale.

2 ¶ Præterea, Peccato mortali mortis pœna debetur. Sed pro furto non infligitur in lege pœna mortis, sed solum pœna damni, secundum illud Exod. 22. Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, quinque boues pro vno boue restituet, quatuor oues pro vna oue: ergo furtum non est peccatum mortale.

3 ¶ Præterea, Furtum potest committi in paruis rebus, sicut & in magnis. Sed inconueniens videtur quòd pro furto alicuius paruæ rei, puta vnius acus, vel vnius pennæ, aliquis puniatur morte æterna: ergo furtum non est peccatum mortale.

¶ Sed Contra est quod nullus damnatur secundum diuinum iudicium nisi pro peccato mortali. Condemnatur autem aliquis pro furto: secundum illud Zacha. 5. Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: ergo furtum est peccatum mortale.

Osee. 4. 1. Cor. 6.

Q. 24. art. 12. & q. 72. ar. 5 et 87. ar. 3.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut supra habitum * est, peccatũ mortale est quod contrariatur charitati, secundum quod est spiritualis animæ vita. Charitas autem consistit quidem principaliter in dilectione Dei, secundario vero in dilectione proximi, ad quam pertinet vt proximo bonum velimus, & operemur: per furtum autem homo infert nocumentũ proximo in suis rebus, & si passim homines sibi inuicem furarentur, periret humana societas. Vnde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.

Artic. sequenti.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd furtum dicitur non esse grandis culpæ duplici ratione. Primo quidem propter necessitatem inducentem ad furandum, quæ diminuit, vel totaliter tollit culpam, vt infra * patebit. Vnde subditur, Furatur enim vt esurientem impleat animam. Alio modo dicitur furtum non esse grãdis culpæ per comparationem ad reatum adulterij, quod punitur morte. Vnde subditur de fure, quòd deprehensus reddit septuplum: qui autem aduiter est, perdet animam suam.

¶ Ad secundum dicendum, quòd pœnæ præsentis vitæ magis sunt medicinales, quàm retributiuæ. Retributio enim reseruatur diuino iudicio, quod est secundum veritatem in peccantes. Et ideo secundum iudicium præsentis vitæ non pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis, sed solum pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel etiam pro illis quæ habent aliquam horribilem deformitatem. Et ideo pro furto quod irreparabile damnum non infert, non infligitur secundum præsens iudicium pœna mortis, nisi vt furtum aggrauatur per aliquam grauem circunstantiam: sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, & de peculatu, quod est furtum rei communis: vt patet * per Augustinum super Ioannem, & de plagio, pro quo quis morte punitur: vt patet Exod. 21.

Tract. 50. à medio tó mq 9.

¶ Ad tertium dicendum, quòd illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi nihil. Et ideo in his quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri. Et ille qui accipit, potest præsumere hoc non esse contra voluntatem eius, cuius est res. Et pro tanto si quis furtiuè huiusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali. Si tamen habet animum furandi & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua. Quam probat D. Thom. in argumento, sed contra. Quia nullus secundum diuinum iudicium damnatur, nisi pro peccato mortali: damnatur autem pro furto, vt constat ex Zacha. cap. 5. & in corpore articuli, hac ratione: Illud dicitur peccatum mortale ex genere suo, quod contrariatur charitati, quæ est vita spiritualis animæ: sed tale est furtum: ergo. Probo minorem: Charitas consistit principaliter in dilectione Dei, & minùs principaliter in dilectione proximi: sed furtum aduersatur dilectioni proximi, ad quam pertinet, vt proximo bonum velimus: ergo ex genere suo aduersatur charitati: atque ex consequenti est peccatum mortale.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio D. Thomæ probatur rationibus & testimonijs sacræ scripturæ.

CONclusio huius articuli est certissima. Quam tenent, atque docent communiter omnes Doctores, tam Theologi, quàm Iuris prudentes. Cuius veritatis duas potissimus assignant rationes. Prima est, quòd per furtum charitas proximi, & mutua societas, amorque iure naturali præceptus lædatur. Secunda quòd est directè contra iustitiam, & æqualitatem eodem iure seruandam. Violare autem iustitiam, atq; charitatè, ex genere suo est peccatum mortale. Adde, quòd est cõtra septimum præceptum Decalogi, quod frangere in re graui non potest non esse culpa mortalis. Pro hoc etiam facit cap. fures de furtis. Quod sic inquit: Fures, & latrones, si furando, & deprædando occisi sunt, visum est pro eis non esse orandum. Et reddit rationem glossa: quia in mortali eos decessisse constat. Vbi obiter adnotet lector, quòd, licèt confessio facta Diacono non sit sacramentalis, ad id tamen valet, vt si ei fiat, pro tali confitenti oratio fieri possit, vt dicitur in dicto capitulo. Imò addiderim, quòd si fiat laico, etiam ipsi occidenti, taliter occisus poterit sepeliri in loco sacro, & pro eo orari: quia iam non in mortali peccato decessisse præsumitur. Et ad eundem modum intelligere ego soleo cap. placui. 23. quæst. 5. ex concil. Brachare. 1. ca. 34. desumptũ, quòd sic habet: Nulla oblatio fiat pro eis, qui pro suis sceleribus puniuntur, &c. Sensus enim germanus est, quòd qui priuata autoritate, vel, si velis, etiam publica, pro suis peccatis puniti, sine signis contritionis decedunt, oblationibus & suffragijs sint omnino expertes. Potest præterea probari ex sacris literis, furtum esse peccatum mortale. Nam Ecclesiast. cap. 34. dicitur: Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum, qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Certum est autem, quòd effundens sanguinem proximi, illumque occidens, peccat mortaliter. Sed quod magis ad hoc propositum facit, est cap. 5. Zachariæ. Vbi cum pœnas, quas Dominus ab improbis, & sceleratis hominibus esset petiturus, explicare vellet Propheta, sic inquit: Et conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans. Et dixit ad me: quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iurãs ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eum, & ligna eius, & lapides eius, &c. Hucusque Propheta. Sed quoniam eius verba altiorem continent intelligentiam, quam quæ possit facile superari, placet in eorum explicatione paululum immorari. Et conuersus, inquit, sum, angelo, scilicet vocante me, & vt animaduerterem monente. Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans. Nomen Hebræum, quod volumini respondet, est, migla, quod volumen significat, & est charta in rotundum complicata, ob idque volumen vocatur, quanuis Prophetæ explicata & euoluta apparuit. In hoc volumine scripta erat sententia Dei in impios, & flagitiosos homines: sicut in Balthasarem scripta fuit in pariete, vt habetur Dani. cap. 5. Septuaginta vertunt, non volumen, sed falcem. Quam versionem vt Græcus sequutus est D. Chrysostomus homilia 13. & 19. & 27. ad populum Antiochenum. Nec verbum Hebræum illam respuit. Illud enim idem nomen, quod volumen significare diximus, alijs

Egregium testimonium Zachariæ cap. 5. explicatur.

punctis affectum falcem significat, vt rectè docet Stunica super 5. cap. Zachariæ. Puncta autem extra dictionem sunt nec ei ità ne cessario adhærent, vt commutari non possint, siquidem apposita fuisse creduntur à recentioribus Hebræis, illis, scilicet, qui post Christi mortem sunt sequuti. Hæc interpretatio Septuaginta, si verba solum consideremus, apta, si autem ad sententiam mentem referamus, aptissima certè videbitur. Est enim quàm conuenientissimum, vt sententia, & animaduersio, quam Deus in improbos exercet, falx appelletur: quia ea succisi, atque deleti sunt. Ob quam etiam rationem in sacra scriptura disertis & apertis verbis gladius nominari consueuit. Nam Apocalyp. cap. 1. describens Beatus Ioannes Christum iudicem, inquit: De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixit: Ecce ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Multi multa dicunt, hunc numerum, viginti & decem cubitorum, in rem aliquam eiusdem numeri ad nostram attinentem Theologiam accommodare cupientes. Illa tamen Chrysostomi harum parabolarum optimi interpretis, mihi vehementer probatur, hoc milia illa citata: vt longitudo & latitudo tot cubitorum vehementiam, & magnitudinem suppliciorum significet, quæ sunt iniquis hominibus constituta. Idcirco certa & præscripta huius voluminis, quo ira Dei continetur, ponitur mensura, vt determinatõ, certumque vnicuique flagitio supplicium esse sciamus. Id quod Esaiæ capit. 28. testatur dicens: Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura, & subuertit grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt. Et in Deuteronom. cap. 32. Pro mensura peccati sic & plagarum modus. Ibi dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ. Maledictionem vocat propheta sententiam contra impios latam. Et conuenientissimè. Nam & ea ipsi maledicti appellantur, iuxta illud Matth. 15. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Deo enim idem est maledicere, & malefacere alicui: cùm in ipso dicere & facere pro eodem reputentur, iuxta illud: Ipse dixit, & facta sunt. Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Iudicari pro condemnari accipiendum est. Quo etiam modo dixit Paulus ad Romanos. 3. Quicunque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur. Verba, quæ hoc loco in textu Hebræo habentur, si ad verbum reddantur, hoc modo sonãt, quia omnis fur ex hoc, sicut ex ipso succisus est, & omnis iurans ex hoc, sicut ex ipso succisus est. Estq; phrasis Hebræa, qua significatur volumen illud, quo maledictiones continebantur ex vtroque latere esse conscriptum. In hocque omnes Hebræi conueniunt. Differunt tamen in eo, quòd quidam putant ex vna parte fuisse scriptum. Omnis furans succisus est, & ex altera. Omnis iurans succisus est. Quos sequens Pagninus ita vertit: Quia omnis fur, sicut scriptum est, ex vna parte ipsius, succisus est. Et omnis iurans, sicut scriptum est, ex altera parte ipsius similiter succisus est. Sed Vatablus putat ex vtraque parte scriptum esse: Omnis fur succisus est, & omnis iurans succisus est. Cui ego magis assentior. Id enim verba Hebræa apertè indicant, nec in ea Pagnini interpretatio cadere vllo modo potest. Sed quæri meritò potest, cur tam breuis sententia in tam grandi volumine scripta erat? Ad significandam, exiltimo, criminis & supplicij magnitudinem, granitatemque. Sicut etiam Esaiæ capit. 17. præceptum est, vt in libro grandi, scriberet stylo hominis, hoc est, plano, atque perspicuo. Velociter spolia detrahe, cito prædare. Qua circumstione Christum appellari certum est. Et quis præclarissimum, excellentissimumque eximij ducis opus significabat, in grandi libro scribi voluit. Quasi diceret: Nullis neque verbis, neque literis tam magnifica facta, quàm illo nomine continebantur exprimi posse. Sequitur: Et educam illud, dicit Dominus exercituum. Et veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, &c. Educere Deus dicitur maledictionem, cum eam exequitur, quæ antea, quasi inclusa esse videbatur iram Deo pro sui amoris magnitudine reprimente. Ad quem etiam modum dicitur Deuteronom. 32. Exacuabo gladium meum, & interficiet eos manus mea. Non dixit autem: veniet ad furem, sed ad domum furis, quo maior vastitas significetur. Non enim solum fur, sed & quæ ad ipsum pertinent, euertenda erunt. Et commorabitur in medio domus eius. Phrasis est apud Hebræos vsitatissima, esse in medio alicuius rei, ad significandum aliquid plenè, atque perfectè in aliqua re esse inclusum. Lex tua in medio cordis mei. Et si ambulauero in medio vmbræ mortis, &c. Quia autem fures grauissimis peccatis æquè delictis semper tenentur, æquum est, vt & eos plenè maledictio Dei comprehendat. Et quia ædes illorum, quasi quædam officinæ impietatis esse solent, similiter etiam est consentaneum, vt execratio, & supplicium intra illorum do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mos omnino includatur, iuxta illud: veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes: quoniam nequitiæ in tabernaculis eorum in medio eorum, &c. Psalmus 54. Et consumet eum, & ligna eius, & lapides eius, &c. Adeo Deus detestatur fures, vt nullum illorum vestigium reliquum esse velit. Quæ omnia furti grauitatem magnopere ostendunt. Et sic constat esse peccatum mortale ex genere suo.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, & merito, vtrùm furtum sit leuissimum omnium peccatorum, quæ fiunt contra præcepta Decalogi? De qua re est sententia Martini de Magistris in tractatu de temperantia quæst. 2. & Durandi in 4. dist. 33. quæst. 2. asserentium, simplicem fornicationem leuiorem esse culpam, quam furtum. Quam sententiam probant primò: *Sententia Durandi.*

1. Argum. Nam furtum est per se malũ, fornicatio autem simplex nõ est per se mala, sed solum est mala, quia prohibita. Prohibetur enim in lege veteri Deuteronomij. 23. dum dicitur: Non erit meretrix ex filiabus Israel. Et in lege noua ad Ephes. 5. in illis verbis: Omnis fornicator, aut auarus, aut immundus non habebit hæreditatem in

2. Argum. regno Christi. ¶ Secundo: Furtum est contra iustitiam, quæ est omnium virtutum moralium præstantissima: fornicatio autem tantum est contra temperantiam, iuxta illud Pauli: Qui fornicatur in corpus suũ peccat: ergo furtum est grauius peccatum, quàm fornicatio. Probo consequentiam: Quia vt communiter dicunt Philosophi, illud est peius, cuius oppositum est melius. Et confirmatur: Furtum prohibetur expresse in Decalogo, quando dicitur: Non furtum facies: simplex autem fornicatio non prohibetur expresse in Decalogo: sed tantum prohibetur adulterium, nam dicitur: Non mœchaberis, quod non adulterari significat: ergo furtum est grauius peccatum, quàm for-

3. Argum. nicatio. ¶ Tertio: Nulla fuit vnquam tam barbara natio, quæ ignorauerit furtum, quatenus est iniuriosum, esse peccatum: multæ autem ignorauerunt in lege naturæ, fornicationem esse peccatum. Imò & vsque adhuc possunt esse aliquæ adeò agrestes, vt talis ignorantia sit illis inuincibilis: ergo furtum ex genere suo est grauius fornicatione. Et confirmatur: Furtum maiori infamia notatur, quàm simplex fornicatio, quod non fieret, nisi esset grauius peccatum: ergo.

Sententia communis Theologorum. ¶ Contrariam tamen sententiam tenent communiter omnes Theologi sequuti D. Thom. 2.2. quæst. 154. artic. 3. absolutè asserentem, fornicationem genere suo grauius flagitium esse, quàm furtum: quod nullus sanæ mentis negare potest. Et probatur: Ex genere suo est grauius, quod est contra maius bonum: hac enim ratione dicunt Doctores homicidium esse grauius peccatum, contumelia: quia homicidium est contra vitam, contumelia contra honorem, & vita præstat honori: sed fornicatio est contra maius bonum ex genere suo, quàm furtum: est enim fornicatio contra bonum vitæ futuræ prolis, quia quæ ex vago concubitu nascitur, si ad rei naturam spectes, nec educari rectè, nec ali commode potest: vita autem præstantius bonum est exterioribus bonis, quæ furto auferuntur: ergo fornicatio ex genere suo est iniquior furto. Nec valet, si dicatur, vt dicit Martinus de Magistris, accidentarium esse fornicationi, quod male educetur, vel alatur proles, cùm fornicarius possit habere tum maiorem facultatem, tum etiam firmius propositum alendi, & educandi suos liberos, quàm coniugatus. Nam quod ipse dicit est accidentarium, & quod nos dicimus conditioni vagi concubitus est natiuum. Ex natura enim rei, qui non sunt matrimonio coniuncti, nec possunt rectè educare, nec commodè alere prolem. Alioqui sequeretur, coniunctionem matrimonialem non esse vinculum naturale, quod omnes philosophi negant. cum omnis naturalitas vinculi matrimonij ex recta educatione filiorum desumatur. Quando autem dicimus, bonam educationem filiorum esse naturalem matrimonio, & non fornicationi non de ipsa actione, quæ interdum potest ab extrinseco impediri: sed de naturali potentia, quæ maior est in matrimonio, quàm in vago concubitu est sermo. Ex dictis infertur, furtum ex genere suo esse leuissimum omnium peccatorum, quæ fiunt contra præcepta Decalogi: cum sit leuius fornicatione simplici, quæ ex genere suo est leuior omnibus alijs. Cum hoc tamen stat, quòd ex circunstantijs, nempe, vel, quia res ablata est sacra, vel magni pretij, grauius reddatur.

Ad 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum Martini de Magistris, dico esse errorem hæresi proximum affirmare, quod fornicatio simplex non est de se mala, nec contra ius naturale. Consequens enim inde protinus fieret, gentibus ante legem scriptam non fuisse delictũ: imò nec post legem scriptam, cùm gentiles Mosaica lege non tenerentur, quæ sunt apertè falsa. Præterquàm quòd, vt diximus in superioribus, omnia præcepta Decalogi sunt naturalia: & vnum est, non esse fornicandum. *Ad 2. arg.* ¶ Ad secundum respondetur primo quid-

quidquid sit de antecedenti, negando consequentiã. Et ad probationem dico, non esse necessarium, vt quodcunque opus iniustitiæ excedat quodcunque intemperantiæ. Sed satis est, vt fornicatio sit grauius, quam furtum, quod sit contra melius bonũ, puta, contra vitam, ad modum iam explicatum. Vel secundò respondetur, & melius, negando minorem. Est enim fornicatio etiam quodammodo contra iustitiam, quæ circa futuram prolem seruanda est. Constituitur autem principaliter in specie intemperantiæ. Nõ, quia in tali actu præcipuum quod attenditur, est delectatio, vt quidam dicunt: Quia, si hæc ratio aliquid valeret, similiter adulterium principaliter constitueretur in specie intemperantiæ: cum præcipuum, quod in illo consideratur, sit delectatio: & tamen cõstituitur in iniustitia, vt omnes dicũt. Sed quia ille actus non est contra personam actu existentem, aut quæ aliquando præcesserit: sed tantum contra illam, quæ est in potentia. Ad confirmationem respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ponuntur enim in Decalogo tantùm præcepta, quæ apertè continent iniustitiam, qua le est adulterium. Et ad hoc reducitur simplex fornicatio, quæ nõ ideò minorem continet deformitatem, quàm furtum. Alias eodem modo probaretur furtum esse peius nefando crimine, quod in Decalogo non exprimitur: quod est plusquam falsum.

Ad 3. arg. ¶ Ad tertium respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ex eo enim, quòd furti nequitia apertior est, non rectè infertur, esse peiorem. Quin potius ratio iniustitiæ, quæ latentior est in fornicatione, quam in furto, est maior, vtpote quæ militat contra maius bonum, ad modum iam explicatum. Ad confirmationem respondetur primò, negando maioris infamiæ esse furtum, quàm fornicationem, absolutè loquendo. Multeri enim honestæ pudentius est fornicationem, quam furtum fecisse, licet vir propter suam corruptam consuetudinem infamius existiment furari, quam fornicari. Vel secundo respondetur, & melius, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Vt enim docet D. Tho. 1.2. quæst. 73. artic. 5. peccata carnalia sunt minoris culpæ, & maioris infamiæ, quàm spiritualia. Et idem potest contingere in furto, & fornicatione.

Dubium. ¶ Supposito iam, furtum ex genere suo esse peccatum mortale, quanuis leuius omnibus alijs, quæ contra præcepta Decalogi fiunt, Dubium consequens est, vtrùm, cuiuscunque rei modicæ acceptio, nisi ex surreptione fiat, sit peccatum mortale? Quod est quærere, an contingere possit, quòd furtum ex sola leuitate materiæ sit peccatum veniale. De qua re est sententia Gabrielis in 4. d. 15. quæst. 3. dicentis, quodcunque furtum, quantumcunque rei minimæ, modo ex malitia animo nocendi, vel ex rei alienæ cupiditate fiat, esse peccatum mortale. Itaque dicit, nullum furtum ex sola leuitate materiæ, sed solum ex surreptione posse fieri veniale. Et hanc affirmat esse sententiam D. Thomæ in hoc articulo in solutione ad tertium. Qui dicit, animum furandi & inferendi nocumentum proximo, etiam in rebus minimis posse esse mortale: sicut & in solo cogitatu per consensum. Et probari potest hæc sententia primò ex iure canonico in cap. finali. 14. quæst. 6. Vbi habetur fur etiam in minimis iudicatur. Et in iure ciuili. Instituta de rerum diuisione. §. gallinarum. Vbi dicitur de gallinæ furto posse dari actionem. Quod non fieret, nisi furtũ gallinæ, aut cuiuscunq; alterius rei minimæ, esset peccatum mortale, vt colligũt Theophilus in expositione dicti textus. §. gallinarum. & Crotet tractatu de excellentia q. 4. & Hippo. in lege furé. nu. 8. ff. de sicarijs. ¶ Et ratione sic argumentor: Omne illud, quod in Decalogo prohibetur, est impeditiuum vitæ æternæ; iuxta illud verbum Christi: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. sed in Decalogo prohibetur quodcunque furtum, etiam rei minimæ, vt omnes Doctores concedunt: ergo omne illud est impeditiuum vitæ æternæ: atque ex consequenti peccatum mortale. Et confirmatur: Furtum rei magnæ, & furtum rei paruæ sunt eiusdem speciei: quantitas enim rei furtiuæ, licèo augeat culpam non mutat speciem, vt in omnibus alijs rebus videmus: ergo si furtum rei magnæ est peccatum mortale, ita & furtum rei paruæ. Probo consequentiam: Nam alias non essent eiusdem speciei, cum peccatũ mortale, & veniale differant specie.

1. Argum.

2. argu.

¶ His tamen non obstantibus, dico sententiam Gabrielis esse omnino falsam, nec ei rationem, nec iura, nec D. Thom. suffragari, vt rectè admonet Caietanus. Et sic sit conclu- *Conclusio.* sio. Quicunque furatur rem parui momenti, etiam si ex malitia, animo nocendi, siue ex rei alienæ cupiditate id faciat (modo ea cupiditas animusque nocendi ad notabilem quantitatem non se extendat) nec peccat mortaliter nec potest iustè à iudice puniri. Itaque sola paruitas materiæ in furto sufficiens est ad efficiendum, quod sit peccatum veniale. Hanc sententiam tenent D. Thomas, & Caietanus hic in solutione ad tertiũ. Soto lib. 5 de Iustitia q. 3. ar. 3. Nauarro in Manua

Universidad de Deusto
Biblioteca

li cap.17.num.3.Medina Codice de restitutione quæst.4.prope finem.Sylvester verbo. furtum.q.2.& Couarruuias lib.1. variarum resolutionum cap.3.num.12.estque communis omnium Doctorum.Et probatur:In omni præceptorum iustitiæ materia,paruitas excusat à mortali,adhuc in ipsa corporis & famæ læsione, quæ est maior, quam pecuniæ, vt omnes Doctores concedunt:alias mendacium iocosum ex deliberatione dictum esset peccatum mortale,quod nullus dixit: ergo, & in furto sola paruitas materiq est sufficiés ad reddédum peccatum veniale.Probo consequentiam ex paritate rationis. Et confirmatur: Parum à sapientibus pro nihilo reputatur: ergo læsio, quæ fit in paruis etiam reputatur pro nihilo: atque ex consequenti non est peccatum mortale. ¶ Ad argumentum ex cap.finali.14.q.6. quod desumptum est ex D.Hieronymo in cõmentarijs, super epistolam Pauli ad Titum capit.1.dico referendum illud esse ad iracundi voluntatem, quę si ad terminos minimi nocumenti limitata fuerit,nequaquã erit crimen mortale.Si autẽ animus nocendi nullã habeat limitationem,aut etiam ad notabile nocumentum se extendat erit peccatum mortale. Quare auctoritas Hieronymi ad hunc sensum est intelligenda,quod accipiés à domino inuito rem minimam animo nocendi in maioribus, & absq; limitatione ad tale modicũ nocumentum,peccatum mortale committit.Quod & ex verbis ipsius Hieronymi, quæ minus integrè à Gratiano referuntur, colligere licebit.Ita enim scribit:Fur non solum in maioribus,sed etiam in minoribus iudicatur.Non enim id,quod furto ablatum est,sed mens furantis attenditur.Quomodo in fornicatione, & adulterio,non idcirco diuersa fit fornicatio,aut adulterium, si pulchra,vel diues, deformis,aut pauper, meretrix vel adultera sit, sed qualiscunque illa fuerit,vna est fornicatio,vel adulterium:ità & in furto,quantumcunque seruus absstulerit furti crimen incurrit.Hactenus Diuus Hieronymus.Ex quibus verbis manifestè colligitur, ipsum tantum loqui de illis furibus, qui res minimas accidi: quos propter malam voluntatem peccare mortaliter nullus est qui ambigat.Et ad eundem modum est intelligendus D. Thom. in verbis pro sua sententia à Gabriele adductis. Quando autem nos dicimus, furtum rei minimæ, etiam si ex animo nocendi, vel ex rei cupiditate id fiat,non esse peccatum mortale,loquimur de illo,qui tantum habet volũtatem in illa re minima nocendi, & non in maiori. Ad aliud,quod adducitur ex.§.gallinarum. Instituta.de rerum diuisione,vt respondeamus, supponendum est primò tanquam certum,furti actionem pro re minima dari non posse,vt contra autores supra citatos optimè docet Couarruuias lib. 1. variarum capit.3.numer.12.Tum:quia ius est ars æqui,& boni,vt dicitur in lege.1.ff.de iustitia,& iure, & nulla æquitas dictat actionem hanc, quæ infamiam irrogat, dari pro vno quadranti aut æreo nũmo,aut pro vno ouo, vel alia re minima. Tum etiam, quia ablatio rei minimæ, attento paruo nocumento, vel furtum non est,vel mortale crimen non inducit,sed tãtum veniale, vt modo dicebam. Et est contra rectam rationem,vt pro peccato veniali quis infamis reddatur.In his enim habet locum illa verissima, tritaque sententia,summum ius,summa iniustitia.Hoc supposito,ad.§. adductum ex iure Ciuili respondetur primò, ibi tantum significari aucupium domesticarum auium esse furtum. Cum quo stat tam paruum esse posse, vt ridiculus habeatur qui de illo ageret in iudicio. Vel secundo respondetur cum Couarruuias loco citato,vnam gallinam fortè non esse rem minimam, nec leue damnum ex eius furto inferri, quod bonus ac discretus vir ex propositis in specie contingenti qualitatibus arbitrabitur. Sed quantum probabilitatis habeant istæ solutiones,videbimus dubio sequenti in solutione ad argumenta pro secunda opinione. ¶ Ad rationem respondetur, quòd licèt omne furtum in Decalogo prohibeatur, non tamen omne illud est mortale, nec impeditiuum vitæ æternæ, nisi quod est de re notabili. In præceptis enim iustitiæ paruitas materiæ sufficiens est ad efficiendum peccatum veniale. Dixi notanter, in præceptis iustitiæ. Nam in alijs non habet hoc vniuersaliter verum. Leue enim videtur quod Tobias canem habuerit: sed non leue est Deum hoc affimare. Quare in infidelitate, odio Dei, ac contemptus peccato, nunquam excusat materiæ modicitas. Bene tamen surreptio, aut defectus deliberationis, vt explicauimus supra quæst.34. agentes de odio Dei. Ad confirmationem,vt respondeamus, aduertendum est ex D. Thoma 2.2. quæst.10. artic.6. ad primum,quòd, cum actus humanus malus, hoc est,peccatum in duplici genere mali constituatur,scilicet,in genere mali simpliciter, & in genere mali volũtarij,seu moralis,necessarium erit assignare vnũ,per quod formaliter cõstituatur in genere mali simpliciter,& aliud,per quod constituatur in genere mali moralis.Et quidẽ,quòd in genere mali simpliciter cõstituatur formaliter,nõ per aliquid

Ad 1. arg.

Ad 2. Arg.

posi-

positiuum, sed per priuationem rectitudinis debitæ inesse,communiter recipitur ab omnibus Doctoribus, propter autoritatem D. Augustini. Qui explicans illa verba Ioannis cap.1.Sine ipso factum est nihil, dicit:nihil, id est, peccatum. Vtrùm autem in genere mali moralis constituatur formaliter per aliquid positiuum, an vero per aliquid priuatiuum,varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Sed probabilior est, formale, per quod peccatum constituitur in genere mali moralis.esse quid positiuum,scilicet,ordinem positiuum ad obiectum difforme rationi. Quam sententiam tenet D. Tho. 1.2. q.18.ar.5.ad secundum,& 1.p.q.48.ar.1. ad secundum & tertiũ argumentum. & 3.contra Gentes cap.9.& de malo q.2.artic.4.ad 8. Dicit enim, quòd, sicut accedere ad propriá uxorem est actus bonus,& iustitiæ,& temperantiæ, propter ordinem positiuum, quem habet ad obiectum conforme rectę rationi: ità etiam accedere ad alienam, est actus malus,& intemperantiæ, propter ordinem positiuum, quem habet ad obiectum difforme rectæ rationi. Estque hæc sententia desumpta ex Aristotele in prædicamento qualitatis dicentis,iniustitiam contrariè opponi iustitiæ. Et in cap.de oppositis etiam affirmat, quòd malum opponitur bono, non priuatiuè, sed contrariè.Et loquitur de malo morali. Nam malum simpliciter,certũ est,quòd non contrariè, sed priuatiuè opponitur bono: cum contraria debeant esse ambo positiua. Hoc constituto,ad argumentum respondeo,quòd furtum rei paruæ,& furtum rei magnæ,sunt eiusdem speciei in genere mali moralis:quia vtrumq; dicit eiusdem rationis ordinem positiuum ad obiectum difforme rationi:& solum differunt penes quantitatem rei surreptæ,quę licet sit potens augere culpam,non est potens mutare speciem moralem. At verò in genere mali simpliciter differunt specie, quia alterius rationis est priuatio, quę est in peccato mortali ab ea,quę est in peccato veniali,cum illa sit priuatio simpliciter,& hęc tantum secundum quid. Et sic nihil obstat argumentum.

Dubiũ de quantitate materiæ quæ sufficit in furto ad faciendum peccatum mortale.

¶ Supposito iam,quòd furtum rei minimę, quomodocunque fiat,dummodo animus ad magnã summam non extendatur,non est peccatum mortale, nec furti actione potest agi contra talem furem,dubium consequens est, quæ nam sit illa materiæ quantitas,quæ sufficiens est efficere furtum mortale?De qua re tot video doctissimorum hominũ varias sententias,vt quid in hoc sit dicendum sit difficillimum iudicare. Cæterum,vt nostro more clarè atque breuiter procedentes in re tam ambigua,quid tenendũ sit,explicemus:operæpretium erit,vt certa ab incertis separantes,ea prius,in quibus omnes conueniunt,& postea illa,de quibus est concertatio,referamus. Primo ergo omnium certum est, & ab omnibus receptum, quòd quicunq; surripit ab alio rem aliquam,etiá minimam,ex cuius defectu,scit aut scire,vel credere debet, notabile damnum domino euenturum, vt qui furatur subulam à sutore,vel acum à sartore, ob quod,& quia aliam subulã,vel acum non habet per aliquod tempus cessat à labore, peccat mortaliter.Non quia res illa surrepta notabilis sit, vel quia interpretatiuè habet voluntatem rem notabilem surripiendi, vt nonnulli affirmant: sed quia notabilis damni causam dat,& ex consequenti id dare videtur: iuxta id,quod dicitur in capit. finali. de iniurijs,& in lege.qui occidit.ff.ad legem Aquiliam.Quod ipsum dicendum esse docet Nauarro in Manuali cap.17.nu.1.de eo, qui paruulam rem furatur, credens ex eo dominum magna molestia ac perturbatione afficiendum. Quale fuisse dicit,quendam famulum suo hero diuiti,magnum quoddam malum cydonium surripiendo, quod in horto suo habebat magnique faciebat,& admonuerat famulos notabili se molestia afficiẽdum, si illud furarentur. Talis enim seruus peccabile mortaliter,non quia furtũ notabile commisit,sed quia notabilem molestiam,qua credebat aut credere debebat dominum afficiẽdum liberè & voluntariè intulit. Et sic hoc peccatum nõ tam fuit cõtra iustitiam, quam contra charitatem.Secũdo etiam est certum, quòd cum grauitas furti, sicut cuiuscunque alterius peccati contra iustitiam facti ex damno illato sit perpendenda: & homini egeno plus noceat quis vnum quadrãtem suffurando,quàm prędiuiti,à quo ducatum eriperet, sit consequens,vt de quantitate rei per furtum acceptæ loqui possimus dupliciter, scilicet,vel absolutè,vel respectiuè. Et quidem, si respectiuè loquamur, certum est nullam esse tam paruam quantitatem, quæ respectu alicuius personæ, aut ratione egestatis, aut ratione damni inde subsequuti, non possit esse materia peccati mortalis, nec quantum ad hoc potest dari certa & determinata regula: sed arbitrio prudentis viri secundum occurrentes circunstantias iudicantis erit illa relinquenda. Ex quo infertur, posse aliquando contingere, vt qui rem paruam pauperi auferet, peccet mortaliter. Qui tamen, si eandem à diuiti surriperet peccatum mortale non committeret: quia in primo casu notabile infert nocumentum: in secundo verò minimè. Itaque hæc certa sunt.

1. *Dictum certum.*

2. *Dictum certum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Sed dubium est, vtrùm, absolutè loquendo, sit aliqua determinata quantitas, quæ respectu cuiuscunque personæ, eius iniustam acceptionem efficiat peccatum mortale, & quanta sit huiusmodi quantitas? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est quorundam asserentium, nec centum argenteorum nummorum, nec centum aureorum quantitatem esse materiam peccati mortalis, ex natura rei, & ex obiecto: bene tamen quando ex tali furto graue aliud damnum quis pateretur. Quam suam sententiam probant primò. Peccatum furti, cùm sit iniustitia, attendi debet ex magnitudine damni illati: si enim nullum sit damnum, nec iniuria, nulla etiam erit iniustitia: & sic nec peccatum, nec obligatio restituendi sub mortali: sed potest aliquando contingere, vt nullum damnum sentiat quis ob centum aureorum ablationem, vt est videre in Rege, vel alio principe, vel homine diuite: ergo talis quantitas ex genere suo non est illatiua grauis damni, atque ex consequenti nec inductiua peccati mortalis, nisi respectu eius personæ, quæ ex tali ablatione graue aliquod nocumentum pateretur. ¶ Secundo: Ablatio modicæ famæ peccatum efficit veniale, vt omnes Doctores concedunt: & tamen maius damnum est, quam centum aureorum iactura: ergo si maius damnum est veniale, à fortiori & minus. Et confirmatur: Nam non videtur rationabile, quòd ob rem tam vilem & contemnendã, qualis est quantitas quinquaginta, vel centum aureorum, quando ex eorum ablatione aliud damnum non sequitur, homo in æternum damnetur, peccatique mortalis fiat reus. ¶ Secunda sententia est Nauarri in Manuali cap. 1. num. 3. asserentis duorũ argẽteorum, imò & vnius, atque etiam dimidij quãtitatem ex natura sua in furto esse materiam peccati mortalis. Quod idem affirmat Corduba in summa q. 109. & Couarruuias lib. 1. variarum. capit. 3. num. 12. Idque probant primo: Nam ex sententia D. Thomæ & omnium Doctorum, illud tantum furtum, quod est rei paruæ, excusatur à mortali: quantitas autem duorum regalium, imò vnius, vel dimidij non est res parua. ¶ Secundo: In quibusdam Episcopatibus cauetur in constitutionibus, ne pro minori quantitate duorum argenteorum, vel centum dipondiorum excommunicatio imponatur: ergo videntur sentire, talem esse quantitatem, quæ ex natura rei est sufficiens efficere furtum mortale. Probo consequentiam: Nam excommunicatio maior, nisi pro peccato mortali imponi non potest. Et cõfirmatur ex § gallinarum. Instit. de rerum diuisione. Vbi datur actio, & pœna grauis pro furto vnius gallinæ, quod non fieret, nisi gallina tantæ esset quantitatis, quæ ex natura sua esset sufficiens inducere culpam mortalem. ¶ Tertia sententia est Magistri Soti lib. 5. de iustitia q. 3. arti. 3. ad tertium argumentum, asserentis, duorũ ducatorum quantitatem esse, quæ ex natura rei, & ex obiecto (etiam si inde aliud damnum non resultet) est sufficiens in furto inducere culpam mortalem. Eandem tenet Syluester verbo. furtũ. q. 2. & Angelus eodem verbo. § 34. Nec alia ratione ab his autoribus probatur hæc opinio, nisi, quia dicunt, quòd quantitas duorũ, vel trium argenteorum est parua. Imo, vt Soto insinuat, etiam vnius aurei.

¶ Sed, vt ego in tanta Doctorum varietate, quid mihi videatur explicem, dico primò, illam sententiam, quæ affirmat, nec centum argenteorum, nec centum aureorum quantitatem in furto ex natura rei esse materiã peccati mortalis, esse omnino falsam, & periculosam. Et probatur primò: Nam est contra communem Doctorum tam Theologorum, quam Iurisprudentium opinionem, innumerabilium̃que furtorum ianuam aperiens. Et secundo: Nam quantitas duorum ducatorum secluso omni alio damno extrinseco, quod quis ob furtum incurrere potest, ex obiecto, & ex natura rei est notabilis, etiam respectu principum, & cuiuscunque alterius hominis diuitis, cum nullus sit, qui talem quantitatem contemnat. ¶ Et ad primum argumentum pro prima opinione respondeo primò, quòd, si illud aliquid valeret pari ratione cõuinceret, furari mille scutos à Rege non esse peccatum mortale: cùm regulariter modicum, vel nullum damnũ inde sequatur, quod nullus sanæ mentis dicere audebit. Vel secundo respondetur, negando minorem. Adhuc enim respectu Regis, & cuiuscunque alterius hominis diuitis, cẽtum regalium, imo & viginti iactura graue damnũ infert. Nam licet talis quantitas vsibus personalibus Regis non notabiliter noceat, ad alios tamen vsus, scilicet ad comparanda necessaria, vel ad soluendũ seruis notabiliter iuuat. Quare eius rei familiari fiet notabilis læsio, quotiescunq; ab eo ea summa fuerit ablata. Hanc solutionem insinuat Maioris in 4. d. 15. col. 1. sub his verbis: Quanuis auferens à Rege Frãcorum duos duodenos non ei notabiliter noceat, auferat tamen ab eo notabile bonũ. ¶ Ad secundum respondetur, quòd licet quæcunq; ablatio famæ, etiã modicę simpliciter loquendo, sit peior quacunq; ablatione rerum tẽporaliũ, propterea quòd fama altioris ordinis est, quàm bona temporalia, nec aliqua inter ista potest

Punctus difficultatis.

1. *Sententia*

1. *Argum.*

2. *Argum.*

3. *Sententia*

Ad 1. Arg. pro prima opinione.

Ad 2. Arg.

potest debita comparatio, adhuc tamen leuis infamatio in genere suo est parua materia: & sic constituens culpam venialem: cum tamen acceptio iniusta rerum temporaliũ, quę est grauis materia, sit inductiua peccati mortalis. Ad confirmationem respõdetur. Quinquaginta vel centum aureorum imo & duorum quantitatem non esse rem adeò vilem, nec tenuem, vt pro illorũ iniusta ablatione, ex qua grauis proximo iniuria irrogatur, non possit homo in æternum iustè damnari, tanquam qui non solum charitatem, sed etiã iustitiam violat in re graui. ¶ Dico secundo opinionem Nauarri, atque aliorum, qui affirmãt duorum argenteorum quãtitatem ex natura rei, & ex obiecto esse in furto sufficientẽ materiã peccati mortalis, esse nimis duram, atq; rigidam, & vt talis reijcitur à viris grauibus. Nec huius nostri dicti aliam possumus assignare rationẽ, nisi, quòd secũdum arbitrium viri prudentis ea summa nõ est tanta, vt constituat ipsa ex se, secluso omni alio dãno inde subsequuto (quomodo loquimur in præsenti) materiam graue furti. Et per hoc patet solutio ad primum argumentum, pro secunda opinione factum. Quod quidem est inualidũ: quia supponit duorum regaliũ, & vnius, atque etiam dimidij quantitatem esse materiam grauem furti: quod non supponendum, sed probãdum foret, cùm illud sit, de quo in præsenti est concertatio. Ad secundũ respondetur, in illis cõstitutionibus non dici, quòd pro furto duorũ, vel trium regaliũ excommunicatio detur: sed quòd pro minori nõ detur. Nec ex hoc licet inferre, pro illa dari posse. Tantũ enim voluerunt Episcopi tollere abusum, qui esset, si pro tam vili quantitate, qualis est, quæ duorum vel trium argenteorum non excedit, tam grandis censura imponeretur. Nec ideò senserũt pro illã esse imponendam. Non enim quid sit faciendũ, sed potius, quid non sit faciendum ostendunt. Quomodo egregiè, quibusdam hæreticis, qui Mariã post Christi natiuitatem cognitam fuisse à Ioseph, ex illo Euangelij, Et non cognouit eã, donec peperit filium suum primogenitum, colligebãt, D. Hieronymus respondet dicẽs, quòd scriptura eo in loco non quid sit factum, sed tantùm, quid non sit factum ostendit. Quare argumentum ab autoritate negatiue sępe est inualidum. Ad confirmationem ex § gallinarum: respondetur primo ex mente Angeli loco citato, ibi dari actionẽ furti, atq; pœnam ei, qui gallinam surripuit, non quia vna gallina ex se sit sufficiens materia peccati mortalis, sed quia præsumitur maiori voluntate furandi id fecisse. Quæ solutio nõ est omnino contemnenda. Consentit enim

2. *Concl.*

Ad 1. arg. pro secũda opinione.

Ad 2. arg.

D. Hieronymo, supra secundũ caput epistolæ ad Titum, & refertur in cap. finali. 14. q. 6. dicenti: Fur non solũ in maioribus, sed etiam in minoribus indicatur. Non enim id, quod furti ablatũ est, sed mens furantis attenditur. Quare Gracianus in eodem loco, inquit: Furtum non tam in quantitate rei, quàm in affectu furantis consideratur. Vel secundo respõdetur, & melius, ibi solũ haberi quòd si galline, & anseres turbati euolauerint, & alius animo lucrandi eas retinet, furtum committit. Quod est verisimum. Itaq; non dicitur, quòd puniatur, vel detur actio furti contra eum, qui vnam gallinam surripuerit, sed solũ declaratur natura furti: quæ consistit in detinendo alienum animo lucrandi, hoc est, sibi retinendi. Quod est intelligendum, seruata ratione debitæ quantitatis. Vnde crudele esset atque ridiculum, aliquem flagellare, aut punire publicè ob quatuor argẽteos, vel ob galinam tantum. Et sic textus ille sententiam Nauarri minimè probat. ¶ Dico tertio sentẽtiam Soti esse valdè probabilẽ. Quanuis probabilius, & verius dicerim loquẽdo de furto in communi, nullam posse dari certam regulam, sine ordine ad personam, vt docet Medina Codice de restitutione q. 10. § occurrit. in responsione ad secundum casum. Nam cum furtum sit mortale ex eo, quod graue damnum infert, & hoc inferri intelligi nõ possit, nisi alicui personæ, saltem in genere, nempe, vel principibus, vel diuitibus, vel cõmunibus personis, vel pauperibus: & quod vni est magnũ determinẽtum, alteri nõ sit magnum, sit, vt in determinatione quantitatis rei, semper sit habẽda ratio personę, & attenta paupertate, seu facultate spoliati relinquitur id arbitrio boni viri determinãdum. Quod mihi in hac re, saluo meliori iudicio, dicendũ videtur, esse, quod in diuitibus inuictis (etiam si Reges sint) duorum, vel trium, & etiam vnius aurei quantitas est sufficiens materia ex natura rei ad efficiendum peccatum mortale furti. In cõmunibus autem personis quatuor, vel quinque regalium, in pauperibus verò, vnius, vel duorum. Et hoc exclusis omnibus alijs extrinsecis nocumentis, vt dictum est. Nec huius rei aliam possumus assignare rationem, quã arbitrium boni viri secundũ prudentiam iudicantis. Qui prudentior fuerit, aptiorem poterit sibi regulam præscribere, quam sequatur.

3. *Concl.*

¶ Supposuimus tanquam certum dubio præcedenti, eum, qui furatur rem paruam, ex cuius defectu notabile domino sequitur nocumentum, vt qui furatur acumã sartore, vel lora boum ab agricola, propter quod per aliquod tempus diurnas perdit operas, pec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dubium. care mortaliter: Sed dubium est, an excommunicatio lata à sartore contra eos, qui sibi aliqua surripuerunt, etiam comprehendat eum, qui acum est furatus, donec totum damnum restituat? Et pro parte affirmatiua sic

Argumentum. argumentor: Excommunicatio fertur pro furto, quod est peccatum mortale: sed illa ablatio acus est furtum mortale respectu valoris operum, nempe, decem, vel viginti argēteorum: ergo cadit excommunicatio supra illud. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Illa ablatio acus cum dāno inde subsequuto est iniusta, vt de se patet: ergo constituitur in aliqua specie iniustitiæ. Non in specie rapinæ: ergo in specie furti. Et confirmatur: Causa, ex qua totum illud damnū est subsequutum, fuit furtum, nēpe, iniusta ablatio acus: ergo peccatum inde subsequutum, etiam inducit naturam furti, atq; ex cōsequenti excōmunicatio lata contra fures, illum comprehendit.

Conclusio. ¶ Hoc tamen non obstante, dico talem surreptorem rei paruæ, ex cuius defectu graue aliquod damnum est subsequutum in casu de quo loquimur, non incurrere excommunicationē, etiam si damnum non restituat. Hanc sententiam tenet Nauarro in Manuali cap. 17. numer. 3. Non obstante, quòd referat Sotum atque Syluestrum pro contraria opinione. Et probatur: Excommunicatio in eo casu solū fertur pro furto, sed non quodcūque damnum illatum habet rationem furti: sed illud tantum, quòd inuoluit occultam acceptionem rei alienæ domino inuito, vt diximus in superioribus, quod in præsenti non inuenitur respectu damni subsequuti: ergo non incurritur excō municatio, nec talis damnificans potest dici proprie fur. Et confirmatur. Qui acciperet à notario calamum impedientem ipsum à magno lucro, verbi gratia, à lucro centum aureorum, nec suspenderetur iustè ob tale crimē, nec haberetur infamis, nec daretur actio furti contra ipsum: quæ omnia secus fierēt, si talis illatio nocumenti haberet rationem furti: ergo propriè loquendo non est furtū, atque ex consequenti non est cur pœna excommunicationis lata contra fures ad illum extendatur, etiam si peccauerit contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur. Hoc idem probat Nauarro loco citato ex eo, quòd qui furatur rem paruam, ex qua damnum decem ducatorum sequitur, non condemnabitur in duplo, aut quadruplo illius damni, sed tantum rei furto acceptæ, vt dicitur in §. in duplum. & in §. quadrupli. insti. de actio. Et ratio est: Nam respectu damni non est furtum sed tantum respectu eius rei, quę clam vsurpatur. Idemque affirmat esse dicendum de excommunicatione pro furto imposita. Et *Ad argumentum.* ad argumentum in contrarium factum respondetur, negando minorem. Et ad probationem dico, falso supponi esse tantum duas species iniustitiæ, scilicet, furti, & rapinæ. Nam vsura est iniustitia, vt constat: & tamen nec est furtum, quia fit altero sciente, & non clam: nec rapina, quia non penitus palam aufertur, aut per vim: sed est quædam species media inter illas duas. Et item: Qui debet alteri ex contractu licito, scilicet, ex promissione vel venditione, aut mutuo pecuniam, quam non soluit tempore statuto, iniustitiam facit, & tamen nec est fur, nec raptor nec vt talis punitur, sed committit aliam speciem iniustitiæ nomine carentem. Et ità contingit in proposito, quòd qui causam illius damni dat iniustitiam facit: & tamen non est fur, nisi tantum illius rei minimæ ablatæ. Quare excommunicatio imposita contra fures illum non comprehendit, sicut nec comprehendit vsurarios, aut alios debitores iniustitiam facientes. Non nego omnem iniustitiam appellari quodammodo furtum, illāque in illo præcepto: Non furaberis, esse prohibitam. Sed quod affirmo est, quòd nō omnis habet propriè rationem furti, quomodo nos in præsenti loquimur de furto: sed illa tāctum, quæ res aufert clam à domino possidente. Hæc enim sola est, ad quam infamia, & aliæ pœnę iuris consequuntur. Quare, nisi excommunicatio generaliter feratur pro iniustè retentis, vel damnis factis, non nisi ablatores, comprehendit. Ad confirmationem respondetur, verum esse, quòd causa ex qua damnum sequitur in casu posito est furtum, licet tam paruę quantitatis, vt ipsum ex se mortale peccatum non sit. Nego tamen ex hoc inferri illationem damni inde subsequuti esse proprie furtum, quamuis sit species quædam iniustitiæ. Et sic excommunicatio lata contra fures tales damnificantes non comprehendit.

¶ Diximus in superioribus, quatuor, vel *Dubium.* quinque argenteos in communibus personis esse sufficientem quantitatem ad efficiendum ex natura rei, secluso quocunque alio nocumento, peccatum mortale furti, & in pauperibus, vnum, vel duos. Dubium nunc est, an qui paulatim accipit ab eodem, sine intentione plus furandi eam quantitatem, quæ ex se non est sufficiens ad mortale peccatum, & posteà concupiscentia ductus accipit reliquum, peccet mortaliter in illa acceptione. Nauarro in Manuali cap. 17. numer. 139. dicit, quòd tantum venialiter, licet *Sententia Nauarri.* talis accipiens sub mortali teneatur ad restitutionem. Et ratio illius est: Nam obiectum talis

Fundamentum illius. talis acceptionis non est tota summa, quæ requiritur ad peccatum mortale. Quod inde colligitur, quòd acceptio illa iniusta cum omnibus suis circunstantijs temporis, & obiecti, est hodie, & tamen tota summa, quæ requiritur ad peccandū mortaliter, non est hodie, sed tantum illa leuis, & sic actio solum est venialiter mala. Itaque dicit, quod qui minutatim vno die quid exiguum, puta, quadrantem, seu quatrinum, & alijs multis diebus succesſiue tantundem capit, nulla vice peccat, nisi venialiter tantùm, etiam si taliter accepta ad notabilem quantitatem creuerint, dummodo iam inde à principio non habuisset animum, notabilem illam quantitatem per parua furta accipiendi. Tamen, siue à principio habuerit talem animum, siue non, quàm primum pertingit ad quantitatem, quæ tota simul ablata efficeret furtum mortale, sub mortali obligatur ad restitutionem. Ex quo infert inueniri posse furta solum venialia, quæ obligent ad restitutionem sub pœna peccati mortalis. Limitat autem Nauarro in eodem loco istam suam sententiam de restitutione ad illos, qui continuato tempore sine magnis interuallis notabilem quantitatem conflarent. Nam de famulis, qui vno mense paruam quantitatem, & post alium, vel duos menses totidem, & sic deinceps, ita quod in fine trium, vel quatuor annorum efficeret summam etiā duplo maiorem, quam quæ semel accepta peccatū mortale & necessitatem restituendi induceret, affirmat nec peccare mortaliter, nec obligari ad restitutionē. Hæc Nauarro.

Sententia Medinæ & aliorum vera. Cæterum Medina Codi. de restitutione. quæstione. 10. & Conarruuias libro. 1. Varia rum cap. 3. numero. 12. & plures alij absolutè dicunt, quàm primum quis notabilem quantitatem attingit, etiam si per parua furta id faciat, peccare mortaliter, obligarique ad restitutionē. Quæ sententia mihi multò magis probatur. Et ratio est: Nam posita illa vltima actione, ponitur notabile damnum, & ea ablata, auferetur. Quicumque autem scienter ex actu suo etiam leui, proximum patsurum notabile damnum, illum facit, verè est causa moralis talis damni, & sic peccat mortaliter. Parumque vel nihil interest, an paulatim, vel simul proximum quis spoliet, cum semper sit æquale damnum. Et confirmatur: Qui paulatim acceperat ab eodem eam quantitatem, quæ ex se non est sufficiens ad peccatum mortale, & postea accipit reliquum, tenetur sub mortali restituere, saltim illam partem, quam vltimo loco accepit, ipso etiam Nauarro id concedente: ergo peccauit mortaliter in illius acceptione. Ad hoc argumentum Na *Ad fundamentum Nauarri.* uarro negat consequentiam. Nam existimat ex peccato veniali oriri posse obligationem restituendi, sub mortali, imo & absque vllo peccato. Et ponit exemplum in re commodata, aut credita, ex cuius acceptione, sine peccato facta, nascitur obligatio restituē di. Cæterum hæc solutio non satisfacit. Nā vt communiter dicunt Doctores, explicaturque quam optime à Petro Nauarr. libro. 2. de restitutione capitulo. 1. numer. 42. obligatio restituendi propriè incurri nō potest absque mortali culpa, iniustitiaque præcedente. Et quod non ex delicto, sed ex contractu debetur, vt in commodato, & credito, solui potius, quam restitui est dicendum. Cū ergo in præsenti loquamur de restitutione ex furto, & iniusta acceptione proueniente impossibile erit absque culpa mortali eam incurri. Nec Nauarro, aut quiuis alius aliquod assignabit exemplum, quo sub mortali teneatur quis reddere id, quod ex mero delicto, seu acceptione iniusta debet, sine eo, quod mortaliter peccauerit, furripiendo aut damnum dando. Et ad rationem Nauarri respondeo, quòd licet obiectum vltimæ illius acceptionis non sit tota summa, quæ requiritur ad peccatum mortale, vt rectè probat argumentum, adhuc tamen ea acceptio est peccatum mortale, propter notabile damnum, quod infert proximo, ad modum iam explicatum.

Dubium. Sed dubitabit aliquis hoc loco, an qui à pluribus modicum accipiens, magnam quātitatem sibi acquirit, cōmittat peccatū mortale furti? De qua re sunt variæ Doctorū sententiæ. Prima est, quā refert Corduba in suo tractatu, de casibus conscientiæ. quæst. 70. ex Angest. in Morali. capitulo. 9. folio 74. Quæ *Sententia Angesti.* dicit, nec peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, qui isto modo magnam sibi quātitatem acquirit. Et ratio illius est: Quia *Argumentum.* nulli damnum notabile infert, quod requiritur ad peccatū mortale furti. Eandē sententiā tenet Medina Codice de restitutione. q. 10. quādo accipiēs est pauper, nec habet aliunde vnde viuere possit, nec id facit in fraudem legis, sed vt cōmuniter fieri solet tēpore messis, aut vindemiæ, quo pauperes paulum hinc, & paulū inde magnā sibi cōgregant quantitatē. Nauarro in Manuali c. 17. n. 130. dicit, quòd *Sententia Nauarri.* nunquā peccat mortaliter talis accipiēs; tenetur tamē ad restitutionē, cū primū notabilis quātitas fuerit acquisita, propter rationē ab ipso positā dubio præcedēti. ¶ Cæterū quod *Sententia autoris.* mihi in hac redicendū videtur est, quod talis accipiēs non solū tenetur ad restitutionē, sed etiam peccat mortaliter in tali acceptione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

siue pauper sit, siue diues modo inuito domino id faciat. Esse enim pauperem, seclusa extrema, aut graui necessitate, non iustificat furtum, quod indiuite esset mortale; cum extra illos casus, nullus habeat ius ad alienum. Hanc sententiã tenet Soto de Iustitia & iure libro quinto quæstione tertia. articulo 3. ad tertium. & in 4. distin. 22. quæstione. 1. articulo, secundo. & Corduba quæstione illa citata, circa tertium punctum. Et probatur: Septimum præceptum Decalogi, quod est de non furando, non solum prohibet, nequis damnum inferat proximo, sed etiam, ne quis accipiat alienum, quod iure suo non est, dicit enim. Non furtum facies, id est, non apprehendes bonum proximi alienum: ergo qui accipit notabile bonum alienum, licèt re vera nulli proximo in particulari notabiliter noceat, facit contra hoc præceptum, atque ex consequenti peccat mortaliter. Et confirmatur: Nam alias sequeretur aliqua industria honesta, & sine peccato mortali posse hominem fieri diuitem, modicum quid à singulis accipiendo, quod est absurdum, & contra rationem. Secundo: Si in aliquo communi loco omnes habitatores alicuius ciuitatis bona sua deponerent, ità vt habita ratione quantitatis, & mẽsuræ vniuscuiusque, vnum efficerent aceruum, & ex illo aliquis notabilem surriperet quantitatem, proculdubiò peccaret mortaliter, non obstante, quòd facta partitione eius, quod furatus fuit nulli in particulari notabile fecerit nocumentum: ergo sola quantitas rei furatæ sine ordine ad nocumentum, est sufficiens efficere furtum mortale. Præterquam, quod etiam in casu, de quo loquimur graue damnum irrogatur, vt ex solutione ad argumentum pro prima opinione factum constabit. Ad quod quidem, quia difficile est, diuersi diuersa dicunt. Soto de iustitia & iure loco citato affirmat, quòd quãtitas, quæ per se est magna absque vllo personarum respectu, siue ab vno, siue à pluribus accipiatur, per se constituit peccatum mortale. Et ita contingit in proposito. Cæterum, quoniam videtur valde difficile intellectu, quòd quis mortalem iniustitiam committat, & tamen nulli notabiliter noceat, aliter alij respondent, dicentes, quòd si tunc non fit damnum notabile est per accidens, quia sunt plures; cum tamen per se & ex natura rei acceptio illa sit notabiliter damnificatiua. Et hoc satis esse dicunt ad hoc, vt furta lenia sint mortalia, & inducant obligationẽ restituendi. Tamen nec hæc solutio omnino placet. Et ratio est: Quia licet actio aliqua ex se sit damnificatiua, si tamen de facto nõ nocet, non inducit obligationẽ restituendi. Vt est videre in eo, qui ensem percutit quẽ lædere nõ potuit, nisi leuiter, vel quia erat armatus, vel alia de causa, qui quidem nõ tenetur facere restitutionẽ homicidæ, quamuis eius actio ex natura sua erat illatiua mortis. Et eodem modo videtur dicendũ in proposito, quod cum hic, & nunc, non sit notabile dãnum subsequutum, ad nullam tenebitur restitutionem, qui à pluribus grandẽ summam accepit. Præterquam, quòd etiam ad accipere rem notabilem à pluribus non per accidens, sed per se sequitur, non lædere vnũ quemque notabiliter; cum ex natura talis actus, qui est inter plures, id necessariò sequatur. Quocirca alij aliter respondent, dicentes eũ, qui à pluribus grandem summã accipit, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem: quia licet singuli non sint rationabiliter inuiti de suo damno, sunt tamen iure inuiti, quod sibi & alijs' ablatum sit aliquid, quo fur magnam sibi quantitatem acquisierit. Sed nec hæc ratio est sufficiens: quia nulli imminet cura de alijs, nec de lucro furis: & sic si sibi non fit iniuria, vel sit tantum leuis, nõ est cur iure sit inuitus. Quare his omnibus solutionibus omissis, ad argumentum respondeo, quòd licèt in casu, de quo loquimur nulli in particulari fiat iniuria, notabilis, toti tamen reipublicæ, & generi humano irrogatur grauissimum nocumentum ex eo, quòd sine labore, & industia, aliena surripiendo viuat quis lautè, absque peccato mortali, & obligatione restitutionis. Nullus enim esset, qui artes & honesta exercitia quæreret; sed omnes furtis & rapinis assuescerent, ex quo graue damnum, atque pernicies reipublicæ sequeretur. Quare ipsum ius naturale dictat, id non esse faciendum. Et siquis quærat modum, quo in tali casu debet fieri restitutio? Dico breuiter, quòd si domini sunt incerti pauperibus est facienda restitutio, iuxta id quod diximus quæstione. 62. articulo 5. Si autem domini sunt certi, vnicuique debet sua pars reddi, quo ad vsque quantitas, quæ apud ipsum manet, non sit magna. Circa solutionem ad secundum argumentum D. Thom. esset disputandum, an fures licitè possint mortis supplicio affici. Sed de hoc nos iam nonnihil diximus supra quæstione. 64. articulo secundo. Qui plura videre desiderat legat Magistrum Sotum libro quinto, de iustitia, quæstione. 3. articulo tertio, ad quartum, & Medinam Codice de restitutione quæstione quarta & Couarruuias libro secundo Variarum resolutionum capitulo. 9. numero. 7.

Ad argumentum pro prima opinione.

Quæstio.

Responsio.

ARTICVLVS VII.

¶ Vtrum liceat alicui furari propter necessitatem.

Infrà quæ. 110. art. 3. ad 4. Et 4. dist. 15 q. 2. ar. 1. q. 4. ad 2. & art. 4. q. 2. ad 2. & art. 5. q. 1. cor. In decreta lib. 5. tit. 18. c. 3. & incipit. Si quis propter. Lib. 2. c. 6. ad finem, to. 5.

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quod non liceat alicui furari propter necessitatẽ. Non enim imponitur pœnitentia nisi peccanti. Sed extrà, de furtis * dicitur. Si quis per necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem vel pecus, pœniteat hebdomadas tres: ergo non licet furari propter necessitatẽ.

2 ¶ Præterea, Philosophus dicit * in secundo Ethicorum, quòd quædam confestim nominata, conuoluta sunt cum malitia, inter quæ ponit furtum. Sed illud quod est secundum se malũ, non potest propter aliquem bonum finem bonum fieri: ergo non potest aliquis licitè furari, vt necessitati suæ subueniat.

3 ¶ Præterea, Homo debet diligere proximum sicut seipsum. Sed nõ licet furari ad hoc, quòd aliquis per eleemosynam proximo subueniat: vt Augustinus dicit * in lib. contra mendacium: ergo non licet furari ad subueniendum propriæ necessitati.

Cap. 7. in medio, to. 4

¶ SED CONTRA est, quòd in necessitate sunt omnia communia: & ita nõ videtur esse peccatum, si aliquis rem alterius accipiat propter necessitatem sibi factam communem.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ea quæ sunt iuris humani, non possunt derogare iuri naturali, vel iuri diuino. Secundum autẽ naturalem ordinem ex diuina prouidentia institutum res inferiores sunt ordinatæ ad hoc; quòd ex his subueniatur hominũ necessitati: & ideo perrerũ diuisionẽ & appropriationẽ ex iure humano procedentem non impeditur quin hominis necessitati sit subueniẽdũ ex huiusmodi reb⁹. Et ideo res quas aliqui superabundãter habẽt, ex naturali iure debentur pauperum sustẽtationi. Vnde Ambros. * dicit, & habetur in Decretis distin. quadragesimaseptima: Esurientiũ panis est, quem tu detines: nudorũ indumẽtũ est, quod tu recludis: miserorũ redẽptio & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis. Sed quia multi sunt necessitatẽ patientes, & non potest ex eadem re omnibus subueniri: committitur arbitrio vniuscuiusque dispẽsatio propriarũ rerũ, vt ex eis subueniat necessitatẽ patiẽtibus. Si tamen adeò sit euidens & vrgens necessitas, vt manifestum sit instãti necessitati de rebus occurrentibus esse subueniẽdum (puta cum imminet personæ periculum, & aliter subueniri non possit) tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subuenire, siue manifestè, siue occultè sublatis, nec hoc propriè habet rationem furti vel rapinæ.

Ambros. in ser. 81. non procul à fine, to. 2.

Et habetur dis. 47. ca. sicut hi.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Decretalis illa loquitur in casu in quo non est vrgens necessitas.

¶ Ad secundum dicendum, quòd vti re aliena occultè accepta in casu necessitatis extremæ, nõ habet rationem furti, propriè loquendo, quia per talem necessitatẽ efficitur suum id quod aliquis accipit ad sustẽtandum propriã vitam.

¶ Ad tertium dicendum, quòd in casu similis necessitatis etiam potest aliquis occultè rem alienam accipere, vt subueniat proximo sic indigenti.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatẽ respõdet D. Thom. per tres propositiones. Prima conclusio: Res quæ homini redundant, pauperũ sustẽtationi debentur iure naturæ. Probatur primo autoritate Diui Ambrosij, sermone. 81. dicentis: Esurientium panis est, quem tu detines. Nudorum indumentũ est, quod tu recludis. Miserorũ redẽptio, & absolutio est pecunia, quã tu in terra defodis. Et ratione sic argumẽtor: Nullũ ius gentiũ, aut hominũ, naturali, aut diuino derogare potest, cũ hæc superiora sint illis: sed iure naturæ, atque diuina prouidẽtia institutũ est, vt res inferiores subueniant necessitati hominum, propter quos conditæ sunt: ergo vbi huiusmodi res redundant, nec possessori seruiunt, nullo humano iure vitari possunt, quominus in egentium vsum veniãt. Atque ex consequenti, non obstante diuisione iure gentium facta res, quæ homini redundant pauperũ sustẽtationi de iure naturæ erũt debita. Secunda conclusio. Quãuis res, quæ homini redun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

redundant,pauperum sustentationi iure naturæ debeantur, nullus tamen citra extremã necessitatem potest ei,cui affluunt bona sua eripere. Et ratio est: Nam quanuis locuples quicunque bona sua diffundere teneatur, sunt tamen multi egeni diuersis locis,& temporibus occurrentes, quibus ipse pro suo arbitrio poterit illa conferre, cum vniuscuiusque voluntati propriarum rerum dispensatio committatur. Tertia conclusio:In extrema necessitate potest quisquam rebus alienis, siue clam, siue palam sublatis sibi succurrere; nec hoc habet propriè rationem furti, vel rapinæ. Hanc conclusionem non probat D. Tho. nisi in argumento, sed contra,ex illa communi sententia. In necessitate omnia sunt communia. Sed illius ratio est, quòd tam innatum est homini ius propriam vitam conseruandi, vt ei cuncta alia cedant;maximè quæ sunt de iure positiuo,qualis est rerum diuisio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius articuli aliqua supponenda sunt ex ijs, quæ diximus in materia de eleemosyna quæstione. 32. art. 5. in primo tomo. Primum est, quòd ius naturale,& diuinum præcipit, eleemosynam faciendam esse in casu extremæ necessitatis, etiam de bonis ad personam necessarijs. Est enim ordo charitatis in præcepto, vt tenet communis sententia Theologorum. Et secundum istum ordinem vita spiritualis proximi anteponitur vitæ corporali nostræ, & vita corporalis proximi anteponitur reliquis nostris bonis. Decentia autem statua est bonum quoddam temporale, quare postponendum erit vitæ corporali proximi, atque ex consequenti in casu extremæ necessitatis tenebitur vnusquisque ex præcepto facere eleemosynam,etiam de bonis ad personam necessarijs. Secũdo est supponendum, quòd tenentur homines facere eleemosynam de superfluis naturæ,& personæ,etiam extra casum extremæ,necessitatis, vel quasi extremæ: Hoc est,tenentur facere eleemosynam de superfluis in communibus necessitatibus sub reatu peccati mortalis. Hanc sententiam tenet D. Thom. 2. 2. quæstione. 32. articulo. 5. ad 2.& quæst. 87. arti. 1. ad 4. Vbi dicit, quòd in noua lege non solum decimam partem, sed omnia bona superflua iubet Deus dare pauperibus. Hoc idem tenent multi alij, relati per nos in materia de eleemosyna,loco citato, propter testimonia scripturæ atque alias rationes ibidem adductas. Vbi etiam explicauimus, quæ nam bona sint dicenda superflua. ¶ Tertio est supponendum, quòd hæc obligatio dandi eleemosynam de bonis necessarijs ad statum,in casu extremæ necessitatis, & de bonis superfluis in alijs necessitatibus etiam communibus, non solum est obligatio charitatis, & misericordiæ, sed etiam iustitiæ, vt ex mente Caietani contra Nauarrum Sotum, & alios ostendimus loco citato. Quare etiam extra extremam necessitatem poterunt diuites superflua habentes per iudicem compelli, vt pauperibus subueniant. Quod vt explicet, aduertit Caietanus, dupliciter posse contingere, quod quis à iudice compellatur ad aliquid dandum. Vno modo, propter debitum alicui certæ personæ. Vt si furatus quis fuisset bona alterius,vel alias ei debitor esset ratione depositi, vel mutui. Secundo ratione debiti non alicui certæ personæ, sed propter bonum commune. Vt si quis homicidium committat, & nullus conqueratur, potest iudex propter bonum commune iustitiæ, tunc talem hominem punire. Hoc supposito dicit, quòd princeps non ratione particularis debiti, sed propter bonum commune, & vt iustitia in diuitijs seruetur, poterit ex officio diuitem nolentem, superfluum naturæ & personæ distribuere, compellere, vt illud indigentibus distribuat: tanquam auferendo dispensationem diuitiarum commissam diuiti, vt ab indigno. Iuxta enim Sanctorum doctrinam, diuitiæ superfluæ non sunt diuitiæ, nisi, vt dispensatori, concessæ à Deo, vt habeat meritum bonæ dispensationis. Itaque fundatur huiusmodi legale debitum in hoc casu supra ipsa diuitiarum iniustitia: quæ,cùm in genere boni vtilis, sint superfluitas, non dispensata, sed tenta contra vtilitatem tam retinentis,quàm indigentis occupatur. Contra retinentem occupatur quia sua est, vt sibi prosit dispensatio. Contra indigentium autem vtilitatem occupatur: quia quod in eorum vsum cedere debet, retinetur. Atque adeo indigentibus fit iniuria, non dispensando superflua. Quam iniuriam princeps,vel iudex,qui custos est iusti,vel ex officio,vel ad petitionem pauperum,auferre potest, & debet, si constat euidenter. Et si quis argumentetur, vt argumentatur Nauarro,atque Soto; Quando aliquis tenetur ex iustitia aliquid dare, tenetur ad restitutionem, si non dat; sed qui non subuenit pauperi extremè indigenti, aut de superfluis dat communiter indigentibus, nihil tenetur restituere, quanuis mortaliter peccet: ergo illud præceptum non pertinet ad iustitiam, sed ad cha-

Eleemosyna est faciẽda in casu necessitatis ex iure naturali & diuino.

Obligatio faciendi eleemosynã est aliquãdo obligatio iustitiæ.

Argu.

Responsio. charitatem: Respondeo falsum esse, quòd omnis obligatio, quæ oritur ex iustitia, obligat ad restitutionem. Nam ex iustitia tenetur pater alere filium, & filius patrem, vt in lege. si quis à liberis. §. siquis. ff. de liberis agnoscendis Vlpianus definit: & tamen si nec pater tribuat alimentum filio, nec filius patri in casu necessitatis, ne necessitate transacta, nihil tenetur restituere: non ergo omnis lex iustitiæ præcipiens aliquid dare, obligat non dantem ad restitutionem. Sed distinguendum est: Nam lex iustitiæ dupliciter præcipit aliquid dare. Vno modo simpliciter: Vt, cùm quis debet aliquid alteri vel ratione iniustæ acceptionis, vel ratione rei acceptæ. Et tunc talis lex iustitiæ obligat non dantem ad restitutionem. Alio modo in casu particulari: vt cum præcipit alimenta præbere in casu necessitatis. Et tunc cessante necessitate, cessat obligatio: vt contingit in proposito. ¶ Ex dictis infertur, quòd quando D. Thomas dicit in prima conclusione; res, quæ homini redundant, iure naturæ pauperum sustentationi deberi, non tantum insinuat obligationem misericordiæ, & charitatis, sed etiam aliqualem obligationem iustitiæ. Quanuis enim postquam res sunt diuisæ quisquè sit illarum dominus, eatenus tamen persistit naturalis, vt qui abundat ex iustitia teneatur esse in egenos beneficus. Ratio autem,propter quam ille, qui extra extremam necessitatem,etiam si sit in graui,non potest ei,cui affluunt bona sua eripere,vt dicit D. Thom. in secunda cõclusione est,quia cum possint esse multi in diuersis locis,& temporibus simili necessitate oppressi, & diuites tantum teneantur pauperibus superflua distribuere; non est cur ab eis auferatur potestas hæc pro suo arbitratu quibus voluerint dispensandi. Vnicuique enim iure naturæ est propriarum rerum commissa distributio. Hanc rationem assignat Caietanus in hoc articulo. ¶ Et si quis obijciat; Diues in tali casu (nempe graui necessitatis) tenetur egenti erogare, iuxta illud Ioannis in sua canonica; Qui viderit fratrem suum necesse habere,& claserit viscera sua ab illo, quomodo charitas Dei manet in illo? ergo ille potest sua autoritate eripere; respondeo, negando consequentiam. Nam cum ex mente D. Thom. quodlib. 8. quæstione. 6. articulo. 2. habens superfluum non teneatur dare eleemosynã huic pauperi petenti; quia licet teneatur dare superfluum non tamen tenetur dare huic, sit, vt nec etiam ipse pauper possit illud à domino eripere. Præterquàm, quòd si existentibus in graui necessitate esset licitum aliorum bona accipere domino inuito, pari etiam ratione id liceret quibuscunque neneceſsitatem patientibus, cum omnibus teneantur superflua habentes eleemosynas dare, non solum ex charitate, sed ex aliquali debito iustitiæ, vt diximus. Et hoc esset implere omnia rapinis atque furtis. Si enim furandi licentiam ob necessitatem vltra extremam, semel admittamus, facilè vnusquisque necessitatem fingeret, nullusque laborando victum quæreret; sed paupertatis prætextu aliena eriperet, quod in magnum reipublicæ malum atque excidium cederet. Quare in capitulo. si quis de furtis,ex pœnitentiali Theodori, sic scribitur: Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres. Et idem habetur in capitu. Odoardus. de solu.

Obiectio.

Responsio.

Corollarium.

Circa tertiam conclusionem D. Thomæ est aduertendum,quòd furtum est intrinsecè malum,sicut mendacium adulterium homicidium, & alia huiusmodi; quæ in nullo casu sunt licita, nullaque possunt recta intentione excusari. Quare in casibus, in quibus licitè accipiuntur aliena, non committitur furtum, nec eius definitio in tali actu saluatur, cùm nulla ibi inueniatur iniustitia. Et hoc est, quod dicit D. Thomas in textu. Vnde abusiua est loquutio dicere, licitum esse furari in extrema necessitate. Sicut nec rectè dicitur, licitum esse iudici homicidium committere. Ratio autem, propter quam accipiens alienum in extrema necessitate non peccat, est, quia tam innatum est homini ius, propriam vitam conseruandi, vt ei cuncta alia cedant, maximè quæ sunt de iure positiuo,qualis est rerum diuisio,vt diximus supra agentes de dominio. Si quis autem quærat, quæ apud homines censeatur necessitas extrema? respondeo esse periculum mortis, cui nisi per acceptionem subueniri non potest, vt docet D. Thomas in hoc articulo, & quodlibeto. quinto. articulo. 17. Ex quo infero primo. quòd qui habet ex proprio, vnde sibi subueniat, non est dicendus existere in extrema necesitate. Infero secundo. Periculum famæ, aut honoris, aut etiam pudicitiæ non censeri extremas necessitates. Quare qui,vt his succurrat, alienum accipit domino inuito, furtum proculdubio committere erit dicendus. Hic erat disputanda quæstio grauis, an qui in extrema necessitate constitutus rem ab alio accep-

Furtum est intrinsecè malum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

acceptam consumpsit, cum ad pinguiorem fortunam peruenerit, teneatur illam restituere. Sed est à nobis in proprijs terminis iam agitata in primo tomo, quæstione 32. artic. 5. dubio vltimo.

ARTICVLVS VIII.

¶ Vtrum rapina possit fieri sine peccato.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quòd rapina possit fieri sine peccato. Præda enim per violentiam accipitur: quod videtur ad rationem rapinæ pertinere, secundum * prædicta. Sed prædā accipere ab hostibus licitum est. Dicit * enim Ambro. in li. de Patriarchis. Cū præda fuerit in potestate victoris, decet militarē disciplinam, vt regi seruentur omnia, scilicet ad distribuendū. Ergo rapina in aliquo casu est licita.

Art. 4 huius quæst.
Lib. 1. de Abraham. c. 3. à medio, to. 4.

2 ¶ Præterea. Licitum est auferre ab aliquo id quod non est eius. Sed res quas infideles habent, non sunt eorū. Dicit enim Augu. * in epistola ad Vincentium Donatistam: Res falsò appellatis vestras, quas nec iuste possidetis: & secundum leges terrenorum Regū amittere iusti estis. Ergo videtur quòd ab infidelibus aliquis licitè rapere possit.

Epist. 48. In 2. pagi. ante finem epist. to. 2. Et habetur 23. q. 7. ca. Quicunque.

3 ¶ Præterea. Terrarū principes multa à suis subditis violenter extorquēt, quod videtur ad rationem rapinæ pertinere. Graue autem videtur dicere: quòd in hoc peccent: quia sic ferè omnes principes damnarentur: ergo rapina in aliquo casu est licita.

¶ SED CONTRA est, quòd de quolibet licitè accepto potest fieri Deo sacrificium, vel oblatio. Non autem potest fieri de rapina, secundum illud Isai. 61. Ego Dominus diligens iudiciū, & odio habens rapinam in holocaustum: ergo per rapinam aliquid accipere non est licitum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd rapina quandam violentiam & coactionem importat, per quam cōtra iustitiā alicui auferetur quod suū est. In societate autē hominū nullus habet coactionē nisi per publicam potestatē. Et ideo quicūq; per violentiā aliquid alteri aufert, si sit priuata persona, nō vtēs publica potestate, illicitè agit, & rapinā committit: sicut patet in latronibus. Principibus, verò potestas publica cōmittitur ad hoc, quòd sint iustitiæ custodes. Et ideo nō licet eis violentia & coactione vti, nisi secundū iustitiæ tenorē, & hoc vel cōtra hostes pugnando, vel contra ciues malefactores puniendo. Et quod per talē violentiā auferetur, nō habet rationem rapinæ, cum non sit contra iustitiā. Si verò cōtra iustitiam aliqui per publicam potestatem violēter abstulerint res aliorum, illicitè agunt, & rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd circa prædā destinguendū est. Quia si illi qui deprædantur hostes, habeant bellū iustum, ea quæ per violentiam in bello acquirūt, eorum efficiuntur. Et hoc nō habet rationē rapinæ. Vnde nec ad restitutionē tenētur. Quamuis possint in acceptione prædæ iustū bellū habentes, peccare per cupiditatē ex praua intentione: si scilicet nō propter iustitiā, sed propter predā principaliter pugnēr. Dicit enim * Aug. in li. de Verbis Dñi, quòd propter prædā militare peccatū est. Si vero illi, qui prædam accipiunt habeant bellum iniustum, rapinā committunt, & ad restitutionem tenentur.

Ser. 19. cit caprin. to. 10. Et habetur 23. q. 1 ca. militare.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in tantum aliqui infideles res suas iniustè possident, in quantum eos secundum leges terrenorum principum amittere iusti sunt: & ideo ab eis possunt per violentiam subtrahi non priuata authoritate, sed publica.

¶ Ad tertium dicendum, quòd si principes à subditis exigant quod eis secundum iustitiam debetur, propter bonum commune conseruandum, etiam si violentia adhibeatur, non est rapina. Si verò aliquid principes indebitè extorqueāt per violētiā, rapina est, sicut & latrociniū. Vnde dicit * Augu. in quarto de Ciuit. Dei, Remota iustitia, quid sunt

Li. 4. c. 4. in prin. tom. 5.

sunt regna nisi magna latrocinia? quia & latrocinia quid sunt, nisi parua regna? Et Eze. 22. dicitur, Principes eius in medio eius quasi lupi rapientes prædam. Vnde ad restitutionem tenentur sicut & latrones. Et tanto grauius peccant, quàm latrones, quanto periculosius & communius contra publicam iustitiam agunt, cuius custodes sunt positi.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd rapina importat quandam violentiam, & coactionem, qua alicui contra iustitiam quod suum est aufertur, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio fundamentalis est: Nulli siue publica, siue priuata autoritate vtatur, licita est rapina: importat enim intrinsecam rationem iniustitiæ, quam implicat licite fieri. Vnde, sicut furtum nunquam est licitum, & vbi acceptio rei alienæ est licita furti, ratio non inuenitur: ità etiam, imò & à fortiori in rapina, quæ maiorem continet malitiam, quam furtum. Cæterum, quoniam aliquando potest contingere, vt quis ab altero res suas per violentiam licitè accipiat, vt explicet D. Thomas, quando huiusmodi violenta acceptio habet rationem rapinæ, & quando non, subdit alias duas propositiones. Secunda conclusio: Sola respublica, & princeps eius vices gerens, potest per violentiam citra iniuriam aliquid à suis ciuibus extorquere. Quicumque autem priuata autoritate aliquid per violentiam rapit, raptor est, & latro; atque adeo huius criminis reus. Probatur. Proprium munus eius, qui habet publicam autoritatem, est violentiā inferre: est enim violentia ide, quod coactio; & vis coactiua solum in respublica, aut in principe eius vicem gerente residet: ergo sola respublica, aut princeps eius vicem gerens potest citra iniuriā violentiam inferre, aut hostibus contra eos pugnando, aut ciuibus malefactores puniendo. Quod autem per talem violentiam auferetur non habet rationem rapinæ: quia non habet rationem iniustitiæ, vt constat. Tertia conclusio: Si princeps, aut iudex, vel quius alius magistratus sua abusus potestate, quidpiam à ciuibus per violentiam accipit, rapinam committit, & ad restitutionem tenetur. Hanc conclusionem non probat D. Tho. sed illam, vt notam relinquit, ex superioribus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusiones huius articuli sunt certæ, & de quibus apud Doctores nulla extat controuersia. Cæterùm in solutionibus argumentorum multa dicuntur, quæ ingentem continent difficultatem. In solutione ad primum agit D. Tho. de eis, quæ per violentiam in bello acquiruntur. Et dicit, quòd si illi, qui hostes deprædantur, habent iustum bellum, taliter acquisita efficiūtur eorum. Nec hoc habet rationem rapinæ, etiam si habentes iustum bellum in acceptione prædæ per cupiditatem ex praua intentione peccent. At verò si illi, qui prædam accipiunt, habent bellum iniustum, rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur. Quæ sententia procul dubio est vera, & tenenda. Quanuis non sit facile declarare, quæ nam sint illa, quæ bellum iustum efficiunt. D. Thom. supra. quæstione. 4. articulo. primo. tria dicit esse necessaria ad iustum bellum, scilicet, autoritas principis, iusta causa belli, & recta intentio. Autoritas principis requiritur: quia non pertinet ad priuatam personam bellum mouere. Tum, quia ipsa in iudicio superioris ius suum persequi potest. Tum etiam; quia conuocare multitudinem, quod in bellis fieri debet, ad solum principem pertinet, cuius est rempublicam sibi commissam non solùm materiali gladio contra intetiores perturbatores; sed etiam gladio bellico contra exteriores hostes tueri, atque defendere, iuxta illud Psalmi. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Requiritur etiam iusta causa belli, scilicet, quòd illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Et sic D. Augustinus libro. 83. quæstionum quæstione. 10. definiens bellum iustum, dicit, esse quod vlciscitur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel vendicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. Tertia conditio requisita ad iustum bellum ex mente D. Thomæ est recta intentio, quæ tunc est, quando bellantes intendunt, ac curant, vel quod bonum promoueatur, vel quod malum vitetur. Potest enim contingere, quòd sit legitima autoritas indicens bellum, & causa iusta, & tamen propter prauam intentionem bellum reddatur illicitum. Sed est aduertendum, quòd quanuis recta intentio principis sit valde necessaria ad belli honestatem, propterea quod finis est, qui maximè confert ad bonitatem, vel malitiam actus humani, vt

Tria sunt necessaria ad iustum bellum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt docet D. Thom. i. secundæ, quæstione. 18. articulo. 4. & quæstione. 19. articulo. 7. & 8. est tamen latissimum discrimen inter istam tertiam conditionem, & duas priores. Nam quando bellum est iniustum, ex defectu auctoritatis principis, aut ex defectu causæ iustæ, omnes sic bellantes, præterquam quòd peccant mortaliter, committunt rapinam, & tenentur ad restitutionem eorum damnorum; quæ intulerunt, vt latè docet Syluester verbo. bellū. primo. §. 5. At verò quando bellum est iniustum, solum ex defectu rectæ intentionis principis (dummodò prava intentio non sit causa quòd indebita mala reipublicæ inferantur) licèt sic bellare sit peccatum, vel mortale, vel veniale pro qualitate malitiæ intentionis: nulla tamen inde nascitur obligatio restitutionis magis, quam si talis prava intentio non adesset. Et ratio est; quia princeps tunc non est raptor, nec peccat contra iustitiam, sed tantum contra charitatem, sicut & iudex, qui vel ex odio, vel ex inani gloria iustam sententiam profert contra aliquem. Ex quo infertur, quòd ad hoc, vt bellum nō habeat rationem rapinæ, duæ tantum conditiones sunt necessariæ, scilicet, autoritas principis, & causa iusta belli. Et in his intelligitur, quòd fiat secundum debitum formam iuris: quæ tantò exactius, quā in priuatis iudicijs est necessaria, quantò periculosius de summa boni publici agitur. Hæc autem forma iuris est, vt non nisi cunctis pacis rationibus prius oblatis, bellū indicatur, nec vlterius procedatur: quod fert æquitas, vt latè ostendimus in materia de Bello.

Discrimen inter 3. conditionem & priores.

Sententia D. Tho. de rapina circa infideles exercenda.

In solutione ad secundum argumentum, in quo de rapina, quæ circa infideles potest exerceri agitur, dicit tria D. Thom. Primum est. Infideles in tantum res suas iniustè possidere, in quantum secundum leges terrenorum principum amittere eas iussi sunt. Secundum quòd huiusmodi res non possunt ab eis priuata autoritate auferri. Tertium quòd possunt subtrahi ab illis per violentiā publica autoritate. Ad quorum intelligentiā aduertendum est primò, quod infideles tripliciter se possunt habere ad Christianos principes. Quidam enim sunt, qui iure & facto sub ditione Christianorum principum vitam degunt. Quales olim in Hispania fuerūt Sarraceni, & Hebræi, & nunc in Italia & Germania perseuerant Iudæi. Et de istis nulla est dubitatio, quin possint principes Christiani contra eos lege agere, eosque suis bonis priuare, sicut & quoscunque alios subditos, vt constat ex Decretalibus toto titulo de Iudæis & Saracenis, & ex Decretis distinctione. 54. Sub his etiam infidelibus comprehenduntur hæretici, de quibus propriè loquebatur D. Augustinus adductus à D. Thoma in secundo argumento, quando dicebat. Res falso appellatis vestras, quas nec iustè possidetis: Et secundum leges terrenorum principum amittere iussi estis. Manifestissimum enim est vniuersos hæreticos tam canonico, quam ciuili iure suis bonis multari, vt patet ex capitulo. cum tu. de vsuris. libro. 6. Alij infideles sunt subditi de iure, & non de facto principibus Christianis. Quales sunt illi, qui vi occupant terras Christianorum, vt Afri, Saraceni & Turcæ totam Græciam tyrannide possidentes. Et de istis certum est, quod si eorum principes Christiani, aut sui hæredes viuunt illis de iure subsunt, in quorum sunt dominijs. Si autem nullus superest hæres, subdendi erunt alteri principi Christiano, ab apostolica sede, cuius interest in hoc casu in fauorem fidei de principe fideli prouidere. A quo si quid de illorum rebus lege sancitum fuerit, executioni mandandum erit publica autoritate, & non priuatis furtis, aut rapinis. Nullus enim illorum bona deprædari, aut diripere priuata autoritate potest. Tum; quia præter regiones bona domestica, quæ propria industria lucrantur, sua sunt. Tum etiam præcipuè, quia ad subigendum illos publica autoritas est necessaria. Quare qui sine facultate, & concessione principis illis molestus esset, procul dubio peccaret contra iustitiam. ¶ Tertij ordinis infideles sunt, qui nec de iure, nec de facto subsunt secundum temporalem iurisdictionē principibus Christianis. Quales sunt Pagani, qui nunquam imperio Romano subditi fuerunt, nec terras inhabitant, in quibus Christianum nomen vnquam sit auditum; vel, si fuit auditum, per obliuionem omni memoria superiorem, excusantur, quod idem est. Et de istis solet in controuersiam verti, an licitum sit nobis illos bello petere? Ad quam Caietanus in præsenti respondet. Quòd cum istorum domini, quanuis infideles legitimi sint domini, siue regali, siue politico regimine gubernentur, nec sint propter infidelitatem à dominio suorum priuati, cùm dominium sit de iure positiuo, & infidelitas contra ius diuinum, quod non tollit ius positiuum, fit, vt nullus Rex & nullus imperator nec Ecclesia Romana etiam prætextu prædicandi Euangelium, possit, vel ad occupandas terras eorum vel ad subijciendum illos temporaliter bellum eis mouere, quòd nos etiam in primo tomo. qu. 10. arti-

Infideles tripliciter se possunt habere ad Christianos.

Dubium.

art. 8. pluribus ostendimus, atque probauimus. Et præcipuè ex eo, quòd Christus Dominus, cui data fuit omnis potestas in cælo & in terra ad capiendam possessionem mūdi, non milites armatæ militiæ, sed sanctos prædicatores, sicut oues inter lupos misit. quod cunctos principes Christianos, & præcipuè summō pontificē imitari quàm maximè decet. Et sic quam grauissimè peccauerunt illi, qui fidem Christi vi & armis ampliare conati sunt. Præterquàm quod nec legitimum aliquod dominium sunt consequati, & tenentur ad restitutionem eorum, quæ acceperunt, vtpotè raptores, & iniusti occupatores illorum. Mittendi quidem essent prædicatores boni viri, qui verbo & exemplo eos ad Deum conuerterent; & nō qui eos opprimerent, spoliarent, scandalizarent, subijcerent, & duplo gehennæ filios efficerent more Pharisæorum. Ex dictis infertur, quòd quando D. Tho. in solutio. ad 2. affirmat, infideles res suas iniustè possidere, in quantum eas secundum leges terrenorum principum amittere iussi sunt, & ideò ab eis possunt per violentiam subtrahi non priuata, sed publica autoritate, intelligendus est tantum de infidelibus primi, & secundi ordinis.

Grauissimè peccant qui vi & armis fidē Christi ampliare conātur.

Corollariū

Dubium.

¶Sed circa id, quod dicit, quòd res huiusmodi infidelium non possunt ab eis subtrahi priuata autoritate, est difficultas; vtrùm liceat cuiquam priuatæ personæ Christianum seruum à domino infideli rapere, vel furari? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Quidam absolutè dicunt, quòd nō. Et ratio illorum est, quoniā seruus est quædam possessio domini. Et sicut non possunt ab infidelibus propria bona auferri priuata autoritate: ità nec seruus. Alij distinguūt in tra tempus belli, & tempus pacis. Et dicūt, Quod tempore belli licitum est cuiquā, infidelis seruum rapere, vel furari; quoniam tunc quilibet operatur publica autoritate, non tempore pacis. Cæterùm, quod mihi in hac re dicendum videtur, est, licitum esse cuiq; talem seruū ad sui libertatem adiuuare, siuè occultè per modum furti, siue manifestè per modum rapinæ, nulla facta distinctione temporis belli, aut pacis. Et ratio est; Quoniam tibi iniustè oppressus in libertate habet iustum bellum contra dominū infidelem: ergo licitum erit cuique ei opem ferre, siue per modum furti, siue per modū rapinæ. Nec oportet publicam autoritatem aliter hìc quærere, quā quod vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Satis enim inculpata tutela est, quando pro libertate Christiani iniustè detenti modus furti, aut rapinæ committitur, cum libertas sit multò pretiosior omni eo, in quo in fidelis læsionem patitur per hos actus: & nulla sit spes aliter iustitiæ consequendæ. Dicit autem D. Ambros. in libr. de officijs; quòd qui non repellit iniuriam à socio cum potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit.

1. *Sentent.*

2. *Sentent.*

Sententia Autoris.

¶Sed quod habet difficultatē est, cur nō liceat priuata autoritate furari, vel rapere ab istis infidelibus res, quas iniustè detinēt, sicut hos seruos, cùm vtrobique sit iniusta possessio, & seruus non minus sit quid domini, quàm aliæ res? Ad quod breuiter respondeo, licitum esse, etiam per modum rapinæ, Christianos à seruitute liberare; & nō res. Quia liberatio serui habet rationem recuperationis factæ incontinenti, cùm homini viuo continue inferatur violentia personalis, dum detinetur in seruum; ereptio autem rerum non habet huiusmodi rationē, quia occupatio iam transit in rem iudicatam. Verum tamen est, quòd si res iniustè ab infidelibus possessæ sunt eiusmodi, quod sint alicuius particularis personæ, quales sunt res furtiuæ, raptæ, vel per vsuram extortæ, bene poterit illarum dominus per modum furti eas priuata autoritate ab eis aufetre, modò absit scandalum non minus, quàm à nostris, iuxta id, quod diximus in superioribus. Cæterùm easdem res per modum rapinæ priuata autoritate accipere (cum impossibile sit, in pluribus hoc fieri sine scandalo, & actus ex genere suo sit malus, quia non licet priuatæ personæ ius sibi manu armata dicere, siue in terris nostris; quia per hoc fit iniuria principi, siue in terris infidelium propter maximum periculum, quod imminet) regulariter loquendo est illicitum, & peccatum. Nisi forte tanta esset commoditas oblata, vt omnia cessarent inconuenientia. Et hæc dicta sint de toto isto articulo.

Quæstio.

Responsio.

Articvlvs. IX.

¶Vtrùm furtum sit grauius peccatum quàm rapina.

AD Nonvm sic proceditur. Videtur, quòd furtum sit grauius peccatum, quā rapina. Furtum enim super acceptione rei alienæ habet adiunctam fraudem & dolum, quod non est in rapina. Sed fraus & dolus de se habent rationem peccati,

Infr. q. 73. ar. 5. ad 2. Et. q. 116. ar. 2. ad 1. Et. q. 114. ar. 2. ad 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Q. 55. ar. 4. & 5. vt suprà * habitum est: ergo furtum est grauius peccatum, quàm rapina.

2 ¶ Præterea, Verecundia est timor de turpi actu, vt dicitur in. 4. Ethic. * Sed magis verecundantur homines de furto, quàm de rapina: ergo furtum est turpius, quàm rapina.

Lib. 4. cap. 9. tom. 5.

3 ¶ Præterea, Quando aliquod peccatum pluribus nocet, tanto grauius esse videtur. Sed per furtum potest nocumentum inferri & magnis & paruis. Per rapinam autem solum impotentibus, quibus potest violentia inferri: ergo grauius videtur esse peccatum furti quam rapinæ.

¶ Sed Contra est, quod secundum leges grauius punitur rapina, quã furtum.

¶ Respondeo dicendum, quòd rapina & furtum habent rationem peccati sicut suprà * dictum est, propter inuoluntarium, quod est ex parte eius cui aliquid aufertur: ita tamen quòd in furto est inuolũtarium per ignorantiam, in rapina autem est inuoluntarium per violentiam. Magis est autem aliquid inuoluntarium per violentam, quam per ignorantiam: quia violentia directius opponitur voluntati, quàm ignorãtia. Et ideò rapina est grauius peccatum, quàm furtum. Est & alia ratio, quia per rapinam non solum infertur alicui dãnum in rebus, sed etiam vergit in quandam personæ ignominiã, siue iniuriã. Et hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum. Vnde patet responsio ad primum.

Art. 4. & 6.

¶ Ad Secvndvm dicendum, quòd homines sensibilibus inhærentes, magis gloriantur de virtute exteriori, quæ manifestatur in rapina, quàm de virtute interiori, quæ tollitur per peccatum. Et ideò minus verecundantur de rapina, quàm de furto.

¶ Ad tertium dicendum, quòd licet pluribus possit noceri per furtum, quã per rapinam, tamen grauiora nocumẽta possunt inferri per rapinam, quã per furtum: vnde etiam ex hoc rapina est detestabilior.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet D. Thom. hac vnica conclusione: Rapina est grauius peccatum, quam furtũ. Quam probat duplici ratione. Prima est: Tam rapina, quàm furtum habent rationẽ peccati, propter inuoluntarium, quod vtrobique inuenitur ex parte eius, cui aliquid aufertur, vt patet ex dictis articulo. 4. & 6. sed maior ratio inuoluntarij est in rapina, quàm in furto: in rapina enim est inuoluntarium per violentiam, & in furto per ignorantiam: & magis est aliquid inuoluntariũ per violentiam, quàm per ignorantiam, cũ violentia directiùs opponatur voluntati, quam ignorantia; violentia enim apertè pugnat cum actu nolendi, & ignorantia solum efficit inuoluntarium per absentiam actus: ergo rapina ex genere suo est grauius peccatum, quàm furtũ. Secundò idem probatur ex maiori iniuria, quæ irrogatur in rapina. Fur enim pluris facit rei dominũ, quem per metum non audet apertè aggredi, sed latenter, quàm raptor, qui absq; metu eum adoritur: ergo raptor magis peccat eum non solum lædat in bonis, quæ aufert, sed etiam in honore per ignominiam. Hac etiam ratione ostendit D. Thom. infra contumeliam esse grauius peccatum murmuratione. Qui plura de grauitate peccati rapinæ videre desiderat, legat Guillelmum Peraldum. tom. 2. suæ summæ virtutum, & vitiorum sub titulo de auaritia. cap. 2.

QVÆSTIO. LXVII.

De Vitijs oppositis commutatiuæ iustitiæ, in quatuor Articulos diuisa.

Artic vlvs I.

¶ Vtrùm quis possit iuste iudicare eum qui nõ est sibi subiectus?

Ad Primvm sic proceditur. Videtur, quòd aliquis possit iuste iudicare eum, qui non est sibi subditus. Dicitur enim Danielis decimo tertio, quòd Daniel seniores de falso testimonio conuictos suo iudicio condemnauit. Sed illi seniores non erant subditi Danieli, quinimo ipsi erãt iudices populi: ergo aliquis potest licite iudicare sibi non subditum.

Suprà. q. 60. art. 6. Et. 4. dist. 27. q. 3. art. 3. q. 4. Et dist. 28. q. 1. art. 1. cor.

2 ¶ Præ-

2 ¶ Præterea, Christus non erat alicuius hominis subditus, quinimo ipse erat rex regum, & dominus dominantium. Sed ipse exhibuit se iudicio hominis: ergo videtur, quòd aliquis licitè possit iudicare aliquem, qui nõ est subditus eius.

3 q. 6. c. Ibi enim. 6. q. 3. c. placuit extra. de accusati. c. de illis.

3 ¶ Præterea, Secundum iura * quilibet sortitur forum secundum rationem delicti. Sed quandoque ille, qui delinquit, non est subditus eius, ad quem pertinet forum illius loci: putà cum alterius est diœcesis, vel cum est exemptus: ergo videtur quòd aliquis possit iudicare eum, qui non est sibi subditus.

¶ Sed Contra est, quòd Gregor. * dicit super illud Deuteronomij vigesimo tertio. Si intraueris segetem, &c. Falcem iudicij mittere non potest in eam rem, quæ alteri videtur esse commissa.

Ad interrogationes B. Augustini c. 9. Refertur supra q. 3. cap. scriptũ est.

¶ Respondeo dicendum, quòd sententia iudicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto. Et ideo sicut lex generalis debet habere vim coactiuam, vt patet per Philosophum * in. 10. Ethicorum: ita etiam & sententia iudicis debet habere vim coactiuam, per quam constringatur vtraque pars ad seruandam sententiam iudicis: alioquin iudicium non esset efficax. Potestatem autem coactiuam non habet licitè in rebus humanis, nisi ille, qui fungitur publica potestate. Et qui ea funguntur, superiores reputantur respectu eorum, in quos sicut in subditos potestatem accipiunt, siue habeant ordinariam, siue per commissionem. Et ideò manifestum est, quòd nullus potest iudicare aliquem, nisi aliquo modo subditus eius, vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam.

Lib. 10. c. vlt. tom. 5.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod Daniel accepit potestatem ad iudicandum illos seniores quasi commissam ex instinctu diuino. Quod signatur per hoc, quod ibidem dicitur, Quòd suscitauit dominus spiritum pueri iunioris.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in rebus humanis aliqui propria sponte possunt se subijcere aliorum iudicio, quanuis non sint eis superiores: sicut patet in his, qui compromittunt in aliquos arbitros. Et inde est, quòd necesse est arbitrium pœna vallari: quia arbitri qui non sunt superiores, non habent de se plenam potestatem coercendi. Sic ergo & Christus propria sponte humano iudicio se subdidit. Sicut etiam & * Leo Papa se iudicio Imperatoris subdidit.

Habetur 2. q. 7. cap. Nos incompetenter.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Episcopus in cuius diœcesi aliquis deliquit, efficitur superior eius ratione delicti, etiam si sit exemptus, nisi fortè delinquat in re aliqua exempta, puta in administratione bonorum alicuius monasterij exempti. Sed si aliquis exemptus committat furtum, vel homicidiũ, vel aliquid huiusmodi, potest per ordinarium iustè condemnari.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet Diuus Thomas hac conclusione: Nullus potest iudicare aliquem, nisi aliquo modo subditus eius, vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam, sit. Probatur: Sententia iudicis est quædam lex particularis de singulari re prolata: sed omnis lex vim debet habere coactiuã: ergo & sententia, aliàs frustranea esset, & nullius efficaciæ. Hanc autem vim nullus habet, nisi vel princeps, vel respublica, aut eius ministri, quibus cæteri ciues veluti partes toti subduntur: ergo illum solum potest quisque licitè iudicare, qui sibi subijcitur. Hoc idem probatur in argumento, sed contra, testimonio Gregorij supra. 23. capit. Deuteronomij in illa verba; Si intraueris segetem, &c. dicentis: Falcem iudicij mittere nemo potest in rem, quæ alteri videtur esse commissa.

Explicatio Articvli.

Explicatis iam iniurijs, quæ fiunt facto, nempe, homicidio, furto, rapina, & alijs, incipit D. Th. ab hac quæstione

Universidad de Deusto
Biblioteca

agere de illis, quæ possunt fieri verbis. Et quoniam inter has potissimũ locum tenẽt illæ, quæ à iudice iustitiæ custode fieri possunt, idcircò primo loco tractãt de his, dicturus consequenter de alijs, quæ vel ab accusatoribus, vel à testibus, vel ab aduocatis

Ad iudicij requirũtur plures personæ.

sæpèsæpius irrogantur. Ad quorum intelligentiam aduertendum est primò, ad iudicium, quo iustitia administratur, plures personas concurrere. Qualdam substantialiter: quales sunt illæ, sine quibus iudicium esse non potest. Alias accidẽtaliter: quales sunt illæ, quæ licèt concurrant frequenter, sine ipsis tamen potest iudicium consistere. Primæ personæ sunt quatuor, scilicet, iudex, actor, reus, & testis. Aliæ sunt plures, scilicet, assessor, aduocatus, procurator, tabellio, siue scriba, exequutor, & si quæ sunt aliæ ad

Iudex triplex.

iustitiæ administrationem congruentes. Iudex requiritur ad ferendam sententiam. De quo dicitur Deut. cap. 16. Iudices, & magistratus constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipient personam nec munera; quoniam munera excæcant oculos sapiẽtium, & mutant verba iustorum. Et est triplex, Ordinarius, cui ex dignitate, vel officio conuenit iudicare, vt Episcopus, Archiepiscopus, &c. Delegatus, cui ex speciali commissione iudicis ordinarij, vel incerta causa, vel generaliter cõ uenit iudicare. Arbitrarius, qui nullam habens potestatem ex consensu litigãtium eligitur in iudicem. Accusator requiritur ad accusandum. Vt enim dicit D. Ambros. super Epistolam ad Corinth. & refertur. 2. q. 1. cap. de manifesta. Iudicis non est sine accusatione damnare. Quod est intelligendum quando crimen non est mãnifestum. Nam, vt ibidem dicitur, euidentia patrati criminis accusatoris clamore non indiget; sed ipsa fama publica eum accusat. Reus requiritur ad respondendum: Quia sicut non est iudicium sine iudice iudicante, ità nec sine eo, qui iudicatur esse potest. Est enim reus, qui accusatur de aliqua re, siue iustè, siue iniustè. Testis requiritur ad probandũ: Nam, vt dicit Felix Papa non ante sententiam damnationis debent iudices proferre, quàm aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes, vel canonicè examinatos testes regulariter conuincatur. Reliquæ personæ non requiruntur semper, sed in casu. Assessor ad consulendum iudici; quando iudex non sufficienter est iurisperitus. Aduocatus, & procurator ad defendendum, ad dirigendum reum, vel etiam actorem. Tabellio ad scribendum acta, ne è memoria labantur. Executor ad mandandum exequutioni sententiam. Quando autem iudex sufficienter est peritus, & similiter reus, atq; actor sine assessore, aduocato, & procuratore poterit rectè iudicium celebrari.

Vt iudicij sit studiosum tres cõditiones requiruntur.

¶ Secundò est aduertendum, quòd, vt cõstat ex D. Tho. supra. q. 60. art. 2. ad hoc, vt aliquod iudicium sit studiosum, & secundũ iustitiam, tres conditiones sunt necessariæ. Prima, quòd iudicium procedat ex intẽtione, & inclinatione iustitiæ. Quod tunc est, quãdo procedit ex isto actu; Volo reddere vnicuiq; quod suum est. Secunda, quòd procedat ex iurisdictione, & autoritate præsidentis, & iudicantis. Vt enim dicit Paulus ad Roman. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum. Tertia, quòd tale iudicium secundum rectam æstimationem prudentiæ, & debitam consultationem fiat. Quod tunc erit, quãdo secundũ regulas, & terminos iuris fuerit pronũtiatum. Et quacunq; ex his conditionibus deficiente iudicium erit vitiosum, & illicitum. Cæterùm ex defectu primæ conditionis dicitur iudicium peruersum, & iniquum, ex defectu secundæ dicitur iudicium vsurpatum, ex defectu tertiæ conditionis dicitur iudicium suspicionosum, & temerarium, vt eo loco latè ostendimus. In hoc autem articulo relictis à D. Thoma prima, & tertia conditionibus, solum agit de secunda. Et quærit, an liceat iudici, eum, qui sibi non subditur, iudicare? Ad quod breuiter respondet, vnica conclusione negatiua. Quæ vsque adeo vera est, vt, velut primum principium morale, sit amplectenda. Et hinc iura illa dimanarunt. extra de iudicijs. c. at si clerici. Sententia à non suo iudice lata non tenet. Et de consuet. lib. 6. cap. vt animarum, extra territorium ius dicenti non pareatur impunè. Propter quod etiam D. Paulus, non nisi potestatibus subditis moribus nos iubet esse subiectos. Et alibi dicit: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Vt enim orbis cælestis non in suprema substantias, sed in corpora, quæ loco sibi sunt subiecta, influit: ità nec homo, nisi sibi subditos legibus, ac iudicijs gubernare potest. Possunt etiam pro hac conclusione adduci, quæ communiter à Doctoribus adduci consueuerunt. 1. 2. quæst. 90. articulo. 3. ad probandum, non cuiuscunque, sed reipublicæ tantùm, atque eius vicem gerentis, esse condere legem; cùm sententia sit quædam lex particularis, vt Diuus Thomas in isto articulo affirmat. Siquis autem quærat, an semper quod iudex prætermissa aliqua ex politis conditionibus iudicium profert, peccet moraliter;

taliter; dico, id latè fuisse à me explicatum supra quæstione. 60. articulo. 2. Videte ibi.

¶ In solutione ad secundum argumentum dicit D. Thom. quòd Christus sponte propria iudicio Pilati se subdidit. Sicut in rebus humanis, potest aliquis sua sponte alio rum iudicio se subijcere; quanuis non sint ei superiores. Vt est videre in illis, qui ius suum in arbitros compromittunt. Et hac ratione, inquit, Leo Papa. IIII. se iudicio subdidit Imperatoris. Circa quæ verba Caietanus multas hîc mouet dubitationes: præcipuè de modo, quo Papa potest se alterius iudicio summittere. Sed, quoniam

Dubium.

non leuè continet difficultatem, explicare, quæ fuerit mens Diui Thomæ, dum dixit, Christum Dominum sponte propria Pilati iudicio se subdidisse, sicut illi, qui in arbitros compromittunt, operæpretium erit id prius declarare. Magister Soto libr. 5. de

Sententia Soti.

iustitia, quæstione. 4. articulo. 1. in ea persistens sententia, quam antea tenuerat, de regno temporali Christi, nempè, quod Christus Dominus, quatenus homo, nec fuit verè ac propriè Dominus, nec Rex totius orbis; & sic nec habuit iurisdictionem temporalem, nec rerum dominium, nisi quatenus opus erat ad regnum spirituale, quod instituebat; consequenter dicit, mentem Diui Thomæ non fuisse, quòd Christus constituit sibi Pilatum iudicem, conferendo ei nouam potestatem, quam non habebat ordinariam, sicut qui priuatam personam sequestrem sibi præficit. Quoniam Pilatus iam illam à Cæsare receperat, atque adeo ab ipso Deo, illa ratione, qua omnis ciuilis potestas à Deo dicitur deriuari. Sed quod sentit est, quòd quanuis Christus Dominus ea ratione, qua erat rex regni cælorum, atque adeò Rex regum & Dominus dominantium, exemptus esset ab omni humano iudicio: & sic potuisset retractare Pilati iudicium. In qua etiam exemptione reliquit vicarium suum summum pontificem, ac subinde eius inferiores sacerdotes, iuxta illud Matth. 7. Liberi sunt filij. Ob nostram tamen salutem sua libera voluntate illi se subiecit adigendum morti.

Sententia Autoris, de regno temporali Christi.

¶ Cæterùm (quoniam ego multò probabilius, atque verius existimo, Christum Dominum, quatenus homo, etiam adhuc mortalem vitam agentem perfectum, propriè, & absolutum omnium rerum dominium, atque adeò totius orbis perfectum, & vniuersale regnum habuisse; ità, vt esset dominus ac rex temporalis totius orbis, & omnium rerum creatarum, tam verè ac propriè, quã Philippus secundus nunc temporis est rex Hispaniarum, & vnusquisque hominum est dominus suarum rerum, eò quòd illis in omnem vsum citra alterius iniuriam vti potest: & quoniam etiam existimo, hanc fuisse sententiam D. Thomæ, tam in hoc loco, quàm in multis alijs, præcipuè in Opusc. 20. lib. 3. de regimine principum. cap. 12. & 13. vbi ex professo docet, Christum à sua nativitate temporalem, & veram omnium rerum habuisse potestatem; in cuius rei signum dicit, tempore suæ natiuitatis descriptum fuisse vniuersum orbem per Cæsarem, qui ex cõmissione Christi, & vice Christi, vt D. Th. inquit mundi administrabat imperium) nulla ratione possum Magistri Soti interpretationi acquiescere. Quæ etiam videtur esse Caietani in hoc articulo, dubio vltimo. Nã dicit, quòd quando D. Thom. affirmat Christum sua sponte se subiecisse Pilato, non intelligit illum secundum quòd homo commisisse Pilato potestatem supra se: Christus enim secundum quòd homo non fuit rex; iuxta illud; regnum meum non est de hoc mundo. Sed solum voluit significare, quòd Christus Dominus Pilato in Iudæa nomine Romani imperij præsidenti se exhibuit, sicut vnus de subditis. Ex quo factum fuit, vt Pilatus non peccauerit peccato vsurpati iudicij, iudicando Christum, quasi iudicans non sibi subditum. Quanuis peccauerit peccato iniqui iudicij, damnans innocentem. Sed potius dicendum existimo, quòd subiectio illa, qua Christus subfuit iurisdictioni Cæsaris, atque Pilati non fuit ordinaria, sed voluntariè, assumpta: qualis esse solet illa, qua in rebus humanis, qui in arbitros compromittunt, se subijciunt illorum iudicio, quanuis non sint eis inferiores. Ex summa enim sua charitate, & humilitate subijci voluit Christus, vt in hoc ostenderet, quantam ad humanum genus charitatẽ haberet, qui à non suo iudice iudicari permisit, & absq; causa morte turpissima condemnari. Propter quod Esaias cap. 53. dicebat: Oblatus est, quia ipse voluit. Simile habetur circa obseruantiam legalium, quibus voluntariè subijci voluit Christus, vt alios ab eorum onere liberaret, dicente Paulo ad Galat. 4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum de muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret. Itaq; mens D. Tho. in solut. ad. 2. est, quòd Christus Dominus constituit sibi Pilatum iudicem conferendo ei nouam potestatem, quam non habebat ordinariam, sicut qui priuatã personam sequestrem sibi præficit. Et sic verum est, quod affirmat Caietanus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non peccasse Pilatum peccato vsurpati iu-
dicij, iudicando Christũ, quasi iudicans non
sibi subditum. Quanuis quantum ad præ-
cipuum, de quo erat dubitatio, falsus fue-
rit, vt diximus. Sed quoniam tota hæc no-
Quod Chri- stra interpretatio in ea nititur opinione,
stus fuerit quæ dicit Christum Saluatorem nostrum
Dominus quatenus homo, plenum atque perfectum
orbis proba habuisse imperium totius orbis, vereque
tur testimo fuisse regem temporalem totius mundi, de
nijs scriptu quo multi dubitant, imò multi oppo-
ræ. situm inconstanter affirmant, operæpretiũ
erit, id aliquibus probare. Et probatur pri
mò ex innumeris testimonijs sacræ scriptu
ræ Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gen-
tes hæreditatem tuam, & possessionem tuã
terminos terræ. Reges eos, &c. Psalm. 71.
Dominabitur à mari, vsque ad mare, & à flu
mine vsque ad terminos orbis terrarum,
Zachariæ. 9. Ecce rex tuus venit tibi, & do-
minium eius à mari vsque ad mare. Ad He
bræos. 1. Quem constituit hæredem vniuer
sorum. Apocalyp. cap. 1. Princeps regum
terræ, & cap. 19. Habebat scriptum in fe-
more: Rex regũ & Dominus dominantiũ.
Quæ loca intelligenda esse de Christo, qua
tenus homo, nullus sanæ mẽtis dubitare po
test. Secundum enim quod homo, fuit à pa
tre constitutus hæres vniuersorum, prin-
ceps regum terræ, Dominus dominantium,
& possessor terminorum terræ à mari vsq;
ad mare, vt omnes fatentur. Scio autores
contrariæ sententiæ omnia hæc testimonia;
& similia, quorum est infinitus numerus in
sacris literis, interpretari, non de regno, &
potestate temporali Christi, sed de spiritua
li tantum. Cæterùm hæc interpretatio meo
iudicio sustineri non potest. Ex ea enim se
queretur Christum non fuisse propriè re-
gem, sed tantũ impropriè, æquiuocè, trãsla-
titiè, & abusiuè; sicut dicitur sponsus, pater,
pastor, petra, leo, &c. Hoc autem est absurd
dum. Nam, vt habet Canon D. Augustini,
& omnium sanctorum patrum, ea tantum
nomina in scriptura sunt metaphoricè ac-
cipienda, quæ si accipiantur propriè, absur
dum, & falsum sensum reddunt. Ex eo au-
tem, quòd propriè, verè, & vt sonat, accipia
tur hoc nomen rex, cum Christo in scriptu
ra tribuitur, nullum sequitur inconueniẽs;
sed quam maximã conuenientia Christi per
sonam atque dignitatem manifestantia, &
extollentia, vt de se patet: ergo debet pro-
priè accipi. Præterquam, quod videtur ab
omni ratione alienum, quod nunquam hoc
nomen rex fuerit in toto corpore biblio-
rum alicui homini appropriatum, qui pro-
priè & temporaliter rex non fuerit; & tamẽ
tributum Christo, cum tam aperto suæ dig-
nitatis præiudicio accipiatur impropriè, &
translatitiè. Item ratione hoc ipsum pro-
Ratione illi batur, supponendo prius, tanquam basim, &
probatur. fundamentum dicendorum, quòd potestas
temporalis, & spiritualis non sunt inter se
incomposibiles, imò sunt per se coniunc-
tæ & copulatæ. Et quidem, quòd non sint
incompossibiles, ex eo patet, quòd in lege
naturæ Melchisedech fuit rex & sacerdos,
vt dicitur Genes. cap. 14. & primogeniti iu-
re legitimo habebant vtrumq; dignitatem,
Potestas vt tradit Turrecremata lib. 2. Summæ cap.
spiritualis 116. ad 3. Et in Moyse similiter resedit vtra
& tempora que potestas. Nam de sacerdotali dicitur
lis nõ sunt Psalm. 98. Moyses, & Aaron in sacerdoti-
incompossi bus eius. Et de temporali est res perspicua,
bilis. atque manifesta. Sed quod istæ duæ pote-
states per se sint coniunctæ, & copulatæ, ex
eo conuincitur, quòd vt docet Turrecrema
ta cap. duo sunt. 96. d. ad 3. & lib. 1. summæ
cap. 90. & lib. 2. cap. 114. & Aluaro Pelagio
lib. 1. de planctu ecclesiæ. art. 56. in fine, &
art. 40. in princip. quemadmodum homini
duplex finis fuit propositus, naturalis, scili-
cet, & supernaturalis, & naturalis, qui nihil
aliud est, quam viuere secundum virtutem
moralem, per se dirigitur, & est necessarius
ad supernaturalem, nam qui virtutibus mo
ralibus non est præditus, id est, qui prauè
viuit, non est idoneus ad beatitudinem: ita
Deus duplicem debuit supra hominem po-
testatem constituere: vnam naturalem, alte-
ram supernaturalem. Et quemadmodum
finis naturalis non habet simpliciter ra-
tionem finis, sed in tali genere, scilicet, in
genere naturali; & tunc perficitur quando
supponitur alteri: ita potestas temporalis,
cuius intentio est subiectos inducere ad vir
tutes morales, & ad finem naturalem non
habet perfectam rationem potestatis: nisi
subordinetur alteri, scilicet, spirituali. Itaq;
quemadmodum in artibus & facultatibus
inuicem subordinatis superior non solum
continet in se vim & rationem inferiorum,
sed & præscribit illis modum agendi, & in-
tet ipsos artifices est vnus, qui appellatur
architectonicus, qui continet, dirigitque
alios in finem: ita etiam debuit constitui
vna suprema potestas, & vnus architecto-
nicus, cui per se potestates inferiores omni
nò subijcerentur. Propter quod dicebat
Bonifacius Papa in Extrauaganti. vnam
sanctam. Oportet gladium esse sub gladio,
& temporalem potestatem spirituali sub-
ijci potestati. Et Paulus ad Roman. 13. Non
est potestas, nisi à Deo. Et mox: Quæ à Deo
sunt, ordinata sunt. Non essent autem ordi-
nata,

nata, nisi gladius esset sub gladio, dicente
Dionysio: Lex diuinitatis est, infima per
media in suprema reduci. His constitutis
sic argumentor: Christus est, qui potestatẽ
habet supremam spiritualem, & cuius in-
teresse nos in finem beatitudinis referre: er-
go debuit etiam secundam potestatem secu
larem sibi assumere: atque ex consequenti
fuit verus, & perfectus rex, atque dominus
totius orbis. Et si quis obijciat, ex dictis so-
lùm haberi, quod temporalia quatenus or-
dinantur ad spiritualia subsunt Christi do-
minio, & non absolutè; hoc autem modo
habere potestatem temporalem non est eã
habere simpliciter, nam similiter papa rerũ
omnium temporalium fungitur potestate,
prout sunt necessariæ ad supernaturalia, ra-
tione cuius potest regna temporalia ab his
regibus auferre, & alijs conferre, quod fe-
cit Zacharias papa cum rege Franciæ, vt ha
betur in cap. alius. 15. q. 6. & Innoc. IIII.
cum rege Lusitaniæ, & refertur in cap. grã
di. de supplenda negligentia prælatorum in
6. & tamen per hoc papa non dicitur vere
rex, nec rerum dominus; ergo pari ratione
erit dicendum de Christo, quòd quanuis
in ordine ad spiritualia sint illi omnia sub-
iecta, minimè tamen verè dominus, atque
rex sit dicendus. Respõdeo verũ esse, quòd
Christus solum est bonorum temporalium
dominus, prout ordinantur in finem super-
naturalẽ. Cæterùm cùm absolutè, & per se
ità ordinentur in illam, vt si temporalis po
testas hanc ordinationem subterfugerit, nõ
sit simpliciter potestas, imò nec res ipsæ tẽ
porales sunt apta materia dominij, aut pote
statis, nisi prout illis rex ac dominus earum
in ipsum finem potestatis spiritualis vti de
bet, sit, vt Christus, qui tanquam supremus
artifex architectonicus omnia gerit, guber-
nat, & dirigit, in supernaturalem finem ele-
ctorum (non enim futuræ essent res tempo
rales, nisi pariter essent dirigendæ in finem
electorum) omnium rerum temporalium,
totarum ac totaliter, & omnibus modis sit
verus dominus, ac rex, nec aliqua ratione
posse quidquam eius dictionem subterfu-
gere. Quo videntur pertinere præclara illa
verba D. Thom. supra. q. 40. art. 2. Omnis
persona, vel ars, vel virtus, ad quã pertinet
finis, debet disponere de ijs, quæ sunt ad fi-
nem, &c. Et ponderandum est, verbum il-
lud: Omnis persona, vel ars, vel virtus. Nam
cum Christus, vt homo, sit persona, ad quẽ
pertinet finis; est enim, vt homo, constitu-
tus à Deo primus rerum omnium dux, iu-
dex, pontifex, & rex, & in ipso sit ars, & vir
tus architectonica, hoc est, potestas plenis-
sima ad dirigendas omnes personas, om-
nesque earum virtutes, & artes in finem
illum, qui simpliciter est finis, sit, vt penes
ipsum sit plenissima & perfectissima omni
um rerum potestas: ità, vt nulla ex par-
te considerari creaturæ possint, secundum
quam effugere ordinem vniuersalissimæ
huius potestatis valeant.

¶ Et si quis adhuc instet, ex hac nostra ra- *Instantia.*
tione sequi, summum Pontificem, ad quem
etiam spectat vniuersos Christi fideles in
finem spiritualem euehere, atque perdu-
cere, similiter esse omnium rerum regem,
atque dominum, quod est falsum, & con-
tra communem Doctorum sententiam, vt
latè docet Corduba lib. 1. quæstione. 57.
& Soto lib. 4. de iustitia, quæstione. 4. ar-
ticulo. 1. respondeo, negando sequelam. *Responsio.*
Non enim ità spectat ad summum ponti-
ficem omnes in finem dirigere, sicut ad
Christum. Nam in pontifice, quia eius ca-
pacitas finita est, & limitata multotiesque
latet ipsum ordo, & proportio rerum
temporalium in finem spiritualem, non
fuit conueniens, vt ad ipsum omnibus
modis spectaret rerum dominium: sed
solum iuxta taxatum, & præfixum cano-
nem, quo secundum humanæ intelligen-
tiæ modum ipse papa valet dispicere tem-
poralia spiritualibus deseruire. At verò in
Christo, quia eius intelligentia nullis fi-
nitur limitibus, & nihil est in rebus tem-
poralibus considerabile, quod, prout ab ip-
so dirigitur, & ordinatur, non deseruiat ità
finem supernaturalem, contrarium eue-
nit. Atque adeo nihil penitus est tempo-
rale, quod Christi Domini augustissimum
imperium, potestatem, ac dominium ali-
qua ratione subterfugiat, ac prætereat.
Hinc vos iam deprehendere poteritis ratio
nem, ob quam papa nusquam in sacris li-
teris appellatur rex terræ, aut hæres vniuer
sorum, vel vniuersalis rerum dominus. Sed
quoties de eius potestate fit mentio, sem-
per ijs nominibus describitur, quæ ad spi-
ritualia pertinent. Dicitur enim, Sacer-
dos, Pontifex, Episcopus, Papa, Pater, Pa-
stor. At verò Christus non solum horum,
sed etiam illis augustissimis nomenclatu-
ris, hæredis vniuersorum, Regis, Princi-
pis, Imperatoris, felicissime gaudet. Et si
potestas spiritualis satis esset ad hoc, vt
Christus his nominibus appellaretur, iam
papa, qui vniuersali fungitur potesta-
te spirituali, eisdem appellaretur; quod
tamen est falsum. Qui plura de hac re
videre desiderat, legat Magistrum Al-
fonsum de Mendoça Augustinianum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

in sua relectione, de vniuersali Christi regno, ac dominio. Vbi hanc nostram sententiam multis tuetur, atque defendit, respondet, ad argumenta, quæ possunt fieri contra illam.

¶ In eadem solutione ad secundum argumentum, cum dixisset D. Thom. Christum dominum libera sua voluntate se Pilati subtulisse iudicio, quamuis non erat eius superior, subdit exemplum: Sicut etiam Leo Papa se iudicio subdidit Imperatoris. Quibus verbis aperte significat, summum Pontificem, nec Imperatorem, nec quemlibet alium habere de lege ordinaria in Ecclesia superiorem: quod latè ostendit Turrecremata lib. 2 suæ summæ à cap. 80. vsq; ad 104. & à nobis in præsenti pro certo & indubitato supponitur. Sed est difficultas, vtrum vtrum sit, quòd Papa per voluntariam subiectionem, siue subiectionem, aut potestatis collationem alteri factam, possit sibi in aliquem constituere, qui eum iudicet, ac pro tempore deponat, aut alia huiusmodi sententiam in eum ferat. Et pro parte affirmatiua argumentor primò ex cap. hos 2. q. 7. Vbi Leo Papa Ludouico Imperatori scribit: Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non seruauimus, vestro hic missorum vestrorum volumus emendare iudicio. Super quæ verba dicit glossa: Hic Papa se subijcit aliorum iudicio, quod & facere potest. Et confirmatur ex cap. ex iniuncto de hæreticis, propè finem. Vbi hic habetur: Prælatus sponte de sua ignorantia confessus subditorum se accusationi supponit: ergo idem dicendum est de Papa. ¶ Secundò: Adrianus Papa propter hæreticorum, ac schismaticorum, & tyrannorum terrores vitandos, se & totam Ecclesiã subiecit Carolo Magno Imperatori, quo ad ordinationem sedis Apostolicæ, & inuestituras Episcoporum, vt dicitur in cap. Adrianus. 63. dist. ergo potest Papa sponte sua sibi iudicem constituere.

¶ Pro explicatione huius difficultatis, aduertendum est primò, quòd cùm omnis potestas iudicis, vt D. Thom. in isto articulo dicit, debeat esse vel ordinaria, vel ex commissione; & quantum attinet ad præsens institutum, pro certo supponamus, nullum iudicem posse ordinaria potestate Papam iudicare, fit consequenter, vt si quis supra illum aliquam debet habere potestatem, illam ex commissione habeat. Et quia nullus alter potest hanc potestatem dare, nisi ipsemet Papa sponte se subijciens, tursus sit, vt ista potestas semper debeat esse per commissionem a Papa. Et quoniam Papa non potest dare potestatem maiorem sua, nec æqualem suæ; quia oportet potestatem datam à Papa dependere ab ipso, vt effectum à causa; ita quod oppositum implicat cõtradictionem (esset enim Papa, & nõ esset Papa, vt patet) & constat, quòd potestas dependens ab altera est minor illa, à qua dependet, sit vltimò, vt potestas huiusmodi iudicis, & sit à Papa, & sit minor potestate papæ.

¶ Secundò est aduertendum quod illa, quæ pertinent ad summum Pontificẽ, sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt, in quibus Papa per seipsum potest iudicũ proferre. Qualia sunt illa, super quibus papa habet controuersiam cum aliquo, vt in Italiæ, & quæuis aliæ particulares causæ personam papæ, in quantum est homo priuatus, & singularis persona, respicientes; aut etiam concernentes singulariter ius Ecclesiæ Romanæ. Alia sunt, super quibus nõ potest papa iudicium proferre. Qualia sunt, depositio, excommunicatio, & suspensio sui ipsius. Non enim potest papa seipsum, aut deponere, aut excommunicare, aut suspendere, vt omnes concedunt, cum D. Thom. in 4. dist. 25. q. 1. artic. 3. & cum Ricard. dist. 18. art. 5. & cum Petro de Pal. q. 2.

¶ His constitutis sit prima cõclusio: Summus Pontifex, quantum ad illa, in quibus ipse potest iudicium proferre, bene poterit alterius iudicio seipsum submittere. Itaque, si sit inter papam & alterũ lis cõtestata, qua debitum aliquod, vel alter ab ipso, vel ipse ab altero petit; vel, si de aliqua sententia, quam ipse protulit ad eundem fiat prouocatio, sicut potest, tunc summus Pontifex in his causis iudex sedere, ita etiam potest illas committere alteri, cuius iudicio se submittat. Hanc conclusionem ponit Caietan. in isto commento. Et colligitur ex D. Thom. in isto articulo. Et probatur: Omnia, quæ pertinent ad potestatem iurisdictionis, possunt à papa alteri committi: sed talia sunt illa, in quibus papa potest iudicium proferre, siue ad ipsum, siue ad alios pertineat: ergo omnia illa poterũt alteri cõmitti, atq; ex consequenti papa erit tunc voluntariè subiectus illi, cui talis fuerit facta commissio.

¶ Secunda conclusio: Summus Pontifex quantum ad illa, in quibus ipse non potest iudicium proferre, nec etiã poterit seipsum iudicio alterius submittere. Itaq; nec poterit concedere alteri, facultatem se excõmunicandi, aut suspendendi, nec etiã se submittere eius iudicio vsq; ad depositionẽ. Probatur: Ad nihil potest se extendere potestas delegata, quod nõ claudatur sub obiecto potestatis cõmittentis: sed potestas papæ nõ se extendit ad hoc, vt possit seipsum, aut excõmunicare, aut suspendere, aut deponere: ergo nec etiam potest hoc alteri committere. Hanc eandem conclusionẽ multis aliis rationibus probat Turrecremata lib. 2. suæ summæ cap. 104. ¶ Et ad primum argumentum desumptum ex facto Leonis. 4. relato in cano. 2. q. 7. respondetur primo, quòd probat nostram primam conclusionem. Erat enim concertatio de rebus, supra quibus Papa poterat iudicium proferre. Et quantũ ad illas, vt magis eius innocentia innotesceret, voluit se submittere iudicio Imperatoris. Vel secundo respondetur, & forsan magis ad mentem ipsius textus, quòd verbum illud, iudicio, non est idem, quod iurisdictione, seu potestate Imperatoris. sed est idem, quod discretione, vt notant Innocentius, & Archidiaconus. Ad discretionem enim Imperatoris, & missorum suorum decebat Papa, se velle omnia illa emẽdare. Nec ex hoc licet inferre, aliquam summum Pontificem dedisse Imperatori autoritatem supra se. Ad confirmationem respondetur primo, capitulum illud, ex iniuncto, non loqui de Romano Pontifice, sed de aliis inferioribus prælatis: qui cùm non habeant suprematem potestatem in Ecclesia, nec apicem principatus eius, illud inconueniens, & absurditas non sequitur ex eorum submissione, quæ sequeretur in Papa, si se alteri submitteret. Vel secundo respondetur, ex illo capite non haberi, quòd alij prælati sine licentia Papæ possint se non suo iudici submittere, sed tantum, quod possunt suorum subditorum purgationi se supponere, illosque ad sui accusationem admittere, quod non est se illis subijcere. Et sic nihil obstat textus ille.

¶ Ad secundum ex cap. Adrianus. respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ex subiectione enim illa quantationibus prædictis de Apostolicæ sedis ordinatione facta Adrianus Carolo Magno, dando ei, vt ipse etiam cum alijs electioni interesset, non sequitur, quòd Papa potestati, aut iudicio Imperatoris subiecerit personam suam. Sicut, nec ex eo, quòd Cardinales habent vocẽ in electione summi Pontificis, licet inferre, quòd Papa illis sit subiectus.

¶ Sed, quoniam diximus, summum Pontificem, quantum ad illa, in quibus potest ipse iudicium proferre, posse etiam se alterius iudicio submittere, poterit merito quis dubitare, an Papa subijciens se alteri in foro iudiciali in ijs, in quibus potest se subijcere, sic se subijcere intelligatur, vt subiectio, quæ à principio fuit spontanea, transeat in necessitatem? Quod est quærere, an ità se subijciat summus Pontifex alterius iudicio, in ijs, in quibus potest, vt postquàm liberè est facta subiectio, non possit illi non subesse. Et ratio dubitandi est: Nam, si subiectio illa non transit in necessitatẽ, sed semper manet in sua voluntate parere iudicanti, & non parere, sequitur, quòd in veritate, quantũ ad hoc, non fuit subditus illi, nec iudex in veritate fuit verus iudex; si quidem non habuit vim coactiuam, quæ, vt D. Tho. dicit in isto articulo est semper necessaria iudici. Si autem transit in necessitatem, sequitur autoritatẽ Papæ non esse maiorem potestate illius iudicis, quod est impossibile, vt diximus in primo notabili. Sequela probatur: Nam, si esset maior, posset illam reuocare, illique derogare, sicut quibuscunque alijs inferioribus potestatibus; sicque emere, & liberare seipsum ab illa; atque ex consequenti non transisset in necessitatem, sed maneret semper in potestate ipsius, parere, & non parere, tollere gesta per talem iudicem, & non tollere.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est ex Caietano in præsenti, quòd quantum attinet ad præsens institutum necessitas est duplex, vna iustitiæ altera potentiæ. Id dicitur necessarium necessitate iustitiæ, quòd non potest aliter fieri sine violatione iustitiæ. Qua ratione dicitur necessarium, restituere alienũ. Et id dicitur necessarium necessitate potentiæ, quod non potest aliter fieri ex defectu iurisdictionis. Qua ratione dicimus necessarium esse Papæ seruare debitam materiam, & debitam formã in administratione sacramentorum. Hoc supposito dico, quòd quando Papa subijcit se alteri in foro iudiciali in ijs, in quib⁹ potest se subijcere, ea subiectio, quæ à principio fuit voluntaria, transit in necessitatem iustitiæ, taliter, quòd, nisi iustæ illius iudicis sententiæ pareat, iniustitiæ erit reus. Et hæc vis est sufficiens ad superioritatem, & autoritatem iudicis. Et ad hoc, vt eius sententia dicatur habere vim coactiuam, quãuis ex causa rationabili, poterit Papa reuocare huiusmodi iudices, & commissiones, sicut poterit illas concedere. Quomodo iura olim Imperatori cõcessa de Romana Ecclesia in cap. Adrianus. iam citato, & in cap. in synodo. nunc cessare intelliguntur. Non tamen tollit ea subiectio in necessitatem potentiæ. Nam, quamuis Papa in proprijs causis iudices datos, sine vrgente necessitate reuocare, aut mutare non debeat, propter scandalum; si tamen faceret factum teneret. Sicut reuocando iniquè iudices aliarum causarum malefacit, factum tamẽ tenet. Et per hoc patet

Dubium.

1. Argum.

2. Argum.

Quæcunq; potestas sit penes Papam debet esse ex commissione eiusdem.

Pertinẽtia ad summũ Pontificem sunt in triplici differentia.

1. Conclus.

2. Conclus.

Dubium.

Ratio dubitandi.

Necessitas vnius iustitiæ altera potentiæ.

Ad 1. arg.

Ad 2. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

solutio ad obiecta. Nam quia transit in necessitatem iustitiæ saluatur superioritas, & vis coactiua in iudice. Quia autem non trãsit in necessitatem potentiæ, saluatur superioritas, quam summus Pontifex simpliciter debet habere ad hoc, vt ex causa rationabili, & vrgente possit reuocare, & mutare sententiam, atque aliter satisfacere læsis.

Articvlvs. II.

¶Vtrùm iudici liceat iudicare contra veritatem, quam nouit, propter ea, quæ in contrarium proponuntur.

Suprà qu. 64. arti. 6. ad. 3. Et. 4. d. 27. q. 1. ar. 2. q. 4. ad. 2. & 3. Et quolib. 5. a. 15. ad primum.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd iudici non liceat iudicare contra veritatem, quam nouit, propter ea quæ in contrarium proponuntur. Dicitur enim Deuteronomij decimo sexto. Venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis qui iudicabunt tibi, iudicij veritatem. Sed quandoque aliqua proponũtur contra veritatem, sicut cùm aliquid per falsos testes probatur: ergo non licet iudici iudicare secundum ea, quæ proponuntur & probãtur contra veritatem, quam ipse nouit.

2 ¶Præterea, Homo in iudicando debet diuino iudicio conformari: quia Dei iudicium est, vt dicitur Deuteronomij 1. Sed iudicium Dei est secundum veritatem, vt dicitur Romanorũ secundo, & Isaiæ vndecimo, prædicitur de Christo, Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secũdum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: ergo iudex non debet secundum ea quæ coram ipso probantur, sententiã ferre cõtra ea, quæ ipse nouit.

3 ¶Præterea, Idcirco in iudicio probationes requiruntur, vt fides fiat iudici de rei veritate. Vnde in his, quæ sunt notoria, non requiritur iudicialis ordo, secundum illud. 1. ad Timotheum quinto. Quorũdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium. Si ergo iudex per se cognoscit veritatẽ, non debet attendere ad ea quæ probantur, sed sententiam ferre secundũ veritatem, quam nouit.

4 ¶Præterea, Nomen conscientiæ importat applicationem scientiæ ad aliquid agibile, vt in primo *habitum est. Sed facere contra conscientiam est peccatum: ergo iudex peccat, si sententiã ferat secundum allegata contra conscientiam veritatis, quam habet.

1. p. q. 79 art. 13. Et habetur 28. q. 1. ca. Omnes. Amb. in ps. 118. ser. 20 ver. 4. ante med. to. 4. Et habetur 3. 4. 7. cum dicet ille. & 11. q. 3. c. Summopere præcauendum. Aug. de vera relig. c. 31. to. 1. Art. præce. & sup. q. 60. arti. 2. & 5. & 6.

¶SED CONTRA est, quod Ambros. dicit super Psaltetium, Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges & iura pronuntiat. Sed hoc est iudicare secundum ea, quæ in iudicio proponuntur & probantur: ergo iudex debet secundum huiusmodi iudicare, & non secundum proprium arbitrium.

¶RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum * est, iudicare pertinet ad iudicem, secundum quod fungitur publica potestate. Et ideo informari debet in iudicando, non secundũ id quod ipse nouit tanquam priuata persona, sed secundum id quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ. Hoc autẽ innotescit sibi & in communi, & in particulari: in communi quidem per leges publicas, vel diuinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet: in particulari autem negotio aliquo per instrumenta, & testes, & alia huiusmodi legitima documenta, quæ debet sequi in iudicando magis, quàm id quod ipse nouit tãquam priuata persona. Ex quo tamen ad hoc adiuuari potest, vt districtius discutiat probationes inductas, vt possit earum defectum inuestigare. Quòd si eas non possit de iure repellere, debet, sicut * dictum est, eas in iudicando sequi.

In ipso arti.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ideo præmittitur in illis verbis de quæstione iudicibus facienda, vt intelligatur quod iudicare debent iudices veritatem secundum ea, quæ fuerunt sibi proposita.

¶Ad secundum dicendum, quòd Deo competit iudicare secundum propriam potestatem. Et ideo in iudicando

do informatur secundum veritatem, quam ipse cognoscit, non secundum hoc, quòd ab aliis accipit. Et eadem ratio est de Christo, qui est verus Deus & homo. Alij autem iudices non iudicãt secundum propriam potestatẽ: & ideo non est similis ratio.

¶Ad tertium dicendum, quòd Apostolus loquitur in casu, quãndo aliquid non solum est manifestum iudici, sed sibi & alijs, ita quod reus nullo modo crimen inficiari potest, vt in notoriis, sed statim ex ipsa euidentia facti conuincitur, si autem sit manifestum iudici & non alijs: vel alijs, & non iudici: tunc est necessaria iudicis discussio.

¶Ad quartum dicendum, quòd homo in his quæ ad propriam personam pertinent, debet informare conscientiam suam ex propria scientia. Sed in his quę pertinent ad publicam potestatem, debet informare conscientiã suã secundum ea quæ in publico iudicio sciri possunt, & cætera.

SVMMA TERTIVS.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Tho. per duas propositiones. Prima cõclusio: Iudices in iudicãdo sequi debent non eam, quam ipsi noverint veritatem, sed quæ secundũ leges allegata & probata per testes sibi publicè innotuerit. Probatur in argumento, sed contra, testimonio D. Ambrosij super Psalmum. 118 sermone. 20. dicentis: Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges, & iura procedit. Et in corpore articuli hac ratione: Iudicium pertinet ad iudicem, secundũ quod fungitur publica potestate: ergo in illo ferendo debet informari: non secundũ quod ipse nouit, tanquam priuata persona; sed secundum quod sibi innotescit, tanquã persona publicæ. Secunda conclusio: Potest iudex se iuuare scientia propria ad maiorem testium examinationem, quando ad manifestationem veritatis id opus esse intellexerit. Hanc conclusionem non probat Di. Thom sed illam, vt notam relinquit, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRO huius articuli explicatione aduertendum est, quòd quando D. Thom. quærit, an liceat iudici iudicare contra veritatẽ, quam nouit propter ea, quæ in contrarium proponuntur, præsens quæstio duplicem potest habere sensum. Primus est, vtrùm liceat condemnare ad mortem criminosum re ipsa nocentem, opinione tamen, & scientia publica innocentem. Verbi gratia: Occidit quis fratrem suum, quod solus iudex vidit, nec potest id per acta publica legitimè conuinci. Vel; Aggressus est quis reginam, quod probari non potest, vel si posset non oportet id ad publicum iudicium deferri. Dubium est, an possit tunc iudex saltem supremus, tãlem occidere sine strepitu iudicij, non obstantibus quibuscunque testibus in contrarium adductis? Alter sensus est huic contrarius: Scilicet, an quando iudici certo constat, eum, qui habetur reus, & legitime criminosus probatur, esse innocentem, liceat illi eum condemnare, & mortẽ afficere? Et in vtroque sensu erit à nobis difficultas pertractanda: quanuis secundus sit præcipuus, & de quo maior est controuersia inter Doctores.

Duplex sensus quæstionis.

¶Ad primum ergo quæstionis sensum deuenientes, qui est, vtrum iudex saltim supremus, qui euidenter cognoscit eum, quem vinculis tenet esse reum, non tamen legitimè talis probatur, imò forte legitimis testimonijs purgatur, possit illum condemnare morteque afficere? Et pro parte affirmatiua argumentor primò: Iudicium principis ex se est certius, quam duorum priuatorũ hominum testimonium, cum princeps sit reipublicę vicem gerens, & cui ob maiorem prudentiam, & probitatem, respublica est commissa; quod licet re ipsa aliquando ità non sit, ità tamen præsumere debemus: & ob id dici solet, in dubijs pro prælatis esse iudicandum: sed si duorum priuatorum hominum testimonijs alicuius nocentis defectum probaretur, licitè posset iudex illum occidere: ergo & quando probatur solum suo priuato, euidentique iudicio. ¶Secũdò, iuris solemnitates in iudicando humano iuri fuit introductæ, vel saltem gentium, quo etiam regna sunt diuisa, regesque ordinati, non iure naturali, aut diuino: ergo, si non de sua ordinaria potestate, vt prima ratio nitebatur probare, saltem dispensando in legibus poterunt principes, & reliqui superiores iudices suo proprio iudicio nocentes occidere, nulla expectata testium probatione. Et confirmatur: Quando ille, qui re vera est innocens, & secundum allegata & probata probatur nocens, est condemnandus, iudex potest imò tenetur, vt multi dicunt, illum sua priuata scientia vtendo liberare: ergo eadem ipsa priuata scientia poterit nocentem condemnare, cum contrariorum eadem sit disciplina.

Quæstio in primo sensu.

1. argum.

2. argum.

Confirmatio.

¶Pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

Solemnitates in iudicio requisitæ sunt duplices.

¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quòd solemnitates in iudicio requisitæ sunt in duplici differẽtia. Quædam enim sunt solum humano iure introductæ. Quales sunt accusatio, terminus ad probandum, vel respondendum, scriptura, & instrumentum publicum, &c. Et quod ille solemnitates tantum sint de iure humano, ex eo sufficienter conuincitur, quod nec ius naturæ, nec diuinum illas præcipit. Aliæ autẽ sunt de iure naturali, & diuino. Quales sunt, quòd delictum sufficientibus testibus comprobetur, & quòd locus defensionis parti concedatur, eam citando, & audiendo. De probatione enim per testes facienda dicitur in cap. Deus. 2. quæst. 1. Diuino exemplo monemur, ne indiligenter probata, & discussa causa iudicemus. Si enim Dei cognitor omnium, &c. Quibus verbis insinuatur ius diuinum esse, ne sine probatione aliquis iudicetur. Et in eadem quæstione, sic inquit Melchiadis Papa: Primũ probate, posteà charitatiuam sententiam proferte; & quod vobis non vultis fieri, alteri facere nolite. Quasi significans, esse ius naturale, quod vniuscuiusque delictum testibus comprobetur, vt pote quod fundatur in ea naturali lege, Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Et Euaristus Papa in Epistola secunda ad omnes Episcopos, & refertur in cap. nullum. 3. quæst. 5. inquit, Nullum ante veram, iustamque probationem iudicare, aut damnare debemus, teste Apostolo, qui ait: Tu quis es qui iudicas alienum seruũ. De loco autem ad defensionem concedendo, partem citando, & audiendo, dicitur in Clementina pastoralis. §. verum. De crimine graui debito defensionis, quæ à iure prouenit naturali facultas adimi non valet, eũ ea tollere in particulari nõ liceat, quæ iuris naturalis existunt. Et in cap. qualiter. el segundo, de accusationibus, cum ferè idẽ fuisset dictum subiungit: Vnde videmus Deum non protulisse sententiam contra Adam, ni si prius vocatum & auditum, & defensum. Et in cap. iudicantem. 3. q. 5. dicit Eleuterius Papa, iudicantem oportere cuncta rimari, & ordinem rerũ plena inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, obijciendi præhabita patientia.

1. cõclusio

¶Hoc constituto, sit prima cõclusio: Nullus iudex inferior potest dispensare in illis solemnitatibus, quæ sunt de iure positiuo: sed tenetur ordine iuris procedere per accusationem, scripturam publicam, &c. Supremus autem iudex poterit illas in iudicio dimittere. Ita docet Couarruuias lib. 1. variatum. cap. 1. num. 7. §. tertium etiam, & Antoninus. 3. par. titulo. 9. cap. 15. §. 1. Et ratio est manifesta. Nam solum is, qui legem tulit, & non inferior, qui solum est executor, aut custos, potest contra legis humanæ ordinationem facere. Ex quo infertur, malè agere iudices inferiores occultè informationẽ, & attestationes contra aliquos accipientes, eosque, aut morte, aut alia pœna afficientes. &c. Nã præterquã, quòd peccant mortaliter tenentur ad restitutionem, vt pote illi, qui ex omissione eius, quod ipsi ex officio facere tenentur, graue nocumentum proximo inferunt.

¶Secunda conclusio. Nullus iudex etiam supremus, potest in iudicando eas solemnitates prætermittere, quę sunt de iure naturali, & diuino. Quare non poterit iudex, etiã supremus, malefactorem punire ex sua particulari scientia, maximè non citatum, & defensum. Ita tenet Caietanus in summa. verbo. homicidium. Soto lib. 5. de iustitia. q. 1. ar. 3. & q. 4. art 3. Nauarro in Manuali. cap. 25. num. 10. Syluester, verbo iudex. 1. quæ. 5. Mercado lib. 5. cap. 4. §. Lo segundo. Antoninus. 3. par. titulo. 9. cap. 15. §. 3. Corduba lib. 1. quæst. 17. ad secundam rationem secundæ opinionis, circa finem quæstionis, Antonius Gomez lege. 76. Tauri, numero. 9. Couarruuias, vbi supra, & in practica capit. 26. num. 6. & denique D. Thom. art. sequenti: ad tertium. Rationem huius conclusionis fecit Caietanus: Nam, cùm sententia sit actus publicus, sitque iniusta, si à priuata fiat autoritate, necessarium erit, quòd procedat ex scientia publica, alioqui non adhiberentur causæ commensuratæ effectui, dũ actio potestatis publicæ poneretur exire à scientia priuata. Hæc tamen ratio meo iudicio non omnino cõuincit. Dici enim posset scientiam priuatam principis æquiualere publicitati duorum testium; & quòd eo ipso, quòd quis est princeps non habet priuatam, sed publicam scientiam. Quare melior & efficacior ratio erit, quòd defensio rei, & testium probatio est vnicuiqui debita iure naturali & diuino, supra quod nullus princeps, etiam supremus, potest dispẽsare. Et præterea: Nam auferre ab aliquo arma, quibus iustè se defendere potest, nõ solum est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Constat autem reus, antequam sit legitimè conuictus, iustè posse se defendere, vel negando, si delictum est secretum seclusa mendacio, vel alia via. Et sic qui non audiendo talia arma ab eo aufert, facit contra ius naturæ non minus, quàm qui ensem surriperet, quo solo potest quis se defendere à morte, & eo sublato est occidendus. Nihil

2. Cõclusio

Nullus iudex potest ex scientia particulari malefactore punire.

hil enim refert, armis, vel rationibus de salute dimicare. Præterquam, quod etiam delicta occulta in rei veritate nõ videntur humano iudicio subiecta, sed tantum diuino, iuxta illud Pauli: Nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarũ. Quare peccator occultus, quo ad iudicium humanum habendus erit pro innocenti.

Quæstio.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum hoc ius naturale de non iudicando aliquẽ, vel inauditum, vel ex scientia priuata iudicis, quando crimen est improbabile, adeò sit strictum, vt nullam patiatur interpretationem, sicut lex de non mentiendo, vel potius admittat aliquam epicheiam, ratione cuius id, quod ex se malum esset, ex iusta & rationabili causa reddatur bonum. In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd si crimen est publicum sine citatione, defensione, & processu potest reus condemnari, atque puniri, saltem per iudicem superiorem. Ita tenent Caietanus, & Nauarro locis citatis. Et ratio est: Nam tunc reus non potest iure se defendere in iudicio, negando factum, vel alia via licita, & sic non admittitur ei iusta aliqua defensio. Et idẽ est dicendũ de iudicib⁹, qui reperios in fragrãti delicto publico, vt latrones in vijs statim eos ence afficiunt. Interuenit enim tunc notorium facti, vt dicit Caietanus loco accusationis, ac testium, faciens publicam scientiam, atque excitans publicam potestatem ad publicum iustitiæ actum. Quod & confirmari potest, ex cap. bene, de electione. vbi Innocentius tertius, sic dicit: Contra processum legati facere videtur, qui non citatis Episcopo, & eius fautoribus processisset. Potrò excessus notorius examinationem non indiget. De hac re est videndus Panormitanus ibi, & in cap. cùm olim. de iudicibus, & Felinus ibidem colum. 5. & cap. ad nostram. de iure iurando. ¶Dico secundo, etiam esse certum, quòd si reus est ità potens, vt capi non possit, nec vocatus nec defensus condemnari potest in absentia. Ità tenet Syluester verbo. homicidium. 1. quæst. 5. Nec tunc intelligitur fas oliari iure defensionis propriæ; sed quòd non vult iustum defensionem. Quare poterit Rex illum occultè occidere, nec hoc Regi, sed sibi erit imputandum. Modo, inquit Nauarro, allegari, & probari curet quæcunque possunt proablentt. Ità tenet glossa singularis in lege antepenultima. ff. in quibus causis maiul. data per Rauen. in cap. 1. de cau. poss. & Decius in cap. ex parte, el segundo, de officio delegati. colum. 2. ¶Tertiò, etiam est certum, q., si futurum damnum immineret, aut Regi, aut reipublicæ, aut alicui alteri innocenti ex eo, quod reus citatus, & auditus, & sufficientibus testibus conuictus puniretur, posset tẽc occultè & incitatus occidi. Vtera turq; tũc occidens nõ potestate vindicatiua iudicis, sed iure defendendi innocẽte, quod vnicuique priuato homini, quando aliud nõ extat remedium, est licitum, vt diximus in superioribus. Itaque hæc certa sunt. Sed dubium est, an in casu, quo crimen est secretũ, licet à principe cognitum, & reus nõ est potens, aut rebellis, sed compareret, si citaretur, nec damnum aliquod imminet in futurum, propter aliquam magnã causam, possit inauditus, & indefensus condemnari. Puta, quia aggressus est Reginam: & si citetur, & processus fiat, diffamabitur regia persona, vel sequitur alia reipublicæ perturbatio, aut damnum. Vt, si criminosus fuisset filius Imperatoris, Regis, aut supremi alicuius principis reipublicæ, quem sine magno scandalo puniri non contingeret. Nauarro, Caietanus, atque Mercado locis citatis partem tenent negatiuam, in quam etiam inclinat Soto lib. 5. de Iustitia, quæstione. 4. artic. 2. Nam dicit esse contra ius naturę contra inauditam partem, & indicta causa ferre sententiam, etiam si reus sit perniciosissimus. Cæterum mihi in hac re distinguendum videtur. Nam, vel delictum est probabile, vel non, sed est omnino secretum, aut vnius tantum testis testimonio confirmatum. Si primum, hoc est, si plene probari potest, videtur tunc habere locum epicheia, occidique posse secreto veneno, vel alia via, non citatum & defensum. Et ratio est: Nam non auferetur ab eo tunc iusta defensio, si quidem, si crimen probaretur, vt certè probari potest, nulla ratione posset se iustè defendere, & ex alia parte talem secretò occidendo prouidet princeps bono communi, tam vitando scandalum, quam purgando rempublicam criminosis, & sceleratis hominibus. Hanc sententiam in terminis tenet Gregorius Lopez, in lege. 4. titulo. 2. part. 7. Tamẽ, si non potest crimen sufficienter probari iudice procedendo, intrinsece malum erit, atque iniquum illum occidere inauditum. Et ratio est: Nam cum damnum tunc non pendeat in futurum, nec peccatum sit publicum, & reus velit comparere in iudicio, vt se quantum honestè, & licitè potest, defendat, maxima ei fieret iniuria, si propria arma & iusta vitæ præsidia ab eo auferrentur. Ex quo enim reus non potest per testes sufficienter conuinci, nec etiam supremus eũ condemnare non valet: sed est quo ad humanum

1. dictum certum.

2. dictum certum.

3. dictum certum.

Pũctur differitatis.

Sententia Nauarri Caietani, & aliorũ.

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

manum forum velut innocens iudicandus, quanuis quo ad Dei iudicium sit nocens, vt supra dicebam.

Ad. 1. arg. ¶Restat nunc respondere ad argumenta in principio facta. Ad primum respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Nam quanuis priuata principis scientia interdum sit certior duorum priuatorum hominum testimonio, vt rectè probat argumentum, nunquam tamen facit delictum publicum, sed adhuc manet secretum. Et est verissima illa sententia Doctorum, quod cum potestas est publica, nō, nisi notitia publica, potest in actum exire, sine in fauorabilibus absoluendo, siue in pœnalibus condemnando. Oportet enim causas semper effectibus proportionari, vt dicebat Caietanus. Et sic actus publicus, quòd à voluntate & notitia publica proficiscatur exigit; sicut à causa commensurata: q etiam insinuat Eugenius Papa in.c. si sacerdos. de officio iud. ord. Vbi sic inquit: Si sacerdos sciat pro certo aliquem esse reū alicuius criminis, vel, si confessus fuerit & emendare noluerit, nisi iudiciario ordine probetur, non debet arguere nominatim, &c. Et subdit rationem: Quia non, vt iudex scit. *Ad. 2. arg.* ¶Ad secundum respondetur, quòd citare, & audire reum, eumque non, nisi sufficienti testimonio conuictum, ad mortem condemnare, non est ius humanum, sed naturale & diuinum, vt supra probauimus. Et licèt esset humanū, vt Syluester docuit, verbo. bellum. §. vltimo (quod tamen est falsum) adhuc non posset per imperatorem, aut principem tolli; quia est veluti omnium gentium consensus; qui quasi iuris naturalis vim habet. Ea enim, quæ sunt de iure gentium, vnius, aut alterius principis autoritate deleri minimè possunt. Ad confirmationem ex ijs, quæ dicenda erunt circa secundum sensum quæstionis, solutio constabit. Et hæc dicta sufficiant de quæstione in primo sensu.

De secūdo sensu quæstionis. ¶Secundus sensus quęstionis est, an quando iudici certò constat, eum, qui habetur reus, & legitimè criminosus probatur, esse innocentem, liceat ei illum condemnare, morteque afficere? In qua re, vt similiter certum ab incertis seperemus, dico primò, certum esse, quòd, si iudex talem innocentem probatum nocentem aliqua via, & ratione commode liberare potest, sub peccato mortali id facere tenetur; Vnusquisque enim iudex ex officio, & charitate obligatur innocentē eripere, siue id faciat aliquo medio honesto, accusatorem impediēdo, ne ad iudicium veniat, siue vinctum è carcere, sine aliqua nota, & populi scandalo liberando, siue quacunque alia vrgenti ratione testes examinando, vt fecit Daniel circa testes beatæ Susannæ, falsum crimen obijcientes vt habetur Danielis cap. 13. Pro quo etiam facit cap. Deus omnipotens. 2. q. 1. vbi dicitur. Iudex diligēter, & omnino faciat, quod falsitas detegatur. Et in capit. iudicantem. 30. quæsti. vltima. Tandiu actio ventiletur quoadusque ad rei veritatem perueniatur. Frequenter enim interrogare oportet, ne aliquid fortè prætermissum remaneat, quod annecti conueniat. ¶Secundò, etiam est certum, quòd si iudex aliud facere non posset, quam quòd innocentem interficeret, teneretur tūc cora populo eius innocētiam manifestare, eāque iuramento cōfirmare Soto, vt affirmāt Caietanus, & Corduba infra à nobis citandi. Nec in hoc aliqua falsis testibus irrogaretur iniuria. Nam, si scienter id faciant, sibi imputent, qui alteri sunt iniurij. Si autem bona fide, maius est ius innocentis, cui aliorum bona fides nocere non debet. ¶Tertiò, etiam est certum, iudicem inferiorem teneri talem innocentem ad superiorem remittere, asseueranter protestando eius innocentiam. Et si opus fuerit, & viderit profuturum, etiam tenetur iudicis personam ad tempus exuere, & induere personam testis, coram superiore, vt sic innocens liberetur, quidquid dicat Soto lib. 5. de iustitia. quæst. 4. articulo. 2. Qui affirmat posse inferiorem iudicem id efficere, non tamen teneri; quia vnusquisq; iudex etiam inferior secundū allegata & probata, habet ius causam terminandi. Nostram tamen sententiam tenet Alexander Alens. 3. part. quæstio. 40. mēbr. 6. articulo. 2. ad vltimum argumentum. & quæstione. 34. membro. 1. articulo. 4, & Caietanus in hoc articulo, & Corduba lib. 1. quæstione. 57. statim in principio, fuitque Diu. Thomæ supra. quæstione. 64. articulo. 6. ad tertium. Vbi dixit: Testes examinare debet diligenter iudex, vt liberet innocentem; quod si nō potest debet superiori relinquere iudicandum. Et est ponderandū, quòd tam in examinatione testiū, quàm in remissione ad superiorē vsus fuit D. Tho. verbo. debet, vt sic vtrobique præcepti debitū cōtineri intelligeremus. Alioqui ęquiuocatio in tā breui contextu esset admittenda, quod est inconueniēs. Et ratio est manifesta: Nam, si index tenetur sub peccato mortali innocentem, probatum nocentem, ea via, atque ratione, qua cōmode potest, liberare, siue accusatorem impediendo, ne ad iudicium veniat, siue aperiendo carcerem, vt

1. dictum certum. *2. dictum certum.* *3. dictum certum.*

vt fugiat, si citra scandalum id fieri potest, vt ex omnium Doctorum sententia primo loco pro certo supposuimus, quod etiā Soto concedit; quare postquam res delata est ad iudicium, quacunque honesta via possit illum seruare ab iniusta morte non tenebitur? Corduba loco citato existimat, quòd etiam si nihil profuturum putaret, teneretur inferior causam ad superiorem deferre, vt ipse euaderet iniustitiam, seseque immunem ab iniusta nece seruaret. Sed hoc non est ita certum. Itaque hæc certa sunt.

Punctus difficultatis. ¶Sed dubium est, vtrùm in casu, quo nullum ex positis remedijs sufficeret ad liberā dum innocentem, vel à morte, vel ab aliqua graui corporis mutilatione, possit & debeat iudex illum condemnare? Et loquimur in casu, quo iudex certo cognoscit talem esse innocentem, quanuis probetur nocens. Nā, si non est certus de eius innocentia, non est dubium, teneri illum secundum probata cōdemnare. De hac re sunt variæ Doctorum sententiæ. *1. Sententia.* Illæ tamen reducuntur ad tres. Prima est illorum, qui dicunt, in nullo casu, scilicet, nec in causa ciuili, neque in criminali esse licitum iudici condemnare eum, quem euidenter scit esse innocentem, quanuis legitimè probetur nocens; sed teneri eum, vel officium dimittere, vel spreto scandalo, atque damno illum omnino liberare. Hanc sententiam tenet Hugo super legem. prætor. ff. de iurisdictio. omnium iudicū. Calderinus, & Panormitanus super cap. pastoralis. de officio delegati. Sūma Angelica. verbo. iudicare. q. 7. Nicolaus de Lira super. 23. caput Exodi. Et probatur à Corduba loco citato sexdecim rationibus satis prolixè. Quę omnes eo forè tendunt, quòd, quia ille est verè innocens in re, licet in probatione testium nocens, puniri non potest; cùm lex iubens occidere malefactorem, nō propter testes, sed principaliter propter crimen committum, vt puniatur, sit edita. Alio qui esset iniusta. Et eam in casu posito præcipua condemnationis causa, & conditio non subsistat, videtur iniquum, & contra legum intentionem talem hominem pœna afficere. Præterquàm, quòd si esset lex expresse disponens, vt omnis qui probaretur per duos testes malefactor puniretur, etiam si ea vera esset innoxius, iniqua foret, & scandalosa. Cui adde, quòd sicut ad iustum iudicium exequendum, requiritur ex parte iudicis iurisdictio, & ex parte legum autoritas; ita etiam & multò magis requiritur ex parte rei puniendi crimen, atque delictum: sed quanuis esset probata iurisdictio, & legum autoritas per testes, aut

2. Sententia. alios consultores, non liceret iudici iudicare, si certissimè sciret eos falsum dicere, atque consulere: ergo multò minus sufficiet crimen probatum, quando iudici certè constat testes falsò deponere. Desino omnes alias Cordubæ rationes, quas ad amussim examinatas parum roboris habere opinor, ne in idem prolixitatis vitium, in quo ipse incidit, præceps ruam. Ea etiam omnia, quæ ab ipso collecta sunt, ratione vndecima, ex sacris literis, quibus sæpe dicitur iudicium secundum veritatem, esse faciendum, nihil conuincunt. Quia iuxta veritatem iustè, ac rationabiliter præsumptam, & per publica acta habitam fieri satis esse docebunt autores contrarię sententiæ. ¶Secunda sententia est in alio extremo, quæ affirmat, tam in ciuilibus, quā in criminalibus, posse imò teneri iudicem innocentem illum certò sibi cognitum, sed probatū nocentem iudicialiter condemnare. Hanc tenet Diu. Thom. in hoc articulo, & supra quæstione. 64. ad. 3. Vbi ponens exemplum in causa mortis, dicit potiùs esse morti adiudicandum innocentem, quam deserenda testimonia publica. Eandem tenet Alexander Alensis. 3. part. quæstion. 40. membro. 6. articulo. 2. & quæstione. 34. membro. 1. articulo. 4. Ricar. in. 4. distinctione. 18. articulo. 3. quæstio. 1. ad. 1. Enriquus de Gandauo, quodlib. 3. quæstione. 25. Soto lib. 5. de iustitia, quæstione. 4. articulo. 2. & Syluester, verbo. iudex. 12. quæstione. 5. Qui & post plurimam autorum citationem, fatetur hanc fuisse opinionem omnium antiquorum Theologorum. Eandē tenet Bartolus in lege illicitas. ff. de officio præsid. & Ioannes Andreas in suis Nouellis. titulo de allegat. & Cardinalis, & glossa in capit. 4. de officio ordin. & Couarruuias in suis relectionibus lib. 1. cap. 17. ¶Tertia sententia est media inter istas duas. Et affirmat in causa criminali, siue capitalis sit, siue alicuius mutilationis, non posse iudicem condemnare innocentem, secundum allegata & probata. Secus autem in ciuilibus, puta, cùm de pecunia agitur, aut de aliarum rerum possessione. Hanc tenent Rodolphus & Immola, in lege à Diuo Pio. ff. de rē iudic. & Angelus & Supplementum, & summa Rosella, titulo iudex. 1. §. 18. & Adrianus quodlib. 6. articulo 3. & quodlib. 2. articulo etiam. 3. & nouissimus omnium Petrus à Nauarra libr. 1. de restitutione cap. 3. dubitatione. 4. & quidem, quòd in causis criminalibus non possit index innocentem condemnare, etiam si probetur nocens, nullis alijs rationibus probant, quām quæ fiunt

3. Sententia.

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro prima opinione. Quod autem in ciuilibus, etiam si de magna quantitate agatur, possit iudex secundum allegata, & probata, non obstante sua priuata & euidenti cognitione, innocentem iudicare ex eo ostendunt, quòd pro bono pacis, & ne reipublicæ, atque legum ordo subuertatur, tenetur tunc innocens patienter tolerare sententiam, temporalisque vtilitatis iacturam ferre. Imò de facto renuntiasse videtur suo priuato temporali commodo, ob bonum commune, cùm se principi subiecit, qui iustè tulit legem, vt secundù allegata, & probata sententia proferatur. Nec est rationabile, quòd probatus reus, licet in re innoxius, velit iudicem, aut officium, aut honorem, aut aliâ suam vtilitatem amittere. Maximè cùm etiam iudex sit innocens, nec aliquod crimen commiserit; & in pari causa innocétiæ magis teneatur sibi, quàm alteri, præsertim crimínoso probato, subuenire.

Sententia autoris. Iudex tenet condẽnare innocentẽ, probatũ nocentẽ secũdum allegata & probata.

¶Mihi ex his sententijs ea, quæ secundo loco fuit posita, magis placet; cui & rationes, & iura ipsa patrocinantur. Dicit enim D. Augustinus, & refertur. 28. quæstione. 1. cap. omnes, bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges, & iura pronunciat. Idem etiam affirmant D. Ambrosius, & D. Gregorius relati in cap. iudicet. 3. quæstione. 7. & in cap. summopere. 11. q. 3. Vnde in lege Illicitas. ff. de officio præsid. §. veritas. iubetur præses id sequi, quòd conuenit eum sequi ex fide eorum, quæ probantur. Nec valet, si dicatur, prædicta iura nihil aliud diffinire, quàm, quòd iudex debet secundum leges ius dicere, ità, quòd seruet ordinem iuris in procedendo, examinãdo, & non sine probatione legitima sententiam ferendo: non autem diffinire, quòd semper secundum allegata & probata iudicet: maximè, cum ius dicat, nõ debere iniuriam inde oriri, vnde iura nascuntur; & in iuria esse videtur; imò & cõtra ius naturale, quod innocens talis cognitus, etiam si probetur nocens condemnetur. Non, inquam, valet hæc euasio. Nam idem est iudicare secundum leges, & secundum iura, quod iudicare secundum allegata & probata. Leges enim, & iura sunt de vniuersalibus, & sententia debet esse de facto particulari, tanquam de conclusione illata ex vniuersalibus iuribus. Ad conclusionem autem singularium, quæ per sententiam ex legibus infertur, non deducenditur, nisi per particulares, vel singulares propositiones de tali facto, quæ nisi per allegata, & probata, cõstare non possunt. Et sic iudicare secundum allegata, & probata est iudicare secundum leges & secundum iura. Præter quàm, quòd leges, atque iura, sicut, & quæcunque alia moralia non ordinant, & iudicant, nisi de ijs, quæ per se, vel quæ regulariter, &, vt in plurimũ, quãuis per accidẽs cõtingũt. Et sic quæ rarò eueniũt, nec effugiũt nec dissoluũt generalẽ legis dispositionem. Pro quo etiã facit glossa singularis, quæ ex cap. 1. de officio iudi. ordin. quoadmonentur Episcopi iudicare secundum quod canones censent, colligit eos secundum allegata, & probata debere iudicare. Sed rationibus hoc ipsum probatur. Primo sic: Tam secundum moralem philosophiam, quam secundù iura, maleficia distinguuntur ex intentione: estque hoc adeò verum, vt diximus in superioribus ex mente D. Thomæ, & aliorum, quod occidens suum inuasorem, aliter se saluari non potens, si intendit occidere, homicida est, si autem intendit se defendere, & occisio etiam præuisa cõsequitur ex actione defensiua, non peccat: ergo similiter in occisione innocentis probati nocentis, ex intentione iudicis eius operis natura, atque species desumenda est. Sed cõstat, quòd iudex, de quo in præsenti est sermo, qui, scilicet, omnem suam prudentiam, solicitudinem, scié-tiam, potestatem, & cætera adhibuit, vt liberaret innocentem, non intendit ex propria voluntate occidere, aut mutilare, aut aliquod iniustum facere, sed totum illud sequitur ex eo, quod intendit publico officio vti, & eo vtitur: ergo nulla iniustitia est in hoc, atque ex consequenti nec etiam facit iniuriam innocenti: maximè, cum illam priuata, aut publica voluntate non intendat. Et si quis dicat, talem iudicem facere iniuriam innocenti in eo, quòd non renunciat officio, quod tenetur facere in eo casu, ne innocentem interficiat: contra hoc sic argumentor. Persona, quæ est iudex, tenetur vti officio suo, parte, & populo instante, quoniam sibi incúbit cura vtendi potestate publica, & plus tenetur curam habere publici officij sibi commissi, quàm vitæ alterius, cui⁹ ratio non spectat ad ipsum, nisi sicut ad iudicem: ergo non tenetur suo officio renũtiare. Et confirmatur: Superius in materia de homicidio per hanc rationẽ conclusum est, quòd defendens se non tenetur omittere actum defensionis propriæ per hoc, quod videt ex ipso sequi mortem alterius, etiã impœnitentis, quia, scilicet, sibi magis incumbit cura sui, quam proximi: ergo pari ratione in proposito, quia personæ iudicis incúbit cura, vt vtatur publico officio, & nõ cura proximi, nisi ratione publici officij, non tenebitur abstinere ab vsu publici officij,

1. Ratio.

propter

propter damnũ consequẽs proximi. Secũdò, sic argumẽtor: Iudex in quantũ iudicat, nõ est priuata persona, sed publica: ergo nõ secundũ priuatã, sed secundũ publicã sciẽtiã procedere debet, atq; ex consequẽti nõ peccabit innocentẽ probatũ nocẽtẽ publica notitia condẽnando. Maximè cũ nõ ipse, sed leges sint quæ condẽnant. Et cõfirmatur: Actiu dicandũ duplex sciẽtia est necessaria, vna facti, altera iuris. Tenetur enim iudex duo cognoscere, scilicet, quid reus fecerit, & quid iuris sit de illo: sed in cognitione iuris nõ debet suã opinionẽ sequi, quãuis eã reputet verisimã, tenetur enim leges auscultare, nec ipse est legũ iudex, sed custos, nec pertinet ad ipsum iudicare, an lex sit bona, sed quid iubeat: quare nec audiẽdi erũt litigãtes, legẽ esse iniustã, probare volẽtes, nisi forte intolerabilẽ & manifestissimã iniquitatẽ præsefe rat: ergo nec in cognitione facti suã priuatã sciẽtiã sequi poterit iudex; sed tenebitur stare publicæ cognitioni, atq; fidei, quæ via ordinaria testimonijs habetur. Et sic probatũ nocẽtẽ, etiã si ipse priuatim sciat esse innocẽtẽ condẽnare tenebitur. Nec ex hoc sequitur nõ peccasse Pilatũ, qui Christũ secundũ allegata & probata iudicauit. Nã adeò erat Christi innocẽtia nõ modo ei, sed etiã cunctis euidẽs, adeòq; subinde aperta testimoniorũ falsitas, vt posset eos facile iniquitatis arguere. Præterquàm, q⁹, vt dicitur in textu, nec ipsa testimonia erãt conueniẽtia; sed illi

3. Ratio.

morti addixit, vt se Cęsaris amicũ ostẽderet, cui, vel ipsũ nomẽ Regis molestũ erat. Termò probatur eadẽ sẽtẽtia: Iudex, etiã supte mus, quantũuis euidẽter nouerit esse reum, quẽ in vinculis tenet, si tamẽ legitimè non probat nocẽs, imò fortè probatur innocẽs, nõ potest illũ per suã particulare sententiã condẽnare; quia forus exterior iudicialis ad crimina occulta, & nõdũ pbata nõ extẽdit; & in tali foro illa iura cẽsentur occulta, quæ secũdũ regulas iuris legitimè nõ constãt, vt diximus dubio præcedẽti: ergo nec per suã priuatã scientiã poterit probatũ reũ absolue re; sed tenebitur illũ secundũ probata condẽ

4. Ratio.

nare. Cõsequẽtia tenet ex paritate rationis. Quartò: Si probatus nocens non licitè occideretur à iudice, eius innocentiã euidenter cognoscẽte, quàm plurima dãna sequerẽtur in republica. Nã primò: oriretur scandalũ dum omnes viderẽt probatũ nocentẽ absoui, fieriq; iniustitiã. Secundò: daretur ansa prauis iudicibus quoscunq; criminosos voluerint, timore, amore, affinitate, vel pretio liberãdi. Nã dicerent se oppositũ euidenter scire eius, quod testes deponunt, sicq; crimina manerent impunita in magnã reipublicæ perniciem, nec iudicum malitiæ recte esset prouisum: ergo, vt hęc & alia mala cõmunia vitentur, & vt reipublicæ vtilitati ac paci prouideatur, necessarium erit semper secundum allegata & probata iudicare. Maximè, cùm licitum sit, mẽbrum etiam sanũ percutere, atq; tollere, vbi opus est, pro totius corporis salute, natura recte ad id inclinante; quia bonũ cõmune semper priuato est præferendum, & illud esse non poterit, nisi saluetur rectus ordo iudicij secundum regulas iuris naturalis ac gentium ad pacificã reipublicæ vitã, & ad alios fines cõmuniter institutus. Præterquã, quod videtur hæc sententia fundata in illa lege diuina Matth. 18. & 2. ad Corinthios capit. 13. In ore duorum, vel trium stabit omne verbum. Et Deutero. capit. 17. etiam dicitur: In ore duorum, vel trium peribit omnis, qui interficietur; nemo occidatur vno contra se dicente testimonium. Et subdit statim de iudicibus, quod in iudicando sequantur iudicij veritatem, non eam, scilicet, quam ipsi priuatim sciuerint, sed quam ab ore testium fuerint venati. Nam, si solum secundum veritatem, quam iudices priuatim cognoscunt, deberent iudicare, frustrà fuisset præmissum In ore duorum, vel trium peribit omnis, qui interficitur. Item, iudex, nisi secundum iura formãque iudicij iudicare non potest. Maximè nisi secundum regulas iuris naturalis, ac gentium, vt recte docet Syluester, verbo. iudex. 1. q. 5. excepto casu, quo bonum publicum ex obseruato ordine iuris periclitaretur, vt docet Nauarro in Summa cap. 25. num. 20. sed præcipua regula iuris naturalis ac gentium est, non ferre sententiam, nisi secundum allegata, & probata, vt diximus supra dubio præcedenti: & conuincitur ex eo, quòd ratio naturalis dictat testimonium vnius iudicis in foro iudiciali non debere præualere plurium testimonio: ergo semper iudex illam obseruare tenetur. Vltimò: Quãdo quis clãdestinè verè cũ vna contraxit, & postea iudicialiter in facie Ecclesiæ probatur cũ alia cõtraxisse, iudex, & ecclesia licitè iudicat, præcipit, ac cogit, etiam sub excommunicatione, manere cum secunda probata sua, quanuis euidenter sciat non esse suam. & ità id iudicare debet, licèt priuatim illud consulere non posit, vt dicitur in capit. is qui. & in cap. tua. de sponsalibus. & quanuis talis cõdemnatus teneatur stare cum prima, excommunicationemque potius humiliter pati, quam secundam illam non sua carnaliter cognoscere, vt dicitur in cap. inquisitioni, de sentẽtia excõmunicat. ergo pari ratione iudex potiùs tenetur innocentẽ proba

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum nocentem condẽnare, quam illũ secundum suã priuatam scientiam absoluere. Probo consequentiã: Nam in casu antecedẽtis, iudex per suam sententiã, atq; censurã quæ grauius punit quàm mors corporalis, non minus est causa per accidens fornicationis cũ secũda, quã præcipit stare, quã mortis in nocẽtis, quẽ morti dãnat. Et præterea: Quia mors iſtius innocẽtis ẽquè, aut magiscedit, aut cedere potest in bonũ, ac pacẽ reipublicæ, quã fornicatio alterius, vt ex dictis patet.

1. corollar. ¶Ex dictis infero primò, quòd in casu posito, dum nulla de supradictis patet ad liberãdum innocentem, non tenetur iudex cedere officio, nec bonorũ suorum notabile detrimentum pati potiùs, quàm illum secundum allegata & probata condemnare: nullus enim cum tam ingẽti suo incõmodo dãnum, quod ipse non dedit, in fratre cauere tenetur. Quod etiam dupliciter probatur. Primò: Quilibet potest licitè vti iure suo, illudq; exequi, id principaliter & directe intendens, etiam si per accidens, vel indirectè alterius mors inde sequatur: maximè, quando alias tenetur iure, vel officio suo vti, nec potest illud exequi sine prædicto dãno tertij per accidens occurrente: sed in casu posito iudex parte, vel populo instante suo officio iudicis vti tenetur, idque principaliter intẽdit, vt supponimus: ergo quanuis contingat esse cognitum innocentem, quod per accidens est, potest illum probatũ nocentẽ damnare; nec tenetur propter id suo officio renuntiare. Secundò: Quia, si iudex in dicto casu teneretur cedere officio, esset in notabile reipublicæ detrimentũ, cũ eadẽ ratione etiam princeps ad id teneretur, quod

2. corollar. est absurdum. ¶Infero secundo, quòd minister, seu exequutor præfatæ sententiæ, si certò scit talem damnatũ esse innocentẽ, & cõmode potest ab illius executione abstinere, propter quod existimat, contingere posse, quod à morte liberabitur, tenetur tunc abea recedere. Cæterũ, si cõmode non potest formata bona conscientia, quòd id licitè facit, potest & debet ad iudicis præceptũ illã exequi. Nec tenetur suo officio cedere, sicut nec iudex, nisi fortè in casu, quo manifestè & notoriè de iniustitia talis sentẽtiæ cõstaret, facit cap. pastoralis. de officio delegati. De quare est videdus Sylvester verbo. iudex 2. q. 6. Magister Soto lib. 5. de iustitia. q. 4. art. 2. Etiam infert ex prædicta opinione, q̃ licet iudex in supra dicto articulo cõstitutus posit hãc causam, sicut quilibet aliã superiori remittere, nõ tamẽ ad id tenetur. Tũ; quia quilibet iudex inferior legitimã habet autoritatẽ terminãdi causam secundũ allegata, & probata. Tùm etiã; quia remediũ hoc esset inane. Nã cũ iudex superior nesciens eius rei innocentiã nõ posset ob testimoniũ iudicis inferioris illũ absoluere, teneaturq; eum secundũ probata iudicare, perinde erit superiori remittere, ac supplicio & morte afficere. Sed certè in casu, quo per hãc remissionẽ ad superiorẽ probabile est innocentẽ quomodocunq; esse à morte liberandũ, ego non video, quare iudex inferior id facere nõ teneatur secundũ ea, quę in principio huius quæstionis tertio loco pro certis supposuimus. Nec habet index legitimã autoritatẽ in conscientia causam terminãdi, secundũ allegata, & probata, quãdo facile patet via ad liberandũ cognitũ innocẽtẽ. Nec etiã est hoc illũ morti tradere, cùm nõ mortẽ eius, sed seipsum immunẽ ab eius occisione cum aliquali spe liberationis seruare, ac pro illo saluando pro viribus agere, intendit. Quare si cõmode potest, & hac via innocẽtẽ à morte liberandũ sperat, nec aliud patet remediũ; vtique tenebitur illum ad superiorẽ remittere, potius quàm innocentem condẽnare.

¶Sed restat nunc respondere ad rationes, quas pro contraria sentẽtia fecimus. Quod, vt cõmodius agere possimus aduertendum est primò adeo esse de ratione legis, quod respiciat bonum cõmune, vt ipso cessante, quòd etiam ipsa lex cesset, sit necessariũ. Cũ enim Rex, vel Princeps tantum habeat potestatem condendi leges, in quantum præest reipublicæ, estq; illius minister: & propriũ officium eius, vt talis est, sit tueri, atq; procurare bonum cõmune, fit consequens, vt de ratione legis sit, quod ordinetur ad bonum cõmune. Secundo est aduertentum, q̃ bonũ cõmune, ad quod lex debet ordinari, est multiplex, sicut & cõmunitates, quib⁹ leges imponũtur multiplices sunt. Vnaquęq; enim cõmunitas suũ cõmune respicit bonũ sibi adæquatũ. Et sic si loquamur de toto vniuerso, bonũ cõmune illius est partiũ ordinatio inter sese. Si verò loquamur de hominũ cõmunitate secũdũ gratiã, eius bonũ est visio Dei; secundũ autẽ naturã bonũ illi⁹ est status naturæ cõsonus, naturęq; proportionatus. Cæterũ, si loquamur nõ de vniuerso genere hominũ, sed de aliqua gẽte, regno, vel ciuitate, bonũ cõmune illius erit status tranquillus cũ iustitia, & opulẽtia. Et sic cõstat, q̃ pro varietate cõmunitatũ erũt varia & distincta bona distinguẽda. In vnaquaq; autẽ istarũ cõmunitatũ erit constituenda vna potestas, cuius propriũ mun⁹ sit illi⁹ bonũ procurare, atq; tueri. Nã, si cõmunitates careãt tali potestate, proculdubio errabũt, erũtq; tanquã nauis sine gubernatione, nec vnquã assequentur suũ bonũ. ¶Tertiò est aduertẽdum, q̃ quemadmodũ cõmunitates supra positæ, sunt inter sese subordinatæ: Nã cõmunitas ciuitatis subordinatur regno, & regnũ subordinatur cõmunitati hominũ, secundũ naturã; & hæc subordinatur sibi ipsi secundũ gratiã; & tandẽ omnes subordinãtur cõmunitati vniuersi: ità etiã bona, atq; singulę cõmunitates tẽdunt, & potestates, quæ illis præsunt, sunt inter sese subordinatæ. Nã bonũ cõmune ciuitatis, & potestas, quę illi præest subordinatur bono, & potestati regni, & bonũ, & potestas regni subordinatur bono & potestati generis humani. Et quia in homine natura ordinatur ad gratiã, bonũ naturale & ciuile & sẽmiliter potestates ciuiles, & seculares ordinãtur ad bona spiritualia & supernaturalia, & ad potestates spirituales, & tãdẽ omnia inferiora bona ordinãtur ad bonũ vniuersi. Ex quo infertur, ius canonicum præstare iuri ciuili; nõ solũ ex parte potestatis; quia, scilicet, ius canonicũ habet eorum à potestate spirituali, & aliud non, sed etiã ex parte finis: nã ius canonicum habet pro fine bonum supernaturale, quale est beatitudo æterna: & ius ciuile solũ habet pro fine trãquillũ reipublicæ statũ. ¶Quartò est aduertendũ, q̃ quia essentia legis est, q̃ respiciat bonũ cõmune in illo q; tẽdat tanquã in finẽ, idcircò, cessante ipso bono cõmuni, quod etiã ipsa lex cesset est necessariũ. Quod intelligẽdũ est, quãdo cessat bonũ cõmune respectu totius reipublicæ. Nã si tantũ cessat respectu alicuius particularis, nihil obstabit, quominus ipsa lex suã obtineat obligationẽ. Quod isto exẽplo fiet manifestũ: Prohibet lex ingressũ alicuius oppidi sub sentẽtia excõmunicationis. Et ratio, seu finis talis legis est, ne eo in loco occultẽtur crimina, aut vt nõ ne ex cõmercio oppidanorũ incõmodũ aliquod Christianis hominib⁹ subsequatur, quod in bonũ cõmune cedere est manifestũ. Certè lex sic lata, etiã si ego intelligerem me nec interfecturũ, nec communicaturũ criminibus, adhuc lege essem actractus: quia finis eius, uõ in cõmuni, sed tantũ in particulari cessat, Cæterũ, si talis finis sic cessaret, vt esset, vel inutilis, vel nocuus toti reipublicę proculdubio etiã ipsius legis obligatio adeò cessaret, vt cõtra ipsam facientes nullã cõmitterent culpã. Ex qua doctrina via aperitur ad multas rerũ difficultates elucidãdas, quæ positis exẽplis clarius manifestabũtur. Præcepit lex, vt testamentũ minus solẽne, hoc est, sine certo numero testiũ, aut sine tabellione edito pro infecto habeatur, nihilq; valeat, & finis talis legis est, ire obniã fraudibus, atq; dolis, quæ mortuo homine ac pro seipso respondere nõ valẽte, possunt oriri. Si se offerat casus, quo quis sine fraude, & dolo testamẽtũ minus solẽne instituat, quia, scilicet, nec sufficientẽ numerũ testiũ, nec tabellionẽ cõ quibus suã patefaciat voluntatẽ habere potuit, profectò tale testamentũ adhuc erit inualidũ, & pro infecto habebitur. Quia ratio, atque finis, propter quẽ lex instituta est, licet cesset in particulari nõ tamẽ cessat in cõmuni. Et lex, vt habetur in Prouerbio, casus particulares nõ recipit, sed tãtũ id, quod cõmuniter, & vt in plurimũ accidit, vt dicitur in lege. iura. & duabus sequẽtibus. ff. de legibus, & senatusc. cõsultis, & lege. ea quę raro. ff. de regulis iuris. Sit aliud exẽplum. Instituit grauissime lex, vt de cætero matrimoniũ clandestinũ sit inualidum; nec tebantur enim in eius celebratione diuersę fraudes, atque doli. Et finis legis fuit eis obuiã ire. Offerat se casus, quo quis matrimoniũ clandestinũ bona fide, & sine dolo cõtrahat. Adhuc tale mattimonium erit inualidum: quia ratio legis non in communi, sed tantum in particulari cessat.

¶His suppositis, dico, quòd, quia leges magis respiciũt bonũ cõmune, quã particulare, & illud periclitaretur ex eo, q̃ iudex nõ secundũ allegata & probata iudicaret; sed seqꝛueretur suã particularẽ sciẽtiã. Posset enim tẽc quoscũq; criminosos homines voluisse, amore, pretio, vel cõsanguinitate à morte liberare: sicq; manerent crimina impunita in magnã reipublicæ pernicię, sit, vt teneatur semper iudex testiũ depositiones sequi, quãuis aliquãdo in particulari cesset finis legis, ipsęq; sciat eũ, qui probatur nocẽs esse innocentẽ. Minus enim damnũ est, quod aliquis in particulari detrimentũ patiatur, etiam in vitã, quã quod bonũ cõmune, quod quid diuinius est, atq; præstãtius periclitetur. Maximè cum iudex nõ ex intẽtione, sed omnino per accidẽs innocẽtis mortem operetur; & actiones nõ ex eo quòd conueniẽt per accidens, sed ex eo, quòd conueniẽt per se speciẽ sortiãtur. Vt est videre in eo, qui iustũ bellũ gerẽs, simul cũ nocẽtibus innocẽtes interficit. Quanuis ratio naturalis dicat innocẽtes esse seruãdos. Et quãdo obijcitur, Lex iubẽs occidere malefactores, nõ propter testes, sed principaliter propter delictũ, vt puniatur, est edita, alioquin esset iniusta: sed in casu, quo innocẽs probatus nocẽs occiditur, præcipua condẽnationis causa, atq; cõditio, nõ subsistit: ergo est contra legum intentionẽ, talẽ hominẽ interficere: respõdeo primariã, atq; præcipuã legũ intentionẽ, nõ esse respicere testes, aut delictũ cõmissũ, sed solũ cõsulere bono cõmuni, ad quod necessario omnis lex

Nota. 3. Nota. 4. Cessante fine legis in particulari non cessat lex. Nota primo pro solutione argumentorum. Nota. 1. Nota. 2. Expositio dametur ad omnia argumenta si mul.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinatur, vt ex superioribus cōstat. Hoc autē bonū cōmune in eo cōsistit, vt delicta nō maneant impunita, ne reipublicæ pars, aut tranquillitas perturbetur. Et quia in punitionibus crimimbus superiores humano more & non diuino, aut angelico vti debent; & ratio dictat, eum, qui probatur sufficientibus testibus nocens, esse habendum pro nocenti, magis, quam illum, contra quem nullius testis depositio habetur, fit, vt iusta sit lex, quæ præcipit, vt puniatur, qui duobus, vel tribus testibus criminosus probatur. Quanuis in aliquo casu particulari posit cōtingere, quòd testes falsum deponant, idque iudex certo cognoscat. Manet enim tunc ratio legis in cōmuni; quanuis in illo particulari deficiat. Nec hoc est agere contra conscientiā propriam, vt nonnulli existimant. Nam nō dicitur agere contra propriā conscientiā qui tā tum agit contra scientiā speculatiuā, sed qui agit contra practicam. Et iudex in isto casu, quanuis faciat contra scientiam speculatiuā, qua cognoscit illum esse innocentē; non tamen facit contra istam: Non est occidēdus; quæ est practica. Imò rectè practicè iudicat esse occidēdum, propter idonea testimonia secundū allegata & probata. Iudex, qui contrariam opinionem sibi persuasam haberet, censeretque subinde innocentem nulla ratione esse condemnandū, nullatenus posset contra talem conscientiam, eū morti tradere; quia ageret contra propriā conscientiā, quod est intrinsecè malum. Cæterum nos in præsenti tantū volumus determinare hanc veritatē, quod innocens in casu, quo probatur nocens est occidendus. An autem alicui contra propriā conscientiam agere sit licitū, alterius est negotij nec ad præsentē pertinet disputationē. Et si rursus fiat obiectio; Si esset lex expresse disponēs, vt omnis, qui probaretur per duos testes malefactor puniretur, etiā si re vera esset innoxius, talis lex esset iniqua, & scandalosa: ergo similiter est iniquū, & scādalosum dicere, quòd qui duorū testiū testimonio probatur nocēs, etiam si iudex certò sciat esse innocentem, est necessario morti tradendus; respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiā. Et ratio discriminis est: Nam in casu antecedentis lex illa nō respiceret primario bonum commune, quod necessariū est ad legis æquitatem. Haberet enim pro obiecto immediato punitionē eorum, qui probantur noxij, quanuis re vera sint innocentes, quod bono communi non conducere est manifestum. At verò in casu consequentis lex, quę præcipit iudicē secundū allegata, & probata iudicare, solū habet pro obiecto bonū cōmune, & tranquillitatē reipublicæ, ad cuius conseruationē tanquā conducens eligitur quod iudex nō secundū ptopriā scientiā, sed secūdū allegata & probata iudiciū proferat, quòd ex natura rei in publicā vtilitatē (quā nis in aliquo casu particulari, quos leges nō respiciūt contrariū posit euenire) cedere est manifestū. Et si ex. objiciatur; sicut ad iustum iudiciū exequendū requiritur ex parte iudicis iurisdictio, & ex parte legū autoritas, ita etiā, & multò magis requiritur ex parte rei puniēdi crimē, atq; delictū, sed quāuis esset probata iurisdictio, & legū autoritas per testes, aut alios cōsultores, nō liceret iudici iudicare si certissimè sciret eos falsum dicere, atq; consulere: ergo multò minus sufficiet crimē probatū, quādo iudici certò cōstat testes falsa deponere; respōdetur, negādo maiorē. Non enim eodem modo requiritur ad exequendū iustū iudicium ex parte iudicis iurisdictio, & legum autoritas; ac requiritur ex parte rei puniendi crimen. Nā ex parte iudicis requiritur iurisdictio, & legū autoritas vera, atq; realis. Nec est aliqua lex statuens, vt quoties per testes probatur iurisdictio, iudicis, aut legū autoritas, etiā si iudex certò contrariū sciat iudiciū sit validū, atq; iustum. Imò est lex in contrarium. Et sic semper, quòd iudex facit contra talem scientiā, facit etiam contra conscientiam, & ex consequenti peccat. At verò ex parte rei puniēdi, quanuis requiratur crimen, non semper est necessarium, quòd illud sit verum; sed satis est, quòd publicè tale probetur. Nam cū iudex humanus non teneatur iudicare sicut Deus iudicat, sed sicut Deus vult, quòd homo iudicet, & Deus statuit, vt homo iudicet secundū veritatē publicam, vt patet ex eo, quod dicit, ꝙ in ore duorū, vel triū stat omne verū, istaq; lex sit iusta, vt pote quæ ordinatur ad bonū cōmune, cui plurimū conducit, vt ex supra dictis patet, fit, vt quoties iudicat secundū allegata, & probata, iudicet etiā secundū Deū, atq; ex consequēti secundū propriā conscientiam. Et sic nullū peccatū cōmittit, quānis eius scientia speculatiua sit in contrariū. Ex dictis infertur distinctio nē illā a certia opinione addictā, de causis ciuilibus, atq; criminalibus friuolā esse, & nullius momēti. Sicut enim iudex nō habet facultatē hominē vita priuādi, nisi pro crimine; ita nec bonis externis. Eo præsertim, quod, vt sæpe diximus, potest esse tā ingēs bonorū cumulus, vt vitā primati hominis nō solū adæquet, sed etiam superet. Quare, si in causis ciuilibus cum agitur de pecunijs, aut de aliarum rerum possessione in quantacūque quantitate, potest iudex non obstante

Obiectio.

Responsio.

sua

sua particulari scientia, secundum allegata, & probata iudicare, non est aliqua rationabilis causa, propter quam id negemus in causis criminalibus. Id enim, quòd dicitur de renuntiatione priuati temporalis commodi, quam singuli ciues fecisse videntur ob bonum commune, cū se principi subiecerunt, fictitium est, & inane, nec habet maiorem vim in bonis temporalibus, quàm in vita; cum vtraque posit respublica pro bono publico, atque cōmuni æqualiter periculo exponere. Et hęc dicta sint de hac difficultate. ¶Solet in præsenti ab aliquibus dubitari, an innocens, qui probatus nocens morti traditur, vi & armis iustè se à iudice, atque ab eius ministris defendere possit? Et pro parte affirmatiua est argumentum: Nā ille patitur iniuriam, & vim vi repellere licet. Hoc tamen non obstante dico, quòd si talis innocens iuridicè probatur nocens, nulla ratione vi & armis, potest se à iudice, vel ab eius ministris defendere. Et ratio est: Nam iudex habet ius illum interficiendi. Et si ipse iuste vi & armis posset se defendere, daretur bellū iustū ex vtraq; parte, quod est impossibile. Bene tamē poterit fugere, aut alia cautela vti ad saluandam vitam. Et ad argumentum respondeo, quòd quanuis innocens probatus nocens, verè patiatur iniuriam in eo, quòd morti traditur; illam tamē nō infert iudex, aut eius minister. Et sic nec inferunt vim, quam vi repellere sit licitum.

Quæstio.

Responsio.

ARTICVLVS. III.

¶Vtrùm iudex posit aliquem condemnare, etiam si non sit aliquis accusator.

Opusc.19. c.5.fin.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd iudex posit aliquem iudicare, etiam si non sit aliquis accusator. Humana enim iustitia deriuatur à iustitia diuina. Sed Deus peccatores iudicat, etiam si nullus sit accusator: ergo videtur quòd homo posit in iudicio aliquem cōdemnare, etiam si non adsit accusator.

2 ¶ Præterea, Accusator requiritur in iudicio ad hoc, quòd deferat crimen ad iudicem: sed quandoque potest crimē ad iudicem deuenire alio modo, quàm per accusationem, sicut per denūtiationem, vel per infamiam, vel etiam si ipse iudex videat: ergo iudex potest aliquē condemnare absque accusatore.

3 ¶Præterea, Facta sanctorū in scripturis narrātur, quasiquędā exēplaria humanę vitæ. Sed Daniel simul fuit accusator & iudex contra iniquos senes, vt patet Daniel. 13. ergo non est contra iustitiam si iniquis aliquem condemnet tanquam iudex, & ipsemet sit accusator.

¶ SED CONTRA est, quod primæ ad Corin. 5. *. Ambro. exponens sentētiā Apostoli de fornicatore, dicit, quòd iudicis non est sine accusatore dānare: quia Dominus Iudam cum fuisset fur, quia non est accusatus, minime abiecit.

1.ad.Cor. 5.to.5.Habetur. 23. q.4.cap. Si quis potestatem.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd iudex est interpres iustitię. Vnde, sicut Philos. * dicit in 5. Ethic. homines ad iudicem confugiunt, sicut ad quandam iustitiam animatam. Iustitia autem, sicut suprà * dictum est, non est ad seipsum, sed ad alterum. Et ideo oportet, quòd iudex inter aliquos duos dijudicet. Quod quidem fit, cum vnus est actor, & alius est reus. Et ideo in criminibus non potest aliquem iudicio condemnare iudex, nisi habeat accusatorem, secundum illud Act. 25. Non est consuetudo Romanis damnare aliquē hominē, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locūque defendendi accipiat ad abluēda crimina quæ ei obijciuntur.

Lib.5.c.4. parū ante med. to.5. Q.58.a.2.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Deus in suo iudicio vtitur conscientia peccantis, quasi accusatore, secundum illud Roman. 2. inter se inuicē cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Vel etiam euidentia facti, quantum ad ipsum, secundum illud Genes. 4. vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.

¶ Ad secundum dicendum, quòd publica infamia habet locum accusatoris. Vnde super illud Gen. quarto. Vox sanguinis fratris tui, &c. dicit * gloss. Euidentia perpetrati sceleris, accusatore nō eget. In denūtiatione verò, sicut suprà dictū * est, non intenditur punitio peccantis, sed emendatio. Et ideo nihil agitur contra eum, cuius peccatum denuntiatur, sed pro eo, & ideo non est ibi necessarius accusator. Pœna autem infertur propter rebellionem ad Ecclesiam: quæ quia est manifesta, te-

Interlinea. vir, & habetur de accusationibus, c. euidentia, & 2.q.1.cap. manifesta. Q.33.a.7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

net locum accusatoris. Ex eo autem, quòd ipse iudex videt, non potest procedere ad sententiam ferendam, nisi secundû ordinem publici iudicij, quod tenet locum accusatoris.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Deus in suo iudicio procedit ex propria notitia veritatis: non autem homo, vt supra dictum * est. Et ideo homo non potest simul esse accusator, & testis, & iudex, sicut Deus. Daniel autem accusator fuit simul & iudex, quasi diuini iudicij executor, cuius instinctu mouebatur, vt dictum * est.

Ar. prace. ad. 2.

Ar. 1 ad. 1

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Thom. hac conclusione: In criminibus non potest iudex aliquem iudicio condemnare, nisi habeat accusatorem. Quã probat in argumento, sed contra testimonio Diu. Ambrosij relati in capit. si quis potestatem. 22. quæstione. 4. dicentis: Iudicis nõ est sine accusatore damnare, quia dominus Iudam, cùm fuisset fur, quia non est accusatus minimè abiecit. Et in corpore articuli hac ratione: Iudex est interpres iustitiæ, ad quem velut ad animatum iustum, confugere debent homines, vt dicit Aristotel. lib. 5. Ethicor. ca. 4. sed iustitia est ad alterum: ergo iudex semper debet inter duas partes iudicaturus sedere, inter actorẽ, scilicet, vel accusatorem, & reum. Et sic nõ potest aliquem iudicio condemnare sine accusatore. Pro quo etiam facit illud Actorum capit. 5. Non est consuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priusquàm is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque se defendendi accipiat, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca istum articulum est aduertendum, quòd quanuis ratio D. Thom. conuincat tam in ciuilibus, quam in criminalibus non posse iudicem sine accusatore, siue actore aliquem condemnare, ipse tamen particulariter & strictè loquutus est in causis criminalibus. Quales sunt illæ, quæ habent punire aliquod crimen, siue in corpore siue in pecunijs, ordinanturque semper ad bonum commune, vt alij, scilicet, cautiores reddantur; nec similia crimina patrare audeant. Nam in causis ciuilibus, quæ ad restitutionem procedunt, vt quisque, scilicet, recuperet rem suam, certum est, & extra controuersiam positum, non posse iudicem sine accusatore, vel actore aliquem iudicare. Si enim non est qui rem suam petat, non potest iudex de hoc sententiam ferre. In criminibus autem puniendis poterat esse dubitatio, an sine accusatore possit iudex reum punire, propterea, quòd munere suo videtur posse crimina vindicare. Et, idcircò hoc peculiariter quæsiuit, atque determinauit. Præterquam, quòd solum in criminalibus illa pars, quæ petit dicitur propriè accusator. Nam in ciuilibus non vocatur accusator, sed nomine quodam generali appellatur, actor. Et dicere possumus Diuũ Thomam in presenti solùm agere de vero accusatore. Qui tunc est secundum mentem Azo. in summa, quando fit delatio rei in libello ad vindictã. Et secundum Diu. Thom. quando fit delatio rei in libello ad vindictam propter bonum commune. Quæ definitio est melior. Nam ad vindictam potest etiam tendere denuntiatio, quanuis sine libello, & ipsam ordinat denuntiator non ad bonum commune, sed ad fratris emendationem: cùm tamen accusator semper ordinet accusationem in bonum commune. Nonnulli dicunt definitionem accusationis à D. Thom. assignatam nõ esse bonam, propterea quod superfluit illa particula, propter bonum commune. Quandoque enim fit accusatio solum propter bonum priuatum, vt habetur. ff. &. C. titulo. de accusat. & denuntiationibus. Et etiam fit ad remotionem à beneficio propter bonum commune, vt constat ex multis locis, & potest videri per Abbatem, & Felinum, in capit. inquisitionis. de accusat. & in capit. nouit. de iudic. Sed Diu. Thom. loquitur de propria accusatione, quæ nunquam ordinatur ad reparandũ interesse accusantis, sed solum ad puniendum delictum. Quare secundum ipsum fieri non debet, nisi in peccatis vergentibus in damnum commune, vel diuinum. Videodus est de hac re Diu. Thom. de virtut. q. 1. art. 2. &. 7.

Quid sit accusator & in quo differat ab actore.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm sit de iure naturæ, quòd iudex in criminalibus sine accusatore non procedat, an verò id tantum sit de iure positiuo? Ad cuius explicationem dico breuiter, ius naturale id expresse non prohibere. Est tamen illi valde conforme, quòd vtroque iure, scilicet, canonico, atque ciuili sancitum & ordinatũ est. Quanuis enim non sit præceptum de iure naturali prohibens, ne iudex sine accusatore malefactores puniat, sicut & pater in filios animaduertere potest; ius tamen positiuum hoc interdixit in c. ti legitimus. de accusatio. & leg. illicitas. ff. de officio præsidis, & leg.

Dubium.

Conforme est iuri naturali, q iudex non procedat sine accusatore.

& leg. rescriptio. ff. de mune. & hono. Vbi dicitur: Si quis accusatorem non habet ab honoribus prohiberi non debet. Et alijs Romanorum legibus, quas insinuat Festus Actor. 5. dũ dicit; Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, prius quam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores. Ad quas alludere visus est Christus Ioannis. 8. dum mulieri in adulterio deprehensæ dixit: Nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo. Hoc, inquam, ius positiuum ipsi naturali iuri est valde consonum, atque conforme. Nam cum iudex custos sit iustitiæ, sicque inter duas aduersas personas arbiter esse debeat, quare Aristotel. lib. 5. Ethicor. capit. 4. eum mediatorem appellat, fit, vt contra rationem naturalem esse videatur, quòd quis simul iudicis, & accusatoris personam agat. Eo, vel maximè, quod ratio postulat, vt iudex in neutram partem declinet; & si declinãdum est, potius in partem accusati, quàm in partem accusatoris tendat; & si ipse esset accusator faueret sibi, quod est contra rationem. ¶ Et si quis obijciat: Patres familias, atque etiam monachorum prælati sibi subditos castigant, & puniunt nulla expectata accusatione: ergo nec est prohibitum vniuersaliter iure humano, vt nullus iudex procedat sine accusatore; nec hoc videtur esse contra rationem naturalem. Respondeo, quòd patres familias, quia non habent vim coerciuam, nec capitali sententia ferire possunt, non dicuntur propriè iudices, & sicuec indigent accusatoris cæremonia. Et eadem ratio est de prælatis monachorum, quantum ad delicta parui momenti, quæ veluti patres castigare debent ex particulari pontificum beneplacito; qui concesserunt, vt in causis suis sine strepitu & tumultu iudiciali procedant, sola rei veritate inspecta. In hisque religiosi suo iure cessisse videntur. Imò & extra religionem in leuioribus causis non opus est adeò stricta accusationis forma, vt dicitur in lege. leuia. ff. de accusation. Vbi leuia audire, & discutere iubentur de plano. Cæterum in causis grauioribus, quæ sine delinquentis infamia puniri nequeũt, etiam in monachorum claustris, sine præuia accusatione, vindicari non possunt. Cuius rei illud est magnum & efficacissimum argumentum, quòd nulli prælati docti & timorati id faciunt, sed solum illi, qui suæ potentiæ, & ignorantiæ fidentes, Dei timore postposito in delictorum punitione non tam bono communi consulere, quam suæ passioni satisfacere student. Quorum plura possem in medium adducere exempla. Sed meminerint se in his non solum peccare mortaliter, sed etiam ad cuiuscunque læsionis famæ inde subsequutæ restitutionem teneri, tanquam illi, qui sua potestate & officio abutentes, tantò maiorem iniuriam irrogant, quantò potentius, & grauiùs nocent.

Obiectio.

Responsio.

Monachi non procedũt in suis causis cum strepitu iudiciali.

¶ In solutionibus argumentorum enumerat Diu. Thom. aliquot casus, quibus iudex sine accusatore cõtra aliquem procedere potest, aliquo in ipsis accusatoris vicem supplente. Et sunt numero quinque. Primus, quando diuina reuelatio intercedit. Quomodo Daniel diuino spiritu impulsus senes, qui beatissimæ Susannæ falso crimen obijciebant, & reos accusando facere, & morti condemnando addicere potuit. Secundus, quando crimen est manifestum, quod notorium appellant. Tertius, quando est infamia, vel indicia, vel clamorosa insinuatio. Quartus, quando præcedit denuntiatio iuridica ad vindictam tendens, qualis est, quæ fit inquisitoribus hæreticæ prauitatis. Quintus & vltimus, quando fraterna correctione præmissa denuntiat quis prælato, vt patri, fratris delictum. De quibus omnibus suo ordine nonnihil erit dicendum. Et circa primum est aduertendum, quod quanuis Deus, quia omnia nouit, & quia pro sua absoluta potentia summaque æquitate, omnia crimina etiam minima punire potest, nullo opus habeat accusatore, adhuc tamen quæ sua est misericordia, nullum punire vult, nisi aliquo in eo vicem accusatoris supplente. Creauit enim rationem nostram adeo culpæ inimicam, vt vniuscuiusque criminosi hominis conscientia ipsum coram diuino tribunali iugiter accuset, iuxta illud Pauli ad Romanos secundo. Cum gentes, quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die cum iudicabit Dominus occulta hominum, &c. Quasi diceret, cùm gentiles, qui legem scriptam non habent (non enim omnibus data est lex, sed Iudæis tantum, iuxta illud Psalmi: Non fecit taliter omni nationi) naturaliter quæ legis sunt faciunt, id est, quæ lex mandat, quantũ ad præcepta moralia, quæ sunt dictamina naturalis rationis; ipsi sibi sunt lex, propterea quod rẽ legis exprimunt non tabulis, sed ipsis mẽtibus insculptã, fugẽtes officio legis ad seipsos, instruendo, scilicet, & inducendo se

Casus in quibus potest iudex sine accusatore procedere.

Primus fit quando diuina reuelatio intercedit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

do se ad bonum, & quidquid in eis qui sub lege viuunt geri solent apud externum tribunal, hoc totum in istorum pectore geritur, dum pro ipsis, aut aduersum ipsos testimonium dicit conscientia, & dum altercantes cogitationes vicissim accusant, ac defendunt, secundum quæ in die iudicij iudicabit illos Deus, id quod nunc occultè fit in præcordiorum latebris, palam sub oculis omnium pronuntiante eo, cui nihil est occultum. Et sic constat Deum in iudicandis, & puniendis peccatoribus eorum conscientia vti, tanquam accusatore, vt eius iudicium vndequaque perfectum, ac integrum videatur. Eò vel maximè, quòd, vt, communiter dicitur, conscientia est mille testes. Et non solum conscientia, sed etiam ipsum crimen, atque peccatum vicem accusatoris supplet apud Deū. Quod quidem licet apud homines sit occultum, apud Deum tamen est patentissimum. Et propterea dixit Genes. cap. quarto, puniturus Caim: Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Et capit. decimo octauo, puniturus Sodomitas: Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere complouerint. Et Iuuenalis Satyra duodecima. Exemplo quodcunque malo committitur ipsi, Displicet autori, prima est hæc vltio, &c. Quia ergo iudicio, quod ex diuina fit reuelatione, quodammodo imitatur iudicium diuinum. Idcircò in eo tam delinquentis conscientia quàm ipsum delictum vicem supplent accusatoris. Nec opus est, vt alius exterius accuset, qui est primus casus, in quo iudex aduersum aliquem potest sine accusatore procedere. ¶ Circa secundum, qui est, quando crimen est manifestum, quod notorium appellant, aduertendum est, illum esse, vt dicit Caietanus in præsenti, quando crimen coram iudice, & alijs committitur. Vt cum, verbi gratia, iudex simul cum alijs videt aliquem blasphemare, aut alterum occidere. Tunc enim nulla expectata accusatione propter euidentiam facti, potest illum punire. Quod & significare voluisse videntur pontifices Iudæorum, quando dixerunt. Audistis blasphemiam: quid adhuc desideramus testes? Et sanctus Ludouicus Rex Franciæ legitur præcepisse cauterizari linguam eius, quem audiuit blasphemare. De quibus etiam loquebatur Dominus Paulus. 1. ad Timotheum quinto, quando dicebat: Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, hoc est, ante nota, quam veniant ad discussionem. Et hæc non sunt probanda, vt dicit glossa interlinealis super istum locum. Pro quo etiam facit Diuus Augustinus super. 4. capit. Genes. vbi loquens de sanguine Abel dicit: Euidentia patrati sceleris clamore accusatoris non indiget. Et idem habetur in capit. manifesta. 2. quæstione prima. Nec de hoc aliqua potest esse dubitatio inter Doctores. ¶ Circa tertium casum, qui est, quando infamia, vel indicia, vel clamorosa insinuatio præcedunt, aduertendum est, quòd hæc etiam in iure habent quodammodo vim accusatoris. Non quidem, vt sint iusta causa reum in supplicium rapiendi, sed via inquisitionis, re prius exploratà, atque discussa, contra illum procedendi. Potestque tunc index reum interrogare, & ipse tenetur ad interrogata respondere, vt constat ex capit. inquisitionis, de accusationibus. Vbi dicitur, quòd nisi præcedente infamia apud probatos viros, non potest iudex interrogare. Idem habetur in capit. qualiter, & quando, el segundo, el segundo, eodem titulo, & in capit. licèt Heli, de Simonia. Videturque hoc habere fundamentum in Euangelio. Nam Lucæ decimo sexto, in parabola de villico iniquitatis, petiturus Dominus rationem ab eo, prius dixit: Quid hoc audio de te. Quasi significans, quod nisi infamia præcessisset nunquam de eius facto inquisitionem fecisset. Vt enim dicit Ambrosius super. 5. caput primæ Epistolæ ad Corinthios, loquens de illo incestuoso cum vxore patris, quem Apostolus Sathanæ tradidit in interitum carnis, vt eius spiritus saluus fieret, non posset talis sententia ferri, nisi accusatore petente, vel infamia præcedente. Et hæc est causa (inquit) quòd Christus Dominus non puniuit Iudam, etiá si sciuerit eum loculos habere: quia, scilicet, nec fuit accusatus, nec infamia præcesserit, quæ vim haberet accusatoris. Et est aduertendum, quòd non quæcunque infamia aut clamorosa insinuatio sufficiens esse debet mouere iudicem ad hoc, vt inquisitionem faciat. Sed illa tantum, quæ à viris honestis non maleuolis, & quæ non semel, sed pluries procedit. Vt dicitur in capp. licet Heli. de simonia. & in capit. qualiter, & quando, de accusat. el segundo. Vbi notat Panormitanus, colligiturque expresse ex ipso textu, quòd in iudicibus secularibus infamia debet esse tanta, vt tolerari non possit sine scandalo. Cùm tamen contra subditos, & similiter contra prælatum regulatem infamia præcedens sufficiat, etiam si non sit scandalosa. Et sunt omnia dicta intelligenda, quando inquisitio est specialis

Tertius casus.

Secundus casus quando crimen est manifestū.

Non quæcunque infamia sufficit vt iudex procedat contra aliquē.

specialis de aliqua particulari persona. Nā quæ est generalis omnium delictorum, qualis est illa, quæ fit à prælatis, vel episcopis tempore visitationis, nullam prærequirit in famiam. Imo de ista præcessione infamiæ dicit Panormitanus, vbi supra, quòd si inquisitio sit generalissima, qualis est illa, ad quam prælati singulis annis tenentur, vel generalis, de qua dicitur in. l. congruit. ff. de officio præsid. & similiter, si sit specialis, id est, contra certam personam, & fiat non ad pœnam imponendam, sed ex debito officij, vt ne matrimonium contrahatur propter impedimentum, vel non promoueatur quis ad prælaturam, vel electus non confirmetur, si reperitur vitiosus, nulla requiritur infamia præcedens. Ad quod facit cap. post quam. & cap. cum delicto. & cap. nihil. de electione. & cap. fin. de clandest. desponsa. & quod notat Innocentius in cap. 1. de excessibus prælatorum. Similiter dicit, non esse necessariam præcedentem infamiam in speciali inquisitione, etiam si ad pœnam imponendam tendat, dum modo fiat ad denuntiationem publici officij, iuxta id, quod habetur. l. ea quidem. C. de accusatio. & cap. præterea. de testibus cogendis. Sed de hoc dicemus in quarto casu. Cui adde, quòd etiam non requiritur infamia præcedens, quando iudex procedit contra semiplenè probatum, vel præcedentibus indicijs. Non tamen indicia, aut semiplenæ probationes habent vim accusatoris, vt diximus in principio. Vbi autem nullum horum præcedit regulariter in speciali inquisitione ad pœnam tendente, prærequiritur infamia, qua non præcedente, non poterit iudex inquisitionem facere, vt in dicto capit. qualiter, & quando. de accusatio. expresse habetur. Dixi regulariter, Nam, vt notat Syluester, verbo, inquisitio, 1. quæstione. 4. aliqui casus sunt, in quibus iudex potest sine præuia infamia ad inquisitionem procedere. Sed omnes illi ferè coincidunt cum his, qui à nobis ex mente Panormitani sunt excepti. Communis etiam consuetudo est, iudicium secularium, quando delictum est manifestum, esto persona delinquens sit occulta, inquirere personam. In quo bene faciunt. Nam, cùm talis inquisitio sit generalis, solùm ad inquirenda indicia, quibus postea existentibus rectè potest inquiri de persona in particulari (cùm indicia, vt diximus, vicem accusatoris optimè possint supplere) nullum est inconueniens, quod ex manifestatione delicti, media generali inquisitione indiciorum, deueniat iudex ad particularem inquisitionem personæ. Quæ do autem post factam generalem inquisitionem; nulla adhuc apparent sufficientia indicia contra aliquem, esto sit de illo vehemens suspicio, quòd crimen commiserit, non potest iudex de illo inquisitionem facere in particulari, sine graui delicto, quia infamaret illum sine indicijs, quod sine maxima iniuria fieri non potest. Imò nec talis persona quauis delictum commiserit, poterit compelli ad iurandum. Et si compellatur non tenebitur dicere veritatem, quia iudex tunc non petit competenter, & sic potest respondere se nescire quis fecerit delictum. Sed de hoc dicemus plura quæstione. 69. articulo. 2. Vbi Caietanus de hac re agit. ¶ Circa quartum casum, qui est, quando præcedit denuntiatio iuridica ad vindictam tendens, aduertendum est, quòd etiá tunc via inquisitionis procedit ad agnitionem causæ, & vltionē delicti. Et est hæc denuntiatio nihil aliud, quam nuntiatio, hoc est, manifestatio criminis superiori facta, hoc solum ab accusatione differens, quòd qui denuntiat, probare non tenetur, alias nullus denuntiare auderet. Theologi solent distinguere duplicem denuntiationem. Vnam pœnitentialem, factam prælato, vt priuatæ personæ: alteram iudicialem, factam eidem, vt personæ publicæ, hoc est, vt est iudex. Et de hac tantum loquimur in præsenti. Nam de denuntiatione pœnitentiali est sermo in. 5. casu. Siquis autem quærat, qui nam sint illi, qui ad denuntiationem teneantur, dico breuiter, quòd si de denuntiatione pœnitentiali loquimur, omnes ad illam tenentur, sicut & tenentur ad correctionem fraternam, cuius pars est hæc denuntiatio, vt diximus supra quæstione 33. articulo. 2. Si autem loquimur de denuntiatione iudiciali distinguendum etiã, cum Innocentio in capit. nouit. de iudicijs. Nam quantum ad peccatum perpetratum, quod continuationem non recepit, solum is tenetur, cui hoc competit ex officio. Procedit enim hoc ab actu iustitiæ, vt qui peccauit, puniatur, non propter se, cum iam non sit peccaturus, sed propter alios. Et hoc pertinet ad superiores, vt constat ex capit. præcipuè. 11. quæst. 2. & ex cap. duo illa. 23. quæst. 4. At verò quantum ad peccatum perpetrandum, & quantum ad perpetratum, quod augmentum, continuationem, vel multiplicationem recepit, quilibet tenetur denuntiationem facere, dummodo se eam, sine graui suo detrimento perficere posse credat, vt dicitur in cap. hoc videtur. 22. quæst. 5. Et ratio est: Nam est hæc denuntiatio actus charitatis, ad quem omnes

4. Casus. quãdo præcedit denũtiatio.

Quæstio.

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fideles tenentur. Summa Angelica limitat eam ad solos prælatos, sed male; quia nullus prælatus, vt sic, habet denuntiare cum careat superiore. De hac re est videndus Syluester, verbo, denuntiatio, & summa Godofredi in titulo de accusat. inquisitionibus, & denuntiatio. num. 30.

5. Casus, quando est facta denũtiatio prælato.

¶ Circa quintum & vltimum casum, qui est, quando fraterna correctione præmissa denuntiat quis prælato, vt patri proximi delictum, aduertendum est, quòd si denuntiatus prælati dicto fuerit obediens, non poterit tunc prælatus ad pœnas & infamiam procedere: sed illic cessare debebit, vbi correptus frater, correctus subinde apparuerit. Nam cùm vnicus finis correctionis fraternæ sit bonum priuatum eius, qui corripitur, ratio postulat, vt ei subueniatur quanto minori damno fuerit possibile. Exemplo medici, qui salutem corporalem ægroto confert, si potest, sine alicuius membri abscissione. Et si non potest abscindit membrum minus necessarium, vt vita totius cõseruetur. Si autem adhuc rebellis extiterit post paternam admonitionem, poterit tunc prælatus in eum lege agere. Quod est intelligendum quando delictum potest testibus probari. Nam, si peccatum fuerit improbabile testibus, & frater admonitus à prælato, vel negat, vel non emendatur, non potest tunc prælatus vlterius procedere, nec illum punire, quo ad vsque existat aliquid, quod crimen faciat manifestum; aut sint indicia ad inquirendum, aut testes ad conuincendum delictum. Et ratio est: Quia prælatus tunc non potest procedere, nisi vt iudex. Processus autem iudicialis, non habet locum, nisi quando existunt vel indicia, vel infamia, vel semiplena probatio, vt diximus. Hi ergo sunt casus, in quibus iudex nulla præcedente accusatione contra aliquem, procedere potest. Et eis exceptis, quòd semper accusatio præcedat, erit necesse. Ex quo infertur, quòd, etiam si iudex sciuerit Petrum, vel Paulum aliquod commisisse crimen, & sint testes ad illud probandum; si tamen non est infamia facti, aut personæ, nec aliquis accusat, aut denuntiat, nulla ratione potest illum ex officio punire, nec contra eum agere stãdo in omnibus iuribus. Quia non per modum denuntiationis, vt suppono, nec per viam inquisitionis, cum non præcedat infamia. Verum tamen est, esse iam positum in consuetudine, quòd quãdo sunt talia delicta, nec est, qui accuset, fiscalis sortitur partes accusatoris. Nec id est omnino contra rationẽ. Nã quanuis fiscalis sit minister reipublicæ, solũ ad causas ad fiscũ pertinentes institutus. Ex quo fit, vt ex officio solum teneatur accusare eum, qui agit contra rempublicam, vel principem, vt dicitur l. 12. titul. 18. part. 4. Iam tamen ex mandato principis id officium est extensum, vt ac cuset de omnibus delictis, in quibus alius accusator non inuenitur. Tum, ne delicta maneant impunita, quod in detrimentum reipublicæ cedere est manifestum, vt insinuat lex, si ita vulneratus. ff. ad. l. Aquil. Tum etiam; quia qui nocet membris reipublicæ, multò magis videtur capiti nocere. Et sic capitis interesse videtur pro membris respondere; atque ex consequenti præcipere, vt minister, qui pro capite est institutus, pro membris etiam agat. Ex quo infero primò, non esse licitum fiscali accipere pecuniam, vt accuset, sicut nec iudici, vt ferat sententiam; quia vterque est minister publicus, quibus à republica pro ministerijs sufficiens stipendium prouidetur. Infero secũdò nihil esse licitum fiscali in accusationibus imponendis; quod similiter non sit licitum alijs accusatoribus. Quare, si, quoniam scit se non esse puniendum pœna talionis, etiá si in probatione deficiat, accusat aliquem putans quod deficiet, peccabit mortaliter, ac quicunq; alius accusator.

Fiscalis minister reipublicæ ad causas ipsius.

Artic. vlvs IIII.

¶ Vtrùm iudex licite possit pœnam relaxare?

3. q. 46. ar. 2. ad 3. Lib. 1. d. 45. q. 2. art. 2. ad 5. Lib. 4. d. 46. q. 1. art. tic. 2 q. 2. & q. 3. art. 1. q. 3 ad 1.

Ad quartvm sic proceditur. Videtur, quòd iudex licitè possit pœnam relaxare. Dicitur enim Iac. 2. Iudicium sine misericordia ei, qui nõ facit misericordiam. Sed nullus punitur propter hoc, quòd non facit illud quod licitè facere non potest: ergo quilibet iudex potest licitè misericordiam facere, relaxando pœnam.

2 ¶ Præterea, Iudicium humanum debet imitari iudicium diuinum. Sed Deus pœnitentibus relaxat pœnam: quia non vult mortem peccatoris, vt dicitur Ezech. 18. ergo etiam homo iudex potest pœnitenti licitè laxare pœnam.

3 ¶ Præterea, Vnicuique licet facere, quod alicui prodest & nulli nocet. Sed absoluere reum à pœna prodest ei, & nulli nocet: ergo iudex licitè potest reũ à pœna absoluere.

¶ Sed

¶ Sed Contra est, quod dicitur Deutero. 13. de eo qui persuadet seruire dijs alienis, non parcat ei oculus tuus, vt misereatis, & occultes eũ, Sed statim interficies eum, & de homicida dicitur Deuter. 19. Moriatur, nec misereberis eius.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut ex dictis * patet, duo sunt, quantum ad propositum pertinet, circa iudicem consideranda, quorum vnum est, quòd ipse habet iudicare inter accusatorem & reum: aliud autem est, quòd ipse non ferat iudicij sententiam, quasi ex propria, sed quasi ex publica potestate. Duplici ergo ratione impeditur iudex ne reum à pœna absoluere possit. Primo quidem ex parte accusatoris, ad cuius ius quandoque pertinet, vt reus puniatur, putà propter aliquam iniuriam in ipsum commissam, cuius relaxatio non est in arbitrio alicuius iudicis: quia quilibet iudex tenetur ius suum reddere vnicuique. Alio modo impeditur ex parte reipublicæ, cuius potestate fungitur, ad cuius bonum pertinet, quòd malefactores puniantur. Sed tamen quantum ad hoc differt inter inferiores iudices, & supremum iudicem, scilicet principem, cui est plenarie potestas publica commissa: iudex enim inferior non habet potestatem absoluendi reum à pœna contra leges à superiore sibi impositas. Vnde super illud Ioan. 19. Non haberes ad me potestatem vllam, dicit * Augustinus, Talem Deus dederat Pilato potestatem, vt esset sub Cæsaris potestate, ne ei omnino liberum esset accusatum absoluere: sed princeps qui habet plenariam potestatem in republica, si ille qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licitè absoluere, si hoc publicæ vtilitati viderit non esse nocumentum.

Ar. 2. & 3.

Tract. 116. parũ à me. tom. 9.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd misericordia iudicis habet locum in his quæ arbitrio iudicis relinquuntur, in quibus boni viri est, vt sit diminutiuus pœnarum: sicut Philosophus dicit * in quinto Ethicorum. In his autem quæ sunt determinata secundum legem diuinam, vel humanam, non est suum misericordiam facere.

Lib. 5. cap. 10. circa fi uem, to. 5.

¶ Ad secundum dicendum, quòd Deus habet supremam potestatem iudicandi, & ad ipsum pertinet quicquid contra aliquem peccatur. Et ideò liberum ei est pœnam remittere præcipuè cum peccato ex hoc pœna maximè debeatur, quòd est contra ipsum: non tamen remittit pœnam, nisi secundum quod decet suam bonitatem, quæ est omnium legum radix.

¶ Ad tertium dicendum, quòd iudex si inordinatè pœnam remitteret, nocumentum inferret & communitati, cui expedit vt maleficia puniantur, ad hoc, quòd peccata vitentur. Vnde Deuteronom. 13. post pœnam seductoris subditur, vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam huius rei simile. Nocet etiam personæ cui est illata iniuria, quæ recompensationem accipit per quandam restitutionem honoris in pœna iniuriantis.

Svmma Textvs.

Svpposita distinctione de iudice supremo, & inferiori, inter quos hoc est discriminis, quòd iudex supremus summã habet imperij potestatem, etiam supra leges; cum tamen iudex inferior solum se habeat veluti eius minister exequendis legum sanctionibus deputatus; respondet Diuus Thomas ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Antequam pars læsa iniuriam remittat, nullus iudicum, siue supremus sit siue infimus, potest pœnam remittere. Probatur: Iudex duplici titulo tenetur flagitiosum hominem supplicio tradere. Primus; quia est medium, ad quod pertinet diffinire inter seipsum & accusatorem. Secundus; quia est minister reipublicæ, cuius interest publica autoritate vindicare iniurias, quæ contra ipsam fiunt: ergo ex duplici impedimento potest prouenire ne iudex reum à pœna absoluat. Primum ex parte accusatoris; quia quandiu qui iniuria affectus est in accusatione præstiterit, non est liberum iudici reum indemnem seruare. Secundum ex parte reipublicæ, atque ex consequenti, quanuis vt caput

reipu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

reipublicæ potest iudex supremus iniurias ei factas remittere, tamen, vt custos iustitiæ inter ciues tenebitur ius suum vnicuique reddere. Et si contrarium fecerit peccabit, & obligabitur ad restitutionem, tam iniuriæ, quam damni ac ille, qui de alieno est multum misericors. Vt enim dicit Aristot. 5. Ethic. cap. 5. quando homines vident non sibi per inflicta supplicia compensari iniurias, in seruitute se viuere arbitrantur. Secunda conclusio: Postquam accusator ab accusatione desistit in arbitrio supremi iudicis est iuris pœnam, aut relaxare, aut commutare. Tale autem arbitrium inferiori non committitur. Posterior hæc pars inde sit manifesta, quod inferiori iudici est semper à superiore agendi modus præscriptus, sicque legibus alligatur, vt contra earum tenorem operari nullo modo queat. Vnde D. Augustinus supra illud Ioannis 19. non haberes aduersum me potestatem vllam, sic inquit, talem Deus dederat Pilato potestatem, vt esset sub Cæsare, nec omnino liberum esset accusatum absoluere. Quod autem supremus iudex post factã remissionem ab accusatore possit iuris pœnam, aut relaxare, aut commutare, probatur: Nam princeps non tantum est legum custos, sed etiam dispensator, non quidem, vt pro suo arbitratu possit illas, vt pallium suum dispendere, ac dissipare, sed vt vbi viderit expedire bono communi, super illis dispenset.

Sententia D. Thom.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DIuus Th. in isto artic. supposito, quòd iudex dupliciter potest impediri, ne legum pœnas relaxet, primò ex parte accusatoris, qui aliquando habet ius, vt reus puniatur ratione illatæ iniuriæ. Secundò ex parte reipublicæ, ad cuius bonum pertinet, quod malefactores puniantur, dicit duo. Primum est, quòd in primo casu nullus iudex potest legum pœnas relaxare; quia quisque tenetur ius suum vnicuique reddere. Secundum est, quòd in secundo casu distinguere oportebit inter iudices inferiores, & supremum, cui plenariè respublica est commissa. Nam inferiores nunquam possunt absoluere à pœna contra legem à superiore positam. At verò princeps, qui plenariam habet potestatem supra rempublicam hoc potest quãdo id sibi videbitur expedire, & quando passus iniuriam ius suum remittere voluerit. Itaque intendit, quòd si exigitur pœna propter commune, & priuatum bonum simul, princeps illam relaxare potest stantibus duobus, scilicet, quod expediat bono communi, & quod offensus allen tiatur. Inferior autẽ nullo modo potest. At vero si tantũ exigitur pœna propter bonũ cõmune. Tunc potest illã princeps relaxare stante solũ primo illorũ duorũ; & inferior adhuc non potest. Si autem pœna exigitur tantum pro bono priuato tam superior, quàm inferior poterit illam relaxare accusatore dumtaxat consentiente. Quin potius addiderim, quòd si pœnæ relaxatio fuerit multum expediens bono communi, adhuc ipso accusatore renuente, poterit supremus iudex illam relaxare, ea ratione, qua priuatum commodum semper communi est postponendum. Quod & habetur expressè in capit. si pœnituerit. 2. quæstione. 7. Imò & si casus fuerit talis, vt in eo habere possit locum epicheia, non solum iudex supremus, verum & inferior poterit pœnam relaxare. Non enim loquitur D. Thom. in præsenti in casu, quo epicheia sit opus, sed in eo, in quo verba legis sunt obseruanda. Quid autem sit epicheia explicat Aristot. lib. 5. Ethicorum, cap. 10. & idem D. Thomas infra quæstione. 120. De quo etiam nos nonnihil diximus supra quæstione. 58. articulo. 5. Quod dicit Diuus Thomas in isto articulo de relaxatione pœnæ, est etiam intelligendum de diminutione, quando reo inuito determinata statuitur iniuste. Inferior enim eam minuere non potest, bene tamen supremus ex rationabili causa. Nam sine illa nunquam est licitum, etiam superiori, agere contra verba legis: tum propter iniuriam, quæ fit reipublicæ in non seruandis iustis legibus ipsius: tum etiam propter graue scandalum & detrimentum, quod inde redundat. Ex eo enim, quod peccatores manent impuniti, aut non debitè puniantur pro suis delictis audaciores fiunt, atque promptiores ad perpetranda scelera, quod in damnum reipublicæ cedere est necesse. Ex quo infero cũ Caietano in summa verbo, iudex, quod si princeps eum, qui iustè est ad mortem damnatus, vel propter homicidium, vel propter latrocinium à morte liberat, eam pœnam in aliam, vel pecuniariam, vel exilij commutando, etiam parte læsa remittente; proculdubio peccat mortaliter, estque reus omnium illorum malorum, quæ ex eo, quòd iniqui non secundum leges puniuntur, sequuntur. Quod etiam affirmat Nauarro in Manuali cap. 23. Sed de hac re videnda sunt quæ diximus supra quæstione. 60. articulo. 5.

Discrimen inter iudicem superiorem, & inferiorem quantum ad relaxationem pœne.

Epicheia quid sit.

QVÆS-

QVÆSTIO. LXVIII.
De Pertinentibus ad iniustã accusationem, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrùm homo teneatur ad accusandum?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd homo non teneatur ad accusandũ. Nullus enim excusatur ab impletione diuini præcepti propter peccatum: quia iam ex suo peccato commodum reportaret, sed aliqui propter peccatum redduntur inhabiles ad accusandum, sicut excommunicati, infames, & illi qui sunt de malioribus criminibus accusati priusquã innoxij monstrentur: ergo homo non tenetur ex præcepto diuino ad accusandum.

2 ¶ Præterea, Omne debitum ex charitate dependet, quæ est finis præcepti. Vnde dicitur Roman. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: sed illud quod est charitatis, homo debet omnibus maioribus & minoribus, subditis & prælatis. Cum ergo subditi nõ debeant prælatos accusare, nec minores suos maiores, vt per plura capitula * probatur 2. q. 7. videtur, quod nullus ex debito teneatur accusare.

2. q. 7. per multa cap.

3 ¶ Præterea, Nullus tenetur contra fidelitatem agere, quam debet amico: quia non debet alteri facere quod sibi non vult fieri. Sed accusare aliquem quandoque est contra fidelitatem, quã quis debet amico, dicitur enim Prou. 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcanum: qui autem fidelis est, celat amici commissum: ergo homo non tenetur ad accusandum.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Leuit. 5. Si peccauerit anima, & audiuerit vocem iurantis, testisque fuerit quod ipse vidit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.

¶ RESPONDEO dicendum, quod sicut suprà dictum * est, hæc est differẽtia inter denuntiationem & accusationem: quia in denuntiatione attenditur emendatio fratris, in accusatione autẽ attenditur punitio criminis. Pœnæ autem præsentis vitæ non per se expetuntur, quia non est hic vltimum retributionis tempus, sed in quantum sunt medicinales, conferentes, vel ad emendationem personæ peccantis, vel ad bonum reipubl. cuius quies procuratur per punitionem peccantium. Quorum primum intenditur in denuntiatione, vt dictum * est. Secundum autem pro priè pertinet ad accusationem: & ideò si crimen fuerit tale, quòd vergat in detrimentum reipubl. tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris, putà cum peccatum alicuius vergit in multitudinis corruptelam corporalem, seu spiritualem: si autem non fuerit tale peccatum quod in multitudinem redundet, vel etiam si sufficientem probationem adhibere non possit, non tenetur ad intentandum accusationem: quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere.

Q. 33. ar. 6. & 7. & 9. præced. ar. 3. ad 2.

Q. 33. ar. 7.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd nihil prohibet, per peccatum reddi aliquem impotentem ad ea, quæ homines facere tenentur: sicut ad merendum vitam æternam, & ad assumendũ ecclesiastica sacramenta: nec tamen ex hoc homo reportat cõmodum: quinimo deficere ab eis, quæ tenetur facere, est grauissima pœna: quia virtuosi actus sunt quædam hominis perfectiones.

¶ Ad secundum dicendum, quòd subditi prælatos suos accusare prohibẽtur, qui non affectione charitatis, sed sua prauitate vitam eorum diffamare & reprehendere quærunt. Vel etiam si subditi accusare volentes fuerint crimi nosi, vt habetur 2 quæstione 7. alioquin si fuerint aliàs idonei ad accusandum, licet subditus ex charitate suos prælatos accusare.

2. q. 7. cap. clericus, & in seq. tribus cap.

¶ Ad tertium dicendum, quòd reuelare

Universidad de Deusto
Biblioteca

lare secreta in malum personæ, est contra fidelitatem: non autem si reuelẽtur propter bonum commune, quod semper præferendum est bono priuato. Et ideo contra bonum commune, nullũ secretum licet recipere. Nec tamen omnino est secretum quod per sufficientes testes potest probari.

SVMMA TEXTVS.

SVpposita differentia inter fraternam denuntiationem, & iuridicam accusationem desumpta ex parte finis; nam denuntiatio illuc tendit, vt correptus frater corrigatur, & emendetur, quare tali fine obtento non erit amplius progrediendum, accusatio verò tendit ad punitionem delicti in bonum commune, vt, scilicet, reipublicæ quies atque tranquillitas conseruetur; respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Quicunque nouerit alicuius crimẽ esse contagiosum, & pernicioſum reipublicæ, tenetur illud accusare, modò idoneis testibus id possit probare. Probatur: Vnusquisque tenetur bono communi succurrere, veluti pars toti, quando viderit illud, vel contagione infici, vel sceleribus corrumpi; sed hoc fieri non potest, nisi per publicam potestatem, ad quam accusatione crimina deferuntur: ergo vnusquisque tenebitur tunc pernicioſum hominem accusare. Quod autem ad hoc non teneatur quando crimen idoneis testibus probari non potest, est res manifesta; quia nullus tenetur ad id, quod debito modo non potest perficere. Secunda conclusio: Quando crimen non est in detrimentum reipublicæ; sed solum accusatoris, aut ipsius criminosi, nullus illud accusare tenetur. Probatur: Pœnæ huius vitæ non per se expetuntur, cum non sit hic vltimũ retributionis tempus, sed in quantum sunt medicinales, vel ad emendationem personę peccantis, vel ad bonum publicum, cuius quies procuratur per punitionem peccantium: sed quando delictum solum vergit in detrimentum ipsius peccantis, sufficienter prouidetur illi per fraternam denuntiationem, cuius finis est bonum particulare eius, qui denuntiatur: ergo nullus tunc tenetur accusare; maximè cum accusatio semper ordinetur ad bonum commune. Quod autem nec etiam teneatur homo accusare alterũ, quando eius delictum solum vergit in detrimentum ipsius accusatoris, id non probat D. Thom. sed illud, vt notum relinquit. Cum enim quisque sit suorum bonorum dominus, etiam famæ & honoris, vt diximus supra quæstio. 67. agentes de dominio, non est dubium, quin possit illorum remittere satisfactionem. Tum, vt dicto Christi sit audiens, qui magnopere nos ad inimicorum dilectionem induxit. Tum etiam ad remdimendum tempus. In hoc enim casu habet verum, & est intelligenda lex vnica. C. vt nemo inuitus agere, vel accusare cogatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Denuntiatio duplex, fraterna & iudicialis.

PRo intelligentia huius articuli est aduertendum primò, quòd, vt diximus quæstione præcedenti, artic. 3. denuntiatio est duplex. Vna fraterna & euãgelica, quæ alio nomine pœnitentialis appellatur, ordinaturque ad fratris correctionem. Alia iudicialis, & iuridica, quæ etiam habet bonum publicum pro scopo, tenditque ad punitionem eius, qui peccat, qualis est illa, quæ fit inquisitoribus hæreticæ prauitatis. Et hæc à D. Thom. in præsenti nomine accusationis comprehenditur, à qua hoc solo differt, quod denuntians non tenetur probare, sed iudex tunc debet per inquisitionem procedere; cum tamen accusator teneatur ad probationem, & sic quando dicit in prima conclusione, quod quicunque nouerit alicuius crimen esse contagiosum, & pernicioſum reipublicæ, tenetur illud accusare, modò idoneis testibus possit probari, non solum est sermo de vera accusatione, sed etiam de denuntiatione iuridica, quæ regulariter bono communi sufficienter prouideri solet. Itaque est sensus, quòd tenetur, vel accusare, vel denuntiare iuridicè. Quanuis, si crimen esset valde pernicioſum, & contagiosum reipublicæ, & accusator haberet testes, quibus id probare posset, forsan non satisfaceret obligationi faciendo denuntiationẽ iuridicam, sed teneretur in forma accusare, vt sic in re tanti momenti iudicem liberaret à labore inquisitionis. Sed hoc rarò & ferè nunquam contingit; quare conclusio D. Thomæ vniuersaliter erit intelligenda, tam de vera accusatione, quam de iuridica denuntiatione ad punitionem tendente.

Deus & homo differũt in modo puniendi.

¶ Secundò est aduertendum, hoc deficere inter Deum, & hominem, quantum attinet ad præsens institutum, quòd Deus punit peccata prò quantitate eorum, hoc est, maiora magis, quam minora, iuxta illud Apoc. cap. 8. quantum gloriauit se in delicijs, tantum date ei tormentorum, & illud, Iuxta mensuram delicti erit & plagarum modus. At verò homines cùm iudicis officio fungũtur; non puniunt, nec punire debent peccata pro quantitate eorum, sed pro ratione

tione nocumenti, quod ex ipsis resultat bono communi. Nam cum munus iudicis sit respicere bonum commune, illique consulere, tantum habet potestatem puniendi delicta per ordinem ad bonum commune. Ex quo infero primò sæpè sæpius contingere posse, quòd teneatur iudex magis punire minus peccatum, quam grauius; vt magis teneatur punire furtum, quam fornicationem: quanuis fornicatio ex genere suo sit grauior furto, quia illud magis nocet bono publico, quàm hæc. Imò fornicationem non puniunt iudices seculares, quia, vt dicit D. Augustin. Si meretrices tollantur omnia implebuntur libidinibus. Et sic lupanaria magis in bonum commune, quam in reipublicæ perniciem cedere intelliguntur. Infero secundò, quòd quia accusatio, seu denuntiatio iuridica, (pro eodem enim hæc duo in præsenti accipiuntur) similiter ordinantur ad bonum commune ac iudicis officium, tãtò magis, aut minus tenebitur quisque alterius delictum coram iudice accusare, quantò magis fuerit pernicioſum, & contagiosum bono communi. Imò si quis commiserit aliquod crimen, quod ex se non vergit in perniciem reipublicæ, quanuis illud sit grauissimum, vt odium Dei, aut fornicationem, nullus tenebitur illius facere accusationem, aut denuntiationem iuridicam, bene tamen fraternam correctionem, cum omnibus suis partibus; quia hæc solum ad bonum delinquentis ordinantur, vt diximus primo tomo, in materia de correctione fraterna.

Iudex tenetur interdum magis punire minus peccatum quam maius.

Argum.

¶ Et si quis contra hoc argumentetur, Nullum est peccatum, quod ex se non afferat nocumentum publicum, aut scandali, aut mali exempli, aut alterius cuiuscunque persuasionis, quæ alijs noceat: ergo nullum est peccatum, de quo non teneatur quisque facere accusationem, si illud probari potest, & ei pœna est imposita, atque ex consequenti non rectè est facta distinctio de peccatis lædentibus bonum cõmune, & de non lædentibus, cum nullũ sit quod non lædat; respondeo huiusmodi argumentum plerosque conuincere, vt affirment nullum esse peccatum, de quo non teneantur singuli facere accusationem. Immeritò tamen. Nam discretione est opus. Et nõ omnia peccata sic sunt censenda cedere in detrimentum reipublicæ, vt necessario sint, vel denuntianda, vel accusanda: sed illa tantum, quorum proprium obiectum est bonũ commune in ipsis expugnatum & læsum. Reliqua autem, quæ aduersus priuatum bonum committũtur, priuata, & non communia reputantur. Ex obiecto enim actuũ species sortiri debent. Ex quo infertur, quòd bona proximi furari, aut priuatum hominẽ interficere, priuata etiam dicenda delicta, quorum nullus tenetur accusationem, aut denuntiationem facere. At vero compilatio ærarij publici, sicuti & crimẽ læsæ maiestatis, quæ in publicum detrimẽtum vergunt, peccata sunt publica, quorum accusationis, vel denuntiationis obligatio vnumquemque contingit, quando illa probari possunt. Similiter mendacium pernicioſum, quo alicui ciui in particulari fraus extruitur, priuatum est peccatum. At verò hæresis, qua cõmunis religio concutitur, sicuti & latrocinium eorum, qui regias vias obsident, suntque assassini, crimen est valde publicum, & sic eius erit facienda denuntiatio iuridica à quocunque illud scitur.

Quæstio.

¶ Et si quis quærat, vtrùm denuntiationem, vel accusationem peccati secreti, quod vergit in perniciem reipublicæ, quale est crimen hæresis, aut proditio ciuitatis, semper debeat necessario præcedere secreta admonitio fratris, dico, hanc difficultatem fuisse à me in terminis disputatam, in materia de correctione fraterna primo tomo, quæstione trigesima tertia, articulo. 7. Cuius resolutio fuit ex mente D. Tho. in illo loco. Quòd quando peccatum vergit in perniciem publicam, etiam si sit occultum atque secretum, dummodo nõ scitum per sacramentalem confessionem, statim est iudici denuntiandum ante secretam admonitionem; nisi pro certo habeatur, quod poterit emendari secreta admonitione. Idem etiam habet idem D. Thom. infra. q. 70. art. 1. ad. 2. Vbi dicit, quòd qui nouit extra confessionẽ peccatum, quantumuis occultum dummodo sit in perniciem reipublicæ, tenetur illud expressè iudici manifestare, etiam si de illo non sit requisitus. Idem tenet Caietanus ibidem, & Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione. cap. 25. est q; cõmunis sententia Canonistarum in cap. nouit. de iudicijs. & in cap. si peccauerit. 2. q. 1. Et probatur: Bonum commune est præferendum bono particulari: ergo potius est consulendum saluti totius cõmunitatis, quàm famæ vnius particularis. Et de his peccatis intelligitur illud D. Augustin. Qui veritatem occultat, & qui mendacium prodit, vterque reus est. Ille, quia prodesse nò vult; iste, quia nocere desiderat. Dixi, nisi pro certo habeatur, quòd poterit emendari secreta admonitione. Nam, si ille, qui crimen publicum resciuit, certissimus omnino est, quod per suam admonitionem sic

Responsio.

Responsio.

frater

Universidad de Deusto
Biblioteca

frater emendabitur, & damnum publicum omnino cessabit, necessaria erit ante denuntiationem secreta admonitio, non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia. Adhuc enim pestilens ille, & sceleros us homo habet possessionem sui honoris. Quare, si sine eius læsione satis potest occurri malo communi, ratio postulat, vt non publicitus traducatur. At verò qui non est omni firmitate certissimus, quòd sua proderit admonitio, vel quando est periculum in mora, statim ad accusationem erit properandum, vel ad denuntiationem iuridicam, si idonei testes non sunt, quibus delictum probetur. Ex quo infero, quod qui nouit aliquem esse hæreticum, statim tenetur tale crimen iudici competenti reuelare, etiam si de illo non sit specialiter requisitus. Et quamuis in secreto fuerit sibi hæresis reuelata. Est enim hæresis pestilentissimum venenum, quod citò & facilè maximam quamque potest inficere multitudinem. Propter quam causam D. Paul. 2. ad Timot. cap. 2. de hæreticis loquens dicit: Sermo eorum, vt cancer serpit, & Deuteron. capit. 25. de seductore, & ad idolatriam persuadente, dicebat Dominus: Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam, clam dicens; Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta, vel procul sunt ab initio vsque ad finem terræ, non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum. In quibus verbis id maximè est aduertendum, quòd etiam si talia seductionis verba clam, & secretò dicantur à seductore, præcepit Dominus, vt non seruetur secretum, sed statim reueletur. Moraliter enim, & regulariter loquendo, nunquam potest de homine hæretico maximè dogmatizante haberi illa spes, & certitudo, quæ requiritur ad hoc, vt illum non statim denunciemus. Nam, cùm intellectus sit, qui dirigit omnes alias potentias; & ideò quando cæteræ potentiæ deordinantur per hoc, quod in illis aliqua peccata committuntur, si intellectus manet rectus facilè illas in ordinem reuocare possumus, sit, vt in hæretico, qui deprauatum habet intellectum, vix possit tale malum mederi. Et sic nulla potest esse firmitas & certitudo, quod secreto correptus emendabitur. Eo vel maximè, quòd qui non audit Ecclesiam, quòd nec etiam hominem particulariter admonentem audiet, debet iure iudicari. Verum est, quòd, si non ex malitia, sed ex ignorantia lapsus esset quis in aliquem errorem, vt si, verbi gratia, homo rusticus, negaret aliquam propositionem sacræ scripturæ, quam explicitè credere non tenebitur, corripiendus esset homo ille secretò ante denuntiationem, si sit spes emendæ, & si ex tali admonitione secreta nullum aliud detrimentum potest euenire propter rationem iam dictam. Dico notanter, si ex tali admonitione secreta nullum aliud potest detrimentum euenire. Nam si rusticus accepisset eum errorem ab illo, qui ex malitia tales errores seminabat, proculdubio ipse rusticus teneretur id iudici manifestare. Quod si non faceret, ille alius qui rustici errorem cognouit, teneretur statim denuntiare, vt hac ratione malum reipublicæ radicitus euelleretur. Ita tenent Castro libro secundo, de iusta hæreticorum punitione, capit. 25. Ricardus in. 4. distinctione decima nona, articulo tertio, quæstione prima, Adrianus in materia de correctione fraterna, & Turrecremata super cap. qui peccauerit. 2. quæstione. 1. quæstione. 11. conclusione quinta. Et ratio est: Nam ex charitate solum tenemur consulere saluti proximi, sine detrimento famæ, quando id fieri potest citra periculum boni communis, quod in casu posito facere non possumus.

Heretici statim sunt denuntiandi.

Qui ex ignorantia negat aliquid de fide admoneri debet.

¶ Aliqui fuerunt, qui existimarunt, nullum teneri ad accusationem, propterea quod accusatio videtur esse contra illud verbum Christi, Matthæi sexto. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et contra illud: si non remiseritis hominibus, nec pater vester remittet vobis. Cæterùm, si loquamur de peccatis publicis, hæc sententia est falsa, & stulta, vt dicit Caiet. in præsenti. Tanto enim magis tenetur quis succurrere cõmuni detrimento corporali, vel spirituali, quã priuato, quãtò bonũ cõmune diuinius est, & amabilius, quã priuatũ. Et cõstat quòd tenetur quilibet sciens, & potens subuenire periculo corruptelæ spiritualis, vel corporalis proximi seruatis debitis cõditionibus. Si autẽ loquamur de particularibus offensis dico, quòd quãuis sit diuinũ consilium, quòd illas remittamus, nec illarum faciamus accusationem, & sic omnes communiter concurrunt ad iniuriatũ, & offensum, vt illũ ad id inducant, ipse tamen, cui de re sua propria incumbit accusatio, adhuc illã persequi potest in iudicio, nulla præcedente secreta admonitione. Nam eũ scopus talis accusationis nõ sit emendatio fratris, sed propriæ iniuriæ atque honoris satisfactio, quæ adhuc ipso delinquente emendato expeti potest, inanis erit & vana, quæcunque secreta admonitio præcedens. Nec loca scripturæ adducta faciunt contra hanc veritatem. Nam in accusatione eius criminis, quod in perniciem publicam vergit, non suam, sed proximi, non vnius, sed multitudinis causam agit accusator. Et sic per hoc non impeditur, quominus dicere possit. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nec de eo intelliguntur dicta illa verba Christi; si non remiseritis hominibus, nec pater vester remittet vobis. Et in accusatione particulari, qua suam priuatam causam agit, accusator nõ ità præcipitur ex illa diuina institutione remittere, vt iustitia non habeat locum suum, sed quòd nec ex passione, nec ex propria autoritate vindictam sumat. Quod, & significauit Paulus ad Rom. 12. dum dixit: Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ: Accipitur enim ibi defensio pro vindicta priuata autoritate facta, vt constat ex his, quæ sequuntur. Subdit enim statim: Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et est sensus, quod quamuis læsi fuerimus, non tenemus ipsi vindictam, sed eam Domino permittamus. Originem enim habere solet hoc malum ex immodico nostro amore, ac ingenita superbia, quæ, vt viris nostris benigne indulgeamus; alienis autem simus inexorabiles, facit. Et ideo dandus est locus iræ ac permittenda Domino iudicandi facultas, quam ei præripiunt quicunque vindictam ex passione, vel priuata autoritate aggrediuntur, cum tamen eam ex testimonio prophetæ sibi Dominus reseruauerit, & sit nefas Dei vices, & partes vsurpare in re sibi peculiariter ascripta: & c.

De peccatis quæ solũ nocent peccanti nullus tenetur alium accusare.

De peccatis, quæ solum nocent peccanti, dicit D. Tho in secunda conclusione & eius probatione, quod sufficienter eis prouidetur per fraternam correctionem; & sic nullus de illis tenetur accusationem facere aut denuntiationem iuridicam, quod est verum. Cæterùm si post factam secretam admonitionem adhuc proximus perstiterit in suo delicto, adhibendi erunt testes. Et si testes non sufficiunt, facienda erit denuntiatio pœnitentialis prælato, iuxta illud Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, hoc est, si te sciente, vt D. Augustinus interpretatur, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. &c. Quid autem tunc Ecclesiæ prælatus facere teneatur, & similiter qualiter sit intelligendus omnis iste processus correctionis fraternæ à Christo assignatus, iam latè à nobis est explicatum in materia de correctione fraterna, contenta in primo tomo quæstione 33 per totam. & præcipuè articulo 7. & 8. videte ibi. Et hoc solum pro nunc memoriæ mandandum est, quod magis videtur facere ad nostrum institutum, quòd nunquam in his peccatis est facienda testium inductio, aut denuntiatio prælato, quin secreta admonitio præcedat. Ita enim habetur expresse in verbis Euangelij. Super quæ dicit D. Augustinus sermone. 16. de verbis Domini, & refertur in capitulo. si peccauerit. secunda quæstione prima. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Quare? quia in te peccauit? quid est in te peccauit? Tu scis quia peccauit. Quia enim secretum fuit quando in te peccauit, secretum quære cum corriges, quod peccauit in te. Nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non eris corrector eius, sed proditor. Attende quemadmodum vir iustus Ioseph tanto flagitio de vxore fuerat suspicatus tanta benignitate pepercit, antequam sciret, vnde illa conceperat, quam grauidam senserat, & se ad illam non accessisse nouerat. Restabat itaque certa adulterij suspicio, & tamen quia ipse solus nouerat, ipse solus sciebat, quid dicit Euangelium? Ioseph autem, cum esset iustus & nollet eã traducere, voluit occulte dimittere. Ergo corripienda ipsa sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa verò corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Hucusque Augustinus. Et ratio huius sententiæ est: Nam cum hoc differat correctio fraterna ab accusatione, & inquisitione, quòd finis correctionis est emendatio fratris; accusationis verò & inquisitionis punitio, fit, vt eo modo sit facienda correctio, quo melius ad eius emendationem conducat. Et certum est famam quam plurimum iuuare, vt peccator resipiscat, dicente D. Hieronymo seorsum corripiendus est frater, ne si semel pudorem, & verecundiam amiserit remaneat in peccato. Præterquam quod exemplo medici corporalis, qui quam minimo fieri potest dispendio, tenetur ægroto mederi, addiscere possumus eum, qui fratrem, sine dispendio famæ

Homo potest accusare reum qui iniuria affecit.

Nota pro fraterna correptione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corrigere potest iniustissimum esse diffamãdo. Qui enim sanare potest sine abscisione membri grauem infert iniuriam abscindendo. Ex dictis sumenda est regula in inquisitionibus generalibus, quibus occulta crimina posito edicto manifestari præcipiuntur, obseruanda. Nam si omnino sunt emendata, cuiuscunque generis sint illa, nullus tenetur ea vel denuntiare, vel accusare, sed solum esse testis, quando eius testimonium in particulari legitimè fuerit postulatum. Si autem non sunt emendata tunc aut sunt publica, aut priuata. Si publica hoc est in reipublicæ perniciem vergentia, vt proditio ciuitatis, hæresis, &c quæcunque alia, quæ habent pro obiecto bonum commune, statim erunt denuntianda iudicialiter, vel accusanda, si probari res possit, vt sic efficacius consulatur bono communi. Si autem fuerint priuata, vt concubinatus, & alia quæ non habent pro obiecto bonum publicum; tunc tantum erunt fraternæ ad emendationem fratris denunciandæ, postquam fuerint factæ secretæ admonitiones, & testium inductiones, iuxta Christi præceptum. Et quia vnicus finis correctionis fraternæ est salus particularis proximi, & ex isto fine, & spe, quæ illum consequendi habetur omnis correctio, atque ordo, & processus illius moderandus est, sit, vt toties admonitio secreta sit repetenda, quoties spectatur profutura. Et quando non est spes proficiendi alijs remedijs, scilicet, secreta admonitione, & testium inductione, quod statim ad denũtiationem deueniatur erit necesse. Imò tunc etiam erunt omnia ista omittenda, quando probabiliter creduntur fore inutilia, vt diximus in materia de correctione fraterna.

Infames & excommunicati ab accusatione repelluntur.

¶ In solutione ad primum argumentum dicit D. Tho. infames, & excommunicatos ab accusatione repelli, vt constat ex capitu. clericus. & tribus sequentibus 2. quæstione. 7. Non in bonum ipsorum. Nam accusare vbi & quando oportet virtus est, sed in pœnam suorum delictorum. Desiderat enim accusatio autoritatem in accusante, quam illa fors hominum non habet; & ideo eo munere priuatur. Cæterũ aduertit Caietanus, quòd, quãuis accusare in iure isti homines prohibeantur. Poterunt tamen in casu, & debebunt, vt multitudinis periculo succurratur, reuelare iudici personam criminosam, atque testes, cum alijs circunstantijs, vt sic vel ex officio possit iudex reipublicæ prouidere, quod est verũ. Et ratio est: Nã quod infames, & excõmunicati non accusent est de iure positiuo. Quod autem singuli consulant bono communi, cuius partes sunt, est de iure naturali. Et certum est, ius positiuum, nulla ex parte posse præiudicare iuri naturali. ¶ In solutione ad secundũ argumentũ, quo nitebatur probare homines nõ teneri ad accusationem ex eo, quòd subditi non debent accusare prælatos, nec inferiores superiores vt dicitur 2. quæstione 7. per multa capita, & actus charitatis, qualis est accusatio, debentur omnibus siue maioribus, siue minoribus, siue prælatis, dicit D. Thom. in illis iuribus non prohiberi subditos accusare prælatos, aut seruos dominos, aut quoscunque alios inferiores suos superiores, quando id fecerint ex affectu charitatis, maximè in causa boni communis. Sed quod interdicitur, est, ne inferiores ex sua prauitate vitam superiorum diffamare, & reprehendere quærant. Eo vel maximè, quod cum accusatio præseferat quandam speciẽ odij, dedecus esse videtur, quod aduersus superiorem tam facile admittatur. Cæterum, si subditi alias fuerint idonei ad accusandum, hoc est, non infames, nec excommunicati, nec criminosi, licitũ erit illis suos superiores ex charitate accusare, nec hoc aliquo iure naturali, aut positiuo est illis prohibitum. Imò potius præceptum, quod illos charitatiuè corrigant, vt diximus latè in materia de correctione fraterna. quæstione 33. articulo. 4.

Dubiũ an clericis liceat accusare.

¶ Sed de clericis solet esse non leuis difficultas, vtrùm liceat illis aliquẽ accusare maximè in causa sanguinis? Ad cuius explicationem dico primò, certũ esse quòd clerici nec iure diuino, nec naturali prohibentur sanguinis causam agere. Et quidem, quòd ius naturale id nõ prohibeat, est res manifesta. Nã agere causam sanguinis, quando & vbi oportet, est actus iustitiæ, & nulli, iure naturæ, actus virtutum sunt prohibiti. Quod autem nec etiam id prohibeat ius diuinum probatur: Quia nusquam hoc habetur præceptum in tota sacra scriptura. Et si quis obijciat illud Pauli. 1. ad Timoth. 3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, non vinolentem non percussorem, quod etiam Doctores ad quoscunque alios sacerdotes extendunt, respondeo ibi tantum agere de percussore, propria autoritate ex ira, aut vindicta alterum occidente: ad quod significandũ posuit prius; Nõ vinolentũ. Sæpè sæpiùs enim cõtingit, quòd ex vinolẽtia percussio sequatur. At verò qui in iudicio alterũ accusat, vel eũ ad mortẽ cõdenat, nõ priuata, sed publica autoritate illũ interficit. Præterquam quòd etiã si dicamus Paulũ in illis verbis prohibuisse sacerdotibꝰ quãcunq; percussionẽ, adhuc publica autoritate factã, nõ inde licet inferre, eã prohibitionem continere ius diuinum. Non enim in

1. dictum.

in illa dicit: Præcipio, nõ ego, sed Dominus. Quod facere solebat, quando eius præceptum erat diuinum, vt constat ex illo 1. ad Corint. 7. Præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; necessario fatendum est, sacerdotes, aut Episcopos nullum posse interficere autoritate ecclesiastica aut Episcopali, ex iure diuino. Quamuis enim Christus, in quantum homo, habuerit potestatem quoscunque malefactores interficiendi, tanquam ille, qui habebat omnium rerum dominium, eratque perfectissimus & potentissimus Rex, atque Imperator ipsius vniuersi, vt diximus supra quæstione 67. articulo 1. sed hanc potestatem nulli in Ecclesia reliquit, nisi quatenus necessaria erat ad finem supernaturalem. Et certum est non esse necessarium ad finem supernaturalem, quod Ecclesiastici agant causam sanguinis. Cum hoc tamen stat, quod ipse Christus non prohibuerit iure diuino, quod sacerdotes, vel tanquam partes reipublicæ, vel in quantum participant autoritatem humanam, causam sanguinis, aut decernant, aut prosequantur, vel sicut iudices, vel sicut accusatores. Imò in lege veteri id faciebant, sacerdotes. Sit quando dixerant in Euangelio apud Ioannem capitulo. 18. Nobis non licet occidere quenquam; non loquebantur de prohibitione iure diuino facta; sed humano. Imperator enim Romanus, qui Iudæorum regnum tunc tyrannicè occupabat, omnem causam sanguinis eis interdixerat. Vel dixerunt illud, quia lapidare ipsorum erat, & sic lapidauerunt Stephanum, crucifigere autem Romanorum. Et volebant, quòd Christus non simpliciter, sed cum summo opprobrio occideretur, vt sermo Iesu impleretur, quo certo prædixerat, se gentibus tradendum, ab illisque crucifigendum. ¶ Dico secundo, quòd, quãuis sacerdotes iure diuino, aut naturali, non sint prohibiti agere causam sanguinis, id tamen sunt prohibiti iure humano, ipsi iuri diuino valde conformi, & familiari. Et quidem, quòd iure humano sint prohibiti, probatur ex capitu, his, à quibus. 23. q. 8. & ex capit. sententiam. & ex cap. clericos extra ne clerici, vel monachi, se cularibus negotijs se immisceant. & in capit. presbyteros de homicidio. imponitur pœna irregularitatis contra clericos, qui causam sanguinis egerint. Quod autem hæc humana prohibitio iuri diuino sit valde cõformis, ostendit D. Tho. supra quæstione. 64. artic. 4. duabus rationibus. Prima, quia sunt electi ad altaris ministeriũ, in quo repræsentatur passio Christi occisi; qui cum maledicerentur nõ maledicebat, & cum patereturnon cõminabatur, sed tradebat iudicanti se iniustè, vt dicit D. Petrus. 1. canonica capit. 2. Debent autem ministri suum Dominum imitari, iuxta illud Eccles. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Secunda ratio est: Quia clericis nouæ legis ministerium cõmittitur, in qua nulla pœna occisionis, aut mutilationis corporalis determinatur. Quare, vt noui testamenti idonei ministri inueniãtur, opus erit, vt à talibus, abstineant. Eodem modo dicit D. Tho. super epistolam ad Romanos. ca. 3. in illa verba. Ideo tributa præstatis lect. 1. clericos nõ ex iure naturali, aut diuino esse liberos à solutione tributorũ, sed ex beneplacito, & priuilegio principum, cum ipsa lege naturali conformitatem & familiaritatẽ habente. Ex quo facto fuit, vt etiã apud Gẽtiles liberi fuerint à tributis soluendis, qui rebus diuinis vacabant. Legitur enim Gen. ca. 47. Ioseph subiecisse Pharaoni totã terrã Ægypti, præter terrã sacerdotum, quæ à Rege eis tradita fuerat; quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Et paulò inferius dicitur, quòd in vniuersa terra Ægypti quinta pars soluebatur absque terra sacerdotali, quæ libera erat ab hac conditione. Ratio autẽ huius naturalis æquitatis est: Quia sicut Reges solicitudinẽ habent de bono publico in temporalibus; ideoque eis tributa præstantur. ità etiam & ministri Dei in spiritualibus. Propter quod æquum est, ipsique iuri naturali valde conforme, vt hoc beneficio à principibus afficiantur. Ex dictis infertur, quòd absolutè loquendo, clerici non poterunt aliquem criminaliter accusare, etiam si peccatum sit in perniciem reipublicæ. Cæterum id facere poterunt adhibita moderatione præscripta in cap. prælatis. de homicidio. lib. 6. Vbi dicitur, quòd sacerdotes possunt denuntiare in causa sanguinis, dummodo prius faciant protestationem, se id non dicere, vt ij occidantur, sed vt vitia emendentur. Et præmissa tali protestatione bene poterunt accusare, aut denuntiare. Loquiturque cap. illud tantum in causa propria ipsius sacerdotis. Sed Caiet. supra quæ. 33. art. 7. dixit esse etiam intelligendũ in causa reipublicæ, vel cuiuscunque alterius proximi. Vnicuique enim mãdauit Deus de proximo suo. Et sic ex præcepto charitatis tenetur omnes etiã clerici bonũ proximi procurare. Ex hoc infertur, quòd nõ solũ tenetur sacerdos, & quicũq; alius Christian⁹ delinquẽtẽ accusare, quãdo peccatũ est in perniciẽ reipublicæ, sed etiã quãdo est in damnũ proximi, cui⁹ cura vnicuiq; est cõmissa, dũmodo id sine magno suo detrimẽto efficere possit. Opera enim charitatis neminẽ obligãt, cum magna enim charitatis neminẽ obligãt, cum mag-

2. dictum.

Rationes propter quas clerici prohibentur agere causam sanguinis.

Corollariũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

no detrimento proprio in peccatis importantibus priuatam & particularem iniuriam eius, qui debet facere accusationem, quannis regulatiter sit consilium, eam remittere, nullus tamen ad id tenetur: sed quilibet potest illatæ sibi iniuriæ petere per iudicem vindictam, & satisfactionem. Tum, quia Iustitia est virtus, & semper est licitum vnicuique petere à suo legitimo iudice actum virtutis. Tum etiam, quia alias daretur ansa prauis hominibus priuatas iniurias inferendi, quod in perniciem vergeret reipublicæ. Dixi regulariter esse consilium remittere proprias iniurias. Nam poterit contingere casus, in quo sit melius non remittere, quam remittere, ille, scilicet, in quo facilitas veniæ daret alteri occasionem peccandi. Tunc enim remittens per accidens esset causa peccandi, & sic peccaret.

ARTICVLVS II.

¶ Vtrum sit necessarium accusationem in scriptis fieri.

4. dist. 19. q. 2. art. 3. q. 1. ad 4. Et di. 35. ar. 3. ad 6. & quolib. 11. ar. 13. cor.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd non sit necessarium accusationem in scriptis fieri. Scriptura enim adinuenta est ad subueniendum humanæ memoriæ circa præterita. Sed accusatio in præsenti agitur: ergo accusatio scriptura non indiget.

2. q. 8. cap. per scripta

2 ¶ Præterea, 2. quæstione 8. dicitur, * Nullus absens accusare potest nec ab aliquo accusari. Sed scriptura ad hoc videtur esse vtilis, vt absentibus aliquid significetur, vt patet per * Augustin. 10. de Trinitate: ergo in accusatione non est necessaria scriptura, præsertim cum canon dicat, quòd per scripta nullius accusatio suscipiatur.

Li. 10. ca. 1 aliquantulum à prin. to. 3.

3 ¶ Præterea, Sicut crimen alicuius manifestatur per accusationem, ita per denuntiationem. Sed in denuntiatione non est scriptura necessaria: ergo videtur quòd neque etiam in accusatione.

2. q. 8. cap. Accusatorum.

¶ SED CONTRA est, quod * dicitur, 2. quæstione, 8. Accusatorum personæ sine scripto nunquam reci-

piantur.

Ar. præce. & q. præc. art. 3.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut suprà dictum * est, quando in criminibus per modum accusationis agitur, accusator constituitur pars, ita quòd iudex inter accusatorem, & eum, qui accusatur, medius constituitur ad examen iustitiæ, in quo oportet, quantum possibile est, secundum certitudinem procedere. Quia verò ea, quæ verbo tenus dicuntur, facilè labuntur à memoria non posset iudici esse certum quid & qualiter dictum sit, cùm debet proferre sententiam, nisi esset in scriptis redactum. Et ideo rationabiliter institutum est, vt accusatio, sicut & alia quæ in iudicio aguntur, redigatur in scriptis.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd difficile est singula verba propter eorum multitudinem, & varietatem retinere: cuius signum est, quòd multi eadem verba audientes si interrogarentur, non referrent ea. Similiter etiam cum modica verborum differentia sensum variet, ideo etiam si post modicum tempus debeat iudicis sententia promulgari, expedit ad certitudinem iudicij, vt accusatio redigatur in scriptis.

¶ Ad secundum dicendum, quòd scriptura non solum necessaria est propter absentiam personæ quæ significat, vel cui est aliquid significandum, sed etiam propter dilationem temporis, vt dictum * est, & ideo cum dicit canon, Per scripta nullius accusatio suscipiatur: intelligendum est de absente, qui perempram accusationem mittat: non tamen excluditur, quin cum præsens fuerit, necessaria sit scriptura.

Ad 1. arg.

¶ Ad tertium dicendum, quòd denuntiator non obligat se ad probandum. Vnde nec punitur si probare nequiuerit. Et propter hoc in denuntiatione non est necessaria scriptura, sed sufficit si aliquis verbo denuntiet ecclesiæ, quæ ex

ex officio suo procedet ad fratris emendationem.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua, quam probat D. Thom. in argumento, sed contra, testimonio D. Augustini, relati in capitulo accusatorum. 2. quæstione. 8. dicentis. Accusatorum personæ nunquam recipiãtur, nisi in scripto, nisi absente eo, quem accusare voluerit, quibuslibet accusare permittatur. Et in corpore articuli, hac ratione: Iudex inter accusatorem, & eum, qui accusatur, constituitur medius ad examẽ iustitiæ, in quo oportet quãtũ possibile est, procedere secundum certitudinem: sed ea quæ verbo tenus dicuntur facile memoria labãtur, nec potest iudex esse certus, quid & qualiter dictum sit, quãdo debet proferre sententiam, nisi in scriptis habeantur: ergo rationabiliter fuit institutum, vt accusatio non, nisi in scriptis recipiatur.

Conclusio articuli habetur determinata in iure.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DVbitatio huius articuli est facilis, eiusq; conclusio continet apertam iuris dispositionem in multis capitibus tam iuris canonici, quam ciuilis, in capitu. accusatorum. in capit. quisquis in capit. crimen. 2. q. 8. & in lege sicut. de accusationibus. Ex quo fit, vt semper id Doctores in eius definitione eo constituant, vel dicentes cum Azo in summa, esse delationem rei de crimine in libello ad vindictam, vel cum D. Thom. quòd est delatio rei de crimine in libello ad vindictam, propter bonum commune. Quam definitionem in superioribus diximus esse conuenientiorem. Verum est, quòd in delictis paruis non est necessarium, quod accusatio fiat in scriptis, quoniam in illis lex leuia. ff. de accusatio. de plano, & sine huiusmodi cæremonijs procedere præcepit. Ratio autẽ præcipua, propter quam in iure fuit præceptum, vt accusatio non fiat, nisi in scriptis est, quam ponit D. Thomas in hoc articulo. Cui adde, quòd cum accusator antiquitus pœnæ talionis, & nunc etiam alteri non leui fiat obnoxius, si de calumnia fuerit conuictus, operæpretium est, vt accusationem subscribat, ne posteà eam negare possit. Et præterea, quia accusationi adhibendæ sunt, tum defensiones & exceptiones, tum etiam probationes. Et hoc conuenienter fieri non poterit, nisi ipsius libelli caput occupet accusatio. De hac re videndus est Syluester, verbo. accusatio. quæstione prima.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrum accusatio reddatur iniusta propter calumniam, præuaricationem, & tergiuersationem.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod accusatio non reddatur iniusta propter calumniam, præuaricationem, & tergiuersationem: quia, sicut dicitur * 2. quæstione 3 calumniari est falsa crimina intendere. Sed quandoque aliquis alteri falsum crimen obijcit ex ignorãtia facti, quæ excusat: ergo videtur quod non semper reddatur iniusta accusatio, si sit calumniosa.

2. q. 3. c. Si quem pœnituerit.

2 ¶ Præterea, Ibidem dicitur * quòd præuaricari est vera crimina abscondere. Sed hoc non videtur esse illicitum: quia homo non tenetur ad omnia crimina deregenda, vt suprà dictum * est: ergo videtur quòd accusatio non reddatur iniusta ex præuaricatione.

2. q. 3. c. Si quem pœnituerit. Ar. 1. & q. 33. art. 7.

3 ¶ Præterea, Sicut ibidem * dicitur, tergiuersari est in vniuerso ab accusatione desistere. Sed hoc absque iniustitia fieri potest. Dicitur * enim ibidem. Si quem pœnituerit, criminaliter accusationem, & inscriptionem fecisse de eo quod probare non potuerit, si cum accusato innocente conuenerint, inuicem se absoluant: ergo accusatio non redditur iniusta per tergiuersationem.

2. q. 3. c. Si quem pœnituerit. Loco nunc dicto.

¶ SED CONTRA est, quod ibidem dicitur, * Accusatorum temeritas tribus modis detegitur. Aut enim calumniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur.

2. q. 3. c. Si quem pœnituerit.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum * est, accusatio ordinatur ad bonum commune, quod intenditur per cognitionem criminis. Nullus autem debet nocere alicui iniustè, vt bonum commune promoueat. Et ideo in accusatione duplici ratione contingit esse peccatum vno modo ex eo, quod aliquis iniustè agit contra eum, qui accusatur, crimina falsa ei imponendo, quod est calumniari: alio modo ex parte reipublicæ, cuius bonum principaliter intenditur in accusatione, dum aliquis impedit malitio-

Art. 1. huius qu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiosè punitione peccati. Quòd iterum dupliciter contingit, vno modo fraudem in accusatione adhibēdo. Et hoc pertinet ad præuaricationem: nam præuaricator dicitur quasi varicator, qui aduersam partem adiuuat, prodita causa sua. Alio modo totaliter ab accusatione desistendo: quod est tergiuersari. In hoc enim quod desistit ab hoc, quod cœperat, quasi tergum vertere videtur.

¶ Ad primum ergo dicendū, quòd homo nō debet ad accusationem procedere, nisi de re omnino sibi certa, in qua ignorantia facti locum nō habeat. Nec tamē qui falsum crimen alicui imponit, calumniatur: sed solū qui ex malitia in falsam accusationem prorumpit. Contingit enim quandoque ex animi leuitate ad accusationem procedere: quia scilicet aliquis nimis faciliter credit quod audiuit: & hoc temeritatis est. Aliquando autem ex iusto errore mouetur aliquis ad accusandum, quæ omnia secundum prudentiam iudicis debent discerni, vt non prorumpat, cum calumniatum fuisse, qui ex leuitate animi, vel ex iusto errore in falsam accusationē prorupit.

¶ Ad secundum dicendum, quòd non quicunque abscondit vera crimina, præuaricator: sed solum si fraudulenter abscondit ea, de quibus accusationem proponit, colludens cum reo, proprias probationes dissimulando, & falsas excusationes admittendo.

¶ Ad tertium dicendum, quòd tergiuersari est ab accusatione desistere omnino, animum accusandi deponendo, non qualitercunque, sed inordinatē. Contingit autem aliquem ab accusatione desistere ordinate absque vitio dupliciter. Vno modo in ipso accusationis processu, si cognouerit esse falsum id, de quo accusauit: & si pari consensu se absoluunt accusator & reus. Alio modo si princeps, ad quem pertinet cura boni communis, quod per accusationem intenditur, accusationem aboleuerit.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua, quam probat D. Tho. in argumento, sed contra, ex capitulo si quem pœnituerit. 2. qu. 3. vbi dicitur. Accusatorum temeritas tribus modis detegitur. Aut enim calumniantur, aut prætiuaricantur, aut tergiuersantur. Et in corpore articuli hac ratione: In accusatione, quæ ad bonum commune ordinatur, duplici ratione contingit peccare, scilicet, vel ex parte eius, qui accusatur, vel ex parte reipublicæ, cuius bonum principaliter intenditur in accusatione. Peccare ex parte eius, qui accusatur, tantum contingit vno modo, qui est quando accusator iniuste agit contra aliquē crimina falsa ei imponendo, quod est calūniari. Peccare autē ex parte reipublicæ contingit solum duobus modis. Primus est, quando accusator fraudem in accusatione adhibet: Ex qua malitiosè impeditur peccati punitio. Et hoc pertinet ad præuaricationem. Secundus, quando accusator totaliter desistit ab accusatione, quod est tergiuersari. In hoc enim quòd ab incepto desistit, quasi tergum vertere videtur: ergo accusatio per calumniam præuaricationem, & tergiuersationē potest reddi iniusta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius articuli operæpretium esset, horum trium vocabulorū, calumnia, præuaricatio, & tergiuersatio præmittere explicationem, nisi ea posita fuisset à D. Tho. in præsenti. Qui dicit, calumniam importare falsam criminis obiectionem; præuaricationem verò fraudulentam collusionē accusatoris cum reo. Quod contingit quando accusator adiuuat partem aduersam, vel falsas probationes addaceudo, vel dissimulando veras, vt superari permittat. Tergiuersationem autem totalem causæ desertionem, sine iudicis licentia. Nam qui totaliter ab accusatione desistit, quam propter bonum commune inceperat, quasi terga vertit. Et sic tergiuersatoris titulo appellatur. Quorum etiam nominum frequens est vsus in iure, vt est videre in capitulo si quem pœnituerit. 2. quæstione. tertia. §. accusatorum. Vbi dicitur, quòd calumnari est imponere crimen, præuaricari verò in accusatione dissimulare, nec velle, vt reus puniatur: tergiuersari autem desistere, sine causa legitima, ab accusatione. Idem etiam habetur in lege accusatorum. ff. ad senatusconsultum Turpillianum. Sed est aduertendum primo, quòd non omnia ista æqualem important malitiam. Nam calumniator præterquam quòd ex genere suo

Calūnia. præuaricatio. & tergiuersatio quid sint.

suo peccat mortaliter, vt dicitur in capitulo primo 11. dist. quæst. 3. secun. nisi forte excusetur ex leuitate materiæ, tenetur etiam de omni damno proximo illato, vt habetur in capit. vltimo, de calum. cum tamen tergiuersator, & præuaricator, nisi in peccatis vergentibus in damnum publicum, in quibus accusare tenentur, vt dictum articulo primo huius quæstionis, regulariter nullum peccatum committant, nec aliquam teneantur facere restitutionem. Vnicuique enim liberum est in propria causa suo cedere iuri, sicque vel totaliter desistere ab accusatione, vel in illa dissimulare, permittendo se superari: dummodo falsitate non vtatur.

Tergiuersatio nomē boni importat.

Calumnia tanquam malitiosa.

Est secundo aduertendum, quod solum dicitur calumniator, qui imponit falsum crimen ex malitia. Nam qui illud imponit, non credens esse falsum, etiam si leuiter id credat, non dicitur calumniator, sed vel leuis vel temerarius, tanto que grauius committet peccatum, quanto leuior fuerit causa, quæ illum mouit ad delictum credendum. Si autem imposuerit falsum crimen ex ignorantia probabili, vel inuincibili, nullum erit peccatum, & multò minus calūnia, quæ sine malitia esse non potest. Dicetur etiam calumniator, qui verum crimen, sed occultum, quod iure probari non potest, in iudicio propalat. Nam in iure quidquid idoneis testibus, vel instrumentis innotescere nequit, falsum reputatur. ¶ Tertio est aduertendum, quòd quia tergiuersari est ab accusatione omnino desistere, animum accusandi deponendo, non qualitercunque sed inordinatè, importat enim tergiuersatio nomen delicti, quod fine in ordinatione esse non potest, sic, vt quotiescunque aliquis ab accusatione totali ordinatè desistit, quòd contingere potest duobus modis, primus quando is, qui accusat, in ipso accusationis progressu cognoscit esse falsum id, de quo accusat; secundus quando princeps, cui cura boni communis per accusationem intenti incumbit, præcipit accusationem dissoluere; non dicetur talis tergiuersari, etiam si delictum, de quo fuerat imposita accusatio in perniciem tetenderit reipublicæ. Nam in primo casu falsitas delicti obiecti obligat accusatorem in conscientia, ab accusatione recedere: etiam si in foro contentioso quinquelibris auri puniatur, vt ex lege. 3. ff. de præuari colligunt Syluester verbo. accusatio. questione. 6. & Angelus eodem verbo. numero 8. & in secundo casu, autoritas principis, quæ à principio poterat accusationem refutare, si id bono communi expedire iudicasset, est etiam potens eandem in prosequutione rescindere propter eādem causam. Ex eo enim, quòd accusatio ad bonum commune semper ordinatur, vt ex superius dictis patet, fit, vt qui boni cōmunis curam gerit, si talis medij ablationem ad finem communis boni magis prodesse viderit, quam ipsius positionem, aut prosequutionem, posit & debeat illud tollere, prout indendo prius, vt accusatori in integrum satisfiat, si quid alias fuerit debitum. Alioqui iniustitiam committet, & ad illius damni restitutionē erit obligatus. Nonnulli solent addere tertium casum. Qui est, quando accusator videt se non posse probare, quod probandum crediderat. Nam tunc etiam ab accusatione desistere est licitum, sicut & à principio licitum esset, eam non incipere, etiam si delictum esset verum, & in reipublicæ perniciem tendens, quia satisfaceret denuntiando. Sed iste casus reducitur ad primum. Vt enim paulò ante dicebam, in iure pro eodem reputantur falsum & improbabile crimen, quantum attinet ad accusationem.

Casus in quibus accusans potest ab accusatione desistere.

¶ Sed est difficultas, quam mouet Caietanus in isto articulo, an iudex inferior possit rescindere accusationem, sicut illam rescindere potest princeps, & quicunque alius iudex superiorem. Et pro parte affirmatiua est argumentum: Ad quemcunque iudicem etiā inferiorem spectat prouidere bono communi: ergo ad eundum etiam spectabit eas accusationes rescindere, quas bono communi non cōuenientes iudicauerit. In contrarium tamē est, nam iudex inferior iuris ordinem præuertere non potest, vt ex supra dictis patet. Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quòd accusationes possunt esse in triplici differentia. Quædam enim sunt vitiosæ, & defectuosæ, siue propter temeritatem, siue propter calumniam. Aliæ autem conuenientes, atque perfectæ. Et hæc adhuc sunt duplices. Quædam quæ primario ordinantur ad satisfaciendum parti, quæ passa est iniuriam. Aliæ verò, quæ præcisè tendunt in bonum commune. Hoc supposito, vt certa ab incertis separemus, dico primò certum esse, quod quicunq, iudex etiam inferior, potest rescindere eas accusationes, quas vitiosas & defectuosas esse cognouerit. Sicut enim potuit illas à principio non admittere, ita etiā eaſdem postquam admissæ sunt, potuit rescindere. Nec in hoc alicui facit iniuriam: imò erit iniurius ordini iuris si illas fuerit prosequutus. Dico secundo etiam esse certum, quòd iudex inferior non potest rescindere illas accu-

Dubium.

Accusationes possunt esse in triplici differentia.

1. dictum certum.

2. dictum certum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sationes iustas, quæ ad satisfaciendum parti lesæ ordinantur, & tendunt. Nam cum talis iudex ex iure teneatur ius suum vnicuique tribuere, iuxta legis statuta à principe posita, ad idque principaliter fuerit à superiori iudex institutus, fit, vt eas accusationes, quæ particularem exigunt satisfactionem, non magis acceptare, quàm prosequi teneatur: nec in hoc aliqua eius potest cadere dispensatio. Itaque hæc certa sunt.

Punctus difficultatis.

Sed dubium est de accusationibus iustis præcisè tendentibus ad bonum commune, an illas possit rescindere iudex inferior, sicut & superior. De his enim propriè procedit argumentum pro parte affirmatiua factum. In quâ re omissis variis modis dicendi Doctorum, quod mihi in hac parte semper videtur probabilius, est, quod insinuat Caieta. in præsenti, nempe, quòd, vterq; iudex, tá supremus, quá inferior, potest supradictas accusationes rescindere, quamuis nõ æqualiter, nec eodẽ modo. Princeps enim absolute de iure potest huiusmodi accusationes rescindere, quoties viderit expedire bono communi, tanquam ille, qui in legibus à se positis ex rationabili causa potest dispensare. Et non solum iustas, sed etiam illas, quæ ad satisfaciendum parti offensæ ordinãtur. Nã cũ princeps sit, qui plene gerit curam boni cõmunis, ad quod etiam omne bonum, vel malum partis ordinari potest, sit, vt eius munus sit non solum communia, sed etiam propria atque particularia singulorum ciuium ad bonum commune referre. At verò iudex inferior id efficere non potest absolutè de iure, bene tamen ex epicheia & gnome, hoc est, ex æquitate, & altiori iudicio, quando certo cognosceret eam accusationem pernitiosam fore bono communi. Vt si, Verbi gratia, certò sciret ex illa perturbandam fore rempublicam, aut ingentem aliquam seditionem ex illa excitandam propter conditionem accusati, vel propter aliquid huiusmodi. Tunc enim abolere posset accusationem inchoatam, nisi aliter esset possibile prouidere bono communi, scilicet, vel suspendendo prosequutionem, vel dissimulando. Quia lex arctatæ potestatis pro communi bono saluando prætermittẽda est, & vsurpanda alta quodammodo maior eidem bono communi necessaria, vt diximus supra quæst. 58. articulo. 5.

Sententia autoris.

Dubium. Nota istã quæstionem.

Vltimum dubium circa istum articulum est, vtrùm possit accusatus dare accusatori pecuniam, vel aliquam aliam rem, vt ab accusatione desistat. Quam difficultatẽ multis solent disputare Canonistæ, ad quos præcipuè eius determinatio pertinet, quoniã pluta in illa ex iure humano sunt disposita, vt est videre apud Syluestrum, verbo. accusatio. qu. 11. Sed vt eam paucis præstringamus, aduertendum est primò cum Panormitano, atque glossa in cap. 1. de collu. multipliciter posse cõtingere, quòd quis ab accusatione desistat. Primò autoritate & motu proprio; quia scilicet, accusatori ipsi placet ab accusatione cessare. Secundò ad preces ipsius rei. Tertio per trãsactionem, hoc est, aliquo sibi dato, vel retento. Hoc enim est propriè transire in iure, vt constat ex capit. super eo, de transactionibus. Quarto per absolutionem, hoc est, impetrando à iudice facultatem recedendi, absolutionemque, siue deletionem, vel cessationẽ accusationis, ex aliqua causa legitima, puta, quia ex ira, vel ex errore accusauit vt in lege. 2. C. de abol. ¶ Secundo est aduertendũ, quòd iuris periti sequuti Panormitanum in cap. 1. de collu. causas diuidunt in ciuiles, & criminales. Et sub criminalibus constituunt alias duas, scilicet, spirituales, & populares. Hoc supposito dico primò secundum Innocentium in capitu. 1. de collu. licitum esse ab accusatione ciuili pecuniaria recedere ad preces accusati, atque etiam per transactionẽ iudicis autoritate factam, & sine ea ante litis contestationem. Panormitanus tamen dicit, quòd post oblatum libellum, & à fortiori post contestatam litem, non licet recedere propria autoritate, nisi fortè accusator velit in totum renunciare liti, & causæ, vt in lege. postquam liti. ff. de pactis. Bene tamen ad preces atque per transactionem, excepta famosa actione, qualis est actio furti, in qua sine iudicis autoritate transigere non licet. ff. de his qui notantur infam. lege. furti. §. pactus. Atque etiã exceptis illis causis, quæ nõ dependent à libera voluntate litigantium; qualis est causa matrimonialis. Quod ego verũ existimo. Dico secundo quòd in causis spiritualibus, siue per modũ inquisitionis, siue denũciationis, siue accusationis, licitum est ab illis discedere ad preces accusati, ex causa rationabili. Nã sine illa discedẽs punitur, vt cõstat ex c. quapropter. 2. q. 7. Per trãsactionẽ autem nũquã est licitũ. Cõtra rationẽ enim est, quòd quis pretiũ accipiat, ne res spiritualis in iudicio prosequatur. Dico tertio quòd in causa populari, hoc est, in causa ad populi cõmodũ pertinente, nũquã licet discedere ab accusatione ex beneplacito proprio, nec ad preces accusati: & multo minus per transactionẽ. Imò, si fiat trãsactio nulla est, & accusatus habetur pro cõfesso, vt dicitur in lege. transigere. Codi. de transact. & lege. in omnibus. ff. de præuarica. Quod est intelligendum, nisi tale esset crimen, quod

Nota 1.

1. dictum.

2. dictum.

3. dictum.

quod indiceret pœnam sanguinis. Vnusquisque enim tunc posset impune trãsigere, sanguinemque suum redimere, qualitercũque. Et nisi induceret pœnam perpetuæ detrusionis, aut pœnam falsi. Quia, vt dicitur in dicta lege, transigere conuictus de falso est quasi mortuus, cum nulla ei fides adhibeatur. In omnibus aliis causis, in quibus huiusmodi pœnæ non irrogantur, nunquam est licitum transigere, vt constat, ex cap. si quem 2. q. 3. Et hoc est quantum attinet ad ipsum accusatum. Nam de accusatore certum est semper, quòd desistit ab accusatione publici criminis, quo accusare tenebatur, peccare mortaliter, siue id faciat ex beneplacito proprio, siue ad preces accusati, siue per transactionem. Bene tamen poterit ab accusatione desistere ex causa rationabili, & ex præcepto iudicis, iuxta prius dicta in isto articulo. Dico vltimò, quod in causa criminali de priuata solum alicuius iniuria procedente ilando in iure naturæ vnusquisq; accusator, siue ex proprio motu, siue ex prece accusati, siue ex transactione moueri potest, vt quotiescunq; voluerit ab accusatione discedat. Vnicuique enim, stando in iure naturæ liberum est suæ iniuriæ facere remissionem, siue ad preces alterius, siue precio accepto. Ex dispositione tamen iuris positiui, ante inchoatam accusationem, puta, ante inscriptionem ad pœnam talionis, quamuis alia inscriptio præcesserit, licitum est accusatori ad preces accusati ab accusatione desistere, vt dicitur in lege. mulier. & in lege. quæsitum. ff. ad Turpil. Non tamen ex proprio motu si aliqua inscriptio præcesserit, secũdum Panormitanum: nec post inchoatam litem, positamque accusationem, sine autoritate iudicis, & consensu rei. Sed de hoc videndus est Syluester verbo accusatio. quæst. 11.

Vltimum dictum.

ARTICVLVS IIII.

¶ Vtrum accusator qui in probatione defecerit, teneatur ad pœnam talionis.

4. d. 41. ar. 5. q. 2. ad 1. Et quol. 11. ar. 13. cor.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod accusator, qui in probatione defecerit, non teneatur ad pœnam talionis. Contingit enim quandoque aliquem ex iusto errore ad accusationem procedere: in quo casu iudex accusatorem absoluit, vt dicitur * 2. quæstione 3. Nõ ergo accusatõr, qui in probatione defecerit, tenetur ad pœnam talionis.

2. q. 3. c. Si quem pœnituerit.

2 ¶ Præterea, Si pœna talionis ei, qui iniustè accusat, sit iniungenda, hoc erit propter iniuriam in aliquem commissam. Sed non propter iniuriam commissam in personam accusati: quia sic princeps non posset hanc pœnam remittere. Nec etiam propter iniuriam illatam in rempublicam, quia sic accusatus non posset eum absoluere: ergo pœna talionis non debetur ei, qui in accusatione defecerit.

3 ¶ Præterea, Eidem peccato non debetur duplex pœna secundum illud Naum 1. Non iudicabit Deus bis in idipsum. Sed ille qui in probatione deficit, incurrit pœnam infamię, quã etiam papa non videtur posse remittere, secundum illud Gelasij * papæ: Quanquam animas per pœnitentiam saluare possimus, infamiam tamen abolere non possumus: non ergo tenetur ad pœnam talionis.

Habetur 2 q. 3 ca. Et phemiam.

¶ SED CONTRA est, quòd * Adrianus papa dicit. Qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulit, ipse patiatur.

Habetur 2 q. 3. c. Qui non probauerit. c. Calumniator.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum * est, accusator in causa accusationis constituitur pars, intendens ad pœnam accusati. Ad iudicem autem pertinet, vt inter eos iustitiæ æqualitatem constituat. Iustitiæ autem æqualitas hoc requirit, vt nocumentum quod quis alteri intentat, ipse patiatur, secundum illud Exo. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Et ideo iustum est, vt ille qui per accusationem aliquem in periculum grauis pœnæ inducit, ipse etiam similem pœnam patiatur.

Arti. 1. & 2.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sicut Philosophus * dicit in 5. Ethicor. Iniustitiæ non semper competit contra passum simpliciter: quia multum differt, an aliquis voluntariè, vel inuoluntariè alium lædat. Volũtario autem debetur pœna, sed inuolũtario debetur venia. Et ideo quando iudex cognouerit aliquem de falso accusasse, non voluntate nocendi, sed inuoluntariè propter ignorantiam ex iusto errore, non imponit pœnam talionis.

Lib. 5. c. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Ad secundum dicendum, quòd ille qui male accusat, peccat & contra personam accusati, & contra rempublicã. Vnde propter vtrũque punitur. Et hoc est quod dicitur Deutero.19. Cumque diligentissime perscrutantes, inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, quod pertinet ad iniuriam personæ. Et postea quantum ad iniuriam reipublicæ subditur. Et auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Specialiter tamen personæ accusati facit iniuriam, si de falso accuset. Et ideo accusatus si innocens fuerit, potest ei iniuriam suam remittere, maximè si non calumnioſe accusauit, sed ex animi leuitate: si verò ab accusatione nocentis desistat propter aliquam collusionem cum aduersario, facit iniuriam reipublicæ. Et hoc non potest ei remitti ab eo, qui accusatur: sed potest ei remitti per principem, qui curam reipublicæ gerit.

¶ Ad tertium dicendum, quòd pœnam talionis meretur accusator in recompensationem nocumenti quod proximo inferre intentat. Sed pœna infamiæ ei debetur propter malitiam, ex qua calumnioſe alium accusauit. Et quandoque quidem princeps remittit pœnam, & non abolet infamiã. Quandoque autem etiam infamiam abolet. Vnde & papa potest huiusmodi infamiam abolere. Et quod dicit * Papa Gelasius, Infamiam abolere non possumus, intelligẽdum est de infamia facti, vel quia eam abolere aliquando non expedit: vel etiam loquitur de infamia irrogata per iudicem ciuilem, sicut dicit * Gratianus.

Loco citato in argum.

Ibidem.

SYMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua, quam probat D.Thom. in argumento, sed contra, testimonio Adriani relati à Gratiano in cap. qui non probauerit 2. quæst. 3. dicentis: Qui non probauerit quod obiecit, pœnam, quam intulit, ipse patiatur. Et in corpore articuli hac ratione: Iustitiæ æqualitas hoc postulare videtur, vt qui per accusationem aliquem in periculum pœnæ grauius induxit, similem ipse pœnam subire cogatur, iuxta illud Exod. 21. Oculum pro oculo, & dentem pro dente: ergo ad iudicem, cuius est constituere æqualitatem inter accusatorem, & accusatum, spectabit præcipere, vt qui in accusatione defecerit, ad pœnam talionis teneatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusio huius articuli multis capitibus iuris tam Canonici quam Ciuilis habetur determinata, in cap. calumniator. & in cap. qui non probauerit. 2 q. 3. & in lege. mulier. & in leg. quæsitum. ff. ad senatus consultum Turpillianum. Ratio autem adducta à D.Tho. ad illam probandam, non euidentiam, sed tantum congruitatem quandam importat. Quamuis enim ratio naturalis dictet, eum, qui occidit esse occidendum, non tamen dictat eum, qui occidere procurauerit, subinde esse eadem mortis pœna afficiendum, eò vel maximè, quòd deterrerentur tũc homines plus nimio ab accusatione, quod in reipublicæ perniciem cedere videretur. Ex quo factum fuit, vt desuetudine iam fere fuerit huiusmodi pœna abrogata, vt docet Soto, lib. 5. de iustitia q. 5. ar. 4. & Couarruu. lib. 2. Variarum. cap. 9. nume. 1. Nisi tantum in aliquibus casibus particularibus: quorum præcipuus est, quando testis ex studio falsum testimonium dicit, in causa capitali. Maximè, si eius occasione innocens fuerit interfectus. Quamuis etiam in omnibus alijs delatores acri supplicio iudicis arbitrio sint puniendi. Pro quo facit textus optimus in capit. super his. de accusationibus. & lex in priuatis. ff. ad Turpillianum. ¶ Si quis autem quærat vnde habuerit ortum talionis, quę ab aliquibus ex Latinis retaliatio, ab alijs supplicij similitudo, ab alijs repatientia, ab Aristot. autem 5. Ethicor. cap. 5. contra passum, appellatur: Dico, quod ex iure naturali præcipienti, vt iuxta mensuram delicti sit etiam & plagarum modus. Is enim, qui proximum & rempublicam iniuria læserit, non æquè naturali pœna punitur, nisi ea, quæ sufficiens fuerit satisfacere, & reparare damnum illatum. Hæc autem reparatio fieri non poterit, nisi delinquenti æqualis crimini pœna iniungatur. Nec hæc commode discerni posse videtur, nisi idem, quod alteri per iniuriam intulit, ipse patiatur, quod est repatientia, seu contra passum. Quare in lege Mosayca cautum erat, oculum pro oculo, dentem pro dente, quod

In probatione deficiẽs tenetur ad pœnam talionis.

Quæstio.

Responsio.

quod à Christo non fuit damnatum, tanquam iniquum Matth. 5. Licet illud existimauerit acerbum, sicque dederit consilium, & non præceptum de remittendis iniurijs. Qualiter autem intelligendum sit contra passum, vt sit idem, quod iustum, explicauimus supra quæst. 61. art. 4.

QVÆSTIO LXIX.
De peccatis quæ sunt contra iustitiam, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrum absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare, per quam condemnaretur.

4. dist. 17. q. 3. art. 1. qu. 2. ad 1. & 3. & di. 19. q. 2. ar. 3. q. 1. ad 5 et q. 2. cor. Chrysosto. hom. 31. ad Hebræos à med. to. 4. Et habetur de pœni. d. 1. ca. Quis aliquando.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd absq; peccato mortali possit accusatus veritatem negare, per quam condemnaretur. Dicit enim Chrysosto.* Non tibi dico vt te prodas in publicum, neque apud alium accuses, sed si veritatem confiteretur in iudicio accusatus, seipsum proderet & accusaret. Non ergo tenetur veritatem dicere, & ita non peccat mortaliter, si in iudicio mentiatur.

2 ¶ Præterea, Sicut mendacium officiosum est quando aliquis mentitur, vt alium à morte liberet: ita mendacium officiosum est; quando aliquis mentitur, vt se liberet à morte: quia plus sibi tenetur, quàm alteri. Mendacium autem officiosum non ponitur esse peccatum mortale, sed veniale: ergo si accusatus veritatem in iudicio neget, vt se à morte liberet, non peccat mortaliter.

3 ¶ Præterea, Omne peccatum mortale est contra charitatem, vt supra dictum est. Sed quod accusatus mentiatur, excusando se à peccato sibi imposito, non contrariatur charitati, neque quantum ad dilectionem Dei, neque quantum ad dilectionem proximi: ergo huiusmodi mendacium non est peccatum mortale.

Q. 24. art. 12.

¶ SED CONTRA, Omne quod est contrarium diuinæ gloriæ, est peccatum mortale: quia ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere, vt patet prima ad Corinth. 10. Sed quòd reus id quod contra se est, confiteatur, pertinet ad gloriam Dei, vt patet per illud quod Iosue dixit ad Achan: Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere atque indica mihi quid feceris: ne abscondas: vt habetur Iosue. 7. ergo mentiri ad excusandum peccatum, est peccatum mortale.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd quicunque facit contra debitum iustitiæ, mortaliter peccat, sicut supra * dictum est. Pertinet autem ad debitum iustitiæ quòd aliquis obediat suo superiori in his, ad quæ ius prælationis se extendit. Iudex autem, vt supra dictum * est, superior est respectu eius qui iudicatur. Et ideo ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam iuris exigit. Et ideo si confiteri noluit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negauerit, mortaliter peccat. Si verò iudex hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem iuris, non tenetur ei accusatus respondere. Sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere, mendacium tamen dicere non licet.

Q. 59. ar. 4

Q. 67. ar. 1

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod quando aliquis secundum ordinem iuris à iudice interrogatur, non ipse se prodit: sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur.

¶ Ad secundum dicendum, quod mentiri ad liberandũ aliquem à morte cum iniuria alterius, non est mendacium simpliciter officiosum, sed habet aliquid de pernicioso admistum. Cum autem aliquis mentitur in iudicio ad excusationem sui, iniuriam facit ei, cui obedire tenetur, dum sibi denegat quod ei debet, scilicet confessionem veritatis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ille, qui mentitur in iudicio, se excusando, facit & contra dilectionem Dei, cuius est iudicium, & contra dilectionem proximi, tum ex parte iudicis, cui debitum negat:

Universidad de Deusto
Biblioteca

negat: tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat. Vnde & in Psal. 140. dicitur, Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Vbi dicit glossa. Hæc est consuetudo impudentium, vt deprehensi per aliqua falsa se excusent. Et Gregor. * 22. Moral. exponens illud Iob. 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum, dicit, Vsitatum humani generis vitium est, & labēdo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare.

Lib. 22. ca. 13. in prin.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet Diuus Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: Quicunque legitimè de proprio crimine interrogatur, tenetur illud manifestare, sub reatu peccati mortalis Probatur in corpore articuli, hac ratione: Virtus iustitiæ est ad salutem necessaria: ergo quisque tenebitur sub reatu peccati mortalis illam seruare. Antecedens simul cum consequenti supponitur à D. Thom tanquam notum ex ijs, quæ dixerat supra quæst. 59. arti. 4. Tunc vltra: Iustitia obligat subditum obedire superiori in ijs, ad quæ ius prælationis se extendit: sed ius prælationis aliquando extendit se ad hoc, vt posit interrogare subditum de crimine, quod commisit, tunc, scilicet, quando secundum formam iuris interrogat: ergo etiam tunc tenebitur subditus respondere: & si noluerit veritatem confiteri vel eam mēdaciter negauerit, peccabit mortaliter. Secunda conclusio: Qui non legitimè interrogatur de proprio crimine, non tenetur illud manifestare: sed poterit, vel per appellationem, vel aliter subterfugere: mendacium autem nunquam dicere licebit. Probatur: Iudex tunc non habet ius interrogandi: ergo nec ipse interrogatus tenebitur respondere. Quod autem nunquam liceat mendacium dicere, non probat Diuus Thom. sed illud vt notum relinquit: quia est mēdacium intrinsece malum. Et sic implicat, quòd licitè fiat.

ARTICVLVS II.

¶ Vtrum accusato liceat calumnioſe ſe defendere.

Infra ar. 3 cor.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd accusato liceat calumnioſe ſe defendere. Quia secundū iura ciuilia in causa sanguinis licitū est cuilibet aduersarium suū corrumpere. Sed hoc maximè est calumnioſe ſe defendere: ergo non peccat accusatus in causa sanguinis, si calumnioſe ſe defendat.

2 ¶ Præterea. Accusator cum accusato colludens, pœnam recipit à legibus constituram, vt habetur * 2. quæst. 3. Non autem imponitur pœna accusato per hoc, quòd cum accusatore colludit: ergo videtur quod liceat accusato calumnioſe ſe defendere.

2. q. 3. c. Si quem pœnit tuerit.

3 ¶ Præterea, Prouerb. 14. dicitur, Sapiens timet & declinat à malo: stultus autem transilit & confidit. Sed illud quod fit per sapientiam, non est peccatum: ergo si aliquis qualitercunque ſe liberet à malo, non peccat.

¶ SED CONTRA est, quòd in causa criminali iuramentum de calumnia est præstandum, vt habetur * extra, de iuramento calumniæ inhærentes. Quod non esset, si calumnioſe ſe defendere liceret: ergo non est licitum accusato calumnioſe ſe defendere.

In decretal. li. 2. tit. 7. cap. 11.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd aliud est veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere. Quorum primum in aliquo casu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem cōfiteri, sed illam solum, quam ab eo potest, & debet requirere iudex secūdum ordinem iuris: puta cum præcesſit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerint, vel etiam cum præcesſit probatio semiplena. Falsitatem tamē proponere in nullo casu licet alicui. Ad id autem quod licitum est potest aliquis procedere vel per vias licitas & fini intento accommodas, quod pertinet ad prudentiam vel per aliquas vias illicitas, & proposito fini incongruas, quod pertinet ad astutiam, quæ exercetur per fraudem & dolum, vt ex supradictis * patet. Quorum primum est laudabile, secūdum vero vitioſum, sic ergo reo qui accusatur, licet ſe defendere veritatem occultando, quam confiteri non tenetur per aliquos conuenientes modos: puta quòd non respondeat,

Q. 55. ar. 4 & 5.

respondeat, ad quæ respondere non tenetur, hoc autem non est calumnioſe ſe defendere, sed magis prudenter euadere. Non autem licet ei vel falsitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur. Neq; etiam aliquem dolum vel fraudem adhibere, quia fraus & dolus vim mendacij habent. Et hoc est calumnioſe ſe defendere.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod multa secundum leges humanas impunita relinquuntur, quę secundum diuinum iudicium sunt peccata. Sicut patet de simplici fornicatione: quia lex humana non exigit ab homine omnimodam virtutem, quæ paucorum est, & non posset inueniri in tanta multitudine populi, quantam lex humana habet necesse sustinere. Quod autem aliquis non velit aliquod peccatum committere, vt mortem corporalem euadat, cuius periculum in causa sanguinis imminet reo, est perfectæ virtutis: quia omnium terribilium maxime terribile est mors, vt dicitur * in tertio Ethicorum. Et ideo si reus in causa sanguinis corrumpat aduersarium suum, peccat quidem inducendo eum ad illicitum. Non autem huic peccato lex ciuilis adhibet pœnam: & pro tanto licitum esse videtur.

Lib. 3. c. 6. tomo 5.

¶ Ad secundum dicendum, quòd accusator, si colludat cum reo, qui noxius est, pœnam incurrit: ex quo patet quòd peccat. Vnde cum inducere aliquem ad peccandum, sit peccatum, vel qualitercunq; peccati participem esse, cum Apostolus dicat dignos morte eos, qui peccantibus consentiunt: manifestum est, quòd etiam reus peccat, cum aduersario colludēdo, non tamen secundum leges humanas imponitur sibi pœna propter rationem iam * dictam.

In fol. ad 1

¶ Ad tertium dicendum, quòd sapiens non abscondit ſe calumnioſe, sed prudenter.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, aliud esse veritatem tacere, aliud autem falsitatem proponere, quorum primum in aliquo casu licet, tunc, scilicet, quando aliquis non tenetur dicere veritatem, iuxta posita in articulo præcedenti: secundum autem nunquam est licitum, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Licitum est accusato tueri ſe occultando per modos conuenientes eam veritatem, quam fateri non tenetur, scilicet, vel non respondendo ad ea ad quæ respondere non obligatur, vel vtēdo æquiuocatione, vel alia honesta ratione. Nec hoc est calumnioſe ſe defendere, sed magis prudenter agere. Secunda conclusio: Nunquam est licitum accusato defendere ſe dicendo falsum, vel tacendo eam veritatem, quam reuelare tenetur, vel vtēdo fraude, aut dolo: quia dolus habet vim mendacij. Et sic nec etiam est licitum alicui ſe calumnioſe defendere. Hæc enim omnia calumniam important. Tertia conclusio: Tres sunt casus, in quibus iudex legitime interrogat aliquem de crimine à ſe perpetrato, & in quibus ipſe interrogatus tenetur dicere veritatem. Primus est, quando præcedit infamia. Secundus, quando sunt expressa indicia. Tertius, quādo est semiplena probatio?

EXPLICATIO DVORVM Articulorum.

CONclusiones huius articuli fere sunt eædem cum illis, quas D. Thom. posuerat, articulo præcedenti. Et propterea eas sub eodem commento explicare libet, quod materiam non minus vtilem, quàm difficilem continebit. Sed vt in illa more nostro clarè, & ordinatè procedamus, operæpretium erit, vt certa ab incertis sepæmus. Quod, vt efficiam, dico primò, certum esse, quòd nullus potest qb quamcunque causam, etiam ad vitandum mortis periculum, mendacium proferre. Est enim mendacium ex natura sua adeò malum, & iniquum, vt repugnet ei licitè fieri, sicut & quibuscunque alijs rebus intrinsece malis. De quibus loquebatur Aristot. 3. Ethico. cap. 1. quando dicebat: Quædam tam turpia sunt, vt morti potius sit sustinendum, quam talia perpetrare. Et D. Paulus ad Roman. 3. Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Idem etiam probat D. Augustinus ex professo in 3. par. lib. de mendacio. cap. 6. & 7. & cap. 11. 12. 15. 18. 20. & 21. & part. 8. lib. contra mendacium, cap. 15. 19. 19. 20. Extatque de hac re decretum Ecclesiæ in cap. super eo. de vsuris. Vbi dicitur: Sacra scriptura prohibet mentiri pro saluanda vita cuiuscunque, imò & pro salute spirituali, aut pro vitando peccato alterius, aut

Nullus potest mentiri ex quacūque causa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut pro conuersione infidelium,& pro pudicitia & castitate seruanda, &c. Videndus est de hac re D.Thom.infra q.110.ar.3.& Corduba lib.1.quæstionarij q.29. vbi latè hanc veritatem probat. Dico secundo etiam esse certum,quòd,quando iudex legitimè procedit ad interrogandum aliquem de crimine à se perpetrato, ipse reus tenetur dicere verũ, etiam si talis confessionis merito sit in mortem rapiendus. Nam,cùm iudex tunc habeat ius ad interrogandum,non potest fieri,quòd illud etiam habeat reus ad non respondendum: alioqui daretur bellum iustum ex vtraque parte,quod est impossibile. Et hoc etiã probat sufficienter ratio D.Thomæ adducta in artic.1.huius quæstionis. Et testimonium Pauli ad Romanos.13.dicentis: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: nõ enim est potestas,nisi à Deo: quæ autem sunt,à Deo ordinata sunt.Itaque qui resistit potestati,Dei ordinationi resistit.Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt, &c. Quibus verbis ex eo, quòd homines sciunt se per obedientiam, & reuerentiam, quam prælatis à Deo in potestate constitutis exhibent,eis subijci debere (non est enim aliqua potestas, aut prælationis veræ super eminentia,quam Deus nõ constituerit,cuius prælati omnes legitimi sunt vicarij, & quæcunque à Deo sunt rectè instituta,atque ordinata sunt,seruaríque optimo iure debent) concludit, eum, qui obedire recusans potestati resistit, non homini tantum, sed magis diuinæ ordinationi repugnare,cum id,quod Deus ordinauit,& instituit, conetur infringere.Qui autẽ diuinæ ordinationi resistunt, clarissimum est eos,hoc ipso sibi damnationem conciliare,pro suę inobedientię demerito. Et certum est, quod qui iudicibus iure interrogantibus respondere renuunt,eis nec obediunt, nec subijciuntur, & sic peccant mortaliter. Dico tertio etiam esse certum, quòd quando quis non legitimè, etiam iuratus interrogatur, quod contingit,quando, vel ab eo,qui non est sibi iudex, vel contra canonum,legumque sanctiones fuerit quæsitus,non tenetur suum crimen confiteri. Et simile est affirmandum de testibus in crimine alieno.Et ratio est manifesta: Nam,cùm quisque habeat ius se suaque tuendi, nisi ad contrarium iure fuerit cõpulsus,& qui præter leges,canonumque ordinationes interrogatur,nullo iure legitimo compellatur,fit,vt neutiquam se prodire teneatur. Itaque hæc certa sunt.

Reus iuridice interrogatus tenetur dicere verum.

Reus illegitime interrogatus nõ tenetur suum crimen manifestare.

Dubium quando dicatur iudex legitimè interrogare.

¶ Sed est dubium, quando dicetur iudex legitimè interrogare, vt reus teneatur suum crimen manifestare? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. D.Thom. in præsenti dicit,tres esse casuum differentias,in quibus iudex potest iure reũ interrogare, & in quibus subinde reus tenetur veritatem respondere. Primus, quando præcedit infamia supra aliquo crimine.Secundus,quando apparent aliqua expressa indicia.Tertius,quando est semiplena probatio.Et quanuis huius rei rationem non subijciat,illa tamẽ apertè colligitur ex ijs,quæ superius dixerat.quæst.67. artic.3. Vbi dixit, iudicem neminem absque accusatore, vel eius vicem supplente, posse condemnare. Et certum est, quòd hæc tria, vltra expressum accusatorem, sunt quæ eius vicem gerunt, vt possit reus legitimè interrogari.Et si quis obijciat,quinque casus fuisse à nobis positos loco nuper citato ex mẽte D.Tho. quibus iudex absq; accusatore contra aliquem potest ptocedere aliquo in ipsis accusatoris vicem supplente. Primus quando diuina reuelatio intercedit. Secundus, quando crimen est manifestũ.Tertius,quando est infamia,vel indicia,vel clamorosa insinuatio. Quartus,quando procedit denuntiatio iuridica. Quintus,quando fraterna correctione præmissa denuntiat quis prælato,vt patri fratris delictum. Et sic videtur D.Tho. in præsenti diminutè procedere. Respondeo, verum esse, quòd omnes isti casus fuerunt à nobis positi in articulo citato. Cæterùm ex illis tantum faciunt ad præsens institutum tres,qui numerantur à D.Tho.in præsenti.Et ratio est: Nam eo in loco instituerat autor declarare quando iudex sine accusatore potest aliquem condemnare. Et certum est,quòd in omnibus illis casibus eo modo intellectis,quo à nobis fuerunt explicati. At verò in præsenti tantum intendit manifestare merita,propter quæ licitum erit iudici ex officio de occulto crimine inquirere, etiam nullo alio denuntiante, vel petente. Et hæc dicit esse solum tria,scilicet, infamia præcedens, manifesta indicia, & semiplena probatio. Itaque cum sint tres modi procedendi in criminalibus,scilicet,per inquisitionem, denuntiationem, & accusationem, vt constat ex cap.qualiter & quando. de accusationibus. in præsenti tantum agit D.Tho. de modo procedendi per viam, inquisitionis,& non per quamcunque inquisitionem, sed per illam, quam iurisperiti specialem appellant. Nam in generali,qua prælati munere suo fungentes,& quod aiunt officij debito prouinciam, aut conuentum visitantes crimina disquirunt, certum est non esse necessarium,quod aliquid illorum præcedat,vt diximus supra quæst.67.art.3.Panorm.in cap. 2.de confession. columna penultima, dicit, quòd quanuis iudex,quando præcedunt indicia, vel infamia, vel semiplena probatio, possit interrogare reum de crimine à se perpetrato,ipse tamen reus potest illud negare, si ex sua confessione timet pœnam temporalem, siue iudex id inquirat ex mero officio, siue ad instantiam partis. Si autem pœna imponenda non est temporalis, sed spiritualis, vt excommunicatio,dicit hæc opinio, quòd tenetur sub peccato mortali delictum confiteri. Eandem sententiam tenet Syluester.verbo.confessio delicti q.1. & Alcocer in summa,capit.26.Qui etiam citat pro eadem Nauarrum in cap.Inter verba. corolla.64.numer.732.& 746. Et ratio huius opinionis est,quia nullus tenetur seipsum condemnare,& contra seipsum arma ministrare. Nec hoc contingit in pœna spirituali, quia cum ista non tam sit pœna,quam medicina, non tam in illa habet ius reus se meliori via, qua poterit defendendi,quam in pœna temporali,quæ verè & propriè est pœna.Petrus de Nauarra lib.2.de restitutione,cap.4.in secunda parte illius,dubitatione secũda,quanuis existimet falsam opinionem Panormitani vniuersaliter intellectam de omni pœna temporali propter rationes à nobis infra ponendas,dicit tamen, quod piè & probabiliter potest teneri in causa criminali præcipuè capitis posse reum in conscientia veritatem secluso mendacio contegere,etiam si ad interrogationem iudicis præcesserint indicia, vel infamia, vel semiplena probatio. Et ratio illius est:Quoniam in causa sanguinis ob rei magnitudinem, de qua agitur,& naturalem ac vehementem inclinationem, quam natura hominibus dedit ad sui conseruationem,ipsa eadem natura tribuit summam ac liberrimam facultatem se tuendi. Hac enim de causa licitum est aliena surripere, quæ secluso extrema vitæ necessitate surripere non liceret, & occidere inuadentem,cuius alias occisio esset peccatum grauissimum. Et confirmati potest hæc sententia ex lege.4.ff.de testibus. Nam si, vt ibi dicitur,consanguineus non potest cogi ad testificandum contra consanguineum,nec similiter vt Couarruuias docet, quando testis aliquod magnum dispendium timet in seipsum, quantò magis id dicendum erit,quando aliquis contra seipsum in causa capitis debet dicere testimonium? Quis enim est magis consanguineus,quam quisque sibi? Et quod potest esse maius dispendium,quam mortis? Et si quis dicat,in hac lege solum esse sermonem de criminibus occultis, in quibus nec indicia,nec infamia,nec semiplena probatio præcesserunt,vt multi respondẽt,contra hoc est argumẽtum: Nam,si ità esset,nullum ibi inueniretur beneficium legis consanguineis concessum,cum nec etiam extranei compelli possint ad testificãdum de simpliciter occultis.Certum est autem ex mente omnium Doctorum, quod aliquid speciale in ea lege propinquis conceditur,atque etiam testibus in proprio crimine, quod alijs in communi non est concessum.

Sententia Petri à Nauarra.

Sententia Panormit.

¶ Mihi ex his sententijs ea videtur longè probabilior, quæ affirmat,semper, quòd iudex interrogat reum sufficientibus præcedentibus indicijs,vel infamia vel semiplena probatione, siue id faciat ex officio siue ad instantiam alterius, teneri interrogatum sub peccato mortali dicere veritatem, etiam si ex talis cõfessionis merito certo sciat ipsum in mortem esse rapiendum. Ita tenent Diuus Thomas,& Caietanus in hoc articulo. Soto in relectione, de tegendo & detegendo secreto,membro.1.quæst.1.& latius,quæst.7.conclusione.1.& lib.5.de iustitia.q.6.ar.2.conclusione 2.Corduba lib.1. quæstionarij. qu. 43.dubio.3.Nauarro in summa. capi.25.nu. 33.citatq; seipsum in cap. inter verba. conclusio.6.Et re vera ità tenet.In eadem etiam sententia est Couarruuias in practica.qu.23. num.5.Gabriel.in 4.d.15.q.6.art.2.concl.6. Rosella.verbo.accusatus.6.1.Palud.in 4.dist. 19.q.4.num.7.Enriquus q.10.quodli.1.qu. 35.& ex iurisprudentibus Gregorius Lopez super part.7.titulo.29.leg.4.Archidi.5.Item quod dicitur 22.q.2. Bartholomæus in lege Marcellus.ff.de actionibus rerum ammotarum.Speculator titulo de pœnitẽtia.§.7.versiculo.19.Rodericus Suarez leg.4.11.12.de las Iuras lib.2.foro legum.Antonius Gomez tomo.3.Variar.resolu.cap.12.num.15. Bernardus Diaz in sua practica criminali. capit. 128.& frater Bartholomæus de Medina in summa lib.1.cap.1.16.35.folio.144. Et probatur:Subditus tenetur sub peccato mortali parere præcepto superioris iusta præcipienti: sed iudex iustè ac legitimè præcepit, vt sibi veritas manifestetur,quando præcedunt sufficientia indicia, aut infamia,aut semiplena probatio: ergo tunc subditus tenetur ei obedire,atque ex consequenti detegere veritatem.Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur,ex cap.qualiter & quando 1.& 2.& ex cap.super his.& ex cap.cum dilecti.& alijs multis,de accusationibus.Vbi expresse habetur, tunc iudicem legitimè super delicta inquirere, quando reus laborat infamia,vel sunt indicia,aut semiplena probatio.Imo in leg.4.titulo.29.part.7.præcipitur iudicibus, vt ità faciant sub his verbis: El juzgador deuele fazer jurar, que diga la verdad.

Sententia autorit.

Interrogatur à iudice præcedẽte infamia, vel indicijs vel semiplena probatione semper tenetur dicere verũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

verdad. Idem etiam habetur in cap. 1. de confessio. & in titulo, de purgatione canoni. per multa capita. Ex quibus manifestè colligitur, non solum posse iudicem in supradictis casibus inquisitionem facere, sed etiam ad id teneri. Quod & manifesta ratione potest probari. Nam si super his delictis iudex nec procederet, nec rogaret, nec tormenta minaretur, sed liberos dimitteret infamatos, indiciatos, & semiplene probatos, magnum in republica scandalum suboriretur, atque detrimentum: cum hac confidentia omnes fierent malefactores, breuiq; respublica impleretur criminibus. Ad hoc argumentum Petrus de Nauarra loco citato, dicit, quòd, quamuis sit verum communiter in omnibus casibus tam ciuilibus, quã criminalibus, quòd tenetur subditus sub peccato mortali parere superiori iusta præcipienti, id tamen fallit in illis casibus, in quibus agitur de capite. In quibus quidem potest iudex iuridicè, ac legitimè interrogare, præcipereque etiam sub iuramento, vt sibi veritas manifestetur. Et tamen reus licitè eam abscondit. Vterq; enim iure suo vtitur, iudex percontando ob commune bonum, & reus celando ob bonum propriæ vitæ. Nec mirari, inquit, quisquam debet, quod detur istud velut bellum iustum ex vtraque parte, secluſa ignorantiæ inuincibili: siquidem constat licitum esse iudici damnato ad mortem præcipere, vt è carcere non fugiat, & tamen ipse parere non tenetur. Damnato etiam ad mortem in absentia iudex legitimè præcipit, vt compareat, & tamen ipse in absentia venire non tenetur. Simile solet dici de seruo, dum ipse non se vendidit, quod potest fugere in conscientia: & tamen dominus iuste præcipit, ne fugiat, & ad id potest compellere. Et hoc propter maximum ius, quod vnusquisq; habet propriam vitam, ac libertatem conseruandi. Cæterum hæc responsio nulla est: semper enim est implicatio in adiecto, quod detur bellum iustum ex vtraque parte: quod contingeret, si prælato iuridice ac legitimè interrogante de crimine, posset reus illud licitè celare. Eo vel maximè, quod ex iure, quod superiores habent ad aliquid præcipiendũ, euidenter colligitur obligatio, quam habent subditi ad obediendum. Nec potest fieri, quòd subditus habeat ius ad non obediendum, & quod illud habeat superior ad præcipiendum, cum hæc sint correlatiua, mutuoq; se consequantur: vt constat ex illo Pauli ad Rom. 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autẽ resistũt ipsi, sibi dãnationẽ acquirunt. Quibus verbis ex eo, quòd potestas principũ est à Deo, & nihil est à Deo sine ordine collegit ordinẽ etiã, quo inferiores superioribus potestatibus subijciuntur esse à Deo. Et sic qui contra hunc ordinem potestati resistit, quod ipsi Deo resistant, erit necesse, iuxta illud Lucæ cap. 10. Qui vos spernit, me spernit. Et primi Regum cap. 8. Non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos. Hoc modo argumentandi colligunt Doctores necessitatem confessionis sacramentalis ex illo Ioan. cap. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Si quidem non potest fieri, quòd Apostoli, & reliqui sacerdotes habeãt ius ad absoluenda peccata à fidelibus cõmissa, quin etiam ipsi teneantur illa sacramẽtaliter confiteri. Et ad id, quod adducitur de condemnato ad mortem, cui potest iudex precipere legitimè, ne è carcere fugiat, vel vt absens compareat, & tamen ipse parere non tenetur, nec similiter seruus, cui fuerit præceptum impositum de non fugiendo, respondeo, quòd cũ inclinatio, quam habent homines ad tuendam propriam vitam, atque libertatem, sit valde naturalis, atque vehemens, fit, vt non habeant iudices potestatem præcipiendi, ne condemnatus ad mortem fugiat, si potest, vel quod absens compareat, quãuis habeant ius ad illum suspendendum. Essent enim huiusmodi præcepta valde rigida, & iure gentium nulla. Quare dum damnati fugiunt, vel citati non comparent, nec faciunt iniuriam ministris iustitiæ, nec illis resistunt, aut violentiam inferunt, sed tantum causam suam deserunt, diffidentes de illa, præsentiamque suam negant, quam vti supponimus ex iure gentium exhibere non tenentur ad mortem, quam inde sibi vident imminere. Et eadem ratio est de seruo, qui se non vendidit, quantum ad recuperationem propriæ libertatis. At verò qui iam præsens in iudicio legitimè cogitur respondere, faceret iniuriam iustitiæ, illi q; resisteret, non respondendo, sicut & qui fugit resistendo, aut qui iussus ascẽdere patibulum, vel collum gladio iustitiæ exhibere id facere non vult. Et per hoc patet solutio ad argumentum, quo idem Petrus de Nauarra suam sententiam probabat. Ad confirmationẽ autem desumptam ex lege 4. ff. de testibus, dico eam non facere ad propositum. Vendicat enim sibi locũ textus ille, quando certum est iudici, socero, generum, aliasq; personas sibi expressas, quia delicto ad fuerũt depositoras aduersus ipsum reum, vt constat ex ipso textu in illis verbis. Vt testimonium litis dicat aduersus socerũ, &c. Hic autẽ nos vagamur magis in incerto, scilicet, quando iudex, vt sibi veritas innotescat post alias probationes non omninò euidẽtes conquisitas, reum interrogat, qui nisi veritatem exponat

peccati mortalis reatũ incurret, &c.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm ad hoc, vt reus teneatur iudici respondere veritatẽ, vt dictum est, sit necessarium, quòd iudex prius ei notificet contra ipsum esse infamiam, vel indicia, vel semiplenam probationem, vt sic sciat ipsum iuridicè interrogare, an vero statim teneatur ei fidem adhibere, credereq;, quòd iuridice interrogat, vt veritatẽ illico manifestet? De qua re sunt variæ

Sententia Caietani & aliorum Doctorum sententiæ. Caietanus, Soto, Nauarro vbi supra, & multi alij dicunt, non teneri reum veritatem manifestare, quoadusq; sibi certò constet quod iuridicè interrogatur: At verò alij, quos refert Gregorius Lopez loco citato, dicũt oppositum, & ratio illorum est: Quia semper debet præsumi pro iudice, quod legitimè procedit, quandiu de opposito non constiterit. Mihi hæc secũda opinio

Sententia probabilior nimis dura videtur. Quocirca dicẽdum potiùs existimo, quòd quandiu reus dubitet, an sint indicia sufficientia, vel infamia, vel semiplena probatio, cõtra eum, quod sæpe accidit, quia iudices frequẽter leui rumore, & leuibus indicijs mati gloriosum sibi existimant, si sub iuramento & manu, & alijs vexationibus mille artibus vtentes à reo veritatem extorqueãt de crimine occulto, quod contractum suspicantur, non tenetur respondere veritatem, quamuis non debeat mentiri, vt supra dictum est, nec pro iudice est præsumendum, quandiu eo non constat, vel rationabiliter constare debet, quod ipse legitimè procedit. Qui enim bona sua, honorem, atque vitam iure possidet, quousque ius alterum sibi innotuerit, quo debeat illorum iacturam facere, non astringitur illa dimittere. Alias eorum prodigus esset. Atque id maximè in rebus grauioribus: & potissimum in his, quæ vitam in discrimen objiciunt. In rebus quidẽ leuioribus possent subdi prælatis fidem adhibere, & non omnibus, sed illis, quos probos, prudentes, ac scientiæ peritos cognouerint, cum tamẽ in rebus grauioribus ius habeant vitam ac proprium honorem tuendi, quousque sibi contrarium rationabiliter constiterit.

Quæ infamia sit sufficiẽs vt iudex ad inquisitionẽ procedat. ¶ Quoniam dictum est, infamiam, vel indicia sufficientia, vel semiplenam probationem sufficere, vt iudex legitimè dicatur facere inquisitionem & hæc nõ paruam possint habere latitudinem, operæpretium erit singula suo ordine explicare. Et quidem de infamia iã diximus supra q. 67. ar. 3. non quancunque, sed illam tantum, quæ à viris honestis non malenolis, & qui non semel, sed pluries procedit sufficere mouere iudicem ad hoc, vt legitimè inquisitionem faciat. Quod Caietanus in hoc commento sub his verbis declarat: Infamia vocatur non frequens vox discolorum, sed frequens vox talis, vt apud probos & prouidos viros reddatur persona de crimine tali rationabiliter suspecta. Non nulli affirmant duorum, aut trium hominum testimonium, maximè iuramento rem attestantium, sufficere ad efficiendam infamiã. Sed procul dubio fallũtur. Est enim infamia, sicut & fama, communis opinio voce manifestata, vt definit Bartolus in leg. de minori. §. tormenta. ff. de quæst. Et dicitur communis opinio: quia paucorum dicta nec bonam, nec malam famam efficiunt. Et dicitur voce manifestata: quia interior notitia atque cognitio existimatio potius, quàm fama appellatur, quæ est quid superius ad famam: & est veluti genus ad illam: quia omnis fama est rumor, & non è contra. Quando enim minor pars ciuitatis, vel viciniæ de aliquo habet opinionẽ, tumor dicitur. Quando autem maior pars ciuitatis, vel viciniæ loquitur, est fama. Nauarro in cap. inter verba, coroll. 63. num. 214. putat esse discrimen inter famam, & clamorosam insinuationem in eo, quòd fama est, quæ in iudicio sufficientibus testibus probatur: clamorosa autem insinuatio est crebra fama extra iudicium. Sed procul dubio fallitur. Tum: quia pro eodem vtrumque nomen vsurpatur in iure, vt constat ex cap. inquisitionis §. tertiæ dubitationis & cap. qualiter & quando. vel secundo, de accusationibus. Vbi non semel, sed sæpe dicitur, quòd clamor inuit, & diffamatio manifestat. Nec glossa in his locis quidquam interista distinguit. Quod & facit Soto in relec. de tegendo secreto. memb. 2. q. 6. dub. 3. Tum etiam: quia vix explicari poterit, quis sit ille numerus testium, in iudicio ad infamiam sufficiens. Eo vel maximè, quòd cum iudex nõ possit procedere ad inquisitionem faciendam, nisi infamia præcedente, vt cõmuniter dicunt Doctores, & est expressa constitutio iuris in ca. cũ oporteat. de accusationibus, vbi habetur: Discretioni tuæ mãdamus, quòd nisi super prædictis criminibus famã illius læsam esse nouerit is, ad inquisitionẽ minimè procedatis, necessariũ erit, quòd ante iudicium infamia existat, atq; ex cõsequenti non solũ in iudicio, sed etiam extra poterit esse.

Dubiũ an requiratur infamia de persona vel potiùs sufficiat de facto. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an satis sit, quòd ista infamia sit de facto, vel potius etiam requiratur, quòd sit de persona? Verbi gratia. Inuenitur corpus hominis occisi, nec huius facti infamia aliqua persona in particulari læsa est. Dubitabitur, vtrum sit licitum iudici per viciniam disquirere, quis illius fuerit interfector? De qua re sunt varię

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Sentẽtia Doctorum sententię. Prima est, quorundam, qui dicunt absolutè esse licitum iudici huius rei facere inquisitionem: ipsos tamen testes solum teneri manifestare infamatos, vel indiciatos. Itaq; dicunt, quòd facti infamia præcise sufficiens est, vt iudex legitime interrogetinon tamen est satis, vt testis teneatur detegere malefactorem, nisi simul cum notitia facti infamia personæ, vel indicia inueniantur. ¶ Secunda sententia est aliorum, quos refert Soto li.5. de iustitia.q.6.ar.2.& de tegendo secreto membro.2.q.6.dub.4. Qui dicut, quando est infamia facti, & non personæ, posse iudicem interrogare in communi, quis fecerit illud: non tamen in particulari, an hic, vel ille. Et ratio illius est: Quia cùm solum præcesserit infamia vagæ personæ, & nõ huius, vel illius, solum potest iudex interrogare indeterminatè, quis fecerit, nõ autem, an hic vel ille. ¶ Tertia sententia est, illorum, qui dicunt nullo modo esse licitum iudici in isto casu facere inquisitionem super persona occulta. Hanc tenent Soto loco citato, & Caietanus in isto articulo, & Panormitanus, & Hostiens. & Innocent. in capit. bonæ memoriæ. de appellationibus. Et probatur primò ex capit. cum oporteat. de accusationibus. Vbi habetur: Nisi super prædictis famam ipsius, scilicet personæ, læsam esse nouerit, vos ad inquisitionem nõ subitò procedatis. Et in capit. inquisitionis. eodem titulo. dicitur: Nullus pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, est puniẽdus. Et in cap. qualiter & quando, ibidem, legitur: Si super excessibus suis quis fuerit infamatus, tunc procedendum est ad inquisitionẽ. Quibus omnibus locis significari videtur infamiam personæ esse necessariam, vt contra aliquem fiat inquisitio. Secundo probatur hęc sententia ex testimonijs sacræ scripturæ superius positis de villico iniquitatis, & de sodomitis, quibus non dicuntur personæ punitæ, quoadusque infamia læsæ fuerunt inuentæ. Videturq; hoc fundamentum in illo Matth. cap. 5. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Est enim iudicium temerarium de persona iudicare propter crimen publicum, ac subin de illam explorare. ¶ Quarta sententia tenet omnino oppositũ, scilicet, quòd quando cui mẽ est manifestum, ac publicum, licitum est iudici facere inquisitionem, etiam occultæ personæ. Hanc dicunt Caietanus, atq; Soto tenuisse D. Thomã Parisijs dum erat baccalaureus. Sed certè illam tenet Nauarro in c. inter verba. conc. 6. corol. 49. nu. 124. in eam quę refert Innocentium, & Panormitanum. Eandẽ tenet Corduba in summa. q. 64. puncto. 1. & Gerson alphabeto 34. litera. Q. &

1. Argum.

2. Argum.

Quarta sentẽtia vera & tenenda.

Angelus in summa, verbo, denuntiatio §. vltimo. & verbo. confessio delicti. & Arcualo de correctione fraterna. concl. 6. propositione. 7. quæ etiam mihi videtur probabilior. Quod, vt à fundamentis declarem aduertendum est primò, non esse solum de iure positiuo, quòd ad inquisitionẽ non procedatur, sine infamia, sed etiam de iure naturali, atq; diuino. Naturali quidem: quia lex naturalis dictat seruandum esse secretum. Et quando peccata, aut peccatores sunt occulti, adhuc est secretum. Tum: quia lex seruandi secretum, vt doctores docent, non solum obligat seruare secretum nobis cõmissum: sed etiam peccata, seu peccatores occultos non reuelare, cum in communitatis damnum non vergunt, vt infra dicemus. Tum etiam: quia potestas inquirendi in iudice existens, est publica: & potestas publica iure ipso naturę requirit notitiam publicam, tam criminis, quã criminosi. Quæ enim sunt occulta, naturaliter sunt exempta ab humano iudicio, vt diximus supra. Quod autem etiam sit de iure diuino, non procedere ad inquisitionẽ, sine infamia, probatur ex ca. qualiter & quando. iam citato. Vbi Innocentius 3. sic inquit: Qualiter, & quando debeat prælatus procedere ad inquirendum, ex auctoritatibus veteris & noui Testamenti euidenter colligitur: ex quibus canonicæ processerũt sanctiones. Legitur enim in Euãgelio, quòd villicus ille, &c. & Matth. 18. dicitur: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Nec valet si dicatur, ibi solum esse sermonem de eo, qui fraternè ad emendationem fratris procedit. Multo enim stricti⁹ id seruare tenebitur, quando ad pœnã procedit, cũ charitatis vinculũ, quo præceptũ illud innititur, magis obliget, vbi maius damnũ fratri timetur, quod absq; scãdalo, & maiori damno vitari potest.

De iure naturali est quod non procedatur ad inquisitionem sine infamia.

¶ Secundo est aduertendum, quòd quauis sit lex naturalis, atq; diuina non procedendi ad inquisitionem, sine infamia: non tamen est primi ordinis, vt non mentiri, diligere Deum, quæ non interpretatione, nec dispensationem recipiunt. Sed est secundi ordinis, illarum scilicet, quæ interpretationem accipiunt. Vt enim autor est D. Tho. 1.2. q. 94. artic. 4. Inter præcepta legis naturæ quædam sunt generalia, & quasi prima principia, vt, Bonum est faciendum, &, Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Alia vero sunt, quæ ex his principijs deducuntur euidẽter. Et inter hęc adhuc est discrimẽ. Nam quædam facili negotio deducuntur: alia verò magna cum difficultate, & post diuturnum laborem. Et de primis principijs generalibus, dicit, illa esse eadem apud omnes, non solum quantum ad cogni-

Leges naturales secundi ordinis interpretationem accipiunt.

cognitionem, sed etiam quantum ad rectitudinem. Quod est dicere, quod prima principia legis naturæ ab omnibus cognoscũtur, & in omni euẽtu, & semper sunt iusta. Comparantur enim hæc primis principijs speculatiuis, quantum ad hoc, quod sicut principia speculatiua semper, & vbique sunt vera ab omnibusq; sufficienter lumine naturali cognoscuntur: ita etiam prima principia practica semper, & in omni euentu sunt iusta, & omnibus nota. De præceptis autem naturalibus, quæ sunt veluti conclusiones ex primis principijs deductæ, affirmat, quòd licet, vt in plurimum, sint recta, atque iusta apud omnes, non tamẽ semper. Et est dicere, quòd iudicia, quæ ex primis principijs deducuntur, non semper sunt iusta & recta apud omnes. Et sic lex naturalis secundum illa nõ est eadem semper apud omnes, quantum ad rectitudinem. Et ratio huius est: Nam cum iustum & rectum in operabilibus sumatur, non solum ex obiecto operationis, sed etiam ex omnibus circunstantijs, quæ in particulari concurrunt, fit, vt eadem operatio, quæ secundum se, & simpliciter considerata erat iusta, & recta, & à lege præcepta, considerata in particulari propter aliquas circunstantias sit praua. Quod & hoc exemplo declaratur: Nam ex hoc principio: Quod tibi non vis, alteri ne feceris, statim necessario sequitur, alienum nec esse accipiendum, nec retinendũ inuito domino rationabiliter. Et ex hac conclusione rursus infertur, depositum esse restituendum: quod quidem præceptum, vt in plurimum, rectum & iustum est. Sed, si eueniat casus, quòd dominus depositi in perniciem propriam, vel reipublicæ velit vti deposito, ratione illius circũstantiæ: id, quod natura sua erat rectum, efficitur malum. Et sic patet, quòd iudicia practica dedacta ex primis principijs, non semper, & in omni euentu sunt iusta. Ex quo infertur esse valde facile errare in discursu practico, ex quo in principijs vniuersalibus deducuntur conclusiones ad res practicas operandas. Nam cum ad statuendum quid in particulari sit bonum, oporteat considerare omnes circunstantias, & noster intellectus difficulter possit attendere ad plura, fit, vt in suo discursu, & ratiocinatione sæpè sæpius erret.

Explicatio difficultatis.

¶ His suppositis dico, quòd quemadmodum est lex naturalis reddẽdi depositum: & tamen quando dominus in perniciem suam, aut reipublicæ eo vti vult, non obligat, sed interpretationem admittit: & sicut est lex naturalis, vt quis sua sponte non se exponat periculo propriæ vitæ: & tamen licet pro bono communi, & patria liberanda se morti offerre: quia ius illud naturale de conseruanda vita, epicheiam recepit ob aliud naturale ius illo fortius de bono communi conseruando: ità etiam in proposito, licet sit naturalis lex celandi occultum peccatorem, licet tamen in aliquo casu inquirere de illo ad vitanda maiora mala, in eo, scilicet, quo etimẽ est publicum, atque manifestum. Si enim publica scelera sic relinquerentur, sequerentur duo maxima mala. Primum, quòd daretur scandalum in populo, cum viderent impunita, & minimè inquisita manere crimina. Secundum quòd breui respublica esset plena malefactoribus, nulluſq; securus viueret. Ob maius ergo malum vitandum, interpretanda erit lex naturalis de celando peccato, quando crimen est manifestum. Quod & iura disponunt in crimine læsæ maiestatis, & similibus, in quibus inquisitio fieri præcipitur ob vitandũ maius malum, etiã nulla infamia precedẽte. Hæc mea sententia, atq; eius ratio videtur apertè posita in lege. 1. tit. 17. p. 3. Vbi postquam de generali inquisitione dictũ fuerat: Maguer, que no se querelle nadie, puede el Rey hazer pesquisa: Maguer ende no aya mala fama para parar mejor su tierra, y castigar los malefactores: De particulari inquisitione subdit: La segũda manera de pesquisa es sobre hechos de algunos, q̃ no sabé quien los hizo. Et apertiùs in lege. 3. Si fuesse vn hombre muerto, y no supiessen quien lo matara, quier sea hecho de dia, quier de noche, porque vienen muchos males dello, y grandes daños, deuẽ ser las personas pesquisadas, solo q̃ no sea hecha de algunas personas ciertas. Idem etiã decernitur leg. 6. tit. 1. lib. 8. recopil. Vbi habetur: Si la tal cosa fuere fecha, quier en villa, quier en yermo, y ninguno pudiere querella al alcalde, el alcalde de su officio sepa la verdad, por pesquisa, o por donde mejor pudiere. Porque razon es, que los males y desaguisados, y malefactores no queden sin pena. Sed est aduertendũ, quòd huiusmodi inquisitio debet fieri respectu personæ in generali interrogãdo, quis crimen cõmiserit: non autẽ in speciali, an hic vel ille, vt diceliat secũda opinio. Nec poterit iudex facere inquisitionem interrogando indistinctè quoscunq; voluerit, sed tantũ illos, de quibus potest esse aliqua probabilis opinio, quod potuerũt aliquid scire. Vt si, v.g. homo est interfectus in aliquo itinere, poterit interrogare quoscunq; illac transierunt, tenebunturq; tũc testes quæcunq; sciuerint patefacere. Nã cum iudex illos legitimè interroget propter bonum cõmune conseruandũ, propter idem bonum erũt etiã ipsi astricti dicere veritatẽ, quanuis alias crimine occulto manente, ma-

Qualiter debeat fieri inquisitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lefactorem nec accusare nec manifestare tenerentur. Si post factam autē generalem inquisitionē indicia aliqua, vel semiplena probatio infamiæ aliquē denotauerint, particulariter tūc poterit de illo inquisitio inīri, iuxta dicta à nobis in principio huius articuli. Potest prætetea hæc sententia probari ex cap. quidā maligni. 5.q.1. Vbi Greg. Papa, excommunicationē infert in eū, qui occultē libellū famosum promulgauit, nisi se proderit. Ex quo apertē colligitur euidentiā facti esse sufficientē ad faciēdam inquisitionē, si quidem valet ad præcipiendū sub excōmunicatione, vt se prodat qui publicū peccatum cōmisit, quamuis occulte. Nec valet si dicatur, excommunicationē ibi latā esse à Gregorio pro peccato præterito infamationis, & non pro peccato inobedientiæ non se prodendi, vt dicit Caiet. in isto articulo. Nā vt recte dicit Soto lib. 5. de iustitia. q. 6. ar. 2. impossibile est pro peccato præterito, cui nulla antecesserit admonitio excōmunicationem imponi. Cū, vt ex Euangelio constat, nullus tali censura puniri possit, nisi ob peccatū mortale, idq; inobediētiæ, quo rebellis Ecclesiæ audire noluerit, iuxta verbū Christi: Si Ecclesiā non audierit, sit tibi tanquā Ethnicus, & Publicanus. Nec Paulus Corinthiū illum ob cōmissam incestum Sathanæ tradidisset, nisi incorrigibilis esset. Nec etiā valet interpretatio Soti loco citato, dicentis, quòd nunquā sanctissimus pōtifex cogitauit latentē illum diffamatorē extorsione excōmunicationis in publicū producere, sed hoc tantū ei præcepit, ad quod iure naturæ ipse tenebatur. Nempe, quòd, vel produceret se, vt crimen probaret, quod alteri imposuerat, aut famā ei restitueret: quā, nisi se proferēdo restituere non poterat, sin minus à sacrosanēta Eucharistia sub pœna excōmunicationis deinceps abstineret. Itaq; dicit, quòd excōmunicatur nō pro delicto præterito, nec nisi se proderit, sed pro futuro sacrilegio, si ab Eucharistiæ absumptione in peccato existens nō abstineret. Non, inquā, valet hęc interpretatio Soti. Nā ibi re vera priuatur delinquens Eucharistia, nisi se prodat. Dicitur enim in textu: Si nō exierit, nec publicè confessus fuerit, quisquis ille sit, diffinimus vt à sacramento Dominici corporis & sanguinis sit priuatus. Et deinde planè excōmunicatur si Eucharistiā sumat, antequam se prodat. Per inde enim est excōmunicationē imponi, nisi se proderit, & si Eucharistiā sumpserit, antequā se prodat: Si quidē vtrobiq; excōmunicatio ordinatur ad proditionē personæ: atq; ex consequenti licita non esset, nisi etiā esset licita inquisitio personæ, quando crimen est publicum atq; manifestum. Tandē probatur nostra sententia: Nā plures sunt casus cōmuni Doctorum sententia recepti, iureq; expressi, in quibus licitū est absq; infamia præcedēte de delictis perscrutari, idque nulla alia ratione, nisi quia maius strictiusque naturale ius alterum interpretatur, eique præualet. Et ità contingit in proposito.

¶ Et ad argumenta facta pro 3. sententia. Ad 1. respondetur, quod omnia illa capita loquuntur de inquisitione certę personæ, quæ fieri non debet, nisi ipsa aliquatenus sit infamata, etiā si crimen sit publicū. Vel 2. respōdetur, quod loquuntur de crimine nō manifesto. Nā quādo delictum est, publicū etiam si persona sit occulta, ob cōmune bonum erit licitum inquisitionē facere ad modū iam explicatū. Eo vel maximè, quòd cū hæc sint de iure naturæ, vt diximus, non est credendum ius positiuum illi velle derogare. Et eodem modo respōdetur ad 2. Nec habet aliquā temeritatē iudiciū, quod oritur ex crimine manifesto, dūmodo non inquiratur certa persona, quo ad vsq; ad id sint aliqua indicia. Prima opinio dicebat, quòd quādo factum est publicū, licitum est iudici facere inquisitionem, testes autē non tenentur manifestare, nisi infamatos, vel indiciatos. Sed hoc à me iā sæpè est impugnatū: propterea quòd fieri nō potest, vt iudex habeat ius ad interrogandum aliquem, & quod ipse non teneatur veritatē respōdere. Daretur enim bellum iustū ex vtraq; parte, quod est impossibile. Vnde dico, quòd si homo aliquis in vno vico mortuus fuerit inuentus, & iudex eos de illa vicinia interroget, de quibus probabiliter iudicat aliquid scire, tenebuntur singuli veritatē manifestare, etiā si vnus tātum sit qui de illa possit testimonium dicere. Quia, sicut iudex, ne bonum cōmune pereat, & ne respublica impleatur sceleratis hominibus, quod cōtingeret, si videret ciues publica crimina impunita minimēq; inquisita maiere: tenetur tūc facere inquisitionē occulti peccatoris, cuius honor alias ex eodem iure naturæ esset seruandus: ità etiā subditi in similibus casibus ob idem cōmune bonum, quod semper priuato est præferendum sunt obligati malefactores etiam non indiciatos detegere, quamuis alias crimine occulto manente nec ad interrogata respondere, nec malefactorem manifestare, imo illum occultare, tenerentur.

Ad 1. arg. pro tertia sententia.

Ad 2. arg.

Dubiū an infamatus de vno crimine possit inquiri de alijs.

¶ Est aliud dubium circa infamiam, quæ inquisitionem præcedit, vtrum quando vna persona est infamata de vno crimine, vel convicta, licitum sit iudici interrogare de alijs occultis? & an ipse interrogatus teneatur ad interrogationem respondere? Paludanus in 4. d. 19. qu. 4. tenet partem affirmatiuam, quam

Sententia Paludani.

Argumen. quam etiam sequitur Syluester verbo. inquisitio. 1. q. 3. dicto 4. & Antoninus. 3. p. titulo 9. ca. 7. §. 5. Illamq; probāt hac ratione: Iudex non propter occultationem peccati, sed peccatoris prohibetur de occultis inquirere, ac iudicare: ergo quādo criminosus is est in iudicio detectus, legitimè poterit interrogari de omnibus suis delictis, etiā occultis, ac ipse tenebitur dicere veritatem. Contrariā tamen sententiā tenet Caiet. in isto articulo. & Soto li. 5. de iustitia. q. 6. ar. 2. & de tegēdo secreto. membro. 2. q. 6. dub. 2. Adrianus quodlib. 11. Henriquus quodli. 9. q. 25. Nauarro in cap. inter verba. conclu. 6. corol. 51. nu. 127. & in Summa cap. 25. nu. 36. Qui omnes vnanimiter dicunt, conuictum de vno crimine, non posse de alijs occultis interrogari, nec interrogatum teneri illa manifestare, nisi in duobus casibus. Primus est, quando cognitū crimen fuerit indicium respectu alterius. Vt, si, verbi gratia, quis infamatus, vel cōuictus fuisset de adulterio, & adulterę maritus in suo lectō interfectus fuisset inuentus, tūc talis adulter legitimè interrogaretur, an esset reus talis homicidij, & ipse teneretur dicere veritatē. Itē, si aliquis de homicidio esset conuictus, & cadauer nudū fuisset repertū, iure posset interrogari super spolio. Secūdus casus est, quādo vnū crimen est alterius circunstantia. Vt qui de consuetudine cū aliqua puella fuisset conuictus, legitimè interrogaretur, an ipsam defloraueret. Quæ sentētia est vera atq; tenēda. Et quidē quod extra hos duos casus cōuictus de vno crimine, nō possit de alijs occultis interrogari, probatur manifestè ex iuribus superius positis, quibus apertè significatur, nō tam eum infamiā peccatoris, sed etiā peccati esse necessariam ad inquisitionē. Dicitur enim in ca. cum oporteat. de accusatio. Nisi super his famam eius læsam esse noueritis. Et in cap. qualiter & quando ibidē: si super excessibus suis quis fuerit infamatus, tunc procedendū est ad inquisitionē. Et ratio est manifesta: Nā potest quis adulterij infamia obscurari, qui tamen circa furtum aliaq; peccata integrum habeat nomen, sicq; non minus erit cōtra rationē quod de illis interrogetur, ac inquiratur, quā si de nullo alio peccato fuisset conuictus. Quod autē quando vnum peccatū est circunstantia, vel indicium respectu alterius iure possit interrogari de illo, etiā si sit occultum, probatur: Nā semper quòd sunt indicia sufficientia, legitime interrogat iudex de crimine, ipseq; interrogatus tenetur dicere veritatem, quantò magis quando indicia sunt peccatum, vel circunstātia respectu alterius.

Ad argumentū Paludani.

¶ Et ad rationem Paludani, & aliorū respondetur cum Caietano in præsenti, falsum esse, quòd iudiciū de occultis est prohibitum, nō propter occultationē peccati, sed solum propter occultationem peccatoris. Ex eo enim solum, quòd peccatū est occultum, est etiam exemptum ab inquisitione, & iudicio humano, cum omnia iudicia humana ad publicam tantum scientiam, & potestatem spectent, vt dictum est. Caueant ergo suæ & subditorum suorum conscientiæ prælati religiosorum, qui altero illorum de vno peccato diffamato existente, statim procedunt inquirendo de alijs, de quibus non est infamatus, super hocque varia præcepta ac censuras imponunt. Peccāt enim ipsi præcipiendo, & subditi non tenentur obedire. Nec excusantur huiusmodi prælati ex eo, quòd dicunt inquirere de aliquo, de quo aliquando fuit aliqua suspicio, oportet enim semper, infamiam, seu clamorosam insinuationem præcedere, & non simplicem suspicionem, vt dictum est.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an conuictus, vel confessus de vno crimine, possit licitè interrogari de complicibus, nulla infamia laborantibus, ipseq; teneatur ad interrogata respondere. In qua re, omissis varijs modis dicendi Doctorum, vt quid in hoc mihi verum, consonumq; his, quæ hucvsque diximus videatur, paucis explicem, aduertendum est, quòd crimina sunt in multiplici differentia. Quædam enim sunt communia, hoc est, in damnum publicum vergentia, vt crimen læsæ maiestatis, hæresis, proditio ciuitatis, &c. Alia sunt particularia, vt homicidium, adulterij, &c. Rursus quædā sunt, quæ ex natura sua sine socio exerceri nō possunt, vt adulterij, sodomia. Alia autem, quę sine socio optimē fiunt, vt homicidij, furtum. Tandē quędā sunt publica, omnibusq; nota: qualis est occisio hominis, cuius cadauer ab omnibus videretur. Alia verò occulta, quę à iudice tantū eiusq; ministris cognoscuntur. ¶ Hoc supposito dico primo: In criminibus cōmunibus, hoc est in dānum publicum vergentibus, licitum est iudici interrogare de complicibus, etiā occultis, ipseq; interrogatus tenetur dicere veritatē. Hanc conclusionē tenent communiter omnes Doctores cū Bartolo in leg. repeti. ff. de quæstio. Et probatur manifestē. Nam propriū munus cuiuscunq; iudicis est, consulere bono cōmuni, non obstācibus qui buscunq; priuatis cōmodis. Eo vel maximè, quòd cū in hoc casu ipse delinquens etiam non interrogatus teneatur accusare, vel denuntiare complices occultos, vt diximus supra q. 68. artic. 1. semper poterit iure super illis interrogari, ipseque tenebitur dicere veritatem. ¶ Dico secundo: In criminibus particularibus, quæ ex natura sua sine socio

Dubiū de eo qui interrogatur de complicibus.

1. Dictum.

2. Dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

optime fiunt, siue publica sint, siue occulta, non est licitum iudici interrogare de complicibus, nulla infamia laborãtibus. Nec ipse reus tenebitur illos detegere: imò potiùs peccaret mortaliter eos reuelando. Probatur: Ea ratione diximus supra in criminibus manifestis, teneri testes dicere veritatẽ: quia quãuis sit ius naturæ celare occultũ peccatorem, ad vitanda tamen maiora mala, scilicet, ad vitandum scandalũ, quod esset si crimina publica viderẽtur impunita, minimeq; inquisita manere, & ne respublica impleatur sceleratis hominibus, maius atq; strictius ius naturæ præcipit, vt in similibus casibus iudices faciant inquisitionem, & singuli interrogati teneantur dicere veritatẽ: sed in casu, quo crimẽ alicuius particulare, quod ex natura sua complicem non requirit, est publicũ, & constat iam de vno patratore, cessãt illa maiora mala, quę diximus: ergo tenebitur tũc iudex iure naturæ non interrogare de alijs cõplicibus occultis: nec ipse interrogat⁹ sine peccato mortali poterit eos manifestare, tanquã ille, qui iure naturæ bono, atq; famæ proximi consulere tenetur. Nauarro in ca. inter verba. concl. 6. corol. 51. n. 128. dicit posse consuetudine introduci, vt in quocunq; peccato fiat de cõplicibus etiã nulla infamia laborantibus inquisitio. Sed procul dubio, fallitur. Nã, vt supra ostensum est, de iure naturali est requisita infamia, ante inquisitionẽ. Et si aliquando sine illã potest procedi, nõ est ex vi cõsuetudinis, aut alterius legis humanæ, sed ex interpretatione naturalis iuris per cõcurrentiã alterius strictioris, vt cõtingit in peccatis vergẽtibus in perniciem reipublicæ, & in peccatis publicis, in quibus etiam nulla infamia præcedente, est licitũ facere inquisitionẽ, ne communis reipublicę pax, aut bonum, quod cuicunq; priuato cõmodo famæ, aut vitę malefactoris præponderat, perturbetur. Nulla autem consuetudo potest contra legem naturalem præualere, vt de se patet. ¶ Dico tertio: In criminibus priuatis ex natura sua complicem requirẽtibus, si publica sint omnibusq; nota, licitum esse iudici interrogare de complice, etiã occulto: Imo ad id tenetur, ipseq; reus similiter obligatur veritatem manifestare. Hæc conclusio probatur eadem ratione, qua supra probauimus, licitum esse iudici in criminibus manifestis facere inquisitionem de personis occultis. Nam cum prædicta crimina, vt supponimus, eius sint naturę, vt sine socio exerceri non possint, eo ipso, quòd sunt publica, & constat de vno patratore, est etiã publicum alterum esse illius criminis participem. Sicq; non satisfacit iudex suo officio, nisi de illo inquirat, ne detur occasio cogitãdi velle ipsum peccata impunita relinquere, quod in graue damnũ reipublicæ cedere est manifestum. Similiter etiã tenetur reus ad interrogata respondere, propter idẽ bonum cõmune, nõ obstãte præcepto naturali, quod erat de celando occulto peccatore, vt iã diximus. ¶ Dico quarto, in criminibus particularibus occultis, etiã si eius sint naturæ, vt sine complice exerceri non possint, nunquã est licitum iudici interrogare de complice non infamato: nec reus tenetur ad interrogata respondere. Hęc cõclusio sequitur ex supradictis. Est enim de iure naturę, vt ad inquisitionem nõ procedatur, sine infamia præcedẽte, nisi in casibus, quibus id expedit bono cõmuni: sed in criminibus, de quibus loquimur, nõ est necessariũ bono cõmuni, quod fiat inquisitio occulti patratoris: ergo illa iure fieri non potest: atq; ex consequenti nec reus tenetur ad interrogata respõdere. Plures casus possem in præsenti adducere, de quibus specialiter Doctores solent dubitare, an licitum sit iudicibus in illis nulla præcedẽte infamia ad inquisitionem procedere, sed consulto à me vt breuitatẽ sequar prętermittuntur: hac sola generali regula cõtentus, quòd quotiescunq; ex non inquirendo maius malum, & præcipue cõmunis boni pernicies sequitur, licitũ est iudicibus, sine infamia antecedente procedere ad inquisitionẽ, vt ex supradictis patet. Qualiter autem hęc generalis doctrina ad singulares casus sit referenda, prudens ac studiosus lector viderit. Est enim fere impossibile in re tã ampla singulis paruis dubitationibus occurrere, & multò magis ad illas respondere. Et hęc de infamia dicta sufficiãt.

4. Dictum.

Regula tenenda.

¶ De indicijs, quæ seclusa infamia possunt etiam mouere iudicẽ ad hoc, vt reum legitimè interroget de crimine à se patrato dicit D. Tho. quod debent esse expressa. Quod vt intelligatur, aduertendũ est primò, quòd indiciũ dicitur ab indicando, seu notificando. Et est intellectuale quoddã mediũ veritatis eliciendæ, ex aliqua singulari circunstantia consurgens, vt habetur in lege indicia. C. de rei vendi. & in leg. fina. C. de prob. Et est triplex, scilicet, leue, graue, & probabile. Leue indicium dicitur illud, cui frequenter contingit abesse veritatem, argumento leg. non homo. Cod. vnde cog. Et tale omnino est reijciendum. Graue indicium est, cui frequenter contingit veritatem adesse, æquiparaturq; præsumptioni furis, vt notat Cyn. in lege metũ. ff. de dolo. Probabile autem indiciũ est medium inter vtrumque, quod & facit aliqualem suspicionem. Et quoniam ad procedendum contra aliquem non vnum tantum, sed plura simul indicia, eaque grauia, sunt necessaria,

De indicijs quæ requiruntur vt quæ ad inquisitionẽ procedat.

cessaria, vt notant glossa, atq; Bartolus in leg. 1. §. occisorũ. ff. ad Syllania. & Baldus in lege. congruit. ff. de officio præsidis. Idcircò D. Tho. in præsenti affirmat, vbi infamia nõ interuenit, non qualiacunque, sed adeo expressa debere esse indicia, vt vehementer reum indicent, antequam ius emergat procedendi contra illum. Adeò enim sanctè famæ & honori delitescentis rei iura consulendum curauere, vt maluerint aliqua crimina impunita manere, quam delinquentes occultos à possessione sui honoris, & famæ, atque vitæ temere depellere. Quod & iuri naturę valdè congruum est, atque consentaneum. ¶ Secundo, est aduertendum, quòd ad hoc, vt indicia quantumuis grauia sufficientia sint, ad procedendum contra aliquem, est necessariũ, quòd singula illorum per duos testes comprobentur, vt notat glossa in lege finali. Cod. familiæ herciscundæ. & ibi Doctores. Estque hoc adeo verum, vt dicat Bartolus ibidem, quòd quando dicitur, vnum testem facere semiplenam probationem, vt in lege in bonæ fidei ff. de iure iurando, & in lege. A diuo Pio. ff. de re iudicata. est id intelligendum, dummodo testis rectè deponat super vno maleficio. Nam si deponit super indicio ad maleficiũ, adhuc per duos testes restabit probandum, ante quam ratione illius contra indiciatum procedatur. Oportet etiam, antequam præiudicent reo testes, quod citentur, & iurent, alioqui minimè ei nocebunt: vt notant Doctores in lege. si quis. ff. de adulter. Ex quibus omnibus colligere licet, quanta cum maturitate teneantur iudices procedere in inquisitionibus contra particulares personas factas ratione indiciorum contra ipsas existentium. Nam nisi sint tot adeoque expressa, vt quasi reddant certum iudicem de malefactore illis nullatenus vti licebit. Caietanus in isto articulo affirmat, quòd quando D. Thom. dicit indicia debere esse manifesta, id ad tria est referendum. Primò, ad factũ, cuius est indiciũ: Ita, scilicet, vt manifestè indicent tale factũ. Secundo ad personam: sic, vt indicent quòd ipsa perpetrauerit tale facinus. Nam sicut præcedens infamia de crimine, intelligitur, nõ de crimine absolutè, sed de crimine huius personę: ita vt persona sit diffamata de crimine: sic etiam in indicijs oportet, quòd appareant indicia criminosæ personæ. Tertiò, ad processum: ita quòd huiusmodi indicia manifestentur reo, vt sciat se esse in tali articulo constitutũ, quòd tenetur obedire iudici præcipienti, extorquentiq; veritatem. Alioqui cum ipse reputet, se esse occultum, & illa indicia non sint iuris, sed facti, ignorantia facti, quod latet ipsum, nisi iudex illi manifestet, excusabit eum. Quod quidem verum est, vt ex supradictis patet. Debent quoq; indicia reo manifestari, vt posit se ab illis purgare, vel illis opponere rationabiliter. Sicut, & quando precedit infamia manifestatur ei, quod diffamatus est, super tali crimine. De hac re videndi sunt Syluester, & Angelus in suis summis. verbo. indicium. per totum.

Indicia debẽt comprobari per testes.

Qualiter indicia debeant esse manifesta.

¶ De semiplena probatione, quæ etiam secluſa infamia, atque indicijs ponitur à D. Tho. sufficiens causa, propter quam iudex legitimè potest interrogare reum de crimine à se perpetrato, nihil aliud est dicẽdum, quàm quòd eam facit vnus testis omni exceptione superior, vt docet glossa. in lege. etiã mattris. ff. de probationibus. Et Bartol. in lege admonendi. num. 37. ff. de iure iurando. Magister Soto, lib. 5. de iustitia. q. 6. arti. 2. dicit, semiplenam probationem, tunc tantum tribuere ius iudici interrogandi, tam reum, quam testem, quando proceditur via accusationis. Nam ad procedendum via inquisitionis, nec semiplena probatio, imò nec plena duorum, aut trium testium est sufficiens tribuere interrogandi ius. Quod & probat ex ca. inquisitionis de accusationibus. Vbi præcipitur, quod etiam si duo, vel plures iurati affirmẽt cuiuspiam crimen. de quo tamen ille nulla infamia laborat, nõ procedatur in ipsum via inquisitionis. Hæc tamen sententia Soti solũ habet verum in criminibus occultis, in quibus, quia iudex procedere non potest, nisi præuio accusatore, vel aliquo vicem eius supplente, vt diximus supra q. 67. art. 3. & semiplena probatio, imò & plena vicem accusatoris non habeat, fieri non potest, vt ipsa sit sufficiens mouere iudicem ad inquirendum. Cæterum in criminibus manifestis, quorum ex officio iudicibus incumbit facere inquisitionem, vt, si homo interfectus publicè inueniretur, vnus solus testis esset sufficiẽs, etiam accusatore nõ existente (quia publicitas facti viam supplet accusatoris) ad hoc, vt contra aliquem in particulari via inquisitionis procederetur: ipseq; tunc teneretur dicere veritatem. Nam si indicia sufficiunt ad hoc, vt paulò ante dicebam, quanto magis probatio semiplena, quæ maiorem habet vim quibuscunq; indicijs? Et in criminibus occultis nec etiam indicia sufficiunt mouere iudicẽ ad inquirendum, nisi simul etiam sit infamia, vt docet Nauarro in cap. inter verba. conclusione. 6. corol. 48. nu. 118. & sequentibus.

De semiplena probatione.

¶ Hucusq; diximus, semper quod iudex interrogat reũ iuridice teneri eũ dicere veritatẽ, nõ obstante quocunq; mortis periculo: & quoniã tũc iudex legitimè interrogat, quãdo præcedunt indicia, vel infamia, vel semiplena pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na probatio, seorsum explicuimus, quidnam esset quodlibet istotum: supereſt nunc, vt ad breues quasdam difficultates, quæ ex dictis oriuntur deueniamus. Prima difficultas

Dubium. est, an mentiri in rebus leuibus in iudicio, quando reus legitime interrogatur, sit peccatum mortale. Caietanus in præsenti af-

Sententia Caietani. firmat, quomodocunque quis mentiatur in iudicio committere peccatum mortale, sicut & qui mentitur in confessione, quia vtrobique fit iniuria, aut iudici, aut sacramento, quod sine graui culpa esse non potest.

Sententia autoris. Mihi tamen hæc opinio nimis rigida videtur. Quocirca distinguendũ existimo: Nam, vel talis legitime interrogatus mentitur cum iuramento, vel sine illo. Si cum iuramento, certum est ipsum peccare mortaliter, quodlibet enim falsum, iuramento affirmatum, quantumuis leue sit illud, est peccatum mortale, vt dicemus infra in materia de iuramento. Si autem mentitur sine iuramento, etiam si sub excommunicationis pœna, vel in virtute obedientiæ veritas requiratur, in rebus leuibus erit tantum veniale, & in grauibus mortale. Possunt enim hæc peccata ex leuitate materiæ fieri venialia, sicut & quæcunque alia. Nonnulli dicunt, quòd si præceptum sit particulare, vt si, verbi gratia, mihi prælatus specialiter præcipiat, vel sub excommunicatione, vel in virtute obedientiæ, vt rem sibi leuem reuelarem, sub peccato mortali teneor dicere veritatem. Alias peccarem circa principalem materiam præcepti, quod sine culpa mortali fieri non potest. Mihi tamen verius dicendum videtur, prælatos in rebus leuibus non posse ponere præceptum sub mortali, & si illud ponunt fore irrationabile, sicque facere contra illud non esse peccatum mortale. Quod est intelligendum, dummodo certum sit, talem rem esse leuem: nam in dubijs tutior pars erit eligenda sub mortali. Similiter etiam mentiri in confessione in rebus leuibus non est mortale, nisi quando pœnitens vult illa efficere materiam principalem sacramenti pœnitentiæ. Quod contingit, quando nõ habet mortalia, quæ confiteatur, & vult confiteri venialia. Tunc enim grauem iniuriam irrogat sacramento. Cæterum, si pœnitens habet peccata mortalia, quæ confiteatur, nec vult confiteri venialia, quæ non sunt materia necessaria huius sacramenti, etiam si circa illa mentiatur in confessione, non peccabit mortaliter, sed tantum venialiter, vt communiter dicunt Doctores, in materia de confessione. ¶ Et ad argumentum Caietani respondeo, quod iniuria facta iudici, aut sacramento in re leui, non est necessarium, quod sit peccatum mortale. Quotiescunque autem reus legitimè interrogatur de re graui, tenetur sub mortali dicere veritatem, quod nisi fecerit peccabit contra iustitiam, tenebiturque ad restitutionem cuiuscunque nocumenti inde alteri subsequuti. Si verò interrogatio facta fuerit contra ordinem iuris, siue mentiatur in re leui, siue in graui non peccabit mortaliter, sed tantum venialiter. Erit enim id mendacium solum officiosum, & non iniuriosum, cum nulli eo faciat iniuriam. Quod est intelligendum, modò iniuratus id faciat. Nam qui cum iuramento mentitur, modò illud in particulari exigatur, quod contingit quando aliquis sub particulari iuramento interrogatur, an tale, vel tale furtum commiserit, semper peccat mortaliter. Dixi, modò iuramentum in particulari exigatur. Nam si exigitur in vniuersali, quod contingit, quando iudex, vel prælatus vniuersaliter ab aliquo accipit iuramentum dicendi veritatem, in omnibus, quæ fuerit interrogatus, quanuis postea ipse peculiariter interrogatus de crimine illo, de quo iudex iure quærere non potest, falsum dicat, credo quòd non peccat mortaliter, nec facit contra iuramentum. Sensus enim legitimus illius communis iuramenti, quo promisit se veritatem dicturum, esse debet, in illis, in quibus iudex potest legitimè interrogare. Et quia de illo crimine secundum iuris dispositionem non interrogat, idcirco, nec frangit iuramentum, nec mortaliter peccat.

Ad fundamentum Caietani.

Aliud dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, qualiter se debeat habere reus, quando sub particulari iuramento interrogatur de crimine à se perpetrato contra ordinem iuris. Hanc quæstionem multis versat Soto in relectione de tegendo secretum, membr. 3. quæst. 3. Cuius resolutio ex mente D. Thom. est, eum nunquam posse dicere mendacium, posse tamen se defendere, aut appellando, aut tacendo, aut ostẽdendo in promptu se per iniuriã interrogari. Omnia enim ista legitimum ac iuridicum continent modum defensionis, vt de se patet. Sed quoniam maiori ex parte iudices his responsionibus non acquiescunt, quin potius ex illis vehementem criminis suspicionẽ ducunt, operæpretiũ erit explicare, qui nam sint alij liciti defensionis modi, quibus rei in simili pressura vti possint. Adrian. in 4. quæst. de sigillo. in solutione secundi argumenti, dicit reum iniustè de crimine adiuratum (quia nullus tenetur seipsum prodere) posse respondere, quod nihil de facto illo nouit, vel certè quod id non fecit. Cæterum hæc sententia meritò ab omnibus Doctoribus reijcitur: nulla enim est apparẽs ratio, qua dictum illud à mendacio excusetur. Nam si aliqua excusari deberet, maximè quòd in illis verbis subintelligitur, non feci, vt dicam. Hic autem sensus est nimium violentus, & quem ex communi modo loquendi verba illa facere non possunt. Nam, quanuis, quia dicere procedit ex scientia, forsan sub verbo, nescio, subintelligi posset, vt dicam, quomodo Doctores intelligendum esse affirmant, verbum illud Christi: De illo die nemo scit, nec filius hominis, scilicet, ad reuelandum, ac si diceret: Non scio tali scientia, quæ iure sit propalanda. Nulla tamen ratione dici potest, quòd sub verbo, non feci, intelligatur ad manifestandum, cum opus ex se ordinem ad sermonem non habeat, & intendere in verbis diuersum sensum ab eo, quem ipsa ex se faciunt, fieri non potest, sine mendacio. Sed dices fortè, alia ratione posse verbum illud excusari à mendacio, nempe, per æquiuocationem temporis, vt si reus comisit crimen heri, iuret se illum non fecisse, subintelligendo, hodie. Cæterùm, nec hoc commentum satis placet. Nam quanuis, qui iniustè interrogatur non teneatur respondere ad intentionem interrogantis, tenetur tamen eis verbis secretum celare, quæ in aliquo sensu recepto apud vulgus, vel apud sapientes sint vera, alias mentietur, quod nunquam licebit. Poterit ergo reus in simili casu vti quibuscunque verbis duas significationes habentibus, quæ amphibologia appellatur. Vt si mulier contrà ius interrogetur, an commiserit adulterium, potest iurare, quod nunquam fregit matrimonium. Quæ autem sint huiusmodi verba, singuli viri sapientes iuxta subiectam materiam determinabunt, modo semper habeant in animo illa, vel ab ea significatione, quam apud vulgus, vel ab ea, quam apud viros sapientes efficiunt, non extrahere. Alioquin erunt mendaces. In casu autem, quo reus legitimè interrogatur, semper tenetur respondere ad mentem interrogantis, nec vti potest æquiuocatione, vt diximus in superioribus. Et hoc quantum attinet ad reum illegitime interrogatum. Nam de testibus contra ius quæritis, probabilis est opinio, quòd possunt respondere se factum nescire, vt videbimus quæstione sequenti articulo 1.

Sententia Adriani.

Sententia autoris.

Articvlvs. III.

¶ *Vtrum reo liceat iudicium per appellationem declinare.*

Ad tertium sic procedi-

tur. Videtur, quòd reo non liceat iudicium declinare per appellationem. Dicit enim Apostolus Roma. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Sed reus appellando, recusat subijci potestati superiori, scilicet iudici: ergo peccat.

2 ¶ Præterea, Maius est vinculum ordinariæ potestatis, quàm propriæ electionis. Sed sicut legitur * 2. quæstione 6. A iudicibus quos communis consensus elegerit, non licet prouocare: ergo multo minus licet appellare à iudicibus ordinarijs. *2.q.6.t. A Iudicibus.*

3 ¶ Præterea, Illud quod semel est licitum, semper est licitum. Sed non est licitum * appellare post decimum diem, neque tertio super eodem: ergo videtur quòd appellatio non sit secundum se licita. *Et habetur 2.q.6.cap. Anteriorẽ.*

¶ Sed Contra est, quod Paulus Cæsarem appellauit: vt habetur Act. 25.

¶ Respondeo dicendum, quòd duplici de causa contingit aliquem appellare. Vno quidem modo confidentia iustæ causæ, quia videlicet iniustè à iudice grauatur. Et sic licitum est appellare. Hoc enim est prudenter euadere. Vnde 2 quæstione 6. dicitur, * Omnis oppressus, libere sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur. Alio modo aliquis appellat causa differendæ moræ, ne contra eum iusta sententia proferatur. Et hoc est calumniosè se defendere: quod est illicitũ, sicut dictum * est. Facit enim iniuriam & iudici, cuius officium impedit: & aduersario suo, cuius iustitiam quantũ potest perturbat. Et ideo sicut dicitur * 2 q. sexta, omni modo puniendus est, cuius appellatio iniusta pronũtiatur. *2.q.6.cap. Omnis oppressus.* *Ar. præced.* *2.q.6.cap. Omnino.*

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd potestati inferiori in tantum aliquis subijci debet, in quantum ordinem superioris seruat, à quo si exorbitauerit, ei subijci non oportet: puta si aliud

Universidad de Deusto
Biblioteca

iusserit Proconsul, & aliud Imperator, vt patet * per glos. Rom. 43. Cum autem iudex aliquem iniuste grauat, quantum ad hoc relinquit ordinem superioris potestatis, secundum quam necessitas sibi iuste iudicandi imponitur. Et ideo licitum est ei, qui contra iustitiam grauatur, ad directionem superioris potestatis recurrere, appellando vel ante sententiã vel post. Et quia non præsumitur esse rectitudo, vbi vera fides non est, ideo nõ licet catholico ad infidelem iudicem appellare, secundũ illud 2. quæst. 6. * Catholicus qui causam suam siue iustam, siue iniustam ad iudicium alterius fidei iudicis prouocauerit, excommunicetur. Nam & Apostolus arguit eos qui in iudicio contendebant apud infideles.

Ex Aust. serm. 6. de ver. Do. to. 10.

2. q 6. cap. Catholicus.

¶ Ad secundum dicendum, quod ex proprio defectu vel negligentia procedit, quòd aliquis sua spõte se alterius iudicio subijciat, de cuius iustitia nõ confidit. Leuis etiam animi esse videtur, vt semper non permaneat in eo quod semel approbauit. Et ideo rationabiliter denegatur subsidium appellationis à iudicibus arbitrarijs, qui nõ habent potestatẽ, nisi ex cõsensu litigantiũ. Sed potestas iudicis ordinarij nõ dependet ex cõsensu illius, qui eius iudicio subditur, sed ex authoritate regis & principis, qui eũ instituit. Et ideo cõtra ei* iniustũ grauamẽ lex tribuit appellationis subsidiũ. Ita quòd etiã si sit simul ordinari* & arbitrarius iudex, potest ab eo appellari: quia videtur ordinaria potestas occasio fuisse, quòd arbiter eligeretur: nec debet ad defectũ imputari cius, qui cõsensit in eũ sicut in arbitrũ, nõ vt in eũ, quẽ princeps iudicẽ ordinariũ dedit.

¶ Ad tertium dicendũ, quòd æquitas iuris ita subuenit vni parti, quòd altera non grauetur. Et ideo tempus decẽ dierũ concessit ad appellandũ, quòd sufficiens æstimauit ad deliberandũ, an expediat appellare. Si verò nõ esset determinatũ tempus in quo appellare liceret, semper certitudo iudicij remanet in suspenso: & ita pars altera dãnificaretur. Ideo autem non est cõcessum, vt tertiò aliquis appellet super eodem: quia non est probabile, totiens iudices à recto iudicio declinare.

SVMMA TEXTVS.

SVppositio duplicitèr contingere posse, quòd aliquis appellet, vno modo ex cõfidentia iustæ causæ; quia, scilicet, iniustè se à iudice grauari intelligit, alio modo, vt causam differat, ne scilicet, contra eũ iusta sententia proferatur, aut exequatur, respondet D. Tho. ad propositã difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Quotiescũque aliquis iniustè à iudice se grauandum intelligit, licite potest eius iudicij per appellationẽ declinare. Probatur: Quoniã hoc est prudẽter iniuriã euadere. Et propterea in c. omnis oppressus. 2. qu. 6. dicitur: Omnis oppressus libere sacerdotũ, si voluerit, appellet iudiciũ, & à nullo prohibeatur. Secũda conclusio. Quotiescunq; aliquis causa, aut repellendæ, aut differendæ sententiæ iustæ appellat, calũniose se defendit, atq; ex cõsequenti peccat. Probatur: Nam facit iniuriam iudici, cuius officiũ impedit, & aduersario, cuius iustitiã, quãtum potest perturbat. Ideoq; in c. omnino. 2. quæst. 6. dicitur: Omni modo puniendus est, cuius appellatio iniusta pronuntiatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid sit appellatio.

PRo explicatione huius articuli aduertendũ est primò, appellationẽ nihil aliud esse, quã à minori ad maiorẽ, seu superiorẽ prouocationem, vt cõstat ex c. omnis oppressus. & ex ca. si quis. & ex c. placuit. 2. q. 6. & est duplex. Vna iudicialis, quæ, vt refert glossa sum maria ibidẽ, est prouocatio iniquæ sententiæ querelã cõtinens. leg. præfecti. ff. de minoribus. Altera extraiudicialis. Et est à præsenti, aut verisimiliter futuro grauamine, ad superiorẽ prouocatio. Appellatur enim etiam extra iudiciũ: vt in electione, c. statuimus. extra de electionib*. Prima si est legitima, suspẽdit pronunciatum, ac etiã iudicis iurisdictionẽ, quo ad illã causam, & ipsius ad superiorem transfert cognitionẽ: secunda verò, si est probabilis, ipsam causam ad superiorẽ transfert, vtea pendente nihil in ipsius præiudiciũ attentetur. An autẽ appellatio extraiudicialis, ita annullet post facta, sicut iudicialis, explicat Sylue. verbo. appellatio. q. 2.

Appellatio est de iure naturali.

¶ Secundò est aduertendũ, quod appellatio, quantũ ad substãtiã, est de iure naturali. Est enim defensio, quædã, seu præsidiũ innocẽtiæ, quod etiã excõmunicato cõceditur, vt dicitur in c. cũ inter. de except. Cæterũ quantũ ad formalitatẽ est de iure positiuo. vt habetur in leg. vnica Cod. de sent. præfect. Et est inducta principaliter ad iniquitatem, vel imperitiam iudicis corrigendã, atque etiam ad supplendum, quod incautè in priori iudicio fuerat omissum. Ex quo infertur, quod quãuis princeps tollere possit appellationis formalitatẽ, non tamen potest tollere substantiam, cum tollere non possit ea, quæ sunt iuris naturalis, & gentium, vt dicitur in Clem. pastoralis, de re iudic. Est autem de substantia appellationis inter cætera, quòd appelletur ad maiorẽ. De accidẽtalibus verò, quod appelletur gradatim. Quare poterit valere consuetudo, vt appelletur omisso medio, vt dicitur in c. referentei uncta glossa, de præbẽdis. & in c. Romana. eodẽ titu. li. 6. Imò valebit appellatio omisso medio, etiã cessante cõsuetudine, quãdo nõ fuerit obiectũ, vt notat glossa. in c. dilecti. eodẽ titu. Nulla autẽ ratione poterit introduci, vt à maiori ad minorẽ, vel ab æquali ad æqualem fiat appellatio. Quare quando dicit D. Tho. in prima conclusione, licitum esse vnicuique eius iudicis, à quo se iniustè grauare intelligit, declinare iudiciũ per appellationẽ, intelligendus est, dũmodo ad legitimum atque superiorem iudicem appellet. Vnusquisque enim, vt se suaque defendat, ea tutela, atque beneficio vti potest, quod ei ratio naturalis nõ vetat. Et certũ est, rationem naturalem non prohibere, vt à minori ad superiorẽ iudicem procedatur, quando, vel ex iniquitate, vel imperitia inferioris reus grauari præsumit, cum nullus inferiori obedire teneatur, nisi quatenus ipsi superiori subalternentur, & sit ordo iudicum, sicut & causarũ naturaliũ, quarũ quædã aliis in suis influxibus sunt subiectæ. Multæ sunt cæremoniæ, atque formulæ appellandi iure positiuo præscriptæ, quas non est præsentis loci explicare. Videte illas apud Syluestrũ verbo. appellatio. & apud iurisprudentes, in decretalibus toto tit. de appellationibus. & in Decretis. 2. q. 6. per totam. In cap. catholicus. prohibetur, ne fidelis ad iudicem infidelem appellet, & si contrariũ faciat excommunicetur. Habetque id fundamentum in Paulo, qui scribens ad Corinthios 1. epist. cap. 6. eos reprehendit, propterea, quòd frater cum fratre in iudicio contenderet, idque apud iudices infideles, cũ ipsi inter seipsos suas possent componere lites: & vbi fides nõ est, nec rectum possit esse iudicium. Sed est hæc prohibitio intelligenda tantum de illis catholicis, qui inter catholicos viuunt. Nam qui in terris infidelium negotiationis, vel alterius rei causa commorari permittuntur, nihil peccant, si coram ipsorum iudicibus, vel tanquam actores, vel tanquam rei compareant. Soto lib. 5. de iustitia q. 6. ar. 3. mouet difficultatem, an sit licitu & condecens sic instituere religionum familias, vt appellare prohibeantur. Et pro parte negatiua adducit c. ad Romanam. 2. quæ. 6. vbi habetur Christianis vniuersis hoc esse beneficiũ indultũ, vt quoties se quisque premi senserit, ad Romanam sedem, tanquam ad caput, prouocatione confugiat. Et præterea, quia contra ius naturæ esse videtur, vt quis in causa præcipue capitis hoc naturali defensionis beneficio priuetur. Hoc tamen non obstante dicit per quã sanctè è religionibus appellandi vsum fuisse abiectum. Nam quãuis fortasse accidere quandoque possit, vt monachus aliquis iniuria læsus affligatur: hæc tamen damna, quæ rarissime contingunt, pace & quiete totius religionis compensantur, cum illius neruus ut quæ decus sin eo maximè consistat, vt altissimo inter se silentio omnia veluti inter fratres, quæ sua est professio, planiter tractent & transigant, nec se seculo prodant. Quam primũ enim religionum cauæ claustrorum metas exierint, actum est de illis. Quocirca institutiones ipsas sic põtifices confirmarũt, vt appellationes prohiberent, non quod per hoc summis ipsis pontificibus obedientiæ quidquã sit ademptũ. Quicunq; enim quamcunmis inclusis monachus ad ipsum appellauerit, iure id faciet: verũ quod sic religionũ incolumitati fuit cõsultũ. Hucusq; Soto. Cuius verba in mediũ adducere visum fuit, quia in re tã graui, religiosam viri sentẽtiã audire malui, quã meã proferre, eo vel maximè, quod cũ videã religiosos tã facile causas suas extra religionem deducere, ex quo nõ leues perturbationes ac iurgia oriuntur, pluriũ auctoritatẽ de religione bene merentiũ iure opponendam existimaui, vt saltẽ sic ab incepto desistãt, religiosorũq; ac religionis saluti cõsulãt, quæ poculdubio periclitatur. Nolo negare in re graui ad honorẽ, & vitã pertinẽte licitũ esse cuiq; debitu cũ moderamine causam suã ad sedẽ Apostolicã omnium matrẽ ac conseruatricẽ deferre, quãdo vel ex imperitia, vel passione inferiorũ iudicũ, qui homines sunt, ac decipi possunt, iniuriam patitur. Sed quod dico est, ex lesib* quibusq; præceptis, aut sentẽtijs appellare, easq; extra religionẽ deferre, aut etiã ex grauibus prætermissis earumdẽ religionũ superioribus, ad quos immediate pertinet taliũ rerũ cognitio, sine maximo religionis totius detrimento fieri non posse. Et si singuli eiues etiã cũ periculo propriæ vitæ atq; honoris tanquã partes reipublicæ tenẽtur iure naturæ eius saluti atq; incolumitati consulere, vt omnes Doctores tã

Quid dicẽdum sit de appellationibus religiosorum.

Theo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theologi quã Philosophi cõcedũt: De quo etiã à nobis in superioribus dictũ est, quanto magis religiosi perfectioré vitã profitẽtes, idé facere erũt astrictiores ad extraneos iudices etiã cum aliquali proprij honoris detrimẽto fugere tenebuntur, ne totius suæ reipublicæ tranquillitas, atque pax perturbetur. Bene potest cõtingere, vt ex prouocatione ad summũ pontificẽ, vel eius nuntiũ alicuius priuati hominis iniuria impediatur. Hoc tamẽ bonum adeò exiguum est, cõparatione ad dãna, quæ ex huiusmodi appellationibus cõsequũtur, vt quisq; illius iacturã pati potius debeat, quã ista subire. De appellationibus, quæ fiũt à religiosis ad iudices merè seculares, scilicet, ad Regẽ, vel ad eius ministros, etiã sub protestatione auferendi vim nihil in præsenti dicere est opus: quoniã cõstat, eas esse iniquissimas, & vt arbitror maiori ex parte prohibitas, sub sentẽtia excõmunicationis, in bulla cœnæ Domini contẽta, qua causas ecclesiasticas ad iudices seculares deferre grauissimè interdicitur. Eo vel maximè, quòd omnes fere religiones peculiaria habent præcepta, ne causas suas extra ordinem tractent: faxit Deus, vt ità ab omnibus obseruetur.

Qui appellat à iusta sententia peccat.

¶ Secunda conclusio huius articuli, qua D. Tho. affirmat eũ, qui causa defendæ, aut repellendæ iustæ sententiæ ad superiorẽ appellat, peccatũ cõmittere etiã est certa & extra cõtrouersiã posita. Nã certum est, quòd sicut imponere quidquam reo, est calumnia, atque peccatum: ita etiam imponere iudici. Et qui subdole & vafre appellat, præterquam, quòd obedientiam violat, quã iudici debet, re ipsa imponit illi falsum, scilicet, quòd iniustã sententiã tulerit, insuperque obijcit illi impedimẽtum, ne suũ munus prosequatur, quæ sine iniuria fieri non possunt. Quapropter in c. quicũq; 2. q. 6. præcipitur, vt tales appellationes non recipiantur. Et in c. omnino eadẽ causa & q. eiusmodi appellãtes puniri præcipiuntur. Vt enim D. Bernardus. li. 3. de cõsideratione. ad Eugeniũ, inquit, qui nõ grauatus appellat, liquet, quia, aut grauare intẽdit, aut tẽpus redimere. Nõ est autẽ suffugium appellatio, sed refugiũ. c. cum appellationibus friuolis. de appellationibus li. 6. & lege. in fundo. de rei vindicat. & leg. 6. de iure fisci li. 10. C. Theodosiani. Et nõ tantum appellationes friuolæ idest, quæ causam afferunt, nec iustã, nec satis idoneã recipiendæ non sunt, sed illæ quoq; sunt reijciẽdæ, quæ nõ habẽt causam probabilẽ, sed frustratoriæ sunt, atque moratoriæ. Vt enim Iulius Paul. li. 5. sentẽtiarum. tit. de rediẽdis causis appellationum, inquit, moratorias appellationes recipi nõ placuit. Et Imperator Cõstãtinus edixit moratorias & frustratorias prouocationes quæ nõ tã appellationes, quã ludificationes sunt, nõ esse admittendas. Et alias lex ait: Frustratoria prouocatio minimè admittatur. Est autẽ frustratoria prouocatio, quæ morãdi causa interponitur. leg. tutor. ff. de vsuris. & leg 1. & 4. quorũ appellationes nõ recipiantur li. 11. C. Theodosiani. Cæterũ in re dubia tutius erit appellationi deferre. Satius enim est differre iudiciũ, quã defensionis facultatẽ reo auferre. c. vt de bitus. de appellationibus & leg. defensionis. de iure fisci. Pau. in leg. 1. ff. Si quis cautionibus. & Socinus senior cõsilio. 300. li. 2. Ex dictis infertur, nõ esse licitũ alicui ab inferiori iuste condẽnato ad superiorẽ appellare. Eã nimirũ spe ducto, quod superior, vel fauore, vel quia aduersam habet iuris opinionẽ, reuocabit sentẽtiã, vel tali dilatione poterit se ipse eruere. Statim enim ac aliquis certus est meritò se fuisse cõdemnatũ, etiã ad mortẽ, si per appellationẽ iudiciũ eludat, facit cõtra iustitiã, & peccat mortaliter, teneturq; ad restitutionẽ omniũ damnorũ, quæ ex tali appellatione fuerint sequuta. Plura adduci poterãt de materia appellationis: sed illa tanquã alienа ab hoc instituto iure relinquuntur.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrum liceat condemnato ad mortem se defendere, si possit.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd liceat cõdẽnato ad mortẽ se defendere, si possit. Illud enim ad quod natura inclinat, semper est licitũ, quasi de iure naturali existẽs. Sed naturæ inclinatio est ad resistẽdũ corrũpentibus, nõ solũ in hominibus & animalibus, sed etiã in insensibilibus rebus: ergo licet reo condẽnato resistere, si potest, ne tradatur in mortẽ.

2 ¶ Præterea, Sicut aliquis sententiam mortis cõtra se latã subterfugit resistendo, ita etiã fugiẽdo. Sed licitũ esse videtur, quòd aliquis se à morte per fugã liberet: secundum illud Eccles. 9. Longe esto ab homine potestatem habente occidendi, & non viuificandi: ergo etiam licitum est reo resistere.

3 ¶ Præterea: Prouerb. 24. dicitur, Eue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahũtur ad interitũ, liberare necesses. Sed plus tenetur aliquis sibi, quã alteri: ergo licitum est quòd aliquis condemnatus, seipsum defendat, ne in mortem tradatur.

¶ SED CONTRA est, quod dicit Apostolus Roman. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: & ipse sibi dãnationem acquirit. Sed condẽnatus, se defendẽdo, potestati resistit, quantũ ad hoc, in quo est diuinitus instituta ad vindictam malefactorum, ad laudẽ verò bonorũ: ergo peccat se defendẽdo.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd aliquis dãnatur ad mortẽ dupliciter. Vno modo iustè: & sic non licet condẽnato se defendere. Licitũ enim est iudici eũ resistẽtẽ impugnare. Vnde relinquitur, quòd ex parte eius sit bellũ iniustũ. Vnde indubitanter peccat. Alio modo condemnatur aliquis iniustè, & tale iudiciũ simile est violentiæ latronum: secundum illud Ezechielis vigesimo secundo, Principes eius in medio illius quasi lupi rapiẽtes prædã, ad effundendũ sanguinẽ. Et ideo sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis principibus, nisi forte propter scandalũ vitandum, cum ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd ideo hominidata est ratio, vt ea, ad quæ natura inclinat, nõ passim, sed secundũ rationis ordinẽ exequatur. Et ideo nõ quælibet defensio sui est licita, sed solum quæ fit cum debito moderamine.

¶ Ad secundum dicendum, quod nullus ita condemnatur, quòd ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortẽ patiatur. Et ideo non tenetur facere id vnde mors sequatur: quod est manere in loco, vnde ducatur ad mortẽ. Tenetur tamẽ nõ resistere agenti, quin patiatur quod iustum est eum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus, vt fame moriatur, non peccat si cibum sibi occulte ministratum sumat: quia non sumere, esset seipsum occidere.

¶ Ad tertiũ dicendũ, quòd per illud dictũ Sapiẽtis nõ inducitur aliquis ad liberandũ aliũ à morte cõtra ordinẽ iustitiæ, vnde nec seipsum cõtra iustitiã resistendo, aliquis debet liberare à morte.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito dupliciter posse contingere, quòd aliquis ad mortẽ dãnetur, scilicet, iustè, & iniustè respõdet D. Tho. ad propositã difficultatẽ per duas propositiones. Prima cõcl. Nemini iustè ac iuridicè ad mortẽ dãnato licitũ est se à legitimo iudice defendere. Hãc probat in argumẽto, sed contra, testimonio Pauli. ad Ro. 13. dicẽte: Qui potestati resistit Dei ordinationi resistit: & ipse sibi dãnationẽ acquirit. &c. Et in corpore articuli, hac ratione. Iudex iustè tenet supplicioq; afficit legitimũ reũ: ergo ipse nõ potest iuste se defendere. Probo cõsequentiã: Nam alias daretur bellũ iustũ ex vtraq; parte, quod est impossibile. Secunda cõclusio: Cuicunq; iniustè cõdẽnato, licitũ est se defendere, iudiciq; resistere, modo id sine scãdalo fieri possit. Probatur: Iudiciũ iniquũ simile est violẽtiæ latronũ, iuxta illud Ezech. 22. Principes eius in medio ipsius, quasi lupi rapiẽtes prædã ad effundendũ sanguinem; sed vnicuiq; licitum est se defendere à violentia latronũ: ergo & à iudicio iniquo, modo id sine scandalo facere possit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VTraque cõclusio huius articuli est certa, colligiturq; manifestè ex his, quæ à nobis in superioribus sunt dicta. Et solũ citẽa secũdã posset esse parũ dubiũ, an innocẽs qui secundũ allegata & probata probatus no cẽs morti traditur, licite possit seipsum defendere, iudiciq; resistere, nisi id à nobis q. 69. ar. 7. in fine sub eisdẽ verbis fuisset agitatũ. Cuius resolutio fuit, nullũ iuridicè probatũ nocentẽ, quantũuis iure innocẽs sit, habere ius vi, aut armis, seà iudice, vel ab eius ministris defendẽdi. Nã cũ iudex tũc potestatẽ habeat illũ interficiẽdi, vt eo loco latè ostẽdimus, si ipse similiter vi & armis possit se defendere, daretur bellũ iustũ ex vtraq; parte, quod semper impossibile iudicauimus. Magister Soto li. 5. de iustitia q. 6. ar. 4. vtrãq; partẽ putat probabilẽ, quãuis magis declines in no strã sentẽtiã, adhibita quadã moderatione, scilicet, quod si huiusmodi innocẽs citra grãue scãdalũ, & citra vulnerationẽ iudicis, eiusq; ministrorũ potest se protegere, licitũ est ei nõ solũ fugiẽdo, verũ & includẽdo se in locum munitũ, armisq; tertiãdo ministros, & dũ capitur cõnitẽdo se eripere, etiã satellitibus expulsis, vitã suã tueri, atq; defendere: ceterum si nõ potest se tueri nisi inflictis vulneribus neutiquã se defendere potest. Hæc tamẽ limitatio Soti, salua pace tãti viri, falsa est, nec ad rẽ attinẽs. Quocirca dicẽdũ existimo, tantũ posse innocẽtẽ in casu, de quo loquimur, facere in suã defensionẽ quæcũq; nõ inferũt vim.

Dubium.

Responsio.

Sententia Soti.

Impugnatur Soto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vim. Nã quæ sunt violenta etiã citra vulnera iniuriã cõtinẽt, nec sine culpa fieri possunt. Iudex enim tũc nõ solũ licitè reũ inuadit, verũ & iustitiæ præcepto ad id cõpellitur, siue sciat ipsum esse innocentẽ, siue nõ; modò legitimè probetur nocẽs, nec alia appareat via, qua seipsum liberare possit, vt diximus q.67. ar.2. Est autẽ durissimum intellectu, quod iudex teneatur præliũ contra hominẽ aggredi, qui etiã iustè cõtra ipsum possit prælio se defendere; cum saltẽ respectu talis defensionis daretur bellum iustum ex vtraque parte. Nonnulli affirmant in hoc casu solum essse bellum iustum ex parte innocentis, & iustitiam iudicis fundari in falsa præsumptione, quæ innocenti ius protectionis non adimit. Cæterum hoc similiter est falsum. Nam quanuis iudex decipiatur, credens innocentẽ esse reum, non tamẽ decipitur in hoc, quod etiã si sit in secreto innocẽs, secundum publicam scientiam tenetur illum condemnare. Et sic eius iustitia nõ fundatur in falsa præsumptione, sed multò magis in expressa veritate, ipsum cõstringẽte, vt talẽ hominem bello aggrediatur. Quare nec fieri poterit, vt ipse probatus reus habeat ius, se vi, autarmis defendendi. Quæ autem sint illa, quæ dicũtur continere violentiam in se, videbimus statim circa solutionem secundi argumenti D. Thomæ.

Secundum argumentũ D. Tho.

¶ Secundũ argumentum D. Tho. est huiusmodi: Non minus subterfugit sententiã mortis cõtra se latã qui fugit, quã qui resistit: sed licitũ est vnicuiq; fugere, vt se à morte liberet: ergo & resistere iudici. Solutio est, quòd nullus cõdẽnatur, quòd sibi ipsi inferat mortẽ, sed quòd ipse mortẽ patiatur. Et ideò nõ tenetur facere id, vnde mors sequatur, quod est manere in loco, vnde ducatur ad mortẽ. Tenetur tamẽ nõ resistere agẽti, quin patiatur, quodiustũ est, eũ pati. Sicut etiã si aliquis sit cõdẽnatus, vt famẽ moriatur, nõ peccat si cibũ sibi occultè ministratũ sumat; quia non sumere esset seipsum occidere. Sed circa istã solutionẽ cõsurgũt quã plurima dubia. Primũ est, vtrũ iustè cõdẽnato ad mortẽ sit licitum fugere è carcere, vt sic mortem euadat.

1. dubium circa solutionẽ ad secundum.

Et pro parte negatiua argumẽtor primò: Nullus potest suã vitã tueri, cũ alterius dãno: sed ex eo quòd damnatus ad mortẽ è carcere fugiat graue dãnũ sequitur custodibus, cõtra quos lege agitur: ergo id nõ est licitũ.

1. argu.

Secũdo. Dãnatus iustè ad mortẽ implicitè est etiã dãnatus ad carcerẽ: ergo tenetur talẽ pœnam subire, atq; ex cõsequenti facit cõtra obediẽtiam prælato, & iudici debitam, è carcere fugiens. Et confirmatur: Eadem est ratio pœnæ mortis, verberationis, & aliorũ; sed detentus, vt alias pœnas à morte subeat, non potest fugere, vt multi dicunt: ergo nec damnatus ad mortem. His tamen non obstantibus dico, licitum esse cuique ad mortem damnato è carcere fugere, vt vitam conseruet. Inclinatio enim quã quisque habet ad propriam vitam tuendam adeò naturalis est, atq; vehemẽs, vt iure naturæ, atque gentiũ qui fugit, ne moriatur liber sit ab omni culpa, vt diximus latius ar.1. huius quæstionis. ¶ Et ad primum argumẽtum respõdetur, quod quia ea quæ sunt per accidẽs actus naturã, seu iudicium non mutãt, & est per accidẽs, quia præter intentionẽ fugientis, quod ex ipsius fuga custodũ tribulatio cõsequatur, idcircò dãnatus ad mortẽ, licitè potest fugere nõ obstante nocumẽto inde custodib⁹ subsequuto. Dat quidẽ operã rei licitè, vtiturque iure suo fugiẽs, ne mortẽ patiatur, atq; adeo quidquid mali inde custodibus à iudice infertur nõ fugiẽti, sed custodibus est imputandũ, ipsi viderint, qualiter suũ munus fuerint expleti: & si in custodia fuerint negligentes, sibi imputetur. ¶ Ad secundũ respõdetur, negãdo antecedẽs. Qui enim dãnatur ad mortem nõ implicite damnatur ad carcerẽ, nec in sententia talis condẽnatio continetur, sed solum custoditur, vel tanquam damnatus, vel tanquã damnandus ad futuram pœnam. An autem simul iudex possit aliquem condemnare ad mortem, & ad carcerem, quam ipse seruare teneatur, varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Caietanus in præsentí partem tenet affirmatiuam, dicens, quòd si iuris ordo haberet, vt damnatus ad mortem, damnaretur etiam interim ad carcerem non posset ipse licitè fugere, sed ex damnatione ad carcerem teneretur ibi manere, sicut tenetur alijs iustis sententijs parere: Nec hoc est condemnare eum ad mortem sibi inferendam, sed ad manendum infra terminos loci illius. Contrariam tamen sententiã tenet Soto li.5. de iustitia, q.6. art.4. quam ego semper veriorem existimaui. Quocirca dico, quod si aliqua lex esset præcipiés, vt qui dãnatur ad mortẽ, simul etiam ad carcerẽ damnaretur, quã ipse seruare tenetetur, ea velut iniusta, & iniqua nullã obligationẽ induceret, nec sententia secundum illam lata esset valida in conscientia, vtpote quæ priuaret naturali beneficio fugiendi, quo quisque iure gentium & naturæ vti potest, quando ad corporale supplicium destinatur. Ad confirmationem respondetur, negando maioremQuia, vt Caietanus dicit in isto articulo, pœnæ sunt in duplici differẽtia. Quædam sunt, ad quas homo aliter damnari nõ potest, quã vt patiatur illas, vt mors, mutilatio, flagellum,

Ad 1. arg.

Ad 2. arg.

Pœna ad quas homo potest dãnari in duplici differentia.

lũ tortura: nullus enim dãnatur, vt se occidat, mutilet, torqueat, &c. Et de his omnibus dicit eãdẽ esse rationẽ, ac de morte, scilicet, ip damnatus, vel dãnandus ad aliquid horũ licitè potest fugere, cũ nõ teneatur, nisi ad pati. Aliæ pœnæ sunt, ad quas subeũdas sic aliquis damnatur, vt ipse ad eas cooperetur. Qualia sunt exiliũ; circũscriptio, pœna pecuniaria. & cedãnatur enim homo, vt eat in exiliũ locũ, & ibi infra præfixos terminos maneat, aut soluat pecuniã, &c. Et de his dicit, quòd tenetur reus post iudicis sententiã in omnibus obedire, facereq; quod sibi iniũctũ est. Quare qui dãnatur ad carcerẽ, sicut ad exiliũ tenebitur in carcere manere, & si fugiat peccatũ cõmittit; nisi ũr periculũ mortis. Cæterũ ante sententiã licitè poterit è carcere fugere, eãdẽ ratione, quæ dãnatus ad mortẽ, scilicet, quia nõ tenetur facere, hoc est, manere in loco, vnde sequitur suũ pati, hoc est, dãnari; si ex sua absentia euitatur dãnatio. Alioqui posteà teneretur in foro cõscientiæ subire sententiã latam, quod est falsum, & cõtra cõmunẽ Doctorũ sententiã. De religiosis affirmat, quòd quia libera sua voluntate potestate exeũdi extra claustra se priuarũt, supponẽtes se per tria vota prælati iudicio; quacũq; ex causa iustè à suis prælatis detineãtur non possunt licitè extra præfixos sibi terminos fugiendo exire; cum nec exire possint non detenti sine prælati licentia, quod verum est.

Concl.

2. Dubium circa eandẽ solutionem. 1. argu.

¶ Est aliud dubiũ, an qui licitè potest è carcere fugere, licitè etiã possit compedes cũpere, infringere fores, & perforare murum? Et pro parte negatiua est argumentũ: Hæc sine violentia fieri non possunt, vt de se patet; sed qui iustè detinetur in carcere, nulla violentia vti potest ad suam liberationem, alioqui daretur bellum iustum ex vtraque parte: ergo.

2. argu.

¶ Secundo ex iure ciuili effractoribus carcerum pœna capitis decernitur vt cõstat ex leg. de ijs. ff. de effractori. & ex leg. in eos. ff. de custodia & exhibitio rerum: sed hæc pœna iusta non esset, si ipsi incarcerati licitè possent carceres effringere; pœna enim mortis non nisi pro graui, atque mortali culpa potest imponi, vt cõmuniter dicunt Doctores: ergo. Propter hæc argumẽta Enricus de Gandauo quodli 9. ar. 25. affirmat rumpere cõpedes, aut fores effringere, perinde esse ac resistere iudici, aut eius ministris. Et sic dicit, quòd sicut licitũ est vnicuique per alienũ agrũ trãsire, nõ tamen sepem diruere, vt trãseat; ità etiã est licitũ cõdemnato ad mortẽ fugere è carcere, dũ fores patẽt, nõ tamẽ rumpere vincula, aut perforare murũ. Contrariã sententiam tenẽt Caietanus in isto ar. & Soto li.5. de iustitia q.6. ar.4. quam ego veriorem existimo. Et probatur 1. ex D. Tho. in solutione ad secundũ dicẽte, licitum esse cuiquis in casu posito fugere, nõ tamẽ resistere, cũm omnia ista nõ ad resistentiam, sed ad fugam pertineant, & ordinentur. Et confirmatur: Nã si sententia Enrici esset vera, sequeretur, quòd si reus ligatus funibus, aut etiã filo lanæ teneretur, nec liceret sibi illa rũpere, nec soluere; cõsequens autẽ est absurdũ: ergo. Probo sequelã: Nã non minus cõtinet violentiã vnum, quã alterũ. Quare, si licitũ est ligato nodum dissoluere, imò & funẽ discindere, habensq; adulterinã clauẽ, potest seras aperire, fit, vt & ferrea vincula limare perforareque murũ etiã sit licitum, esto qui hoc facit ciat occlusos secum alios exituros. Nã ipse suo vtitur iure cui cura non incumbit alios custodiendi. An autẽ amici possint incarceratũ, vel intrà vel extra iuuare, vt vinculã, aut muros dirumpat, varietate opinionũ disputatur à Doctoribus. Soto loco citato absolutè dicit, quòd nõ, quanuis possint cõsulere fugã. Et ratio illius est: Quia ei cui quis fugere potest, est licitũ parare viã. Cæterũ autẽ maiorẽ facerẽt iniuriã, dirũpendo carceres, quã priuatã domũ. Ex quo infert, nulli esse licitum porrigere vincto, vel limam, vel aliud instrumẽtũ; quoniã ià hoc esset cooperari. Cæterũ Caietanus in hoc cõmẽto in respõsione ad quintum dubiũ, sub distinctione respõdẽdũ cẽset. Nã sunt quidã homines, velluti partes publicæ potestatis, vt custodes, ministri, officiales, & alij, quorũ est fouere, vel exercere publicã potestatẽ. Et his ratione stãtis, quia, scilicet, eis inciibit publicæ potestati cõsulere, illicitũ est cõsiliũ, vel auxiliũ fugæ præstare. Nã cũ eorũ interfit dãnatũ, vel dãnandũ in carcere detineri, essent veluti proditores, & collusores parti detẽti fauẽtes. Alij sunt, quorũ nõ interest publicã fouere potestatẽ. Et his licitũ est ad fugã eius dãnati cooperari, qui licite potest è carcere fugere. Regulariter enim loquẽdo, nullus prohibetur à cooperatione actus alteri liciti, nisi per accidẽs, scilicet, quia statui, velofficio suo hoc repugnat, vt patet inductiuè. Nã si mihi licitũ est, emere, vẽdere, bellare, cõtrahere, &c. Dãs mihi cõsiliũ, auxiliũ, vel fauorẽ ad actũ istã licitè operabitur, nisi ratione statꝰ, vel officij reddatur sibi ea operatio illicita. Vt redditur illicitũ clericis cooperari ad causam sanguinis, quãuis iustã; & in proposito officialiꝭ, qui ad custodiã dãnati tenẽtur redditur illicitũ, quoquomodo ad fugã cooperari. ¶ Mihi ex his sententijs ea, quæ est Caietani magis placet. Tũ, quia nulla potest esse apparẽs ratio, quæ cõuincat licitũ esse alicui cõsulere incarcerato, vt è carcere fugiat, cui tamẽ non fit

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit licitũ opere adiuuare, cum nõ minus dicatur cooperari fugæ cõsulẽs, quã instrumenta ad rũpenda vincula præbẽs. Tũ etiã; quia si sentẽtia delicita effractione carceris à dãnato est vera ex ea manifestè cõuincitur, quod qui licitè cooperatur ad fugã, licitè etiam poterit cooperari ad frangendum vincula, & carceres. Nolo dicere licitum esse amicis cõtutrere ad carcerem, illumque frangere, vt damnatum extrahant. Hoc enim sine graui iniuria fieri non potest. Nã si non licet ire ad frangendã seră domus priuatæ multò minus domus publicæ. Et plurimum interest, an ab intus incluso sera carceris frãgatur, an extra à liberis, quia hoc est offendere publicã potestatẽ, cuius est carcer, sicut & qui frangit, vel aperit domino inuito priuatã domum, domini eius offendit: & illud ad licitã fugã expectat. Sed quod dico est, licitũ esse amicis ad frangẽdũ vincula, & carceres cooperari subministrando intus incluso limam vel ali quod instrumentũ, quo à vinculis & carcere se absoluere possit. ¶ Et ad primũ argumẽtum respondeo, quòd quemadmodũ interiudicẽ, & damnatũ iustè ad mortẽ est bellũ iustum ex parte iudicis, & cum hoc stat, quod ipse damnatus propter rationẽ dictã potest è carcere fugere, vt propriã vitam cõseruet: ità etiam fit, vt ipse reus nec possit se defendere, nec resistere iudici. Et tamen cum hoc stat, vt rũpat vincula, & fores effringat, efficiatque alia ad fugam necessaria. Nam sicut fugere nõ est resistere, nec pugnare, aut defendere se, sed tantũ non continere seipsum in certo loco, ad quod dãnatus ad mortẽ nõ tenetur: ita frangere vincula, aut carceres, nõ est pugnare, sed solum absoluere seipsum à continentia vinculorũ, & carceris quod sine iudicis, aut ministrorum iniuria fieri potest ab eo, qui habet ius fugiẽdi. Plurimum enim interest inter vim illatam rebus irrationalibus, & illam, quæ infertur rationalibus. Nã, quia vis illata rebus irrationalibus nec est præcisè iniuria, quæ ipsis fiat, cum brutis animantibus, quæ nec ius nec dominium habent, iniuria fieri non posit, aut quæ redundet in autorem eorum, cuius signũ euidens est, quod si quis vinculis sibi ab ecclesiastico iudice impositis violentiam inferat, infringendo, non est excõmunicatus, & siquis damnatus, vt deuoretur à leone pugnet cum illo, leoneque superato fugiat, nulli iniuriã facit, fit, vt nulli liceat iudici, vel custodi carceris resistere, manus in ipsos inferendo, bene tamen violentiam inferre vinculis, ipsa, aut carcerem infringendo. Quare, si fugere volens vim inferat custodibus iniuste faciet. Sed si ipsis absentibus, vel dormiẽtibus vincula frangat, vel carcerẽ, iudici, ſvel officialibus erit imputandum, à quibus tamdebi liter ostia firmata, vel seræ fabricatæ fuerũt, vt frangi à detento potuerint. Nec est simile defractione sepis. Nam ibi agitur de damno, quod infertur dño per sepis ruinã. Hic autẽ non est quæstio de dãno pretij vinculorũ, aut serarũ carceris, quod fugiens in cõscientia satisfacere tenetur. Sed est quæstio, an iste actꝰ effractionis reducatur ad pugnã vel ad fugã. Nam si tenet se ex parte fugæ licitus est: & si sapit pugnã est illicitus. Propter quod nõ est opus, veritatem ex similitudinibus scrutari, sed ex proprijs. Et siquis argumentetur. Rũpens vincula, aut carcerem tenetur de damno dato, vt modo dicebam: ergo facit contra iustitiã illa rũpens, atque ex consequẽti id licitè facere non potest, respondeo negando cõsequentiã. Totum enim illud reducitur ad fugam, quæ licita est. Et ad solutionem damni tenetur non ratione iniustæ acceptionis, sed ratione rei acceptæ. Et si rursus fiat argumentatio; Qui ædes vicini rumpit vim infert: ergo & qui rumpit clãustra carceris, vt fugiat, respondetur, cõcesso antecedẽti, negando consequentiam. Nã ille nõ habet ius introediẽdi domũ vicini, sicut iste è carcere exeundi. ¶ Ad secundũ argumentũ respõdetur primò, quòd cũ legũ ciuiliũ conditores nõ sint spiritualiũ iudices, vt perpẽdere valeãt culpas in foro cõsciẽtiæ, nõ est mirũ, si culpã putẽt esse, vbi culpa nõ est. Vel secũdò respõdetur, quod iuris cõsulti in illis legibus eã opinionẽ sequuntur, quòd effringere carceres, aut vincula, est culpa mortalis. Vel tandẽ tertio, quòd illæ leges fundẽtur in falsa præsumptione: semper enim quod incarceratus vincula rũpit, aut carcerẽ effringit præsumitur vim intulisse custodib⁹, quod sine iniuria fieri nõ potest. Ad idq; facit quòd dicitur in prædictis legibus, scilicet, siquis conspiratione facta cum cæteris carceres effregerit, &c. Quibus verbis vis, & resistẽtia custodibus illata insinuatur. Subditur autem posteà: Qui per negligentiam custodũ euaserit leuius puniatur. Quod etiã est intelligẽdũ carcere, aut vinculis effractis. Aliàs dictæ leges iustæ non essent, cũ extra dubiũ sit, quòd qui dãnatus è carcere fugit, nulla vi illata, nullũ peccatũ cõmittit: & pœna, vbi culpa nõ est, licitè infligi non potest. Dicitur in lege in eos. ff. de custodia & exhibitio. reorũ, quòd, & si effractores inueniantur posteà innocentes, ex eo crimine propter quod impacti sunt in carcerem, adhuc puniendi erunt. Sed hoc similiter fundatur in præsumptione resistentiæ illatæ. Nam qui innocens est proculdubiò potest vincula dirumpere, & perforare pa-

Ad 1. arg.

Ad 2. arg.

Arg. contra id quod D. Tho. dicit in solut. ad 2.

rietes, sine aliqua culpa. ¶ Contra id, quòd dicit Diuus Thomas in eadem solutione, scilicet, quòd, quia nullus condemnatur, vt sibi inferat mortem, sed, vt mortem patiatur: idcircò nullus tenetur facere, vnde mors sequatur, quale est manere in loco, vnde ad mortem ducatur; est argumentum. Expectare reum in carcere, non est seipsum occidere, aliàs minimè expectare liceret, cuius contrarium martyres è carcere fugere nolentes, sito exemplo docuerunt: ergo male dicit Diuus Thomas, ideò esse licitum reo è carcere fugere, quia nullus potest damnari, vt seipsum occidat. Assignatur enim vt causa id, quod causa non est. Respondetur nihilominùs, rationem literæ esse optimam. Sed non est ità deducenda, vt in argumento deducitur. Non enim affirmat Diuus Thomas, quod manere in carcere est seipsum occidere; sed quod est facere id, vnde mors sequatur: quod licet nullus virtute sententiæ facere teneatur, potest tamen sua sponte id velle, dum æquanimiter pati vult sententiæ executionem. Itaque soliditas illius rationis in differentia, quæ est inter damnationem ad pati, & damnationem ad agere, fundatur hoc modo, scilicet, quòd, quia nullus damnatur ad mortem, nec, vt sibi mortem inferat, sed vt patiatur, ideò non tenetur facere id, vnde sequatur passio mortis; quod efficeret qui contineret seipsum in eodem loco, potens inde moueri. Et hic est verus sensus illius rationis.

Respõsio.

An damnatus bibere poculum letale illud licite bibat.

¶ Et siquis contra hoc argumentetur, Damnatus ad sumendum venenum, qualis Socrates fuit, damnatur, vt sibi inferat mortem: ergo male dicit D. Thom. nullum posse damnari ad hoc, vt sibi inferat mortem. Hoc argumentum petit, vt explicemus, an qui iustè à iudice damnatur ad bibendum poculum lethale, talis teneatur, & possit illud licitè bibere? Quibusdam videtur pars negatiua verior. Quam tenet Catetanus in hoc articulo in solutione ad septimum dubium; dicens, quòd postquam ortus est sol iustitiæ Christus cognouisse videntur iudices id non licere. Quanuis fortè veteres concedendo optionem generis mortis, magis, quam iudicando hæc fecerint. Nam quemadmodum non licet damnare aliquem, vt seipsum confodiat; ita nec quod seipsum mergat, aut veneno occidat. Sententia enim debet esse de actu iustitiæ: & non est actus iustitiæ seipsum occidere. Eandem sententiam tenet Soto libr. 5. de iustitia, quæstione. 6. articul. 4. Contrariam tamen tenet Victoria in relectione de homicidio, numer. 30. quam ego supra quæstione. 62. articul. 3. probabiliorem reputaui. Et sic dico, quòd quemadmodum sunt alia supplicia decreta contra nocentes, sic etiam potest institui hoc, quod veneno tollantur, quod & ipsi post iudicis condemnationem epotare tenebuntur; nec propterea erunt dicendi seipsos occidere. Probatur: Bibere de se non est actio lethalis, quanuis bibere venenum lethale sit; sicut nec progredi in locum ex se est actio lethalis, quanuis progredi in locum neci destinatum lethale sit: ergo sicut nocens post iudicis condemnationem tenetur, & potest hoc secundum efficere; ità & primum. Et confirmatur: Damnato ad supplicium licitum est ascendere scalas, & ei qui damnatus est gladio, licitum est parare iugulum: ergo & ei, qui damnatus est veneno, licitum erit illud bibere. Probo consequentiam: Quia non magis cooperatur morti suæ vnus, quam alter. Et siquis ex hoc inferat; ergo potest aliquis damnari, vt seipsum iugulet, nego consequentiam. Tum; quia iugulatio ex se est actio lethalis, nec potest aliqua ratione considerari, qua lethalis non sit. Tum etiam; quia, vt diximus in superioribus, loco citato, transgressores legum pœnalium post iudicis condemnationem, non tenentur eas actiones exercere, quæ commodius à ministris, quàm ab ipso fieri possunt, quanuis sint necessariæ ad pœnam subeundam. Itaque non tenentur nodum collo aptare, nec gladium in iugulum mittere, aut sibi manus quoquo modo inferre, quia istæ actiones ab alio commodius, quam à nocente fiunt. Et sic ad eas eum obligare esset inhumanum. Tenetur tamen in conscientia eas actiones exercere, quæ necessariæ sunt ad pœnam subeundam, & ab alio, nisi ab ipso commodè exerceri non possunt: qualis est, potatio veneni. Totumque hoc dicitur pertinere ad passionem, ad quam reus condemnatur. Et si contrarium faceret resisteret iudici, aut ministris; quod sine iniuria fieri non potest. Sed dubitabit aliquis hoc loco, quænam sit ratio, propter quam manere in carcere ponitur à D. Tho. inter actiones, ad quas nocens non tenetur, quando condẽnatur ad mortẽ, quæ est pati; sicq; dicit esse ei licitũ fugere; cũ tamen ascẽsio scalæ, aut potatio veneni, quæ magis videntur habere rationem actionis, ad passiones reducantur? Ad quod breuiter respondeo, quòd, quia ex eo, quòd condemnato in foro cõ-

Sententia Autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scientiæ est licitum fugere, nullum sequitur detrimentum reipublicæ. Satis enim prouidetur ei, si carceres sint bene murati, & custodes vigilantes, ad hoc, vt crimina impunita non maneant. Idcircò non est opus damnatos obligare, vt non fugiant: sed satis est præcipere ministris, vt fugam impediant. At vero ascensio scalæ, & potatio veneni eiusmodi sunt; vt nisi ab ipsis nocentibus fiant ab alijs exerceri non possint: Et ideò conuenienter præcipitur eis, vt hoc faciant. Diciturque hoc magis pati quam agere propter rationem iam dictam.

Dubium, circa eandē solut. ad. 2. D. Thom.

¶Circa id, quod dicit D. Thom. in eadē solutione ad secundum, scilicet, si aliquis sit condemnatus, vt fame pereat, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere esset seipsum occidere, est difficultas, an condemnatus, vt fame moriatur, teneatur comedere si potest, ne sui homicidium incurrat. De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Caietanus in isto articulo, dubio. 8. partem tenet affirmatiuam. Quam probat ex D. Thom. hic ad secundum dicente, non sumere cibum esse seipsum occidere. Certum est autem, quod nulli siue publica, siue priuata autoritate est licitum seipsum occidere. Contrariam

Sententia Caietani.

Sententia Soti.

sententiam tenet Soto loco citato, dicens tali damnato esse licitum non edere. Nam si verè dignus est morte, vt supponimus; licèt si licitè possit eam subterfugere, potest nihilominus non subterfugere. Quemadmodum enim sceleratus homo suorum criminum conscius, sciens prætorem venire ad se capiendum, potest illum operiri, atque adeo in carcere aperto sine vllis vinculis mortem expectare, quam meretur: ità etiã condemnatus, vt fame pereat, potest non sumere cibum.

Sententia Autoris.

¶Mihi ex his sententijs ea, quæ est Caietani videtur longè probabilior. Constat enim, quod nolle vti alimento habito, est occidere seipsum, non minus quam collum gladio transuerberare. Et sic dicendum existimo, quòd tenetur talis damnatus comedere, vt ius naturæ seruet. Nec hoc est impedire exequutionem iustitiæ. Tum; quia nullus damnatur ad hoc, vt se occidat non comedendo, sed ad hoc, vt sibi sint subtracta alimenta. Tum etiam; quia, si ad id esset damnatus sententia, vtpotè contra ius naturale, iniqua foret, atque adeo non seruanda. Nec simihtudo adducta à Magistro Soto aliquid valet. Nam in eo, quòd quis suorum criminum conscius prætorem operiatur, atque adeo in carcere aperto mortem expectet, quam meretur nihil facit, quod ex natura sua sit inductiuum mortis. Quare nec directè, nec indirectè se occidit; sed tantum habet se passiuè, quod sine peccato fieri potest. At verò ille, qui comedere non vult, facit aliquid, quod ex natura sua est inductiuum mortis, sicque peccat contra ius naturæ, quo propriam vitam seruare præcipitur, adeò stricto iure, vt nec priuata, nec publica autoritate, possit illam à se arripere.

Quæstio.

¶Sed dubitabis hoc loco, vtrùm sit licitum alijs tali damnato ad mortem subuenire, dando ei potum, vel cibum? Ad cuius explicationem dico primò, quòd præfecto carceris, aut alijs ministris iustitiæ nulla ratione licet alimenta conferre. Etsi contrarium fecerint peccant mortaliter. Infideliter enim funguntur suo munere in re graui; quòd sine culpa mortali fieri non potest. Est autem hoc intelligendum, modò pluries id fecerint. Nam qui semel, aut bis alimenta præberet, esto esset minister iustitiæ, non peccaret mortaliter, sed tantum venialiter, tanquam ille, qui non delinquit in re graui. Dico secundò, alijs ministris iustitiæ licitum esse tali damnato ad mortem alimenta conferre. Est enim hoc veluti adiuuare fugientem; quod in isto articulo illis, quorum non interest, publicam fouere potestatem, licitum esse diximus. Scio me in primo tomo. quæst. 31. art. 2. contrariam huius tenuisse sententiam, propter D. Thom. qui ibi solutione ad. 3. hanc subuentionem ab operibus beneficentiæ excludere videtur, dicens, quòd hostibus reipublicæ, si imminet necessitas, ne natura deficiat, est subueniendum, debito tamen modo, puta ne fame, aut siti moriantur, aut aliquod huiusmodi dispendium, nisi secundum ordinem iustitiæ patiantur. Quibus verbis significari videtur, nulli etiam extraneo esse licitum benefacere illis, qui secundum ordinem iustitiæ patiuntur. Sed tenunc oculatius considerata, videtur mihi dicendum oppositũ eũ Caietano in isto articulo, & cum Magistro Soto libr. 5. de iustitia, quæstione. 6. articulo. 4. propter rationem de adiuuantibus ad fugam adductam. In cuius rei signum laudabitur à Valerio Maximo libr. 5. suæ collectaneæ capit. 537. cuiusdam egregiæ mulieris exemplum commemoratur. Quæ matrem adulterij damnatam, à Triũuiris in carcerem coniectam, vt consumeretur inedia, impetrato à custodibus aditu quotidie sub specie salutationis adibat, priùs tamẽ diligẽter excussa, nequid cibi inferret ad matrem vberibusque suis (nam puerpera

Responsio.

Retractatio prioris sententiæ.

pera erat) vltrò matri exhibitis lacte sustentabat. Quod vbi animaduerterunt custodes admiratione commoti rẽ ad iudices detulerunt, illiq; ad Consules; qui tantę pietatis exẽplo ei prẽmiũ cõstituerũt pœnæ remissionem, & matris incolumitatẽ. De eadem re loquens Plinius lib. 7. de naturali historia, sic inquit: Pietatis exempla infinita quidem toto orbe extitere; sed Romæ vnum, cui comparari cuncta non possunt. Ignobilis puerpera supplicij causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum à ianitore, semper excussa, quid inferret cibi deprehensa est vberibus suis alens eam, quo miraculo matri salus donata filiæ pietate est. Et locus ille eidem consecratus est Deæ C. Quintio. M. Attilio Consulibus, templo pietatis structo, in illius carceris sede, vbi nunc Marcelli theatrum est. Simile aliud exemplum commemoratur ab eodem Valerio maximo cap. sequenti, cuiusdam alterius mulieris apud Athenienses: quæ patrẽ suum Cimonia consimili pœna affectum; parique custodiæ traditum, iam vltimæ senectutis velut infantem pectori suo admotum aluit. Ex quibus manifestè colligitur communem omnium hominum, atque nationum sensum esse, quòd illi, qui iustitiæ ministri non sunt, alimenta præbere ijs, qui famæ aut siti perituri damnantur, non prohibentur; imò id sub pietatis specie à doctissimis constituitur. Et ad D. Thom. respondeo, totam illam suam sententiam fundari super articulo, seu casu necessitatis, in quo hostes reipublicæ existunt. Quod ex eo conuincitur, quod inquit: Si tamen imminet necessitas, ne natura deficiat, subeundum est eis, &c. Et sic exceptio, quam subdit, dicens; Nisi secundum ordinem iustitiæ patiantur, solum est intelligenda de necessitate, & non de potestate subueniendi. vt sit sensus, quòd licet necessitas deficientis naturæ existens in hoste reipublicæ, aut excommunicato obligat nos ad subueniendum illis, ne fame, aut siti moriantur; ad huiusmodi tamen subuentionem non tenemur, quando secundum iustitiæ ordinem hæc patiuntur. Cum qua doctrina stat, vt licitè possimus illis in simili necessitate constitutis vitæ necessaria ministrare. Itaque D. Thom. in illis verbis solum negat, necessitatem tali damnato alimenta ministrandi, tanquam in extrema necessitate constituta, non tamen negat possibilitatem, quam quisque iure gentium & naturæ habet ei necessaria tribuendi. Quod verum est, nec aliqua ex parte repugnans nostræ sententiæ.

QVÆSTIO. LXX.

De iniustitia pertinente ad personam testis, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

¶Vtrùm homo teneatur ad testimonium ferendũ?

Infr. art. 3. ad 3.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd homo non teneatur ad testimonium ferendum. Dicit enim Augustinus * in quæstionibus Genes. quod Abraham dicens de vxore sua, Soror mea est, veritatem celari voluit, non mendacium dixit. Sed veritatem celando, aliquis à testimonio ab stinet: ergo non tenetur aliquis ad testificandum.

Q. 26. ad fi. 10. 4. Et lib. 22. contra Faust. c. 33. Et habetur. 22. q. 2. c. quæritur.

2 ¶ Præterea, Nullus tenetur fraudulenter agere. Sed Prouerb. 11. dicitur, Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum: ergo non tenetur homo semper ad testificandum, præsertim super his, quæ sunt sibi in secreto ab amico commissa.

3 ¶ Præterea, ad ea quæ sunt de necessitate salutis, maximè tenentur clerici & sacerdotes. Sed clericis & sacerdotibus prohibetur ferre testimonium in causa sanguinis: ergo testificari non est de necessitate salutis.

¶ SED CONTRA est, quòd Augustinus * dicit, Qui vetitatem occultat, & qui prodit mendacium, vterq; reus est. Ille, quia prodesse nõ vult iste, quia nocere desiderat.

Et habetur 11. q. 3. c. quisquis.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd in testimonio ferendo distinguendum est: quia aliquando requiritur testimoniũ alicuius, aliquando non requiritur. Si requiritur testimoniũ alicuius subditi autoritate superioris, cui in his, quæ ad iustitiam pertinẽt, obedire tenetur: non est dubium quin teneatur testimonium ferre in his, in quibus secundũ ordinem iuris testimoniũ ab eo exigitur, putà in manifestis, & in his de quibus infamia præcessit. Si autem exigatur ab eo testimoniũ in alijs, putà in occultis, & de quibus infamia non præcesserit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non tenetur ad testificandum, si verò requiratur eius testimonium non autoritate superioris, cui obedire tenetur, tunc distinguendum est, quia si testimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab iniusta morte seu pœna quacunque, vel à falsa infamia, vel etiam ab iniquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum. Etsi eius testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, vt veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim in Psalm. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Et Prouerb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem; & Romanorum 1. dicitur. Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, Vbi dicit * glossa. Consentire est tacere cum possis redarguere. Super his verò quæ pertinent ad condemnationem alicuius, non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi cum à superiori compellitur secundum ordinem iuris. Quia si circa hoc veritas occultetur, nostrum ex hoc speciale damnum nascitur. Vel si imminet periculum accusatori, non est curandum, quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. Alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet eo nolente.

Est gloss. Ambros. in istum locũ tom. 5.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd Augustinus loquitur de occultatione veritatis in casu illo, quando aliquis non compellitur superioris autoritate veritatem propalare, & quando occultatio veritatis est nulli specialiter damnosa.

¶ Ad secundum dicendum, quòd de illis quę homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre, quia huiusmodi non scit vt homo, sed tanquam Dei minister, & maius est vinculum sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa ea verò quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, putà si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius personæ, vel si quid aliud est huiusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia quæ quis prodere non tenetur, vnde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto superioris, quia seruare fidem est de iure naturali. Nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de iure naturali.

¶ Ad tertium dicendum, quòd operari & cooperari ad occisionem hominis non competit ministris altaris, vt suprà * dictum est. Et ideò secundum iuris ordinem compelli non possunt ad ferendum testimonium in causa sanguinis.

Quæst 64. art. 4.

Svmma Textvs.

Svpposito, quòd dupliciter potest aliquis testimonium dicere, scilicet, requisitus, & non requisitus, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per aliquot propositiones. Prima conclusio: Qui à legitimo iudice secundum formam iuris in testem adducitur, quod contingit, quando, vel de manifestis, vel de ijs, in quibus infamia præcessit interrogatur, tenetur testimonium ferre: Probatur: Quisque tenetur obedire suis maioribus iusta præcipientibus: sed in casu posito certum est iusta præcipere, cum ab aliquo testimonium petit: ergo interrogatus tenetur illud dicere. Secunda conclusio: In occultis, & vbi infamia non præcessit, nullus tenetur testimonium ferre. Probatur: Quisque tenetur bono proximi consulere, eius crimina celando, quando ad id iure non compellitur: sed quando crimina sunt occulta, aut infamia non præcessit, nullus iure potest ad ea reuelanda compelli: ergo illa dicere non tenebitur. Tertia conclusio. Si opus est alicuius testimonio ad liberandum proximum ab iniusta morte, vel pœna, vel infamia, vel quouis alio nocumento, etiam non requisitus

situs tenetur illud dicere. Probatur ex illo Psalm. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Et Prouerb. 24. Erue eos, qui ducũtur ad mortem. Et Rom. 1. Digni sunt morte non solum qui faciũt, sed etiam, qui consentiunt facientibus. Super quæ verba dicit gloss. Consentire est tacere, cùm possis redarguere. Quarta cõclusio. Extra casum necessitatis liberandi miserum ab iniuria, vel rempublicam à periculo, solum causa condemnandi reum, nullus tenetur sua sponte se in testem offerre, nisi secundum iuris ordinem legitimè compulsus. Probatur: Quoniam ex huiusmodi veritatis occultatione, nullum speciale, vel commune nascitur damnum. Et siquis obijciat, imminere ex hoc periculum accusatori, dicit D. Tho. hoc non esse curandum, cùm ipse sponte sua in tale periculum se iniecerit.

Vnde dicatur testis.

Probatio testibus facta inartificiosa dicitur.

Explicatio Articvli.

INstituerat D. Tho. à quæst. 67. agere de vitijs oppositis cõmutatiuæ iustitiæ in verbis consistentibus. Et quoniam illa præcipua, atq; maiora sunt, quæ fiunt in iudicio, idcircò ab illis exordium duxit; circa ea quę quinque consideranda proposuit. Primum de iniustitia iudicis in iudicando. Secundũ de iniustitia accusatoris in accusando. Tertium de iniustitia ex parte rei in sua defensione. Quartum de iniustitia testis in testificando. Quintum de iniustitia aduocati in patrocinando. Dixitq; iam in tribus quæstionibus immediatè præcedentibus de tribus prioribus, & in hac quæst. quæ est septuagesima disputat de quarto: nempe, de iniustitia testis in testificando. Ad cuius intelligentiam aduertendum est primò, quòd testes à testando dicuntur. Testari autem est sententiam nostram exponere. Et sic testes dicti erunt: quia quæ de rei gestæ veritate sentiunt, in iudicio proferũt. Testimonium verò est rei cognitæ voluntaria confessio, autore Arist. in lib. Rhetor. ad Alexan. c. de testimonio, & testibus, & Alc. in l. plebs est. §. 1. de verbo. signif. ¶ Secundò est aduertendum, quòd probatio, quæ testibus fit, apud rhetores inartificialis vocatur. Propterea, quòd ipsa per se caret arte, extraq; causam sumitur: nec colligitur aliqua argumẽtationum ratione; sed extra dicendi rationẽ eam accipit orator. Est autẽ firmissima probatio, quæ testibus fidedignis constat; quia hominum scientia nititur. Quare in diuinis Hebræorum legibus frequentissimè Deus præcipit, vt in ore duorum, vel trium testiũ stet omne verbum. Cæterùm non eadem fides omnibus testibus est adhibenda, sed ex personarũ qualitate plus minus ve fides his vel illis tribuendum erit. Ex quo fit, vt in testibus (sicut iurisconsulti docent) multa sint exploranda, scilicet, conditio, dignitas, diuitiæ, paupertas, amicitia, inimicitia, sexus, ætas, & id genus alia. Cicero in Topicis inquit; Non qualiscunque persona testimoni pondus habet. Ad faciendam enim fidem autoritas quæritur: & autoritatem, aut natura, aut tempus affert. Naturæ autoritas in virtute inest maximè. In tempore autem multa sunt, quæ afferant autoritatẽ, ingeniũ, opes, fortuna, ars, vsus, necessitas, nã & ingeniosos & opulẽtos, & ętatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant, non rectè fortassè, sed vulgi opinio mutari vix potest; ad eamque omnia dirigunt, & qui iudicant, & qui existimant. l. 2. cum sequenti. ff. de testibus. Et in Partitionibus Oratorijs, idem Cicero de singulis testibus considerare docet, si fortè natura vani sunt, si leues, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracundia, si misericordia impulsi, si præmio, si gratia adducti testimonium perhibuerunt. Denique, vt Adrianus Imperator scripsit, quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis diffiniri potest, aliàs numerus testium, aliàs dignitas, & autoritas, aliàs veluti consentiens fama cõfirmat rei, de qua quæritur, fidem. Ad summam index his omnibus exploratis, magis scire poterit, quanta fides testibus sit adhibenda. l. 3. §. 1. ff. de testibus. Sed qui his omnibus melius atque significantius hanc rem explicauit meo iudicio, est Alexander Alens. 3. parte. quæstione. 42. membr. 3. In hunc modum dicens: Cùm lex diuina dicat Exod. 23. non in iudicio plurimorum acquiescas sententiæ. Et Deuteronomij. 19. Cùm sacerdotes diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem contra fratrem suum dixisse mendacium, reddant ei, sicut fratri suo facere cogitauit. Canones & humanæ leges rationem legis considerantes omnes personas, quæ possunt haberi suspectæ de mendacio in testimonio ferendo, vel de veritate supprimenda, inidoneas ad testimonium contulerunt. Ad hoc autem discernendum considerauerunt quinque in personis testificantium, mores, naturam, fortunam, animum, statum. Circa mores considerauerunt duo, propter quæ non debeat fides testificanti adhiberi: Errorem, scilicet, & malitiam, propter errorem infideles, propter malitiam infames repellẽdos à testimonio sanxerunt. Circa naturam

In testibus multa exploranda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

duo considerarunt, ætatem, & sexum. In pueris defectus ætatis obnubilat rationem, in mulieribus sexus emollit voluntatem. In de tam pueros, quam mulieres idoneos ad testimonium non censuerunt. Circa fortunam considerauerunt duo; Conditionem seruitutis,& aduersitatem paupertatis. Seruitus habet annexum dominationis timorem; paupertas temporalitatis amorē: quæ duo maximè solent homines ad mendaciū inclinare. Vnde secundum Canones & humanas leges (nisi in casibus determinatis) seruorum, & pauperum testimonia reprobantur. Circa animum duo considerarunt principaliter: Intellectum, & affectum. Et in intellectu,alienationem rationis;in affectu libidinem voluntatis. Quam etiam deduxerunt in libidinem iræ,quæ est in odio, & libidinem concupiscentiæ, quæ est in desiderio. Item libidinem concupiscentiæ cōsideraeruerunt dupliciter; quo ad se,& quo ad nos. Et secundum hanc distinctionem vitiorum contingentium ex parte animi testificantis,quatuor genera personarum indigna decreuerunt; furiosos propter alienationē, rationis,inimicos propter libidinem voluntatis in iracundo,& in audiēdo. Sicut enim dicitur 4.q.3. propter inimicitias testes repelli,leges præcipiunt. Et propter libidinē posteà voluntatis in concupiscentia, respectu alterius,inidonei iudicantur domestici: propter vero libidinem concupiscentię, respectu sui iudicatur quisque inidoneus testis in re sua. Demum circa statum considerauerunt duo, scilicet, statum personarum extra iudicium,& statum personarum in iudicio. Extra iudicium quidem considerauerunt statum laicorum,& clericorū,& quòd consueta est æmulatio status laicorum, respectu status clericorū. Et ideò in criminali causa laici à testimonio, & accusatione clericorum remouentur. In iudicio autem cōsideraeruerunt personarum distinctionem cōsistentium in iudicio, earumq; conditiones non concurrentes in aliquam vnam personam, de quibus loquebatur B. Fabianus. 4. quæst.4.quando dixit: Nullus vnquam præsumat accusator simul esse,& iudex, & testis. Et B. Damasus eadem causa,& quæstio. Per se accusatores, per se iudices, per se testes,per se accusati vnusquisque in suo ordine. Patet ergo, qualiter iuxta legem Dei canones & humanæ leges personas prædictas inidoneas ad testimonium decreuerūt. Est autem legalitas, seu idoneitas personæ testificantis dignitas quædam hominis, cuius testimonio debet fides adhiberi, absque omni suspicione mendacij. Inidoneitas verò est defectus dignitatis in persona, propter quem fides testi non adhibetur ob suspicionem mendacij.

Nota circa 1. Concluſ. D. Thom.

¶His constitutis operæpretium est, vt ad singulas huius articuli conclusiones explicandas propius accedamus. Et quidem circa primam nihil aliud est dicendum, quam quæ diximus supra. quæst. 69.artic.1.& 2. agētes de reo. Sicut enim certum est,quòd tenetur reus dicere veritatem, quando legitimè à iudice interrogatur: ita etiam est certum de teste. Et quæ requiruntur ad hoc, vt iudex legitimè interroget reum,sunt etiā necessaria ad legitimam testis interrogationem. Videte ibi: Ex quo infertur, quod qui legitimè interrogatus à iudice de aliqua veritate,vel eam negat,vel illam occultat peccat contra iustitiam,atque adeò tenetur de damnis inde subsequutis. Et eadem est ratio de eo,qui fraude, aut dolo subducit se, ne à iudice in testem vocetur. Si enim ita est proximo suum testimonium necessarium, vt in eo tota eius causa consistat,peccat grauiter, & tenetur ad restitutionem, quia contra iustitiam alteri damnum infert. Secus autem erit, si nec vocatus, nec interrogatus tacet ea, quæ necessaria sunt,ad liberandum proximum ab iniusta morte, vel pœna vel infamia, vel quouis alio nocumento. Tunc enim, quanuis delinquat grauiter, ad nullam tamen restitutionem tenetur: quia non contra iustitiam, sed tantum contra charitatem peccat. Est enim solum charitatis præceptum, vt quisquam proximo suo malum caueat; sicut & quod eleemosynam tribuat in casu necessitatis. Ex quo licet colligere discrimen, quod est inter primam & tertiam conclusionem D. Thom. Nam quanuis vtraque vera sit; prima tamen iustitiæ legem, tertia verò solum charitatis debitum includit.

Dubium, circa 2. cōclu. D. Th.

¶Secunda conclusio D. Thom. similiter est certa: Quoniam certum est,teneri vnūquemq; bono proximi sui nomini consulere,eius crimina tacendo,atq; celando,quādiu, vel non constiterit illa in perniciem publicam cedere, vel non fuerit legitime interrogatus. Itaque sunt à testibus similes leges obseruandæ quantum ad hoc,illis,quæ à nobis in superioribus, reis fuerunt præscriptæ. Sed dubitabit aliquis hoc loco, an testis contra ius quæsitus licitè possit respōdere iudici,se factum nescire? Et pro parte negatiua est argumentum. Mentiri nulla de causa est licitum,vt latè probat D. August. super. 5. Psalmum,& in lib. de mendacio per multa capita,referturq; à Gratian. in Decr. nequis.& cap. siquis.22. q. 2. sed qui dicit se

Mendaciū nunquā est licitum.

se factum nescire, quando illud scit,esto eō tra ius interrogetur proculdubio mentitur: est enim mentiri, vt nomē præsefert contra mentē ire: ergo peccat,atq; ex cōsequēti id non licet. Pro explicatione huius difficultatis, quæ grauissima est, & de qua variè loquuntur Doctores,supponēdum est primo, quòd mendacium nulla prorsus de causa pōtest esse licitum. Est enim intrinsece malū, & cui ex natura sua repugnat licitè fieri, vt diximus quæst. præcedenti art.2. statim in principio. Et sic quando quærimus, an testis contra ius quæsitus licitè possit respondere se factum nescire, nolumus interrogare, an sit in eo casu licitum mentiri. Huius enim dubij pars negatiua est vera, & extra controuersiam posita. Sed quòd quærimus est, an testis contra ius interrogatus possit respondere se factum nescire, absque eo,quòd mentiatur.

Testis dupliciter potest factū cognoscere

¶Secundo est supponendum,quòd testis contra ius quæsitus dupliciter potest factum cognoscere, scilicet, in confessione, vel extra. His suppositis Gabriel in.4.d.21. art. 3. dicit, quòd, quoniam sacerdos simpliciter scit ea, quæ audiuit in confessione, interrogatus de illis,nec potest respondere, scio,nec nescio. Quoniam primum erit reuelare secretum sacramenti, & secundum erit mendacium. Et si silentium sacerdotis suspicionem interroganti facit, verum esse id, quod interrogat, nihil inquit ad sacerdotem,quia silentium ex se non generet magis eam opinionem,quam contrariam,sed à malitia interrogantis gignitur illa suspicio. Et si hoc affirmat Gabriel de scitis in confessione à fortiori idem affirmabit de illis, qui extra confessionem cognoscuntur.

1. Concluſ. Teſtis ſciēs aliquid in confeſſione poteſt reſpōdere ſe illud neſcire

¶In hoc tamē sit prima cōclusio: Ad tegēdum secretum confessionis licitum est vbique sacerdoti, dicere se illud nescire. Nec in hoc aliqua ratione mentitur. In hac conclusione conueniunt omnes Doctores tam Theologi,quàm Iurisprudētes, vno Gabriele excepto: quamuis non omnes conueniāt in rationibus. Ricardus enim in.4.quæst.1. dicit huius conclusionis rationem esse,quā eadem persona verè potest affirmare aliquid,loquens in persona alterius: quod tamen negaret,si in propria persona loqueretur. Vt angelus loquens Moysi in persona Dei. Exod.20. verè dixit: ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Quod tamen verè negasset si in propria persona loqueretur. Et ad hunc modum affirmat,quod quia sacerdos ea, quæ audiuit in confessione,nouit in persona Dei, & extra confessionem interrogatur, vt persona propria, idcirco quod in confessione affirmaret se scire, vt Deus, potēs extra confessionem simpliciter dicere se nescire. Hæc tamen ratio meritò impugnatur ab Scoto in 4.d.1.quæst.2. Primo,quia aliud est quempiam loqui in persona alterius,hoc est,fingere se esse alium (Quomodo vnus in comœdijs loquitur vice illius, cuius personam induit: sicque loquebatur Angelus in rubo in persona Dei) & aliud loqui in persona alterius, hoc est, fungi autoritate illius, (quomodo prætor autoritate à Rege accepta, profert sententiam, ac si à Rege pronunciaretur.) Nam qui loquitur primo modo nihil dicit ex proprijs; sed est illud totum referendum ad personam, quam agit. At verò qui loquitur secundo modo, loquitur in propria persona. Et certum est, quòd sacerdotes in sacramento confessionis non agunt personam Dei primo modo, vt Ricardus putat; sed secundo, tanquam ministri illius, iuxta illud Ioann.20. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Atque ex consequenti quæ audiunt in confessione non solum erunt dicendi, illa scire, vt Deus primo modo, sed etiam in propria persona, tanquam eius ministri. Secundò: Clauis scientiæ ordinatur ad clauem potestatis: ergo ad eum modum debemus dicere, quod cognoscit sacerdos peccata quo illa absoluit: sed absoluit illa in persona propria, dicens: Ego te absoluo, sicut & dicit: Ego te baptizo; & ego te consigno: ergo cognoscit illa in propria persona, atque ex consequenti falsò inquit Ricardus sacerdotes in confessione solum scire peccata in persona Dei. Et confirmatur: Si sacerdos loqueretur in persona Dei ad sensum Ricardi, non præmitteret precem illam, Dominus te absoluat, nec diceret, Autoritate in hac parte mihi concessa, ego te absoluo: cùm hæc verba, in persona Dei prolata sint falsa: & tamen recipiuntur communiter ab ecclesia: ergo sentiunt communiter Catholici sacerdotem in confessione non agere personā Dei ad sensum Ricardi. Communis locutio fidelium est nec neganda, quod quæ audit sacerdos in confessione scit, vt Deus & non vt homo. Hoc enim modo loquēdi vtūtur Theologi in.4.d.21.& Iurisprudentes in cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. estq; receptissimus apud summos Pontifices in cap. si sacerdos. de offic. ordin. & alibi sæpè. Cæterum illa verba non faciunt sensum, quem putat Ricard. scilicet, quòd Deus ad modū, quo Angelus loquebatur in rubo, sed quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

scit, vt ministeꝛ, atque autoritate Dei, quod est verisimum. Quocirca hac ratione Ricardi omissa, operæpretium est, vt alijs efficacioribus, atque verioribus probemus nostram conclusionem, sicut & probatur ab Scoto loco citato, non obstante, quòd, quamuis nulla alia ratio esset, nisi autoritas Theologorum, & iurisprudentium id vnanimiter affirmantium locis citatis, & præsertim Diui Bernardi, qui dicit; Nihil minus scio, quam quod in confessione scio; ea vna, atq; sola sufficeret. Est ergo prima ratio nostræ conclusionis; Voces eo modo significant, quo recipiuntur à populo, vt cõmuniter dicũt Doctores: sed populus Christianus dum audit sacerdotem iurantem se nihil scire, non intelligit de ijs, quæ nouit in confessione: ergo illa verba ex proprietate sermonis faciunt sensum, quod nihil scit extra confessionem. ¶ Secundò: Quæuis sacerdos illa, quæ audit in confessione, nouerit vt particularis persona, illa tamẽ scit in foro, atq; iudicio Dei: sed Deus id iudicium voluit esse adeò occultum, atq; secretum, vt peccata illic confessa omnino pro nõblitis, ac non commissis habeantur, iuxta illud Psalm. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, & Ezech. 18. In quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius amplius non recordabor: ergo sacerdos audiens confessiones, ac dicens: Ego te absoluo, promittit ea peccata habiturum, ac si nunquam illa audisset. Atque ex consequenti in foro exteriori interrogatus citra mendacium potest dicere, se illa nescire. Et hic est sensus illorum verborũ; Sacerdos scit, vt Deus, hoc est, scit tanquam minister Dei, & ad modũ Dei. Et confirmatur: Si sacerdoti tyrannicè interrogato de rebus per confessionem cognitis solũ esset licitum tacere, vt dicebat Gabriel, sigillo confessionis magnum inde detrimentũ sequeretur. Nam quãuis qui tacet, nec dicat, nec neget, communi tamẽ vsu loquendi recipitur, vt qui non negat crimen, cuius negatio in laudem cedit, illud confiteri censeatur. Pro quo facit lex. 1, tit. 3. lib. 3. Ordin. vbi habetur: Qui tacet in iudicio pro confesso habeatur: ergo saltim ne sigillo confessionis iniuriam faciat, tenebitur confessarius dicere, se crimen nescire. Maximè cum illud sine mendacio possit proferre. Item, quamuis vulgari sermone dicantur homines scire illud, quod idoneis testibus comprobatur, atque credunt, propriè tamen loquendo, id solum scire dicimur, quod mentis firma ratione comprehendimus. Verba sunt D. Augustin. libr. 1. retract. capit. 14. Quæ autem aliorum relatione nouimus non certo cognoscimus. Est enim omnis homo mendax, atque adeo potest, qui refert mentiri. Eo vel maximè, quòd vt docet Aristot. lib. 1. Posteriorum, scientia propriè nihil aliud est, quam certa, & euidens cognitio veritatis. Quam diffinitionem etiam iurisprudentes recipiunt. Dicit enim Baldus in. l. scire leges. ff. de legibus, scientiam esse infallibilem notitiam veritatis. Quo fit, vt quamuis ille, qui est testis ex auditu, multum faciat aliquando in iudicio ad coniecturas, vt colligitur ex capit. præterea. de testibus. & ex cap. hoc videtur. 22. quæstione. 5. nunquam tamen dicitur absolutè testis, rem scire in iudicio, nisi qui visu illam, aut alio sensu experimentaliter nouit, vt habetur in cap. testis. 3. quæstione. 9. colligiturq; ex illo Ioannis 3. Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Et. 1. Ioan. 1. Quod audiuimus (scilicet ab ipso orè Christi), quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, hoc testamur: sed sacerdos ea, quæ audit in confessione non nouit, nisi ex relatione illius, qui mentiri poterat: ergo affirmans, se nihil illorum scire non mentitur. Probo consequentiam: Nam, quamuis illa verba possint efficere sensum vulgarem, quo etiam scientia ex auditu negetur, sicque videantur falsum continẽre, adhuc tamen habent verisimum sensum, quem sapientes recipiunt, quo citrà mendacium possunt proferri. Et vt diximus quæstione præcedenti, articulo. 1. in fine, qui profert verba in sensu recepto apud sapientes, vel apud vulgus, non mentitur.

¶ Secunda conclusio: Testis, qui præter ius de occulto crimine interrogatur, nec se potest defendere, tacendo, vel alia conuenienti via, simpliciter potest respondere, se nihil scire: Hanc conclusionem non tam compertam habeo, quàm primam, nec volo eam tam certam haberi. Haud enim ignoro grauissimos Doctores incunctanter affirmantes, fas esse sacerdoti dicere, nescio, de alijs secretis secularibus id dubitare. Gerson enim alphabeto. 34. sub litera. Q. post quàm dixit, licere sacerdoti respondere, nihil scio subiungit: Si autem possit similiter in alijs purè secretis ità respõdere, sine mẽdacio, ego, non audeo diffinire. Videretur tamen alicui par ratio, vt par verbi intellectus. Scotus etiam in. 4. distinct. 15. quæstione. 4. artic. 3. cùm admonuisset reum iniustè interrogatum, vt ad modum iuris fatum negaret proposita, vt proponẽtur subiungit: Sed an si neget intendens negare, sicut iacerdos facit de confesso, dicens, nihil mali scio, teneatur pœnitere, respondeo bonarum mentium esse culpam agnoscere, vbi culpa non est. Et ideò in tali casu tutum est pœnitere. Sed certè Scotus non loquitur de teste, nec negat ipsum licitè posse respondere, nescio: sed loquitur de reo negãte factũ, de quo est longè diuersa ratio, vt diximus quæstione præcedenti, articulo. 2. Cæterum nostram conclusionẽ tenent Adrianus quod lib. 11. & Syluester. verbo. mendacium. §. 6. & multi alij. Nec loquimur, quando testis solum interrogatur de re, quam ex aliorum relatione nouit. Tũc enim ambigi nõ potest, quin simpliciter possit respondere, se nescire, propter rationẽ vltimo loco adductam pro prima conclusione. Imò nõ solũ, quando iniustè; sed etiam, quando iure de huiusmodi rebus interrogatur, nullam faciet iniuriam dicens se nescire, quando ex aliorum relatione didicit, qui mentiri possunt. Nisi fortè res adeò esset manifesta, vt negati nõ posset. Sed loquimur de illo, qui visu, vel alterius sensus experimento nouit occultum crimen, de quo præter ius interrogatur. Probatur: In iudicio quæsitus de veritate solum interrogatur secundum ius. (Nam præter ius nullus habet potestatem interrogandi, id enim possumus quod iure possumus. cap. faciet. 22. q. 2. & leg. filius. ff. de constitutionibus) sed secundum ius inquisitio fieri non potest de occultis, vt habetur expressè in cap. qualiter & quando. el primero de accusatio. ergo testis solum interrogatur de eo, quod non est iure occultum, atque ex consequenti respondens, se nihil scire, non mentitur, si nihil aliud sciat, quàm quod est iure occultum. Ad hoc argumentum nonnulli contrariam sententiam tenentes, dicunt, in illo capitulo. qualiter & quando. iam citato, solùm haberi, quòd iudex exigés iuramentum in forma excipiat occulta crimina, vt, scilicet, iurent testes, se dicturos quidquid sciunt, exceptis occultis. Et tunc certum est, posse testem citra mendacium respondere, se nihil scire; quia respondet ad intentionem iudicis. Cæterum, si iniquus iudex nihil exciperet, sed sub iuramento peteret potius, vt sibi dicerẽt testes quidquid simpliciter nouerint, tunc est difficultas, an licitè possint respondere, se nihil scire. Et dicunt quod non. Quia in eo casu verbum, nihil, non habet, vnde restringatur; atq; adeò sensus eius est, quòd nihil sciunt, nec publicum, nec secretum, quod est mendacium. Præterquam quòd ad hoc, vt verba à mendacio excusentur proferri debent, ad intentionem interrogantis. Hoc tamen non obstante, dico rationem nostram esse efficacẽ. Nam non solum iudices iure tenentur in inquisitione exprimere exceptionem de occultis, verùm etiam quando iniquus iudex illam non facit, iure ipso intelligitur facta. Atque adeò verba illa, nihil scio, iure ipso sunt restricta, vt intelligãtur de criminibus, quæ iure possunt inquiri; in quibusque reuelandis testis tali iudicio subijcitur. Nec obstat, quòd tunc non respondet testis ad intẽtionem iniqui iudicis sine exceptione interrogantis: quia satis est, quòd respondeat ad intentionem, quam iure debet habere, vt à mendacio excusetur. Quod & hac ratione probatur: Si bonus atque sapiens iudex in vniuersum interrogaret aliquẽ de eo, quod scit, optimè responderet, se nihil scire, quamuis aliquid secretò nosset: quia conijceret intentionem suam esse solum interrogare de illis, quæ iure potest: ergo & improbo prætextu iuris interrogante, quando quis respondet ad intentionem iuris, non mentitur. Itẽ probatur conclusio: Interrogatus de occulto crimine, quod ipse solus vidit, respõdensque, nescio, iure potest intelligere: nescio, vt dicam, vel, nescio eo modo, quo iure debeam dicere: sed hoc nullum est mendaciũ, vt constat: ergo. Probo minorem: Nã, quia voces sunt signa eorum, quæ sunt in animo, vt inquit Aristotel. libro. 1. Perier. & dicere procedit ex scientia, idcircò communi modo loquendi sapientum, sub verbo, nescio, intelligitur, vt dicam, maximè quando quis præter ius interrogatur. Ad quem modum sancti Doctores intelligendum esse affirmãt verbum illud Christi Marci. 13. De illa die nemo scit, nec filius hominis. Nam quantùis diuersimodè à Doctoribus exponatur, vt docet D. Thom. 3. par. q. 10. articul. 2. (Origenes enim interpretatur illud de corpore Christi mystico, quod est ecclesia, quæ diẽ illum nescit, & alij de Christo quantum ad scientiam acquisitam, qua diem illum non nouit, & alij aliter) germanus tamen eius verbi sensus est, magisq; ad literã quadrans, quòd dicatur Christus illum diem nescire ad reuelandum in hac vita, vt D. Augustinus, atque Hieronymus interpretantur. Itaque tantùm valet; Filius hominis nescit, sicut; filius hominis non debet facere, vt vos sciatis. Sicut è contrario quod dixit Dominus ad Abraham Gen. 22. Nunc cognoui, quod timeas Deũ, tantùm valet, ac si diceret: Nũc feci te cognoscere.

¶ Sed est dubium, quid sit faciendum, si improbissimus homo testem interroget hoc modo: die mihi, quid scis de hac re, quantũcunque

1. Conclus. Interrogatus præter ius de occulto crimine, potest respondere simpliciter se nescire.

Dubium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cunque sit secretum, nec reuelari iure possit. Nam videtur tunc responderi non posse, nescio, cùm alter expresse interroget id, quod non debet dicere, nec appareat qualiter in verbo, nescio, possit subintelligi tue restrictio, vt dicam, ab interrogante omnino excluſa. *Responſio.* Respondetur nihilominus, adhuc esse valde probabile, quod potest dicere, nescio. Adhuc enim est à iure restricta illa responsio, quantuncunque malitia interrogantis aliud verbis expresserit. Vel secundo respondetur, quòd forte tunc ea responsio, nescio, non careret mendacio, atque adeo solum esset obiurgandus interrogans tanquam indignus cui responsum reddatur. Et hoc quantū attinet ad testem præter ius interrogatum. Nam de reo diximus supra quæstione præcedenti articul. 2. in fine, nulla ratione posse factum negare. Videte ibi. Verum est, quod Caietanus in opusculo decem & sex respōsionum, responsione. 5. videtur affirmare contrariū. Nam dicit quòd requisitus de occultis complicibus non secundum ordinem iuris, licitè respondet, se non habere complices. Sed verior est, atque probabilior sententia à nobis posita; quanuis nec etiam hæc sua careat probabilitate. Maximè, si dicamus, reum sicut & testem solum teneri respondere ad intentionem iudicis iuridicè interrogantis. Certum est autem, quòd quando iudex iuridicè interrogat, solum intendit interrogare, an quis viderit, sciuerit, vel fecerit aliquid, quod ipse dicere teneatur. Sicque quando dicit, quòd nec sciuit nec fecit, verba illa bene possunt admittere hunc sensum, scilicet, vt nec sciuerit, nec fecerit illud taliter, vt teneatur reuelare. Sed certior est sententia, quam eo loco posuimus. Ex dictis patet solutio ad argumentum positum in principio dubitationis.

Nota circa solutionem ad secundū argumentū D. Tho. ¶In solutione ad secundum argumentum agit D. Thom. de testificatione eorum quæ quis in secreto cognouit. Ad quorum intelligentiam aduertendum est primò, quod secretum dicitur, à secerno, quasi separatū, atque seiunctum ab arbitrio, & cognitione aliorum: habetque multiplices gradus. Nā primò dicitur secretum, quod alteri in confessione est cōmissum; quod adeò stricto iure est obseruandum, vt propter nullam causam debeat quis supra re in tali secreto cognita testimonium ferre. Maius enim est vinculum sacramenti quocunque alio hominis præcepto, vt paulò ante dicebā. Sed oportebit discernere inter illa, quæ sciuntur, sub sacramentalis confessionis sigillo, ab eo, qui verè audiuit alterius confessionem, & illa, quæ sciuntur sub sigillo confessionis nō verè, sed ad imitationem, & similitudinem dictæ. Quod contingit, quando aliquis secretum reuelat sub his verbis: Dico tibi hoc in confessione, seu sub sigillo pœnitentiæ. Nā in primo casu nunquam erit licitum ea reuelare, quia, vt in litera dicitur, confessor non scit illa, vt homo, sed solum tanquā Dei minister. At verò in. 2. etiam si reuelans signum crucis, &, confiteor, præmiserit (modo in nullo se peccasse confiteatur) audiens nō magis tenebitur id secretum seruare, quam si iuramento firmasset, se illud non dicturū. Quare tenebitur illud reuelare, si fuerit tale, quod in perniciem reipublicæ, aut alterius notabile detrimentum vergat, vt notat Caietanus in isto commento. Secundus gradus secreti est eorum, quæ infamia non laborant, quæ reuelanda non erunt, etiam si testibus posint probari. Id autem, de quo est infamia iam non est secretum, atque adeò licitè reuelabitur, vt dicitur in cap. vestra. de cohabitatione clericorum & mulierum. Tertius gradus secreti est, quando iudex aliquem interrogat sine prædio accusatore, & vno teste. In quo casu interrogatus non poterit delictum manifestare, quia secretum est, vt diximus in superioribus. Si autem sit accusator, & vnus testis, iam tale delictum respectu eius, qui iuridicè interrogatur, non est occultum, neque secretum, atque adeò obligatur dicere veritatem. Quartus gradus secreti est, quando non præcedit denuntiatio simul cum præcepto, & obedientia superioris supra aliqua re, vt diximus in præcedentibus.

Fides virtus moralis est constituenda. ¶Secundò est aduertendum, quòd præter fidem, virtutem intellectualem, atque Theologicam, de qua agit D. Thom. 2. 2. quæstio. 1. est constituenda alia fides, virtus moralis, inclinans seruare debita, atque promissa, appellaturque alio nomine, fidelitas, quā diffinit Cicero lib. 1. Officio. in cap. de iustitia. dicens, quòd est dictorum, & conuentorum obseruatio, atque adimpletio, ad quam primò spectat seruare fidem in commutationibus, secundo in promissis, tertio in secretis sibi cōmissis. De hac fidelitate loquebatur Christus Matth. 24. quando dixit: Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Et Salomon Ecclesiastes cap. 5. dum dixit: Displicet Deo infidelis, & stulta promissio. Hanc etiam virtutem adeò magnificauerunt Romani, vt eius statuam prope Iouē posuerint, vt autor est Cicero lib. 3. Offic. Quare ipse in Paradoxis summopere laudat Marcum Regulum, quia pro seruāda fide vitam posuerit. Ex quo infero,

fero, seruare secretum alienum pro loco, & tempore, & quando oportet, esse actum fidei, atque adeo studiosum, vt pote qui procedit ab eximia, & maxima virtute. Dixi no tanter, secretum alienū. Nam seruare secretū proprium, non ad fidem, sed ad charitatem pertinet. Est enim ista fides pars subiectiua iustitiæ, & sic necessario debet esse ad alterum, sicut ipsa iustitia. Et est hoc intelligendum, non solum de secreto mihi commisso, sed etiam de quocumque alio facto occulto, quod ego solus vidi, in alteriusque infamiam, vel damnum potest redundare. Nam licet non sit illud meæ fidei expresse commissum, est tamen virtualiter; quod satis est ad hoc, vt illud reuelans non solum contra charitatem, sed etiam contra fidelitatem peccare dicatur, & sic tenetur ad restitutionem damni inde subsequuti, vt diximus supra. q. 62. art. 2.

Dubium. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, quonam iure sit prohibitum reuelare alienum secretum? Ad quod breuiter dico, illud esse prohibitum, non solum iure humano, sed etiam naturali, atque diuino. Et quidem, quod sit prohibitum iure humano, est res manifesta. *Responſio.* Nam in cap. si qui. 5. q. 1. & in lege vnica. C. de libellis famosis, ponitur grauissima pœna infamantibus proximos: & hoc non ob aliud, nisi, quia lex præcipit non diffamare. *Quo iure sit prohibitum reuelare secretum.* Et in cap. suam. 2. q. 8. præcipitur, quòd nullus deducat in iudicium proximi peccatū, quod probari nō potest, nec illud reuelet. Et in leg. finali. C. de probationibus, idem habetur. Quod autem idē similiter sit præceptū iure naturali, & diuino probatur. Primò: iure naturali, atque diuino peccata sunt & appellantur tenebræ: opera autem bona sunt, & appellantur lux, iuxta illud Ioan. ca. 3. Dilexerūt homines magis tenebras, quàm lucem, ideſt, magis peccata, quàm bona opera: & ad Roma. 13. Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. & Matthæi. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &c. & nō ob aliam rationem, nisi, quia bona opera sunt reuelāda, & peccata occultāda, ergo iure naturali, atque diuino, id tenemur facere. Secundo: Reuelare occulta peccata proximorum, est contra amicitiam illis debitā, propter quod dicebat Sapiens, Eccles. ca. 6. Fideli amico nulla est cōparatio: sed vnusquisque tenetur iure naturali, atque diuino diligere proximos: ergo & conseruare secretum illorum. Et confirmatur: Lex naturalis est quàm refert Christus Matth. 7. vt quæcunque nos volumus, vt faciant nobis homines, eadem illis faciamus: sed vnusquisque vult, vt sua occulta peccata secretò seruentur: ergo idem tenemur facere alijs. Maximè cum præcipiat Christus. Matthæi. 22. vt diligamus proximos, sicut nos ipsos. Prohoc etiam facit illud Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, ne, scilicet, diffames proximū, & manifestes eius peccatum: vt Hieronymus interpretaturu. Quibus verbis, vt latè ostendimus in primo tomo q. 33. præceptū naturale continetur. Et. 1. ad Corint. 4. Nolite iudicare, donec aduenial dies Domini. Et si quis quærat, an hoc peccatum de reuelandis occultis criminibus proximorum, ex genere suo sit mortale, an verò tantum sit veniale? dico breuiter, illud esse mortale ex genere suo, quāuis ex leuitate materiæ possit esse veniale, vt accidit omnibus alijs. Quod probatur primò ex D. Thom. supra quæstione. 13. art. 7. affirmante, grauius peccatū esse diffamare proximum, quam furtum. Quia qui furatur, solum nocet in pecunijs; qui autem diffamat nocet in honore præstante diuitijs, iuxta illud Prouerb. 22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ. Et Ecclesiast. 41. Curam habe de bono nomine, magis enim permanebit, quam multi thesauri. Et certum est, quod furtum est peccatū mortale ex genere suo. Item, secundo: Nam reuelatio alieni secreti est iniustitia, &, vt diximus supra, omnis talis ex genere suo est peccatum mortale.

Articvlvs. II.

¶Virùm sufficiat duorum vel trium testimonium.

AD Secvndvm sic proceditur. Videtur quod non sufficiat duorum vel trium testimoniū. Iudicium enim certitudinem requirit. Sed non habetur certitudo veritatis per dictum duorum testium. Legitur enim tertij Regum vigesimoprimo, quòd Naboth ad dictum duorum testium falsō condemnatus est: ergo duorum vel trium testimonium non sufficit.

2 ¶Præterea, Testimonium ad hoc, quod sit credibile, debet esse concors. Sed plerunque duorum vel trium testimonium in aliquo discordat: ergo non est efficax ad veritatem in iudicio probandum. *2. q. 4. cap. Præsul. alij qui codices habent hoc c. in. q. 5.*

3 ¶Præterea, Secundæ * quæstione quinta dicitur, Præsul non damnetur, nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi septuaginta duobus testibus, presbyter autem Cardinalis nisi * quadraginta quatuor testibus non deponatur, diaconus Cardinalis vrbis Romæ nisi in * viginti octo testibus non condemnabitur, subdiacon⁹, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi cum septem testibus non condemnabitur. Sed magis est periculosum peccatum eius, qui in maiori dignitate constitutus est, & ita minus est tolerandum: ergo nec in alio rum condemnatione sufficit duorum vel trium testimonium.

*Aliat 64.

*Aliat. 27.

Et habetur 2.q.4.c. Quodvero. Extra de testibus ca. in omni negotio.

¶Sed Contra est, quod * dicitur Deuteronomij decimoseptimo, In ore duorũ vel triũ testiũ peribit qui interficietur. Et infra decimonono, In ore duorum vel triũ testiũ stabit omne verbum.

¶Respondeo dicendum, quòd secundum Philosophũ in primo * Ethicorum certitudo non est similiter quæ rẽda in omni materia. In actibus enim humanis, super quibus constituuntur iudicia, & exiguntur testimonia, nõ potest adhiberi certitudo demonstratiua, eò quòd sunt circa contingentia & variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ vt in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile, quòd magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum vnius. Et ideo cum reus sit vnus qui negat, sed multi testes asserunt idem cum actore, rationabiliter institutum est de iure diuino & humano, quòd dicto testium stetur. Omnis autem multitudo in tribus comprehenditur, scilicet principio, medio, & fine. Vnde secundum Philosophum in primo * de Cælo, Omne totum in tribus ponimus. Ternarius quidem constituitur afferentium, cum duo testes conueniunt cum actore. Et ideo requiritur binarius testium, vel ad maiorem certitudinẽ, vt sit ternarius, qui est multitudo perfecta in ipsis testibus. Vnde & Ecclesiast. quarto dicitur, Funiculus triplex difficile rumpitur. Augustinus * autem super illud Ioannis octauo, Duorum hominum testimonium verũ est, dicit quod in hoc est trinitas secũdum mysterium cõmendata, in qua est perpetua firmitas veritatis.

Li.1.ca.3. circa prin. & c.7.circa fi. to.5.

Li.1.tex.2 tom.2.

Tra. 36.in Ioã.in vlt. pa.ante fi. tom.9.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd quantacunque multitudo testiũ determinetur, posset quandoque testimonium esse iniquum, cum scriptum sit Exodi vigesimotertio. Non sequaris turbam ad faciendum malum, nec tamẽ, quia nõ potest in talibus infallibilis certitudo haberi, debet negligi certitudo, quæ probabiliter haberi potest per duos vel per tres testes, vt dictũ * est.

In corp.art.

¶Ad secundum dicendum, quòd discordia testium in aliquibus principalibus circunstantijs, quæ variant substãtiam facti (puta, in tempore, vel in loco, vel in personis, de quibus principaliter agitur) aufert efficaciam testimonij, quia si discordant in talibus, videtur singulares esse in suis testimonijs & de diuersis loqui. Puta, si vnus dicat hoc factum esse tali tempore, vel loco, alius alio tempore vel loco, non videntur de eodem facto loqui. Non tamen præiudicatur testimonio, si vnus dicat se non recordari, & alius asserat determinatũ tempus vel locum. Et si in talibus omnino discordauerint testes actoris & rei, si sint æquales numero & pares dignitate, statur pro reo, quia facilior debet esse iudex ad absoluendum, quàm ad condemnandum, nisi forte in causis fauorabilibus, sicut est causa libertatis, & huiusmodi. Si vero testes eiusdẽ partis dissenserint, debet iudex ex motu sui animi percipere cui parti sit standum, vel ex numero testium, vel ex dignitate eorum, vel ex fauorabilitate causæ, vel ex conditione negotij & dictorũ. Multo autem magis testimonium vnius repellitur, si sibiipsi aliquis dissideat interrogatus de visu & scientia, non autẽ si dissideat interrogatus de opinione & fama, quia potest secundum diuersa visa & audita diuersimode motus esse ad respondendum. Si vero sit discordia testimonij in aliquibus circunstantijs nõ pertinentibus ad substantiam facti, puta,

ta, si tempus fuerit nubilosum, vel serenum, vel si domus fuerit picta, aut non, aut aliquid huiusmodi, talis discordia non præiudicat testimonio: quia homines non consueuerunt circa talia multum solicitari, vnde facile à memoria elabuntur. Quinimo aliqua discordia in talibus facit testimoniũ credibilius, vt Chrysost. * dicit super Matth. quia si in omnibus concordarent, etiã in minimis, viderentur ex condicto eundem sermonem proferre, quod tamen prudentiæ iudicis relinquitur discernendum.

Hom 1. paulo post prin. Incipit hæc hom. Oportuerat nos quidẽ. to.2

¶Ad tertium dicendum, quòd illud locum habet specialiter in Episcopis, presbyteris, diaconis, & clericis Ecclesiæ Romanæ, propter eius dignitatem. Et hoc triplici ratione. Primo quidem, quia in ea tales institui debent, quorum sanctitati plus credatur, quàm multis testibus. Secundò, quia homines qui habent de alijs iudicare, sæpe propter iustitiam multos aduersarios habent. Vnde non est passim credendum testibus cõtra eos, nisi magna multitudo conueniat. Tertiò, quia ex condemnatione alicuius eorum derogaretur in opinione hominum dignitati illius Ecclesiæ, & authoritati, quod est periculosius, quam in ea tolerare aliquem peccatorem, nisi sit valde publicum, & manifestum, de quo graue scandalum oriretur.

Summa Textvs.

Ad hanc difficultatem, respondet Diu. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: Rationabile est, vt stetur pluribus testibus contra reum deponentibus, potiusquã ipsi reo, probati. Certitudo (vt autor est Aristotel. 1. Ethicor.) non est æqualiter in omni materia exquirenda: ob id enim in actibus humanis, qui in casuelis & contingentibus versantur, & de quibus iudicia constituũtur, non ea exigitur certitudo, quæ in scientijs demonstrabilibus: sed illa satis est, quæ, vt in plurimum veritatem continet, tamq; deficit, sed probabilius multo est certoque propinquius, quod à multis asseritur, quam quod asseritur ab vno: ergo ratio postulat, vt quando vni tamen reo neganti multi obijciuntur testes illorum potius, quam rei negantis stetur testimonio. Secunda conclusio: Non solum iuri diuino, atque humano, sed etiam rationi naturali est valde conforme, vt in iudicio duorum hominum, qui sint fidedigni, & ad maiorem certitudinẽ trium sit sufficiens testimoniũ. & quidem, quod hoc sit conforme iuri diuino, probat D. Thom. in argumento, sed cõtra ex illo. Deut. cap. 17. In ore duorum, vel trium peribit qui interficitur, & cap. 18. In ore duorum vel trium stabit omne verbum. Ius autẽ humanũ patet. 2. q. 5. cap. quod vero. & extra de testibus. cap. in omni negotio. & ff. eodem titulo. leg. vbi numerus. Sed quòd hoc etiam sit conforme rationi naturali probat D. Thom. ex Arist. lib. 1. de Cælo textu. 2. dicente. Totum & omne de tribus primum dicitur: nam de duobus solum dicimus ambo. Sed duo testes cum actore faciunt tres: quòd autem absque actore, cui in iudicio non tanta perhibetur fides, testimonium absolutum sit ac perfectum adhibetur tertius testis: ergo rationi naturali est conforme, vt in iudicio duorum hominum, qui sint fide digni, & ad maiorem perfectionem trium sit sufficiens testimonium: Pro hoc etiam facit illud Eccles. 4. Funiculus triplex difficile rumpitur. & D. August. tract. 36. in Ioan. qui in illud. Duorum hominum testimonium verum est, dicit; In hoc est trinitas secundum mysterium commendata, in qua est perpetua firmitas veritatis.

Explicatio Articvli.

Vnius testimonio fides non est adhibenda.

Pro explicatione huius articuli aduertendum est, vnius hominis testimonio plenam fidem adhibendam non esse quod non tantum legibus humanis, sed etiam diuino iure frequentissime est constitutum. Lex enim Deuteronomij iam citata id expresse statuit. Et in lib. Numerorum cap. 35. etiam dicitur. Homicida sub testibus punietur: ad vnius testimonium nullus condemnabitur. Et in Euangelio apud Matth. cap. 18. Adhibe tecum vnum, vel duos testes, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum, quod & alibi sæpe cauetur. Ioan. 8. &c. 2. ad Corin. cap. 13. multis etiam Pontificum & Cæsarum constitutionibus id ipsum renouatum est. Et sic, quanuis olim apud ciues Romanos magna esset Catonis autoritas; orator tamen quidam, cum vnico testi credendum non esse diceret, nec si Cato, inquit, is foret. Plures sunt exceptiones, quibus iuris periti probare conantur, vnico testi nonnunquam habendam esse plenam fidem. Cæterum, vtcunque res se habeat de causis ciuilibus, in crimmalibus certum est, vni testi credendum non esse. Id enim periculosum pariter,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pariter, & iniquissimum foret, vt docet Guiliel. in speculo. titul. de testibus. §. testat. Antonius, & Felin. in capit. veniens primo eodem titulo. Casus autem ille, in quo multi putant vnius testimonio plenam fidē habendam esse, tunc, scilicet, quando quispiam de proprio facto testificatur, leg. quæro. §. vlti. de ædilit. edi. & leg. cum probatio, de probatio. & leg. si quis decurio. Cod. de fals. cē sura dignus est. Nam, cùm (vt paulò antea dicebam) diuinis pariter, & humanis legibus frequentissimè prohibeatur, ne in detrimentum alterius vni testi plenè credatur, & patui referat, vtrum de facto proprio, an de alieno quispiam testimonium dicat; maximè, cùm securius homines in facto suo mēriri queant, quam in alieno, fit, vt non sit cur, in hoc magis quam in illo veraces, vel mendaces fore credantur. Si quæ autē sunt iura, quæ prima fronte obstare videantur, ea vel de ministro reipublicæ, cui fides adhiberi solet in re aliqua leuissima officij sui, vel de seruo, cui nonnunquam creditur in damnum leue domini sui, loquūtur. Quæ quidē iura singulariter cōstituta sunt, atque adeo ad exemplum trahi non debent in graue alicuius detrimendū, vt docent iuris prudentes quā plurimi, quibus in hac re credendum est. Cynus, & alij in lege, si quis decurio, Cod. de fals. Antonius in cap. cum à nobis de testibus. Alexan. consi. 192. lib. 6. & idē Alex. & Iaso. in leg. 2. §. si absens.

Duo, vel tres testes necessarij sunt ad plenam probationem.

Duo igitur, vel tres testes sempēr necessarij erunt ad plenam cuiusque rei probationē: quia vnus facile corrumpi atque peruerti potest. Plures autem quam duos, vel tres in quacumque causa requirere graue admodum, & impossibile foret, vt dicitur in lege vbi numerus. ff. de testibus. & in capit. licet vniuersis. eodem titulo. Sed ad hoc, vt duo soli testes sufficiāt ad plenam probationem opus erit, vt sint fidedigni, & omni (quod aiunt) exceptione maiores. Tametsi autem fidedignissimi testes sint, nullum erit pondus suorum testimoniorum, nisi de ijs, quæ planè sciuerint, & non de ijs, quæ ab alijs audiuerint testificētur. Quod scimus loquimur, inquit veritas, & quod vidimus testamur; & testimonium nostrum non accipitis? Ioann. 3. Et Prouerb. cap. 12. Qui quod nouit loquitur iudex iustitiæ est. Demosthenes quoque in oratione. 2. in Stephanum, dixit: Manifestissimæ impudentiæ est ea testari, quibus testis non adfuit. Et mox addit: Leges autem non ità loquuntur, sed quæ norit aliquis, & quibus gerendis interfuit, ea testari iubent, atque tabulis inscribere, vt necadimere liceat quidquam, neque addere ijs, quæ scripta fuerint. rem verò è viuente auditam testari non sinunt. Quintilianus lib. 5. cap. 7. Huc accedit Plautus, in truculento dicens. Pluris est occulatus testis vnus, quam auriti decem; qui audiunt audita dicunt, qui vident planè sciunt. Et in certus ille autor, qui Æthnæ montis carmina scripsit, hæc inter alia inquit:

Non illic, duce me, occultas scrutabere causas.
Occurrent oculis ipsa, cogentque fateri:
Mille sub exiguo ponent tibi tempore veras
Res; oculique docent, vera ipsa credere cogunt.
Nec locus ingenio est, oculi te iudice vincent.

Et Philo libro de confusione linguarum: Visus certus, potius quam fallax auditus testis adhibendus est. Quaptopter in optime constituta republica lege cautū est, ne quis audita dicat pro testimonio: quia iudicium auditus naturaliter facile est corruptibilis. Apud Mosen quoque inter vetita legitur: Non admittes auditionem vanam. Vbi non tantum interdicit, ne quis falsum sermonē, aut stultum auribus accipiat: sed etiam docet, quòd ad manifestam veritatis perceptionem longè minùs quam visus idoneus habetur auditus, cum sit refectus vanitatibus. Et in lib. de iudice inquit idem Philo: Qui oculatos testes accipit, vanè non sanè accipit: nam oculi rebus ipsis interueniunt, & contrectant quodammodo negotia, tota que percipiunt adiuuante luce, per quam illustrantur, deprehenduntur que omnia. Aures autem minus fidei habent, quam oculi; vt quibus non cum rebus ipsis est commercium, sed cum sermonibus rerum interpretibus, non semper veritatem sectātibus. Et si quis quærat, quæ nā sit causa, propter quam vnius testis affirmantis, contra alterū negantem, testimoniū non sufficiat? dico, q., quia reus suæ vitæ atque bonorum est possessor, & in dubijs melior est conditio possidentis, sit, vt vnius actoris affirmatio, etiā si vnō alio fulciatur teste, ad depellendū reū de sua possessione non sit sufficiens. Adhuc enim rationabiliter res est sub dubio, nec ratio cōuincit vt potius actori, quā reo fides adhibeatur. Fateor quidē aliquando posse vnū testē esse tantæ autoritatis, vt ipsius testimoniū pluris sit faciendū quam multorū aliorum, vt de Imperatore dicitur in leg. omnium. C. de testamentis. Imò nec pluriū semper affirmatio vera est, vt constat ex libr. 3. Reg. cap. 21. Vbi Naboth plurium falso testimonio, damnatus legitur. Et idem contigit innocentissimo Christo. Cæterùm ratio postulat, vt id legibus statuatur, quod non rarò, sed, vt in plurimum contingit. Eo præsertim, quòd, vt dicit D. Thom. in prima

ma conclusio. Rationabile est, vt stetur pluribus testibus contra reum deponētibus potius quam ipsi reo.

Testes discordes nequeunt factum probare.

¶Illud etiam sciendum est, quod testibus singularibus, seu discordibus, quanuis plurimi sint, factum aliquod plenè probari minimè potest. Opus enim est ad integram probationem, vt saltem duo testes sint concordes, vt constat ex capit. licet vniuersis, de testibus. & ex capit. licet causam. de probatio. & docent Bald. consilio. 394. libro. 2. Anton. in capit. cum oporteat. de accusatio. Ioann. Lup. allegatione de hæresi. §. 12. & Albertus, referens plures in capit. 1. de hæret. libr. 6. quæstione decimalexta, numero quinquagesimo quarto. Qua in re partitio à Baldo tradita, consensum fere omnium meruit. Is enim ait, testes singulares, vel contrarios esse, vel omnino diuersos, vel fere ad eundem finem tendere. Qui contrarij sunt sidem sibi ipsis abrogant. Sunt enim testimonia eorum sese refellentia, & inter se collidentia: & non modo plenam probationem non faciunt; sed interdum etiam, vt falsi sunt puniendi, vt docet idem Baldus in capit. licet causam. de probatio. testes autem plurimi singulares, & prorsus diuersi perinde sunt, ac si vnus tantummodo testificaretur. Si enim primus de hac, secundus de illa, tertius de alia re longe dinersa testimonium dixerint, & plurimi alij similiter, nihilo magis aliquid gestum esse probabunt, quam si vnus tantum perhibuisset testimonium: Quia re vera singuli seorsum de singulis testantur. capit. nihilominus. 3. quæstione nona, & Bald. in lege iuris iurandi. Codice de testibus. Si verò testes diuersi, & singulares fuerint, de rebus tamen connexis, vel de ijs, quæ ad eundem finem tendunt, testimonium dixerint, quanuis in causis criminalibus plena fides illis non sit habenda, plus tamen quam semiplenam faciunt probationem. Baldus in capit. licet causam. de probationib. & Felin. in capit licet ex quadam, de testibus. Cæterùm ad probandam rem indiuiduam, vel continuum actum, sat erit, vt eius partes probentur per testes singulares. Verbi gratia, ad plenam probationem sacrificij Eucharistiæ, sufficiet quod à singulis testibus de singulis eiusdem sacrificij partibus testimonium perhibeatur. Et ità plerique iuris periti credunt, quibus ego vehementer assentior: quia in toto consentiunt leg. 1. in principio de acquiren. possessione, glossa in capit. nihilominus. 3. q. 9. & Felinus citans alios in cap. licet ex quadam. de testibus. ¶Illud quoque multis placere video, quòd ad probandum aliquid generale sufficiant singulares testes, qui de singulis speciebus testimonium dicant. Vt ad probandam iurisdictionem generalem satis esse dicunt, quod singuli testes de singulis speciebus, aut actis iurisdictionis testificentur: quia omnes (vt isti aiunt) in generali iurisdictione concordant. Ità glossa in leg. ob carmen. §. vltimo. de testibus. Innocentius, Bald. Anton. Abbas, Ioann. Immola. & alij à Felino relati in capi. licet ex quadam, de testibus. Sed verior sententia est, q talibus testibus fides nō sit adhibenda; quia in specie proposita omnes singulares, atque diuersi sunt, nec aliquid inuenitur duobus testibus comprobatum. Vnde relinqui nullo modo potest, quòd generalis iurisdictio probata esse intelligatur: quandoquidem nulla species eius duobus testibus probata est. Et ità multi iurisperiti tradunt, capit. licet causam. de proba. & inibi Bald. item Hostiensis in summa tit. de testibus. §. quæ diuersitas: Sunt etiam, qui aiunt probari posse testibus singularibus aliquem hæreticum esse, vt putà, si vnus testis de quadā hæresi, & alij itidem de alijs hæresibus eiusdem hominis testimonium dixerint. Tunc enim, vt isti asserunt, iam probatum erit in genere, hominem illum esse hæreticum. Ita Iacob. Buctrio. in leg. Arriani. Cod. de hæret. & Iacob. de Aretin. in leg. testium. Cod. de testibus. Horum tamen opinio periculosa est, & omnino falsa, & ob id à plerisque iurisperitis confutata, ab inquisitoribusque iam olim iure optimo explosa, & eiecta, vt tradunt Antonius in capit. cum oporteat. de accusatio. Ioann. Andreas. in capit. vt officium. §. primo de hæretic. lib. sexto, & illic Domini. in. §. verum. Baldus consilio trecentesimo nonagesimo quarto lib. & Cardinalis in Clementina prima, §. de hæretic. & ratio est manifesta: Nam quemadmodum testibus singularibus, atque diuersis probari non potest hæresis in specie, vt paulo anteà ostendimus: sic etiam talibus testibus aliquem hæreticum esse in genere vllo pacto probari nequit. Nisi enim aliqua species hæresis duobus, aut pluribus testibus planè probata sit, non potest inde inferri, hæresim in genere plenè probatam esse: cùm verum in vno genere inferri non possit, ex eo, quòd non potest dici verum in aliqua specie. Et confirmatur: Si testibus singularibus probari posset aliquem esse hæreticum, eisdem etiam testibus probari posset aliquem esse furem, adulterum, sicarium; si quidem

Nec etiā ad probandū aliquid in genere sufficiunt testes singulares.

Ad probandū aliquē esse hæreticū nō sufficiūt testes singulares.

par

Universidad de Deusto
Biblioteca

par ratio, imò eadem prorsus militat in probatione horum omnium, atque id genus aliorum criminum: consequens autem est absurdum: ergo & illud; ex quo sequitur. Probo minorem: Nam implicat, Petrum plenè probari furem, absque eo, quod eius aliquod furtum pluribus testibus in specie probetur. Item: de singulis hæresibus accusari, defendi, & conuinci quilibet hæreticus debet; & itidē ad fidem conuersus errores singulos nominatim confiteri & abiurare tenetur; vt cō stat ex practica inquisitorum: ergo non sufficit, vt probatio singularis aduersus eū testib⁹ diuersis, seu singularibus fiat. Nec est cur in hæresi probanda recedi possit à regulis iuris, præsertim, cùm in hoc iudicio, quia maius periculum vertitur, cautius sit agendum, capit. vt officium. §. verum. de hæreti. Eisdem omnino rationibus, euidentissimum est neminem in genere cynedum esse posse. Non enim est possibile, vt quis in genere cynædus probetur, cum testes in specie sui testimonij rationem reddere debeant. Ac proinde quanuis regia lege pragmatica sancitum sit, vt in huius nefandi criminis cognitione procedatur, sicuti in crimine hæresis, & læsæ maiestatis, testibus tamen singularibus nemo plene conuinci potest esse cynædus. Relinquitur ergo ex dictis, nec in genere, nec in specie probari posse quempiam, aut hæreticum, aut furem, aut cynædum testibus singularibus.

Casus à iurisprudentibus excepti.

¶Sed solent iurisperiti duos casus excipere ab hac regula generali: Primus est, cùm testes de eadem specie hæresis testificantur, & singulares sunt in loco, & tempore. Tunc enim, quia concordant in eiusdem hæresis probatione, & locus ac tempus extranea sunt, &, vt iurisperiti loquuntur, non plurificant hæresim sæpiùs dictam, & continuatam, audiendos esse dicunt, ac recipiendos. Quæ sententia meo iudicio verissima est, & probatur multis rationibus. Primò, quia diuersitas testium in alijs, quam in substantia non abrogat fidem illorum, vt docet Syluester. verbo. testis, quæstione septima. Et certum est, quod tempus in isto casu ad substantiam non pertinet, quanuis à Diuo Thoma, hic ad secundū, inter circunstantias ad substantiam pertinentes constituatur, quod est intelligendum regulariter, &, vt in plurimum. Secundò, quia perinde facit hæreticus, qui varijs locis & temporibus eandem hæresim repetit, ac fur, qui id quòd rapuit, & furatus est, singularibus testibus ostendit varijs temporibus, & locis. Certum autem est, quod fur per tales testes plenè conuinci potest. Vltimo: Nam valde esset absurdum maximumque inconueniens, vt seductor quispiam singulos homines totius populi seorsum doceret suas hæreses, & tamen vniuersorum testimonijs conuinci non posset, quod nemo sanus probabit. Secundus casus est, quando testes singulares ad eundem finem tendunt, pluresque sunt, & fidedigni: Nam si eorum testimonia verisimilia sunt, iudex poterit plenam fidem eis adhibere. Quod à plerisque traditum, & vsu forensi receptum esse affirmat Simancas in catholicis institutionibus, titulo de testibus, numero octogesimo secundo.

Nota circa secundū cōclusionem D. Thom.

¶In secunda conclusione dicit Diuus Thomas, non solum iuri diuino, atque humano sed etiam rationi naturali esse valde conforme, vt in iudicio, duorum hominum, qui sint fide digni, & ad maiorem certitudinem trium, sit sufficiens testimonium. Circa quod est aduertendum, quod licet regulariter loquendo, ad cuiuscunque rei plenam probationem duo, vel tres testes sufficiant, in aliquibus tamen casibus ex dispositione iuris positiui requiruntur plures. Nam in testamentis apertis requiruntur quinque, in occlusis septem, quamuis in legatis ad pias causas sufficiant duo, vt docet Syluester verbo. testamentum primo. §. septimo. Similiter in codicillis requiruntur quinque, lege finali. Codice de codicillis. Item in donatione causa mortis requiruntur quinque, lege finali, Codice de donatione causa mortis. Et totidem requiruntur quando debitor vult probare debitum, quod factum fuerat in scriptis, esse solutum. Ad condemnationem etiam aliquorum requiritur numerus maior. Episcopus enim Cardinalis non damnatur, nisi in septuaginta duobus testibus, Presbyter Cardinalis in sexaginta tribus; Diaconus Cardinalis in viginti quatuor, Subdiaconus, & inferiores clerici in septem testibus, vt constat ex capit. præsul. secunda, quæstione quarta, & ex capit. sequenti. Quod specialiter habet verum in clericis Ecclesiæ Romanæ ex triplici causa assignata à Diuo Thoma hic ad tertium. Primò, quia in ea tales instituti debent, quorum sanctitati plus credatur, quam multis testibus. Secunda, quia homines, qui habent de alijs iudicare, sæpe propter iustitiam multos aduersarios habent. Quare non erit passim credendum testibus contra eos, nisi magna multitudo conueniat.

Tertia:

Tertia: Nam ex condemnatione alicuius eorum derogatur in opinione hominum dignitati, & autoritati Ecclesiæ, quod est periculosius, quam in ex tolerare aliquem peccatorem, nisi peccatum sit valde publicum, ac manifestum, & de quo graue scandalum oriatur. Sed contra hoc est argumentum: Leges humanæ naturali iuri, aut diuino derogare non possunt, sed quod duo, vel tres testes sufficiant ad cuiuscunque veritatis probationem est de iure naturali, atque diuino, vt Diu. Thom. dicit in secunda conclusione: ergo leges humanæ contrarium statuere non poterunt, atque ex consequēti ad cuiuscunq; personæ condemnationem, testamentique institutionem sufficiēs erit duorum, vel trium testium testimoniū. Respōdetur tamen, ius naturale, aut diuinū non vsque adeo firmiter stabilire duorum, vel trium testimonium, vt existimet nullam ob causam maius exigi debere. Sed tantum dicit, id, quod, nisi hominum malitia nimium excresceret, sufficiens videretur, cum tamen mortalium fide atque iustitia depraua-ta, idem ius naturæ persuadeat, vt in grauioribus causis, maximè in defunctorū testamentis, qui suas voluntates post mortem exprimere non valent, firmiora testimonia requirantur: quod & determinant leges humanæ.

Regula D. Thom. seruanda in discordia

¶In solutione ad secundum argumentū, in quo de discordia testium agit Di. Thom. talem constituit regulam: Quod si testes actoris, & testes rei ab inuicem fuerint discrepantes, tunc cæteris paribus, standū erit ex parte rei. Tum, quia melior est conditio possidentis: tum etiam, quia iudex propensior esse debet ad absoluendū, quàm ad condēnandum. Si autē testes eiusdē partis inter se dissenserint, & pariter testes alteri⁹ inter se; tunc vtri partium iudex assentiri debeat ex multis perpendere poterit, scilicet, vel ex numero testiū, vel ex dignitate, vel ex fauore causæ; vt, si agatur de libertate alicui⁹. Quod vt melius intelligatur, aduertendum est, q⁹ quando vnus testis contradicit pluribus, nihil obstat eius contrarietas, cum eius testimonium nec iustificet, nec condemnet: vt dicitur in cap. admonere. 23. quæst. 2. Si verò multi, sed pauciores contradicunt pluribus, ex eadem, vel diuersis partibus productis, iudex concordabit eorum contrarietatem, si poterit, sicut Augustinus concordat dicta Euangelistarum. Si autem non potest illorum dicta concordare plurium testimonium prævalebit, nisi dignitas personarum ex altera parte præiudicet numero, vel nisi pauciores verisimiliora dicant & aptiora negotio, aut nisi plura per pauciores probētur. Num si plures testes probent me agrum aliquem possedisse, & pauciores probant, me possedisse decem annis, & titulum possidendi, paucorum tunc præualebit testimonium, vt dicitur in cap. in nostra. de testibus. Est autem hoc intelligendū, quando eodem tempore testes inducuntur. Nam, si inducantur ad reprobandum dicta priorum, plures esse debebunt, & longè melioris famæ, vt dicitur in lege optimam. Cod. de contrahen. & committend. stipul. Et ratio est: Nam tunc magis præsumitur subornatio post publicationem attestantium, quàm ante. Si verò testes fuerint numero, & dignitate pares, sententia ferenda erit pro reo, vt dicitur in cap. ex literis de probat. nisi in matrimonio, & in causa libertatis, & in testamento, & pro dote, vt constat ex cap. final. de sententia, & re iudicata. Si autem neuter possidet rem, sed vterque ab extraneo petit, diuidenda erit si fuerit possibile, vt dicitur in cap. afferte. de præsumpt. & si nō est diuisibilis poterit iudex, tunc gratificādo dare cui voluerit, de paro. cap. 1. Et addo. ex mente D. Thomæ, quod si dissidium fuerit inter testes eiusdem partis, debebit iudex, vel ex motū sui animi, vel ex numero, vel ex dignitate, vel ex fauorabilitate causæ, cui parti sit standum percipere. Quando autem in aliquibus discrepant circunstantijs, quæ ad substantiam causæ exiguum afferunt momentum, vt si vnus dicat contigisse rem hora tertia, alius hora quarta, vel quod tempus erat subnubilum, aut subclarum, vel quod domus erat depicta, vel secus, ad quas circunstantias communiter homines attenti esse non solent, non ideo illorum testimonium erit reijciendū. Quinimò (vt de concordia Euangelistarū Augustinus & Chrysostomus adnotarunt sapienter) aliqualis historicorum discordia fidēdiorem illis arrogat fidem, quam si vsq; ad minima essent concordes: quia tunc consultò, & ex condicto videri poterunt consiluisse ad fingendam historiam.

Dubium.

¶Diximus iam, quid sit agendum, quando testes actoris, & rei inter se fuerint discrepantes: superest nunc explicare, quid sit dicendum de eo teste, qui contrariū respōdit, siue in iudicio, siue extra: de qua re est sententia Bartoli in leg. eos. ff. de falsis, no. 1. asserentis, omnem testem, etiam illum, qui extra iudicium non iuratus, & in iudicio, iuramento præstito, contraria respōderit falsi criminis pœna esse puniendum, nec eius responsionibus dandam esse fidem. Quod colligi videtur ex eadē leg. eos. secūdo respō

Sententia Bartoli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

so : quo in loco iurisconsultus absolute dicit eum, qui diuersa testimonia præbuerit, falsi criminis reum esse; & item eum, qui contra signum suum testimonium dixerit. Sed contrariam sententiam tenent communiter omnes Doctores, quantum ad illum, qui extra iudicium sine iuramento quid dixit, & demum iuratus in iudicio cõtrarium respondit. Quia tunc standum esse dicunt secundæ & posteriori responsioni, ob religionem iuramenti, & iudicis autoritatem, nec punitur hic falsi pœna. Hanc opinionem probat glossa vlt. in cap. cum causam. de testibus, vbi communiter recepta: quam dicit ordinariam Bald. in leg. nullum. colum. 1. de C. de testibus, & idem etiam dicũt quã plurimi alij Doctores relati à Cou. lib. 2. variarum. cap. 13. num. 7. Nec obstat locus iurisconsulti in lege. cos. nam ibi solum tractatur de eo qui solemniter & in iudicio contraria testificatus est, cuius fides vacillat, & ipse falso teus condemnabitur. Posset quidem Bartoli sententia procedere, vbi ex secundo testimonio appareret testis periurium: quia prius contrarium iuratus respondisset. Sicut constat ex ratione textus in capit. sicut nobis. de testibus. quod in specie asserunt Abbas & Decius in capit. pertuas. de probatio. & Felinus in ca. cum tua. de testibus.

Vera sententia.

ARTICVLVS. III.

¶ Vtrùm alicuius testimonium sit absque eius culpa repellendum.

AD TERTIVM sic procedit. Videtur quòd alicuius testimonium non sit repellendum nisi propter culpam. Quibusdam enim in pœnam infligitur, quod ad testimonium non admittãtur, sicut patet in his qui infamia notantur. Sed pœna nõ est inferenda nisi pro culpa: ergo videtur quod nullius testimoniũ debeat repelli, nisi propter culpam.

2 ¶ Præterea, De quolibet præsumendum * est bonum, nisi appareat contrarium. Sed ad bonitatem hominis pertinet, quod verum testimonium dicat. Cum ergo non possit constare de contrario nisi propter aliquam culpam, videtur, quòd nullius testimoniũ debeat repelli, nisi propter culpam.

Extra. De præsumptionibus cap. dudum.

3 ¶ Præterea, Ad ea quæ sunt de necessitate salutis, nullus redditur non idoneus nisi propter peccatum. Sed testificari veritatem est de necessitate salutis, vt supra * dictum est: ergo nullus debet excludi à testificando nisi propter culpam.

Ar. 1. huius quæst.

Greg. in registro li. 11. c. 57. à medio. Et habetur. 2. q. 1. c. in primis nõ procul à fine. Ar. præced.

¶ SED CONTRA est, quòd * Gregorius dicit, & habetur secunda quæstione prima. Quia à seruis suis accusatus est Episcopus, sciendũ est quod minime audiri debuerunt.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd testimonium sicut dictum * est, non habet infallibilem certitudinem, sed probabilem. Et ideo quicquid est quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit testimonium inefficax. Redditur autem probabile, quòd aliquis in veritate testificanda non sit firmus, quandoque quidem propter culpam, sicut infideles & infames, item illi qui publico crimine rei sunt, qui nec accusare possunt. Quandoque autem * absque culpa, & hoc est, vel ex defectu rationis (sicut patet in pueris, amẽtibus, & mulieribus) vel ex affectu (sicut patet de inimicis & personis coniunctis, & domesticis) vel etiam ex exteriori conditione, sicut sunt pauperes, serui, & illi, quibus imperari potest, de quibus probabile est quòd de facili possunt induci ad testimonium ferendum contra veritatem. Et sic patet quod testimoniũ alicuius repellitur, & propter culpã & absque culpa.

Extra. de verbo. sig. cap. forum §. Testes.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd repellere aliquem à testimonio, magis pertinet ad cautelam falsi testimonij vitandi quàm ad pœnam. Vnde ratio non sequitur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd de quolibet præsumendum est bonum, nisi appareat contrarium, dummodo non vergat in periculum alterius, quia tunc est ad hibenda cautela, vt nõ de facili vnicuique credatur, secundũ illud primæ Ioannis quarto, Nolite credere omni spiritui.

¶ Ad tertiũ dicendũ, quòd testificari est de necessitate salutis, suppositis testis idoneitate & ordine iuris. Vnde nihil prohibet, aliquos excusari à testimonio ferendo

ferendo, si non reputentur idonei secũdum iura.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Thomas vnica conclusione, quæ talis est: Homines à testificandi munere aliquando repelluntur propter culpam, & aliquando sine illa. Quam probat in argumento, sed contra testimonio Gregorij in registro lib. 11. capit. 57. & habetur in capit. in primis. 2. quæst. 1. dicentis: Qui à seruis suis accusatus est Episcopus, sciendum est, quod minimè audiri debuerunt. Constat autem, quam plurimos sine culpa sua esse seruos. Et in corpore articuli hac ratione: Hominum testimonia non habent infallibilem certitudinem, sed probabilem: ergo omne illud quod affert probabilitatem in contrarium reddit testimonium inefficax. sed redditur probabile, quod aliquis in veritate testificanda non sit firmus, aliquando propter suam culpam, vt contingit infidelibus, & infamibus, & aliquando sine culpa, vel ex defectu rationis, vt in pueris & amentibus, vel ex affectu, vt in amicis & personis coniunctis: ergo homines aliquando repelluntur à testificandi munere propter culpam, & aliquando sine illa.

Conclusio D. Tho. iuri positiuo & rationi naturali est conformis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius articuli meminisse oportebit eorum, quæ diximus articulo primo huius quæstionis. Vbi omnes causas, propter quas in iure homines à munere dicendi testimonium repelluntur, recensuimus. Ex quibus certum est, quasdam culpam inuoluere, alias autem minime, sed tantum defectus naturales. Et sic constat conclusionem Diui Thomæ non solùm iuri positiuo, sed etiam rationi naturali esse conformem. Ratio enim naturalis dictat, vt qui mihi iure suspectus est, ad ferendum contra me testimonium, non admittatur. Multa de conditionibus testium in aliquibus causis, vel casibus necessarijs, essent dicenda, nisi iuristis hæc à me essent relinquenda, qui non suscepi onus in iure, sed in moralibus scribendi, simulque Diui Thomam interpretandi. Et sic, vt muneri meo satisfaciam, tantum relinquitur dubium explicandum, vtrùm licitum sit vnicuique testes contra se dicentes taxare, illisque crimina obijcere, quibus eorum testimonium infirmum reddatur? In quare, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd falsa crimina testibus imponere, semper est peccatum mortale, siue à iustè, siue ab iniustè litigante obijcian-

Dubiũ an liceat taxare testes, & crimina eis obijcere.

1. dictum certum.

tur. Est enim hoc mendacium perniciosissimum in ipsius testis notabile detrimentum vergens, & ad quod inferendum reus ius non habet: atque adeò sine mortali culpa fieri non potest. Ex quo infertur, iniquissimum esse vsum, qui hac nostra tempestate apud aduocatos inoleuit, impingendi testibus flagitia, quæ nec suspicantur, dicentes iure suo vti ad redimendam vexationem, cum tamen talis vsus peccatum mortale sit, vt pote, qui plus iniquitatis, quam iuris habet. ¶ Dico secundo, etiam esse certum, quod habens iustam causam, ei qui falsus testis est, licite potest propter defensione sua vera crimina obijcere etiam si illa sint occulta. Itaque si aliquis in iudicio aduersum me falsum testimonium dicat, ex quo mihi grave aliquod damnum, vel in honore, vel in bonis futurum timetur, licitè possum ipsius falsi testes crimen in eodem iudicio manifestare, quamuis sit occultum, si tale est, quod ex eius obiectione testis testimonium reddatur iniustum. Probatur: Nam vim vi repellere licet, vt dicitur in cap. significasti. de homicidio. Et certum est, quòd eo tempore vis mihi infertur, quam ego cum moderamine inculpatæ tutelæ reiscio, vtpote ad id medio à lege permisso. Sed est hoc intelligendum, modo in tali obiectione conditiones ad inculpatam tutelam requisitæ obseruentur. Quarum prima est, quod illius criminis reuelatio liti vincendæ sit necessaria. Secunda, quòd aliter me defendere non possim. Tertia, quòd in tali obiectione testis infamiam non intendam, sed tantum me defendere. Nam sicut ad propriam defensionem non est licitum aliquẽ ex intentione occidere, vt ex mente. Diu. Thom. explicauimus supra. quæst. 64. arti. 7. ità nec infamare. Et denique in hoc procedendum erit eodem modo, quo in defensione vitæ procedendum esse diximus, cum vtriusque sit similis ratio. Nonnulli affirmant, quod quamuis vnicuique sit licitum ad defensionem vitæ, & honoris falsi testis occultum crimen manifestare, non tamen ad defensionem bonorum quæ longe minoris sunt ponderis, quam fama illius, cuius crimen manifestatur. Cæterum hæc sententia est falsa. Nam eodem iure, quo diximus supra, licitum esse cuique in defensionem bonorum aggressorẽ occidere, est etiã licitũ reuelare crimẽ falsi testis ad eorundẽ bonorum conseruationem necessarium, nec quantũ ad hoc est aliquod discrimẽ. ¶ Dico tertio, etiã esse certum, quod qui testi etiam verum deponenti, crimen publicum atque manifestum obijcit, nullũ peccatũ cõmittit:

2. dictum certum.

3. dictum certum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia tunc illum non infamat, nec aliquid facit, quod in alterius vergat detrimentum, sed est intelligendum, modo reus iure se defendat. Nam si non habet ius ad talem defensionem, vltra hoc, quod peccat contra iustitiam, illam exercens, peccat etiam contra charitatem proximo peccatum impropetans. Itaque hæc certa sunt.

Vltra dif ficultatis.

¶Sed dubium est, vtrum in casu, quo reus iure se defendit, & testis verum deponit, licitum sit reo, testis occultum crimen manifestare, quo eius testimonium infirmum & nullum reddatur? Verbi gratia: Occidit quis hominem cuius criminis vnicus tantum testis existit, quem reus certò scit, quanuis in secreto, tali esse infamia notatum, vt iure à testimonio ferendo sit repellendus. Dubium est, vtrum licitè posit tunc tale occultum crimen obijcere, vt causam suam defendat? Similiter: Institutus fuit extraneus hæres per testamentum occlusum, cui septem testes interfuerunt, ille autem, qui succedere debet ab intestato, certò scit quanuis occultè, duos, vel tres illorum ità esse infames, vt iure testes habendi non sint; quibus deficientibus testamentum redditur minus solemne, ipseque iure succedit in hæreditatem. Dubium est, vtrum talis posit licitè ea crimina testibus obijcere, vt iure sibi debitam hæreditatem obtineat? Et pro

Argumen.

parte negatiua est argumentum. Qui occultum crimen reuelat, non minus habetur infamator, quam qui falsi est impositor? sed ob nullam causam est licitum falsa crimina imponere: ergo nec occulta reuelare, nisi id opus fuerit ad inculpatam tutelã, vt paulò antea dicebã. Consequentia cũ minori est nota: & maior probatur, ex dictis supra quæstione. 62. articulo. 2. Vbi agẽtes de restitutione famæ, ad illam affirmauimus non minus obligari eum, qui occultum crimen reuelat, quam qui falsum imponit.

Sententia autoris.

¶Hoc tamen non obstante dico, reuelationem occulti criminis in casu, de quo loquimur, ex genere suo nullum esse peccatum. Vnicuique enim licitum est iuris beneficio vti, & cum ius id concedat, citra culpam, fieri poterit. Ità affirmat Soto lib. 5. de iustitia, quæstione. 7. art. 3. Sed est hæc doctrina cum multis limitationibus intelligenda. Prima, quod ea reuelatio sit necessaria ad vincendam litem. Quare si crimen non fuerit ex illis, quibus iure testimonium repellitur, nefas erit illud manifestare. Secunda, quod feditas detegendi criminis cum detrimento ex occultatione subsequuto, ad arbitrium prudentis viri, aliqualem habeat proportionem. Nam qui in causa exigui momenti grauissimum testis crimen, ob quod, vel periculum mortis subire, vel infamiam eum incurrere, esset necessarium, pate faceret, proculdubiò peccaret contra charitatem. Tertia, quòd perpendantur causa atque modus, quibus testis ad testimonium ferendum accedit. Nam illi, qui, vel sua culpa, vel sua sponte se ingerit, æquius poterit crimen obijci, quo eius os obstruatur, quam ei, qui absque culpa sua atque compulsus testimonium dicit. Et denique erit attendendum, vt necessitate potius, quam vindictæ cupiditate coactus ad talis criminis manifestationem accedat, intendens solum suam defensionem, atque ius, & non infamiam proximi: quanuis ista sequatur ex priori tanquam effectus illius, vt diximus, supra quæst. 64. art. 7. de eo, qui in propriã defensionẽ aggressorẽ occidit. ¶Et ad argumentum in contrariũ factũ, respõdetur concesso antecedenti, negando consequentiã. Ad imponendũ enim falsum crimen nunquam potest aliquis ius habere: bene tamen ad occultum reuelandum: tunc scilicet, quando opus fuerit ad propriam defensionem. Nec id faciens formaliter erit diffamator, per se enim non intendit, nisi se indemnem seruare, quod æquum est atque iustum: & ad hoc per accidens sequitur proximi infamia. Actiones autem non ex illo, quod conuenit per accidens, sed ex eo, quod conuenit per se, speciem & denominationem accipiunt. In solutione ad secundum argumentum dicit Diu. Tho. quòd quanuis de quocunque præsumendũ sit bonum, nisi appareat contrarium, quãdo tamen timetur periculum alterius, licitè adhibetur cautela, ne facilè cuique credatur, iuxta illud Ioann. 4. Nolite credere omni spiritui. Ex quo habemus, quod quanuis paupertatem non sit iudicandus malus, licitè tamen possumus cauere, ne sit malus mentiendo propter paupertatem: et sic eum reijcere à testimonio ferendo. Pertinet enim hoc nõ ad iudicium, sed ad cautelam: quæ secundũ prudentiam in simili casu habenda est. Et eadem est ratio de amicis, & consanguineis, quantum attinet ad testimonium ferendum.

Ad arg.

ARTICVLVS. IIII.

¶Vtrùm falsum testimonium semper sit peccatum mortale.

AD QVARTVM sic procedi-tur. Videtur, quòd falsum testimonium non semper sit peccatum mortale. Contingit enim aliquem

quem falsum testimonium ferre ex ignorantia facti. Sed talis ignorantia excusat à peccato mortali: ergo testimonium falsum non semper est peccatum mortale.

2 ¶Præterea, Mendacium quod alicui prodest & nulli nocet, est officiosum, quod non est peccatum mortale. Sed quandoque in falso testimonio est tale mendacium, puta, cum aliquis falsum perhibet, vt aliquem à morte liberet, vel ab iniusta sententia, quæ intentatur per aliquos falsos testes, vel per iudicis peruersitatem: ergo tale falsum testimonium non est peccatum mortale.

3 ¶Præterea, Iuramentum à teste requiritur, vt timeat peccare mortaliter peierando. Hoc autem nõ esset necessariũ, si ipsum falsum testimonium esset peccatum mortale: ergo falsum testimoniũ non semper est peccatũ mortale.

Extra de testibus & attestationibus. c. nuper. 4. q. 3. ca. Si testes ff. Item ius iurandi.

¶SED CONTRA est, quod dicitur Prouerbiorum decimo nono. Falsus testis non erit impunitus.

¶RESPONDEO dicendum, quòd falsum testimonium habet triplicem deformitatem. Vno modo experiurio, quia testes non admittuntur * nisi iurati, & ex hoc semper est peccatũ mortale. Alio modo ex violatione iustitiæ, & hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut & quælibet iniustitia. Et ideo in præcepto Decalogi sub hac forma interdicitur falsum testimoniũ, cum dicitur Exodi vigesimo. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non enim contra aliquem facit qui eum ab iniuria facienda impedit, sed solum qui ei suam iustitiam tollit. Tertio ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum, & ex hoc non habet falsum testimonium, quod semper sit peccatũ mortale.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in testimonio ferendo non debet homo pro certo asserere, quasi sciens id de quo certus non est, sed dubium debet sub dubio proferre, & id de quo certus est pro certo asserere, sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ, quòd reputat se homo quãdoque certum esse de eo quod falsum est, si aliquis hoc cum debita solicitudine recogitans æstimet se certum esse de eo quod falsum est, nõ peccat mortaliter, hoc asserens, quia non dicit falsũ testimoniũ per se & ex intẽrione, sed per accidens contra id quod intendit.

¶Ad secundum dicendum, quòd iniustum iudicium non est iudicium. Et ideo ex vi iudicij falsum testimoniũ in iniusto iudicio prolatũ, ad iniustitiã impediendã, nõ habet rationẽ peccati mortalis, sed solũ ex iuramẽto violato.

¶Ad tertium dicendum, quòd homines maximè abhorrent peccata, quæ sunt contra Deum, quasi grauissima, inter quę est periurium. Nõ autem ita abhorrent peccata quæ sunt contra proximũ. Et ideo ad maiorẽ certitudinẽ testimonij requiritur testis iuramentũ.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quod in falso testimonio triplex potest deformitas inueniri, vna periurij in quantum testes non admittuntur ad dicendum testimonium, nisi iurati: altera contra iustitiam, quæ violatur in quocunque falso testimonio; altera falsitatis, secundum quam omne mendacium est peccatum; respondet Diuus Thom. ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Omne falsum testimonium ex ea parte, qua iuramento affirmatur, quantumuis sit de re minima, est peccatum mortale. Probatur: Quia omne periurium, siue in iudicio, siue extra, etiam de re minima, est peccatum mortale, propter grauem iniuriam, quæ irrogatur Deo, dum in rei falsæ testem adducitur. Secunda conclusio: Falsum testimonium in iudicio dictum, ex ea parte, qua est contra iustitiam, ex genere suo est peccatum mortale; etiam si iuramento non sit affirmatum. Probatur. Quælibet iniustitia ex genere suo est peccatum mortale, vt constat ex superioribus, sed falsum testimoniũ dictum in iudicio est contra iustitiã, vt constat ex forma, qua in Decalogo prohibetur: dicitur enim: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium: ergo est peccatum mortale. Tertia conclusio: Falsum testimonium ex ea parte, qua solum est mendacium, non est peccatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortale ex genere suo, quia, vt sic nec opponitur iustitiæ, nec religioni; quorum transgressio ex genere suo est peccatum mortale.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusiones, quæ à Diuo Thoma in isto articulo pönuntur, ad alias materias proprie pertinent. Prima nanque, in qua de deformitate iuramẽti est sermo, quæstione octogesima nona, ex proposito disputatur. Et secunda, quæ loquitur de deformitate iniustitiæ, fuit à nobis explicata supra quæstione quinquagesima nona, articulo quarto. Tertia autem, quæ agit de malitia, & grauitate mendacij, peculiarem etiam sibi vendicat locum à præsenti instituto longe alienum. Quocirca tantum erit opus, pro nunc, vt differentia conclusionum in memoria teneatur. Omne enim periurium, non solum in genere, sed etiam in individuo, siue de re graui sit, siue parua, peccatum est mortale. Et hoc dicit prima conclusio. Mendacium verò citra iuramentum, si pernicioſum est, & contra iustitiam, peccatum mortale erit ex genere suo, vt habet secunda conclusio. At verò mendacium iocosum, & officiosum, ex genere suo solum est veniale, & ex circunstantijs potest fieri mortale. Et hoc dicit tertia conclusio. Si quis autem quærat, an omne periurium, etiam extra iudicium factum, sit grauius peccatum quocunque mendacio pernicioso, sine iuramento dicto, siue illud prolatum sit in iudicio, siue extra, dico breuiter, quod omne periurium ex obiecto est grauius, vtpote quod aduersatur religioni, quæ præstantior est virtus, quam iustitia. Poterit tamen mendacium pernicioſum tot circunstantijs aggrauari, vt malitia superet aliquod periurium. Nec de hoc aliqua potest esse dubitatio.

Dubiũ circa secundã cõclusio. D. Thom.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco circa secundam conclusionem, an possit aliquando contingere, quod mendacium dictum in iudicio sine iuramento, sit peccatum veniale. Et est sermo quando mendacium dicitur in re graui. Nã de mẽdacio in re leui, iam diximus, quæstione. 69. articulo. 1. contra Caietanum, illud esse veniale modo iuramentum non intercedat. Et quidem quod tale mendacium possit esse peccatum veniale probatur ex Diu. Thom. loco modo citato dicente, ideò mendacium in iudicio esse peccatum mortale ex genere suo, quia est iniustitia contra proximum: ergo quando non fuerit iniustitia, vt si iudex interroget aliquem de re graui ad ipsum pertinente, nullo præcedenti iuramento, & interrogatus mentiatur, non erit peccatum mortale. Hoc tamen non obstante dico, fieri non posse, vt quis coram iudice iuridicè interrogante in re graui mendacium proferat, quin peccet mortaliter, etiam si iuramentum non intercedat. Hanc sententiã tenet Diuus Thomas hic ad secundum. Vbi dicit, quòd, quia iniustum iudicium non est iudicium, ideò ex vi iudicij falsum testimonium in iniusto iudicio prolatum, ad iniustitiã impediendam, non habet rationẽ peccati mortalis, sed solum ex ratione iuramenti. Intelligit ergò, quod quando iudicium est verum iudicium, ex vi solum talis iudicij, qui mentitur in re graui, peccat mortaliter. Et ratione sic argumentor. Quicũque iuridicè interrogatus in iudicio, ello iuramentum non intercedat, nec faciat iniuriam tertiæ personæ, mentitur, in re graui, facit iniuriam reipublicæ, atque ipsi iudici, cui inobediens existit: ergo hoc solum ratione peccat mortaliter. Ex hoc infertur, quod quando Diu. Thom. affirmat in secunda conclusione, falsum testimonium in iudicio dictum, ex ea parte solum, qua est contra iustitiam, ex genere suo esse peccatum mortale, etiam si iuramento non sit affirmatum: non solum loquitur de mendacio pernicioso in præiudicium alicuius certæ personæ vergente, sed etiam de eo, quo quis sine præiudicio tertij rem grauem, quã dicere tenebatur, occultat: quod similiter appellatur contra iustitiam quia irrogat iniuriam iudici atque reipublicæ. ¶Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, quod etiam mendacium, circa rem grauem prolatum in iudicio, dicitur à D. Thoma iniustitia contra proximum, quia est contra iudicem, cui iuridicè interroganti obedientia ex iustitia debetur. Et sic nihil obstat obiectio.

Sententia autoris.

Argumen.

Ad arg.

QVÆSTIO. LXXI.

De iniustitia quæ fit in iudicio ex parte aduocatorum, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

¶Vtrùm aduocatus teneatur præstare patrocinium causæ pauperum.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd aduocatus tenea-
tur præstare patrocinium causæ pauperum. Dicitur enim Exodi vigesimo tertio. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Sed non minus periculum imminet pauperi, si eius causa contra iustitiam opprimatur, quàm si eius asinus iaceat sub onere: ergo aduocatus tenetur præstare patrocinium causæ pauperum.

Infr. ar. 4. cor. & ad primum.

Hom. 9. in euang. non procul à fin.

¶Præterea, * Greg. dicit in quadam hom. Habens intellectum curet omnino, ne taceat, habens rerum affluentiam, à misericordia non torpescat, habens artem qua regitur, vsum illius cũ proximo partiatur, habens loquendi locum apud diuitem, pro pauperibus intercedat. Talẽti enim nomine cuilibet reputabitur quod, vel minimum accepit. Sed talentum commissum non abscondere, sed fideliter dispensare quilibet tenetur, quod patet ex pœna serui abscondentis talentum, Matthæi vigesimo quinto: ergo aduocat' tenetur pro pauperibus loqui.

¶Præterea. Præceptum de misericordiæ operibus adimplendis, cum sit affirmatiuum, obligat pro loco & tempore, quod est maxima in necessitate. Sed tempus necessitatis videtur esse, quando alicuius pauperis causa opprimitur: ergo in tali casu videtur quòd aduocatus teneatur pauperibus patrocinium præstare.

¶SED CONTRA, Non minor necessitas est indigentis cibo, quàm indigentis aduocato. Sed ille qui habet potestatem cibandi, non semper tenetur pauperem cibare: ergo nec aduocatus semper tenetur pauperibus patrocinium præstare.

¶RESPONDEO dicendum, quòd cum præstare patrocinium causæ pauperum ad opus misericordiæ pertineat, idem est hic dicendum, quod & suprà de alijs operibus misericordiæ * dictũ est. Nullus autem sufficit omnibus indigentibus, misericordiæ opus impendere. Et ideo, sicut Augustinus * dicit in primo, de Doctrina Christi. Cũ omnibus prodesse nõ possis, his potissimè consulendũ est, qui pro locorũ & tẽpo

Q 32. a. 5.

Li. 1. c. 28. in prin. to. 3.

rum, vel quarũlibet rerũ opportunitatibus constrictius tibi quasi quadã sorte iungũtur. Dicit pro locorũ opportunitatibus, quia nõ tenetur homo per mũdum quærere indigẽtes, quibus subueniat, sed sufficit, si eis qui sibi occurrunt misericordiæ opus impẽdat. Vnde dicitur Exodi. 23. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Addit autem, & temporum, quia non tenetur homo futuræ necessitati alterius prouidere, sed sufficit si præsenti necessitati succurrat. Vnde dicitur primæ Ioannis tertio. Qui viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clauserit viscera sua ab eo, & cætera. Subdit autem, Vel quarumlibet rerum, quia homo sibi coniunctis quacunque necessitudine maxime debet curam impendere, secundum illud primæ ad Timotheum quinto. Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit. Quibus tamen concurrentibus considerandum restat, vtrum aliquis tantam necessitatem patiatur, quòd non in promptu appareat, quomodo ei possit aliter subueniri, & in tali casu tenetur ei opus misericordiæ impendere. Si autem in promptu appareat, quomodo aliter ei subueniri possit, vel per seipsum, vel per aliam personã magis coniunctã, aut maiorem facultatem habentẽ, nõ tenetur ex necessitate indigenti subuenire, ita quòd non faciẽdo peccet, quãuis si subueneret absque tali necessitate, laudabiliter faciet. Vnde aduocatus non tenetur semper causæ pauperũ patrocinium præstare, sed solum concurrentibus cõditionibus prædictis, alioquin oporteret eum omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperum iuuandis intendere. Et idem dicendum est de medico, quantum ad curationem pauperum.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quãdo asinus iacet sub onere, nõ potest ei aliter subueniri in casu isto, nisi per aduenientes subueniatur. Et ideo tenentur iuuare. Non autem tenetur

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentur, si posset aliunde remedium afferri.

¶Ad secundum dicendum, quòd homo talentum sibi traditum tenetur vtiliter dispensare, seruata opportunitate locorum, & temporum, & aliarũ rerum, vt dictum * est. *In corp. ar.*

¶Ad tertium dicendum, quod non quælibet necessitas causat debitũ subueniendi, sed solum illa quæ est * dicta. *In corp. ar.*

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet Dinus Thomas vnica conclusione, quæ talis est: aduocatus non semper causæ pauperum patrocinium suum præstare tenetur; sed tunc duntaxat, quando in promptu non apparet, quomodo ei possit aliter subueniri. Hanc probat in argumento, sed contra, hac ratione. Non minor est necessitas indigentis cibo, quam indigẽtis aduocato: sed ille, qui habet potestatẽ cibandi, nõ semper tenetur pauperẽ cibare: ergo nec aduocatus tenetur semper pauperibus patrocinium præstare. Et in corpore articuli hoc modo: Præstare patrocinium causis pauperum, est opus misericordiæ: ergo eo modo loquendum est de illo, ac de alijs operibus misericordiæ: sed nullus tenetur opera misericordiæ præstare, nisi miseria inopis id exigente; est enim præceptũ de misericordia facienda affirmatiuum, obligans solum pro casu necessitatis: ergo id etiam est dicendum de patrocinio præstando. Et confirmatur: Nullus ad impossibile obligatur: sed nemo potest omnibus causis pauperum patrocinari: ergo nec ad id obligatur, sed tantum, vt patrocinium præstet, quando non apparet in promptu, quo modo possit eis aliter subueniri; iuxta illud Augustini. Cum omnibus prodesse non possis, ijs potissimum consulendum est, quibus pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur. Dicit pro locorum opportunitatibus: Quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus subueniat: Sed sufficit, si ijs, qui sibi occurrunt misericordiæ opus impendat. Dicit; Et temporum: Quia non tenetur homo futuræ necessitati alterius prouidere: sed sufficit in præsenti necessitati succurrere. Dicit; Vel quarumlibet rerum: Quia homo sibi coniunctis quacunque necessitate maximè debet curam impendere; iuxta illud Pauli prima ad Timotheum quinto. Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit.

EXPLICATIO ARTICVLI. *Officiũ aduocatorum laudabile.*

LAudabile vitæque hominum necessarium aduocationis officium principalibus præmijs oportere munerari, Anastasius ait in lege laudabile. Codice de aduocatis diuersorum iudiciorum. Nec minus, quam milites patriam tueri Imperatores rescripserunt in lege aduocati. Codice eodem titulo. Est autem aduocatus, qui in iudicio apud eum, qui iurisdictioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel alterius desiderio contradicit. legesciendum. §. primo, ibi per Doctor. & lege Paulus. la primera, & ibi Bartolus. ff. de legibus. Quare consulens in camera non dicetur proprie aduocatus, nec prohibitus aduocare censebitur, similiter interdictus in camera, consulere, vel facere allegationes in scriptis, secundum Panormit. in rubrica de postulat. cui consentit Bartolus in lege prima. ff. de vari. & extraor. cog. Aduocationis verò munus exercere posse eum, qui prima laurea fuerit insignitus, dummodò iuris pecitiam habeat, nec ex alia causa sit prohibitus, tradit Perez in dicta lege prima, quæstione duodecima. Quanuis in regijs cancellarijs in vsu sit dispositio legis primæ & secundæ, titulo decimo sexto, libro secundo recopilat. quæ dicunt aduocatos per decem annos studuisse, examinatosque atque approbatos à summo præside regijsque auditoribus, esse oportere. Quæ autem aliæ sint qualitates, quas huiusmodi aduocati debent habere, & qui sint illi, qui ab hoc munere ineundo iure, arcẽtur, explicat Dinus Thomas articulo sequenti.

Aduocati tenentur gratis pro pauperibus patrocinari.

¶In isto articulo agit Dinus Thomas de obligatione, quam aduocati habent pauperibus gratis patrocinandi in suis necessitatibus, & quoniam huiusmodi patrocinium eleemosyna quædam est, ac opus misericordiæ. Idem dicendum est de illo, quod de eleemosyna, & alijs operibus misericordiæ. Ad cuius explicationem supponendum est primò, huiusmodi patrocinium sicut & eleemosynam esse in præcepto. Est enim in præcepto dilectio proximi, atque adeò omne illud, sine quo dilectio proximi stare non potest, & tale est patrocinium pauperibus impendendum in casu necessitatis. Nam cum ad dilectionem proximi

proximi pertineat non solum, vt proximo velimus bonum, sed etiam, vt operemur, iuxta illud. 1. Ioan. capit. 3. Non diligamus verbo, nec lingua, sed opere & veritate: & ad hoc vt velimus, & operemur bonum alicuius requiratur, quod eius necessitati subueniamus, quod fit interdũ per eleemosynam, interdũ per patrocinium, iuxta vniuscuiusque necessitatem; fit, vt sine his dilectio stare non possit, atque ex consequenti sunt in præcepto.

Dubium, quando aduocatus teneatur patrocinium ferre, & quanta cũ incommoditate.

¶Cæterùm quoniam præcepta dantur de actibus virtutum, & ad hoc, vt patrocinium ab aduocato præstandum, sit actus virtutis, necessarium est, quòd aliqua considerẽtur ex parte dantis, & alia ex parte recipientis; nam ex parte dantis requiritur possibilitas, & commoditas ad patrocinandum; Ex parte autem recipientis necessitas, operæpretium est, vt explicemus, quanta sit necessitas futura, vt aduocatus teneatur pauperi gratis patrocinium ferre, & similiter, quanta cum incommoditate, atque labore id facere teneatur. Quod, vt explicemus, aduertendum est primò, quòd quemadmodum supra in. 1. tom. quæst. 32. artic. 5. agentes de eleemosyna pauperum necessitates adtria genera reduximus, in primo genere constituitur extrema necessitas in qua intelligendus est aliquis esse; non quidem quando iam agit extremam animam: nam in illo tempore fere nihil auxilij possumus ei ferre: sed tunc propriè dicitur extrema necessitas, quando sunt in aliquo certa, & nota signa significantia illum breui perituram, nisi opportunè illi auxilium præbeatur: In secundo genere est necessitas grauis, quæ est valde vicina extremæ. Et est, cum aliquis versatur in magno & certo periculo incidendi in aliquem grauissimum morbum, propter inopiam, vel aliam huiusmodi calamitatem: In tertio genere constituitur communis necessitas, qua laborant pauperes ostiatim eleemosynã petentes; ita etiã in proposito, necessitates eorum, qui indigent patrocinio, possunt reduci ad tres. Prima, quæ dicatur extrema. In qua intelligendus est aliquis esse, non quidem quando iam ducitur ad supplicium, vel ad mortem, nam in illo tempore, fere nihil auxilij potest ei præstari; sed quandiu manet in carcere, imputaturque ei crimen, propter quod infallibiliter mors erit infligenda, nec habet vnde sibi subueniat, nisi ex meo patrocinio gratis collato. Altera est grauis necessitas, quæ extremæ est valde vicina. Et est, quando aliquis versatur in magno & certo periculo incurrendi grauissimum incommodum, mortis aut supplicij ex defectu patrocinij. Tertia est necessitas communis, qua laborant quicunque pauperes litigantes pro rebus suis.

Triplex necessitas ei⁹ qui patrocinium fertur.

¶Secundò est aduertendum, quòd incõmoda, quæ possunt aduocati incurrere ex collatione patrocinij similiter possunt ad tria genera reduci, quantum attinet ad præsens institutum. Primum est grauissimum: Quod contingit quando aliquis probabiliter timet, quòd si patrocinium præstat, vel mors, vel omnium bonorum suorum amissio subsequetur. Secundum est graue: Et contingit quando aduocatus timet, quòd patietur aliqualem bonorum suorum iacturam, vel amittendo quæ habet, vel non adquirendo, quæ adquirere poterat, si patrocinium præstat. Tertium est leue: Vt si timet, vel tempus consumere, vel aliqualem molestiam accipere in cognitione causæ, & ipsius prosequutione. *Incommoda aduocatorũ triplicia.*

¶His constitutis, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd in nulla necessitate tenetur aduocatus patrocinium ferre, cum grauissimo suo incommodo. Charitatis enim opera non obligant eũ tanto discrimine, vt sæpè diximus. Dico secundò etiam esse certum; quòd in grauissimis & grauibus pauperum necessitatibus tenentur aduocati patrocinium ferre cum leui suo incommodo, quia id ordo charitatis expostulat. Dico tertiò etiam esse certũ, quòd in necessitatibus communibus, non tenentur aduocati patrocinium ferre cum graui suo nocumento. Itaque non tenentur bonorum suorum iacturam pati, vt pauperibus pro suis litigantibus auxilium præbeãt. Charitas enim bene ordinata à seipso incipit. Sed de quibus dubitatur sunt duo. Primum, vtrùm in grauissimis pauperum necessitatibus teneantur aduocati patrocinium ferre cum graui suo nocumento? Quod est quærere, an quando pauper est in carcere, imputaturque ei crimen, propter quod infallibiliter mors erit infligenda, nec habet, vnde sibi subueniat, nisi ex patrocinio gratis collato, teneatur aduocatus cum aliqua-li iactura bonorum suorum, vel amittendo quæ habet, vel non adquirendo quæ adquirere poterat, patrocinium præstare. Secundũ, vtrũ in cõmunibus necessitatibus pauperũ teneantur aduocati eis patrocinari cum leui suo incommodo. *1. Dictum certum.* *2. Dictum certum.* *3. Dictum certum.* *Dũbitatur dificultatis.*

¶Ad quorum explicationem sit prima conclusio: In casu extremæ necessitatis tenentur aduocati ex præcepto charitatis pauperibus gratis patrocinari cum graui suo incommodo, hoc est, cum aliquali suorum bonorum *1. Conclus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonorum iactura. Probatur: Ordo charitatis est in præcepto, vt tenet communis sententia Theologorum; sed secundum illum ordinem vita spiritualis proximi anteponenda est vitæ nostræ corporali, & vita corporalis proximi anteponenda est reliquis bonis nostris: ergo in casu extremæ necessitatis vitæ tenebitur aduocatus, cum aliquali bonorum suorum iactura, vitæ corporali pauperis patrocinari. Secundò: Quanuis verum sit, quòd in eodem casu, & in æquali necessitate magis teneor subuenire propinquo, quam extraneo, tamen etiam est verum, quòd in quocunque casu teneor subuenire propinquo, teneor subuenire extraneo, dummodo ambo simul non concurrant; sed sic est, quòd si frater aduocati esset in illa extrema necessitate, teneretur ei patrocinium præstare cum bonorum suorum iactura: ergo idem dicendum erit de aliorum extrema necessitate. Item D. Thom. in isto articulo affirmat idem esse iudicium de patrocinio aduocati, & de eleemosyna præstanda: sed in casu extremæ necessitatis tenetur homo eleemosynam facere, etiam de necessarijs ad statum, vt diximus in primo tomo, quæst. 32. artic. 5. conclusione. 2. ergo similiter aduocatus in extrema necessitate tenebitur patrocinari cum aliquali bonorum suorum iactura. Et quod dico de aduocatis, est etiam intelligendum de procuratoribus, & tabellionibus, qui nomine aduocari comprehenduntur quantum attinet ad præsens institutum.

2. Conclu. ¶Secunda conclusio: In communibus necessitatibus paupertum tenentur aduocati illis auxilium, & patrocinium gratis præstare, cum leui suo nocumento. Hanc cũ multis resoluit Perez. l. 1. titulo. 19. libr. 2. ordinationum, versiculo, sexto dubitatur. Cui adde. l. 16. tituli. 16. libr. 2. recopilationis. Et probatur: Homines tenentur facere eleemosynam de superfluis naturę in communibus necessitatibus, vt latè ostendimus in materia de eleemosyna, quæst. 32. art. 5. conclus. 3. sed eadem est ratio auxilij præstandi in necessitate ab aduocato, ac eleemosynæ, vt dicit D. Thom. in isto articulo: ergo etiam aduocatus in communibus necessitatibus cum leui suo nocumento tenebitur pauperibus patrocinium præstare. Maximè cum in aduocato, quatenus aduocatus est, sicut & in medico, tempus, quod sibi superest, & molestia, quæ accipitur in cognitione causæ, & illius prosequutione, habeat rationẽ superflui, vt dicit Soto libr. 5. de iustitia, quæst. 8. artic. 1.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an semper, quòd aduocatus tenetur pauperibus patrocinium ferre, ad id teneatur sub reatu peccati mortalis? Caietanus in hoc commento, solam extremam necessitatem arbitratur afferre secũ præceptum obligans ad mortale. Distinguit enim tres gradus. Primus est extremæ necessitatis, cui sub mortali culpa succurrendum est. Secundus necessitatis grauis, citra extremam; cui non succurrere, venialis est culpa. Tertius leuiorum & communium necessitatum; quibus succurrere dicit esse consilium, & illas prætermittere nulla est culpa. Hæc tamen sententia quantũ ad id, quod dicit, nõ succurrere grauem necessitatem patienti, solum esse veniale, proculdubio est falsa, & sibi repugnans. Ipse enim. 2. 2. quæstione. 32. articulo. 5. legitimè Diuum Thomam interpretatus dicit, duos esse casus præcepti eleemosynæ sub mortali, videlicet, necessitatem extremam de necessarijs, & grauem de superfluis. In cuius confirmationem postea ipse composuit tractatum de eleemosyna, quo talem sententiam necessariam, & veram esse astrueret. Diuus enim Ioannes non tantum de extrema, sed etiam de graui & vrgenti necessitate est loquutus quando dixit, Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab illo, quomodo charitas Dei manet in eo? Viscera enim, quæ sola extrema necessitas aperit, ferrea sunt, & obstructiora, quam charitas sinit. Certum est autem, quòd in patrocinijs, sicut in eleemosynis locum habet grauis necessitas. Quod & rectè significat Syluester, verbo aduocatus. §. 28. dicens: Ecquis dubitabit, quin si inopis hominis omni fauore destituti, citra periculum vitæ periclitaretur honor, alia ve illi ingrueret vrgens calamitas, teneretur & patronus suo illi adesse patrocinio? Et peritus medicus, quanuis nõ immineret ægroto periculum mortis? Præterquam quod eædem rationes, quæ probant in grauioribus necessitatibus teneri aduocatos patrocinari pauperibus, cum suo leui, & paruo incõmodo, conuincunt similiter obligationem illam esse peccati mortalis, vtpotè, quæ fundamentum habet in ordine charitatis sub mortali obligante. ¶Sed quod maiorem habet difficultatem est, an in communibus pauperum necessitatibus teneantur aduocati, sub culpa mortali, cum suo leui incommodo, patrocinium ferre. Ad cuius explicationẽ dico breuiter, quod vni aut alteri non patrocinari, cum possit, nõ est peccatum mortale, sed tantum veniale. Cæterùm habere

Dubium.

Sententia Caiet.

Impugnatur Caiet.

Quæstio.

Responsio.

habere animum firmum non adiuuandi huiusmodi homines proculdubio erit peccatum mortale, sicut & habere animum firmum, non dandi eleemosynam de superfluis in communibus necessitatibus. D. Thom. in isto articulo affirmat, quòd si in promptu apparet quomodo pauperi necessitatem patiẽti subueniri possit, vel per ipsum, vel per aliam personam magis coniunctã, aut maiorem facultatem habentem, non tenetur aduocatus ex necessitate subuenire; ità, quòd non faciendo peccet; quanuis si subuenerit absque tali necessitate laudabiliter faciet. Quorum verborum sensus sumendus est iuxta materiam subiectã, vt notat Caietanus in præsenti. In huiusmodi enim moralibus, in particulari tunc in prõptu dicitur apparere modus, quo potest subueniri alicui, quando absque inquisitione offertur modus, quo potest, non qualitercunque, sed potentia probabiliter coniungenda actui. Siquis enim videt pauperem vexare; & scit illum habere fratrem aduocatum; satis in promptu videt quomodo potest ei aliter subueniri cum effectu probabiliter. Et sic extraneus adiuuare non tenetur. Similiter, scio aliquẽ esse captiuum, habentem fratres diuites, satis probabile est quòd rediment eum, & sic de alijs. Non loquitur autem D. Thom. in casu, quo appareret ipsa subuentio in actu exercito, quia tũc non esset in casu necessitatis, sed extra necessitatem; & propterea vsus est potẽtiæ nomine.

Articvlvs. II.

¶Vtrùm conuenienter aliqui secundum iura arceantur ab officio aduocandi?

Inf. q. 188. ar. 3. ad 2. AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter aliqui secundum iura arceantur ab officio aduocandi. Ab operibus enim misericordiæ nullus debet arceri. Sed patrocinium præstari in causis ad opera misericordiæ pertinet, vt dictum* est: ergo nullus debet ab hoc officio arceri.

Art. præc.

2 ¶ Præterea, Contrariarum causarũ non videtur esse idem effectus. Sed esse deditum rebus diuinis, & esse deditum peccuris, est contrarium. Inconuenienter ergo excluduntur ab officio aduocari quidam propter religionem, vt monachi & clerici. Quidam autem propter culpam, vt infames & hæretici.

3 ¶ Præterea, Homo debet diligere proximum sicut seipsum. Sed ad officium dilectionis pertinet, quòd aliquis aduocatus, causæ alicuius patrocinetur. Inconuenienter ergo aliqui, quibus conceditur pro seipsis autoritas aduocationis, prohibentur patrocinari causis aliorum.

¶ SED CONTRA est, quòd* tertia quæstione septima multæ personæ arcentur ab officio postulandi.

3. q. 7. cap. Infames.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd aliquis impeditur ab aliquo actu dupliciter. Vno modo propter impotentiam, alio modo propter indecentiam. Sed impotentia simpliciter excludit aliquem ab actu. Indecentia autem non excludit omnino, quia necessitas indecentiam tollere potest. Si ergo ab officio aduocatorum prohibentur quidam propter impotentiam, eo quòd deficiunt sensu, vel interiori, sicut furiosi & impuberes, vel exteriori, sicut surdi & muti. Est enim necessaria aduocato & interior peritia, qua possit conuenienter iustitiam assumptæ causæ ostendere. Et iterum loquela cum auditu, vt possit pronuntiare & audire quod ei dicitur. Vnde qui in his defectum patiuntur, omnino prohibentur ne sint aduocati nec pro se, nec pro alijs. Decentia autem huius officij exercendi tollitur dupliciter. Vno modo ex hoc, quod aliquis est rebus maioribus obligatus. Vnde monachos & presbyteros non decet in quacunque causa aduocatos esse, neque clericos in iudicio secularj, quia huiusmodi personæ sunt rebus diuinis astrictæ. Alio modo propter personæ defectum, vel corporalem, vt patet de cæcis, qui conuenienter iudicio astare non possent, vel spiritualem, non enim decet, vt alterius iustitiæ patronus existat, qui in seipso iustitiam contempsit. Et ideò infames infideles, & damnati de grauibus crimnibus non decenter sunt aduocati, tamen huiusmodi

Universidad de Deusto
Biblioteca

modi indecentiæ necessitas præfertur. Et propter hoc huiusmodi personæ possunt pro seipsis, vel pro personis sibi coniunctis vti officio aduocati. Vnde & *clerici pro ecclesijs suis possunt esse aduocati, & monachi pro causa monasterij sui, si Abbas præceperit.

16.q.1.c. Monachi. De postul. ad cap. Ex parte.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd ob operibus misericordiæ interdum propter indecentiam impediuntur aliqui, & aliqui propter impotentiam. non enim omnia opera misericordiæ omnes decent, sicut stultos non decet consilium dare, neque ignorantes docere.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut virtus corrumpitur per superabũdantiam & defectum, ita aliquis fit indecens & per maius, & per minus. Et propter hoc quidam arcentur à patrocinio præstando in causis, quia sunt maiores tali officio, sicut religiosi & clerici. Quidam verò quia sunt minores, quàm vt eis hoc officium competat, sicut infames & infideles.

¶ Ad tertium dicendum, quòd non ita imminet homini necessitas patrocinari causis aliorum sicut proprijs, quia alij possunt sibi aliter subuenire. Vnde non est similis ratio.

Svmma Textvs.

Svpposito, quòd dupliciter potest aliquis à munere aliquo repelli, scilicet, aut propter impotentiam, aut propter indecentiam; inter quæ hoc est discriminis, quod impotentia simpliciter excludit, indecentia verò non item, cum possit per necessitatem quod indecens erat, fieri decens; respondet Diuus Thomas ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Qui potentia caret aduocandi, neutiquam patrocinari potest, siue potentia desit in sensu exteriori, vt contingit surdo, aut muto, siue in sensu interiori, vt contingit amenti, qui sanum non habet sensum; aut pueris, qui ipsum non habent integrum. Probatur: Aduocato est necessaria interior peritia, qua possit conuenienter iustitiam assumptæ causæ ostendere, & loquela cum auditu, vt possit pronuntiare & audire quod ei dicitur. ergo qui potentijs ad hæc necessarijs caruerint, nullo modo poterunt esse aduocati ratione impotentiæ. Secunda conclusio: Qualitas, quæ in aduocato existens, nisi necessitas adsit, indecentem facit aduocationem, est duplex. Prima, dignitatis excellentia. Secunda, orbitas aliqua, aut defectus. Ratione prioris sacerdotes, & maximè monachi excluduntur à munere aduocationis. Ratione secundi excluduntur cæci, infideles, hæretici, excommunicati, & infames. Cæcus propter defectum corporalem, alij propter spiritualem. Quia non decet vt alterius iustitiæ patronus existat, qui in seipso iustitiam contempsit.

Explicatio Articvli.

Dignitas aduocatorum.

Tanta in aduocato requiritur dignitas, vt certè paulò minor quam in iudice in illo desideretur. Inter actiones enim, & officia, quæ scientiæ copiam, & morum probitatem expostulant, oratoris, & aduocati munus est, cui potissimum, etiam philosophi, id tribuendum esse dixerunt. Quare in oratoris descriptione quod primò constituunt est, quòd sit vir bonus, ac subinde, dicendi peritus. Opus est, vt aduocatus atque patronus in primis, summa fide clientis curam suscipiat. Deinde caueat ne parti aduersæ iniuriam inferat. Ac demum ea polleat autoritate, vt non tantum iuris prudentia, verum & morum præcipuè integritate fidem sibi arroget; cum prauis hominibus, vt ait Quintilianus lib. 12. etiam vera dicentibus fides desit: & videatur malus aduocatus malæ causæ indicium præferre. Et sic quod primo in oratoris, vel aduocati diffinitione constituendum esse censuerũt, est morum probitas. Ad quod etiam alludisse videtur Dominus, dum peccatori causam suam agenti, & coram populo concionãti dixit: Quare, tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuũ? Cuius enim vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur, vt dicit D. Gregorius. Et hinc est, quòd legislatores summo studio curauerunt homines prauos, atque iniquos ab aduocati munere quam lõgissimè arcere. Interdum prohibentur patrocinari illi, qui dignitate, & excellentia sunt præstantes, vt monachi, atque sacerdotes. Quos quia sacris ministerijs sunt mancipati, orationique, & contemplationi addicti, minimè decet ad seculares causas demitti, sed frequentius atque grauius interdicuntur scelerati. Tota hæc materia pertinet ad ius positiuum. Quare ex illo potissimum colligendi erunt, qui ab hoc munere arcentur. Et in primis hæretici, pagani, & excommunicati prohibentur in iudicio patrocinari, vt

Qui sint exclusi ab officio aduocati.

ri, vt constat ex cap.1.4. quæstione.1. & ex capit.nemo.de pœnitent.distinctio.1. Vbi etiam dicitur, peccare iudicem, punirique debere, qui tales in iudicio scienter admisserit. Item prohibentur aduocare per canones, surdi, muti, cæci, furiosi, impuberes, vsque ad decimum octauum annum, à senatu amoti, serui, fœmina, & viri, qui passi fuerint muliebria voluntariè, scilicet, contra naturam. Item damnati capitali crimine, vel calumnia publici iudicij, & qui operas suas locauit, vt pugnaret in arena cum bestia, vt est videre in cap.infamis.4. quæstione.7.§.tria. & in.l.1. ff.de postulat. Vbi glossi.in verbo, locauerit, inquit, rectè dicit, locauerit, hoc est, causa mercedis. Nam qui sine mercede causa virtutis ostentandæ cum bestia pugnaret, nec infamis esset, nec eam pœnam incurreret, vt dicitur in eodem textu. Et potest esse ratio: Nam qui se vendidit multò melius iure præsumitur, quod venderet alium. Item prohibentur monachi patrocinari in iudicio, vel postulare, nisi exposcente necessitate monasterij, & Abbate imperante capit. ex parte. de postulat. Et vt ibi dicitur, extenditur hoc etiam ad canonicos regulares. Imò vt Panormit. affirmat ad quoscunque religiosos, qui largo nomine appellantur monachi. Secundamque eundem, illis duobus existentibus, scilicet, necessitate monasterij, & Abbatis imperio aduocare possunt, etiã coram iudice seculari in causa ciuili tantum. Altero autem illorum, vel ambobus deficientibus, nec coram ecclesiastico. Clericis similiter in sacris constitutis, vel etiam in minoribus, modò sint beneficiati, prohibita est aduocatio coram iudice seculari, nisi in propria causa, vel pro ecclesia sua, vel pro coniunctis, aut pro miserabilibus personis, capit. clerici. & capit. cum sacerdotes. de postulat. An verò coram iudice ecclesiastico possint, varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Quod verius & probabilius existimo est, quòd sic, per dictum cap. clerici, exceptis Episcopis & sacerdotibus, quibus simpliciter est interdictum, nisi in causa propria, vel ecclesiæ suæ, vel pro coniunctis, vel miserabilibus personis, modò per hoc diuinum officium non impediatur, aduocati in iudicio munus exercere, vt constat ex capit. prælatum. 88.distinctio. Itaque quicunque in sacris constituti, siue diaconi sint, siue subdiaconi, siue beneficiati, siue non beneficiati, modò non sint Episcopi, nec sacerdotes, coram iudice ecclesiastico: etiam quoad negotia secularia, vt communiter dicunt Doctores cum Panormit. in dict.cap.1. Et coram iudice seculari in quatuor casibus supra explicatis, aduocati, atque patroni officio vti possunt, illoque victum quærere; cùm nemo militet suis stipendijs, & concedatur clerico aduocato, vt oblata sibi sponte recipere possit. cap.vnico. 15. quæstione.2. Tandem in illa causa, in qua quis est iudex, vel assessor, aduocatus esse prohibetur, cum duo officia in eadem causa exercere sit contra rationem capit. cum sacerdotis. de postul. & cap.1. & 2. 4. quæst. 4. De hac re videndus est Syluest. verbo, aduocatus, num.2. & D. Antoni. 3. part. titul. 6. cap.1.

¶ Sed est dubium, an qui prohibitus à iure aduocati munus exercet, peccet mortaliter. Ad cuius explicationem dico primò, certum esse, quòd qui facit contra ius aliquam culpam committit, siue mortalem, siue venialem, pro grauitate tàm rei præceptæ, quam legis præcipientis. Omnes enim leges, quæ iustæ sunt, obligant in conscientia, vt diximus supra quæst.62.art.3. Et conuincitur ex illo Pauli ad Roman.13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & damnationem sibi acquirit. Et Prouerb.8. per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Dico secundò, quòd si defectus, ob quẽ ab aduocati officio quis arcetur, non multum ad rem facit, non est peccatum mortale eo vti. Imò tot poterit circunstantijs honestari, vt sit licitum, atque laudabile. Nam si mutus scripto consulat, & emendatus infamis citra scandalum, & in casu necessitatis alteri patrocinetur, proculdubio nullum erit peccatum. Qui autem absque vlla iurisperitia, negotiorumque experientia ingerit se, vt aduocatus existat; à culpa mortali immunis esse non poterit: cum ille defectus plurimum obstet fini ipsius officij, efficiatque, vt causæ sibi concreditæ periclitentur. Imò qui propter imperitiam causam perdit, ad restitutionem tenetur damnorum, quæ inde subsequuntur, modò qui patrocinium petit talis imperitiæ ignarus sit, vt docet Syluester, verbo, aduocatus. Nam si illam cognoscit, sibi erit imputandum. Nec requiritur summa scientia; sed satis est, quòd sit mediocris pro negotiorum qualitate, vt communiter dicunt Doctores.

Dubium.

1.*Dictum.*

2.*Dictum.*

Articvlvs. III.

¶ Vtrùm aduocatus peccet, si iniustam causam defendit?

AD

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD TERTIVM sic procedi-
tur. Videtur, quòd aduocatus non peccet, si iniustam causam defendat. Sicut enim ostenditur peritia medici, si infirmitatem desperatam sanet, ita etiam ostenditur peritia aduocati, si iniustam causam defendere possit. Sed medicus laudatur, si infirmitatem desperatam sanet: ergo etiam aduocatus non peccat, sed magis laudandus est, si iniustam causam defendat.

2 ¶ Præterea, A quolibet peccato licet desistere. Sed aduocatus punitur, si causam suam prodiderit, vt habetur * 2. q. 3. ergo aduocatus non peccat iniustam causam defendendo, si eam defendendam susceperit.

2.q.3.c.si quem pœnituerit. §. prævaricator.

3 ¶ Præterea, Maius videtur esse peccatum, si iniustitia vtatur ad iustam causam defendendam (putà producendo falsos testes, vel allegando falsas leges) quàm iniustam causam defendendo, quia hoc est peccatum in forma, illud in materia. Sed videtur aduocato licere talibus astutijs vti, sicut militi licet ex insidijs pugnare: ergo videtur, quòd aduocatus non peccet, si iniustã causam defendat.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur 2. Paralipom. 19. Impio præbes auxiliũ, & ideo iram Domini mereberis. Sed aduocatus defendens causam iniustã, impio præbet auxilium: ergo peccando iram Domini meretur.

Et habetur 11.q.3.Nõ licet.14.q. 5.c. non sanè.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd illicitum * est alicui cooperari ad malum faciendum, siue consulendo, siue adiuuando, siue qualitercunque consentiendo, quia consilians, & coadiuuans quodammodo est faciens. Et apostolus dicit ad Roman. 1. quòd digni sunt morte non solum qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus, vnde & suprà dictum * est, quòd omnes tales ad restitutionem tenẽtur.

62. art. 7.

Manifestum est autem, quod aduocatus auxilium & consilium præstat ei cuius causæ patrocinatur. Vnde si sciẽter iniustam causam defendit, absque dubio grauiter peccat, & ad restitutionẽ tenetur eius damni, quòd contra iustitiam per eius auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari potest.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Medicus accipiens in cura infirmitatem desperatam, nulli facit iniuriam. Aduocatus autem suscipiens causam iniustam, iniustè lædit eum, contra quem iniustè patrocinium præstat. Et ideò non est similis ratio. Quãuis enim laudabilis videatur quantum ad peritiam artis, tamen peccat quantum ad iniustitiam voluntatis, qua abutitur arte ad malum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd aduocatus si in principio credidit causam iustã esse, & postea in processu appareat eam esse iniustam, non debet cã prodere, vt scilicet aliam partẽ iuuet, vel secreta suæ causæ alteri parti reuelet, potest tamen & debet causam deserere, vel eum cuius causam agit ad cedendum inducere, siue ad componendum fine aduersarij damno.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut suprà dictum est, militi vel duci exercitus licet in bello iusto ex insidijs agere ea, quæ facere debet prudenter occultando, non autem falsitatem fraudulenter faciendo, quia etiam hosti fidẽ seruare oportet, sicut Tull. * dicit in 1. de Offic. Vnde & aduocato defendenti causam iustam, licet prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus eius, nõ autẽ licet ei aliqua falsitate vti.

Quæst. 40. art. 3.

in cap. vlt. quod de iniustitia agit, à medio.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet D. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: Aduocatus, qui sciens, & prudens iniustam causam defendit vltra hoc, quòd peccat mortaliter, tenetur ad restitutionem. Probatur: Qui malo cooperatur, eiusdem est iniquitatis reus, ac ipse, qui facit, iuxta illud Pauli ad Rom. 1. Digni sunt morte non solum, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: sed aduocatus, qui sciens & prudens iniustam causam defendit, consilio atque fauore cooperatur ei, qui iniustam litem gerit, imò ipse est, qui litem nutrit: ergo peccat mortaliter: & cum peccatum sit contra iustitiam obligatur ad restitutionem. Secunda conclusio: Qui per ignorantiam tuetur causam iniustam pro ratione ignorantiæ, excusari potest tam à culpa, quam ab obligatione restitutionis. Hãc conclusionem non probat D. Tho. sed illã; vt notam relinquit in omni materia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima conclusio huius articuli est certa, & extra controuersiam posita. Nam si consulens, iubens, cõsentiens, & alij, de quibus diximus supra. q. 62. art. 7. peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, quando sunt causa iniustæ acceptionis, à fortiori, & aduocatus, atq; patronus iniustam causam defendens, cum respectu talis iniustæ defensionis non solum consulens, aut consentiens, sed quasi causa principalis sit habendus. Quare tenebitur restituere damna inde subsequuta, tam parti aduersæ, quam suæ, si eam id non admonuit, vt docet Navarro in Manual. cap. 25. num. 28. Secunda conclusio, similiter est certa. Cæterùm in explicandò, quæ ignorantia sit sufficiens ad hoc, vt aduocatus, in defensione iniustæ causæ tam à culpa, quam ab obligatione restituendi excusetur, non satis conuenit inter omnes. Ad cuius explicationem est aduertẽdum ex D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 8. quòd ignorantia est triplex, scilicet, concomitans, consequens, & antecedens. Ignorantia concomitans dicitur illa, quæ est de eo, quod agitur: ità tamen, quòd etiam si sciretur nihilominus ageretur. Vt quando, verbi gratia, putans quis occidere ceruum, occidit inimicũ quẽ omnino vellet occidere, si scisset. Et talis ignorantia non inducit ad volendum, vt hoc fiat, sed accidit, esse simul factum & ignoratum. Ignorantia consequens dicitur illa, quæ est voluntaria. Et cõtingit, vel quãdo quis vult ignorare, vt excusationem habeat à peccato; vel quando potest, & debet scire, & non scit. Sic enim non agere, & nõ velle, & non scire voluntaria sunt indirectè. Ignorantia antecedens dicitur illa, quæ est omnino inuoluntaria, sed causa volẽdi, quod alias non vellet. Sicut, cum quis ignorat aliquam circunstantiam actus, quam scire nõ tenebatur, & ex hoc aliquid facit, quòd si sciret nõ fecisset. Vt cum quis diligentia adhibita nesciens aliquem transire per viam sagitam proijcit, qua transeuntem interfecit. Scio Almaynũ affirmare ignorantiã, quę à D. Th. dicitur consequens, non debere appellari consequentem, sed potius antecedẽtem; quia antecedit actum peccati, & est causa illius. Vt quando ego, verbi gratia, frãgo ieiunium ex ignorantia, quam nisi habere illud non fregissem, talis ignorantia antecedit fractionem ieiunij, estque causa illius, & non consequitur, vt affirmat D. Tho. Cæterùm fallitur iste autor. Nam quamuis verum sit, quòd ea ignorantia antecedit actũ peccati, & est causa illius; adhuc tamen appellatur consequens, quia cum sit voluntaria directè, vel indirectè, ad ipsum actũ voluntatis rectè consequi dicitur. Ex quo infertur, quam imperite, & contra mentẽ D. Thom. nonnulli Theologi distinguant duplicem ignorantiã antecedentem, vnam vincibilem, alteram inuincibilem: Siquidem omnis ignorantia vincibilis, quæ quodammodo est voluntaria ad consequentem est referenda. Hoc constituto dico primò, certum esse, quòd quotiescunque aduocatus ex ignorantia antecedenti tuetur causam iniustam, nec committit peccatum, nec tenetur ad restitutionem: talis enim ignorantia causat omninò inuolũtarium, sine quo nec culpa, nec obligatio restitutionis esse potest. Dico secundò, etiam esse certum, quòd quando aduocatus ex ignorantia consequẽti tuetur causam iniustam, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Nam cum talis ignorantia sit voluntaria, siue directè, vt quando quis vult ignorare, vt excusationem habeat à peccato, siue indirectè, vt quãdo potest & debet scire, & nõ scit, id, quod ex tali ignorantia sequitur, simpliciter dicitur voluntarium, atque ex consequenti peccatum. Verum est, quòd talis ignorantia secundum quid efficit inuoluntarium, in quãtum præcedit actum voluntatis ad aliquid agendum, qui actus non esset scientia præsente. Cæterùm hoc non sufficit tollere rationem peccati, quamuis illam minuat. Et propterea dixit D. Tho. in 2. concluſ. quòd qui per ignorantiam tuetur causam iniustã pro ratione ignorantiæ excusari potest tam à culpa, quam ab obligatione restitutionis. Caietanus 1. 2. q. 6. art. 8. agẽs de ignorantia antecedenti omninò excusante à culpa, ponit vtilissimum, & notabile documentum, quod mihi in hac parte valde obseruandũ videtur ad consulendum timoratis conscijs aduocatorum. Dicit enim, quòd si quis sit vir doctus, adhibeatq; bonam, & sanam diligentiam ad sciendum quæ secundum suum statum scire tenetur, & habet firmum propositum non peccandi mortaliter, si fortè fortuna ex oblitione, quam poterat vincere, commisit aliquid, quod videtur esse peccatum mortale, non est timendum de illo. Referenda est enim ex ignorantia ad antecedẽ-

Dubium de ignorantia sufficiẽti vt aduocatus excusetur à culpa & à restitutione.

Ignorantia triplex.

Sententia Almayni.

1. *Dictum.*

2. *Dictum.*

Documentum Caiet. de ignorantia antecedenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tecedentē, & inuincibilē, cū non sit in potestate nostra semper meminisse, vel habere ad manū vsum scientiæ. Cæterùm, siquis sit negligens, nec adhibeat diligentiā ad scien dū ea, quæ iuxta suū statū scire tenetur, quā do ex obliuione aliquid contra legē cōmittit, censendus est, ꝙ peccauit mortaliter. De hoc enim dicitur illud Apo. 3. Vtinā calidus esses, aut frigidus: sed quia tepidus es incipiā te euomere ex ore meo. Dico tertiò, ꝙ quando aduocatus ex ignorātia cōcomitanti tuetur causam iniustā, nec peccat mortaliter in tali defensione, nec tenetur ad restitutionem. Probatur: Talis ignorantia, quan uis non causet inuoluntarium, efficit tamē non voluntarium: ergo hoc satis est, vt nec sit peccatū, nec inducat obligationē restituendi. Antecedens est D. Th. loco citato; & consequētia probatur: Quia nihil potest esse peccatū, quod nō sit voluntariū. Et si quis argumentetur; Ille actus ex genere suo est malus, & non est inuolūtarius: ergo est peccatū; Respōdeo, negādo consequentiā. Sufficit enim ad hoc, quòd non sit peccatum, quod sit non volūtarius: cū non possit esse peccatum, nisi voluntarium; quia omne peccatum est voluntarium.

3. Dictum.

Dubium.

¶ Sed consurgit ex hoc non leuis difficultas, an qui firmiter statuit apud se defendere quamcunq; causam iniustam vbicūq; illā inuenerit; si postmodū adhibita sufficienti diligentia, putans se defendere causam iustam, defendit iniustā, teneatur de crimine iniustitiæ, & obligetur ad restitutionē? Et pro parte affirmatiua argumentor in hunc modū: Qui statuit apud se defendere causas iniustas vbicunq; illas inuenerit; hac vniuersali volūtate videtur acceptasse, & approbasse omnē actū, quo cōtingat causam iniustam defendere: ergo etiam approbat illum, quo defendit causam iniustam, putans esse iustam; atque ex consequenti peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionē. Secūdò postquā ille cognoscit, se iniustā causam defendisse, nec tristatur de illo, nec pœnitet, sed forsan complacet in opere, dicitq; rem accidisse iuxta suū desiderium: ergo voluntariè id fecit; atque ex consequēti peccauit mortaliter. Antecedens supponitur tanquam verū, & consequentia probatur ex Arist. lib. 3. Eth. c. 1. dicēte, quòd quādo quis ex ignorantia aliquid facit, si aduenientе scientia pœnitet facti, argumentum euidens est, ꝙ fecit inuoluntarius; & quod ignorātia fuit causa volēdi id, quod alioqui non vellet. Verū si aduenientе scientia, nō pœnitet facti, sed afficitur iucunditate, euidens est, quòd nō fecit inuitus, nec inuolūtarius.

1. Argum.

2. Argum.

¶ His tamen non obstantibus, dico, quòd adhuc aduocatus ille in casu, de quo loquimur, nec peccat mortaliter in illa defensione, nec tenetur ad restitutionem. Quod vt declarem supponendum est primò, tanquam certum, quòd homo ille non peccat nouum peccatum, quando iniustam illam causam defendit; nec de hac re, quando aduocationem incepit, cogitauit, nec de illa habuit volitionem; sed tantum voluit defendere causam, quam sufficienti diligentia adhibita, putauit esse iustam. Secundo est supponendum, quòd voluntas illa praua præcedens, qua statuit defendere quascunque causas iniustas, vbicunque illas inuenisset, nec infecit, nec maculauit hanc actionem, qua putans se defendere causam iustam, defendit iniustam; cum subsequens defensio causæ iniustæ, vt suppono, nec directè, nec indirectè fuerit voluntaria. Tertiò etiam est supponendum, complacentiam illam, quæ subsequitur, quando cognoscit se iniustam causam defendisse, si fortè habet illam. esse peccatum iniustitiæ; quia iam vult, & approbat iniustitiam. Quanuis non sit leuis concertatio apud Theologos, vtrùm liceat cōplacere, & delectari in actibus & euentibus ex ignorantia inuincibili, & inculpabili à peccato excusatis. Quartò est supponendū, quòd quanuis hæc complacentia sit mala, atque improba, non tamen inde rectè infertur patrocinium causæ iniustæ, ex quo sequitur, in casu posito malum esse, atque improbum. Potest enim contingere, vt actus aliquis bonus sit, atque meritorius, & tamen complacentia in illo sit mala. Vt est videre in eo, qui ex principis obedientia intendēs venationi, omni diligentia adhibita, putans interficere feram, interficit inimicum, de quo postea lætatur. Complacentia enim ista peccatum est, & tamen ipsa interfectio peccatum non fuit; sed potius meritoria. His suppositis dico, quòd aduocatus, qui adhibita sufficienti diligentia, putans defendere causam iustam, defendit iniustam quanuis habuerit voluntatem, quascunque causas iniustas ad se venientes defendendi; & quanuis quando cognouerit causam iniustam defendisse lætetur, adhuc in tali defensione non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem; quia nec directè, nec indirectè fuit voluntaria. Sicque perfectè intelligitur, qualiter ignorantia cōcomitans excusat aduocatum tam à culpa defensionis causæ iniustæ, quam ab obligatione restitutionis, quod erat tertiū nostrū dictū.

Sententia Autoris.

¶ Et ad primū argumentū in contrariū factū respondetur, ꝙ quāuis ille, qui statuit apud

Ad 1. arg.

apud se defendere causas iniustas vbicunque illas inueneritꝫ ea vniuersali voluntate videtur acceptasse, & approbasse omnē actum, quo contingat causam iniustam defendere, hæc tamen vniuersalis acceptatio non est sufficiens vitiare in particulari eam defensionē causæ iniustæ, quā putās esse iustam facit. Hoc enim est discriminis, vt dicūt Theologi, inter bona opera, atq; mala; quod ad hoc, vt opus sit bonum, sufficiēs est relatio præcedētis voluntatis in cōmuni in optimū finē; cū tamen ad hoc, vt opus quod ex natura sua est bonū sit malū, nō satis sit volūtas mala in cōmuni præcedēs. Alioquī omnia opera infidelium essent peccata, quia generali quadā voluntate se & omnia sua in idolū: quod pro Deo colūt, retulerūt. Cuius contrariū verū esse ostendimus in 1. to. qu. 10. art. 4. Sed vltrà hoc requiritur particularis & determinata directio in malū finē. Et ratio huius differentiæ est, quòd bonū opus quia ex natura sua est referibile in bonū honestū, nisi per actum ibi volitionis, aut saltē per distinctam, in finē prauū non refertur: atq; adeo nec efficitur malū: cū tamē ad hoc, vt sit bonum satis sit, quod sua natura relinquatur. Sicut & ingratū vidon*, quod quia ex natura sua est propē sum ad inopē deorsum, ad hoc, vt ita moueatur sufficiēs est cōmunis influxus causarū vniuersaliū. Cū tamē ad hoc, vt moueatur sursum, quòd suæ naturæ repugnat, necessaria sit alia causa particularis, quæ illud impellat.

¶ Ad secūdū argumētū respōdetur, cōcesso antecedēti, negādo cōsequētiā. Et ad probationem dico verum esse, quod quando quis ex ignorātia aliquid facit, si aduenientе scientia pœnitet facti, argumētū euidēs est, quod fecit inuolūtarius, & quod ignorātia fuit causa volēdi id, quod alioqui nō vellet. Cæterū si aduenientе scientia nō pœnitet, sed afficitur iucunditate, est euidēs signū, quod nō fecit inuitus, nec inuolūtarius, vt affirmat Aristoteles, quia nihil fecit cōtrà suā voluntatē. Cum hoc tamē etiam est verū, quòd ignorātia illa nō fuerit causa volēdi, quia idē etiam si non adesset ignorātia, id ipsum vellet, & cuperet. Atq; adeo est concedendū, quòd qui operatur ex tali ignorātia, operatur nō volūtarius: nihil enim est volitū, quin præcognitum. Et hoc satis est, ad hoc, vt opus ex tali ignorātia factum, nec sit, nec dicatur peccatum.

Ad 2. arg.

Dubiū an aduocatus possit defendere causam ambiguam.

¶ Diximus aduocatū, qui scienter defendit causam iniustā, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionē. & similiter eū, qui ex ignorātia id facit, modo ignorātia sit cōsequēs. Superest nūc explicare, qualiter se debeat habere in ambigua, & incipiti causa, an scilicet possit illā defendere, vel potius eā relinquere te neatur? Ad cuius explicationē dico primò, quod si dubitatio pēdet in æquilibrio: certū est, posse iudicē quā partē maluerit, pro sua volūtate defendere. Hoc est enim cuiuscūq; iurisprudētis mun* legūsensa in alterutrā partē bona fide applicare. Imo hinc omnes lites ortū habēt atq; principiātur, quod res aut iure aut facto in dubio versantur. Sed quod habet difficultatē est, an si aduocatus intelligit aduersam partē maiorē habere probabilitatē, possit illā, quæ minoris est probabilitatis defendere? Et pro parte negatiua est argumentū: Iudici non licet sequi partem minus probabilē: ergo nec aduocato. Probo consequentiā: Nā aduocatus nihil aliud facit, quā inclinare iudicē in partem, quā ipse tuetur.

Argu.

¶ In hoc tamē sit prima concl. In causa mortis, aut sanguinis, aut vbi honor alicuius periclitatur, actori contra reū patrocinari, nisi ad minus accusatio tāta vigeat probabilitate, quāta defensio, inges est peccatū atq; culpa. Probatur: In dubijs melior est cōditio possidētis; maximè in causa sanguinis, aut honoris: sed in casu, de quo loquimur, res est dubia, & reus est in possessione: ergo iniquitas erit ille in ea perturbare. Imò in hisce casibus, potissimū in causa capitis, nisi reus pernicio sissimus habeatur, piū erit eius suscipere patrocinū; etiam si eius causa minoris sit probabilitatis; modò nulli fraudi pandatur locus, vt communiter sentiunt fideles.

1. Concl.

¶ Secunda concl. In causis minoris momēti ceteris paribus, vt vita, libertas, periculo inferior ac debilior causa defendi possit, in rigore tamē nō est, cur ommo cōdēnetur aduocatus, qui illā defendit, modo clientē suū in primis admoneat, iustitiā non tā ei, quā parti cōtrariæ arridēre, & nulla prorsus vtatur falsitate, leges, aut cōmentitias allegādo, aut falsè interpretando, sed illis semper vtatur quæ causæ suæ suffragātur, reliqua vero subticeat argumēta, quæ pro parte cōtraria militāt. Ità tenet Soto li. 5 de iustitia. q. 8. ar. 3. Et ratio est: Nā cū vnicuique sit licitum ius suum absque vi, & fraude experiri; & persequi, & patroni munus nō sit suo clienti fauere, nulli faciet iniuriam, si merita suæ causæ meliori modo quo potuerit patefaciat. Altera pars sibi videbit, cui patrono causam suam concredat; & iudex sibi, vt firmus existat, ne in partem nutet inferiorem. Nam aduocati munus non est aliorum, sed tantum sui clientis, cuius partes gerit consulendo commodō, & vulicat. Et per hoc patet solutio ad argumentum. ¶ In solutione ad secundum dicit D. Tho. quod aduocatus, qui in principio credidit causam iustam esse, & postea in processu cognouit eam esse iniu-

2. Concl.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stam,non debet eam prodere, vt aliam partem iuuet,vel secreta suæ causæ ei reueleț. Potest tamen,& debet causam deserere, vel eum,cuius causam agit ad cedendum inducere,siue ad componendum, sine aduersarij damno.Circa quæ aliquæ & nō leues insurgunt difficultates. Prima est.Vtrùm aliquando sit iustum,& liceat aduocato, secreta sui cliẽtuli prodere; postquam in processu cognouit causam esse iniustam. Et pro parte affirmatiua sit argumẽtum. Si quis accusatori patrocinaretur contra aliquem in causa capitali, quem decurrente causa euidenter cognosceret esse innocentem, teneretur causam prodere,vt eum à morte liberaret, imo agere testem suæ innocentiæ, & transire ad defendendum eius causam, si id opus esset. Tanto enim iure potitur innocentia, vt etiã iudex,cui illa esset cognita, ad id ipsum teneretur,vt diximus supra q.67. art. 2. & q.70. art.1. ergo aliquando est licitũ aduocato sui clientis secreta prodere. ¶Secundo. Si talis nõ esset aduocatus iure naturæ teneretur illa secreta reuelare,vt innocẽs liberaretur,ergo etiam si sit aduocatus. Probo consequentiã. Nam secretum habitum extra confessionem non obligat ad seruandum illud cum detrimento alterius,vt diximus supra loco modo citato. ¶Hæc argumenta sufficienter probãt intentum. Quocirca ad explicationem difficultatis dico primò,teneri aduocatum,si euidenter cognouit causam esse iniustã,& vertitur periculum capitis, aut alicuius mẽbri, vel maximi dedecoris,vel alterius rei grauissimæ, quæ paulo minoris æstimetur, quàm mors, vt si ageretur de statu alicuius ducis, vel alterius rei similis,secreta sui clientis reuelare,admonereque iudicem,& alterã partem de iniustitia in sua causa contenta. Est enim hoc de iure naturali, vt diximus q.70. art.1.Sed,vt hoc aduocatus iure faceret plura deberent necessario concurrere. Primũ, quod nõ sub dubio, sed ex certissima sciẽtia id cognosceret. Et propterea diximus. Si euidenter cognoscit causam esse iniustam. Secũdũ,quod id posset facere absque scandalo.Tertium, quod faceret præmissa fraterna admonitione,qua id acculatori minaretur, nisi à cœpto desisteret, dandoque quam posset,operam, ne accusatoris vita periclitaretur. Cæterũm, si vsque adeò ille desiperet,vt resipiscere nollet,profecto etiam cum illius periculo id facere teneretur. ¶ Dico secundo,quod quando causæ sunt cõmunes,nec magnũ aliquod periculum vertitur, aut communitatis,aut alterius priuatæ personæ, aduocati qui in processu cognoscunt causam sui clientis esse iniustã, non possunt illam prodere, nec eius secreta alteri parti reuelare:tenentur tamen illam deserere. In his enim habet verum sententia D.Thom. quæ etiam est Nauarri in Manuali ca.25.nu. 28.Et probatur ex c.si quem.2.qu. 3.vbi id expresse habetur & ex leg.13.tit.6. part.3.& ex leg.2.&.22.tit.16.lib.2.recop.

Dubium circa solutionem ad secundũ D. Tho. 1.arg.

2.argu.

1.dictum.

2.dictum.

Est aliud dubium circa eandem solutionem,an quando aduocati sciunt,sui clientis causam esse iniustam,licitè possint composi tione inter partes admonere? Ad cuius explicationẽ dico breuiter, quod si sunt certi de iniustitia,id consulere non possunt,sed tenẽtur inducere partem ad cedendum liti,vt altera totũ,quod suũ est,recipiat.Cæterũ si res est dubia pro qualitate dubij poterũt cõposi tionẽ consulere,vt dicit D.Tho.in præsenti.

Aliud dubium circa eandem solutionem ad secũdũ.

Nota circa solutionem ad tertium.

In solutione ad tertiũ argumentũ dicit D. Thom.aduocato defendenti causam iustam licitum esse prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus eius. Non autem licet ei aliqua falsitate vti. Circa quod est aduertendum, quòd quamuis vti falsitate, aut fraude nũquam sit licitum: quia sunt hæc intrinsecè mala, nec aliqua possunt circunstantia honestari,si tamen illis aduocati, aut cliẽtes in causis iustis vterentur, vt si, verbi gratia,falsos testes inducerent,aut præsentarent instrumenta falsa, ad nullam tenerentur restitutionem,quia nihil acciperent alienum,nec peccant contra iustitiã,sed tantum contra veritatem,aut religionem, si id iuramento affirmarent. Ex quo fit vt mendacia ab aduocatis in iudicio pro causa iusta prolata ex genere suo tantũ sint peccata venialia, modo iuramentum non intercedat, vt diximus supra de reis. Eadem enim est ratio clientis,& patroni,quantum ad hoc.

Articvlvs IIII.

¶ Vtrum aduocato liceat pro suo patrocinio pecuniam accipere.

Opusc. 19. c.7.ca.11.

Ad Qvartvm sic proceditur. Videtur quod aduocato non liceat pro suo patrocinio pecuniã accipere.Opera enim misericordiæ nõ sunt intuitu humanæ remunerationis facienda, secundum illud Lucæ decimoquarto. Cùm facis prandiũ aut cœnam,noli vocare amicos tuos,neq; vicinos diuites,ne forte ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed præstare patrociniũ causę alicuius,pertinet ad opera misericordiæ,vt dictũ * est:ergo nõ licet aduocato accipere retributionem pecuniæ pro patrocinio præstito.

Art.1.huius quæst.

¶ 2 Præ-

2¶ Præterea,Spirituale non est pro tẽporali cõmutandum.Sed patrocinium præstitum,videtur esse quiddã spirituale,cum sit vsus scientiæ iuris:ergo non licet aduocato pro patrocinio præstito pecuniam accipere.

Epi.54.to.2.

3¶ Præterea,Sicut ad iudiciũ cõcurrit persona aduocati,ita etiã persona iudicis,& persona testis.Sed secundũ Augus. * Ad Macedoniũ,nõ debet iudex vẽdere iustũ iudiciũ,nec testis verũ testimonium:ergo nec aduocatus poterit vendere iustum patrocinium.

Eodem loco nũc proxim è dicto.

Sed Contra est,quod Aug.* dicit ibidem,quòd aduocatus licite vendit iustum patrocinium,& iurisperitus verum consilium.

¶ Respondeo dicẽdũ,quòd ea quæ quis non tenetur alteri exhibere, iuste potest pro eorũ exhibitione recõpensationẽ accipere. Manifestum est autem quòd aduocatus nõ semper tenetur patrociniũ præstare,aut consiliũ dare causis aliorũ.Et ideo si vendat suũ patrociniũ,siue consiliũ,non agit contra iustitiã.Et eadẽ ratio est de medico opẽ ferente ad sanandũ, & de omnibus alijs huiusmodi personis,dũ tamen modera te accipiant considerata cõditione personarũ,& negotiorũ,& laboris,& consuetudine patriæ.Si autẽ per improbitatẽ aliquid immoderate extorqueant,

Epist. 54. non multũ remotè ante finem to mo.2.

peccãt cõtra iustitiã.Vnde Aug.dicit * ad Macedonium, quòd ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent,data per tolerabilem consuetudinem non solent.

¶ Ad Primvm ergo dicẽdũ,quòd nõ semper quæ homo potest misericorditer facere, tenetur facere gratis, alioquin nulli liceret aliquã rẽ vẽdere,quia quælibet rem potest homo misericorditer impẽdere.Sed quãdo eã misericorditer impẽdit,non humanã, sed diuinã remunerationẽ quærere debet.Et similiter aduocatus, quando causæ pauperũ misericorditer patrocinatur, non debet intẽdere remunerationem humanam,sed diuinã,nõ tamẽ semper tenetur gratis patrocinium impendere.

¶ Ad secundũ ergo dicendũ,quòd etsi scientia iuris sit quiddam spirituale, tamen vsus eius fit opere corporali. Et ideo pro eius recompensatione licet pecuniam accipere,alioquin nulli artifici liceret de arte sua lucrari.

¶ Ad tertiũ dicendũ,quòd iudex & testis cõmunes sunt vtriq; parti, quia iudex tenetur iustã sentẽtiã dare,& testis tenetur verũ testimoniũ dicere.Iustitia autẽ & veritas nõ declinãt in vnã partẽ magis,quã in aliã.Et ideo iudicibus de publico sunt stipẽdia laboris statuta,& testes accipiũt nõ quasi pretiũ testimonij,sed quasi stipẽdiũ laboris expẽsas,vel ab vtraq; parte,vel ab ea,à qua inducũtur,quia nemo militat stipẽdijs suis vnquã,vt dicitur primæ ad Corinthios nono.Sed aduocatus alterã partem tantũ defendit.Et ideo licite potest pretium accipere à parte,quam adiuuat.

Summa Textvs.

Ad propositã difficultatẽ respõdet D. Tho.per duas propositiones. Prima cõcl.Licitũ est aduocato suũ patrocinij pretio æstimare,pro illoq; pecuniã accipere.Probatur.Pro illorũ exhibitione, quæ quis nõ tenetur alteri gratis impẽdere, iuste potest recõpensationẽ accipere;sed patron* nõ semper tenetur alteri suũ patrociniũ,& cõsiliũ gratis impẽdere:ergo poterit pretiũ pro illo accipere.Et eadem ratio est de medico, opẽ suã ad sanãdũ ferẽte.Secũda cõcl.Siquis istorũ per improbitatem aliquid vltra modũ extorqueat,mortaliter peccat,& tenetur ad restitutionẽ.Probatur,testimonio Aug.Epistola.54.dicẽte: Ab his extorta per immoderatã improbitatẽ repeti solẽt;data verò per tolerabilem consuetudinem,non solent.

Explicatio Articvli

Dubium de veritate primæ conclusionis D. Tho. 1.arg.

2.arg.

Circa primã cõclu.huius articuli est difficultas,Vtrũ vera sit.Et pro parte negati na argumẽtor primò:Patrociniũ,atq; cõsiliũ quibus aduocatus suũ cliẽtẽ patrocinatur, sunt quid spirituale:ergo nõ est licitũ accipere pecuniã proillis.Probo cõsequẽtiã.Nã accipere tẽporale pro spritualissimo est iure naturali prohibita;vt videbimus infra qu. 100.¶Secũdo:si liceret aduocato accipere pecuniã pro patrocinio,sequeretur,quod etiã illi liceret pacisci de pretio: vnicuiq; enim est licitũ pacisci de eo,quod licitè pro suo labore potest accipere: cõsequens autem est falsum,nam sic liceret aduocato quantuncũq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

pretium volet pro suo patrocinio postulare, de illoque paciſci: cum cõsilium atq; patrocinũ talis sint naturæ, vt nullo pretio possint digne æstimari, quod nullus concedit: ergo & illud, ex quo sequitur.

Concl. His tamẽ nõ obstantibus, dico conclusionem D.Tho. esse verissimam, licitumque esse aduocato, pretiũ pro suo patrocinio accipere, de illoque paciſci: dummodò considerata conditione personarum, & negotiorum, & laboris, & consuetudinis patriæ, sit moderatum, vt D. Tho. in isto arti. declarat. Probatur 1. ex D. Aug. Epistola 5 4. expresse affirmante, licitè aduocatum, iustum patrocinium, & iurisperitum, verum consilium vẽdere. Et D. Gregorius loquens de eisdem: iustum est, inquit, vt illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare repetiuntur obsequium. Et ratione sic argumentor. Quanuis consilium, atque patrocinium, sicut & scientia iuris, sint res spirituales secũdũ se cõsiderata, labor tamẽ in disceptãdo, in disputãdo, in libros reuoluendo, & studẽdo, quæ ad iuris consiliũ, & ad causæ patrocinium pertinent, quia non solum mentem, sed etiã corpus fatigant, corporalia sunt: ergo saltẽ ratione istorum poterit aduocatus iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium vendere, vt dicebat D. Augustinus. Item hoc ipsum probatur ratione D. Tho. in hoc articulo.

Ad 1. arg. Et ad primum argumentum vt respondeamus aduertendũ est, quod bona spiritualia, quæ animis nostris accidere possunt, sunt in duplici differentia. Quædã enim sunt ab spiritu increato, & alia ab spiritu creato, id est, quædam existunt diuinitus vi supernaturali, vt gratia gratum faciens, & virtutes infusæ. Quædam verò parantur nostro studio, atq; labore, vt scientia. Rursus omnia ista bona trifariam diuiduntur. Nã quædam sunt spiritualia per essentiã, vt gratia, virtutes, & scientiæ. Quædã verò sunt spiritualia secũdũ causam, id est, quæ producũt aliquid spirituale, & illius causa sunt, vt sacramẽta. Alia autem sunt spiritualia effectiuè, id est, quæ efficiẽter sunt, & producuntur à rebus spiritualibus, vt vox doctrinæ, cõfessio miraculorũ, & alia huiusmodi. Spirituali autẽ annexũ dicitur res, quæ cũ sit corporea, habet tamẽ aliquã colligantiã necessariã cũ rebus spiritualibus. Et hoc adhuc dupliciter cõtingere potest. Vno modo quasi necessario antecedẽs ad confectionẽ rei spiritualis, vt vasa sacra, & instrumẽta, quibus vtimur in sactis conficiendis. Alio modo, quasi necessario cõsequẽs ex rebus spiritualibus, vt ius percipiẽdi decimas, & prouentus ecclesiasticos, & alia huiusmodi, quæ sequũtur, vel ex potestate ordinis, vel iurisdictionis. Hoc supposito dico, quod quãuis vẽdere spiritualia, quæ talia dicũtur ab spiritu increato, qualia sunt illa, quæ spectãt ad salutẽ animarũ, & gloriæ cõsequutionẽ, siue sint spiritualia per essentiã, siue secũdũ causam, siue effectiuè, sit simonia. Vẽdere tamẽ ea spiritualia naturalia, quæ talia dicũtur ab spiritu creato, vt scientiæ, nullũ est peccatũ vt latè videbim* in materia de simonia, qu. 100. art. 1. Nec ratio præcisa, propter quã istæ res spiritnales vẽdi possunt est, quia labor corporalis qui in tali scientia, vel arte tradẽda ponitur, est pretio æstimabilis. Tũ, quia labor, qui nõ potest diuidi à ministerio spirituali, vẽdi nõ potest, vt infra videbimus. Tũ etiam, quia si id verũ esset, sequeretur, quod qui doceret iurisprudẽtiã exiguo labore, minimi mercede dignus esset, quã qui docet arte sutoriã cũ magno labore, quod est absurdũ, & cõtra cõmunem vsum reipublicæ. Sed præcisa ratio, propter quã vendi possunt, est quia sunt vtiles humanis vtibus, atque adeo pretio dignæ, cũ rẽ aliquã esse pretio dignã accidat ei per cõparationẽ ad humanos vsus, quibus est vtilis, vel inutilis: & præterea sunt talis naturæ, vt nõ sint gratis cõferendæ. Ad hoc enim, vt aliqua res sit vendibilis nõ satis est, quod sit pretio digna. Sed vltra hoc requiritur, quod non sit gratis donãda. Multæ enim res sunt, quæ quãuis sint pretio æstimabiles, vẽdi nõ possunt, quia dari nõ debẽt, ni si gratis. Quales sunt illæ quæ nõ ad priuatũ vtum, sed ad cõmune cõmodũ referuntur. Vt est videre in ærario publico: quod quia cõmuni ciuiũ causã cõgestũ est, cũ diuiditur, gratis est diuidẽdum. ¶ Ad secundũ argumentũ respondetur, cõcessa maiori, negãdo minorẽ. Et ad probationẽ dico: Ex eo quod aduocato est licitũ accipere pretiũ propatrocinio, atq; cõsilio, & paciſci de illo, nõ rectè inferri, licere ei quantuncunq; pretiũ voluerit postulare de illoque paciſci. Nam quãuis verũ sit, quod cõsiliũ & patrocinii atq; scientia, physicè loquẽdo, talis naturæ sint, vt excedãt in valore quòdcunque pretiũ, quia pretium physice loquendo nihil aliud est, quam vniuscuiusque rei perfectio, & maius pretiũ maior perfectio, & certum est, scientiam in perfectione excedere quascunq; res corporeas: moraliter tamen loquẽdo, quomodo nos in præsenti loquimur de pretio, longe aliter contingit. Quod, vt intelligatur aduertẽdũ est, quod moraliter loquẽdo, solũ illæ res dicuntur pretiosæ quæ aliquo modo sunt vtiles & cõducibiles ad humanos vsus. Sumitur enim pretiũ morale, de quo in præsenti est sermo, per comparationẽ ad vsus humanos,

Ad 2. arg.

Solum illa res dicuntur pretiosa quæ sunt vtiles.

manos, habita ratione vtilitatis, & indigẽtiæ vniuscuiusque rei. Ex quo etiã venditiones & commutationes ortum habuere. Si enim vnusquisque sibi ipsi sufficiẽs esset, nulla esset cõmutatio, nulla venditio, nulla emptio, atque ex consequenti nec pretiũ aliquod morale esset. Itaque humana necessitas est, quæ rebus vtilibus pretium cõstituit, & magis vtilibus, maius pretiũ. Et sic ex vtilitate, & maiori vtilitate omnium rerũ pretiũ ortũ habuit. Cũ ergo patrociniũ, atque consilium, quæ aduocati suis clientibus præstant, in ordine ad vtilitatem humanam habeant limitationẽ, sit, vt ex illa præcipuè quantitas pretij sit sumenda: atque etiam ex pluribus aliis, nempe ex difficultate, labore, periculo, sumptibus, quæ ex hominũ æstimatione secundariò solent efficere res pretiosiores. Et sic nõ erit positũ in potestate aduocati, quãtumcunq; voluerit pretiũ pro suo patrocinio postulare, sed illud tãtũ, quod considerata conditione personarũ, & negotiorũ, & laboris, & cõsuetudinis patriæ, vt modò dicẽtur fuerit moderatũ. Estq; hoc intelligendũ, modò iustũ pretiũ pro patrocinio præstãdo lege nõ fuerit taxatũ. Cõsueruẽt enim mercedes operarũ ministrorũ iustitiæ, videlicet, tã scribarũ, quã aduocatorũ atq; aliorũ, lege taxari, vt scilicet, pro tali scripto tantũ detur pretiũ, & pro tali tãtum. Et tunc certũ est, nulli licitũ esse maius ex pacto suscipere. De quibuscũque enim pretijs dubitari nõ licet, quin sit peccatũ iniustitiæ quidquã vltra id, quod lege taxatũ est, accipere: modò lex sit vsu recepta, nec annuente principe abrogata. Et idem rationabilius de legibus patrociniis præstandis, respõnsisque ferendis, mercedes statuentibus dicendum videtur: quia iustissimæ sunt. Nam cum ex vna parte litigantes pudor suffundat, si parum conferant & ex altera vincendi auiditas eos stimulet, non poterunt mercedes non esse immoderatas, nisi lex illis modum præscribat.

Dubium. Sed dubitabit aliquis hoc loco, Vtrùm liceat aduocato paciſci cum cliente de certa quota litis: si victoriam reportet? Pro cuius intelligentia est aduertendum, quod hoc nomen quotus, potest accipi dupliciter. Vno modo propriè, & vt sic importat numerum atque ordinem, qua ratione interroganti de aliquo, quotus sit in bancho, rectè respondemus, quod tertius, vel quartus. Et inde venit aliquotus. Vel dicatur sic pars quota quæ aliquoties sumpta reddit suum totum præcise secundum Philosophum in prædicamentis, & glossa in proœmio libri sexti. dec. vt vnum, duo, tria, respectu senarij. Sexies enim vnum sunt sex, & similiter duo, & bis tria: quatuor autẽ non sunt pars aliquota, quia si bis sumatur facit plus, id est, octo. Alio modo accipitur quotus, larga quadam significatione, qua ratione dicitur pars quota, quæ inferior est ad totum, siue aliquoties sumpta reddat ipsum totum præcise, siue non. Et sic duo dicitur aliquota pars quinque. Hoc supposito nonnulli affirmant non esse licitum aduocato paciſci cum litigante, de aliquota parte litis: si ly, quota, propriè accipiatur: bene tamen si accipiatur impropriè, quod est dicere, quod non est licitum paciſci cum aduocato de conferenda ei tertia, vel quarta parte quantitatis, pro qua litigatur, si victoriam reportet. Bene tamen de conferenda ei certa quantitate, quæ summæ, pro qua litigatur aliquota pars non existat. Nec huius suæ sententiæ aliam assignant rationem, nisi, quod leges prohibent pactionem de quota, hoc est, de medietate, aut de tertia, aut duabus tertijs, vt constat ex lege siqui. C. de postul. & illic Bartol. & leg. litem. C. de procura. & lege sumptus. ff. de pact. Et tamen non prohibent pactionem cuiuscunque alterius quantitatis. Et leges intelligendæ sunt loqui in rigore. Cæterum hæc sententia est ridicula. Nam sic, si tota quantitas, pro qua litigatur esset centum, licitum esset paciſci de sexaginta, quia non est pars aliquota, & non de viginti, quod nullus concedet. Quare dicendum existimo nulla ratione esse licitum aduocato paciſci de quota litis; ad hunc sensum, quod non est licitum ei paciſci de aliqua quantitate, quæ detur pro victoria, siue constituta prius ei debita mercede, & salario pro labore, siue secus. Id enim totum appellant Legistæ quotam litis, in legibus supra citatis. Et vbicunque loquuntur de quota tanquam illi, qui nihil curant de proportionibus, sed tantum de rei substantia. Quod, & colligi poterit ex ratione talis prohibitionis, quæ est, ne, scilicet, per fas, aut nefas ad victoriam conetur aduocati, sicque fraudes & technas quibus vincant excogitare compellantur. Est autẽ hoc intelligendum, de certa quantitate promissa, non absolutè, sed sub conditione si vincat: seu pro victoria, quia tunc eadem est ratio prohibitionis, sicut & de quota litis. Nã si promissio facta fuerit absolutè pro mercede, sine respectu ad victoriam valida erit, vt constat ex leg. 1. in fi. ff. man. Ex quo infero in vna, & eadem causa, puta, quæ est centum aureorum, non esse licitum paciſci de vno aureo sub ratione quo-

Nomẽ quotus potest accipi dupliciter.

Sententia aliquorũ.

Impugnatur sententia posita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tæ, hoc est, quantitates recipiendæ pro victoria, quia hic militat ratio prohibitionis. Licitum autem esse paciſci de ſexaginta absolute sub ratione iustæ mercedis, si ità cit cuſtantiæ requirunt, quia iam hic non habet locum supradicta ratio prohibitionis. De hac re videdus est Syluester, verbo, aduocatus. numero. 12.

Differẽtia interindicẽ teſtẽ & aduocatum.

In solutione ad tertium argumentum constituit D. Th. discrimen inter iudicem ac teſtem, & aduocatum, quantum ad recipiendam mercedem pro tutela veritatis, hoc modo. Dicit enim, quod quia iudex ac teſtis cõmunes sunt vtriq; parti, tenenturque vnus iustam sententiam dare, & alter verum teſtimonium dicere, quod est quid commune: id circo nihil possunt tanquã mercedem à partibus accipere: bene tamen aduocatus, qui vnam tantum partem defendit. Contra quod

Argu.

in hunc modum argumentatur Caietanus: Aduocatus non potest licitè patrocinio præstare, niſi iustum, sicut iudex, iustam sententiam: ergo si ex ratione iustitiæ prohibetur iudici pecuniã accipere, ex eadem etiã ratione prohiberi debebit aduocato. Et si ex hac parte aduocato nõ prohibetur: ergo nec iudici, eo vel maxime, quod si ratio iustitiæ facit personã teſtis, & iudicis, communé, similiter etiã persona aduocati erit cõmunis, cũ teneatur tantum iustum patrocinitũ dare. Ad

Reſponſio Caiẽtani.

hoc argumentum, vt reſpõdeat, aduertit idẽ Caietanus, quod cũ vniuſcuiuſq; officij ratio à proprio & proximo fine, & non à cõmuni, nec remoto sit sumenda, ad cognoſcendum diſcrimen, quod est inter iudicem, & teſtem ex vna parte, & aduocatum ex altera, quantum attinent ad præſens inſtitutum, ad proximos & proprios fines iſtorum officiorum attendere oportebit. Est ergo proprius & proximus finis iudicis, atque teſtis in iudicio iuſtitia atque veritas, non huius aut alterius, sed ſimpliciter, quæ cõmunia sunt vtrique parti, finis autẽ proximus, & proprius aduocati non est iuſtitia, aut veritas ſimpliciter, ſed illius partis, cuius est aduocatus. Cuius rei ſignum est, quod ſi inuenerit in proceſſu ſuæ partis cauſam esſe iniuſtam, nõ poterit nec debebit illi⁹ ſecreta prodere, nec alteram quãuis iuſtam cauſam iuuare, vt diximus articulo præcedenti. Ad quod quidem teneretur ſi finis illius proximus, & proprius eſſet iuſtum ſimpliciter & abſolute quærere. Quia ergo tã iudex, quã teſtis ad id, quod cõmune vtrique parti est, nõ poſitiuè, ſed negatiuè, hoc eſt, ad hoc, vt in neutram partem declinet in iudicio aſſumitur, ſed, vt id, quod iuſtum & veritas fuerit in communi, ſiue reſpectu actoris, ſiue rei, pronunciet, & dicat, fit, vt neutri illorum quidquã ab vna parte determinatè accipere liceat. At verò aduocatus, quia eius finis, & ſcopus est, non iuſtum ſimpliciter, ſed iuſtũ clientis ſui cuius cauſam omnibus ſuis viribus protegit, altera neglecta, non ſolum, vt aliqui putant, pro labore, ſed etiam pro ipſo patrocinio & defenſione veritatis poteſt mercedem accipere, & recipit ab ea parte, cuius est patronus. Reſtat autem adhuc differentia inter iudicem, & teſtem: Quod iudex non ſolum pro veritate pronuncianda, nihil poteſt à litigantibus percipere, quia est cõmunis vtrique, ſed nec pro labore, aut ſtudio, ſed reſpublica, vt perſonæ publicæ id ſibi prouidere tenetur. Cũ tamen teſtis, quia non est vſque adeò perſona publica, ſed ab illa parte, cui intereſt, citatur, quantus pro veritate dicenda nihil poſsit recipere (cuicunque enim parti debet eam ſyncere proferre) pro ſuo tamen labore poterit recipere pretiũ ab eo, à quo fuerit citatus. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum.

Dubium. 1. dictum.

Sed dubitabit aliquis hoc loco, quonã iure iudices ſint prohibiti, aliquid à litigãtibus accipere? Ad cuius explicationẽ dico primò probabiliſſimũ eſſe, iure naturali id illis eſſe interdictũ. Probatur. 1° naturale prohibet ne quis ab aliquo accipiat id munus, quod nõ est mere gratuitũ ac voluntariũ: hac enim ratione probatur vſuram eſſe cõtra naturale præceptũ, vt videbimus infra q. 78. ar. 1. ſed quæ litigãtes iudicibus conferunt non ſimpliciter voluntarie dãt, ſed vt habeant fauorem apud illos, qui ſi cauſa est iniuſta, est illicitus, & ſi est iuſta, debet dari gratis, taliterque dant, vt nollent dare niſi ſententiam timerent: ergo iudices ex præcepto naturali tenentur talia dona non recipere. Loquor de donis iudicibus collatis, in quantũ iudices ſunt. Nam de illis quæ conferuntur, vt amicis eadem est ratio quantum attinet ad iuſtitiam, ac ſi iudices non eſſent. Et confirmatur. 2. Si litigantes eſſent certi de fauore iudicis, nihil illi conferrent: ergo quãdo dant non ſimpliciter voluntarie dãt, ſed vt habeant rem, quã iudex gratis tenetũr conferre, atque ex conſequenti, ſtando in ſolo iure naturæ, iudex male facit illud accipiens, & tenetur ad reſtitutionem. Eſt autẽ hoc intelligendũ de donis, quæ conferuntur ante prolationẽ ſententiæ. Nãm poſt ſententiam latam per modũ gratificationis aliquid fuerit collatum, illud recipere non erit contra ius naturæ. ¶ Dico ſecundo, lege poſitiua esſe prohibitum iudicibus, ſiue ante ſententiam, ſiue poſt, aliquid etiam minimum

2. dictum.

nimum à litigantibus accipere per modum muneris vltra ſalarium, & ſi contrarium fecerint tenentur ad reſtitutionem etiam ante iudicis condemnationem; quia tales leges non ſunt pœnales ſed diſpoſitiuæ, & prohibentes tranſlationem dominij, vt diximus in ſuperioribus.

QVAESTIO SEptuageſima ſecunda, de Verborum iniurijs quæ inferuntur extra iudicium, In quatuor articulos diuiſa.

Articvlvs I.

¶ Vtrum contumelia conſiſtat in verbis.

4. 57. ar. 1. Et Pſ. 43. co. 6. Et Rom. 1. l. 8

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quod contumelia non cõſiſtat in verbis. Cõtumelia enim importat quoddam nocumentũ proximo illatum, cum pertineat ad iniuſtiam. Sed verba nullum nocentum videntur inferre proximo, nec in perſona, nec in rebus: ergo contumelia non conſiſtit in verbis.

2 ¶ Præterea, Contumelia videtur ad quãdam dehonorationem pertinere. Sed magis aliquis poteſt inhonorari, ſeu vituperari factis, quàm verbis: ergo videtur quòd contumelia non conſiſtat in verbis, ſed magis in factis.

3 ¶ Præterea, Dehonoratio, quæ ſit in verbis dicitur conuicium vel improperium. Sed contumelia videtur differre à conuicio & ab improperio: ergo contumelia non conſiſtit in verbis.

¶ SED CONTRA Nihil auditu percipitur niſi verbum. Sed contumelia auditu percipitur, ſecundum illud Ieremiæ vigeſimo, Audiui contumelias in circuitu: ergo contumelia eſt in verbis.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd contumelia importat dehonorationem alicuius. Quod quidem contingit dupliciter. Cum enim honor aliquam excellentiam conſequatur, vno modo aliquis alium dehonorat, cum priuat eum excellentia, propter quam habebat honorem, quod quidem fit per peccata factorum, de quibus ſupra * dictum eſt. Alio modo cum aliquis id quod eſt contra honorem alicuius, deducit in notitiam eius & aliorum. Et hoc proprie pertinet ad contumeliam, quod quidem fit per aliqua ſigna. Sed, ſicut Auguſtinus * dicit in ſecundo de doctrina Chriſtiana, omnia ſigna verbis comparata, pauciſsima ſunt. Verba enim inter homines obtinuerunt principatum ſignandi quæcunque animo concipiuntur. Et ideò contumelia, propriè loquendo, in verbis conſiſtit. Vnde Iſid. dicit * In libro Etymolog. quòd contumelioſus dicitur aliquis, quia velox eſt, & tumet verbis iniuriæ. Tamen quia etiam per facta aliqua ſignificatur aliquid, quæ in hoc quod ſignificant, habent vim verborum ſignificantium, inde eſt quod contumelia extenſo nomine, etiam in factis dicitur. Vnde Romano. primo ſuper illud, Contumelioſos, ſuperbos dicit * glo ſſa quòd contumelioſi ſunt, qui dictis vel factis contumelias & turpia inferant.

Q. 64 65.

Lib. 1. c. 3. circa medi ũ tom. 3.

Li. 10. c. 3 incipit: Cle rus, parum ante med.

Glo. inter. lin. ibi.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd verba ſecundũ ſui eſſentiam, id eſt, in quantũ ſunt quidã ſoni audibiles, nullũ nocumentũ alteri inferuot, niſi forte grauãdo auditũ, puta cum aliquis nimis alte loquitur. In quantũ vero ſunt ſigna repræſentantia aliquid in notitia aliorũ, ſic poſſunt dãnã multa inferre, inter quæ vnũ eſt, quòd homo damnifi catur quantũ ad detrimentũ honoris ſui, vel reuerẽtiæ ſibi ab alijs exhibẽdæ. Et ideo maior eſt contumelia, ſi aliquis alicui defectũ ſuũ dicat corã multis, & tamen ſi ſibi ſolli dicat poteſt eſſe cõtumelia, in quantum ipſe qui loquitur iniuſte, contra reuerentiam audientis agit.

¶ Ad ſecũ dũ dicendũ, quòd in tãtũ aliquis aliquẽ factis dehonorat, in quantũ illa facta vel faciunt vel ſignificãt illud quod eſt contra honorem alicuius, quorum primum non pertinet ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

contumeliam sed ad alias iniustitiæ species, de quibus supra dictum * est: secundum verò pertinet ad contumeliã, in quantum facta habent vim verborum in significando. Q.64.65.66.

¶Ad tertium dicendum, quòd conuicium & improperium consistunt in verbis, sicut & contumelia, quia per omnia hæc repræsentatur aliquis defectus alicuius in detrimentum honoris ipsius. Huiusmodi autem defectus est triplex, scilicet defectus culpæ, qui repræsentatur per verba contumeliosa. Et defectus generaliter culpæ & pœnæ, qui repræsentatur per conuicium, quia vitium consueuit dici non solum animæ, sed etiam corporis. Vnde si quis alteui iniutioſe dicat, eum esse cæcum, conuicium quidem dicit, sed non contumeliam. Si quis autem dicat alteri, quod sit fur, non solum conuicium, sed etiam contumeliam infert. Quandoque verò repræsentat aliquis alicui defectum minorationis, siue indigentiæ, qui etiam derogat honori consequenti quancunque excellentiam, & hoc sit per verbum improperij. Quod propriè est, quando aliquis iniuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti. Vnde dicitur Ecclesiastici vigesimo, Exiguadabit, & multa improperabit. Quandoque tamen vnum istorum pro alio ponitur.

SVMMA TEXTVS.

SVppositо, quod contumelia importat dehonorationẽ alicuius, quæ fieri potest aut factis, aut verbis: factis quidẽ, vt cũ quis priuat alterũ ea excellentia, propter quã habebat honorẽ, verbis autẽ, vt cũ quis id, q̃ est cõtra honorẽ alicuius deducit in notitiã eius, & aliorũ, respõdet D. Tho. ad propositã difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Cõtumelia propriè loquendo, cõsistit in verbis. Probatur. Cõtumelia propriè sit aliquibus signis: sed verba inter homines obtinuerunt principatũ significãdi, quæ animo cõcipiũtur: ergo contumelia, propriè loquendo, cõsistit in verbis. Et cõfirmatur ex D. Iisidoro. li. 10. Etym. c. 3. dicẽte: cõtumelioſus dicitur aliquis, quia velox est, & tumet verbis iniurijs. ¶ Secũda cõclusio. Contumelia exteſo nomine, etiã in factis posita est quatenus rationẽ habent significãdi. Probatur. Rebus etiã cõuenit esse signa aliquarũ rerũ, ergo vt sic in illis potest cõtumelia cõsistere. Et cõfirmatur ex glossa, quæ super primũ caput epistolæ ad Ro. in illa verba: Contumelioſos, superbos, &c. dicit: Contumelioſi sunt, qui dictis, vel factis contumelias, & turpia inferũt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

INstituerat D. Tho. à q. 67. agere de vitiis oppositis cõmutatiuæ iustitiæ, in verbis cõsistentibus; quibus proximũ sæpe lædi contingit, tam in iudicio, quam extra. Et quoniã vitia illa, quibus in iudicio læditur homo, grauiora sunt, illis, quibus læditur extra iudicium, egit primo de illis vsque ad quæstionem præcedentem. Quibus expeditis progreditur modò agere de verbis iniurioſis extra iudicium vsũ venientibus: Quæ ad quinque capita reduci possunt: scilicet contumeliam, detractionẽ, susurrum, irrisionẽ, & maledictionẽ. Inter quæ hoc est discrimen; quod contumelia honos læditur, detractione seu murmuratione fama, susurratione amicitia: derisione erubescentia intenditur; maledictione autẽ malũ, quatenus tale, alteri imprecatur, & optatur. Subsannatio & illusio idẽ sunt secundũ speciem, & secundũ finem cũ derisione: nisi, quod derisio fit verbis, vel cachinis, subsannatio rugato naso. Illusio autẽ fit factis. Primò ergo omniũ agit D. Tho. de cõtumelia. Ad cuius explicationẽ est aduertẽdũ primò, quod vt constat ex superioribus, honor & fama hoc potiſsime deferunt, quod honor est reuerentia alicui propter aliquam excellentiam, ac potiſſimum propter virtutem exhibita: Fama autẽ est illæſa dignitatis ſtatus, vita & moribus cõprobatur, vt dicit glossa in capitu. vestra. de coha cler. ac muli. Vel, vt cũ Theologis ac Philosophis loquamur, est clara illa notitia, quam alij de nobis habent. Ex quo fit honorem ſine fama, & famam ſine honore existere posſe. Exhibetur enim quandoque reuerẽtia magnati propter ſanguinis excellẽtiã; cũ tamẽ de ei* moribus, ſiniſtra habeatur existimatio: Et vice versa ſolent priuati viri in angulis latentes honoribus orbari; qui tamẽ clara vitæ ſplẽdent opinione. Contumelia ergo propriè honorem denigrat, & detractio famam. Quare illæ formaliter ex obiecto intelligũtur distinctæ.

Discrimen inter contumeliam detractionẽ ſuſurratione m, &c.

Secundo est aduertendum, quod honor, in cuius læſione contumeliam existere dicimus, dupliciter potest intelligi; quod ab aliquo tollatur. Vno modo mediatè. Quod contingit, quando id, quòd honoris causa erat, ab aliquo ſubmouetur. Vt quando, Verbi gratia, diuiti ſubſtantia, cuius solius gratia honor illi habebatur, ſurripitur, vel

Honor dupliciter potest laedi ab altero.

vel quando ſapienti cerebri læſione ſcientia aufertur. Est enim honor, vt dicit Aristot. 4. Ethic. cap. 3. teſtimonium alicuius excellentiæ, putà, dignitatis vel ſenectutis, vel ſcientiæ, vel virtutis, vel diuitiarum, vel potentiæ. Et ſic quãdo iſta ab aliquibus auferũtur, exinde incipiunt minores haberi, minimeque honorari. Quare affirmat ſolum illum esse verum honorem, qui virtuti debetur, vtpote qui ex nulla extranea causã, ſed ex ſolo Deo dependet. Alio modo potest tolli honor directè, & propriè. Quod contingit, quãdo aliquis quidpiam in alicuius notitiam deducit, quod eius honori officit. Nam, ſicut honor excellentiæ debetur: ita etiam notitia turpitudinis cauſat dehoneſtationem. Hoc ſuppoſito dicit D. Tho. quod contumelia nõ in læſione honoris primo modo: quia vt ſic, non conſtituit peculiarem ſpeciem, ſed refertur ad alias iniurias, putà, ad furtum, homicidium, & reliqua: ſed in læſione honoris directè & propriè conſiſtit. Quare ille ſolus formaliter erit contumelioſus dicendus, qui aliquibus verbis, aut ſignis id, quod est contra honorem alicuius in notitiam eius, & aliorum deducit. Et quia verbis propriſſimè conuenit ſignificare tãquam illis, quæ ad id potiſsime fuerũt inſtituta, idcirco contumelia in verbis propriiſsimè conſiſtere dicitur. Cum tamen etiam proprie in rebus conſiſtat, in quantum res habent rationem ſignificandi. Et hoc est, quod D. Tho. in prima & ſecunda cõcluſione ſignificat. Quod & est conforme gloſſæ ſuper primũ caput Epiſtolæ ad Romanos in illa verba: Contumelioſos & ſuperbos, &c. dicenti: Contumelioſi ſunt, qui dictis, & factis contumelias, & turpia inferunt. Ex hoc infero primò, nullum factorum quatenus res eſt, habere rationem contumeliæ, bene tamẽ, quatenus habet vim ſignificandi. Quare qui alienas fores animo furandi frangit non contumelioſus, ſed fur eſt dicendus. Cętetum qui id fecerit in vituperium, & vilipendium domini contumelioſus propriè erit: quia ea re ſignificat dominum floccipendere. Similiter qui fuſte vilem hominem cædit, non animo dehoneſtandi, ſed feriendi: non eſt contumelioſus. Cum tamen qui nobilem percutit, non vt dolorem inferat, ſed vt honorem auferat contumelioſus proprie ſit dicendus. Item, qui vxorem vicini libidinis gratia ſolicitat, non eſt contumelioſus formaliter, in vicinum. Secus autem erit, ſi vt honori mariti officiat, id tentat. Significare enim tunc intendit, turpitudine illa hominis vilitatem, quod directe contrariatur honori. Infero ſecundo quantum attinet ad rationem contumeliæ, non ſemper esſe neceſſarium, vt vitium, quod manifeſtari intenditur, ſit peccatum: quamuis etiam hæc cõtumelia ſit grauior. Sed ſatis eſt, quod ſit vitium, vel generis, vel animi, vel corporis, vel cuiuſuis alterius rei: dummodo talis ſit naturæ, vt alicui contrarietur excellentiæ, ex ijs ob quas homines in honore haberi cõ ſueuerunt. Qui enim hominem denotat infami genere natum, aut ignauũ, vel ſtultum, proculdubio eſt contumelioſus, honoriq̃ nocet. Nec verò requiritur, vt quis ſit contumelioſus, quod hominem infamet, aliquod occultum eius vitium detegẽdo. Nam etiam ſi publicum concubinariam, aut furem, aut cocitem, aut Hebræo genere natum, his nominibus appellet, contumelioſus erit.

Nullum factum quatenus res habet rationem contumeliæ.

Ad contumeliam nõ eſt neceſſarium quod vitiũ quod manifeſtatur ſit peccatum.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an ſit de ratione contumeliæ, quod fiat, vel dicatur præſente eo, cui infertur. Et pro parte affirmatiua argumentor in hunc modũ: Contumelia importat manifeſtam iniuriam: ſicut ita manifeſtam vindictam: & est de ratione illius, quod fiat in præſentia eius, cui irrogatur: alioquì manifeſta non erit. Hoc tamen non obſtante dico, ad veram, & propriam rationem contumeliæ, non eſſe neceſſarium, quod ille cui infertur, ſit realiter præſens: ſed ſatis eſſe, quod eam irrogans, tali id faciat intentione, vt in notitiam illius veniat. Nam cum actus contumeliæ per hoc in ſua eſſentia atque natura conſtituatur, vt contra honorem directè machinetur, & actus morales ex intentione ſpeciem ſumant, ſit, vt ad hoc quod aliquis actus ſit per ſe, & directè contumelioſus, ſolum ſufficiat, quod contra honorem proximi directè, & ex propoſito fiat. Quod contingit quotieſcunq; aliquis quidquam iniurioſum, & honori contrarium dicit, aut facit, ea intẽtione, vt in notitiam eius veniat cui iniuriam inferre intendit. Tripliciter enim poteſt contingere, vt quis ità alterum parui faciat, quod ad manifeſtam ſibi iniuriam veniat, quod neceſſariũ eſt ad contumeliam. Et propterea D. Thom. in litera dicit: tunc eſſe contumeliam, quando quis, quod eſt contra honorem alicuius, in notitiam eius deducit. Primo in faciem eius præſentialiter audientis illud objiciens. Secundo literis, aut libello mandans, vt ad ipſum deferatur. Tertio verbis illud aut ſignis in abſentia explicans, ea intentione, vt alteri dicatur. Tunc enim quamuis materialiter, & per accidens ille ſit abſens, in intentione tamẽ & per ſe dicitur eſſe præſens. Et ita in notitiam alicuius intendit ſemper contumelioſus deducere quod eſt contra eius honorem: ſicut iratus vindictã, quam in abſentia facit. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum.

Dubium.

Argumenti Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Discrimen inter contumelia cõ uicium & improperiũ

¶ In solutione ad tertiũ constituit D. Tho. discrimen inter cõtumeliam, conuicium, & improperiũ. Et consistit in hoc, quod conuicium importat generaliter defectum culpę, & pœnæ; contumelia verò solũ culpæ. Vnde si quis alicui iniurioſe dicat eum esse cæcũ, vel claudum cum sit, conuicium dicit, sed nõ contumeliam. Si autem iniurioſe dicat eum esse furem, non solum conuicium, sed etiam contumeliam infert. Et hoc apud Theologos. Nam secundum iurisprudentes conuicium dicitur à collectione vocum. Et perinde sonat atque conuocium, quasi plurium coeuntes voces ad maledicta in vnum iactãda. Sicut 4. Reg. cap. 2. de puerorum vociferatione aduersus Eliseum inclamantium legitur, quod dicebant: Ascẽde calue. Ita dicit tex. in lege, item apud Labeonem. §. conuicium. ff. de iniur. Et potest fieri etiam absenti. Vt cum quis ad domum alterius venit ipso absente. Nec tantum qui dicit, sed & qui cõcitauit alios ad vociferationem conuicium facit, vt dicit lex. item apud. afiũmat. Et oportet sit aduersus bonos mores vociferatio: scilicet, ad infamiam, vel iniuriam, vel inuidiam alicuius tendens: alias non erit conuicium. Cæterum hæc iurisprudentium interpretatio forsan non multum facit ad propositum. Nam ly. con. in hoc nomine, conuicium, non tam plurium concursum, quam vehementiam significat, sicut & in hoc verbo conficio. Crediderimque illud nomen à, con, & vitium, componi, sicque conuiciari nihil aliud esse, quam vitijs alterum conspergere. Nisi forte dicamus nomen illud à conuitando deduci, vt Laurentio Vallæ libr. 6. Elegant. placuit, quem enim vitijs impetimus procul à nostro contubernio vitamus. Sed hæc ad Grãmaticos potius, quã ad Theologos pertinẽt. Hoc vnum, quantum attinet ad præsens institutum, certũ esse debet, conuicium latiùs patere ex parte obiecti, quam contumeliam: cum hæc sola culpæ, illud, tam culpæ quam pœnæ obiectione consistere posit: sine conuicium plurium, vt iurisprudentibus placuit: sine vnius tantum, vt dicunt Theologi, voce conficiatur. Improperium propriè est, quando quis iniurioſe alteri in memoriam reducit auxilium, quod ipsi necessitatem patienti contulit, iuxta illud Ecclesiastici. 20. Exigua dabit, & multa improperabit. Et apud Terentium: Isthæc commemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij. Sed hæc receptissimo vsu promiscuè vsurpantur: vt est videre apud Alexand. secunda p. quæstione 129. vbi contumeliam diffiniens, dicit esse peccatum ex impropetio sermonis manifesto tendens ad proximi nocumentum.

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an hæc tria, contumelia, cõuicium, & improperium differant specie, vel potius omnia pertineant ad vnam & eãdem speciem specialissimam. Et quidem, quod differant specie, probatur hac ratione: Distinctio specifica tã in vitijs, quã in virtutib⁹ desumitur ex obiecto, quod est materia, circa quã: sed hæc distinguitur in his tribus, vt enim dicit D. Thomas in litera, defectus culpæ est materia & obiectum contumeliæ, & defectus communiter, est materia conuicij, & defectus præteritæ indigentiæ est materia improperij: ergo differũt specie. Hoc tamen non obstante, dico, illa omnia ad vnam & eandem speciem, specialissimam pertinere, quę ex vnitate honoris, contra quẽ tendunt essentiam, & vnitatem accipit, sicut detractio ab vnitate famæ, qua priuat. Ab vna enim ratione formali obiecti vnica tantum species specialissima desumi potest: cuius rei signum manifestũ est, quod idem defectus culpæ spectat ad detractionẽ, & contumeliam: potest enim quis eundem defectum adulterij, vel furti detrahendo, & conuiciando dicere, & tamen detractio, & contumelia specie differunt: quia hæc contra honorem: illa contra famam tendit. Omnes ergo defectus, qui dicuntur, habẽt se ad ista vitia, non vt materia, circa quam formaliter versantur, sed materialiter: & fines, ad quos ordinantur, scilicet, dehonorationis, vel infamię sunt, qui formaliter constituũt diuersas species vitiorum moralium, ad quas cętera reducuntur. Omnes itaque defectus, quatenus honorem lædunt vnius sunt rationis, & ad contumeliam spectãt, & quatenus famam minuunt, aut auferunt sunt alterius, & ad detractionem pertinent. Est tamen in vtrisque cum vnitate speciei diuersitas graduum secundum magis, & minus considerãda. Quatenus vnus defectus magis dehonorat, quam alius. Potestq; iste excessus esse tantus, vt sit de necessitate in confessione exprimendus. Qui enim aliquem hæreticum, aut traditorem appellat, non satisfaciet, dicendo in confessione dixisse conuicium: sed tenebitur particulariter genus conuicij explicare. Et per hæc patet solutio ad argumentum.

Argumen.

Sententia autoris.

Ad Argũ.

Articvlvs II.

¶ Vtrum contumelia seu conuicium sit peccatum mortale.

Infra qu. 158. ar. 5. ad 3. & 2. Cor. 12. & Gala. 3. principio.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur quòd contumelia vel conuicium, non sit peccatum mortale.

mortale. Nullum enim peccatum mortale est actus alicuius virtutis. Sed conuiciari est actus alicuius virtutis, scilicet eutrapeliæ, ad quam pertinet bene conuiciari, secundum Philosophum

Lib. 4. ca. 8 tom. 5. in quarto Ethicorum *: ergo conuicium siue contumelia non est peccatum mortale.

2 ¶ Præterea, Peccatum mortale non inuenitur in viris perfectis, qui tamen conuicia vel contumelias aliquando dicunt, sicut patet de Apostolo, qui ad Galatas tertio dixit, ò insensati Galatæ. Et Dominus dicit Lucę vltimo, ò stulti & tardi corde ad credendum: ergo conuicium siue contumelia non est peccatum mortale.

3 ¶ Præterea, Quamuis illud quod est peccatum veniale ex genere, possit fieri mortale: non tamen peccatum quod est ex genere mortale, potest esse veniale, vt suprà habitum * est. Si

1. 2. q. 72. ar. 5. & q. 88. ar. 45. ergo conuicium vel contumelia esset peccatum mortale ex genere suo, sequeretur quod semper esset peccatum mortale. Quod videtur esse falsum, vt patet in eo qui leuiter & ex surreptione, vel ex leui ira dicit aliquod verbum contumelioſum. Non ergo contumelia vel cõuicium ex genere suo est peccatum mortale.

¶ Sed Contra, Nihil meretur pœnam æternam inferni, nisi peccatum mortale. Sed conuicium vel contumelia meretur pœnam inferni, secundum illud Matth. quinto: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: ergo conuicium vel contumelia est peccatum mortale.

Ar. præce. ¶ Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum * est, verba in quantum sunt soni quidam, non sunt in nocumentum aliorum, sed in quantum significant aliquid, quæ quidem significatio ex interiori affectu procedit. Et ideo in peccatis verborum maximè considerandum videtur ex quo affectu aliquis verba proferat. Cum ergo conuicium seu contumelia de sui ratione importet quandam dehonorationem, si intentio proferentis ad hoc feratur, vt aliquis per verba quæ profert, honorem alterius auferat, hoc propriè & per se est dicere conuicium vel contumeliam, & hoc est peccatũ mortale non minus quàm furtum vel rapina. Nõ enim homo minus amat suum honorem, quàm rem possessam. Si verò aliquis verbum conuicij vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, sed fortè propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi, non dicit conuicium vel contumeliam formaliter & per se, sed per accidens & materialiter, in quantum, scilicet, dicit id, quod potest esse conuiciũ, vel contumelia. Vnde hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato. In quo tamen necessaria est discretio, vt moderatè homo talibus verbis vtatur, quia posset esse ita graue conuiciũ, quod per incautelam prolatum auferret honorem eius, contra quem proferretur, & tunc posset homo peccare mortaliter, etiam si non intenderet dehonorationem alterius. Sicut etiam si aliquis incautè alium ex ludo percutiens graviter lædat, culpa non caret.

Lib. 4. Ethi. ca. 6. & 10. 5. De pœn. 2. 1. Aut sę. Ad puniũ tur.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd ad eutrapelum pertinet dicere aliquod leue conuicium, non ad dehonorationem, vel ad contristationem eius, in quem dicitur, sed magis causa delectationis & loci. Et hoc potest esse sine peccato, si debitæ circunstantiæ obseruentur. Si verò aliquis non reformideo contristare eum, in quem profertur huiusmodi locosum conuicium, dummodo alijs risum excitet, hoc est vitioſum, vt ibidem * dicitur.

Lib. 2. cap. 30. non remotè à fin. to. 4.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut licitum est aliquem verberare vel in rebus damnificare causa disciplinæ, ita etiam & causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conuicioſum dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocauit stultos, & Apostolus Galatas insensatos. Tamen sicut dicit Augustin. * in

libro

Universidad de Deusto
Biblioteca

libro de Sermone Domini in monte, rarò & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ, in quibus non nobis, sed vt Domino seruiatur instemus.

¶ Ad tertium dicendum, quòd eum peccatum conuicij vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat, potest contingere, quòd sit peccatū veniale, si sit leue conuicium, non multū hominem dehonestans, & proferatur ex aliqua animi leuitate, vel ex leui ira absque fir mo proposito aliquem dehonestandi, puta cum aliquis intendit aliquem per huiusmodi verbum leuiter cōtristare.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respōdet Diuus Thom. per duas propositiones: Prima conclusio: Iactatio conuicij animo dehonorandi facta, quæ est propriè contumelia, ex genere suo est peccatum mortale furto, atque rapina grauius. Probatur: Non minus amat homo honorem suum, quem contumelia aufert, quam bona, quæ per furtum, & rapinam auferuntur: sed furtum & rapina ex genere suo sunt peccata mortalia: ergo & contumelia. Secunda cōclusio: Iactatio conuicij præter intentionem dehonorandi facta, aliquando est virtus, aliquando culpa venialis: & aliquando potest esse mortalis. Probatur: Nam si prælatus, vel pater, vel maior natu debito cum moderamine aduersus inferiorem, vt ipsum reprehendat, conuicio vtatur, proculdubio erit virtus, & benefaciet. Si autem nonnullus fuerit cautelæ defectus, vt sæpe contingit, erit veniale. Quando verò talibus vteretur verbis, tantumque obijceret conuicium, vt etiam per incautelam prolatum auferret honorem eius, contra quem profertur, peccatum mortale esset non obstante defectu intentionis dehonorandi.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Discrimen inter peccata facti, & linguæ.

PRo intelligentia huius articuli aduertendum est, hoc esse discriminis inter peccata, quæ in facto consistunt, & ea, quæ in verbis posita sunt: Quod in illis genus atq; gratuitas ex solo obiecto perpenditur, in verbis autē non, nisi ex adiuncta simul intentione. Et ratio est: Nā cum verba re ipsa non offendāt, sicut facta, sed significatione: & significatio præcipuè pendeat ex intentione aliquid exprimēdi, fit, vt non cēseatur formaliter cōtumelia, nisi quæ ex animo conuiciandi, vel ex ignorantia crassa, aut negligentia, aduertendi, quod dicis, procedit. Et propterea D. Thom. tam in prima conclusione, quam secunda ad explicandam grauitatem peccati contumeliæ, non solum ad id, quod dicitur materialiter, sed etiam ad intentionem dehonorandi recurrit. Cum tamen ad explicandam grauitatem furti, & aliarum iniuriarum in facto consistentium, solius grauitatis obiecti habuerit rationem. Bene potest aliquando contingere, vt sine intentione inhonorandi aliquis alicui tale obijciat crimen, quod honorem ipsi re vera adimat, vt D. Thom. dicit in secunda conclusione, eritque tunc illud peccatum mortale, tantò grauius furto, quanto honor, qui aufertur, præstat rebus fu ratis, propter notabile damnum quod infert. Non tamen dicetur formaliter contumelia, quæ sine animo & intentione inhonorandi esse non potest. Vt enim diximus articulo præcedenti, nullum factorum habet rationē contumeliæ, nisi quatenus significat. Et certum est, quod quæ sine animo inhonorandi, aut fiunt, aut dicuntur, nihil significāt, quod sit honori contrarium: quamuis ex altera parte sint iniuriosa. Quare nec rationem cōtumeliæ habere poterunt. Est ergo contumelia ex genere suo mortale peccatum grauius furto, atque rapina: quia malunt homines alijs bonis priuari, quam contemptui haberi. Tanta tamen poterit esse quantitas furti, vt grauitatem contumeliæ excedat. Et similiter tam parua irreuerentia, quæ in contumelia inuenitur, vt culpa venialis sit dicēda. Potest enim contumelia ex leuitate materiæ fieri venialis, sicut & quoduis aliud peccatum ex genere suo mortale.

Dubiū quādo cōtumelia sit peccatum mortale.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quando contumelia erit peccatum mortale, & quando veniale. Ad cuius explicationem sit prima propositio. Quotiescunque aliquis animo, & intentione notabiliter nocendi in honore crimen obijcit alteri, siue nocumentum sequatur, siue non, peccat mortaliter. Vt enim dicitur apud Matth. cap. 5. Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Et per oculum communiter intelligunt Doctores intentionem, cuius prauitas sufficit totum opus malum reddere. ¶ Secunda propositio: Qui crimen alteri obijcit animo & intentione parum nocendi, & re vera parum nocet, solum peccat venialiter: sicut & qui furatur rem leuem animo & intentione parum nocendi. ¶ Tertia conclusio: Qui criminis obiectione notabile infert nocumentum proximo in honore, esto nō habeat intentionē nocēdi, dūmodo ex ignorātia crassa, aut ex negligētia nō aduertēdi damnum, *1. Conclu.* *2. Conclu.* *3. Conclu.*

damnum, quod intulit illud processerit, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Probatur: Iste de facto infert notabile nocumentum proximo, & licet intendat non nocere, id facit ex ignorantia crassa, aut negligentia, quæ à culpa non excusant: ergo facit contra charitatem: atq; ex consequenti peccat mortaliter. Et confirmatur: Qui ludens cum proximo ex negligentia illum interficit, esto sine intentione id faciat, peccat mortaliter: ergo, & qui nocet notabiliter in honore, si ex ignorantia, aut negligentia id facit. Probo consequentiam: Nam æqua est vtriusque ratio. ¶ Quarta propositio: Qui eri- *4. Conclu.*
minis obiectione intendit non nocere proximo, estque ita circumspectus, vt inuincibiliter ignoret, quod inde damnum subsequetur: etiam si multum noceat, non peccat mortaliter. Probatur: Nam est illud damnum omnino inuoluntarium, atque adeò ad culpam mortalem imputari non potest. *5. Conclu.* ¶ Quinta propositio: Multi modi sunt, quibus verba contumeliosa aliqualiter lædentia dici possunt, sine aliquo peccato. Probatur ex Aristot. 4. Ethic. ca. 8. constituente quandam virtutem moralem, Eutrapeliam appellatam, qua homo decenter se habeat in lūdis, & iocis, & recreationibus humanis. Et certum est, quod quotiescunque aliquis ex virtute operatur, nullum peccatum committit. Sed, vt hæc rectè intelligantur, aduertendum est, quod cum iocus, atque ludus vtilia, *In ioco & ludo reperitur vitium atque virtus.*
& necessaria sint vitæ, & conuersationi humanæ: ex ipsis enim fit requies, qua homo ab anxietatibus, & solicitudinibus meris quiescit: sicut & corpori per dormitionem à laboribus corporalibus quiescere contingit: vnde hæc, recreatio animi appellari consueuerunt: & in ipsis excessus atque defectus inueniri possint, fit, vt in illis etiam virtus atque vitium reperiri queant. Virtus quidem, quæ medium constituat: & vitium, quod versetur circa extrema. Vt autem cognosceremus quæ extrema essent vitiosa in ludo, atque ioco, & quod medium laudabile dicit Aristoteles loco citato, quod extremū per excessum appellatur Bomolochia, hoc est, scurrilitas, à qua scurræ, & extremum per defectum dicitur Agtia, hoc est, rusticitas, siue tuditas, à qua tudis & agrestis, & medium dicitur Eutrapelia, hoc est, comitas, seu vrbanitas, à qua comes & vrbanus. Bomolochi ergo siue scurræ dicentur illi, qui in ludo seu ioco risum magis cōmouent, quam oportet, dicentes, aut agētes indecentia. Qui quidem sunt onerosi, quia magis risum astantium concitare affectant, quam non perturbare eos quibus ingerunt cōuicia. Agreites, & rudes sunt illi, qui nec agunt nec dicunt aliquid iocundum, quo astantes honestè delectentur: sed nec alios dicere, aut agere patiuntur. Et sicut primi sunt onerosi ijs, qui honestè ex ludo quærunt delectationem: ita & isti sunt duri. Eutrapeli autem erunt, qui moderatè, & decenter iocantur, didicerunteque ex bono habitu ita dicta, & acta in ludo gratiosè & modestè in risum vertere, vt astantes decorè delectentur. Ad quos primo spectat dicere, & audire in ludo talia, quæ deceant virum modestum, & liberalem, hoc est, habentem animum liberum à passionibus. Vbicunque enim est inueniri aliquid, quod decenter & vt oportet, fieri potest, hoc ad virtutis habitum pertinet. Secundo spectat ad Eutrapelos, ita se bene habere ad conuicia iocosa, vt nullus ex eis possit molestiam accipere. ¶ Sed mouit Aristoteles difficultatem, vtrùm hoc, quod est bene conuiciari in ludo determinādum sit ex parte eorū, quæ dicuntur: quia scilicet, dicunt homines ea conuicia, quæ quemlibet liberalem & virtuosum dicere decet: vel potius ex parte finis & effectus: quia scilicet, Eutrapelus, si ludēs conuicia dicit, non intendit inhonorare, nec contristare audientem, sed potius delectare? Et respondet, quod ad vtramque partem respicere oportebit. Et quidem, quod ad secun- *Dubiū ex Aristotele* *Responsio.*
dam sit respiciendum, est res manifesta: Nam cùm nullus possit certò cognoscere, vtrum ex conuicio dicto habeat contristare, aut delectare audientem, quoniam diuersis diuersa sunt odibilia, & delectabilia, & quod vni placet alteri displicet, quod habeat intentionem neminem nocēdi, aut contristandi erit opus. Quod autem similiter sit debitum respicere ad primam partem, probatur: Nam aliqua sunt conuicia cōtumeliosa, ex quibus homo infamatur, & quæ dicere legispositores prohibent. Ergo ista Eutrapelus legis obseruator licitè dicere non poterit. Alia sunt conuicia absque alicuius infamia. Et hęc in ludo affecte ad modestiam hominum astantium delectationem, vel emendationem, vel reprehensionem nullum est peccatum. De hisque loquuti sumus in quinta propositione, quando diximus, multos esse modos, quibus verba contumeliosa aliqualiter lædentia dici possunt, sine aliquo peccato. Et de eisdem loquebatur Cicero, dum dixit: Maledictum si petulantius iactatur, conuicium, si facetius vrbanitas nominatur.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrum aliquis debeat contumeliam sibi illatam sustinere.

AD

Universidad de Deusto
Biblioteca

Infrà q.79 art.4.ad 1 Et opu.19. cap.16.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd aliquis non debeat contumelias sibi illatas sustinere. Qui enim sustinet contumeliam sibi illatam, audaciam nutrit conuiciantis. Sed hoc non est faciendum: ergo homo non debet sustinere contumeliam sibi illatam, sed magis conuicianti respondere.

2 ¶ Præterea, Homo debet plus se diligere, quàm alium. Sed aliquis non debet sustinere, quòd alteri cõuicium inferatur. Vnde dicitur Prouerbiorum vigesimosexto, Qui imponit stultum silentium, iras mitigat: ergo etiam aliquis non debet sustinere contumelias illatas sibi.

3 ¶ Præterea, Non licet alicui vindicare seipsum, secundum illud. Mihi vindictam, & ego retribuam, sed aliquis non resistendo contumeliæ, se vindicat secundum illud * Chrysostomi, Si vindicare vis, sile, & funestã ei dedisti plagam: ergo aliquis non debet silendo sustinere verba contumeliosa, sed magis respondere.

Homil.43. in Mat. circa mediũ habetur ad sensum. Et homi.85.à medio to.2

¶ SED CONTRA est, quod dicitur in Psal.37 Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates. Et postea subdit. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut patientia necessaria est in his, quæ contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autẽ patientię in his quę contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda, sicut Augustinus * in libro de Sermone Domini in monte, exponit illud præceptũ Domini, Si quis percusserit te in vna maxilla, præbe ei & aliam, vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit. Non tamen semper tenetur facere actu, quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepisset alapam, dixit: Quid me cædis, vt habetur Ioannes decimo octauo. Et ideo etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligẽdum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas si expediẽs fuerit. Quandoq; tamen oportet, vt contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidẽ propter bonũ eius, qui contumeliã infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundum illud Prouerbiorum vigesimoseptimo: Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Vnde Gregorius * dicit super Ezechiel. homil. nona. Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt detrahentiũ sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant.

Lib.1.c.34 35. & 36. tom.4. Epist.5.ad Volusianũ, t.2. Et habetur 23. q.1.c.paratus. 11.q.3 c. Senti de Aug.

Homi.9.in Ezech.circa med. Aug.de bono viduitatis.ca.22. 1.q.3.cap. Non sunt audiendi.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd audaciam conuiciantis contumelioſi, debet aliquis moderate reprimere, scilicet propter officium charitatis, non propter cupiditatem priuati honoris. Vnde dicitur Prouerbiorum vigesimo sexto: Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in hoc quod aliquis alienas contumelias reprimit, non ita timetur cupiditas priuati honoris, sicut cum aliquis repellit contumelias proprias. Magis autem videtur hoc prouenire ex charitatis affectu.

¶ Ad tertium dicendum, quòd si aliquis hoc animo taceret, vt tacendo contumeliantem ad iracundiam prouocaret, hoc pertineret ad vindictam. Sed si aliquis taceat, volens dare locum iræ, hoc est laudabile. Vnde dicitur Eccle. octauo. Non litiges cum homine linguato, & non struas in ignem illius ligna.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet D. Tho. per duas propositiones. Prima conclusio: Vnusquisque tenetur habere animũ paratum ferendis iniurijs & contumelijs,

tumelijs, quando fuerit expediens: non tamen tenetur eas semper ferre. Probo singulas partes: Et primò, quod vnusquisque teneatur habere animum paratum ferendis iniurijs, quando fuerit expediens, hac ratione: Patientia, sicut in his, quæ contra nos fiunt, sic & in his, quæ contra nos male dicuntur est necessaria: sed in his, quæ contra nos fiũt, tantum est necessaria in præparatione animi, vt D. Augustinus affirmat, super illud Matthæi 5. Si quis te percusserit in vna maxilla, &c. & præparatio animi, quæ affirmatiuo præcepto iubetur, tantum obligat pro tẽpore, quo id ratio exigit: ergo vnusquisq; tenetur habere animum paratũ ferendis iniurijs, quãdo fuerit expediens. Quod autem non semper teneatur iniurias ferre, probatur, exemplo Christi, qui percutienti se interrogauit, quid me cedis? Ioan.8. quod aliquam reprehensionis formam præsefert. Secunda conclusio: Quandoque oportet illatam contumeliam repellere, tum propter bonum eius, qui contumelioſus est, vt eius insolentia reprimatur, nec iniurijs assuescat, iuxta illud Prouerb.26. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur, tum etiam propter bonum aliorum, tam circunstantium, quam absentium, quorum profectus impeditur propter iniurias nobis illatas. Propter quod dicebat D. Gregor. homil. 9. super Ezechi. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentiũ verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, sicque in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Qualiter debeat homo habere animum paratum ad ferẽdas iniurias.

CIrca primam conclusionem, in qua D. Thomas affirmat, vnumquemque teneri habere animum paratum ad ferendas iniurias, quando opus fuerit, aduertendum est, illis verbis non significare, quod teneantur homines habere actuale propositum ferendi iniurias illatas, pro loco & tẽpore. Præcepta enim affirmatiua, sicut non obligãt pro semper ad opera exteriora ita nec ad actus internos. Sed quòd intelligit est, teneri homines nõ habere actũ contrarium, quãdo opus fuerit, quod in proposito generali ferendi mãdata virtualiter continetur. Id enim satis est ad hoc, vt in præparatione animi dicatur quis calumnias, & contumelias ferre. Nec huiusmodi præparatio animi solum est necessaria ad non vindicandas iniurias illatas priuata autoritate (id enim certissimum est nemini licere, vt ex supradictis patet) sed etiam ad non resistendum, quando resistentia sine graui scandalo, & ingenti detrimento fieri nequit, & quando ratio fidei & boni publici sustinentiam exegerit. Quare qui in animo gesserit se de quacunq; contumelia vindicaturum, & cuicunque sine delectu obstiturum in statu damnationis, & peccati mortalis proculdubio erit. In alijs casibus quisque, & priuata autoritate, cum virtutis moderamine, resistere, & per publicam potestatem, iuris ordine seruato, se vindicare, à quacunque contumelia sine peccato poterit.

¶ Sed est difficultas: Vtrùm in casibus, quibus quis potest licite contumelijs resistere, semper sit consilium illas patienter ferre. Ad quod breuiter respondeo, conclusione negatiua. Vt enim D. Thomas affirmat in secunda sua conclusione, aliquando est necessarium illatam contumeliam repellere. Tum propter bonum eius, qui contumelioſus est, ne iniurijs assuescat. Tum etiam propter bonum aliorum, quorum profectus per iniurias nobis illatas impeditur. Quare idem sapiens, qui dixit: Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne videaris ei similis, in alio loco consulit, vt respondeamus ei, ne videatur sibi sapiens: Aliquando ergo erit consilium imò & præceptum contumelias repellere: & aliquando erit consilium illas sufferre: & aliquando eas reprehendere. Quare prudentia opus erit, vt hæc pro loco, & tempore distinguatur. Erit quidem, non solum consilium, sed etiam præceptum illis, qui potestatem exercent, eas contumelias, nõ solum repellere, sed etiam punire, quæ in iniuriam Dei vel Ecclesiæ fuerint obiectæ. Vt enim dicit D. Chrysostomus, sicut in iniurijs proprijs, esse patientem, laudabile est: ità in iniurijs Dei, impiũ. Et quia contumeliæ, quæ dicuntur contra rectores, præcipue prælatos Ecclesiæ, vergunt in contumeliam Dei: ideò istæ præcipuè sunt puniendæ & quanuis magis quis debeat punire, si potestatem habet, contumelias aliorum, quam proprias, quia minus suspectus in eis habebitur, quòd moueatur cupiditate proprij honoris: tamen etiam illas, quæ in ipsum fuerint illatæ, quatenus vergunt in iniuriam Ecclesiæ, & detrimentum boni communis punire poterit, & debebit, vt habetur 23. quæst. 3. cap. Guillelmus, cum. §. seqnc. & Glossa ibidem. Est consilium sufferre iniurias seu contumelias, primò, ratione vitandæ temeritatis, iuxta illud Prouer. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris. Tacere quidem, & non respondere contumelianti quando quis hoc faceret, vt tacens magis pro-

Dubium.

Conclusio.

Aliquando est consiliũ contumelias repellere, & aliquando eas sufferre.

uocaret

Universidad de Deusto
Biblioteca

uocaret alterum ad iracundiam, peccatum esset. Caterum tacere ne & ipse respondens contumelias incurrat, aut magis alterum ad iracundiam accendat opus est laudabile, & studiosum.

¶ Secundo est consilium sufferre contumelias, ratione incorrigibilitatis, quando, scilicet, ille, qui contumelias obijcit est incorrigibilis, nec alter habet autoritatem illum coercendi ad exemplum Christi, qui nec Herodi, nec Pilato, nec Scribis, & Pharisæis contumeliantibus, quidquam respondit, quia obstinati erant, vt dicitur in Euangelio. Tertio ratione conseruandæ virtutis patiētiæ. Nam sicut est nobis patiētia necessaria in ijs, quæ fiunt contra nos, ità & in ijs, quæ contra nos dicuntur. Ne litiges cum homine linguato; ne struas in ignem eius ligna: nec cum potente, ne te per potētiam opprimat, nec cum diuite ne te per pecuniam vincat: nec cum loquace, ne te per eloquentiam decipiat, dicebat Sapiens Ecclesiastic. 8. Quod & fecisse significat regius Vates Psalm. 37. dicens, Qui inquirebant mala mihi loquuti sunt vanitates. Ego autem tanquam surdus, non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suū. Non dicit: Ego surdus, sed tanquam surdus, quia hoc ad virtutem patientiæ spectat, vt audiens contumelias, tanquam si non audiret, nec murmuraret in corde, nec ore contumelijs respondeat. Est etiam consilium, aliquando contumelias reprehendere propter rationes à D. Thoma in litera adductas. Ad quod etiam pertinet, quod Paulus Galatas insensatos appellauerit: & Christus quosdam stultos, alios generationem prauam, & adulterā.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an quando est licitum resistere contumelijs, (quod fieri posse diximus, vel priuata autoritate cū virtutis moderamine, vel per publicam potestatem, exceptis casibus, in quibus resistentia sine graui scandalo, & sine ingenti detrimento fieri non posset, & quando ratio fidei & boni publici sustinentiam non exegisset,) vtrùm inquam tunc sit licitum pro vna contumelia suscepta, aliam reijcere. Verbi gratia, appellauit me quispiam latronem. Dubito ego an in repulsam huius contumeliæ eo tempore, quo patientia non est in præcepto possim talem appellare, sicarium, vel alia illum contumelia afficere. Ad cuius explicationem 1. Dictum. dico primò, certum esse quod in nullo casu est licitum obijcere alteri falsum crimen. Est enim hoc mendacium perniciosissimum, quod nullis circunstantijs honestari potest. Dico secundo etiam esse certum, 2. Dictum. quòd non est licitum obijcere alteri in casu, de quo loquimur, id crimen, quod impertinens est ad resistendum contumelijs ab ipso dictis. Itaque si appellauit me concubinarium, non mihi licet appellare eum furem. Et ratio est quia cum huiusmodi secunda criminis obiectio impertinens sit ad resistendam, vel infirmandam contumeliam ab alteto illatam, fit vt ad inculpatam tutelam referri non possit: sicut nec, quòd quis percutientem repercutiat. Dico tertio, quod 3. Dictum. quauis nullum peccatum, aut defectum, siue occultum, siue publicum, per modum vindictæ, sit licitum in conuiciatorem respuere, per modum tamen defensæ vim vi repellendo, fas est, ea crimina obijcere, quæ ad reparationem proprij honoris fuerint necessaria. Itaque, si aliquis falsò appellauit me furem, nec aliter possum honorem reparare, bene possum dicere, eum esse mentitum, ostendereque illum mendacem etiam aliquibus in medium adductis exemplis, quibus mea veritas confirmetur, ne in eo, quod mihi imponit fides ei adhibeatur. Totum enim hoc pertinet ad inculpatam tutelam, quam cuique tam in vita, quam in honore, iure naturæ licitam esse, ostendimus in superioribus. Et quoniam huius rei ratio desumitur ex necessaria defensione, fit, vt quando criminis obiectionem ad reparationem honoris non necessariam esse intellexerimus eam aliqua ratione efficere, non sit licitum, sicut nec occidere aggressorem, quando aliter aggressus propriam vitam tueri potest. Imo; si ad reparationem honoris, vnius tantum criminis obiectio fuerit sufficiens, contra charitatem erit, & contra iustitiam duo aut plura manifestare. Pro completa explicatione huius articuli opus esset declarare modum, quo honor per contumeliam læsus in pristinum statum sit restituendus, nisi de hoc à nobis satis superque dictum fuisset in materia de restitutione. q. 62. ar. 2. circa solutionem ad tertium argumentum.

Articvlvs IIII.

¶ Vtrum contumelia oriatur ex ira.

Infra q. 73 ar. 3. ad 3. & q. 158. art. 7. cor.

AD QVARTVM sic proceditur: Videtur quòd contumelia non oriatur ex ira, quia dicitur Prouerbiorum vndecimo. Vbi superbia ibi contumelia. Sed ira est vitium distinctum à superbia: ergo contumelia non oritur ex ira.

¶ Præterea, Prouerbiorum vigesimo dicitur. Omnes stulti miscentur contumelijs. Sed stultitia est vitium oppo-

positum sapientiæ, vt supra habitum Q. 46. ar. 1 * est. Ira autem opponitur mansuetudini: ergo contumelia nō oritur ex ira.

3 ¶ Præterea, Nullum peccatum diminuitur ex sua causa. Sed peccatum contumeliæ diminuitur, si ex ira proferatur. Grauius enim peccat qui ex odio contumeliam infert, quàm qui ex ira: ergo contumelia non oritur ex ira.

¶ Sed Contra est, quòd Gregorius * trigesimo primo Moraliū dicit, Lib. 31. c. 31. à medio quod ex ira oriuntur contumeliæ.

¶ Respondeo dicendum, quòd cum vnum peccatum possit ex diuersis oriri, ex illo tamen dicitur principalius habere originem, ex quo frequentius procedere consueuit propter propinquitatem ad finem ipsius. Contumelia autem magnam habet propinquitatem ad finem iræ, qui est vindicta. Nulla enim vindicta est irato magis in promptu, quàm inferre contumeliam alteri. Et ideo contumelia maximè oritur ex ira.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd contumelia non ordinatur ad finem superbiæ qui est celsitudo, & ideo non directe contumelia oritur ex superbia. Disponit tamen superbia ad contumeliam, inquantum illi qui se superiores æstimant, facilius alios contemnunt, & iniurias eis irrogant. Facilius enim irascuntur, vtpote reputantes indignum quicquid contra eorum voluntatem agitur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd secundum Philosophum in septimo * Li. 7. ca. 6. in prin. to. 5. Ethicorum, ira non perfectè audit rationem. Et sic iratus patitur rationis defectum, in quo conuenit cum stultitia. Et propter hoc ex stultitia oritur contumelia secundum affinitatem, quam habet cum ira.

¶ Ad tertium dicendum, quòd secundum Philosophum in secundo * Li. 2. ca. 4. declinando ad fi. to. 6. Rheto. iratus intendit manifestam offensam, quod non curat odiens. Et ideo contumelia, quæ importat manifestam iniuriā, magis pertinet ad iram, quàm ad odium.

Summa Textvs.

Conclusio: Cōtumelia nascitur ex ira. Non quia sola superbia, aut odium, quo quis alterum contemnit, non sit quandoque sufficiens ad contumeliam: sed quia vitium inde censetur originem ducere, vnde, vt in plurimum, oriri consueuit: contumelia autē ex ira maiori ex parte nascitur, propter maximam cōnexionem, quam habet cum fine illius. Iræ nanque finis vindicta, atque vltio est, & nulla est propensior ac compendiosior via ad vlciscendum, quam contumelia. Qui enim potens non est, vt re se vindicet, aut id non audet, in contumelias statim prosilit. Vt fœminarum ingenium testimonio est, quæ verbis alium pessundantes, quadantenus animo satisfaciunt suo.

QVÆSTIO LXXIII.

De Detractione, in quatuor articulos diuisa.

Articvlvs I.

¶ Vtrum detractio conuenienter diffiniatur, quòd est denigratio alienæ famæ per verba.

AD Primvm sic proceditur. Videtur quòd detractio non sit denigratio alienæ famæ per occulta verba, vt à quibusdam diffinitur. Occultum enim & manifestum sunt circunstantiæ, non constituentes speciem peccati. Accidit enim peccato, quòd à multis sciatur, vel à paucis. Sed illud quod non constituit speciem peccati, non pertinet ad rationem ipsius, nec debet poni in eius diffinitione: ergo ad rationem detractionis non pertinet, quod fiat per occulta verba. Infra q. 74 ar. 1. & q. 75. arti. 1. co. Et Rom. 1. le. 8. cor. 4.

2 ¶ Præterea, Ad rationem famæ pertinet publica notitia. Si ergo per detractionem denigretur fama alicuius, non poterit hoc fieri per verba occulta, sed per verba in manifesto dicta.

3 ¶ Præterea, Ille detrahit qui aliquid subtrahit, vel diminuit de eo quod est. Sed quandoque denigratur fama alicuius, etiam si nihil subtrahatur de veritate: puta cum aliquis vera crimina alicuius pandit: ergo non omnis denigratio famæ est detractio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Sed Contra est, quòd dicitur Ecclesiastici decimo. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit: ergo occultè mordere famam alicuius est detrahere.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut facto aliquis nocet alteri dupliciter, manifestè quidem, sicut in rapina vel quacunquè violentia illata: occultè autem, sicut in furto & dolosa percussione: ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit. Vno modo in manifesto: & hoc fit per contumeliam, vt supra dictum * est. Alio modo occultè: & hoc fit per detractionem. Ex hoc autem quòd aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur eum parùipendere, vnde ex hoc ipso dehonoratur. Et ideo contumelia detrimẽtum affert honori eius, in quem profertur. Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis quam parùipendere: Vnde non directè infert detrimentum honori, sed famæ inquantum huiusmodi verba occultè proferens, quantum in ipso est, eos qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur. Hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur, detrahens, vt eius verbis credatur. Vnde patet quòd detractio differt à contumelia dupliciter. Vno modo quantum ad modum proponendi verba; quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur, detractor autem occultè. Alio modo quantum ad finem intentum: siue quantum ad nocumentum illatum: quia scilicet contumeliosus derogat honori, detractor, famæ.

Q. prec. art. 1.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd in inuoluntarijs commutationibus, ad quas reducuntur omnia nocumenta proximo illata verbo vel facto, diuersificant rationem peccati occultum & manifestum: quia alia est ratio inuoluntarij per violentiam, & per ignorantiam, vt supra dictum * est.

Q.66.art. 4.& 12.q. 6.art.5.& 8.

¶ Ad secundum dicendum, quòd verba detractionis dicuntur occulta non simpliciter, sed per cõparationem ad eum de quo dicuntur: quia eo absente & ignorante dicuntur. Sed contumeliosus in faciem cõtra hominem loquitur: Vnde si aliquis de alio male loquatur coram multis eo absente, detractio est: si autẽ eo solo præsente, contumelia est, quãuis etiam si vni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam eius nõ in toto, sed in parte.

¶ Ad tertium dicendum, quòd aliquis dicitur detrahere, non quia diminuat de veritate, sed quia diminuit famam alterius. Quod quidem fit quandoque directè, quandoque indirectè. Directè quidem quadrupliciter. Vno modo, quando falsum imponit alteri: secundo, quando peccatum adauget suis verbis: tertio, quando occultum reuelat: quarto, quando id quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirectè autem, vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo.

Svmma Textvs.

Conclusio D. Thom. est: Detractionem esse occultam denigrationem alienæ famæ per verba. Quam vt explicet supponit primo, quod quemadmodũ facto contingit alicui dupliciter nocere, scilicet, aut per manifestam vim, vt fit in rapina, aut per subdolam læsionem, vt fit in furto: ita etiam verbis vsu venit, quod quis lædatur, aut manifestè, vt fit in contumelia, aut occultè, vt fit in detractione. Secundo supponit, quod quia, qui in alterius conspectu manifestis verbis in eum inuehit, paruipẽdere eum se profitetur, quapropter honorem eius ex professo lædit: & qui in angulis absens aduersus quempiam obmurmurat, non tam vilipendere eum, quam vereri se ostendit, ob idque nihil contra eius honorem obmolitur, sed solum contra famam, hoc est, contra bonam æstimationem ab alijs de illo habitam, fit, vt contumelia, quæ manifestè lædit contra honorem, & detractio, quæ occultè fit, contra famam procedat. Et sic constat definitionem detractionis supetius positã esse conuenientem, vtpote quæ continet differentias superius positas inter contumeliam, & detractionem. Tum quantum ad modum: quia illa manifesta, & hæc occulta est, tũ etiam, quantum ad obiectum: quia illa honori, & hæc famæ contrariatur.

Ex-

Explicatio articvli

Detractio contrariatur famæ sicut contumelia honori.

Svpposito, quod honor atque fama differunt inter sese in eo, quod fama est bona opinio, quam alij habent de aliquo: honor verò est reuerentia quæ alteri exhibetur, propter aliquam eius excellentiam, vel in genere, vel in virtute, vel magistratu, vel in doctrina, vt sæpe diximus: atque etiam supposito, quod contumelia, & detractio his aduersantur; contumelia quidem honori, & detractio famæ: & explicatis eis quæ ad contumeliam pertinebant quæstione præcedenti: supereſt nunc agere de detractione famæ contraria atque aduersa, quę à D. Gregorio ponitur filia inuidiæ, & diffinitur, quod sit denigratio alienæ famæ per verba occulta. Ex qua definitione, vt Diuus Thomas aduertit in isto articulo duplex differentia colligitur inter ipsam, & contumeliam. Prima desumitur ex modo procedendi per verba. Et est, quod contumeliosus manifestè profert verba contra aliquem: detractor verò occultè. Secunda ex fine seu ex nocumento illato. Contumeliosus enim ex facto suo derogat honori, & detractor famæ. Eo ipso nanquè quod aliquis manifestè contra alterum verba contumeliosa profert, ipsum parùipendere ostendit, atque adeò infert detrimentum honori. Cum tamen eadem verba in occulto proferens: ipsum magis vereri quam parùipendere videatur. Et sic directè talis non infert detrimentum honori: sed magis quantum in se est facit, vt alij malam opinionem habeant de eo, contra quem ipse occultè loquitur: quod propriè pertinet ad detractionem. Conueniunt quidem in hoc contumelia, & detractio: quod per vtramque profertur malum de proximo. Sed differunt specie: quia distinctas inferunt iniurias, & distincta auferunt bona. Ex quo infertur, quod qui in alterum protuletit contumelias animo infamandi, duplicis malitiæ specie distinctæ peccatũ committet. Quare tenebitur confiteri circunstantiam detractionis, vt rectè docet Nauarro in Manual. capit. 28. numer. 12. Dicuntur autem contumelia, & detractio differre specie, non solum ratione obiectorum materialium, putà, honoris & famæ, quæ auferunt, vt multi falso opinantur: sed etiam ob rationem formalem diuersam inuoluntarij in vtroque inuentam, vt diximus supra quæstione 66. artic. 4. de furto, & rapina. Itaque quemadmodum quamuis tam raptor, quam fur alienum accipiat, adhuc tamen in furto dicitur homo pati inuoluntarium per ignorantium, & in rapina per vim, quæ secundum Aristotelem diuersæ sunt causæ inuoluntarij: & sic efficiunt peccata specie distincta, ità etiam in proposito, qui per acceptam contumeliam iacturam facit honoris, patitur inuoluntarium per vim: & qui accipit detrimentum famæ per detractionem, patitur inuoluntarium per ignorantiam, quę diuersas efficiunt rationes formales iniuriarum, & peccatorum. Quãdo autem dicimus, detractionem fieri per verba occulta, non loquimur de occultis simpliciter, sed de occultis ei, cui fit detractio: quia, scilicet, in absentia illius fuerũt prolata. Nec obstat, quòd ei postea à referẽtibus fuerint facta nota quominus habeãt rationẽ detractionis: quia hoc est per accidẽs: dummodo verba proferens non ea intentione illa dixerit, vt ad alterum deferrẽtur: quia tunc formaliter esset contumeliosus, vt diximus quæstione præcedenti. In solutione ad tertium argumentum enumerat D. Thomas modos, quibus potest fieri detractio. Nam, quia hæc nõ ex veritate, sed ex fama, quæ vel subtrahitur, vel minuitur, rationem habet, & hæc subtractio, vel minutio potest contingere multipliciter, fit, vt etiam modi detrahendi sint multiplices, atque diuersi. Sed reducuntur ad octo: quorum quatuor directè, & alij quatuor indirectè famam proximi, vel tollere, vel minuere habent. Primus ex ijs, qui directè nocent, & omniũ pessimus est, quãdo quis alteri falsum imponit. Secũdus quando vitium alienũ suis verbis exaugeт. Tertius quãdo occultũ crimẽ reuelat. Quartus quãdo id, quod bonum est, ostendere quis nititur, ex mala intẽtione fuit se profectum. Nam quamuis hoc ad temeritatem etiam iudicij spectet, vt rectè docet Caietanus in isto commento: quia tamen nihil prohibet, vnum atque eundem actum in duabus malitiæ speciebus simul constitui: fit, vt eadem verba, quæ sunt temeratij indicij, simul etiam sint detractoria. Imò, quia verba ex significatione considerantur, & vitia ex finibus proprijs iudicantur, quando aliquis ideò dicit bonum ab aliquo mala intentione factum, vt eius famę detrahat, constat ipsum non solum ex intentione esse detractorem, sed etiã verba ipsa secundũ suam significationem esse detractoria, quatenus significant alterum esse malum malitia morali. Hoc est, significant, illum habere malam intentionem etiam in bonis: quod est esse pessimum. Primus modus ex ijs, quæ indirectè nocent famæ, est cum quis aliena bona negat. Secundus, quando illa reticet, vbi manifestare debet. Quando enim me præsente de aliquo bonus sermo initur, quem

Differẽtia duplex inter detractionem & contumeliam.

Multiplicè ter potest fieri detractio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

constat me optimè nosse, & sileo: silentium ipsum meum subindicat, talem non esse tantæ laudis dignum. Quod est genus quoddam infamiæ. Tertius modus est, quando quis diminuit aliena merita. Quartus denique, quãdo alterum frigidè laudat. Qui modus infamiæ non est minimus. Vnde Fauorinus apud Gellium: Turpius, inquit, est exiguè atque frigidè laudare, quam insectãrer grauiterq; vituperare. Qui enim maledicit, quanto id acerbiùs facit, tanto magis pro iniquo inimicoque ducitur, tantoque minus fidem capit. Qui autem infacundè ieiunéque laudat, à cautâ ipsa destitui videtur. Nam amicus creditur eius, quem laudare vult, & nihil posse reperire, quod in laudibus ponat.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco: Vtrùm omnes isti modi detrahendi sint distincti specie, vel potius omnes pertineant ad vnum & eandem speciem specialissimam? Ad quod

Responsio. breuiter dico, quod omnes sunt eiusdem speciei. Existimo enim detractionis esse vnicam tantum speciem, cuius obiectum formale est infamia, quam quis per iniuriantiam patitur. Sicut & obiectum formale contumeliæ est honor per violentiã subtractus. Itaque, quemadmodum quæstione præcedenti diximus, contumeliam, conuicium, & improperium esse vnius & eiusdem speciei specialissimæ, propter vnam rationem formalem obiecti, quam habent: ita & in proposito. Poterit tamen in istis tantus inuenire excessus, vt ille in confessione veniat necessario explicandus. Qui enim de hæresi, aut de incestu, aut de quouis alio deformi peccato proximum infamasset, non satis peccatum suum explicuisset, dicendo se detractionem fecisse: nisi etiam simul declarasset peccati grauitatem, cuius notã alteri inussit. Qui infamat Deum,

Infamans Deum aut Sanctos magis blasphemat quam detractor. aut Sanctum aliquem canonizatum, aut creaturam aliquam rationalem, prout creatura est Dei: non tam est detractor, quam blasphemus: siue id faciat ad inhonorandum, siue ad infamandum, siue ad deridendum, & docendum, vt ex mente D. Thomæ docet Navarro in Manuali cap. 18. numer. 18. Etiam si angeli, & sancti canonizati nostri sint dicendi proximi, vt ex mente D. Augustini in lib. de doctrina Christiana, docet D. Thomas 2.2. quæst. 23. artic. 1. Ex dictis omnibus sequitur eum, qui seipsum infamat siue manifestando crimen occultum, siue falsum imponendo, non dici proprie detractorem, quidquid dicat Navarro loco citato. Quia nulla ex conditionibus ad detractionem requisitis ibi inuenitur, vt constat. An autem talis peccet, & quale peccatum committat, alterius negotij est explicare, quod à nobis in superioribus quæst. 62. in materia de dominio fuit late disputatum, & declaratum. Videte ibi.

Articvlvs II.

¶ Vtrum detractio ex genere suo sit peccatum mortale.

Loci supra art. 1. inducti.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur quòd detractio nõ sit peccatum mortale. Nullus enim actus virtutis est peccatum mortale. Sed reuelare peccatum occultum, quod sicut dictum * est, ad detractionem pertinet, est actus virtutis vel charitatis, dum aliquis fratri peccatum denuntiat, eius emendationem intendẽs: vel etiam est actus iustitiæ, dum aliquis fratrem accusat: ergo detractio non est peccatum mortale.

Ar. præced. ad 3.

2 ¶ Præterea, Super illud Prouer. 24. Cum detractoribus ne commiscearis, dicit * glos. Hoc specialiter vitio periclitatur totum pene genus humanum. Sed nullum peccatum mortale in toto humano genere inuenitur, quia multi abstinent à peccato mortali. Peccata autem venialia sunt quæ in omnibus inueniuntur: ergo detractio est peccatum veniale.

Glo. ordi. ibidem.

3 ¶ Præterea, Augustin. in homil. * De igne purgatorio, inter peccata minuta ponit, quando cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, quòd pertinet ad detractionem: ergo detractio est peccatum veniale.

Est sent. in dist. antecedenti. Et est sent. in ordinatum. 12. Et habetur 25. dist. c. vnum ex verum. Glos. Ordinaria ibid.

¶ Sed Contra est, quòd Rom. 1. dicitur: Detractores Deo odibiles. Quod ideo additur: vt dicit * glos. ne leue putetur propter hoc, quòd consistit in verbis.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum * est peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda. Detractio autem secundum suam rationem ordinatur ad denigrandum famam alicuius. Vnde ille per se loquendo, detrahit, qui ad hoc de aliquo obloquitur eo absente, vt eius famam denigret. Auferre autem alicui famam, valde graue est, quia

quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cuius defectum impeditur homo à multis bene agendis. Propter quod dicitur Eccles. 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quã mille thesauri magni & pretiosi. Et ideo detractio, per se loquendo, est peccatum mortale. Contingit tamen quandoque quod aliquis dicit aliqua verba, per quę diminuitur fama alicuius non hoc intendẽs, sed aliquid aliud. Hoc autem non est detrahere per se, & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens. Et siquidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium debitis circunstantijs obseruatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi leuitate vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi fortè verbũ quod dicitur, sit adeo graue, quòd notabiliter famam alicuius lædat: & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionẽ cuiuslibet rei subtractæ, eo modo, quo suprà * dictum est, cum de restitutione ageretur.

Q. 62. art. 2.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd reuelare peccatum occultum alicuius propter eius emendationem denuntiando, vel propter bonum iustitiæ publicæ accusando, non est detrahere, vt dictum * est.

In corp. art. & q. 67. art. 1.

¶ Ad secundum dicendũ, quòd glosi illa non dicit quòd detractio in toto genere humano inueniatur, sed addit, pene. Tum quia illustrorum infinitus est numerus: & pauci sunt qui ambulent per viam salutis. Tum etiam quia pauci vel nulli sunt, qui non aliquando ex animi leuitate aliquid dicant, vnde in aliquo vel leuiter alterius fama minoretur: quia vt dicitur Iacob. 3. Si quis in verbo nõ offendit, hic est perfectus vir.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Augustin. loquitur in casu illo quo aliquis dicit aliquod leue malum de alio, non ex intentione nocendi, sed ex animi leuitate, vel ex lapsu linguæ.

Svmma Textvs.

Svppositio quod detractio potest contingere dupliciter, scilicet, formaliter, & materialiter, formaliter est, quando quis de aliquo obloquitur eo absente, vt eius famam denigret: peccata enim verborum ex intentione dicentis dijudicantur: materialiter est, cum quis verba dicit, per quæ diminuitur fama alterius, non hoc intendens, sed aliquid aliud: respondet D. Tho. ad propositam difficultatem per quatuor propositiones. Prima conclusio: Detractio formalis ex genere suo est peccatum mortale. Probatur: Illud vitium est mortale, quo in re magni momenti proximus læditur: sed tale est detractio, qua proximi fama obnubilatur, quæ maiori pretio habetur, quam exteriora bona, iuxta illud Eccles. 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri boni, & pretiosi: ergo detractio formalis ex genere suo est peccatum mortale. Et est aduertendum, quod dicitur quis ex intentione detrahere, non solum quando directe, id animo proponit, verum etiam quando animaduertit, quod dicit, & nihilominus sine legitima causa verbum profert. Secunda conclusio. Qui materialiter detrahit, hoc est, dicit verba aliqua detractoria, sine animo, & intentione nocendi: si propter aliquod bonum & debitis cum circunstantijs id facit: vt contingit in accusatione, vel denunciatione, nullum peccatum committit, sed bene facit. Hæc conclusio relinquitur tanquam certa ex superioribus. Tertia conclusio: Qui materialiter detrahit, si ex animi leuitate, aut libidine loquendi, aut denique propter aliquam causam non necessariam id facit: vt in plurimum peccat venialiter: Nisi forte verbum adeò sit acerbum, vt notabiliter famam alterius lædat. Tunc enim ratione nocumenti illati erit peccatum mortale. Quarta conclusio. Quicunque alteri famam iniquè iustulit, tenetur ad restitutionem, eo modo, & ordine, quo supra dictum est in materia de restitutione.

Explicatio Articvli.

Detractio ex genere suo est peccatum mortale.

Resolutio D. Thom. in isto articulo est, formalem detractionem, quæ contingit quando quis ex intentione lædendi proximum in fama, eo absente peccata aut defectus eius manifestat: ex genere suo esse peccatum mortale, quamuis ex leuitate ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

teriæ posit fieri veniale: detractionem tamen materialem, hoc est, non animo detrahendi regulariter & ex genere suo, non esse mortale, quamuis per accidens, hoc possit illi conuenire. Tunc, scilicet, quando notabiliter læditur fama proximi eius criminis manifestatione: quod ex sua ipsius ratione secum affert mortalem culpam. Tunc enim adeo requiritur prudentia, atque cautela, vt quæuis negligentia loquendi, nisi subitus sit motus, mortale efficiat crimen. Et aduertit Caietanus, non lædi famam proximi notabiliter ex hoc, quod narretur secretũ crimen eius tali personæ, apud quam perinde etit, ac si non esset dictum, vt contingit in colloquijs inter virum, & vxorem, de criminibus filiorum, & confessionibus eorum, qui confitentes peccata propria dicunt imprudenter confessori, in quo confidunt, personam, cum qua grauissime peccauerunt, & similibus. Ex his enim aut non læditur fama proximi, quia quærunt magis tegere scientes, quam vt etiam quis hæc suspicetur. Vel parum læditur: & sic non est peccatum mortale. Cæterum Soto libr. 5. de iustitia quæstion. 10. artic. 2. falsam existimat hanc sententiam Caietani, quantum ad id, quod affirmat non esse infamiam mortalem, cum quis occultum alienum crimen vni cordato viro secreto detegit, apud quem ità celabitur, ac si muto dictum fuisset. Quod ego similiter vetum existimo, propter rationem ab ipso Soto adductam. Nullus enim sanæ mentis erit, qui nolit suum grauissimum crimen, quantum attinet ad læsionem famæ, potius celari vni viro grauissimo, quam tribus, aut quatuor hominibus de media plebe. Nam quamuis ex vna parte maius periculum immineat, quod ab istis euulgabitur, quam ab illo: ex altera tamen pluris quisque facit in bona esse existimatione apud vnum virum grauissimum, quam apud plures alios minoris autoritatis. Et in præsenti tantum loquimur de nocumento in fama illato. Ex quo infertur, pessimè ac nocentissimè illos facere, qui, nisi vrgens sit causa corrigendi fratrem, vel vni, quantumuis prudenti viro, occultum alienum crimen reuelant. Nam quamuis is in suo id pectore reconditum seruet: apud ipsum tamen alius magnum sui honoris ac famæ patitur detrimentum.

Sententia Caietani.

Sententia Soti ver.a.

¶ Multa in isto articulo essent dicenda, nisi ea à nobis supra quæst. 62. artic. 2. cum de restitutione famæ esset sermo, fuissent pertractata. Cæterùm, quoniam plura adhuc desiderantur, quæ sunt propria huius loci, ea pro complemento totius materiæ suo ordine explicabimus. Et vt à difficilioribus incipiamus, sit prima difficultas: Vtrùm reuelans peccatum alterius confessario, non potens aliter suum crimen manifestare, sit dicendus detractor, saltim materialiter, aliquodque peccatum committat? In qua re, vt certa ab incertis seperamus, dico primò, certum esse, quod si ex tali reuelatione criminis aliquod sequitur vel scandalum, vel peccatum, vel damnum corporale, aut temporale eius, qui peccatum commisit, aut alterius, nulla ratione est licitum illam facere. Imò, si ex tali manifestatione aliquid huiusmodi timetur, ad nullam interrogationem à confessario factam poterit pœnitens respondere, nisi generaliter, quod peccauit, vel cum consanguinea, vel cum Ecclesiastico. Et si ex huiusmodi generali criminis manifestatione, adhuc idem detrimentum timetur, occultandum erit omnino id peccatum, alijs duntaxat expressis cum intentione, quam primum potuerit, illud crimen, vel circunstantiam cum alijs, quæ postea commiserit confitendi: Estque hoc intelligendum, quando pœnitens obligatur talem confessionem facere, vel vt Eucharistiam suscipiat, vel ad vitandum scandalum, quod ex eo quod non susciperet sacramentum sequeretur. Nam si confessio non esset necessaria, illam omnino prætermittendi esset præceptum. ¶ Dico secundo etiam esse certum, quod si est alius confessarius qui personam non cognoscat, tenetur pœnitens cum illo integram facere confessionem. Et si ad id licentiam non habet, eam petere à proprio parocho. Nec eo ipso, quod talis casus insurgit habet pœnitens facultatem, cum quo voluerit confitendi, vt docent Paludanus, Adrianus, & Nauarrus locis infrà citandis, Requiritur enim ad absoluendum à quibuscunque peccatis mortalibus iurisdictio in confessario. Et hanc nullus, nisi proprius parochus, vel alius ex eius commissione habere potest. Dico tertio, etiam esse certum, quod nulli licet in confessione alterius crimen reuelare proprio nomine ex presso, aut gradu, aut dignitate, quando id ad proprij peccati manifestationem non fuerit necessarium. Et qui secus fecerit detractionis peccatum committet, tanto grauius quanto crimen, quod aperit, grauius fuerit. Itaque hæc certa sunt.

Primũ dubium de reuelãte peccatum alterius in confessione. Primum dictum certũ

2. Dictum certum.

3. Dictum certum.

¶ Sed dubium est, an quando ex manifestatione mei criminis, aut alicuius circunstantiæ ex ijs, quæ necessario sunt in confessione explicandæ, alterius certæ personæ peccatum à confessario cognoscitur: & non est copia cum alio confitendi, vel, quia est articu-

Patitur difficultatis.

articulus mortis: vel parochus abest: vel si est præsens, non vult dare licentiam: ponamus etiam quod quamuis pœnitens mutet habitum, vt dicit Caietanus, id non sufficiet, quia parochus vult cognoscere, an sit eius ouis, eamq; videre: & deniq; quod nullum aliud est remedium ad occultandum crimen alterius, quam proprium tacere: & item ponamus, quod nec illi, cuius crimen in confessione detegitur, nec alteri aliquod sequetur nocumentum ex tali confessione, aut in vita, aut in honore, aut in bonis temporalibus, vlcra leuem illam infamiam, quæ consurgit in corde confessarij, complicem pro malo, & iniquo reputantis. Est inquam dubium, an in hoc casu, non potenti aliter suum crimen detegere, quam reuelando crimen alterius confessario, sit licitum illud dicere, ad idque teneatur, vel potius peccet in tali reuelatione. Viguerius videtur dicere, omittendam esse tunc totam confessionem, & sine illa communicandum, si currit præceptum, quia vtendum est eo tempore regula de non habente copiam confessoris. Sed hoc est apertè falsum, cum præceptum seruari debeat quoad potest: vt communiter dicunt Doctores in materia de confessione. Canus atque Ledesma existimant, saltem in articulo mortis esse licitum detegere complicem, qui tunc infamiæ iacturam tolerare debet, vt proximus liberetur ab ea necessitate. Sed etiam hæc sententia est falsa. Nam si alio tempore salubris est confessio, sine illo peccato, aut circunstantia facta, cur etiam non erit salubris in articulo mortis? Et si tunc est consilium, talem circunstantiam confiteri, cur non etiam extra articulum illum. Omnes enim rationes, quæ probant tacendum esse, de omni tempore probant, aut de nullo. Nec ratio Cani aliquid valet. Nam pœnitens, nec liberatur à morte corporali per illius circunstantiæ manifestationem, nec ab spirituali, cum licitè taceat, & gratia sacramenti nõ fraudetur, confitendo alia mortalia, vel etiã vnum veniale.

Sententia D. Tho. & aliorum.

¶ De proposita ergo difficultate sunt duæ opiniones extremæ. Vna quæ affirmat non solum esse licitum, verùm etiam necessarium, regulariter loquendo, circunstantiam illam personæ confiteri, si mutat speciem, aut secundum alios, si aggranat notabiliter. Hanc tenet Diuus Thomas in 4. distinct. 16. quæst. 3. artic. 2. quæst. 5. ad 5. & opuscul. 12. artic. 9. Alexand. 4 p. quæst. 77. memb 2. artic. 4. Bonauent. distin. 21. in 2. parte distinctionis. artic. 1. quæst. 3. in corpore. & p. p. opusculorum titulo de modo confitendi. cap. 1. Paludan. in 4. dist. 21. quæst. 5. art. 2. conclusione 2. & distin. 16. quæstio. 3. artic. 3. ad 2. Ricard. dist. 21. quæst. 2. art. 5. Henri. quodlib. 3. q. 23. Durandus dist. 16. quæst. vltima, numer. 8. Gabriel dist. 17. quæst. 1. conclusione 5. Antoninus 3. p. titulo 14. capi. 19. §. 11. Medina. Cod. de confessione. cap. de circunstantia temporis & loci. ad finem. Adrian. in 4. quest. 1. de confess. §. sed oritur ex his. Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. ad 4. Syluester verbo. confessio. 1. quæst. 24. Gerson Alphabeto. 41. litera. L. & Alphab. 42. lit. F. Rosella. verbo. confessio. 1. §. 6. Almaynus in 4. dist. 17. q. 1. artic. 2. Et probari potest hæc sententia pluribus argumentis. Primo sic: Qui vtitur iure suo, nulli facit iniuriam: maximè si eo vtatur sine notabili detrimento tertij, sed qui integre omnia sua peccata confitetur, explicando circunstantias personarum in casu posito, vtitur iure suo: ergo nulli facit iniuriam, atque ex consequenti licitè id facit. Consequentia est nota, & maior est principium iuris, vt constat ex cap. cum Ecclesia. de electione. & ff. de regulis iuris, in regula: Nullus videtur. & regula. Nemo damnum. & regula. Factũ suum. §. non videtur. & ibi Glossa. & Philip. Decius, minor autem probatur: Si confessarius non haberet notitiam personæ per circunstantiam explicatæ pœnitens haberet ius ad illam declarandam: sed propter cognitionem personæ pœnitẽs non amittit suum ius, maximè cum ex sua confessione notabile detrimentum complici non sequatur, vt supponimus. ergo illo vti potest.

1. Argum.

¶ Secundo: Nullus tenetur ius suum, & vtilitatem dimittere, pro vitando paruo damno proximi: imò nec pro vitando maximo, si principuum quod intendit nõ est nocere, sed ius suum, & vtilitatẽ persequi: possum enim ego in domo mea fenestras aperire, quamuis ex hoc vicinus damnum sequatur, modò publica via mediet: & similiter possum parietes erigere, quamuis ex eis defectum lucis vicinus patiatur: item mercator, licitè vendit merces suas minori pretio quamuis ex hoc damnũ minoris lucri alijs sequatur: præterea ecclesiastici, & priuilegiati licitè gaudẽt suis priuilegijs ementes & vendentes, sine aliquo tributo, aut ligna scindentes, vel aliud quid simile facientes, iuxta tenorem priuilegij: esto ex hoc detrimentum alijs resultet: quia id nõ intendunt, sed tantum vti iure suo, propriam que vtilitatem persequi: similiter aduocatus potest licitè clientem suum patrocinari, vel matrimonium tractare, modò negotium sit licitum: quamuis ex hoc graue damnum, aut in honore, aut in rebus proximis resultet, quia vtitur iure suo: & deniq; quisque, sine in iudicio, siue extra ius suum, & vtilitatem perse-

2. Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

persequens, potest licitè vel denunciare, vel accusare crimen occultum proximi, modò probari possit: quamuis ipse ex hoc grauissimum nocumentum, siue in honore, siue in rebus patiatur, vt diximus in superioribus: ergo pari ratione, possum ego vti iure meo, in meam vtilitatem integrè in confessione omnia peccata cum suis circunstantijs explicare: quamuis ex hoc aliquale detrimentū in honore proximo sequatur. Maxime cum ipse fuerit in causa, culpamque commiserit, propter quam ex prosequutione mei iuris suæ famæ detrimentum sibi immineat. Ex hoc infertur, quod si licet in confessione eam circunstantiam dicere, quæ confessarius veniat in cognitionem culpæ & personæ alterius: etiam erit necessarium id facere. Semper enim, quod id, quod præcipitur, cadit sub potestate, & iurisdictione præcipientis, & est licitum cum omnibus suis circunstantijs, subditus tenetur parere, illudque adimplere, si potest sine graui suo, aut alterius detrimento, vel in persona, vel in honore, vel in rebus. Imò tanta poterit esse vis præcepti, siue diuini, siue humani, vt illud adimplere subditus teneatur, etiam cum manifesto periculo vitæ suæ, aut alterius: vt explicant Soto libro 1. de iustitia quæst. 6. artic. 4. & Caietanus 1.2. quæst. 96. artic. 4.

Sententia Marsilij & aliorum.

¶ Altera sententia est in alio extremo, quæ affirmat nulla ratione esse licitum, explicare in confessione illam circunstantiam, qua confessarius deueniet in cognitionem peccati, & personæ proximi, etiam si ex hoc nullum aliud detrimentum sequatur, quam leuis infamia, quæ consurgit in animo confessarij, reputantis illum pro iniquo & malo. Hanc opinionem tenet Marsilius in. 4. quæstio. 12. artic. 1. dub. 1. in quadam responsione ad 6. argumentum fol. 575. Nauarro in Manuali cap. 7. numer. 2. sequutus Innocentium. & Hostiensem in capit. omnis. de pœnitent. & remiss. Cano in relectione de pœnit. p. 5. Quamuis moderetur illam, vt intelligatur, quando iactura famæ proximi apud confessarium fuerit mediocris. Nam si fuerit minima, secundum qualitatem personæ ad arbitrium boni viri, tenebitur pœnitens tunc peccatum cum sua circunstantia confiteri. Vt si, verbi gratia, vir iuuenis, & secularis cum virgine fornicatetur: tunc si fœmina non potuisset suum delictum manifestare, nisi confessarius simul intelligeret talem iuuenem fuisse complicem: tenebitur adhuc fœmina peccatū confiteri: quia minima, & ferè nulla est infamia, quæ ex hoc facto viro resultat. Cæterum iuuenis non poterit licite ità confiteri, vt confessarius veniat in cognitionem fœminæ: quia infamia quę inde illi resultat, est notabilis. Hāc eandem sententiam tenet Bart. Medina li. 2. suæ summæ capit. 4. § 1. & omnium nouissimus Dominicus Bañez super 2. 2. D. Thomæ quæstio. 33. artic. 8. dubio 8. in prima parte illius, qui adducit pro eadem Caietanum. Sed certè fallitur: potius enim videtur fauere contrariæ sententiæ, in summa, verbo. confessio. condi. 3. Vbi dicit, quod si sit vir bonus confessor, & de quo non est suspicio futuræ infamiæ, potest explicari talis circunstantia. Et idem expressius affirmat in opuscul. quodlibet. 2. responsione 5. ad fratrem Cherubin. Si aliquando Caietanus huic sententiæ fauorem dedisse est dicendus, est in isto articulo, vbi dicit non lædi famā proximi notabiliter, per hoc, quod narretur secreto crimen eius tali personæ, apud quam perinde erit, ac si non fuisset dictum. Vt contingit in confessionibus eorum, qui confitentes peccata propria, dicunt imprudenter confessori, in quo confidunt, personam, cum qua grauissimè peccauerunt. Quibus verbis videtur significare, esse peccatum, quamuis non mortale, peccata aliorum in confessione explicare.

Sententia autoris. Non est in confessione explicanda circunstantia quæ confessarium veniat in cognitionē alterius.

¶ Mihi ex his sententijs hæc secunda videtur longè verior, atque securior: quamuis etiam prima sua probabilitate non careat. Quam præcipuè facit tot virorum doctissimorum vnanimis consensus, qui apud me (qui nulla ex parte cum minimo eorum sum comparandus) maximè in materia morali, plurimum valet. Sed probatur multis, & efficacissimis rationibus secunda opinio. Primo sic: Quando ex confessione mei criminis, aut alicuius circunstantiæ illius, imminet mihi, aut alteri graue aliquod damnum, siue in persona, siue in honore, siue in bonis, licitè possum illud tacere, vt ex mente omniū in principio huius difficultatis pro certo supposuimus: ergo & quando imminet proximo leue aliquod damnum, quale dicitur esse illud infamiæ, quod resultat in animo confessarij. Probo consequentiā: Nam eodem iure naturæ quo prohibemur vitare in nostris operibus damnum proximi graue, prohibemur etiam vitare quodcunque aliud leue, atque ex consequenti si confessio cum graui damno proximi est culpabilis, cum leui etiam culpam habebit: & solum erit differentia quantum ad hoc, quod est magis, aut minus culpabilis, pro ratione nocumenti inde subsequuti. Secūdo: Quando in vno & eodem casu duo præcepta concurrunt, quæ simul seruari non possunt, id solum obligat quod

quod maius est, & minus amittit suam vim, pro illoque tempore obligationem non inducit, iuxta regulam positam in capitul. duo mala. & in capit. Netum. 13. distin. vbi habetur: ex duobus malis minus est eligendum: constat autem, quod quando duo præcepta pro eodem tempore cōcurrunt, minus malè est, minus non adimplere, quā malus: sed in casu, quo homo suum peccatū confiteri non potest sine infamia proximi, cōcurrunt duo præcepta, vnum naturale, nullum nocumentum siue graue, siue leue proximo inferēdi, in honore aut in fama, alterum integrè confitendi. Quorū primū maius est, & minus dispensabile, vt potè quòd ad legem naturalem spectat; nā secundū solū est de lege diuina positiua, quæ naturalem non tollit: quod enim pro charitate institutum est contra charitatem militare non debet, vt dicit D. Bernardus in li. de præcepto & præcepti dispensatione, litera. F. ergo solum primum præceptum est tunc seruandum atque ex consequenti non confitendum peccatum, cum infamia proximi. Et confirmatur: Regulā communis est inter Theologos, quod præcepta, quæ solum sunt diuina positiua, regulariter loquendo, non adeò strictam inducunt obligationem, vt cum iniuria graui, vel leui legis naturalis, aut cum nocumento iuris, aut vtilitatis proximi, sint obseruanda. Hæc enim ratione dicimus, præceptum omnibus conferendi baptismum, quod maioris necessitatis est paruulis aliud remediū non habentibus, quā adultis, confessionis, sine qua in actu, per solam cōtritionem, in casu necessitatis salutem consequi possunt, contra voluntatem parentum infidelium, non esse adimplendum. Quare huiusmodi pueros infideliū, inuitis parentibus baptizandos non esse, suprà late ostendimus ex mente D. Thomæ in primo tomo. quæstione 10. artic. 12. Est etiam contra legem naturalem patriæ potestatis, vt filijs, parentibus inuitis, ex legis professio tribuatur, quam ipsi eligere non possunt: sed præceptum intelligere confitendi peccata cum omnibus suis circunstantijs, solum est diuinum positiuū, vt de se patet: ergo non obligat ad sui obseruantiam cum iniuria leui, aut graui legis naturalis, de conseruanda fama proximi. Item: Qui emisit votum castitatis, si postea vxorem ducat, tenetur coniugale debitum soluere ne iuri vxoris noceat. & qui vouit religionem, non tenetur illam ingredi, quoadusque creditoribus satisfaciat: id. posset efficere non poterit, aut si ad pauperum parentum sustentationem fuerit necessarium, vt in seculo maneat: nec huius rei alia ratio potest assignari, nisi quod lex naturalis præcipit, tam debita soluere, quā in casu necessitatis parentibus subuenire, cui per ingressum religionis in casu posito derogatur: ergo pari ratione, quā uis sit præceptum diuinum de facienda integra confessione ad quod est necessarium, vt omnes circunstantiæ speciem mutantes, aut notabiliter aggrauantes exprimantur, si ex hoc sequitur nocumentum proximi, quod lex naturalis inferre prohibet; ab illa erit supersedendum: vel si hoc fieri non potest explicanda est peccata illis circunstantijs non expressis, ex qua um notitia iniuria alteri accrescit, ne lex naturalis violetur. Vltimò: Nō potest aliquis citra culpam mortalē occultū alienum crimen vni cordato viro secreto detegere, & si apud illum ità celabitur, ac si muto dictū fuisset, vt ex mente Soti, in principio huius articuli, diximus cōtra Caietanū. Nec huius rei aliam rationem assignauimus, nisi quod quisque sanæ mentis pluris facit in bona esse æstimatione apud vnum virum grauem, quā apud plures alios minoris auctoritatis: sed hoc idem nocumentū sequitur ex eo, quod quis circunstantiā confiteatur, ex qua cōfessarius in notitiam alicuius grauis criminis & personæ quæ illud committit, deueniat: ergo non est hoc existimandum pro tum inconueniens, atque ex consequenti non est licitum illud facere, placet quidem mihi moderatio à Magistro Cano posita, de qua mentionem fecimus referentes autores, qui hanc nostram sententiam tenent. Cæterum illius ratio est, quod fœmina non potest explicare suum crimen, nisi confessarius simul intelligat quis sit iuuenis, qui cū illa occubuit, & ex talis circunstātiæ declaratione, aut minima, aut nulla, sequitur infamia iuueni: Ex vbi non est infamia quæ apud homines in pretio habeatur, certū est, non esse peccatum, ulterius crimen manifestare, vt ex dictis patet.

¶ Et ad primum argumentū pro cōtraria sententia factum, respondetur concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, falsum esse, quod per cognitionem, quam cōfessarius habet de complice, non amittit pœnitens ius, quod habet ad integre confitendū omnia sua peccata, cū omnibus suis circunstantijs. Nam cū nullus habeat ius alterū nocēdi, & ex illa notitia cōfessarij necessario sequatur nocumentum proximi, fit, vt ea sola ht sufficiens, tollere ius, quod pœnitens habebat ad confessionem taliter faciendā, ius enim gratiæ tollitur per ius naturæ. ¶ Ad secundū argumentum vt respondeamus, dico primo, quod si illud aliquid valeret, pari ratione cōuinceret, esse licitum nimo necessarium, confiteri omnia peccata cum omnibus suis circū stantijs;

Ad 1. arg.

Ad 2. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantijs,etiã quando ex tali cõfessione grauissimum aliquod damnum siue in vita, siue in honore,siue in diuitiis proximo sequeretur, cuius cõtractum ex mente omniũ Doctorũ in principio huius difficultatis pro certo supposuimus.Nam cũ vnicuique liceat,ius suũ, & vtilitatem persequi, etiam cum grauissimo proximi detrimento, vt ex exemplis in argumẽto adductis colligere licet,fit,vt si pœnitens habet ius in eo casu integrè confiteri,ob nullum alterius damnum illud dimittere teneatur.Dico secũdo,falsum esse,quod pœnitens in casu argumenti habeat ius ad confitendas circunstãtias,ex quibus alterius infamia sequatur.Nã cum nullus habeat ius alteri nocendi,etiam ob propriã vtilitatem, nisi ea vtilitas sit talis,vt ex iustitia sit ei debita;quod cõtingit in omnibus instantijs positis in argumento,fit,vt ob consequendam propriã vtilitatẽ,alteri nocere nõ possit.Eo vel maximè,quod pœnitens ex eo,quod circunstantiam occultet,qua alteri infamia irrogatur,nec detrimentum patitur, nec ab aliqua vtilitatis acquisitione impeditur,cum eandem prorsus gratiam,quam consequeretur per sacramentum pœnitentiæ, omnibus peccatis,& circunstantijs expressis,qconseua tur etiã omissa illa,ex qua damnũ resultat,vsque ad tempus, quo eam sine præiudicio tertij possit confiteri.Si in aliquo casu argumentũ propositum videretur habere difficultatẽ,est in eo,quo pœnitẽs non obligatur cõfiteri peccata,& vult id facere in propriam animæ vtilitatem,à qua frustratus,dum sacra meutũ nõ suscipit,nec illud potest suscipere vt diximus,si ad illius integritatem requiritur,quod ea peccata vel circunstantiæ explicentur, ex quorum cognitione proximi fama apud confessarium, detrimentum patitur. Cæterùm nec hoc impedit, quo minus nostra sententia sit vera,si quidem,vt paulò antea dicebam non potest semper homo suã vtilitatem persequi, sed tunc tantum,quando id sine iniuria alterius fieri potest,aut vtilitas est debita ex iustitia,quorum neutrũ inuenitur in proposito.

2. dubium de dicente peccatum notorium.

¶Secunda difficultas est,Vtrùm dicẽs id peccatum,quod notorium est, siue facto siue iure, peccet mortaliter. Verbi gratia. Habet quis læsam famam apud multos de ciuitate, vel quia peccatum ab ipso factum est publicum,quod appellatur notorium notoreitate facti:velquia publicè propter illud fuit punitus,quod appellatur notorium notorei te iuris. Dubium est an narrans illud,eis,qui nesciebant,peccet mortaliter.

Sententia Syluestri.

Syluester,verbo, detractio.quæstione 1.partem tenet affirmatiuam.Nisi fortè peccatum ità esset notum, vt statim, etiam eo, qui narrauit, tacente,deuenire deberet in notitiam eorum, quibus narratur.Et probari potest hæc opinio isto argumento: Ille, qui, in casu posito,facto vel iure habet famam læsam, respectu eorum,quibus narratur peccatum;ita habet bonam æstimationem, ac si nihil turpe fecisset:ergo illud referens, respectu taliter audientium,ità est detractor,ac si crimen omnino esset secretum,atque ex consequenti peccat mortaliter.

Argu.

Sententia Nauarri.

Contrariã sententiam tenet Nauarro in Manua. capitu. 18. nume. 26.Cuius verba sunt,quæ sequũtur:Decimo quinto peccat, qui peccatum verum mortale secretum alterius detegit inordinatè,ni si aliqua circunstantia excuset à mortali. Et dixi secretum, quia detegere notoria facti vel iuris,vel famosa, sine mala intentione nocendi, non est peccatum saltem mortale:quamuis illi,quibus deteguntur,ea ignorent,nec in regione, vbi deteguntur,scirentur. Vt si quis in Lusitania diceret, illum, vel illum in Castella fustibus fuisse ictum, etiam si ille sit in Lusitania præsens,& ab eis, quibus dicitur cognoscatur. Hæc Nauarro. Citatque pro eadem sentẽtia Caietanum.tomo.2.opuscu.tract.31.responsione.9.& Ioãnem de Maioris in 4.dist.21.q.2.

¶ Cæterum,vt in re tanti momenti,& quæ quotidie habetur ptæ manibus, explicanda recto ordine procedamus,dicam prius, quæ certa sunt apud omnes, dicturus postea ea, in quibus est controuersia apud Doctores. Hunc enim modum procedendi semper existimaui conuenientissimum, & explicandis difficultatibus, maximè in moralibus, tot doctissimorum virorum sententijs inuolutis,aptissimum, & clarissimum. Dico ergo primò,certum esse, quod miscere colloquia inter conciues, aut familiares de peccatis proximorum tam dicentibus, quam audientibus notis ex se nec est bonum,nec malum, sed ex intentione,& fine colloquentium redditur id opus aut honestum, aut vituperabile.Si enim narrentur ea peccata ob bonũ finẽ,vt scilicet, alij ab eis abstineãt exemplo eorum, qui ceciderunt, aut suorum criminum pœnas dederunt, opus est laudabile, atque honestum, vtpote, quod cedit in gloriam Dei,& proximorum vtilitatem. Si verò talis commistio colloquiorum fiat, siue ex curiositate, siue ex lenitate,aut ociositate, alio ve inutili fine, erit peccatum veniale, vt in specie docet Cord.in tract. de detractione memb. 4. quæstione secunda conclusi.6.Et ratio huius est: Quia cum tunc nulla fama lædatur, quæ iam læsa non fuerit, etiam apud eos, quibuscum loqui-

1. dictum certum.

loquimur,nulla relinquitur malitia in opere,nisi illa venialis,quę desumitur ex fine.Sic que frequẽtissimè contingere solet etiam in colloquijs timoratorum hominum. Si autẽ colloquutio fiat ex praua intentione,vt scilicet, mala de proximis opinio renouetur, sicque eis in fama & honore noceatur, peccatum est mortale formalissimæ detractionis,vt de se patet. ¶ Dico secundo,etiam esse certum,quod qui manifestat delictum illius,qui per publicam sentẽtiam est infamia notatus,siue in eodem oppido, siue in diuerso, non peccat contra iustitiam: atque ex consequenti nec ad aliquam tenetur restitutionem.Ex quo enim aliqui publicè sunt notati,iam amiserunt iura secreti: atque adeò per hoc quod eorum delictum manifestetur, iustitia violari non potest. Eo vel maximè, quod iudicum, ac legum talem pœnam imponentium intẽtio est,vt omnibus innotescat,vt docẽt Mercad cap.11.§. es tambien. & Iosephus Angl.in floribus.4.sentent. qu. de restitutione famæ dubio 4. Qui etiam dicunt primam,& præcipuam pœnam taliter condemnatorũ esse infamiam. Nam flagella, mutilationes,mori,truncari, vel dolores sentire,commune est atque naturale omni animali: erubescere autem, & honorem amittere est proprium hominis:& ob id leges præcipuè voluntẽ in honore & opinione punire.Ex quo etiam fit,vt non in carcere,nec in nocte,sed in die,& in medio populo,& in ferijs celebrioribus iustitia fiat. Itaque quẽadmodum,si quis per sententiam iudicis ita damnaretur ad diceptionem bonorum,vt singulis illa capere volentibus essent exposita, qui illa auferret ad nullam teneretur restitutionem,quia iuste ille bonorum suorum dominio priuatur. Pari etiam ratione,qui manifestat delictum illius,cuius infamia iure,& vt cæteri audientes pertimescant,est veluti expositus omnibus denudandus,non peccat cõtra iustitiam,nec ad restitutionem tenetur. Nec refert quantum ad hoc, an bono, vel malo animo id fecerit.Nam ad rationẽ iniustitiæ impertinens est malus animus, quãuis nõ ad rationẽ peccati.Sed est hoc intelligendum,modò delictum,quod manifestatur,sit idem propter quod quis infamia est notatus. Nam qui diffamatũ in vno genere vitij, vel in pluribus,diffamaret in altero,de quo bene audit,non solum peccaret mortaliter,sed etiã teneretur ad restitutionem,vt diximus supra quæstione 62.articulo 2.dub 3.circa solutione ad secundum argumentum D. Tho.

2. dictum certum.

3. dictum certum.

¶ Dico tertio etiam esse certum, quod qui manifestat alicui id peccatũ proximi, quod nõ iure,sed facto est notorium:vt si, Verbi gratia est aliquis in ciuitate de aliquo crimine infamatus,non quia per publicam sententiam de eo fuit conuictus,sed quia ipso dãte occasionem, in notitiam fere omnium aut maioris partis populi,peruenit, vel quia ipse scilicet,egreditur,& ingreditur domũ alicuius mulieris, vel aliud quid simile facit cũ ctis vicinis videntibus, & scientibus,ex quo ortum habuit vt factum illud paulatim fuerit euulgatum,narreturque inter omnes,talis,in quã, qui huiusmodi peccatum nescientibus manifestat,nec peccat contra iustitiam, nec ad aliquam tenetur restitutionem. Ex quo enim peccatum factum fuit publicum amisit peccator iura secreti,sibique debet imputari,qui causam dedit. Fateor quidem,quod si ob meum dictum,crimen illud plus notabiliter publicatur, aut aliud detrimentum peccanti euenit,pecco cõtra charitatem.Sed quod affirmo est,tale peccatum non esse contra iustitiam.Nam cùm iam fama illius,apud omnes,vel maiorem partem sit læsa,vel certè de facili possit delictum ab omnibus sciri, si velint, quia omnium ore circunfertur,fit, vt nihil ab eo contra iustitiam auferatur. Si peccatum tale esset,quod difficile posset in illius vel illorum, quibus narratur cognitionem venire,vel quia in loco remoto,vel in eodem, sed à longo iam tempore fuit perpetratum, re vera peccaret contra iustitiam illud reuelans. Oblitum enim iam delictum,nec per sententiam punitum,nullus habet ius reuelandi: atque adeò contrarium faciens peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem.Itaque hæc certa sunt.

Punctus difficultatis.

¶Sed dubium est,an qui dicit id peccatũ, quod notorium est,siue facto,siue iure, illis, qui illud ignorant,peccet mortaliter contra charitatem. Et similiter potest esse dubium de numero hominum,qui sufficient ad hoc vt delictum ab ipsis cognitum notoriũ dicatur notorietate facti.De vtroque enim non leuis est concertatio inter Doctores.Ad quorum explicationem dico primò, meo iudicio non esse dubitandum,quòd qui alicuius peccatum siue iure,siue facto sit notoriũ, ignorantibus manifestat:nisi ex bona intentione id faciat,iuxta explicata in primo dicto ex ijs,quæ in principio dubitationis pro certis supposuimus,semper peccat,saltim venialiter.Contra rationem enim esse videtur, vt quis alterum,licet infamatũ,denuo infamet, eiusq; vulnera innouet.Mortaliter autem talem peccare puto,quotiescunque ex intentione detrahendi id facit,vt supra dicebam, vel saltim quando ex tali loquutione notabile proximo nocumentum infertur,vel in fama: quia plus notabiliter eius crimen manifi-

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nifestatur, vel in alijs rebus. Contra charitatem enim est manifeste, vt quis causam damni det, quod vitare potest. Et quantum ad hoc vera est sententia Syluestri in principio dubitationis à nobis proposita. Ad quem etiam modum est intelligendus Soto, libro 4. de iustitia. quæstione 6. articulo tertio ad 4. quando dicit, esse contra charitatis iura, vt quis, ei, qui nescit, talem hominem prodat. Secus autem esset, si, interrogatus, ad informationē, vel officium, vel matrimonium, crimen manifestaret. Nam tunc sanum consilium, ac verum, etiam cum infamia alterius, ex bono fine dare, sine aliqua culpa liceret, cum nullus innocentē interrogantem, vt nocenti subueniat decipere possit. Ex quo infertur, quod qui vt aliquem, ad religionem, vel ecclesiam, vel collegium, vel ordines, vel matrimonium admittant, syncere de alicuius genealogia, aut de alia infamia, aut nota publica inquirunt, vt caueant quod cauendum est, nullum peccatum committunt: nec etiam illi, qui eis veritatem sub secreto manifestant. Quin potius officium debitæ fidelitatis, & charitatis, propter rationem iam dictam adimplent. ¶ De alia dubitatione, quæ erat de numero hominum, qui sufficiunt, vt delictum ab ipsis cognitum notorium dicatur notoreitate facti, est opinio quorumdam asserentium: decem hominum numerum sufficientem esse, vt peccatum ab ipsis cognitū notorium dicatur. Ex quo colligi videtur, quod si decē homines fuerint, qui alicuius delictum sciuerint, bene postea potest cum quocunque alio de populo sine iniustitia communicari. Hanc sententiam tenet Syluester, verbo. notorium, quæstione 4. & glossa in capitulo vnio 10. quæstione 3. & in capitulo de manifesta. 2. quæstione prima. & glossa Raymun. quam refert Syluester. Et probatur primo, quia alias daretur medium inter occultum, & notorium, illud, scilicet, quod decem personis est manifestū, cum tamen illa sint immediatè opposita. Et præterea; quia nisi notorium esset, quod decem hominibus est manifestum, nunquam posset aliquid notorium probari in aliqua ciuitate, aut prouincia, nisi numeratis omnibus hominibus ciuitatis, vel prouinciæ, vt facta fide, quod sunt plures conuincatur, maiorē partē populi, vel prouinciæ id scire. Hoc autem est ridiculum, & impossibile: ergo quod decem hominibus fuerit manifestum simpliciter erit dicendum notorium notoreitate facti. Imo ex hac sententia sequitur, quod si sex homines peccatum cognoscunt illi sufficiunt, quia vt communiter dicunt Doctores, sex personæ sicut, & decem sunt satis facere plebem, & per consequens notoreitatem facti, vt nititur probare Syluester loco citato. ¶ His tamen non obstantibus, dico, quod quantuis hæc opinio sit vera ad alios effectus iuris, scilicet, vel ad probationem delicti, vel ad inquisitionem ex infamia ortam faciēdam, ad effectum tamen colloquendi & confabulandi, denigrandique famam omnino est à ratione aliena, atque falsa. Lex enim charitatis, & iustitiæ obligat, vt proximotum peccata contegamus, quando non sunt ità notoria, vt vel per sententiam publicam, vel per euidentiam facti, vel notitiam maioris partis populi fama sit læsa. Ad quod probandum hoc vnum argumentum est sufficiens; quod cum in republica plures sint viri honorabiles, tam seculares, quia ecclesiastici, quorum infirmitas decem, aut duodecim hominibus est nota; iam tunc sine iniuria eos detegere, de eorumque peccatis libere confabulari liceret; quod nulla ratione est dicendum. Item sequeretur, quod si sex, aut decem homines scirent concubinatū sacerdotis, liceret iam tūc prædicatori illum publice in particulari prodere, atque reprehēdere: si quidē notorium, & publicum est, quod sex, aut decem hominibus est manifestum: &, vt comuniter dicunt Doctores, peccata publica publice sunt reprehendenda. Hoc autē est apertē falsum, & ab omni ratione alienum: Dicendū est ergo, quod notoriū, ad effectum, vel reprehendendi vel confabulandi de peccatis proximorum priuatim, non tam paruis terminis est coarctandum. Sed illud solum est tale dicendum, quod iuridicè est proditū per confessionem in iudicio, vel per testes, vel sententiam, aut per facti euidentiam. Vt si quis in foro blasphemaret, ac deniq; quod per frequentiam populi, aut maiorem partē illius, vel certe nobiliorem circunfertur, vt quod in parochia est fere omnibus notum. Huius nostræ sententiæ est Cord. de detract. q. 2. conclusione 4.

¶ De specialiter autem infamato in vno loco, vtrum liceat illum infamare in alio iam diximus supra quæstione 62. articulo 2. circa solutionem ad secundum argumentum. De quo etiam videndus est Soto libro 5. de iustitia quæstione 10. articulo 2. Sed dubium graue est de eo, qui in eodem loco peccati notorij, sed in diuerso tempore aliquem diffamat. Verbi gratia sexaginta sunt anni, quod quis publicè ob hæresim fuit combustus, aut descendit ex Iudæis, quod hoc tempore pauci aut nulli sciunt. Est autē senex, qui videns adolescentē ex ea familia ortum, per meditū forum

Quando delictū possit manifestari.

Quis numerus hominum sufficiat vt delictum cognitum dicatur notorium

Sententia Syluestri.

Sententia autoris.

forum ambulantē, vel ex inuidia, vel loquacitate, vtſæpe contingit, præsentibus dicit. Ego vidi illius auum, aut proauum combustum, aut infamia publicè notatū. Dubium est: vtrum talis peccet mortaliter, vel potius vnicuique sit licitum quamcunque veritatem olim notoriam in quocunque tempore diuulgare? Et quidem, quod hoc licitè fiat probari potest hoc argumento: Tales iure fuerūt ea pœna mulctati, ob idq; eorū nomina publice fuerūt in Ecclesia posita, vt eorum scelus omnibus patefieret, haberetur; in perpetua memoria: ergo qui illud propalat nulli facit iniuriam; atque ex consequenti nec peccat mortaliter. Ego tamen ad explicationem difficultatis dico primò, quod qui eos qui non sunt per sententiam notati (eos scilicet, qui nunquam deliquerunt, sed ex Iudaismo fuerunt conuersi) dictis, aut factis de praua sua origine longo iam tempore oblita, infamant, peccant mortaliter, non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Atque ex consequenti cuiuscunque læsionis famæ inde sublequntæ tenentur facere restitutionē. Et ratio est; Nam cum tales non peccauerint, nec in se nec in parentibus, iniustè illis infamia nuritur: nec valet, si dicatur quod parentes peccauerunt peccato infidelitatis. Nam ob id non sunt digni infamia, & opprobrio. Imò ex eo quod fuerint conuersi laudem meruerunt, vt rectè docet Mercado capitu. 11. versiculo. item son. Dico secundo, quod qui descendentes ex Christianis, in hæresim, aut Iudaismum lapsi, ob idque publicè notatis de praua sua origine adhuc longo tempore oblita infamant, non peccāt mortaliter contra iustitiam; bene tamen contra charitatem. Et quidem, quod non peccent contra iustitiam, ex eo colligitur, quod tales ex publica sententia, atque præconio iuris famæ & secreti sibi seruandi amiserunt, vt supra dicebam, eaque expressa intentione fuerunt puniti, vt omnibus eorum crimen, atque pœna fieret manifesta, quod & infignis, vulgo, sambenitos, appellata, & in Ecclesijs ad eorum perpetuam dedecus obseruata, testātur. Et si quis obijciat, quod successores nullum peccatum committūt, propter quod debeant ea pœna puniri, respondeo, verum esse, quod non peccant, atque adeo nullum eorum peccatum detegitur, aut punitur. Cæterum per accidens sequitur eis ignominia ex criminibus parentum. Eo vel maximè, quod non est contra rationem, vt filij propter crimina parentum notentur infamia, vt diximus in primo tomo. quæstione 11. articulo 3. Sed quod qui huiusmodi defectus iam oblitos manifestat, peccet mortaliter contra charitatem, probatur multiplicitèr. Primo, quia id opus ex natura sua est alterius contristatiuum, & quod corā obiectum grauissimam continet contumeliam, atque dedecus. Secundo, quia est bonæ opinionis, atque nominis apud alios læsiuum; & ex quo audientes scandalizantur. Maximè cū viuentes, de quibus dicitur, innocentes sint, nec digni vt tale damnū à priuata persona accipiat. Et denique, quia si notatus in vno loco non potest absque peccato mortali contra charitatem facto in alio notari, vbi bonum nomē est assequutus: vt supra dicebā, multò minus licebit infamatum iam olim: cuius criminis nec in hoc, nec in alio loco, vlla vel modica extat memoria renouare, cum hoc occultius sit ex natura sua, ac difficilius sciri possit, quā illud, cuius sunt multi testes præsentes. Hanc sententiā sequutus Mercado, c. 12. vers. itē son trāsgressores. Est tamē aduertēdū, quod si fiat bono fine, vt cum inquiritur de hoc, siue iuridicè ad informationem Ecclesiæ, vel collegij ingredendi, siue priuatim ad matrimonum contrahendum; bene potest talis defectus sine peccato reuelari ijs, quibus prosit, & qui non obsint rem publicando, vt supra dictum est. Et hæc de propalatione publicorum peccatorum. Si quis autem quærat, an vnicuique sit licitū interrogare de detento in carcere, cur sit captus? Respōdeo meo iudicio, nullum esse peccatum, vel rogare causam, vel illā narrare, quia id publicū est. Sed rogare, & narrare particulariter de omnibus delicti partib⁹, dicit Navarro, esse illicitū, vt potè quod aliis regulariter loquēdo, detractionis causam ministret. Quod verum puto.

¶ Est aliud dubium, an dicens peccatum veniale proximi, possit peccare mortaliter? Quod est quærere, an ad hoc, vt detractio sit peccatum mortale, semper requiratur, quod fiat propalatio peccati mortalis proximi. De quare sunt variæ Doctorū sententiæ, quibusdam indistinctè dicentibus necessario crimen, quod de proximo detegimus, debere esse materiam peccati mortalis, vt murmuratio lethale sit peccatum, habeatque annexam restitutionem. Hanc sententiam tenet Syluest. verbo, detractio. quæstione prima. & Antoninus 2. p. titulo 8. capitulo 14. Et probatur: Nā ex reuelatione peccati venialis proximi, non potest illi notabile detrimentum inferri in fama, cum nihil sit magis notum, quam hominem labi posse, & solere in peccata venialia. Quare, siue quia id est de se notorium, siue, quia licet manifestetur speciale peccatum, vt mendacium, aut verbum otiosum, nullum proximus

1. dictum.

2. dictum.

Obiectio.

Responsio.

3. dubium de infama to de vno crimine.

4. dubium an dicens peccatum venile proximi possit peccare mortaliter.

Sententia Syluestri & aliorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ximus in honore detrimentum patitur, sit, vt talis detractio nunquam sit peccatum mortale. Hanc eandem sententiam recipiendam dicit Nauarro in Manuali capit. 18. numero 24. si ex natura rei intelligatur. Ex natura enim talis criminis detecti fit, vt ex illo proximus non infametur. ¶ Nihilominus ego, maximè de vno genere peccati venialis, scilicet, mendacio, loquens distinguendũ puto. Tripliciter enim potest contingere, vt quis proximum de mendacio veniali notet, Vno modo in absentia, murmurando. Et hoc adhuc dupliciter Primo notando illum de vno, aut paucis mendacijs. Secundo, notando eum de consuetudine mentiendi. Tertio, in faciem de mendacio improperando. Et quidem, si hoc tertio modo faciat serio & ex ira, certum est, eum peccare mortaliter: Iam enim ità atrox ac grauis hæc contumelia inter homines reputatur, vt notabiliter proximus ex tali verbo offendatur, & contristetur. Nec se sufficienter vlcisci posse putat, nisi alapa, aut fustibus inflictis. Si autem faciat in absentia per modũ detractionis, dico primo, quod si de vno, aut paucis mẽdaciis proximum notat, tantum erit peccatum veniale propter rationẽ Syluestri: Non enim ob id proximus opinionem perdit. Tamẽ si notat de cõsuetudine mentiendi dico secundo quòd si ea est notoria (solent enim esse plures notoriè mendaces) solum est peccatum veniale, propter eandem rationem. Cæterum, si notoria non est, proculdubio erit peccatum mortale. Qui enim consueuit frequenter mentiri, patui fit, non solum à viris grauibus, sed etiã à communi populo. Sicque notabiliter ob talem detractionem infamatur, & negligitur. Ego sanè tale mentiendi vitium ità abhorreo, vt quem sciam mentiri consueuisse, non possim non despicere, paruique æstimare, ad omnia quæ viro bono ac præstanti cõmitti consueuerunt. Qui autẽ falsò talia imponit, grauius peccat. Adde prædictis, quod referens non tantum mendacia, sed etiã alia venialia peccata ex consuetudine facta potest, ratione personæ, de qua dicuntur mortale peccatum detractionis cõmittere. Qui enim de Episcopo, ac religioso homine aliquod veniale peccatum, quod habeat in consuetudine, proferret, vt si diceret, quod soleat verbis otiosis, ac vanis delectari, nugisq; ac similibus actibus nõsemel, sed crebrò vti, aut quòd inanis gloriæ, & ambitionis est cupidus, aliaque huiusmodi, proculdubio putarem quod mortale peccatum detractionis cõmitteret. Nullus enim cordatus homo esse potest, qui id hominum genus non multum despiciat, deque eorum bona existimatione non multũ minuat, quos his ineptijs & leuitatibus, vilis, atque abiecti animi ignominiam, ac sordem præ se ferentibus, deditos esse cognoscit. Sicq; nõ parum de episcopali ac religionis gloria tollit, qui similibus, licet alias venialibus culpis, eos delectari manifestat, & ex consequenti peccat mortaliter. Atque idem est de oculorum petulantia, & de colloquijs, & conuersationibus fœminarum dicendum, cum nullus sit, qui in clericis ista non abhorreat, peneque de eis scandalizetur. Videant ergo Episcopi atque religiosi, quantum suæ famæ bonique nominis, ex his, quæ parua videntur, amittant, si ex consuetudine fiant. Et videant similiter alij de talibus murmurantes, quam grauiter peccent ob circũstantiam personæ, vt sic omnes suo bono, atque saluti consulant. ¶ Potest etiam esse detractionis peccatum in reuelatione defectuum naturalium, qui non sunt peccata. Quales sunt defectus corporis, aut mẽtis. Vt quod quis est ignarus, indiscretus, cæcus, gibbosus &c. Sed murmuratio in his regulariter nõ est mortalis. Quãuis enim turpitudinem quandam ac defectum proximi importent, ex quo fit, vt eorum reuelatio sit peccatum veniale, de se tamen non auferunt bonã famã, aut nomẽ, quod requiritur, vt detractio sit mortalis. Eo vel maximè, quod isti defectus semper solent esse manifesti, vt de se patet. Secus autem erit de defectu natalitij, vt si quis diceret de aliquo, quod est ortus ex parentibus Iudæis, vel Mauris. Si enim qui reuelat de aliquo, quod est concubinarius, vel fur, peccat mortaliter, vt omnes concedunt, quantò magis mortaliter peccabit, qui manifestat aliquem esse Saracenum, vel nouũ Christianũ, cũ multò grauius ægriusq; ferat vnusquisque hoc quam illud, notabiliusque eius famam denigret, vt supra dicebam: Dixi, regulariter nõ esse peccatum mortale, quod quis de aliquo reuelet defectus naturales. Nam ratione damni inde subsequuti bene poterit talis detractio esse mortalis. Tunc, scilicet, quando ob manifestationẽ occulti defectus impediretur quis ab aliquo bono consequendo, vel habitum perderet: quia tunc id contra charitatem proximo debitam esset, vt de se patet. Quod est intelligendum, dummodo ad informationem interrogatus & requisitus id non faciat; quia tunc etiam in malis culpæ veritatem dicere tenetur, vt supra explicauimus. Sed dubitabit aliquis hoc loco, an hos defectus naturæ dicere in faciem alicui per modum contumeliæ, sit peccatum mortale. Et pro parte affirmatiua est testimonium Christi apud Matthæ. capitulo quinto dicentis: Qui dixerit fratri suo: Fatue, dignus est gehenna ignis. Constat aut fatuitatem esse defectum naturalem. Et eadem ratio esse videtur de alijs cõmunibus contumelijs, quæ in vsu apud Hispanos esse consueuerunt. Quales sunt vocare aliquem, necio, asno, tuerto, corcobado, &c. Nonnulli affirmãt de his nominibus, & infinitis alijs, etiam turpitudinis naturalis, quæ fingi possunt, nullam posse dari certam regulam, ad cognoscendum, quãdo eorum obiectio est peccatum mortale, & quando veniale. Sed ego existimo, hanc esse obseruandam, vt infallibilem, & veram, scilicet Quod quotiescunque nomẽ, quod alteri inficiem obijcitur, tale est, quod sit notabiliter fratris contristatiuum, eius obiectio est peccatum mortale, contra charitatem proximis debitam, etiam si defectus naturalis sit atque notorius. Quod ex circunstãtijs personæ obijcientis, & eius, cui obijcitur, atque etiam ex modo tolerandi perpendendum erit. Quare, qui hominem lxerat. tum fatuum ex ira in faciem appellaret, notabilem causam contristationis præberet: atq; ex consequenti peccaret mortaliter. Et similiter, qui fœminam alias probam, & grauem, deformem aut luscam appellaret; etiam si ità esset. Eademque est ratio de eo, qui quem scit talia conuiciorum genera grauiter ferre, illis vrget. Vt si quis quem scit hoc molestè ferre, eunuchum in faciem nominet, vt sunt id genus permulti. Hæc enim omnia notabiliter proximum, contristant, atque confundunt: quod satis est, vt ille obiiciens peccet mortaliter. Vt tamen communiter ista nomina ex leui quadam ità, sine intentione notabiliter iniuriandi dicantur, nõ puto esse peccatum mortale. aliquem fatuũ, aut impertinentem, aut imprudentem, aut cochlitem, aut claudum, aut gibbosum, aut magni nasi, appellare. Quod arbitrio prudentis confessarij relinquitur iudicandum, attentis omnibus circunstantijs. De hac re est videndus Bartholomæus à Medina in summa §. 35. folio 182.

¶ Est aliud dubium, vtrùm detegens, quod cunque peccatum mortale proximi, vel falsum imponens, peccet mortali peccato detractionis? Ad cuius explicationem dico primo, certum esse, quod qui peccatum mortale proximi ordine iuris manifestat, vel accusando, vel denunciando, vt correctionem, aut malum reipublicæ, vel tertij impediat, non peccat, sed mereri potest: vt satis à nobis in superioribus est declaratum. Dico secundo, quod, si genus peccati quod detegitur, non est damnificatiuum famæ, nec ob id minoris æstimatur is, de quo manifestatur illud detegens, etiam si inordinatè id faciat non peccat mortaliter. Itaque qui detegit peccatum, de quo alter se iactare solet, qua le est in iuuenibus fornicatio, aut quod vulnerauerit, aut iniuria affecerit alium, quæ ipsi pro honore ducũt, nec ob id quidquã amittunt, non peccat mortaliter. Ita tenet Caietanus 2.2. quæstione 73. articulo 2. dub. 2. Sotus li. 5. de Iustitia, quæstione 10. articulo 2. conclusione 3, & libro 4. quæstione 6. articulo 3. ad 4. quos multi alij Doctores sequuntur. Mercado capitulo 9. Pedraça. §. 2. & Iosephus Angles in floribus 4. tent. quæstione de restitutione famæ dub. 3. diffi. 2. conclusione 4. Imò addit Mercado, quod, quamuis ista falsò dicantur, non incurritur restitutionis obligatio, quamuis sit peccatum. Quod ex eo sufficienter colligitur, quod nõ est læsio famæ: & vbi hoc nõ inuenitur, restituendo docè habere non potest. Cæterum, si quis is vitijs ità esset dedutus, vt bonum nomen, & opinionem amitteret, ob hæc enim, & similia vitia, & ob cõsuetudinẽ ludendi, inordinateque expendendi bona, multos in republica videmus, etiã honorabilium filios, ab omnibus despici, nec matrimonio copulari) qui ex occulta detegeret, aut falsa imponeret proculdubio peccaret mortaliter, & teneretur ad restitutionẽ, quoties quo in consuetudine abierũt, vix oculta esse possint. Dico tertio, quod si genus peccati, quod detegitur, est damnificatiuũ famæ, malæque opinionis generatiuum, qualia sunt multa apud homines, vt stuprum in virgine, adulterium in vxore, fornicatio in clerico, latrocinium, periurium, vsura, sodomia, hæresis, falsatio tam literarũ, quam monetæ, blasphemia, iudaismus, ebrietas, dæmonum inuocatio, & denique quæcumque animi vitiatem præseferunt, vt supra dicebam de consuetudine mentiendi, qui eanque falsum imponens, aut verum occultum manifestans, peccat mortali peccato detractionis. Modò duæ adsint conditiones, scilicet, vel quod animo lædendi id faciat; si re ipsa non lædit, vel quod facto ipso lædat si intentionem lædendi non habeat. Quando autem vtraque conditio abest ab actu, scilicet, quia nec re ipsa lædit, nec animo lædendi facit, quantumuis enormis sit delictum quod dicitur, non est peccatum mortale, vt supra explicauimus. De hac re videndus est Nauarro in Manuali capitulo 18. numero 26. ¶ Est aliud dubium, an qui generalia verba turpia in aliquem profert, quæ sonare possunt mortale peccatum, & veniale, peccet mortaliter? Vt si quis dicat de alio, quod est multum superbus, auarus, iracundus, &c.

Sententia autoris.

Detractio potest esse in reuelatione defectuum naturaliũ.

Sententia autoris.

5. dubium de detegente peccatũ mortale proximi

1. dictum.

2. dictum.

3. dictum.

6 dubium de dicente generalia verba turpia in aliquem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sententia Sylueſtri.

Sylueſter, verbo detractio quæſtione prima. & Antoni. 2. p. titulo 8. capitulo 4. partem tenent negatiuã. Et ratio illorum eſt: Quia cum hæc recipi poſſint pro inclinatione naturali, vel pro motu primo primo, vel ſecundo primo: quæ aut nullam culpam, aut tãtũ venialẽ important, ex quibus fama proximi notabiliter non læditur, & etiam accipi poſſint pro peccato mortali, audienteſq; teneãtur rem in meliorem partem interpretari, ſit, vt ea abſolutè proferens non peccet mortaliter. Nauarro in Manuali capitulo 18. numero 24. reprehendit hunc modum dicendi: Sed certè ipſe non dicit contrarium. Fatetur enim tunc ſolum talem detractionem eſſe peccatum mortale, quando cum notabili damno, aut periculo ſit, & corã illis perſonis, de quibus credi poteſt, quod mortales culpas cõcipient, quod Sylueſter, & Antoninus non negarent. Quare cum hæc communiter de venialibus intelligantur, de inclinatione, ſcilicet, & cõditione naturali eius, de quo eſt ſermo, ſit, vt opinio Sylueſtri, atque Antonini abſolutè vera ſit dicenda. Nisi forte expreſſe, vel tacitè ſignificetur ſermonem eſſe de culpis mortalibus. Quanuis etiam in hac conditio, & ſtatus perſonæ, cui detrahitur erit conſideranda, vt diximus ſupra cum de venialibus eſſet ſermo. Nam dicere de Epiſcopo, aut religioſo viro, quod eſt auarus, vel iracundus, non erit omnino alienum à culpa mortali detractionis, cùm hæc notabile detrimentum famæ illius inferant, etiã quando important culpam venialem. Cuius ſententiæ eſt Nauarro in Manuali. capitulo 18. numero 25. cum dicit ob has, & ſimiles circunſtantias fieri poſſe, vt detractio culparum venialium mortalis reddatur. Refertque in huius rei confirmationem, ſe noſſe quemdam virum inſigniter eruditum, ac probum, qui ob culpas veniales vanitatis, & iracundiæ ab adipiſcendo egregio quodam munere fuit impeditus. Vide quanto in periculo ſint, qui putantes leuia peccata & defectus non magnos dicere, bonum nomen, & exiſtimationem fratris grauiter vulnerant, & denigrant. Et è contrà quam ſint laudandi illi, qui nec alienæ vitæ, nec morum exploratores, aut taxatores effecti, occultorum defectuum, etiam leuiſsimorum proditores eſſe, ita fugiunt, vt nihil ſibi loquendum arbitrentur, quod quempiam, etiam maleuolentiſsimum iure offendere poſsit. Et hæc dicta ſint de toto iſto articulo.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrum detractio ſit grauius omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur.

AD TERTIVM ſic procedi-tur. Videtur quòd detractio ſit grauius omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur. Quia ſuper illud Pſalm. 108. Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi. dicit * *Auguſtini* gloſ. Plus nocent in membris detrahentes Chriſto (qui animas credentium interficiunt) quàm qui eius carnem mox reſurrecturam peremerunt. Ex quo videtur quòd detractio ſit grauius peccatum, quàm homicidiũ, quanto grauius eſt occidere animam, quàm occidere corpus. Sed homicidium eſt grauius inter cætera peccata, quæ in proximum committuntur: ergo detractio eſt ſimpliciter inter omnia grauior.

2. ¶ Præterea, Detractio videtur eſſe grauius peccatum quam contumelia: quia contumeliam poteſt homo repellere: non autem detractionem latentem. Sed contumelia videtur eſſe maius peccatum, quàm adulterium, per hoc, quod adulterium vnit duos in vnam carnem, contumelia autem vnitos in multa diuidit: ergo detractio eſt maius peccatum, quàm adulterium: quod tamen inter alia dicta, quæ ſunt in proximum, magnam grauitatem habet.

3 ¶ Præterea, Contumelia oritur ex ira, detractio autem ex inuidia: vt patet per Gregor. * 31. Moral. Sed inuidia eſt maius peccatum, quàm ira: ergo & detractio eſt maius peccatum, quàm contumelia. Et ſic idem eſt quod prius. *Lib. 31. ca. 31. à medio.*

4 ¶ Præterea, Tanto aliquod peccatum eſt grauius, quanto inducit grauiorem defectum. Sed detractio inducit grauiſsimum defectum, ſcilicet, excæcationem mentis. Dicit enim Greg. * Quid aliud detrahentes faciũt, niſi quòd in puluerem ſufflant, & in oculos ſuos terram excitant: & vnde plus detractionis ſufflant, inde minus veritatis videant: ergo detractio eſt grauiſsimum peccatum inter ea, quæ committuntur in proximum. *In regiſtro lib. 8. cap. 45. antemedium. Et habetur 11. q. 3. c. inter verba.*

SED

¶ SED CONTRA, Grauius eſt peccare facto, quàm verbo. Sed detractio eſt peccatum verbi: adulterium autem & homicidium, & furtum ſunt peccata in factis: ergo detractio non eſt grauius cæteris peccatis, quæ ſunt in proximum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd peccata quæ committuntur in proximum, ſunt penſanda per ſe quidem ſecundum nocumenta, quæ proximo inferuntur: quia ex hoc habent rationem culpæ. Tanto autem eſt maius nocumentum, quanto maius bonum demitur. Cum autem ſit triplex bonum hominis, ſcilicet bonum animæ, bonum corporis, & bonum exteriorum rerum. Bonum animæ, quod eſt maximum, nõ poteſt alicui ab alio tolli, niſi occaſionaliter, pura per malam perſuaſionem, quæ neceſsitatem non infert. Sed alia duo bona, ſcilicet corporis & exteriorum rerum, poſſunt ab alio violenter auferri. Sed quia bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum, grauiora ſunt peccata quibus infertur nocumentum corpori, quàm ea quibus infertur nocumentum exterioribus rebus. Vnde inter cætera peccata, quæ committuntur in proximum, homicidium grauius eſt, per quod tollitur vita proximi iam actu exiſtens: conſequenter autem adulterium, quod eſt contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam eſt introitus ad vitam. Conſequenter autem ſunt exteriora bona, inter quæ fama præeminet diuitijs, eo quòd propinquior eſt ſpiritualibus bonis. Vnde dicitur Prouerbio. 22. Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Et ideo detractio ſecundum ſuum genus eſt maius peccatum, quàm furtum: minus tamen, quàm homicidium, vel adulterium. Poteſt tamen eſſe alius ordo propter circunſtantias aggrauantes, vel diminuentes: per accidens autem grauitas peccati, attenditur ex parte peccantis, qui grauius peccat, ſi ex deliberatione peccet, quàm ſi peccet ex infirmitate, vel incautela. Et ſecundum hoc peccata locutionis habent aliquam leuitatem, in quantum de facili ex lapſu linguæ proueniunt abſque magna præmeditatione.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd illi qui detrahunt Chriſto, impedientes fidem membrorum ipſius derogant diuinitati eius, cui fides innititur: vnde non eſt ſimplex detractio, ſed blaſphemia.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd grauius peccatum eſt contumelia, quã detractio, in quantum habet maiorem contemptum proximi: ſicut & rapina eſt grauius peccatum, quàm furtum, vt ſuprà dictum * eſt. Contumelia autem non eſt grauius peccatum, quàm adulterium: non enim grauitas adulterij penſatur ex coniunctione corporum, ſed ex deordinatione generationis humanæ. Contumelioſus autem non ſufficienter cauſat inimicitiam in alio, ſed occaſionaliter tantum diuidit vnitos, in quantum ſcilicet per hoc, quòd mala alterius promit, alios quantum in ſe eſt ab eius amicitia ſeparat, licet ad hoc per eius verba non cogantur. Sic ergo & detractor occaſionaliter eſt homicida: in quãtum ſcilicet per ſua verba dat alteri occaſionem, vt proximum odiat vel contemnat. Propter quod in epiſtola Clementis * dicitur, detractores eſſe homicidas, ſcilicet occaſionaliter, quia qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, vt dicitur. 1. Ioan. 3. *Quæſt. 66. art. 9.* *Epiſt. 1. ad Iacobũ fratrem domini, & habetur de pœniten. diſt. 1. c. Homicidiorum.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd ira quærit in manifeſto vindictam inferre, vt Philoſophus dicit in ſecundo * Rhetoric. Ideo detractio, quæ eſt in occulto, non eſt filia iræ ſicut contumelia: ſed magis inuidiæ, quæ nititur qualitercunque minuere gloriam proximi. Nec tamen ſequitur propter hoc, quòd detractio ſit grauior, quàm contumelia: quia ex minori vitio poteſt oriri maius peccatum, ſicut ex ira naſcitur homicidium & blaſphemia. Origo enim peccatorum attenditur ſecundũ inclinationem ad finem, quod eſt ex *Lib. 2. c. 4. à declinando ad finem, tom. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte conuersionis, grauitas autem peccati magis attenditur ex parte auersionis.

¶ Ad quartum dicendum, quòd quia homo lætatur in sententia oris sui, vt dicitur Prouerbiorum decimo quinto, inde est, quòd ille qui detrahit, incipit magis amare, & credere quod dicit: & per consequens proximum magis odire, & sic magis recedere à cognitione veritatis. Iste tamen effectus potest sequi etiam ex aliis peccatis, quæ pertinent ad odium proximi.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd in præsenti non est sermo de peccatis, quæ habent Deum pro obiecto, qualia sunt infidelitas, desperatio, odium Dei, blasphemia, periurium, & similia; sed tantum de illis, quæ in seinuicem homines committere possunt, respondet Diuus Thomas ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Inter peccata, quæ homines aduersus se inuicem committunt, homicidium est grauissimum, tenetque primum locum. Probatur: Primum & præcipuum, ex quo vnumquodque peccatum contra proximum factum, malitiam sortitur, est nocumentum ei illatum, quantò enim hoc est maius, tanto peccatum magis pugnat cum charitate: sed nocumentum per homicidium homini illatum est maius omnibus aliis, quæ per peccata contra proximum sibi inferri possunt: ergo homicidium est maximum inter peccata contra proximum. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Tanto aliquod nocumentum est maius, quanto bonum, quòd per illud tollitur maius est: sed bonum, quod per homicidium tollitur, est maximum inter illa quæ ab hominibus possunt auferri (quòd isto ratione demonstro: Nam triplex est bonum hominis, scilicet, bonum animæ, bonum corporis, & bonum rerum exteriorum, inter quæ bonum animæ, quanuis sit omnium præstantissimum, non potest alicui ab alio tolli inuito, cum sit gratia, per quam homo viuit, quæ solo consensu in peccatum mortale, in quem nemo alterum cogere potest, admittur, & sic hoc bonum tollendo à proximo, nemo potest deliquere, nisi tantum occasionaliter, per malam persuasionem, quæ necessitatem non inducit, ex aliis autem duobus bonis, scilicet, corporis & rerum exteriorum, quæ quis alteri inuito, vi ac fraude eripere potest, certum est bonum corporis esse præstantissimum, vtpote quod est fundamentum alterius: vita enim quæ est bonum corporis præstat quibuscunq; rebus exterioribus:) ergo homicidium quod tollit bonum corporis, est grauissimum inter peccata contra proximum facta. Secunda conclusio: Detractio ex genere suo, est maius peccatum, quam furtum, minus autem quam homicidium, vel adulterium. Probatur: Fama, quæ per detractionem læditur, inter bona exteriora tenet primum locum, vtpote quæ magis accedit ad bona spiritualia. Et propterea dicebat sapiens Prouerbio. 22. Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ: est autem inferior ad vitam, quæ tollitur per homicidium, & læditur per adulterium in futura prole: per se enim loquendo filius, qui incerto nascitur patre, commodo educatum non potest: ergo detractio, quæ per se est læsiua famæ, ex genere suo, est grauius peccatum, quam furtum, & minus quam homicidium, vel adulterium. Tertia conclusio: Non obstantibus his, quæ per se rebus conueniunt, potest aliquando contingere, vt peccati grauitas aliunde accidentaliter, vel augeatur, vel minuatur, scilicet ex parte peccatis, qui tunc grauius peccare dicitur, quando peccat ex deliberatione, quam quando peccat ex infirmitate, vel ex inconsideratione: quæ ratione peccata, quæ intra verba contemnentur, eo quòd hi qui velocitate expuuntur, aliis leuiora, exteris paribus, reputantur. Cum tamen ex praedictis dictum sit, in secunda conclusione detractionem, cum fama obnubilatur, grauiorem esse furto, quo externa bona eripiuntur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN isto articulo agendum esset de comparatione peccatorum, quæ in proximo committi possunt, inter sese, nisi de hoc à nobis in superioribus sæpe fuisset dictum. Præcipuè quæstione. 66. articulo. 6. Vbi latè ostendimus ex grauitate nocumenti, quod illis proximo infertur per se quantum ad hoc, esse distinguenda: quod & Diuus Thomas in hoc articulo ex proposito docet. Sed circa distinctionem boni humani, in bonum animæ, bonum corporis, & bonum rerum exteriorum; potest esse difficultas, vtrum peccata, quæ quis facit contra bonum animæ alterius, cum inducens

ducens ad peccatum, ex genere suo sint grauiora illis, quæ fiũt contra bonum corporis, aut rerum exteriorum? Et quidem, si iacturam tantum inspexerimus, quam homo, cum de diuina gratia excedit, facit, hoc certissimum est, tantò exitialius pernicioſiusque nocere eum, qui proximum consultò in talibus bonis nocet, quam si noceret in corpore, quantò anima pretiosior est corpore, & gratia vniuerso orbe. Ex quo colligi videtur, illa peccata, per se loquendo esse grauiora his. Quod & significare voluisse videtur D. Gregorius, & refertur. 6. quæst. 1. cap. ex merito. quando dicebat. Deteriores sunt, qui vitam moresq; bonorum corrumpunt, ijs, qui substantias aliorum, prædaque diripiunt.

Sententia Autoris.

¶ Hoc tamen non obstante, dico, quòd quanuis, qui dedita opera, idque ex odio intendens proximo de gratia Dei expellere, & in eius inimicitiam conijcere procurat, enormius peccet, quam si vitæ corporali pararet insidias; quia longè nocentius malum intendit; cæterùm is, cuius propositum non est sic enormiter proximò in spiritualibus nocere, sed vel suum commodum assequi, vel suam explere voluptatem, non tanta grauitate in proximum delinquit, quam si eius bona temporalia diriperet. Itaq; qui liberam mulierculam corruptam abſque vlla vi, & fraude solicitat, etiam si vel pretio, vel prece vrgeat, non tam graui crimine complicatur, quam si bonorũ eius copiam depręderetur. Nec contrarium rationabiliter dici potest. Et si quis obijciat; Plus nocet, qui solicitat, quam qui bona prædatur: ergo grauius peccat in proximum; Respondetur id argumentum solum habere verum, quando cætera sunt paria. In proposito autem non ita contingit. Nam qui alienа bona surripiunt, id faciunt domino prorsus inuito; ex quo iniuria ac subinde culpa accipit incrementum. Qui autem alium allicit ad malum, nullam infert vim, aut necessitatem; atque adeò nec iniuriam. Et propterea D. Thom. in isto articulo agens de grauitate peccatorum, quæ fiunt contra proximum, relinquit illa, quibus bonum animæ alterius tolli dicitur, tanquam indigna, quæ cum alijs comparentur.

Obiectio.

Responsio.

Detrahentes Christo grauius peccant quam crucifixores.

¶ Circa solutionem ad primum argumentum D. Tho. est aduertendum, quòd detrahentes Christo dicuntur grauius peccare, quam qui ipsum interfecerũt. Non quia detractio ex se sit grauius peccatum, quam homicidium; sed, quia qui detrahunt Christo, ipsius fidem in membris impedientes, deorgãt diuinitati, cui fides inuitur; & sic quodammodo sunt blasphemi. Constat autem blasphemiam longè maius peccatum esse ex genere suo, quam homicidium. Et idem etiã est dicendum de contumelia in Christũ obiecta. Ex quo infertur, quòd quanuis detractio, & contumelia in nobis sint distincta peccata, in his tamen, quæ ad Deum spectãt, vniuntur in blasphemia; vt optimè aduertit Caiet. in isto articulo.

Dubium.

¶ In solutione ad secundum argumentũ dicit D. Tho. contumeliam esse grauius peccatum, quam detractionem, in quantum cõtumelia maiorem contemptum proximi cõtinet, quã detractio. Sicut, & rapina propter hoc grauius peccatum est furto. Sec contra hoc sic argumentor. Fama, quam detractio tollit, est longè excellentius bonum, quam honor, contra quem est cõtumelia: ergo detractio, ex genere suo, est maius peccatum, quam contumelia. Consequentia tenet ex ratione D. Th. in isto art. & antecedens probatur. Pretiosior est bona existimatio, quã populus habet de probitate alicuius, in quo fama consistit, quã honor seu reuerẽtia, quę sæpè mendaciter exhibetur, nec semper propter virtutẽ, sed quãdoque propter alia minora bona: ergo fama, quã detractio tollit, ex se longè excellentius bonum est, quã honor, contra quem est contumelia. ¶ Ad hoc argumentũ multi respondent, affirmantes honorẽ præstantiorẽ esse fama. Imò ex eo, quòd dicit D. Tho. contumeliã esse peiorẽ detractione, inferũt ex sententia illius, honorẽ præeminere famæ: nõ intelligentes, qua ratione fama possit præstare honori, & tamẽ detractionẽ non esse peiorẽ contumelia, cũ vitia in proximos cõmissa ex maiori bono, quod tollũt accipiant incrementũ, vt Autor in præsenti docet. Cæterùm vt ergo, quid in hac re mihi videatur verũ, explicẽ, dico primò, proculdubio esse tenendũ, q̃ famæ præstat honori, vt ratio in argumẽto adducta sufficiẽter conuincit, nec D. Th. aliquãdo fuit cõtrariæ sentẽtię. Quod & cõfirmari potest ex tribus præeminẽtibus qualitatibus, quas sapiens bono nomini, quo fama intelligitur ascripsit, & nõ honori. Prima est quantũ ad pretiũ. Et sic dicit Prou. 22. Melius est bonũ nomen, quã diuitiæ multæ. Secũda, quantũ ad suauitatẽ, & sic affirmat Eccles. 7. Pretiosius esse bonũ nomẽ, quam vnguenta odore suo oblectantia. Tertia, quantũ ad diuturnitatẽ, & sic dicit diutius permanere famã, quã mille thesauri pretiosi, & magni, Eccles. 41. Dico secũdò, q̃ cõtumelia est grauius peccatũ, quã detractio, vt D. Th. hic, & vbiq; affirmat propter maiorẽ cõtemptũ proximi, qui in cõtumelia supra detractionẽ includi

Arg. cõtra doctrinam D. Tho. in solut. ad 3.

Solutio aliquorum.

Vera responsio Autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, vt supra dictum est de rapina, & furto. Sed in explicanda ratione, propter quam contumelia est maius peccatum, quam detractio, cum illa honorem, & hæc famam tollat, & peccata contra proximos commissa ex maiori bono, quod auferunt accipiant incrementa; hoc opus hic labor est. Ad quod breuiter dico, quòd contumelia, & detractio, non solum distinguuntur specie, aut accipiunt grauitatem ex ratione obiectorum materialium, putà, honoris, & famæ, quæ auferunt; sed etiam ob rationem formalem diuersam inuoluntarij in vtraque inuentam, vt diximus articulo primo huius quæstionis. Certum est autem, quòd maior ratio inuoluntarij inuenitur in contumelia, quam in detractione: cum ibi inuoluntarium per vim, & hic inuoluntarium per ignorantiam inueniatur. Ex quo fit, vt contumelia simpliciter sit maius peccatum, quam detractio: non obstante, quòd in detractione materialiter maius bonum auferatur, quam in contumelia: Itaque propria, & formalia obiecta contumeliæ, & detractionis, non sunt honor, & fama præcisè: sed ista simul cum rationibus inuoluntarij. Et quia maior est ratio inuoluntarij in contumelia, quam in detractione, idcircò simpliciter, & per se, & ex parte obiecti, grauius peccatum dicitur contumelia, quam detractio. Sed est aduertendum quod quanuis contumelia propter contemptum ex genere suo, & ex obiecto sit grauior detractione, latent tamen mille incommoda, atque pestes in detractione, quæ ipsam omnimodò odibilem reddant. Quorum primum, atque præcipuum est, quod virtutis gloriam, quæ veluti cælestis excellentiæ representatio est, obtenebrat, & abscondit. Secundum, quòd facilius committitur, pluresque inficit. Quia enim in latebris fit, atque adeo impune, passim, & quacunque loquendi occasione nota obrepit. Cum tamen contumelia propter metum non sit adeo in vsu. Tertium, quòd detractores ex insidijs pugnant; ob idque difficillimè cauentur. Quartum & vltimum, quòd detractores non suas tantum animas perimunt, verumetiam cunctis; apud quos sua seminant venena eandem spiritualè inferunt mortem, quatenus odiũ eius eis ingerunt cui detrahunt. Et sic publicam pacem & amicitiam, qua nullo fyderе respublica splendidius, fulgere potest, violant, & contenebrant. Ex quo factum fuit, vt nullum vitium in sacris literis magis hominibus fuerit dissuasum, quam detractio, vt ex pluribus illius testimonijs colligere licet. Dicitur enim Leui. cap. 19. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum. Scio textum istum ad literam sonare, esse valde impium surdo maledicere, cum ipse non audiat, nec contra obiecta aliquid possit respondere. Esse etiam similiter valde detestabile coram cæco ponere offendiculum, cùm ipse non videat, nec possit sibi cauere. Sed glossa interpretatur, maledicere surdo, esse absenti detrahere. Qui enim absens est non potest magis detrahentem audire, quam si esset surdus. Sed multo minus surdus quandoq; audit, tunc, scilicet, quando sibi altè clamatur, & tamen qui absens est, detrahentem quantumcunque clamantem audire non valeat. Dicitur etiam detrahens ponere offendiculum coram cæco, dum illi, qui eum auscultat est, quasi cæcus, vel quia simplex, vel quia non cognoscit personam cui detrahitur, alienum narrat factum, ex quo scandalizatur. Detractor enim, vt modo dicebam, non tantum agit impie in eum, cui detrahit, sed etiam in eum, coram quo detrahit. In eodem etiam capitulo dicitur: Non eris criminator nec susurro in populis. Criminator autem idem est, quod detractor, qui in alieno crimine delectatur. Et Ecclesiastici 5. Non appelleris susurro in vita tua: & in lingua tua ne capiaris, & confundaris. Et Iacobi. 4. Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem non es factor legis, sed iudex. Quasi diceret: Cauete fratres charissimi, ne vobis inuicem detrahatis, alter alteri. Qui enim fratri suo detrahit, aut fratrem suum iudicat bene conuersantem iuxta legem, propter inuidiam tantum ex odio cupiens fratrem calumniari, in legem videtur ille peccare, siquidem eodem facto ipsam legem, vel insufficientem, vel malam, videtur asserere, atque ex consequenti contrauenit legi. Quare Diuus Bernardus dicebat: Noli esse alienæ vitæ, aut temerarius iudex, aut curiosus explorator, &c. In solutione ad tertium argumentum dicit Diuus Thomas contumeliam oriri ex ira, quæ in manifesto vindictam intendit; detractionem autem ex inuidia, quæ qualitercunque gloriam proximi minuere procurat. Sed quanuis inuidia sit grauius peccatum, quam ira, vtpotè quæ magis aduersatur charitati, iuxta illud Pauli primo ad Corinth. capit. 13. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat

Mala quæ in detractione latent.

Nullum vitiũ in scriptura magis dissuadetur quã detractio.

D. Bern.

cogitat malum; non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. Quorum omnium contraria in inuidia inueniuntur: non tamen ex hoc infertur, quòd detractio esset grauius peccatum, quam contumelia. Bene enim potest contingere, vt caput, vnde contumelia oritur sit minus graue, quam illud, vnde oritur detractio; & tamen contumelia sit grauior detractione. Origo enim peccatorum attenditur ex inclinatione ad eundẽ finem, quæ ad conuersionem spectat: & grauitas, ex nocumento illato, quod pertinet ad auersionem.

Articvlvs. IIII.

¶ Vtrùm audiens, qui tolerat detrahentem, grauiter peccet?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd audiens qui tolerat detrahentem, non grauiter peccet. Non enim aliquis magis tenetur alteri, quã sibi ipsi. Sed laudabile est si patienter homo suos detractores toleret. Dicit enim Gregorius * super Ezechielem Homilia nona, Linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant: ita per suam malitiã excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat: ergo non peccat aliquis, si detractionibus aliorum non resistat.

Homi. 9. in Ezech. parum ante medium.

2 ¶ Præterea, Ecclesiast. quarto dicitur. Non contradicas verbo veritatis vllo modo. Sed quandoque aliquis detrahit verbo veritatis, dicendo, vt suprà dictum * est: ergo videtur, quòd non semper teneatur homo detractoribus resistere.

Art. 1. huius q. ad 3.

3 ¶ Præterea, Nullus debet impedire, id quod est in vtilitatem aliorum. Sed detractio frequenter est in vtilitatem aliorum, contra quos detrahitur. Dicit enim Pius * Papa, Nonnunquam detractio aduersus bonos concitatur: vt quos vel domestica adulatio, vel aliorum fauor in alium extulerat, detractio humiliet: ergo aliquis non debet detractores impedire.

6. q. 1. cap. euet pastorem. c. sunt plurimum.

¶ SED CONTRA est, quòd Hieronymus * dicit, Caue ne linguam aut aures habeas prurientes, aut alijs detrahas, aut alios audias detrahentes.

In epist. ad Nepotianũ in vlt. pag. ante fi. epist. 1. Idem ad Rusticum, & ad Celantiam

¶ RESPONDEO dicendum, quòd secundum Apostolum ad Romanos primo, Digni sunt morte non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo directè, quando scilicet, quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum. Alio modo indirectè, scilicet, quando non resistit cum resistere possit. Et hoc contingit quandoque, non quia peccatum placet, sed propter aliquem humanum timorem. Dicendum est ergo, quòd si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire, vnde fit particeps peccati eius. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium eius, cui detrahitur, non minus peccat quàm detrahens, & quandoque magis. Vnde Bernardus * dicit, Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Si verò non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiã verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multò minus quàm detrahens, & plerunque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quòd alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum, quòd audiens nouit consequens, vel propter radicẽ, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale, vt suprà * habitum est.

Lib. 2. de consideratione ad Eugenium circa finem illius. 11. q. 3 6. non solum.

Quæst. 19. art. 3.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd detractiones suas nullus audit: quia mala quæ dicuntur de aliquo, coaudiente, non sunt detractiones, propriè loquendo, sed contumeliæ, vt dictum * est. Possunt tamen ad notitiam alicuius detractiones contra ipsum factæ aliorum relationibus peruenire. Et tunc sui arbitrij est detrimentum

Artic. 2. ad 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum, vt suprà * dictum est. *In corp.ar. & q. 72. art.3.* Et ideò in hoc potest commẽdari eius patientia, quòd patienter detractiones sustinet: nõ autem est sui arbitrij, quòd patiatur detrimentum famæ alterius. Et ideò in culpam ei vertitur, si non resistit, cum possit resistere: eadem ratione qua tenetur aliquis subleuare asinũ alterius iacentem sub onere, vt præcipitur Deutero. 22.

¶ Ad secundum dicendum, quòd non semper aliquis debet resistere detractori, arguendo cum de falsitate, & maximè si sciat verum esse quod dicitur, sed debet cum verbis redarguere de hoc, quòd peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere, quòd ei detractio displiceat per tristitiam faciei: quia, vt dicitur Prouerbio. 25. Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd vtilitas quæ ex detractione prouenit, non est ex intentione detrahentis, sed ex Dei ordinatione, qui ex quolibet malo elicit bonum. Et ideò nihilominus est detractoribus resistendum, sicut & raptoribus, vel oppressoribus aliorum: quanuis ex hoc oppressis, vel spoliatis per patientiam meritum crescat.

Svmma Textvs.

SVpposito quòd dupliciter aliquis potest consentire detrahenti; vno modo directè, quod contingit, quando audiens alterum ad detrahendum inducit, vel ei placet detractio; alio modo indirectè, solum non resistendo, quòd adhuc inueniri potest, vel in eo, qui proprio suo munere, ac officio publico tenetur resistere, vel in priuata persona, cui id ex officio non incumbit: respondet Diuus Thomas ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Qui taliter tolerat detrahentem, vt ipsum ad detrahendum inducat, vel ipsa detractione propter odium delectetur, nihil minus peccat, quam ipse detrahens, imò aliquando grauius. Et quidem quòd non minus peccet, probatur ex Paulo, qui de his loquens ad Rom. 1. dicebat: Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt. Et ex D. Bernard. lib. 2. de consider. prope finẽ dicente: Detrahere aut detrahentem audire quid horum damnabilius sit non facile dixerim. Quòd autem tales aliquando peccent grauius, patet, quia qui inducit eò grauiùs peccat, quò in motore plus est culpæ, quam in moto. Secunda conclusio: In priuata persona detractionem aliorum nõ impediente, vel ex negligentia, vel ex metu, vel ex verecundia, est peccatum, non tamen ita graue, sicut in ipso detrahente. Probatur: Peccatum in tali tolerante regulariter est veniale, cum tamen in detrahente sit mortale: ergo. Tertia conclusio: Non resistere detrahenti, aliquando potest esse peccatum mortale, tũc, scilicet: vel quando persona publica, cui id ex officio incumbit, nõ resistit: vel quando ex tali detractione maximum aliquod nocumentũ sequitur, quod ipse audiens videt: vel denique quando ob solum timorem humanũ formidat quis se obijcere detractori. Aduertitq; D. Th. nõ resistentem in hoc vltimo casu peccare mortaliter. Non, quia ipsa non resistentia sit mortalis, sed solum in radice, in quantum contingere potest, vt timor humanus aliquãdo mortale sit peccatum.

Explicatio Articvli.

Ex quæ certa sunt de detractionibus.

DE materia huius articuli disputant Caietanus in summa, verbo, detractio. Nauarro in Manuali capit. 18. num. 36. & 41. Syluester, verbo, detractio. quæstio. 2. Adrianus quodli. 11. quæst. 2. Qui omnes cõueniunt in sequentibus, primò, quòd audiẽs detractionem formaliter, quod contingit, quando quis sua audientia concausat alterius detractionem, vel iuuando, vel incitando, vel interrogando, vel laudando, vel approbando, atque etiã quando auditio vnius est causa auditionis aliorum, & deniq; quãdo interius ei placet detractio; peccat mortaliter, non resistendo, cum consentiat peccato alterius, & congaudeat de malo proximi: quod sine culpa mortali fieri non potest. Et in hoc casu procedit dictum Bernardi relati à D. Thoma in corpore articuli, atque dicentis: Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Imò addit Cordub. memb. 4. detract. quæstione. 4. isto modo detrahentem audire grauius peccatum esse, quam detrahere: Cum vltra peccatum detractionis quod audiens admittit, concausando detractionem, cooperetur etiam peccato ipsius detractoris, quod peccati malitiam auget. Sicque talis peior est, quam homicida, vt de inducente ad falsum iurandum dicebat D. Augustin. relatus, in capit. qui prouocat. 22. quæstione. 5. Occidit enim tunc tam animam suam, quam detrahentis. Conueniunt secundo præfati autores, quòd quando non resistere fit ob bonũ finẽ, scilicet, vel ex necessitate, aut pietate, aut iusto timore; aut quia non speratur fructus ex tali reprehensione, sed deteriorem futurum eum, qui detrahit, nullum est peccatum. Quod quidem verum est, & ab omnibus concessum. Conueniunt tertiò, quòd qui ex negligentia, vel ex metu, vel ex verecundia non impedit detrahentem, cum possit, malefacit & peccatum committit. Cæterùm in explicando, quando huiusmodi peccatum sit mortale, & quando veniale, non vno modo loquuntur omnes. Non nulli affirmant, maiori ex parte, & regulariter loquendo, nisi ex leuitate materiæ excusentur, huiusmodi non impedientes peccare mortaliter. Et ratio illorum est: Nam existimant, quòd non impedire damnum proximi, cum facile possis, & non curipere delinquentem, ex genere suo est peccatum mortale. Maximè cùm talis alterius peccato cooperari videatur. Cæterùm Caietanus, Nauarro, Syluester locis citatis, & Bartholomæus à Medina in summa cap. 14. fol. 184. putant non esse in his facile præcipitandam sententiam. Quin potius dicunt, quòd, quanuis mea negligentia, alter detrahat, meaque auditio sit causa auditionis aliorum, ex quo fama proximi notabiliter lædatur; si tamen meus animus purus est, mea auditio non est nisi materialis, nec causa auditionis aliorum, nisi materialiter tantum, atque ex consequenti ex genere suo, & regulariter loquendo peccatũ venia le, vt de detractione materiali docuimus articulo secundo, huius quæstionis, ex mente D. Thomæ. Quorum sententia mihi magis placet. Excipiuntur tamen à D. Thom. in præsenti, & ab alijs Doctoribus communiter tres casus, in quibus etiam ille, qui materialiter audit detractorem, nec impedit, peccat mortaliter. Primus est, quando ille, qui audit tenetur ex officio corrigere obuiareque detractioni, nec facit ex negligentia. Qui casus, vt Caietanus aduertit in isto commento, non solum respicit bonum hominis, qui detrahit, vel bonum commune, cuius cura auditori contingit: sed etiam bonum proximi, cui detrahitur. Præcipuè si sit subditus illi, cui ex officio incumbit detractorem corrigere. Quoniam tunc vtrinque incumbit tibi cura, scilicet, & ne detractor offendat, & ne proximus subditus lædatur in fama. Magis enim tenetur ad defensionem subditorum, quam aliorum. Peccatque contrarium faciens; non solùm contra charitatem; sed etiam contra iustitiam; atque ex consequenti tenetur ad restitutionem. Secundus casus est, quando ex eo, quòd audiens non resistit, sequitur maximum aliquod periculum, vel infamiæ, vel rerum, vel vulneris, quod ipse videt. Et hic non respicit ipsam infamiam proximi, sed solum periculum consequens, non quodcunque, sed notabile, siue illius, siue alterius. Quare regulandus erit secundum regulas non obstantis, vel participantis in crimine. Et quidem, si non obstantis noto periculo consideremus vinculum, videbimus, quòd quantum est ex parte sua non tenetur sub peccato mortali resistere, nisi ei ex officio incumbat. Sed quantum est ex parte imminentis necessitatis proximi, vel reipublicæ, siue in spiritualibus, siue in temporalibus, tenetur, sub mortali, vel veniali iuxta ipsius necessitatis conditionem. Nam si videt inde homicidia, vel proditionem, vel hæreticos, vel alia huiusmodi, quibus tenetur homo ratione necessitatis sibi occurrentis consulere, prouenire, nec obstat, erit peccatum mortale. Si autem videt alia leuiora solum, peccabit venialiter. Sed si consideremus vinculum participantis in crimine; tũc ipsa auditio tanquã causa, vel concausa periculi consequentis constituet ipsum audientem in vinculo peccati mortalis, & obligationis restituendi. Quod contingit, etiam quando solum materialiter damnum concausabit, nec de hoc est sibi curæ cum regula iuris sit, quòd qui causam damni dat ipsum damnum dare est censendus. Tertius casus est, quando ex timore humano omittit quis detractori obsistere. Et hic solum respicit personam audientis. Contingitque quando in alicuius animo ità timor dominatur, vt charitati fraternæ præponat humana. Sed, vt bene aduertit Diuus Thomas in isto articulo, taliter audiens detractorem, non peccat mortaliter, quia ipsa non resistentia sit mortalis; sed quia timor ipse humanus mortale peccatum est. Solutiones argumentorum à D. Thom. positæ in isto artic. sunt valde notandæ. Videte illas.

Sententia Caiet.

Casus in quibus audiens detractorem peccat mortaliter.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an qui audiens alicuius notabilem defectum, vel culpæ, vel generis, procurat ipsum cognoscere, peccet mortaliter? Ad cuius explicationem dico primò, quòd si bono aliquo fine id faciat, ob rectã, scilicet, prouisionẽ, electionẽ, matrimoniũ, nullum peccatũ committit, modò ab ijs informationem accipiat, qui obesse nõ possint. Vnusquisq; enim

Dubium.

1. Dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rectè facit omnia considerans, quæ rei sibi incumbenti conducere possunt. Dico secundò, quòd si malo fine id faciat, peccatū erit, vel mortale, vel veniale, iuxta qualitatem finis, vel periculi, vel scandali inde subsequuti. Si autem id solum faciat ex curiositate, aut leuitate, non erit peccatum mortale, sed solum veniale, vt docet D. Thom. infrà quæst. 167. artic. 2. ad 4. & Nauarro in Manuali cap. 23. num. 26. Maximè quando verum sciri poterit nullo alio interueniente, à quo defectum interrogare oporteat; sed ipso, qui inquirit, scripturas aliquas, vel signa in ecclesijs posita, quæ vulgò appellantur, lambenitos, legente. De hac re videndus est Corduba, in tractat. de casibus conscientiæ. quæst. 57. Et hæc de tota ista materia dicta sufficiant.

2. Dictum.

QVÆSTIO. LXXIIII.
De Susurratione, in duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrum susurratio sit peccatum distinctum à detractione?

Infr. q. 75. art. 1. cor. & Ro. 1. lect. 8.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd susurratio non sit peccatum distinctum à detractione. Dicit enim Isidor. in lib. Etymologiarum, * Susurro de sono locutionis appellatur: quia non in facie alicuius, sed in aure loquitur detrahendo. Sed loqui de altero detrahendo ad detractionem pertinet: ergo susurratio non est peccatum distinctum à detractione.

Lib. 10. ca. 18. incipit Sapiens ait, paruiante medium.

¶ 2 Præterea, Leuit. 19. dicitur, Non eris criminator, nec susurro in populis. Sed criminator idē videtur esse quod detractor: ergo etiam susurratio à detractione non differt.

¶ Præterea, Eccles. 28. dicitur, Susurro & bilinguis maledictus erit. Sed bilinguis videtur idem esse quod detractor, quia detractorum est duplici lingua loqui: aliter scilicet in absentia, & aliter in præsentia: ergo susurro idē est quod detractor.

¶ SED CONTRA est, quod Rom. 1. super illud, Susurrones, detractores, dicit * glos. Susurrones inter amicos discordiam seminantes, detractores, qui aliorum bona negant vel minuūt.

Glo. interli nearis ibidem.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd susurro & detractor in materia conueniunt, & etiam in forma, siue in modo loquendi: quia vterque malum occulte de proximo dicit, propter quam similitudinem interdum vnum pro alio ponitur. Vnde Eccles. quinto, super illud Non appelleris susurro, dicit * glo. id est, detractor. Differunt autem in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi. Vnde illa mala de proximo præcipuè profert, ex quibus proximus infamari possit, vel saltem diminui eius fama: susurro autem intendit amicitiam separare, vt patet per glos.* inductā. & per illud quod dicitur Prouerbiorum vigesimo sexto, Susurrone subtracto, iurgia conquiescūt. Et ideo susurro talia mala profert de proximo, quæ possunt contra ipsum commouere animum audientis, secundum illud Eccles. 28. Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentiū immittit inimicitiam.

Glo. interli nearis ibidem.

Inductam in argum. sed contra.

¶ AD PRIMVM ergo dicendū, quòd susurro, in quantum dicit malum de alio, dicitur detrahere. In hoc tamen differt à detractore, quia non intendit simpliciter malū dicere, sed quicquid sit illud quod possit animum vnius perturbare contra alium, etiam si sit simpliciter bonum, tamen apparens malum in quantum displicet ei, cui dicitur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd criminator differt à susurrone, & à detractore: quia criminator est, qui publicè crimina alijs imponit, vel accusando, vel conuiciando: quod non pertinet ad detractorem & susurronem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd bilinguis propriè dicitur susurro. Cum enim amicitia sit inter duos, nititur susurro ex vtraque parte amicitiam rumpere, & ideo duabus linguis vtitur ad duos, vni dicens malum de alio. Propter quod dicitur Eccles. 28. Susurro & bilinguis maledictus. Et subditur. Multos enim turbauit pacem habentes.

SVMMA TEXTVS.

ADhanc difficultatem respondet Dñs Thom. vnica conclusione, quæ talis est. Susurratio & detractio conuenit in materia, & in forma; sed differunt in fine. Probatur: Tam susurro, quam detractor obloquuntur mala in proximum, ideque clanculo, & in absentia: Sed vnus, scilicet, detractor intendens denigrare famam proximi, & sic illa mala præcipuè de proximo profert, ex quibus proximus infamari potest. Alter autem, scilicet, susurro intendens amicitiam separare, & sic talia mala profert de proximo, quæ contra ipsum animum audientis conuertere possunt: ergo susurratio, atque detractio conueniunt in materia, hoc est, in malis, quæ dicuntur, & in forma, hoc est, modo dicendi, & differunt in fine: atq; ex consequenti sunt distincta peccata.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid sit susurrat.o.

SVsurratio, vt ex illo articulo colligere licet, est obloquutio mala de proximo facta occultè, ad diuidendam amicitiam. De qua est sermo Eccles. 28. quando dicitur: Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Itaque conuenit cum detractione in eo, quod vtraque dicit mala de proximo in absentia, & clanculo. Ex quo fit, vt promiscuè à Doctoribus ambo nomina aliquando accipiantur. Et sic Eccles. 5. vbi Sapiens dicit: Non appelleris susurro, glossa interpretatur, id est, detractor. Et differt ab illa in eo, quod susurro amicorum discordiam intendit, iuxta illud Prouerb. 26. Susurrone subtracto, iurgia conquiescunt. Quare certis ducit illa proferre, quæ audientis animo ab alterius amicitia direllere possunt, etiam si sint bona; diuersimodo, vel malè apparentia, vel audienti displiceant. Vt si apud prodigum de eius amico susurret quis, quod est pecuniarum tenax; & apud festiuum, & dissolutum obmurmuret, quod alter est nimis compositus, ac modestus. Cum tamen detractor solam intendat famæ læsionem, vt diximus quæstione præcedenti. Quod & ex ipsorum nominum Etymologijs colligere licet. Detractio enim idem sonat ac famæ subtractio, & diminutio. Susurratio autem solū dicit clandestinam atque adeò vitiosam ob loquutionem.

¶ Sed cum susurratio directe tendat contra amicitiam, sicut detractio contra famā, & contumelia contra honorem, & constet amicitiæ esse multas species, vnam quæ sumatur in bono honesto, alteram in bono vtili, alteram in delectabili; poterit quæri dubitare, vtrum susurratio sit vnica tantum species specialissima, vel potius in ea tot debeāt distingui species, quot sunt amicitiæ differentiæ? Ad quod breuiter dico, quod quia non inconuenit, vnam speciem specialissimam habituum tendere in rationem multis generibus communem, vt in habitibus intellectualibus, patet de Metaphysica, quæ rendit in ens, in quantum ens, & in habitibus moralibus, de vitio odij, quod tendit in communem rationem mali; idcircò mirum esse non debet quod cū sint multæ amicitiæ differentiæ, sic tamen vnica tantum species specialissima susurrationis in cōmunem inimicitiæ rationem tendens. Et sic dico, quod quemadmodum odium in quæcunque mala tendit, attingitque ea in quātum habent rationem mali; ità etiam susurratio in cuiuscunque amicitiæ diuortium ordinatur, attingitque illam, in quantum cōtinet amare, & non amari, quę est ratio cōmunis amicitiæ. Sic ne constat, quod non oportet multiplicare species susurrationis, etsi multiplicentur species amicitiæ. Sed est aduertendum, quod quia vnum vitium potest vti alio; idcirco, si quis susurrando intendat delectabile, quod contingit, quando susurro ponit discordiam inter coniuges, vt abutatur vxore alterius: aut vtile, quod contingit in eo, qui, vt ipse sibi regnum, vel comitatum vsurpet, susurrando inimicitias inter principes ponere intendit; vel denique damnum alterius, cui inuidet; quod contingerit in eo, qui susurrat inter negotiatores, vt alter à societate cōmerci excludatur, huiusmodi non est dicendus susurro simpliciter. Sed sicut qui furatur, vt mœchetur, magis est mœchus, quam fur: ità etiam in proposito huiusmodi susurrones potius sunt dicendi, adulteri, fures, &c. quam susurratores. Et sic constat, quod particulares fines, ad quos susurratio, in dissolutione amicitiæ cum ordinatur, siue spectent ad vtile, siue ad delectabile, siue ad filiorum oppositā, non variant susurrationis speciem; sed solum apponunt circunstantiam alterius speciei, vt in exemplis positis est videre.

Dubium.

Responsio.

ARTICVLVS II.

¶ Vtrum detractio sit grauius peccatum, quàm susurratio.

Mal. q. 10. ar. 3. ad 3.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd detractio sit grauius peccatum, quàm susurratio. Peccata enim oris consistunt in

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc, quòd aliquis maledicit. Sed detractor dicit de proximo ea quæ sunt mala simpliciter: quia ex talibus oritur infamia, vel diminuitur fama. Susurro autem non curat dicere nisi mala apparentia, quæ scilicet displicent audienti: ergo grauius peccatum est detractio, quàm susurratio.

2 ¶Præterea, Quicunque aufert alicui famam, aufert ei non solum vnum amicum, sed multos: quia intellectus vniuſ cuiusq; refugit amicitiam infamiũ personarum. Vnde contra quendam dicitur Paralipomenon decimonono. His qui oderunt Dominum, amicitia iungeris. Susurratio autem aufert vnũ solum amicum. Grauius ergo peccatũ est detractio, quàm susurratio.

3 ¶Præterea, Iacobi 4. dicitur. Qui detrahit fratri suo, detrahit legi, & per cõsequẽs Deo qui est legislator. Et sic peccatum detractionis videtur esse peccatum in Deum, quod est grauissimum, vt supra * habitum est. Peccatum autem susurrationis est in proximum: ergo peccatum detractionis est grauius quàm peccatum susurrationis.

Q.20.a.3. & 1.2.qu. 73.artic.3 & 6.

¶Sed Contra est, quòd dicitur Eccles. quinto, Denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odiũ, & inimicitia & contumelia.

¶Respondeo dicendum, quòd sicut supra * dictum est, peccatum in proximum tanto est grauius, quanto per ipsum maius nocumentum proximo infertur. Nocumentum autem tanto maius est, quanto maius est bonum quod tollitur. Inter cætera verò exteriora bona præeminet amicus: quia sine amicis nullus viuere potest, vt patet per Philosophum in *. 8. Ethicor. Vnde dicitur Eccles. 6. Amico fideli nulla est comparatio: fama autem ipsa quæ per detractionẽ tollit, ad hoc maximè necessaria est, vt homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideo susurratio est maius peccatum, quàm detractio, & etiam quàm contumelia: quia amicus est melior, quàm honor, & amari, quã honorari: vt in. 8. *Ethic. Philosophus dicit.

Ar. 3. & 1.2.q.73. art.8.

Li.8.Eth. capit. 1.in princ.to.5.

Lib.8.cap. 8.to.5.

Ad Primvm ergo dicendum, quòd species & grauitas peccati magis attenditur ex fine, quàm ex materiali obiecto. Et ideo ratione finis susurratio est grauior, quanuis detractor quãdoq; peiora dicat.

¶Ad secundum dicendum, quòd fama est dispositio ad amicitiam, & infamia ad inimicitiam. Dispositio autẽ deficit ab eo ad quod disponit: & ideo ille qui operatur ad aliquod, quod est dispositio ad inimicitiam, minus peccat, quàm ille qui directe operatur ad inimicitiam inducendam.

¶Ad tertium dicendum, quòd ille qui detrahit fratri, in tantum videtur detrahere legi, in quantum contemnit præceptum de dilectione proximi: contra quod directius agit qui amicitiam disrumpere nititur. Vnde hoc peccatũ maximè contra Deum est: quia Deus dilectio est, vt dicitur primæ Ioannis. 4. Et propter hoc dicitur Prouerb. 6. Sex sunt quæ odit Dominus & septimum detestatur anima eius, & hoc septimũ ponit eum, qui seminat inter fratres discordiam.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet Diu. Thom. vnica conclusione, quæ talis est: Susurratio ex genere suo grauius peccatum est, quam detractio, atque etiam quam contumelia. Probatur: Eo peccatum censetur maius, quo nocumentum, quod infert maius est; & eò nocumentum est maius, quo bonum, quo priuat, maius est, vt ex superioribus patet: sed amicitia, qua priuat susurratio, est longè maius bonum, quam honor, atque fama, quibus priuant detractio, & contumelia: ergo susurratio grauius peccatum est istis. Consequentia cum maiori est nota, & minorem probat Diuus Thomas tum ex Ecclesiastico cap. 6. dicente: amico fideli nulla est comparatio: tum etiam, quia bona fama atq; honor in hoc vtiles sunt, vt multorum quis amicitiam conciliet, atque adeo per regulam posterioristicam, amicitia præstantior erit quam fama.

Explicatio Articvli.

Tota ratio, propter quam Diu. Thom. in hoc articulo affirmat, susurrationem esse grauius peccatum, quam detractio, & contumelia, est, quia susurratio priuat amicitia, quæ maius bonum est, quã honor, & fama, quibus detractio & contumelia nocent; & in peccatis, quæ fiunt contra proximum, id censetur maius, quod est contra maius bonum. Sed vt hæc ratio vim atque efficaciã habeat, duo à nobis in præsenti sunt examinanda. Primum: Vtrum ita verum sit, quod amicitia est maius bonum, quam fama, atq; honor. Secundum: vtrum dato, quod amicitia sit maius bonum, id sufficiat, vt susurratio sit grauius peccatum, quam contumelia, vt Diu. Thom. in hoc articulo affirmat. Ad primum igitur deuenientes, pro parte negatiua argumentor in hunc modum: fama propinquior est virtuti, quam amicitia; qui enim moribus præstant, statim in aliorum notitiam veniunt; & si non ità facile in amicitiam, quia non omnes sunt virtutis amatores: ergo fama præstat amicitiæ. ¶Secundò: Fama ad plures extenditur, quam amicitia; plures enim sunt, quibus studiosus est notus, quam quibus est amicus: ergo est præstantior amicitia. Soto libro. 5. de Iustitia, quæstione. 11. articulo. 1. vt ad hanc difficultatem respondeat, supponit, nec famã, nec honorem, nec amicitiam esse veras virtutes, atque adeo, nec spiritualia bona, in quibus vera felicitas consistat; sed tantum virtuti agnita. Idque colligere sibi videtur ex Aristotel. lib. 8. Ethicor. dicit tamen, quòd amicitia præstat famæ, quia amicitia non gignitur ex virtute, nisi per eius notitiam, in qua fama consistit: atque adeo est præstantior fama tanquam illius finis. Frustra enim esset virtutis notitia, nisi homines per illam ad studiosi amorem allicerentur. Ego tamẽ qui in primo tomo, quæst. 23. art. 4. circa solutionem ad primum argumentum D. Thomæ pluribus probaui amicitiam, quæ in bono honesto fundatur (de hac enim solum in præsenti est sermo) simpliciter, & absolutè esse virtutem vniuocè cum alijs moralibus, quam etiam sententiam tenent Enricus de Ganda. quodl. 11. q. 10. Guido Carmelita, in suis quodlibetis Buridan°. 3. Ethi. q. 3. & Paludanus in. 3. distinct. 27. q. 1. art. 2. facilius potero excellentiã amicitiæ supra famam, atque honorem ostendere ex eo, quòd illa ad bona pertinet spiritualia, in quibus vera felicitas consistit; cum tamen ista inter bona corporalia connumerentur. Et certum sit spiritualia præferenda esse corporalibus. Ex quo factum fuit, vt omnes Philosophi, qui de amicitia loquuntur, eam summis laudibus efferrent. Nam Cicero in Lælio dicit; Solem de medio tollere videntur, qui amicitiam tollunt, qua nihil præstantius à dijs immortalibus hominibus datum est. Et Seneca ad Lucillum: Sapiens vult amicis conuiuere, vt virtutem exerceat, ne tanta virtus pereat. Et Salustius: concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Et Plautus in Cruento, Vbi amici, inquit, ibi opes. Et apud Scythas, vt Lucianus ait, ille habebatur ditissimus, qui optimos amicos habebat. Arist. etiam. 9. Ethi. cap. 9. affirmat ex externis, maximum & summum bonum esse amicum. Et si quis obijciat: Virtus non potest auferri ab eo, in quo est, ipso inuito; auferetur enim per peccatum, quod ab inuito committi non potest, cum ex natura sua sit voluntariũ; sed amicitia potest auferri ab eo, in quo est, ipso inuito; est enim mutuus amor, vt docet Aristot. lib. 8. magnorum moralium cap. 2. & is, qui mihi hactenus erat amicus, potest fieri inimicus, contra meam voluntatem: ergo amicitia non est virtus. Respondeo, quod si is, qui mihi erat amicus, efficiatur me inuito inimicus meus, amicitia in me manens retinet rationem formalem virtutis. Nam est habitus electiuus in mediocritate consistens, quamuis deficiat illi materia. Sicut si ab eo, qui vere liberalis est, vi auferantur diuitiæ, ille retinet virtutem liberalitatis, licet desit eius exercẽdæ materia. Sed quoniã à multis negatur, amicitiam esse habitum electiuũ in mediocritate consistentem, secundum quem promptè & delectabiliter operamur opera studiosa, & difficilia, quæ est vera ratio virtutis, oportebit singula suo ordine probare. Et quidem, quòd amicitia sit habitus, est res manifesta. Tum, quia non solum dicimur amici, quando actu diligimus, sed etiam quando cessamus à dilectione. Tum etiam, quia experientia constat, quod exercitio actuum reddimur promptiores, & faciliores ad diligendos amicos: quod sine habitu fieri non potest. Quod autem iste habitus sit electiuus, & in mediocritate cõsistens, patet ex communi sententia omniũ Philosophorum, qui honestam amicitiam magnopere laudant. Et similiter, quod secundum illam promptè, & delectabiliter operemur, est notissimum; cùm nihil delectabilius, & maiori cum suauitate fiat, quã illud, quod sit ex vera amicitia. Sed quod hæc virtus versetur, circa difficile probatur: Nam nihil est magis difficile, quàm secundum prudentiam amicitiam seruare, vbi, & quando, & cum quibus oportet. Maximè cum illa sit media inter duo extrema turpia; quorum vnum est indulgentia, alterum odiũ, seu inimicitia. Indulgentia opponitur amicitiæ per excessum: & odium per defectũ, vt autor est Aristoteles lib. 2. Ethicor. cap. 7.

Dubiũ an amicitia sit maius bonum quam fama aut honor.

1. argum.

2. argum.

Sententia Soti.

Sententia autoris.

Obiectio.

Responsio.

Amicitia est habitus electiuus in mediocritate consistẽs &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap.7. ¶Ad primum argumentum in contrarium factum respondetur, negando antecedens. Nam cum amicitia sit vera virtus moralis, vt modo dicebam, fieri non potest, vt fama, aut honor, quæ virtutes consequũtur, sint propinquiora illis. Eò vel maximè, quod quanuis amicitia non esset virtus, sed eius filia, vt Soto dicebat, adhuc esset falsum, quod fama, aut honor essent propinquiora virtuti. Quod ex eo colligitur, quòd sicut virtus nihil à fortuna pendet: ita nec habere amicos, sed solum à virtute. Cum tamen fama atque honor maiori ex parte sint subiecta fortunæ. ¶Ad secundum respondetur similiter, negando antecedens. Quotquot enim notitiam habent integritatis hominis, ac virtutum præstantiæ, nisi corruptis ipsi sint moribus, ipsum amant; atque adeo non ad plures ex natura sua extéditur fama, quam amicitia.

Ad.1.arg.

Ad.2.arg.

Dubiũ an susurratio sit grauius peccatum quã detractio, aut cõtumelia.

¶Supposito iam, quod amicitia est maius bonum, quam fama, atque honor, examinãdum restat, an hoc sufficiat, vt susurratio, quæ amicitiam tollit, sit grauius peccatum, quàm detractio, aut contumelia; quę fuit difficultas secundo loco à nobis proposita.

Argumen.

Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum: Fama præstat honori; & tamen cõtumelia, quæ aduersatur honori, est grauius peccatum, quam detractio, quæ aduersatur famæ, propter maiorem contemptum in cõtumelia inuentum, quę efficit magis inuolũtarium, vt diximus quæstione præcedenti, articulo.3. ergo pari ratione eadem contumelia erit grauius peccatum, quam susurratio. Probo consequentiam: Nam sicut detractio importat occultam loquutionem de malo proximi, & propterea causat inuolũtarium per ignorantiam, quod minus est inuoluntario per vim, quod efficit contumelia importans claram, & apertam obloquutionem de eodem malo proximi; ita etiam, & susurratio dicit eandem occultam obloquutionem, atque adeo causat minus inuoluntarium, & sic est minus peccatum, quam contumelia. Non obstante quod finis susurrationis materialis deterius sit, quam finis contumeliæ.

Cõclusio.

¶Hoc tamen non obstante, dico, quod susurratio est longè grauius peccatũ, quam contumelia, propter rationem à D. Tho. in hoc articulo assignatam. Et præterea, quia susurratio est destructiua perfectissimæ cuiusdam virtutis; qualis est amicitia, cum ad hoc ordinetur, tanquam ad proprium finẽ, cùm tamen contumelia solum ordinetur ad destructionem honoris; qui nec virtus est, nec semper sequitur ex virtute. Et si quis obijciat: Contingere etiam potest, vt contumelioſus amicitias dissoluat: ergo tunc contumelia & susurratio non erunt differẽtes ex fine; respondeo, quod etiam si per cõtumeliam amicitiæ nõnunquam euerti possint; non tamen est ille cõtumelioſi scopus, sed tantum honorem deturpare, qui ad amicitias viam sternit: finis autem proximus susurronis est inimicitias conflare, & sic est turpior. ¶Et ad argumentum in contrariũ factum, respondetur, quod quanuis verum sit, quod contumelia est grauius peccatum, quam detractio, propter maiorem contemptum in contumelia incluſum, qui efficit magis inuoluntarium, non obstante, quod finis detractoris est denigrare famam, & finis contumelioſi tollere honorem, vt dicitur in argumento, adhuc tamen ex hoc non sequitur, quod contumelia est peior susurratione. Adeo enim bonum, quod per susurrationem tollitur, nempe amicitia, excedit bonũ, quod tollitur per contumeliam, nempe, honorem; vt etiam si in contumelia videatur esse aliqualis maior ratio inuoluntarij, quã in susurratione, vt dicitur in argumento, ad huc tamen susurratio est maius peccatum, quam contumelia. Id enim quod diximus de maiori inuoluntario augente culpam in contumelia respectu detractionis, idcircò habet verum, quia fama, quam detractio denigrat, non tantum excedit honorem in perfectione, vt ex hac parte maior grauitas malitiæ absolutè sit desumenda: cuius contrarium inuenitur in susurratione respectu cõtumeliæ. Eo, vel maxime: quod susurratio aduersatur virtuti præstantissimæ & excellẽtissimæ, quod nec detractioni, nec cõtumeliæ contingit. Et quod ita necessario sic dicendum, probatur: Nam, sicut, quanuis verum sit, quod rapina est grauius peccatum, quã furtum, propterea, quod rapina ex sua natura includit inuoluntariũ per vim, quod grauius est inuoluntario per ignorantiam in furto incluſo, vt diximus in materia de furto: si tamen ex hypothesi daremus numquã posse esse furtum, quin eius materia notabiliter excederet, materiam rapinæ, absolutè diceremus furtum esse grauius peccatõ, quã rapina; non obstante, quod plus inuoluntarij includeretur in rapina, quã in furto. Ita etiam dicimus in proposito, quod, quia susurratio semper versatur circa dissolutionẽ amicitiæ, quæ est materia notabiliter excedens læsionem honoris, quam contumelia pretendit; absolutè dicimus susurrationem esse grauius peccatum, quam contumelia: non obstante, quod in contumelia aliqualis maior ratio inuoluntarij inueniatur. Itaque illud

Ad arg.

Susurratio ex suo genere est peccatum mortale.

illud de maiori inuoluntario in peccatis cõtra proximum factis inuento, quod augere rationem culpæ diximus, intelligendum est, dummodo cætera sint paria, vel non multum excedẽtia. Certum est autẽ, quod in susurratione, & contumelia, nunquam cætera sunt paria, sed semper finis susurrationis est longe deterius, quam finis contumeliæ; & sic semper est grauius peccatum. Id autem, quod alicui actui semper conuenit ex sua ratione, atque per se conuenire illi est dicẽdum. ¶Ex dictis infertur susurrationem ex genere suo esse peccatum mortale. Nam cũ sit grauius contumelia, & detractione: & hæc, vt ex dictis constat, ex sua natura sint peccata mortalia, manifestè sequitur, quod etiam susurratio erit peccatum mortale. Sed est hoc intelligendum de susurratione formali, quæ est quando quis intendit separationem amicitiæ. Nam materialis ex genere suo solum est peccatum veniale, vt diximus de detractione. Et poterit esse mortale, si culpabiliter homo ad vtrumque partem sic loquatur, vt amicitiæ diuortium inferat, etiam si de hoc nõ curet, quia id multo peius est, quam notabiliter lædere honorem, aut famam proximi præter intentionẽ. Quod satis esse diximus ad hoc, vt tam detractio, quam contumelia materialis peccatum mortale sit.

Dubium.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco. Vtrùm aliquando sit licitum aliquorum amicitias dissoluere. Ad cuius explicationem dico primò, quòd susurrare ad dirimendam pernitiosam amicitiam modò verè, & citra infamationem id fiat, virtus est, & non peccatũ. Etiam si ad id faciendum opus sit nonnulla naturalia hominis vitia commemorare. Vt si ad separandum hominem ab amica dixeris, eam esse deformem, aut insulsam, &c.

1. dictum.

2. dictum.

¶Dico secũdo, quod dissociare amicos, quorũ amicitia in bono honesto & virtute fundatur, semper est peccatum, vel mortale, vel veniale. Erit quidem peccatum mortale, quotiescunque aliquis ex amicis inimicos facere contendit. Nam si tantum assiduam familiaritatem amouere procurat, poterit esse veniale, etiam si ex intentione id faciat.

Aliud dubium.

¶Est aliud dubium: Vtrùm sit licitũ alicui habere intentionem dicimẽdi aliquorũ amicitiã causa propriæ vtilitatis. Verbi gratia: Est aliquis intimus amicus Regis. Ego autem cupio eandem apud regem obtinere amicitiam nec possum, nisi dissoluta ea, quam alter habet cum illo. Dubiũ est, vtrũ id intendere possim. Ad cuius explicationẽ dico primò per detractionem male dicendo, id nunquam licere. Non enim sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Dico secundò, quod asserendo veras caulas, licitum est talis amicitiæ direptionem intendere, vel saltim non est peccatum mortale. Ita affirmat Soto lib.5. de Iustitia, quæst.11. art.1. Et ratio illius est: Quia vnusquisque sine vi, & fraude potest sibi commodum, cuius dignus est, procurare, vtiturque tunc iure suo, in quo nulli facit iniuriam. Caietanus aduertit, quod quando alter amicorum est infidelis, nullum est peccatum talem amicitiam per susurrationẽ dirimere; quia vnusquisque potest innocentis saluti consulere, etiam cum detrimento nocentis: quod ego verum existimo.

2. dictum.

QVÆSTIO. LXXV.

De Derisione, in duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

¶Vtrum derisio sit speciale peccatum, ab alijs præmissis distinctum.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd derisio non sit speciale peccatum, ab alijs præmissis distinctum. Substannatio enim videtur idem esse quod derisio. Sed substannatio ad contumeliam videtur pertinere: ergo derisio non videtur distingui à contumelia.

2 ¶Præterea, Nullus irridetur nisi de aliquo turpi, ex quo homo erubescit. Huiusmodi autem sunt peccata, quę si manifestè de aliquo dicuntur, pertinẽt ad contumeliam: si autem occultè, pertinent ad detractionem, siue susurrationem: ergo derisio non est vitium à præmissis distinctum.

Et habetur de pœnit. d.3. c. Irrisio est.

3 ¶Præterea, Huiusmodi peccata distinguuntur secundum nocumẽta quæ proximo inferuntur. Sed per derisionẽ non infertur aliud nocumentum proximo, quàm in honore, vel fama, vel detrimento amicitiæ: ergo derisio non est peccatum distinctum à præmissis.

¶SED CONTRA est, quod derisio fit ludo. Vnde & illusio nominatur. Nullum autem præmissorum ludo agitur, sed serio: ergo derisio ab omnibus prædictis differt.

¶RESPONDEO dicendum, quod sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut suprà dictum * est, peccata verborum præcipuè pensanda sunt secundum intentionem proferentis. Et ideo secundum diuersa, quæ quis intendit, contra alium loquens, huiusmodi peccata distinguuntur. Sicut autem aliquis conuiciando intendit conuiciati honorem deprimere, & detrahēdo diminuere famam, & susurrando tollere amicitiam: ita etiam irridendo aliquis intendit, quòd ille qui irridetur, erubescat. Et quia hic finis est distinctus ab alijs, ideo etiam peccatū derisionis distinguitur à præmissis peccatis.

q.72.a.2.

¶ Ad Primvm ergo dicendū, quod subsannatio & irrisio conueniunt in fine: sed differunt in modo: quia irrisio fit ore, id est, verbo & cachinnis: subsannatio autem naso rugato, vt dicit * glossa, super illud Psalmi. 2. Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Talis autē differentia non diuersificat speciem. Vtrunque tamen differt à contumelia, sicut erubescētia à dehonoratione. Est enim erubescentia timor dehonorationis, sicut Damasc.* dicit.

Glos. interlinearis, & Augu. hoc loco.

Li. 2. Orth. fidei, c. 15.

¶ Ad secundum dicendum, quòd de opere virtuoso aliquis apud alios & reuerentiam meretur & famā, & apud seipsum bonæ conscientiæ gloriam, secundum illud. 2. ad Corint. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Vnde econuerso de actu turpi, id est, vitioso, apud alios quidem tollitur hominis honor & fama: & ad hoc contumeliosus & detractor turpia de alio dicunt. Apud seipsum autem per turpia, quæ dicuntur, aliquis perdit conscientiæ gloriam per quandā confusionem & erubescentiā: & ad hoc turpia dicit derisor, & sic patet quòd derisor communicat cū prædictis vitijs in materia: differt autem in fine.

¶ Ad tertium dicendum, quòd securitas conscientiæ & quies illius magnum bonum est, secundum illud Prouerbiorū decimoquinto. Secura mens quasi iuge conuiuium: & ideo qui conscientiam alicuius inquietat, confundendo ipsum, aliquod speciale nocumentum ei infert. Vnde derisio est peccatum speciale.

Svmma Textvs.

Conclusio est affirmatiua. Et probatur: Peccata, quę verbis committuntur, ex intentione, vt supra dictū est, existimantur: sed intentio derisoris est diuersa ab ea, quam habet, vel detractor, vel cōtumelios⁹, vel susurro; sicut enim contumeliator honori intendit derogare, & detractor famam diminuere, & susurro amicitiā extinguere, ità etiā irrisor erubescentiam, & pudorem alteri offundere: ergo hoc vitium est distinctum ab illis.

Artic. II.

¶ Vtrùm derisio possit esse peccatum mortale.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur quod derisio non possit esse peccatum mortale. Omne enim peccatum mortale cōtrariatur charitati. Sed derisio nō videtur contrariari charitati: agitur enim ludo quandoque inter amicos, vnde & delusio nominatur: ergo derisio non potest esse peccatum mortale.

2 ¶ Præterea, Derisio illa videtur esse maxima, quæ fit in iniuriam Dei. Sed non omnis derisio quæ vergit in iniuriam Dei, est peccatum mortale: alioquin quicunq; recidiuaret in aliquod peccatum veniale, de quo pœnituit, peccaret mortaliter. Dicit * enim Isidor. quòd irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Similiter & sequeretur, quòd omnis simulatio esset peccatum mortale: quia sicut Greg. dicit * in Moral. Per strutionem significat simulator, qui deridet equū, id est, hominem iustū, & ascensorē, id est, Deum: ergo derisio non est peccatum mortale.

Lib. 2. de summo bono, c. 16. in principio.

Li. 31. c. 6. & c. 12. simul.

3 ¶ Præterea, Contumelia & detractio videntur esse grauiora peccata, quā derisio: quia maius est facere aliquid seriò quàm ioco. Sed non omnis detractio, vel contumelia est peccatum mortale: ergo multo minus derisio.

¶ Sed Contra est, quòd dicitur Prouer. 3. Ipse deridet illusores. Sed deridere Dei est æternaliter punire pro peccato mortali, vt patet per id quod

dicitur in Psalm. 2. Qui habitat in cœlis, irridebit eos: ergo derisio est peccatum mortale.

¶ Respondeo dicendum, quòd irrisio non fit nisi de aliquo malo, vel defectu. Malum autem, si sit magnum, non pro ludo accipitur, sed seriosè. Vnde si in ludum, vel risum vertatur, ex quo irrisionis, vel illusionis nomen sumitur: hoc est quia accipitur, vt parvū. Potest autem aliquod malum accipi, vt parvum dupliciter. Vno modo secundum se: alio modo ratione personæ. Cum autem aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit: quia secundum se parvum malum est, est veniale & ieiunè peccatū, secundum suum genus. Cum autem accipitur quasi parvum ratione personæ, sicut defectus puerorum & stultorum; parum ponderare solemus: sic aliquem illudere, vel irridere, est eū omnino parvipendere, & eum tam vilem æstimare, vt de eius malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic derisio est peccatum mortale, & grauius quàm contumelia, quæ similiter est in manifesto. Quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè, illusor autem in ludum: & ita videtur esse maior contemptus, & dehonoratio. Et secundum hoc illusio est grauius peccatum, & tanto grauius, quanto maior reuerentia debetur personæ quę illuditur. Vnde grauissimum est irridere Deum, & ea quæ Dei sunt: secundū illud Isaiæ. 37. Cui exprobrasti? & quē blasphemasti? & super quem exaltasti vocem tuam? Et postea subditur. Ad sanctum Israel. Deinde secundum locū tenet irrisio parentum. Vnde dicitur Prouerb. 30. Oculum, qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilę. Deinde iustorum derisio grauis est: quia honor est virtutis præmium. Et contra hoc dicitur Iob. 12. Deridetur iusti simplicitas. Quæ quidem derisio valde nociua est, quia per hoc homines à bene agendo impediuntur, secundum illud Gregor. Qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis euellunt.

In corp. ar.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quod ludus non importat aliquid contrarium charitati respectu eius, cū quo luditur. Potest tamen importare aliquid contrariū charitati respectu eius, de quo luditur, propter contemptum, vt dictum * est.

In corp. ar.

¶ Ad secundum dicendum, quòd ille qui recidiuat in peccatum de quo pœnituit, & ille qui simulat, nō expresse Deum irridet, sed quasi interpretatiuè: inquantum scilicet ad modum deridentis se habet. Nec tamen venialiter peccando aliquis simpliciter recidiuat, vel simulat, sed dispositiuè, vel interpretatiuè.

In corp. ar.

¶ Ad tertium dicendum, quòd derisio secundum suam rationem leuius aliquid est, quàm detractio, vel contumelia: quia non importat contemptum, sed ludum. Quandoque tamen habet maiorem contemptū quàm contumelia, vt supra dictum * est, & tunc est graue peccatum.

Svmma Textvs.

Antequam D. Tho. ad propositā difficultatem respondeat, præmittit, quod cum derisio non sit nisi de aliquo vitio, aut naturali, aut morali; considerandū erit, an vitium illud, sit per se ingens, & graue, an verò per se parvum. Et quidem, si sit per se magnum, non poterit secundum suā naturam esse materia derisionis, sed potius eius commemoratio, vt seria improperatio ex natura sua reputabitur. Et si in risum & iocū proferatur, quod requiritur ad derisionē id erit, quia narratur, vt parvū. Dupliciter autē potest contingere, q̄ vitiū aliquod tanquam exile & pusillum risu & lusu proferatur. Scilicet, vel tanquā parvū. Et tenue secundū se, aut respectu personæ, quæ parui penditur. Hoc supposito respondet D. Tho. ad difficultatē per duas propositiones. Prima cōclusio: Exponere peccatū alienū, aut naturalē defectū irrisioni tanquā parvū se cundū se, nō est peccatū mortale, ex genere suo, sed tantum veniale; si alter inde aliquo modo pudefiat. Nam tum exigui momenti

poterit

Universidad de Deusto
Biblioteca

poterit esse res, vt nullum sit peccatū. Hæc conclusio non probatur in litera, sed eius ratio est manifesta; cum omne peccatū ratione leuitatis materiæ possit esse veniale. Secunda conclusio: Exponere peccatū alienū irrisioni tanquam paruum, non quidem per se, quia magnū absolutè æstimatur, sed respectu personæ, cui obijcitur, quę pro vili habetur, atque adeo pro nihilo ducitur, eam tali vitio notare, est peccatū mortale, idq; grauius quā cōtumelia, tantòq; enormius, quātò persōnæ, quæ illuditur maior erit habēda reuerētia. Probatur: Magnum vitiū alteri in faciem obijcere, peccatū est contumeliæ ex genere suo mortale, vt diximus in superioribus: sed quod per itoniam, vel sub risus schemate proferatur, re vera non minuit culpā: quin potius eò magis auget illā, quo taliter irrisione ea persona adeo notatur vilis, vt nō magni fiat tale vitiū ei impingere, sicut nihili æstimatur pueros, & stultos homines, alioſque abiectę sortis similiū vitiorū nominib⁹ denotare: ergo huiusmodi expositio magni peccati per risum, tanquam si esset paruū, ex genere suo est peccatū mortale, & grauiꝰ atque deterius, quā contumelia: Quoniā autē dixit D. Tho. huiusmodi peccatū esse tantò grauius, quantò maior reuerentia debetur personæ, quę illuditur; infert ex hoc, grauissimam omnium derisionum, esse illam, qua Deus deridetur, vel aliquid quod ad Deum pertineat: iuxta illud Isai. 37. Cui exprobrasti? & quem blasphemasti? & super quē exaltasti vocem tuam? Et postea subdit: Ad sanctum Israel, vt peccati grauitas magis declararetur. Post istam, secundum locum tenet derisio parentum. Tertium derisio iustorum, quia honor est præmium virtutis.

Explicatio dvorvm Articulorum.

Quid sit derisio.

PRo intelligentia totius materiæ de irrisione, seu derisione, aduertendum est primò, quòd derisio, vt ex Diu. Thom. articulo primo, huius quæstionis colligere licet, est, cùm quis malum, vel defectum alicuius in ludum, vel risum ponit, vt erubescat. Estque speciale peccatum; vtpote quod specialem habet finem. Sicut enim in contumelia intenditur honoris detrimentum, & in detractione famæ, & in susurratione amicitiæ: sic etiam in derisione erubescentia. Dicitur autem propriè derisio, si fiat verbis, vel cachinno: & subsannatio si fiat rugato naso, & illusio si fiat factis. In quibus vnus, atque idem est finis atq; adeo ad vnam & eandem speciem specialissimā vitij pertinent. ¶Secundo est aduertendum, quod, vt constat ex eodem D. Thom. articulo secundo, tunc derisio est peccatum mortale, quādo malum, quod ex se est graue, seu notabile existimatur ità leue, ratione personæ, quam parui facimus, vt de eo non sit curandum, sed quasi habendum pro ludibrio. Si autem hoc fiat, quia malum est paruum ex se, solum erit peccatum veniale. Quod Alexander Alensis limitat, & bene, dummodo proximus ex tali parui criminis obiectione non perturbetur notabiliter. Nam qui vitium non adeò per se magnum alteri illudendo obijcit, sciens talem irrisionem eū grauissime laturum, proculdubiò peccaret mortaliter, contra charitatem. Est autem huiusmodi peccatum derisionis grauius detractione, & contumelia. Nam licet contumelioſus deprimat honorem & detractor famam; neuter tamen ad tantum personæ cōtemptum peruenit, ad quantum venit derisor, pro fatuo, aut nihilo habens, & haberi volens eum, quem irridet, vt erubescat comparere inter homines. Et si quis obijciat, Cōtumelia est contra honorem, derisio verò contra verecundiam; sed præstantius bonū est honor, quam verecundia: ergo contumelia grauius peccatum erit dicendum, quam derisio; Respondeo, quod vitiorum grauitas non inde semper desumenda est, vnde specie distinguūtur, quanuis hęc sit potissima, sed etiam ex multis aliis, nempe, vel ex dignitate eius, qui peccat, vel personæ in quam peccatur: vel ex intentione voluntatis, & affectu peccati: vel ex nocumento illato proximo, quando est intentum, aut prę uisum, aut etiam sequitur per se ex peccato; vel denique ex iniuria, quam ipsum peccatum inuoluit, vt docet D. Thom. in materia de peccatis per multos articulos. Et sic dico, quod licet finis contumeliæ qui est læsio honoris, à qua ipsa speciem sumit, sit deterius, quàm finis derisionis, qui est erubescentia, & pudor, adhuc tamen derisio est grauius peccatum, propter maiorem contēptum in illa inuentum. Sicut in superioribus diximus de contumelia respectu detractionis: Non obstante, quod finis detractionis est peius quam finis cōtumeliæ. Adde, quod derisio habet semper adiunctam contumeliam, qua in præsentia irrisi eius vitium imporatur; quanuis singulari modo. Quando autem dicimus peccatum derisionis esse grauissimum loquimur de illo formaliter; hoc est, quando hīt ex intentione irridendi. Qualis fuit in Thobia Ammonite, dum Iudæos ædificantes irrideret ac diceret: Si ascenderit vulpes transiliet murum eorū lapideum. Contra quem Nehemias lib. 2. Esdræ cap. 4.

Obiectio.

Responsio.

Quādo derisio sit peccatum mortale.

cap. 4. in hunc modum loquebatur: Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui, cōuerte opprobriū super caput eorū. Et paulò post subditur: Ne operias iniquitatem eorū coram facie tua, & peccata eorum non deleātur; quia irriserunt ædificantes. Est autem hoc peccatum tanto grauius, quantò de virtute maiori, & persona maiori irridetur, vt cum deridetur iusti simplicitas, aut persona posita in exemplum Ecclesiæ, vt D. Thō. in fine. 2. articuli declarat. Si vero in Deum & sanctos fuerit facta derisio, grauius erit peccatum. Sed non est tunc simplex derisio, sed blasphemia; vt docet Caietanus in summa, verbo, blasphemia, colligiturque ex Isai. cap. 37. Vbi derisores Dei Israel, blasphemi appellantur. Et Lucas cap. 22. loquens de illis, qui Christo deridentes dicebāt: Prophetiza nobis: quis est qui te percussit? Subdit statim. Hæc & alia multa blasphemantes dicebant in eum.

QVÆSTIO. LXXVI.

De Maledictione, in quatuor Articulos diuisa.

Artic. vlvs. I.

¶Vtrum liceat maledicere aliquem.

4. di. 18. q. 2. a. 1. q. 2. ad. 1. et vlt. q. 2. art. 8. ad. 10. & 15. & Psa. 5. col. 7. & Rom. 11 et ca. 12 cap. licet. 3.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod non liceat maledicere aliquem. Non est enim licitū præterire mandatum Apostoli in quo Christus loquebatur, vt dicitur. 2. ad Corint. 3. Sed ipse præcipit Rom. 12. Benedicite, & nolite maledicere: ergo nō licet aliquem maledicere.

2 ¶ Præterea, Omnes tenentur Deum benedicere, secundum illud Dan. 3. Benedicite filij hominū domino. Sed nō potest ex ore eodem procedere benedictio Dei, & maledictio hominis, vt probatur Iacobi. 3. ergo nulli licet aliquem maledicere.

3 ¶ Præterea, Ille qui aliquem maledicit, videtur optare eius malum culpæ, vel pœnæ: quia maledictio videtur esse imprecatio quædam. Sed non licet desiderare malum alterius: quinimò orare oportet pro omnibus, vt liberentur à malo: ergo nulli licet maledicere.

4 ¶ Præterea, Diabolus per obstinationē maximè subiectus est malitiæ. Sed non licet alicui maledicere diabolum, sicut nec seipsum. Dicit enim Eccle. 21. Cum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam: ergo multo minus licet maledicere hominem.

Et Origenis Homil. 15. in Num. parū à med. to. 1.

5 ¶ Præterea, Numero. 23. super illud, Quomodo maledicam cui non maledixit Dominus, dicit *glos. Non potest esse iusta maledicendi causa, vbi peccatis ignoratur affectus. Sed homo non potest scire affectum alterius hominis; necetiam vtrum sit maledictus à Deo: ergo nulli licet aliquem hominem maledicere.

¶ Sed Contra est, quòd Deu. 27. dicitur, Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius. Eliseus etiam pueris sibi illudentibus maledixit, vt habetur. 4. Reg. 2.

¶ Respondeo dicendum, quòd maledicere idem est, quod malum dicere. Dicere autem tripliciter se habet ad id quod dicitur. Vno modo per modum enuntiationis, sicut aliquid exprimitur modo indicatiuo. Et sic maledicere nihil aliud est quàm malū alterius referre, quod pertinet ad detractionem: vnde quandoque maledici detractores dicuntur. Alio modo dicere se habet ad id quod dicitur per modū cause. Et hoc quidem primò & principaliter competit Deo, qui omnia suo verbo fecit, secundum illud Psal. 32. Dixit, & facta sunt. Consequenter autem cōpetit hominibus, qui verbo suo alios mouent per imperium ad aliquid faciēdum. Et ad hoc instituta sunt verba imperatiui modi. Tertio modo ipsum dicere se habet ad id quod dicitur, quasi expressio quædam affectus desiderantis id quod verbo exprimitur. Et ad hoc instituta sunt verba optatiui modi. Prætermisso ergo primo modo maledictionis, qui est per simplicem enuntiationē mali considerandum est de alijs duobus, vbi scire oportet, quod facere aliquid, & velle illud, se consequuntur in bonitate & malitia, vt ex supradictis * parret. Vnde in istis duobus modis, quibus malum dicitur per modum imperātis, vel per modum optantis, eadem ratione est aliquid licitum & illicitum. Si

1. 2. q. 20. art. 3

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim aliquis imperet, vel optet malum alterius, inquantum est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere vtroque modo erit illicitum, & hoc est maledicere, per se loquendo. Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum nec erit maledictio per se loquēdo, sed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque quidem sub ratione iusti. Et sic iudex licite maledicit illum, qui precipit iustam pœnam inferri. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando, sicut & prophetæ in scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformātes voluntatem suam diuinæ iustitiæ: licet hę imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quādoque vero dicitur aliquod malum sub ratione vtilis, puta, cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ęgritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipse melior efficiatur, vel vt saltō ab aliorum nocumento cesser.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd Apostolus prohibet maledicere per se loquendo, cum intentione mali. Et similiter dicendum ad secundum.

¶Ad tertium dicendum, quòd optare alicui malum sub ratione boni, non contrariatur affectui, quo quis simpliciter alicui optat bonum, sed magis habet conformitatem ad ipsum.

23.q.4. c. Duo istamina. ¶Ad quartum dicendum, quòd in diabolo est considerare naturam & culpam. Natura quidem eius bona est & à Deo, nec eam maledicere licet. Culpa autem eius est maledicenda, secundū illud Iob.3. Maledicant ei qui maledicūt diei. Cum autē peccator maledicit diabolum propter culpam, seipsum similiter ratione iudicat maledictione dignum: & secundum hoc dicitur maledicere animam suam.

¶Ad quintum dicendū, quòd affectus peccantis, etsi in se non videatur, potest tamen percipi ex aliquo manifesto peccato pro quo pœna est infligēda. Similiter etiam quāuis sciri non possit quē Deus maledicat secundum finalem reprobationem, potest tamen sciri quis sit maledictus à Deo secundum reatū præsentis culpæ.

Summa Textvs.

SVpposito, quod maledicere est idem, quod malum dicere, quod contingere tripliciter potest; vno modo enunciatiuè, aliorum vitia referendo, quod propriè pertinet, vel ad detractionem, vel ad cōtumeliam. 2. causaliter, seu imperatiuè, iubēdo, vt alicui fiat malū, vt quando furi dicimus q̄ suspendatur. Tertiò optatiuè, seu imprecatiue, malum alicui optādo, & hoc dupliciter, scilicet, vel per accidēs, quod contingit, quādo alicui malū imprecatur, sub ratione boni, siue quia hoc est iustū, siue, quia est vtile, vt melior fiat, aut, vt alijs non noceat iniuste; vel per se, quod contingit, quādo alicui malū imprecatur, sub ratione mali, respōdet D. Tho. ad propositā difficultatē, per tres propositiones. Prima cōclusio: Imperare, vt alicui malū fiat optareq;, aut imprecari ei malū quatenus malū est, peccatū est ex genere suo mortale. Probatur: Facere aliquid, & velle illud, cōsequuntur se in bonitate, & malitia: sed facere alicui malum, quatenus malū, est peccatū ex genere suo mortale: ergo & velle illud, siue per modū imperij, siue per modū imprecationis. Vtrunq; enim aduersatur charitati: Secunda conclusio: Imperare, optare, aut imprecari alicui malū, quatenus induit rationē boni, nullū est peccatū, sed quādoq; officiū necessariū. Probatur: Malū alicuius personæ aliquādo cōcipitur, vt mediū ad cōsequendū bonū: nā licet malū per se nō sit necessariū mediū boni finis, malitia tamē hominū accidere potest, vt sit cōducēs: ergo in hoc casu sicut voluntas finis est bona; ita etiā & imperatio, seu imprecatio talis medij. Tertia cōclusio: Huiusmodi imprecatio mali sub ratione boni vno è duobus modis fieri potest, scilicet, vel quia habet rationē iustitiæ, quo modo Deus atq; etiam iudices humani licite malefactores maledicūt, supplicio eos adiudicando, sicq; Ecclesia rebelles anathemate percutit, & prophetæ accōmodantes se diuinæ voluntati, malū peccatoribus imprecabātur: Iuxta illud: Cōfundātur superbi, quia iniustè iniquitatē fecerunt in me. Et illud: Cōstitue super eū peccatorē, & diabol' stet à dextris eius. Vel quia habet rationē vtilis. Quomodo, ei qui moribus est corruptus licitum est imprecari, aut ægritudinem

dinem, aut aliam calamitatem, qua salubriter castigatus citius resurgat.

Explicatio Articvli.

MAledictio, vt ex D. Thom. in isto articulo colligitur propriè est imprecatio, seu exoptatio mali alicui factā, sub ratione mali, id est, intendendo ipsum malum, quod contingere potest, per modum imperatiui, & per modum optatiui. Sed quoquo modo fiat distinguenda erit in formalem, & materialem, sicut de detractione, & alijs vitijs linguæ diximus. Et quidem si sit formalis, peccatum mortale erit ex genere suo. Quāuis possit fieri veniale, tam ex parte operantis, propter imperfectionem actus, vt si ex ira, aut alia passione maledicat, quanuis affectu tendat in malum, quia non ex consensu rationis in malum tendit: quam ex parte obiecti; si malum, quod quis optat, & imprecatur sit paruum, vt in alijs peccatis genere suo mortalibus cuntingere solet Maledictio autem materialis si fiat per modum optatiui non erit peccatum mortale nisi scandalū adsit. Sed si fiat per modum imperatiui, potest esse mortalis. Et ratio discriminis est. Nam qui imprecationis tenore alteri maledicit, si malam intentionem non habet, nulla ratione nocet, cū nec intentione, nec opere lædat. Qui autem, vt malum fiat imperat, etiam si malam intentionem non habeat, sed fictè id faciat, potest incautus causam damni dare, & sic peccare mortaliter. Vt si quis fictè famulis præciperet, vt nudis gladijs quempiam interficerent; & ex hoc aliquid læsionis, aut incommodi sequeretur. Dixi, maledictionem materialem, per modum imprecationis factam, non esse peccatum mortale, nisi scandalum adsit. Nam ex isto contrarium contingere poterit, quod ex ratione personæ maledicentis erit maximè considerandum. Vnde prælatus, aut quæuis grauis persona, vix sine scandalo potest malum subditis precari. Et filij parentibus, & subditi superioribus maledicentes similiter peccāt graviter, etiam si per iocum id faciant, quia est id opus non solum scandalosum, sed etiam genus contumeliæ continet. Tanta est reuerentia, quæ illis debetur. Parentes filios maledicentes, quia regulariter non habent in corde malum desiderium non peccant mortaliter. Sed consuetudo id faciendi, vt pote quæ ad correctionem nequaquam confert, & iram in odium concitare atque mouere potest; sicque quidquid malorum imprecātur serio illis optare, pessima est, & solis hominibus infimæ classis peculiaris. Et scito, quod ex hoc quod maledicens post transactam passionem doleret,

Quādo maledictio sit peccatum mortale.

si euenisset malum, quod optauit, non desumitur, sufficiens signum ad cognoscendum, quod maledictio fuit peccatum veniale, aut quod non ex intentione maledixit, vt multi falso opinantur. Nam si tempore iræ, aut alterius passionis tantum inualuit passio, vt portionem superiorem in consensum maledictionis flexerit, mortale peccatum erit. Sicut cum passio concupiscentiæ tantum exardescit, quod trahit ad consensum in actum Venereum. Quare oportebit ad ipsum passionis tempus inspicere, considerareque, an tunc maledicens consenserit, hoc est, voluerit, pro tunc, quod sic esset, vt dicebat, an non. Nam id tēpus infallibiliter ostendit an peccatum mortale fuerit, vel veniale. Et tempus quietis post passionem solum ostendit, quod non fuit persistens animus erga malum, & quod non per modum habitus, sed per modum passionis transeuntis peccauit. *Dubium.*

¶Circa secundam conclusionem huius articuli est difficultas, vtrum sit licitum alicui priuatæ personæ malum alteri optare, vel imprecari, tanquam mediū ad assequutionē boni. Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum; Quod facere non licet nullus alteri optare posse videtur: sed nulli personæ priuatæ est licitum illi, qui corruptis est moribus, damnum dare, vt emendetur: ergo nec illud ei optare. Hoc tamen non obstante dico, conclusionē D. Tho. esse verissimam; siue bonum ad cuius assequutionem malum ordinatur, sit corporale, siue spirituale. Itaque licitum est vnicuique mala hæreticis optare, propter bonum spirituale, quod ex eorū peremptione sequitur. Et illi, qui ldo omnia bona sua dissipat est licitū imprecari, vt ægrotus in lecto iaceat, ne res suas perdat, quia id non est velle malum, sed potius velle bonum iuxta verbum Christi: Melius est debilem, vel claudum intrare in regnum cælorum, quam duos oculos, aut pedes habentem mitti in ignem æternum. Eo, vel maximè, quod optare minus malum, vt eui tetur maius, manifestam habet rationem boni, atque honesti. Imo & mortem alicui optare possumus, quannis constet eum viam perditionis ingressurum, vt nostræ reipublicæ contingat pax, malaque ab ea caueātur: quia semper hæc habent rationem boni. Et ad argumentū in cōtrarium factum, respondetur, negando maiorem. Priuatæ enim personæ non est licitum alignem suis bonis priuare. Et tamen licitum est vnicuique optare vt Dei permissu, penes quem est summa potestas, aut publica autoritate, malum ei contingat, quo tanquam flagello resipiscat. *Argumen.* *Conclusio.* *Ad argu.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS II.

¶ *Vtrùm liceat creaturam irrationalem maledicere.*

Infrà a.4. ad.1.

AD SECVNDVM sic procedi-tur. Videtur quòd non liceat creaturam irrationalem maledicere. Maledictio enim præcipuè videtur esse licita, inquantum respicit pœnam. Sed creatura irrationalis non est susceptiua, nec culpæ, nec pœnæ: ergo eam maledicere non licet.

2. ¶ Præterea, In creatura irrationali, nihil inuenitur nisi natura, quam Deus fecit. Hanc autem maledicere non licet, etiam in diabolo, vt dictum * est: ergo creaturam irrationalē nullo modo licet maledicere.

Ar. prece. ad.4.

3. ¶ Præterea, Creatura irrationalis, aut est permanens, sicut corpora: aut est transiens, sicut tempora. Sed sicut Gregorius dicit * in quarto Moral. Otiosum est maledicere non existenti: vitiosum vero, si existeret: ergo nullo modo licet maledicere creaturæ irrationali.

Li.4.ca.3. paulo à prin. 24.q.3.ca. Cum ergo cap. Cum sancti.

¶ SED CONTRA est, quòd Dominus maledixit ficulneæ, vt habetur Matth.21. Et Iob maledixit diei suo, vt habetur Iob.3.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd benedictio, vel maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid benè, vel malè contingere, scilicet, rationali creaturæ. Creaturis autem irrationalibus bonum, vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam sunt. Ordinantur autem ad eam multipliciter. Vno quidem modo per modum subuentionis: inquantum, scilicet, ex creaturis irrationalibus subuenitur humanæ necessitati. Et hoc modo Dominus homini dicit Genes. tertio. Maledicta terra in opere tuo: vt, scilicet, per eius sterilitatem homo puniretur. Et ita etiam intelligitur quod habetur Deuteronomij. 28. Benedicta horrea tua. Et infrà, Maledictum horreum tuum. Sic etiā Dauid maledixit mōtes Gelboë: secundum * Gregor. expositionem. Alio modo creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum significationis. Et sic Dominus maledixit ficulneam in significationem Iudææ. Tertio modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis, scilicet temporis, vel loci. Et sic maledixit Iob diei natiuitatis suæ propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates. Et propter hoc etiam potest intelligi Dauid maledixisse montibus Gelboë: vt legitur.2. Reg.1. scilicet, propter cædem populi, quæ in eis contigerat. Maledicere autem rebus irrationalibus, inquātum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ: maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum & vanum, & per consequens illicitum.

Lib 4. Moral. c.5. in fine.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quod creatura irrationalis tripliciter potest maledici, vno modo ad ipsius creatorem referendo maledictionem: quod contingit, quando creaturę irrationales maledicuntur, inquantū sunt effectus Dei, alio modo respiciendo ad ipsam creaturam irrationalem, secundum se consideratam: quod contingit, quando quis exira, ob id quod animal aliquod non monetur, vt vult, vel nocet sibi, malum ei imprecatur, tertio, referendo maledictionem ad hominem, ad quem bruta ordinantur: omnia enim fecit Deus propter hominem, ad ipsūmque omnia irrationalia pertinent, vel per modum subuentionis, inquantum creaturis irrationalibus subuenitur necessitati humanæ: & sic Deus maledixit terræ, vel per modum significationis, inquantum ea, quæ circa rationalia contingere possunt per irrationalia significantur, & sic Christus maledixit ficulneæ, non habenti ficus, sed tantum folia, vel per modum cōtinentis, scilicet, temporis, aut loci, & hac ratione potest intelligi, quod Dauid maledixit montibus Gelboe, & Iob diei, in qua conceptus est; respondet Diu. Thom. ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Optare, seu imprecari malum creaturis irrationalibus, secundum se consideratis, otiosum, & vanum est, atque ex consequenti illicitum. Probatur: Benedictio

Benedictio, aut maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid bene, vel male contingere in ordine ad felicitatem, vel infelicitatem: sed creaturis irrationalibus secundum se consideratis, nec bonum nec malum accidere potest; sed tantum in ordine ad rationalia, ad quæ sunt relata: ergo maledicere res irrationales, illisque secundum se consideratis malum precari, aut optare est otiosum, atque ex consequenti illicitum. Secunda conclusio: Maledicere creaturis irrationalibus, quatenus sunt effectus Dei, hoc est, refundendo maledictionem in Deum, à quo sunt productæ est grauissimum peccatum blasphemiæ. Probatur: Nā hoc est maledicere ipsum Deum, quod blasphemia est. Tertia conclusio: Maledicere creaturis irrationalibus, quatenus ad homines ordinantur, hoc est, referendo maledictionem in hominem, propter quē sunt productæ, idem est ac hominibus maledicere. Atque adeò si talis maledictio contineat imprecationem mali, quatenus malum est, erit illicita atque peccatum. Si autem contineat imprecationem mali quatenus induit rationem boni, nullum erit peccatum, vt ex præcedenti articulo colligere licet.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Bruta animalia nec benedicuntur, nec maledicūtur propriè.

CIrca primam conclusionem huius articuli est aduertendō, quod quanuis creaturis irrationalibus mala quædam naturalia contingere possint, qualia sunt famescere, infirmari, mori; adhuc tamen maledici, aut benedici proprie secundum se non possunt: quia bona aut mala, quæ per benedictionē, aut maledictionem imprecamur, non sunt illius generis, quæ merè sunt naturalia, generalique Dei concursu lignis, ac saxis contingunt, sed quæ sub speciali Dei prouidentia ad humanam felicitatem referuntur, quę rebus irrationalibus conuenire non potest. Consistit enim felicitas in allequutione vltimi finis, quem creatura per actiones intendit. Atque adeò cum irrationales, & inanimæ creaturæ nec finem cognoscere, nec quidquam illuc referre valeant, ius proprie ad rem aliquam habere non possunt: sed quicquid sunt hominis sunt. Ex hoc colligere licebit, quousque tempestates, ærugines, & locustam, aliaque id genus portenta maledicere liceat. Nam quod locusta, & bruchus, patrono illis, ac procuratore consignatis, in iudicium euocentur, cōtestataq; lite cauta vtrinque agatur, ac demum anathematis cēsura exterminentur vt mos est, se dicitur apud aliquos rusticos, & in quibusdam oppidis, res est indigna viris catholicis, & quæ non minimam sacrorum irrisio nem præferet. Quod in huiusmodi calamitatibus licet, id tantum est, diuinum auxilium legitimis exorcismis aduersus dæmones, qui in vltionem delictorum nostrorum diuinitus sæpe eiusmodi incursionibus, ac turbinibus nos infestare permittuntur, implorare: sub hacque ratione terminos benedicere. Nam æruginem, aut tempestates excommunicare, illisque malum imprecari vanum est, & odiosum, & ex consequēti culpabile. Campanas benedicere, quatenus ad diuinum cultum ordinantur religionis habet prætextum, sicut & benedictio ornamē torum, & calicum quanuis etiam in his non negauerim nonnihil superstitionis aliquando posse commiscerī.

Grādis stul titia de maledictione.

Maledicere creaturas quatenus sunt effectus Dei est aperta blasphemia

¶ Circa secundam conclusionem, in qua de maledictione creaturarum, quatenus sunt effectus Dei, agitur, aduertēdum est, idē esse maledicere creaturas, hac ratione, ac maledicere ipsum Deum; cum maledictio tūc nō in creaturas, sed in autorem resundatur. Et quia imprecatur ei malum, ac si esset creatura, quod Deo conuenire non potest, cōtinet ea maledictio apertam blasphemiam, estq; semper peccatum mortale grauissimum, à quo non excusatur, qui ex subita ira, vel ex more id facit. Sicut nec excusaretur ab homicidio. Si quis autem voluerit huius peccati grauitatem cognoscere eam ex pluribus colligere poterit. Primū ex eo, quod vitium maledictionis Dei, adeò horrori habebatur antiquitus, vt viri religiosi illud proprio nomine significare non auderent: sed à contrario sensu maledictionē benedictionē nuncupabant. Vt patet ex lib. Iob ca.1. Vbi dicitur, quod eū filij Iob singulis hebdomadis cōuiuijs intenderēt, ipse mittebat ad eos, & sanctificabat illos. Consurgensq; diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordib' suis: Hoc est, maledixerint. Sic etiā, quādo testes falso accusauerūt Naboth de blasphemia dixerunt: Benedixit Naboth Deo, & Regi, hoc est, maledixit. 3. Reg.c.21. Imo & Iudæi audientes Deū blasphemare in signū horroris, & detestationis peccati, etiā illi, qui mali erāt, vestimēta sua dilacerabant. Sicut de Caipha legitur apud Matthæ. capit. 26. quod scidit vestimenta sua, cum dixit de Christo. Blasphemauit. Nec mirum, cum videatur hoc ex odio Dei procedere, quod est maximum peccatorum. Secundum, ex quo grauitas maledictionis Dei colligi potest, est, ex pœna, qua omnes leges, huiusmodi maledicentes puniunt. Lex enim diuina eos morte mulctare præcipiebat. Et sic po-

Maledictio Dei in scripturā appellabatur benedictio.

Pœna qua maledictores puniuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulo Dei per desertum ambulante ad terram promissionis, cum inuentus esset vnus, qui Deum malediceret, eum mandauit Dominus à populo lapidari. Propterea que dixit Propheta Psalmo trigesimo sexto. Maledicentes ei, id est, Deo disperibunt, hoc est, diuersis modis peribunt: morte quidem Gehennæ in alia vita, & in præsenti corporali, iuxta illud Leuitici vigesimo quarto. Qui maledixerit Deum suum morte moriatur. Lex etiam Canonica iniungit grauissimam pœnitentiam huiusmodi maledicentibus, vt constat ex capit. secundo, extra de maledict. Nullaque est respublica benè gubernata, quæ contra tales suis ciuilibus legibus conuenientes pœnas non statuat. Imó, & Saraceni maledicentes Deum faciunt terribiliter verberare. Tertiò, potest colligi grauitas peccati maledictionis Dei, ex eo, quod existentes in inferno nihil aliud faciunt, quam blasphemare, Deumque maledicere, iuxta illud Apocalypsi. capit. decimo sexto. Quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ. Et factum est regnum eius tenebrosum, & mandducauerunt linguas suas præ dolore: & blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis. Quare qui huic peccato deditus fuerit, re ipsa ostendit se ad statum damnatorum pertinere, ex quo exercet officium eorum. Terribile est valde, atque formidandum, plurimumque valens ad huius rei confirmationem exemplum, quod adducit Diuus Gregorius libro quarto Dialogo. De quodam puero quinque annorum à parentibus suis Romæ in delicijs male nutrito qui cum Deum pro qualibet re, etiam minima maledicere consueuisset, superueniente peste in vrbe, quia ille infectus fuit proximus morti parenti eum in brachijs tenenti; cœpit clamare hoc modo: Obsta pater: nam Mauri homines me capere volunt. Faciemque suam in sinu patris abscondere curabat, ne dæmones, qui in forma Æthioporum apparuerant, ipso patre nihil vidente, conspiceret. Sicque perterrefactus puer Deum blasphemare, illique maledicere cœpit, inter quæ verba spiritum emisit, & à dæmonibus fuit ductus, in infernum damnatorum, quorum artem & officium ità citò didicerat. Et quanuis in tam tenera ætate nullus vsum rationis habere consueuerit credendum est, vt dicit Diuus Thomas in tertio, in eo fuisse accelleratum, vt sic propter peccatum maledictionis Dei æternaliter puniri meruisset. Qui maledicit alicui sanctorum, vel angelorum similiter peccat mortaliter, & est blasphemus. Sicut enim honor, qui fit sanctis, redundat in honorem Dei, ipsos sanctificantis. Propter quod dicebat Psaltes: Gloriosus Deus in sanctis suis. Sic etiam & iniuria, quæ fit eisdem, illos maledicendo, dehonoratur, & quasi blasphematur Deus. Ex quo fit, vt maledictores sanctorum tanquam blasphemi puniri precipiantur in capit. primo, extra de maledictio. Dæmones, quantum ad culpam sine aliquo peccato maledici possunt, quia id nihil aliud est, quam culpam detestari, atque maledicere, quod sine illa cuicunque facere est licitum. Cæterum quantum ad naturam, & inquantum sunt effectus Dei, sine aperta blasphemia maledici non possunt: sicut nec aliæ creaturæ irrationales. Propter quod dicebat Sapiens Ecclesiastic. capit. vigesimo primo. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Cuius loci duplex potest esse sensus. Primus, quod cum impius maledicit diabolum, hoc est, dicit eum maledictum, & condemnatum; ipse etiam maledicit animam suam, hoc est, eam futuram maledictam, & damnatam ostendit: si quidem maledictum imitatur. Ad quem modum loquebatur Diuus Paulus, ad Romanos secundo, dum dixit: Inexcusabilis es, ô homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alium teipsum condemnas. Alter sensus est, quod cum impius maledicit diabolo, hoc est, malum ei imprecatur, & optat, ipse etiam maledicit animam suam, hoc est, maledicto culpæ, & pœnæ subiacet. Ex quo enim diabolus creatura est Dei, peccatum est malum ei imprecari. Propter quod in canonica Iudæ, vbi legitur, quod cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de corpore Moysi, non est ausus in eum iudicium proferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus, dicit Glossa. Diabolus in substantia est bonus, sed in voluntate malus. Et ideo ab Angelo non blasphematur, quia aliquid proferre aduersus bonam creaturam, blasphemiam reputauit Archangelus. Et Diuus Hieronymus: Si Michael non fuit ausus diabolo, & certè maledictionis dignissimo, iudicium inferre blasphemiæ, quantò magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur quidem diabolus maledictum; sed per os Archangeli blasphemia exire non debuit. vigesima quarta, quæstione tertia, capit. si igitur. Simile etiam habetur apud Zachariam capit. tertio. Vbi sic legitur:

Existentes in inferno Deū maledicunt.

Exemplū pueri quinque annorum à dæmone rapti propter maledictionē.

Maledicēter sanctos peccat mortaliter.

Ostendit

Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini, Et Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan: increpet in te Dominus Satan; & increpet in te Dominus, qui elegit Hierusalem. Scio locum istum diuersimodè à Doctoribus interpretari. Sed quoniam non est præsentis disputationis id per sequi, consulto omitto.

Maledicere creaturis irrationalib⁹ quale sit peccatum.

¶ Circa tertiam conclusionem Diui Thomæ, est aduertendum, quod maledicere creaturæ irrationali, in quantum habet ordinem ad rationalem, perinde est, ac maledicere ipsi rationali creaturæ, ad quam ordinatur. Sicut maledicere creaturis inquantum sunt Dei, perinde est, ac maledicere Deo. Atque adeo ad cognoscendum, quando maledicere creaturis irrationalibus, inquantum ordinantur ad rationales, est peccatum, ad ipsam maledictionem creaturarum rationalium, iuxta modum in primo articulo explicatum, respicere oportebit. Quando ergo quis maledicit diei, in qua natus est, aut quid simile facit; si non solo ore, sed corde maledicit, tempori inquantum continet natiuitatem suam, maledicere est intelligendus, quod est optare malum suæ natiuitati, atque adeo sibi ipsi, qui per natiuitatem in mundum est ingressus. Et quia non optat hoc, vel illud modicum malum, sed absolute maledicit natiuitati, quæ magni mali rationalis creaturæ est capax, vt constat, consequens fit, vt peccet mortaliter. Nec obstat, quod natiuitas vniuscuiusque, quia præterijt, non est amplius capax mali. Sufficit enim ad peccatum peruersitas intentionis, etiam si impossibile sit, quod intendit, vt patet in maledictione Dei, cui nihil mali potest accidere. Nec est cur agitetur scrupulo, si die festo natus est, qui diei natiuitatis suæ maledicit. Nam nisi festi maledictio intenta fuerit peccatum non aggranat. Est enim hoc per accidens respectu actus illius maledictionis, sicut & esse creaturam Dei diem illum per accidens se habet, ad actum maledicendi, qui non nisi inquantum natiuitatem suam continuit fertur in illum. Secus autem esset, si ex sola ira malediceret, nec sibi, nec alteri optans malum; sed, vt soli diuacitati satisfaceret. Nam tunc tantum esset veniale. Et qui malediceret natiuitatem suam inquantum causam malorum, optans, scilicet, illam non fuisse non simpliciter, sed non fuisse causam tanti mali, nec etiam veniale peccatum committeret. Vt fecit Iob quando diei, in quo natus est maledixit. Supra quem locum dicit Beatus Thomas, Intelligendum est Iob diei suæ maledixisse, quia eum esse malum denunciauit. Non secundum suam naturam, qua à Deo factus est, sed secundum illam scripturæ consuetudinem, qua dicitur tempus bonum, vel malum, secundum ea, quæ in tempore aguntur, iuxta illud ad Ephesios quinto, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Maledixit ergo diei suæ, inquantum malum in illa recidisse commemorat. Et modum maledictionis his verbis declarat: Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est verè, conceptus est homo. Ad quorum intelligentiam sciendum est, quod quanuis esse, & viuere sint secundum se appetibilia, esse tamen & viuere in miseria, quatenus tale, malum est, atque fugiendum. Licet interdum propter ordinem, quem ad aliquem bonum finem habet libenter sustineatur. Ex quo fit, vt illa miseria, quæ ad aliquem bonum finem non est referibilis, nullo modo sit eligenda. Bonum autem, quod ex aliqua miseria expectatur, sola ratio apprehendit, nec vis sensitiua illud percipere potest. Sicut & amaritudinem potionis percipit gustus, & sola ratio in fine sanitatis delectatur. Quare sicut qui secundum passionem sui gustus vellet exprimere medicinam, diceret eam esse malam, non obstante, quòd ratio illam bonam iudicaret propter finem: sic etiam & miseria, quam sustinebat Iob, quanuis ratione videri poterat, quantum ad aliquid vtilis: & sic appetibilis: inferior tamen pars animæ, quæ tristitia afficiebatur illam totaliter, vt aduersam repudiabat; atque adeo ipsum viuere quatenus sub tali aduersitate onerosum erat. Quia autem, quando aliquid nobis odiosum est, omnia abominamur, per quæ in illud deuenimus. Ideireo Iob, secundum partem inferiorem animæ, cuius passionem exprimere intendebat, & natiuitatem, & conceptionem suam, ex quibus in hanc miseriam venerat, odio prosequebatur; ac subinde diem natiuitatis, & conceptionis secundum illum modum loquendi, quo ea ijs, quæ in tempore aguntur, aliquid boni, aut mali tempori adscribere solemus. Conuenienter autem natiuitatem adscribit diei, & conceptionem nocti, dicens: Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est vere, conceptus est homo. Quia secundum Astrologos, natiuitas diurna laudabilior est, principali sydere, hoc est, sole, supra terram existente; & conceptio de no-

Explicatur locus Iob, diei n. iuitatis suæ maledicentis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cte frequentior est. Similis modus loquendi habetur Hieremiæ vigesimo, qui dicit: Maledicta dies, in qua natus sum. Prosequitur autem Iob suam diei, atque noctis maledictionem elegantissimis verbis dicens: Dies ille vertatur in tenebras: Non requirat eum Deus desuper: & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis: Occupet eum caligo; & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Non computetur in diebus anni; nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria; nec laude digna. Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiatam. Obtenebrentur stellæ caligine eius. Spectet lucem, & non videat; nec ortum surgentis auroræ, quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me, &c. Secundum sententiam Diui Hieronymi in prologo super Iob, liber iste à principio capitis tertij, vbi hæc verba continentur, vsque ad illud, idcirco me ipsum reprehendo, quod habetur in capit. vltimo, hexametris versibus fuit compositus, & per modum poematis scriptus. Quare eis figuris & coloribus per totum librum est vsus, quibus poetæ vti consueuerunt. Et quia fuit mos poetarum, vt vehementius mouerent, eandem sententiam per diuersa verba inducere, id facit Iob, diem suæ natiuitatis maledicens; illaque enumerat, quæ diem atque noctem nobis solent reddere odiosa. Prima dignitas diei est, quod sit clara, cum per lucem à nocte discernatur. Et hanc à die suæ natiuitatis excludit cùm dicit: Dies illa vertatur in tenebras. Quantum ad superficiem literæ forsan videbitur hæc precatio friuola, & vana, cum sit circa diem, quæ præterijt, atque adeo impossibilem, quæ vertatur in tenebras. Sed quæ per modum optantis dicuntur, nõnunquam valent magis ad explicandum iudicium, quod de re aliqua habetur, quam ad significandum desiderium. Et sic idem est dicere; Dies illa conuertatur in tenebras, ac si dixisset; Dies meæ natiuitatis debuisset esse tenebrosus; vt sic tenebris miseriæ, quam patior per omnia congrueret. Quia enim aspectus luminis delectabilis est, hinc consuenit in scripturis tristitiam per tenebras significari, Multipliciter dies aliquis clarus dici potest: Primo ex Dei sanctificatione, qui illum celebrem instituit, vt sabbathum. Et hanc claritatem remouet à prædicto die, dum dicit: Non requirat eum Deus desuper. Quasi diceret: Non exigat ab hominibus Deus, vt hunc diem celebrem faciant: sicut olim multi fuerunt exacti ad celebrandam memoriam beneficiorum. Et est sensus, quòd natiuitas sua non debet computari inter insignia Dei beneficia, eum magis ad miseriam, quam ad lætitiam sit natus. Secundò potest aliquis dies dici clarus, ex bonorum recordatione. Solent enim homines aliquos dies, in quibus aliqua magna, & iucunda acciderunt, celebres agere, sicut Pharao, qui diem suæ natiuitatis celebrauit. Et hanc claritatem excludit Iob à die suæ natiuitatis, dicens: Et non sit in recordatione hominum. Tertio: dies clarus redditur, ex corporali lumine, quod, vel ex subtractione radiorum, solis illuminantium terras, vt quando sol eclipsatur, vel ex oppositione nubium occultantium radios solis, aufertur. Et quantum ad vtrũque dicit: Obscurent eum tenebræ; & non illustretur lumine. Et tandem, quia ex defectu visuæ virtutis potest contingere, vt dies qui clarus est, obscurus alicui videatur, vt ex hac parte etiam dies natiuitatis tristis suæ videatur, dicit: Obscuret eum vmbra mortis, & inuoluatur amaritudine. Quæ significant totum, quòd de obtenebratione dictum est, ad tristitiam esse referendum. Totum, quod diximus de maledictione diei natiuitatis, debet etiam intelligi de maledictione omnium aliarũ rerum, ad creaturam rationalem ordinem habentium. Quantum attinet ad modum, quo sine culpa maledici possunt.

Liber Iob hexametris versib⁹ fuit cõpositus.

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrùm maledicere sit peccatum mortale.*

Et habetur dist. 25. circa vnum statutum.

ADTERTIVM sic proceditur. Videtur quod maledicere non sit peccatum mortale, Augustinus * enim in homilia, de igne purgatorio, numerat maledictionem inter leuia peccata. Hæc autem sunt venialia: ergo maledictio non est peccatum mortale, sed veniale.

2 ¶ Præterea, Ea quæ ex leui motu mentis procedunt, non videntur esse peccata mortalia. Sed interdum maledictio ex leui motu procedit: ergo maledictio non est peccatum mortale.

3 ¶ Præterea, Grauius est malefacere,

re, quàm maledicere. Sed maleficere non semper est peccatum mortale: ergo multo minus maledicere.

¶ SED CONTRA, Nihil excludit à regno Dei, nisi peccatum mortale. Sed maledictio excludit à regno Dei: secundum illud 1. ad Corinth. 6 Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt: ergo maledictio est peccatum mortale.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd maledictio, de qua nunc loquimur, est per quam pronuntiatur malum contra aliquem vel imperando, vel optando. Velle autem vel imperio mouere ad malum alterius, secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius, & ita secundum suum genus est peccatum mortale, & tanto grauius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare & reuereri tenemur. Vnde dicitur Leuit. 20. Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur. Contingit tamen verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo, imprecatur: vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua, talia verba profert, quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur, vt suprà * dictum est. *Quæst. 72. artic. 2.*

¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta.

SVMMA TERTIVS.

SVpposito, quòd in præsenti tantum est sermo de illa maledictione, quæ sub intentione mali per modum optatiui, aut imperatiui alicui malum imprecamur, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Maledictio ex genere suo est peccatum mortale. Probatur: Imperare malum alteri infligendum, sicut & illud cuipiam imprecari, aduersatur charitati, cuius ingenium est fratres diligere, volentes eis bonum: sed hoc pertinet ad maledictionem, vt ex suprà dictis patet: ergo maledictio ex genere suo est peccatum mortale, tantò grauius quantò personam, quam maledicimus, magis amare & reuereri tenemur. Secunda conclusio: Maledictio potest reddi venialis; vel propter exilitatem mali, quod imprecamur, vel propter defectum deliberationis, qui contingit vel quando ex leui motu, aut ludo, vel quando ex surreptione verbo tenus maledicimus. Verborum enim significatio, atq; adeo culpa ex affectu potissimè pensanda est, vt sæpè dixit D. Thom in præcedentibus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DOctrina huius articuli satis ex præcedentibus declarata manet. Sed quoniã dicit D. Tho. tantò peccatum maledictionis esse grauius, quanto personam, cui maledicimus, magis ex charitate amare, & venerari tenemur, attendere oportebit ad ordinẽ, quem in charitate obseruare debemus, vt ex ipso grauitate vnius peccati maledictionis suprà alterum colligamus. Et quia ordo est, vt primò Deus, secundò nos ipsi, tertiò parentes, quartò prælati, ex charitate diligãtur, vt in 1. tom. q. 26. per totum explicuimus, ad peccatum etiã grauissimũ, quo Deus maledicitur, deinde alia suo ordine. Sed est difficultas, vtrùm maledictio sit vna speciei specialissima peccati, vel potius in tot species distinguenda, quot sunt species malorum, quæ quis alteri imperat, vel imprecatur. Et quòd sit vna species specialissima, probatur. Detractio est vna species specialissima vitij, non obstante quòd crimina, quorum manifestatione alterius fama lædituir sint diuersa; ad eandem enim speciẽ detractionis pertinet, lædere famam manifestando homicidium, & manifestando adulterium, vt in superioribus diximus: ergo pari ratione maledictio erit vnius speciei specialissimæ, non obstante, quòd mala, quæ quis alteri potest imperare, aut optare, differant specie. *Dubium, an maledictio sit vna species specialissima. Argum.*

¶ Hoc tamen non obstante, dico cum Caietano in præsenti, maledictionẽ in tot species esse distinguendam, quot sunt species malorum, quæ quis alteri imperat, vel imprecatur, quæ est sententia D. Tho. articulo sequenti, ad secundum. Vbi dicit, quòd si ille qui maledicit, vult alteri malum occisionis, non differt desiderio ab homicida. Et similè est de alijs malis, putà, contumeliæ, infamiæ, rapinæ, percussionis, carceris, mutilationis, &c. Vniuersaliter nanque verum est, quòd optare, vel imperare aliquid ad illam speciem spectat, ad quam spectaret facere illud. Quare dico, quòd sicut odium tendit ad malum absolutè; & alia vitia, putà, homicidium, contumelia, furtum, tendunt ad tales species malorum: ità etiam maledictio in genere vnius tantum est speciei, nec differt ab odij vitio, cum ad malum vtrumque terminetur. Etsi ad species malorum impre- *Conclusio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cando descendatur, putà, sit mortuus, pauper, captiuus, æger, ad diuersas species homicidij, furti, incarcerationis, declinabit. Atq; adeo sicut odium nõ est vna species specialissima vitij, sed continet sub se plures alias, ità etiam, & maledictio. Ex quo fit, vt si quis omnia, aut multa simul mala alteri imprecabitur multarum specierum deformitates incurret, quas in confessione necessario explicare tenebitur, vno peccato aliud circunstãte, vt sæpè sæpiùs contingit. ¶ Et ad argumẽtum in contrarium factum respondetur, cõcesso antecedenti, negando consequentiam. Non enim est eadem ratio detractionis, & maledictionis. In detractione nanque, quia finis detrahentis solum est lædere in fama, omnia illa, quæ dicit propter istum finem habent se velut materialia, atq; adeo sub ea dem specie detractionis, plures alias species distinguere non possunt, cum peccata non per materialia, sed solum per formalia, & quæ habent rationem finis in specie constituantur & distinguãtur. In maledictione autem, quia ille, qui optat, aut imperat alteri mortem, sub intentione mali, non solum vult ei malum absolutè, sed etiam illud particulare quod imprecatur, sit, vt malitia, quæ est in morte tanquam per se intenta ingrediatur rationem obiecti talis maledictionis, & ex consequenti distinguit speciẽ illã à quacunque alia, qua, vel paupertas, vel carcer desideratur.

Ad argum.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrùm maledicere sit grauius peccatum quàm detractio?

AD QVARTVM sic procedi-tur. Videtur, quòd maledictio sit grauius peccatum, quàm detractio, Maledictio enim videtur esse blasphemia quędã, vt patet per id quòd dicitur in Canonica Iudæ, quòd cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ. Et accipitur ibi blasphemia pro maledictione, secundum * gloss. Blasphemia autem est grauius peccatum, quàm detractio: ergo maledictio est grauior detractione.

Glo. interlinearis ibi.

2 ¶ Præterea, Homicidium est detractione grauius, vt suprà * dictũ est. Sed maledictio est par peccato homicidij. Dicit enim * Chrysost. super Matth. Cum dixeris: Maledic ei, & domũ euertet, & omnia perire faciebat ab homicida differs: ergo maledictio est grauior, quam detractio.

Quæst. 73. art. 3. Homil. 20. in Matth. inter med. & fi. tom. 2.

3 ¶ Præterea, Causa præeminet signo. Sed ille qui maledicit, causat malũ suo imperio. Ille autem qui detrahit, solum significat malum jàm existens. Grauius ergo peccat maledicus, quã detractor.

¶ SED CONTRA est, quòd detractio non potest benè fieri. Maledictio autẽ fit benè & malè, vt ex dictis * patet: ergo grauior est detractio, quam maledictio.

Art. 1. huius quæst.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut in primo habitum * est, duplex est malum, scilicet culpæ & pœnæ. Malum autem culpæ peius est, vt ibidem ostensum * est: vnde dicere malum culpæ, peius est, quam dicere malũ pœnæ, dũmodo sit idem modus dicendi. Ad contumeliosum ergo & susurronẽ & detractorem & etiam derisorem pertinet dicere malum culpæ. Sed ad maledicẽtem, prout nunc loquimur, pertinet dicere malũ pœnæ, non autem malũ culpæ, nisi forte sub ratione pœnæ. Non tamen est idem modus dicendi. Nam ad prædicta quatuor vitia pertinet dicere malum culpæ, solum enuntiando. Per maledictionem verò dicitur malũ pœnæ: vel causando per modum imperij, vel optando. Ipsa autem enũtiatio culpæ peccatum est, in quantum aliquod nocumentũ ex hoc proximo infertur. Grauius autem est nocumentũ inferre, quã nocumentum desiderare, cæteris paribus. Vnde detractio secundum cõmunem rationem grauius peccatũ est, quã maledictio, simplex desiderium ex primens. Maledictio verò quæ fit per modum imperij, cum habeat rationẽ causę, potest esse detractione grauior, si maius nocumentũ inferat, quã sit denigratio famæ: vel leuior, si minus. Et hæc quidem accipienda sunt secundum ea, quæ per se pertinent ad rationem horum vitiorum. Possunt autem & alia per accidens considerari, quæ prædicta vitia, vel augent, vel minuunt.

1. p. q. 48. art. 5.

1. p. q. 48. art. 6.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd

quòd maledictio creaturæ, in quantũ creatura est, redundat in Deum: & sic per accidens habet rationem blasphemiæ: non autem si maledicatur creaturæ propter culpam: & eadem ratio est de detractione.

Art. præce.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut dictum * est, maledictio vno modo includit desiderium mali. Vnde si ille qui maledicit, velit malum occisionis alterius, desiderio non differt ab homicida. Differt tamen in quantũ actus exterior aliquid adijcit voluntati.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de maledictione, secũdum quod importat imperium.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd malum est duplex, vnũ culpæ alterum pœnæ, & quod malum culpæ est grauius, ex quo fit, vt dicere malum culpæ sit peius, quam dicere malum pœnæ dummodo sit idem modus dicendi, respondet D. Tho. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Maledictio, quæ importat simplex desiderium ex genere suo, est minus peccatum, quam detractio. Probatur: Ad maledictionem, prout importat simplex desiderium, pertinet dicere malum pœnæ, & non malũ culpæ, nisi fortè sub ratione pœnæ: ad detractionem autem sicut & ad contumeliam, & ad derisionem, & ad susurrationẽ pertinet dicere malum culpæ: ergo ex hac parte maledictio est minus peccatũ, quam detractio, vel contumelia, si maledictio solũ importet simplex desiderium. Et cõfirmatur: Grauius est nocumentum inferre, quam illud desiderare, cæteris paribus: sed detractio, contumelia, susurratio, & irrisio inferunt nocumentũ proximo, vel in honore, vel in fama, vel in amicitia, vel in verecundia: maledictio autem, vt dicit simplex desiderium, nullum infert nocumentum: ergo maledictio, in quantum dicit simplex desiderium, cæteris paribus, est minus peccatum alijs. Cõsequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Detractio, contumelia, atque susurratio important assertionem, & enuntiationem mali; maledictio verò, vt in præsenti loquimur, de illa, importat simplex desiderium: sed qui desiderat non statim suo desiderio est causa mali; sicut qui enũtiat est causa infamiæ, vel dehonorationis aut inimicitiæ: ergo detractio, contumelia, & susurratio ex se inferũt nocumentũ; Maledictio autem minime. Secunda conclusio: Maledictio, quæ fit per modum imperij, cum relationem causæ habeat, poterit esse grauior detractione, si modo ingentius nocumentum inferat, quam sit famæ denigratio; erit verò tunc leuior, quando leuius nocumentum per ipsam detur. Hanc conclusionem non probat Diuus Thom. sed illam, vt notam relinquit ex superioribus. Addit tamen, quod hæc intelligenda sunt secundum id, quod per se pertinet ad rationem horum vitiorũ. Nam si alia accidentia considerentur, poterunt inueniri plura, ex quibus prædicta vitia, vel incrementum, vel decrementum accipiant.

Responsio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONtra rationem, qua D. Tho. probat primam conclusionem, potest esse argumentum: Maledictiones parentum in filios sæpè solent esse efficaces: hac enim ratione sunt extimescendæ, & Deus eorũ imprecationibus nonnunquam annuit, præsertim sanctorum, vt de Helia legimus. 4. Reg. cap. 1. quòd per suam maledictionem ignẽ de cælo descẽdere fecit, qui deuorauit quinquagenarios, & de Eliseo cap. 2. quòd male dicente ipsi pueros nomine Dei, egressi sunt duo vrsi de saltu, qui deuorauerũt quadraginta duos: ergo falsum est dicere, quòd maledictio, vt importat simplex desiderij, nullius nocumenti est effectiua. Respondetur tamen, quòd D. Tho. solum loquitur de maledictionibus, quæ ex intentione sunt malæ, atque peccata. Has enim Deus non exaudit, sicut exaudire solet iustas imprecationes parentum, atque sanctorum, iuxta illud Ioannis: Scimus, quòd Deus peccatores nõ exaudit. Et sensus literæ est, quòd verba exteriora imprecationum, in quantum explicant simplex desiderium, non sunt perinde causa nocumenti, sicut verba detractoris, quæ dum declarãt secretum peccatum proximi per se lædunt in fama. Atque adeò detractio ex natura sua est illatiua nocumenti quod maledictioni non conuenit.

Arg. cõtra rationem D. Thom.

QVÆSTIO LXXVII.

De Fraudulentia quæ committitur in emptionibus, & venditionibus, in quatuor Articulos diuisa.

INstituerat D. Tho. 2. 2. q. 64. agere de vitijs oppositis cõmutatiuæ iustitiæ, quæ tam circa commutationes inuoluntarias, quam circa voluntarias inueniri possunt. Et quoniam ea, quæ in commutationibus inuoluntarijs reperiuntur, qualia sunt illa,

Ordo quæstionũ D. Tho. explicatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa,quibus nocumentum proximo infertur contra eius voluntatem,tam facto, quã verbo committi poterant; egit prius vsque ad quæstionẽ sexagesimã sextã inclusiuè de iniustitijs in facto consistentibus;quales sunt, homicidiũ,mutilatio,furtũ. Et à quæstione sexagesima septima vsq; nunc de iniustitijs in verbo repertis. Quæ quoniam tam in iudicio,quam extra fieri poterant;& illæ,quę fiunt in iudicio, grauiores sunt illis, quæ fiunt extra iudiciũ;disputauit primo de peccatis linguæ,quæ in iudicio siue ex parte iudicis,siue ex parte accusatoris,siue ex parte rei,siue ex parte testis, siue ex parte aduocati mueniuntur; & secundo de alijs,quæ extra iudicium committũtur:quales sunt,contumelia,detractio,susurratio,derisio,& maledictio. A quæstione autem præsenti incipit disputare de iniustitijs,quę commutationibus volũtarijs inesse possunt. Et affirmat, quòd, quoniam circa alias voluntarias commutationes ab emptione, & venditione,& à mutuatione non inuenitur aliqua species peccati,quæ distinguatur à rapina, & furto; idcircò solùm de duobus vitijs in cõmutationibus voluntarijs inuentis, nempe, de fraudulentia in emptione,& venditione reperta;& de vsura,quæ potest inesse mutationi,dicturus pollicetur. Sed circa hoc potest esse difficultas;à quo fraudulentia, quæ in emptione, & venditione inuenitur,accipiat specificam distinctionem à furto,vel a rapina? Et quidẽ, q̃ ab illis non distinguatur probatur hoc modo: Iniusta acceptio,quæ inuenitur in emptione, & venditione aut fit sciente domino inuito,aut non.Si primũ non est fraudulentia,sed rapina.Si secundũ, est furtum; quod occultam rei acceptionẽ importat:ergo fraudulentia,quæ est in emptione,& venditione non distinguitur specie à furto & rapina. Et confirmatur:Sicut committitur fraus in emptione & venditione,ità & in alijs commutationibus voluntarijs,nempe,in conductione, locatione,& pignoratione:contingit enim aliquando locare equũ vitiosum,& dare pignus falsum,&c. ergo non est maior distinctio specifica inter fraudulentiam,quæ est in emptione aut vẽditione ex vna parte,& furtũ,atq; rapinã ex alia, quam inter fraudulẽtiam,quæ est in alijs voluntarijs commutationibus,& idem furtum. ¶His tamen non obstantibus, dico, distinctionem specificam, quæ est inter fraudulentiam in emptione, aut venditione inuentam ex vna parte,& furtum, aut rapinam ex altera, ex multis manifestè colligi posse. Colligitur enim primò ex eo,quòd iniustitia emptionis,& vẽditionis cõmuniter fit dolosè, & fraudulenter:& propterea fraudulentia appellatur: cum tamen id de ratione furti,aut rapinæ non sit. Colligitur secundò,quia acceptio iniusta in emptione,& venditione inuẽta fit domino quodammodo inuito,& quodammodo volente. Vtraq; enim pars voluntariè dat alteri,quod saum est;& sic est ibi aliquo modo voluntarium.Et quia pars decepta non daret,si sciret se deceptam; idcircò etiam est ibi inuoluntarium. At verò in furto,& rapina fit domino simpliciter inuito.Colligitur tertio: Nam iniustitia emptionis, & vẽditionis abstrahit ab ignorantia,& scientia patiẽtis:hoc est,communiter se habet ad vtramque;cum tamen iniustitia furti sit determinata ad ignorantiam patientis; & rapina ad scientiam eiusdem. Si ergo inuoluntariũ in moralibus diuiditur in inuolintarium ex ignorantia,& inuoluntariũ ex scientia;& quia furtum in sua ratione includit inuoluntariũ ex ignorantia, distinguitur specie à rapina, quæ includit inuoluntarium cum scientia, manifeste sequitur, quòd iniustitia emptionis,& vẽditionis, quæ ex sua ratione abstrahit ab vtraq; specie,distinguetur ab illis.

Dubium.

Argum.

Conclusio.

¶Et ad argumentum in contrarium factum respondetur,quòd acceptio iniusta in emptione,aut venditione inuenta, quia fit domino patiente per ignorantiam, non est rapina;& quia fit domino sciente, non est furtum,sed speciale vitium, quod à D.Tho. in præsenti fraudulentia appellatur.

Ad argum.

¶Quoniam autem fraudulentia, vt constat ex eodem D.Tho.supra.q.55. art. 5. est vitium speciale contrarium prudentiæ,quo quis id, quod astutè cogitauit in ordine ad aliquem finem simulatis actibus exequitur (in hoc enim fraudulentia differt à dolo, quòd dolus etiam sit verbis simulatis, iuxta illud: Linguis suis dolosè agebant;& tamen fraudulentia solum inuenitur in factis) poterit quis meritò dubitare; quare autor in præsenti tractaturus de iniustitia, quæ in emptionibus,& venditionibus committitur, apposuit titulum de fraudulentia in illis inuenta: cum tamen in alijs iniustitiæ vitijs pertractandis, similem titulum non apposuerit. Sed absolutè dixerit de furto, de rapina, & non de fraudulentia furti, aut rapinæ? Ad quod breuiter dico, id factum fuisse duplici ex causa. Prima; quia iniustitiam emptionis, & venditionis communiter comitatur fraudulentia, vt supra dicebam. Secunda; quia alia vitia, quæ contra iustitiam committuntur,habent propria nomina, quibus eorum species significentur, vt furtum, rapina,

tapina,homicidium,&c. At verò iniustitia, quæ committitur in emptione, & venditione non habet propriam nomen suæ speciei: & sic nominatur, & quasi circumscribitur fraudulentia in tali iniusto contractu communiter reperta. Ad confirmationem,respõdetur,verum esse, quòd sicut committitur fraus in emptione,& venditione: ita etiam potest committi in alijs commutationibus voluntarijs, quales sunt locatio,conductio, pignoratio, quæ non minus distinguitur à furto,& rapina,quã illa,quæ est in emptione.Nec contrarium huius affirmat D.Tho. Et quando ex hoc infertur: ergo falsò dicit in alijs commutationibus voluntarijs ab emptione, & venditione non inueniri aliquã speciem peccati,quæ distinguatur à rapina, & furto,dico sensum D.Th.non esse, quòd fraudulentia, quæ in alijs contractibus voluntarijs ab emptione, & venditione innenitur,est eiusdem speciei cum furto,& rapina. Id enim esset apertè falsum. Sed quod vult significare est, non esse necessariũ agere de alijs.Sicut enim,quia tractatum est de furto,non oportet per alias commutationes specialiter descendere, tractando de furto interueniente in illis, vt de furto pignoris, aut depositi:sic etiam,quia tractatum est de fraudulentia in præcipua sua materia; scilicet,in emptione,& venditione,non est necesse tractare de illa,quæ interuenit in pignoribus,aut depositis.Itaque non intelligit autor, quòd in alijs commutationibus volũtarijs fraudulentia est furtum,aut rapina,in emptionibus verò & venditionibus est speciale vitiũ.Sed quod intelligit est, per alias commutationes voluntarias non esse tractãdum de aliquo speciali vitio; quia his duobus,scilicet,fraudulentia,& vsura adiunctis superius tractatis, nempe, furto, & rapina, non restat alia species vitij tractanda.

¶ De iniustitia,quæ inueniri potest in emptione, & venditione, disputant Doctores in.4.d.15.Med.C.de restit.à.q.30.vsque ad 38.Soto lib.6.de iustitia.q. 3. Extant etiam in vtroq; iure tituli de hac re. Sed quoniã hæc materia satis à nobis explicari non potest,nisi declarata prius quidditate, & essentia contractus, & enumeratis singulis eius speciebus,vt sic id in quo emptio atq; vẽditio ab alijs differat intelligatur, antequam ad explicationem literę D.Th.deueniamus, illud maiori,qua potuerimus,breuitate,pertractabimus. Et quidem, quantum attinet ad diffinitionem contractus, Vlpia. in.l.Labeo.2.ff.de verbo.ac rer.signif.dicit, quòd est vltrò citròq; obligatio. Quæ diffinitio non formaliter, sed causaliter est intelligen

Diffinitio contractus

dar: quasi dicat, quòd est actio humana inter duos,ex qua vtrique obligatio nascitur: Quod contingit quãdo quippiam ego cansa tui, tu verò causa mei, accepta, dataque vtrinque fide, conficimus; ita ratum habemus.Modum autem,atq; figuram conficiẽdi cõtractum,quatuor verbis explicare possumus,relatis in lege,naturalis.ff.de præceptis verbis.Quæ sunt,do,vt des:facio,vt facias:do,vt facias;facio,vt des. Omnis namq; contractus, si nominis proprietas seruanda est,est actus iustitiæ commutatiuæ,vtranq; partem colligantis. Ex quo infertur, illas actiones, ex quibus in vna tantũ parte oritur vinculum, veluti est donatio,& simplex promissio,non esse propriè contractus. Baldus citatus à Syluestro,verbo,contractus,& Conradus.q.16. dicunt, quòd hoc nomen, contractus, tripliciter accipi potest. Vno modo propriè. Et sic significat actum illũ, ex quo in vtraque parte obligatio oritur. Alio modo impropriè,vt significet actionẽ, ex qua in vna tantũ parte oritur obligatio. Tertiò improprissimè,vt dicit actionem,ex qua neutra pars obligata manet.Sed procul dubio hæc diuisio est impertinens, & indigna tanto viro.Importat enim nomen contractus,ex proprietate sermonis,actum iustitiæ.Et certũ est, quòd actiones illæ,ex quibus,vel vna tantum pars,vel neutra obligatur,ad iustitiam non pertinent.

¶In enumeratione specierum contractus non vno modo loquuntur Doctores. Scotus in.4.d.15.q.2.octo species constituit,& totidem Gerson in suo tractatu de contractibus;quanuis nonnihil differentes.Antoninus.3.part.titul.8.cap. 2. enumerat duodecim,& Conrad.diuisionem illam protrahit,vsque ad triginta. Sed rerum potius, in quibus contractus confici possunt,quam illorum specierum diuisionem facit, atq; enumerationem. Probabilior sentẽtia est,quòd contractuum, qui fiunt circa res, (de his enim tantum est sermo in præsenti, & non de contractibus, qui fiunt circa personas, quales sunt matrimonium,votum solemne, &c.) septem tantum sunt species, nempe, emptio,cambium, mutuatio, emphyteusis, commodatio,permutata commodatio, & locatio.Quarum specierum sufficientia hac ratione colligi potest. Nam per contractũ reale,vel transfertur dominium rei, vel vsus fructus illius, vel tantum vsus. Et quidem, si transfertur dominium rei,aut id fit gratis sine vlla redditionis obligatione,aut nõ gratis. Si fit gratis,est nuda donatio. Quæ idcirco à ratione contractus excluditur; quia ex illa in vtraque parte obligatio non oritur.

Enumerantur species contractuũ

Septẽ sunt species contractuum.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod ad rationem contractus diximus esse necessarium: Cui & adiungitur liberum legatum, vbi nullum est iustitiæ debitum. Si autem fiat non gratis, hinc oriuntur tres cõtractuum species: quæ sunt emptio, cambium, & mutuatio. Emptio est, quando dominium rei pro æstimato pretio transfertur. Cambium, quando vna res pro altera commutatur, vt panis pro vino, corium pro panno. Mutuatio verò, quando transfertur dominium rei, vt idem, vel tantundem reddatur. Quod in rebus vsu cõsumptibilibus, & præcipuè in nũmis vsu venit. Quibusdã visum est, quod mutuatio non est propriè contractus, quia nulla ex illa ponitur obligatio in mutuatore: sed solum in mutuatario. Falluntur tamẽ: Ipse enim mutuator eo ipso, quòd mutuat manet obligatus nõ statim repetere, donec mutuatarius aliquod commodum acceperit, vel accipere potuerit, moraliter loquendo, ex ipsa re mutuata. Et eadem ratio est de commodatore. Eo vel maximè, quòd aliquando statuitur certum tempus, citra quod commodator, vel mutuator repetere non potest. Quando autem saluo dominio rei, eius vsusfructus transfertur pro pretio, vel pensione temporali, aut perpetua, quarta contractus species consurgit, quæ dicitur, Emphyteusis. Estque hoc nomen Græcum, Latinè idem sonans, quòd melioratio. Et quamuis peristum contractũ antiquitus, solum viles quædam terræ steriles concederentur, vt accipieris eas meliora ret, & fertiles redderet: postea tamẽ permissum fuit vt etiam res fertiles, & fertilissimę emphyteuticari possent, vt ex l.1.C. de iure Emphyt. constare potest. Quare nunc emphyteuta ille erit dicendus, qui rem immobilem hæreditario iure meliorandam, vel colendam sub certo pretio, pactis & conditionibus acceperit, perpetuò, vel ad tempus, pũtà, in secundam vel tertiam generationem, vt in Authent. de non ali. §. emphyteusim habetur. Potest etiam contrahi emphyteusis ad decem, vel viginti annos. Sed tunc vsque ad illud tempus in ea hæredes succedunt. Diximus in emphyteusi non transferri dominium, sed tantum vsumfructum. Nã quamuis detur pro pretio, aut pensione perpetua, semper dominium directum manet apud priorem dominum: & emphyteuta solum habet dominium vtile. Et sic, esto emphyteuta in commissum incidat, res vero domino deuoluitur. Quando solum merus vsus transfertur, consurgunt aliæ tres species contractus. Nam si vsum rei gratis indulgeas, vt tibi sola rei substantia restituatur, est commodatio, quæ non solum nomine, sed etiam re à mutuatione differt. In mutuatione enim transfertur dominium. Quare satis erit si à mutuatario æquivalẽs restituatur. Mutuanti enim aurum satisfit, si argentum reddatur. At verò in commodatione non transfertur dominium. Et sic accommodãti equum, aut vestem non satisfit, nisi eadem numero restituatur. Si autem vsum concedas, non gratis, sed pro vsu alterius rei, vt vsum equi, pro vsu pallij, tunc est permutata commutatio. Et si concedas, vsum non pro vsu alterius rei, sed pro pretio, tũc est locatio, cui tanquam correlativum correspondet conductio; Sicut emptioni correspondet venditio, siue domum, siue equũ, siue proprias operas loces. Ad has septẽ species contractuũ reduci possunt omnes alij, siue nominati sint, siue innominati. Nam contractus assecurationis, & societatis; quibus nec dominiũ rei, nec vsusfructus transfertur, ad locationem reducuntur. Et bene; quia est in illis veluti quędam locatio operarũ. Impignoratio autem, aut fideiussio, non pertinent ad aliquam speciem distinctam; sed sunt tantum, veluti cõfirmationes aliorum contractuum: Et sic ad illum erunt reducendæ, cuius sunt confirmationes. Magister Soto lib.6. de iustitia, q.2. art.1. affirmat, quinque tantum species contractuum esse enumerandas. Nam cambium, in quo vna res pro altera commutatur, dominio vtriusque translato, ad emptionem dicit esse reducendum; & permutatam commodationem, in qua vsus vnius rei, pro vsu alterius conceditur ad locationem. Sed procul dubio fallitur in vtroq;. Et quidem, quòd cambium non sit reducendum ad emptionem, probatur hac ratione. Cambiũ est quid antiquius, & naturalius emptione; in primordijs enim humani generis tantum erat rerum cambiũ; & quia consuetudo, & vsus monstrauit illa ratione esse pene impossibile vitam transigere (si enim sutor domo indigeret, ingẽtissimo opus haberet calceorũ aceruo, quem pro illa cambiret, quibus vtique calceis dominus ædium fortè non indigeret, sed rebus alijs, quibus carebat sutor) adinuenta est emptio, & in eius vsum signatum est numisma. Tum, vt norma esset exequandi res. Tum etiam vas, & fideiussor reipublicæ nomine, vt quoties illud porrexeris reddantur tibi res, quarum indigueris. Propterea enim dicebat Sapiens Eccles.10. Pecuniæ obediunt omnia: quia, qui pecuniã possidet, venalia cuncta habet. Ergo si aliqua istarum specierum ad alteram esset reducẽda potius dicere deberemus, quòd emptio reducitur ad cambium, quam quod cambium

Emphyteusis quid.

Sententia Soti, de speciebus contractuum.

Improbatur Soto.

bium reducitur ad emptionem. Eo vel maximè, quòd cum cambium ex sua natura non requirat æqualitatem inter res, quæ cãbiũtur, in emptione autem, & venditione necessaria sit æqualitas pretij ad rẽ, quæ emitur, fieri non potest, vt non pertineant ad diuersas species contractuum. Sit eadem est ratio, propter quam permutata commodatio reduci non potest ad locationem. Sunt ergo septem species contractuum, vt diximus. Ad quarum distinctionem cognoscendam non erit opus inuestigare, an differant metaphysicali, & essentiali differentia: sed satis erit aduertere differentes modos tractandi in ipsis inuentos. Qui desumentur, vel ex diuerso modo tractandi rem ipsam, scilicet, aut transferendo cum illa dominium, aut vsum fructum, aut vsum; vel ex diuersa obligatione, ex ipsis contractibus orta, quæ sit vel ad reddendam rem ipsam, aut non reddendã, vel ad dandum aliquid pro illa, aut aliquid aliud faciendum.

Diffinitio emptionis & venditionis.

¶ Ex dictis colligere poterimus definitiones emptionis atq; vẽditionis. In quibus assignandis non parũ Doctores laborauerũt, dicentes, quòd venditio est, rei pro pretio distractio, & emptio, rei pro pretio contractio. Sunt enim hæc verba, distractio, atque contractio, voces iuris, quibus generaliter translatio dominij illius rei, quæ nõ est redibilis, significatur. Et nomine pretij intelligimus pecuniam, per quam valor omnium rerum venalium æstimari consueuit, apud quascunque nationes rectè institutas. Quare Arist. lib.1. Polit. cap.6. barbaras eas appellat, penes quas cambia tantum rerum, absque numismatis vsu, tunc durabant. Sed de hoc latius in sequentibus.

Articvlvs I.

¶ Vtrùm licitè aliquis possit vendere rem plus quàm valeat.

4.di.15.q.3.art.1.q.1. cor. Et que.2.art.2. cor. & 10. C. de rescindenda vendi. L. Rem. 2. si voluntate.

Ad Primvm sic proceditur. Videtur, quòd aliquis licitè possit vendere rem plus quàm valeat. Iustum enim in commutationibus humanæ vitæ secundum leges * ciuiles determinatur. Sed secundum eas licitum est emptori & venditori, vt se inuicem decipiant. Quod quidem fit, in quantum venditor plus vendit rem, quàm valeat, emptor autẽ minus quã valeat: ergo licitum est quòd aliquis vẽdat rem plus quàm valeat.

2 ¶ Præterea, Illud quod est omnibus commune, videtur esse naturale, & nõ esse peccatum. Sed sicut Aug. refert. 13 de Tri. dictum cuiusdam Mimi fuit ab omnibus acceptatum. Vili vultis emere, & care vendere. Cui etiam cõsonat quod dicitur Prou.20. Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cum recesserit, gloriatur: ergo licitum est aliquid carius vendere, & vilius emere, quàm valeat.

Lib.13. c.3. paulò à prin. to.3.

3 ¶ Præterea, Non videtur esse illicitũ, si ex conuentione agatur id quod fieri debet ex debito honestatis. Sed secundum Philosophũ in 8. Eth. in amicitia vtilis recompensatio fieri debet secundum vtilitatem, quã cõsecutus est ille, qui beneficium suscepit; quæ quidem quandoque excedit valorem rei datæ: sicut contingit cum aliquis multum re aliqua indiget, vel ad periculum euitandum, vel ad aliquod commodum consequendum: ergo licet in contractu emptionis & venditionis aliquid dare pro maiori pretio, quàm valeat.

Li.8. Ethi. cap.13. nũ longè à fi. tom.5.

¶ Sed Contra est, quòd dicitur Matth.7. Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Sed nullus vult sibi rem vendi carius quàm valeat: ergo nullus debet alteri vendere rem carius, quàm valeat.

¶ Respondeo dicendum, quòd fraudẽ adhibere ad hoc, quòd aliquid plus iusto pretio vẽdatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius. Vnde & Tull. dicit * in lib. de Offic. Tollendum est igitur in rebus contrahendis omne mendacium: non licitatorem vẽditor, nec qui contra se licitetur, emptor apponet. Si autem fraus deficit, tunc de emptione & venditione dupliciter loqui possumus. Vno modo secundũ se, & secundum hoc emptio & venditio videtur esse introducta pro communi vtilitate vtriusque, dũ scilicet vnus indiget re alterius, & è conuerso, sicut patet * per Philos. in.1. Polit. Quod autem pro communi vtilitate inductum est, nõ debet esse magis in grauamẽ vnius, quàm alterius. Et ideo debet secũdum æqualitatẽ rei inter eos contractus institui.

Lib.9. circa me. illius.

Lib.1.c.5. & 6.to.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stitui. Quantitas autē rei, quæ in vsum hominis venit, mensuratur secundum pretiū darū, ad quod est inuentū numis-
Lib.5.c.5. tom.5. ma, vt dicitur * in.5. Eth. Et ideo si pretiū vel excedat quātitatē valoris rei, vel è conuersō res excedat pretiū, tolletur iustitiæ æqualitas. Et ideo carius vēdere vel vilius emere rem, quā valeat, est secundum se iniustū & illicitum. Alio modo possumus loqui de emptione & venditione, secundū quod per accidēs cedit in vtilitatē vnius, & detrimentū alterius; putā cū aliquis multū indiget habere rem aliquā, & alius læditur, si ea careat. Et in tali casu iustum pretiū erit, vt non solū respiciatur ad rem, quæ vēditur, sed ad damnū, quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licitè poterit aliquid vēdi plus quam valeat secundū se, quanuis non vendatur plus quā valeat habenti. Si verò aliquis multū iuuetur ex re alterius, quā accepit, ille verò, qui vendit non dānificeatur carendo re illa: non debet eam superuendere, quia vtilitas quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione emētis. Nullus autē debet vendere alteri quod non est suum, licet possit ei vendere damnum quod patitur, ille tamen qui ex re alterius accepta multum iuuatur, potest propria sponte aliquid vēdenti supererogare: quod pertinet ad eius honestatem.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, *1.2.q.69. art.2.* quod sicut supra dictū * est, lex humana populo datur, in quo sunt multi à virtute deficientes, non autē datur solū virtuosis. Et ideò lex humana non potuit prohibere quicquid est contra virtutē, sed ei sufficit, vt prohibeat ea quæ destruunt hominū conuictū, alia verò habeat quasi licita: nō quia ea approbet: sed quia ea non punit. Sic ergo habet quasi licitū, pœnā nō inducens, si absq; fraude venditor rē suā superuēdat, aut emptor vilius emat, nisi sit nimius excessus, quia tūc etiā lex humana * cogit ad restituendū: putā si aliquis sit deceptus vltra dimidiā iusti preti, quantitatē. Sed lex diuina nihil impunitū relinquit quod sit virtuti cōtrariū: vnde secundū diuinā legem illicitū reputatur, si in emptione & venditione non sit æqualitas iustitiæ obseruata. Et tenetur ille qui plus habet recōpensare ei qui dānificatus est, si sit notabile dānū. Quod ideo dico: quia iustū pretiū rerū non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione cōsistit: ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere æqualitatem iustitiæ.

Extra de empt. & vend. cap. cū dilecti cap. cum causa.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut Augustinus ibidem * dicit: Mimus ille vel seipsum intruendo, vel alios experiē- *Loco citato in arg.* do, vili velle emere, & care vēdere, omnibus id credidit esse commune. Sed quoniam reuera vitium est, potest quisque adipisci huiusmodi iustitiam quæ huic resistat & vincat. Et ponit exemplum de quodam qui modicum pretium de quodam libro propter ignorantiam postulanti iustum pretium dedit. Vnde patet, quòd illud commune defectum non est naturę, sed vitij. Et ideo commune est multis qui per latam viā vitiorum ineūdunt.

¶ Ad tertium dicendum, quòd in iustitia commutatiua consideratur principaliter æqualitas rei. Sed in amicitia vtilis, consideratur æqualitas vtilitatis. Et ideò recompensatio fieri debet secūdum vtilitatem perceptam. In emptione vero secundum æqualitatem rei.

Svmma Textvs. A

Ad propositam difficultatem responderet D. Thom. per quatuor propositiones. Prima conclusio, vt fraude, & dolo, vt vel pluris res vēdatur, vel minoris ematur, quā iustū est, est peccatū in quā tum quis decipit proximū in damnū ipsius. Hanc probat D.Th. testimonio Cicer. Qui lib.3. de Offi. circa medium dicit: Tollendū est in rebus contrahendis omne mendaciū: non licitatoré vēditor, nec qui cōtra se licitetur emptor apponet. Secunda conclusio: Etiam deficiente fraude, vendere carius, aut vendere vilius, quam res valet, est secundū se iniustū. Probatur: Emptio atque venditio in commune bonum atque æquale cōmodum fuerunt introducta, vt docet Aristo. lib. 2. Politic. capit. 5. & 6. ergo neutram partiū debent grauare, sed ad iustitiæ æqualitatē sunt

sunt conficienda: grauarent autem alteram partium, si venderetur carius, aut emeretur vilius, quam res valet; nec in his contractibus seruaretur æqualitas: ergo id facere est iniustum, atque peccatum. Tertia conclusio: Per accidens aliquando est licitum vendere rem carius quam valeat: Tunc, scilicet, quando venditor damnificatur ex priuatione rei quam vendit. Probatur Vnusquisque potest vendere totum, quod suum est: sed in casu conclusionis non solum res, quæ venditur, sed etiā emolumentum ex illa consurgens, est ipsius vendentis: ergo poterit vtrumque vendere, atque ex consequēti accipere ratione damni subsequuti plus, quam res secundum se valet. Quarta conclusio: Non est licitum vendere rem carius, quā valeat, propter commodum, quod ex illa ementi accrescit, si nullum inde detrimentum vendens accipiat. Probatur ratione contraria præcedenti: Nullus potest nisi quod suum est vendere; sed commodum ementis non est res venditoris, sed tantum propriū ipsius detrimentum: ergo non erit licitum vendere rem carius, quam valeat, propter cō modum, quod ex illa ementi accrescit, si vendēs nullum detrimentum inde reportet.

Explicatio Articvli.

In emptione & venditione seruari debet æqualitas inter pretiū & mercem.

In isto articulo, & in omnibus aliis huius quæstionis hoc tanquam fundamentum supponitur à D. Thom. quod in contractu emptionis & venditionis, vt iustus sit, seruari debet æqualitas inter pretium, & mercē: quæ est veluti sedes, & principium commutatiuæ iustitiæ in illo seruandæ. Cum enim emptio atque venditio, vt dicit Aristo. libro primo Polit. pro communi vtriusque contrahentis vtilitate introducta videatur, vt scilicet, dum vnus indiget re alterius, aut è conuerso, vterque habeat modum, quo sibi inuicem iustè illam possit communicare; ratio postulat, vt quod pro communi vtilitate est introductum, in vnius grauamen, magis quam alterius, esse non debeat. Esset autem si pretium excederet valorem mercis, aut è contra. Est ergo necessarium ad iustitiam istius contractus, vt præfata æqualitas seruetur: & ea prætermissa contractus remanebit iniustus: cumque alter eorum plus debito recipiat, alter vero minus, inde sequitur, quod iniustitiam facit, & inæqualitatem. Sed quoniam hoc fundamentum, & si certissimum sit, non sufficit, ad de singulis contractibus in particulari iudicandum, iusti sint nec ne, nisi rerum, quæ venduntur, quod nam sit iustum pretium cognoscamus; idcirco ante omnia examinandum à nobis est, vnde colligere potetimus, quod sit iustum pretium rerum venalium? Quam difficultatem tractat Caietanus in isto articulo, Soto libro sexto. de iustitia. quæstione 2. articulo 3. Medina Cod. de restitu. quæstione 31. & 36. Gabriel. in 4. dist. 15. quæstione 10. articulo primo, not. 3. Syluest. verbo, negotium. quæstione 2. casu. 6. & verbo, emptio. qu. 6. Angelus, verbo, emptio. nu. 7. Mercado, de contractibus, c. 6. & 8. Nauarro in Manuali cap. 23. numero 78. Scotus in quarto distinct. 15. quæstione secunda. Castro de lege pœnali libro primo capitulo 12. Couarru. libro secundo. Variarum. capitulo 3. Antoninus 2. par. titulo primo. capitulo 16. §. 3. Gerson, de contrac. quaternario. 5. consideratione 7. lit. O. & Conradus de contra. 3. pa. quæstione 56. conclusione quinta. Ex quorum omnium sententia quædam tanquam certa & extra controuersiam posita colligere placet. Primum est, quod pretia rerum non secundum ipsarum naturalem perfectionem *1. dictum certum.* sunt æstimanda; sed quatenus in vsus humanos veniunt. Et ratio huius est: Quia cùm mundus, & omnia, quæ in ipso continentur, propter homines facta sint; tanti, ciuili æstimatione, res valent, quantum hominibus inseruiunt. Viuentia ex genere suo præstantiora sunt vitæ expertibus. Tamen, vt dicit D. Augustinus libro 11. de Ciuitate. capitulo 16. melius est homo frumentum domi habere, quam mures; & solet domus plus venire, quam equus, & nonnunquam equus quam seruus, etiam si cum natura hominis nihil in corporalibus conferri ad æqualitatē valeat. Dico secundo etiam certum esse apud *2. dictum certum.* omnes, quod si autoritate publica principis, vel communitatis, seu alterius vicem eius tenentis, rebus venalibus pretium est taxatum, illud iustum pretium illarum erit reputandum. Et ratio huius est: Quia cum pretium iustum sit, quod æquale est valori rei, attentis omnibus circunstantiis ad ipsum pertinentibus, sicut ad gubernatores, & principes pertinet cæteta reipublicæ disponere, & moderari: ita etiam sua prudentia, & æquitate pretia rerum taxare, & statuere. Alias daretur occasio diuitibus in tempore sterilitatis pretium rebus augendi exhauriendique pauperum bona; quod est maximum inconueniens. ¶ Et si quis contra hoc *Arg. cōtra secundum dictum.* argumentetur; Qui publica autoritate, vel principis, vel reipublicæ pretia rebus imponunt, aut odio, aut fauore aut precio aut precibus permoti; possunt sæpè sæpiùs à iusta illorum taxatione, vel deficere, vel excedere: ergo non semper quod à publica po-

Dubium vnde sit cognoscendū iustū pretium rerū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

testate est taxatum,habendum est pro iusto pretio.Et confirmatur:Esto hæc, quæ dicta sunt,cessent;poterunt præfati rectores ex ignorãtia,aut ex prudẽtiæ defectu,aut ex imperitia,aut etiã ex negligentia perpendendiea, quæ necessaria sunt,vt rei valor cognoscatur à iusto pretio,vel deficere,vel excedere: ergo tũc non erit iustũ pretiũ,quod ab ipsis fuerit asignatum.Tandem: Esto tempore taxationis optimè,& iustissimè pretium taxauerint,successu temporis potest contingere, vt ob variarum rerum euentum sit augendum,aut diminuendum pretium : quia possunt expensæ, labores,pericula crescere,aut etiam minui: possunt similiter variari,& alterari merces in bonitate, & malitia : potest præterea accidere,vt indigentia crescat, aut minuatur;& quod multò plures sint emptores,quã prius,aut pauciores; quæ omnia,vt cõmuniter dicunt Doctores,plurimũ valent ad variandum valorem mercium, & iustum pretium earum:ergo tunc,quod à publica potestate fuerit taxatum, non est habendum

Responsio. pro iusto pretio.Respõdeo tamen,quod præfatum nostrum secundum dictum est verũ,si rectè intelligatur.Est autẽ sensus illius,quod quando lege, vel publica potestate rerum pretiũ est determinatum,illud est præsumẽdum iustũ,interim,quod non constat taxatores fuisse,vel corruptos, vel deceptos in pretii assignatione.Iustum est enim pro illis præsumere,qui rempublicam gubernant quandiu de opposito non constiterit. Est etiam præsumendum de illis,quòd debitam diligẽtiam apposuerint ad perpendenda omnia, ex quibus pretium,aut augẽdum,aut minuẽdum venit Et quemadmodum ad illos spectabat primò,quando res venditioni expositæ fuerunt,pretia determinare: ità etiam ad eosdem spectabit successu tẽporis rerum varietatem,quo ad copiam seu penuriam, quo ad melioratione,seu deteriorationem attendere,& similiter emptorum,aut venditorum pluralitatem,vel paucitatem considerare, vt taxatio per eos facta continuetur aut minuatur. Et si continuatur, semper est pro illis præsumendum, & eorum taxationi standum, nisi notabilis causa taxationem mutandi appareat,quia tunc cessat præsumptio dicta. Nec ex tunc erit iusta præfata taxatio,aut illi necessario standum,ex quo incipit irrationabilis esse. Quare nisi præfati rectores tunc taxationem per eos factam mutent, tuti erunt in conscientia mercatores aliud pretium exigentes. Dixi in conscientia: Nam in foro exteriori forte à pena immunes non erunt. Et per hæc patet solutio ad obiecta. Nomine reipubli-

cæ, aut potestatis intelligimus in præsenti omnes illos, qui ab ipsa republica habent autoritatem, inter quos primum locum tenet princeps, secundum,prætores, aliique iudices,tertium, ædiles,vulgò appellantur,regidores;qui etiã habent potestatem à republica taxandi pretia in rebus minoris momenti,validaque est eorum taxatio. Et est aduertendũ,quod huiusmodi taxatio,potest fieri vno è tribus modis : Scilicet, vel penes terminum magnitudinis in fauorem emptoris,vel penes terminum paruitatis in fauorem vendentis,vel penes vtrumque terminum, in fauorem vtriusque. Exemplum primi est pragmatica frumentaria. Vbi penes terminum magnitudinis ità pretium taxatur, vt maius illo iustum esse non possit, bene tamen minus;cùm communis æstimatio tritici ex abundantia etiam dependeat. Exemplum secundi habetur in censibus temporalibus vitalibus.In quibus ita taxatur pretium penes terminum paruitatis, vt minori pretio emi non possint, bene tamen pro maiori. Exemplũ tertij est in omnibus aliis communibus taxationibus,vini, aut carnis: quibus determinatum pretium statuitur.

Quibus dam potestatem taxandi pretia.

3. dictum certum.

¶ Dico tertio,etiam esse certum apud omnes,quod in mercibus,quæ non habent publicam taxationem à lege, vel à populi rectoribus, illud iustum pretium est habendum, quod ex communi æstimatione hominum prudentum desumitur. Estque illud, quod secundum communem cursum, seu consuetudinem pro illis rebus tradi,& recipi solet. Et, sicut in mercibus, quarum est publica taxatio per superiores, nulli licet illam excedere etiam si communiter ob aliquam circunstantiarum variationem pluris æstimentur, vt paulo anteà dicebam : ità similiter in mercibus, quæ communem habent æstimationem, non licet pluris vendere, quam sit illa æstimatio : quamuis priuatus homo pluris faciat rem. Eo enim modo, quo est iniquum, vt hominum communis æstimatio non subsit æstimationi principum:ità etiam, & quod vnius, aut duorum hominum priuatorum æstimatio præualeat cõmuni æstimationi.Et est semper credendum potius priuatum hominem malè iudicare, & falli in assignando vero, & iusto pretio, quam quod omnes communiter decipiantur. Et si quis contra hoc argumentetur. Non semper est eadem hominum appretiatio, seu æstimatio:cum sæpe accidat in republica, varia esse de his pretiis iudicia:imò & contraria & contradictoria: quidam enim de re aliqua interrogati,quantum valeat dicunt, eam

1. ar. oppo.

3. dictum.

eã valere decem,alii duodecim, è cõtra verò alij nec decẽ,nec duodecim,sed octo aut nouẽ,vt experiẽtia cõstat:ergo malè dicitur in mercibus,quæ nõ habent publicã taxationẽ vel à lege,vel à rectoribus populi,illud habẽdũ esse pro iusto pretio,quod ex hominũ prudentiũ æstimatione desumitur.Et confirmatur:Nam hæc cõmunis hominũ æstimatio, per quam iustũ pretium cognoscitur,aut est æstimatio ipsorum mercatorum, aut aliorum, qui mercatores non sunt ; raro enim hi cum illis in æstimatione conueniunt: sed neutra harum est conueniens regula ad cognoscendum iustum pretium rerum: ergo incõuenienter dicitur in mercibus, quarum pretia lege,aut publica potestate taxata non sunt, standum esse communi æstimationi. Cõsequẽtia cũ maiori est nota,& minor probatur.Et quidem,quod ipsorum mercatorũ æstimatio non sit conueniẽs regula ad cognoscẽdum pretium rerum,est res manifesta. Nam cum ipsi mercatores res suas vendere velint,iustè præsumi potest in tali æstimatione eos excedere,quos(vt experientia monstrat)scimus semper iucrum prætendere,rebusque suis esse nimium affectos. Quod autem nec etiam æstimatio eorum,qui nõ sunt mercatores,sit conueniens regula ad idem, probatur ex eo, quod quamuis prudentes sint,sunt tamen,vt in plurimum harum rerum ignari,& inexperti,cum per se nesciant quantum res mercatoribus constiterint, quãtas expensas fecerint,quanta pericula,& labores subierint, sicut ipsimet mercatores sciunt. ¶ Et tandem sic argumentor.Demus hos & illos in rerum æstimatione conuenire,res tamen easdem in eodem loco, & tempore stat plus,aut minus valere, ex modo,scilicet,vendẽdi.Vt si venditor vltrò se offerat, aut toget,vt quis rem suam emat. Aut si rogatus ipse potius illam vendat.Similiter, si plures sint,qui rem illam emere velint, aut pauci.Item si priuatim vendatur, aut in foro publicè ad præconis clamorẽ.Hæc enim omnia(vt communiter dicunt Doctores)diuersum rerum valorem ac pretium efficiunt,etiam si præfatæ communi hominum æstimationi minimè concordet:ergo falsò dicitur solum illud esse censendum iustum pretium rerum, quod ex communi hominum prudentum æstimatione desumitur.

Confirmatio.

2. arg.

Nota pro solutione argumentorum.

¶ Ad hæc argumẽta,vt respõdeamus,simulque explicemus modũ,quo tertiũ nostrũ dictũ intelligi debet,aduertẽdũ est primò,hoc esse discriminis inter pretiũ,quod lege, aut publica potestate taxatur, & illud, quod ex communi hominum æstimatione desumitur, quod primũ ità consistit in indiuisibili,vt illud excedere sit peccatum, aut mortale, si est in re notabili,aut veniale, si est in re exigua.Pretium autem desumptũ ex communi æstimatione,non consistit in indiuisibili,sed latitudinẽ habet,diuidique solet in pretium infimum,mediũ,& supremũ: & omnia sunt iusta.Itaque eadem res iustè vendi potest,& nouem,& decẽ,& vndecim regalibus;Si vndecim dicatur pretiũ supremũ,quod alii vocant rigorosum,vel rigidũ,& nouẽ pretiũ infimũ, quod alii appellant pium;decem verò pretium medium,quod alii nominant moderatum.Et ratio huius differentiæ est:Nam cùm hoc pretium iustum consurgat ex multorum iudicio,& æstimatione,fieri nequit,vt punctum vnum, atque idẽ ab omnibus statuatur;sed quod vnus iudicat iustũ,alius plus minus ve iudicat. At verò iustum legale,quia ex vnius tantum,vel principis,vel rectoris iudicio dependet(omnes enim alii solum se habent vt consultores)punctim asignatur, & indiuisibiliter est obseruandum. Differunt præterea in eo, quod pretium taxatum à publica potestate ad bonum communitatis,immediatè ordinatur per institiam legalẽ principaliter in principe,& in eius ministris residentẽ, pretiũ autẽ desumptum ex communi hominũ æstimatione immediatè ordinatur ad bonum ipsorum contractantiũ.Et quia bonum communitatis semper est præferendũ particulari,sit,vt quãuis ex communi hominũ æstimatione,per multũ tẽpus alicuius rei pretiũ habitum fuerit iustum: si tamen vltimò,publica lege, rationabilibus de causis à principe edita aliud decernitur,id pro iusto, & rationabili erit habendum.

Discrimen inter pretium lege taxatum, & illud quod communi æstimatione accipitur.

¶ Secundo est aduertendum,quod quãdo dicimus,ex hominum æstimatione desumendum esse iustum rerum pretium, si lege non fuerit decretum:intelligendum est,consideratis illis circunstãtiis,quæ à principibus: dũ pretium lege taxant,attendi debent:illæ autem sunt,primò bonum commune, secundo expensæ,tertio industria & labor,quarto lucrum cessans mercatorũ,quinto copia,vel penuria mercium,pecuniarum, emptorum, & venditorum.Hæc enim omnia, atq; similia, vt de se patet,plurimum valent variare iusta rerũ pretia,sicut,& quod ipsæ merces,vel in melius,vel in deterius sint mutatæ,si prudentum hominum iudicio,eorumque qui sunt æquitatis cultores istorum fuerit facta existimatio. Esset enim falsissima regula, si quis semper quanto emit pretio, quantumque laboris,& periculorum subiit,tanti velit rem vendere cum lucri accessione: Nam si mercator artis & negotiorum ignarus pluris iusto emit rem, aut sibi aduersa

Circunstãtiæ considerandæ in communi æstimatione pretij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fortuna restauit,quia scilicet,copia merciũ inſperata ſuccreuit,non poterit iuſtè expenſas,quas fecit extorquere.Et viceuerſa,induſtrior alius,aut fortunatior, cui vel contigit minoris emere, vel fautrix arriſit fortuna, hoc eſt, inſperata rerum inopia, poſt accidit,iuſtè ſine poterit carius vendere,etiã eodem die, & eodem loco: idque nullatenus mercibus in melius mutatis. Nam cũ negotiationis ars plurimum ſit fortuitis rerum euentibus ſubdita, debent negotiatores, & ſiniſtra, ſuo diſpendio, ſubire pericula; & dextram operiti fortunam. Atque hic eſt ſenſus legis pretia. ff. ad legem Falcidiam. Vbi dicitur. Pretia rerum non ex affectu, aut vtilitate ſingulorum, ſed communiter fungi, hoc eſt,non ſecundum priuatorum exiſtimationem; ſed ſecundum communem prudentiam,conſtitui.

Quod ſit iuſtum pretium rei vendita ad vocem præconis.

¶ Tertio eſt aduertendum, quod ſi merces, ſeu res aliquæ, ad vocem præconis publicè vendantur quod vulgo dicitur almoneda, non erit illic iniuſta venditio, aut emptio,ſi non detur pretiũ iuxta communẽ conſuetudinem quam mercatores in vendendo ſeruant.Id enim in foro illo publico, reputatur valere res,quod pro illa fuerit repertum,ſiue maius ſit,ſiue minus illo, pro quo mercatores ſimilem rem vendunt. Nec obſtat, quod in vna almoneda res ſimiles pluris vendantur, quam in alia: quia facile pro loco & tempore rerum valet variatur, ex multitudine emptorum, & communi rerum indigentia, aut copia, vt modo dicebam. Et idem eſt iudicium, de rebus, quæ per curſores, vulgo, corredores, appellatos, per vicos & plateas cum mercibus diſcurrentes,venduntur. In illis enim ſicut& in aliis,quæ publicè venduntur, non oportet iuxta conſuetudinẽ præfatam mercatorum pretium taxare: ſed illud erit iuſtum, quod pro illis datur, eſto minoris vendantur. Dummodò fraus, & negligentia curſorum ceſſet, fideliterque, & diligenter diſcurrant, quærentes emptores: nec cum aliquo eorum fraudulenter conueniant.Et inde ſimiliter fit eos, qui redditus eccleſiaſticos, aut ſeculares pro minori pretio, quam valent, ſcienter emunt,quando publicè venales exponuntur,non eſſe damnandos,nec ad reſtitutionem compellendos, ſi fraus, & dolus ceſſet. Vti fit inter eos, qui vulgo appellantur, attendadores.Habet enim ille forus ſuas leges, ſicut & ille publicus, qui dicitur almoneda, ſuas: quibus ſtando nulla iniuſtitia committitur. Et quemadmodum in caſu poſito, ille, qui ſcienter emit redditus annuos, pro minori pretio, quam valent, excuſatur à culpa ratione fori: ita etiam, & vendentes ſcienter pro maiori, propter idem forum, maximè ſi emptores ſciant pro maiori emere. Nam, ſi qui emunt,ſunt ignari,& imprudentes, & qui vendunt ſciunt optimè rei venditæ quantitatem,alia ratio erit habenda. Quam vt explicem,dico,quod ſi emptor ſcit fructuũ, qui venduntur quantitatem,& ſimiliter venditor, excuſari poterit emptio,& venditio à culpa,ſiue magno,ſiue paruo pretio reſematum. Et ſimiliter ſi ambo fructuum, qui venduntur quantitatem ignorent, poterit præfata emptio,& venditio excuſari. Cæterum ſi (quod vt in plurimum contingit) venditor ſcit fructuum quantitatem, vel quaſi,ex quo per ſcripturam, quæ vulgo dicitur, tazmia,id cognoſcit:emptor autem id penitus ignorat, nec facta diligentia id attingere poteſt, ex erroreque, aut ignorantia pro maiori quantitate, aut pretio præfatos fructus emit,non erit licita venditio, ſed tenebitur in conſcientia venditor exceſſum reſtituere,ſi emptor fuit notabiliter læſus;quãuis in foro exteriori cogetur emptor ſtare cõtractui. Et ratio eſt: Quia nõ eſt ibi æqua vtriuſque conditio, cum venditor rem ſciens videatur eſſe in tuto, & emptor neſcius in manifeſto periculo.

¶ His cõſtitutis ad primũ argumentũ reſpõdetur,conceſſo antecedenti,negando cõſequentiam: Nam cum pretium,quod deſumitur ex communi hominum æſtimatione, habeat latitudinem, vt diximus in primo notabili,eſtò vnus pluris,alius minoris vendat, intra latitudinẽ tamẽ iuſti pretii;iuxta cõmunẽ æſtimationem rem vẽdere ſunt dicendi. *Ad arg.* *Ad conſirmationem.*

¶ Ad cõfirmationẽ reſpõdetur nomine cõmunis æſtimationis, nos intelligere in præſenti rei appretiationem,& communem curſum rerum venalium, ac conſuetudinem, quæ exiſtit quando merces communiter in aliqua republica vendi ſolent,& apud prudẽtes & imprudentes,diuites, & pauperes idẽ illarũ pretium ſeruatur,ſuppoſita ipſarum rerum æqualitate, in bonitate intrinſeca. Id enim ſemper pro iuſto pretio eſt habẽdũ, ex quo nũquã deſunt in republica perſonæ prudẽtes,tã mercatores,quã nõ mercatores,qui ſciãt omnia perpẽdere, quæ ad pretii iuſtitiam conducunt. Itaque nec æſtimatio, quã faciunt mercatores, præciſe, nec illa quam faciunt non mercatores, eſt quæ iuſtificat pretium; ſed mos tales merces in republica vendẽdi pro tali pretio cõmuniter ſeruatus, qui ex prudentum hominum iudicio ortũ habuit,& ab eodem conſeruatur, variaturque, quando rationabiles cauſæ pretiũ mutãdi eõ cur-

currunt. Et huiuſmodi communi æſtimatione exiſtente, impertinens eſt venditores multas feciſſe expenſas, multa ſubiiſſe pericula, viliuſque aut cariùs merces emiſſe. Quare ſi iuſtè illas vendere volunt,aliquando lucrari, & aliquando perdere ipſos oportebit. Talis enim eſt mercatorum conditio, vt ſicut lucro, ita & damno ſint expoſiti. Et ſemper & in omnibus velle ſe ſeruare indemnes fieri non poterit, ſine aperta iniuſtitia, vt diximus in ſecundo notabili. *Ad 2. arg.* ¶ Ad ſecundum argumentum reſpondetur verum eſſe,quod pretia rerum ſecundũ illa omnia, quæ in argumento numerantur, variantur quotidie. Sed illa etiã ſunt,quæ conſiderare oportet,vt res ſecũdũ cõmunem æſtimationẽ vendi dicantur. Variatur enim communis æſtimatio, (etiam in eodem loco,& tempore) ex modo vendendi, vt vnaniniter dicunt Doctores. Et loquor de variatione notabili. Nam exigua variatio, & quæ intra latitudinem iuſti pretii contineatur, eodem etiam modo vendendi exiſtente, licitè fieri poteſt. Sed vt hoc melius intelligatur aduertendũ eſt, quod modus vendendi, penes quem dicimus, ex communi æſtimatione rerum pretia variari, poteſt eſſe quadruplex. Primus, quando ipſa metx quærit emptores. Secundus,quando emptores quærunt res, aut merces. Tertius, quãdo aliquis vendit ſimul, & non minutatim magnam copiam merciũ. Quartus,& vltimus,quando vendit diuiſim, & per menſuras minutiores. Et quidẽm primus modus vendendi ex communi æſtimatione facit vileſcere pretium. Et ex hoc ortum habuit commune prouerbium, quod merces vltroneæ vileſcunt. Ratioque illius eſt. Quia in eo modo vendendi eſt raritas emptorum,quæ eſt vna ex multis cauſis minuendi pretium. Secundus modus vendendi auget iuſtum pretium: quia eſt in illo copia emptorum, quæ eſt vna ex iuſtis cauſis pretium augendi. Tertius modus vendendi ſimiliter facit vileſcere pretium: quia eſt in illo raritas emptorum. Quartus autem auget pretium; & merito,tum quia in illo modo vendendi eſt copia emptorum, tum etiam,quia augetur labor maiorique induſtria eſt opus,tam ad diuidendas, quam ad conſeruandas merces.

¶ Huc vſque diximus de emptione, & venditione rerum,quarũ iuſta pretia, vel lege,vel cõmuni hominũ cõſuetudine ſunt taxata. Sed quoniam ſunt plures merces, quarum iuſtum pretium nec ex legis, aut iudicis decreto, nec ex communi hominum æſtimatione, quia ſunt parum in vſu, deſumi poteſt; quales ſunt gemmæ, & alia nouiter ex India venientia, multaque alia de nouo artificiata, meritò dubitamus: vnde, quod nam ſit iuſtum pretium iſtarum rerum,colligere poterimus? Nonnulli affirmant, iuſtum pretium in his deſumendum eſſe ex ſola voluntate vendentis. In his enim habet verum, quod dicit Iuriſconſultus, in lege in re mandata. C. mãdati. Vnuſquiſque in re ſua eſt moderator & arbiter. Et commune prouerbium: Tantum valet res quanti vendi poteſt. Sed proculdubio hæc ſententia non eſt vndequaque vera. Quocirca dicendum exiſtimo, quod vbi nec lex iuſti pretii determinatiua, nec communis conſuetudo inuenitur, quia forte merces in eo loco non ſunt aſſuetæ vendi, ad cognoſcendum iuſtum pretium illarum, multa conſiderare oportebit, quorum quædam tenent ſe ex parte vendentis, quædam ex parte ementis; alia vero ex parte ipſarum rerum. Et quidem ex parte vendentis, ſunt conſideranda, expenſæ,labores,cura, induſtria, & peticula, quibus ſe & merces expoſuit,tam illas de vno loco ad alterum aſportando, quam illas conſeruando. Ex parte ementium ſunt conſideranda indigentia, qua rebus illis indigent, paucitas,aut multitudo ementium, complacibilitas, ſeu appretiatio ipſarum rerum, & tandem vtilitas, quæ ex eis ementibus eſt euentura. Ex parte mercium ſunt etiam conſideranda, raritas, ſeu abundantia ipſarum, fertilitas,ſeu ſterilitas earumdẽ,cõmoditas quã poſſidentibus tradere poſſunt,& denique earumdẽ melioratio,ſeu deterioratio. Quibus omnibus rectè penſatis, poterit prudens mercator merces ſuas vendere petendo id,quod ſibi conſtiterunt, & præterea lucrum, ex quo competens ſtipendum pro laboribus, expenſis, & periculis, cæteriſque, quæ dicta ſunt,recipere poſſit. Sed, quoniam omnium iſtarum rerũ conſideratio longiſſima eſt,& in qua multũ poteſt eſſe incertitudinis,breuem regulam aſsignant Doctores dicentes,in his,& aliis rebus reipublicæ minimè neceſſariis(nam quæ neceſſariæ ſunt iam ex cõmuni æſtimatione habent taxationem) id habendum eſſe pro iuſto pretio, in quo emptor atque venditor, ſcientes conuenerint. Itaque tanti poterit quiſque rem vendere, quantum emptor ſciens, & prudens dare voluerit. Et in hoc ſenſu verum eſt quod dicitur. Tantum valet res,quãti vendi poteſt. Et lex illa, quæ dicit. Vnumquemque in re ſua eſſe moderatorem,& arbitrum, eſt intelligenda dummodo illa res ad alterum non pertineat. Nam

Dubium de iuſto pretio rerum exquiſitarum.

Sententia autoris.

Regula cõmunis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

si pertinet ad alterum, secundum regulas iustitiæ erit necessario iudicanda.

Corollarium Triplex regula cognoscendi iustipretij.

¶ Ex omnibus dictis infertur, quod ad cognoscendum iustũ pretiũ rerũ venaliũ quæ cumq; sint illæ, triplici regula vti possumus. Prima est, autoritas publica ex suo beneplacito certis rebus pretia decernens. Secunda, communis æstimatio fori. Tertia, conuentio inter emptorem, & venditorem. Inter quas hoc est discriminis; quod pretium constitutum per primam regulam, consistit in indiuisibili; vt supra dicebam. Medium autem cõstitutum per alias regulas latitudinem habet, & variari potest in eodem loco, & tempore, vt dicit D. Thom. hic in solutione ad primũ. Differunt secundo, quod pretium taxatum per primam regulam ordinatur immediatè ad bonum communitatis, per iustitiam legalem, quæ principaliter in principe, & ministris reipublicæ residet. Pretium vero taxatum per alias regulas ordinatur immediatè ad bonum ipsorum contrahentium. Differunt tertio in eo, quod materia primæ & secundæ regulæ, sunt res necessariæ ad victum, & vestitum hominum, & sic exercentur circa frumentum, vinum, pannum, &c. Cùm tamen materia propria tertiæ regulæ sint res magis ad fastum, & pulchritudinem reipublicæ, quam ad necessitatem pertinẽtes. Quales sunt gẽmæ, canes venatici, accipitres, equi elegantes, &c. Est etiam differentia inter secundam, & tertiam regulam, quantum ad hoc, quod stante taxatione pretii per secũdã regulam, tertia locum non habet. Si enim pretium communi æstimatione fori, est cõstitutum, non licet illud ex conuentione inter emptorem, & venditorem variare, sed stãdum erit communi æstimationi fori. Quod est intelligendum, manente contractu in ratione emptionis, & venditionis. Nam si ex beneplacito suo venditor vult rem vilius vẽdere, erit donatio: Sicut, & si emptor velit rem carius emere. Itaque tertia regula tantum habet locum, quando pretium rei nullo modo est taxatum, vt contingit in mercibus nouiter ex India adductis, & in artificibus industrius nouum aliquod artificium facientibus vtile reipublicæ. Quamuis etiam in his, vt rectè conuentio fiat, considerare oportebit expensas laboris, & industriam artificis, ad modum iam explicatum.

Regula.

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, Vtrùm quando cõmunis æstimatio minoris facit alicuius rei pretiũ, quã à lege est taxatũ, licitum sit totũ pretiũ legis accipere. Verbi gratia: Tẽpore abundantiæ communiter æstimatur faneca tritici octo argenteis; pretiũ autẽ lege taxatũ est quatuordecim. Dubiũ est. Vtrũ in eodẽ tempore abundantiæ sit licitũ pro vna faneca tritici quatuordecim argẽteos accipere? Bart. Medina in summa. c. 14. §. 25. vt ad hanc difficultatem respondeat, distinguit. Et dicit: quod si lex pretium decernens in fauorẽ emptoris facta sit, vt in dicta pragmatica tritici contingit, non est licitum totum legis pretiũ exigere, sed illud tantum, quod in cõmuni populi æstimatione currit. Et si secus fiat, tenebitur vendens totum excessum restituere. Cæterũ in illis, in quibus in fauorem vendentis pretii taxatio facta est, vt in vendi tione iuris ac census contingit; etiam si vilius sit pretium in cõmuni æstimatione: puta vnum pro viginti, poterit venditor sic vẽdere, vt lex dicit, scilicet, ad rationem vnius pro quatuordecim. Hæc tamen sententia, quã etiã sequitur Mercado de cõtractibus. cap. 7. quantum ad modum explicandi mihi nõ placẽt. Distinctio enim de lege decernente pretium, aut in fauorem ementis, aut in fauorem vendentis, prorsus est inepta. Quod ista ratione conuinco. Nam, vel pretium lege taxatum, est iniustum aut iustum. Non iniustũ: quia cum, vt supra ostẽdimus, semper sit pro principibus iudicandum rectè omnia perpẽdisse, vt iustitiam, & æquitatem seruent, tam diu pretium lege statutum habendũ erit pro iusto, quãdiu non constiterit contrarium. Et si dicatur, communem illam æstimationem pretii pro minori, facere, vt illud, quod lege statuitur non sit iustũ: cõtra hoc sic argumentor: Cõmunis æstimatio, vt omnes fatẽtur in assignãdo pretio locũ nõ habet, quãdo lege, & publica principis æstimatione taxatio facta est, cũ cõstet iudiciũ principis, aut senatorum in valore iudicãdo, longe anteferendum esse communi hominum iudicio, & æstimationi: alias sequeretur, quod etiam tempore sterilitatis liceret pluris vendere rem, quam taxata est: siquidem communiter tunc merxs pluris æstimatur, quod nullus concedet: ergo id pretium habendum erit pro iusto, quod lege statuitur siue in fauorem emptoris, siue in fauorem vendentis taxatum sit. Atque ex consequenti semper est licitum illud sequi cum nulli siue emptori, siue venditori sit licitum iniuriam facere. ¶ Et vt ad propositam difficultatem respondeamus, aduertendum est, dupliciter posse contingere, vt lex aliqua alicuius rei pretium taxet: Vno modo absolutè, determinando iusti pretii quantitatem. Alio modo, non taxando iustum rei pretium; sed statuendo, & præcipiendo, ne vltra certam quantitatem res vendatur, nihil curans an illa sit iusta, & æqua taxatio; nec ne? Quo

Sententia Bartholomæi à Medina.

Impugnatur Medina.

Dupliciter potest lex pretium taxare.

1. dictum. Quo supposito dico primò, quod si taxatio fiat primo modo, procul dubio est licitum accipere totum pretium legis, etiam si ex communi æstimatione res minoris habeatur. Nam cum illud pretium sit iustum, & legitimum vnicuique licet illud accipere, non obstante quacumque communi hominum æstimatione, quæ contra iustum legale prævalere non potest. Et hæc ratio, vt opinor, obseruanda est in taxatione librorum, & aliarum rerum cõmuniter ad vsum hominum deseruientium, vt panis, vini, carnis. Nec refert, an lex in fauorem emptoris vel venditoris sit edita, cum illa semper æqualitatem cum omnibus obseruare debeat: alias erit iniusta: nec in fauorem emptoris aliquando taxatio iusta esse possit, quin etiam sit iusta in fauorem vendẽtis. &c.

2. dictum. Dico secundo, quod si taxatio fiat secundo modo, vt sine dubio fit in pragmatica tritici, & censuum, non potest venditor plus accipere pro re, quam communiter æstimatur: Itaque si triticum in anno abundanti communiter æstimatur octo argenteis, non poterit venditor pro illo quatuordecim accipere, esto legis taxatio, quatuordecim sit. Et ratio est; quia lex pretii tunc relinquens quantitatem in naturali iure de communi æstimatione, solum præcipit ad vitanda damna reipublicæ ne certus terminus excedatur.

Aliud dubium.

Est aliud dubium, vtrùm si Salmanticæ, Verbi gratia, valet res octo ex lege, Toleti verò, eadem res, ob maiorem penuriam illius, etiam ex lege valet duodecim, existens Salmanticæ possit rem illam pro duodecim vendere, cum obligatione suis expensis illam deferẽdi Toletum? Et quidem si contractus nõ celebretur Salmanticæ, sed fiat conuentio de celebrando illo Toleti, quãdo res ibi sit portata, certum est, cõtractum esse licitum, quia ille non vendit Salmanticæ, sed Toleti vbi res tanti valẽt, ipseque suis expensis est illas portaturus & sibi pereunt, si casu perierint, quia non est translatum dominium. Sed quãdo contractus celebratur Salmanticæ, tunc est difficultas, vtrùm sit licitus? Mercado cap. 10. absolutè dicit, non esse licitum pluris vendere res, quam valent in loco, vbi fit contractus. Et ratio illius est, quia cum lex in eo loco prohibeat rem pluris vendere, si ibi celebratur contractus, & secus fiat, iam venditur res vltra pretium legis, atque ex consequenti contra legem, & illicitè. Sed ego ad propositam difficultatẽ sub distinctione respondendum existimo. Nam vel venditor res illas erat portaturus Toletum, vel non. Si primum, licitus est contractus: nec quod super accipit est ratione venditionis, aut rei venditæ, sed ratione lucri, quod amittit, vendendo Salmanticæ: quod ipse potest superaccipere deductis tamen expensis, & periculo transportationis, quæ emptor accipit supra se, & deberent esse supra ipsum vendentem, si merces Toletum deferret, vel mitteret, quæ sunt pretio æstimabilia. Si autem venditor non erat res portaturus Toletum, non potest illas pro pretio Toleti currente vendere, sed pro illo quod Salmanticæ vbi res venditur currit. Cuius rei rationem assignat Bart. Med. quia contrarium esset in fraudem legis. Sed profectò mihi hoc non solum videtur esse in fraudem legis, sed etiam contra legem. Nam cum excessum pretii ille non accipiat, nec ob lucrum cessans, nec ob aliam causam rationabilem, relinquitur quod accipit illud ratione mercis, cuius valor in hoc loco non est tantus ex lege; atque ex consequenti facit contra legẽ. Et hoc, quod dicimus de diuersitate pretii in diuersis locis, ex lege proueniente: est etiam intelligendum, quando diuersitas pretii prouenit ex communi æstimatione, modò excessus intra latitudinem iusti pretii non contineatur. Quod enim attinet ad æqualitatem iustitiæ, parum refert, an diuersitas pretii, in diuersis locis proueniat ex lege, vel ex communi æstimatione. Et hæc dicta sufficiãt, pro cognitione iusti pretii rerum venalium. Quibus suppositis superest, vt ad explicationem eorum, quæ D. Thom. in isto articulo, & sequentibus dicit, deueniamus.

Sententia Mercadi.

Sententia autoris.

¶ Et primò circa primam conclusionem, in qua habetur, quod vti fraude, & dolo, vt vel pluris res vendatur, vel minoris ematur, quam iustum est, est peccatum, est difficultas, vtrũ vera sit. Et pro parte negatiua est argumentum, ex leg. rem. Cod. de rescin. vend. & leg. in causa 2. ff. de minoribus §. idem. Vbi contrahentibus conceditur, vt inuicem se decipere possint. Et confirmatur: Contractus ille, in quo vnus decipit alterum vltra dimidium pretii, non solum ciuili, sed & canonica lege firmatur, vt constat ex cap. cum dilecti, & ex capitulo cum causa, de emptione & vendi. ergo est licitus. Hoc tamen non obstante, dico conclusionem. D. Thomæ esse certissimam. Quæ & sufficienter probatur ex Paulo primo ad Thess. capitulo 4. admonente, ne quis fratrẽ suum in negotio circunueniat. Quoniam vindex est Dominus, inquit, de his omnibus. Et ratio est manifesta: Nam vbi adest fraus, ac dolus voluntariũ subinde abest, & ex consequenti fit iniustitia charitati aduersa. ¶ Et ad argumẽtũ in contrariũ dico, nomine deceptionis in

Dubiũ circa primam conclusionem D. Thom.

Argu.

Sententia autorit.

Ad arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis legibus,non significari fraudem,aut dolum,quæ semper sunt peccatum; sed solum acceptionem maioris vel minoris pretij, citra dimidium, quæ tam iure ciuili, quam canonico permittitur:etiam si intra latitudinem iusti pretij non contineatur; vt constat ex legibus, & capitibus in argumento adductis. Vendere autem accipiēdo maius, vel minus pretium,vltra dimidium,non est vendere vltra duplum, vt nonnulli arbitrantur apud Conrad. de cōtract.q.57. Sed est vēdere vltra ses qualterum. Itaque res,quæ valet decem habet latitudinem iusti pretij intra nouem,& vndecim,& vendere eam pro sedecim, est vendere vltra dimidium veri,sicut emere citra dimidiū est emere pro quatuor,quia quinque sunt media pars decem. Ita habet lex rem.C.de rescin.vend. Vbi dicitur.Minus pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretij soluta est.

Grauis difficultas de venditione citra dimidium.

Sed est grauis difficultas,vtrùm iura permittentia emptionem, aut venditionem rei citra dimidium, permittant illam tanquam iustam,& licitam, vel potius taliter emētes, aut vendentes peccent mortaliter,& teneantur ad restitutionem, quamuis leges taliter lęsis non dent in iudicio actionem,vt vel cōtractum rescindere,vel damni sibi illati restitutionem petere possint.De qua re sunt varię Doctorum sentētię. Prima est quorumdam iurisprudentium. Qui dicunt ex legum dispositione licitum esse cuique rem vltra iustum pretium vendere cariùs,aut emere vliùs,modo in tali venditione non excedatur dimidia iusti pretij quantitas. Hanc etiam sententiam tenet Durandus quidam ex ordine Minorum,quem citat Conrad. q.57.& reprehendit Antoninus 2.p.tit.1.capitu. 16. Quia dicebat licere venditori in foro Dei exigere pretium iusto maius, etiam si immodicus sit excessus, dummodò non sit vltrà dimidium.Et probari potest hæc sentētia pluribus argumentis. Primo, Naturaliter permissum est,& concessum contrahentibus, se inuicem circunuenire, & circunscribere,vt notant iuristæ in leg.item si pretio.§.fi.ff.locati.& in leg.in causę.§.fi.ff.de minoribus. propterea que ptæcipiuntleges,vt si deceptio non fiat vltra dimidium, contractus teneat, & sit validus: ergo taliter contrahentes non peccant, nec tenentur ad restitutionem. Et confirmatur: Defraudare proximum citra dimidium iusti pretij, videtur fieri iuris tam canonici, quam ciuilis autoritate, vt constat ex legibus, & capitibus supra citatis: quod autem iuris autoritate fit, iuste fit: ergo licitè,atque ex consequenti taliter facientes ad nullam tenentur restitutionem. ¶ Secundo:Quia ex dispositione iuris habetur,vt qui rē alienam per tempus à lege definitum possedit,postea rem illam restituere non teneatur; etiam si superueniat scientia, quod res illa fuerit aliena, taliter possidens est tutus in conscientia, nec obligatur ad restitutionem: ergo pari ratione, quia ex dispositione iuris habetur, vt qui vendit rem, plus iusto citra dimidiū, non teneatur super acceptum restituere,taliter vendens erit tutus in conscientia, nec ad aliquam obligabitur restitutionem. Antecedēs supponitur à nobis tanquā certū ex dictis in materia de dominio, cum de præscriptione esset sermo. Et consequentia probatur ex paritate rationis. Vtrobiq; enim eadem causa inuenitur,scilicet,ne detur occasio litibus, & contentionibus, quæ innumeræ alioqui oriri possent, si super omni defraudatione esset defraudatus audiendus. ¶ Tertio argumentor à simili: Officialis,qui operas suas locauit,aliquidque ab eis, quibus seruiuit vltrà debitum extorsit, non tenetur illud restituere,iuxta D. Augu. sententiam, qui de his loquens dicit. Magis reprehendendus est,qui talia repetit: quam ipse officialis,qui accepit.cap. non sane.14.quæstione 5. ergo nec qui rem superuendit tenebitur excessum restituere:cùm simile sit rem superuendere, & pro opere vltra debitum aliquid extorquere; quia etiā hic est operis venditio. ¶ Quarto:Vnicuique est licitum tanti rem suam vendere, quantum valet: sed res valet tantum,quantum vendi potest, vt habet vulgatum, & commune proloquium: ergo licite res pro quocumque pretio datur, atque ex consequenti illam vēdens ad nullam tenetur restitutionē. Et si dicatur, illius prouerbij sensum esse,nō quod res valet tantum,quantum potest vendi de facto,sed de iure; id enim possumus, quod iure possumus; ad minus sequitur,licitè,& iustè posse, quemquam rem suam vendere pro pretio, quod non sit vltra dimidium iusti, cùm illud ex iure ità sit dispositum. ¶ Vltimò: Si vendens rem vltra dimidium iusti pretii, peccatum committeret, & teneretur ad restitutionem; ex eo esset, quod venditor ab emptore illud pretium iniustè acciperet, sicque esset velut furtum, aut rapina saltim large: sed in eo casu, nec furtum, nec rapina nec aliqua iniustitia locum habere potest, cum mutuæ voluntates mentis & vendentis ad talem contractum concurrant,nec aliqua ibi interueniat fraus,vel dolus,vel ignorantia: ergo licitè fit, nec ex eo oritur obligatio restitutionis. ¶ Gerson in tractatu de contractibus. & in suis floribus. vt refert Soto lib.6.de Iustitia.quæst.3.ar.1. dicebat eos,qui vendunt,vel emunt merces, vltra dimidium,peccare mortaliter: non tamen teneri ad restitutionem. Sed hæc sententia non minus falsa est,quam præcedens.

2.Argum.

3.arg.

4.arg.

Vltimum argumentum.

Altera sententia.

Conclusio.

¶ Quocirca, vt difficultati satisfaciam, talem constituo conclusionem: Quicunque excessus iusti pretij, in venditione, & defectus in emptione,scienter acceptus, etiam si dimidij quantitatem non excedat: peccatum mortale constituit, & cadit sub obligatione restitutionis. Itaque nec leges canonicæ, nec ciuiles volunt permittere deceptionem citra dimidium iusti pretij, tanquam iustam & ratam in foro Dei. Hanc sententiam tenet Medina Cod.de restit.q.52.Soto lib.5. de iustitia.q.3.art.1.Couarru.lib.2. Variarum.ca.4. num.4. D.Tho.in 4.d.15.quæst.3.Conra.de contractibus.qu.57.conclusione 1. Adrian. quodli.6.ar.3.Caiet.in præsenti,& opusc.16. quæstionum cap.12. Nauarro in cap.qualitas de pœnit.d.5.numer.45. & latius in cap. nouit.de iudi.not.6.corol.9. Estq; ista communis opinio omnium Doctorū tam Theologorum,quam iurisprudētium. Imo Diuus Antoninus 2.p.titu.1.capit.16.dicit contrariam sententiam esse erroneam, animarumque saluti periculosam: quod ego item verum existimo. Et probatur nostra conclusio. Primo,in ca.hoc ius.10.q.2.dicitur, quod si in vēditione rei Ecclesiasticę plus offeratur, quam res valeat,illud Ecclesia non debet recipere,sed tantum iustum pretiū: ergo similiter in venditione aliarum rerum secularium, tantum iustum pretium debet interuenire. Probo consequentiam: Nam iustitia commutatiua nō minus in rerum secularium, quam Ecclesiasticarum venditione seruanda est. Et confirmatur ex D.Augustino lib.15.de Trinit.cap.3.dicente: Vili velle emere, & care velle vendere, re vera vitium est: nec ob aliam rationem, nisi quod æqualitas inter pretium,& rei valorem non seruatur. Quare idem D. Augustinus ibidem quendam hominem, tanquam iustum commendat, qui cùm venditor exiguū pretium pro re,quam vendebat insciusposceret, ipse sciens rei valorem,amplius quā alter postulauerat tradidit. Scio,inquit,hominem, cùm venalis codex sibi fuisset oblatus, pretijque eius ignarum:& ideo quiddam exiguum poscentem, cerneret venditorem, iustum pretium,quod multo ampliuserat nec opinanti dedisse. Et ratione sic argumentor. Præceptis naturalibus nulla humana lex derogate potest: sunt enim indispensabilia: vt supra diximus, de præceptis Decalogi: vel saltim nullus dubitat, quod per humanum ius nec dispensari, nec abrogari possint: sed seruare iustitiam commutatiuam in contractibus humanis,est præceptum naturale, atque adeò diuinum, cum omnis præceptio naturalis ab æterna lege deriuetur,vt docet D.Tho.1.2.q.95.ar. 2.ergo per legem humanā id abrogari non potest. Atque ex consequenti non obstante quacunque legis humanæ dispositione,quicunque emit, aut vendit rem cārius, quam valeat,siue in multo,siue in paruo,dummodo pretium intra latitudinem iusti non contineatur,peccabit contra iustitiam: & tenebitur ad restitutionem. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Obiectum iustitiæ,quæ virtus est naturalis,est facere æqualitatem in rebus, ideò enim Aristi. 5.Ethic.dicebat,totam virtutē iustitiæ commutatiuā in hoc versari, vt æqualitas inter personas constituat,nēpe,faciendo vt quantum à te accepi, tantum tibi reddam: ergo hoc,quod est seruare iustitiam in commutationibus humanis, est præceptum naturale. Et confirmatur: Si liceret decipere citra dimidium iusti: similiter etiam liceret defraudare in mensura: & si decem modios grani vendidisti accepto omnium integro pretio sex tantum subdole tradere: hoc autem est absurdum,& contra illud Deutero.25. Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus:nec erit in domo tua modius maior & minor:ergo & illud,ex quo sequitur. Probo sequelam: Nam idem prorsus sunt, vel decipere in ptetio,vel decipere in mercibus. Item: Qui defraudat proximum, non libere consentientem,non solum agit contra charitatem,& legem naturæ, qua hoc facit alteri, quod sibi nollet fieri,sed etiam contra iustitiam,ipsum iniustè damnificando:sed hoc facit ille qui rem carius vendit, quam valet, etiam si sit citra dimidium: suppono enim ipsum nullatenus intendere donare: ergo non solum peccat, sed etiam tenetur ad restitutionem, iuxta illud: si culpa tua damnum illatum est,iure super hoc satisfacere te oportet. Vltimò, suppositō, quod deceptio medietatē iusti pretij superans inducit obligationem restituendi,vt omnes fatentur,argumentor in hunc modum: Nam, vel tunc restituendus est totus excessus vltra iustum pretium,vel non:sed ille tātum qui est vltra dimidium. Secundum dici non potest: nam cum leges ciuiles,rescindant contractum,in quo sit deceptio vltra dimidium,nisi integet excessus emptori restituatur, vt habetur expresse in lege 2.C.de rescind.vend. fieri non poterit,vt in tali deceptione solum restituēda sit illa pars, quæ medietatem excedit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prætерquam quod est mirabile dictu, quod si rem valentem decé à Petro mercatus sum pro sedecim teneatur mihi Petrus sex restituere: & si eam mercatus sum pro quatuordecim, nihil mihi debeat: ergo totus excessus erit restituendus. Atque ex consequenti, etiam si medietatem non attingat, erit etiam ille reddendus, vt sic inter pretium, & mercem iustitiæ æqualitas obseruetur. Et confirmatur: Obligatio restituendi nascitur ex iniusta rei acceptione, seu retentione: ergo si in casu, quo venditor rem valentem decé, vendit pro quindecim, nihil alienum accipit iniustè: si eam vendit pro sedecim, non grauabit iniuste emptorem, nisi in vno. Atq; adeò vendendo, pro sedecim non tenebitur restituere, nisi vnum: Hoc autem est contra Doctores contrariæ sententiæ: & contra omnes, qui vnanimiter dicunt totum excessum esse restituendū, quando est vltra dimidium iusti pretij: ergo similiter erit dicendum, quod quando res venditur pro quindecim, illa quinque sunt iniustè accepta, & ex consequenti restituenda in consciencia.

Ad 1. arg. ¶ Ad primum argumentum in cōtrarium respondetur primo, quod si illud aliquid valeret, pari ratione conuinceret, non solum licere hominibus, se inuicem decipere citra dimidium, sed vltra. Quod est contra omnes, & contra veritatem, cùm absolutè dicatur in legibus citatis, naturaliter esse permissum contrahentibus se inuicem decipere, nec apponatur aliqua limitatio ex parte quantitatis, in qua sit licita deceptio. Præter quàm, quod vt paulò ante dicebam, tam naturali quam diuino iure est hominibus prohibitum, ne se inuicem decipiant, aut circunueniant, nec in multo, nec in paruo. Ac proinde quando dicitur, naturale esse contrahentibus se inuicem circunuenire, non est sensus, quod sit de iure naturæ, sed dicitur esse naturale, quia secūdum naturam corruptam ità natum est euenire, sæpèque contingit, vt homines, ob rerum cupiditatem, quę est illis quodámodo naturalis, se inuicem decipiant. Et si alicubi dicitur id esse licitum, intelligendū est, hoc est, permissum, quia, scilicet, iure saltem humano, non puniuntur tales circunuentores, quamuis diuino, & naturali prohibeantur. Vel secundo respondetur, nomine deceptionis, aut circunuentionis in illis legibus, solum significari acceptionem maioris, vel minoris pretij intra latitudinem iusti, quæ licita est, modo fraus, & dolus non interueniant, quæ semper sunt peccatum, vt diximus in superioribus. Ad cōfirmationem respondetur, falsum esse, quod ius, siue ciuile, siue canonicum, eos contractus approbet, tanquam licitos, & iustos, in quibus maius pretium accipitur, quam res valet, modo excessus non sit vltra dimidium. Et similiter est falsum, quod idem ius autoritatem præstet, vt huiusmodi defraudationes fiant. Quod ve ritatem habet, est quod vtrumque ius approbat eiusmodi contractus, solum quantum ad eorum validitatē. Quod est dicere, quòd nō sunt necessario rescindendi, vt habetur in leg. si voluntate. C. de rescin. vend. Vbi Imperator dicit: Nec bona fides, nec aliqua ratio patitur, vt contractus, in quo fit defraudatio citra dimidium, omni dolo secluso, rescindatur. Præterquam, quod etiam si leges autoritatem præstarent ad similes cōtractus efficiendos, non inde liceret inferre, eos esse licitos, & iustos. Multa enim videmus secundum leges humanas permissa, & disposita, quæ tamen secundum naturalem legem, & diuinam sunt damnanda. Vt patet de vsura citra centesimum, quæ iure ciuili toleratur. Et de præscriptione cum mala fide, quæ etiam aliquando eodem ciuili iure defenditur. Et de alijs pluribus, in quibus constat ciuiles leges à naturali & diuina differre. Quare non sine causa D. Augustinus, & refertur in cap. qui peccat. 23. q. 4. dicebat: Illud, quod legis autoritate fit, iustè fit, non de lege humana, sed de diuina, & naturali esse intelligendum. Et si quis nobis obijciat Innocentium super cap. quia plerique, de immunitate Ecclesiarum, generaliter dicentem quod quando cōtractus iure tenet, pars, quæ lædit ad restitutionem non tenetur, quoadusque pars læsa repetat. Dico, nulla ratione contra nos pugnare. Solum enim loquitur de contractibus, in quibus ius dominij translationem non vetat. Et sic lucrum ex ludo non tenetur lucrator restituere, nisi petatur. In præsentiarum autem certum est, iure naturali & diuino inhiberi translationem dominij. Quare idem Innocentius super ca. in ciuitate. de vsuris. de hoc particulari casu docet, leges permittentes deceptionem citra dimidium iusti pretij, intelligendas esse, iure fori, & non iure poli. Idemque affirmat Panormi. super dictum capit. quia plerique. & Baldus super cap. cum causa. de testibus. vbi allegans Glossam legis. semper. ff. de reg. iur. ait, tales fraudulentos cōtractus non esse licitos in foro conscientię: Et ideò mercatorum animas in periculo versari. Ad 2. arg. ¶ Ad secundum argumentum respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ad probationem dico, non esse eandem rationem de præscriptione, & de superuenditione. In præscriptione enim post completum tempus à lege diffinitum, si cætera adsint, quæ

quæ ad legitimè præscribendum sunt necessaria, ius ipsum seu legislator concedit, & transfert dominium rei in præscribētem: in superuenditione autem non ita. Sed in hoc solum ratificat præfatum contractum, quod in foro exteriori non concedit defraudato actionem contra defraudantem, quamuis in foro conscientiæ, à quo forus exterior sæpe discrepat defraudans, ad restitutionem tenetur. ¶ Si quis autem quærat, quæ nam sit ratio propter quam legislator in præscriptione voluit, vt dominij rei translatio fieret: & nō in superuenditione, quando excessus est citra dimidium: si quidem vtrumque permittit: dico huius rei duas potissimum esse causas. Prima: Quia in præscriptione ratio quietis obtinendique lutibus, postulat vt princeps, qui custos est pacis, eos homines rerum suarum dominio priuet, qui eas diu tanquam negligentes deserunt, vt sic obuietur fallacijs, quæ post longi temporis lapsum inuocari poterant. At vero in contractu emptionis: quia nequeunt cuncta rerum pretia nosse, æquitas dicit, vt qui bona fide emunt, propter iniquitatem inuitoris, illo excessu, quem supra iustum pretiū dant, non priuentur. Secunda ratio est: Quia in præscriptione possessor bona fide putatur: atque adeo iniquum videtur, vt post tam longam temporis moră inquietaretur. Cum tamen fraudulentus mercator mala fide decipiat, propterea que non sit iustum, vt de sua iniquitate, præsertim contra innocentem, cōmodum reportet. Non autem conceditur defraudatis actio contra defraudantes in huiusmodi contractibus: quia legislatores non tanti faciunt hæc bona temporalia, vt propter illa, rationabile iudicauerint tantum inesse litigationum turbinem, quantus esset illis oriretur. Præsertim consulente nobis Christo vt ad rediendum tempus petenti à nobis tunicam dimittamus, & pallium. Itaq; in præscriptione, vbi maior est causa, vt pace consulatur adiudicatur dominium possidenti, & in deceptione citra dimidium, quia non est ità urgens ratio, & segnè, difficulterque posset res semper percipi, neque multis fraudum formis pateret aditus, vt similiter paci consulatur, denegatur actio petenti, & foro Dei relinquitur iniuriæ satisfactio. Ad tertium argumentum respondetur, negando antecedens. Quicunque enim officialis, siue maior sit, siue minor, quippiam ab eis, quibus inseruiit, vltra debitum extorquēs, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, sicut & ille, qui pro venali accipit aliquid vltra iustum pretium. Eadem est enim ratio rei locatæ & venditæ, vt dicitur in argumento. Propterea q; dicebat D. Ioannes Baptista militibus, apud Lucam ca. 3. Neminem concutiatis, sed contenti estote stipendijs vestris. Et ad D. Augustinum respondeo, ipsum non affirmare, quod extorta per officiales non sunt restituenda, nec repeti possunt. Repetuntur enim sæpe, vt idem Augustinus dicit, non solum de facto, sed etiam de iure. Quod autem affirmat: Magis reprehendimus eos, qui talia repetunt, quam officialem, qui recepit: non de extortis per officiales vltra debitum, est intelligendum: sed de illis, quæ per tolerabilem consuetudinē accipere conducerunt. Et quod hic sit sensus D. Augustini patet ex verbis eiusdem positis in epistola ad Macedonium. Vbi postquam dixit: Ab his extorta per improbitatem repeti solent, subiungit. Data per tolerabilem consuetudinem non solent. Et de his, quæ per tolerabilem consuetudinem data sunt, addidit: Magis reprehendendus est qui talia repetit, quā officialis, qui ea de more accipit. Gratianus in cap. non sane. 14. q. 5. infideliter transtulit locum Augustini illis verbis relictis: Data per tolerabilem consuetudinem non solent. Ex quo Innocentius, & alij post ipsum decepti sunt, vt putarent extorta vltra debitum per officiales minores, non esse restituenda.

Ad 4. arg. ¶ Ad quartum respondetur primo, quod si illud aliquid valeret, pari ratione conuinceret, posse hominem vendere rem suam pro pretio excedente dimidium iusti, sicut & pro non excedente, cùm non sit maior ratio de vno quam de altero. Quod nullus concedit. Vel secundo respondetur, commune illud proverbium: Tantum valet res, quantum vendi potest, limitandū esse ad posse de iure, seu licitè & rationabiliter. Et ad obiectionem respondeo, non esse dēpositum de iure præceptivo, vt posset quis accipere quodcunque pretium pro re, quam vendit, modo dimidium iusti non excedat, sed tantum permissiuè. Et certum est, non omne illud, quod in iure permittitur licitè fieri posse. Alioqui meretrices, quia legi permittuntur, non peccarent, quod est falsissimum. Et propterea dicebat D. Chrysostm. Quod permittimus, nolentes præcipimus: quia malas hominum voluntates ad plenū prohibere non possumus 33. q. 1. cap. hac ratione. Vel possumus tertiò respondere, axioma illud solum habere verū in rebus venalibus, quarum pretia, nec lege, nec communi hominum æstimatione, habent taxationem: sed illud accipiunt ex contrahentium conuentione, de quibus verè dicitur, quod tantum valent, quantum vendi possunt. Ad vltimum similiter respondetur, quod si illud probaret venditorem non teneri

Quæstio.

Responsio.

Ad 3. arg.

Ad vltimū

Universidad de Deusto
Biblioteca

teneri restituere excessum citra dimidium, pari ratione conuinceret, nec etiam teneri restituere excessum vltra dimidium iusti pretij: cum non minus conueniant contrahentes in vno, quam in alio: Nec valet dicere, non esse simile, quia consensui in datione vltra dimidium repugnat ius, & non consensui in datione citra. Ius enim non magis repugnat vni contractui, quam alteri, cæteris paribus. Excepto, quod in vno datur actio defraudato contra defraudantem, vt vel rescindatur contractus: vel ad æqualitatem reducatur: in alio verò talis actio non datur. Quare dicendum erit, quod emptor dans pretium excesiuum ad petitionem venditoris, vel dat totum illud per viam pretij: quêadmodum venditor totum illud petit per viam pretij, vel solum dat iustum per modum pretij, & excessum per modum doni. Si primum, currit conclusio supra posita, scilicet, quod est restituendus totus excessus, siue vltra, siue citra dimidium iusti pretij sit: quia nec est donatus venditori, nec eidem ratione mercis aut ob aliam causam debitus. Suppono enim in præsenti, nullum fuisse animum mentis, aliquid vendenti donâdi, sed ideo pretium excesiuum dat, quia indiget re, quam pro minori pretio habere non potest. Si secundum, scilicet, quod emptor sua sponte per modum doni vult talé excessum dare: verum est, quod dicitur in argumento. Nempe, quod in eo contractu nec furtum, nec rapina, nec aliqua iniustitia locum habet: sed tunc æqualiter currit ratio de pretio excedente dimidiũ iusti, & de illo, quod non excedit, vt supra dicebam, quod est contra omnes. Itaque nostra sententia procedit de emptione, & venditione pura, cui nulla fuerit admixta donatio. Et de eadem est intelligenda secunda conclusio D. Thom. qua dicit, etiã deficiente fraude, aut dolo, vendere carius, aut vendere viliùs, quam res valet, esse secundum se iniustum.

Dubiũ circa tertiam conclusionẽ D. Tho.

¶ Sed circa tertiam conclusionem Diui Thom. in qua habetur, per accidens aliquando esse licitum, vendere rem carius, quam valeat: est non leuis dubitatio, vtrùm vera sit. Et loquimur in presenti supposito, quod res quæ venditur, vel ex legis determinatione, vel ex communi hominum æstimatione sui iusti pretij habet taxationem, quę nec ratione abundantiæ, nec ratione penuriæ mercium, nec ex multitudine, aut paucitate mercantium, nec ex modo vendendi varietur. Hæc enim omnia ex communi hominum æstimatione, vt diximus supra in isto articulo augendi, atque minuendi iustum pretium ex sua natura habent potestatem. Nec quando ex his augetur, vltra iustum pretium vendere quis rem est dicẽdus. Et sic sensus quæstionis est, vtrùm possit contingere casus, in quo sit licitum rẽ pro excesiuo pretio vendere, aut emere pro minori, nec ille excessus aut defectus sit restituendus. D. Tho. in præsenti partem tenet affirmatiuam, quam sequuntur cõmuniter omnes Theologi. Quanuis in explicandis casibus, in quibus id facere licet, diuerso modo loquantur, alijq; plures & alij pauciores assignent. Sed nos illos ad tres in genere reducimus. Primus est ignorantia. Et contingit, quando venditor inuincibiliter credit, rem, quam vendit, id valere, quod pro illa exigit, verbi gratia, quindecim, cum re vera non valeat, nisi duodecim. Secundus est interesse. Et contingit, quando venditor ex rei venditione, vel patitur aliquod damnum, vel ab assequutione alicuius lucri sibi certi, aut probabiliter euenturi impeditur. Tunc enim licitum erit ei ascendere in pretio iuxta quantitatẽ interesse, quod ex venditione perdit, vt se seruet indemnẽ. Est autẽ hoc intelligendum, dummodo venditor rem illam vendat, ad instantiam emptoris. Nam si rogans vendit, non vendenti, sed emptori veniet imputandum damnum, vt statim dicemus. Tertius casus est, donatio admixta. Et contingit, quando emens dat pretium excesiuum, quia excessum libere donare intendit. Sed tunc non est emptio, aut venditio pura, sed admixta donationi, ratione cuius est licitum venditori talem excessum accipere. Extra hos casus, quicunque aliquid, vltra iustum pretium acceperit, peccabit mortaliter, & tenebitur ad restitutionẽ. Nisi forte ex paruitate materiæ excusetur quod commune est huic peccato, cum omnibus alijs. ¶ Est autem aduertendum, esse latissimum discrimen inter primum casum ex vna parte, & secundum, & tertium ex alia, quantum ad debitum restituendi. Nam in secundo, & tertio casu, quando excessus accipitur ratione interesse cessantis, aut ratione donationis admixtæ: non tenetur aliquando venditor excessum illum restituere. At verò in primo casu, quo ex ignorantia res fuit superuendita, quamuis durante illa, venditor sicut excusatur à culpa, excusetur etiam ab obligatione restitutionis, superueniente tamen cognitione veritatis, scilicet, quod rem plus iusto vendidit, tenebitur excessum restituere. Et ratio huius discriminis est: Nam ignorantia non tollit, quin emptor fuerit defraudatus: quamuis à culpa defraudationis excuset. At verò interesse cessans, atque etiam donatio admixta, totaliter tollunt defraudationem emptoris. Et certum est, ex reali

Casus in quibus licet vẽdere rem carius quã valet.

Discrimen inter primũ casum & alios duos.

reali defraudatione oriri semper obligationem restituendi. Est autem hoc intelligendum, dummodo tanto tempore excessum illum venditor, cum ea ignorantia seu bona fide non retinuerit, quod sufficiat ad præscribendum, aut vsucapiẽdum. Nam tunc, etiam si completo tali tempore agnoscat se emptorem defraudasse, (siue in multo, siue in paruo facta fuerit defraudatio) nihil tenebitur restituere, iuxta doctrinam traditam à nobis in materia de dominio. De præscriptione.

Nota circa secundum casum.

¶ Circa secundum casum est aduertendum nomine interesse, intelligere nos in præsenti, etiam grauamen quodcunque ex venditione ipsi vendenti, aut exemptione, ipsi emenți prouenies. Quare si venditori molestum fuerit atq; graue, seipsum ad emptoris instantiam, te iuã priuare, quia forte multum ei res illa placet, licite poterit in pretio ascendere ratione grauaminis, quod ex venditione patitur. Sicut è contra, si emptori molestum fuerit, & graue rem aliquam emere, quia illa forte non indiget, eamq; ad instantiam venditoris emit, etiam licebit in pretio descendere, iuxta quantitatẽ grauaminis, vt autor est Conradus de contract. q. 57. & 58. Et est hoc intelligendum, non solum de pretio, quod ex communi hominum æstimatione habetur pro iusto: sed etiam de pretio legali, quod similiter in hoc casu excedere licet. Ratio q; horum est, quia tunc non ex vi venditionis, nec ratione rei venditę superaccipitur pretium, sed ratione damni, quod incurritur, vel interesse, quod amittitur, vel complacentię, qua priuatur, quę sunt pretio æstimabilia. Et lex, aut communis æstimatio tantum determinat pretiũ rei, & non damnorum. Atque adeo talia accipiens nec facit contra legem, nec contra communem æstimationem. Nonnulli affirmant, tunc etiã esse licitum vendenti, carius vendere rem, quando ipse illam magis æstimat, quam re vera valet. Sed hæc sententia procul dubio est falsa. Nam vt supra diximus, priuata æstimatio locum non habet, quãdo, vel lege, vel communi æstimatione res est appretiata: nisi in illis rebus, quæ consistere non sunt, nec necessarias. Ex hoc infert Medi. Cod. de restitut. q. 32. § inde infertur, posse mutuantem aliquid vltra sortem recipere, sine vitio vsurę, aut iniustitię, solum ratione grauaminis quod ex carentia pecuniæ mutuatæ patitur, etiam si nullum aliud lucrum cesset, quia illud grauamẽ est pretio æstimabile. Sed quãuis hoc corollarium, metaphysicè loquendo, forsan sit verum: moraliter tamen, & vt philosophum moralem loqui decet, falsum est, multisque vsuris viam parans. Cum in receptione vsuræ quisq; dicere posset, se lucrum recepere, non ratione mutui, sed ratione molestiæ, quam ex mutuatione patitur: atque adeo id licite facere, quod esset maximum inconueniens. Eo vel maximè, quod illa molestia, est adeò intrinseca mutuationi, vt si pro mutuo aliquid vltra sortem accipere nõ est licitum, nec etiam pro molestia ei adiuncta. Sicut de labore sacramentorum ministerio annexo dicere solent Theologi. Quod ego verum existimo. Inferturque ex supradictis, posse venditorem petere, & accipere aliquid vltra iustum pretium currens, si rem, quam in vno loco, & tempore vendit, in alio loco, aut tempore erat venditurus, ex quo maius aliquod iustum pretium sperabat. Et hoc ratione interesse, cuius iacturam ex venditione in tali loco, & tempore ad instantiã emptoris facta, patitur. Hinc que iustificatur casus capituli in ciuitate. de vsuris. Vbi dicitur, licitum esse venditori, rem carius vendere, quam tunc valeat, si eam erat ad aliud tẽpus seruaturus, quo verisimiliter credebat, illam plus valituram. Et quod dicimus de venditore, de emptore pariter est dicendum. Nempe, quod si emptor in hoc loco, & tempore non erat merces aliquas empturus, sed in alio loco, aut tempore, vbi & quãdo verosimiliter sperabat, illas pro minori pretio quam nunc valent habiturus, & eas hic, & nunc ad instantiam venditoris emit, poterit descendere in pretio, dareq; pro illis minus, quam sit pretium hic & nunc currens. Idq; ratione interesse, quod ad instantiam venditoris perdit, nec tenetur illud gratis facere. Sed debent in vtroque deduci labores & expensæ, quas erat in alio loco, & tempore subiturus. Vt diximus supra de eo, qui Salmanticæ vendit merces pro pretio currenti Toleti, cum obligatione illas deferendi Toletum. Et in his, & alijs huiusmodi casibus, quibus licitum est ratione lucri cessantis, aut damni emergentis ascendere, aut descendere in pretio vltra, aut citra illud, quod iustum habetur, impertinens est, quod excessus, aut defectus sit vltra dimidium, cum illud vtrobique accipiatur, non pro merce, sed pro interesse.

Explicatur capitulum in ciuitate. de vsurit.

Corollariũ Medinæ.

Impugnatur Medina.

¶ Circa tertium casum est aduertendum: quod sicut est certissimum admixtam donationem tollere obligationem restituendi excessum iusti pretij in venditione acceptum, propterea quod scienti, & volenti non fit iniuria: ita etiam est difficillimum, explicare, quando aut quomodo cognoscetur emptorem dantem pretium excesiuum intendere donare excessum, vt venditor sit à restitutione immunis. Conrad. de contract.

Nota circa tertium casum.

Sententia Conradi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

q. 57. affirmat, quod quando hæc quatuor concurrunt: primum, quod emptor est persona sagax, scienſq; valorem rei: secundum, quod non ex mentis leuitate vera, vel præsumpta dat tantum pretium, per quod excluditur prodigalitas, & inordinata affectio emētis ad mercem: tertium, quod non ex necessitate, vel arctatione, qua re illa multum indiget, dat illud: quartum, quod prædicta tria cōstant vēditori de emptore, potest vēditor præsumere, emptorem excessum iusti pretij liberaliter donare intendere, atque adeò ad illius restitutionem non tenebitur. Huiusq; suæ sententiæ rationem assignat: Quia, si deficit prima cōditio, ex errore dat emptor excessiuum pretium, & sic non libere donat. Si deficit secunda, vel quia emptor ex prodigalitate, vel ex inordinata affectione, quam habet ad mercem, dat tantum pretium, peccat venditor emptoris culpæ, atque peccato cooperans: & sic tenetur ad restitutionem. Si deficit tertia conditio, similiter peccat vendēs, dum accipit excessiuum pretium, afflictum amplius, quam iustum est affligendo: & sic non est ibi donatio. Si autem deficit quarta conditio, peccat venditor scienter superuendens rem, vel se periculo superuendendi, & proximū iniuste defraudandi exponens: cum nesciat, nec verisimiliter præsumat, quod emptor velit excessum sibi donare. Hæc tamen sententia mihi non placet. Primo: Nam id, quod affirmat in secunda conditione, nēpe, quod si emptor ex prodigalitate, seu inordinata affectione dat excessiuum pretium, peccat venditor illud recipiens, propterea q; impeditur donatio, est apertè falsum. Sæpe enim contingere potest, vt donatio sit peccaminosa, & non receptio, & è contra. Ná vitiosa est donatio, qua homo dat bona sua meretrici, aut concubinæ, maximè si ex inordinata affectione procedit: tamé nec meretrix, nec concubina illud sic donatum accipiendo peccat, secluſa omni extorsione, & dolo, nec acceptum restituere tenentur. Item peccat dives in publico ex inordinata affectione gloriæ humanæ eleemosynam faciens, & tamen nec peccat pauper eleemosynam recipiens, nec acceptá restituere tenetur. Similiter etiá è contra peccat vsurarius vsuras recipiens: tamen is, qui vsuras soluit peccatum non cōmittit. Ac proinde, quamuis emptor prodigaliter, aut ex inordinata affectione, quā ad mercé habet, velit pretium excessiuū sponte donare, poterit venditor illud recipere, nec restituere tenebitur. Secundo non placet mihi sententia Conradi, quia tam in secunda conditione, quam in duabus sequentibus assignat pro ratione, ob quam venditor tenetur pretium excessiuum restituere, nec habere illud tanquam donatum, quia in eius receptione peccat. Et tamen certum est non quodcunq; peccatum à venditore cōmissum obligare ad restitutionem, sed illud tantum, quod est contra iustitiam, vt sæpe à nobis in superioribus est demonstratum. ¶ Quocirca hac sententia omissa, vt quid in hac re mihi dicendum videatur explicem, aduertendum est, tripliciter posse contingere, vt quis alterum in emptione & vēditione circa pretium iustum rei decipiat. Primo, ipso læso iustum rei valorem ignorante. Secundo, valorem sciente, sed necessitate vēdendi oppresso. Tertio, valorem sciente, & nulla necessitate compulso. Et quidem, si primo modo contingat, omnes fatentur, & Couarru. latè probat li. 2. Variat. ca. 4. nu. 11. quod si defraudans est in mala fide, peccat accipiendo excessiuum pretium & ad restitutionem tenetur, etiā si citra dimidiū pretij, fuerit facta deceptio. Si verò est ignarus, sicut & defraudatus, non peccat, sed quam primum sciuerit fraudé factam tenetur illam ad æqualitatem reducere, quod nos etiam diximus supra, in isto articulo. Si autem contingat secundo modo deceptio: etiam existimo verum, atque certum, nullam tunc posse præsumi donationem: atq; adeo teneri semper ad restitutionem pretij excessiui, qui taliter illud acceperit. Quidquid dicat Medina. C. de restitut. quæst. 32. circa finem, & multi alij, qui contrarium opinantur. Sed probatur nostra sententia. Primò: Qui necessitate compulsus vendit rem pro pretio minori iusto, aut emit eandem pro pretio maiori iusto, dat excessum, non daturus, si aliter suæ necessitati consulere posset: ergo non libere donat, atque ex consequēti illud accipiens, ad restitutionē tenetur. Consequentia est nota, & antecedens **probatur**: Ideo in oblatione vsurarum non dicitur interuenire donatio, quamuis qui illas soluit, dicat se velle libere donare, quia re vera necessitate coactus donat, & non donaturus, si aliter posset suam vexationem redimere: ergo pari ratione in proposito. Secundo: Qui necessitate compulsus emit rem carius, quam valet, patitur metum magni damni vitandi, qui in virum constantem cadere posset: ergo non plene voluntariè id facit, nec ea libertate, quæ necessaria est in contractibus humanis. Ita sentit Nauarro in Manuali cap. 23. num. 88. Vbi dicit, quod cùm quis necessitate compulsus plus iuris emit, verbi gratia, triticum, non est ibi præsumenda donatio. Et idem affirmat Couarru. 2. Vari. cap. 4. nume. 8. 9. & 11. Quando verò tertio modo contingit deceptio in emptione & venditione, scilicet,

Impugnatur Conradus.

Sententia autoris.

scilicet, ipso læso sciente, & nullam necessitatem patiente, quāuis Caietanus, & Couarruuias absolutè doceant nullam ibi esse donationem, & alij affirment contrarium, mihi tamen distinguendū videtur. Ná vel defraudans est amicus, aut consanguineus, maximè si sit vxor, aut aliquid simile, vel est omnino extraneus. Si primum, præsumetur donatio, vt dicit secunda opinio. Colligiturque manifestè ex leg. si quis dona. ff. de contrahen. vend. & lege. si sponsus. §. circa. ff. de donationibus inter virum, & vxorem. Et leg. si vir vxori. in princ. C. ad Velleianum. & leg. 2. §. si quis. ff. si quis in fraudem. Quibus omnibus legibus emptio, viliori pretio ab altero coniuge facta, approbatur. Et ratio est manifesta. Ex quo enim quis sciés, & volés absque necessitate, ré pro minori pretio vendit amico, aut consanguineo, quibus consueuit aliqua gratis donare, rationabiliter præsumitur, ex intentione donandi, ut secuit. Atque adeo defraudans tunc erit tutus in conscientia, pretij excessum retinendo: etiā si donans leuitate animi id faciat, vt dixi contra Gonradum. Cæterum, si defraudans sit omnino extraneus nisi manifesta signa donationis intercedant, mihi videtur, non esse tutum in conscientia excessum iusti pretij recipiendo, si alio titulo non se excuset, quam donationis. Et quantum ad hoc vera est prima opinio. Quæ probatur hoc modo. Inter contrahentes maxime extraneos, vbi certa non apparent signa donationis, credendum est probabiliter, præcipuam, imò totam intentionem esse emendi, & vendendi iuxtà leges talis contractus, quæ sunt, seruata æqualitate iustitiæ, nihilque minus, quam gratuitam donationem intendere, aut concipere, quæ est etiam doctrina in dicta leg. si sponsus. & leg. si quis manifestè tradita: ergo nulla ratio dictat, vt animum donandi præsumamus habere eum, qui nec de donatione cogitat, nec donationis titulo aliquid emptori daret. Et confirmatur: Vsurarum acceptio ab eo, qui sciéter sine necessitate eas offert, est illicita, vt omnes Doctores fatentur: ergo & acceptio pretij excessiui ab eo, qui scienter, & sine necessitate illud dat. Probo consequentiam: Quia nō est maior ratio, propter quā præsumatur donatio in vno, quam in altero. Ità tenet Medina. qu. 32. §. secundo esto, vbi dicit, quod esto concurrant illæ tres conditiones, scilicet, quod emptor rectè sciat iustum valorem rei, & quod non det excessiuum pretium ex necessitate, nec ex inordinata cupiditate, vel leuitate, adhuc non potest præsumi donatio nisi alia causa ad id præsumendum concurrat, puta, quia venditor est amicus emptoris, aut cognatus, cui benefacere solet, aut saltem desiderat. Hæc Medina. Quare immerito Couarru. loco citato nu. 11. ad finem, citat illum pro ea sententia absolute dicente, quod quando nulla necessitate coactus quis emit rem pro maiori pretio, cōmode præsumitur donare. Tenet enim contrariam, vt ex verbis ipsius colligere licet. ¶ Et si quis quærat, cur is, qui nulla necessitate premitur, & scit iustum pretium, vilius vendit, nisi quia vult donare? respondeo, aliam etiam posse esse causam vilius vendendi, nempe quia venditoris interest rem à se, vel à suo patrimonio alienare, ad idq; monetur non animo donandi, sed vendendi: Si constaret certo venditorem valoré rei scientem, non ex necessitate, nec ex aliqua alia causa moueri, vt illam vilius vendat, quam valet, proculdubio præsumeretur donatio. Sed hoc, regulariter loquēdo, cognosci non potest. Est ergo huius casus resolutio, quod etiam si quis sciens rei valorem, & sine leuitate animi, & necessitate rem cariùs emat, quam valet, non propterea in tali emptione existimanda est interuenire donatio, nisi alia rationabilior gratuitæ donationis causa appareat, scilicet, vel quia contractus celebratur cum coniuge, amico, aut consanguineo. Vel si celebratur cum extraneo, ipse emptor manifestissimis signis suum declarat animum, ad modum iam explicatum.

Quādo donatio est dicēda inter cedere in emptione.

Resolutiō tertij casus

¶ Nonnulli solent assignare quartum casum, in quo est licitum vendere rem, pro maiori pretio, quam ex lege, vel ex communi æstimatione valet, scilicet, ratione officij mercatorum. Medina q. 31. §. & procedit, affirmat merces non habere eundem valorem apud mercatores, qui id habent ex officio, & apud alios. Quia mercatores, inquit, iustam habent causam aliquid ratione officij amplius pro mercibus recipiēdi, quam non habent alij. Sicut & caplori permittitur pro cambio aliquid ratione officij lucrari, quod alij non caplori non permittitur. Ac proinde non est damnādum, si quis merces à non mercatore vilius emat: quam in domibus mercatorum venduntur. Hæc Medina: Ex quibus aliqui colligunt, licitum esse ratione officij accipere aliquid vltra pretium, quod vel ex lege, vel ex communi æstimatione iustum habetur. Soto lib. 6. de iustitia q. 2. art. 3. licet tacito autoris nomine, dicit, hoc sibi non placere. Et ratio illius est, quia iustitia, inquit, non habet aspectum ad personas, sed solum ad valorem mercium in se. Cæterum meo iudicio, nec Soto merito discedit à Medina, nec alij ex eius sententia rectè colligūt, dari alium casum vltra tres positos, in quo sit lici-

Quartus casus ab aliquibus assignatur

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit licitum vendere rem pro maiori pretio, quam vel ex lege, vel ex communi æstimatione valet. Quod vt ostendã, aduertendum est, quod Medina non docuit, licitum esse venditori ex officio plus accipere, pro re, quam vel ex lege, vel communi æstimatione est taxatum. Id enim falsissimum esset. Non propter rationẽ Soti, cui facile esset respondere: si dicamus, parum referre, an iustum pretium ex re in se, vel ex persona sumatur, quando ipsa iuste potest plus accipere, sicut diximus supra de eo, qui ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, etiam ex sententia Soti, potest carius vendere rem, quam in se valet, nec valor ille tunc sumitur ex re in se, sed ex conditione vendentis. Sed ratio est: Quia respublica, & communis æstimatio, in assignando pretio iusto rerum, habuerunt respectum ad officium mercatoris, sicut & ad alias circunstantias. Atque adeò omnibus pensatis ille erit reputandus iustus valor, vltra quem non licebit posteà ratione officij plus exigere. Quod Medina dicit est, posse rem emi vilius ab eo, qui non habet officium vendendi; quã ab eo, qui id habet ex officio. Quia iustum pretium rei in manu huius non est tantum, quantum in habente officium. Et ratio est: Nam lex, seu cõmunis æstimatio determinans pretium, verbi gratia, vnius vlnæ panni, vigintiquinque argenteos, inter alia habuit respectum ad officiũ mercatorum, regulariter res vendentium, rationeque illius officij aliquid plus determinauit dandum pro mercibus, quam aliæ circunstantiæ, scilicet, industria, labor, expensæ, copia mercantium &c. exigebane. Et sic cum specialiter iusti pretij determinatio ex lege, vel communi hominum æstimatione facta sit, pro mercatoribus, qui id ex officio habẽt, non poterunt alij, qui non sunt mercatores eam regulam sibi assumere, vendereque sicut mercatores vẽdunt, cum careant hac circunstantia. Atque adeo non sunt damnandi, qui minoris eandem mercem emunt à non habente officium. Sed damnandus erit, qui non habens officium mercatoris vendiderit illam communi pretio, quia lædit proximũ, iustum excedens pretium; cum debeat defalcari arbitrio prudentũ, quod illi circunstantiæ officij pretium augenti, correspondet. Et hæc est sententia Medinæ, quæ meo iudicio, improbabilis non est. Sed ex ea non rectè colligitur, assignandum esse quartum casum, vltra tres positos, ignorantiæ interesse, & donationis admixtæ, in quo sit licitum vendere rem pro maiori pretio, quam ex lege, vel ex communi æstimatione valet, scilicet, ratione officij mercatoris. Nam augmentum correspondens officio ab eo, quod ex lege, vel communi æstimatione iustum pretium existimatur, non distinguitur: sicut nec illud, quod respondet industriæ, aut expensis. Nos autem in præsenti tantum inquirimus casus, in quibus per accidens est iustum, accipere maius pretium pro re, quam secundum se, hoc est, ex lege, vel communi hominũ æstimatione valeat. De quo D. Thomas in sua 3. conclusione.

Sententia Medinæ explicatur.

¶ Circa quartam conclusionem D. Tho. qua dicit, non esse licitum vendere rem carius, quam secundum se valeat, propter commodum, quod ex ea menti accrescit, si nullum inde vendens detrimentum recipit, aduertendum est eam esse certissimam, & extra controuersiam positam. Nullus enim, nisi quod suum est, vendere potest. Certum est autem, quod commoditas emptoris, non est aliqua res venditoris, bene tamen sua ipsius necessitas, vel detrimẽtum. Ex quo infertur, quod si quis vendit equum, qui non venditori, sed menti ad bellum est maximè necessarius; vel vendit aliam rem, quia per vsum suæ artis cumulatius emptor lucrum facere potest, quam fecisset venditor, non potest talis ratione illius commodi, quod emptori accrescit, pretium augere, nec aliquid plus accipere, quam ipsa res secundum se, vel ex lege, vel ex communi hominũ æstimatione valeat, iuxta regulas à nobis superiùs positas. Et si cõtrarium fecerit peccabit mortaliter, & tenebitur ad restitutionem. Alioqui, si vtilitas mentis pretium augeret, liceret pharmacopolis tanti medicamenta vendere, quanti valet sanitas infirmorum, quod est alienum ab omni ratione. Vrbanum quidem est, & rationi consonum, vt qui huiusmodi res sibi valde vtiles emit, debitas venditori grates rependat. Maximè, si non fuerit talis conditionis venditor, cui ex officio incũbat, illas vendere. Et propterea dicebat Aristo. lib. 8. Ethi. cap. 13. In amicitia rei vtilis recompensatio fieri debet, secundum vtilitatem, quam consequutus est ille, qui beneficium suscepit. Quasi significans in amicitia vtili vtilitatem, quæ per donum gratuitum recipitur, esse considerandam, vt iuxta illius quantitatem gratiæ habeantur. Cùm tamen in iustitia commutatiua, secũdum quam emptio, atque venditio regulari debent, tantum æqualitas rerum sit pensanda. Ex quo infertur posse aliquando contingere, vt aliqua secundum naturalem æquitatem sint debita, quæ tamen secundum iustitiam non debeantur. Et hæc in pactũ deducere propter mutuum erit manifesta vsura, vt quæstione sequenti videbimus.

Nota circa quartã conclusionem D. Thom.

AR-

ARTICVLVS II.

¶ Vtrum venditio reddatur illicita propter defectum rei venditæ.

Leuit. 19. Prou. 11. & 20. Amos. 8. Micheæ. 6.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quod venditio non reddatur iniusta & illicita propter defectum rei venditæ. Minus enim cætera sunt pensanda in re quàm rei species substantialis. Sed propter defectum speciei substantialis non videtur reddi venditio rei illicita, puta si aliquis vendat argentum vel aurum alchimicum pro vero, quod est vtile ad omnes humanos vsus, ad quos necessarium est argentum & aurum, putà ad vasa & ad alia huiusmodi: ergo multo minus erit illicita venditio, si sit defectus in alijs.

2 ¶ Præterea, Defectus ex parte rei qui est secundum quantitatem, maximè videtur iustitiæ contrariari quæ in æqualitate consistit. Quantitas autem per mensuram cognoscitur. Mensuræ autem rerum quæ in vsum hominum veniunt: non sunt determinatæ, sed alicubi maiores, alicubi minores; vt patet per Philosophum in quinto * Ethico. ergo non potest euitari defectus ex parte rei venditæ: & ita videtur quòd ex hoc venditio non reddatur illicita.

Lib. 5 c. 7. tome 5.

3 ¶ Præterea, Ad defectum rei venditæ pertinet, si ei conueniens qualitas deest. Sed ad qualitatem rei cognoscendam requiritur magna scientia, quæ plerisque venditoribus deest: ergo non redditur venditio illicita propter rei defectum.

Li. 3. c. 11. à med. ibi. tio 1.

¶ SED CONTRA est, quod * Ambros. dicit in lib. de Offic. Regula iustitiæ manifesta est, quòd à vero non declinare virum deceat bonum, nec damno iniusto afficere quenquam, nec aliquid dolo annectere rei suæ.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd circa rem, quæ venditur, triplex defectus considerari potest. Vnus quidem secũdum speciem rei. Et hunc quidem defectum si venditor cognoscat in re, quam vendit, fraudem committit in venditione. Vnde venditio illicita redditur. Et hoc est quod dicitur contra quosdam Isai. 1. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistũ est aqua. Quod enim permistum est, patitur defectum, quãtum ad speciem. Alius antẽ defectus est secundum quãtitatem, quæ per mensuram cognoscitur. Et ideo si quis scienter vtatur deficienti mensura in vendendo, fraudem committit, & est illicita vẽditio. Vnde dicitur Deutero. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Et postea subditur: Abominatur enim Dominus cum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiã. Tertius defectus est ex parte qualitatis, puta si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum. Quòd si quis sciẽter fecerit, fraudem committit in vẽditione: vnde est illicita venditio. Et in omnibus talibus non solum aliquis peccat, iniustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Si verò eo ignorante aliquis prædictorum defectuũ in re vendita fuerit, venditor quidẽ non peccat; quia facit iniustum materialiter: nec eius operatio est iniusta, vt ex supra dictis * patet. tenetur tamẽ cum ad eius notitiam peruenerit, damnum recompensare emptori. Et quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris. Cõtingit enim quãdoque venditorem credere rem suam esse minus pretiosam, quantum ad speciem, sicut si aliquis vendat aurum loco aurichalci, emptor si id cognoscat, iniuste emit, & ad restitutionem tenetur, & eadem ratio est de defectu qualitatis, & quantitatis.

Q. 59. ar. 2

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod aurum & argentum non solum cara sunt propter vtilitatem vasorum, quæ ex eis fabricantur, aut aliorum huiusmodi: sed etiam propter dignitatem & puritatem substantiæ ipsorum. Et ideo si aurum vel argentum ab alchimicis factum, veram speciem non habeat auri & argenti, est fraudulenta & iniusta venditio: præsertim cum sint

Rr aliquæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquæ vtilitates auri & argenti veri secundum naturalem operationem ipsorum,quæ non conueniunt auro per alchimiã sophisticato.Sicut quòd habet proprietatẽ lætificandi,& contra quasdam infirmitates medicinaliter iuuat. Frequentius etiam potest poni in operatione, & diutius in sua puritate permanet aurum verum,quam aurum sophisticatum. Si autem per alchimiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus causis ad producendum naturales & veros effectus: sicut Augustin. dicit* in 3. de Trinitat. de his quæ arte dæmonum fiunt. *Lib.3.c.8. tom.3.*

¶ Ad secundum dicendum, quòd mensuras rerum venalium necesse est in diuersis locis esse diuersas, propter diuersitatem copiæ & inopiæ rerum: quia vbi res magis abundat, consueuerunt esse maiores mẽsuræ.In vnoquoque tamen loco ad rectores ciuitatis pertinet determinare quæ sint iustæ mensuræ rerum venalium,pẽsatis conditionibus locorum & rerum. Et ideo has mensuras publica authoritate vel consuetudine institutas præterire non licet.

¶ Ad tertium dicendum,quòd sicut Augustin. dicit* in 11. de Ciuitat. Dei. Pretium rerum venalium non considerat secundum gradum naturæ, cum quandoq; pluris vendatur vnus equus, quàm vnus seruus, sed consideratur secundum quòd res in vsum hominis veniunt.Et ideo non oportet,quòd venditor, vel emptor cognoscat occultas rei venditæ qualitates, sed illas solum, per quas redditur humanis vsibus apta, puta quòd equus sit fortis,& bene currat: & similiter in cæteris. Has autem qualitates de facili venditor & emptor cognoscere possunt. *Li.11.c.16 tom.5.*

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, tria esse, in quibus contingit mercem deficere, scilicet, substantiam, quantitatem, & qualitatem, respondet D.Thom.ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Defectus mercis, siue in substantia, siue in quantitate, siue in qualitate reddit contractum illicitum, si pro pretio rei integræ, & solidæ vendatur.Probatur: Quoniam violatur tunc iustitia.Quare de defectu mercis in substantia dicitur apud Esai.capit. 1. Argentum tuum versum est in scoriam, vinũ tuum mixtum est aquæ. Et de defectu in quantitate dicitur in Deuteron. capit.25.non habebis in sacculo diuersa pondera,maius,& minus.Nec erit in domo tua modius maior, & minor.Abominatur enim Deus eum,qui fecit hæc,& auersatur omnem iniustitiam. Et eadem est ratio de defectu in qualitate. Secunda conclusio: Venditor,qui rei defectum cognoscens, eundem fraudulenter emptori celauerit,contra iustitiam delinquit,& ad restitutionem tenetur. Sed qui rei nescius contractum fecerit,licet à culpa sit immunis,tenetur tamen,vbi primum defectus fuerit deprehensus,damnum recompensare emptori. Tertia conclusio: Similis sententia comprehendit emptorem.Contingit enim aliquando,venditorem credere rem suam esse minus pretiosam,vel in substantia,vel in quantitate,vel in qualitate: & quod emptor hoc cognoscat, qui tunc peccabit, & restitutionis nexu astringetur,si minoris emat rem quam valet.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrum venditor tenetur dicere vitium rei venditæ.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod vẽditor nõ teneatur dicere viriũ rei vẽditæ.Cum enim venditor emptorem ad emendum non cogat, videtur eius iudicio rem,quam vendit, supponere. Sed ad eundem pertinet iudicium & cognitio rei. Non ergo videtur imputandum venditori, si emptor in suo iudicio decipitur, præcipitanter emendo absque diligenti inquisitione de conditionibus rei. *Quolibet. 2.ar.10.*

2 ¶ Præterea,Stultum videtur,quòd aliquis id faciat,vnde eius operatio impediatur.Sed si aliquis vitia rei venden dæ indicet, impedit suam vẽditionem. Vnde Tullius in libro de Offic,inducit quendam dicentem. Quid tam absurdum, quàm si domini iussu ita præco prædiceret, Domum pestilentem vendo: ergo venditor non tenetur dicere vitia rei venditæ. *Lib.3.parũ ante med. lib.in c.in ius tit. eiũ In contractib.cõmunibus, quæ forma honesti, in fine illius.*

3 ¶ Præ-

3 ¶ Præterea, Magis necessarium est homini, vt cognoscat viam virtutis, quàm vt cognoscat vitia rerum, quæ venduntur. Sed homo non tenetur cuilibet consilium dare & veritatem dicere de his,quæ pertinent ad virtutẽ, quãuis nulli debeat dicere falsitatem: ergo multo minus tenetur venditor vitia rei venditæ dicere, quasi consilium dando emptori.

4 ¶ Præterea, Si aliquis teneatur dicere defectum rei venditæ,hoc non est nisi vt minuatur de pretio. Sed quandoque diminueretur de pretio etiam absque vitio rei venditæ propter aliquid aliud: puta si venditor deferens triticum ad locum vbi est caristia frumenti, sciat multos posse venire, qui deferant: quod si sciretur ab ementibus,minus pretium darent. Huiusmodi autem non oportet dicere venditorem,vt videtur: ergo pari ratione nec vitia rei venditæ.

¶ SED CONTRA est, quòd Ambrosius * dicit in libro de Offic. In contractibus vitia eorum quę vencunt prodi iubentur,ac nisi intimauerit venditor,quamuis in ius emptoris transierint,dolo actione vacuantur. *Lib.3.cap. 10. parũ à princ. to.1*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd dare alicui occasionem periculi vel damni, semper est illicitum, quamuis non sit necessarium, quod homo alteri semper det auxilium vel consilium pertinens ad eius qualemcunque promotionem. Sed hoc solum est necessarium in aliquo casu determinato:puta cum alius eius curæ subditur, vel cum non potest ei per alium subueniri. Venditor autem, qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionẽ, quod rem vitiosam ei offert, si ex eius vitio damnum,vel periculum incurrere possit.Damnum quidem, si propter huiusmodi vitium res, quæ vendenda proponitur, minoris sit pretij: ipse verò propter huiusmodi vitium nihil de pretio subtrahat. Periculum autem, si propter huiusmodi vitium vsus rei redditur impeditus vel noxius: puta si aliquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci,vel ruinosam domum pro firma, vel cibum corruptum siue venenosum pro bono. Vnde si huiusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita & dolosa venditio,& tenetur venditor ad damni recompensationem. Si verò vitium sit manifestum,puta si equus sit monoculus, vel cum vsus rei,etsi non competat venditori,potest tamen esse cõueniens alijs, & ipse propter huiusmodi vitium,subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahendum. Vnde potest licite venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo. *Extra de iniurijs & damno dato, cap. Si causa.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ,quòd iudicium non potest fieri nisi de re manifesta. Vnusquisque enim iudicat secundum quod cognoscit, vt dicitur * in primo Ethico.Vnde si vitia rei, quæ vendenda proponitur,sint occulta,nisi per venditorem manifestentur, non sufficienter committitur emptori iudicium. Secus autem esset, si essent vitia manifesta. *Lib.1.ca.1 tom.5.*

¶ Ad secundum dicendum, quòd non oportet quod aliquis per præconem vitium rei venditæ prænuntiet: quia si prædiceret vitium, exterrerentur emptores ab emendo,dum ignorarent alias conditiones rei, secundum quas est bona & vtilis. Sed singulariter est dicendũ vitium rei ei,qui ad emendum accedit, qui potest simul omnes conditiones adinuicem comparare bonas & malas. Nihil enim prohibet rem in aliquo vitiosam, in multis alijs vtilem esse.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quamuis homo non teneatur simpliciter omni homini dicere veritatem de his, quæ pertinent ad virtutes: tenetur tamen in casu illo de his dicere veritatem, quando ex eius facto alteri

Universidad de Deusto
Biblioteca

periculum immineret in detrimẽtum virtutis, nisi diceret veritatem: & sic est in proposito.

¶ Ad quartum dicendum, quod vitium rei facit rem in præsenti esse minoris valoris, quàm videatur. Sed in casu præmisso in futurum res expectatur esse minoris valoris per superuentum negotiatorum, qui ab ementibus ignorantur. Vnde venditor, qui vendit rem secundum pretium quod inuenit, non videtur contra iustitiam facere, si quod futurum est, non exponat: si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamuis ad hoc non videatur teneri ex iustitiæ debito.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quod vitium rei potest esse vel occultum, vel manifestum, & quod quando occultum est, aut in damnum vergit, periculumve emptoris, aut secus, respondet Diuus Thomas ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Quando vitium mercis occultum est, & per quod emptori, vel damnum datur, vel creatur periculum, peccabit venditor illud celans, & ad restitutionem tenetur. Probatur: Quanuis non quisque lege iustitiæ cogatur consilium auxiliumve alteri præbere, quo à periculis damnisque eripiatur, nisi quando, vel ipsi ex munere proprio, & officio incumbit, vel alter extremè laborat: tamen occasionem periculi aut damni alteri dare, nemini licet: sed venditor eo ipso, quod rem vitio aliquo infectam venum exponit, occasionem damni dat atque periculi, quod nescius, emens incurrere poterit. Damnum quidem si res propter vitium minoris sit pretij, quam venditur: periculum autem, si propter idem vitium vsus rei, vel inanis sit, vel forte nociuus: vt si quis militi pro sano equum manum venderet, quo postea in acie vti non posset, vel domum ruinam minantem, aut pestiferum cibum: ergo talis occultatio contra iustitiam erit, & ex genere suo peccatum mortale, obligans ad restitutionem. Secunda conclusio: Si venditor caueat damnum emptori dare, puta, quod non pluris vendit rem, quam cum vitio valet, nec alicui ipsum periculo obijcit, & res præterea pro pretij ratione vsui est emptori, nulla lege compellitur vitium manifestare. Hanc conclusionem in terminis non constituit D. Thomas, sed colligitur ex præcedenti. Et ratio illius est: Quia venditor eatenus tenetur emptorem admonere, quatenus nullius sit ei occasio, vel damni, vel periculi, sed in casu conclusionis nullius damni, aut periculi est causa: ergo poterit suæ rei consulere, tacendo vitium. Tertia conclusio: Quando vitium est manifestum, puta, equus monoculus, vel apertè claudus, vel perforata domus, nulla est necessitas illud euidentius euulgandi. Quia nisi cæcus emptor sit ipse poterit id videre. Quare si emit præsumitur sciens emere.

EXPLICATIO DVORVM Articulorum.

EXplicata iam substantia venditionis quę in iusto consistit pretio, declarat D. Tho. in his duobus articulis conditiones, quæ tam ex parte rei venditæ, quam ex parte venditoris, illam comitari debent, vt iusta sit. Estq; materia ista non minus difficilis, quam necessaria. Quam vt nos recto ordine explicemus, dubitamus primo, vtrùm mercis vitium ità reddat venditionem, vel nullam, vel illicitam, vt necessarium sit illud semper detegere? Et pro parte negatiua argumentor primò: Quando venditur vinum, verbi gratia, Metymnése pro vino, sancti Martini, (sit autem vinum Metymnense ità pretiosum, sicut vinum sancti Martini) valida est venditio: & tamen est defectus in substantia, qui omnium est maximus: ergo non semper defectus rei, quanuis sit in substantia, irritat venditionem. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur, supposito quod qui emit vinum Metymnense, non soluit pretium in pecunia, sed vel in pecoribus, vel in alia re fructifera. Tunc, si ille contractus non esset validus, sequeretur, venditorem teneri restituere rem, quam accepit, cum omnibus suis fructibus: omnis enim res suo vero domino fructificat: consequens autem videtur nimis durum: ergo. ¶ Secundo argumentor à simili: Qui baptizat Petrum existimans baptizare Paulum, conficit verum sacramentum: & baptismus est validus: ergo à fortiori non semper error in substantia vitiabit cõtractum emptionis. Et confirmatur: Si Episcopus conferat beneficium homini hypocritæ existimans, illum esse dignissimũ, reuera collatio beneficij est valida: & si vir contrahat matrimonium cum muliere, putans illam esse virginem, vel diuitem, vel generosam: cuius contrarium in re exiitit: ad hoc illud est validum, non obstante errore quantitatis, & qualitatis personæ: ergo à fortiori contractus emptionis, & venditionis erit

Dubiũ an vitium rei sit detegendum in venditione.

1. argumẽ.

2. argumẽ.

3. argumẽ. erit validus, quamuis existat error in qualitate, & quantitate mercis. ¶ Tertio principaliter argumentor: Posito casu, quod iudex vel per iniquitatem, vel per ignorantiam, pretium rei venalis multo minus taxet, quã oporteat. Tunc venditor licitè poterit rei venalis mensuram minuere, quantum necesse fuerit, ad supplendum defectum pretij, venditioque erit valida, & licita: ergo non, semper defectus in quantitate irritat contractum. ¶ Vltimo: Quando quis emit rem pretiosam, quam venditor minoris æstimat, contractus est validus: etiam si fiat pro pretio, quod venditor existimat iustum: si enim esset peritissimus emptor lapidarius, qui alicuius margaritæ cognosceret valorem, atque virtutem singularem, quam alij homines etiam lapidarij cognoscere non possent, licitè emeret illam pro minori pretio, quam secũdum se valet, iuxta verbum Christi apud Matth. capit. 13. Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, & inuenta vna pretiosa, &c. ergo pari ratione erit validus contractus quo venditur res vitiosa pro integra, & sana. Probo consequentiam: Nam vt dicit D. Thom. in articulo secundo conclusione 3. similis sententia comprehendit emptores, & venditores, quantum ad hoc.

Vltimũ argumentum

Defectus mercis in genere pũt esse triplex.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quod defectus in genere potest esse triplex. Vnus in substantia mercis: vt si aurum falsum pro vero vendatur, vel vitrum pro gemmâ. Alius in quantitate, vt si mensura sit diminuta, venditurque pro integra. Tertius in qualitate, vt si herba aut lapis pro re virtutem aliquam ad curandum vel ad alium effectum habente, vendatur, & non sit talis. Rursus est quidam defectus manifestus: Vt si equus, qui venditur, sit monoculus, & alius occultus: qui non ita facile patet. Item ex defectibus occultis, quidam sunt, qui vergere possunt in periculum seu damnum ementis, si ei occultentur: quidam vero non. Præterea, stat defectum talem esse, quod si emptor illum sciret, rem pro nullo pretio emeret: & talem, quod etiam si eum sciret adhuc rem esset empturus: quanuis non pro tanto pretio. Item, qui defectum occultat: vel descendit in pretio iuxta exigentiam defectus, vel non. Et tandem, aliud est venditorem asserere mercem suam non habere defectum, & aliud tacendo illum occultare. Valent enim omnes istæ distinctiones, ad iudicandum de validitate, aut nullitate contractus. Et ad cognoscendum an venditor rei defectum occultans peccet, & teneatur ad restitutionem. ¶ Quibus positis, vt certa ab incertis separemus, dico primo, certum esse, quod si venditor rei defectuosæ, dicit eam non esse defectuosam (vltra peccatum mendacij, quod si in damnum, vel periculum notabilem emptoris cedit, erit mortale) contractus est nullus: si vitium est tale quod veritate cognita, res non emeretur. Taliterque vendens tenetur resarcire quodcunque damnum ex tali venditione subsequutum: siue defectus sit occultus, siue ità manifestus, vt facile ab emente deprehendi possit. Et quidem, quod talis contractus sit nullus, patet: nam est dolosus, dolo dante occasionem contractui. Quod sufficiens est, vt sit inuoluntarius, & ex consequenti irritus, cùm de ratione cuiuscunque contractus humani sit, vt sit voluntarius. Quod verò taliter contrahens teneatur resarcire damnum ex tali contractu subsequutũ, probatur ex cap. si culpa. de iniurijs, & damno dato. Vbi cuiuscunque damni culpabiliter ab aliquo dati, dicitur faciendam esse necessario recompensationem. Et quod hoc habeat verum tam in defectu occulto, quam in eo, qui facile posset cognosci, colligitur ex eo, quod quamuis ignorantia crassa non excuset à culpa, iniecta tamen à contrahente non firmat contractum, vt communiter dicunt Doctores. Et ratio est: Nam meritò emptor audiens rem, quam emit, nullum habere defectum, non apponit eam diligentiam, quæ sufficiens esset vincere, ignorantiam. Et est hoc intelligendum de quocunque defectu, siue in substantia, siue in quantitate, siue in qualitate. ¶ Dico secundo etiam esse certum, quod vitia manifesta, quæ facile cognosci possunt, non tenetur venditor explicare, nisi videat emptorem laborare imperitia, & ignorantia inuincibili. Vnusquisque enim potest propriæ rei consulere, quando alterius damni non est causa. Quod contingit, quando quis ea damna non manifestat, quæ facile cognosci possunt ab emptore. Et si illa non cognoscit, sibi imputetur qui non aduertit. Tenetur tamen, quodcunque excessiuum pretium acceperit, pro rei qualitate restituere, vt ex supradictis constat. Dixi, nisi videat emptorem laborare ignorantia inuincibili. Quia tunc tacens peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, tanquam ille, qui iniuste damnificat proximum, quidquid dicat Magister Soto contra omnes lib. 6. de iustitia q. 3. arti. 2. ¶ Dico tertiò, etiam esse certum, quod qui vitia occulta non dicit, si alias rem pro iusto pretio vendit, nõ peccat contra iustitiã, nec ad restitutionẽ tenetur. Non enim

1. Dictum certum.

2. Dictum certum.

3. Dictum certum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lædit proximum in pretio: quod necessarium est vt iniuriam ei atq; adeò iniustitiam inferre dicatur. Et quidem, si emptor cognita veritate rem non erat empturus absolutè contractus est nullus, vt paulò anteà dicebam. Si verò adhuc erat empturus, quamuis non eodem pretio, nihil ad rem. Ex quo enim quis vult rem emere, non est rationabiliter inuitus, si iusto ei pretio vendatur. Soto affirmat etiam in primo casu contractum esse validum. Sed proculdubio fallitur, & à communi sententia immerito recedit. Multùm enim refert an dolus det causam contractui, vt in primo casu, vel tantum incidat, vt in secundo, ad hoc, vt ipsum nullum, vel validum esse dicamus, vt infra etiam latius probabimus. ¶ Dico quarto etiam esse certum, quod peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur venditor mercis defectum occultans, ex quo vel damnum aliquod temporale, vel periculum emptori sequitur, vt rectè docet D. Thom. art. 3. conclusione prima. Ratioque ipsius est satis efficax. Quamuis enim quisque lege iustitiæ non cogatur consilium auxiliumve alteri præbere, quo à periculis, & damnis eripiatur, nisi quando vel ipsi ex munere proprio, & officio incumbit, vel alter extremè laborat: occasionem tamen periculi, aut damni alteri dare nulli est licitum. Certum est autem, quod eo ipso, quod venditor rem aliquam vitio affectam venum exponit, occasionem damni dat, atque periculi, quod emens nescius incurrere poterit. ¶ Dico quinto etiam esse certum, quod si venditor ignorans rei defectum, eam cum bona fide vendit pro pretio, quod res, si talem defectū nō haberet, esset valitura, à culpa excusatur. Cùm tamen rei defectum primum cognouerit, tenetur ad instantiam emptoris, vel contractum rescindere, vel eum ad æqualitatem reducere. Perinde enim est ac si defraudatio in re ipsa eueniret sine dolo venditis. Atque adeò actio competit emptori defraudato: optio verò venditori, vt diximus articulo primo. Excepto, si defectus est talis, quod emptor illum sciens nullo modo rem esset empturus. Nam tunc non solum emens non consensit in pretio excessiuo, sed nec in contractu ipso, ac subinde contractus in tali casu est nullus in conscientia, nec debet defraudatus venditorem ad standum illi compellere si nolit. Itaque hæc certa sunt apud omnes.

4. Dictum certum.

5. Dictum certum.

Pūctus difficultatis.

¶ Sed quod habet difficultatem est, vtrùm tacens vitium occultum ei, qui illo non obstante, adhuc rem erat empturus, sed non pro tanto pretio, dummodo in pretio defendat iuxta exigentiam defectus, peccet. Verbi gratia. Vendit Petrus Ioanni equum habentem defectum, quem Ioannes cognoscere non potest. Petrus autem illum cognoscit propterea quòd descendit in pretio, iuxta exigentiam defectus. Sed si Ioannes illum cognosceret, adhuc emeret equum, non tamen tanti, quanti valet. Dubium est, vtrùm in hoc casu peccet Petrus talem defectum occultās, vel potius nō teneatur illum Ioānī manifestare? Et quidem certum est, Petrum in hoc casu non peccare contra iustitiam, vt expositis in tertio certo dicto manifestè colligitur. Sed quod quærimus est, vtrùm peccet contra charitatem? Medina C. de restitut. quæst. 34. dicto 3. multis nititur probare, Petrum in eo casu peccare contra charitatem, nisi talem defectum emptori manifestet, cui etiam consentit summa Armillæ, verbo. emptio, §. 16. Primo: Quia decipit proximum saltim negatiuè, vitium suæ mercis non manifestando: ad quod ex officio venditoris tenetur: sicut testis ex officio tenetur veritatem detegere. Quod nisi fecerit, vel tacendo, vel occultando illam, contra charitatem peccat. ¶ Secundo: Quia tunc contractus esset extortus, & inuoluntarius, quo ad pretij quantitatem, si quidem vt supponimus, secluso errore emptor in pretij quantitate non consentiret. Est autem contra charitatem, vt quis ab altero consensum inuoluntarium in aliquo extorqueat. ¶ Tertio: Hoc ipsum probat Medina argumento ab exemplo desumpto: Si quis à suo debitore patato debitum reddere, occultè illud acciperet, proculdubio peccaret, vt omnes Doctores fatentur: ergo similiter venditor occultè accipiens pretij quantitatem à suo emptore, peccabit: licet alias ratione mercis sibi sit debitum. Et confirmatur testimonio Ambrosij in libr. de officijs, sic dicentis: Regula iustitiæ manifesta est, quòd à vero non declinare, virum deceat bonum, nec damno iniusto afficere quenquam, nec aliud dolo annectere rei suæ. Et rursus ibidem: In contractibus vitia eorum, quæ venuntiandi iubentur, nisi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris transeant, dolo actione euacuantur.

Sententia Medinæ.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

Conclusio.

¶ His tamen non obstantibus, dico, in casu posito non teneri venditorem rei defectum reuelare, maximè si non sperat iustum pretium alibi habere. Hæc est sententia Diui Thomæ in præsenti, quem communiter sequūtur omnes Theologi. Et ratio illius est: Quia hæc non est deceptio, nec tenetur mercator ex officio suæ mercis defectus patefacere, sed magis suæ indēnitati consulere,

sulere, modo alijs iniurium non faciat. Et confirmatur: Qui emit rem non habentem vitium, pro re defectuosa modo iustum pretium soluat, non tenetur venditori eius præstantiam manifestare, vt omnes Doctores concedunt: ergo nec qui vendit rem defectuosam tenetur emptori eius vitium detegere modo iustum pretiū pro rei qualitate non excedat. Probo consequentiam: Nam sicut læsio hic se tenet ex parte ementis: ità etiam ibi ex parte venditoris: & non minus læditur æqualitas, atque iustitia in contractu emptionis, & venditionis, ex parte vnius, quam ex parte alterius cum æqua debeat esse vtriusque conditio. Nec contrarium probat Medina, Ambrosius enim satis explicatur, si dicamus debere intelligi quando imminet damnum, vel periculum proximo, vel quando dolus dat causam contractui, vel denique, quando venditor defectum mercis occultat, nec descendit in pretio: quod manifestam continet iniustitiam vt ex dictis patet. Nec tunc dicetur proximus rationabiliter inuitus. Nam cum, vt supponimus, ipse alias, rem esset emptutus, non poterit iustè conqueri, quod pro iusto pretio ei detur. Nec eriā est eadem ratio de accipiente occultè pretium. Ille enim ideò peccat, quia iustitiæ officium vsurpat, & non quia proximum decipiat, vel occultè ab ipso rem accipiat, vt diximus in quæstione de iudicis iniustitia. Nauarro in Manuali capi. 23. nume. 89. & Soto lib. 6. de iustitia quæst. 5. artic. 2. & Caietanus in isto articulo, dicunt in casu, de quo loquimur, facta venditione teneri venditorem admonere emptorem de vitio rei, ne si alteri eam vendat pro pretio, quod valeret tali defectu non existente, sit causa damni tertij. Quod ego verum existimo, quando venditor probabiliter credit, emptorē eam mercem omisse, vt iterum illam vendat. Nam vbi nulla est prababilis coniectura de hoc, vel quia non est officium emptoris negotiari, vel quia merces venditę breui finietur in poceitate eiusdem, non est cur venditorem ad similem manifestationem teneri dicamus. Et quod dictum est in præcedentibus de venditore, rem defectuosam scienter emptori ignoranti vendente, è contra est intelligendum de emptore valorem mercis cognoscēte, quem venditor ignorat. Tunc enim tenetur emptor ascendere in pretio iuxta valorem mercis, cùm animus vendentis huiusmodi valorem ignorantis non sit aliquam emptori facere donationem. Quòd si tam venditor, quam emptor mercis valorem ignorent, quia fortè putant esse virum, quod est gemma, aut lapis pretiosus: tunc ignorantia excusabit à culpa emptorem, qui rem vili pretio emit, non tamen à restitutione, quæ debet supplere pretij defectum, quām primum senserit mercis valorem. Vel saltem tenebitur contractum rescindere, si pretij defectum supplere nolit. Maximè, si defraudatio fuerit vltra dimidium. ¶ Ex dictis infero primò, perperam Mercatum dicere, peccare eum, & teneri ad restitutionem, qui occultum rei vitium tetigit, etiam si descendat in pretio. Absolutè enim id non est verum. Nisi tantum quando vitium tale fuerit quod eo cognito, venditio simpliciter non celebraretur. Tunc enim contractus redderetur inuoluntarius, & ex consequenti nullus, & rescindendus. ¶ Infero secundò licitum esse vilius emere rem, ratione defectus, quum ex legis taxatione, aut communi consuetudine valet. Lex enim, & communis æstimatio determinantes pretia rebus, loquuntur de illis, quatenus sunt in sua dispositione, nec respectum habent ad quod est per accidens. ¶ Infero tertio, quod qui vendit vinum, sericum, aut rem aliam, quam scit ad corruptionem esse dispositam, nec diu in sua bonitate permansuram, & scit similiter, aut probabiliter putat, vel saltem dubitat, quod emptor rem illam emit, ad eam conseruandam, tenetur emptorem certiorem facere, quod ea res non tanto tempore conseruabitur. Alias illius defectus occultatio in damnum vergeret emptoris: quod vendito ex nutritia virtute tenetur, vt ex quarto dicto certo colligere licet. Dixi notanter, si venditor probabiliter putat, vel saltem dubitat, emptorem rem illam emere ad eam conseruandam. Nam si cognoscit, quod vult eam statim consumere totum valorem poteris recipere, nulla talis defectus facta declaratione. Nam cum res habeant valorem per ordinem ad vsus humanos: & ad vsum præsentem, ex communi æstimatione, tantum valeat illa res, ac si haberet diuturnas dispositiones conseruantes, hoc, vt toto pretio currenti iustè vendi possit.

Ad argumenta Medinæ.

1. Corollarium.

2. Corollarium.

3. Corollarium.

¶ Sed restat nunc respondere ad argumenta in principio facta, quatenus militant contra doctrinam à nobis positam. Et ad primum, vt respondeamus, aduertendum est, quod quamuis peccet loquendo, & regulariter quodlibet rei vitium, siue in substantia, siue in quantitate, siue in qualitate, irritet contractum, si res pro integra, & absque defectu vendatur, potest tamen contingere, vt læsio in quolibet istorum sit adeò minima, vt contractus validus sit.

Ad 1. arg. in principio dubitationis facti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tum, quia in moralibus quod parum est, pro nihilo reputatur. Tum etiam, quia vt supra diximus, in venditione cuiuscunque rei, æstimatio est desumenda, non ex substantia illius, sed ex vtilitate, quam in ordine ad vsus humanos importat. Et certum est, quod quando differentia, vel in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate, est minima, res illæ æqualiter, vel quasi æqualiter se habere dicuntur in ordine ad humanam vtilitatem. Et ità contingit in casu, quo vinum Metymnéſe pro vino sancti Martini venderetur. Verum est tamé, quod si vinum sancti Martini medicinalem aliquam qualitatem haberet, quę in alio vino Metymnési, licet ita bono, non inueniretur, iniquum esset vnum pro alio substituere, quando ratione medicinæ quæreretur propter rationes à nobis sæpius repetitas. Et hinc colligere licet, qualiter est etiam iudicandum de illis, qui vendunt vinum lymphatum, aut medicinas non puras, vel quid simile faciũt, Ipsis emptoribus ignorantibus. Aliquando enim peccant, & ad restitutionem tenentur; aliquando verò non peccant. Peccant quidem, & ad restitutionem tenentur, quotiescunque talis mistio nocua est, periculumque aut damnum proximo affert. Et hoc siue venditor descendat in pretio, siue secus. Similiter etiam peccant, & tenentur ad restitutionem, etiam si mistio, nec damnum, nec periculum sit allatura, quando res quæ pura non est, non valet tantum, quantùm valet pura, & pro pura venditur, & perfecta. Maximè, si diminutio valoris ex mistione proueniens notabilis sit. Sed nec peccant nec tenentur ad restitutionem, quando mistio, nec minoris valoris, nec minoris vtilitatis facit rem ad eum vsum, ad quem emitur, quam si illa facta non fuisset. Et præterea quando valoris, & bonitatis adeò parua est facta diminutio, vt homines de illa nihil curent, vel saltim secundum rationem nihil curare debeãt. Vsus etiam pharmacopolarum, qui vocatur, quid pro quo, cũ, scilicet, petéti tale oleum, vel vnguentũ dant aliud, vel quia illud non habent, vel quia eiusdem effectus atque virtutis fore iudicatur ex æqualitate valoris & pretij erit iustificandus, sicut omnes alij, in quibus defectus inuenitur. Ad secundum argumentum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam ad hoc, vt sacramentum baptismi sit validum, solum requiritur materia, & forma, cum debita intentione ministri, quæ est faciendi, quod facit Ecclesia in subiecto capaci. Quæ omnia inueniuntur in illo, qui baptizat Paulum, putans baptizari Petrum. Ad religiosam enim intentionem ministri impertinens est, quod velit baptizare hunc, vel illum hominem. Sed tantum debet velle baptizare illum, circa quem actum ablutionis exercet, quicunque sit ille. Quòd autem minister putet esse Petrum, & sit Paulus, est quędam ignorantia concomitans, quæ debitam intentionem non destruit. Verum est, quod si minister intenderet baptizare Petrum præcise, & non alium, baptismus esset nullus. Sed tunc peccaret mortaliter, tanquam ille, qui debitam intentionem non haberet. At verò ad hoc, vt contractus emptionis, & venditionis sit validus, necessarium est, vt eadem illa res, de qua facta fuit conuentio, in eadem substantia, quantitate, & qualitate tradatur, sicut petitur ab ipso emptore. Et si secus fiat, contractus erit inuoluntarius, & ex consequenti nullus. Ad confirmationem similiter respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam, quia ad bonum commune Ecclesiæ expedit, vt eius ministri sint certi & determinati, idcirco eadem Ecclesia, quæ domina est beneficiorum voluit, vt collatio beneficij in casu argumenti sit valida, quamuis alias ille, cui cõfertur, illius sit indignus. At verò in contractu emptionis, & vẽditionis nihil retulerit ad bonum communitatis, quod quando non traditur eadem res, vel in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate, nullus reddatur. Et ideò nec ab Ecclesia, nec à potestate ciuili approbatur. Ad aliud, quod de matrimonio adducitur in eadem confirmatione dico, quod ille, qui cum ea existimatione ducit vxorem, tripliciter se potest habere. Primo: quod illa concomitetur actionem, & non sit conditio obiecti intentionis. Vt si, verbi grãtia, diceret in mente: Volo Mariam accipere in vxorem, quam virginem, vel nobilem vel diuitem existimo. Secundo, quod ea existimatio, sit conditio obiecti intentionis verbis prolata. Vt si, verbi gratia, diceret: Volo Mariam accipere in vxorem, si virgo, vel nobilis, vel diues fuerit. Tertio, quod eadé existimatio sit conditio obiecti intentionis, verbis tamen non exprimatur, sed absolutè proferatur consensus. Et quidem, si ducens vxorem cum illa existimatione virginitatis, habet se primo modo, matrimonium est validum, atque ratum. Et ratio est: Quia substantia illius contractus tunc non est, quod mulier sit virgo, aut nobilis, sed tantum consistit in hoc quod vult illam absolutè accipere in vxorem, existimatioque virginitatis tunc solum concomitãter se habet ad talem consensum.

Ad 2. Arg.

Si vero secundo modo se habeat, nec in foro conscientiæ, nec in foro exteriori, erit verum matrimonium conditione non existente, quia deficit illi obiectum contractus. Si autem se habeat tertio modo, in foro conscientiæ non erit verum matrimonium propter eandem rationem. In foro tamen ecclesiæ validum iudicabitur. Et ipse vir tunc adhuc in foro conscientiæ tenebitur verum matrimonium contrahere. Ex quo enim absolutè protulit consensum, nulla conditione apposita, graniter deciperet mulierem, quæ se vinculo matrimonii astrictam iudicauit, si secus faceret, quæ iniuria aliter quam verum contrahendo matrimonium resarciri non posset. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, quod, vt diximus articulo primo huius quæstionis, non facile sunt admittendæ excusationes venditorum, qui dicunt, minus iusto à iudicibus taxatas sibi fuisse merces, sed semper in re dubia, pro ministris reipublicæ est iudicandum, habendumque pro iusto pretio, quod ab ipsis fuerit decretum. Cæterum si quando certo constiterit, iudicis taxationem fuisse iniquam, licitum erit venditori vti cautela, minuendo mensuram. Nec per hoc fit iniuria emptoribus, qui tantum accipiunt, quantum sibi debetur ex iustitia. ¶ Ad vltimum argumentum, vt respondeamus, aduertendum est, quod quanuis in celebrandis contractibus emptionis, & vẽditionis, æqualis vtriusque contrahentis debeat esse conditio, quantum ad hoc, quod vterque tenetur leges commutatiuæ iustitiæ seruare, atque adeò, sicut venditor peccat contra iustitiã, vẽdẽs rẽ vitiosam pro integra, ità etiã emptor emẽs rem integram pro vitiosa, & sicut vẽditor non interrogatus tenetur dicere vitium rei, vel minuere pretium, vt iam diximus, sic etiam emptor tenetur augere pretium mercis cognoscens eius valorem, vel illum indicare venditori: (est enim venditio actus commutatiuæ iustitiæ, vtramque partem æqualiter respiciens,) tamẽ quando in re venali aliqua specialis virtus latet, quæ communiter ab hominibus etiam peritis illius artis, ignoratur, peritissimus emptor illam cognoscens, nec tenebitur eam venditori manifestare, nec augere pretium, sed poterit emere illam pro eo, quod secundum communem æstimationem determinatur. Cuius rei ratio est: Tũ, Quia illud iudicatur iustum pretium rerum, quod ab hominibus secundum circunstantiã loci, & temporis communiter æstimatur. Et certum est, illam singularem virtutem ab hominibus communiter nõ æstimari, siquidem non cognoscitur. Tum etiã, Quia illa occultissima virtus mercis, aut gemmæ respectu perfectissimi lapidarij habet se sicut thesaurus absconditus in agro. De quo diximus in materia de restitutione licitum esse cuique emere agrum, in quo continetur, nulla facta ipsius venditori manifestatione. Quare ad propositum argumentum concessa maiori, si intelligatur de virtute lapidis, quã communiter homines non cognoscunt, respõdetur, negando consequentiam. Et ratio est: Nam in emptione cuiuscunque rei pretiosæ nulla fit iniuria venditori, si tãtũ pretium ei conferatur pro illa, quantum secundum communem æstimationem valet. At verò in venditione rei defectuosæ, pro integra, semper est necessarium, quod pretium pro illa acceptũ sit maius, quam secundum se valet, cum res defectuosa ex communi æstimatione, non tantum valeat, quãtum integra. Et est aduertendum, quod quando dicimus lapidarium peritissimum posse emere, minori pretio, quàm valet, gemmam, aut aliquem alium lapidem pretiosum, est intelligendum dummodo admoneat venditorem de communi valore ipsius. Nam, si secus fecerit erit venditor rationabiliter inuitus atque ex consequẽti contractus nullus. Quando Hispani à principio venerunt ad Indos, potuerunt ab illis emere margaritas, & aurũ pro pretio, quod secundũ communẽ æstimationẽ illius reipublicæ iustum iudicabatur: nec tenebantur eis manifestare quanti illa in alijs regionibus haberẽtur, vt omnes Doctores concedũt. Et ad eundem modum, peritissimus artifex, qui alicuius lapidis occultissimam virtutem cognoscit, latisfeciſſe est iudicandus, si tantũ pretium pro illo dederit quanti communiter æstimatur, cum æqua sit omnium ratio.

Ad 3. arg.

Ad vltimũ arg.

¶ Est aliud dubium, vtrùm venditor sciés breui tempore magnam copiam mercium vẽtiram, ex quo fiet, vt quæ apud ipsum habẽtur minori vendẽtur pretio, teneatur illud emptoribus manifestare, minuereq; pretiũ, vel potius adhuc possit, illas pro pretio integro hic & nunc in ciuitate currente, vendere? Hanc difficultatem in terminis disputant Medina. q. 33. Sylvest. verbo, emptio. q. 15. Soto li. 6. de iustitia q. 5. ar. 2. in solutione ad vltimum Conrad. q. 56. exemplo. 3. & q. 66. de contract. Couarr. in reg. peccatũ. 2. p. §. 4. numero 5. & 6. Cord. li. 1. quæstionarij q. 14. Ex quorum omnium sententia dico primò, certum esse, quod si res est statim consumenda, integro pretio currenti vendi potest. Ad illum enim vsum tanti communiter æstimatur. Dico secundo, etiam esse certum, quod si ignota est vtrique contrahentium futura pretij variatio, licita erit venditio pro pretio currenti, nec taliter vendens ad aliquam

A liud dubium.

1. dictum certum.

2. dictum certum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenebitur restitutionem. Quia cum neuter tũ alterum decipiat,æqua debet esse vtriusque conditio. Dico tertio etiam esse certum,quod si vtrique fuit nota futura merciũ copia,licitè pro illa accipitur pretium presens. Volenti enim,& scienti non fit iniuria. Sed quod habet difficultatem est, an quando emptore ignorante,venditor scit futurã pretij variationem,possit totum, quod in præsenti currit pro mercib⁹ accipere ab eo, qui similes merces ad eas seruandum, vel postea alias vendẽdum emit, ex quo emptor notabile damnũ, & detrimentum patietur. Conradus de contract qu.66 partem tenet negatiuam,quametiam sequitur Medina.C. de restit.q.15.& Gabriel in 4.d.15.q.11.ar.3. dub 6.Qui omnes dicunt prædictum venditorem mortaliter peccare,& ad restitutionẽ teneri. Non quidem tanti, quantus futurus esset defectus pretij,sed quanti minoris æstimarentur merces si omnes prædictam mercium abundantiam cognoscerẽt. Eandẽ etiã sententiam sequitur Bartol.in leg.quæro ff. de actio.emptio.& glosin leg.contra leg.ff. de legibus. Et probatur à Medina quatuor rationibus. Primò sic: Merces in casu posito ob similium mercium abundantiam proximè futuram,decrescũt in pretio secũdum communem æstimationem: sicut enim penuria mercium non solùm præsens,sed etiam de propinquo sperata auget, ita & abundantia non solum præsens, sed etiam proximè futura minuit valorem earum: Estque hoc verum etiam si non sint actu in isto loco, sed in propinqui⁹; quia quod parum distat, nihil distare videtur:ergo qui sciens futuram magnam mercium copiam illas vẽderet,pro pretio tunc currenti,plus pro eis acciperet, quam secundum communem æstimationem valent;atque ex consequenti peccaret mortaliter,& teneretur ad restitutionem. ¶ Secundo sic argumentor.Quando solus venditor scit bonitatem rei intrinsecam,vel etiam extrinsecam, esse diminutam;vel breui minuendam, siue tollendam, maximè si sit ad corruptionem dispositã: tenetur hoc ipsum ignoranti emptori manifestare;vel saltem in pretio descendere,vt diximus dubio præcedẽti:ergo ad idem similiter tenebitur quando vendit rem in valore,& pretio vsuali breui minuendam. Probo consequentiam: Quia nõ minus lædit emptor,quãdo res in valore vsuali,vel pretio in breui minuẽda,pro integro pretio illi venditur,quã si in bonitate vel valore naturali diminuta,vel in breui minuẽda pro integra,& perfecta sibi vẽderetur. Itaq; dicetur hæc merx esse in via,& dispositione ad corruptionẽ,vel diminutionẽ pretii vsualis,in casu præsenti:sicut quãdo est in via vel dispositione ad corruptionẽ, seu diminutionẽ valoris,& bonitatis suæ naturalis.

3.dictum certum.

Punctur difficultatis.

Sententia Cõradi & aliorum.

1.argu.

2.argu.

¶ Tertio:Rerumiustus valor nõ ex quacunq; cõmuni æstimatione desumitur,sed ex prudẽti,& discreta;qualis nõ est illa,quæ ex ignorãtia,& errore ciuũ procedit,cũ si scirẽt proximã rerũ abundantiã, non tãti æstimarent: ergo non ille, qui modo currit est verus ac iustus valor;sed putatiuus:atque adeò,qui secundũ illũ sciẽs vendit peccat,& ad restitutionẽ tenetur. ¶ Quarto argumentatur Medina ad probandã suam sententiã pluribus in mediũ adductis inconuenientibus, quæ ex opposita sequerẽtur. Primum est:Nã alias sequeretur, quod mercator sciens, crastina die hanc ciuitatẽ obsidendam, posset hodie omnia bona sua pro pretio currẽti vẽdere, quod videtur iniquũ,& contra bonũ,non solum ciuũ,sed etiã ipsius reipublicæ Secundo sequeretur,quod sciẽs crastina die frumẽti taxationẽ futurã,multò minorem quã modò,posset hodie ingentem copiã tritici vendere pro pretio pragmaticæ currẽtis:ex quo non leue damnũ reipublicæ cõsurgeret. Tertio,sequeretur quod sciens aliquam monetã crastina die in regno à suo valore deponẽdam,posset hodie omnem,quã haberet,cãbire; ex quo similiter grauis iniuria inferretur ciuibus. Hæc Medina.Cicer.li.3.de Officiis, de mercatore quodã Alexandrino, qui Rhodum annonæ caritate laborantem frumenti numerũ aduexit,sciens se alios mercatores sequutos,dubitationẽ proponit,vtrũ tenere tur tũc ille ciues copiæ futuræ præmonere, vel potius tacitus posset pretio currẽti merces diuidere In mediumque adducta Antipatris sententia,quæ est eadẽ cũ opinione Medinæ,illã hac ratione probat:Nã inter homines lege naturæ quædã societas est naturalis, cõtra quã facit qui celat socios quod illis est cõmoditati.Et sic dicit,quod licet nõ omne, quod tacemus,celemus aliquẽ, tamen quod emolumenti nostri causa alios volumus ignorare,celare dicimus.Ac per cõsequẽs fraudulentus est contractus & hominis,vtpote inquit,versuti,obscuri, astuti,fallacis,malitiosi callidi, veteratoris, vafri.

3.argu.

4.argu.

¶ Corduba lib.1.quæstionarii quæstione 14.in fine, propositis duabus opinionibus cum suis rationibus, vna Medinæ modo à nobis explicata,altera D. Thomæ & aliorũ, ommno ei contraria,subiungit tertiam,quã ipse sequitur,& mediã appellat;dicẽs,ad propositam difficultatem, sub distinctione esse respondendum. Nam si pretium mercium, quarum copia futura speratur, iam est à republica seu eius rectore taxatum, vel

Sententia Cordubæ.

vel tale, quod secundum communem æstimationem,& consuetudinẽ tanquam iustum currit in illo loco,licitum est mercatori pro illo suas merces vendere, quantumcunque sciverit illarum copiam in proximo futurã, ex quo earum valor minuetur. Tamen si pretium est vagum,& denuo taxandum à communitate,seu eius rectore vel ab ipso venditore statuendum;habet locum, & veritatem opinio Medinæ.Et ratio huius differẽtiæ est: Nã cũ in primo casu illarũ mercium pretium quæ tunc taxatũ,vel cõmuniter currens,iustũ sit,sicut iustè decretũ & introductũ,vt supponimus,tãdiu tale debet manere, quandiu rationabiliter non mutatur, vel mutari debeat,aut denuò aliud iustũ pretium introducatur.Et certũ est,quod quandiu futuræ mercium copia communiter non scitur,nec mutatur eorum iustum pretium,nec est rationabilis causa illud mutandi.At verò,quando pretium non est taxatum,sed est vel de nouo taxandũ,vel ab ipso venditore statuendum,cõsiderandæ sunt omnes circunstantiæ,quæ rei valorem,vel augere,vel minuere possunt,vt sic iustũ eius pretiũ statuatur,quarũ vna est futura copia ab ipso venditore præcognita.

Impugnatur Cordu ba.

¶ Hæc sententia Cordubæ subtilis est,& quæ forsan metaphysicè loquendo veritatem haberet.Sed quoniam moraliter nõ contingit,esse aliquas res cõmunibus vsibus necessarias,quarum pretiũ,vel ex lege, vel ex communi hominum cõsuetudine,& æstimatione taxatæ non sint, non erit opus ea distinctione.Eo vel maximè,quod cum res quæ publicam taxationem non habent,quales sunt illæ,quæ non ad necessitatem,sed ad ornatum spectant,ex contrahentium conuentione,suum iustum pretium sortiantur, vt diximus arti.primo huius quæstionis;non est cur dicamus,quod si contrahentes conueniunt in pretio,illud non sit iustum,esto talis mercis maior copia sit futura.

1.Conel.

¶ Quocirca, vt quid in hac re mihi videtur dicendum explicem;sit prima conclusio: Venditor,qui sciens futuram magnam copiã mercium,vendit eas quas apud se habet pro pretio currenti,nõ est iniustus,nec ad aliquã restitutionẽ tenetur.Hanc ponit D.Tho.ar.2.huius quæ.in solutione ad 4.Soto li.6.de iustitia q.1.ar.2.in solutione ad 3.argumentum principale.Alexand.in tract.diersam generalium libro ca.1.Conarru in reg.peccatũ. p.2.§.4.& multi alii ab ipso relati.Dixi antẽ, quod talia facientes non est iniustus.Nam contra charitatem posset aliquando peccare, vt dicemus in quarta conclusione.Et probatur: Iustus,& verus valor rerum non ex pluuatuitius,vel duorũ pẽdet æstimatione, sed vel ex principiis,vel cõmuni hominũ decreto, vt diximus in superioribus:sed in casu cõclusionis per publicã,& cõmunẽ hominũ æstimationẽ est taxatũ pretiũ rerũ:ergo illud est habendũ pro iusto,& vero,nõ obstãte quacũq; alia particulari cognitione. Et confirmatur: Vbi est publica taxatio mercis,cõmunis hominũ æstimatio locũ habere non potest: & vbi est communis æstimatio, non habet locum priuatum vnius hominis decretum,vt supra diximus:sed in nostro casu solus est vnus,scilicet,venditor,qui ob scientiam futurarum vilius æstimat merces:ergo nõ propter id variari debet pretiũ,vel decrescere ex iustitia.Secũdo:Particularis cognitio,vel ignorãtia iusti pretii,aut aliarũ cõditionũ mercium per accidẽs facientium ad iustitiã ipsius, impertinẽs est,& nõ variat iustũ pretium tali ã vere existẽs vel cõstitutum;ità,vt propter illã tantum particularẽ alicuius cognitionẽ, vel ignorantiã reddatur iniustũ,quod sine illa erat iustũ,vel è conuerso reddatur iustum, quod sine illa erat iniustũ: sed in casu cõclusionis solũ est cognitio particularis venditoris,de illa cõditione exarescẽdi mercis:scilicet,de abundãtia proximè futura, vt supponitur:ergo illa nõ sufficiet,variare iustũ pretiũ rei ita taxatũ,& cõstitutũ.Atq; adeò iustè poterit mercator pro pretio currẽte vẽdere, nõ obstãte quacunq; particulari sua cognitione, quæ non est potes reddere iniustum pretiũ, quod sine illa erat iustum.Consequentia cõminori est nota, & maior probatur : Quod ven est iustum,omnibus scientibus, & nescientibus iustum est; est enim iustitia, vel iniustitia pretii à parte rei, sicut & ipsa iustitia in medio consistit,vt ex sententia Ari. li. 5.Ethi.docuimus supra q.58.ar.10.nec ex cognitione,aut ignorantia huius vel illius depẽdet:ergo ipsa particularis cognitio vel ignorantia impertinẽs est,nec variat iustum pretium rei. Vltimo.Si venditor qui sciens magnam futuram copiam mercium, vendit eas quas apud se habet pro pretio currenti,esset iniustus, & ad restitutionem teneretur,sequeretur, quod etiam ille, qui ignorans illam copiam futuram, eadem venderet pro eodem pretio,similiter teneretur ad restitutionem:consequens autem est falsum,& contra omnes:ergo & illud ex quo sequitur.Probo sequelam :Obligatio ad restitutionem, non solum oritur ex iniusta acceptione,sed etiam ex re accepta;ergo quemadmodum dicitur mercatorem scientem futuram copiam teneri ad restitutionem, ratione iniustæ acceptionis, eris etiam dicendum,quod ignorãs eandem copiã futuram,tenebitur ad similem restitutionem,ratione rei acceptæ

¶ Se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Concl. ¶ Secunda conclusio: Etiam si iste venditor interrogatus, an futura esset magna copia illarum mercium, quas vendit, diceret se nescire, & etiam si diceret non esse futuram, non peccaret contra iustitiam, nec ad restitutionem teneretur. Probatur: Non obstante tali mendacio adhuc talis contractus haberet omnia, quæ necessaria sunt, vt iustus dicatur; traderentur enim merces absque aliquo vitio, pro pretio iusto currenti: ergo esset iustus. Et si quis contra hoc argumentetur; Si alius assistens ità mentiretur, faceret iniustum, & ad restitutionem teneretur, vt omnes Doctores concedunt: ergo multò magis si ipse mercator mentiatur. Et confirmatur: Qui mentiendo impedit eleemosynam pauperi peccat contra iustitiam; & ad restitutionem tenetur: ergo pari ratione, qui mentiendo est causa, vt alteri damnũ inferatur. Ad primũ respõdetur, cõcesso antecedẽti, negãdo cõsequẽtia. Venditor enim tacendo, vel mentiendo non facit iniustum. Tum, quia solùm inducit emptorem ad contractum iustum. Tum etiam, quia si diceret veritatem simile damnum in propriis facultatibus incurreret, quod ipse pati non tenetur. Atque adeò illud mendacium non est perniciosum formaliter, sed solum officiosum, vtpote quod per se ordinatur ad fugiẽdum damnum, quod venditor subire non obligatur. Estque per accidẽs, quod emptor ex illo damnificetur. At verò alius mentiens pernicioſe mentiretur, & non officioſe tantum, postquam ex tali mendacio nec bonum comparat, nec malum euitat. Et sic facit contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur. Ad confirmationem respondetur, quod ille, qui mentiendo impedit eleemosynam pauperi dupliciter se potest habere. Nam vel ipse est pauper, & vt sibi dupla eleemosyna detur decipit alterum, decipit autem dicendo, dominum non adesse, aut eleemosynam iam esse elargitam: & tunc iste mentiens nec peccat contra iustitiam nec ad restitutionem tenetur. Vterque enim pauper habet idẽ ius. Et sic solum mentitur officioſe. Vel est diues, qui mentitur pauperi, & tunc mendacium est perniciosum contra iustitiam, & ad restitutionem obligans.

3.concl. ¶ Tertia conclusio: Quod dictum est de venditore, est etiam dicendum proportionabiliter de emptore, scilicet, quod si emptor scit futuram magnam copiam mercium, aut earundẽ inopiã ex quo pretia augentur, potest tacere emereque illas pro pretio currẽti. Et si mentiatur non erit eius mendaciũ perniciosum, sed officiosum tantum; atque ex consequenti non obligãs ad restitutionẽ.

Hæc cõclusio probatur eisdẽ rationibus, quibus præcedẽtes fuerũt probatæ; cum in cõtractu emptionis & venditionis vtriusq; cõtrahẽtis, vt sæpe diximus, debeat esse æqua cõditio. Et præterea cõfirmatur ex historia Thaletis Milesii, quã Arist. lib. 1. Polit. c. 7. refert, dicens, quod cum huic philosopho tanquam in opprobriũ obiiceretur, quod philosophia suas alumnos pauperes efficeret, ipse per Astrologiam oliuarum vbertatem eo anno futuram prospiciens, collecta exigua pecunia creditò, emit in hyeme, sub consulo, quantumquisque olei esset collecturus, & arras dedit. Postea verò, tum, quia ingentissima copia peruenit, tum etiam, quia ipse solus fuit venditor, amplissimos confecit thesauros. Ostendẽs nimirum facilè esse philosophis ditari, nisi sapientis esset diuitias despectui habere. Similẽ legitur de Ioseph. Genes. 41. Qui futuræ vbertatis annotũ septẽ quos aliorũ nõ minor subsequuntura erat sterilitas diuinitus edoctus, vili prius emendo, & carè postea vendendo Pharaonem ditauit. 4.concl.

¶ Quarta conclusio: Aliquãdo potest cõtingere, vt in casibus prædictis, tam venditor, quã emptor peccẽt cõtra charitatẽ, quod, ex communibus legibus charitatis, quibus tenemur bono proximi cõsulere, quãdo sine magno detrimẽto proprio fieri potest, iudicandũ erit. Et sic dico, quod si Ioãnes, verbi gratia, sciret, ingentẽ summã tritici futurã, & Petrus modo vellet ab eo emere magnã quantitatẽ pro pretio currenti, propter quod Petrus crastina die in paupertatẽ incideret, cõtra charitatẽ peccaret Ioãnes, si non diceret illi, vt in crastinũ expectaret. Maximè si Ioãnes suam triticũ vendere posset pluribus ciuibus diuitibus. Secus autem esset, si Ioãnes ex eo quod nõ vendat triticũ Petrõ, in similem paupertatẽ incideret. Nã tũc nihil teneretur indicare; nec cõtra iustitiã, nec cõtra charitatẽ peccaret triticũ vendens; cũ charitas bene ordinata à seipso incipiat; & nullus teneatur cõsulere bono proximi, cũ tãtu detrimẽto proprio.

¶ Ad primũ argumentũ in principio factũ respõdetur, illud antecedens solũ habere verũ de penuria, & abũdãtia cõmuniter cognita, quæ est præsens, vel proximè futura: nõ autẽ de ea, quæ ab aliquo particulari vẽditore vel emptore tãtũ cognita est, vt ex supradictis patet. Ad 1.arg.

¶ Ad secundũ respõdetur cõcesso antecedẽti, negãdo cõsequentiã. Et ad probationẽ dico, esse latissimũ discrimẽ inter valorẽ rei defectuosæ, qui est ab intrinseco cõditionis illius rei: & valorẽ ex abũdãtia vel penuria proximè futura, qui sumitur ab extrinseca cõditione mercis. Nã valor, qui est ab intrinseco cõditionis rei, quia est quo ad substãtiam, Ad 2.arg.

tiã, quantitatẽ, vel qualitatẽ rei defectuosæ, per se facit ad iustum pretium constituendum, nec particularis cognitio, aut ignorantia talis valoris est sufficiens variare illud. Quare quamuis particularis ignorantia venditoris rei defectuosæ, eam cum bona fide pro pretio currenti vendentis tanquam sanam, excuset illum à peccato & dolo; non tamen variat iustũ pretiũ illius; nec de iniusto est potens reddere iustum quia aliud pretiũ rei defectuosæ, & aliud rei integræ atque perfectæ iustum est ex sua natura. Ex quo fit vt qui ex tali ignorantia rem defectuosam pro sana vendidit, cognito defectu, teneatur ad petitionem emptoris defraudati, vel rescinde re contractum, vel ipsum ad æqualitatem reducere, restituendo quod vltra iustum pretium rei accepit. Cæterum valor ex abundãtia, vel penuria proximè futura, quia sumitur ab extrinseca conditione mercis; per quam nec res ipsa in sua bonitate, vel valore naturali, nec in quantitate, vel qualitate mutatur, per accidens facit ad iustum pretium constituendum, nec per particularem solius venditoris, vel emptoris, sed per solam communem cognitionem, vel ignorantiam, & æstimationem inde pẽdentem, quis sit rei valor, vel iustum pretium currẽs, determinari debet. Ad 3.arg.

¶ Ad tertiũ respondetur negando, quod cõmunis æstimatio tẽpore, quo merces vẽdit res pro pretio currẽti, sciens plures alias breui futuras, non sit prudens, & discreta. Non enim est imprudentia, sed prudentia maxima res illas tanti æstimare, quanti hic, & nunc supposito, quod nesciat futuras merces, prudentissimus quisq; faceret æstimationem. Et aliud est hominem falli, & aliud imprudenter agere. Nec illa æstimatio procedit ex errore. Error enim est priuatio scientiæ debitæ in esse. Et certum est, illud, quod fortuito quodã casu accidit, præter omnium intentionẽ, sciri nõ esse debitũ. Quare nõ ex errore, sed ex vera & sufficiẽti scientia dicta appretiatio procedere erit dicẽda. Ad quartũ respõdetur non esse habẽda pro incõuenientibus, quæ Medina ex nostra sententia infert, sed potius sunt vera. Quãuis aliquando talia faciens poterit peccare cõtra charitatẽ, vt in quarta cõclusione diximus. Ex dictis infero primo; quamuis nullus ex Doctoribus nostræ sententiæ id asseraẽt, quod etiã si merces essent iam actu, sed secreto, in ciuitate: si id nullus alius sciat nisi venditor, vel fortè pauci alii, adhuc poterit suas pro pretio currenti vendere, ob rationes factas. Illud enim semper est habendũ iustũ quoũq; ex lege, vel cõmuni hominũ æstimatione, & scientia aliud determinetur. Infero secũdo idẽ esse seruandũ in contractu mutui, vel cãbii. Si enim tẽpore, quo mutuam dedi pecuniam, siue in cambio deposui, valebat tantum ex communi cursu, & taxatione; etiam si ego scirem breui minuendam ex Regis decreto; potero totum valorẽ repetere, quod habuit tempore mutui. Imo etiam, si decretum sit iam factum, & ego solus id sciam, potero quoadusque promulgetur antiquum valorem exigere; quidquid dicat Syluester verbo. vsura. 1. quæstione 15. Qui minus consequenter loquens, affirmat non licere mutuare pecuniam quam scio breuiter minuendam in valore, vt alia eiusdem pretii soluatur; nisi quando mutuatarius illam esset consumpturus statim. Et ponit exemplum de merce breui corrumpenda. Sed melius Corduba, & alii Doctores nostræ sententiæ dicunt, quod etiam si illam esset seruaturus licitum esset mihi ei cum illo pacto mutuare: si quidem in præsenti, ex communi æstimatione, vel lege tantum assequitur valorem.

1.corolla-rium.

2.corolla-rium.

Articvlvs. IIII.

¶ Vtrum liceat negotiando, aliquid carius vendere, quam emere.

Opus. 13. c. 3. Homi. 38. in opere im perfecto à med. to. 2.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod non liceat negotiando aliquid carius vendere quàm emere. Dicit enim * Chrysostomus super Matth. 21. Quicunque rem comparat, vt integram & immutatam vendendo lucretur: ille est mercator, qui de templo Dei eiicitur. Et idem dicit Cassiodorus * super illud Psal. 70. Quoniam non cognoui literaturam, vel negotiationem, secundum aliam * literã: Quid inquit, est aliud negotiatio, nisi vilius comparare, & carius velle distrahere? Et subdit, negotiatores tales Dominus eiecit de templo. Sed nullus eiicitur de templo, nisi propter aliquod peccatum: ergo talis negotiatio est peccatum.

Et habetur dist. 88. c. Eijcient. Et habe. di. 88. c. Quid est aliud. Edit loci.

2 ¶ Præterea, Contra iustitiam est, quòd aliquis rem carius vendat, quàm valeat, vel vilius emat, vt ex dictis * apparet. Sed ille qui negotiando rem carius vendit, quàm emerit, necesse est quòd vel vilius emerit, quàm valeat, vel carius vendat: ergo hoc sine peccato fieri non potest. Art. 1.

3 ¶ Præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

In epist. ad Nepotianũ inter princ. & me. tom. 1. Et habetur dist. 88. capit. Negotiatorem clericum. Psal. 70. in concione prime partis Psal. à me. tom. 8. Et habetur distin. 88. ca. Quoniã

3 ¶ Præterea, Hiero.* dicit, Negotiatorem clericum ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Non autem negotiatio clericis interdicta esse videtur, nisi propter peccatum: ergo negotiando aliquid vilius emere, & carius vendere est peccatum.

¶ Sed Contra est, quòd Aug.* dicit super illud Psalm. Quoniam non cognoui literaturam. Negotiator auidus acquirendi, pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur & peierat. Sed hæc vitia hominis non sunt artis, quæ sine his vitijs agi potest: ergo negotiari secundum se non est licitum.

¶ Respondeo dicendum, quòd ad negotiatores pertinet commutationibus rerum insistere. Vt autem Philosoph.* dicit in primo Politic. duplex est rerum commutatio. Vna quidem quasi naturalis & necessaria, per quam scilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum & denariorum propter necessitatem vitæ. Et talis commutatio non proprie pertinet ad negotiatores, sed magis ad œconomicos, vel politicos, qui habẽt prouidere vel domui, vel ciuitati de rebus necessarijs ad vitã. Alia vero commutationis species est vel denariorũ ad denarios, vel quarũcunq; rerũ ad denarios, nõ propter res necessarias vitæ, sed propter lucrũ quærendum. Et hæc quidẽ cõmutatio proprie videtur ad negotiatores pertinere, secundum *Philos. Prima autẽ commutatio laudabilis est, quia deseruit naturali necessitati. Secunda autẽ iuste vituperatur: quia quãtũ est de se, deseruit cupiditati lucri, quæ terminũ nescit, sed in infinitũ tendit. Et ideo negotiatio secundum se consideratа quandam turpitudinem habet, inquantum non importat de sui ratione finem honestum, vel necessarium. Lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum vel necessarium, nihil importat de sui ratione vitiosum vel virtuti contrariũ. Vnde nihil prohibet lucrũ ordinari ad aliquem finẽ necessarium, vel etiam honestũ, & sic negotiatio licita reddetur. Sicut cũ aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subueniendum indigentibus. Vel etiã cũ aliquis negotiationi intendit propter publicam vtilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris.

Li. 1. Poli. c. 1. 5. & 6. to. 5.

Li. 1. Poli. c. 6. to. 5.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd verbum Chry. est intelligendum de negotiatione, secundum quòd vltimum finem in lucro constituit: quod præcipue videtur, quando aliquis rem non immutatam carius vendit. Si enim rem in melius mutatam carius vendat, videtur præmium sui laboris accipere: quamuis & ipsum lucrum possit licite intendi, non sicut vltimus finis, sed propter alium finem necessarium & honestum, vt dictum * est.

In corpo.

¶ Ad secundum dicendum, quòd nõ quicunq; carius vẽdit aliquid, quã emerit, negotiatur, sed solũ qui ad hoc emit, vt carius vẽdat. Si autẽ emit rem nõ vt vendat, sed vt teneat, & postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio: quamuis carius vendat. Potest enim hoc licite facere, vel quia in aliquo rẽ meliorauit: vel quia pretiũ rei est mutatũ secundum diuersitatem loci vel tẽporis: vel propter periculum, cui se exponit, transferendo rem de loco ad locum, vel eam *fieri faciendo. Et secundum hoc nec emptio nec venditio est iniusta.

Aliàs, sitri. Extra. Ne clerici vel monachi, c. 1. & 2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd clerici non solum debent abstinere ab his quæ sunt secũdum se mala, sed etiã ab *ta.* his quæ habẽt speciẽ mali. Quod quidẽ in negotiatione cõtingit, tum propter hoc, quòd est ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorũ vitia, quia difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum, vt dicitur Ecclesiast. 26. Est & alia causa: quia negotiatio nimis implicat animum secularibus curis, & per consequens à spiritualibus retrahit. Vnde Apostolus dicit secundæ ad Tim. 2. nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Licet tamen clericis vti prima commutationis specie quæ ordinatur ad necessitatem vitæ, emendo vel vendendo.

Negotium vnde dictũ.

otio est cõtrariũ, Idẽ enim est negotiũ, quod absque otio. Quare id nomen prõ labore, & occupatione sæpè accipi consueuit. In quã significatione dicimus negotium forense, & negotium familiare. Sed peculiariter negotiari idem est, quod mercaturam exercere. Ea forsan ratione, quod hæc ars solicitudinibus implicata ab otio est semper aliena. Dicũtur autem negotiatores mercatores, quia mercari communi vsu, non tam est simpliciter emere, quam lucri causa emere ad renẽdendum. Et negotiari est emere, vt renẽdas. Dicuntur etiam institores, quia, vt Vlpianus ait, negotijs insistunt. Propterea que Prouerb. 31. de muliere forti dicebat Sapiens: Facta est velut nauis institoris, de longe portans panem suum. ¶ Secundo, est aduertendum, quod negotiationis duplex potest species distingui. Vna, qua res emitur, vt per industriam mutata reuendatur. Et hæc, vt in capitulo ejiciens. 88. distinct. dicitur, non est nuda negotiatio; sed inter alias artes mechanicas numeranda. Sicut enim mechanicus ex lana texit pannum; & ex ferro faber facit gladium: sic etiam & industrius curandi, aues, vel equos emens, vt cultiores reddat, & vendat, non tam negotium, quam artem exercere est dicendus. Altera, qua quis aliquid mercatur, vt nullatenus mutatum vendens lucrum reportet. Et hæc est pura negotiatio, de qua in præsenti est sermo.

Negotiationis duplex est species.

1. dubium an negotiatio sit licita.

Circa quam est prima difficultas, vtrùm sit licita. Et pro parte negatiua argumentor primo: Ex facto Christi Matthæi. 21. Vbi dicitur eiecisse ipsum è templo ementes, & vendentes. Super quo dicit D. Chrysost. Christus eiciens ementes & vendentes, docuit nos, mercatores Christo placere nõ posse. Et ideò Christiani non debent esse mercatores. Psalmo etiam 70. habetur. Quoniã non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini. Et vbi editio nostra vulgata habet, literaturam, alia lectio habet negotiationes, vt sic intelligeremus negotiationẽ ingressum regni cælorum impedire. Dicuntur autem negotiatores, vt Cassiodorus super istum locum exponit, qui vili emunt, vt carius vendant. ¶ Secundo principaliter sic argumentor: Quicunque exponit se periculo peccandi mortaliter, mortaliter peccat, iuxta illud Sapientis: Qui amat periculum peribit in illo: sed negotiatores eo solum, quod negotia exercent, exponunt se periculo peccandi mortaliter: ergo ipsa negotiatio est illicita. Cõsequentia cũ maiori est nota, & minor probatur, ex Leone Papa dicente in capitu. qualitas. 5. dist. Difficile est inter ementes, & vendentes

1. arg.

2. arg.

Svmma Textvs.

Svppositо, ad negotiatores pertinere cõmutationibus rerum insistere; & quod duplex potest esse rerum commutatio, vna naturalis ad necessitatem vitæ ordinata; altera non naturalis, ordinata non ad vitæ necessitatem, sed ad lucrum quærendum; respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio. Commutatio rerum pro rebus, vel pro pecunia, ad necessitatem vitæ ordinata, est laudabilis. Hanc conclusionem non probat D. Thom. sed illam, vt notam relinquit. Dicit tamen, quod huiusmodi rerum commutatio non pertinet propriè ad negotiatores, sed magis ad œconomicos, vel politicos, quorum est vel domui, vel ciuitati de rebus necessarijs ad vitam prouidere. Secunda conclusio: Commutatio rerum pro rebus, vel pro pecunia, ordinata ad lucrum, quæ propriè pertinet ad negotiationem, licet præ se quandam turpitudinem, & sic laudabilis non est. Probatur: Huiusmodi commutatio, quantum est de se, defecit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum crescit: ergo habet speciem mali. Tertia conclusio: Negotiatio potest honestari ex hoc, quod eius lucrum in bonum finem ordinetur. Probatur: Lucrum, quod est negotiationis finis, quamuis in sua ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium: ergo poterit ordinari in aliquem finem necessarium, vel honestũ; qualis est vel sustentare domum, vel subuenire indigentibus, vel publicæ necessitati succurrere: atque adeò erit tunc negotiatio honesta, & laudabilis.

Explicatio Articvli.

In isto articulo multa dicturi sumus de negotiatione. Et, vt recto ordine procedamus, aduertẽdum est primò, Quod negotiũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

vendentes nõ interuenire peccatum. Et beatus Gregorius in cap. falsas. eadem distinctione dicit: Ad veram pœnitentiam peruenire non potest, qui negotia non relinquit. Et in concilio Auteliano damnantur qui ad seculatia negotia post actam pœnitentiam redeunt. *3. Argu.* ¶ Tertio argumentor: Emptio atque venditio ob id ostenta sunt necessaria, vt omnes abundent, venditisque illis, quibus quisque affluit, emat illa, quæ sibi deficiũt; & sic emptio venditionis est finis: sed negotiatio est cõtra huius emptionis naturam: negotiator enim non vendit, vt emat quod sibi deficit; sed peruertere emit, vt reuendat: propterea que Arist. libro 1. Polit. cap. 6. dicebat, emptionem rerum quæ necessariæ sunt ad vitã, venditionemque contractus esse naturales: emptiones autem negotiatorias appellat cõtra naturam, vtpote cuius finis non est vitæ sufficientia, sed lucrum: ergo negotiatio ex se contra naturam hominis est, & illicita. Et confirmatur: Ars illa, quæ non habet præfinitum, taxatumque finem, nõ est licita, vt dicit idem Aristoteles loco citato: sed ars nummularia, & quæstuaria, qualis est negotiatorum, nullum sibi finis modum præscribit; sed lucrum lucro semper aceruare intendit ergo est illicita. *Vltimum argu.* ¶ Vltimò: Actiones humanæ ex ijs, quæ vt in plurimum contingunt iudicandæ sunt: sed negotiationes, vt in plurimum fraudibus, technis, & dolis plenæ sunt: ergo ex genere suo prauæ iudicandæ sunt, atque tollendæ.

De negotiatione possumus loqui dupliciter. ¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quod de negotiatione propter lucrum possumus loqui dupliciter. Vno modo communiter secundum generalem rationem negotiationis. Aliò modo in particulari, de hoc vel illo genere negotiandi, cum omnibus suis circunstantiis. Et quidem, si loquamur isto secundo modo, certum est nullam negotiationem posse dari indifferentem; sed omnis necessariò determinata esse debet, vel in bono, vel in malo: sicut & omnes actus humani in singulari boni vel mali sunt, vt docet D. Tho. 1. 2. quæstio. 18. arti. 9. Loquentes autem de negotiatione primo modo; talem statuo conclusionem, quæ *1. Concl.* sit prima in ordine: Negotiatio secundum suam intrinsecam rationem nec est bona, vt charitas, nec mala, vt mendacium; sed indifferens, vt comedere, ambulare, quæ secundum finis aliarumque circunstantiarum qualitatem possunt bene, & male fieri. Hæc conclusio est D. Augustini in libro Quæstionum veteris & noui testamenti; & refertur in capitulo. fornicari. 88. distinct. dicentis. Fornicari, semper non licet; negotiari aliquando licet, & aliquando non. Antequam fias clericus licet; facto clerico non licet. Quare ibidem excusat mercatores, & negotiatores etiam lucrum ex negotio quærentes; quia laboris sui mercedem, qua digni sunt quærũt, iuxta illud Christi: Dignus est mercenarius mercede sua. Cui & consonat beatus Clemens in quadam sua epistola dicens: Negotia mundana & secularia opera, sibi inuicem exhibeant vacantes laici, qui ecclesiasticis non deseruiunt.

¶ Secunda conclusio: Si negotiationis finem per se consideres, qui non est, nisi lucrari; quandam speciem turpitudinis præ se fert. Hæc conclusio est D. Thomæ in isto articulo, quam etiam sequuntur cõmuniter omnes Doctores. Et ratio illius est: Nam lucrari, vt sic, nihil necessarium, honestumve nominat. Idem etiam conuincit tertium argumentum nostrum cum sua confirmatione, ex Aristotele desumpta. Ex hoc infertur, quod si quis nullo alio sibi proposito fine, quam lucrari, negotiationem exerceat procul dubiò peccabit. Sed est aduertendũ, quod negotiatio dupliciter potest referri ad lucrũ, tanquam ad vltimum finem. Vno modo tanquam ad finem ipsius negotiationis; & non tanquam ad finem vltimum ipsius negotiantis: Et qui hoc modo negotiatur non peccat mortaliter; sed tantum venialiter peccato auaritiæ, vt autor est D. Thomas infra quæst. 118. articulo 4. Alio modo tanquam ad finem vltimum ipsius negotiantis: ità, scilicet, vt negotiator actualiter, vel virtualiter suum vltimum finem in lucro constituat. Quod continget, & manifestabitur esse, quando negotiator propter lucrum, præceptum aliquod fuerit transgressus. Et hoc modo negotiari propter lucrum est peccatum mortale. Et si quis contra prædictam distinctionẽ obiiciat D. Thomam 1. 2. quæstione 1. articulo 6. dicentem, omnes actus humanos referri ab operante in vltimum finem ipsius agentis, atque adeò fieri non posse, vt negotiatio referatur in lucrum, tanquam in finem vltimum ipsius negotiationis, & non tanquam in finem ipsius negotiantis; respondeo D. Thomam in illo loco sufficienter explicari de relatione, saltem habituali in vltimum finem ipsius agentis. Non enim est necessariũ, vt omnes actiones humanæ referantur in vltimum finem agentis actualiter, vel virtualiter, sed satis est quod referantur habitualiter. Estque hoc adeo verum, vt etiam peccata venialia existentis in gratia referantur habitualiter in ipsum Deum, tanquam in finem vltimum agentis, vt docet idem D. Thom.

2. Concl. *Obiectio.* *Responsio.*

D. Thom. 1. 2. quæstione 88. articulo primo, ad tertium argumentum. Et est dicere, quod quia ipse operans per gratiam est habitualiter relatus in Deum, à qua relatione habituali per gratiam non auertunt peccata venialia; ideircò etiam ipsa peccata venialia habitualiter referri dicuntur in Deum, tanquam in finem vltimum agentis. Sicut vice versa, quia existens in peccato mortali est auersus à Deo, & conuersus ad seipsum, tanquam ad vltimum finẽ, quando facit aliqua opera bona moralia, vt dare eleemosynam, nulla mala circunstantia finis actualis appositus, opus istud referri dicitur solum habitualiter ad creaturam, tanquam ad vltimum finem, & non virtualiter, aut actualiter. Sed est maximè obseruandũ, quòd hæc habitualis relatio operũ in finem, nec est sufficiens facere de bono opere malum, nec de malo bonũ. Nam peccata venialia hominis iusti non sunt bona, quantumuis habitualiter referatur in Deum. Nec etiam eleemosyna recitè facta ab existenti in peccato mortali est mala, quantumuis habitualiter referatur in creaturam. Sed requiritur ad hoc actualis, vel virtualis relatio; hoc est, relatio facta in se formaliter, vel in virtute alicuius actus præcedentis, vt diximus lacè in. 1. tom. q. 10. art. 4. Quando ergo dicimus in præsenti aliquam negotiatione fieri propter lucrũ, tanquam propter vltimum finẽ ipsius actionis, & non operantis, solum loquimur de vltimo fine operantis, in quem, vel actualiter, vel virtualiter, ipsa negotiatio referatur. Nã habitualiter nulla dari potest, quæ in finẽ operantis non referatur. Dicitur autem lucrum vltimus finis actionis, quoniam in ipso negotiatio secundum se sistit, sicut gula dicitur habere pro vltimo fine actionis delectationem cibi, in qua sistit; quamuis non sit iste vltimus finis comedentis.

3. Concluſ. Tertia cõclusio: Negotiatio, qua merces carius venduntur, quam sunt emptæ, ex se licita est, & reipublicæ necessaria. Et quidem quod sit licita probatur hac ratione: Si negotiatio esset illicita; hoc esset, vel ratione sui, vel ratione lucri, quod in illa negotiatores intendunt, vel ratione mendaciorũ, periuriorum, fraudum, & aliorum peccatorum, quæ illic solent commisceri. Non primum: quia vt ex dictis cõstat, illa potest iustè exerceri, si inter pretium, & mercem debita æqualitas seruetur. Nec secundum, quia licitè potest quisque lucrum intendere pro eo quod suis laboribus, & expensis, ac periculis ad communitatis seu aliorum vtilitatem agit. Nec tertium, quia vitia illa, vt Augustinus dicit, vitia sunt negotiantis non negotij. Negotium, inquit Augustinus, non facit me malum, sed mea iniquitas. Alioqui similiter essent damnandæ omnes artes mechanicæ, cùm in earum exercitio soleant similia peccata commisceri. cap. quoniam. 88. distinctio. ergo negotiatio ex se licita est. Et confirmatur: Ex quo mercatores reipublicæ deseruiunt, si respublica vellet eos conducere, obligareque, vt suis laboribus, expensis, & periculis merces aliunde afferrent, & pro ciuibus indigentibus easdem conseruarent, non dubium quin deberet illis suum iustum stipendium conferre; quod & ipsi similiter iustè recipere possent: ergo cum respublica tale eis stipendium de rebus publicis non assignauerit, fit, vt iustè ipsi illud, quod pro suis ministerijs merentur, ab illis, quibus ministrant, & seruiunt, recipiant, iustum suis meritis & rationabile pretium assignantes: ex quo lucrum reportent. Quod autem negotiatio sit reipublicæ necessaria probatur. Nulla prouincia rebus omnibus, quibus indiget abundat; nec vnusquisque facultates habet, quibas aliunde de omnibus necessarijs sibi & suis prouidere possit: ergo est necessarium, quosdam esse aliquos his rebus operam impendentes, ex suisque laboribus lucrum reportantes, quo viuere possint, quod est negotiari atque ex consequenti negotiatio est reipublicæ necessaria. Tolle humana commercia; & tunc necesse erit homines aliena rapere, vt sustentari possint, aut certè fame, nuditate, aut alias miserabiliter quam plures perire. Diuus Augustinus affirmat. Et si quis quæret: Nunquid prudentius esset, rempublicam suos ministros conducere, qui his ministerijs intenderent, negotiatoribus omnino è medio sublatis: dico reuera esse impossibile, quòd respublica tam multis meretmonijs sufficeret, ista via. Et sic consuitius fecit, hanc artem inter alias permittendo, eamque fouendo.

¶ Quarta conclusio: Negotiatio, quam ex se licitam esse diximus, ex multis circunstantijs, illicita reddi potest. Primò, ex parte rei, quæ venditur. Secundo ex parte vendentis, seu negotiantis. Tertio ex parte eius, cui res venditur. Quarto ex parte loci. Quinto ex parte temporis. Sexto ex parte modi. Septimo ex parte finis. Et tandem ex pluribus alijs causis, & circunstantijs: de quibus suo ordine erit inquirendum: & particularia dubia proponenda. Nec loquimur in præsenti de illis circunstantijs, quæ non peculiariter negotiationes vitiant, sed in omnes communiter artes inserpunt.

4. Concl.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quales sunt mendacia, fraudes, periuria. Sed tantum de illis, quæ sunt veluti propriæ mercatorum, ex quibusque frequentissimè negotiationem vitiari contingit. Nam, quamuis, quia mercatura nescio, quo suo genio, præ cæteris artibus, & officijs inextinguibilem lucri sitim generat, agricolæ enim, atque opifices suis officijs victũ quærentes contenti sunt; cum tamen mercatores, tum, quia pecuniam præ manibus semper habent; tum etiam, quia hæc ars plurimum fortunæ euentibus est subiecta, auidissime semper lucrum quæritent, in hoc mirum aleatoribus simillimi; ex quo fit, vt mendacia nutriat, & dolos nectat plurimos: non tamen de his circunstantijs negotiationem violantibus, sed de illis tantum proprioribus agere est in animo.

1. *Negotiatio vitiari potest ex parte rei venditæ.*

¶ Primò ergo vitiatur negotiatio ex parte rei, quæ venditur, quando talis est, quæ vendi sine peccato non potest. Quod fit dupliciter. Scilicet, vel, quia res ipsa venalis non est, vt ordo, sacramentum, beneficium ecclesiasticum, & quoduis aliud spirituale: quorum venditionem constat esse simoniam. Vel, quia eius venditio per leges humanas prohibita est. Sùt enim quam plurima, quæ legibus vendi prohibentur, vt ex toto titulo, quæ res vendi non possunt. Et quæ emere, vel vendere vetantur, in Codice, est videre. Sed est non leuis difficultas, vtrùm negotiatio in venditione illarum rerum, quibus emptores malè, & ad malum finem vti consueuerunt, quales sunt ornamenta, quibus homines ad lasciuiam prouocantur, taxilli, chartæ, & alia instrumenta lusoria, sit licita. Nauarro in Manual. cap. 23. numero. 90. partem tenet negatiuam, dicés esse peccatum mortale vendere has res illis, de quibus probabiliter creditur, quòd abutentur eis. Imò, qui indifferenter vendit illas, inquit, quibuscunque volentibus peccatum mortale committit. Quod etiam affirmat Medina. C. de restitutio. quæst. 31. §. primo igitur. Et ratio illorum est; Quia qui talia vendunt, ad ementium peccata cooperantur, instrumenta iniquitatis illis ministrando; quod sine peccato mortali fieri nõ potest. Si ementes, inquit Medina, sint personæ honestæ, de quibus venditor iustè præsumere non potest, quod res illas velint ad eis abutendum; tunc etiam si postmodum accidat eos rebus illis abuti, non peccat vẽditor illas vendens. Propter hoc enim dicebat Diuus Augustinus ad Publicolam: Absit, vt quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus, si aliquod per hoc præter nostram voluntatem cuipiam malum accesserit, nobis imputetur. Cæterùm, qui præfatas res indistinctè vendunt, nihil, scilicet, inter ementes distinguendo, peccant. Nec tales sunt absoluendi, nisi vel officia deponant, vel debita solicitudine qualitatem ementis considerent. Hæc Medina: Contra quem, & contra Nauarrum talem statuo conclusionem: Quando merces ex se sunt indifferentes ad bonum, & ad malum, licitè potest venditor illas vendere; etiam si verosimiliter credat, emptorem illis abutendum. Imò etiam si certò sciat, quòd emptor abutetur illis, poterit nihilominus sæpènumerò eas vendere absque peccato. Prima pars huius conclusionis probatur: Inquirere mores alienos, & discernere inter ementes, ad bonum vsum, & ementes ad malum, non est officium venditoris, sed magis curiositas perniciosa in republica: ergo id facere non tenetur venditor. Et confirmatur: Nam alias sequeretur pari ratione esse condemnandos sartores vestes curiosas facientes; quibus probabiliter credunt eis malè vsuros; & similiter illos, qui indiscriminatim vendunt cibos communes, quibus probabiliter creditur, & experientia constat, quòd multi vtuntur malè, vel ad gulam, vel ad luxuriam. Consequens autem est absurdum: ergo. Secunda pars, quæ maiorem habet difficultatem, scilicet; quòd etiam si certò sciat venditor, emptorem male vsurum mercibus, potest nihilominus sæpènumerò eas vendere, absque peccato, probatur similiter hac ratione: Venditor non tenetur impedire peccatum alienum, per hoc, quod non vendat illi rem venalem, quam paratus est vendere: ergo, si secus faciat nullum peccatum committit. Consequentia est nota, & antecedẽs probatur. Vendens rem, quam paratus est vendere, ei, qui ea est abusurus, nec directè, nec indirectè consentit peccato illius. Et quidem, quòd directè non cõsentiat est res manifesta; quia talis directè nõ intendit nisi vendere suas merces, vel vtilitatem acquirere. Quod autem nec etiam consentiat indirectè, probatur: Quia tunc aliquis consentit indirectè in aliquam malam operationẽ, quãdo tenetur illã impedire; & nõ impedit: sed venditor tũc nõ tenetur impedire malã operationẽ emptoris, nisi ex præcepto correctionis fraternæ per media ordinata ad correctionẽ, & cũ spe emendationis illius: non vendere autẽ proprias merces alicui, nõ est medium per se ordinatũ ad correctionẽ fraternã: ergo ad illud nõ tenetur. Et cõfirmatur: Nullus tenet ad correctionẽ proximi suã cõmodũ tẽporale omittere, quando frater peccat ex malitia: ergo nec venditor tenebitur suum lucrum omittere, vt proximum ab executione peccati impediat. Præterea: Licitum est locare domum meretricibus, etiam si locans sit certus, quòd illa malè utentur: & similiter est licitum vendere Iudæis agnum, etiam si venditor sciat, ipsos velle illum ad impia sacrificia, vt diximus in primo tomo, quæstione. 10. articulo quarto: ergo pari ratione erit licitum vnicuique vendere suas merces, non obstante, quòd sciat emptores illis male vsuros. Vltimò: Contractus emptionis, & venditionis, quantum ad bonitatem, & malitiam extrinsecam, quæ non consideratur ex parte pretij, aut rei venalis, iudicandus est per ordinem & comparationem ad commodũ, vel incommodum reipublicæ: ergo saltem quando malus vsus rei venalis non fuerit contra commodum reipublicæ, sed magis ab illa permissus, non erit iniqua venditio rei indifferentis.

Sententia Nauarri, de vendentibus res quibus alij male vti cõsueuerunt.

Sententia Autoris.

Argum.

¶ Et si quis contra hoc argumentetur; Nõ est licitum vendere arma tempore iniusti belli militibus paratis ad bellandum; nec etiam est licitum vendere gladium homini parato occidere proximum; nec denique est licitum deponere pecunias apud vsurariũ, de quo probabiliter creditur, quòd dabit illas ad vsuras, vt communiter dicunt Doctores: ergo pari ratione nec etiam erit licitum vendere alias res, quando certò constat emptores illis male vsuros; respondeo, nos in conclusione non dixisse, vniuersaliter, semper esse licitum venditori vendere res emptori parato illis male vti. Sed quod diximus est; sæpènumerò contingere, vt id licitè fiat. Est autem prima exceptio, quando malus vsus rei venditæ cedit in aliquam violentiam tertiæ personæ factam: Quod inuenitur in primo & secundo casu expositis in argumento. In quibus quidem venditor, tum ex charitate, non offendere rempublicam, tum etiam ex iustitia, non operari ad iniuriam faciendam alteri, tenetur. Atque adeò si vendiderit, tunc arma offensiua ad restitutionem damni inde subsequuti, obligabitur. Ad aliud, de depositione pecuniæ apud vsurarium nonnulli dicunt, esse eandem rationem ac de vendente gladium ad occidendum, cum etiam sit quasi quædam collatio instrumenti ad inferendam iniuriam tertiæ personæ, illi, scilicet, à quo vsurarius iniustè vsuras est accepturus. Cæterùm mihi videtur non esse eandem rationem vtriusque casus. Nam, quoniam vsurarius nullam mutuatario infert violentiam, vt pecunias ad vsuras accipiat, sed ipse mutuatarius propter suum commodum vult illud damnum soluendi vsuras, voluntariè patitur; idcirco depositor non tenetur illum defendere, suis pecunijs, apud depositarium paratum ex mutuo vsuras accipere, non deponendo. Supponimus enim in præsenti, depositorem, nec persuadere alteri, nec esse vsurarius: nec etiam illum scandalizare occasione depositi, vt moueatur ad peccatum vsuræ. Et sic dico, licitum esse cuique deponere pecunias apud talem vsurarium, paratum lucrum ex mutuo accipere. Nec obstat, quòd ille iniuriam inferat proximo, vsuram ab illo accipiendo; cùm in tali iniuria proximus non patiatur violentiam. Quin potiùs qui vsurarium impediret, nec tunc sub lucro mutuaret, iniuriam faceret mutuatario, quasi impediens maius ipsius commodum. Et si quis adhuc instet: Non est licitum vendere gladium, imò nec depositum reddere volenti seipsum occidere, quamuis nulla ei violentia inferatur: ergo etiam si proximus non patiatur violentiam in damno, quod ei infertur, adhuc tenebit illud impedire. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est; Nam qui se ipsum occidit, cum non sit dominus suæ vitæ, sed Deus sit specialis illius dominus, & respublica specialis custos, non solum Deo, sed etiam reipublicæ iniuriam infert, vt diximus supra quæstione sexagesima quarta, articulo quinto. Atque adeò quisque tenetur illo, quoquomodo potuerit impedire. Præterquam, quòd seipsum occidens, nullum aliud maius commodum potest ex illa sua occisione reportare, sicut ille, qui pecunias motuò accipit sub vsura. Possumus facere aliam exceptionem illius secundæ partis nostræ conclusionis. Videlicet, quando abusus emptoris probabiliter creditur, quòd cedet in scandalum alicuius innocentis, atque puellæ: quæ tunc venditor rei peccabit contra charitatem illam vendens. Et si dico, quòd si meretrix peteret à vendente aliquem ferrum, aptum ad scandalizandum iuuenem innocentem, peccabit venditor talem ensem vendens. Non, quia cooperatur peccato meretricis, sed quia non impedit peccatum proximi in occasione, ad quod ex charitate tenetur. Et per hæc patet solutio ad fundamentum Nauarri, cuius Medina.

Solutio.

2. *Potest vitiari negotiatio ex parte ipsius negotiatoris.*

¶ Secundo, vitiari potest negotiatio ex parte ipsius negotiatoris. Vt si, verbi gratia, *negotiatio ex parte rei* iudex, cui negotiari prohibitum est, vt *venditæ.* constat ex capite fornicari. 88. distinct. Vbi Diuus Augustinus, inquit: negotiari aliquando

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet, aliquando non. Antequam clericus fias, licet, facto autem clerico non licet. Et Diuus Hieronymus ibidem: Clericum negotiatorem ex paupere diuitem, ex ignobili nobilem factum, tanquam pestem fuge. Vnde Gelasius Papa in cap. consequens eadem distinctione sub pœna suspensionis iubet clericis, vt à negotiationibus abstineant. Sed, vt hoc perfectè intelligatur, aduertendum est, negotiationem esse triplicem. Vnam œconomicam, ad substentandum se, & familiam suam, prout necessitas postulauerit, factam. Et talis negotiatio non est clericis interdicta, dicente Paulo primo ad Timoth. quarto. Oportet episcopum suæ domui esse bene præpositum. Et. 1. ad Timoth. 5: Qui suorum curam non habet maximè domesticorum crudelis est, & infideli deterior. Ex quo fit, vt clericis ea emere, quæ domui suæ sunt necessaria, concedatur, & similiter, quæ de redditibus, aut alijs bonis, eisdem superfunt, vendere, vt necessaria emant. Altera negotiatio est politica, cuius finis est, publicis populi necessitatibus succurrere. Et hæc gubernatoribus ciuitatum conuenit, non clericis, qui à secularibus negotijs debent esse valde remoti, iuxta illud Pauli. 2. ad Timot. cap. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Quare in Decreto distinctione octogesima octaua, tam episcopus, quam sacerdos, vel diaconus, vel subdiaconus, seculares curas assumens decernitur deijciendus. Tertia negotiatio est lucratiua, qua quis aliquid emit, vt illud postea carius vendat. Quæ adhuc potest fieri dupliciter. Vno modo, rem, quam quis emit, aliquo artificio suæ industriæ mutando, & meliorando, vt sic postea mutata, & meliorata carius vendatur. Et hæc non tam negotiatio, quam artificium dicitur. Quod clericis non interdicitur, sed permittitur. Quare licitè illud exercent, vt constat ex capit. clerici. de vita, & honestate clericorum, & ex capit. clericus. 91. distinctione, & ex capit. nunquam. de consecratio. distinctione quinta. Quibus, & multis alijs capitibus clericis conceditur, vt de suo artificio honestè, sibi, & suis pauperibus victum, & cætera necessaria quærere possint. Ad exemplum Pauli, qui cum Christi Apostolus esset, & Episcopus, artem scenofactoriam cum Prisca, & Aquila exercuisse legitur Actor. capit. 18. Alio modo potest fieri negotiatio lucratoria, absque aliquo artificio apposito, & rei melioratione secluſa. Et hæc est, quæ propriè dicitur negotiatio. Et eque clericis interdicta, vt constat ex D. Chrysostomo super Matthæum capit. 21. dicente: Qui rem comparat, non vt integram, & immutatam vendat, sed, vt materia sit sibi aliquid comparandi, ille non est negotiator. Qui verò rem comparat, vt integram & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejcitur. De hacre videndus est Syluester, verbo, clericus. 3. quæstione. 2.

Quæ negotiationes clericis interdicitur

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm negotiationes, quas clerici per se ipsos facere non possunt, possint illas exercere per alios, supposito, quòd alioqui in se sint licitæ. Verbi gratia: Habet clericus pecunias naturæ, & statui superfluas, aut etiam necessarias, quæro an possit illas factori consanguineo, aut famulo tradere, vt eis negotietur, ipsique clerico aliquid lucretur? Ad quod breuiter respondeo, conclusione affirmatiua. Quæ probatur primò: Quia in iure non est clericis negotiatio interdicta, nisi personalis, quam, scilicet, ipsi per se ipsos exercent, vt constat ex Clement. 1. de vita & honestate clericorum. Vbi prohibentur, ne officium tabernarij, aut macellarij personaliter faciant. Nec absque causa dicitur, personaliter, nempe, vt intelligamus id cleri cis per alios facere non prohiberi. Et ratione sic argumentor. Nulla ex causis, propter quas clerici negotiari interdicuntur obstat, quominus id per alios exercere valeant: ergo licitè id facere possunt. Consequentia est nota, & antecedens probatur, discurrendo per tria, propter quæ præcipuè clericis negotiatio prohibetur. Primum est: Quia negotiationis finis est lucrū temporale, quod clerici contemnere debent, habentesq; alimenta, & quibus tegantur contenti esse, iuxta consilium Pauli. 1. ad Timot. 6. Propterhocq; Dominus cum terram promissionis inter filios Israel diuideret, sacerdotibus, & Leuitis nullam terram, nec possessionem assignauit, sed de decimis, & primitijs, per laicos offerendis eos viuere voluit. Secundū est: Quia rarò huiusmodi negotiationes sine peccato fiunt, & sic sunt valde periculosæ: iuxta illud Ecclesiast. 27. Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt. Difficile exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum. Dicitque hoc Sapiens, quia negotiatores, vt plurimum spiritualis suæ salutis sunt negligentes, mendaciaque, & periuria sæpè sæpius suis negotiationibus intermiscent. Et Leo Papa ait: Difficile est inter ementes, & vendentes nō interuenire peccatō. Tertiū est: Quia huiusmodi negotia retrahūt homines à rebus spiritualibus, quibus incumbere

An clerici per alios possint negotiationes exercere.

cumbere est proprium munus, & officium clericorum, iuxta illud Pauli: Nemo militans Deo implicat se secularibus negotijs. Indeque clerici nominati sunt, quod vocabulum, sortem significat: quasi sint in sortem Domini electi. capit. duo sunt. 12. quæstione. 1. Quod autem nihil horum obstet, quominus clerici per alios exercere negotia valeant, probatur. Et primò, quòd id quod dicitur de lucro non impediat, est res manifesta. Nam quamuis non omne lucrum possint clerici appetere, si turpe illud sit, & illicitum; multa tamen lucra licita, & honesta possunt prætendere, illa in bonum finem ordinando. Et si ratio illa aliquid valeret nullum lucrum, quantumuis honestum per se, aut per alios possent procurare, quod in præsenti supponitur falsum. Nec etiam obstat secundum, quod de peccatis, quæ negotiationes comitari solent, dicitur: Nam quamuis peccata per negotiatores ipsis negotijs commisceatur, non ideò clericis illa debent imputari, si non ipsi, sed alij loco eorum negotiationes exercent. Tandem non obstat tertium. Siquidem ex quo clericus per se negotia non facit, liber omnino manet, vt officium ecclesiasticum sibi iniunctum completè possit adimplere. Relinquitur ergo ex supradictis, posse clericos licitè eas negotiationes, quas per se ipsos facere non possunt, per alios exercere, modo ipsæ in se licitæ sint. De pœna autem, qua clerici propriè per se ipsos negotiantes puniātur, vide Syluestrum, verbo, clericus. 3. quæstione. 3.

3. Redditur negotiatio illicita ex parte ementis.

¶ Tertio potest reddi illicita negotiatio ex parte ementis. Vt si quis vendat res alioqui venales, illis personis, quibus eas vendere sine peccato non potest. Quod contingit Christianis Saracenis vendentibus arma, ferrum, galeas, naues, lignamina pro nauibus, vel galeis ædificandis, equos, victualia, aut etiam quæcunque mercimonia, vt patet extra de Iudæis, & Saracenis, & ex Extrauaganti Nicolai 1111. quæ incipit: Olim tam in generali, & ex alia Clementina, quæ incipit: Multa, & ex Bulla Cœnæ Domini. Similiter vendere vasa sacra in propria forma laicis, est illicitum. Quamuis fracta, aut forma mutata ea vendere illis, nullum sit peccatum. Item res pupilli tutori vendi non possunt. Et tandem redditur negotiatio illicita, si res excommunicatis, cum quibus communicare non est licitum, vendantur, exceptis casibus, quæ communiter excipiuntur. Et referuntur à D. Thom. in additio. ad 3. part. quæstione. 23. articulo primo.

4. Vitiatur negotiatio ex parte loci.

¶ Quarto potest vitiari negotiatio, seu venditio, ex parte loci. Vt si in loco sacro, puta in ecclesia, seu cœmeterio profanæ negotiationes fiant. Hac enim de causa Matthæi. 21. eiecit Christus è templo ementes, & vendentes. Et quòd non ideò illos eiecerit, quia cum mendacijs, & periurijs ea in templo exercerent, vt aliqui dicunt, colligitur manifestè, ex verbis, quæ Christus statim tanquam causam subiunxit. Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum. Quasi diceret: Ideò vos è templo ejcio, quia cum scriptum sit in Esaia Propheta, loquente per eum Domino; Domus mea vocabitur, & erit domus orationis, in qua adorationi, deprecationi, & gratiarum actioni vacare debet homines, non autem mechanicis, aut lucratiuis negotijs intendere, vos, quantum est ex vobis, lucris in ea temporalibus intendentes, miscentesque tumultus tranquillitati, & silentio, orationi necessarijs, prorsus contrarios, & haud dissimiles illis, quos latrones lucris temporalibus, & diuisioni prædarum intenti, in suis speluncis facere solent; fecistis illam speluncam latronum. Sicque videtur Christus in hac ratione solum habuisse respectum ad locum, qui Deo erat sacratus, & ex quo ipsa negotiatio tunc illicita reddebatur. Idem etiā habetur in cap. decet domum. de Immunitate ecclesiarum, libro sexto. Vbi cessare negotiationes in ecclesijs, & earum cœmeterijs, & præcipuè nundinarum, ac fori cuiuscunque tumultus præcipiuntur. Sed cum dupliciter possit fieri negotiatio in loco sacro; vno modo ipsas res, quæ venduntur, & emuntur in eodem loco tenendo: alio modo solum verbis, aut scriptis contrahendo, & conueniendo; & ipsas res alibi tenendo; meritò poterit quis dubitare, quæ ex his negotiatio sit illa, quæ fieri in ecclesia interdicitur? Conradus de contractibus, quæstione. 57. affirmat, solùm esse intelligendum, de prima negotiatione. Pro quo etiam facere videtur, quòd illi, quos Christus de templo eiecit, in eo habebant, quæ vendebant. Mihi tamen dicendum videtur, quòd etiam si in ecclesia res, quæ venduntur, non teneantur, adhuc negotiationes ibidem factæ, culpa non vacant. Tum, quia negotiatio non rei detentionem, sed rei conuentionem, & contractum significat. Et certum est, simpliciter in iure prohiberi negotiationes. Tum etiam, quia sacer locus

Dupliciter potest fieri negotiatio in loco sacro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non per rem illic positam, sed per negotiationes, quibus mendacia, & peccata admisceri consueuerunt prophanatur. Ex quo infero solam circunstantiam loci, esse sufficientem in negotiatione inducere culpam; cum bonum consurgat ex integra causa, & malum ex singularium defectu. Sed ista circunstantia loci, sicut & circunstantia temporis, de qua statim dicemus, nisi ratione scandali, vel quia in Ecclesia impeditur diuinum officium, nunquam constituunt peccatum mortale, vt docet Soto libr. 6. de iustitia, quæst. 2. art. 2.

5. Redditur negotiatio illicita ex parte temporis.

¶ Quinto redditur negotiatio illicita ex parte temporis. Vt si mercatores negotientur in diebus festiuis. De quibus Exod. 20. dicitur: Omne opus seruile non facietis in eo, sit extra de feriis: Idem iubetur obseruandum, non solum in diebus Dominicis, qui sabbathis successerunt; sed etiam in quibusdam aliis diebus festiuis ab ecclesia institutis. Quod est intelligendum, dummodo lex de festiuitate aliqua obseruanda, vel per contrariam legem, vel per consuetudinem non sit abrogata. Siue abrogatio facta fuerit quatum ad hoc solum, quòd est opera seruilia in tali festiuitate non fatere, siue etiam, quatum ad hoc, quod est in illa rem diuinam audire: quorum alterum ab altero constat esse diuersum. Et hinc, vt inquit Paludanus in 4. licitum est in nundinis auditis diuinis, negotiari, siue dominica sit dies, siue alia festiuitas. Et quòd hæc consuetudo sufficiat huiusmodi festiuitatibus derogare, seu eas tollere, constat; quia non sunt nisi humano iure introductæ, & ius humanum per consuetudinem oppositam abrogari potest, vt habetur in Decreto distinctio. 4. In eo enim, quòd est consuetudo tolerata, rationabiliter præsumitur, pontifices eam scire, & in eadem consentire. Habet etiam hoc, quod dicimus de non negotiando in diebus festiuis, aliam limitationem, vltra consuetudinem, scilicet, nisi necessitas publica, vel priuata oppositum postulauerit. Ex quo sit, vt qui victualia in festiuis diebus, etiam ante diuinorum auditionem vendunt, excusentur. Et similiter pharmacopolæ medicinas vendentes, aliaque multa opera seruilia in festis facientes ob necessitatem. Et eadem est ratio de illis, qui vel ob pietatem, vel ob notabilem suam, vel aliorum vtilitatem secus faciunt, maximè si contemptus absit, nec id principaliter propter lucrum fiat.

6. Redditur negotiatio illicita ex modo.

¶ Sextò redditur illicita negotiatio ex modo. Idque multis modis, etiam prætermissis mendacijs, periurijs, aliisque peccatis, quæ communiter à negotiatoribus commisceri solent; & subit, vt Diuus Augustinus affirmat potius vitia negotiantis, quam negotij. Quare in hac re explicanda multæ, & graues à nobis erunt proponendæ dubitationes. In quibus absoluendis, si plus solito immorati fuerimus; hoc vno immunes à culpa iudicabimur, si minus iusto pro rei grauitate dixisse intellexeritis. Quod certè ita esse facile percipietis, considerata materiæ vilitate, & difficultate. Nullam ad sanctissimæ Trinitatis mysterium, aut ad diuinæ prædestinationis arcanum pertinentem doctrinam hæc nostra disputatio continebit; sed eam, quæ ad iustitiam seruandam, & ius suum, in venditionibus vnicuique reddendum plurimum valeat. Estque hæc tanto illa difficilior, quanto facilius Trinitas per fidem ab homine Christiano, & pius, & quanto difficilius mercatorum fraudes, & negotiationes, non solum à religiosis, verum etiam à viris doctissimis, cognoscuntur. Faxit Deus Optimus Maximus, cuius opem humilis, & supplex imploro, vt suæ lucis radio illustratus, in tanta materiæ grauitate, & Doctorum diuersa sententium varietate; ea breuiter dicere, & explicare valeam, quæ rationi consona, & iustitiæ seruandæ apta videbuntur.

1. Difficultas, circa modum in negotiationibus obseruandum.

¶ Circa modum ergo in negotiationibus, vt licitè fiant, seruandum, est prima difficultas: Vtrum mercatorum conspirationes, quæ vulgò monopolia appellantur, & sunt, quando ipsi inter sese de non vendendis mercibus, nisi vel in certo tempore, vel pro certo pretio, conueniunt, sint licitæ? Ad cuius explicationem aduertendum est, quòd monopolia multipliciter fieri possunt. Primò quidem autoritate publica. Quod contingit, quando princeps præcipit, ne quis vendat aliquod genus mercium, præter Petrum, aut Ioannem. Et hunc modum vendendi, si fiat de rebus non multum necessarijs reipublicæ, quales sunt chartæ lusoriæ, vel si fiat de rebus necessarijs, cogente tamen necessitate, vel vtilitate reipublicæ, cui aliter, quam merces ad vnum, vel duos venditores reducendo, commodè prouideri non potest, licitum, atque iustum esse fatentur omnes Doctores, modò à principe, vel à republica talium mercium iustum pretium taxetur, ne illa fortè occasione venditores cives expoliandi habeant potestatem. Et hac ratione iustificantur priuilegia de chartis lusorijs, & de libris ab eorum tantum autoribus vendendis.

Monopolia multipliciter fieri possunt.

¶ Secundo

2. Modus monopolij.

¶ Secundo modo fit monopolium, quando negotiatores inter se conueniunt de nõ vendendis mercibus, nisi pro certo pretio suo arbitrio taxato: ex quo emptores ob rei necessitatem tale pretiũ pro illis dare compelluntur. Et hunc modum vendendi, quãdo ex illa pretium augeri, & caristiam induci contigerit, esse iniquum & contra iustitiam fatentur omnes. Et ratio huius est: Quia quando sunt plures venditores, non conspirati, facile rerum pretia minuuntur, cum quilibet affectet proprias merces vendere: quod in bonum communitatis redundare est manifestum. Dixi notanter, quando ex illo pretium augeri, & caristiam induci contigerit. Nam meo iudicio, nullum monopolium mercatorum, vt non nisi pro certo pretio vendant, est iniquum, si reuera tale iustum est pretium, & ne de suarum rerum valore aliquid amittant, conueniunt inter sese, vt non nisi pro illo pretio vendant. Et idem est dicendum de eo, qui in publica licitatione amicum, vel amicos rogant, ne plus certa quantitate dent; vt ipse rem pro iusto pretio, infimo tamen, vel medio in illo foro, habere possit. Et de illo, qui volens officium emere alios emptores rogat, ne plus dare velint, quid in vestigalium, & aliorum prouentuum emptione contingere solet. Cum hi caristiam inducere non dicantur, sed solum vti industria & diligentia, vt res sibi iusto pretio dantur, vel ipsi iusto pretio vendant, timentes, ne vel in vendendo vilitatem, vel in emendo augmentum magnum in pretio, subire cogantur. Et eadem est ratio de illis, qui non nisi, vt pro pretio currenti, rigido tamen, merces vendant, inter se conueniunt. Itaque illi tantum in hoc secundo genere iniustum monopolium contrahere erunt dicendi, qui fraude quadam, atque versutia inter se conuenerint, ne res vendant, vel emant iusto pretio, etiam infimo vel supremo, sed vt vendant vltra pretium iustum rigidum, & emant citra pretium iustum infimum. Hæc enim est aperta iniquitas, violentiaque reipublicæ facta, cum sit inductiua caristiæ, & nouorum pretiorum, quæ non, nisi ipsi sic inter se conuenirent, introducerentur. Quod sanè turpissimum, & pernicioſissimum genus expilandi ciues, eo erit iniquius, & sceleratius, quo merces in republica fuerint magis necessariæ, vt panis, vinum, carnes, oleum, &c. Tenentur autem talia facientes ex communi omnium Doctorum sententia excessum iusti pretij restituere. Quia, quanuis voluntariè ab ementibus dari videatur; illum tamen ideo dant, quia non aliter rem, quam pro pretio, quòd ipsi inter se statuunt, habere possunt; sicut de soluente vsuras dicere solemus. Et hinc fit, quòd huiusmodi monopolia tanquam perniciosa per leges fuerunt prohibita, vt pater. C. de monopolijs. vbi graues & diuersæ pœnæ contra monopolos institutæ inueniuntur, & ex. l. 2. tit. 7. part. 5.

3. Modus monopolij.

¶ Tertius modus faciendi monopolium est, quando quis ne merces ad ciuitatem confluant impedit, vt vel ipse cariùs vendat suas, vel illas sibi emat ad vendendum, vel alio fine. Et de hoc dicit Syluester. verbo, restitutio. 3. quæst. vltim. dict. 8. & verbo, emptio. quæst. 3. quòd peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, de illo pluri ijs, qui cariùs emerunt, & de damno illis, qui erant allaturi, quia iniustè impediuit, vtilitati publicæ atque communi priuatam & propriam anteponens. Hæc sententia, nisi sanè intelligatur, de illo, scilicet, qui vi, & fraude impedit, falsa proculdubio videtur, tam in eo, quòd dicit faciendam esse restitutionem, de damno illis, qui erant allaturi, quam in eo, quòd affirmat esse faciendam restitutionem, de illo pluri ijs, qui cariùs emerunt. Nam, cùm ille, qui absque vi, & fraude solis precibus, vel persuasionibus, facit eos, qui merces deferebant, abire, nullam illis faciat iniuriam, nec ipsi aliquod inuoluntarium patiantur, fieri non potest, vt qui tales preces fudit, aliquam eis teneatur facere restitutionem. Sicut nec ille, qui precibus, & persuasionibus auertit animum testatoris à legato, vel donatione faciendã; & sicut nec ille, qui in publico foro admonet vicinum, vel amicum volentem ascendere in pretio, ne ascendat. Nec etiam tenetur aliquid restituere, ijs, qui cariùs emerunt. Quia cùm ipsi, non haberent ius ad rem, nulla illis potuit fieri iniuria.

4. Modus monopolij.

¶ Quartus modus monopolij est, quando quis retinet proprias merces, vsque ad tempus, quo cariùs vendantur. Vel, si non expectat futurum tempus, illas tamen seruat, vt sit raritas; & dum pauciores apparent, pretium crescat. Quod facere solent qui multas merces deferentes earum dimidiam partem, vel domi, vel alibi abscondut. Et de his ego distinguendũ iudico. Aut enim in ciuitatem eas merces induxerunt, animo statim illas vendendi, aut eas apud se, vsque ad tempus magis conueniens, retinẽdi. Et quidem in hoc secundo casu, non puto tales mercatores peccare, licet pretium, quod non augeretur, si ipsi res suas scilicet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vinum vel triticum exposuissent, augeatur. Caestia enim illa ipsis non imputatur, cum ipsi non fuerint proxima illius causa: sed suâ prudentia vtentes tales merces conseruauerint. Quanuis si fames, & necessitas adeò cresceret, vt enormiter pretium augeretur, scilicet, in duplum, vel amplius non excusarem eos, ab iniustitia, & obligatione restituendi tantum excessum, cum arbitrio prudentum illud iniustum & excessiuum iudicetur. Eo vel maximè, quòd ex quo merces illæ sunt in ciuitate, vel regno, esto non fuerint expositæ vêditioni, habet respublica ius illis vtendi pro iusto pretio. Vocabitur autem iustum arbitrio prudentis viri, si non illud, quod antèa erat ratione defectus, ad minus illud, quod non ità valde fuerit excessiuum, & incongruens. Si verò mercatores merces detulerant animo illas statim vendendi, sicque venditioni fuerunt expositæ, vel ad mercatum deductæ: quicunque illas posteà absconderit, vt carius vendat, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur. Iam enim acquisiuit respublica ius ad illas res emendas pro pretio, quod iustum habebatur, habita ratione copiæ earum, & non pro maiori. Non nego, quòd ille, qui rem detulit animo vendendi, imò iam venalem exposuit, possit posteà non vendere. Sed quod affirmo est, quòd si vendiderit non potest maius pretium exigere, quâ si non abscondisset; quia caestiâ ipse iniuste induxit, remque iam præsentem, & animo vendendi expositam magis valere fecit ob necessitatem. Et sic meritò censetur violentiam respublicæ inferre. Vltimus modus monopolij est, quando vnus, vel plures mercatores, omnes, vel plures vnius generis merces emunt, vt sic rogati pretium augeant. Et hic planiorem habet rationem in iustitiæ; quia pretium ille solus efficit, qui merces congessit. Vendit quidem ille rem pro suo arbitratu: & cum miseri ciues illam aliunde habere non possint, tantum ei dant, quantum petere vult. Quod non fieret, si alij essent venditores. Quocirca Pius Quintus hunc modum tanquam manifestam cõtinentem iniustitiam, in sua Decretali de cambijs sub his verbis condemnat: Eos verò, qui conspirationem fecerunt, vel congestam vndique pecuniâ ad se redegerunt, vt quasi monopolium pecuniæ facere videantur, &c. Cæterùm, si ille, qui totâ mercium quantitatem emit, nec cum aliquo fraudulenter conuenit, nec animo pretium vltra iustum augendi, id fecit, sed suo periculo illas accipiens, nullam iniquitatem cõmittet. Quare publicè in republica hæc negotiatio permittitur. Nisi tantum in emptione tritici; qua cautũ est, vt nullus emat triticum, vt iterum vendat; Et vbi non est aliqua lex humana, quæ prohibeat emptionem rei ad reuendẽdum, siue in parua, siue in magna quantitate fiat, cuilibet mercatori erit licita. Et si quis quærat, quod nam sit futurum iustum pretium mercium in hoc casu, quando ille iterum eas vendat, respondeo, quòd si taxatio publicè non est facta, illud iustum pretium erit iudicandum, in quo emptores cum venditore conuenerint. Nec, moraliter loquendo, in tali casu est periculum, quòd pretium propter vnitatem venditoris plus nimio crescet. Nam, quanuis sit vnitas venditoris, est tamen multitudo mercium apud ipsum; ex quo fiet, vt properabit vendere, vel populo, vel alijs negotiatoribus. Si autem ex tali modo congerendi merces ad vnicum venditorem, communitati aliquod damnum sequeretur; tunc princeps vel reipublicæ minister teneretur negotiatorem cogere, vt venderet, & si oporteret pretium illi taxare; vt docet Mercado tractat. 1. de contract. capit. 14. Sylvester, verbo, emptio, quæstione. 5. Corduba in summa, quæstione. 119. §. y Iarazon. Quod dictum est de monopolijs mercatorum, est etiam vice versa intelligendum de monopolijs emptorum: si quando contigerint, ad extenuandum pretium. Vt, si in portu, cui nauis pretiosissima applicuit, illi qui emere possent, sibi mutuò promitterent, non emere, nisi tanti. Aut, si in subhastatione aliquis alios ne licitarentur auerteret, vt minoris ipse emeret. Tunc enim peccatum profectò esset; quod ante restitutionem non remittetur. Et hinc est, quòd ait Cicero libr. de Officijs. Non licitatorem venditor, nec qui contra scienter se emptor apponet. Verum est, quod si venditores monopolium facerent, possent tunc iustè emptores, quasi vim vi repellentes, contraria pariter prudentia vti, & conuenire inter se, vt nullus; nisi certo pretio emeret. Sed hæc rarò, aut ferè nunquam contingunt.

Pius V. dã nauit monopolia.

Monopolia emptorum illicita.

¶Circa eũdẽ modũ in negotiationibus seruandũ, vt licitè fiãt, est secunda difficultas, Vtrũ liceat merces cariùs vendere ctedita pecunia, quã numerata, & vtrũ ex tali nego tiationis modo restitutionis obligatio contrahatur. Hæc quæstio affinis est materiæ de vsuris: & de qua disputant iurisprudentes in capit. in ciuitate, & in cap. nauiganti. de vsuris. Summistæ, verbo, venditio, Medina. C. de restitutio. quæstio. 38. Soto lib. 6. de iustitia, quæst. 4. artic. 1. Corduba in

2. Difficult tas, circa modum ne gotiãdi de vendenti bus rem ere dita pecunia

in summa, q. 84. Qui duas de hac re opiniones refert. Vnam cuiusdã Raphaelis de Parnasio relati à Syluestro in summa, verb. vsura. 2. §. 1. Qui dicit, solis mercatoribus esse licitum ratione lucri cessantis, merces vendere cariùs credita pecunia, quam numerata.

1. argum. Et probatur primò: Mercatores ex huiusmodi dilatione damnum patiuntur: ergo licitum erit eis illud in pactum deducere. Cõsequentia est nota, & antecedẽs probatur. Si Petrus deberet mihi centũ, vel ratione mutui, vel ratione cuiuscunque alterius contractus liciti, mihique illa petenti diceret, vt denuò per annum illum expectarem, licitè ego possem ab eo accipere totum lucrũ, quod verisimiliter illis centum eram lucraturus per id tempus, vt ex communi Doctorum sententia, docet Nauarro in commentario de vsuris. num. 51. &. 52. sed sic est, quod quando mercator verè, & realiter merces suas vendit pro iusto pretio, pro illo, scilicet, quod numerata pecunia soluitur, tam habet ius, vt sibi tale pretium detur, estque sibi iã verè debitum: ergo si expectat per annũ pro illo ad instantiam emptoris, ratione talis expectationis, poterit recipere totum, quod illis pecunijs esset lucraturus, non secus ac ille, qui pro solutione expectat. Eò vel maximè, quod, vt ex mente D. Thomę docuimus articulo. 1. huius quæstionis licitum est semper venditori se indemnem seruare, etiã iusto pretio dãmnum adhibendo, quod patitur. §Secundò; In tali venditione virtualiter continentur duo contractus liciti reales, & non ficti: vnus est, quod venditor verè & realiter merces suas vẽdit, pro iusto pretio, tunc currenti: verbi gratia, centum, etiam si pecunia statim numeraretur, quã ipse mallet de præsenti accipere, quam pro illa expectare: alter, quod quia emptor, vel non potest, vel non vult pretium statim soluere, petit à venditore, vt solutionis dilationem patiatur per annum; & venditor dicit, se id libenter facturum, modo interesse, quod verosimiliter illis cẽtum statim acceptis erat lucraturus, per id tempus, sibi soluatur, quod est, verbi gratia, decem, & emptor dicit sibi hoc placere, appellaturque istè secundus contractus, Facio, vt des, vel, vt melius dicã, patior, vt des, & ille primus, Do vt des: ergo poterit venditor pro re valente centum numerata pecunia exigere centum & decẽ, expectata solutione, absque eo, quod iniustitiam faciat. Eritque hoc idem, ac pretium statim accipere, & pro mutuo deducere in pactum lucrum cessans, quod omnes dicũt esse licitum. Probo consequentiam: Nam de æquiualentibus idem est iudicium. Et si semel, & cum vno hoc est licitum, cum omnibus, & sæpe idem licebit propter eandem rationem. §Tertiò: Vnicuique est licitũ, merces suas vendere pro pretio, quod secundũ communem æstimationem iustum iudicatur, vt ex supra dictis patet: sed communis æstimatio omnium negotiatorum est, quod merces, quæ expectata solutione venduntur, plus valeant, quam quæ venduntur numerata pecunia: ergo qui ità contraxerit nullam iniustitiam committet. Et confirmatur: Vna ex iustis causis, propter quas secundum communem æstimationem mercis pretiũ crescit, est abundantia emptorũ; sed emptores quærentes merces expectata solutione sunt plures quã illi, qui eas emũt numerata pecunia: ergo etiam ex hac parte poterit licitè res pluris vendi, expectata solutione, quam pecunia numerata. §Quartò: Pecunia præsens pluris ab omnibus æstimatur, quam absens: Et est ratio: Quia quãdo absens est, toto illo tempore est inutilis, præsens verò est quasi in actu vtilis, vel certe in proxima potentia: ergo, vt contractus ex hac parte iustificetur, & sit æqualis poterit venditor maius pretium exigere ab eo, qui rem emit soluendam in futuro, quã ab eo, qui eã numerata pecunia accipit. Vltimò argumẽtor à simili: Vnicuiq; licet debita aliorum in futurum soluenda, pro minori pretio, numerata pecunia emere, quam ipsa in se, vel constant, vel sonant; vt si, verbi gratia, debet Petrus Ioanni centum soluenda post annum, licitum erit Paulo id debitum à Ioanne emere pro nonaginta numeratis de præsenti: ergo pari ratione etiã licebit rem, quæ modo valet nonaginta dare pro centum soluendis in futuro, quod est rem cariùs vẽdere expectata solutione. His simili ter argumentis proportionabiliter poterit quis contendere probare, licitum esse vilius emere rem anticipata pecunia, quam secundum se valeat, tempore, quo illius est faciendatraditio; cũ æqua sit vtriusq; ratio.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

4. argum.

Quæstio videtur facilis & coniuincibiles continent difficultates. Quod tinet ingẽrem difficultatem.

¶Hæc quæstio earum est, quæ primafacie cõsideratæ facilem videtur habere determinationem; intus autem aspectæ penè ideò dico; Quia si loquamur absolutè de eo, quod est vendere rem cariùs expectata solutione, quam secũdum se valeat, nullus est, qui dubitet huiusmodi contractum esse illicitum. Est enim dilatio solutionis, propriè loquendo, vt apud omnes Doctores est in confesso, nihil aliud, quam quoddam virtuale mutuum, quo, scilicet, venditor pecuniã pro re sua de manu emptoris acceptam, iterum illi mutuò dat, vsque ad tempus solu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis. Et eadem est ratio de anticipante solutionem; qui eodem modo se habet, ac si pecuniam venditori mutuò daret, vsque ad tẽpus, quo merx est tradenda. Ex quo manifestè infertur, vel ratione dilationis, vel anticipationis solutionis, præcisè, iniustum esse & omninò vsurarium, rem vendere pluris, quam secundum se valet, quia esset perinde ac si lucrum exigeretur ratione mutui, quod quæstione sequenti iniquum esse, & contra rationem pluribus ostendemus. Cæterum, si respiciamus ad causas, ob quas pretij augmentum fieri dicitur, in venditione ad tempus, quas Medina. C. de restit. q. 38. reducit ad sex; Quarum prima est exiguitas pretij in promptu currentis, pro quo, si vẽditor res suas venderet, nihil lucraretur, sed sæpè pateretur damnum, attentis laboribus, & expensis factis; Secũda, lucrum, quod cessat venditori ex eo, quod non statim merciũm suarum pretium accipit; Tertia periculum, cui capitale exponit; Quarta expensæ, quas faciet in recuperatione capitalis; Quinta dubietas valoris, quem res venditæ tempore solutionis habebit; Sexta & vltima, quod merx ad terminum vendita secundum communem æstimationem plus valere videtur; quã si vendatur pecunia numerata, non erit facile iudicare, vtrùm ex his, vel aliquo illorum licitum sit in venditione ad tempus pretiũ augere ab eo, quod merces secundum communem æstimationẽ valent de præsenti. ¶Et quidem, vt in hac re certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quod prima causa, nempe, quia pretium communiter currens in promptu solutum, sæpissimè est tenue, & pro quo si venditor res suas venderet, nihil lucraretur, sed sæpe damnum pateretur, attentis laboribus, & expensis factis, non est sufficiens ad excusandum venditorem ab iniustitia, quæ existit in eo, quod res carius vendat, ad tempus, quam valent de præsenti. Si enim ea ratio aliquid valeret ad excusandam venditionem ad tempus pro pretio excessiuo, similiter etiam esset sufficiens excusare vẽditionem ad statim pro eodem pretio excessiuo, maiori, scilicet, quam sit illud, quod communiter in tali loco, & tempore currit, cum sæpè contingat, quod etiam si mercator, vendat res pro pretio iusto currenti statim soluto, non lucretur, sed damnum patiatur attentis laboribus, & expensis factis, quia sæpe accidit, vt merces minus valeãt quando, & vbi venduntur, quam à principio constiterunt. Atque adeò, sicut mercibus in valore crescentibus, potest venditor multum lucrari, si eas vendat, quanuis paucas, aut nullas expensas fecerit, paruum, aut nullum laborem subierit: ità etiam è contra, eisdẽ mercibus in valore decrescentibus, tenebitur, si eas vendere velit, in pretio descendere, etiam si multas fecerit expensas, magnũque subierit laborem. Nec erit tunc iniustum, aut indignum, quod venditores commodum in venditione non sentiant, sed damnum. Nam qui propria voluntate negotiationes suscipit, vtrique pariter se debet lucro, scilicet, & damno, exponere, & si aliquando damnum sentit, non emptoribus, nec reipublicæ, sed sibi debet imputari, vt diximus in superioribus. ¶Dico secundo, meo iudicio etiam debere esse certum, quod secunda causa, nempe, lucrum cessans, vel damnum emergens est sufficiens ad excusandum hominẽ ab iniustitia, quæ existit in eo, quod est res carius vendere, quam valent de præsenti. Itaque, quanuis nec ratione expectatæ solutionis, nec ratione pretij currentis in promptu soluti, quod sæpissimè est tenue, possit mercator in vẽditione credita plus accipere, quam res in præsenti valent, poterit tamen id facere ratione damni emergentis, aut lucri cessantis. Quanuis Soto, & multi alij contrarium dicant. Quorũ sententiam funditus euertemus, quæstione sequenti, artic. 2. vbi est proprius locus huius materiæ. Et si hoc voluit dicere Raphael, rectè dixit. Quanuis ad hoc, vt lucrũ cessans, vel damnum emergens prædictam venditionem iustificare possint, necessariũ erit, quod aliquæ conditiones concurrant loco citato à nobis explicandæ. ¶Dico tertio, etiam esse certum, quod sexta causa, nempe, quod merx ad terminum vendita, ex communi hominum æstimatione, plus valet, quã vendita ad statim, non est sufficiens ad excusandum venditorem ab iniustitia quæ existit in eo, quod res carius vẽdat ad tempus, quam valent de præsenti. Cum certum sit, quod merces ad terminum venditæ, nec in se, nec ipsi vendenti valent plus, quam si ad statim venderentur, vt ex solutione argumentorũ, pro opinione Raphaelis factorũ infra patebit. Eo vel maximè quod cùm vẽditio ad terminum nihil addat supra venditionem ad statim, quod sit venale: nihil enim addit, nisi dilationem solutionis, quæ est quædam tacita mutatio, pro qua nullo modo est licitum pretium augere, quia hoc idem esset ac mutuationem vendere, quod est vsura, sit, vt si pretium quod pro re accipitur est excessiuum, venditione facta ad statim similiter etiam erit excessiuum, vẽditione facta ad terminum. Itaq; hæc certa sunt. Cæterùm de alijs tribus causis, nempe, tertia,

1. Dictum certum.

1. Dictum certum.

tia, quarta, & quinta, sunt grauissimæ contentiones inter Doctores, vtrùm illæ sint sufficientes facere, vt an venditione ad tempus licitè pretium augeatur, ab eo, quod merces secundum communem æstimationẽ valent de præsenti. Et illæ omnes erunt à nobis suo ordine explicandæ.

An ratione periculi capitale exponitur, sit licitũ pretium augere in vẽditione ad tẽpus.

¶Circa tertiam ergo causam, quæ est periculum, cui capitale exponitur in venditione ad tempus, est dubitatio, vtrùm illa sit sufficiens pretium augere, ab eo, quod res valet de præsenti? Non loquimur modo de expensis à creditore in debito recuperando faciendis: nam hoc pertinet ad quartam causam. Sed quod quærimus est. An ob timorem metumque probabilem quem venditor habet, vel, quod expensæ non soluẽtur, vel, quod capitale non rehabebitur, vel quod in illius recuperatione molestiam patietur, sit licitum à principio aliquid vltra iustum pretium tei petere, do illoq; paciscit? Conradus de contra. q. 59. partem tenet negatiuam, quam etiam sequuntur Nauarro in Manual. cap. 23. numer. 81. & Soto lib. 6. de iustitia, quæst. 4. art. 1. in solutione ad primum. Probatque Conradus suam sententiam. Primò. Quia aliàs sequeretur, nullam, aut vix vllam posse dari huiusmodi venditionem in futuro soluendam, in qua non liceret aliquid vltra sortem accipere, cum nulla, aut vix vlla sit, quæ alicui non subdatur periculo. Hoc autem est inconueniens, vt pote, quod ad iniustitias, & vsuras faciẽdas viam parat, & aperit. ¶Secundò: Quia cum non solum iustum rei pretium, sed etiã illud ipsum lucrum, de quo venditor ratione metus paciscitur, credatur emptori; liceret similiter ratione illius confidentiæ plus exigere; & cum hoc etiam credatur, iterum liceret ratione istius periculi aliquid exposcere; & sic in infinitum, quod non est dicẽdum. Cæterùm Soto has rationes leues existimat. Et meritò quidem. Quare ipse suam sententiam aliter probat. Primò: Quia quãuis sit licitum alicui ratione periculi, quod patitur, quod est pretio æstimabile, aliquid exigere id tamen solum habet verum in eo, qui iniustè ac inuoluntarie damnum patitur, & non in eo, qui se offert voluntarie, vt contingit in venditore. Persistit enim Soto in quadam sua sententiã, qua aurea tenuerat lucrum cessans, quod quis inuitus patitur, siue in animo, siue re venditionem posse in pactum deduci; non verò illud, quod venditor sua sponte ad sui vtilitatem subire vult. Et ratio illius est; Quia cum tali periculo à nullo coactus se exponat, iam videtur cedere actioni, quam haberet, si re ipsa vendita, vel mutuo data simile periculum eo ignorante, atque inuito, consurgeret. Secundo argumentatur Soto in hunc modum (Ponamus verba eius integra, vt quantùm veritatis habeant, eo actè perpendamus): Vẽdit ille, vel, fac esse mutuatorem, nullum patitur emergentis damnum, nec iacturam facit cessantis lucri, nec dispendium, aut sumptus in recipiendo pretio: hæc enim omnia cessare supponimus; quandoquidem de solo metu disceptamus: quo ergo iure poterit metus ille pretio vẽdit? Sed ais: Quia est pretio æstimabilis. Fateor quidem, quoniam mallet homo alicuius pecuniæ dispendium facere, quam tali anxiari metu, sed tamen non inde sequitur, quod sit illa ratione vendibilis. Tum, quod venditor suapte sponte in illum se emergit. Tum præcipue, quod emptor non tenetur aliter leuare illum tali metu, quam soluendo mercis pretium, cui ideirco dum soluit satisfacit. Et elucidatur etiam rum argumenti vis: Si initio nõ fuisset facta timoris mentio, venditor tamẽ fuisset ob periculum vehementer metu vexatus postea, dum emptor soluit nihil posset vltra sortem vendicor recipere ratione prædicti metus, ac periculi ergo nec in initio potuit in pactum duci. Profectò, si vera esset talis opinio, conditio vendentis, puta, si esset nimium auarus, ac perinde meticulosus, causa esset legitima recipiendi maius pretium. Hucusque Soto. Cuius rationibus Nauarro, neruosè confutatã esse dicit opinionem contrariam, & neruosius confutari posse, affirmat, quod est noua & contra omnes alios Theologos, & Canonistas; & propterea Ecclesia declarauit id esse illicitum, per cap. in ciuitate. de vsuris, vbi prædicta pericula, quæ venditor in se suscipit nõ esse cõsiderabilia ad augendum pretium mercis in credita pecunia, determinatur, magis quã ad dandũ aliquid vltra sortẽ mutuãti, quod lege naturali atque diuina est prohibitum.

Argumenta Soti.

Argumen. Nauarri.

¶Hi tamen non obstantibus dico, contrà etiam sententiam, quæ affirmat in venditione ad tempus ratione periculi, cui expectatum pretium exponitur, licitum esse aliquid plus vltra iustum ascendere, probabiliorem esse, atque tenendam, sicut illam tenent Medina. Cod. de restit. quæst. 38. ad. 3. causam. Maior in 4. dist. 15. quæst. 4. articul. 7. Cordoba in summa, quæst. 84. versiculo. tampoco. Imò Nauarro in summa Hispana, c. 17. num. 239. & 240. sui obliti, tenuit eandem & pro eadem citantur à Magistro Soto, Ricardus, & Caietanus. Ratioque præcipua huius nostræ sententiæ est: Nam quanuis hoc, quod est mutuare, aut solutionem expecta-

Sententia autoris.

te,

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Ratio. re, venale non sit, nec pretio comparabile, cum ex præcepto Dei, & naturæ sit gratis agendum, hoc tamen, quod est hominem rē suā pro altero iactare, aut eam periculo perdendi exponere, venale est, pretioque æstimabile, nec de ijs, quæ gratis fieri debent: ergo poterit venditor pro illo pretium accipere. Atque adeò si quis rogat alterum, vt certam sibi pecuniæ quantitatem mutuò det, vel vendat mercem expectata solutione per annum, de cuius redditione probabiliter timetur, poterit ratione illius periculi aliquid vltra sortem accipere, de illoq; pacisci. Fatetur quidem Soto libenter, illam periculi susceptionem esse pretio æstimabilem. Sed dicit id esse verum, quando venditor inuitus eum timorem, atque molestiā patitur; non autem quando voluntarie se in timore, & periculo constituit: quod contingit vendenti merces expectata solutione, & potenti, non vendere. Sed certè ista responsio est friuola. Nam si illud periculum re vera est venale; pretioque æstimabile, vt Soto fatetur, quid refert voluntariè, vel coacte illud subire; cum semper res suum habeat valorem? Præterea: Si Petrus à me petat, vt equum commodem, aut locé Ioanni, apud quem est verosimile ipsum periturum, vel ob negligentiam in custodiendo, aut præbendo cibum, vel ob suam temeritatem, aut fugacitatem, licitè possum cum Petro conuenire, vt aliquid vltra pretium locationis mihi assignet pro periculo, quod ad eius instantiam subeo: ergo idem facere potero cum Ioanne locatore, cum non sit maior ratio vnius, quam alterius. Atque ex consequenti erit licitum ratione periculi aliquid vltra pretium iustum rei accipere. Soto respondet ad hoc argumentum, concesso antecedenti, negando consequentiā. Nam, quia in locatione, aut commodato non transfertur dominium, licitè potest verus dominus de periculo rei suæ pacisci. At verò in venditione, aut mutuo, quia transfertur dominium; atque adeò mutuatarius, vel locator tenetur totum soluere: non est eur alio pretio grauetur ob metum creditoris. Cæterùm, quanuis differentia posita, inter venditum, & mutuo datum ex vna parte, & locatum, & commodatum ex alia, quantum ad hoc, quod in his non transfertur rei dominium, sed vsus duntaxat, in illis autem trāsfertur, vera sit, quid autem valeat ad nostrā rationem infrigendam, non video. Nam si periculum meæ rei commodato, aut locato traditæ, ideò in pactum deducere possum, quia illius potest fieri iactura, cum similiter pecunia credita, aut pretium rei venditæ, ad quod habendum semper habeo ius, eidem discrimini subsit: cur non itidem pro illo periculo aliquid vltra sortem accipere potero? Tenetur, inquit Soto, mutuatarius, vel emptor totum pretium soluere: & ideò non est iustum, vt amplius ob metum creditoris grauetur. Quasi verò locator, & commodatarius non similiter teneantur totam rem locatam, vel commodatam reddere, & cum hoc stet, vt aliquid vltra totalem rei solutionem iustè ab eis ratione metus, & periculi locantis, & commodantis exigatur. Omniū ergo est vna, & similis ratio. Atque ex consequenti quemadmodum in commodato, & locato est licitum aliquid accipere ratione periculi: ità etiam in venditione, & mutuo. Item probatur nostra sententia, similitudine ducta à contractibus fideiussionis, & assecurationis, in quibus, quia si merx assecurata perditur, vel principalis deficit, expositus est assecurator, & fideiussor, de rebꝰ prijs soluere, illas amittendo, licite potest ratione periculi suscepti, aliquid exigere ab eo, quem securum reddit, vt omnes Doctores concedunt: ergo pari ratione erit dicendum, quod cum vendens ad terminum non minus exponatur rerum amittendarum discrimini, licitum erit ei ratione illius aliquid petere, & recipere. Dicunt Doctores contrariæ sententiæ, non valere hanc consequētiam. Nam assecurator, & fideiussor non ratione periculi, sed obligationis in se iniectę, accipit illud pretium. Sed proculdubio fallūtur. Nam quanuis verum sit, quod ratione obligationis præcise potest fideiussor aliquid accipere, vt infra dicemus; ex quo fit, vt etiam si nullum periculum existat, licitè possit pacisci de pretio: tamen re vera principalius propter periculum, quam propter obligationem illud suscipit. Quod ex eo sufficienter colligitur, quod si quis futurus esset fideiussor pro Petro bonæ conscię tię viro atque diuite, debente centum ad annum, & pro Paulo perditæ vitæ, homine, atque paupere totidem debente nullus sanæ mentis dubitabit, talem fideiussorem plus accipere posse pro fideiussione Pauli, quā Petri: Et tamen constat obligationem in vtroque esse æqualem, & periculum diuersum: multò ergo magis considerabile est periculum, quam obligatio ad augendum pretium, vt dictum est. Postremo: Contradus, atque Soto, qui hanc nostram sententiam negant, concedunt, quod si venditori est graue, & molestum merce sua priuari, & ad instantiam emptoris illā vendit, iustè potest in pretio ascendere iuxta exigentiā præfati grauaminis. Sicut è cōtra, si emptori est graue, & molestum mercem aliquam emere, & ad instantiam venditoris illam emit, iuste potest in pretio descendere: quod nos etiam agentes de rerum pretio verum esse diximus. Item idem concedunt, quod si venditor ad terminum, timet in recuperatione expectati capitalis futuras expensas, ratione huius timoris licitè potest in pretio ascendere. Et quanuis postea timor ad effectum non perducatur: hoc est, esto sine expensis capitale sibi soluatur, non ideò tenebitur pretij augmentum subtrahere; quia non pro expensis, sed pro timore illas agendi, incrementum accipitur: ergo pari ratione, quando venditor ad instantiam emptoris ad terminum vendit timens vero similiter de solutione capitalis, poterit iustè, saltem pro huiusmodi timore, in pretio ascendere. Et si timor postea ad effectum non deducatur, nō tenebitur præfatum incrementum subtrahere.

2. Ratio.

3. Ratio.

¶Restat nunc respondere ad argumenta facta pro opinione contraria. Et quanuis illa, quæ à Conrado posita sunt, ineffeacia à Soto dicantur, illaque soluat, quo tamen veritas clarior reddatur, ad illa in forma satisfacere placet. Vnde ad primum respondeo, negando sequelam. Non enim indistinctè, & generaliter in quacunque venditione ad certum facta, accipiendum est excessiuum pretium: sed ibi tantum, vbi verum, discretum, & probabile adfuerit periculū amissionis rei, vel, quia emptor est pauper, vel fugax, vel quid simile habet. Nam si fuerit fictum periculum, vsuram palliatam talis contractus continebit. Tunc autem erit periculum fictum, quando non ratione illius: sed magis ratione lucri excessus exigitur. Ad cognoscendum verò, quando venditor non gratia lucri, nec in fraudē vsuræ, sed ob prætatam causam in pretio ascendit; talem Medina regulam constituit: Dicens, quod si teste conscientia venditor ipsius mallet mercem pro pretio currente postea secure, & certè soluendo, seu sufficiente cautione de solutione habita, vendere, quam pro pretio aucto cum periculo perdendi suum capitale, aut si non mallet, est tamen sibi indifferens, hoc, aut illud eligere: tunc non lucrō, sed periculum amissionis rei est, quod pretium facit augere. Cæterùm, si indistinctè cum ad terminum vendit, ascēdit in pretio, nec inter hos, & illos emptores distinguit, aut si magis afficitur ad vendendum ad terminum pro pretio aucto, existente aliquali periculo, quam pro pretio currente, nullo existente periculo: tunc non timor amissionis rei pro alterius voto susceptus: sed magis lucrum in fraudem vsuræ, est, quod facit pretium augere. Atque ex consequenti, tunc periculum non erit verum, sed fictum; nec ab iniustitia, imo nec ab vsura palliata talis contractus erit excusandus. Sed nec excusabitur à culpa venditor, etiam in casu, quo contractus iustus esset, si illum cum sui infamia, aut aliorum scandalo init. Vt si forte ex facto ipsius cæteri mercatores occasionem sumerent ad indistinctè, seu indiscretè ad terminum pro pretio excessiuo vendendum. Et aduertat prudens lector, quod non pro ratione cuiuscunq; metus, sed probabilis, & discreti, arbitrio prudentis viri, superaccipi posse. Sunt enim nonnulli mercatores, ità, vel anati, vel melancholici, vt timeant, vbi non est timendum; & qui nec comedere, nec dormire, sine anxietate possunt, etiam si securitatem habeant debitorum. Et in his cum illius anxietatis, ac solicitudinis, non debitor, sed ipsi sibi causā existant, non est fas, quod debitor pecuniā illam compenset. ¶Ad secundum argumentum Conradi respondetur, illo excessu, qui supra iustum pretium accipitur, compensari quemcunque metum, & quodcunque periculum in venditore existens. Et sic non est opus procedere in infinitum.

Ad 1. arg. Conradi.

Ad 2. arg.

¶Ad primum argumentum Soti ex dictis patet solutio. Nam cum res, quæ ex se venales sunt, ex eo, quod voluntariè offeruntur, non amittant valorem, sic, vt quanuis mercatores voluntarie subeant periculum rerum suarū, possint pro illo aliquid accipere. Verum est, quod merces vltroneę vilescunt. Et ità fatemur posse eum, qui inuitus patitur periculum, vel lucrum cessans, plus exigere, quam ille, qui voluntariè facit. Sed de hoc latius quæstio sequenti. ¶Ad secundō eiusdem Soti respondetur, quod etiam si illi, de quibus venditor quale confidebat, fideliter soluant, adhuc potest licitè totum pretium accipere. Impertinens enim est, quod periculum, quod tempore contractus timebatur, suum sortiatur effectum, vel non. Hoc est: est impertinens, quod emptor in termino complete soluat, vel non soluat, ad hoc, vt venditor pretium cum augmento recipere possit. Incrementū enim illud, vt diximus, non pro amissione ipsius capitalis, sed pro illo periculo, cui venditor res suas exponit, exigitur. Et quāuis res illæ postea per debitoris solutionē periculū euaserint, nō propterea tēpore cōtractus in periculo esse desierunt, iuxta probabilē ipsius venditoris, & aliorū cōiecturā. Et quādo instat Soto, si initio nō fuisset facta timoris metio, venditor tamē fuisset ob periculū vehementer metu vexatus, postea

Ad argumenta Soti

Regula notanda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stea dū emptor soluit nihil posset vltra fortē venditor recipere, ratione præteriti metus, ac periculi: ergo nec in initio potuit illud in pactum deduci; respondeo, quod sicut de interesse lucri cessantis fatentur omnes, quod debet præcedere admonitio, deductioq; in pactum, alias non iustè exigeretur, vt infra videbimus: ita etiam de isto periculo est dicē dū, ne emptor, qui fortè cum eo onerē me re nollet, contrà suam voluntatem grauetur.

Ad argumenta Nauarri. ¶Nauarri rationes similiter sunt parui momenti. Nam primò in eo, quod dicit, opinionem nostram esse contra omnium iuris peritorum, ac Theologorum sententiam, procul dubio fallitur, vt ex insignibus Doctoribus hic citatis colligere licet. Præterquam q̄ oportebat eum Doctorum catenam referre, quod nō facit, vt ipsi, nō modo dicēti, sed etiam probanti, fidem adhiberemus. Quod autem affirmat ab Ecclesia esse declaratum, non licere ratione periculi aliquid vltra iustum pretium pro mercibus accipere, maximè continet falsitatem. Nam sic contrarium esset de fide, nostraque sententia esset erronea; quæ à proposito & à vero longè abesset. Nec capitulum ab ipso adductū quidquam conuincit. Nam in eo Alexander tertius peccatum esse declarat, vendere piper, cinnamomum, vel alias merces valentes tē pore venditionis quinque libras, cū pacto, vt emptor statuto termino sex libras persoluat. Nisi dubium esset, ait Romanus pontifex, plus minus ve, merces illas solutionis tē pore valituras. Et certè hæc decisio Nauarri, & aliorum sententiæ nihil fauet, sed potius ei resilit: Cum, vt ex dictis verbis Pontificis constat, non damnetur ibi venditor ratione periculi, & dubij in capitali amittendo, aliquod incrementum paciscens, nec de hoc quidquā loquatur. Quare asserere Ecclesiam in illo capitulo, ea pericula declarasse non esse considerabilia ad augendum pretium, sanè nihil aliud est, quam citare quod ipse papam declarasse voluisset, & non quod ille declarauit. Præterquam, quod si de illo dubio ac periculo ageret summus Pontifex, quo verosimiliter dubitatur, an forte ad statutam terminum sit peritura, procul dubio in nostram sententiam decretum esset asserendum, & non in contrariam. Ait enim, videntem rem, quæ in promptu valet quinque, pro sex in termino solutionis; peccatum committere, nisi dubium sit, merces illas plus minus ve solutionis tempore valituras. Ex quibus verbis aperte colligitur, ratione dubij posse iustificari contractum, qui alias esset illicitus, & pecaminosus. Indeque ego non contemnendum argumentum pro mea sententia colligo in hunc modum: In dicto capitulo eximitur ab illicito, vendere rem ad terminum, pluſquam valet in promptu, propter dubium verisimile, quod sicut minus ità plus valere potest: sicque venditor est expositus vtrique sorti: sed in nostro casu verosimile est, non dico plus minus ve rem valituram, sed etiam prorsus nihil; si ve verosimile est emptor in solutione deficiat: ergo à fortiori, summus Pontifex, si de hoc ageret in illo capitulo, multo promptius iudicaret ratione huius dubij discretu, atque probabilis rem valentem quinque libras, posse pro sex vendi. Atque ex consequenti capitulo illud plus facit pro nostra sententia, quam fauet contrariæ. *Explicatur c. in ciuitate. de vsuris.*

Obiectio ex c. nauigantes. de vsuris. ¶Nonnulli solent etiam obijcere resolutionem Romani Pontificis in capitulo nauigantes: de vsuris, vbi nostra sententia damnari videtur. Scribit enim Gregorius ix. Nauiganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuas pecuniam, pro eo, quod susceptit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus. Ex quo loco tale colligo argumentum. Mutuans non potest incrementum accipere, eo quod suscipit in se periculum, vt in illo capitulo dicitur, absque eo, q̄ sit vsurarius: ergo nec vendens credito pecunia, qui in effectu mutuat, excusabitur ab vsura aliquid plus accipiens, quia suscipit in se periculum. Sed respondeo, rectum illud, vt bene notauit Medina, quæst. 58. circa tertiam causam in solutione ad. 4. & Sylvester verbo vsura. 2. q. 35. nō bene intelligi à multis. Habet enim longè diuersum sensū ab eo, qui in argumento prætenditur. Mutuabat quidam negotiatori naugaturo, vel ad nundinas ituro certam summam pecuniæ, ea conditione, vt ipse mutuus susceptos in se periculo mercium, quas portabat mutuatarius, vel etiam ipsius pecuniæ, qua erat negotiaturus, aliquid sibi vltra sortem solueretur, quod est mutuatarium obligare ratione mutui, vt se assecuratorem recipiat. Et hoc dicit summus Pontifex in illo loco esse illicitum, & vsurarium; cùm mutuans iustum pretium suæ assecurationis acciperet, quod est verum. Nam quicunque mutuare non vult, nisi ea lege, vt mutuatarius alium secum contractum ineat, ad quem non tenetur, vt, verbi gratia, emendi aliquid à mutuante, quamuis pro iusto pretio, vel aliquid aliud faciendi ex obligatione, peccatum committit, & est vsurarius, vt quæstione sequenti latius videbimus. Et hoc est, quod in dicto capitulo nauigantes decernitur, nihilque aduersatur nostræ sententiæ.

Responsio.

¶Ex

1. Corolla. ¶Ex dictis pro maiori declaratione, & limitatione huius quæstionis de pecunia credita, placet nonnulla colligere corollaria. Primum est; quod non semper nec in omni vēditione ad terminum, est licitum incrementum susipere, aut de illo pacisci, ratione periculi; esto non detur pignus, nec fideiussor, nec alia cautio. Sed tunc tantum, quando discretè, & rationabiliter timetur amissio

2. Corolla. capitalis: quia debitor, vel pauper, vel fugitiuus, vel periculosus est. Infero secūdo, quod postquam de incremento suscipiendo, ratione periculi, rationabiliter est factum pactū, licitè potest accipi, vel retineri, si à principio fuit datum: estò securum euaserit capitale, nec aliquod fuerit periculum subsequutum. Vt enim paulò anteà dicebam, non pro certa amissione, sed pro dubietate, & periculo fuit promissum, quod re vera passus est creditor: etiam si, tam principalis perdendi, quam expensarum faciendarum, periculum euaserit. Cæterùm, quia ratione periculi faciendarum expensarum, fuit pretium, vltra iustum auctum: quamuis posteà venditor maiores faciat, non poterit omnium illarum quantitatem exigere; sed illam tantum, de qua à principio fuit factum conuentum. Sicut, etiam si nullæ extent expensæ idem poterit retinere: alioqui contractus non esset æqualis ex vtraque parte. Infero tertio, etiam esse licitum è contrario, rem vilius emere anticipata solutione, quam secundum se valet, ratione verisimilis periculi, quod de ipsius traditione habetur: siue tale dubium sit ob malitiam debitoris: siue ob infortunia, circa rem anticipatè emptam contingibilia. Imo, & futura debita, quando huiusmodi periculo sunt subiecta, licitè minori anticipata pecunia emuntur, vt infra videbimus. Quod magno argumento esse debet, vt nostram sententiam iure constare existimemus. Infero vltimo, quod quando dicimus ratione periculi posse mercium pretium augeri, loquimur, vel de pretio legali, quod in indiuisibili consistit, vel de eo, quod ex communi cursu fori, hominumque æstimatione desumitur, quantum ad suprēmā partem ipsius. Nam de eo, qui pluris vendit res ad terminum, quam venderentur in promptu, ob latitudinem iusti pretij in illis inuenti, certum est, & extra controuersiam positum, nullum committere peccatum. Verbi gratia: Valet mensura panni iuxta infimum pretium, viginti argenteos, & iuxta medium viginti vnum: in supremo autem valet viginti duos. Non est dubium, quod liceat

3. Corolla.

Vltimū Corollarium.

mercatori ad terminum vendenti semper exigere supremum pretium; estò nullum esset periculum solutionis; quamuis in promptu vendat pro viginti. Et ratio est manifesta: Nam cum illud sit iustum pretium, quod si exigeret numerata pecunia, non peccaret contra iustitiam, sit, vt multo minus peccet si pecuniam credens idē illud iustum pretium licet rigidum exposcat. Et hæc dicta sint de tertia causa.

An rationē expensarum quas quis facere timet possit augere pretium quando vendit creditā pecuniā. ¶Circa quartam causam, ob quam potest dici fieri augmentum in venditione ad tempus, quæ est expensæ, quas venditor facit in recuperatione capitalis. Forsan emptor talis est conditionis, vt sine lite non soleat soluere quod debet; timetque venditor rationabiliter in recuperatione capitalis facere expensas, dubium est, vtrum ratione illarum expensarum, quas facere timet, possit in venditione ad tempus pretium augere. Florentinus loco citato, hanc causam nō admittit. Tum, quia fortè debitor sine lite soluet in termino præfixo. Tum etiam, quia estò venditor in recuperatione sibi debiti expensas suo tempore faciat, forsan non erunt tantæ, quantum est incrementum ob præfatam causam exactum. Et denique; quia potest venditor alia iustiori via se indemnem ab expensis seruare, paciscendo, scilicet, cum emptore, vt extunc se obliget ad illarum simul cum capitali solutionem, si venditor eas fecerit. Contraria tamen sententia est verior, & probabilior, quam tenet Medina quæstione trigesima octaua, & Soto libro sexto de iustitia, quæstione quarta, articulo primo, in solutione ad. 2. Et sic dico posse venditorem tuta conscientia ascendere in pretio, ratione dubij probabilis, quo verisimiliter dubitat, se expensas facturum, quas fortè recuperare non sperat. Quamuis multò tutius, vt dicit Soto, erit dum emptoris vafricies, & infidelitas timetur, nihil ei mutuare, nec credito vendere: & si vendas, vel mutues solutionis terminum expectare, an forte sine vllo dispēdio fiat. Nam expensarum anticipatæ connexiones vix vsuræ suspicione vacant. Nihilo seciùs tamen, vbi omni procul fraude bonis coniecturis timentur expensæ, nulla est iniquitas de expensis, & laboribus pactum cū emptore inire, constituumque pretium recipere, etiam si nullas venditor sit posteà facturus. Videturque tunc venditioni alter contractus annexus, quo venditor, scilicet, cum emptore implicitè conuenit, de certa quantitate loco expensarum, de quarū quantitate soluenda dubitatur, siue magnæ fuerint expensæ, siue paruę, siue nullæ. Et ratione

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione huius bene potest venditor cum emptore super hoc pacisci, in pretioque ascendere suppositio, quod tempore contractus sit verisimile, quod maiores expensæ fient, quam est incrementum pretij, vel saltem sit æquilibre dubium, quod fient maiores, aut minores. Et facta conuentione siue fiant maiores, siue minores, siue nullæ poterit venditor præfatum incrementum simul cum capitali recipere. Quia non pro expensis actu faciendis, sed pro dubietate expensarum faciendarum, fuit facta conuentio: in qua non magis in tuto, quam in periculo se ipse venditor exposuit. Et loquor in præsenti de expensis absque culpa, & mora debitoris faciendis. Nam de his, quæ ex culpa ipsius fient, non arbitror emptorem ex præfata conuentione liberum esse soluēdo. Alioqui dolus & culpa illi suffragarentur, quod omnino videtur iniquum. Excepto, nisi intentio venditoris tempore conuentionis fuerit, remittere emptori omnes expensas, qualitercunque ob defectum solutionis faciendas, volens cum eo, super quo conuenerunt, esse contentus, quod nullum venditorem intendere puto. Et ad primam rationem Florentini respondeo, in casu nostræ dubitationis impertinēs esse, quod emptor soluat cum expensis, aut sine illis. Quia non pro expensis actu faciendis, fuit in pretio ascensum, sed pro periculo actu suscepto, vt modo dicebam. Ad secundam similiter respondeo, parum refert, quod expensæ fiant maiores, aut minores ad iustificandum, vel condemnandum dictum incrementum: siquidē nō pro expensis actu faciendis, sed pro dubio probabili fuit super incremento conuentum. Ad vltimam dico, quod quanuis illa via, inter alias, videatur tutior, atque simplicior, qua venditor cum emptore paciscitur de soluendis eidem expensis, quas ipsius causa fecerit; & tunc nō sit opus ad alia remedia recurrere; cum hoc tamen stat, vt si contrahentes conuenerint, quod emptor aliquid certum venditori, loco expensarum incertarum aliunde, quam ex culpa emptoris faciendarum, soluat: etiā sit licitum, & honestum. Nam illa via, etsi iusta non facit hanc esse iniustam de se. Poterit autem esse iniusta ex circunstantia, vt si inde fortè infamatur venditor, aut causa prębetur scandali, vt de tertia causa diximus.

An ex dubietate valoris possit augeri pretium rei vēditæ ad tempus.

¶Circa quintam causam augendi pretium in venditione ad terminum, quæ est dubietas valoris, quem res vendita tempore solutionis est habitura, similiter est non leue dubium. Vtrùm sit sufficiens ad excusandum venditorem ab iniustitia, quæ existit in eo, quod res carius vendat ad tempus, quam valent de præsenti. Verbi gratia: Vendit quis in Ianuario tritici mensuram valentem de præsenti quinque argenteos, recepturus pretium in mense Maij, in quo verosimiliter creditur plus valituram. Dubium est, vtrùm ratione huius probabilitatis, liceat venditori ascendere in pretio. Et quidem de eo, qui suas merces non erat venditurus, vsque ad tempus, quo pretium auctum iri existimatur, certum est, quod potest illas carius vendere, quam tempore venditionis valent. Id enim expressè habetur in capit. nauiganti. de vsuris. Vbi casus ad literam ponitur de mercatore cariùs, quam in promptu merces valeant, vendente, quia erat eas ad tempus solutionis, quo probabiliter credebatur plus valituras, seruaturus. Et ratio huius est: Quia tunc non debet æstimari pretium secundum præsens, sed secundum tempus, quo venditor suas erat merces distracturus. Alias pateretur emergens damnum, à quo, vt supra dictum est, potest se iure venditor seruare indemnem, quando rogatus vendit. Similiter etiam è contrario est licitum, merces anticipata solutione viliùs mercari, quam præsenti foro veneunt: si tamen est coniectura, tempore, quo sunt tradendæ, plus minus ve valituras. Vt, verbi gratia, emere in hyeme triticum, quod vsque ad messem non est recipiendum, non pro pretio, quod in hyeme valet, sed pro minori; si creditur in æstate plus minus ve valiturum. Et hic casus etiam ponitur in dicto capit. nauiganti. Estque illius ratio: Nā cū res propter vsum emātur, quod nūc in emptoris vsum nō venit, nō est cur præsenti pretio, sed illo, quo dum ei tradetur, est valiturum, æstimetur. Ceterum de mercatore, qui non erat merces vsque ad tempus solutionis seruaturus, est dubium, vtrùm posit similiter rem cariùs vendere, quam in promptu valet, propter dubium de valore, quem in tempore solutionis habebit. Caietanus, quæstione sequēti, articulo primo, partem tenet affirmatiuam. Quam probat primò ex capit. in ciuitate. de vsuris. Vbi ad literam hic casus ponitur, nulla facta mentione, quod venditor sit merces vsque ad tempus solutionis seruaturus, vel non, sed tantum dubietatis de pretio augendo: & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Secundò: Quia rei ad terminum venditæ, pretium taxandum est, prout verisimile est valebit tempore solutionis, vt habetur expressè in capit. nauiganti. iam citato. Cuius verba sunt, quæ sequuntur: Qui dat decem solidos, vt alio tēpore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeāt, vtrùm plus, vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verosimiliter dubitatur: non debet ex hoc vsurarius reputari. Tertiò: Quia venditio ad terminum, licet tempore contractus inchoetur, tempore tamen solutionis perficitur, & consummatur, atque adeò licitum erit pretium pro tēpore solutionis quando perficitur taxare; siue res sint à venditore vsque ad id tempus seruandæ, siue secus; cum solutio per quam emptio cōsummatur, videatur ad le vēditionem trahere.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

Conclusio. ¶His tamen non obstantibus, dico, contrariam sententiam esse veriorem, & probabiliorem, magisque securam. Quam tenent Medina, atque Soto locis citatis. Et probatur: Mercis valor nō est diuersus per hoc, quod venditur, vel in promptu, vel ad terminum; non enim ad terminum vendita plus valet res, quam si ad statim vendere-tur: ergo propter hoc, quod ad terminum venditur, non est licitum in pretio ascendere magis, quam si ad statim venderetur. Et confirmatur: Venditio ad terminum nihil addit supra vēditionem ad statim, nisi solam expectationē soluendi pretiū in futurū: sed hoc nihil aliud est, quā quędā mutuatio, vt ex supra dictis patet: ergo nō est licitū tatione illius aliquid vltra iustū pretiū accipere. Et si dicatur, non iustificari contractum, in casu, de quo loquimur; quia res ad terminum venditur, sed ob dubium, quo verisimiliter dubitatur rem tempore solutionis plus minus ve valituram, contra hoc sic argumentor: Venditor in nostro casu non est seruaturus merces in futurum: ergo nihil sua refert, quantum in futuro sint valiturę: nec ex hoc ei, aut damnum emergit, aut lucrum cessat. Atque ex consequenti ratione huius, nihil nisi pretium, quod in præsenti emtit, potest percipere. Et confirmatur ex cap. nauiganti. iam citato. Vbi cum fecisset summus Pontifex mentionē de dubio verisimili, si plus minus veres tempore solutionis esset valitura, subiungit: Ratione huius dubij etiam excusatur qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, vt amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. Quibus verbis apertè significatur, solam rationem præfati dubij non esse sufficientem contractum iustificare, nisi conditio, si venditor esset mercem seruaturus, simul currat. Vltimò: Esto venditor sit certus rem in futuro plus valituram, quam valet de præsenti: si tamen non vult eam in futurum seruare, non potest amplius pro ea recipere, quam valet de præsenti: ergo multò minus, quando est dubius an plus minus ve sit valitura. Et confirmatur: Dubiū de futuro valore rei ideò venditionem ad terminum, pro maiori pretio excusat, quia ratione talis dubij, se æqualiter venditor exponit lucro, & damno: sed hoc de eo, qui mercē seruaturus non erat, nullo modo verificatur, vt patet: ergo qui ob solam præfatā dubitationem vendit cariùs ad terminum, quam sit pretiū currēs, si alias mercem non erat seruaturus, à culpa non excusatur.

¶Ad primū argumentum Caietani respō detur, quod quanuis in cap. *in ciuitate*. nulla fiat mentio de hoc, quod est, venditorē mercem alioqui seruaturū, sed de sola dubitatione pretij futuri; textus tamē ille iuxta doctrinā à nobis positā est intelligēdus. Et quod ille nō explicuit, suppletur per textū in cap. nauiganti. Nam quāuis primū scripserit Alexander. III. & secundū Gregorius. IX. explicat tamē hic mentē Alexādri. Nec est diuersus casus capituli in ciuitate, ab eo, qui vltimo loco ponitur in ca. nauiganti. vt cōmuniter Doctores tradūt. ¶Ad secundū argumē tum vbi dicitur, pretiū rei vēditæ, vel emptę debere taxari, prout valebit tempore solutionis, vt respōdeamus aduertendū est, in diuersis vēditionibus diuersimodè pretiū taxari: Nam in emptione, & vēditione simplici, quæ est ad statim, & in qua nec mercis nec pretij expectatio interuenit, pretiū absolutè taxatur, prout valet res tempore cōtractū, quo rei vēditæ dominiū seu ius in emptorē transfertur. In vēditione autē ad terminū, in qua merx statim traditur, & pretiū ad tēpus expectatur, similiter est iustū pretiū, quod tūc cōmuniter currit, vt ex supradictis patet. Cęterum licet aliquādo in pretio ascēdere, nō quia res ad terminū vēdita plus valeat, sed ob aliquod interesse ipsius vēditoris, quale cunq; sit illud, siue damni, siue lucri, siue periculi, siue alterius grauaminis: pro quibus omnibus satisfacere incumbit emptori, ad cuius instantiam venditor tale patitur detrimentum. Ex quo fit, vt si vendens ad terminum mercēs seruaturus, posit illas cariùs vendere, quam ad statim ratione interesse: si est verosimile plus valituras. Sicut & qui mercem emit anticipata solutione, potest vilius emere, quam tunc valet ratione interesse; si est verosimile tēpore solutionis vilius valituā. Et sic procedit cap. nauigāti. quādo dicit: Qui dat decē solidos, vt alio tē

Ad 1. arg.

Ad 2. arg.

pore,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pore,&c. Cæterũ qui vendit res, quas in futurum tẽpus nõ est seruaturus, nullã causam habet, ob quam iustè in pretio possit ascendere. Et sic peccat: esto res in futuro plus
Ad 3. arg. sint valituræ. ¶Ad tertiũ respondetur, quod si quando dicitur venditionem ad terminum inchoari tempore contractus, & perfici tempore solutionis, nec esse venditionem completam, nisi merx sit tradita, & pretium solutum, sit sensus, quod hæc sunt de essentia, & integritate venditionis, antecedens est falsum. Nam, vt supra dictum est, tunc integrè celebratur contractus, quando fit conuentio, qua contrahẽtes inuicem se obligant, iuxta diffinitionem contractus, qua dicitur, quod est vltrò citrò que obligatio. Et certum est, quod facta conuentione vtrinque est posita obligatio ex ea profluẽs, etiam si merces traditio, & pretij solutio differantur. Si autem sit sensus, quod iam contractus, & ipsius obligatio suum cumplete effectum est sortitus, verum est antecedens. Sed ex hoc non sequitur, q̃ tempore contractus possit is, qui ad terminum vendit in pretio ascendere, ob nõ consummatam venditionem secundũ valorem rei, quem tempore solutionis verisimiliter habebit, supposito, quod vendens rem non est seruaturus, sed illicò distracturus, propter rationes à nobis positas.

Resolutio totius quæstionis de augendo pretio.

¶Et dictis omnibus infertur, totius quæstionis de augendo pretio in venditione ad terminum, resolutionem esse, quod est licitum vendenti ad terminum pacisci de maiori pretio, quam sit illud, quod in promptu curritt, ratione interesse damni emergẽtis, & lucri cessantis, & ratione periculi, cui venditor, ad emptoris instantiã res suas exponit, & ratione dubij, seu timoris probabilis de litigando, & expensis faciendo pro capitalis recuperatione, cũ supra positis limitationibus. Et ratio est: Quia cũ venditor ad instantiam emptoris rem suam vendens nõ teneatur gratis ob illius causam damnũ aliquod pati, nec merces iactare, nit eas periculo perditionis exponere, nec timorem aut anxietatem aliud ve grauamen sustinere, ab his omnibus iustum erit emptorem venditorem liberare pro illisque satisfacere, & de satisfactione cum illo componere. Huiusmodi autem compositione cum venditore facta, manebit emptor obligatus incremẽtum cum capitali in termino præfixo soluere, etiãsi sucessu temporis appareat, venditorem nullum actu detrimentum fuisse passum, nullum periculum suo capitali euenisse, nullas expensas in capitalis recuperatione fecisse. Nam hanc obligationem emptor subiuit, non ob damnum venditori actu vẽturum; sed quia venditor ad instantiã emptoris præfatis dãnis atque periculis probabiliter se exposuit, ad modũ iam explicatũ. Et hæc dicta sint de tota ista difficultate, de venditione merciũm ad terminum pro maiori pretio, quam in præsenti valent. Nam ad argumenta, quæ in principio proposuimus facile ex dictis patet solutio.

3. difficultas circa modũ, quo emptor vendito ri debet.

¶Adhuc circa modum, quo emptiones, & venditiones fieri debẽt, vt sint licitæ, est alia principalis difficultas, vtrùm, qui minoris emit debitũ futurũ, peccet contra iustitiam, & ad aliquam teneatur restitutione. Et pro cedã quæstiõe nullũ est periculũ, aut dubiũ in vindicãdo debito, siue totius pretij debiti, siue expensarũ, siue molestiarũ in recuperãdo. Nã his existentibus, certũ est, q̃ licet ratione talis probabilis dubij, aliquid de pretio diminuere emẽti; sicut vendẽti in pretio ascẽdere; vt ex dictis in præcedẽti difficultate sufficiẽter colligitur. Et quidẽ Caietanus *Sententia Caietani, & aliorũ.* in summa. verbo. vsura. in fine, & ante illum Innocẽtius in cap. in ciuitate. de vsuris. absolutè dicunt, iustè minoris posse emi debita, quæ nõ sunt soluẽda vsq; ad annũ secundo, vel tertiũ, vel decẽniũ, quã si præsẽti die solueda forẽt, etiã omni interesse cessãte, & nullo periculo in debiti recuperatione existẽte, nullaq; alia causa ab æqualitate recedẽdi existente: præterquã, q̃ dantur in prõptu, verbi gratia, nonaginta pro centũ. Hãc eandẽ sentẽtiam sequitur Nauarro in Manuali ca. 17. nu. 232. Quã probat primò: Quia minus est habere actionẽ, quã rẽ, leg. minus. ff. de. reg. iur. & alia, quæ cõgerit Decius in regul. qui actionem. ff. eodem. Secũdò: Quia ius, quod vno anno est inutile, minoris valet, quã si esset statim vtile. Sed Caietanus suã sententiã probat hoc argumẽto: Si in cõtractu, de quo loquimur, aliqua esset iniustitia, maximè vsura: sed hæc nõ est: ergo nulla. Consequẽtia cũ maiori est nota, & minor, phatur. Vbi nõ est mutuũ, vsura locũ habere nõ potest; cũ vsura sit lucrũ ex mutuo; sed in casu, de quo loquimur nulla est ratio mutui, nec implicita, nec explicita: de ratione enim mutui, est datio rei ab ipso dãte reuocabilis; & quod qui dat habeat contra accipientem actionem ad sortem & quod periculum sortis sit apud accipientem, quæ in casu posito non reperiuntur, sed potius eorum contraria. Nam Ioannes, verbi gratia, qui debitum centum aureorum à Petro emit pro nonaginta, non dat ea reuocabiliter; nec habet amplius actionem contra Petrum ad præfata nonaginta ab eo repetendum, sed solum ad centũ, quæ Paulus debet:

1. arg.

2. arg.

debet: & si casus accidat, vt Paulus pereat, aut impotens omnino efficiatur ad præfatum debitum soluendum, periculum debiti manet apud Ioannem, & non apud Petrũ, vt supponimus: ergo datio, qua Ioannes dedit Petro nonaginta, nullo modo fuit mutuatio: atque ex consequenti nec potuit ibi vsura reperiri. Et confirmatur: Petrus de præsenti dat totum ius, quod habet ad illa centum ipsi Ioanni emptori; & Ioannes de præsenti dat nonaginta pro tali iure suscipiens in seipso curam, & periculum illa recuperãdi: ergo vniuersus contractus perficitur ibi de præsenti ex vtraque parte; atque ex cõsequenti nulla ibi est vsura.

Cõfirmatio.

Conclusio. ¶His tamen non obstantibus, dico, contrariam sententiam veriorem esse, atque securiorem. Quam tenet Medina in tractat. de cambijs. quæstione. 7. & de restitutione, quæstione. 58. Antoninus. 2. parte, titulo. 1. cap. 8. §. 3. & 4. Gabriel in. 4. distinction. 15. quæstione. 11. dub. 4. Syluester verbo. vsura. 2. quæst. 14. & Angelus, verbo. vsura. 1. §. 63. Et sic dico præfatum contractum iniustum esse, multarumque vsurarum ansam præbẽs, ne dicam te vera implicitè vsurariũ. Et probatur: Pecunia futura, si certa est, non minoris est pretij, quam præsens: alias omnis venditio excedens expectata solutione excusaretur, & omnia cambia, & recambia, quæ sic ea appellantur: ergo erit iniquum, illam quæ in futuro est centum, emere pro nonaginta de præsenti; cum non seruetur æqualitas dati, & accepti. Et si dicatur terminos huius contractus, non esse nonaginta, & centum, sed nonaginta, & actio ad centum posteà soluenda, quæ aliud quid est ab ipsis centum, nec in rei veritate valens in prompto centum, sed tantum nonaginta; cõtra hoc sic argumentor: Actio ad rem tantum valet, quantum ipsa res, ad quam est actio, deductis laboribus & expensis, vt dicit Bartol. in leg. per diuersas. C. mand. & Bald. in leg. 2. C. ne lite pendente: Vnde si res, ad quam est actio, nihil valet, similiter ipsa actio nullius est valoris: Et si res est magni, vel parui valoris, similiter etiã actio erit magni, vel parui: sed in nostro casu res ad quã est actio, valet centũ, nec aliquæ expensæ, aut labores sunt subeũdi in illius recuperatione, vt supponimus: ergo erit inæqualitas dare pro illa solũ nonaginta. Probo consequentiã: Nã alias sola temporis expectatio daret valorem rei, quod in præcedentibus falsum esse diximus, multisque vsuris ianuam aperiens. Secundo sic argumentor: Si ius, quod Petrus habet ad centum Pauli, est vendibile pro nonaginta de præsenti datis, sequeretur, quod etiam ipse Paulus debitor posset pro eodem pretio de præsenti dato idem illud ius emere, cum non sit maior ratio vnius, quam alterius: consequens autem est absurdum: nam sic Paulus pro nonaginta eriperet se ab obligatione soluendi centum, quod est iniustitia, quia idem prorsus esset ac si Paulus mutuaret Petro nonaginta de præsenti recepturus in termino centum quod est vsura: ergo & illud, ex quo sequitur. Et si quis neget sequelam, vt negatur à multis; quia alia est ratio de debitore, qui nullam actionem emit; sed solum debiti solutionem anticipat: aliud autem de tertia persona pro nonaginta prædictam actionem acquirente; contra hoc sic objicio: Ad iustitiam, & æqualitatem contractus nihil refert, an hæc, vel illa persona sit, quæ emat, aut vendat: ergo si iustè fit, vt Petrus actioni, quam ad centum habet pro nonaginta cedat in fauorem Ioannis, iustè etiam fiet, vt eidem cedat in fauorem Pauli debitoris. Hanc eandem sententiam multis alijs probat Medina, quæstione. 58. prope finem. §. sequitur amplius. *Ad argumenta.* ¶Et ad rationes Nauarri respondetur, quod quanuis contractus ille secundum formam sit emptio, & merx sit prædicta actio ad centum, ea tamen actio non minus valet, quã centum, nec intentio ementis tendit principaliter in actionem, ratione sui, sed in centum soluenda; cum actio per se, & ratione sui nihil valeat. Et ità quidquid sit de nominibus talis contractus, secundum tamen rem, & affectum contrahentium, nihil aliud fit, quam quod Ioannes dat in prõptu nonaginta, vt post annum sibi reddantur centum, quòd & iniustitia est, & vsura. Nec lex adducta aliquid obstat. Nam loquitur solum de eo, qui actionem habet ad rem, quam non sine detrimento, aut periculo consequetur. Ad argumentũ ex Caietano dico, quod quanuis in contractu de quo loquimur, formaliter non sit mutuũ, est tamen virtualiter, & interpretatiue. Et licet in Ioanne, qui dedit nonaginta, nõ maneat actio contra Petrum, cui ea tradidit; manet tamen contra Paulum; qui in ratione debitoris respectu illorum centum, quæ in casu debentur; non est alius à Petro, cũ Paulus debitor Petri loco illius substituatur. Et sic omnia, quæ sunt de ratione mutui ibi saluãtur. Nam Ioannes dat Petro nonaginta reuocabiliter: quia potest ea ab eo, qui loco Petri substituitur, & quem Petrus loco sui debitorem facit, repetere. Et si illud debitum pereat, perit substituto non Ioanni mutuanti. Et hæc dicta sint de tota ista difficultate

Universidad de Deusto
Biblioteca

cultate, & de tota materia de venditione. Nam plura alia, quæ desiderari possunt, explicabuntur quæstione sequenti.

QVÆSTIO.LXXVIII.

De peccato vsurę quod committitur in mutuis, in quatuor Articulos diuisa.

VT in emptionibus, & venditionibus, de quibus pauca præfati sumus, fraudes, & iniustitiæ innumeræ interuenire solent, sic in mutui contractu infinitæ propemodum vsuræ, quibus cum non minori malo reipublicæ proximos iniustè lædi, cõtingit, inueniuntur. Atque adeo explicatis quibusdam breuibus, & communioribus de emptione, & venditione quæstionibus, operæpretium erit, nõnulla de vsuris in mutuo contingere solẽtibus, edocere. Singula enim persequi, vt rei dignitas ac horũ temporum necessitas exigit, à nostro instituto, qui Di. Tho. cõmẽtatoris munus subire decreui, alienum prorsus iudico. Dicam ergo solum ea, quæ ad D. Tho. rectam intelligentiam fuerint opportuna. Adiunctis etiam nonnullis, quæ ad huius materiæ aliqualem explicationem, atque perfectionẽ fuerint aptiora. Imitatus Caietanum. Qui cum in reliquis huius partis quæstionibus breuitatem affectasse videatur, in hac vna suę disputationi finem inuenire nescit. Nec immerito quidẽ. Ea enim est illius grauitas, ac difficultas, vt terminum ei imponere pene sit impossibile.

ARTICVLVS. I.

¶Vtrùm accipere vsuram pro pecunia mutuata sit peccatum.

3.d.37.a.6.Et ma.q 13.a.4.Et quol.3.ar. 19. & 07. 73.c.4. & 15.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd accipere vsurã pro pecunia mutuata non sit peccatum. Nullus enim peccat ex hoc, quòd sequitur exemplum Christi. Sed Dominus de seipso dicit. Lucæ decimonono: ego veniens cum vsuris exegissem illam, scilicet, pecuniam mutuatam: ergo non est peccatum accipere vsuram pro mutuo pecuniæ.

2 ¶Præterea. Sicut dicitur in Psalmo. 18. Lex Domini immaculata: quia scilicet peccatum prohibet. Sed in lege diuina conceditur aliqua vsura: secundum illud Deuteronomij. 23. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Et quod plus est, etiam in præmium repromittitur pro lege seruata, secundum illud Deuteronomij trigesimo octauo. Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies: ergo accipere vsuram non est peccatum.

3 ¶Præterea. In rebus humanis determinatur iustitia per leges ciuiles. Sed secundum eas conceditur vsuras accipere: ergo non videtur esse illicitum.

4 ¶Præterea, Prætermittere consilia non obligat ad peccatum. Sed Lucæ sexto, inter alia consilia ponitur, Date mutuum, nihil inde sperantes: ergo accipere vsuram non est peccatum.

5 ¶Præterea. Pretium accipere pro eo, quod quis facere non tenetur, non videtur esse secundum se peccatũ. Sed nõ in quolibet casu tenetur pecuniam habens eam proximo mutuare: ergo licet ei aliquando pro mutuo accipere pretium.

6 ¶Præterea, Argentum monetatũ, & in vasa formatum, nõ differt specie. Sed licet accipere pretium pro vasis argenteis accommodatis: ergo etiã licet accipere pretiũ pro mutuo argenti monetati, vsura ergo non est secũdum se peccatum.

7 ¶Præterea, Quilibet potest licite accipere rem quam ei dominus rei voluntariè tradit: sed ille, qui accipit mutuum, voluntarie tradit vsuram: ergo ille qui mutuat, licite potest accipere.

¶SED CONTRA est, quòd dicitur Exodi. 22. Si pecuniam mutuã dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eũ quasi exactor: nec vsuris opprimes.

¶RESPONDEO dicendum, quòd accipere vsuram pro pecunia mutuata, est secundum se iniustum: quia venditur id quod nõ est, per quod manifestè inæqualitas cõstituitur, quæ iustitiæ con-

contrariatur. Ad cuius euidentiam sciẽdum est, quod quædam res sunt quarũ vsus est ipsarum rerum cõsumptio, sicut vinũ consumimus, eo vtẽdo ad potũ, & triticũ cõsumimus eo vtendo ad cibum. Vnde in talibus non debet seorsum computari vsus rei à re ipsa, sed cuicunque conceditur vsus, ex hoc ipso cõceditur res, & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinũ, & vellet seorsum vendere vsum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id quod non est. Vnde manifeste peccaret. Et simili ratione iniustitiam committit, qui mutuat vinũ aut triticum, petens sibi duas recompẽsationes, vnam quidem restitutionem æqualis rei, aliam vero pretium vsus, quod vsura dicitur. Quædam vero sunt quorum vsus non est ipsa rei cõsumptio, sicut vsus domus est inhabitatio, non autem dissipatio. Et ideo in talibus seorsum potest vtrunque concedi, puta, cum aliquis tradit alteri dominiũ domus, reseruato sibi vsu ad aliquod tempus: vel ecõuerso, cum quis cõcedit alicui vsum domus reseruato sibi eius dominio. Et propter hoc licite potest homo accipere pretium pro vsu domus, & præter hoc petere domum accõmodatam, sicut patet in conductione & locatione domus. Pecunia autem secundum Philosophum in 5. Eth. & in primo Polit. principaliter est inuenta ad cõmutationes faciendas. Et ita proprius & principalis pecuniæ vsus est ipsius cõsumptio siue distractio, secundum quod in cõmutationes expenditur. Et propter hoc secundum se est illicitum pro vsu pecuniæ mutuatæ accipere pretiũ, quod dicitur vsura. Et sicut alia iniustè acquisita tenetur homo restituere, ita pecuniam, quam per vsurã accepit.

Li.5. Eth. ca.5.&.1. Poli.16.c. &.7.to.5.

¶AD PRIMVM ergo dicendũ, quod vsura ibi metaphoricè accipitur pro superexcrescẽtia bonorũ spiritualiũ, quã exigit Deus, volens, vt in bonis acceptis ab eo semper proficiamus: quod est ad vtilitatẽ nostram, non eius.

¶Ad secundum dicendum, quòd Iudæis prohibitum fuit accipere vsuram à fratribus suis, scilicet, Iudæis per quod datur intelligi, quòd accipere vsuram à quocunque homine est simpliciter malum. Debemus enim omnem hominem habere quasi proximum & fratrem, præcipuè in statu Euãgelij, ad quod omnes vocantur. Vnde in Psalm. decimoquarto, absolute dicitur: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Et Ezechiel. decimo octauo. Qui vsuram non acceperit. Quod autẽ ab extraneis vsuram acciperent, nõ fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad maius malum vitandum, ne scilicẽt à Iudæis Deum colentibus vsuras acciperent propter auaritiam cui dediti erant, vt habetur Isai. 24. Quod autẽ in præmium promittitur, fœnerabis gentibus multis, &c. fœnus ibi large accipitur pro mutuo, & sicut Ecclesia. 29. dicitur, Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, id est, non mutuauerunt. Promittitur ergo in præmium Iudæis abundantia diuitiarum: ex qua contingit quòd alijs mutuare possint.

¶Ad tertium dicendum, quòd leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ vtilitates impedirẽtur, si omnia peccata districtè prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideo vsuras lex humana concessit, non quasi existimans eas esse secundum iustitiam, sed ne impedirẽtur vtilitates multorum. Vnde in ipso iure ciuili dicitur, quod res quæ vsu consumuntur, neque ratione naturali, neque ciuili recipiunt vsum fructum, & quod Senatus non fecit earum rerum vsum fructum, nec enim poterat, sed quasi vsum fructum constituit, concedẽs scilicet vsuras. Et Philosophus naturali ratione ductus dicit * in 1. Poli. quòd vsuraria acquisitio pecuniarũ est maxime præter naturam.

Lib.1.c.7. parũ ante med. to 5.

¶Ad quartum dicẽdum, quòd dare mutuum, non semper tenetur homo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ideo quantũ ad hoc ponitur inter cõ filia: sed quod homo lucrũ de mutuo non quærat, hoc cadit sub ratione præ cepti. Potest tamen dici consilium per comparationem ad dicta Pharisæorũ, qui putabant vsuram aliquam esse licitam, sicut & dilectio inimicorum est consilium. Vel loquitur ibi non de spe vsurarij lucri, sed de spe quæ ponitur in homine. Non enim debemus mutuum dare, vel quodcunque bonum facere propter spem hominis, sed propter spem Dei.

¶ Ad quintum dicendum, quòd ille qui mutuare non tenetur, recompensationem potest accipere eius quod fecit, sed non amplius debet exigere. Recompensatur autem sibi, secundum æqualitatem iustitiæ, si tantum ei reddatur, quantum mutuauit. Vnde si amplius exigat pro vsufructu rei, quæ alium vsum non habet, nisi consumptionem substantiæ, exigit pretium eius quod non est, & ita est iniusta exactio.

¶ Ad sextum dicendum, quòd vsus principalis vasorum argenteorum non est ipsa eorum consumptio. Et ideo vsus eorum potest vendi licite, seruato dominio rei. Vsus autem principalis pecuniæ argenteæ est distractio pecuniæ in commutationes. Vnde nõ licet eius vsum vendere, cum hoc, quod aliquis velit, eius restitutionem, quod mutuo dedit. Sciendum tamen quòd secundarius vsus argenteorum vasorum posset esse commutatio: & talem vsum eorum non liceret vendere. Et similiter potest esse aliquis secundarius vsus pecuniæ argenteæ: vt puta, si quis concederet pecuniam signatam ad ostẽtationem, vel ad ponendum loco pignoris, & talem vsum pecuniæ licitè homo vẽdere potest.

¶ Ad septimum dicendum, quòd ille qui dat vsuram, non simpliciter volũtariè dat, sed cum quadam necessitate, inquantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam ille qui habet, non vult sine vsura mutuare.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: Accipere vsuram, pro pecunia mutuata, est secundum se iniustũ. Probatur in argumento: sed contra, testimonio Exodi cap. 22. Vbi dicitur: Non vrgebis, vt exactor, nec vsuris opprimes: Et in corpore articuli, hac ratione in acceptione vsuræ pro pecunia mutuata venditur id quod non est: ergo est iniquum, & contra iustitiam. Consequentia est nota, & antecedens probatur, ex differentia, quæ est inter res vsu cõsumptibiles, & res, quæ non consumũtur vsu. Nã in primis vsus non distinguitur ab ipsis rebus, atq; adeò qui venderet seorsum vsum illarum, aut nihil venderet, aut idẽ venderet bis: In alijs autem rebus, quæ vsu non cõsumuntur, vsus distinguitur ab eis, & sic quod libet illorũ seorsum potest pretio æstimari: sed sic est, quod pecunia est ex illis rebus, quæ vsu cõsumũtur: ergo qui pro vsu illi' aliquid acciperet, aut idẽ vẽderet bis, aut vẽderet quod nõ est, quod est iniquũ, & contra iustitiam. Secũda cõclusio: Id quod per vsuram acquiritur est necessario restituendum. Probatur. Omne peccatũ contra iustitiã affert secũ obligationem restitutionis: tale est quod inuenitur in acceptione vsuræ: ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius materiæ, vt à nomine ipso exordiamur, aduertendum est primò, quod nomen, vsura, apud Latinos idem est, quòd vsus, vt constat ex Plauto in Amphitrione dicente: Vsuramque eius corporis accepit sibi, hoc est, vsum eius corporis. Et Cicero in Verrem: Cur pitatis lucis vsuram tam diuturnam dedisti: id est, lucis vsum. Deinde autem tractum est nomen ad significandum id, quod ex vsu rei tanquam eius fructus accrescit. Qua significatione dicit Cicero in libr. de Senectute, quod terra nunquam sine vsura reddit, quod accipit. Nec aliqua ex his acceptionibus hoc nomen, vsura, genus vitij, vel peccati importat; sed potius in bonã partem accipitur. Postea verò à Theologis tractum est hoc nomen ad peculiariter significandum id, quod ex vsu pecuniæ, aut alterius rei vsu consumptibilis alicui accrescit: Et in hac significatione accipitur in præsenti. Sicq; semper est nomẽ vitij, aut peccati, quod cõtra iustitiã cõmittit ille, qui pro vsu rei cõsumptibilis accipit aliquod pretiũ. Inuenitur; semper hoc peccatũ in contractu mutuationis, qno tantũ propter mutuũ alicuius rei pretiũ aliquod datur. Quare ad cognoscendum, an aliquis contractus sit vsurarius, nec ne, perpendendum erit, an aliqua ratio mutui in ipso inueniatur, pro quo pretium detur. Nam tunc talis contractus in vniuersum erit vsurarius; aliòquin minime. Ex quo infero, quod si ego alicui vendam domum, aut pallium decem aureos, posteà autem, vt pro eis expectem, aliquid amplius exposcam: quia talis contractus virtualiter idem est, ac si decem aureos iam solutos pro alio pretio in aliquod tempus sibi mutuassem; procul dubiò erit vsurarius. Et idem iudicium est habendum de omnibus alijs cõtractibus, quibus ratio mutui aliquo modo inuenitur.

¶ Secundo est aduertendum, quod quanuis hoc nomen vsura, in iure aliquando recipiatur pro actione ipsa, scilicet, pro mutuatione facta cum pacto aliquid vltra sortem recipiendi, vt constat ex capit. vsura 14. quæstione tertia. Vbi dicitur, quod vsura est vbi amplius requiritur, quàm quod datur, & aliquando pro pretio ipso, quod ex mutuatione alicuius rei vsu consumptibilis alicui accrescit, vt patet ex capit. plerique, eadem causa & quæstione, vbi dicitur, quodcunque accidit sorti esse vsuram; tamen propriè loquendo, solum ipsum pretium, quod pro rei mutuatione datur dicitur verè & propriè vsura. Et sic in hac tantum significatione accipit D. Thom. id nomen in hoc articulo, quo quærit, vtrùm accipere vsuram, hoc est, pretium aliquod pro pecunia mutuata sit peccatum. Actio autem ipsa non vsura, sed potius contractus vsurarius erit appellandus. Quare si vsuram proprie dictam diffinire voluerimus, dicemus, quod est, pretium vsus rei mutuatæ: In qua diffinitione ponitur primo, illa particula, pretium, ad denotandum quod id, quod accipitur pro vsu rei mutuatæ, debet dari ex pacto tacito, vel expresso præcedente. Nam vbi non est pactum, nec pretium esse potest, & sic nec vsura propriè dicta. Ex quo infero, quod si quis nullo pacto interueniente gratia amoris, aut benevolentiæ det aliquid vltra sortem illi, à quo pecuniam mutuo acceperat, nullam committit vsuram, cum id nulla ratione dici possit, pretium vsus rei mutuatæ. Dicitur præterea in eadem diffinitione, quod vsura est pretium vsus, ad differentiam contractus emptionis, in quo non pro vsu tantum, sed etiam pro re ipsa pretiũ datur. Et tandẽ dicitur, quod est, rei mutuatæ, vt per istam particulam excludantur à ratione vsuræ contractus emphyteusis, & locationis, quibus res non mutuantur, vt constat. Est autem emphyteusis nomen Græcũ, insitionem, seu plantationẽ significans. Vnde fundum in emphyteusim dare apud iuris consultos idem est, quod ea conditione dare fundum alicui, vt accipiens eũ reddat meliorem, & ex sterili fertilem facit.

¶ Tertio est aduertendum, quod vsura est duplex, vna exterior, altera interior, quæ mẽtalis appellatur. Exterior est, quando quis dat aliquid mutuò alicui, cum pacto tacito, vel expresso accipiẽdi aliquid vltra sortem, siue pactum illud fiat verbis, siue signis, siue aliquo alio modo. Et hæc rursus diuiditur in vsuram apertam, & palliatam. Aperta est, quæ verbis expressis, & manifestis exercetur; palliata verò, quæ exercetur verbis fucatis, & fallacibus. Vt si quis diceret; Do tibi mutuò centum; scis tamen qualis sit vsus; & quod non habeo vnde vinere possim. Vsura autem mentalis est, dum quis dat aliquid mutuò alicui, absque aliquo pacto tacito, vel expresso accipiendi aliquid vltra sortem: speratq; tamen se inde aliquod lucrum reportaturum. Et est aduertendum, quod non quæcunque spes lucri mentalem facit vsuram, sed illa tantum, quæ est causa principalis ipsius mutuationis; ità, vt ea non existente, non mutuaret, vt docet Syluester verbo. vsura. 1. q. 2. & Nauarro super capit. si fœnetaberis. 14. q. 3. num. 13. Nam si mutuãs ità sperat lucrum, vt etiam si illud non speraret, nihilominus mutuaret ex debito, vel amicitiæ, vel conscientiæ; non committit vsuram, vt communiter tenent Doctores, quos citat Syluester loco allegato.

Duplex vsura, interior & exterior

Diffinitio vsura.

De nomine vsuræ.

¶ His suppositis, circa primam conclusionem D. Thomæ est difficultas, quo nam iure vsura sit prohibita. De qua re fuit error Græcorum. Qui, vt autor est Guido Carmelita in summa de hæresibus, dicebant, vsuram nullo iure esse prohibitam. In eadem etiam sententia fuerunt Albanenses, vt refert Gabriel Præteolus in lib. de vitis, & vitijs hæreticorum cap. 22. & Carolus Molinensis iurista, vt refert Couar. lib. 3. Variarum cap. Et Nauarro super c. 1. 14. q. 3. Dicebat autem hic hæreticus, esse licitas vsuras si cũ moderamine, quod habetur in leg. eos. C. de vsuris exerceantur. Abulẽsis tomo. 7. super Matth. c. 25. q. 171. & 172. fatetur vsuras esse prohibitas, esseq; peccatũ illas exercere. Cæterũ dicit eas tantũ iure positiuo, nõ autẽ naturali esse interdictas. In qua etiã sententia dicũtur esse multi iuris professores, vt autor est Soto lib. 6. de iustitia. q. 1. artic. 1. Et quidẽ, q vsura nõ sit cõtra ius naturę probatur hac ratione: Si iure naturali esset prohibita, sequeretur quod esset de se iniqua, & mala, & de numero eorum, quæ habent in-

Dubiũ circa primam cõclusionẽ D. Thom.

1. argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uolutam intrinsecam malitiam, suntque prohibita, quia mala, & non mala, quia prohibita; consequens autem est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo minorem: Si vsura esset de se illicita, vel haberet malitiam ex parte obiecti, vel ex parte alicuius circunstantiæ necessario ei coniunctæ. Non primum; nam in obiecto mutuationis vsurariæ duo tantum est considerare: vnum est ipsa mutuatio; & hæc non est mala, sed bonum, vt constat; alterum est receptio seu spes lucri; & nec etiam hæc est iniqua; alioqui nunquam liceret homini ex negotiatione luctum sperare, aut recipere, quod in præsenti falsum suppono. Nec etiam secundum; nam quæro quæ circunstantia esti illa, quæ mutuationem necessariò reddit illicitam? nam, vel est primò, lucrum ex mutuatione quærere, vel secundo, quærere lucrum ex aliena industria: vel tertiò, pactum mutuationi apponere, quod sit contra eius naturam: vel quartò minus dare, & plus exigere, & sperare: vel quintò vendere tempus, quo mutui redditio speratur; vel denique mutuatarium damnificare, cum commodo aliquo temporali priuando; hæc enim sunt, quæ afferri possunt ad probandum vsuram ex se esse illicitam, omni tam diuina, quam humana prohibitione seclusa: sed nihil horũ obstat, vt probabo discurrendo per omnia: ergo. Et quidem, quod prima circunstantia, nempe, lucrum ex mutuo quærere, non faciat illicitam mutuationem, probatur: quia illa ex se non est sufficiens culpam induere. Si enim non est illicitum lucrũ quærere, seu recipere ob causam fornicationis, seu meretricij, vt diximus in materia de restitutione, quãuis meretrix turpiter agat meretricando, quanto minus erit illicitum lucrum quærere, aut recipere ob causam honestam, qualis est mutuatio? Secunda etiam circunstantia, quæ est quærere lucrum ex aliena industria, non reddit ex se illicitam mutuationem. Alioqui eadem circunstantia necessario vitiaret societatem, in qua vnus pecuniam, alter verò operam & industriam ponit, cum is, qui ponit pecuniam ex alterius industria lucrum speret, quod est falsum. Nec etiam tertia circunstantia quæ est, appositio pacti, naturæ mutuationis, quæ gratis debet esse, omnino repugnans reddit ipsam illicitam ex se. Nam apponere pactum contra naturam contractus, non semper vitiat ipsum contractum, quanuis illum trahat in aliud genus. Si quis enim dicat, mutuo tibi pecunias hoc pacto, vt non possim eas à te repetere, modò interim, quod non reddis, soluas mihi singulis annis decem, certum est talem contractum non vitiari ob pactum illud appositum, estò sit contra naturam mutui, de cuius ratione est quod sit datio rei reuocabilis. Sed trahit contractum in aliud genus, putà, in emptionem annui census, vt patet intuenti. Quarta etiam circunstantia, quæ est minus dare, & plus exigere, & sperare non vitiat necessario mutuationem. Tum, quia in contractu emptionis ad terminum sæpe contingit, vt venditor minus det, & postmodum plus recipiat, vt supra diximus. Tum etiam, quia in contractu censuali minus datur, & longè plus speratur, cùm singulis annis certum quid veniat soluendum. Atque ex consequenti hæc circunstantia de se non videtur sufficiens ad vitiandam mutuationem, sicut nec alios contractus. Nec quinta circunstantia, nempe, vendere tempus, quo mutui redditio speratur videtur similiter vitiare mutuationem. Nam primò falsum est, quod mutuans sub vsura vendat tempus. Cum non vendat tempus præteritum, quod nec est, nec mutuatario tradi potest. Nec præsens, quod commune est tam mutuatario, quam mutuanti. Nec futurum, quod non est ipsius mutuantis, nec est in eius potestate illud tradere mutuatario, vt constat; alioqui posset mutuatarius vitam prorogare, quod est absurdum. Secundò: quia esto ille modus loquendi ad bonum sensum trahatur, scilicet, quod dicitur mutuans sub vsura, vendere tempus, quia vendit expectationem redditionis sortis, adhuc hæc circunstantia non videtur ex se vitiare contractum. Maximè, si talis expectatio cedat in damnum expectantis, quo casu licitum est secundum omnes aliquid vltra sortem sperare, atque recipere. Denique, nec sexta circunstantia, quæ est damnificare mutuatarium in aliquo commodo temporali, semper vitiat mutuationem. Tum, quia sæpe accidit, vt contractus sit vsurarius; & tamen mutuatarius nihil de bonis suis amittat, vt patet de vsura mentali, & de contractu, in quo mutuans obligat mutuatarium, vt de sua officina pro iusto pretio currenti merces emat, qui quidem est vsurarius: & tamen mutuatario nullum damnum temporale euenit, vt suppono. Tum etiam, quia stat contractum non esse vsurarium, & quod mutuatarius inde damnificetur, aliquid vltra sortem de suis bonis reddendo: vel ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, vt diximus. Atque ex consequenti, hæc circunstantia nõ est

est sufficiens necessario vitiare mutuationem. Relinquitur ergo, quòd vsura ex se nõ est intrinsecè mala, atque adeo nec iure naturali prohibita.

2. Argum. ¶ Secundò principaliter sic argumentor: Iure naturæ vnicuique est licitum, exigere pretium pro actione, quam facere non tenetur; sed nullus obligatur mutuum dare alteri: ergo pro ista actione poterit pretium exigere ex iure naturæ. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur, exemplo illius, qui pro saltatione licitè pretium accipit, quoniam istam actionem facere non tenetur. Tertiò: Qui mutuat centum aureos,

3. Argum. Petro, soluendos post annum, plus dat quã quod sibi redditur, quando mutuatarius certum solvit: ergo ratione illius excessus potest iure naturæ aliquid vltra sortem accipere. Consequentia est nota, & antecedẽs probatur. Vltra centum aureos, quos mutuat, dat etiam obligationem non petendi illos ante tempus præfinitum, quæ est pretio æstimabilis, sicut, & obligatio ad mutuandum, vel vendendum: ergo plus dat. Et confirmatur. Si Petrus mutuet Paulo centũ aureos reddẽdos quotiescunq; petierit, & Ioannes mutuet eidem totidẽ reddendos post annum, proculdubio Ioannes dicetur amplius Paulo dedisse, quam Petrus; nam dedit obligationem ad non repetendũ: ergo ratione illius poterit amplius exigere. Cõfirmatur secundò: Si Ioãnes se obligaret per integrũ annum ad mutuandũ Paulo pecunias, quotiescunq; voluerit, vsq; ad centum aureos, certè Ioannes tunc iustè posset exigere pretium pro tali obligatione: sed æqualis, imò maior, videtur esse illa non repetendi centum, quos mutuat, cum hæc videatur esse cõtinuata: ergo stando in iure naturæ, bene poterit aliquid pro ea accipere. Confirmatur tertiò: Si obligatio non repetendi mutuatũ intra annum non esset pretio æstimabilis, sequeretur, quòd nec etiam obligatio non repetendi intra duos, vel quatuor, vel quatuordecim, vel viginti annos, cum tales obligationes non differant inter se, nisi secundum magis, & minus. Consequẽs autẽ est falsum, & contra rationem: ergo & illud, ex quo sequitur.

1. Conclus. ¶ His tamen non obstantibus ad explicationem difficultatis sit prima conclusio: Secundum fidem catholicam, asserendum est, vsuras esse illicitas. Ità habetur expresse in concilio Vienensi, sub Clem. V. & refertur in Clem. vnica. de vsur. §. vlt. Nec ista est recens ecclesiæ determinatio, sed communis consensus illius, à tempore concilij Niceni. In cuius cano. 18. qui refertur in c. quoniã, 14. q. 4. sic habetur: Quoniam multi clerici auaritiæ causa turpia lucra sectantes, obliti sunt diuini præcepti, quo dictũ est: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, &c. Quibus verbis apertè significat concilium, esse præceptum diuinum de nõ dandis pecunijs ad vsuras. Sunt etiam innumera alia testimonia conciliorum, & summorum Pontificum hoc idem probantiũ, vt est videre in Decretalibus, & in sexto in titulis de vsuris, & in Decreto. 14. q. 3. cap. 4. & seq.

2. Conclu. ¶ Secunda conclusio: Vsura est prohibita iure naturali. Et probatur primò ex Arist. lib. 1. Poli. c. 7. dicente, Pecuniarum vsuratã acquisitionem esse contra naturã. Nam eõtra naturam est, vt pecunia, quæ est sterilis prolem sibi similem pariat. Cicero etiam lib. 2. de Offic. prope finem, lumine tantum naturali ductus affirmat, quòd fœneratio, est hominem occidere. Quasi significans, ita esse contra legem naturæ lucrum ex mutuo repetere, sicut hominem occidere. Et ratione sic argumentor: Si Ioannes à Petro decẽ furaretur, & totidem ei restitueret, stãdo in iure naturæ, Petrus nihil amplius posset expostulare: ergo multò magis, si Petrus det decẽ mutuò Ioanni, nõ poterit petere quid quam vltra id, quod mutuatum est. Probo consequentiam: Nam ex mutuo non oritur maior ratio debiti, quã ex furto, sed minor. Atque ex consequenti, si stando in iure naturali, non potest quidquam expostulari, vltra id, quod furatum est, multò minus poterit expostulari aliquid vltra id, quod mutuatum est. Tandem probatur conclusio ratione D. Tho. in isto artic. quæ talis est: In rebus vsu consumptibilibus, vt in vino, & in pane, vsus non debet seorsum computari à substãtia rei, vnde cuicunq; cõceditur vsus, eo ipso conceditur res: nec licet vnum pretium accipere pro substãtia rei, & aliud pro vsu illius: Nam cum vsus in his nõ distinguatur ab ipsa re, qui acciperet vnum pretium pro vsu, & aliud pro re, idem venderet bis, quod est contra iustitiam, & contra rationẽ naturalem: sed sic est, quod pecunia est illarum rerum, quarũ vsus est ipsarum consumptio, vt constat ex Arist. 5. Eth. & lib. 1. Pol. docente, quòd quoniam pecunia principaliter est inuenta ad faciendas commutationes, proprius, & principalis vsus illius est, eius consumptio: ergo stando in iure naturali, non erit licitum accipere aliquod pretium pro vsu pecuniæ, atq; ex consequenti vsura iure naturali est prohibita. Est tamen aduertendum, quòd quando D. Tho. in ista ratione dicit, in rebus vsu cõsumptibilibus, vsum non distingui à substantia rei, non lo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quitur de vsu, & de ipsa re secundum esse naturæ. Nam sic certum est, quòd vsus, & substantia rei distinguuntur, sicut & natura & eius operatio, quæ sunt diuersorum prædicamentorum. Sed loquitur de vsu, & substãtia rei in ordine ad commutationes, quæ secundum iustitiam fiunt. Et hac ratione etiam est certum, quòd pro eodem accipiũtur; nec potest seorsum vendi vnum sine alio. Vt patet in vino, & vsu illius, quæ separari nequeunt; sed cuicunque conceditur vsus, conceditur etiam eius substantia. Simileque iudicium est de pecunia, & de omnibus alijs rebus vsu consumptibilibus.

3. Concluſ. ¶ Tertia conclusio: Vsura erat prohibita in lege Mosaica. Probatur: Exod. c. 25. dicitur: Si pecuniã mutuò dederis populo meo pauperi; nõ vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Et Leuit. 25. Si attenuatus fuerit frater tuus, non accipies ab eo vsuras. Et tandem Psal. 14. docẽs Propheta, quis nã sit futurus ille, qui habitaturus est in tabernaculo Dei, dicit: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Et si quis contra hoc argumentetur, Deuteronomij ca. 23. dicit Deus: Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, vel quamlibet aliam rem: sed alieno: ergo in lege veteri tantum erat prohibita vsura inter homines eiusdem populi, & nõ absolutè quoad omnes; & confirmatur; nã Deut. c. 28. etiam dicitur: Benedicet Dominus cunctis operibus manuum tuarum, & fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies; ad primum respondeo, negãdo consequentiam. Nam id, quod dixit, sed alieno, permissionem continet Iudæis factã ob eorum nimiam auaritiam, ad euitandum maius malũ. Sicut & etiam permittebatur illis libellus repudij, & modò apud nos permittuntur meretrices. Constat autẽ ea, quæ permittuntur mala esse, secundum suam naturam. Alij aliter respõdent ad hoc argumẽtum, vt est videre apud Soto lib. 6. de iustit. q. 1. art. 1. ad 2. arg. principale. Cæterùm verior solutio est ea, quam posuimus. Ad confirmationem respondeo, fœnerari in illo loco non significare mutuare ad vsuram; sed tantum mutuare. In qua etiam significatione accipitur Prou. 22. Vbi dicitur: Qui mutuum accipit, seruus est fœnerantis. Imò & apud Deuteronom. in loco modò explicato in eadem significatione accipitur verbum. Nam si fœnerari idem esset, quod dare ad vsuram, frustra in textu dictum esset: Nõ fœnerabis fratri tuo ad vsuram. Sed sufficeret; Non fœnerabis fratri tuo. Est autem intentum testimonij secundo loco adducti tale, scilicet, quòd si populus Iudæorum legem Dei seruauerit tanta erit illis à Deo benedictio præstanda, & rerum abundantia, vt sufficeret de ijs, quæ superessent gentibus mutuare, absq; hoc quòd indigerent ipsi à gentibus mutuum petere.

4. Concl. ¶ Quarta conclusio: Vsura est prohibita in lege euangelica. Probatur: Vsura est contra legem naturalem, vt diximus in prima conclusione: ergo & contra legem euangelicam. Probo consequentiam: Quia lex euãgelica perficit legem naturalem, nec eam destruit. Item in lege euãgelica prohibetur furtum, rapina, & omnis vsurpatio rei alienæ, cum dicitur; Non fũraberis: sed vsura est vsurpatio rei alienæ, inuito domino, vt constat: ergo est contra legem euangelicã. Tandem hæc veritas constat ex determinatione Alexan. III. & habetur in. c. super eo. de vsuris. Vbi dicitur, quòd cum vsurarum crimen vtriusq; testamenti pagina detestetur, super eo dispensatio fieri nõ potest. Ad hãc eandem conclusionem probandam adducitur communiter à Doctoribus locus Euangelij apud Luc. c. 6. Mutuum dantes, nihil inde sperantes. Sed meo iudicio in illis verbis non continetur vsuræ prohibitio; sed cõsilium de mutuando, absq; spe humanæ cõpensationis. Quod ita esse probatur: Nam docet Christus in eo loco dilectionem, nõ solum ad amicos, sed etiam ad inimicos haberi debere, dicens; Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Item etiam admonet, ne fauorem, & gratiam, quam homines rependere solent, sed potiùs diuinam mercedẽ respicientes, charitatis opera exerceamus. Et ideò ait: Si bene feceritis ijs, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Nã & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis ijs, à quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia: Quibus verbis certum est, nullum esse sermonem de vsura. Nam si de ea loqueretur, non diceret, quod peccatores fœnerãtur, vt recipiant æqualia: cũ in vsura non accipiatur æquale, sed maius, vt constat. Sed dixit, æqualia, id est, paria bona gratis sibi collata, quæ fideles in suis operationibus sperare non debent, sed tantum diuinam mercedẽ. Et ideò subdit. Diligite inimicos vestros: benefacite; & mutuum date: nihil inde sperãtes, id est, nullam ab hominibus sed à Deo gratiam sperantes. Et sic erit merces vestra multa; eritisq; filij altissimi, &c. Et sic constat, quòd ex isto loco, non sufficienter colligitur, vsuram in euangelio esse prohibitã. Et si quis contra istam expositionem obijciat Vrbanum Papam III. in cap. consuluit.

luit. de vsuris. adducẽtem illa verba; Mutuũ date, nihil inde sperantes, ad probandã vsurarũm prohibitionem, dico id esse verũ. Ex hoc tamen non infertur, nostram expositionem non esse conuenientem. Quia non semper quòd Papa citat testimonium ex scriptura, in aliquo sensu incidit illum definire, tanquam de fide, sed aliquando affert illum secundum Doctorum opinionem quod & in proposito facere potuit. Præterquã quod etiam ex illis verbis potest deduci argumẽtum per locum à maiori, ad probandũ, vsuram non esse licitam hoc modo: Christus consuluit non esse sperandum ab hominibus donum gratuitum, quòd licitè rependere possunt: ergo à fortiori sequitur non esse sperandum pretium vsus, quod iustitia vetat. Sicque conuenienter adducitur id testimonium ad conuincendam vsuræ prohibitionem: quanuis in illis verbis tantum habeatur consilium de mutuando gratis, absque spe humanæ mercedis, &c.

Vlt. concl. ¶ Vltima conclusio: Vsura est prohibita iure positiuo. Probatur ex multis capitibus iuris, quibus ea interdicitur; imponunturque graues pœnæ contra vsurarios: vt est videre apud Syluestrum verbo vsura. 9. q. 4. Et si quis obijciat, quòd leges humanæ vsuram permittunt; vt est videre in pluribus, quæ habentur. ff. de vsuris, & C. eodem titulo, respondeo, quòd, quanuis iura canonicũ diuinum, & naturale vsuras prohibeant, tãquam ex se malas omninoq; iniustas, leges tamen ciuiles, quæ à principibus instituuntur, illas permittũt, & impunitas relinquũt, sicut & plura alia peccata ad euitanda maiora mala, quæ eis non permissis necessariò suborirentur, vt docet D. Thom. in solut. ad 3. Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũm principes seculares vsurã in republica permittentes peccent? Ad quod breuiter respõdeo, negatiuè. Sed potius dico, quòd stando intra terminos iuris naturalis, atque diuini licitum est condere legem vsurarũ permissiuam. Non quidem propter lucrum principis, quod ab vsuris perciperet. Hoc enim esset participare in vsura, quod est intrinsecè malum. Sed propter vitandũ maius malum, putà furta. Quemadmodum licitũ est condere leges meretricum permissiuas, propter vitandã adulteria. Nec huiusmodi leges sunt iniustæ, vt ab omnibus conceditur.

Ad. 1. arg. ¶ Restat modò respondere ad argumenta in principio quæstionis facta. Et sic ad primum, in quo quærebatur, vnde vsura malitiam habeat, an, scilicet, ex obiecto, vel ex aliqua circunstantia, dico, quòd habet illam ex obiecto, non partiali, sed totali, quod est accipere incrementum propter mutuũ, vbi nulla alia legitima causa ad incrementũ suscipiendũ interuenit, estq; hoc intrinsecè malum propter inæqualitatem, qua iustitiæ aduersatur, vt ex dictis patet. Habet etiam vsura intrinsecum malitiam ex circunstantijs in argumento relatis. Quare ad primum, in quo arguitur, posse lucrum ex mutuo sperari, sicut ex meretricio, respondeo, negando consequentiam. Et ratio discrimĩnis est. Nã in eo, quod meretrix pretium pro meretricio accipiat, nulla reperitur iniustitia, cum vendat id quod ex se est venale, vt diximus supra. At verò in eo, quod quis accipiat lucrum pro mutuo, iniustitia interuenit, vt ex dictis patet. ¶ Ad secundum, in quo probatur posse lucrum ex alterius industria quæri, & sperari, sicut in societate, similiter dico, non esse eandem rationem de hoc, & de lucro sperato pro mutuo. Nam in societate nulla interuenit iniustitia, aut inæqualitas ex se, secus autem est in mutuante propter lucrum. ¶ Ad tertium de pacto appositio cõfractui, quod repugnat ipsius naturæ, dico verum esse, quòd hæc ratio generaliter non sufficit vitiare contractum, vt rectè probat argumentum. Sed secus est in particulari contractu mutationis. Et ratio est. Quia pactum incrementi mutationi appositum, non trahit illam in aliud genus contractus: sed manente mutuatione, ac si tale pactum non fuisset appositum, quod in alijs contractibus non contingit, iustitiæ æqualitas tollitur ad modum iam explicatum. ¶ Ad quartum, quòd est munus dare, & plus exigere, dico, hanc circunstantiam non vitiare contractum, nisi quãdo nulla apparet iusta causa plus accipiendi. Quod contingit in mutuo, vbi nec damnum emergit, nec lucrum cessat. Et idem inuenitur in emptione, & venditione, siue fit ad terminum, siue ad statim. Ad quintum de venditione temporis, fateor verum esse, quòd mutuans propriè loquendo nullum tempus vendit, sed dicitur hoc facere, quando lucrum reportat ex mutuo. Ad hunc sensum quod quia expectatio solutionis rei mutuatæ vltra mutuatum nihil aliud videtur, quam tempus dilationis importare, id circò qui accipit lucrum propter expectationem, solum tẽpus vendere dicitur. Quod quanta sit iniquitas, patet ex superius dictis. Ad sextum, de damno ipsi mutuatario veniente, dico, ità esse, quòd vsuraria mutuatio inde vitiatur: quia fit in damnum mutuatarij, vel in re, vel in spe. In re quidem, vt quando reddit aliquid vltra sortem debitam. Et in spe; vt quando vsurarius etiam si mentalis sit,

sperat

Universidad de Deusto
Biblioteca

sperat vel intendit aliquid à mutuatario vltra sortem debitam. Et quando dico aliquid intelligo, siue pecuniam, siue quoduis aliud pecunia æstimabile. Ex quo infertur, quòd quando mutuans pactum apponit, vt mutuatarius veniat ad officinam mutuantis, ibi exigit ab illo obligationem, quæ est pretio æstimabilis. Et sic nihil obstat obiectio.

Ad.2.arg. ¶ Ad secundum argumentum principale respondetur cum D. Thom. hic in solutio. ad.5. quod ille, qui mutuare non tenetur recompēsationem potest accipere eius, quod fecit, sed non debet amplius exigere. Recōpensatur autem sibi secundum æqualitatē iustitiæ, si tantum ei reddatur, quantum mutuauit. Quare si amplius exigat pro vsufructu rei, quæ alium vsum, quam consumptionem substantiæ non habet, pretium eius exigit, quod non est, atque ex consequenti est

Ad.3.arg. iniusta exactio. ¶ Ad tertium argumentum respondetur negando antecedens, & ad probationem dico obligationem non petendi mutuum ante certum tempus, non esse pretio æstimabilem, per se loquendo, quantū est ex vi mutui. Quanuis possit aliquando alius titulus accidere, ratione cuius pretio æstimetur, sicut & obligatio ad mutuandū, vel vendēdum, pretio æstimatur aliquādo. Quod vt melius intelligatur, simulq; satisfaciamus tribus confirmationibus in argumento positis aduertendum est, quod quia moralia moraliter sunt iudicanda, considerare oportebit, ne fingamus res aliquas esse pretio dignas in aliquo casu, in quo re vera pretio dignę non sunt. Alioqui in huiusmodi obligationibus faciendis multæ poterūt fraudes contingere propter hominum auaritiam. Quod isto exemplo declaratur: Cōmuniter dicitur obligationem ad mutuandum esse pretio æstimabilem. Tamen si contingeret casus, vt is, à quo petitur mutuum respondeat, se nolle mutuare hodie, velle tamen se hodie obligare ad mutuandum mane, vel post mensem; ratione eq; huius obligationis petat aliquod pretiū æquiualens vsuris, quas peteret, si hodie mutuasset; procul dubio nullus erit, qui neget, tale factū esse vsurariū; eoq; fucato titulo vsuram palliasse. Intendebat enim homo ille lucrum ex illa mutuatione exigere, propterea que finxit pretium petere pro obligatione mutuandi, & non pro mutuo. Vnde ad modum, quo responderemus ad prædictā fraudē, si in fauorem illius, qui eā fecit diceretur, quòd mutuator prius exegit pretium pro obligatione mutuandi, quod erat licitū, & postea gratis omnino mutuauit, respondendū erit; etiā ad probationē illius antecedentis, & ad tres confirmationes adductas. Nempe, quòd quādo obligatio ad mutuandum, vel etiam ad vendendum, nullo prorsus periculo exponit mutuaturum, vel venditurū; quia re vera nullam ei incommoditatem affert; non est pretio æstimabilis. Et sic si ille qui paratus est omnibus vēdere, vellet alicui facere obligationē illud ipsum vendendi eras, vel post octo dies, aut post mensem; non posset pro tali obligatione aliquid distinctū exigere à iusto pretio mercis. Secus autem esset, si ex huiusmodi obligationibus mutuaturus, vel venditurus aliquod incommodū pateretur; nam tunc licitum esset pro illa obligatione pretiū exigere pro quantitate incōmoditatis. Et hinc iustificatur pretiū, quod obligati reipublicæ postulāt pro obligatione, quā faciunt de prouidenda carne, vel piscatura, aut vino. Ad hunc ergo modū dicere oportet: quòd sicut obligatio mutuandi aliquando est pretio æstimabilis, & aliquando nō: ità etiam obligatio ad non petendum debitum interdum potest pretio æstimari, & interdum non. Exemplum primi est, quando quis se obligat ad mutuandum in omni euētu, vel etiam in aliquo casu speciali, in quo aliquid periculi; damni emergentis, vel lucri cessantis, vel cuiusquam alterius incommoditatis ipsi mutuatori euenire potest. Nā tunc profectò erit licitum pro illa obligatione aliquod pretium exigere. Exemplum secundi est, quando mutuaturus nullo periculo se exponit. Nam tunc nihil potest accipere pro illa obligatione. Et eadem est ratio de obligatione ad non petendū mutuatum. Ex quo aperitur via ad satisfaciendum tribus confirmationibus propositis. Vnde ad primam dico, quòd si Petrus & Ioannes æqualiter se habeant quantum ad hoc, quòd neuter ex tali commodatione pro longiori, vel breuiori tempore patitur detrimentum nullus potest pretium exigere, nec pro mutuo, nec pro obligatione ad nō petendum intra annum. Vt si, verbi gratia, Ioannes erat vir pecuniosus, & qui toto integro anno pecunijs non indigeret, hoc enim ipsum est mutuare per annum. Quin potius dico, quòd si Petrus pro breuiori tempore mutuans in casu posito, opus haberet suas pecunias expendere, aliquod pretium exigere posset pro ratione incommoditatis, & non Ioannes, qui per integrum annum mutuauit. Et est aduertendum, quòd quando dicimus, mutuatorem posse aliquid accipere ratione incommoditatis, quam ex mutuatione patitur nomine incommoditatis, non intelligimus solum damnum emergens, aut

Moralia moraliter sunt intelligenda.

Ad.1.confirmatio.

Ad.2.confirmatio.

Ad.3.confirmatio.

aut lucrum cessans in ipsa pecunia, sed etiā quemcunque actum, vel liberalitatis, vel magnificentię, quem decebat ipsum exercere, & quamcunque aliam operationem, vel necessariam, vel conuenientem, à qua mutuans impeditur: Nam pro his omnibus potest habita matura deliberatione prudentique æstimatione pretium accipere, de illoque paciſci, modo incommoditas non sit ficta, sed vera. Omnia enim ista pretio æstimari possunt. Ad secundam confirmationem respondeo, quòd illa obligatio Ioannis ad mutuandum Paulo per integrum annū pecunias, quotiescunque petierit, vsque ad centum aureos, meo iudicio est æquiualens illi, qua se obligaret ad non petendum eosdem centum aureos per annum, quos statim mutuasset. Atque adeò si non magis incommodatur mutuans in vno casu, quam in alio, in neutro erit licitum pretium exigere pro tali obligatione. Nec argumentum factum contrarium conuincit. Sed potius ex oppositā sententia aperiretur via ad palliandas vsuras. Nam dicere possent mutuantes, se accipere pretium non pro mutuo, sed pro obligatione, quam faciunt, vel mutuandi, vel non petendi mutuatum intra certum tempus; quod est maximum inconueniens. Eandem rationem exigendi pretium vtrobique esse existimo moraliter loquendo. Nec maior causa est in vno quam in altero casu. Et idem iudicium est de pœnis, quas mutuatores contra mutuatarios, si præfinito tempore mutuatum non soluerint, constitui solent. Nam si reuera mutuator ex retardatione solutionis in aliquo incommodatur, licitè potest talem pœnam in pactū deducere. Si autem nullum patitur incommodum, vsura erit palliata talis pœnæ constitutio. Eritque signum, quòd mutuans ex vsura palliata pœnam apponit, si gaudet, quòd mutuatarius præfinito tempore, vt pœnam incurrat non soluat? Ad tertiam cōfirmationem respondetur, verum esse, quod per se loquendo, nūquam est licitum ratione maioris temporis pretium accipere pro obligatione non petendi. Cæterum, quia multiplicato tempore ipse mutuans, moraliter loquendo, se exponit alicui periculo, vel damni emergentis, vel lucri cessantis, vel alicuius alterius incommoditatis, cum moraliter contingere non possit, vt magno temporis spatio non occurrant hominibus necessitates, & occasiones dispendandi pecunias. Idcirco absolutè est negāda sequela tertiæ confirmationis. Non ratione proportionis temporis ad tempus, quia sic bene valet consequentia, sed ratione incommoditatis, quæ regulariter in tam magno temporis spatio sequitur mutuatori. Et hæc dicta sint de tota ista difficultate.

¶ Circa secundam conclusionem D. Thom. qua dicitur, id, quod per vsuram acquiritur esse necessario restituendum, aduertendum est, quòd si intelligatur de sola vsura reali, est certa, & extra controuersiam posita. Quoniam etiam est certum, importare illā peccatum contra iusticiam, ex quo intrinsecè obligatio restitutionis oritur; vt ex dictis patet. Cæterum, si extendatur ad vsurā mentalem, qua quis aliquid mutuo dat alicui, siue pacto tacito, vel expresso, quidquā accipiendi vltra sortem, sperans tamen se in de aliquod lucrum reportaturum, non leuē continet difficultatem, vtrùm vera sit. Quā vt explicemus operæpretiū erit, vt alterius dubij solutionem, ex quo istius determinatio dependet, præmittamus. Illud autem est, vtrùm sit licitum lucrum ex mutuo sperare. De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est quorundam, qui dicunt, nunquam esse licitum lucrum ex mutuo sperare, siue principaliter, siue minus principaliter, & siue ex mutuo, siue ex amicitia lucrū intendatur. Maximè quando alias non esset mutuaturus. Quam suam sententiam probant primò ex illo Luc. cap. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes. Vbi Christus omnē spem, & intentionem lucri, etiam ex amicitia prouenientem expresse damnauit. Secundo ex Vrbano. I I I. in cap. consuluit. de vsuris. sic dicente. Qui mutuat, aliàs non mutuò daturus, eo proposito, vt licet omni cōuentione cessante, plus tamē forte recipiat, pro huiusmodi lucri intentione, quam habet iudicandus est malè agere. Tertiò ratione sic argumētantur: Qui ipse lucri mutuat, aliàs non mutuaturus; planè ratione mutui incrementum quærit: ergo peccat. Probo consequentiam: Nam cum mutuum nullius sit valoris, sed gratis agendum, iniustō, imò nullo titulo lucrum desiderat, quod est mētis vsurariæ. ¶ Secunda sententia est Caietani in isto articulo, dicentis; non semper lucrum speratum, quod est causa, sine qua non, mutuationis; esse vsurarium, nec reddere ipsam mutuationem vsurariam. Sed tunc tantum, quando mutuans sperat lucrum ex mutuo: Nam, si illud sperat ex gratitudine, siue ex liberalitate mutuatarij, esto si illud non speraret non esset mutuaturus, nec est vsurarius, nec peccatum committit. Quam suam sententiam probat primò, ex communi hominum iudicio vniuersaliter excusantium à culpa, eum qui sciens aliquem gratum esse de beneficio accepto,

Nota circa 2. concluſ. D. Thom.

Dubium, an ſit licitū lucrum ex mutuo ſperare.

1. Sentent.

2. Argum.

3. Argum.

2. Sentent. Caiet.

1. Argum.

illi

Universidad de Deusto
Biblioteca

illi mutuat, & non ei, quem ingratum esse
2.Argum. cognoscit. Secundò: Quia, cùm sit licitum spe benevolentiæ, & amicitiæ alicui mutuare, fit consequens, vt etiam sit licitum recompensationem, & gratuitam remunerationem ex tali amicitia prouenturam sperare. Cui enim licitum est, radicem desiderare, eidem etiam est licitum fructum inde
3.Argum. euenturum sperare. Tertiò: Licitum est vni cuique id ab homine sperare, quod iure naturali sibi debitum est: sed talis est gratuita remuneratio mutuatarij respectu mutuantis, omni exteriori pacto secluso. ergo, si mutuans illam speret nullum peccatum committit. Tandem hoc ipsum probat Caietanus exemplo illius, qui it ad ecclesiam, officium diuinum ibi completurus; principaliter quidem propter Deum, secundario verò & minus principaliter propter stipendium, seu propter distributiones, quas si nõ speraret ad ecclesiam non iret. In quo casu certum est ex communi omnium Doctorum sententia, talem nec simoniam, nec quoduis aliud peccatum committere. Et similiter videtur dicendum, nec vsuram esse, nec peccatum mutuare propter lucrum, nõ ex mutuo, sed ex benevolentia mutuatarij euenturum: etiam si id sit causa, sine qua non, talis mutuationis.

3.Sentent. ¶ Tertia sententia est aliorum, qui dicũt, quòd minus principaliter, & impulsiuè potest quis mutui occasione lucrum sperare; non tamen ita, vt lucrum sit causa principalis, seu finalis. Hanc tenet Couarru. lib. 1. Variar. cap. vlt. num. 4. & in regula peccatum, part. 1. num. 8. & Sylvest. verbo, vsura. 1. & Medina de vsuris. quæst. 1. Quanuis in explicanda natura causæ principalis, seu finalis, & impulsiuæ, seu minus principalis, varient multum. Sylvester, verbo, vsura. 1.
Modus dicendi Sylu. quæstio. 1. dicit, tunc lucrum respectu mutuantis esse causam principalem, quando eo non existente, non mutuaret. Nam si adhuc ipso non existente mutuò daret, quanuis non ità placidè non causa principalis, sed tantum impulsiua erit dicendum lucrum. Cæterùm hæc explicatio est apertè falsa. Nam causa sine qua non, est minus principalis, & tamen sine illa effectus esse non potest. Constat enim, quòd clericus non diceret horas, nec missam sine spe lucri, & distributionis; & tamen ex hoc non sequitur causam principalem orationis, & missæ esse pecuniam. Illa ergo meo iudicio erit dicenda causa principalis alicuius actus, quæ per se appetitur, & propter quam aliud appetitur. Est enim de ratione finis, vt per se desideretur ex illiusq; affectu alia sint volita, vt media ad illum. Nam quæ sunt ad finem, nõ tam propter se, vt potio, quam ex amore & cupiditate finis, sunt volita. Et sic causa principalis, & finalis pro eodem reputantur in præsenti. Causa autẽ minus principalis, seu impulsiua est, quæ non per se, sed alterius affectu est volita & concupita, etiam si sit causa, sine qua non. Non enim istæ repugnant. Ex quo sequitur, magis esse de ratione causæ principalis, dignitas, & cuius gratia cætera concupiscimus, quam quod sit id, sine quo actus non existeret. Et hoc dico nõ modo, vt in hac quæstione horum Doctorum sententia intelligatur; verum etiam, quia spè in moralibus disputationibus de causa finali, & impulsiua, de minus principali, ac principali, mentionem faciunt Doctores. *Medina in tract. de vsuris. quæst. 1. §. superest igitur.* Medina in tract. de vsuris. quæst. 1. §. superest igitur. Suppositâ distinctione superius posita, de causa principali, seu finali, & minus principali, seu impulsiua; atq; etiam supposito, quod intentio differt ab spe; quia intentio, vt ipse ait, est de eo, quod principaliter volumus, respiciteq; causam finalẽ; vnde D. Thom. 1. 2. q. 12. & communiter Theologi morales dicunt, intentionem semper esse de fine; at verò spes est etiam de rebus minus principaliter, & impulsiuè concupitis; quare multa speramus euentura, quæ tamen nõ intẽdimus, nec ex eorum affectu operamur, vt illa eueniant, etiam si sciamus, illa ex nostro opere esse euentura; ad explicationem sententiæ propositæ dicit multa. Primũ est, non esse licitum ex mutuo immediatè lucrum intendere; non modo præcisè lucrum, sed nec etiam simul cũ amicitia: ità, vt hæc duo motiua immediatè, & ex æquo terminent voluntatem. Quod tanquam clarum relinquit. Quia iam lucrum esset principaliter, & finaliter propter mutuum volitum, quod est animi vsurarij. Dicit secũdò, quòd etiam si non immediatè, & ex æquo, sit lucrum, siue per se præcisè, siue simul cũ amicitia intentum, sed ordine quodam, ita, scilicet, vt mutuans immediatè intendat amicitiam non propter se, (nam hoc omnium sententia est licitum) sed propter lucrum, quod ex illa potest euenire, id sufficiens est vitiare mentem, reddereq; illam vsurariam. Et ratio illius est, quia tunc lucrum esset principaliter intentum in mutuo, & magis principaliter, quam amicitia. Propter quod enim vnumquodq; tale, & illud magis, teste Aristotele. Quare qui vult amicitiã propter lucrum, quod magis velit lucrum est necesse. Et sicut ille, qui furatur propter mœchiam, est magis mœchus, quam fur, vt idem philosophus dicit. Ita qui causa mutui vult amicitiam

titiam propter lucrum, magis erit fœnerator, quam amicus dicendus. Tertiò dicit Medina, quòd ex amicitia mutuo concilianta, quanuis non sit licitum intendere lucrum, est tamen licitum illud sperare. Quia tunc lucrum non est causa finalis, sed impulsiua ipsius mutuationis: atque adeò ex gratitudine, & benevolentia speratur. Esto, ità ex illo moueatur ad mutuò dandum, vt non moueretur, si sciret mutuatarium fore ingratum. Et ratio huius est; Quia id fieri potest absque eo, quòd affectus mutuantis tendat in lucrum, sed in detestationem ingratitudinis. Et quoniam gratitudine mouetur, dicitur tunc lucrum causa impulsiua. Ex quo infert, posse esse lucrum causam, sine qua non, & impulsiuam, non tamen finalem, & principalem. Hæc Medina. Cuius
Iupugnatur Medi. sententia acuta certè est, & docta satis: cæterum mihi, vt ingenuè fatear, non placet omnino. Quocirca, vt quid ad propositam difficultatem respondendum sit, explicem, supponendum est primò tanquam certum, quòd intendere lucrum ex se malum non est: sed vitiatur ex modo, quo intenditur. Sicut & quòd ministet episcopi beneficiũ intendat absolutè, non est malò; sed vitiatur, si illud intendat ex vi obsequij, aut alicuius rei temporalis. Secundò suppono, quòd in mutuo duo sunt. Vnum est ipsa substantia mutui, quæ in mutuatarij commodum ordinatur. Alterum, quòd mutuatio sit opus officiosum ex benevolentia procedens, similemque in animo mutuatarij generans. Tertiò, suppono, quòd amicitiam, & benevolentiam temporalem, siue principaliter, siue minus principaliter, tanquam finem, siue tanquam causam, sine qua non, licitum est in mutuo intendere, seu sperare, vt communiter docent Doctores, sequuti Diuum Thomam in ista quæstione. Et ratio illius est: Tum, quia amicitia non est pretio æstimabilis. Tum etiam, quia nihil tunc temporale ex obligatione intenditur, sed tantum mere liberè speratur, quod mutuo non repugnat. Quartò suppono, aliud esse dicere, quòd quis quærit lucrum in mutuo, & aliud, quòd intendit lucrum ex mutuo, aut ratione mutui. Nam in prima propositione non denotatur dependentia lucri a mutuo in ordine ad intentionem mutuantis: in secunda verò sic.

1.Conclus. ¶ His suppositis, sit prima conclusio: Spe rare lucrum ex vi mutui, siue primaria, siue secundaria intentione, modò id intendatur ex vi obligationis ciuilis, aut iustitiæ, est illicitum & vsurarium. Hæc conclusio est Caietani, opusculo de vsura, quæstione secunda, & Magistri Soti libro sexto. de iustitia, quæstione prima, quanuis articulo primo & secundo, varius esse videatur. Estque communis omnium recentiorum Theologorum. Et sensus illius est, quòd semper, quod hierũ speratur, siue primaria, siue secundaria intentione, tanquam debitum ex mutuo, (esto non præcise, sed etiam simul cum amicitia intendatur, sintque ista duo motiua terminantia voluntatem mutuandi; quanuis non ex æquo nec immediatè,) est peccatum & vsuratium. Itaque affirmo in hac conclusione, quod Medina in suo primo dicto, & aliquid amplius. Nempe; quòd si lucrum speratur tanquam debitum ex mutuo, siue immediatè, siue mediatè, & esto intendatur simul cum illo amicitia, est illicitum & peccatum. Cum tamen Medina solum affirmet, esse illicitum, immediatè lucrum intendere ex mutuo, adhuc simul cum amicitia: quando hæc duo immediatè, & ex æquo terminant voluntatem. Probatur tamen nostra conclusio primò: Vsura est lucrum ex mutuo, vt habetur in illius definitione: ergo quicunque intendit lucrum ex vi mutui, siue primariò, siue secundariò, est vsurarius. Patet consequentia à definitione, ad definitum. Et confirmatur: Qui ex re temporali intendit acquirere beneficium, siue mediatè, siue immediatè, est simoniacus, vt vidimus, quæstione 100. ergo & qui ex mutuo intendit acquirere lucrum, siue mediatè, siue immediatè est vsurarius. Consequentia tenet ex paritate rationis. Secundò: Qui furatur, vt mœchetur, licet principaliter intendat mœchiam, adhuc tamen habet in intentione malitiam furti, & similiter, qui dat eleemosynam, vt satisfaciat pro peccatis, quanuis ex primaria intentione sit iustus: quia illud est opus iustitiæ, adhuc tamen est misericors, quia illud opus est verè eleemosyna: ergo pari ratione, qui intendit lucrum ex mutuo, quanuis principaliter intendat amicitiam, erit vsurarius, saltim mentalis. Tertiò: Qui intendit lucrum ex mutuo, siue mediatè, siue immediatè non mutuat gratis: ergo est vsurarius mentalis. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Qui intendit lucrum ex vi mutui, aliquid vltra sortem intendit: ergo non mutuat gratis, nec ex benevolentia. Dixi in conclusione non esse licitum sperare lucrum ex vi mutui, siue primaria, siue secundaria intentione, modo id intendatur ex vi obligationis ciuilis, aut iustitiæ, nam si alio titulo intendatur, iudicandum erit de illo secundum naturam talis tituli. Na-

narrat

Universidad de Deusto
Biblioteca

uarrus in Manua.c.17.argumentatur multipliciter contra nostram cõclusionẽ,intenditq; probare aliquando esse licitũ secundaria intentione appetere quod primariò intendere esset illicitũ. Ná primò;Licet seruire episcopo intentione secũdaria obtinẽdi beneficiũ,quanuis id intendere primariò,& per se esset simoniacũ,vt dicitur in.c.si officia.59.d.& in.c.quid proderit.d.61.Itẽ:Quãuis non sit licitũ dicere missas, aut ministrare sacris principaliter propter lucrũ; id tamen licet secundaria intentione, vt habet glossa recepta super cap.1.de cler.non residentibus,in.6. Tandem: Quanuis nõ liceat seruire Deo principaliter, & ex primaria intentione propter retributionẽ, id tamen licet secundaria; vt diffinitur in Concilio Trid.sess.6.can.15.ergo pari ratione, quanuis non sit licitum primaria intentione mutuare propter lucrũ,id licebit facere secundaria intentione. Respondetur tamen, hæc omnia argumenta sufficienter probare,multa esse licitũ appetere propter aliud, & ex alio,quæ tamen propter se, & ex primaria intentione appetere esset iniquũ, quod nos non negamus.Idemq; contingit in mutuo. Cæterũ in conclusione loquimur formaliter.Et quod dicimus est, ex vi mutui, non esse licitum aliquid vltra sortem intendere, siue primario, siue secundario,considerãdo illud intra latitudinẽ actus iustitiæ præcisè. Nam si ex vi mutui hac cõsideratione lucrũ intenderetur,siue primariò, siue secũdariò, iam intenderetur ex vi iustitiæ tanquã debitum,quod est iniquũ.Cũ hoc tamen stat,vt possit aliquis in re quodá alio titulo secundario quidquam in mutuo,vltra sortem intendere.

¶Et propter hoc sit secunda conclusio:
2. *Conclus.* Licitum est mutuanti,tam primariò, quam secundariò, intendere lucrũ in mutuo,non ex debito,sed ex gratitudine,& beneuolentia.Hæc conclusio similiter est contra secũdũ dictũ Medinæ,in quantũ affirmat,quòd quando mutuans intẽdit amicitiam, nõ propter se, sed propter lucrũ, quod ex illa potest euenire,illa intentio est mala,& reddit ipsum vsurarium. Nam cõtrarium existimo verum.Et sic sensus nostræ cõclusionis est, quòd quotiescunq; lucrum intenditur media amicitia,tanquam causa, siue ipsa amicitia sit principaliter propter lucrum intẽta, siue è contra; taliter mutuans,nec est vsurarius,nec peccatũ committit.Probatur:Vsura essentialiter est iniustitia, & furtũ,vt omnes fatentur,ipso etiam Medina concedente:sed est impossibile,quod iniustitia fiat alicui in eo, quod ipse liberaliter & omnino sponte dat: ergo etiã est impossibile, quod vbi lucrum ex sola beneuolentia, amicitia, & liberalitate speratur,& intenditur sit vsura, siue ipsum lucrum primario,siue secundario intẽdatur. Secũdò:Qui cupit aliquid voluntariè datum ab amico,nõ dicitur fur: sed qui proponit quidquã inuito domino accipere:ergo nec qui cupit lucrum nõ coactè,nec ex necessitate mutui, aut, vt pretiũ illius datum, sed ex alterius gratia & voluntate,potest dici iniustus, aut vsurarius. Probo consequentiam: Quia non potest proximus esse magis rationabiliter inuitus de isto animo accipiendi lucrum,siue principaliter siue minus principaliter habeatur,quam de illo,quod alter habebat accipiendi voluntariè datum.Et confirmatur: Qui ex gratia & beneuolentia lucrũ in mutuo sperat, ex honestate,amicitiæ, vel gratitudine illud intendit:ergo nulli facit iniuriam,atq; ex cõsequenti nec peccatũ cõmittit.Probo consequentiã: Nam,vt diximus in primo præsupposito, intendere lucrum ex se non est malum,nisi violetur ex modo,quo intenditur. Tertiò: Talis formaliter non sperat lucrum ex mutuo,sed ex amicitia, vt constat: ergo eius intentio non est vsuraria, siue primariò,siue secundariò habeatur;cum vsura formaliter sit lucrum ex mutuo.Item: In amicitia est licitum intendere amicabilem compensationem,vt docet D.Tho.infra.q.106. art.5.ergo & in mutuo,quod est opus amicitiæ,etiam erit licitum eandem cõpensationem primariò intendere; non ex debito iustitiæ,sed ex beneuolentia. Et confirmatur: Talis in mutuando exercet officium beneuolentiæ:ergo nullũ erit incõueniens,quòd simile in mutuatario intendat. Tandem: Qui accipit mutuum tenetur gratitudinem mutuanti exhibere, vt dicit Diuus Thomas in isto articulo in corpore, & in solutione ad.3.& quæstio.106.articulo primo: ergo & qui mutuat poterit eandem gratitudinem etiam primariò intendere. Probo consequentiam: Nam quod alter tenetur facere, ego possum intendere. Hanc nostram sententiam apertè tenet Nauarrus cap.17.num. 209.Nec te moueat quod dicit ibi, intentionem principalem accipiendi lucrum ex mutuo constituere vsuram; nam loquitur de mutuo præcisè. Vt si exigas mente tua, velisque accipere,tanquam debitum,& veluti coactè à proximo, & non ex beneuolentia lucrum ipsum, iuxta dicta in prima conclusione. Nam si detur ex amicitia,aperte fatetur esse licitũ.Sub his verbis,cum cõmuni asserimus,quod tam principaliter,quã secundario possumus sperare lucrum amicitiæ,& lucrum ex amicitia, & gratitudine.Ex dictis infero primò, quod etiam si mutuans explicet suam mentem verbis; imò etiam si exigat gratitudinem à mutuatario, nullum peccatum committet. Nam si intentio est licita per hoc, quod verbis explicetur,seclusò scãdalo,nequaquã erit illicita. Adeuq; reputo hoc verũ, vt etiam si mutuans,lucrum istud à mutuatario extorqueat, non sit vsurarius, modò inter ipsos constet, non ratione mutui ex debito id requirere. Infero secundo, quod quamuis mutuator non mutuaret, nisi lucrum speraret; adhuc non eo ipso condemnandus est, tanquã vsurarius,sicut multi hoc signo vtentes, talem mutuatorem damnant. Vt enim ex præcedentibus constat, bene potest mutuator solum mutuare iis, qui grati futuri sunt;sicut & ego solum illis possum amicari, quos mutuis officiis responsuros intelligo. Imo, vt in plurimum,ità fit,quod donatio, mutuatio, & accõmodatio,non, nisi ad eos, ex quibus gratitudo speratur, exercentur.Doctrina est communis,& colligitur ex D.Thom.quodlibet 8.articu.11. Vbi dicit licitè clericos posse secundaria intentione dicere missam pro argento.Imò & in illis bonis, quæ ex iustitia distributiua dispensantur, licitum est distributori, vni ex duobus æquè dignis dare beneficium; quia scit eum futurum gratum:estò alias non esset daturus.

3. *Conclu.* ¶Tertia conclusio:Quamuis ea quæ diximus, in rigore Theologico vera sint,qui tamen explicaret mentem suam mutuatario, & etiam qui fateretur se nullatenus mutuare,nisi spe lucri obtinendi,tanquam suspectus de vsura erit habẽdus.Probatur:Sic mutuantes non ex amicitia,nec ex beneuolentia operari videntur,sed potius tanquam exactores se gerũt:ergo vel non intẽdunt,vel saltem non sunt exituri animi intendere lucrum ex amicitia.Eò vel maximè,quod sulum negotiatores,qui cupiditate,& non beneuolentia ducuntur istam mutuandi formam habent. Quare discretus confessarius,aut Doctor de hac re consultus regulariter debet eos damnare, vel saltem non approbare. Nec illis facit iniuriam, cum prudenter atque moraliter, & non metaphysicè hæc sint diiudicanda. Ex quo sequitur, tales regulariter non esse absoluendos; nisi certò constet, ipsos ex gratitudine, & non ex mutuo lucrum intendere. Et itque salubre consilium, quod mutuans ità dubius, à mutuatario, à quo aliquid vltra sortem accepit, quærat, an tale pretium tanquam debitum ex mutuo præcedenti deberit.Nam si ita est mutuans tenebitur illud restituere, & si non restituat, non erit absoluendus. Aliàquin minimè.

¶Restat modo respondere ad argumenta,pro prima,& tertia opinione facta. Quæ sunt Caietani probant nostrã secundam conclusionẽ,vt ex dictis patet. Hoc vno excepto,quod exemplũ ab ipso adductũ in vltimo loco de clerico celebrãte,vel eũte ad ecclesiã primariò propter Deũ,& minus principaliter propter distributionẽ:nõ habet similitudinẽ cũ mutuãte,quantũ ad hoc,quod est,cõmodum temporale inde sperare.Nã clerico licitũ est ex suo ministerio stipẽdiũ quærere,& illud tanquã debitũ,etiã cuiliter,exigere;cum dignus sit operarius cibo suo: nec debeat quisq; suis stipẽdiis militare. At verò mutuãti non ità licet stipendium,vel retributionẽ,vel cõmodũ aliquod temporale exigere,nec sperare. Ad 1.argu.pro prima opinione desumptum ex illo Lucæ.6.Mutuum date,nihil inde sperantes,vbi Christus omnem spem,& intentionem lucri etiam ex amicitia proueniente, damnasse videtur;respondeo, quod,vt constat ex superioribus, locus ille non continet prohibitionem vsuræ, sed tãtũ consilium mutuandi, absque spe humanæ compensationis. Cum quo stat, vt contrarium sine peccato fieri possit. ¶Ad secundũ ex capitulo. consuluit. respondetur, loquitur ibi summum Pontificem solum de eo, qui corrupta mente lucrum,vt pretium,& vt debitum ex mutuo intendit,quod, vt diximus in prima conclusione animi est vsurarii. Et quod hæc fuerit mẽs pontificis ex litera eiusdem textus sufficienter colligitur. Dicitur enim in fine illius,quod accipientes tali intentione,ad restitutionem,efficaciter sunt inducendi. At verò, si loqueretur de acceptis ex vera voluntate, & gratitudine dantis, id non subiungeret, cum restituendum id esse nullus dixerit, quia nullus est læsus, vt dubio sequenti videbimus. Ad tertium respondetur, quod qui spe lucri mutuat, si id sperat tanquam debitum ex mutuo, proculdubio peccat, vt diximus in prima conclusione. Non tamen si illud sperat, tanquam ex amicitia & beneuolentia conferendum: estò alias mutuaturus non esset, vt diximus in secunda conclusione. ¶Ad rationem, qua Medina probauit suum secundum dictum, respondeo illo argumento rectè concludi, intendentem amicitiam propter lucrum ,magis velle lucrum: atque adeò optimè colligeret esse magis auarum, quam amicum, cum magis velit pecuniam, quam amicitiam. Non tamen ex hoc infertur, quod sit vsurarius, quia non immẽ-

Ad 1.arg. pro prima opinione.

Ad 2.arg.

Ad 3.arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diate ex mutuo, sed media beneuolétia lucrū intendit. Et hæc cogitatio habendi, scilicet, augmentum ex liberali voluntate alterius iniusta non est, vt patet. Est autem de ratione vsuræ etiam mentalis, quod iniustam saltē cogitationē, & animū ineludat, sine quo vsurā interuenire est impossibile. Sed obiicit Medina contra hoc: Quod quis lucrum ex gratitudine effectiuè speret, & nō ex mutuo non valet excusare à labe vsuræ; quia etiam vsurarius verus sperat lucrum ex voluntate mutuatarii effectiue, & non effectiue ex mutuo: ergo, quod quis quærat lucrum media beneuolentia, non impedit, quominus sit vsurarius, si ipsum lucrum principaliter intendit. Sed miror virum alioqui doctissimum, hac argumentatione conuinci. Constat enim, quod quamuis verus vsurarius sperat lucrum ex voluntate mutuatarii, & non ex mutuo; illa tamen voluntas est coacta, rationabiliterque inuita nec valens dominiū trāsferre. At verò cum ex amicitia, & gratitudine speratur, omnino spōte intenditur. Et sic obiectio est à proposito aliena: Eo vel maximè, quod vis nostræ disputationis nō in eo, quod ex gratitudine speretur lucrum effectiuè, & non ex mutuo, sita est: (nam hoc ad mores parum refert) sed in eo, quod ex gratitudine, & beneuolentia mere spontè, & gratis. Atq; adeò licitè, & iustè speratur, siue id sit efficienter, siue vt voles: quod gratitudine & amicitia non interueniente, non reperitur. Est etiam inutilis, ne dicam falsa, distinctio, quam Medina præmisit de spe, & intentione lucri, dicēs, quod est licitum sperare lucrum ex mutuo, non tamen intēdere. Multa enim speramus, quæ non intēdimus. Quod vt ostē dā aduertendum est, quod res, quæ futura speratur, vel respicit voluntatē nostrā, vt bonū eius: vel, vt malum: vel est impertinēs ad illā, quia de ea, scilicet, nihil curamus. Et quidē, si ad nos nihil attinet, sub spem nostram cadere, dici non poterit. Est enim spes de bono proprio. Adeò, vt Theologi affirment, & vere, eo differre spem à charitate, quod charitas, seu amor vult bonum futurum, pro vt est in se; vnde charitate volumus Deum esse, viuere, & esse beatum, &c. etiam si eo nō fruemur. At verò spes essentialiter est amor concupiscentiæ, vultque bonum futurum proprium suum, & à se fruendum. Et quod dicimus de charitate, & spe virtutibus Theologicis, est etiam dicendum de spe acquisita, & amore naturali. Vide ergo quantum repugnet spei, quod sit de re non bona, vel si bona ad se tamen non pertinente. Et hoquando contingit, quod impertinentia quædam, quæ nec cupimus, nec intendimus

Multa speramus quæ non intendimus.

sperare videamur, non ego illam spem, sed expectationem, vel, vt melius dicam, spectationem nominauerim. Si verò res futura est mala, certè spes de illa non est, sed magis timor, & fuga. Itaque de re futura nec bona nobis, nec mala expectatio vel potius, vt dicam, spectatio quædam est: de re vero mala timor; de re autem bona nobis est spes seu amor concupiscentiæ. Et sic constat, quod nunquam mutuans potest habere spē lucri, quin illud intendat. Nam sperans intendit, & cupit, & è contra. Nec certe vllus doctorum differentiam inter hæc inuenit aliquando.

¶ Supposito iam, esse illicitum aliquando, lucrum ex mutuo sperare, tunc, scilicet, quando illud ex vi mutui intenditur tanquā debitum ex iustitia, vt diximus in prima conclusione, quod peccatum Doctores vsuram mentalem appellant, dubium consequens est, verum hæc vsura mentalis obligationem inducat restitutionis? In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quod quantumuis aliquis prauum habeat animum, aliquid accipiendi, pro mutuo, si tamen nihil exterius accipit, ad nullam tenetur restitutionem: quia nihil habet alienum, nec ea mala intentio, quæ est actus imanens, sufficiens est damnum inferre. Quare sola pœnitentia id peccatum erit expiandum. Dico secundo, etiam esse certum, quod quantumuis aliquis quidquam exterius accipiat, si tamen illud accipit gratis à mutuatario oblatum titulo amicitiæ, vel donationis ad nullam tenetur restitutionem. Nullum enim tunc interuenit peccatum vsuræ, vt recte docet D. Thom. artic. 2. sequenti. Nec debet esse mutuans peioris conditionis post mutuum, quam antea, sed melioris. Itaque hæc certa sunt. Sed quod habet difficultatem est, vtrum, qui habens intentionem aliquid accipiendi vltra mutuum, illud accipit: nec est certus mutuatarium id gratis, & ex beneuolentia conferre, ad aliquam teneatur restitutionem: Et ratio dubitandi est: Nam simoniacus mentalis, etiam si beneficium susciperit, non tenetur illud resignare, vt habetur in capitu. finali. de simonia: ergo nec vsurarius mentalis, tenetur restituere id, quod vltra sortem accepit. Probo consequentiam: Nam eadem est vtriusque ratio. In contrarium tamen est c. consuluit. de vsuris. Vbi habetur, quod si aliquis eo proposito mutuam pecuniam credit, videlicet omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat, talia accepta sunt restituenda. Pro explicatione huius difficultatis, aduertendum est, cū Caietano in præsenti, &

Arg.

Notanda in præsenti.

in summa verbo. vsura mentalis, quadruplicitер posse contingere, quod quis vltra sortem aliquid accipiat, absque pacto tacito, vel ex præsso illud accipiendi. Vno modo ità, vt ex parte tantum mutuātis sit corrupta intētio, quia, scilicet, credit, se aliquid accepturū; & ob id dat. Secūdo modo, ità, vt ex parte tantū mutuatarii sit corrupta intētio; quia scilicet, credit mutuātis intentionē fuisse aliquid vltra sortem accipere; cum tamen reuera eius intentio talis non fuerit. Tertio modo, ità, vt ex parte vtriusque sit corrupta intentio: nā, & mutuans sperat aliquid accepturum vltra sortem, & præterea ipse mutuatarius existimat, talē esse eius intētionē. Quarto, & vltimo, ità, vt ex parte neutrius sit corrupta intētio; quia, scilicet, nec mutuās habet malā intētionē accipiendi aliquid vltra sortē; nec præterea mutuatarius credit talē esse eius intentionem.

1. *Conclu.* ¶ Quo supposito, sit prima cōclusio: Quādo neutri⁹ intētio est corrupta, quia, scilicet, nec mutuans sperat se aliquid accepturū vltra sortē, nec præterea mutuatarius credit talē esse eius intētionem, & adhuc ille, qui mutuo accipit in signū amoris, & gratitudinis libere ipsi mutuanti dat aliquid vltra sortē, nullū est ibi peccatū vsuræ, nec obligatio restitutionis. Probatur: Quia nulla in ea acceptione inuenitur iniustitia, vt constat.

2. *Conclu.* ¶ Secūda cōclusio; Quādo ex parte vtriusque est corrupta intentio, mutuans tenetur restituere id, quod vltra sortē accipit: quāuis nullum interueniat pactū, nec verbis declarauerit suam intentionem. Probatur: Quicūque habet rem alienam inuito domino rationabiliter, tenetur illam restituere; sed in casu posito is, qui mutuū dedit habet rem alienā inuito domino rationabiliter: ergo tenetur ad restitutionē. Cōsequētia cū maiori est nota, & minor probatur: Is, qui mutuum accepit, nec liberè, nec voluntariè dat quod vltra sortē accipitur: ergo per talē actionem non trāsfertur dominiū. Et confirmatur: Nam ista est expressa determinatio capituli consuluit, iam citati. Vbi habetur, quod qui pecuniam credit animo recipiendi aliquid vltra sortē, tenetur illud restituere.

3. *Conclu.* ¶ Tertia conclusio: Quādo tantū ex parte mutuatarii est corrupta intētio, & mutuator sana mente accipit quod sibi vltra sortē datur, nō tenetur illud restituere. Probatur: Dum quis habet alienum bona fide, illud restituere nō tenetur: sed in casu posito mutuans habet bona fide quod vltra sortē accipit: ergo illud restituere nō tenetur. Sed est aduertendū, quod quā primum mutuans resciuerit mutuatariū id sibi ratione mutui debere, tenetur illud restituere; quia iā sibi satisfactum, nō fuisse voluntariā, & liberā talē donationē, atq; adeo per eā nō fuisse dominiū translatum. Et sic tanquam rem alienā tenetur illud suo domino reddere. Dico tamen, quod si durante bona fide, id, quod vltra sortē mutuās accepit, ità consumpsit, vt nihil ipsius apud se retineat; id restituere non tenebitur; quāuis postea sciat praua intētione fuisse donatū. Quod intellige, dūmodo ex illius acceptione non fuerit factus locupletior. Et est ratio: Quia tunc mutuans nec obligatur ad restitutionē, ratione iniustæ acceptionis, nec ratione rei alienæ, quam apud se nō existere, suppono. Quarta cōclusio: Quando ex parte mutuantis tantū est corrupta intētio; quia scilicet, ipse nō accipit bona fide, quod sibi vltra sortem datur, quāuis mutuatarius id ex mera liberalitate, & gratia donet, ad illius restitutionem tenebitur, ratione cōscientiæ errantis. Probatur: Qui habet rem, quam existimat alienā, illam restituere tenetur: sed iste ratione errantis conscientiæ, habet rem quā existimat alienam: ergo illam tenetur restituere. Sed est aduertendum, quod cū iste eā rē ex aliquo debito simpliciter restituere nō teneatur: sed solū ratione cōsciētiæ erranti; quam primū sciuerit mutuatarium illam sibi non ratione mutui, sed ex liberalitate, & gratia dedisse, cessat obligatio restitutionis. Et ratio huius est: Quia omnis obligatio restituendi ex damno illato oritur, quando autem mutuatarius dat mutuanti aliquid vltra sortem liberè, & gratis nullam accipit damnum, atque adeo sublato mutuantis errore nihil restitutioni obnoxium relinquitur. Iuxta hanc explicationem sunt intelligendi Hostiensis, & Panormitanus in capitulo consuluit. de vsuris. quando dicunt, ex praua intentione mutuantis oriri obligationem ad restitutionem. ¶ Et ad argumentum ex capit. finali de simonia. respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Nā ecclesia est domina beneficiorum ecclesiasticorum. Et sic potest simoniaco mentali concedere, vt non resignet beneficium: sicut & potest de nouo illud sibi tribuere. At verò in nostro proposito, qui soluit vsuram, nec transfert, nec transferre vult illius rei dominiū, quam nō libere & gratis dat: quare semper manebit obligatio ad restitutionem. Vtrū autem sit verum, quod simoniacus mētalis ad restitutionem nō obligatur explicabitur infra q. 100. in materia de simonia. Circa solutionem ad primum argumentum D. Tho. in quo explicatur testimoniū illud Lucæ c. 19. Ego veniēs cū vsuris exegissem illā, aduertendum est, quod Christus in illo loco

Ad argu.

Nota circa solutionē ad 1. arg. D. Tho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsuræ nomẽ à secularibus ad spiritualia translatum,non propriè,sed metaphoricè. Et sic illa vsurpatio est translatitia, in qua similitudinis aliquid, & dissimilitudinis multum inuenitur. Mutuat quidem nobis Deus spiritualia charismata,quando gratis illa,ac sine vllo pretio nostro donat: Et quia vult, vt nostro vsu officiisque virtutum illa, veluti semina, in nobis iacta per eius fauorẽ cælestemque rorẽ colamus,& multiplicatos fructus, tetræ more,feramus, qui in gloriam eius cedant quãuis vtilitas præmiorumq; cumulus nobis accrescat, & nos quasi nostra fœnora faciamus,eam fructificationẽ vsuras suas appellat. Sed est hoc discriminis,inter istã, & propriã vsuram: Quod in vsura propria,pecunia,pro cuius mutuatione fructus exigitur, ipso vsu consumitur; & inde redditur vitiosa. Cùm tamen dona spiritualia vsu crescant; atque ideò eorum vsura commendatur apud Deũ.

Dubiũ de modo quo Iudæis fuit permissa vsura.

¶ In solutione ad secundum argumentũ agit D.Tho.de modo,quo Deus Iudæis vsurã permisit.Circa quod potest esse difficultas,vtrũ ità Iudæis Deus vsurã permiserit, vt illã sine peccato exercere potuerint. In qua re est opinio plurimorũ Doctorũ,partẽ affirmatiuã tenentium;quamuis illius suæ sententiæ nõ omnes vnã,sed diuersas rationes assig-

1.Sentẽtia nẽt. Abulẽsis enim,qui, vt diximus supra,affirmabat,vsuram nõ esse intrinsecè malã,sed tantũ malam,quia prohibitã;cõsequenter dicebat licitã fuisse Iudæis,respectu illorũ,qui non erant de suo populo;quia respectu taliũ illis nõ interdicebatur.Cæterũ huiusrationis falsitas,ex superioribus sufficienter ostenditur. Quibus probauimus vsuram tam legis diuinæ,quam naturali esse prohibitam; atque adeò esse ex illis rebus,quæ intrinsecã malitiam includũt. Conradus de contractibus q.

2.Sentẽtia 21.quamuis existimet probabilẽ sentẽtiam, quæ asserit, Iudæos,nec etiã Gẽtilibꝰ, potuisse sine peccato pecuniã dare ad vsuram;contrariam tamen dicit esse probabiliorẽ. Eiusq; rationem assignat: Quia Deus dispensauit cũ Iudæis in præcepto de non mutuãdo sub vsuris:quamuis sit naturale, respectu illorũ,qui nõ erant de suo populo. Sicut & dispẽsauit cum eisdem in præcepto, de non furando, quando præcepit illis,vt singuli in Ægypto à suis vicinis vasa aurea, & argentea mutuò peterent, vt sic eos expoliarent. Cæterum nec hæc ratio verum habere potest. Nam si vsura est contra præceptum naturale, quod vetat pretium de re illa suscipere, quæ per se nullius est valoris, qualis est pecuniæ vsus seorsum à pecunia consideratã; eũ præcepta naturalia nec ab ipso Deo sint dispensabilia, vt latè ostẽdimꝰ in materia de furto;sit,vt ex diuina dispẽsatione nõ potuerit esse licitũ Iudæis dare ad vsurã alicui, quãtũuis extraneo. Contrariũq; dicere est ignorare,aut quid sit præceptũ naturale, aut quid sit dispensatio. Medina in tract.de vsuris.q.2.in solutione ad 3.arg.principale quamuis existimet,vsurã iure naturali esse prohibitã,& quod præcepta naturalia dispẽsabilia nõ sunt;adhuc tamẽ affirmat,Iudæos accipiẽtes vsuras ab extraneis, nõ peccasse. Quam suã sententiam,vt explicet,aduertit,quod quemadmodũ furtum accipitur dupliciter apud Theologos,vno modo formaliter,& propriè, pro eo, quod est fraudulẽter accipere alienum domino ratione nabiliter inuito,quod est intrinsecè malũ, & cõtra præceptũ Decalogi,nec aliquãdo potest licite fieri, alio modo materialiter, pro eo, quod est alienũ accipere,siue inuito,siue volente domino:quod honestari potest aliquãdo, & multoties licitè fieri:ità etiã vsura potest accipi dupliciter. Vno modo formaliter, & in rigore,pro eo, quod est accipere lucrũ ratione mutui præcisse. Et hæc est intrinsecè mala;nec alicui vnquã concessa. Alio modo materialiter, pro eo, quod est accipere aliquid vltra sortẽ in mutuo,quod pluribus ex causis potest honestari,liciteq; fieri. Dicitur-*3.Sentẽtia* que ista vsura impropriè,& similitudinariè. Quo supposito dicit,quod, quemadmodum Exodi.12.egredienti Israeli de Ægypto fuit concessum,vt acciperet sibi vestimenta, & vasa aurea,& argentea ab Ægyptiis Dei populum violenter detinẽtibus, nec illud fuit furtũ formaliter,sed tãtũ materialiter & Deo cõcedẽte illarũ rerũ acquisierũt dominiũ,vt colligitur ex c.11.Sapiẽtiæ. Ità etiã in proposito fuit Iudæis cõcessum tantũ materialiter cũ extraneis vsuras exercere;hoc est,accipere aliquid vltra sortẽ. Idq; explicatur in illis verbis Deuteronomii.23.Nõ fœnerabis fratri tuo ad vsurã,sed alieno. Hãc etiã sentẽtiã sequũtur multi ex iunioribus. Et ne videatur in illa volũtariè loqui,adhibẽt duas causas huius cõcessionis à Deo factę. Prima est, Quod Gẽtiles habitabãt terrã promissam Iudæis,actuq; ab illis possessam;ac subinde iustè Deo cõcedẽte potuerunt propter eã vim eorũ bona sibi accipere;etiã sub similitudine vsuræ. Secũdas Quia cũ Deus cõcesserit Iudæis vt possent interficere gẽtes,& illas è suis terris eiicere,videtur vero simile,q etiã cõcesserit,vt possent illorũ bona accipere,quia vita præstat bonis.

¶ Hi tamen non obstantibus, dico, longè verius, atque probabilius esse, quod nec *Sententia autoris.* materialiter, nec formaliter fuit Iudæis vsura concessa, sed tantum permissa erga alienos. Quod est dicere, fuisse Iudæis permissum, vt possent inter Gentiles vsuras exercere

exercere, sine pœna,non tamen sine culpa. Sed si vsuras intra seipsos exercebant & culpa, & pœna mulctabantur. Hanc sententiã tenet D. Tho.hic ad 2. Alexãder Alensis.3.p.q.56. memb.4.Eusebius Cæsariẽsis li.8. de præparatione Euang.ca.2.Iosephus lib.4. Antiquitatum,& Magister Soto.li.6.de iustitia.q.1.ar.1.in solutione ad 2.argu. Quare locus ille Deuteronomij explicãdus erit, sicut explicatur à D.Tho.in præsenti. Nẽpe,vt idẽ valeat: Fœnerabis alieno,ac impunis eris,si cũ gentilibus vsuras exerceas. Quæ interpretatio Decretis pontificũ,& conciliorum, atq; etiam doctrinæ sanctorum est multum conformis. Nec huius nostræ sententiæ aliam rationem assignare est opus,nisi, quod opposita opinio est voluntaria,nullam pro se,aut re uelationem scripturæ, aut sancti autoritatẽ habens;quæ doceat Deũ Iudæis vitam,& bona gentilium tradidisse. Eo vel maximè, quod si ea ratio aliquid valeret,ex illa sequeretur solum posse Iudæos vsuras exercere materialiter cum illis gẽtibus, quæ secũ habitabãt, quoniam istæ solæ erant,quæ inferebãt vim terram Promissionis possidendo. Et tamen nullus est qui neget impunè illos vsuras suscipere potuisse à quibuscunque gentilium, qui è remotissimis prouinciis ad illos aduentantes cum eis cõmercia inirent. Præterquã, quod eodem ipso capite 23. Deuteronomii, præcipiebat Deus Israelitis ne Idumæum, vel Ægyptiũ abominarentur. Et sic fieri nõ potest,vt in ratione hostili talis illa permissio fundetur. Est ergo illa eadem prorsus ratione facta Iudæis intelligenda, quæ ius ciuile modo vsuram Christianis permittit: nempe, vt impune fieret, ad euitanda maiora mala, scilicet;latrocinia, quia erant auaritiæ valde dediti. Qua etiam ratione meretrices nũc permittuntur ad euitanda adulteria,iuxta vulgatum illud D. Augustẽ verbum: Tollẽ meretrices,& omnia implebis libidinibus. Simili quoque figura prædixerat Deus in eodem capitulo: Nõ erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator. Quasi significans de gentibus illam impune permittere. Et tamen nullus est, qui dicat, sic fuisse permissum illi populo, meretrices alienigenas habere,vt accedentes ad illas non peccarent, cum quicunque accessus ad non suũ,sit cõtra ius naturæ & intrinsecè malum. Quapropter D.Thomas in ista solutione ad secundum, affirmat, quod in illo primo verbo; Non fœnerabis fratri tuo,ius naturæ denotatur. Et quia omnes mortales naturæ glutino sunt fratres, significatur à nullo ex obligatione naturali accipiendã esse vsurã. At verò in altera parte,sed alieno,solũ cõtinetur permissio ad maius ma-

Iũ vitãdũ. Nõnulli calũniãtur D.Tho.quod in illo loco nomine fratris,omnes homines intellexit,cũ textus distinctionẽ fratris ab alieno faciat. Immerito tamẽ. Nã,quãuis prædictũ discrimen perspexerit,cognouerit q; nomine fratris eos speciatim,qui erãt de populo significari, adhuc tamen intellexit,amplissima vocis significatione,omnes homines fratres esse,& proximos,vt li.1.de doctrina Christiana autor est D.Aug. Sicq; nõ incõueniẽter illic insinuari,naturalẽ vsuræ prohibitionẽ ad omnes homines esse protendendam.

Contra istã nostrã explicationẽ argumẽtatur Cõradus multipliciter. Duo tamẽ solũ ex illius argumẽtis in mediũ adducã,quæ maiorẽ videtur habere difficultatẽ. Primũ est-Si legislator prohibẽs absolutè fornicationẽ, statim in ipsa lege,permittendo adderet: Fornicabis cũ meretrice,stultũ fecisse videretur: ergo nõ est dicendũ,quod si Deus in illo loco Deuteronomij prohibuit vsuras, tanquã intrinsecè malas,statim secundũ permissionẽ addidit. Fœnerabis alieno,quia stultè faceret. Secundo;Ibi Deus loquebatur populo rudi,& ignoranti: ergo nõ esset cõueniẽs, quod eisdẽ verbis,quibus prohibetur vsura,quæ est peccatũ erga fratres,concederetur exercẽda erga alienigenas,nisi vsura quæ cũ alienigenis fit, hoc haberet,quod nullũ esset peccatũ. Probo consequẽtiã: Nã ex forma præcepti posset exi-

1.argu contra nostrã sententiã.

2.argu.

stimare,vsuras cũ gẽtibus esse sibi licitas, sicq; errare. ¶ Respondetur tamẽ ad primũ ex principio in secũdo argumẽto assumpto: Nã,quia populus ille erat rudis,mirumq; in modum cupidus oportuit, vt posito præcepto de non fœnerando, statim adiceretur permissio fœnerandi alienis, ne auaritia ducti seipsos expoliarent. Ad quem etiam modum olim Moyses docente Christo apud Matthæ.capitu. 5. permisit Iudæis libellum repudii propter duritiam cordis illorum. Nec hoc fuit stultitia, sed summa sapientiã ad vitanda maiora mala. Medina loco citato, existimat libellum repudii in lege non esse per simplicem tolerantiam permissum,sed etiam pro tempore illo concessum,vt fieret sine culpa. Sed fallitur procul dubio: Quia vinculũ matrimonii ex iure naturæ est indissolubile, vt cõmuniter dicunt Doct.in 4.in materia,de matrimonio. ¶ Ad secundũ respõdetur,quod,quãuis forma illius præcepti,intẽtio q; legislatoris aliquãtulũ sit obscura;habuerũt tamẽ Moysen,& alios,qui dẽ spiritu eius acceperũt, vt sufficiẽtes popu lo legis debia interpretarentur. Quare nullũ fuit inconueniens,sed potius multa conuenientia; quæ assignari solent obscuritatis, & inuolutæ intelligentiæ sacrarũ literarũ:

Ad 1.arg.

Ad 2.arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vsus rei duplex, primarius & secundarius.

¶In solutione ad 6. argumentum agit D. Tho. de multiplici vsu tam rei permanentis, quam vsu consumptibilis. Ad cuius explicationē est aduertēdum, quod vsus est duplex. Vnus primarius, & principalis. Alter secundarius & minus principalis: primarius est ille, ad quem res ex natura sua primò est instituta. Et talis in domo erit eius habitatio, in vino autē, vel in pecunia eius consumptio. Secundarius autem vsus est ille, ad quem res ex voluntate alicuius ordinatur præter naturam & vsum eius principalem. Et talis in domo erit eius consumptio, in vino autē, vel in pecunia earundem reseruatio; vel ad ponendū loco pignoris; vel ad faciendam aliquā ostētationem salua rei substantia. Itaque in rebus, quæ vsu non consumuntur, vsus primarius & principalis semper est sine consumptione eiusdem rei: secundarius verò cum destructione illius. In rebus autem, quæ vsu cōsumūtur, è cōtrario, primarius, & principalis vsus est cum consumptione rei; secundarius vero, & minus principalis cum cōseruatione illius. Hoc suppositō, dico primò, certū esse, quod in rebus, quæ non consumuntur vsu, vsus primarius, & principalis licitè potest vēdi seruato earūdem rerum dominio: quia in his rebus vsus distinguitur à substantia: & sic quodlibet illorum est pretio æstimabile. Dico secundo, etiā esse certum, quod in rebus, quæ vsu cōsumuntur, vt in vino, & pecunia vsus primarius, & principalis non potest licitè vendi: quia cum iste nō distinguatur à substantia, vt supra dictum est, nō potest accipi vnum pretium pro vsu, & aliud pro substantia. Sed est dubium, vtrū pro vsu minus principali, tam rei permanentis, quam vsu consumptibilis, possit aliquod pretium licitè accipi? Verbi gratia. Petit aliquis domum ad illam destruendam, vel pecuniam, aut vinum ad ponendum loco pignoris, vel aliquid simile. Dubium est, vtrùm pro isto vsu minus principali possit accipi aliquod pretium vltra illud, quod datur pro substantia rei? Ad quam difficultatem, omissis varijs opinionibus, respondetur breuiter cum D. Thoma hic ad 6. quod in rebus, quæ nō consumūtur vsu, vsus secundarius non potest vendi: bene tamen in rebus, quæ consumuntur vsu. Et ratio est manifesta: Nam in rebus, quæ non cōsumuntur vsu, vsus minus principalis non distinguitur ab ipsa substantia rei, atque adeò nec potest accipi vnum pretium pro vsu, & aliud pro ipsa substantia rei: quia sic, vel idē venderetur bis, vel venderetur id, quod non est: quod est contra iustitiam. Cæterum in rebus, quæ sunt vsu consumptibiles, vsus secūdarius, & minus principalis distinguitur ab eius substantia: estque pretio æstimabilis. Et sic poterit accipi vnum pretium pro illo vsu, & aliud pro ipsa re. Ex quo infero, quod si aliquis det alicui aliquam pecuniā, vt eam ponat loco pignoris, in casu necessitatis, poterit pro isto vsu, qui distinguitur ab ipsa rei substantia, estque pretio æstimabilis, aliquod pretiū accipere vltra sortem. Nec in hoc aliqua apparet ratio vsurę. Quin potius, vt dicit Caietanus in præsenti, in hoc fundatur tota ratio cambiorum.

Dubium.

Responsio.

Articvlvs. II.

¶ Vtrum liceat pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere.

Mal.q.13. art.4.ad 10 Et opus.61. q.3. & 4. Et opus.73 c.3.&7.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur quòd aliquis possit pro pecunia mutuata aliquā aliam commoditatem expetere. Vnusquisque enim licitè potest suæ indemnitati consulere. Sed quandoque damnum aliquis patitur ex hoc, quod pecuniam mutuat: ergo licitum est ei supra pecuniam mutuatam aliquid aliud pro damno expetere, vel etiam exigere.

2 ¶ Præterea, Vnusquisque tenetur ex quodam debito honestatis aliquid recompensare ei qui sibi gratiam fecit, vt dicitur * in 5. Ethi. Sed ille qui alicui in necessitate constituto pecuniam mutuat, gratiam facit: vnde & gratiarum actio ei debetur: ergo ille qui recipit, tenetur naturali debito aliquid recompensare. Sed non videtur esse illicitum obligare se ad aliquid, ad quod ex naturali iure tenetur: ergo non videtur esse illicitum, si aliquis pecuniam alteri mutuans, in obligationem deducat aliquam recompensationem.

Lib.5.cap. ult. paulo à princ.to.5.

3 ¶ Præterea, Sicut est quoddam munus à manu, ita est quoddam munus à lingua, & ab obsequio. Vt dicit glos. Isaiæ 33. Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Sed licet accipere seruitium vel etiam laudem ab eo, cui quis pecuniam mutuauit: ergo pari ratione licet quodcunque aliud munus accipere.

4 ¶ Præ-

4 ¶ Præterea, Eadem videtur esse comparatio dati ad datum, & mutuati ad mutuatum. Sed licet pecuniam accipere pro alia pecunia data, ergo licet accipere recompensationem alterius mutui pro pecunia mutuata.

5 ¶ Præterea, Magis à le pecuniam alienat, qui eam mutuando dominium transfert, quàm qui eam mercatori vel artifici committit. Sed licet lucrum accipere de pecunia commissa mercatori vel artifici: ergo licet etiam lucrum accipere de pecunia mutuata.

6 ¶ Præterea, Pro pecunia mutuata potest homo pignus accipere, cuius vsus posset pretio aliquo vendi: sicut cum pignoratur ager vel domus, quæ inhabitatur: ergo licet aliquod lucrum habere de pecunia mutuata.

7 ¶ Præterea, Contingit quandoque quod aliquis carius vendit res suas ratione mutui, aut vilius emit quod est alterius, vel etiam pro dilatione pretium auget, vel pro acceleratione diminuit, in quibus omnibus videtur aliqua recompēsatio fieri quasi pro mutuo pecuniæ. Hoc autem non manifestè apparet illicitum: ergo licitum est aliquod commodum de pecunia mutuata expetere, vel etiam exigere.

Deut.23. Luc.22. Et habetur 14.qu.3. per totam.

¶ Sed Contra est, quod Eze. * 18. dicitur inter alia quæ ad vitam iustum requiruntur. Si vsuram & superabundantiam non acceperit.

Lib.4.c.5. paulo à princ.to.5.

¶ Respondeo dicendum, quòd secundum Philo. * in 4. Ethico. Omne illud pro pecunia habetur, cuius pretium potest pecunia mensurari: & ideo sicut si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacunque alia re, quæ ex ipso vsu consumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito vel expresso, peccat contra iustitiam, vt dictum * est: ita etiam quicunque ex pacto tacito, vel expresso quodcunque aliud acceperit, cuius pretium pecunia mensurari potest, simile peccatum incurrit. Si vero accipiat aliquid huiusmodi non quasi exigēs, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitū donū, nō peccat, quia etiam antequam pecuniā mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere: nec pcioris conditionis efficitur per hoc quod mutuauit. Recompensationem vero eorum, quæ pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta beneuolentiam & amorem eius, qui mutuauit, vel aliquid huiusmodi.

Artic.1.in corp.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd ille qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere. Hoc enim non est vendere vsum pecuniæ, sed damnum vitare. Et potest esse, quòd accipiens mutuū, maius damnum euitet, quàm dans incurrat. Vnde accipiens mutuum cum sua vtilitate, damnum alterius recompensat. Recompensationem vero damni, quod considerat in hoc, quòd de pecunia non lucratur, non potest in pactū deducere: quia non debet vendere id quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.

¶ Ad secundum dicendum, quòd recompensatio alicuius beneficij duplicitер fieri potest. Vno quidem modo ex debito iustitiæ: ad quod aliquis ex certo pacto obligari potest: & hoc debitū attenditur secūdum quantitatē beneficij, quod quis accepit. Et ideò ille qui accepit mutuū pecuniæ vel cuiuscunque similis rei, cuius vsus est eius consumptio: non tenetur ad plus recompensandum, quàm mutuo acceperit. Vnde cō tra iustitiam est, si ad plus reddendum obligetur. Alio modo tenetur aliquis ad recompensandū beneficium ex debito amicitiæ: in quo magis consideratur affectus, ex quo aliquis beneficium contulit, quàm etiam quantitas eius quod fecit. Et tali debito non comperit ciuilis obligatio, per quam inducitur quædam necessitas, vt non spontanea recompensatio fiat.

¶ Ad tertium dicendum, quòd si aliquis ex pecunia mutuata expectet, vel exi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

exigat, quasi per obligationem pacti tacitu, vel expressi recõpensationem muneris ab obsequio, vel à lingua: perinde est ac si expectaret, vel exigeret munus à manu: quia vtrunque pecunia æstimari potest, vt patet in his, qui locant operas suas, quas manu vel lingua exercent. Si vero munus ab obsequio vel lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex beneuolentia, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere & expetere.

¶ Ad quartum dicendum, quòd pecunia, non potest vendi pro pecunia, ampliori quàm sit quantitas pecuniæ mutuatæ quæ restituenda est: nec ibi aliquid est exigendum, aut expetendum, nisi beneuolentiæ affectus, qui sub æstimationem pecuniæ non cadit: ex quo potest procedere spontanea mutuatio. Repugnat autem ei obligatio ad mutuum faciendum in posterum: quia etiam talis obligatio pecuniæ æstimari posset. Et ideo licet simul mutuanti vnum aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.

¶ Ad quintum dicendum, quòd ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat, Vnde ille, qui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam, & tenetur eam restituere integre. Vnde non debet amplius exigere ille, qui mutuauit. Sed ille qui committit pecuniam suam vel mercatori vel artifici per modum societatis cuiusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet eius: ita quòd cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur. Et ideo sic licite potest partem lucri inde prouenientis expetere, tanquam de re sua.

¶ Ad sextum dicendum, quòd si quis pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam, cuius vsus pretio æstimari potest, debet vsus illius rei ille, qui mutuauit, computare in restitutionem eius quod mutuauit: alioquin si vsum illius rei quasi gratis superaddi velit, idē est acsi pecuniã acciperet pro mutuo: quòd est vsurarium: nisi forte esset talis res, cuius vsus sine pretio soleat concedi inter amicos, sicut patet de libro accommodato.

¶ Ad septimum dicendum, quòd si aliquis carius velit vendere res suas, quàm sit iustum pretium, vt de pecunia soluenda emptorum expectet, manifeste vsura cõmittitur: quia huiusmodi expectatio pretii soluẽdi habet rationem mutui. Vnde quicquid vltra iustũ pretium pro huiusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quòd pertinet ad rationem vsuræ. Similiter etiã si quis emptor velit rẽ emere vilius, quàm sit iustum pretium, eo quòd pecuniam ante soluit, quàm possit ei res tradi, est peccatum vsuræ, quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cuius quoddam pretium est, quod diminuitur de iusto pretio rei emptæ. Si vero aliquis de iusto pretio velit diminuere, vt pecuniam prius habeat, non peccat peccato vsuræ.

Svmma Textvs.

AD propositam difficultatem respondet D. Thom. per tres propositiones. Prima conclusio: Quicunque ex pacto tacito, vel expresso, pro pecunia mutuata acceperit aliquid, cuius pretium possit pecunia æstimari, est vsurarius, & peccat contra iustitiam. Probatur. Secundum Arist. li. 4. Ethi. ca. 5. Omne illud pro pecunia habetur, cuius pretium potest pecunia mensurari: sed sic est, quod si aliquis pro pecunia, vel quacunque alia re vsu consumptibili mutuata ex pacto tacito vel expresso pecuniam acciperet, esset vsurarius, & peccaret contra iustitiam: ergo pari ratione, qui acceperit pro pecunia mutuata aliquid pretio æstimabile erit vsurarius. Secunda conclusio: Si mutuans accipiat aliquid pretio æstimabile, non quasi ex pacto tacito, vel expresso debitum, sed quasi donum gratuitum, non peccat, nec est vsurarius. Probatur: Quia ante mutuum poterat illud accipere, & post mutuum non est peioris conditionis. Tertia conclusio: Recompensationem illarum rerum, quæ pecunia æstimari non possunt, vt beneuolentiam,

uolentiam, & amorem illius, cui mutuum datur, licitè potest pro mutuo accipi. Hanc conclusionem non probat D. Thomas: sed eius ratio est manifesta: quia tunc nulla fit iniustitia.

Explicatio Artic. vii.

Tria requiruntur vt aliqua mutuatio sit vsuraria.

CIrca istum articulum, est aduertendum, quod vt ex litera D. Thom. colligitur, tria requiruntur ad hoc, vt aliqua mutuatio sit vsuraria. Primum est, quod pro vsu pecuniæ, vel alterius rei vsu consumptibilis petatur aliquid pretio æstimabile. Secundum, quod id debeatur ratione mutui: & non quia aliter erat debitum. Tertium, quod ducatur in pactum tacitum, vel expressum. Quod intelligi tantum debet de vsura exteriori. Nam ad vsuram mentalem sufficiens est, quod accipiatur aliquid pretio æstimabile, animo recipiendi illud pro mutuo: etiam si nullum aliud pactum intercueniat, vt articulo precedenti declaratum est. Ex quibus Caietanus in initio huius commenti duas notabiles regulas colligit. Prima est: Quod expetere propter mutuum aliquid pecunia æstimabile, vt debitum ex obligatione, seu pacto, tacitè vel expresse est vsura. Secunda: Quod expetere propter mutuum, & exigere beneuolentiã & quodcunq; aliud, vt ex beneuolentia debitũ non est peccatum, sed licitum. Sed quoniam multum refert nosse ista in vniuersali, & scire, seu nescire applicare ea, ad casus particulares, quoniam hinc multæ falsæ solutiones emanare poterunt: idcirco, vt multorum debilioribus ingenijs consulamus, circa conclusiones à D. Tho. positas particularia erũt dubia afferenda: ex quibus facile credimus, reliquis posse satisfieri.

1. Dubium

¶ Circa primam ergo, atque secundam conclusionem supposito, quod illę sunt certissimæ sufficienterque rationibus à D. Tho. positis probatæ, quo earum veritas magis eluceſcat, operæ pretium erit vt aliqua particularia dubia explicemus. Primum est, vtrùm mutuans agricolæ decem aureos, ea lege, vt mutuantis agrum excolat pro iusto pretio, sicut & aliorum agros excolere solet, sit vsurarius. Et eadem difficultas est de eo, qui dat alteri mutuo decem, ea lege, vt veniat ad molendinum ipsius mutuantis. In qua re Adrianus q. 4. de vsuris, partem tenet negatiuam. Dicens, quod si ex eo, quod mutuatarius veniat ad molendinum mutuantis, vel operas suas pro iusto pretio locet, nullum sibi accrescit nocumentum: quia, scilicet, nec plus, nec minus soluit, quam in alio molendino soluere debebat, nec præterea operas suas locatis minus accipit, quam ab alio esset accepturus, nullum est peccatum vsuræ, nec taliter mutuans ad aliquam tenetur restitutionem. Et ratio Adriani est: Nam contractus vsurarius esse non potest sine damno illius, qui mutuum accipit: in casibus autem positis certum est, quod nullum est nocumentum: si quidem, vt supponimus agricolæ datur iustum pretium pro suo labore: & veniens ad molendinum mutuantis tantũdem in quocunque alio soluere debebat. Hanc eandem sententiam tenet Maior in 4. di. 15. q. 25. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 10. Gregorius Arimi. vt refert Gabriel in 4. dist. 15. qu. 11. dub. 1. Angelus verbo. vsura. §. 5. ¶ Contra- *Vera sententia.*

rium tamen, scilicet, quod talis mutuatio sit vsuraria, communiter tenent Doctores. Soto lib. 6. de iustitia q. 1. ar. 2. Nauarro in Manuali cap. 17. numer. 220. Caietanus, in summa. verbo, vsura exterior. casu 8. Ioannes de Medina de vsuris q. 1. & cap. de vsura restituenda. §. ad rationes autem. D. Tho. hic ad 4. & Bartholomæus de Medina lib. 1. summę cap. 14. §. 14. folio 132. Et ratio horum est: Quia licet nihil boni lucretur mutuans præter id, quod sibi iusto pretio debetur ex emptione, aut locatione, imponit tamen mutuatario ciuilem obligationem, priuationemque libertatis eundi ad alterius molendinum, vel vendendi alteri: quam obligationem constat esse pretio æstimabilem: & ità aliquid vltra sortẽ exigit. Mihi tamẽ in hac re vtendum esse videtur distinctione, quam ponit Gabriel, in 4. d. 15. q. 11. art. 3. dubio. 1. Et est: Quod si prędicta conditio, vel colẽdi agros, vel veniendi ad molendinum non ponatur sub obligatione, sed, mutuatario manente in sua libertate, id ab eo petatur tanquam ab amico, nullum est peccatum, nec talis contractus est vsurarius, quia nulla iniuria fit mutuatario, vt constat. Cæterum, si talis conditio ponatur sub obligatione: ità, vt mutuatarius teneatur illam adimplere: talis contractus erit vsurarius: quia mutuũs accipit vltra sortem aliquid pretio æstimabile, nempe, illam obligationem. Et sic quasi concordantur prædictæ contrariæ sententiæ.

Sententia Adriani.

Explicantur multi casus ex precedenti doctrina. Primus cã sit.

¶ Ex hoc possumus inferre multorum casuum solutiones. Quorum primus est, quod si quis dat alicui mutuam pecuniam, sub ea conditione, vt alter sibi certo tempore, vel cũ indiguerit remutuet, est vsurarius. Quod etiam affirmat D. Thom hic ad 4. sub his verbis: Mutuo autem dato repugnat obligatio ad mutuum faciendum in posterum: quia etiam talis obligatio pecuniæ æstimari potest. Et ideò licet mutuanti vnum, aliud aliquod mutuum recipere, non tamen obligare

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad mutuum in posterum faciendum. Et hinc etiam apparet damnabilem ac vsuratium esse eum contractum, quem frequentem video esse in praxi. Debet quis alteri mille ad secundum annum: & agit cum illo, vt ad primum annum soluat quingenta ea lege, & pacto, vt pro reliquis quingentis ad tertium annum expectet. Est illicitum: quia hoc nihil aliud est, quam mutuare creditori quingenta, anticipando solutionem per annum, vt ipse debitori remutuet expectando, & pecuniam pro alio anno relinquendo: quod est vsuratium. Quidam modus mihi venit in mentem, quo prædictus contractus licite fieri posit, reuocando, scilicet, priorem contractum, ex quo debitum resultauit, & nouos alios terminos assignando. Verbi gratia: Debebat Petrus Ioanni mille, ad duos annos soluendos, ratione cuiusdam emptionis, ex qua debitum resultauit. Poterunt rescindere priorem venditionem: & denuo illam facere assignato termino vnius anni ad soluendum quingenta, & trium, vel quatuor ad soluenda reliqua. Et ratio, propter quam hoc licite potest fieri, est, quia ibi non gratia anticipatæ solutionis creditor expectat: sed quia emptio talis terminis celebratur: quod est licitum.

2. Casus. Secundus casus, cuius solutio sequitur ex dictis est: quod fideiussor potest aliquid exigere ratione fideiussionis, vt omnes fatentur. Nonnulli opinantur id solum esse verum, quando est periculum, vel alius labor in fideiussione, vt tenent Syluester verbo. fideiussor. quæst. vltima. & verbo vsura. 7. quæst. 6. Couarruuias lib. 3. Variar. cap. 1. & Conrad. de contract. quæst. 40. Sed nos dicimus, quod nullo etiam periculo existente, & nullo labore potest fideiussor aliquid accipere pro fideiussione, vt docent Caietanus in isto articulo. in solutione ad 4. Soto libr. 6. de Iustitia q. 1. artic. 2. & Nauarro. cap. 17. numer. 283. Et ratio est manifesta: Quia illa obligatio cum sit ad posterum, omninoque tollēs libertatem à fideiussore est pretio æstimabilis. Quod ex eo amplius demonstratur: quia alias sequeretur, quod si ego mutuo darem pecuniam alicui, vt pro me fideiubeat, quando nullum est periculum, esset licitum. Quod sanè nullus dixit: cum lucrer vltra sortem illam obligationem fideiussoris. Adde, quod fideiubere, nihil aliud est, quam se obligare ad mutuandam pecuniam principali, vt docent Caietanus in eadem solutione ad 4. & Medina tract. de vsuris. cap. in quibus casibus, vers. oppositum tamen. Mutuare autem alicui sub obligatione, vt ipse remutuet, est vsura, vt iam diximus. Tertius casus, cuius solutio sequitur ex dictis est, *3. Casus.* quod qui mutuat alicui sub obligatione, vt ipse faciat contractus, qui necessarij fuerint ad indemnitatem mutuantis, vt si ea lege mutuet, vt iuramento, vel speciali obligatione se astringat ad reddēdam sortē mutuo acceptam, vel si obligetur ad aliquid aliud domino impignorandum, non gratia lucri, sed pro sortis assecuratione, nullum peccatum committit, nec est vsurarius. Ità tenet Medina loco citato. versiculo. contra hoc iterum. Et ratio est: Quia mutuatarius ad id tenetur. Nec hoc est lucrari ex mutuo, sed damnum vitare, vt constat, seu se indemnem seruare, quod vnicuique est licitum. Aliqui Doctores affirmant, etiam esse licitum mutuo dare pecunias adiecto pacto, vt alter aliū cōtractū statim celebret. Verbi gratia: Mutuo, vt statim vendas, vel aliud efficias iusto pretio, aut mutuo, vt mihi aliud remutues, quo ego indigeo. Cuius suæ sententiæ rationem assignant: quia tunc mutuans, nec pretium, nec obligationem extorquet à mutuatario ratione mutui, quod enim ille vendat iusto pretio, vel mutuet statim non est obligatio pretio æstimabilis, cum ille in posterum non maneat ad aliquid obligatus. Quod & significare voluisse videtur D. Tho. nic ad quartum quando dixit: Licet simul mutuanti vnum, aliud aliquod recipere. Non autem licet eum obligare ad mutuandum in posterum. Cæterum hæc sententia mihi non satis placet. Imò nec placet Medinæ in tractat. de vsuris. cap. de vsura restituēda vers. suppositō ergo. nec Soto lib. 2. de iustitia q. 1. ar. 2. ad 2. Et ratio est: Nam si mutuare alicui sub obligatione, vt aliquid in posterum faciat est vsura: quia tunc mutuans vltra sortem accipit illam obligationem, quæ est pretio æstimabilis, quanto magis pretio æstimabitur, obligare mutuatarium ad aliquid statim faciendum, cum hoc non minus tollat libertatem vendendi, aut mutuandi alteri, quam illud. Nec D. Tho. dicit contrarium. Nam loquitur solum de eo, qui statim gratis, & non ex conuētione alterum mutuum recipit: quod est licitum.

¶ Est aliud dubium, vtrùm, si quis mutuet *2. Dubium.* Regi centum ea lege, vt sibi conferat aliquod officium, pro iusto pretio, vel gratis, si hoc modo esset alteri concedendum, sit vsurarius? In qua re Adrianus, loco citato, partem tenet negatiuā. Quia dicit, quod ex tali contractu nullum damnum accrescit mutuatario. Ego tamen existimo idem iudicium esse faciendum in hoc casu, quod & in superioribus: cum sit omnium eadem ratio. Vnde dico, quod si prædicta conditio non *Sententia autoris.*

non ponatur sub obligatione, sed Rege manente in sua libertate, id ab eo petatur tanquam ab amico, nullum est peccatum. Cæterum, si conditio ponatur sub obligatione, contractus erit vsurarius. Nam mutuans accipit vltra sortem aliquid pretio æstimabile, scilicet, illam obligationem: & sic facit contra iustitiam, vt modo dicebam. Et hoc est quando officium pro mutuo tradendum est temporale. Nam si fuerit Ecclesiasticum, maioris erit difficultatis explicare, an ille contractus sit vsurarius. Nauarro cap. 17. nu. 207. existimat eam mutuationem non esse vsurariam, sed simoniacam: quia nihil pecunia æstimabile per mutuum adquiritur, sed spirituale. Tamen Medina loco modo citato. versi. inde sequitur. putat esse vere, & proprie vsuram. Nam cum illud beneficiū alias non sit debitum, tam lucrum ex pacto mutui reportaretur: quod proprie pertinet ad vsuram. Idem dicit Mercado tract. de vsuris. ca. 7. & Bartholo. à Medina lib. 1. summæ, capi. 14. §. 24. Quorum sententiam ego veriorem existimo. Et ratio est: Nam illa obligatio, & priuatio libertatis præsentantis, vel collatoris est pretio æstimabilis, vt patet: & ita ex mutuo temporale adquiritur. *Quæstio.* ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm illa mutuatio sit etiam simoniaca? Et pro parte negatiua sit argumentum: Ibi nec datur pecunia, nec aliquid pecunia æstimabile pro beneficio: mutuum enim nullius est pretij, sed gratis agendum, sicut & ipsa beneficij collatio: ergo nō *Responsio.* est simonia. Verius tamen mihi dicendum videtur, quod illa mutuatio etiam est simoniaca. Et quantum ad hoc verum dixit Nauarro. Nam licet mutuum non sit æstimabile pretio, est tamen contractus temporalis temporalia afferens emolumenta. Et non solum est simonia, spirituale dare, vel accipere pro pecunia: sed etiam pro quacunque temporali re, aut emolumento: cùm fiat iniuria rebus spiritualibus, semper, quod temporalibus, aut rebus, aut commodis comparantur, vel exequantur. Et si ex hoc inferatur, non licere ob amicitiam sperare beneficiū, quia amicitia est temporalis: respondeo negando sequelā. Et ratio discriminis est: Nam quod ex amicitia fit, non ex pacto, sed gratis fit: id enim importat ratio amicitiæ. At verò nos loquimur in præsenti de beneficio, quod ex pacto, & obligatione datur pro mutuo. Ex hoc infertur, quod qui mutuaret cum pacto accipiendi beneficium Ecclesiasticum pro mutuo, vsurarius simul, & simoniacus esset: dupliciſque malitiæ peccatum committeret, ad modum iam explicatum.

¶ Sed dubitabit aliquis rursus: vtrùm qui per vsuram ex mutuo consequitur aliquod officium temporale à Rege, teneatur ad illius restitutionem, seu resignationem. Et pro parte affirmatiua est argumentum. Quæ per vsuram habentur, sunt restituenda: sed ille contractus est vsurarius, vt diximus: ergo. Et confirmatur: Bona acquisita per simoniam sunt restituenda: ergo & quæ habentur per vsuram. Antecedens supponitur tanquam certum ex materia de simonia: & consequentia tenet ex paritate rationis. Ad explicationem tamen huius difficultatis dico, quod in casu posito, is, qui accipit officium non tenetur illud resignare. Tenetur tamen restituere aliquid ad arbitrium boni viri pro grauamine obligationis, quod vltra sortem accepit. Probatur: Vbi est rerum æqualitas, non habet locum obligatio restitutionis: sed in casu posito siue officium detur pro iusto pretio, siue gratis, vt alteri erat donandum, est rerum æqualitas, quantum attinet ad ipsum officiō: ergo qui illud accepit nō obligatur ad illius restitutionem. Et confirmatur: Vsurarius tēnetur obligatur ad restitutionē eius rei, quam vltra sortem accepit: sed in casu posito is, qui mutuauerat, tantum accipit vltra sortē obligationem, qua mutuarius se obligat ad conferendum sibi officium: ergo id solum tenebitur restituere, facta ad arbitrium boni viri eius iusta compensatione. Et per hoc patet *Ad Argu.* solutio ad argumentum in contrariū factum. Ad confirmationem verò respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam de simonia est lex constituta, quæ obligat ad restitutionem cuiuscunque beneficij per simoniam habiti. Ecclesia enim, quæ est domina beneficiorum non vult, quod simoniacus acquirat ius ad illa. Cæterùm de vsura tantum est lex, quæ obligat ad restitutionem eius rei, quam vltra sortem accepit: quare non tenebitur ille, de quo est sermo officium resignare: sed solum restituere id, quod vltra sortem accepit ad modum iam explicatum. *Aliud dubium. Argumen.* *Sententia autoris.*

¶ Circa tertiam conclusionem D. Thom. qua dicit, licitum esse accipere pro mutuo amorem & beneuolentiam, & quæcunque alia quæ pecunia mensurari non possunt, est dubium, vtrùm liceat per mutuum illius amicitiam intendere, qui potest mutuanti, vel sacerdotium, vel magistratum præstare. Quod est quærere, vtrùm liceat dare mutuum Episcopo, vel Regi, à quibus mutuans potest dignitatem, vel magistratum sperare, ea intentione, vt horum aliquid sibi conferatur? In qua re est opinio Glossæ super capitulū consuluit, de vsuris, asserentis, quod si animus mutuantis principaliter tendit ad dignitatē, vel *Dubiū circa 3. cōclusionem D. Thom.* *Sententia glossa.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel magistratum pro mutuo sperãdum, tunc ille erit vsurarius: secus autem minime. Et ratio illius est: Quia tunc tantum intenderet accipere per mutuum aliquid, quod esset pretio æstimabile. Cæterùm vt quid in hac difficultate mihi dicendum videatur, explicem, aduertendum est primò, quod vsura mentalis sicut & realis ex obiecto metienda est, & non ex intentione principali, vel accessoria, quam mutuans habet accipiẽdi aliquid vltra sortem, quod sit pretio æstimabile. Obiectum enim, scilicet, id quod accipitur vltra sortem ratione mutui est, quod facit vsuram, & non intentio principalis, vel accessoria illud accipiendi. Ex quo infertur, quod quotiescunq; aliquis intendit pro mutuo accipere aliquid quod sit pretio æstimabile, siue id principaliter, siue secundario intendat, erit vsurarius: quia iam tunc est obiectum vsuræ, à quo ratio ipsius est accipienda. Secundo est aduertendum, quod cum vtriusque vsuræ sit idem obiectum ad cognoscendum, vtrum aliqua sit vsura mentalis, respiciendum est ad lucrum, quod ratione mutui accipitur. Et si illud in re accipere est vsura exterior, illud etiam intendere erit vsura mentalis. Alioquin si in re acceptum non est vsura, nec in intentione speratum pro mutuo efficiet vsuram mentalem.

1. Conclu. ¶ His suppositis sit prima conclusio: Si quis mutuans Episcopo vel Regi solum intendit eos sibi facere amicos, vt posteà non ratione mutui, sed ratione amicitiæ aliquod sibi conferant officium, vel dignitatem, non peccat peccato vsuræ, etiam si eius principalis intentio sit, vt ex amicitia sibi posteà liberaliter officium tribuatur. Probatur: Quando aliquis intendit per mutuum amicitiam, & beneuolentiam, non sperat accipere vltra sortem ratione mutui aliquid, quod sit pretio æstimabile: atque ex consequenti, nec est vsurarius: sed in casu posito ille tantum sperat accipere ratione mutui amicitiam, & beneuolentiam, quæ non est pretio æstimabilis: ergo non est vsurarius. Et confirmatur: Accipere in re officium, vel dignitatem ex affectu amicabili, nõ est vsura: ergo nec sperare aliquid illorum ex eodem affectu erit vsura. Probo consequentiam: Nam quod in re acceptum non est vsura exterior, nec in intentione speratum, efficiet vsuram mentalem.

2. Conclu. ¶ Secunda conclusio: Si mutuans Episcopo vel Regi intendat per mutuum accipere aliquod officium, vel beneficiũ, siue id principaliter, siue secundario intendat, erit vsurarius. Hæc conclusio est contra Glossam, loco citato. Probatur tamen: In tali casu intenderet accipere vltra sortem aliquid pretio æstimabile, quod est obiectum vsuræ: ergo siue id principaliter, siue secundario intẽdat, erit vsurarius. Et confirmatur: Accipere in re tale officium, ratione mutui etiam secundario, est vsura exterior: ergo & illud sperare, quãuis secundario erit vsura mentalis. Consequentia tenet, ex secundo notabili, & antecedens probatur: Quia acciperet aliquid vltra sortem, quod esset pretio æstimabile. Sed est aduertendum, quod cum res istæ, quæ ex animi intentione dependent, sint valde absconditæ, perdifficile erit cognoscere, quando aliquis recipiat aliquid tãtum ratione amicitiæ, & quando ratione mutui. Quare semper suspectæ haberi debebunt. Cæterùm, si is, qui dat mutuo, prudens fuerit in distinguendis intentionibus; quotiescunque ratione mutui tantum, accipit beneuolentiam, nullum est peccatum, vt diximus. Et si quis contra hoc argumentetur; Vir prudens, & sapiens pluris facit amicitiam proborum hominum, quam maximam summam pecuniæ: ergo si non licet accipere pecuniam pro mutuo, nec etiam amicitiam. Respõdeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam, quamuis amicitia ex se pretiosior sit quam pecunia, inter homines tamen non solet pretio æstimari, nec vendi, quia tãtum consistit in voluntate, quæ cogi non potest, sed beneficio emoliri. Et sic iustè potest absque peccato vsuræ pro mutuo sperari. Et idem est iudiciũ de signis exterioribus amicitiæ. Vt quod mutuatarius creditori non noceat, & affabilem se sibi ostendat. Hæc enim omnia gratis ex amore & beneuolentia dari consueuerunt, vnde ea pro mutuo sperare non est peccatum. Tertia conclusio: Qui mutuat Regi vel Episcopo, sperans se ab eis ratione amicitiæ aliquod officium impetraturum, cuius non est dignus, peccat peccato præsumptionis. Probatur: Præsumptio est, cum quis nititur ad agendum id, quod suam facultatem excedit, vt docet D. Thom. infra quæst. 130. ar. 1. sed ille talis est huiusmodi: ergo. 3. Conclu.

Aliud dubium. ¶ Est aliud dubium circa eandem conclusionem, vtrùm liceat mutuare ei, qui mihi aliquam litem mouit, ea lege, vt liti cedat. Et idem dubium est de eo, qui mutuat alicui ea lege, vt sibi dimittat aliquod debitum. In qua re certum est, quod si alter iniustè me in iudicium vocat, vel pro debito iustè vexat, licitum erit mutuum ei dare ea lege, vt liti cedat, & à debito petendo desistat. Et ratio est: Quia tunc mutuans nihil pretio æstimabile accipit pro mutuo, sed tantum redimit suam vexationem, quod facere vni-

vnicuique est licitum. Item etiam est certum quod si ego reuera aliquid alteri debeo, vel ille iustè me in litem vocat, non licet illi mutuum dare, ea conditione, vt debitum dimittat, vel cedat liti, quia tunc iam peterem aliquid ratione mutui, quod esset pretio æstimabile, quod est vsura. Sed quod habet difficultatem est, vtrùm, qui aliquem iniuria affecit, eius famam, & honorem lædendo, pro quo iustè posset in iudicium vocari, pecuniæque satisfactione mulctari, licite possit aliquid ei mutuò dare, ea lege, vt liti cedat, & iniuriam remittat. In qua re Nauarro ca. 17. num. 237. & Soto lib. 6. de iustitia q. 1. ar. 2. partem tenent affirmatiuam. Tum vt dicit Nauarro, quia cum pœna in conscientia non debeatur ante iudicis condemnationem, nullam mutuans ex tali mutuo lucrum reportat. Tum etiam vt dicit Soto quia licet honor, & fama pecunia possint æstimari, sunt tamen eius conditionis, vt ex amicitia remitti consueuerint. Quare erit licitum illa ex mutuo intendere, sicut & intendere amicitiam. Sententia Nauarri.

Sententia autoris. ¶ Cæterum hæc sententia mihi non placet, sicut nec placet multis alijs Doctoribus, cum Syluestro, verbo vsura. 1. q. 8. & 11. Et ratio est: Nam cum iniuria læsus iustè possit in iudicio agere, ad satisfactionem temporalem, qui mutuationi addit pactum de condonanda iniuria, ex consequenti ratione mutui priuat illum libertate, & iure petendi, quod habebat, manetque obligatus ad non petendum, quod est pretio æstimabile. Eo vel maximè, quod si imponere proximo obligationem rei, illi alias non incommodæ, vt quod ad tuum molendinum veniat, vel suas operas locet iusto pretio, vsuræ labe est infecta, vt diximus, quo modo nõ magis fœnori erit subiectus, qui occasione mutui obligationẽ omnino incommodam, qualis est illa, non petendi iniuriæ satisfactionem, mutuatario imponit, perdereque facit actionem instam, quæ maiori pretio iure æstimatur. Fateor quidem cum Nauarro, pœnam ante sententiam non deberi: ac proinde puto, sic mutuantem non teneri ad restitutionem valoris pœnæ, cuius condonationem mutuo exigit. Sed tenebitur proculdubio valorem illius cessionis, & obligationis, qua ad non petendum mutuatarius ex pacto subiectus exstitit, ad arbitrium prudentis viri soluere, vt diximus de alijs obligationibus ex mutuo extortis. Quod verò ait Soto hoc nihil aliud esse quam amicitiæ fœdus in pactum deducere, etiam est falsum. Nam quamuis amicitiam in communi rectè liceat mutuo quærere, vt diximus in superioribus, idque explicare, tamen in particulari aliquod officium, seu seruitium, vel obsequium in pactum deducere, omnino est illicitum: quia illud est pretio æstimabile. Eò vel maximè, quod est contra rationem amicitiæ tale pactum. Nam quod ex amicitia speratur, non est cur ex legali, & ciuili obligatione exigatur. Atque adeò eo ipso, quod quis aliquid speciale facere obligatur, non ex amicabili voluntate, sed coactus & ex obligatione ciuili, illud facere est dicendus. Nec certè Soto loquitur consequenter ad eam opinionem, quam ipse tenet, vt supra vidimus quæst. 62. art. 2. quod honor, & fama possunt pecunia æstimari. Nã ex ea sequitur euidenter, prædictam condonationem esse pretio dignam, atque ex consequenti pro mutuo exigendam non esse. Est ergo resolutio huius quæstionis, quod qui mutuaret offenso ea lege, vt iniuriæ à se latæ remissionem faceret, ex debito mutui, & nõ ex amicitia, aut vrbanitate grati animi liberè donantis, esset vsurarius, sicut & quicunq; alius extorquens à mutuatario vltra sortem quemcunque alium contractum pretio æstimabilem. Et eadem est ratio de eo, qui mutuat mulieri sub conditione, vt sui copiam faciat. Cæterum qui mutuaret offenso eo fine, vt cum illo amicitiam iniret, ex qua postea ipse iniuriæ faceret remissionem, nec esset vsurarius, nec peccatum committeret: quia tunc tantũ speraret ratione mutui amicitiam, quæ non est pretio æstimabilis. Ex dictis omnibus colligitur tũc tãtum posse esse vsuram, cùm quis propter mutuum accipit, vel accipere sperat quidquam, quod sit pretio æstimabile. Ex quo infero primò, quod si quis mutuaret Regi centum, sperans ratione mutui liberandum esse à solutione tributorum, quæ eidem Regi soluuntur, talis esset vsurarius: quia tunc speraret vltra sortem accipere aliquid, quod est pretio æstimabile. Est autem hoc intelligendum, dummodo tributa sint iure debita. Nam si per tyrãnidem, & iniustè exiguntur ab eis, per mutuum licitè liberari posset. Nec tunc aliquid acciperet vltra sortem, sed tantum redimeret suam vexationem. Infero secundo, quod non licet mutuare alicui centum ea cõditione, vt ipse mutuatarius, teneatur aliqua ex illis exigere à debitore mutuantis, à quo difficulter extorquebuntur. Nec item licebit, mutuare alicui frumentum, quod ab hoc loco longe distat, ea lege, vt illud mihi in hac ciuitate reddat: quia omnes istæ conditiones sunt onerosæ & pretio æstimabiles. Et eadem est ratio de eo, qui mutuat ea conditione, vel intentione, vt ratione mutui detur sibi aliquod obsequium, vel linguæ, vel manus. Vt, verbi gratia, quod mutuatarius sit meus aduo-

Resolutio dubitationis.

1. Corollarium.

2. Corollarium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aduocatus, vel oret pro me principem, vel coram me cantet. Hæ enim omnes obligationes sunt pretio æstimabiles. Et idem dicendum erit in alijs casibus, in quibus pro mutuo accipitur aliquid pretio æstimabile.

¶ In solutione ad primum argumentum dicit duo D. Thomas. Primum est, quod ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere recompensationem emergentis damni. Secundo dicit, quod lucrum cessans non potest in pactum deduci. Circa quæ duo est graue dubium, vtrùm ei, qui mutuum dat, sit licitum accipere aliquid vltra sortem, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis. Ad cuius intelligentiam aduertendum est primum, damnum emergens dici illud nocumentum, quod ratione tantum mutationis mutuator patitur. Vt si, verbi gratia, quis parabat, vel ædes ruinosas reficere, vel in æstate annonam pro toto anno recipere, & alius petat ab eo mutuo pecunias, quibus hæc efficere debebat. Si postea domus ipsa corruit, vel frumentum carius venditur, id dicitur damnum emergens. Et similiter est damnum emergens, si mutuatarius non soluat mutuum statuto tempore: propter quod is, qui mutuauerat cogitur pecunias ad vsuram recipere. Lucrū verò cessans est, cùm quis moraliter loquendo, suis pecunijs erat lucraturus centum, & alius mutuò petit illas. Secundo est aduertendum, dupliciter posse contingere, vt quis inducatur ad mutuandas pecunias, ex quarum mutuatione, vel damnum emergit, vel lucrum cessat. Vno modo inuitus: quia, scilicet, ei aliqua vis infertur vel tenditur fraus. Vt si quis à mercatore minis, aut fraudibus mutuo extorqueat pecunias, quibus ipse erat negotiaturus. Alio modo voluntariè, & rogatus.

Dubiū grauc de lucro cessante & dāno emergēte in mutuo.

1. Dictum certum.

¶ His suppositis, vt certa ab incertis separemus, dico primo, certum esse, quod quotiescunque mutuatori inuito, vel damnum emergit, vel lucrum cessat, iustè & sine vsura potest illud exigere. Probatur: Quilibet potest iustè eius damni, quod ab alio iniustè patitur, exigere recompensationem: sed ille, cui inuito, vel damnum emergit, vel lucrum cessat, iniustè patitur damnum: ergo iustè illius poterit exigere recompēsationem. Hæc est communis lentētia omnium Doctorum, quæ & colligitur ex leg. cum quidam. ff. de vsuris. & ex leg. vsuras. C. eod. titulo. Vbi emptor, qui in solutionis mora fuerit, cogitur vsuras soluere venditori, & non ob aliam rationem, nisi quia inuitus patitur damnum.

2. Dictum certum.

Secundo etiam est certum, & ab omnibus concessum, quod ille, qui rogatus mutuat, damnum emergens præuisum, & formidatum potest in pactum deducere. Verbi gratia: Si timet ratione mutui, se domus ruinam passurum, vel annonæ caritatem, vel vsuram soluturum, licitè potest in pactum deducere quod mutuatarius hæc omnia soluat. Ità tenet D. Thom. hic ad primum. Et probatur: Nullus tenetur gratis damnum subire vt alteri mutuet: ergo poterit mutuās suæ indemnitati consulere, illum deducēdo in pactum. Et confirmatur: Qui alteri rem vendit, si per eius carentiam damnum incurrit, vt suæ indemnitati consulat, potest illam carius vendere, quam absolutè valet, dummodo id emptorem certiorem faciat, vt ex mente Diui Tho. & omnium Doctorum docuimus quæstione præcedenti: ergo similiter ille, qui alteri rem mutuat, ex cuius carentia damnum incurrit: poterit suæ indemnitati consulere, aliquid accipiendo pro damno emergenti. Dixi autem mutuantem id facere rogatum posse. Nam si vltroneus faciat, nec mutuatarium admoneat, nihil vltra sortem recipere poterit. Et est ratio: Quia forte si mutuatarius id sciret, nollet sub ea conditione mutuū accipere. Atq; adeò fit ei iniuria, si absq; sua voluntate expressa aliquid vltra sortem mutuans accipiat. Ex hoc infertur, quod si damnum non fuit præuisum, nec timebatur, sed post mutuationem forte superuenit, non tenetur mutuatarius illud soluere: quia non se obligauit, nisi tantum ad simplex mutuum. Itaque quando diximus, quod ille, qui rogatus mutuat, potest damnum emergens in pactum deducere rogatum: intelligimus, quando mutuatarius sciens, & prudens, tanquam rem sibi commodam, voluit sibi mutuum dari, cum illo onere. Sed est aduertendum, quod, vt docet Caietanus in præsenti, ad hoc, vt liceat damnum in pactū deducere, necessarium est, quod mutuans verè illud incurrat, ratione mutui: alias erit vsura palliata sub specie euitandi damni. Et item etiam requiritur, quod alias mutuūs non teneatur illud damnum subire. Vnde si quis mutuaret Regi, vt non solueret tributa, esset vsurarius: sicut & ille, qui mutuaret creditori, vt non solueret debitum. Quia ea damna, quæ euitat aliunde, tenetur pati: & sic acciperet vltra sortem aliquid, quod esset pretio æstimabile. Itaque hæc certa sunt.

¶ Sed quod habet difficultatem est, vtrùm ille, qui rogatus mutuat posit pro mutuo lucrum cessans vltra sortem accipere. Ad cuius dubij intelligentiam notandum est cum Caietano in præsenti, quod potentia, ad lucrandum ex pecunia proueniens est duplex. Vna, quę naturaliter consequitur ipsam pecuniam absolutè consideratam, scilicet, in quantum potest esse instrumentum ad lucrandum, siue per negotiationem, siue per emptionem alicuius rei. Alia potentia est, quæ consequitur ipsam pecuniam, non secundum se, & absolutè sumptam, sed pro vt subest industriæ negotiatoris. Et hæc vocatur potentia pecuniæ, vt substat industriæ, nec semper est eadem sed maior aut minor, pro vt industria negotiantis maior, vel minor fuerit.

Potētia ad lucrādum duplex.

3. Dictum certum.

¶ Hoc supposito dico, etiam esse certum apud omnes, quod nullus ratione illius prioris potentiæ, quam pecunia habet ad lucrandum potest accipere aliquid vltra sortem. Quia cum illa potentia sit cōmunis cuicunque pecuniæ à quocunque habeatur, idem iudicium est de illa, quod de ipsa pecunia. Vnde sicut non licet accipere aliquid vltra sortem, ratione ipsius pecuniæ mutuatæ: ita nec ratione illius potentiæ, quam habet ad lucrandum. Cæterum de secunda potentia, quam pecunia habet ad lucrandum, prout subest industriæ mercatoris, qui eam negotiationi expositam habet, est maxima difficultas, vtrùm ratione illius possit aliquid accipi vltra sortem. Quod est quærere, vtrùm mercator, qui suis pecunijs, quas negotiationi expositas habet, moraliter loquendo, erat lucraturus centum, si alius eas à se mutuò petat, possit vltra sortem recipere illa centum, quæ erat lucraturus, nisi pecunia per mutuum à sua industria remoueretur, illaque in pactum deducere. De qua re sunt qui censeant, non esse licitum pro interesse lucri cessantis aliquid exigere, nisi quando mutuatarius est in mora solnēdi, ita, vt mutuans damnum lucri cessantis pati cogatur inuitus. Ita tenent communiter iurisprudentes, Ioannes Andreas in cap. nauiganti de vsuris. Antonius, in cap. salubriter eiusdem tituli, & Innocentius in dicto cap. nauganti. Videturque esse sententia iuris consulti in leg. cum quidem ff. de vsuris. Vbi hæc verba ponit: Vsuræ non propter lucrum petentium, sed propter inopiam non soluentis, infliguntur. Huiusque rei rationem esse dicunt: Quia ante quā sit mutuatarius in mora gratiam ei mutuator facit, ipsoque volente & consentiente retinet mutuatarius pecuniā mutuatā. Post moram autem non ita. Atque adeò, si ex tunc ratione non solutionis patitur mutuator aliquod interesse, debitori imputandum venit. Debitor enim morosus fieri æquiparatur, & sit, certum est, quod non solum teneatur rem furtiuam restituere, sed etiam pro interesse lucri cessantis satisfacere. ¶ Alij Doctores absolutè dicunt,

Potētia ad lucrādum

1. Sentētia

2. Sentētia

non esse habendam rationem lucri cessantis, nec ante moram, nec post moram, ad hoc, vt pro illo possit mutuans aliquid vltra sortem accipere. Ità tenet D. Thom. hic ad primum: Nam distinguit inter damnum emergens, & lucrum cessans. Et dicit, quod illud licet accipere, & in pactum deducere, hoc verò minime. Quam etiam sententiam sequitur Scotus in 4. dist. quæst. 2. & Duran. in 3. d. 37. q. 2. & ex antiquis Doctoribus fere omnes. Et probari potest pluribus argumentis. Primo sic: Nullus potest vendere id, quod non habet, & potest multipliciter impediri. Sed mutuans nondum habet pecuniæ lucrum, & potest multipliciter impediri: ergo non poterit illud vendere. Hæc est ratio D. Thom. in solutione ad primum. ¶ Secundo sic argumentor: Nullæ sunt leges, aut iuris ciuilis, aut canonici, quæ hoc permittant: ergo id facere non licet. Probo consequentiam: Nam cum frequentes extent leges, quæ vsuras ratione dāni emergentis impendi iubeant, nulla est, quæ de lucro cessante loquatur: quod est signum illud esse peccatum. ¶ Tertio: Hoc ipsum probatur ratione, & verbis Scoti, id non licere dicentis: quia si mutuans nō vult damnificari, pecuniam sibi necessariam reseruet, cum nullus eum necesitet ad faciendam misericordiam proximo. Mutuum enim gratis est agendum.

1. argumē.

2. argumē.

3. argum.

¶ Contrariam sententiam tenent Caietanus in isto articulo, Syluester verbo vsura 1. §. 19. Adrianus in quæstio. de vsura, quamuis fateatur esse opinionem Modernorum Ioannes Medina in tractatu de vsuris. ca. 3. Conrad. de contract. q. 30. Anto. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 9. Couarru. 3. Variar. cap. 4. Angelus verbo vsura. 1. §. 19. Nauarro cap. 17. num. 202. Mercado tract. de vsuris. cap. 10. §. ellos titulos. Turrecremata in cap. si res. 14. q. 6. Summa Armilla. verbo vsura. qu. 3. Cordoba in summa q. 103. Felinus in cap. 1. §. eundem libium. de officio deleg. & in cap. cum venerabilis. de exceptio. Iaſon Inſt. de actionj. §. fuerat. Palacios Rubios in rep. cap. per vestras, de donat. inter vxorem & vtorem. Qui omnes vnanimiter dicunt nullam esse vsuræ labem, quod mutuans etiam si non inuitus seu coactus, vi & fraude mutuet de lucro cessante, cum mutuatario præstetur, etiam ante moram mutuatarij, & siue rogatus, siue sponte mutuans id offerat, seruatis tamen nonnullis conditionibus infra ponendis. Imo D. Thom. supra q. 62. art. 4. ad 1. & in 4. d. 15. q. 1. art. 5. quæst. 2. ad 4. videtur esse eiusdem sententiæ. Quæ similiter potest probari pluribus argumentis. Primo sic: Nullus tenetur cum incommodo alterī mutuum dare, vnde potest se indem-

3. Sentētia

1. argumē.

Universidad de Deusto
Biblioteca

indemnem seruare: sed si mercator, qui suis pecunijs erat negotiaturus, eas mutuo daret damnum subiret: ergo poterit illud vitare, lucrum cessans in pactum deducendo. ¶ Secundo: Id, quod in potentia habetur, si res sit vendibilis, licitè vendi potest, pro maiori, aut minori pretio, secundum quod potentia fuerit actui propinquior: vnusquisque enim potest vendere triticum, dum herbescit, quia habet illum in potentia: sed mercator, qui habet pecunias negotiationi expositas, habet lucrum in potentia, maius aut minus pro ratione suæ industriæ: ergo poterit illud vendere, atque ex cõsequenti si pecunias mutuo dat poterit id lucrum in pactum deducere. ¶ Tertio: Licitum est vendere rem eatus, quam absolutè valeat, si per eius carentiam venditor damnum incurrit, vt suæ indemnitati consulat: ergo similiter qui mutuat pecunias, quas negotiationi expositas habet, & quibus erat lucraturus centum poterit illa accipere vltra sortem, & in pactum deducere, vt suæ indemnitati consulat. Probo consequentiam: Quia non minus damnum incurrit ille, qui mutuat pecunias, quibus erat lucraturus, quam ille, qui vendit rem ex cuius carentia damnum incurrit. ¶ Vltimo: Vnicuique artifici est licitum instrumenta suę artis locare: sed pecuniæ sunt instrumenta negotiationis ad lucrum: ergo poterit mercator illa locare, atque ex consequenti accipere vltra sortem id, quod erat lucraturus.

2. argum. *3. argumẽ.* *Vltimũ argumentum*

¶ Ad explicationem huius difficultatis, vt à certioribus incipiamus, sit prima conclusio certa, quod si negotiator vult remouere pecunias à negotiatione, nõ potest lucrum exigere ratione mutui. Probatur: Pecunia non potest pluris æstimari, quam absolutè valet, nisi quia est exposita negotiationi: ergo quãdo negotiator vult illam à negotiatione subtrahere, nó poterit accipere pro ea, nisi quod re ipsa valet. Et confirmatur: Nam si hoc liceret facere, quilibet subtraheret pecunias à negotiatione ad vitandos labores, & pericula, easque mutuo daret.

1. Conclu.

¶ Secunda conclusio certa: Non potest negotiator ratione mutui accipere à mutuatario totum lucrũ, quod per negotiationem erat lucraturus. Probatur: Illud lucrum est in potentia, potestque pluribus modis impediri: ergo non valet tantum, quantum quando est in actu: atque ex consequenti non potest accipi ratione lucri, tantum quantum est futurum. Et confirmatur: Si quis futaretur illas pecunias, dum erant negotiationi expositæ, non teneretur restituere quantum mercator erat lucraturus: quia id non erat in actu, sed in potentia: vt omnes Doctores concedunt: ergo nec, si quis mutuò illas accipiat, tenebitur dare quantum ipse mercator erat lucraturus. Probo consequentiam: Nam vterque idem damnum affert negotiatori. Ex hoc infertur, falso aliquos Doctores affirmare, posse quemquam tanti vendere merces in hoc loco, si rogatus id faciat, quanti eas vendidisset, si ad alium locum, eas deferret deductis expensis, & laboribus. Est enim id falsum. Nam cum res, quæ est in potentia, non valeat tantum, quantum valet, quando est in actu: non poterit accipere totum quod in potentia erat accepturus.

2. argum. *3. Conclu.*

¶ Tertia conclusio: Probabile est, quod si negotiator rogatus, vel spontaneus mutuet pecunias negotiationi expositas, non potest exigere lucrum cessans ratione mutui. Hanc conclusionem probãt rationes adductæ pro sententia D. Tho. Ad quam etiam reduci potest illa, quæ erat iurisprudentium, affirmantium, nihil accipi posse vltra sortem ratione mutui, nisi quando debitor est in mora solutionis. Et præterea probatur: Quia lucrum alicui cessare non dicitur, nisi quãdo ipse ab eo inuoluntariè cohibetur: si enim voluntarius cessat à negotiatione, non dicetur quod lucrum ille cessat, sed quod ipse cessat à negotiatione: sed quando aliquis rogatus mutuat non inuoluntariè à lucro cohibetur: sed potius voluntariè id facit: ergo non dicetur ratione mutui illi lucrũ cessare: atque adeo nec poterit aliquid accipere ratione lucri cessantis. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur: Quia nullus patitur inuoluntarium, nisi quando vi, aut metu, aut ignorantia aliquid facit, vt docet Arist. 3. Ethic. Et confirmatur: Si negotiator vltrò offerat pecunias mutuo, nihil potest accipere vltra sortem ratione illius, quamuis eas negotiationi expositas habeat, vt omnes Doctores concedũt: ergo nec si rogatus mutuet. Probo consequentiam: Quia vtrobique eodẽ modo cessat à lucro. Hæc ratio est Magistri Soto lib. 6. de iustitia. q. 1. ar. 2. Propter eamque dicit contrariam sententiam esse periculosam, multisque vsuris viam parantem. Cæterum ego iudico, illam longe probabiliorem, si rectè intelligatur.

1. Ratio.

¶ Vnde sit quarta conclusio: Vnicuique est licitum, etiam si non inuitus, nec coactus mutuet, sed vel rogatus, vel vltroneus, de lucro cessante cum mutuatario paciscì: illudq; accipere vltra sortem: etiam si mutuatarius non sit in mora solutionis: dummodo id fiat seruatis debitis conditionibus. Hanc conclusionem probant argumenta facta pro tertia opinione. Illamq; amplius persuadeo. Nam, vt Soto, atque D. Thom. & omnes fatentur,

4. Conclu.

1. Ratio.

cuius causa alicui, ipso inuito, lucrum cessat tenetur ad illius restitutionem quamuis non in solidum: hinc enim, qui efficacem causam dat, ne alteri aliquod bonum, quod esset habiturus, assequatur, tenetur ad restitutionem: & hinc, qui detinet agricolam, aut artificem, tenetur ad interesse amissum: & hinc fur, qui rem abstulit alienam, tenetur de omni interesse, præter rei ablatæ restitutionem. Et quia debitor ex contractu licito, si in mora est, æquiparatur furi, similiter tenetur ad interesse, quod dominus acquireret, & ad fructus, quos ex re ablata esset percepturus: & hinc denique qui apponit impedimentum ne semina fructificent, aut arbores pullulent, tenetur ad verisimile damnum, quod dominus patitur, vt ex mente D. Thom. diximus supra quæstio. 62. artic. 2. ad 4. ergo idem etiam erit dicendum in nostro proposito, cùm is, qui mutuum accipit efficaciter impediat mutuatori lucrum quod sibi accrescere debebat. Ad hanc rationem Soto, & ceteri contrariæ sententiæ, dicunt, non esse similem rationem. Nam in casibus antecedentis, qui læsus est, patitur iniustum inuoluntariè, ac proinde pro illata iniuria, & damno repto, est ei necessario restituendum aliquid. At verò mutuans, licet lædatur, voluntariè tamen id patitur, omninoque libere consentit non habet, & sic nulla ei fit iniuria, quę restitutionem sit refarcienda. Sed hæc responsio nihil valet. Nam aliud est in damnum consentire, & aliud damnum remittere. Et licet mutuans in patiendo cessationem lucri consentiat, non tamen tenetur gratis consentire, sed refusione debita secundum exigentiam iustitiæ prius facta. Quare si talis cessationis lucri passio, est pretio æstimabilis, vt re vera est (aliàs inuitus patiendo nihil posset exigere) nec interest an vltroneus, vel inuitus concedat, imò est laudabilius, vt perdere quis velit, illud lucrum, etiam si sibi sic recompensandum, vt proximo officium præbeat, sit, vt si quando inuitus quis patitur damnum, potest lucrum recipere, etiam postea illud habere quando voluntariè patitur. Non enim ex eo, quod quis voluntariè, vel inuoluntariè interesse patitur, iustificatur acceptio lucri, sed ex eo, quod vendit rem pretio æstimabile vel nihil valentè vt ex exemplis positis euidentius constat. Nam quamuis rusticus, vel officialis, rogatus velit lucri iacturam alterius causa facere, adhuc potest ratione interesse, ab eo, cuius causa & contemplatione illud amittit, aliquid accipere, vt omnes cõcedunt. Et idem est de eo, à quo petuntur instrumẽta artis, quibus erat lucraturus. Qui quidem nõ solum quando ab eo vi, aut fraude suscipiuntur, sed etiam quãdo alterius precibus illa concedit, vel dono dat, potest in pactum cõmoditatem lucri cessantis deducere. Et sic apparet, quam sit impertinens, quòd quis voluntariè, vel inuoluntariè faciat, si res alia est pretio æstimabilis. Et certè mihi adeò vera hæc sententia apparet, vt eam indubitanter tenendam putem, tantum abest, vt dubitẽ, periculosam illam experienti acquiescam. Secundo probatur nostra conclusio, per textum in cap. peruenit de fideiussoribus. Vbi Summus Pontifex dicit, de omni damno, & interesse satisfaciendum esse fideiussori, ex fideiussione illud incurrit, vt ibi explicat glossa. Certum est autem, quod fideiussor in effectu mutuat, cum fideiubet vt diximus in superioribus. Et sic colligi videtur, voluntariè mutuanti pro interesse satisfieri debere. Et addit textus rationem, vt fideiussor seruetur indemnis: Quia non est iustũ, vt dispendium patiatur, vnde meruisset præmium. Ad hanc eandem sententiam probandam adducit Medina cap. religiosi. Clementi de priuilegijs. Vbi religiosi retrahentes aliquem à legatis faciendis, coguntur satisfacere læsis, & non nisi, quia causam præstiterunt, vt personæ, quæ alioqui, per viam legati, erant aliquod lucrum asse quuturę, illud amittunt. Sed talis est nostet casus, vt cõstat. Imò ex illo textu desumi potest argumentum à minori ad maius. Nã si in casu textus, religiosi impedientes personas à lucro, non in eorum rebus cautaliter contento, sed ex alterius voluntate pendente, tenentur illis satisfacere, à fortiori in nostro casu, qui mutuantem à lucro in rebus eiusdem contento, impedit, facere satisfactionem tenebitur. Pro hoc etiam facit cap. nauiganti. vbi decernit Pontifex, quod vẽdens rei ad terminum, potest plus exigere, si est probabile, vel verisimiliter dubitatur, plus valituras. Ex quibus vtchis apertè colligitur, posse non coactum interesse deducere. Eo vel maximè, quod vt diximus in superioribus, in omnibus venditionibus ad terminum, vel anticipatã pecunia, virtualiter continetur mutuatio.

Responsio Soti.

Impugnatur Soto.

¶ Restat nunc respondere ad argumenta pro contraria sententia facta. Et primo de opinione iuris prudentiũ, qui asserebant, non esse licitũ aliquid pro interesse lucri cessantis exigere, nisi quando mutuatarius est in mora solutionis, dico illã esse præter rationem. Nam pecunia nõ est maioris vtilitatis post moram, quam ante moram, cæteris paribus. Nec minus cessat lucrũ iustum ipsi mutuanti ex hoc, quod mutuatarius est ante moram, quam postquã incipit esse in mora, vt suppono. Et sic nõ solum poterit habere ratio interesse lucri

Ad fundamentũ primi opinionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessantis post moram, sed etiã ante morã. Eo vel maximè, quod debitor morosus hoc solũ adijt supra debitorem nõ morosum, scilicet, quod est in culpa nõ reddens quod reddere tenetur: & sic æquiparatur furi. Hæc autem culpa nõ est per se causa obligãdi ipsum nõ rosum ad reddendũ aliquid vltra capitale, sed verum interesse, quod creditor ob culpam alius patitur. Atq; adeò ipse interesse patitur ante quã debitor sit in morã, & culpa, cui nõ tenebitur pro illo satisfacere, sicut quidam in morã. Nec valet, si dicatur, hoc ideo esse, quia ante morã ex voluntate, & cõsensu creditoris mutuata pecunia detinetur, & ideò videtur mutuans gratis mutuatario facere, volens gratis sustinere interesse, quod interim patitur. Nã contra hoc est ratio superius facta: de interesse damni emergentis, pro quo tenetur mutuatarius mutuãti satisfacere, licet si post morã illud pateretur. Et præterea: quia, vt modo dicebã, quãuis tempore mutuationis relinquatur quis gratis mutuare, nõ tamẽ tenetur gratis lucrũ alioqui euenturum pro mutuatario amittere, siue lucrũ cessetante mora, siue post. Et si obijcias: Quã gratis cõsentit in antecedenti, gratis etiam cõsentit in eo, quod inde sequitur, seu mutuans tempore mutationis spõte, & gratis cõsentit in hoc, quod mutuatarius per certũ tẽpus suam pecuniã mutuatam retineat: ergo etiã consentit in peràtione alicuius bõni, seu lucri ipsam pecuniæ retentionẽ consequente: Atq; adeò mutuatarius nõ tenetur quidquã reddere ratione mutuatæ ante morã euenientis. Respondeo, illã rationẽ nihil conuincere. Primo: Nã supponit vnum falsum, scilicet, quod quiuult antecedens bonæ consequentiæ, vult etiam & cõsequens, aut, quod, qui vult causam, vult etiã eius effectũ. Huius enim oppositũ constat esse verum in eo, qui vult in amore fœdus cõcubinę perseuerare, quã supra modũ amat: Et tamẽ cum sciat per fidem inde sequi eius æternã damnationẽ, hoc tamen nõ solum nõ vult, sed etiã odit. Itẽ: Quis scit cibum aliquẽ gustui delectabilem esse sanitati cõtrarium, vult quidẽ, quia est gulosus, cibum comedere, vt gustui satisfaciat: nõ tamẽ inde vult in morbum incidere. Et ità in multis alijs posset exẽplificari. Imò, sicut stat dolere de antecedenti, & de cõsequenti gaudere, vt accidit his, qui de peccato verã agunt pœnitẽtiam, qui quidẽ de peccato dolent, & de dolore gaudent: ità etiã è contra stat, aliquẽ gaudere de antecedenti, & tristari de eius effecto, & cõsequente. Vt videmus in puella non nupta, quæ de concubitu gaudet, quo grauida fit, de grauidatione autem tristatur. Secundò: non conuincit argumentum factum. Quia esto mutuator velit illud antecedens, scilicet, mutuatarium retinere apud se mutuatam ad tempus pecuniam, ac subinde velit cessationem lucri inde consequentem: nõ tamen est opus, vt sicut gratis mutuare vult, ità etiã gratis velit illud interesse pati relaxando mutuatarium à satisfactione, vt ex supradictis patet. Et probari potest à simili. Scat enim, quod Petrus habens vineã fructiferam sponte consentiat, & gratis velit eã donare Ioanni, & tamen non consentiat, nec velit fructus eiusdem vineæ eidem dare: sed potest vineã donando fructus ad tempus sibi reseruare, ipsum donatarium ad illorum redditionem obligando: ergo pari ratione poterit Petrus velle gratis certam pecuniæ quantitatem ad tempus alteri mutuare, non cõsentiendo, nec donando lucrum, quod ex pecunia erat ei alioqui saltem instrumentaliter euenturum. Et si dicatur, non esse simile de vinea donata, & pecunia mutuata, quia cum vinea sit fructifera, & non pecunia ex sua natura: potest vnus donare vineam fructus eius sibi reseruando, & non potest mutuare, seu dare pecuniam, eius fructu apud se retento: sed contra hoc est argumentum: Nam si hæc ratio aliquid valeret, pari ratione sequeretur, quod sicut nõ est habenda ratio lucri cessantis ex te morum mutuatarij, ità etiam nec haberi deberet post moram eiusdem, cum pecunia nec ante morã, nec post moram pariat. Et præterea: Quia quamuis pecunia de se lucrũ non pariat, parit tamen saltim instrumentaliter, inquantum subest industriæ negotiatoris, quomodo nos loquimur de pecunia in præsenti: Et per hæc patet solutio ad argumenta facta pro prima opinione.

¶ Ad primum argumentum pro secunda opinione respondeo, negando maiorem. Bene enim potest quis vendere quod habet in potentia. Non quidẽ pro tanto pretio, quanto in actu valet, sed pro maiori vel minori, prout fuerit actui propinquius, vt diximus quæstione præcedenti. Supponimus enim in præsenti, quod quamuis mutuans nõ actu habeat lucrum, à quo ratione mutuationis impeditur, habet tamen illud quasi in actu, quia absque dubio, aut saltem probabiliter existimat, illud alioqui sibi euenturum. Et tali probabilitate non existente, nulla ratione posset aliquid accipere. Nec obstat, quod mutuans aliquid certum pro lucro cessante exigens, ponit se in casu, quo ad id, quod exigit, & alter ponit se in periculo incrementi exacti, imò in certo de illo vltra capitale soluendo. Nam in tali casu mutui, non habetur ratio æquinalẽtis inter datum, & acceptum, sicut haberi debet in venditione. Sed

Obiectio.

Responsio.

Ad 1. arg. pro secunda sententia.

ne. Sed tantum habetur ratio interesse, quod mutuans ob mutuatarij causam patitur. Et quia illud gratis subire non tenetur, debet is, qui mutuum accipit, aliquid in recompensam præfati lucri ipsi mutuanti vltra capitale reddere: quamuis mutuatarius nihil vltra capitale à mutuante accipiat. Et quoniam est incertum, quantum adæquatè lucrum, quod speratur, est futurum, idcircò iustè pro aliquo certo conuenitur quod apud hominum æstimationem tantum valeat, quantum illud incertum, etiam si plus sit speratum. Et sic constat, quod mutuans aliquid ratione lucri cessantis exigens propriè non vendit lucrum speratum, sed facit contractum innominatum, qui est: Da certum quid, & lucrum incertum perdam, quod probabiliter creditur mains futurum. Et sic proprie non dicetur vendere quod non habet. ¶ Ad secundum respondetur, quod leges ciuiles, & canonicæ non loquuntur de lucro cessante. Quia cum idem iudicium sit de eo, & de damno emergenti, determinantes hoc accipi posse pro mutuo, consequenter determinant de illo. ¶ Ad tertium respondetur, concedendo mutuum esse opus charitatis. Cæterum, cum nullus teneatur damnum subire, vt alteri ex charitate prosit, poterit quisque lucrum cessans in pactum deducere, vt suæ indemnitati consulat. Ad aliud argumentum, quod in probatione tertiæ conclusionis fuit positum, respondetur negando, quod tãtum dicatur alicui lucrum cessare, quando ipse vi aut metu, aut ignorantia à lucro cohibetur, sed etiam quando volens, aut precibus ad instantiam alterius cessat à lucri acquisitione. Præsertim, quòd mutuans non vult cessare, nisi mutuatarius ea lege accipiat pecunias, vt soluat lucrum, quod eius intuitu perdit. Ad confirmationem dico, falsum esse, quod mutuator non potest mutuo offerre pecunias illi, qui patitur necessitatem lucro petito, admonito, scilicet, mutuatario prius, quod ipse posset sibi subuenire, nisi pecunias haberet negotiationi expositas: quas tamen si lucrum soluit lubens, mutuabit: aliàs illas non extrahet à negotiatione. Nec hoc negant Doctores. Sed quod negant est, posse mutuantem inuitare mutuatarium, extrahendo pecunias à negotiatione, vt mutuet. Quia iam tunc ille vult pecunias à negotiatione removere: Et sic nihil potest accipere, vt diximus in prima conclusione.

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

De cõditionibus necessarijs ad recipiendum aliquid pro lucro cessante in mutuo.

¶ Sed, quoniam nostra sententia fuit, non simpliciter, & absolutè esse licitum ratione lucri cessantis aliquid vltra sortem exigere in mutuo, sed conditionaliter, certis, scilicet, conditionibus concurrentibus, operæpretium erit, explicare, quænam sint futuræ huiusmodi conditiones? De quo non omnino conuenit inter nostræ sententiæ autores, quibusdam plures, & alijs pauciores constituentibus. Conradus loco citato octo assignat conditiones necessarias ad iustificandam acceptionem lucri cessantis in mutuo: sed plures illarum sunt superfluæ, & impertinentes. Nam primò, dicit requiri, quod mutuans non sit assuetus vsuris. Sed procul dubio hæc conditio non est necessaria, nisi forte ratione scandali, aut in foro exteriori, vt bene docet Nauarro. Secundo dicit requiri, quòd ità mutuator sit dispositus, vt ipse mallet suam pecuniam ad dictum interesse habere, quam illam sub certo lucro mutuare. Nam dato opposito, est signum, quod mutuat ex affectu lucri, & sic est vsura. Et procedit hæc ratio, vbi mutuans commodum temporale respicit. Nam si ex charitate principaliter mouetur ad subueniendum proximo per mutuum, sed absq; damno proprio, tunc poterit male mutuare se indemnem seruãdo, quam pecuniam retinere, lucrum inde sperando, vt dicit Caietanus in præsenti. Medina non admittit hanc conditionem. Sed satis esse putat, si sit indifferens, ità, vt data sibi optione non hoc magis velit, quam illud. Et idẽ sentit Syluester loco citato. Cæterum mihi quantum ad hoc, placet opinio Nauarri. Nempe, quod siue precibus alterius, siue sua sponte, siue affectu charitatis se offerat, siue lucri, nõ peccat contra iustitiam, vel peccato vsuræ, etiam si magis inclinatus sit ad certum lucrũ ex mutuo, quam ad interesse ex negotiatione. Dummodo mutuans firmiter decreuerit negotiari, & solum causa alterius extrahat à negotiatione pecunias. Et ratio huius est manifesta. Nam, cùm, vt ex supradictis constat, interesse illud amissum sit pretio æstimabile, non obstat, an hoc, vel illo animo faciat. Iustitia enim commutatiua non ex hac, vel illa intentione, sed ex æqualitate rei datæ, & acceptæ, est attendenda. Siue ergo rogatus, siue quæsitus, siue sponte, siue principaliter ex charitate, vel ex necessitate proximi, siue ex amore lucri aliquis mutuet, idem est quantum ad iustitiam iudicium. Tertiò dicit Conradus, requiri ad iustificationem acceptionis lucri cessantis in mutuo, quod mutuatio sit consilij, & non præcepti. Quia tanta potest esse necessitas mutuatarij, mutuum potentis, vt teneatur mutuans ex præcepto mutuare. Et si quod lucrum inde cessat, tenetur gratis illud sustinere, contentusque esse cum hoc, vt sors mutuata sibi reddatur.

Sententia Conradi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

datur. Cæterum in hac conditione, vt sonat arbitror decipi Conradum, sicut & in præcedentibus. Imò decipiuntur plures alij, qui eã necessariam esse dicunt. Et ratio est: Nam vel ille, qui mutuum petit, est in extrema, aut quasi extrema necessitate, ratione cuius teneatur mutuans ei eleemosynã facere. Vel est citra talé necessitatem. Si primum, sequitur, quod nõ solum debet gratis præfatam lucri cessationem sustinere, sed etiam ipsam sortẽ, qua extremè mutuatarius indiget, tenetur ei gratis donare: cum secundũ Cõradum, & veritatem nõ satisfaciat dives mutuãdo ei, qui extremam patitur necessitatem, sed teneatur ipsi donare. Atq; ex cõsequenti nec obligabitur tunc mutuatarius pro lucro cessante satisfacere, nec sortem, mutuatã reddere. Si autem mutuatarius est citra extremã, vel quasi extremam necessitatem ita, vt dives nihil ei dare teneatur, sicut obligatur sortem mutuatam reddere, ita & pro lucro cessante satisfacere. Si dicatur, quod mutuatarius est in extrema, vel quasi extrema necessitate, & tamẽ ipse volens se obligat ad sortẽ mutuatã reddendam: & ideò mutuator quãuis gratis donare teneretur excusatur sortẽ datam exigendo, & recipiendo: contrà hoc est argumentũ, sicut potest ille indigens se ad sortis solutionem obligare eedẽ donationi eidẽ alioquin faciendæ, ità etiam potest ad satisfaciendum pro dãno lucri cessanti, quod sui gratia mutuator patitur, volens obligari: ergo tunc poterit ab illo mutuator vltra sortẽ ratione lucri aliquid exigere. Et si charitas obligat mutuantem ad liberandũ mutuatarium à satisfactione lucri cessantis: æquè, imò plus obligabit illũ eadẽ charitas ad liberandũ indigentẽ à solutione sortis acceptæ, ex quo pauper ille sorte ipsa directius indiget, quã sustinentia præfati interesse, quod mutuator sustinet.

¶ His ergo, & alijs conditionibus reiectis, quæ mihi placẽt, & necessariæ videntur, sunt quatuor. Prima, quod lucrum cessans sit verum & non fictum. Alias erit plana vsura. Potest autem esse fictum, & nõ verum lucrum, meo iudicio dupliciter. Scilicet, vel, quia mutuans nõ decreuit negotiari, vel si decreuit, est tamen negotiatio talis, ex qua verosimiliter lucrum alicuius momenti sperari nõ potest. Nõ verò est necessariũ, vt ita sit à parte rei, quod ex mutuatione mutuãs aliquod interesse patiatur. Nam stat tẽpore mutuationis esse valde verisimile, & quasi indubitatũ, quod mutuans, si nõ mutuaret, esset aliquid postea lucraturus, tatiõne cuius verisimilitudinis poterit cum mutuatario, vt dictum est, super refusione pacisci, & tamẽ postea oppositum accidat, quia talis mutuatio euenit, vel in mutuante, vel in rebus, quas alioqui erat empturus, vt nullũ lucrum fuisset assequuturus. Et procedit hoc tã de damno emergente, quã de lucro cessante. Itaq; ad hoc, vt exactio, vel dãni emergentis, vel lucri cessantis iustè tẽpore mutuationis fiat, satis est, quod interesse sit verosimile, aut probabile. Nam hoc sufficit, vt nõ sit fictũ, quidquid postea à parte rei succedat. Secũda cõditio necessaria est, quod mutuũ sit causa amissionis lucri, vt docent Conradus, Caietanus atque Nauarro locis citatis. Quod nõ contingit, quando mutuans habet aliam pecuniã in arca, quã mutuo dare, vel negotio exponere posset, & ipse non vult, nisi extrahere eam, quã habet negotiationi expositam, vt sic lucri cessantis commodũ reportet. Sed est hoc intelligendum, vt bene notat Nauarro, quando pecunia, quam reseruat non est sibi necessaria ad alias occurrentes necessitates, vitaeq; sustẽtationes, vt habeat vnde subuenire, decreuit, non dare illã negotiationi, quod est prudentiæ. Tertia conditio est, quod lucrum non excedat interesse, alioqui erit vsura ratione illius excessus, ad cuius exactionem is, qui mutuat nullis causam præter mutuũ habet. Estq; hæc conditio intelligenda, sicut & prima, non de interesse vere, & realiter euenière, sed de interesse verosimili, & probabili. Imo quod exigitur, nõ solum nõ debet excedere verosimile, & probabile interesse futurũ, sed ad summũ debet esse tãtum, vt sit dubium probabile, an lucri cessans plus minusve sit valiturũ, iuxta determinationẽ cap. in ciuitate. Et tunc quidquid in re accidat, hoc est, siue plus siue minus mutuãs realiter fuisset lucraturus, licitè id, quod est exactum potest à mutuatario recipere: ex quo verosimile lucrum cessans tempore cõtractus tantũ valuit, quantũ ratione eius fuit à mutuatario exactũ. Quarta & vltima conditio est, quod mutuator nõ exigat tantũ, quantum futurũ creditur lucrũ cessans, sed deductis laboribus, & expensis, attentoq; etiam, quod lucrum est in futuro, & in periculo, & quod valet minus nondũ habitũ, licet speratum, ob eius incertitudinẽ, quã valet actu existẽs. Et hoc est, vt existimo, quod voluit significare D. Tho. hic ad primũ, quando dixit recõpensationẽ dãni, quod cõsideratur in hoc, quod de pecunia nõ lucratur, nõ posse in pactũ deduci, quia non debet quis vendere id, quod nõ habet, & potest multipliciter impediri ab habendo. Non enim hæc verba accipienda sic sunt, vt omnino neget posse aliquid pacisci ad arbitrium boni viri pro interesse dando. Quia aliàs nec pro lucro agricolæ vel segetum posset aliquid exigi, cum id etiam non habeatur, & possit multipliciter impediri, quod est falsum & contra eundem D. Thom. Sed quod negat est, posse totum lucrum speratum, aut verisimiliter cognitum à mutuatario exigi, quia id esset iniquum, cum non habeatur, & possit multipliciter impediri. Et quod hic sit verus sensus, colligitur manifestè ex eodem Diuo Tho. supra q. 62. ar. 4. & in 4. d. 15. q. 1. art. 5. quæstiun. 2. ad 4. Vbi fatetur impedientem ab assequutione lucri, vel alterius boni habendi, teneri ad restitutionem non in solidũ, sed arbitrio prudentis viri. Quia, inquit, non est habitũ, & impediri potest multipliciter. Aliàs ex vna, & eadem ratione contrarias colliget conclusiones, quod est absurdum. Hic ergo, & ibi vnum atque idem docet, nempe, totum lucrum exigi non posse, bene tamen partem. Atque adeò D. Tho. non aduersatur nostræ quartę conclusioni, quamuis à Doctoribus contrariæ sententię pro ipsis adducatur.

1. Cãditio. 2. Cãditio. 3. Cãditio. 4. Cãditio.

Dubium.

¶ Explicatis iam conditionibus necessarijs ad iustificationem illius, quod ratione lucri cessantis in mutuo accipitur, dubium consequens est, vtrùm prædictis conditionibus exigentibus possit mutuans illico in ipsa mutuatione lucrum exigere. Conradus loco citato partem tenet negatiuam. Imò ex conditionibus necessarijs ab ipso positis, vna est, quod exactio tempore mutuationis facta, nõ sit ad hoc, vt mutuatarius teneatur refundere interesse statim in ipsa mutuatione. Quia cũ mutuator tunc non sit interesse passus, nec etiam tenebitur mutuatarius tunc pro illo satisfacere. Sed contra istam sententiam argumentatur Medina in tract. de vsuris. cap. 3. §. septima conditio, multipliciter. Primo: Si Petrus mense sequenti est aliquid verosimiliter lucraturus, & Ioannes vult eum in re alia occupare, vnde lucrum illud amittat, potest cũ Ioanne hoc modo cõuenire. Ego cedam illi lucro, si aliquid mihi in promptu das: ergo pari ratione poterit mutuator recompẽsam lucri cui cedit, iustè in promptu exigere & recipere. Et confirmatur: Potest quis fructus vineæ nondum existentes, sed speratos & incertos antea vendere, pro illisq; in promptu aliquid certum recipere, vt patet ex communi Doctorum consensu, vsuq; fidelium: ergo etiam poterit mutuator in casu, quo non solum mutuat, sed etiã lucro verosimiliter sperato, ob causam mutuatarij, cedit, quod gratis facere non tenetur, pro huiusmodi cessione aliquid à mutuatario in promptu exigere, & recipere. ¶ Secũdo: Si mutuatio, quæ fit cum pacto, quod mutuatarius aliquid certum pro interesse, quod mutuãs patitur, statim soluat, esset vitiosa: aut esset ideò, quia tempore mutuationis nondum cũ effectu patitur tale interesse, sed postea patietur illud, aut quia mutuans cogit mutuatariũ ad aliquid agendum seu soluendum ratione mutui, ad quod non est obligatus, nempe satisfacere pro interesse illico, qua satisfactione non existente nõ mutuaret. Sed nihil horum sufficit vitiare præfatam mutuationem. Nõ primum. Tum: quia qui vendit ad statim carius, quam merx communiter valet, idq; ratione interesse, quod ex carentia suæ mercis verosimiliter est passurus, licitè ad statim recipit recompẽsam pro interesse futuro, esto tempore vẽditionis tale interesse nõ sit in effectu, vt communiter dicunt Doctores. Tum etiã, quia quamuis tempore mutuationis mutuans in effectu non patiatur præfatum interesse, tunc tamen in effectu, & realiter cedit lucro verosimiliter euenturo, & sperato, quod est pretio æstimabile, vt cõstat, atq; adeò poterit tunc pro illa cessione aliquid statim soluendum exigere. Nec secundum. Quia si ea ratio aliquid valeret, similiter conuinceret, quod mutuatio facta cum pacto de soluendo postea simul cũ capitali aliquid certum, ratione lucri sperati, esset vitiosa. Cõsequens autem est falsum, & contra communem Doctorum sententiã. Probo sequelam: Nam similiter taliter mutuãs obligat mutuatarium ratione mutui, ad aliquid plus, quã aliàs teneretur. Aliàs enim non tenebatur nisi ad satisfaciendum pro interesse prout euenerit. Conuenire autem de aliquo certo soluendo, loco præfati lucri incerti, est alia noua obligatio, ad quã mutuatarius nec ratione mutui, nec ratione cessantis lucri obligabatur, sed sola contrahentium conuentione, per quam mutuans illud à mutuatario tẽpore mutuationis exigit. ¶ Tertio principaliter sic argumentor: Quando quis exigit in mutuo aliquid vltra sortem, ratione lucri cessantis, in tali actione duplex contractus implicite cõtinetur, vt cõmuniter dicũt Doctores. Vnus est mutui. Et ratione huius immediatè nihil omnino exigitur, aut recipitur, quia esset aperta vsura. Alter est pactio accipiẽdi aliquid ob interesse amissum, quod est pretio æstimabile: Estq; veluti quædam venditio futuri boni: ergo sicut venduntur fructus sperati, & lucrum alicuius ex arte, aut labore manuum pro pretio in promptu accepto, poterit etiam vendi, eodem modo lucrum ex mutuo amissum. Si enim alicuius est pretij ista spes, & cessio à lucro futuro, cur illius pretium statim exigere non licebit.

Argumẽta Medinæ cõtra Conradum.

1. argumẽ.

2. argumẽ.

3. argum.

¶ Certè hæc argumẽta efficacissima sunt, & quæ prima facie intentũ sufficiẽter probare cuiq; videbantur. Cæterũ re oculatius inspecta sententiã Cõradi incunctanter tenendam esse existimo: nimirum esse illicitum,

Sententia Conradi.

Sententia Conradi veraꝫ tamen da.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod quis in mutuo ratione lucri cessantis aliquid statim soluendum exigat. Quâ etiam sententiam tenet Medina loco citato: illamq; probat solũ reducendo ad inconueniens. Nã dicit, quod ex opposita sententia, si teneatur duo quæ maxima sequuntur inconueniẽtia. Primũ est, quod rebus eodẽ modo se habẽtibus, cogeretur quis ratione minoris mutui, tantũ interesse soluere quantũ ratione maioris, quod apertã continet inæqualitatem: cũ non sit verosimile quod quis tantũ sit lucratus minori pecunia, quantũ maiori. Probo sequelã. Posito casu, quod indigẽs petat mutuo quindecim ad certũ terminũ soluendos, cum quib⁹ est verisimile mutuantẽ toto illo tẽpore quinq; fuisse lucraturum, parum plus minusve deductis expẽsis, & laboribus, &c. & mutuans dicat: Faciam quod petis, modo illico mihi soluas quinque pro cessione lucri probabiliter sperati, quã tui causã facio: & alter consentiens accipiat à mutuante quindecim, ex quibus iuxta conuentionẽ statim soluat eidẽ quinq;, tunc apud mutuatariũ solũ remanent decem. Estq; perinde, ac si tantum decẽ ei mutuo data fuissent: & tamen in termino est quindecim soluturus, decẽ pro principali, & quinq; pro interesse lucri cessantis, nec si quindecim à principio mutuò accepisset, plus soluere teneretur: ergo ratione minoris mutui tantũ cogitur soluere, quantũ ratione maioris. Secundũ incõueniens est: Nã sequeretur quod mutuatario nihil accipiendo totã sortem ipse reddere teneretur: quod est aperta iniustitia. Et quod sequatur pater, posito casu, quod negotia ità elsẽt ampla (vt fieri solet) quod quis cũ viginti alia viginti esset lucraturus, deductis laboribus, & expẽsis; & quod tunc mutuãs diceret mutuatario petẽti, se velle ei mutuo dare viginti, dũmodo sibi lucrũ cessans statim soluat: nã tunc nihil accipiens totũ soluere teneretur, quod est ridiculũ. Cæterùm, quãuis Medina his duobus deductis inconuenientibus ex opposita sententia, nostrã veram esse ostendat, nullã illius ostensiuam rationẽ reddit. Quã ego vt explicem, suppono eos, qui mutuas pecunias, maximè cum interesse lucri cessantis, conquirũt esse pro illo saltẽ tẽpore indigentes. Si enim pecunia nõ egerent, quid opus esset illã, non solũ rogando, verum etiã interesse soluendo, quærere, cum sit summæ demẽtiæ laborãdo & recõpensando quærere, quod vel ipse habet, vel si non habet, illo tamen non indigeat? Est ergo ille, qui pecunias sub interesse lucri cessantis accipit, pro eo tempore indigens. Atq; adeò, si mutuo accipiens quindecim statim soluere cogitur quinq;: non solùm pecuniæ sortem, sed etiã eius emolumẽti, ob quod illam mutuò accepit, cogetur iacturam sustinere. Quare sicut mutuans, quia pecunia indigebat ad negotiandũ, & lucrandum: potuit licite interesse in pactum deducere: ità etiã, quia mutuatarius indiget pecunia accepta, quæ iam est sua, ad dãna vitanda, remutuans, hoc est, anticipate solués (est enim anticipata solutio quædã mutuatio, vt diximus supra) licite poterit damnum emergẽs ex mutuo, seu anticipata solutione, illorum quinq; exigere, illudq; in pactum deducere. Nõ minus, quã ille, qui à principio quindecim mutuauit. Atq; ex consequenti erit manifesta iniuria, petere, aut exigere mutuum, sine interesse ab eo, qui vt suæ necessitati subueniret coactus fuit illud cum interesse accipere. Quod facit ille, qui mutuans quindecim in casu posito cogit mutuatarium statim ex illis quinq; soluere ratione lucri cessantis. Non ergo cogi debet, aut potest sine magna iniuria, vt à principio soluat lucrum cessans, qui pecunias ne cessitate cõpulsus mutuò accepit. Et hæc est ratio, vt existimo, propter quam Pius Quintus in quodam suo proprio motu, solutiones, quas vulgò anticipatas appellant, omnino fieri prohibuit in censibus, vt infra dicemus.

Ad 1. arg.

¶ Ad primum argumentum in cõtrarium factum cum sua cõfirmatione, respondet Medina cõcesso antecedenti negando cõsequentiam. Nõ enim est similis ratio de eo, qui lucrum suarum operarum futurarũ, aut fructus nascituros vendit pro pretio statim soluẽdo, & de eo, qui mutuat sub pacto, vt lucrũ cessans sibi statim soluatur. Nam in casibus antecedentis vendens transfert dominium, seu ius in alterũ eius, quod vendit: & sic est vera vẽditio. At verò in nostro proposito, mutuãs nihil iuris in alterum transfert, nisi solum id quod mutuat. Et quamuis cedat lucro verosimili alioqui euenturo, eo ipso tamen, quod statim pro tali cessione aliquid à mutuatario accipit, interuenit prædicta iniustitia, sci licet, quod tantũ soluit mutuatarius pro minori lucro cessante quantum esset soluturus pro maiori vt dictum est. Cæterum hæc responsio meo iudicio nõ plenè satisfacit. Nã, quamuis mutuans in casu, de quo loquimur nihil transferat positiuum in mutuatarium, nisi tantum rem mutuatã, cedit tamen lucro futuro, quæ cessio est pecunia æstimabilis: & sic poterit dici hanc cessionem vendere, & transferre. Quocirca aliter ad primum argumentum, & simul ad secundũ respõdeo, esse diuersam rationem de vẽditione, & mutuo. Nã, quia in vẽditione fieri potest, vt emptor nõ damnificetur ex anticipata solutione, sed potius aliquando iuuetur, vt communiter docent Doctores de venditione lanarũ, & aliarum

Ad 2. arg.

tum rerum, sit, vt prædicta anticipata solutio non repugnet venditioni: & sic ex cõuentione partium accipi potest. At verò in mutuo impossibile est, quod non damnificetur mutuatarius. Nam cum mutuum detur, & accipiatur ad succurrẽdum necessitatẽ patienti, maximè quãdo sub interesse accipitur, est omnino contra naturam illius, vt eadem ipsa pecunia, quæ datur, statim ab ipso mutuatario auferatur: quia est dare pecuniã, & non dare, vt constat, & pactum de illa accipienda est prorsus violentum, damnificatiuumq; proximi ex natura mutui, atq; adeo illicitum. Occurrit etiam hic alia non despicienda ratio propter quam tale pactũ sit iniustum. Et est, quia cum exactio eius, quod mutuãs accipit vltra sortẽ in casu, de quo loquimur, siue statim, siue post fit soluẽdum, iustificetur ratione lucri cessantis, certè si mutuãs manet, verbi gratia, cum quinq; quæ est tertia pars sortis, non poterit ex hac parte aliquid vltra sortem accipere, cum ipse illa in arca reseruet, vel si eũ illis valt negotiari, possit. ¶ Ad tertium argumentũ respondetur concesso antecedenti, negando consequentiã. Nam quãuis spes & cessio lucri futuri in mutuo, sit pretio æstimabilis, & propterea aliquid pro illa accipi possit, vt diximus in superioribus: quia tamen repugnat naturæ mutui, vt eadem pecunia, quæ mutuatur statim ab ipso mutuatario exigatur: idcirco non est licitum talem spem pro pretio statim soluendo vẽdere, sed pro futuro, vt sic prædicti duo contractus in tali mutuatione inclusi integrè & perfectè exerceantur. Est ergo resolutio huius, & præcedentis difficultatis, quod ad iustificandam exactionem, quã mutuãs aliquid à mutuatario ratione lucri cessantis tẽpore mutuationis exigit, tales interuenire debent conditiones. Primum, quod lucrum cessans sit verum, & non fictum: hoc est, quod tẽpore mutuationis verosimiliter, & probabiliter appareat. Secundum, quod mutuum sit causa amissionis lucri. Tertium, quod lucrum non excedat interesse. Quartum, quod mutuans nõ exigat tantum, quantum futurum creditur lucrum cessans, sed deductis expẽsis & laboribus, &c. Et tandem vltimũ, quod exactio non fiat eo modo, vt mutuatarius teneatur statim pro interesse satisfacere, aut exactũ soluere, ad modum iam explicatum. Alij addunt aliam conditionem, scilicet, quod in tali exactione careatur ab infamia, & scandalo. Hæc tamen non est propria huius contractus, sed communis omnium actionum humanarum. Et ideò à nobis prætermittitur. His omnibus cõcurrentibus licita erit mutuatio, cum præfata exactione, & siue post appareat, quod mutuans plus longe fuisset lucraturus, vel nihil, iuxta conuentionem factam, tenebitur mutuatarius quod promisit soluere: Quia non veritati lucri euenturi, sed verisimilitudini tempore mutuationis habitæ ex rigore contractus talis excessus innititur. Sed quoniam in his, qui mutuant, aut ad terminum vendunt, aut emunt raro prædictæ conditiones concurrunt: ideò tales cõtractus, in quibus ratione lucri cessantis aliquid vltra sortem exigitur, dissuadendi sunt antequã fiant, & postquam fact. sunt diligenter attendendum, an omnia interuenerint requisita, ne temere, scilicet, vel iustificentur, vel condemnentur. Et hæc eũ ratio, vt existimo, propter quam Summus Pontifex in cap. in ciuitate. de vsuris. hos contractus dissuadere videtur, dicens: Ideò ciues saluti suæ bene consuleret, si à tali cõtractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari. Et hæc dicta sint de tota ista difficultate.

Resolutio difficultatis.

¶ In solutione ad quintum argumentum agit D. Thom. de contractu societatis. Qui est quando aliquis alteri committit pecuniam, vt ex illa negotiationi exposita lucrum reportet. Verbi gratia: Habeo mille aureos, & do illos mercatori, vt postquam eis negotiatus fuerit, lucri partem mihi cõferat. Sed est difficultas, vtrùm ille cõtractus sit vsurarius? Ad cuius explicationem aduertendum est, quod societatis duplex potest esse genus. Vnum quando plures mercatores in vnum cumulum suas pecunias cõgerunt, ministros, aut habent communes: ità, vt & pecuniæ, & operæ, & expensæ omnibus sint æquales. Quod societatis genus apud illustres mercatores, tam Hispaniæ, quam Italiæ, & vbique terrarum, est vsu frequentissimum. Aliud genus societatis est, in quo vnus ponit pecunias, alter operas, alter industriam. De quo fit mentio in leg. societatem. ff. pro socio. Hoc constituto dico, vtrunque genus societatis esse licitum, dummodo in illo tres intercedant conditiones. Prima est, quod omnia, quæ in societate ponuntur, siue sint pecuniæ, siue operæ, vel industria, à principio numerẽtur, & ex illis fiat quasi vna summa pecuniæ communibus. Verbi gratia: Sunt tres socij, quorum vnus ponit mille ducatos, alter operas requisitas, quæ æstimantur alijs mille, tertius verò ponit industriam quæ æstimatur quingentis: tunc stabilienda est societas, ac si tres posuissent duo millia quingentos ducatos. Secunda conditio est, quod singulorum portiones æqualiter subsint periculo, sicut & lucro: ita, vt si pecunia pereat sine domino pereat, nec alter

Duplex genus societatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

teneatur illam soluere, alias esset vsuraria mutuatio. Tertia conditio requisita est, quod partes sint proportionabiliter æquales, quantum ad lucrum, & quantum ad damnum: hoc est, quod cum lucrum, quam damnum proportionaliter respondeat cuique socio ponenti, vel pecunias, vel operas vel industriã. Et quod vtrumque genus societatis tribus his conditionibus seruatis sit licitum, probatur primò, ex cap. per vestras, de donat. int. vir. & vxor. Vbi Innocentius 3. contractum societatis approbat, & ex Instit. pro societate. per totum titulum & ff. & C. pro socio, per totum. Vbi idem habetur. Et præterea, quia in neutro genere aliqua alicui fit iniustitia, sed omnibus redditur æquale. Et si quis obijciat Institutam de societate §. de illa. dicentem: Quorundam opera ita pretiosa est, vt iustum sit conditione meliori in societate admitti: quibus verbis significari videtur, in contractu societatis non semper esse necessarium, quod partes quantum ad lucrum sint proportionabiliter æquales. Respõdeo, quod loquitur textus ille de eo, qui apposita aliqua pecuniæ portione apponit etiam industriam. Vt si, verbi gratia, apponente Petro bis centum ducatos, Paulus apponat centum & labores atque industriam valentes trecentos. Tunc cumulus societatis valet sexcenta, quorũ quatuor ponit Paulus, & Petrus duo. Ex quo sequitur, vt lucri debeat Paulus recipere duas tertias, & Petrus vnam. At verò in damno quantum ad rem Paulus nõ subit nisi periculum vnius, & Petrus duorum. Et propterea dicitur in textu, iustũ esse, vt cuius opera est pretiosa, meliori conditione in societate admittatur. Ad quod etiam alludit casus legis societas. C. de societ.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm contractus societatis, sub conditione, vt capitale sit saluum, sit vsurarius. Verbi gratia, est aliqua vidua, quæ habet mille ducatos. Et tribuit illos alicui mercatori sub hac lege, vt si illis aliquid lucratus fuerit partem lucri sibi conferat: si verò pecunia pereat, non sibi, sed mercatori pereat. Est difficultas, vtrũ iste contractus sit licitus? Maioris in 4. d. 15. q. 48. partem tenet affirmatiuam. Et probatur

1. argumẽ. primo argumento desumpto ex cap. per vestras. de donat. int. vir. & vxor. vbi permittitur, quod maritus pecuniam dotalem collocet apud mercatorem, vt eius lucro viuat. Hoc autem fieri non potest, nisi saluo capitali: quia semper dos mulieris salua consistere debet: ergo contractus societatis, qui fit saluo capitali, est licitus. ¶ Secundo: Ille, qui

2. argumẽ. pecuniam ponit in societate potest pacisci cum socijs, vt non subeat totius pecuniæ periculum, sed tantum partis, vt omnes Doctores concedunt: ergo etiam poterit pacisci, vt nullum periculum subeat. Patet consequentia: Quia eadẽ est ratio totius & partis. ¶ Tertio argumentatur Maioris argumento, quod *3. argum.* ipse appellat demonstrationem, hoc modo: Potest, verbi gratia, Petrus ponere mille aureos apud Paulum negotiatorem, postea autẽ adire Franciscum, & celebrare cum ipso contractum assecurationis pro pretio quinquaginta ducatorũ. Quo facto potest tertiò adire Ioannem, & dicere ei, se habere apud Paulum mercatorem mille aureos negotiationi expositos, quibus singulis annis lucrari solet ducentos, vendereque ei lucrum pro pretio centum aureorum. Tunc in hoc casu habet Petrus lucrũ quinquaginta aureorum, saluo capitali per contractus licitos: nã omnes illi contractus, quos diximus, liciti sunt: ergo eadem ratione poterit hoc ipsum efficere per vnum contractum, cum eadẽ persona. siquidem est idem effectus: atque ex consequenti licebit dare pecuniam in societatem, saluo capitali.

Conclus. ¶ His tamen non obstantibus, dico, nullo modo esse licitum contractum, in quo vnus ponit pecunias in societate salno capitali: ita scilicet, vt ipse nulli se periculo exponat, sed alius teneatur quidquid acciderit. soluere. Probatur primo ex lege societatem. C. pro socio. Vbi reprobatur societas, in qua vnus nec periculum pecuniarum, nec operarũ subit. Et ratione sic argumentor: Illa est legitima negotiatio, qua pecunia exponitur negotiationis periculo: sed in casu posito, qui ponit pecunias in societate, saluo capitali, nõ se exponit negotiationis periculo: ergo non est legitima negotiatio. Et confirmatur: Hoc est discriminis inter societatem, & mutuationẽ, quod in societate dominium pecuniæ remanet penes singulos, qui in societate conueniunt, per mutuum autem transfertur dominium in mutuatariũ: sed in casu posito ille, qui ponit pecunias in societate, saluo capitali, non reseruat penes se illarum dominium. sed illud transfert in negotiatorem, ille enim est dominus rei cui perit, si perdatur: ergo talis non est contractus societatis, sed mutuis atque ex consequenti illicitus, siquidem speratur luctum ex mutuo.

Ad 1. arg. ¶ Ad primum argumentum nonnulli respondẽt, quod in illo capite, specialiter conceditur marito, vt possit dotẽ deponere apud mercatorem, ex eaque suscipere lucrum sub conditione, vt semper sit saua dos: idq; fieri in fauorem matrimonij, vt hac ratione sustẽtet onera illius. Sicut & conceditur genero, vt si pignus fructiferum acceperit pro dote, possit

possit fructibus illius frui, non computatis in sortem, vt patet ex capitulo. salubriter, de vsuris. Redditque textus rationem: Nam dotis fructus sunt pro oneribus matrimonii supportandis. Cæterũ hæc solutio proculdubio est falsa. Quia cũ recipere vsuras, vt diximus, sit contra ius diuinum, & naturale nulla ratione potest dispẽsari, vt licitè fiat. Nec est eadem ratio de pignore, vt statim dicemus. Quare hac solutione omissa ad argumentũ respondeo, in illo capitulo tactum explicari, qualiter maritus ex fructibus dotis viuere possit, etiam deponendo dotem apud tutum mercatorem in societatem; sub communi tamen iure societatis, scilicet, cum

Ad 2. arg. periculo sortis. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, concedendo, posse fieri, quod aliquis decem millia ducatorum in societate ponat, & nolit, nisi medietatis periculum subire. Cæterum nec etiam tunc poterit recipere lucrum ex negotiatione, nisi ratione illius medietatis, cuius periculum subit. Reliqua verò censebitur sociis mutuare. Quare si pro illis pretium exigat erit vsura. Et idem iudicium erit, si nullius

Ad 3. arg. partis periculũ subire velit. Tunc enim non erit contractus societatis, sed mutui. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, concedẽdo, quod si illi tres contractus cum diuersis personis celebrentur, omnes sunt liciti. Cæterum, si celebrentur cum eadẽ persona, dicit Caietanus in opusc. 16. resp. 8. respõsione. 11. quod si simul fiant, sunt illiciti: quia tunc est vsuram ex mutuo accipere, licet occultè. Si autem fiant cum eadem persona, non simul, sed successiue, ita, scilicet, vt hodie ponantur mille aurei sub communi lege societatis, & ab hinc duos dies veniat idem ad mercatorem, & faciat contractum assecurationis, & post alios duos dies vendat eidem lucrum, omnes illi contractus erunt liciti. Quia tunc eadem ratio est de illis, ac si cum diuersis personis fierent. Cæterum hæc sententia Caietani amplectenda non est. Et sic dico, quod siue fiant simul, siue successiuè, semper erunt illiciti illi contractus cum eadem persona celebrati. Et ratio est, Quia sunt inter se repugnantes, atque alterum corrumpit necessario. Quare si cum eadem persona celebrentur, contractus societatis conuertitur in contractum mutui, ex quo lucrum sperature. Et sic semper est illicitus, vt constat ex ratione conclusionis, qua diximus contractum societatis tantum esse quando dominium pecuniæ remanet penes singulos. Quod non contingit quando contractus assecurationis celebratur cum eodem, cum quo societas habebatur.

¶ In solutione ad sextum argumentum dicit D. Thomas, quod si aliquis ratione mutui habeat aliquod pignus fructiferum, vt est vinea, vel agrum; tenetur numerare fructus in partem solutionis. Ità enim habetur expresse in capitulo primo de vsuris. Et ratio est manifesta: Nam alias acciperet aliquid vltra sortem ratione mutui, quod est intrinsece malum, vt diximus. Sed contra hoc sunt duo argumenta, quæ videntur habere difficultatem. Primum est desumptum ex capitulo. conquestus de vsuris. Vbi postquam dixerat Papa, quod fructus pignoris debent in solutionem principalis computari, subdit statim, nisi forte terra ipsa de feudo sit monasterii: Tunc enim fructus pignoris non sunt in solutionem sortis computandi. Vt si, Verbi gratia, ecclesia fundum aliquem alicui in feudum tradidit, & postmodum feudatarius illum in pignus dat pro mutuo eidem ecclesiæ, dicit Papa, quod tunc fructus suscepti non sunt computandi in solutionẽ principalis. Quod & habetur expresse in capitulo primo. de feudis. ergo non semper recipere fructus pignoris ratione mutui est vsura. Secundum argumentum desumitur ex capitulo. salubriter. de vsuris. Vbi habetur, quod si socer tradat genero agrum fructiferum in pignus pro dote, gener facit fructus suos, nec sunt computandi in solutionem principalis: ergo falsum est dicere, quod fructus debent numerari in partem solutionis. ¶ Ad hæc duo argumenta nonnulli respondent dicentes, in his duobus casibus particulariter permissum esse, quod fructus pignoris non computentur in solutionem sortis, vel propter vtilitatem ecclesiæ, vel in fauorem matrimonii. Cæterum hæc solutio nullo modo est sustinenda. Nam cum accipere vsuram pro mutuo, sit intrinsece malum, nulla ratione fieri potest, vt aliqua ex causa licitè permittatur. Quare *Ad 1. arg.* illa omissa ad primum argumentum, supposito, quòd feudum appellatur, quando aliquis habet vsumfructum rei, pro aliquo opere faciendo, non tamen dominium, & proprietatẽ. Respõdeo concesso antecedẽti, negando consequentiã. Nam in illo casu nõ accipiuntur fructus pignoris pro mutuo. Sed quia hæc est natura feudorum, vt quo uescunque redierint ad verum dominum, redeant cum fructibus suis; absolutus tamen feudatarius à solutione feudi, vt in capitulo primo de feudis. habetur. Et est aduertendum, quod si feudatarius fundum reddat melioratum, ità, vt plures ex illo fructus colligantur, quam antea; æquum erit, quod ille excessus sibi veniat tempore

Duo argumenta contra ea quæ dicit D. Tho. in solutione ad sextum.

Responsio aliquorũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pignorationis,quamuis ex iustitia etiam priuetur illo excessu,propterea quod exoneratur cura,& onere locandi agrum.

Ad 2.arg. ¶ Ad secundum argumentum,in quo maior est difficultas,vt respondeamus, dico primò certum esse,quod si socer velit soluere dotem, & gener nolnerit solutionem recipere,sed petat,vt detur sibi in pignus ager fructifer, ex quo quotannis fructus recipiat, saluo capitali, erit vsurarius:quia tunc vellet lucrum ex mutuo, quod est illicitum. Item etiam est certum,quod si gener semel accipiat dotem, & iterum illam mutuet socero, petito fructu alicuius agri, vltra sortem, erit vsurarius.Nisi forte id faciat ratione lucri cessantis,iuxta dicta in superioribus. Quia quotiescunque ex mutuo speratur lucrum est vsura. Sed dubium est, vtrùm quando socer non soluit dotem genero, sed dat illi in pignus agrum fructiferum,possit gener fructus illius recipere, non numerando eos in solutionem principalis? De qua etiam re pars affirmatiua est certa; vt potè quæ habetur diffinita in capitulo. salubriter. de vsuris. vbi id expressè dicitur: recipiturque communiter ab omnibus Doctoribus. Sed difficultas consistit in explicanda ratione:propter quam illi fructus nõ debent computari in solutionẽ principalis.

Dubium.

Sententia Adriani & aliorum.

Adrianus in 4.q.de vsuris. vers.sed dubium. Medina C. de vsuris.quæstione 2.§ ad capitulum. salubriter. Almainus in 4.dist 15.quæst. 2.Couatruu.libro 3. Variarum capitulo primo. numer.3.& Syluester,verbo.vsura.3.§.2. dicunt, quod illos fructus potest accipere gener non ratione mutui,sed ratione lucri cessantis; impeditur enim à negotiatione, quandiu illi dos non traditur. Sicque ratione huius facit sibi fructus proprios, quos ex pignore recipit. Hæc tamen sententia meo iudicio est falsa. Tum, quia commune est in omnibus contractibus aliquid posse recipere extra principale ratione lucri cessantis, vt diximus in superioribus. Et si non esset alia peculiaris ratio in matrimonio frustra de eo fieret peculiaris determinatio. Tum etiam, quia si solum ratione lucri cessantis gener faceret suos fructus, quos ex pignore recipit, sequeretur, quod illos tantum posset recipere, quando esset expositurus negotiationi pecunias; quia, vt supra diximus, ille tantum potest pro mutuo exigere lucrum cessans,qui habet pecunias negotiationi expositas:consequens autem est falsum; quia omnibus generis id communiter conceditur,vt omnes fatentur Doctores:ergo. Nauarro in Manuali ca. 17.n.213.putat eam esse ratione percipiendi dictos fructus,non computãdo illos in principalis solutionẽ: quia præsumuntur donari à socero,interim dũ dos non soluitur. Quam donationem,dicit colligi ex concurrentibus in contractu rei dotalis.Idem tradit Mercado opus.de vsuris.capit.8.Cæterum meo iudicio,hæc sententia multo minus probabilis est,quam prima. Nam Papa in illo loco non de donatione,sed de iustitia fuit interrogatus. Sicque determinat id, quod iure fieri potest,dicens,generum facere illos fructus suos. Quod verum habebit etiam socero renuente, nullamque donationem faciente.

Impugnatur Adriani.

Sententia Nauarri.

¶ Quare his sententijs omissis; quod mihi in hac re verum esse videtur, est, quod tantum propter onera matrimonii, etiam si nullam lucrum sit cessans, potest gener fructus pignoris recipere,non cõputatis illis ad solutionẽ principalis.Itaque ratio, propter quam facit illos fructus suos, est, vt illis sustentet onera matrimonii. Ità asserit Caietanus in præsenti. Soto libro 6.de iustitia quæstione 1.artic.2.versus finem. Gabriel. in 4. distin.15. quæstione 11. post quartam conclusionem,& Panormitanus,& alij super dictum capitulum. salubriter. de vsuris. Idem etiam tenuerat Nauarro in cõmentario de vsuris.nu.71. vt ipse testatur, loco superius citato. Et certè est expressa determinatio illius capituli. Vbi dicitur; quod gener tales fructus recipiat pro sustentandis oneribus matrimonii. Nec sustentare onera matrimonii tantum est alere vxorem, & familiam, vt falsò Syluester, & Adrianus existimant. Sed potiùs est alere vxorem, & familiam,reseruata semper dote vxoris integra. Maritus enim semper tenetur vxori de dote soluenda. Ideoque potest,etiam si non sit negotiator,recipere pignoris fructus, quibus alat familiam, quoadusque habeat dotem. Præsumitur enim, quod si dotem haberet, ex illa aliquid emeret, quo saluo capitali vxoris, & familiæ onera ferret. Cæterum, si pater aleret filiam, eo tempore, quo gener non recipit dotem fructus pignoris accipere non posset: Quia tunc rectè sustentaret onera matrimonii salua dote, vt habetur expresse in lege pater. ff. de doli mali, & metus exceptione. Ex hoc infero primo, quod non solum potest gener, quandiu non soluitur illi dos, fructus pignoris recipere; sed etiam certam pensionem quotannis exposcere, nec illud recipiet pro expectatione solutionis; sed quia dote salua tenetur familiæ prouidere, vt asserit Panormitanus supra dictum capitulum. Nec argumentum quorumdam contrarium tenentium, vllius

1.corolla.

2.corolla.

3.corolla.

vllius est momenti,scilicet, quod Papa non loquitur ibi nisi de fructibus pignoris.Nã ex eodẽ responso colligitur posse etiã generum alia via recipere,vnde vxorios sumptus faciat.Syluester dicit,se esse moderandam istã sententiam,vt non possit gener plures fructus suscipere,quã quibus matrimonii onera sufficiat supportare.Et arbitror hanc moderationẽ nõ longe à veritate abertare. Nõnulli dicunt,tantum posse generũ ex fructibus pignoris recipere,quantum lucri cessat. Sed hæc sententia inde refellitur,quod,vt probatum est,ratio tales fructus recipiendi non litèram cessans assignatur,sed alia. Infero secõdo,quod etiã si gener liberè concedat socero ne per aliquod tẽpus dotẽ soluat,suscepto tamen pignore fructifero,adhuc poterit recipere fructus illius,nec erũt cõputandi in solutionẽ principalis.Quia eo ipso,quòd gener pignus recipit pro dote,censetur differre terminum solutionis; iuxta consuetudinem iuris, ita scilicet, vt fructus recipiat vltra sortem. Hoc tamen intelligitur, dummodo gener non dixerit expressè,se velle,quod fructus illi computentur in solutionem principalis:quia tũc essent cõputandi. Nã, sicut potest vir indotatam fœminã sibi dispẽsare: ità etiam potest remittere fructus pignoris, quos ad sustẽtanda onera matrimonii erat accepturus,validaq; erit talis remissio. Infero tertio,quod mortuo marito quandiu,vel pater ipsius mulieris,si nondũ soluerat dotẽ, vel hæredes mariti,si ità soluta fuerat, nõ redẽt vidua integram dotem, licitè potest illa fructus pignoris suscipere, non computãdo illos in solutionẽ principalis.Nam,quãuis id nõ liceret inde appareat,quod dissoluto matrimonio,vidua nõ sic perfert matrimonii sumptũ,vt debeat dotẽ seruare,& sic videtur posse suscipere mutuũ ex illa postea soluendã: quia tamẽ vir tenetur vxorẽ iuxta suũ statũ & conditionẽ alere,quoadusq; integrã recipiat dotẽ,sit,vt sicut maritus poterat fructus pignoris recipere vltra sortem,quamdiu dos illi non dabatur;ità etiam viro mortuo,potest vxor idem efficere: quidquid Caietanus dicat in isto cõmento. Si quis autẽ dubitet, vtrũm liceat patri,filiam dotare, non aliter, quam genero mutuando pecuniam; quod est quærere, vtrũm liceat alicui pecuniam mutuò dare sub obligatione,vt ducat filiam in vxorẽ,breuiter respondeo negatiue. Quia cuim illa obligatio sit pretio æstimabilis,nullo modo est licitum illam accipere pro mutuo. Est tamen hoc intelligendum, nisi mutuatarius id expostulauerit, apposita illa conditione. Quia tunc censebitur; indotatam velle ducere vxorem: quod dum-

Aliud dubium.

1.dictum.

2.dictum.

3.dictum.

stè facere potest.

¶ Est aliud dubium, vtrùm sit licitum, accipere in pignus pro mutuo aliquam rem sub ea conditione, vt si mutuatarius certa die debitum non soluerit, pignoris possessionem amittat? Ad cuius explicationem dico primo, quod si mutuans eam conditionem posuit malo animo, scilicet, vel, quia scit mutuatarium non posse soluere tempore statuto:vel quia determinatè pus intra quod soluere nõ potest,contractus est vsurarius.Probatur: Mutuãtis intentio tunc est recipere aliquid vltra sortẽ ratione mutui:ergo est vsura mentalis. Dico secundo, quod etiam si absit malus animus, pœna tamen imposita est immoderata;adhuc contractus est illicitus, & iniustus; vt pote in quo non seruatur æqualitas, & iustitia debita in esse. Dico tertio,quod, si mutuator bona fide pœnam imponit moderatam, vt ex illa mutuatarius fidem seruare cogatur, nec est iniustitia,nec contractus erit vsurarius. Probatur: Quia vnicuique est licitum pœnam adhibere ad coercendam hominis negligentiam, & vt mutuans melius recipiat suam pecuniam. Ità docet Syluester, verbo. vsura. 3. §. primo. Verum est, quod non tenebitur mutuatarius talem pœnam soluere,ante iudicis condemnationem; sicut in aliis pœnis contingit.

¶ In solutione ad septimum argumentum agit D.Thom. de emptione, & venditione rei, expectata, vel anticipata solutione, factis. Circa quod poterat esse,non leuis difficultas, vtrũm vendere rem cariũs, expectata pecunia, quam numerata, sit vsura? Sed quoniam de hoc iam satis superque dictum est, quæstione præcedenti articulo 4. idcircò ab illo supersedendum duxi.

ARTICVLVS. III.

¶ Vtrum quicquid de pecunia vsuraria quis lucratus fuerit, reddere teneatur.

Qu.3.art. 39. & p. 67.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod quicquid de pecunia vsuraria aliquis lucratus fuerit, reddere teneatur. Dicit enim Apostolus ad Roma.11. Si radix sancta, & rami: ergo eadem ratione si radix infecta, & rami. Sed radix fuit vsuraria: ergo quicquid ex ea acquisitum est,est vsurarium: ergo te-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenetur ad restitutionem illius.

Habetur in Decret.lib. 5.tit.19.c. Cũ tu. Et est 5.in ordine in fi.

2 ¶ Præterea, Sicut dicitur extra de vsuris, in illa * decretali, cum tu, sicut asseris. Possessiones, quæ de vsuris sunt comparatæ, debent vendi, & ipsarum pretia his à quibus sunt extorta, restitui: ergo eadẽ ratione quicquid aliud ex pecunia vsuraria acquiritur, debet restitui.

3 ¶ Præterea, Illud quod aliquis emit de pecunia vsuraria, debetur sibi ratione pecuniæ, quam dedit. Non ergo habet maius ius in re, quam acquisiuit, quàm in pecunia, quam dedit. Sed pecuniam vsurarum tenebatur restituere: ergo & illud quod ex ea acquirit, tenetur restituere.

¶ Sed Contra, Quilibet potest licite tenere id quod legitime acquisiuit. Sed id, quod acquiritur per pecuniam vsurariam, interdum legitime acquiritur: ergo licite potest teneri.

Art.1.huius quæst.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum * est, res quædam sunt, quarum vsus est ipsarum rerum consumptio, quæ non habent vsum fructum secundum iura. Et ideò si talia fuerint per vsuram extorta, puta denarij, triticum, vinum, aut aliquid huiusmodi non tenetur homo ad restituendum, nisi id quod accepit: quia id, quod de tali re est acquisitum, non est fructus huiusmodi rei, sed humanæ industriæ: nisi forte per detentionem talis rei aliter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis. Tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti. Quædam vero res sunt, quarum vsus non est earum consumptio, & talia habent vsum fructum, sicut domus & ager, & alia huiusmodi. Et ideo siquis domum alterius, vel agrum per vsuram extorsisset, non solum tenetur restituere domum vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerũ: quarum alius est dominus: & ideo ei debentur.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod radix non solum habet rationem materiæ sicut pecunia vsuraria, sed habet etiam aliqualiter rationem causæ actiuæ, inquantum administrat nutrimentum. Et ideo non est simile.

¶ Ad secundum dicendum, quòd possessiones, quæ de vsuris sunt comparatæ non sunt eorum, quorum sunt vsuræ, sed illorum qui eas emerunt, sunt tamen obligatæ illis à quibus fuerunt vsuræ acceptæ: sicut & alia bona vsurarij. Et ideo non præcipitur, quòd assignentur illæ possessiones his, à quibus fuerunt acceptæ vsuræ, quia forte plus valent, quàm vsuræ, quas dederunt: sed præcipitur quod vendantur possessiones, & earum pretia restituantur, scilicet secundum quantitatem vsuræ acceptæ.

¶ Ad tertium dicendum, quod illud quòd acquiritur de pecunia vsuraria, debetur quidem acquirenti, non propter pecuniam vsurariam datam, sicut propter causam instrumentalem sed propter suam industriam, sicut propter causam principalem. Et ideo plus iuris habet in re acquisita de pecunia vsuraria, quàm ipsa pecunia vsuraria.

Summa Textvs.

Svpposita prius distinctione, qua res vsu consumptibiles distinguuntur ab illis, quæ vsu non consumuntur, respondet D. Thomas ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Si res per vsuram extorta est vsu consumptibilis; vt pecunia, vinum, &c. ipsa tantum est restituenda; & non fructus ex illa acquisiti. Et quidem, quod ipsa sit restituenda, patet. Nam est aliena. Quod autem fructus non sint restituendi: Probatur: Quia tribuuntur illi non rei; sed humanæ industriæ. cũ res vsu consumptibiles ex natura sua sint steriles. Secunda conclusio: Quando ex detentione illarum rerum, quæ per vsurarium contractum acquiruntur, aliquod sequitur nocumentum, tenetur vsurarius illud restituere, simul cum re vltra sortem accepta. Vnumquodque enim damnũ alteri illatum est resarciendum, vt iustitiæ æqualitas seruetur. Tertia conclusio: Si res per vsuram extorta, non est vsu consumptibilis, vt domus, vel ager, ipsa cum fructibus eius, est restituenda. Probatur: Quia sunt fructus rei, cuius alter est dominus.

Explicatio Articvli.

Circa istum articulum est aduertendum, quod in eo nõ quæritur, vtrum ea, quæ per vsuram habita sunt, sint obnoxia restitutioni. Præcenim affirmatiua huius difficultatis in art. 1. huius quæstionis iam satis explicata manet. Sed quod quæritur est, vtrũ, si illis bonis, quæ per vsuras habita sunt, quidquam aliquis fuerit lucratus, ni etiam illi ob nostrum restitutum? Ad quam dubitationẽ D. Tho. sub distinctione respondet, dicens; quod si res per vsuram extorta, est vsu consumptibilis, ea tantum & non fructus eius, est restituenda. Tamen si res, quæ per vsurã habetur, non est vsu consumptibilis, ipsa cũ fructibus est reddenda. Estque ratio huius discriminis: Nam res, quæ vsu consumũtur, vt supra diximus, sunt per se steriles, nec fructum pariunt. Atque adeò licet sint alienæ totum earum fructum industriæ negotiantis respondet. At verò res, quæ non consumuntur vsu, vt ager, aut domus, sunt fructiferæ: ideoque illarum fructus vero domino sunt reddendi. Sed quo ea, quæ D. Tho. in hoc articulo dicit, perfectius intelligantur, operæpretium erit disputare quæstionem difficilem, vtrũ vsurarij earum rerum, quas per vsuras extorquent, verum habeant dominiũ. Quod est quærere, vtrum per vsurariam donationem transferatur dominium eius rei, quæ vltra sortẽ accipitur. De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est quorundam dicentium, per vsurariam donationem tantũ transferri dominium illarum rerum, quæ vsu consumuntur; non autẽ illarum, quæ nõ consumuntur vsu. Sed quoniam hæc opinio nullum habet rationabile fundamentum, propter quod hanc faciat distinctionem, eadem facilitate, qua assecitur, eadem & reiicitur. Secunda opinio est absolute dicentium, per vsurariam donationem vniuersaliter transferri dominium cuiuscunque rei, siue vsu sit consumptibilis, siue sterus. Ex quo sit, vt vsurarij verè illarum rerum dominium penes se habeant, quas per vsuram acquirunt. Ità tenet Glossa super capitulũ si quis vsuram. 14. quæstione 4. Scotus in 5. distinct. 15. quæstione 2. articulo 3. Paludanus ibidem, & Adrianus in materia de vsuris. Qui & dicit, hanc esse communem opinionem Canonistarum, super ca. abbas. de iis, quæ vi metus ve causa fiũt. Citatque in eandem Henrichum de Gandauo, in quodlib. 4. quæstione 29. Imò & D. Thomam in 4. distinct. 15. articulo 4. Quamuis D. Tho. illic non dicat nisi quoddam hoc affirmare. Probatque potest hæc sententia pluribus argumentis. Primo sic: Nihil est tam conueniens naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in aliũ transferre, ratam haberi, vt dicitur Institu. de rerum diuisione sed mutuatarius sua libera voluntate vult lucrum pro mutuo datum in alium transferre: ergo re vera illud transfert. Atque ex consequenti vsurarij habet penes se illarum rerum dominium quas per vsuras extorquent. Nec obstat, si dicatur, quod non simplici & absoluta, sed quodammodo coacta voluntate mutuatarius lucrum illud persoluit. Tum; quia suppono mutuatarium non aliqua necessitate compulsum mutuum petiisse, seque ad vsuræ solutionem obligasse sed quia negotiator erat, pecuniæque mutatis amplius lucrari prætendebat. Itaque non inopia pressus, nec timore compulsus, sed lucri amplioris cupidus mutuum cũ pacto de lucro soluendo accepit. Hæc autem cupiditas, voluntarium non impedit, sicut impediret metus, & ignorantia, seu coactio. Quod inde apparet, quod, si homo ex nimis carnalis voluptatis cupidine motus aliquid meretrici donat, donatio tenet, nec voluntarium ob id impeditur, quod ex illa excessiua cupidine fiat: meretrixque rei taliter donatæ dominium acquirit, vt diximus in superioribus. Tum etiam; quia, si ex hoc, quod mutuatarius lucrum soluens, habet aliquid inuoluntarii admixtum, ipsius lucri dominii translatio impediretur; sequeretur, quod quotiescunque aliquis inopia pressus, & necessitate compulsus rem suam pro iusto pretio vendit, talis rei venditæ in ementem dominii translatio impediretur, quia multò plus est de inuoluntario in eo, qui rem suam, vt dictum est, vendit, quam in mutuatario, lucrum vltra sortem vsurario soluente: consequens autem est absurdum, & contra communem Doctorum sententiam; supposito, quod nullus tali venditori vim inferat, aut metum ingerat, quo eum ad præfatam venditionem compellat: ergo & illud, ex quo sequitur. ¶ Secundo principaliter sic argumentor: Metus magis tollit voluntarium, quam necessitas, quæ est in vsura, vt de se constat: sed non obstante metu transfertur dominium, vt patet ex capitulo, abbas. de iis, quæ vi metus ve causa fiunt. & ex lege metum. ff. eodem titulo. vbi licet detur repetitio illi, qui ex metu soluit latroni pecunias, vel fecit alium contractũ; non

Grane dubiũ de dominio quod vsurarij habent.

1. Sententia

2. Sententia

1. argu.

2. argu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non tamen dicitur, quod talis contractus sit irritus, sed irritandus: ergo multò minùs necessitas, quæ est in vsura, irritabit donationis contractum.

3. Sententia vera & tenenda. ¶ Alia opinio est omnino huic opposita; quæ dicit nec rei vsu consumptibilis, nec etiam rei permanentis per vsurariam donationem dominium transferri. Ità asserit D. Thom. in hoc articulo. Nam dicit expresse, fructus rei per vsuram extortæ esse restituendos: quia is, qui eam dedit est eius dominus. Eandem sententiam tenet Alexander Alens. 3.p. quæstione. 66. memb. 4. Caietanus hic & in opuscul. de vsuris. quæstione 1. Castro de lege pœnal. folio 112. Medina tract. de vsuris. quæstione de vsura restituenda. 5. in tertio argumento. Ricardus in 4. dist. 15. q. 4. arti. 5. Soto lib. 6. de Iustitia. qu. 1. arti. 4. Couarru. libro 3. Varia. capitulo 3. numero 6. Syluester, verbo, vsura. 6. q. 1. Altisiodorens. libro 4. tract. 21. capitulo 1. Mercado tracta. de vsuris, capitulo 11. & Angelus in summa. verbo. vsura q. 18. Quæ sententia proculdubio est vera, & tenenda. Ad cuius explicationem supponendum est ex Caietano loco citato, quod ista duo, scilicet, translatio rei, & eiusdem dominium, ità inter se distinguuntur, vt vnum possit esse sine alio. Potest enim aliquis rem suam alteri in possessionem tradere reseruato penes se dominio: vt contingit in pignoribus, & in depositis. Et etiam è conuerso, potest prius transferri dominium rei, quam eius translatio fiat; vt cum donatur res ab altero possessa. Sicque constat, quod translatio rei, & eius dominium destinguuntur. Ex quo infertur, posse contingere, vt translatio rei sit voluntaria; & tamen collatio dominii eiusdem sit inuoluntaria. Hoc supposito; probatur nostra sententia hac ratione. Si per donationem vsurariam transferretur rei dominium, id esset vel ex rigore legis illud præcipiétis, vel ex voluntate ipsius donantis: his enim tantum duobus modis potest fieri dominiorum translatio, vt diximus in materia de dominio: sed neutro modo id fit: ergo. Probo minorem. Et primo, quod ex vi legis non fiat, est res manifesta. Nam omnes leges tam canonicæ, quam ciuiles vetant huiusmodi contractus vsurarios. Quod autem nec etiam ex voluntate soluentis probatur; Nam ex eo, quod soluat rem non sequitur, quod tradit illius dominium; cum non habeat talem voluntatem. Et si quæras, Ad quid ergo dat, si non vult transferre dominium? respondeo, quod dat, quia aliter mutuum extorquere non potest. Quare respectu collationis dominii nunquam habet voluntatem, sed tantum penes translationem possessionis. Sicut & ille, qui proiicit merces in mare ad saluandam vitam, quamuis vult illas proiicere, non tamen vult illarum dominium amittere. Vnde si exttrahantur, illius erunt, qui eas proiecit. Et si instes: ergo decipit mutuatarius mutuantem, qui existimat rei sibi vltra sortem collatæ in se transferri dominium, respondeo, negando consequentiam. Imò fœnerator seipsum seducit. Ex quo enim accipit quod non debet ipse respicere tenetur quomodo recipit. Eo vel maximè, cum illa traditio aliud nomen non habeat, nisi vsurariæ donationis, quod iniquitatem & iniustitiam præsefert. Secundò argumentor, pro eadem sententia: Vsura, vt ex supradictis patet, est furtum quoddam, genusque iniustitiæ: sed de ratione furti, & cuiuscunque iniustitiæ est, vt alienum domino rationabiliter inuito retineatur: ergo est implicatio contradictionis, quod vsurarius rem per vsuram acquisitam faciat suam, vel vllum ius, aut dominium in illâ acquirat. Alioqui fur, atque raptor rerum, quas iniustè accipiunt, dominium sibi compararent; quod nullus dixit. Tertiò de ratione donationis, & omnino cuiuscunque promissionis, in qua nihil recipitur in recompensationem, est, vt omnino spontanea, & ex liberali grataque voluntate procedat, id natura donationis exigente, quæ est actus liberalitatis, vt communiter dicunt Doctores: ergo donatio vsuraria, quæ omnium sententia coactionem habet admixtam, nec valida esse potest, nec sufficiens transferre dominium. Et certè nescio quæ donatio esse possit, quæ vexationis seu necessitatis redemptio magis, quam amicabilis donatio, est dicenda. Nullus autem alius titulus esse potest, quo vsurarius rerum, quas vltra sortem accipit ius, aut dominium acquirat, nisi donationis. Nam venditionis, aut locationis omnino nullus est; cum mutuum non sit pretio æstimabile; nec aliquis alius, vt rectè probat Angelus loco citato. Quartò secundum omnes Doctores etiam oppositæ sententiæ, si aliquis per vsuram extorsit prædium, tenetur illud cum fructibus restituere: ergo est signum, quod nõ habet illius dominium. Hæc est ratio D. Thom. in isto articulo, dum dicit, fructus rei vsura acquisitæ esse restituendos, quia sunt ex re non sua. Si enim res vsurarii esset, sibi fructificaret, quamuis ipse aliàs eius valorem deberet: quia semper res vero domino fructificat, illique stat, & perit. Et confirmatur: Nam vel hæc obligatio restitutionis, quam habet vsurarius, oritur ex contractu, vel ex delicto: Nam ex contractu: Tum, quia iam vsura esset licita quod est hæreticum; tum etiam, quia non restitutio, sed redditio esset dicenda, sicut redditur mutuò acceptum, vel pretium ex licito contractu debitum: ergo ex delicto. Et cũ non sit aliud, quam furti, & iniustitiæ, sic, vt non magis, quam fur, dominium acquirere possit vsurarius. Faciæ etiam quam maximè, meo iudicio, ad huius sententiæ confirmationem, quod possessiones vsura acquisitæ, quæ in specie extant, primum omnium sunt restituendæ ei, à quo extortæ fuit cum fructibus in specie stantibus; etiam si alii sint creditores priuilegiati, idem similiter in foro exteriori fieri præcipitur: Et is, qui eas dedit vndecunque illas euincere & vindicare potest, vt communiter dicunt Doctores: ergo signum est certum quod semper sunt in domino mutuatarii. Si enim illarum dominium esset apud vsuratium, aut vnquam fuisset, tantum esset obligatio personalis non realis ad eum qui dedit, atque adeo talis esset postponendus habentibus reales actiones, quod nullus dixit. Quare, quamuis possessiones vsuratii, quas ex pecunia fœnebri emit, vel acquisiuit, vendi debeant, vt dicitur In capitulo. cum tu de vsuris. vt ex illis creditoribus satisfiat, illæ tamen eædem, quas à mutuatario accepit, nullo modo vendi possunt, sed ei, à quo acceptæ fuerant, restituendæ; nec alteri creditorum exillis satisfacere licebit. Et si dicas, hoc fieri debere, non quia mutuatarius habet dominium illarum possessionum: sed quia eas sibi hypothecatas habet, ex quo sequitur, vt sit præferendus aliis, respondeo, huiusmodi fugas nihil valere. Tum, quia nulla efficaci ratione probari potest, rem illam (si in bonis & dominio vsurarii est,) esse hypothecatam dari, cùm nec sit expressa hypotheca, quia sub ea specie, & conditione non fuit tradita; nec tacita, quia talis per solam legem inducitur, & nulla lege probari potest, bona vsurarii esse realiter hypothecata damnibus. Tum etiam, quia, esto ità esset, saltem de illa possessione soluenda esset dos mulieris, quæ realibus hypothecis præferatur: quod verum non est, vt omnes fatentur, probatur tandem nostra sententia ea ratione, quam Media, Altisiodorensis, & Angelus, præcipuam existimant: Scilicet, quia reuera iure non solum humano, sed diuino, & naturali vsurarius est incapax translationis dominii: cum lex naturæ, & diuina prohibeat non solum acceptionem, sed etiam retentionem quæsti vsurarii. Nam quamuis accipiens mutuum possit aliquid vltra

sortem gratis donare, nec huic donationi Deus aut natura resistat, donationi tamen coactæ, & quasi ex debito ratione mutui omnino contradicit, ipsumque sic accipientem præcipit illud non retinere, sed omnino restituere. Nullo igitur pacto verum esse potest, quod fœnerator vsurarum dominium acquirit. Ex dictis infero primò, prædicta esse vera stam in rebus vsu consumptibilibus, quàm non consumptibilibus. Excepto, quod inter istas res, meo iudicio, duæ intercedunt differentiæ: Prima est, quod res vsu consumptibilis non est restituenda cum fructibus; quia illi solum in distrikt vsurarii correspondent, vt dicit D. Thomas in hoc articulo. At verò res, quæ non consumuntur vsu, sunt restituendæ cum fructibus mutuatarii. Secunda, quod si res vsu consumptibiles consumantur, vel expendantur, mutuatarius perdit dominiũ illarum, & transeunt in res, & dominium fœneratoris. At verò cæteræ res semper habent secum realem obligationem, relationemque dominii passiui vbicunque sint ad illum, qui eas dedit pro mutuo, vt rectè aduertit Angelus. Ex quo fit, vt pecunia, vel aliæ res vsu consumptibiles, tunc tantum sit eadem numero restituenda, quando manet apud vsurarium; & si consumitur, manet solum obligatio personalis in fœneratore. Cũ tamen res, quæ vsu non consumuntur semper obligatæ maneant, nec illarum in alterũ possit vsurarius dominium transferre. Infero secundo, quod res per vsuram acceptæ siue consumptibiles sint, siue non consumptibiles, restituendæ sint non pauperibus, nec ecclesiæ, sed vero domino. Eo enim ipso, quod vsura est illicita, & iniusta furtoq; & rapinæ à sanctis patribus coparata, absq; peccato, & iniustitia retineri nõ potest, nõ modo, quãdo res extat, sed etiã quãdo nõ extat: quia ratione iniustæ acceptionis manet semper obligata persona vsurarii, vt infra dicemus. Quare in Clemẽ. ex graui. de vsuris, excõmunicatus ii, qui statuta facere, scribere, vel dictare audet, continentia, quod vsuræ soluantur, vel soluta, eum repetunt, non restituantur. Et in capitulo cum tu. de vsuris, iubentur vsurarii possessiones venditas, ex eis interitis satisfacere. Infero tertio, quod non solum fructus rei vsu non consumptibilis, quos ductus tamen labore, & expensis, sunt ab vsurario restituendi, sed etiam interesse, quod patitur vsuram persoluens: sicut & fur, & iniustus possessor ad hæc omnia obligatur; quia æqua est omnium ratio. Infero vltimò, dicta à nobis esse adhuc vera, etiam si soluens vsuram habuerit voluntatem transferendi

1. Corolla.

2. Corolla.

3. Corolla.

Plinius coniuratus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

di dominium; quia ea coacta est & non sufficiens ad validitatem donationis, vt dictum est. Ex quo fit, vt multo magis sit verum, quod ait Caietanus, nempe, quod non transfertur dominium, quando soluens vsuras, solum vult dare illas: quia ad voluntatem dandi, non necessario sequitur voluntas dominiū trãsferendi, vt paulò antea dicebã.

Ad 1. arg. pro 2. sententia.

¶ Ad primum argumentū in contrarium factum respondeo, concessa maiori, negando minorem. Nam cùm mutuatarius nõ habeat voluntatem transferendi dominium per illam donationem vsurariam; sed tantum rei possessionem, vt ab illo mutuum extorqueat, non censetur liberè donare, & sic non abdicat à se dominium rei. Nihilque ad hoc refert, an necessitate compulsus, vel, vt suo animo obsequatur, petat mutuum; quia semper quãtum ad translationem dominii habet se merè inuoluntariè: quod in dãte aliquid ex passione meretrici non contingit. Sed quæret aliquis hoc loco, vtrùm, si vsurarius petat, quod mutuatarius furet, se per illam donationem velle transferre dominium eius rei, quam vltra sortem dat, vere illius dominium acquirat? Et ratio dubitandi est: Nã iurans est dominus, & habet voluntatem trãsferendi dominiũ, vt constat ex iuramento: ergo illud transfert. Dico tamen, adhuc per illam donationem iuramento firmatam dominium non transferri: quia ille contractus nullus est, legibusque tam ciuilibus, quam canonicis irritus; & sic per eum dominium nõ transfertur. Et ad rationem dubitandi respõdeo, quod, vel mutuatarius adhuc non vult transferre dominium, vel si vult illud non transfert, quia vsurarius est incapax illius dominii, cum secundum leges contractus sit nullus.

Ad 2. arg.

¶ Ad secundum argumentũ respondetur negando, quod metus non impediat dominii translationem. Nam si quis metu mortis alteri aliquid dat, eius dominium non transfert; quia illud transferre non vult; sed tantũ eripere se à periculo. Et ad iura in argumento adducta, dico, ea non dicere tales contractus esse irritandos, sed irritos declarandos. Quia re vera à principio irriti fuerunt, cum per eos dominiũ translatum nõ fuerit.

Dubium de bonis vsurarij an sint obnoxia restitutioni.

¶ Est aliud dubium consequens, vtrùm omnia bona vsurarii sint obnoxia restitutioni? De qua re Panormitanus, & Ioãnes Andreas super cap. cum tu. de vsuris, partem tenẽt negatiuã, dicentes, quod non omnia bona, sed illa tantũ, quæ per vsuram sunt extorta, sunt obnoxia restitutioni. Et ratio eorũ est; Quia nullum ius præcipit bona iustè acquisita esse obnoxia restitutioni. Cæterùm D. Thom. hic in solutione ad 2. oppositam tenet sententiã dicẽs, omnia vsurarii bona esse obnoxia restitutioni; quem etiam plures alii sequuntur. Tamen ad explicationem huius difficultatis, est aduertendum primò, quod bona vsurarii sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt, quæ per vsuram fuerunt acquisita; alia verò, quæ per pecuniam vsuriam fuerunt empta, alia autem, quæ iure hæreditatis, vel quauis alia legitima via possidet. Secundo est aduertendum, quod obligatio ad restitutionem est duplex. Vna personalis. Et est ea, quæ ex persona descendit in possessiones. Vt quando aliquis accipit ab alio pecunias, easque consumit, personaliter obligatur ad eã restitutionẽ: & ex illa obligatione persona lt descẽdit eadẽ obligatio ad suas possessiones. Altera est obligatio realis. Et est, ea quæ ratione rei ligat personã. Vt quãdo quis habet rẽ alterius, ex ipsa re obligatur ad restitutionẽ.

1. Concl.

¶ His positis, sit prima cõclusio: Res, quæ vsũ nõ cõsumuntur per vsurã exercẽtæ obnoxiæ sunt restitutioni, obligatione reali migrãte cũ ipsa re, quocunq; deueniat. Probatur: Istæ res debẽt restitui eadẽ numero, cũ earũ dominiũ remaneat penes primũ possessorẽ: ergo obligatione reali sunt obnoxiæ restitutioni. Ex quo infertur, quod siue donentur, siue vendãtur, siue iure hæreditario possideatur, qui eas accipit tenetur illas restituere vero dño.

2. Concl.

¶ Secunda concl. Res aliæ, quæ sunt legitimo iure habitæ, vel pecunia vsuraria emptæ, sunt obnoxiæ restitutioni, nõ quidẽ obligatione reali: sed personali. Probatur: Illæ, qui per vsurã contrahit debitũ est obnoxius restitutioni, & ratione illius cuncta, quæ possidet: ergo talia bona iustè habita nõ obligatione reali, sed personali sunt obnoxia restitutioni. Et est aduertendũ, quod est latissimũ discrimẽ inter obligationẽ realẽ, & personalẽ. Nã obligatio personalis nõ tranlit cũ rebus, nisi in illos, qui loco personæ succedũt: quales sunt hæredes. Cæterũ obligatio realis semper eandẽ rem comitatur. Ex quo infero primò, quod si vsurarius vẽdat bona sua eo tẽpore, quo habet vnde vsuras restituere possit, emptores nõ tenẽtur aliquid restituere. Et idẽ iudicũ erit, si pecunias per vsurã extortas in eleemosynas distribuat. Infero secũdo, quod omnia bona vsurarii sunt obnoxia restitutioni, saltẽ obligatione personali; & ratione ipsius personæ deriuatur eadẽ obligatio in omnes suas possessiones. Ex quo fit, vt res præfatas per vsurã acquisitas vsurarius nec distrahere, nec cõsumere, nec alienare possit; nec titulo oneroso, puta, vendendo, aut permutando; nec titulo gratioso, puta, donando, sine consensu, vero, vel rationabiliter præsumpto ipsius mutuatarii, de

cuius dominio sunt. Quia alias rem alienam inuito domino contractare; quod est illicitum. Dixi notanter, sine consensu vero, vel rationabiliter præsumpto. &c. Nam in duobus casibus potest vsurarius rebus illis vti non expectato actuali creditoris consensu. Primus est, in extrema necessitate sui, vel aliorum, cui non sit, qui possit, aut velit succurrere, præter ipsum vsurarium. Quia tunc potest res ad præfatum finem necessarias consumere, aut distrahere, pro vt necessitas postulauerit: & creditor censetur consentire actu fultem debitoldque, siue res præfatæ sint vsu consumptibiles, siue non. Secundo, potest vsurarius res vsu consumptibiles per vsuram acquisitas distrahere, tam titulo oneroso, quam gratioso, modò ipse maneat potens ad integrè satisfaciendum, quia, scilicet, habet aliunde bona legitimè acquisita ad satisfaciendum sufficientia. Nam ex quo sunt istæ res, quæ functionem recipiunt, & nihil interest creditoribus res eædem numero, aut aliæ omnino similes, & æquales illis reddantur, meritò præsumitur, ipsos non esse inuitos in talium rerũ distractione. Quare poterit vsurarius in hoc casu, sine peccato eas res, quæ functionem admittunt, vendere, & cum pecunia fœnebri simpliciter emere, illamque consumere & donare pro tua voluntate, manente, vt dico, in eodem potẽtia ad sufficienter restituendum. Quid in rebus, quæ functionem non admittunt, sine præuio creditorum consensu facere non posset. Si tamẽ ex talium rerum distractione efficeretur impotens ad integrè restituendum, tunc nec has, nec illas res posset sine necessitate distrahere. Itaque, si vsurarius nihil habeat, quod restitutioni obnoxium non sit, nec poterit aliquid donare, nec pro diminuto pretio vendere, nec pro alia re minoris valoris rem plus valentem permutare. Quæ omnia clara sunt, & cõmuniter cõcessa etiã ab iis, qui tenẽt vsurarium acquirere dominiũ vsurã. Vnde Alexander Alensis 4. pl. qu. 20. dicebat, quod de pecunia habita per vsurã, vel fortum potest fieri eleemosyna, si raptor, vel vsurarius proponat restituere æquipollentem, & habeat vnde restituat, nec dando reddat se impotẽtem ad restituendũ. Quod etiam nos late probauimus in primo tomo, qu. 12. ar. 7. ¶ Sed est dubium de hæredibus vsurarij: vtrùm debita illius soluere teneantur? In quo sit tertia concl.

3. Concl.

Hæredes vsurarij tenentur debita illius restituere, siue bonã, quæ reliquit, sint per vsuram habita; siue quæcumque alia legitima via. Probatur: Succedunt loco defuncti: ergo obligatione personali tenentur debita illius soluere. Ità habetur expressè in capitulum nos. de vsuris. Hoc tamen intelligitur, dummodo defunctus ad hoc bona reliquerit. Nam, si non tanta relinquit, quanta sunt debita, hæres in conscientia non tenentur amplius reddere creditoribus, quam accepit. Quamuis in foro exteriori qui acceptat hæreditatem, cogetur ad omnia debita soluenda etiam ex bonis propriis. Nisi forte protestetur se velle esse hæredem talium, & tantorum bonorum. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm quilibet ex hæredibus teneatur soluere omnia debita vsurarij. In quo sit vltima conclusio: Non quilibet ex hæredibus tenetur soluere omnia debita defuncti, sed iuxta portionem hæreditatis habitæ. Ita, vt hæres ex medietate bonorum teneatur ad solutionem medietatis debitorum: Hæres autem tertiæ partis ad tertiam partem, & sic de alijs. Ità asserit Caietanus in quodlibeta de vsura, quæstio. 5. & Syluest. vsura 6. q. 10. Et ratio est. Nam cùm obligatio restituendi non transeat ad hæredes, nisi ratione hæreditatis, fit, vt si hæreditas diuiditur, ipsa etiam obligatio ad diuisionem hæreditatis sit dividenda. Atque adeò maior, vel minor obligatio transiet ad illum, qui in maiori, vel minori parte bonorum succesit.

Vlt. concl.

Explicatio alterius quæstionis.

¶ Ex dictis in hac difficultate cõligere possumus, quid dicendũm sit ad alterius determinationem, qua quæri solet; an alij possint aliquid recipere de manu vsurarij aut per viam donationis, aut venditionis, aut emptionis. Nam distinguendum est ad modum supra dictum de rebus, quæ non consumuntur vsu & quæ vsu consumuntur. Et quidem res, quæ non consumuntur vsu, & per vsuram sunt acquisitæ, sicut vsurarius, sine creditorum consensu alteri tradere non potest: ità nec alter illas scienter recipere, nec titulo gratioso, nec oneroso, quia esset rem alienam inuito domino contractare. Cæterùm res, quæ vsu consumuntur poterit alter de manu vsurarij recipere; tam per viam donationis, quam cuiuscunque alterius honesti contractus. Modò per hoc non maneat vsurarius impotens ad integrè satisfaciendum. Ex quo fit, vt si nihil habet præter ea, quæ per vsuram acquisiuit, aut si habet, omnia tamen sunt necessaria ad restituendum, sicut ipse donare non potest: ità nec alij per viam donationis aliquid ab eo recipere possunt. Alioquin peccato donantis se sociabunt, & causam efficacem præstabunt, quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

minus debita restitutio creditoribus fiat, iuxta illud Diui. Augustini. Id fidelissimè dixerim; Qui pro homine ad-hoc interuenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad reddendum nō compellit, socium esse fraudis, & criminis. Ex quo à fortiori sequitur, socium futurum esse fraudis, & criminis, qui non solum ad reddendum non compellit, sed etiam rem malè ablatam, putà, furtiuam, aut vsurariam dono suscipit; cùm id fiat creditorum præiudicio, & iniuria fieri non possit. Poterunt tamen alij per viam venditionis, aut emptionis tales res, quæ vsu consumuntur recipere, tantum ipsis vsurarijs tradendo, quantum de eorum manu susceperunt, quia tunc æquè potentes remanent ad restituendum, ac antea erant. Si autem bona vsurarij tanta sint, vt facta integra restitutione adhuc aliqua sibi supersint, tunc licitè poterunt alij eius res accipere, tam titulo gratioso, quam oneroso, vsurario, scilicet, manente semper potente ad integrè satisfaciendum. Caueant tamen huiusmodi ne eadem res vsurarias, quæ vsu non consumuntur, scienter accipiant, quia de his semper est faciendæ restitutio, sicut & de rebus furtiuis.

De vxore filijs & famulis vsurarij.

¶ De vxore, de filijs, & de famulis vsurarij solet similiter dubitari, vtrum licitè possint de bonis illius vinere. Sed meo iudicio eadem est ratio de istis, & de alijs; scilicet, quòd si propter hæc non fit impotens vsurarius ad soluendum vsuras, illicitè illa recipiunt. Cæterùm si nulla alia habet bona, præter vsuraria, nec ista accipere possunt, vt rectè docet Syluester, verbo, vsura, 8. per totum. Vt videatis, quantum sit periculum cum vsurarijs, aut alijs, qui nulla alia bona, quam illicitè acquisita, possidere creduntur, contractus, aut cōmercia inire. An autem vsurariorum seruitores, vt barbitonsores, calcearij, sutores, filiorum præceptores, & alij huiusmodi possint licitè ab eis mercedem obsequio dignam recipere, quando ex illius collatione impotentes redduntur ad restitutionem faciendam, eandem prorsus habet difficultatem, ac de alijs creditoribus, de quibus quæri solet an possint sua debita ab vsurario exigere, & recipere, si ex hoc impotens ad soluendum vsuras fiat. Ad cuius explicationem, omissis variis modis dicendi Doctorum, mihi distinguendum videtur. Nam vel debita aliorum creditorum præcedunt debitum vsurarium, aut sequuntur illud. Si præcedunt, poterunt quidem creditores non solum sua debita ab vsurario recipere, sed etiam exigere, non obstante, quòd inde maneat vsurarius impotens ad vsuras restituendas. Tum, quia magis tenentur sibi, quam alijs creditoribus. Tum etiam, quia iure sunt præferendi, ex quo eorum debitum est tempore prius. Si autem creditorum debita sunt posteriora vsuris, poterunt quidem illa per vsurarium oblata, & soluta recipere, non tamen ea exigere, si ex tali solutione maneat impotens vsurarius ad soluendas vsuras. Et ratio huius est, Quia in ea solutione, qua vsurarius posterioribus creditoribus soluit, postpositis prioribus videtur peccare, debitum restituendi iudicium non seruando, atque adeo exigens, vsuras eorumque ad huiusmodi solutionem incitāns peccato illius ordinem iustitiæ prætermittentis, cooperari videtur. Quod non contingit in eo, qui merè passiuè se habet, sua debita per vsurarium oblata recipiendo. Dummodò caueāt, ne huiusmodi ipsis, lucrio fiat de bonis eisdem numero per vsuras acquisitis, quia hoc iam est conclusum in superioribus, ad dominium mutuatorum pertinere.

¶ Vltimum dubiū principale discutiam. Dubium, an tium, vtrum cooperatores vsurarium de cooperatione iniustæ acceptionis, etiam si pœnes ipsos nihil vsurarium remaneat. Ad cuius dubij explicationem, dico primò, quòd qui cumque verè est causa, vt alterum quispiam hedat per vsuram, in integrum tenetur ad restitutionem rei vltra sortem acceptæ vsurario non restituente. Probatur ex regula iuris, dicente: Qui causam damni dat, ipsum damnum dedisse videtur: sed qui dat damnum tenetur illud restituere: ergo & qui est causa damni. Et confirmatur: Cooperatores furum, qui verè sunt causa furti, in integrum tenentur ad restitutionem, vt diximus supra agentes de furto: ergo & cooperatores vsuratiorum. Patet consequentia ex paritate rationis; quia vtrobique est iniusta acceptio. Item D. Paulus ad Romanos 1. dicit, Non solum sunt digni morte, qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus: ergo multò magis cooperatores. Et est aduertendum, quòd causa cooperans vsurario ad extorquendas vsuras dicuntur in primis illi, qui mutuatarium ad illas soluendas compellunt, vt princeps, si id faciat, vel iudex, & aduocati partis cōtrariæ, progenetæ etiam, & intercursores inter mutuantem, & mutuatarium pacta componentes, illosque disquirentes. Item consulentes alicui, vt det ad vsuram, perinde enim est hoc facere, ac si dicrem præbeas consilium furandi. Ita-

Itaque hi omnes verè dicentur causa cooperans vsuratum, atque ex consequenti: singuli tenebuntur vsuras restituere, ipso vsurario nō restituente, vt dicitur in cōclusione.

2. Dictum. Dico secundò, q̄ ministri vsuratiorū agentes, & factores appellati, quales sunt illi, quibus vsurarij sua negotia committunt, etiam tenentur in integrum ad vsurarum restitutionem, ratione iniustę acceptionis, ipsis vsurarijs non restituentibus. Probatur: Quoniam isti verè cooperantur vsuræ. Nota tamen, quod si isti ministri in his contractibus vsurarijs ità laborent ignorantia, vt omnino excusentur à culpa, nisi postea aliquid vsurarum apud se retineant, ad nullam obligabuntur restitutionem. Raro tamen hæc ignorantia penes vsurarios, vel eorum ministros inueniri poterit, quia crimè est apertissimum. Dico tertiò, quòd ministri vsuratiorum pecunias portantes, vel seruantes, & etiam illi, qui rationem dati, & accepti in commentarios referunt ad nullam tenētur restitutionem. Quoniam seruans pecunias, vel nomine fœneratoris illas colligens, & item rationes in librū referens, nec est propriè causa mutui, nec lucri, quod soluitur: sed tantum materialiter se habet ad illud: atq; adeò nec cooperatur vsuræ quidquid dicant Caietanus in summa, & 2.2.q.62.art.7. & Nauar. in sum. Latina. cap. 17. n. 267. nostram tamen sententiam tenēt Syluester loco citato, & Soto lib. 6. de iustit. q. 1. art. 4. De tabellione vsuratiorum scripturas cōficiente, maior est cōtrouersia inter Doctores, vtrùm teneatur ad restitutionem. Sed quod mihi in hac parte dicendum videtur est, quòd, si tabellio nihil aliud facit, quam factum, prout fit, scribere, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur; sed sui operis mercedem iustam recipere potest. Et ratio est: Nam scriptura illa ex se non dat causam exactioni, aut acceptioni, aut non restitutioni vsurarum, sed tantum est velut testimonium veritatis. Et siquis obijciat, quòd tabellio talem scripturam vsurario exhibens tradit ei arma iniquitatis, cum virtute illius instrumenti cogit mutuatariū ad vsuræ solutionem, & sic videtur se habere, sicut qui arma furioso ministrat, aut tradit chartas, taxillos, aliaue instrumenta lusoria eis, quos scit illis malè vsuros, respondeo, non esse simile. Nam instrumentum tabellionis per se non valet, nisi ad cognitionem veritatis; nec vsurarius potest eo contra mutuatarium vti, nisi virtute illius coram iudice illum conueniendo. Et iudex iustè iudicando non compellet vsuram soluere: supposito (vt procedo) quòd instrumentum illud est verum & purum, nec contractum vsurarium verborum mutatione, aut arte aliqua pallians. Et estò, iure ciuili aliquæ vsuræ permittantur, vt diximus articulo. 1. huius quæstionis, ex quo tamē leges illæ sunt per ius canonicum abrogatæ, non poterit iudex iustè iudicando, mutuatarium ad vsuræ solutionem compellere. Imò adhuc seclusō iure canonico; si aliquando expediret secundum leges ciuiles iudicare, vbi, scilicet, compertum esset vsuras aliquas esse tolerādas ad necessitatibus reipublicæ subueniendum, adhuc tunc instrumentum tabellionis vsurario exhibitum non esset in strumentum iniquitatis, sed iustitiæ. Quia in tali casu virtute illius simul & legis, veniret mutuatarius in foro exteriori iustè ad vsuratum solutionem compellendus. Nec ob id esset tabellio ad restitutionem cogendus: sicut nec quando instrumentum venditionis, in qua alter est citra dimidium defraudatus, exhibet, virtute cuius defraudatus per iudicem compellitur stare contractui. Adde, quòd præfatum instrumentum veritatis, æquè valet mutuatario, sicut, & mutuanti. Siquidem cognita per illam scripturam conditione cōtractus, scilicet, quòd fuit vsurarius, virtute eius in omni foro poterit agere contra vsurarium, vt vel vsuras solutas restituat, vel non solutas non exigat. Et iudex iustè iudicando, tenebitur vsurarium condemnare. Alioqui erit reus restitutionis, sicut & ipse vsurarius. In Clementina enim vnica. de vsuris, sub excommunicatione præcipitur iudicibus, & cæteris officialibus, ne secundum statuta in fauorem vsurariorum alicubi facta, iudicent. Et hæc dicta sunt de toto isto articulo.

De tabellione conficiente scripturas vsurarias.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrùm liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod non liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura. Dicit enim Apostolus Roman. primo, quòd digni sunt morte non solum qui faciunt peccata, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sed ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, consentit vsurario in suo peccato, & præbet ei occasionem peccandi: ergo etiā ipse peccat.

3. d. 37. art. 6. ad 6. Et mal. q. 13. artic. 4. ad 17. & 19. & op. 21. q. 3. fin. & op. 67. q. 5. & 77. cap. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 ¶ Prætereà, Pro nullo commodo tẽporali debet aliquis alteri quãcunque occasionem præbere peccandi. Hoc enim pertinet ad rationẽ scãdali actiui, quod semper est peccatum, vt supra dictum* est. Sed ille qui petit mutuũ ab vsurario, expressi dat ei occasionem peccandi: ergo pro nullo commodo temporali excusatur.

Q.43.ar. 2.

3 ¶ Prætereà, Non minor videtur esse necessitas quandoque deponendi pecuniam suam apud vsurarium, quàm mutuum accipiendi ab ipso. Sed deponere pecuniam apud vsurarium, omnino videtur esse illicitum, sicut illicitum esset deponere gladium apud furiosum, vel virginem committere luxurioso, seu cibum guloso: ergo neque licitum est accipere mutuum ab vsurario.

¶ Sed Contra ille, qui iniuriam patitur, non peccat, secundum* Philosophum in. 5. Eth. Vnde iustitia nõ est media inter duo vitia, vt ibidem* dicitur. Sed vsurarius peccat, in quantum facit iniustitiam accipienti mutuũ sub vsuris: ergo ille qui accipit mutuũ sub vsuris, non peccat.

Li.5.c.11. à me. to.5. Lib.5.c.5. declinando ad fi. to.5.

¶ Respondeo dicendum, quòd inducere hominem ad peccandũ nullo modo licet: vti tamen peccato alterius ad bonũ licitum est, quia & Deus vtitur omnibus peccatis ad aliquod bonum. Ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, vt dicitur in* Enchiridio. Et ideo Augustꝰ* Publicolæ quærenti, vtrùm liceret vti iuramento eius qui per falsos deos iurat, in quo manifeste peccat, eis diuinam reuerentiam adhibens, respondit, quòd qui vtitur fide illius qui per falsos deos iurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed pacto eius bono, quo fidem seruauit: si tamen inducere eum ad iurandũ per falsos deos, peccaret. Ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & vsuras exercet, mutuum accipere sub vsuris, propter aliquod bonum, quòd est subuentio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiã licet ei, qui incidit in lãtrones, manifestare bona quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur, exemplum decem virorum, qui dixerunt ad Ismael. Noli occidere nos quia thesauros habemus in agro, vt dicitur Hier. 41.

Ang. Ench. c.11. to. 3. Epist. 154. nõ longè à princ. to. 2. Et habetur 22. q. 1. Cũ Mouet. te.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, non consentit in peccatum vsurarij, sed vtitur eo: nec placet ei vsurarum acceptio, sed mutuatio, quæ est bona.

¶ Ad secundum dicendum, quòd ille, qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, non dat occasionem vsurario vsuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autẽ vsurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui: vnde scandalum passiuum ex parte sua est, non autem actiuum ex parte petentis mutuũ. Nec tamen propter huiusmodi scandalum passiuum debet alius à mutuo petendo desistere, si indigeat: quia huiusmodi passiuum scandalũ non prouenit ex infirmitate vel ignorãtia, sed ex malitia.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd si quis committeret pecuniam suam vsurario non habenti alias vnde vsuras exerceret, vel hac intentione committeret, vt inde copiosius per vsurã lucraretur, daret materiam peccandi: vnde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis vsurario alias habenti vnde vsuras exerceat pecuniam suam committat, vt tutius seruetur, non peccat, sed vtitur homine peccatore ad bonum.

Summa Textvs.

Cvm dare mutuum sub vsura peccatum sit, & mutuatarius ei causam dare videatur, conuenienter D. Thom. pro complemento huius materiæ vltimo loco quærit, an mutuatarij pecuniam sub vsura accipientes aliquod peccatum committant. Ad cuius difficultatis explicationem duas subijcit propositiones. Prima conclusio: Nullo modo est licitum aliquem ad mutuandũ sub vsura inducere. Probatur: Nullo modo licet aliquem ad peccandũ inducere: sed mutuare sub vsuris est peccatum: ergo. Secunda conclusio: Ab eo, qui paratus est mutuare sub vsuris, nullum peccatũ est mutuum petere, & accipere. Probatur: Vnicuique est licitum peccato alterius vti ad aliquod bonum; sed accipiens mutuum sub vsura ab eo, qui paratus est illud dare, nihil aliud facit, quàm vti peccato alterius ad bonum: scilicet, ad subuentionem suæ necessitatis, vel alterius, quæ est quodam bonũ: ergo illud licitè facit. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur. Tum, quia Deus vtitur peccatis hominum ad bonum: Tum etiam testimonio Augustin. dicentis; quòd qui vtitur fide illius, qui per falsos deos iurat nõ ad malũ, sed ad bonũ, nõ peccato illius se sociat, quo per dæmonia iurauit; sed facto eius bono, quo fidẽ seruauit. Eãdẽ cõclusionẽ cõfirmat D. Th. exẽplo illius, qui incidit in latrones, qui quidẽ licitè põt eis bona, quæ habet manifestare, ne ab eis occidatur, quãuis ipsi illa licitè surripere nõ possint. Quod & fecerũt decẽ viri, qui, vt vitã ad Ismaele eos accidere volẽte, redimerẽt, thesauros suos ei obtulerũt, vt dicitur Hier. c. 41.

Explicatio Articvli.

Dubium, de inducente ad vsuras.

Circa primam conclusionem huius artículi est difficultas, vtrùm inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris, vel aliud malum faciendum semper sit peccatum. Et pro parte negatiua ex illo Genes. cap. 25. vbi Iacob dixit Esau; Vende mihi primogenita tua, &c. tale potest desumi argumentũ. Id fecit inducere ad malum, quia primogenita habebant sacerdotium annexum, quod vendere nullo modo licebat, & tamẽ Iacob in eo facto non peccauit, vt communiter docent Doctores: ergo. Et confirmatur: In eodem lib. cap. 19. dicitur, quòd Loth nefandum Sodomorum peccatum impedire volens dixit eis; Habeo duas filias. Adducam eas ad vos. Abutimini illis. Quod nihil aliud fuit, quam inducere ad malum. Et. 4. Reg. cap. 18. dicitur de Helia, quod constituit pactum cum principibus Baal dicens; Inuocate nomina Deorum vestrorum, &c. quod si militer inducere ad malum fuit. Tandem, si princeps Christianus vellet cum principe pagano pactum inire, liceret sibi ab eo petere iuramentum, etiam si sciret per falsum deum iuraturum, quod est peccatum: ergo aliquando est licitum inducere ad malum.

Argum.

Confirma.

Aliud est inducere ad peccandum, aliud vti peccato alterius.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, aliud esse inducere ad peccatum, aliud verò vti peccato alterius. Nam inducere ad peccatũ, est cooperari peccato, quod est intrinsecè malum. Vti verò peccato alterius est ordinare peccatũ, quòd alium decreuit facere, ad aliquod bonum. Et hoc quidem non est malum, sed licitum, cum ille, qui vtitur peccato alterius, nõ cooperetur illi, sed præsupponat potius ipsum peccatum esse, sicut & vsus cuiuslibet rei præsupponit ipsam existere. ¶ Hoc constito, sit prima conclusio, inducere ad mutuandum sub vsura, vel ad faciẽdum aliud malũ, est intrinsecè peccatũ, nec vnquam licitũ. Probatur: Quilibet, si potest, tenetur ex charitate à proximo peccatum repellere: ergo, si ad illud inducit, peccat. Et confirmatur: Cooperari ad peccatũ est malũ, sed qui inducit alium ad peccandũ, eius peccato cooperatur: ergo. ¶ Secunda conclusio: Vti peccato alterius non est intrinsecè malum. Probatur: Vtens peccato alterius, non cooperatur ei, sed præsupponit ipsum esse: ergo non est necessarium, quod in tali vsu peccet. Ex hoc infero primò, quod si homo vtatur alieno peccato ad bonũ aliquod, vel honestũ, vel vtile, nullum peccatũ cõmittet, quin potius Deus hac ratione peccatis vtitur hominũ, vt ex D. Aug. probat D. Th. in hoc artic. Si autem vtatur illo ad peccatũ veniale, tantũ erit veniale peccatũ. Ex quo infero secũdo rursus, quòd qui ex illa necessitate cõpulsus accipit mutuũ a fœneratore parato dare ad vsuras, tantũ peccat peccato prodigalitatis, quod ex genere suo nõ est mortale. Excusabitur tamẽ omnino à peccato, si aliquã habuerit necessitatem, etiã si nõ sit multum grauis, vt decentia status, ornatus, vel personæ. Quare si magnates ad faciendũ conuiuiũ, vel ad torneamenta exercenda mutuũ accipiant sub vsura, non peccabunt. Si autẽ illud accipiant propter voluptatẽ tantũ peccabunt venialiter. Si verò accipiatur ad licitas exercendas negotiationes, nullum erit peccatũ. ¶ Tertia conclusio: Quotiescunq; id, quod petitur, iustè fieri potest, & bona intentione petitur, licet petens sciat aliũ id male facturum, nullũ peccatũ committit, sed licitè illud petere potest. Itaque qui ob aliquã necessitatem bono animo petit ab alio pecuniã mutuò, quã mutuãs potest gratis dare, etiã si sciat aliũ fœneraturũ, licitè illã petere & accipere valet. Probatur: Quod petitur est bonũ, & malũ, quod sequitur tãta est ex malitia mutuãtis: ergo illud petẽs nullo modo peccat. Et cõfirmatur: Petẽs nulla ratione ad malũ cooperatur, cũ illud non sui, sed ex mutuantis malitia sequatur: ergo nullũ peccatũ cõmittit. ¶ Quarta cõclusio: Quãdo id, quod petitur, non potest iustè ab alio præstari, ipsa petitio est mala, & illicita. Probatur. Nam est cooperari ad peccatum alterius.

1. Conclus.

2. Conclus.

3. Conclu.

4. Conclu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rius. Vt si ab amico petis, quòd furetur, &c. Quare semper considerare oportebit, an actus peticus iustè ab alio, possit præstari. Nam hæc est radix iustæ, aut iniustæ petitionis.

Ad.1.arg. ¶Ad primum argumentum nonnulli respondent, Iacob excusari à peccato in emptione primogenituræ ex prouocatione fratris ad vendendum, qui illum incitauit. Et sic non fuit Iacob cooperatus ad malum, sed tantum vsus peccato alterius. Hanc expositionem simul cum alijs assignat Caietanus super istum locum. Sed meo iudicio est mere voluntaria, videturque textui magis repugnans, quam consentiens. Habetur enim in litera, quòd coxit Iacob pulmentum; ad quem cum venisset Esau, de agro lassus, ait; Da mihi de coctione hac tua, quia oppido lassus sum. Cui dixit Iacob; Vende mihi primogenita tua. Ille respondit: Ecce morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit Esau. Et sic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt parui pendens, quod primogenita vendidisset. Quibus verbis non video, qua ratione suprapositæ expositioni quadrare possit; cum Iacob dicatur à fratre suo petijsse non solum, vt primogenita venderet pro edulio, sed etiam, quòd venditionem iuramento firmaret. Alij respondent, quòd primogenituræ habebant aliquid temporale, cui annexum erat spirituale: & quod Iacob non emit eam ratione spiritualis, sed tantùm ratione temporalis, quòd licitum erat. Cæterùm nec hæc solutio mihi placet. Nam quamuis sit sufficiens ad ostendendum Iacob in illo facto non peccasse peccato simoniæ, non tamen declarat illum aliud peccatum non commisisse, scilicet, aut iniustitiæ, quod ex inæqualitate pretij ad rem emptam desumitur, aut contra charitatem, quia in casu necessitatis, in quo Esau seipsum significauit existere, dum dixit; En morior: quid mihi proderunt primogenita? gratis pulmentum, & non pro tanto pretio dare, tenebatur. Quod mihi in hac parte verius dicendum videtur, est, quòd ius primogenituræ erat ipsius Iacob de iure. Ex diuina enim determinatione prædictum fuit, Quia maior seruiet minori. Propter quod Malachias ait, dixit Dominus: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et Apostolus ad Roma. 9. Antequam nati fuissent, aut quidquam boni, aut mali egissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Quia maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Hoc autem reuelatum fuit matri, quæ Iacob diligebat. Cum enim paruuli in vtero eius colliderentur, & ipsa consuleret Dominum, responsum fuit ei: Duæ gentes ex vtero tuo diuidentur, populus quoque populum superabit, & maior seruiet minori. Genes. 25. Quod & ipsa filio non occultasse est verosimile. Esau verò de facto iuspatronatus primogenituræ possidebat. Atque ideò fuit licitum Iacob, prædictum ius ad se retinere per cautelam. Idque fecit dum vidit Esau ita lassum de agro venientem, vt timeret mori, & concupiscentemque, & petentem pulmentum, quod ipse coxerat. Nec in hoc peccauit Iacob, peccato simoniæ; quia non intendebat emere rem sacram; sed tantum redimere suam vexationem per medium licitum, qualis est emptionis. Nec contra iustitiam: quia ex quo id, quod suum erat de iure accipere quærebat, etiam pro nihilo illud habere potuit. Esau autem peccauit non solum peccato gulæ cibum inordinatè appetendo, quod & scriptura significauit, dum dixit, propter id appellatum fuisse nomen eius, Edon; Sed etiam simoniæ, rem sacram vendere intendendo. Quia non est verosimile, quòd vir prudens rem tanti valoris, quanti erat primogenitura (de cuius ratione erat, quod haberet duplicem partem in bonis paterni̇s respectu aliorum fratrũ propter quod & Ioseph, cui Iacob dedit primogenituram, duas partes habuit inter fratres, duasque tribus in Israel, scilicet, tribũ Ephraim, & tribum Manasse) pro tam modico pretio vendi petijsset. Idcircò dicunt hoc loco Hebræi cibum istum non fuisse pretium emptionis primogenituræ; sed vltra pretium fuisse datum à Iacob, per modum curialis consuetudinis. Qua in translatione rei notabilis recipiens, vltra pretium, solvit vinum, vt vulgo dicitur, quod intelligitur totum prandium. Qui etiam mos, nunc Hispaniæ in aliquibus locis obseruatur. Propterea que dicitur in textu: iuranit ergo Esau, & vendidit primogenita. Et sic accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt. Sed quidquid sit de hoc, interpretatio tamen à nobis data, ex facti que licentis collecta sufficiet satisfacit difficultati.

Quid sit dicendum de Iacob emẽte primogenituram.

Sententia Hebræorum.

¶Ad aliud de Loth, qui, vt nefandum Sodomorum peccatum impediret filias obtulit, quibus abuterentur, respondet Caietanus in præsenti dicens, illum in eo facto nõ peccasse, quia non obtulit filias animo recompensandi malo malo, sed placandi populum furentem, credens quod populus non acceptaret oblationem. Sed ea submissione placatus desisteret ab incepto. Probacq; sua sententiam testimonio Dauid in 1. sua Cano. cap. 2. dicente, quòd Deus iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit, aspectu enim & auditu iustus erat, habitãs apud eos; qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Quæ verba de Loth vere dici non possent, si illa sua oblatione filiarum, peccati alicuius esset particeps. Et in cap. offerebat. 32. quæstione. 7. etiam dicitur, quòd Loth in illo facto non peccauit. Contrariam tamen sententiam tenent multi alij; Inter quos vnus est Liranus supra decimum nonum capitulum Genesis, & Soto lib. 6. de iustitia, quæstione. 1. articulo. 5. Qui dicunt Loth in illo suo facto peccasse; nisi fortè ex ignorantia excusetur. Et ratio est: Nam, vt pater tenebatur filiarum pudorem seruare, nec decebat ipsum illo medio vti ad placandum populum. Eiusdem etiam sententiæ videtur esse Diuus Augustinus, relatus in capite. quod ait. 24. distinctio. Vbi dicit, non esse tribuendum consilio, quod fecit Loth, sed perturbationi mentis, quæ eius culpã excusauit. Quæ sententia mihi multo magis probatur. Nullo enim est licitum, minimũ malũ facere, pro vitando maximo, vt D. Aug. in lib. cõtra mẽdacium late probat. Et certum est, quòd inducere ad fornicationẽ aut illi cõsentire est malum, quod fecit Loth, quando dixit. Habeo duas filias. Adducam eas ad vos. Abutimini eis. Hæc enim oblatio fieri nõ potuit, quin consentiret in re, quæ ex genere suo erat peccatum, & non solum veniale, quale est mendacium officiosum, sed etiam mortale, quale est luxuria. Exoneratus tamen est fuit à tanto, licet non à toto. Tum ratione perturbationis mentis, in qua erat. Tum etiam, quia nefando vitio in suis conciuibus, & iniuriæ in suis hospitibus, occurrere volens, id dixit. Et ad testimonium adductum ex canonica Petri, dico, Loth verè iustum appellari posse, etiam si in illo suo facto peccauerit. Tum, quia ante illud iustus fuit, aspectuque, & auditu, & modis omnibus castus ac purus, vt ibidem dicitur. Tum etiam, quia eius peccati creditur egisse pretentiam. Quod satis est, vt iustus dicatur.

Ad.2.arg.

De Loth & filiarum oblatione.

De Helia constituente pactum cum sacerdotibus Baal.

¶Ad aliud de Helia, constituente pactum cum sacerdotibus Baal, vt ipsi inuocarent nomina Deorum suorum, respõdeo primò, verba illa Heliæ non fuisse verba prouocantis ad peccatum, sed dirigentis illud in

confussionem sacerdotum, & ignominiam Baal. Vel secundò respondetur, quòd verba illa tantum fuerunt permissiua, & non consultiua. Sed melior est prima solutio. Adrianus dicit, quòd quando aliquis paratus est ad malum, licitum est ab eo illud petere. Et quia illi sacerdotes parati erant inuocare nomina falsorum Deorum, ideò potuit Helias id iustè ab eis petere. Et hoc quidem verum est. Præterea, si talis paratus sit secundum actualem volitionem. Nam si tantum est paratus habitualiter, non carebit scrupolo illa mali petitio, quia quodammodo erit causa illius prauæ nouæ volitionis. Et quo infero, non esse satis tutum mutuum petere offerendo lucrum, etiam à parato; ne fortè inducamus ad malum actionem. Quamuis petere mutuum, etiam si scimus alium non mutuaturum, nisi sub vsuris, sit licitum, vt diximus in tertia conclusione. Et per hoc patet solutio ad vltimum argumentum.

Ad.3.arg.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, supposito, quòd nõ est licitum inducere ad minus malum, pro maiori vitando, vtrùm saltem liceat consulere minus malum, ne maius fiat. Verbi gratia, est quis paratus occidere Petrum. Dubium est, vtrùm sit licitum consulere illi mutilationem? Et pro parte negatiua est argumentum delumptum ex Paulo ad Rom. 3. dicente; Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona: sed consulere minus malum est peccatum: ergo non est faciendum etiam ad vitandum maius malum. Et confirmatur: Consulere minus malũ est inducere ad illud, cooperatique peccatori ergo nulla ratione potest contingere, vt licitè fiat. ¶Secundò: Non est licitum petere, quod alius non potest licitè præstare, vt diximus dubio præcedenti: sed alius non potest licitè facere minus malum ergo nec ali eui licet illud petere. Caietanus in præsenti, vt ad hanc difficultatem respondeat, præmittit, aliud esse offerre alicui materiam, in qua exerceat minus malum, & aliud inducere ad illud. Nam primum est licitum, & tenendum est malum. Et sic dicit non esse licitum consulere, & inducere ad minus malum, pro maiori vitando.

Dubium.

An licet consulere minus malum.

1. Argum.

2. Argum.

Conclusio.

¶Hoc tamen non obstante, dico, verissimum esse, quod licet consulere minus malum pro vitando maiori, supposito, quòd ille, cui consilium datur constitutum habeat, apud se maius malum perpetuare. Et probatur: illud consilium habet bonum obiectum, & finem: ergo est bonum. Et quidẽ, quod finis sit bonus est manifestum. Quod verò obiectum etiam sit bonum probatur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam obiectum illius consilij non est absolutè: Fac hoc malum, sed hoc conditionale, scilicet: Si illud maius malum certus es facere, potius fac hoc minus; quod est consonum rationi. Idem etiam docet D. Augustin. in lib. quæstionum super Exodum, & refertur in cap. 6 quod. 33. quæst. 2. & D. Chrysost. Hom. 27. ad populum Antiochenum.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum respondeo negando, quòd consulere minus malum supposito, quòd is, cui consilium datur, decreuerat maius facere, sit malum: sed potius est bonum. Vnde quamuis consulens sit causa minoris mali, non ideò dicitur causa mali, sed causa bonæ illius electionis. Et ad confirmationem respondetur, quòd qui consulit minus malum non inducit ad illud, sed tantùm remouet à maiori malo, quod est bonum.

Ad. 2. arg. ¶ Ad secundum respondeo, quòd qui consulit minus malum non petit illi, quod alius licitè præstare non potest. Nam absolutè tantum petit, quòd grauius malum non faciat. Si autem acquiescere non vult, nisi minori malo perpetrato, facienti tribuendum est, non consulenti.

Dubium, circa solu. ad. 3. ¶ In solutione ad tertium argumentum agit D. Thom. de deponente pecunias apud vsurarium. Circa quod potest esse difficultas, vtrùm qui deponit apud aliquem pecunias, quibus scit ipsum fœneraturum, aliquod peccatum committat. Et pro parte negatiua argumentor primò: si talis peccaret ex eo, esset, quòd præberet vsurario materiam peccandi: sed hæc ratio non est sufficiens: ergo. Probo minorem: Petere mutuum ab eo quem scio sub vsuris mutuaturum, non est peccatum, vt diximus in principio huius articuli, quando ipse est paratus mutuò dare: sed hoc etiam est præbere materiam peccandi: ergo id non est sufficiens culpam inducere. Confirma. Et confirmatur: Secundum sententiam D. Tho. in isto articulo, non peccat ille, qui incidens in latrones pecunias, quas diripiendas esse scit, manifestat. Idq; probat exemplo decem virorum, qui ad Ismahel dixerunt: Noli occidere nos, quia thesaurum habemus in agro, vt habetur Ierem. 41. sed hoc etiam est præbere materiam peccati: ergo. ¶ Ad explicationem huius difficultatis dico primò, quòd regulariter loquendo, quicunque committit rem aliquam custodiendam custodi infideli, vt si committat virginem luxurioso, & cibum guloso, peccat, quia cooperatur peccato, quod rationabiliter metuere tenetur. 1. Dictum. ¶ Dico secundò, quod vsurarius pecuniam, quam in depositato habet, mutuans ad vsuram, duplex peccatum committit, vnum distractionis, & alterum vsuræ. Quæ ita inter se distinguuntur, vt vnum sine alio possit inueniri. Qui enim distrahit eas pecunias in licitas negotiationes tantum peccat peccato distractionis, & non vsuræ. Et quo infertur in deponente pecuniam apud vsurarium, duo etiam posse considerari. Primum est, quod illam deponit apud distractorem. Secundum, quod deponit eam apud vsurarium, aliàs non habentem, vnde vsuras exerceat. Et quidem, quod ratione primi sit particeps culpæ distractionis, nulla est difficultas. Sicut nec quòd committens cibum guloso est particeps gulæ, & committens virginem luxurioso est particeps luxuriæ. Non enim potest esse sine peccato committentis, vt actum custodiæ exigat quis ab eo, quem scit probabiliter alium non facturum. Et quantum ad hoc est discrimen inter petentem mutuum ab vsurario, & deponentem pecuniam apud eundem. Nam in primo, actus petitus est bonus, scilicet, mutuare, qui scitur exercendus ab eo quamuis male, propter suam malitiam. Et in secundo actus bonus est debitus, scilicet, custodia, qui vt committitur illi, à quo scio non esse exercendum sine peccato esse non potest. Et si quis obijciat, Quilibet est dominus rei suæ: ergo si illam deponat apud distractorem, nullum peccatum committet, Probo consequentiam: Nam eo ipso videtur deponens, implicitè dare licentiam depositario pecunias distrahendi, respondetur negando consequentiam. Et ad probationem dico, falsum esse, quod deponens pecunias apud distractorem, aut implicitè, aut explicitè det facultatem depositario pecunias distrahendi. Imò eo ipso, quod quis aliquid dat alicui in depositò, vult sibi illud secundum iura depositi seruari, quæ distractionem omnino prohibent. Quare sic deponens participabit cum depositario in mala custodia, si pecuniam apud eum deponat. Cæterùm, quia peccatum distractionis depositi non semper est mortale, idcirco committens pecunias non semper peccat mortaliter. Itaque hæc certa sunt. Sed quod habet difficultatem est, vtrùm deponens pecuniam apud vsurarium, non solum peccet peccato distractionis, sed etiam peccato vsuræ, participando cum illo? Ad quod breuiter respondeo, quod sicut petere mutuum ab vsurario, non est peccatum vsuræ, ita nec deponere pecuniam apud eundem propter rationem in primo argumento adductam. Præbere enim materiam peccandi, nō est peccatum, nisi simul qui talem materiam

tiam præbet peccato cooperetur. Vt est videre in eo, qui incidit in latrones, & in eos, qui ab vsurario parato, petit pecunias mutuo. Si quis autem obijciat contra hoc Dm. Thom. in solutione ad tertium dicentem, q deponere pecuniam apud vsurarium est peccatū, respondetur, quod hoc ideò dicit quia peccat talis peccato distractionis: vt diximus, & non peccato vsuræ. Ex quo infertur, quod si vsurarius, apud quem pecunia deponitur, habet alias, vnde vsuras exerceat, reddereque possit depositum tempore requisito, ille, qui deponit apud ipsum pecunias, nec etiam peccat peccato distractionis. Tūc enim talis vsurarius non infidelis, sed fidelis depositarius est censendus. Atque adeo talem pecuniam deponens apud eum, actum debitum requisisset ab illo, quem credit probabiliter illum facturum. Et per hæc patet solutio ad omnia obiecta.

Dubiū de monte pietatis. ¶ Circa istum articulum solet vltimò dubitari, vtrùm Mons pietatis sit vsurarius? Ad cuius explicationem aduertendum est, primò, quòd Mons pietatis dicitur cumulus pecuniæ à populo congregatus, ad subleuandas per mutuum pauperum necessitates, ea tamen lege, vt mutuatarij singulis mensibus exiguam pecuniam conferant vltra sortem: nō quidē ratione mutui, sed velut stipendij ministrorum. Cuius Montis pietatis frequens est vsus in Italia. Secundo est aduertendum, Montem pietatis multis modis posse constitui. Primò, vt, si reipublicæ ab aliquo detur aut pondus in harum commutationum vsus conuertendum, reseruato tamen penes se dominio. Secundò, vt, si respublica ex publico ærario id faciat. Tertiò, vt, si cuncti singuli contributionem faciant ad Montis institutionem. Et quidem, quantum attinet ad præsens institutum, nihil refert, an Mons constet ex auro, vel ex frumento, vel ex rebus aliis vsu consumptibilibus. Eadem enim est de omnibus his ratio. Capitula autem Montis pietatis sunt. Primum, quod pecunia, aut frumentum non detur, nisi in certum tempus, puta, in annum. Nam si per indefinitum tempus daretur cumulus deficere posset. Secundum est, quod mutuatarius det pignus. Tertium est, quod mutuatarius teneatur soluere ministris Montis custodiendum, hac lege, quod si intra statutum tempus deficiens soluerit, sibi reddatur sanum, saluum, & integrum. Si verò non soluerit vendatur pignus, & reddatur Monti, quod debetur, reliquum autem detur ipsi pauperi mutuatario. Tertium tandem capitulum est, quod mutuatarij singulis mensibus reddant aliquid vltra sortem pro alendis ministris huius Montis. Quorum primus est necessarius pro numerandis pecuniis. Secundus, pro scribendis rationibus datis, & acceptis. Tertius, pro seruandis pecuniis. Quartus, pro conseruandis pignoribus, custodiendis, vt non perdantur, nec vilescant, &c. Quibus positis est dubium, vtrùm iste Mons pietatis sit vsurarius. Et pro parte negatiua, argumentor primò. Si ibi aliquis esset vsura, ex eo esset, quòd mutuatarius aliquid reddit vltra sortem: sed id non fit ratione mutui, sed ad alendos ministros: ergo nulla ibi est vsura. Et si quis dicat, pauperes, quales sunt illi, qui mutuò accipiunt, non teneri ad alendos ministros, & sic esse vsuram, aliquid accipere vltra sortem, contra hoc est argumentum: Mons ille ab illis debet seruari indemnis, quorum interest mutuationis: sed tantò interest pauperum, & non diuitum, aut reipublicæ: ergo ad pauperes solum spectat ministros sustentare. Secundo sic argumentor: Pius secundus approbauit talem Montem pietatis, & in concilio Lateranensi sub Leone 10. similiter fuit approbatus, extatq; bulla approbationis, in qua sententia excommunicationis fertur in eos, qui contra, vel disputauerint, vel prædicauerint: ergo talis Mons non est vsurarius.

Multiplex Mons pietatis.

Obiectio.

Responsio.

Punctus difficultatis. 1. argum.

2. argum.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quod radix illius consistit in explicando, an pauperes teneantur alere ministros Montis, vel potius illi, qui mutuant pecunias? Et quia de hoc varie sentiunt Doctores, quibusdam dicentibus pauperum interesse ministrorum sustentationem, alijs verò negantibus, sed ipsius mutuantis, similiter etiā sunt variæ sententiæ de eo, vtrùm Mons pietatis sit licitus nec ne. Nam illi, qui dicunt ministrorum sustentationem pertinere ad ipsos mutuatarios (quorum vnus est Medina in tract. de cambijs) consequenter affirmant, illum Montem non esse vsurarium. Cæterum illi, qui docent, quod ministrorum sustentatio pertinet ad ipsum mutuantem, (quorum vnus est Caietanus) consequenter dicunt, illum montem esse illicitum, & vsurarium. Quorum sententiam mihi magis placet verior quæ videtur. Et probatur: Si homo diues mutuaret pauperibus tuis. Mons pietatis illicitus. centum ad tempus accepto pignore, & postea acciperet aliquid vltra sortem, esset vsurarius: sed idem contingit in Monte pietatis: ergo est vsurarius. Patet consequentia: Nam eadem est vtriusque ratio. Et confirmatur: Si particularis homo mutuaret eisdem legibus, quibus & Mons pietatis, esset vsurarius: quia aliquid acciperet vltra sortem: ergo idem esse dicendum de republica. Secundò: Pauperes non sunt domini il-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lius pecuniæ: ergo non magis pertinet ad ipsos ministrorum sustentatio, quam illius, qui mutuum confert: atque ex consequenti erit vsura stipendium ab illis exigere: quia daretur ratione mutui. Et ad primum argumentum respondetur, concessa maiori, negando minorem. Nam cum mutuatarij non teneantur alere ministros, si aliquid dant vltra sortem, erit vsura. Et quando dicitur in argumento. Ad illos pertinet ministrorum & Montis sustentatio, quorum interest mutuatio: sed pauperum interest, & non ipsius mutuantis: ergo, Respondeo, negando consequentiam. Quia eadem ratione probaretur ad pauperes pertinere, suis expensis diuitias hominis qui solitus est mutuare conseruare, quod tamen nullus affirmat. Præterquam quòd, vt diximus in superioribus, beneficium mutui est eius generis, vt gratis debeat exhiberi: Atque ideò, qui mutuat debet supra se recipere onera, quæ sunt mutationi annexa, aliàs non mutuat. Quare cum ministrorum sustentatio in Monte pietatis sit mutuationi annexa: sicut & sustentatio mutuantis, non pertinebit ad mutuatarios, sed potius ad illum, qui mutuat. Ex hoc infertur, quod quicunque ex sua substantia Montem pietatis erigere cogitauerit, debet ante omnia stipendia statuere, quibus ministri sustententur: vel rempublicam obligare, vt Montem sustentet. Alioqui non erit perpetuus, cum ab ipsis mutuatarijs propriis expensis sustentari non possit. Caietanus dicit, q̃ in pluribus ciuitatibus Italiæ ministri sustentantur stipendio publico ciuitatis. Et tunc Mons pietatis non solum est licitus, verum etiam vtilissimus reipublicæ.

Ad. 1. arg.

Ad. 2. arg. ¶Ad secundum argumentum dico, primò cum magistro Soto lib. 6. de Iustitia, quæst. 1. articulo. 6. quod non omnia acta illius cõcilij Lateranẽsis mare, & vsu sunt recepta, vt constat. Nam in sess. 9. præcipitur, quod sacerdotes, qui per sex menses non recitauerint horas Canonicas priuetur sacerdotijs, & beneficijs. Quod tamen vsu receptũ non est. Et idem dicere possumus de eodem cõcilio, quantum ad Montem pietatis. Vel secundo respondetur, quod excommunicatio in bulla contenta non absolutè infertur cõtra omnes, qui prædicauerint, vel disputauerint contra Montem pietatis: sed tantum contra illos, qui non receperint capitula illius, quæ nec iuri canonico, nec naturali fuerint repugnantia. Vnde cùm capitulum illud, quo præcipitur aliquid dare vltra sortem singulis mensibus, tam iuri canonico, quam naturali repugnet, non erit peccatum illud impugnare, & reprehendere, sicut & illud impugnauit Caietanus, qui fuit tempore illius concilij, nec tamen propterea damnatur ab aliquo. Præterquam, quod etiam pensio, quæ approbatur à bulla concilij solum est ea, quæ soluitur ratione obligationis factæ, sub qua mutuum datur. Quæ quidem ab ipsis mutuatarijs solui debet. Nec hoc est dare aliquid pro mutuo: sed tantum firmare fidem, quam mutuatarius suis expẽsis exhibere tenetur, vt mutuum accipiat. Et est hæc nostra sententia intelligẽda, quãdo institutores Montium pietatis in pecunia, vel in tritico, pro mutuandis indigentibus populi, non renuntiant dominium pecuniæ, aut tritici in communitatem pauperum indigentium. Nam si illud renunciant licitum erit pro sustentatione ministrorum, aliquid à mutuatarijs exigi vltra sortem, vt dicebat Medina. Quam etiam sententiam tenet Nauarro super cap. si fœneraberis. 14. quæstio. 3. à num. 64. Et ratio huius est. Nã cum dominium illius Montis tunc sit penes pauperum communitatem, si ipsi aliquid vltra sortem contribuunt, pro eius, & ministrorum, & sumptuum sustentatione, non rem alienam, sed suam agere erunt dicendi. Et in hoc casu arbitror summos Pontifices citatos hanc Montis institutionem approbasse; quia, vt sic, nec iuri naturali, nec canonico repugnat.

¶Huic materiæ de vsuris annexa est alia de censuum emptione, atque venditione. Cæterum quoniam D. Thomæ huius interpretis munus subij, nihil de hac re egit in præsenti, ab eius longa disputatione abstinere æquum iudicaui, tantũ ea dicens, quæ pro complemento vsurarum necessaria videbuntur. Et sic solum, est difficultas, vtrùm censuum venditio sit vsuraria? Ad cuius explicationem aduertendum est primò, quod, quanuis nomen census plura significet, in præsenti tamen tantum accipitur prout significat ius percipiendi pensionem aliquam, siue in fructibus, siue in pecunia ex re supra quam census constituitur. Ex quo fit, vt census non debeat constitui supra rem omnino infructiferam, sed supra rem, quæ ferat fructus, vel abundantiores, vel saltem æquales pensioni cuius percipiendæ ius alteri vẽditur. Secundo est aduertendum, quod census est duplex. Vnus, qui dicitur reseruatiuus; alter consignatiuus. Reseruatiuus est, quando quis rem suam alteri vendit, reseruato sibi iure recipiendi quotannis partem aliquam. De quo in præsenti non dicemus: quia non est in vsu: eius tamen mentionem facit Glossa supra cap. constitutus. de religiosis. Census autem consignatiuus est, quando quis retentis suis bonis, eorumque vsu consignat alteri certam pẽsionem, singulis, vel annis, vel mensibus soluendam. Et hic adhuc est multiplex. Nam primò diuiditur in censum perpetuum, & redimibilem, & de por vida. Rursus alter est realis; & est ille, qui supra rem constituitur: alter personalis, qui constituitur supra personã. Plures alias diuisiones adducit Contadus, quæstione. 72. de contractibus. & Syluester verbo. vsura. 2. §. 11. & sequentibus. Quas, quia impertinentes sunt ad præsens institutum, consultò prætermitto.

De censibus venditione.

1. cõclusio ¶His positis sit prima conclusio: Vnusquisque potest reale censum supra bona sua constituere, modo sint libera. Hæc conclusio ab omnibus recipitur. Et probatur: Vnusquisque potest bona sua libera donare, & vendere: ergo & superea censum constituere. Patet consequentia: Eadem est vtriusque ratio. Dixi notanter in conclusione. Modo sint libera, propter bona matorticata, supra quæ absque regia facultate, non potest census constitui.

2. Cõclusio ¶Secunda conclusio. Emptio, & venditio talium censuum realium, est licita. Hæc conclusio est communis omnium Doctorũ Theologorum, quam Canonistarum, vno excepto, Henrico de Gandauo. Qui quodl. 1. quæstli. 39. ait esse vsuram emere census, qui de nouo supra aliqua bona constituuntur. Probatur tamen nostra conclusio: Vnusquisque potest vendere rem suam, & eius fructus, ita, vt maneat obligatus singulis annis quandam partem bonorum soluere: ergo & poterit vendere ius exigendi tales fructus; atque ex consequenti census venditio est licita. Et confirmatur: Lege superiori compellũtur homines singulis annis partem bonorum soluere, vt patet in decimis: ergo & pro iusto pretio poterit quisque similes ius emere. Denique hæc veritas diffuse tenet à Martino. V. & Calixto. III. in extrauagantibus, quæ incipiunt. Regimini vniuersalis Ecclesiæ. Estque conclusio intelligenda tam de censu fructuario, quam pecuniario. Nam cum iura allegata non distinguant inter census fructuarios, & pecuniarios; & item fructus sint pretio æstimabiles, eadem est omnium ratio. ¶Sed contra hanc conclusionem est argumentum. Qui mutuat pecuniam, vt vltra sortem aliquid accipiat est vsurarius: ergo & qui emit census. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur, quia vbicunque idem sequitur effectus, cum tantum liceat vnus, quantum & alter, & vterque falso capitali.

Argumentum contra secundã cõclusionem.

Respõsio. Respondetur tamen, negando consequentiam. Non enim est eadem vtriusque ratio. Nam in mutuante est facultas exigendi pecuniam, quam mutuauit: mutuatariusque tenetur eam reddere. Cæterum in censuum venditione non est talis facultas, vt infra dicemus; sed suis pecunijs emit ius petendi tantum certam quantitatem singulis annis. Præterquam quod, si argumentum factum aliquid valeret, eodem probaretur concubitum coniugalem esse illicitum; quia habet eundem effectum, quem vagus concubitus, nempe prolis susceptionem: quod tamẽ nullus dixit. Et sic nulla est illa consequentia propter rationem iam dictam.

3. Cõclusio ¶Tertia conclusio: Vnusquisque potest licitè emere census personales. Probatur: Vnusquisque potest seipsum obligare ad reddendam alicui certam pecuniæ quantitatẽ, iuxtaque illam petendi gratis donare: ergo & poterit illud ius vendere cum sit pretio æstimabile. Et confirmatur: Stando in lege naturæ, & in lege veteri, vt patet Leuitic. 25. vnusquisque persona potest seipsum vendere, & in seruitutem tradere: ergo & aliquã pensionem supra seipsum constituere. Tandem probatur conclusio: opera mercenarij sunt digna pretio: ergo poterit mercenarius illa vendere, & ex consequenti supra seipsum censum constituere. Quod & confirmatur ex vsu. Nam sæpè sæpiùs census constituit videmus supra aliquem populum, ità, vt singuli maneant obligati, qui sunt census personales.

4. Cõclusio. ¶Sed dubitabis aliquis hoc loco, vtrùm liceat emere census obligando venditorem, vt eodem post certum tempus, vel pro eodem, vel pro minori pretio redimat. In quo sit quarta conclusio: Non licet obligare vẽditorem, vt censum redimat. Probatur: In tali contractu intercedit mutuum cum lucro: ergo est vsurarius. Et quidem quod lucrum sit certum, patet: Nam recipiet vnum pro quatuordecim. Quod verò sit mutuũ, probatur: Tunc dicitur aliquis alteri mutuum dare cum dat ei rem repetendam tempore, quo voluerit: sed in casu posito id inuenitur: ergo est mutuum. Denique hæc conclusio est diffusè in extrauagantibus allegatis, & habet verum, siue pactum redimendi censum sit explicitum, vel implicitũ.

5. Cõclusio. ¶Quinta conclusio: Licitum est census emere cum pacto de retrouendendo, dicta tamẽ, quod potestas redimendi non resideat apud emptorem; sed apud venditorem. Hæc conclusio habetur expressè in eisdem extrauagantibus. Et probatur: Nam licet tale pactum intercedat, adhuc ille contractus est vera emptio, & non mutuatio: ergo est licitus. Conse-

quentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quentia est nota, & antecedens probatur: Emptor non reseruat penes se ius cogendi venditorem, vt redimat: ergo nulla sit illi iniuria. Et confirmatur. Hoc est emere census redimibiles: sed isti sunt liciti, vt supra diximus communiter de omnibus censibus: ergo. Sexta conclusio: Licitum est emere censum cum pacto, vt ante certum tempus redimi non possit, & etiam cũ pacto, vt post certum tempus redimi non possit: sed, quod maneat census perpetuus. Probatur: Vnicuique licet censum perpetuum emere, in quo facultas redimendi perpetuo auferetur: ergo eadem ratione licebit emere sub ea lege, vt non nisi post certum tempus redimatur. Et confirmatur: Illa facultas redimendi censum, est pretio æstimabilis: ergo, si iustum pretium detur pro illa potest magis, aut minus auferri ab ipso venditore. Nõnulli existimant nostram conclusionem esse falsam, & contrariam Extrauagantibus citatis. Sed procul dubio est vera eo modo, quo à nobis est explicata. Quam & tenet Soto libr. 6. de iustitia. quæst. 5. artic. 3. Vltima conclusio: Licitum est emere census, ea conditione, vt non per partes, sed totum simul redimatur. Probatur: Apposita tali conditione, adhuc illa est vera emptio, & venditio: ergo est licita, si iustum pretium tribuatur. Et cõfirmatur: Nam ex opposita sententia sequeretur, quod venditor posset singulis annis singulos ducatos redimere, quod redundaret in maximum damnum emptoris. Sed cõtra istam conclusionem est argumentum: Nam in extrauagãtibus citatis dicitur, quod venditor posit per partes census redimere. Respondetur tamen, quod quamuis id dicatur, non tamen excluditur facultas contrarium faciendi. Imò nec esset excludẽda, quia ex ea sequeretur maximum nocumentum emptori, si singulis annis cogeretur singulos ducatos recipere in redemptionem census, vt diximus. De pœnis, quibus vsurarij puniuntur in iure, agit latè Couar. lib. 3. Varia. cap. 3. nu. 1. 2. & 3. Nauarro cap. 17. num. 279. & Syluest. verbo. vsura. 9. Videte ibi.

QVÆSTIO. LXXIX.

De partibus integralibus iustitiæ, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

Pſalm. 33. Et Pſa. 36. Eſai. 1. Amos. 5. 1. Pet. 3.

¶ Vtrùm declinare à malo & facere bonum sint partes iustitiæ.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod declinare à malo, & facere bonum, non sint partes iustitiæ. Ad quamlibet enim virtutem pertinet facere bonum opus, & malum vitare. Sed partes non excedunt totum: ergo declinare à malo & facere bonum, non debent poni partes iustitiæ, quę est quędam virtus specialis.

2 ¶ Præterea, Super illud * Psalm. 33. Diuerte à malo & fac bonum, dicit glo. illud vitat culpam, scilicet, diuertere à malo, hoc meretur vitam & palmam, scilicet, facere bonum. Sed quælibet pars virtutis meretur palmam & vitã: ergo declinare à malo non est pars iustitiæ. *Est Cassian. super illud locum. Tit.* 33.

3 ¶ Præterea, Quæcunque ita se habent quòd vnum includitur in alio, nõ distinguuntur ab inuicem, sicut partes alicuius totius. Sed declinare à malo includitur in hoc quod est facere bonũ. Nullus enim simul facit bonum, & malum: ergo declinare à malo & facere bonum non sunt partes iustitiæ.

¶ SED CONTRA est, quòd Aug. * in lib. de correctione & gratia ponit ad iustitiam legis pertinere, declinare à malo & facere bonum. *Ca. 1. citra med. in 7.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd si loquamur de bono & malo in communi, facere bonum & vitare malum pertinet ad omnem virtutem, & secundum hoc non possunt poni partes iustitiæ, nisi forte iustitia accipiatur prout est omnis virtus. Quamuis etiam iustitia hoc modo accepta respiciat quandam rationem boni specialem, prout, scilicet, est debitum in ordine ad legẽ diuinam, vel humanam. Sed iustitia secundum quòd est specialis virtus, respicit bonum sub ratione debiti ad proximum. Et secundum hoc ad iustitiam specialem pertinet facere bonum sub ratione debiti in comparatione ad proximum, & vitare malum oppositum, scilicet, quod est nociuum proximo. Ad iustitiam vero generalem pertinet facere bonum debitum in ordine ad communitatem, vel ad Deum, vel vitare malum oppositum. Dicuntur autem hæc duo partes iustitiæ generalis, vel specialis quasi integrales: quia vtrunque eorum requiritur ad perfectum actum iustitiæ.

¶ Ad iustitiam enim pertinet æqualitatem constituere in his quæ sunt ad alterum, vt ex supra dictis * patet. Eiusdẽ autem est constituere aliquid, & constitutum conseruare in his, quæ sunt ad alterum. Constituit autem quis æqualitatem iustitiæ faciendo bonum, id est, reddendo alteri quod ei debetur. Conseruat autem æqualitatem iustitiæ iam constituræ declinando à malo, id est nullum nocumentum proximo inferendo. *Quæſt. 58. art. 2.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd bonum & malum hic accipiuntur sub quadam speciali ratione, per quam appropriantur iustitiæ. Ideo tamen hæc duo ponuntur partes iustitię, secundum aliquam propriam rationẽ boni & mali: non autem alicuius alterius virtutis moralis: quia aliæ virtutes morales consistunt circa passiones: in quibus bonum facere, est venire ad medium: quod est declinare ab extremis quasi à malis. Et sic in idem redit quãtum ad alias virtutes facere bonum & declinare à malo. Sed iustitia consistit circa operationes & res exteriores in quibus aliud est facere æqualitatem, & aliud est factam non corrumpere.

¶ Ad secundum dicendum, quòd declinare à malo, secundum quod ponitur pars iustitiæ, non importat negationem puram, quod est non facere malum. Hoc enim non meretur palmam sed solum vitat pœnam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum: vt ipsum nomẽ declinationis ostẽdit. Et hoc est meritoriũ: præcipue quãdo aliquis impugnatur vt malũ faciat, & resistit.

¶ Ad tertium dicendum, quòd facere bonũ est actus completius iustitię, & quasi pars principalis eius. Declinare autem à malo est actus imperfectior & secundaria pars eius. Et ideò est quasi pars materialis, sine qua nõ potest esse pars formalis completiua.

SVMMA TEXTVS.

SVppositio, quod facere bonum, & declinare à malo possunt accipi dupliciter, vno modo generaliter, secundum communem rationem boni & mali; alio modo particulariter, secundum peculiarem rationem debiti, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Si declinare à malo, & facere bonum accipiantur secundum generalem rationem; sic non sunt partes integrales iustitiæ: sed in omni virtute reperiũtur, nisi forte iustitia accipiatur prout dicit omnem virtutem. Probatur: Nam ad omnem virtutem spectat declinare à malo, & facere bonum in sua propria materia. Secunda conclusio: Si declinare à malo, & facere bonum accipiantur secundum peculiarem rationem debiti: sic sunt partes integrales iustitiæ. Sed quoniam iustitia, vt diximus supra, est duplex; vna particularis, quæ respicit bonum in ordine ad proximum: altera legalis, quæ respicit bonum in ordine ad communitatem: si declinare à malo, & facere bonum secundum rationem debiti fiant in ordine ad proximum, pertinent ad iustitiam particularem. Si autem fiant in ordine ad communitatem pertinent ad iustitiam legalem, & dicuntur partes integrales iustitiæ; quia vtraque illarum requiritur ad perfectum actum iustitiæ, quæ constituit æqualitatem ad alterum, faciendo bonum, & conseruat nullum nocumentum inferendo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Iustitia accipitur late & propriè.

PRo intelligentia huius articuli meminisse oportebit, ex dictis supra quæstio. 57. artic. 1. quod iustitia aliquando accipitur large pro quacunque virtute. In qua significatione viri boni in sacris literis iusti appellantur. Aliquando autem accipitur propriè, pro speciali virtute, quæ est ad alterũ. Nam si loquamur de iustitia primo modo, sic declinare à malo, & facere bonum, etiam secundum generalem rationẽ, poterunt dici partes iustitiæ, quatenus ad omnem virtutem spectat, declinare à malo, & facere bonum in sua propria materia. Et hoc affirmat D. Thom. in prima conclusione. Cæterum, quoniam hæc acceptio iustitiæ est impropria, idcirco absolutè dicit hoc modo declinare à malo, & facere bonum, non esse partes integrales iustitiæ. De iustitia autem propriè dicta, quæ est ad alterum siue legalis sit, quæ respicit bonum commune, siue particularis, quæ respicit proximum (vtraque enim est propriè iustitia, vt latè ostendimus supra. quæst. 58. articul. 5.) affirmat in secunda conclusione, quod declinare à malo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

lo, & facere bonum, non, vtcunque, sed secundum rationem debiti, sunt partes integrales iustitiæ siue legalis, siue particularis, pro ratione boni, ad quod illa ordinantur. Nam ad iustitiam particularem pertinet facere bonum sub ratione debiti in comparatione ad proximum, & vitare malum oppositum, scilicet, quòd est nociuum proximo. Et ad iustitiam generalem spectat facere bonum debitum in ordine, ad communitatē, vel ad Deum, & vitare malum oppositum. Dicuntur autem hæc duo partes integrales iustitiæ: quia vtrumque eorum, scilicet, & constituere æqualitatem ad alterum, quod est facere bonum, & conseruare eandem, nullum nocumentum inferendo, quod est declinare à malo, requiritur ad perfectum actum iustitiæ. Et si quis quærat, vtrùm declinare à malo, & facere bonum, secundum aliquam propriam rationem boni, & mali, ponantur partes iustitiæ, & tamen non ponantur partes aliarum virtutum, puta, fortitudinis, aut temperantiæ secundum alias speciales rationes boni; Respondet D. Thom. in solutione ad primum affirmatiuè. Et ratio lius est: Nam aliæ virtutes morales versantur circa passiones, in quibus bonum facere est venire ad medium, quod est declinare ab extremis, quasi à malis. Atque adeò in idem redit, quantum ad alias virtutes facere bonum, & declinare à malo. Quare non possunt poni partes integrales illarum. At verò iustitia versatur circa operationes, & res exteriores, in quibus aliud est, facere æqualitatem, quod est facere bonum; & factam non corrumpere, quod est declinare à malo. ¶Sed contra hoc est argumentum: In ipsa iustitia etiam redit in idem vtrumque: nam idem est, æqualitatem facere, & ab inæquali declinare: non minus quam ab extremis ad medium venire: ergo quantum ad hoc nullum est discrimen inter iustitiam, & alias virtutes. Et confirmatur: Sicut aliud est æqualitatem facere, & aliud factam non corrumpere; ità etiam aliud est inter passiones medium constituere; & aliud constitutum medium non corrumpere; ergo vtrobique est eadem ratio. Pro huius argumenti solutione, aduertendum est ex Caietano in præsenti, inter æqualitatem, circa quam versatur iustitia; & medium, circa quod versantur aliæ virtutes morales, hoc esse discrimen, scilicet, quod æqualitas est in rebus ipsis, medium autem est intus in animis nostris. Propter quod diximus supra agentes de iustitia, quod medium iustitiæ est medium rei; & medium aliarum virtutum est mediū rationis. Ex quo fit, vt constituto à me medio per alias virtutes, nullus alius possit illud corrumpere. Nullus enim potest me inuitum, ex temperato facere intemperatum. At verò constituta à me æqualitate per iustitiam, potest alius, me inuito, illam corrūpere. Quando enim iussi agrum suum reddendum Ioanni, & alter iubet eundem agrū ab eo auferri, corrumpit ille æqualitatem, quam ego feci. Et ex hoc discrimine intenta ad propositum differentia clara habetur, scilicet, quod in alijs virtutibus facere medium, & non corrumpere illud, est idem sicut illuminatio continua. At verò in iustitia facere æqualitatem, & non corrumpere illam, sunt diuersa, quia æqualitas facta in rebus nō conseruatur ex meo facere: sicut nec dependet à me; sed potest à multis alijs corrumpi. Quia ergo aliud est facere æqualitatem, & aliud corrumpere æqualitatem factam, à se vel ab alio, & hoc non habet locum in alijs virtutibus, ideò facere bonum & declinare à malo, quæ hæc important, assignantur specialiter partes integrales iustitiæ, & non aliarum virtutum. Et per hæc patet solutio ad argumenta. Aliam explicationem satis obscuram subijcit Caietanus in isto commento. Sed quæ à nobis posita est, sufficit, vt ad graviora properemus.

Quæstio.

Responsio.

Argumen.

Responsio.

¶In solutione ad secundum argumentum dicit D. Thom, quod declinare à malo secundum quod ponitur pars iustitiæ, non importat puram negationem, quæ est non facere malum; sed importat motum voluntatis repudiantis malum. Nam declinare à malo, de quo in præsenti est sermo, est meritorium, contingitque præcipuè, quando aliquis impugnatur, vt malū faciat, & resistit. At verò declinare à malo, secundum quod dicit puram negationem, non est meritoriū, sed solum vitat pœnam. Nonnulli affirmāt, puram omissionem peccati sine aliquo actu interiori, vt non furari, esse meritoriam. Sed proculdubio contraria sententia est vera, quam tenet D. Thom. hic, & in. 1. 2. quæst. 71. artic. 5. ad primum. Vbi est proprius locus huius disputationis. Et ratio est manifesta: Nam si actus positiuus non est meritorius, nisi vel formaliter, vel virtualiter referatur in Deum, vt communiter dicunt Doctores, qua ratione fieri poterit, vt pura omissio, quę non est ens, nec aliqua ratione in Deum refertur, sit meritoria; Et vel maximè, quod aliàs sequeretur acquirere hominem infinita merita, sine intentione, & sine aliquo actu bono; quod nullo modo est dicendum. De hac re videndus est Diu. Thom. 1. 2. quæstione. 114. articulo quarto, vbi de requisitis ad meritum copiose disputat. Videnda sunt etiam dicta à nobis in. 1. tomo. q. 2. artic. 9.

Nota circa solutionem ad 2. Dn. Thom.

ARTICVLVS II.

¶*Vtrum transgressio sit speciale peccatum.*

Inf. art. 3. ad tertium & ar. 4. ad 3.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod transgressio non sit speciale peccatū. Nulla enim species ponitur in diffinitione generis. Sed transgressio ponitur in cōmuni diffinitione peccati. Dicit enim

Lib. de Paradiso c. 8. parū ante med. to. 4.

* Ambro. quod peccatū est transgressio legis diuinæ: ergo transgressio non est species peccati.

2 ¶Præterea, Nulla species excedit suum genus. Sed transgressio excedit peccatum, quia peccatum est dictum, vel Factum, vel concupitum contra legem Dei, vt patet per

Li. 22. ca. 27. inprin. to. 6.

* August. 22. contra Faustum: transgressio autem est etiā contra naturam, vel consuetudinem: ergo transgressio non est species peccati.

3 ¶Præterea, Nulla species continet sub se omnes partes, in quas diuiditur genus. Sed peccatum transgressionis se extendit ad omnia vitia capitalia, & etiam ad peccata cordis, oris & operis: ergo transgressio non est speciale peccatum.

¶SED CONTRA est, quia opponitur speciali virtuti scilicet iustitiæ.

¶RESPONDEO dicendum, quod nomen transgressionis à corporalibus motibus ad morales actus deriuatum est. Dicitur autem aliquis secundū corporalem motum trāsgredi, ex eo quod graditur trans terminum sibi præfixum. Terminus autem præfigitur homini, vt vitra non tranſeat in moralibus per præceptum negatiuum. Et ideo transgressio proprie dicitur ex eo quod aliquis agit aliquid contra præceptum negatiuum. Quod quidem materialiter potest esse commune in omnibus speciebus peccatorum, quia per quamlibet speciem peccati mortalis homo transgreditur aliquod præceptum diuinum. Sed accipitur formaliter, scilicet, secundum hanc specialem rationem, quod est facere contra præceptum negatiuum, sic est speciale peccatum duplicitèr. Vno quidē modo secundum quod opponitur ad genera peccatorum oppositā aliis virtutibus. Sicut enim ad propriam rationem iustitiæ legalis pertinet attendere debitum præcepti, ita ad propriam rationem transgressionis pertinet attendere contemptum præcepti. Alio modo secundum quod distinguitur ab omissione quę contrariatur præcepto affirmatiuo.

¶AD PRIMVM ergo dicendū, quod sicut iustitia legalis est omnis virt⁹ subiecto & quasi materialiter: ita etiam iniustitia legalis est materialiter omne peccatum. Et hoc modo peccatum diffinit * Ambro. secundum scilicet rationem iniustitiæ legalis.

Lococitato in argu.

¶Ad secundum dicendum, quod inclinatio naturæ pertinet ad præcepta legis naturalis: cōsuetudo etiam honesta habet vim præcepti, quia vt Augustin. * dicit in epistola de seiunio sabbathi: Mos populi Dei pro lege habendus est. Et ideo tam peccatum quam trāsgressio potest esse contra consuetudinem honestam & contra inclinationē naturalem.

Epist. 86. ad Casula. non longe à prin. to. 2. Et habetur 11. dist. ca. In his reb⁹

¶Ad tertium dicendum, quod omnes enumeratæ species peccatorum possunt habere transgressionem nō secundum proprias rationes, sed secundū quandam specialem rationem, vt dictū est. Peccatum autem omissionis omnino à transgressione distinguitur.

In cor. art.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito quod nomen transgressionis à motibus corporalibus, ad morales actus deriuatum est, ex quo fit, vt quēadmodum dicitur aliquis transgressor secundum corporalem motum pinquantum graditur trans terminum sibi præfixum; ità etiā dicitur transgressor, in actibus moralibus, qui præfixum sibi terminum tranſit, terminus autem homini præfixus in præceptis negatiuis continetur, atque etiam supposito, quod de transgressione possimus loqui duplicitèr, scilicet, materialiter, atque formaliter, respondet Diu. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio:

Universidad de Deusto
Biblioteca

conclusio: Loquendo de transgressione materialiter sic non est speciale peccatum, sed in omnibus inuenitur, inquantum per quálibet speciem peccati mortalis, homo transgreditur aliquod præceptum diuinum. Secunda conclusio: Loquendo de transgressione formaliter, sic est speciale peccatum oppositum iustitiæ legali, cuius est attendere debitum præcepti.

Explicatur litera Di. Thom.

EXPLICATIO ARTICVLI.

LIcera huius articuli satis obscurè ponitur à D. Tho. Vt tamen eius mens intelligatur, aduertendum est, quod transgressio formaliter nihil aliud est, quam actus positiuus, quo quis vult non seruare legem, estq; directè cõtrarius actui voluntatis, quo quis vult seruare legem. Et quia hic actus est iustitiæ legalis extendens se ad opera omnium virtutum, inquantum vult quis non solũ facere illa opera virtutum absolutè, sed etiã vult ea facere, quia præcepta à lege diuina, vel naturali, vel humana; idcirco actus cõtrarius, scilicet, velle non seruare legem, est actus iniustitiæ generalis seu legalis. Et extẽdere se quoque potest ad omnia opera vitiorum, pro quanto potest quis non solum peccata committere absolutè, sed etiam cõmittere illa in odium legis. Sicque transgressio est vna species peccati distincta ab alijs: sicut & iniustitia legalis distinguitur ab intemperantia. Et hoc est, quod voluit significare D. Thom. in corpore articuli quando dicit, transgressionem formaliter, secundum quod opponitur ad genera peccatorum oppositi alijs virtutibus, esse speciale peccatũ. Et quia velle contrariatur præcepto, quo præcipitur, vt non velimus, idcirco etiã transgressio, quæ consistit in velle, dicitur propriè esse contra præceptum negatiuum. Ex dictis infertur, quod transgressio ex sua ratione formali seu morali qua in specie iniustitiæ legalis constituitur comparatur ad cætera vitia, vt forma ad materiam. Nõ enim potest illa existere, nisi supra alijs vitijs fundata. Cum non possit quis velle transgredi legem, nisi faciendo aliquid, quod sit contra illam. Et ideo dicit D. Tho. in conclusionibus, quod transgressio materialiter non est speciale peccatum, bene tamen formaliter, ad modum iam explicatũ. Et quia transgressio in sua ratione formali includit actum positiuum, qui est velle facere contra legem, tutius fit, vt omnino sit opposita omissioni, quæ solum dicit negationem actus, tanquã positiuum negatiuo. Et propterea affirmat idem D. Thom. in fine articuli, quod transgressio inquantum opponitur omissioni, quæ est contra præceptum affirmatiuum est speciale peccatum. Non obstante, quod si loquamur materialiter de trãsgressione possit etiam omissio dici transgressio, inquantum per omissionem transgreditur quis præcepta, quæ adimplere tenetur. Sicque omissio erit materia transgressionis formaliter dictæ: sicut & quodcunque aliud peccatũ. Sed est aduertendum, quod peccatum omissionis potest accipi dupliciter. Vno modo secundum se. Et sic eum nullũ includat actũ, vt optimè docet D. Thom. 1.2. q. 71. art. 5. fieri non poterit, vt sit transgressionis materia. Implicat enim, vt id, quod sine omni actu est, sit materia transgressionis quæ est actus. Alio modo secundum suam causam. Et sic potest omissio esse materia transgressionis, sicut & quodcunque aliud peccatum. Vt si velit quis non seruare præcepta affirmatiua in odium legis.

Peccatum omissionis accipitur dupliciter.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrum omissio sit speciale peccatum.

AD TERTIVM sic proceditur. Videt quod omissio nõ sit speciale peccatum. Omne enim peccatum, aut est originale aut actuale. Sed omissio non est originale peccatum, quia non cõtrahitur per originem, nec est actuale, quia potest esse absque omni actu, vt supra * habitum est, cùm de peccatis in communi ageretur: ergo omissio non est speciale peccatum. 1.2.q.71. art.3.

2 ¶ Præterea, Omne peccatum est voluntarium. Sed omissio quandoque non est voluntaria, sed necessaria: puta cum mulier corrupta est quæ virginitatem vouit, vel cùm aliquis amisit rẽ quam restituere tenetur, vel cùm sacerdos tenetur celebrare, & habet aliquod impedimentum: ergo omissio nõ semper est peccatum.

3 ¶ Præterea, Cuilibet speciali peccato est determinare aliquod tẽpus, quando incipit esse. Sed hoc non est determinare in omissione, quia quandocunque non facit, similiter se habet, nec tamen semper peccat: ergo omissio non est speciale peccatum.

4 ¶ Præterea, Omne peccatum speciale speciali virtuti opponitur. Sed non est dare aliquam specialem virtutẽ, cui omissio opponatur, tum quia bonum cuiuslibet virtutis omitti potest: tũ quia iustitia, cui specialius videtur opponi, semper requirit aliquem actum, etiã in declinatione à malo, vt dictũ * est, omissio autem potest esse absq; omni actu: ergo omissio non est speciale peccatum. *ar. 1. ad. 2.*

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Iac. 4. Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd omissio importat prætermissionem boni. Non autem cuiuscunque, sed boni debiti. Bonum autem sub ratione debiti pertinet proprie ad iustitiam. Ad legalem quidem, si debitum accipiatur in ordine ad legem diuinam, vel humanam. Ad specialem autem iustitiam secundum quod debitum consideratur in ordine ad proximum. Vnde eo modo, quo iustitia est specialis virtus, vt supra * habitũ est, & omissio est speciale peccatũ distinctũ à peccatis quæ opponuntur alijs virtutibus: Eo vero modo quo facere bonũ, cui opponitur omissio, est quædam specialis pars iustitiæ distincta a declinatione mali cui opponitur transgressio, etiam omissio à transgressione distinguitur. *q.58. a.6. 7. & 8.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quod omissio nõ est peccatum originale, sed actuale, non quia habet aliquem actum sibi essentialem, sed secundum quòd negatio actus reducitur ad genus actus. Et secundum hoc non agere accipitur, vt agere quoddam, sicut supra dictum est. *1.2.q.71. ar.6.ad.1.*

In cor. art.

¶ Ad secundum dicendum, quòd omissio, sicut dictũ * est, non est nisi boni debiti ad quod aliquis tenetur: Nullus autẽ tenetur ad impossibile: Vnde nullus si non facit id quod facere non potest, peccat per omissionem. Mulier ergo corrupta quæ virginitatem vouit, nõ omittit virginitatem non habẽdo, sed non pœnitendo de peccato præterito, vel non faciendo quod potest ad votum adimplendum per continentiæ obseruantiam. Sacerdos etiam non tenetur dicere missam, nisi suppositis debita opportunitate, quæ si desit, nõ omittit

Et similiter aliquis tenetur ad restitutionẽ supposita facultate, quam si non habet, nec habere potest, non omittit, dũmodo faciat quod potest. Et idem dicendum est in alijs.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut peccatũ transgressionis opponitur præceptis negatiuis, quæ pertinent ad declinandum à malo, ita peccatum omissionis opponitur præceptis affirmatiuis, quæ pertinẽt ad faciendũ bonũ. Præcepta autẽ affirmatiua nõ obligãt ad semper, sed ad tempus determinatũ, & pro illo tempore peccatum omissionis incipit esse. Potest tamen cõtingere quòd aliquis tunc sit impotens ad faciendum quod oportet. Quod quidem si sit præter eius culpam, non omittit quod debet, vt dictum * est. Si vero sit propter eius culpam præcedentem, puta, si aliquis de sero se inebriauerit, & non potest surgere ad matutinas, vt debet, dicunt quidam quòd tũc incepit peccatũ omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum & incompossibilem cum illo actu ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum, quia dato quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Vnde patet quod præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Vnde dicendum est, quòd omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria. *In solut. ad arg. præce. Er. 1.2.q. 71.ar.5.*

¶ Ad quartum dicendũ, quòd omissio directè opponitur iustitiæ, vt dictũ * est. Non enim est omissio boni alicuius virtutis, nisi sub ratione debiti quod pertinet ad iustitiam. Plus autem requiritur ad actũ virtutis meritorium, quàm ad demeritum culpæ, quia bonũ est ex integra causa, malum autẽ ex singularibus defectibus. Et ideo ad iustitiæ meritum requiritur actus, non autẽ ad omissionem. *In corp. ar.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio: Omissio est speciale peccatũ distinctũ à peccatis, quæ opponuntur alijs virtutibus. Probatur. Omissio

Universidad de Deusto
Biblioteca

sio importat prætermissionẽ boni,nõ cuiuscumque, sed debiti:sed bonum sub ratione debiti,pertinet ad iustitiã,vel legalẽ,si debitum accipiatur in ordine ad legẽ diuinã,aut humanam,vel particularẽ,si debitũ cõsideretur in ordine ad proximum: ergo sicut iustitia est specialis virtus,vt dictũ est supra.q. 58.ar.6.7.&.8. ità etiã omissio erit speciale peccatum distinctum ab illis,quæ opponuntur alijs virtutibus. Ex quo fit,vt sicut facere bonum cui opponitur omissio,est specialis pars iustitiæ,distincta à declinatione mali,cui opponitur transgressio, ità etiã omissio distinguitur à transgressione.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius articuli,& sequẽtis lõga opus esset disputatione de omissione,& eius natura. Sed, quia hæc propriè pertinet ad primã secundæ,cõsulto à me prætermittitur. Et pro nunc solũ dico,quod sicut transgressio accipitur dupliciter,scilicet, materialiter,& formaliter;& solũ formaliter accepta constituit speciale peccatũ iniustitiæ distinctũ ab alijs,quæ reliquis virtutibus opponũtur: ità etiam omissio potest accipi,& materialiter,& formaliter. Omissio formaliter accepta importat non agere debitum, ità,vt ipsa ratio debiti formaliter cadat in ratione formali omissionis. Quod contingit quãdo quis vult aliquid omittere,quia debitũ. Et sub hac ratione, est speciale peccatũ iniustitiæ,vel legalis,si debitũ accipiatur in ordine ad legẽ,vel particularis,si debitũ cõsideretur in ordine ad proximũ. Ratio enim debiti ad solã iustitiã spectat inter alias virtutes,vt.1.2.q.99.ar.5.ad primũ docet D.Tho. Omissio autẽ materialiter accepta solũ importat nõ agere id quod est debitũ, ipsa ratione debiti nõ intrãte rationẽ formalẽ omissionis. Et vt sic,omissio non est speciale peccatum,sed inuenitur in qualibet specie virtutis,pro quanto quodlibet bonum virtutis omitti potest. Itaq; omittẽs,verbi gratia,comedere quantum oportet,quatenus actũ tẽperãtiæ,qui est debitus nõ facit,omittit materialiter,& quatenus eundem,vt debitũ secundũ naturæ,vel Dei legẽ nõ facit,omittit formaliter. Estq; iste actus tunc formaliter oppositus iustitiæ, & distinctus à transgressione, de qua dictum fuit articulo præcedenti. Sicut & facere bonum debitum, cui opponitur omissio, distinguitur à declinare à malo, cui opponitur transgressio. Ex dictis infertur, quod omissio formaliter accepta dupliciter potest dici speciale peccatum. Vno modo,vt peccata iniustitiæ dicuntur specialia peccata ab illis, quæ fiunt contra temperantiam,aut fortitudinẽ. Alio modo intra latitudinem iniustitiæ. Sicut enim facere bonum, & declinare à malo, sunt diuersi actus iustitiæ: ità etiam omittere quod opponitur ad facere,& transgredi, quod opponitur ad declinare inter se; sunt diuersa peccata specialia sub iniustitia contenta. Et hoc est,quod D.Tho.in isto articulo intendit docere.

Omissio accipitur formaliter & materialiter.

ARTICVLVS. IIII.

¶Vtrùm peccatũ omissionis sit grauius,quàm peccatum transgressionis.

AD QVARTVM sic procedi- *Mal.q.7. artic.3.ad quartũ & 4.Sen.*
tur. Videtur,quòd peccatũ omissionis sit grauius, quàm peccatũ transgressionis. Delictum enim videtur idem esse quod derelictum, & sic per consequens videtur idem esse omissioni. Sed delictum est grauius quàm peccatum transgressionis, quia maiori expiatione indigebat, vt patet Leuit.5. ergo peccatum omissionis est grauius quàm peccatum transgressionis.

2 ¶Præterea, Maiori bono maius malum opponitur,vt patet per Philosoph. in 8.Ethic.* Sed facere bonum,cui opponitur omissio,est nobilior pars iustitiæ quàm declinare à malo,cui opponitur transgressio,vt ex supra dictis* patet: ergo omissio est grauius peccatum quàm transgressio. *Li.8.c.10. circa prin. ar.1.ad.3.*

3 ¶Præterea, Peccatum transgressionis potest esse & veniale & mortale. Sed peccatum omissionis videtur esse semper mortale, quia opponitur præcepto affirmatiuo: ergo omissio videtur esse grauius peccatum quàm sit transgressio.

4 ¶Præterea, Maior pœna est pœna damni,scilicet carentia visionis diuinę, quæ debetur peccato omissionis,quàm pœna sensus,quæ debetur peccato transgressionis,vt patet per * Chrysо. super Matth. Sed pœna proportionatur culpæ: ergo grauius est peccatum omissionis quam transgressionis. *Homil.19. Hom.47. ad pop. Antioch.circa fin.*

¶SED CONTRA est, quod facilius est abstinere à malo faciendo,quàm implere bonum: ergo grauius peccat,qui non abstinet à malo faciendo, quod est transgredi,quàm qui non implet bonum,quod est omittere.

¶RESPONDEO dicendum, quòd peccatum intantum est graue,inquantum à virtute distat. Contrarietas autẽ est maxima distantia,vt dicitur in.10. Metaphys. Vnde contrarium magis distat à suo contrario, quàm simplex eius negatio, sicut nigrũ plus distat ab albo, quàm simpliciter nõ albũ. Omne enim nigrum est non albũ,sed non conuertitur. Manifestũ est autẽ quòd transgressio contrariatur actui virtutis, omissio autem importat negationem ipsius. Puta,peccatum omissionis est,si quis debitam reuerentiam parentibus non exhibeat. Peccatum autem transgressionis, si contumeliam,vel quamcunq, iniuriã eis inferat. Vnde manifestum est,quod simpliciter & absolutè loquendo, trãsgressio est grauius peccatum quã omissio,licet aliqua omissio possit esse grauior aliqua transgressione. *Lib.10.tc. 13.& 14. tc.3.*

¶AD PRIMVM ergo dicendũ quòd delictum communiter sumptum significat quamcunq, omissionem. Quãdoque tamẽ stricte accipitur pro eo quod omittitur aliquid de his quæ pertinent ad Deum, vel quando scienter & quasi cum quodam contemptu derelinquit homo id quod facere debet. Et sic habet quandam grauitatem,ratione cuius maiori expiatione indiget.

¶Ad secundum dicendum, quòd ei quod est bonũ facere opponitur, & non facere bonum, quod est omittere, & facere malum, quod est transgredi. Sed primum contradictoriè, secundũ contrariè,quod importat maiorem distantiam. Et ideo trãsgressio est grauius peccatum.

¶Ad tertium dicendum, quòd sicut omissio opponitur præceptis affirmatiuis, ita trãsgressio opponitur præceptis negatiuis. Et ideo vtrumque si propriè accipiatur, importat rationem peccati mortalis. Potest autem largè dici transgressio vel omissio,ex eo quòd aliquid fit præter præcepta affirmatiua, vel negatiua,disponens ad oppositũ ipsorum. Et sic vtrumque largè accipiẽdo potest esse peccatum veniale.

¶Ad quartum dicendũ, quod peccato transgressionis respõder & pœna dãni propter auersionem à Deo, & pœna sensus propter inordinatã cõuersionẽ ad bonum commutabile. Similiter etiã omissioni non solũ debetur pœna dãni,sed etiam pœna sensus,secundum illud Matth.7. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur,& in ignem mittetur. Et hoc propter radicem, ex qua procedit,licet non habeat ex necessitate actualem cõuersionem ad aliquod bonum commutabile.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio: Trãsgressio, simpliciter & absolutè loquendo,est grauius peccatũ quã omissio, licet aliqua omissio possit esse grauior aliqua transgressione. Probatur: Peccatum intantũ est grauius, inquantũ magis à virtute distat,sed contrarium magis distat à suo contrario,quam simplex eius negatio,nigrũ enim magis distat ab albo, quã simpliciter non album, cum omne nigrũ sit non album & non econtra; ergo transgressio,quæ contrariatur actui virtutis, magis distat ab illa,quã omissio,quæ solum importat negationẽ ipsius. Et sic non exhibere parentibus debitam reuerentiã,quod est omissio,non est tãtæ grauitatis peccatũ, sicut contumeliam, vel quamcunque aliam iniuriam eis inferre,quod est transgressio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusio posita à D.Tho.in isto articulo in eo fundatur,quod cũ distantia cõtraria sit maior,quam cõtradictoria, & trãsgressio opponatur virtuti contrariè, omissio autem solum contradictoriè,hi, vt trãsgressio magis differt à virtute, atq; adeò sit grauius peccatũ,quã omissio,cæteris paribꝰ. Cæterũ, quoniã illud fundamentũ maximã continet difficultatẽ; idcirco ad illius explicationem argumẽtor in hunc modũ. Maior est distãtia inter ens,& nõ ens,quã inter duo entia: sed contrariorũ vtrumq, est ens: contradictoriorũ autẽ vnũ est ens, & alterũ nõ ens: ergo maior distãtia est contradictoria, quã cõtraria; atq; ex consequenti omissio,quæ cõtradictoriè opponitur virtuti,magis distabit ab illa,quã trãsgressio,quæ opponitur cõtrariè. Secũdò: Cõtrarietas est differentia in eodem genere,vt docet Aristo.10. Metaphy. tex.13.sed maxima distantia non est in eo- *1. argumẽtum contra fundamẽtũ D.Tho.* *2. argum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem genere, quoniam magis distant, quæ sunt diuersorum generum: ergo. His tamen non obstantibus dico fundamentū D. Tho. desumptum esse ex Aristot. loco statim citato. Ad cuius intelligentiam aduertendū est primò, quod de distātia possumus loqui dupliciter. Vno modo propriè pro differentia, seu distantia positiua, quæ est inter aliqua. Alio modo communiter, secundū quod se extendit ad quācunq; non conuenientiā, qualis etiā est inter ens, & nonens. Secūdo est aduertendum, quod excessus distātiæ cōsiderari potest, vel absolute, vel proportionabiliter. Absolute quidem dicitur esse maxima distātia inter ea, quę secundū suā essentiā maximè distant, vt Deus & creatura, substantia & accidens, actus purus, & puta potentia. Proportionabiliter autem tantū dicitur esse maxima distantia inter illa, quę sunt ad inuicē cōparabilia. Cuiusmodi sunt, quæ sunt eiusdē generis, vt cōtraria. Nā quæ sunt diuersorum generum ad inuicem comparari non possunt, vt docet Aristo. lib. 7. Phys. Ideo autem contraria sunt eiusdem generis, quoniam adinuicem transmutantur. Inter ea enim, quæ sunt diuersorum generum, nō est transmutatio per se. Nam non transmutatur calidum in coloratum, sed in frigidū. Propterea q; dicit Arist. 1. Phys. tex. 43. accipiendum esse primum, quod omnium, quæ sunt nihil neque facere aptum natū est, nec pati, contingens, & contingenti; neque fit quodlibet ex quolibet, nisi aliquis accipiat secundum accidens. Qualiter enim fiet album ex musico, nisi accidens sit albo. &c.

Nota pro solutione.

1. dictum. ¶His suppositis dico primò, quod quando Aristot. affirmat inter contraria esse maximā distantiam, loquitur de excessu distantiæ, non absolutè, sed proportionabiliter. Absolutè enim magis distant quantitas, & qualitas, quę in nullo genere cōueniunt, quam duæ qualitates contrariæ, quæ non solum in genere generalissimo, sed & subalterno conueniunt, vt dulce, & amarum, sub sapore. Et quidem, quod contraria sub eodem genere maximè distent, probatur ex mente Aristotel. loco citato, hoc modo: Transmutatio est inter contraria vltima: nā dato, quod sit inter media, vt inter croceū, & rubeum, vel inter medium & extremū, quod dicitur vltimum, vt inter croceum, & nigrum: adhuc tamen est progressus ad vltimum; & quando fuerit inter extrema iā non potest vlterius procedere: ergo cōtraria extrema, quæ sunt vnius generis, inter quæ est vltima transmutatio, maximè distant. Probo consequentiam: Quoniam magis distant extrema contraria adinuicem, quam media adinuicem, & quam medium, & extremum. Nec potest imaginari maior sub eodem genere, quam distantia duorum extremorum.

2. dictum. ¶Dico secundò, quod si loquamur de distantia communiter, maior distantia est inter cōtradictoria, quā inter contraria, quia minus conueniunt, vt rectè probat argumentū primū. Cæterùm si loquamur de distantia proprie (vt in præsenti est loquendū) maior distātia est inter cōtraria, quā inter cōtradictoria. Et ratio est: Quia contrariorū distantia vtrinq; quātificatur. Vtrumq; enim extremū est positiuū. & sic ponit aliquā sui distātiam. Cùm tamen in contradictorijs ex vno tantum mēbro quantitas distantiæ sit. Tantum enim distat albū à non albo, quantam entitatem ponit albū, & non plus. Ex quo fit, vt distātia contrariorū cōtineat in se distantiā contradictoriorum; & addat aliquid supra. Quod & significauit D. Tho. quando dixit. Omne nigrū est nō albū, & nōecontra. Ac si diceret: Nigrū includit distāntiā albi à non albo: quia omne nigrū est non albū. Et vltra hoc includit distātiā, quā ponit ipsum nigrū ab albo. Et si quis obijciat, quod nō albū extendit se ad omnia extra albū, quorū multa magis distant ab albo, quā nigrū, respōdeo, id nihil obstare: quia hoc est per accidens, seu materialiter: cū tamē formaliter loquēdo nō album, neq; nigrū, neq; aliud genus inferat, sed posit esse cū minori distātia positiua, puta, cum pallido, & alijs medijs coloribus. Ex dictis infertur, quod loquēdo de distātia proprie, secundū quod significat differentiā positiuam inter aliqua magis distant cōtraria, quam contradictoria. Et quia transgressio positiuè distat à virtute; omissio autē solum distat negatiuè, seu contradictorie; ideircò transgressio est grauius peccatum, quā omissio ex natura sua. Quod est intelligendū de transgressione, & omissione respectu eiusdē. Nam respectu diuersorum bene potest contingere, quod omissio sit grauius peccatū, quam aliqua transgressio, vt D. Tho. in isto articulo dicit.

QVÆSTIO. LXXX.

De partibus potentialibus iustitiæ, in duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

¶Vtrùm conuenienter assignentur virtutes iustitiæ annexæ.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter assignentur

nentur virtutes iustitiæ annexæ. Tullius enim enumerat * sex, scilicet religionē, pietatem, gratiam, vindicationē, obseruantiam, veritatem. Vindicatio autem videtur species esse commutatiuæ iustitiæ, secundum quam illatis iniurijs vindicta rependitur, vt ex supradictis * patet. Non ergo debet poni inter virtutes iustitiæ annexas.

Id. 2. de inuent. in fo. 4. ante finem lib.

Q. 61. art. 4. 3.

Li. 1. in somnium Scipion. in fol. 2. ante med. lib.

2 ¶Præterea, Macrob. * super somniū Scipio. ponit septē, scilicet, innocentiā, amicitiam, concordiā, pietatem, religionem, affectum, humanitatem, quarum plures à Tullio prætermittūtur: ergo videtur insufficienter enumeratas esse virtutes iustitiæ adiunctas.

3 ¶Præterea, A quibusdā alijs ponūtur quinque partes iustitiæ, scilicet obedientia respectu superioris, disciplina respectu inferioris, æquitas respectu æqualiū, fides & veritas respectu omniū, de quibus à Tullio * non ponitur nisi veritas: ergo videtur insufficienter enumerasse virtutes iustitiæ annexas.

Locu citato in arg. 1.

4 ¶Præterea, Andronicus Peripateticus ponit nouē partes iustitiæ annexas, scilicet liberalitatē, benignitatē, vindicatiuā, eugnomosinam, eusebiam, eucharistiam, sanctitatem, bonam commutationem, legispositiuam. Ex quibus etiam * Tullius manifestè non ponit nisi vindicatiuam: ergo videtur insufficiēter enumerasse.

Locu citato in arg. 2.

Li. 5. c. 18. to. 3.

5 ¶Præterea, Arist. in 5. Eth. * ponit epicheiam iustitiæ adiunctam, de qua in nulla præmissarum assignationū videtur mentio esse facta: ergo insufficienter sunt enumeratæ virtutes iustitiæ annexę.

¶RESPONDEO dicendum, quòd in virtutibus quæ adiunguntur alicui principali virtuti duo sunt considerāda. Primo quidem quòd virtutes illæ in aliquo cum principali virtute conueniant, secundo quòd in aliquo deficiant à perfecta ratione ipsius. Quia vero iustitia ad alterū est, vt ex supradictis

q. 58. ar. 2. * patet, omnes virtutes quæ ad alterū sunt, possunt ratione conuenienti iustitiæ annecti. Ratio vero iustitiæ cōsistit in hoc, quòd alteri reddat quod ei debetur secundum æqualitatem, vt ex supradictis * patet. Dupliciter ergo aliqua virtus ad ad alterum existens, à ratione iustitiæ deficit. Vno quidem modo inquantū deficit à ratione æqualis. Alio modo inquantū deficit à ratione debiti. Sunt enim quædā virtutes, quæ debitum quidē alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale. Et primo quidē quicquid ad homine Deo redditur, debitum est, non tamen potest esse æquale, vt scilicet tantum homo ei reddat quantum debet, secundum illud Psalm. 115. Quid retribuā Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Et secundū hoc adiungitur iustitiæ religio, quæ, vt dicit * Tullius, superioris cuiusdā est naturæ, quam diuinam vocant, curam cæremoniamque affert. Secundò parētibus non potest secundum æqualitatem recompensari quod eis debetur, vt patet per Philosoph. in 8. Ethic. * Et sic adiungitur iustitiæ pietas, per quam, vt Tullius * dicit, sanguine iunctis patriæque beneuolis officium & diligens tribuitur cultus. Tertiò non potest secundum æquale præmium recompensari ab homine virtus, vt patet per Philosoph. in 4. Eth. Et sic adiungitur iustitiæ obseruantia, per quam, vt Tull. * dicit, homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu, & honore dignantur.

q. 58. a. 10 & 11.

In fol. 4. ante finē lib. 2. de inuentione.

Li. 8. c. vlt. non procul à fine.

Li. 2. de inuēt. in fol. 4. ante fin.

Lib. 4. c. 3. ante med. to. 5.

Li. 2. de inuēt. in fol. 4. ante finem. lib.

Li. 8. c. 10. tom. 5.

¶A ratione vero debiti iustitiæ, defectus potest attendi secundum quod est duplex debitum, scilicet morale & legale. Vnde & Philo. * in 8 Ethic. secundū hoc duplex iustum assignat. Debitum quidem legale est, ad quod reddendū aliquis lege astringitur. Et tale debitum propriè attendit iustitia, quæ est principalis virtus. Debitum autem morale est quod aliquis debet ex honestate virtutis. Et quia debitum necessitatem importat, ideo tale debitum habet duplicem gradū. Quoddam enim est sic necessariū, vt sine eo honestas morum cō seruari nō possit. Et hoc habet plus de ratione debiti. Et potest hoc debitum

Universidad de Deusto
Biblioteca

attendit ex parte ipsius debentis: & sic ad hoc debitum pertinet, quòd homo talem se exhibeat alteri in verbis & in factis, qualis est. Et ita adiungitur iustitiæ veritas, per quam, vt Tullius * dicit, immutata sunt ea, quæ aut fuerunt, aut futura sunt. Potest etiam attendi ex parte eius cui debetur, prout scilicet, aliquis recompensat alicui secundum ea quæ fecit. Quandoque quidem in bonis, & sic adiungitur iustitiæ gratia, in qua, vt Tullius * dicit, amicitiarum & officiorum alterius memoria, remunerandi voluntas cõtinetur alterius. Quãdoque autem in malis, & sic adiungitur iustitiæ vindicatio, per quã, vt Tullius * dicit, vis aut iniuria, & omnino quicquid obscurũ est, defendẽdo, aut vlciscẽdo propulsatur. Aliud vero debitũ est necessarium, sicut conferens ad maiorem honestatem, sine quo tamen honestas conseruari potest. Quod quidem debitum attendit liberalitas, affabilitas, sine amicitia, aut alia huiusmodi, quæ * Tullius prętermittit in prędicta * enumeratione, quia parum habent de ratione debiti.

Eodẽ loco dicto.

Eodem lib. 2. de inuentione fol. 4. ante si. lib. Eodẽ loco dicto.

Loco citato in arg. 1. In arg. 1.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quod vindicta quæ fit authoritate publicæ potestatis, secundum sententiam Iudicis pertinet ad iustitiam commutatiuam. Sed vindicta, quam quis facit proprio motu, non tamen contra legem, vel quam quis à Iudice requirit, pertinet ad virtutem iustitiæ adiunctam.

¶ Ad secundum dicendum, quòd Macrob. * videtur attendisse ad duas partes integrales iustitiæ, scilicet declinare à malo, ad quod pertinet innocẽtia: & facere bonum, ad quod pertinẽt sex alia. Quorũ duo videntur pertinere ad æquales, scilicet amicitia in exteriori cõuictu, & concordia interiùs. Duo verò ad superiores, scilicet pietas ad parẽtes, & religio ad Deũ. Duo vero ad inferiores, scilicet affectus, inquantum placẽt bona eorũ, & humanitas per quã subuenitur eorũ defectibus. Dicit enim * Isidoꝛ. in lib. Etymol. quòd humanus dicitur aliquis, quia habeat circa hominem amorem & miserationis affectum: vnde humanitas dicta est, quia nos inuicẽ tuemur. Et secundũ hoc amicitia sumitur, prout ordinat exteriorẽ conuictũ, sicut de ea Philosoph. * tractat in 4. Ethic. Potest etiam amicitia sumi secũdum quòd propriè respicit affectum, prout determinatur à Philosopho in 8. & 9. Ethi. * Et sic ad amicitiam pertinent tria, scilicet beneuolentia, quę hic dicuntur affectus & concordia, & beneficentia, quæ hic vocatur humanitas. Hæc autem Tull. prætermisit, quia parũ habẽt de ratione debiti, vt dictum * est.

Loco citato in arg.

Li. 10. c. 8. incipit Humilitas, circa princ.

Li. 4. c. 12. tex. 16.

Li. 8. c. 9. Eth. prin. tom. 2.

Infra q. 80.

¶ Ad tertium dicendum, quòd obedientia includitur in obseruantia, quam Tullius * ponit. Nam præcellentibus personis debetur & reuerẽtia honoris, & obedientia. Fides autem per quam sunt dicta, includitur in veritate quantum ad obseruantiam promissorũ. Veritas autem in plus se habet, vt infra * patebit. Disciplina autẽ non debetur ex debito necessitatis, quia inferiori non est aliquis obligatus in quantum est inferior. Potest tamen aliquis superiori obligari, vt inferioribus prouideat, secũdum illud Mat. 24. Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Et ideo à Tullio * prætermittitur. Potest autem contineri sub humanitate quam Macrob. ponit. A Equitas verò sub epicheia, vel amicitia.

Infra eod. q.

Lucas in 12. cap. 42.

Infra q. 109. art. 3.

¶ Ad quartum dicendum, quòd in illa enumeratione ponuntur quædam pertinentia ad particularem iustitiam, quædam autem ad legalem. Ad particularem quidem, bona commutatio, de qua dicit, quòd est habitus in commutationibus æqualitatem custodiens. Ad legalem autem iustitiam, quantum ad ea, quæ communiter sunt obseruanda, ponitur legispositiua, quæ, vt ipse dicit, est scientia commutationum politicarum ad communitatem relatarum. Quantum verò ad ea quæ quandoque particulariter agenda occurrunt præter communes leges, ponitur eugnomosina, quasi bona gnome, quæ est in talibus directiua, vt supra * habitum est in tractatu de prudentia. Et ideo dicit de ea quòd est voluntaria iustificatio, quia scilicet ex proprio arbitrio, id quod iustum est, homo secundum eam seruat, nõ secundũ legem scriptam. Attribuuntur autem hæc duo prudentię, secundum directionem iustitiæ, non secundũ executionẽ. Eusebia vero dicitur, quasi bonus cultus: vnde est idẽ quod religio. Ideo de ea dicit quod est scientia Dei famulatus. Et loquitur secundum modũ quo Socrates dicebat omnes virtutes esse scientias. Et ad idem reducitur sanctitas vt postea * dicetur. Eucharistia autem est idem quod bona gratia, quam Tullius * ponit, sicut & vindicatiuam. Benignitas autem videtur esse idem cum affectu quem ponit Macrob. Vnde & Isidoꝛ. * dicit in libro Etym. q benignus est vir sponte ad bene faciẽdũ paratus & dulcis ad eloquiũ. Et ipse Andronic⁹ dicit, quod benignitas est habitus voluntariè benefactiuus. Liberalitas autẽ videtur ad humanitatem pertinere.

q. 51. a. 4.

q. sequẽti. ar. 8. Loco ante dicto.

Li. 10. Etymol. ca. 2 parũ à pri.

¶ Ad quintum dicendum, quòd epicheia non adiungitur iustitiæ particulari, sed legali, & videtur esse idem cũ ea quæ dicta est eugnomosina.

Summa Textvalis.

Conclusio. Virtutes iustitiæ annexæ sunt religio, pietas, obseruantia veritas, gratia, vindicatio, amicitia, & liberalitas, quarũ sufficientiã atq; necessitatẽ longa oratione prosequitur D. Tho. in litera. Eius tamen ratio consistit in hoc, quod illi virtutibus alteri adiunctis duo est cõsiderare. Primum est, quod illæ virtutes conueniant in aliquo cum principali, cui annectũtur. Secundum, quod in aliquo à perfecta ipsius ratione deficiant. Et quia iustitia est ad alterum, omnes virtutes, quæ sunt ad alterũ, ratione conuenienti illi possunt annecti. Quia autem iustitia consistit in hoc, vt reddat alteri quod ei debetur, secundum æqualitatẽ, dupliciter potest cõtingere, vt aliqua virtus ad alterũ existẽs à ratione iustitiæ deficiat. Vno modo, quia deficit à ratione æqualis. Et sic religio erga Deũ, & pietas erga parentes, & obseruantia erga viros virtute excellentes deficiunt à ratione iustitiæ. Alio modo, quia deficit à ratione debiti. Et sic adiunguntur iustitiæ, vel ex parte debentis, vel ex parte eius, cui debentur, honestas, veritas, vindicatio, amicitia, liberalitas & similes, per Macrobium, Tullium, & Aulcomcum, secundum diuersos eatus adiunctos.

Explicatio Articvli.

Intentio D. Thom. in isto articulo solũ est explicare modum, vnde cognoscere possimus, an aliqua virtus potentialiter contineatur sub iustitia, nec ne. Et is est videre, an exiliens ad alterum deficiat, vel à ratione reddendi æquale, vel à ratione reddendi debitum. Quod vtrumque necessariũ est ad veram, & perfectam rationem iustitiæ. Ex defectu enim cuiuscumque horum efficitur pars subiectiua illius. Quanuis diuersimodè, vt diximus supra, q. 58. ar. 5. Quãdo enim virtus, quæ est ad alterum, deficit à ratione debiti, constituitur pars potentialis iustitiæ: sed quæ nõ est vera, & propria iustitia, secũdum essentiã, qualis est liberalitas, amicitia, &c. Quando autem deficit à ratione æqualis, constituitur pars potetialis iustitiæ, quæ quanuis non sit perfecta, est tamen vera & propria secundum essentiam, qualis est religio, atque pietas. Ex hoc infertur, quod ex partibus potentialibus iustitiæ quædam habent veram, quanuis non perfectam rationem iustitiæ, aliæ autem nec veram, neque perfectam. Et ad hoc, vt aliqua virtus sit pars potentialis iustitiæ, habens veram rationem illius, quanuis non perfectam, requiruntur duo, scilicet, quod sit ad alterum, & quod habeat rationem debiti. Ad hoc autẽ, vt aliqua virtus dicatur pars potentialis iustitiæ, non habens veram rationẽ illius, sufficit quod sit ad alterum, & quod faciat aliquo modo æqualitatem, quanuis non secundum rationem debiti.

QVÆSTIO. LXXXI.

De Religione, in octo Articulos diuisa.

Artic. I.

Vtrum religio ordinet hominem solum ad Deum.

Infr. q. 84. ar. 1. ad. 1.

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd religio non ordinet hominem solũ ad Deum. Dicitur enim Iacobi. 1. Religio munda & immaculata apud Deũ & Patrẽ hæc est, vt visitare pupillos & viduas in tribulatione eorũ, & immaculatũ se custodire ab hoc seculo. Sed visitare viduas & pupillos dicitur secũdũ ordinẽ ad proximũ. Quod autẽ dicit, immaculatũ se custo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dire ab hoc seculo, pertinet ad ordinē quo ordinatur homo in seipso: ergo religio nō solū dicitur in ordine ad Deū,

Li.10.c.1. à med.t.5. 2 ¶Præterea, Augu. * dicit in 10. De Ciuit. Dei, quòd quia Latina loquendi consuetudine, non imperitorum tantum, verum etiam doctissimorum cognationibus humanis, atque affinitatibus, & quibuscunque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, nō eo vocabulo vitatur ambiguum, cū de cultu diuinitatis veritur quæstio, vt fidenter dicere valeamus, religionem non esse, nisi cultum Dei: ergo religio dicitur nō solum in ordine ad Deum, sed etiam in ordine ad propinquos.

3 ¶Præterea, Ad religionē videtur latria pertinere. Latria enim interpretatur

Li.10.c.1. tom.5. seruitus, vt Aug. * dicit in 10. De Ciuit. Dei. Seruire autē nō solū debem⁹ Deo, sed etiam proximis, secundū illud Gal. 5. Per charitatem spiritus seruite inuicē: ergo religio importat ordinem etiā ad proximum.

4 ¶Præterea, Ad religionem pertinet cultus. Sed homo dicitur non solū colere Deum, sed etiam proximum, secundum illud Catonis, Cole parentes: ergo etiam religio nos ordinat ad proximū, & non solum ad Deum.

5 ¶Præterea, Omnes in statu salutis existentes Deo sunt subiecti. Nō autē dicūtur religiosi omnes, qui sunt in statu salutis, sed solū illi, qui quibusdā votis & obseruantijs & ad obediendū aliquibus hominibus se astringunt: ergo religio non videtur importare ordinem subiectionis hominis ad Deum.

Li.2. de inuēt. in fol. 4. ante fin. lib. SED CONTRA est, quòd Tullius * dicit. 2. Rhetо. quod religio est quędā tuitio naturæ, quam diuinam vocant, quæ cultum vel cæremoniam affert.

Li.10. cd. 17. incipit. religiosus. ¶RESPONDEO dicendum, quòd sicut * Isido. dicit in lib. Ety. Religiosus, vt ait Cicero, à religione appellatus est, qui retractat & tanquam relegit ea quę ad cultum diuinum pertinent. Et sic religio videtur dicta à relegendo ea quæ sunt diuini cultus, quia huiusmodi sunt frequenter in corde reuoluenda, secundum illud Prouerbi. 3. In omnibus vijs tuis cogita illum, quamuis etiam possit intelligi religio ex hoc dicta, quod Deū

Li.10.c.4. parum ante med. t.5. reeligere debemus, quem amiseramus negligentes, sicut Augustī. dicit * in 10. De ciuitat. Dei. Vel potest intelligi religio à religando dicta. Vnde Augustī. * dicit in li. de vera Relig. Religet nos religio vni omnipotenti Deo. Siue autem religio dicatur à frequenti relectione, siue ex iterata electione eius quod negligenter amissum est, siue dicatur à religatione, religio propriè importat ordinē ad Deū. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in vltimum finem, quem etiam negligenter peccādo amittimus, & credendo, & fidē protestando recuperare debemus.

Non tamen tē à fine lib. ¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd religio habet duplices actus, quosdam quidem proprios & immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare, & omnia huiusmodi. Alios autem actus habet, quos producit mediantibus virtutibus quibus imperat, ordinās eos ad diuinam reuerentiam: quia scilicet, virtus ad quam pertinet finis, imperat virtutibus ad quas pertinent ea quę sunt ad finem. Et secundū hoc actus religionis per modū imperij ponitur esse, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, quod est actus elicitus à misericordia. Immaculatum autem se custodire ab hoc sæculo, imperatiuæ quidem est religionis, elicitiuæ autē tēperantiæ, vel alicuius huiusmodi virtutis.

¶Ad secundum dicendum, quòd religio refertur ad ea, quæ exhibentur cognationibus humanis extenso nomine religionis, nō autem secundū quod religio propriè dicitur: vnde Aug. * parum ante verba inducta præmittit: Religio districtius non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur.

Lib.10. de Ciuit. Dei. Ca.1. tom.5. ¶Ad tertium dicendum, quòd cum seruus dicatur ad dominū, necesse est, ꝙ vbi est propria, & specialis ratio dominij,

mūnij, ibi sit specialis & propria ratio seruitutis. Manifestum est autem quod dominium conuenit Deo secundum propriam, & singularem quandam rationem, quia scilicet ipse omnia fecit, & quia summum in omnibus rebus obtinet principatum. Et ideò specialis ratio seruitutis ei debetur. Et talis seruitus nomine latriæ designatur apud Græcos. Et ideo ad religionem propriè pertinet.

¶Ad quartum dicendum, quòd colere dicimur homines quos honorificatione, vel recordatione, vel præsentia frequentamus. Et etiam aliqua, quæ nobis subiecta sunt coli à nobis dicuntur. Sicut agricolæ dicūtur ex eo, quod colunt agros, & incolæ dicuntur ex eo quod colunt loca, quæ inhabitāt. Quia tamen specialis honor debetur Deo, rā quam primo omnium principio, etiā specialis ratio cultus ei debetur, quæ Græco nomine vocatur eusebia, vel

L.10.c.1. tom.5. theosebia, vt patet per Augustī. * 10. De Ciuit. Dei.

¶Ad quintum dicendum, quòd religiosi, quanuis dici possint communiter omnes qui Deum colunt, specialiter tamen religiosi dicuntur, qui totā vitam suam diuino cultui dedicant, à mundanis negotijs se abstrahentes. Sicut etiam contemplatiui dicuntur, nō qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant. Huiusmodi autem non se subijciunt homini propter hominem, sed propter Deum, secundum illud Apost. Galat. 4. Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Iesum Christum.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd nomen religio deduci possit, vel à relegendo, vt placet Isidoro, & Ciceroni, vel à reeligendo, vt placet D. Augustī. vel à religando, vt idem Augustī. dicit: respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per hanc propositionē. Conclusio: Si religio dicatur à frequenti relectione, siue ab iterata electione illius, quod negligenter amissum est, siue à religatione, semper importat ordinem ad Deum. Probatur: Deus est, cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio, & ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet, tanquam in vltimum finem, & quem negligentes peccando amittimus, & credendo, & fidem protestando recuperare debemus: ergo secundum quamcunque expositis significationibus religio semper importat ordinem ad Deum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius virtutis, quæ præcipua est inter partes potentiales iustitiæ, vt à nominis ipsius exordiamur, aduertendum est primò, quòd huius nominis religio varius est vsus apud sanctos, & Latinos. Nam primò significat eam sectam, & doctrinam de rebus diuinis, in quam plures homines conueniunt. In qua significatione dicimus Christianam religionem, Mosaicam religionem, &c. Et D. Augustinus in scripsit librum de vera religione, hoc est, de vera diuinarum rerum doctrina. Et Cicero in Oratione pro Pompeio, dicit: Gentes pro sua religione bella suscipiunt. Secundo accipitur à Latinis religio pro anxia cura. In qua significatione id dicitur religiosè fieri, quod solicitudinem affert. Plinius libr. 4. Epist. in Epistola ad Cornelium Tacitum: Si parentibus solis tus præceptoris conducendi relinquatur, ipsidemq; religio rectè indicandi necessitate collationis addatur, hoc est, solicita cura, & anxia probos præceptores, idoneosque diligendi liberis suis, &c. In eadem etiam significatione accipitur à Cicerone nomen, religio, quando in libro de Claris Oratoribus dicit: Quorundam hominum orationem esse attenuatam nimia religione, hoc est, solicitudine. Tertiò accipitur religio, pro timore, quem vulgò appellamus conscientiæ scrupulum. In qua significatione dicit Cicero de Aruspic. respons. 9. Quæ tanta religio est, qua in nostris dubitationibus, atque in maximis superstitionibus vnius Publij Seruilij, atque Marci Bruelli responso, ac verbo non liberemur? Id est, vt nunc loquimur, Qui tantus conscientiæ scrupulus? Et apud Terentium in Andria Dauo dicēti. At mihi vnus scrupulus etiam restat, qui me male habet, Pamphilus respōdit: Dignus es odio cū tua religione. Quartò accipitur in sacris literis, religio, non infrequenter, pro cæremonia, & ritu aliquo externo. In qua significatione dicitur Nume. 19. Hæc est religio victimæ, hoc est, cæremonia in vacę ruſæ oblatione obseruāda. Et Exod. 12. Hæc est religio phase. Verbum enim Hebræum, cui respondet religio in illis locis, inter alia significat cæremoniam legis præcepto indictam. Cuius præcepti nulla ratio necessaria reddi potest, possunt

Nomen religio varia significat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen reddi multæ probabiles, vt dicit Abulensis super. 19. capit. Nume. In eadem etiam significatione accepit id nomen Cicero in Oratione pro Cornelio Balbo, dum dixit: Sacra confecit summa religione, atque cæremonia. Vltimò accipitur religio pro functione iusti, & debiti officij. Idque dupliciter, vt dicit Diuus Thom. hic in solutione ad secundum. Vno modo largè, vt se extendit ad omnem debiti officij functionem. In qua significatione dixit Cicero. 7. in Verrem: Ego quos adhuc mihi magistratus populus Romanus mandauit, sic eos accepi, vt me omnium officiorum astringi religione arbitrarer. Et rursus: Qui sibi hoc assumpsit, vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse à religione officij declinauerit? Alio modo propriè, vt significat non in vniuersum omnem officij functionem, sed peculiariter id, quod est Deo debitum cultū exhibere. Etin hac acceptione sola loquimur de religione in præsenti. ¶ Secundò est aduertendum, quòd vt constat ex D. Tho. in isto articulo, huius vocis, religio, viri doctissimi multiplicem afferunt Etymologiam. Nam Cicero dictam putat religionem à relegendo. Propterea quod ea, quæ ad diuinum cultum pertinent, frequenter sunt in corde reuoluenda, & tanquam relegenda. Religiosi, inquit, à relegendo appellantur, qui tractant & quasi relegunt ea, quæ ad cultum diuinum pertinent. Et dicuntur religiosi ex relegendo, sicut eligentes ex eligendo, & diligentes ex diligendo: & intelligentes ex intelligendo. Eandem originem sequitur Diuus Isidorus libr. 10. Etymologiarum, litera. R. Alij putant religionem dictam fuisse à religando. Propterea, quòd animos nostros ligat, & obligat Deo. Quam Etymologiam præter Lactantium Firmianum, quem citat Caietanus in isto commento, affert Diuus Augustinus in lib. de Vera religione, & Diuus Hieronymus in commentarijs Amos Prophetæ, capit. 9. desumptam quæ etiam videtur ex Cicerone. Qui in oratione pro Domo sua dicit: Nunquid tribunus populi bona Lentuli religionibus religauit. Alij affirmant religionis nomen à reeligendo Deum, quem negligentes dimisimus, deduci. Quorum vnus est Diuus Augustinus lib. 10. de Ciuitate, capit. 4. Et tandem aliqui dicunt, quòd nomen deducitur à relinquendo. Propterea, quòd quæ Deo dicantur ab hominibus debent esse separata. Et sic Sabinus apud Aulum Gellium libr. 4. capit. 9. dicebat, religiosum esse eum, qui propter vitæ sanctitatem ab hominum consortio est sepositus. Sed ex his derivationibus duæ priores sunt aptiores. Quamuis Caietano, Lactantiana, quæ est secunda, & linguæ Latinæ, & nominis significato magis consona videatur. Propterea enim inquit, religiosa Deo addicta vocamus, & religiosos Deo deditos, ac per hoc religatos frequenti vsu appellamus.

Etymologia huius nominis religio.

Conclusio D. Th. certa.

¶ His suppositis circa conclusionem D. Thom. nulla est difficultas. Omnes enim illam recipiunt. Et probari potest ex diffinitione religionis, quam D. Augustin. lib. 83. quæstionum, quæst. 21. affert ex Cicerone in lib. de Inuentione dicente, Religionē esse virtutem, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocamus cultum, cæremoniamque affert. Et in lib. de Partitionibus dicit idem, Religio est iustitia erga Deum. Cui virtuti in medio positæ duo extrema opponuntur vitia, scilicet, infidelitas, & superstitio. Infidelitas, quæ Deum nō colit, superstitio, quæ vel falsum Deum, vel verum ineptè colit. Nam & cultus Deorum falsorum est superstitio, vt docet D. Augustin. in lib. de Vera & falsa religione. Atque etiam cultus qui vero Deo tribuitur, si res, & cæremoniæ parui momenti, tanquam si essent magnæ obseruentur. Quare rectè dicebat Quintilianus lib. 8. cap. 3. vt à diligente curiosus, ità à religione superstitiosus distat. Et D. August. lib. 6. de Ciuit. ex sententia Varron. dicebat, à superstitioso timeri deos, à religioso autem tantum vereri, vt parentes, & non vt hostes timeri. Et Cicer. in lib. de natura deorū. Sicut in superstitioso inanis inest timor deorum ita in religioso pius inuenitur cultus illorum.

¶ In solutione ad primum argumentum dicit D. Th. quòd sacrificare, & orare sunt actus proprij, & immediati religionis. Contra quod sic argumentor: Sacrificare est actus externus, ergo non potest esse immediatè elicitus à religione, quæ est in voluntate. Secundò orare est opus intellectus, ergo non potest elici immediatè à religione, existente in voluntate. Tertiò: quando petimus orando, vt Deus suum amorē nobis infundat, illa oratio sit imperio charitatis, cuius proprium munus est velle Deo coniūgi idq; optare: ergo oratio nō est actus religionis, liquidem est cōmunis illi cum alijs virtutibus. Ad primum argumentū respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad hoc enim, vt aliquis actus dicatur pertinere ad aliquam virtutem non requiritur, quòd procedat ab eadem potentia, in qua illa virtus est subiectiuè. Velle enim

1. Argum. contra solutio. ad 2.

2. Argum.

3. Argum.

Ad 1. arg.

enim ieiunare, proculdubio est actus temperantiæ. Et tamen ille est in voluntate, & temperantia in appetitu sensitiuo. Sed quod requiritur est, quòd actus secundum suam speciem ad finem talis virtutis ordinetur. Vnde cum sacrificare ordinetur ad finem religionis, siue ad religionem, tanquam ad finem, sit, vt sic, proprius & immediatus actus illius, vt dicit D. Thom. in isto articulo. Et eodem modo respondetur ad secundum argumentum.

Ad. 2. arg. Obiectio.

¶ Et si quis obijciat: Sacrificare, & orare nec sunt actus illiciti, nec imperati à religione: ergo male dicit D. Thom. quòd sunt proprij, & immediati actus illius. Consequētia est nota, & antecedens probatur. Et primo, quod non sint actus illiciti. Nam actus vnius potentiæ non potest elici à virtute, quæ est in alia potentia. Quod autem nec etiam sint imperati, patet: Quia actus, qui imperatiuè procedit ab aliqua virtute, debet elicitiuè ab alia procedere. Sacrificare autē & orare nō eliciuntur ab alia virtute, quam à religione. Ad hoc argumentum, vt respondeamus, aduertendum est, dupliciter posse contingere, quod aliquis actus procedat ab aliqua potētia. Vno modo elicitiuè: alio modo imperatiuè. Elicitiuè tunc procedit, quando secundum suam substantiam, & in esse naturæ producitur ab illa potentia. Quod intelligitur sic esse, quādo actus circa formale obiectum talis potentiæ versatur. Vt, verbi gratia, assensus veritatis secundum substantiam, & in esse naturæ in quacunque materia sit, dicetur produci ab intellectu, quia semper versatur circa verum, quod est formale obiectum ipsius intellectus. Et sic ab ista potentia semper elicitiuè procedit. Imperatiuè autem dicetur actus procedere ab aliqua potentia, quando secundum substantiam producitur ab vna potentia, & ab alia dirigitur ad suum finem. Vt, verbi gratia, ira inferioris appetitus elicitur ab irascibili, & imperatur à voluntate, quādo dirigitur & ordinatur ad aliquem finem intentum à voluntate. Et hoc quantum attinet ad potentias. Nam in habitibus longè diuersa est ratio. Nam cum habitus non sint principium actus in esse naturæ, sed solum in esse moris, hoc est, secundum rationem boni, aut mali, sit, vt tunc tantum dicatur actus elici ab aliquo habitu, quando ab eo bonitatem habet, aut malitiam secundum speciem moralem. Vt, verbi gratia, elargitio eleemosynæ dicetur produci elicitiuè à misericordia, quia ab ea habet bonitatem in esse moris: quamuis in esse naturæ nō producatur ab ea potentia, in qua misericordia est subiectiuè. Tunc autē dicetur actus produci ab aliqua virtute imperatiuè, quando præsupposita bonitate, quam habet secundum propriam speciem dirigitur, & ordinatur ab alia virtute ad suum finem. Vt, verbi gratia, si quis elargiatur eleemosynam pauperi ethico, vt seruiat ecclesiæ, talis actus dicetur elicitus à misericordia, & imperatus à religione: quia supposita bonitate, quam ille actus habet intra speciem misericordiæ, ordinatur ad finem honestum religionis. Et eadem ratio est de omnibus alijs vitijs, & virtutibus. Hoc supposito ad argumentum respondetur verum esse, quòd illi actus non possunt esse imperati à religione, vt rectè probat argumentum, sed sunt eliciti ab illa, in quantum immediatè habent ab ea suam bonitatem in esse moris, quòd satis est ad hoc, vt aliquis actus dicatur elicitiuè produci ab aliquo habitu, non obstante, quòd sit actus alterius potentiæ ab ea, in qua est habitus, vt paulò antea dicebam. Ex dictis infertur, quòd quando D. Thom. affirmat in solutione ad primum sanctificare, & orare esse actus proprios, & immediatos religionis, non intelligit, religionem ad istos actus exercendos non egere medio alterius potentiæ ab ea, in qua ipsa religio existit. Nam hoc est falsum. Sed quod intelligit est, quòd religio ipsa per se sufficit, sine adminiculo alterius virtutis ad illos actus exercendos. Quod satis est, vt sint proprij & immediati actus illius, ab ipsaque eliciti, iuxta doctrinam traditam. Et quòd hæc fuerit mens D. Thom. liquet primò ex eo, quòd istos actus, scilicet, sacrificare, & orare opposuit visitationi pupillorum, & viduarum, quos dicit esse actus communes, & mediatos religionis. Ob eamtantum rationem, quòd à religione, nisi mediante alia virtute, fieri non possunt. Media enim misericordia, religio visitat pupillos, & viduas; & mediante temperantia seruat medium in delectabilibus. Et sic illi actus dicuntur mediati & imperati illius. Secundò, id ipsum constat. Nam intentum D. Thom. in præsenti erat probare, atque docere, quòd religio nec ordinat hominem ad proximum, nec ad seipsum, sed ad Deum solum, ad idque ultimè, quòd per opera, quæ efficit ipsa religio iuste tantum viribus, sine adminiculo alterius virtutis solum ordinat homo ad Deum, vt est sacrificare, & orare. Et sic patet, quòd sacrificium, & orationem appellat D. Thom. immediatos actus religionis. Non, quia non fiant media alia potentia, sed, quia non fiunt media alia virtute ad modum iam explicatum. Ad tertium

Dupliciter actus potest procedere à potētia.

Ad obiect.

Corollar.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tertium argumentum respondetur, verum esse, quòd oratio potest fieri ex impetio charitatis, sicut & actus cuiuscunque alterius virtutis. Ex hoc tamen non infertur, quòd non sit propriùs actus religionis: quoniam ab ea procedit, nulla alia media virtute, ab illaque regulatur & dirigitur in finem religionis.

ARTICVLVS. II.

¶ Vtrùm religio sit virtus?

1.q.60.ar. 2.col.& 3. d.33.q.3. art.4. 1. cor. q. 19.c & op Qu. 1. 9. 19.ar.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod religio non sit virtus. Ad religionem enim pertinere videtur Deo reuerentiam exhibere. Sed reuereri est actus timoris, qui est donum, vt ex supradictis* patet. ergo religio non est virtus, sed donum.

Art. præc. ad.3.

2 ¶ Præterea, Omnis virtus in libera voluntate consistit, vnde dicitur habitus electiuus, vel voluntarius. Sed sicut dictum* est. Ad religionem pertinet latria, quæ seruitutem quandam importat: ergo religio non est virtus.

Lib. 2. in prine.to.3.

3 ¶ Præterea, Sicut dicitur* in 2. Ethicorum. Aptitudo virtutis inest nobis à natura, vnde ea quæ pertinent ad virtutes sunt de dictamine rationis naturalis. Sed ad religionem pertinet cæremoniam diuinæ naturæ afferre: cæremonialia autem, vt dictum* est supra, non sunt de dictamine rationis naturalis: ergo religio non est virtus.

1.2.q.99. ar.3 ad 2. & q.101.

¶ SED CONTRA est, quia connumeratur aliis virtutibus, vt ex præmissis* patet.

Quæst.80.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra* dictum est, virtus est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Et ideò necesse est dicere omnem actum bonum ad virtutem pertinere. Manifestum est autem, quòd reddere debitum alicui habet rationem boni, quia per hoc quod aliquis alteri debitum reddit, constituitur in proportione conuenienti respectu ipsius, quasi conuenienter ordinatus ad ipsum. Ordo autem ad rationem boni pertinet, sicut & modus & species, vt per Augustin.* patet in libro de natura boni. Cum ergo ad religionem pertineat reddere honorem debitum alicui, scilicet Deo, manifestum est, quod religio virtus est.

1.q.55. ar.2.3. & 4. & supra q.58.ar.3.

Cap.55.& c.3.to.6.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod reuereri Deum est actus doni timoris. Ad religionem autem pertinet facere aliqua propter diuinam reuerentiam: vnde non sequitur, quod religio sit idem quod donum timoris, sed quòd ordinetur ad ipsum sicut ad aliquid principalius. Sunt enim dona principaliora virtutibus moralibus, vt supra habitum* est.

¶ Ad secundum dicendum, quòd etiam seruus potest voluntarie exhibere domino suo quod debet, & sic facit de necessitate virtutem, debitum voluntariè reddens. Et similiter exhibere Deo debitam seruitutem potest esse actus virtutis, secundum quod homo voluntariè facit.

¶ Ad tertium dicendum, quòd de dictamine rationis naturalis est, quòd homo aliqua faciat ad reuerentiam diuinã. Sed quòd hæc determinate faciat vel illa, istud non est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione iuris diuini, vel humani.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua, quam supposita diffinitione virtutis, quæ dicit quod est, quę bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, ex quo fit, vt omnis actus bonus ad virtutem pertineat, probat D. Thom. hac ratione: Reddere debitum alicui habet rationem boni: per hoc enim, quod aliquis alteri debitum reddit, constituitur in proportione conuenienti respectu illius: sed ad religionem spectat reddere honorem debitum alicui, scilicet, Deo: ergo religio est virtus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

RAtio, propter quam D. Thom. in præsenti quærit, an religio sit virtus, non est, quia de hoc sit aliqua dubitatio; omnes enim vno ore fatentur religionem esse virtutem. Sed, vt seruet consuetum ordinem, quem in alijs tractatibus sequi solet. Quoniam autem à nobis hoc ipsum iam sæpè quæsitum est, de fide, de spe, de charitate, de iustitia, hisque locis satis explicatum, quid ad rationem virtutis est necessarium, ideircò

ideircò ab illo in præsenti supersedendum duxi. Et tantum circa fundamentum, quo D. Thom. dicit, omnem actum bonum esse à virtute, ex quo suam colligit conclusionem, est difficultas, vtrùm verum sit? Et pro parte negatiua argumentor primo.

Dubium, an omnis actus bonus sit à virtute.

1. Argum. Appetitus fœlicitatis in communi in nobis existens, est actus bonus; & tamen non est à virtute: ergo falsum est dicere, quòd omnis actus bonus est à virtute. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur: Appetitus fœlicitatis in communi continetur in amore, quo quis seipsum diligit: sed ad diligendum seipsum nullus indiget virtute; eũ ad istum actum omnes sint satis propensi à natura: ergo talis actus non est à virtute.

2. Argum. Secundò sic argumentor: Actus, quibus acquiritur virtus, non sunt à virtute, quoniã ipsam præcedunt, & tamen sunt boni, quoniam efficiunt hominem bonum, vt constat: ergo non omnis actus bonus est à virtute. Et confirmatur ex Arist. 5. Ethic. cap. 5. & 6. dicente, contingere posse, vt quis interdum iusta faciat, non iustè. Quod ideò affirmat, quia sæpè reddit quis alteri debitum, quod iustum est, ac bonum; & tamen id nõ facit ex habitu iustitiæ; sed maxima cum difficultate. His tamen non obstantibus, dico, propositionem D. Thom. esse verissimam, si rectè intelligatur, vtpotè quæ sequitur ex definitione virtutis; qua dicitur, quòd virtus est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Quam ponit Aristo. lib. 2. Ethic. cap. 6. Et competit tantum virtutibus moralibus. Nam intellectuales non faciunt habentem bonum simpliciter, sed solum secundum quid: vt latè ostendimus in primo tomo, quæst. 4. art. 5. De qua re videndus est D. Thom. 1. 2. quæst. 55. art. 2. 3. & 4.

Conclusio.

Ad 1. arg. Vnde ad primum argumentum respondeo, quòd D. Thom. hic tantum loquitur de illis actibus bonis, qui sunt perfectè liberi, perfecteq; pertinent ad genus moris. Nam isti solum sunt, qui ad virtutem spectant necessario. At verò appetitus fœlicitatis in cõmuni, nõ est perfectè liber, nec perfectè humanus, aut moralis, cum nõ sit liber quoad specificationem, sed tantum quoad exercitium, & ex consequenti quadam ratione naturalis. Ad secundum vt respondeat Caietanus in isto commento, aduertit, dupliciter posse contingere, quòd aliquis actus bonus dicatur. Vno modo, quia est bonus, tam ex obiecto, & circunstantijs, cum etiam ex parte modi, quo fit, quia, scilicet, fit bene, hoc est, promptè, & delectabiliter. Alio modo, quia habet quidquid ex suo genere, atque ratione ad honestatem ipsius requiritur quamuis propter impedimenta passionum existentium in eo, qui operatur, non fiat promptè, & delectabiliter. Quo supposito dicit, quòd actus, qui primo modo est bonus, hoc est, qui est bonus in se, & bene fit, semper est à virtute, vt docet Aristot. lib. 2. Ethicorum. At verò actus bonus secundo modo, hoc est, qui bonus in se existens, non bene fit, non est à virtute. Et in hoc quidem verum dicit Caietanus. Sed cum postea affirmat Diuum Thomam in præsenti, solum loqui de actu primo modo, bono, mihi nõ placet. Nam cum D. Thom. simpliciter, & absolutè loquatur de actu bono, nulla adhibita distinctione, non est cur præfatam faciamus limitationem. Quocirca hac interpretatione omissa vertius, & facilius mihi respondendum videtur, quòd D. Thom. non dicit omnem actum bonum effici à virtute; sed quod omnis talis pertinet ad virtutem: quòd longè diuersum est à primo. Nam ut hoc, vt aliquis actus dicatur pertinere ad virtutem, non est necessarium quod ab illa effectiuè procedat, sed satis est, quod vel efficiatur à virtute, vel ipse virtutem efficiat, idemque sit vtriusque obiectum. Et hoc secundum inuenitur in actibus generantibus habitum virtutis. Et quod hæc fuerit mens D. Thom. ex ipsa litera sufficienter colligitur. Nam dicit, quòd omnis actus bonus ad virtutem pertinet. Ex hocque rectè colligitur, quod reddere debitum honorem Deo, qui est actus bonus, pertinet ad virtutem: quia vel efficitur ab habitu virtutis, vel ipse efficit virtutem. Et ex consequenti religio, ad quam pertinet iste actus, est verè, & propriè virtus.

Ad 2. arg.

Nota circa solut. ad 3. D. Thom.

¶ Circa solutionem ad tertium argumentum D. Thom. est aduertendum, quòd quemadmodum de dictamine rationis naturalis est, in virtute temperantiæ, vt homo medium teneat in cibo, & potu; & non quòd hunc, aut illum cibum, aut potum assumat, ità etiam est de dictamine rationis naturalis, in virtute religionis, vt medium teneat in ordinatione sui ipsius ad Deum. Quòd autem has, vel illas cæremonias assumat, ad ordinandum seipsum in Deum, nõ est ex dictamine rationis, sed solum ex diuino, vel positiuo iure. Quare, sicut in temperantia non impedit indeterminatio materiæ, vt ipsa virtus dicatur: ità etiam nec in religione incertitudo materiæ, quæ est in actibus, quibus Deus colitur, erit impedimento, vt religio vera virtus dicatur. Ex ratione enim formali virtus suam speciem sortitur, & non ex materiali.

AR-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrùm religio sit vna virtus?*

Inf. art. 4. ad 1. & 2.

AD TERTIVM sic procedi-tur. Videtur, quòd religio non sit vna virtus. Per religionem enim ordinamur ad Deum, vt dictum* est. In Deo autem est accipere tres personas, & iterum multa attributa, quæ saltem ratione differunt. Diuersa autem ratio obiecti sufficit ad diuersificandum virtutes, vt ex suprà dictis* patet: ergo religio non est vna virtus.

Art. 1. huius quæst.

Qu. 50. art. 2. & q. 47. art. 5. & q. 23. art. 4. & 5.

2 ¶ Præterea, Vnius virtutis vnus est actus. Habitus enim distinguuntur secundum actus. Religionis autem multi sunt actus, sicut colere, & seruire, vouere, orare, sacrificare, & multa huiusmodi: ergo religio non est vna virtus.

3 ¶ Præterea, Adoratio ad religionem pertinet. Sed adoratio alia ratione adhibetur imaginibus, & alia ipsi Deo. Cùm ergo diuersa ratio distinguat virtutes, videtur, quod religio nó sit vna virtus.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Ephes. 4. Vnus Deus, vna fides. Sed vera religio protestatur fidem vnius Dei: ergo religio est vna virtus.

In locis citatis arg. 1.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut suprà* habitum est, habitus distinguuntur secundum diuersam rationem obiecti. Ad religionem autem pertinet exhibere reuerẽtiam vni Deo secundum vnam rationem, inquãtum scilicet primum est principium creationis, & gubernationis rerum: vnde ipse dicit Malach. primo. Si ego pater, vbi honor meus? Patris enim est, & producere, & gubernare. Et ideo manifestum est, quod religio est vna virtus.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd tres personæ diuinæ sunt vnum principium creationis & gubernationis rerum, & ideo eis vna religione seruitur. Diuersæ autem rationes attributorum concurrunt ad rationem primi principij, quia Deus producit omnia, & gubernat sapientia, voluntate, & potentia bonitatis suæ. Et ideo religio est vna virtus.

¶ Ad secundum dicendum, quòd eodem actu homo seruit Deo & colit ipsum. Nam cultus respicit Dei excellentiam, cui reuerentia debetur. Seruitus autem respicit subiectionem hominis, qui ex sua conditione obligatur ad exhibendum reuerentiam Deo. Et ad hæc duo pertinent omnes actus, qui religioni attribuuntur, quia per omnes homo protestatur diuinam excellentiam, & subiectionem sui ad Deum, vel exhibendo aliquid ei, vel iterum assumendo aliquid diuinum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd imaginibus non exhibetur religionis cultus, secundum quod in seipsis considerantur, quasi res quædam, sed secundum quod sunt imagines ducentes in Deum incarnatum. Motus autem qui est in imagine, prout est imago, non consistit in ipsa, sed tendit in id cuius est imago. Et ideo ex hoc quod imaginibus Christi exhibetur religionis cultus, non diuersificatur ratio latriæ, nec virtus religionis.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio D. Thom. est affirmatiua. Et probatur. Habitus distinguuntur secundum diuersam rationem formalem obiecti. Sed ad religionem spectat exhibere reuerentiam Deo secundum vnam rationem formalem, scilicet, in quantum est principium creationis, & gubernationis rerum, iuxta illud Malach. 1. Si ego pater, vbi honor meus. Patris enim est producere & gubernare: ergo religio est vna virtus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli est aduertendum, quòd quanuis, vt constat ex Aristot. 5. Metha. cap. de vno. multipliciter aliquid possit dici vnum, scilicet, vnũ specie, vnum genere, & vnum numero, tamen in præsenti cum quærimus, vtrùm religio sit vna virtus, tantum loquimur de vnitate specifica, quæ est per se, & simpliciter vnitas, & nó de vnitate generica, quæ est vnitas secundum quid, aut de vnitate numerica, quæ est vnitas per accidens. Et sic sensus quæstionis est, vtrùm religio sit vna tantum virtus secundum speciem. Quæ quęstio sicut & quæcuq; alia de vnitate scientiæ, vel habitus loquens, adhuc potest habere duplicem sensum. Primus est, vtrùm religio, quæ pluribus modis, atque cæremonijs specie distinctis, nempe, sacrificijs, sacramentorum administratione, & orationibus potest Deo debitum cultum, & reuerentiam exhibere, sit dicenda vna virtus specie, vel plures. Secundus, vtrùm habitus inclinans ad huiusmodi actus specie distinctos, sit tantum vna simplex qualitas, vel potius singulorum actuum sint singuli habitus constituendi, ità quòd religio sit collectio plurium habituum. Et in vtroque sensu habet quæstio difficultatem, estque à nobis discutienda in præsenti. Breuiter tamen, quoniam hæ res, quæ generales sunt, propriè pertinent ad primam secundæ. Et quidem ille quæstione in primo sensu fuit opinio Nominalium, asserentium, tot esse religiones, quod sunt obiecta materialia, quibus Deo debitum cultum exhibemus. Itaque est vna religio inclinans ad debitam administrationem sacramentorum: alia inclinans ad debite orandum, alia ad sacrificandum, &c. Et idem dicunt de alijs virtutibus moralibus, nempe, quòd tot sunt temperantiæ, quot sunt res, quibus est abstinendum. Cuius sententiæ præcipuum fundamentum est: nam cùm istæ res specie differant: fieri non potest, vt de omnibus sit vnica tantum virtus. Hæc tamen opinio est meta insania. Et sic contra illam est conclusio: Religio est dicenda vnica tantum virtus secundum speciem, quantumcunque admittamus illam esse plures habitus, vel plures qualitates. Et idem dicendum est de quibuscunque alijs virtutibus, siue intellectualibus, siue moralibus. Probatur: Secundum Aristote. 5. Meta. text. 7. vnum dicitur multipliciter, ex quo sit, vt res, quæ in vno genere est vna simpliciter, possit esse plures in alio, vt exercitus, qui plura est in genere substantiæ: & vnus in genere quantitatis; & domus, quæ est vna in genere artificiati, & plures in esse naturæ: quia lapides & ligna ex quibus constituitur sunt plura; ergo pari ratione, quanuis religio esset plures habitus, vel plures qualitates, adhuc diceretur vna virtus propter vnam rationem obiecti. Et confirmatur: Sicut domus ex se, non habet quod constet ex pluribus rebus: sed potest ex vna tantum constare: ita etiam, quòd religio versetur circa plura non habet ex se, sed posset circa vnum tantum versari, si illud solum esset à Deo institutum, vt sibi debitus honor exhiberetur: ergo sicut domus dicitur simpliciter vna: ità etiam religio dicetur vna virtus simpliciter secundum speciem. Et ad argumentum nonnullum respondetur, quòd quanuis religio versetur circa plures res, de illis tamen omnibus agit, secundum quod conueniunt in vna ratione formali obiecti, quod satis est ad vnitatem virtutis: & ideò est dicenda vna tantum virtus.

1. Sensus quæstionis.

2. Sensus quæstionis.

¶ De secundo autem sensu quæstionis, vtrùm, scilicet, religio sit vnica tantum simplex qualitas, maior est difficultas. Nam Scotus, & Nominales, & Gregorius, quæst. 3. prologi, sicut existimãt, quod in scientia, singularium conclusionum sunt singuli habitus, & collectio omnium, quæ conueniũt in vna ratione scibilis, est vna scientia, & sicut in fide singulorum articulorum sunt singuli habitus, & collectio omnium habituũ, est vna fides; nec est vna simplex qualitas inclinans immediatè ad assensum omnium conclusionum, seu articulorum, ita etiam in religione, & in omnibus alijs virtutibus moralibus dicunt, tot esse habitus ponendos, quot sunt res, quæ per talem virtutem disponuntur, & ordinantur. Quam suam sententiam ex eo præcipuè probant. Nam potest contingere, quod aliquis promptè, & delectabiliter operetur circa vnam materiam, & non circa aliam. Quod non contingeret, si vnus atque idem habitus immediatè inclinaret ad omnia.

Sententia Aueris.

¶ Hoc tamen non obstante dico, esse valde absurdum dicere, quod religio & quæcũque alia virtus, siue intellectualis, siue moralis non est vna simplex qualitas. Et probatur primò ex communi modo loquendi omnium dicẽtium, quod religio est vna virtus; ergo & vna qualitas, & vnus habitus. Probo consequentiam, ab specie ad genus. Secundo sic argumentor: Potentia vis iua dicitur vna, licet ad plura se extendat: quia ad omnia, ad quæ se extendit, est sub vna ratione formali obiecti, scilicet, colorati; sed religio ad omnia, ad quæ se extẽdit, est sub vna ratione formali obiecti, scilicet, exhibendi Deo debitum cultum, atque honorem: ergo est vna qualitas, & vnus habitus. Vltimò: Si quis, vt subleuet alienam miseriam, vni dat aurum, alteri vestem, alteri alimentum, omnes illi actus pertinent ad eandem virtutem misericordiæ, quia ad omnes inclinatur sub eadem ratione formali obiecti, scilicet, subleuandi alienam miseriam: ergo pari ratione, qui, vt exhibeat Deo debitum cultum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cultum, interdum offert sacrificium, & interdum orat, & interdum seruit ecclesiæ: omnes illi actus ad eandem virtutem religionis pertinebunt propter vnam rationẽ formalem obiecti.

Ad arg. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum, vt respondeamus aduertẽdum est primo ex D.Thom.1.2. quæst.66.art.1. quod vna virtus dupliciter potest dici perfectior altera intra eandem speciem. Vno modo ex parte obiecti, circa quod versatur. Qua ratione scientia, quæ se extendit ad decem cõclusiones est perfectior, quam quæ se extẽdit ad quinque. Alio modo ex parte subiecti: quatenus eadem scientia, quæ ad decẽ conclusiones extenditur, magis radicata est in vno, quam in alio. Secundo est aduertẽdum, quod perfectio ex parte obiecti, non potest reperiri maior & minor in vna, & eadem virtute morali: sed omnes sunt æquales quantum ad hoc, quia se extendunt ad totam latitudinem sui obiecti. Itaq; quicunque habet temperantiam habet ipsam, quãtum ad omnia, ad quæ se extendit. Et idem dicendum est de alijs virtutibus moralibus. Et ratio est, vt dicit D.Thom. quoniam istæ virtutes sunt in appetitu, qui est inclinatio ad obiectum suum bonum. Propter quod supra quæst.24.art.5. affirmauit, charitatem ex parte obiecti minime augeri, quia est virtus in appetitu. Et si quis obijciat; Sicut se extendit scientia indies ad nouas conclusiones; ità etiam virtus moralis, & charitas ad noua obiecta; ergo sicut perficitur scientia ex parte obiecti; ita etiam virtus moralis, re-

Obiectio.

Responsio. spondeo, negando consequentiam. Nam ratio formalis virtutis moralis, quæ modò se extendit ad plures materias, eadem simul & semel fuit acquisita, seu infusa. At verò ratio formalis scientię partibiliter acquiritur. Et est ratio; Quia ad hoc, vt scientia se extẽdat ad plures conclusiones, præter lumen principiorum, requiritur etiam nouum lumen, quo ad cognitionem talis, & talis conclusionis determinetur, quod in virtutibus moralibus non inuenitur. Ex quo infert Caietanus, hoc differre intellectuales virtutes à moralibus, quod illæ possunt esse virtutes secundum statum imperfectum, istæ verò non, nisi secundum statum perfectũ. Quod etiam affirmat D.Tho. 1.2.q.65.art.1. Verũ tamen est, quòd, quia ad attingendum medium virtutis moralis, quod est secundum rectam rationem, vnus est melius dispositus alio, vel propter maiorem assuetudinem, aut meliorem naturæ dispositionẽ, vel propter perspicacius iudicium rationis, aut verò propter maius gratiæ donum, vt dicit D. Tho. 1.2.q.66.art.1. idcircò virtutes morales eiusdem speciei ex parte subiectorum possunt esse inæquales. Atque etiam eadem numero virtus potest se ipsa esse perfectior, pro diuersis temporibus. His suppositis ad argumentum respondeo; quòd si quando contigerit, aliquem prõpte, & delectabiliter operari circa vnam materiam, & non circa aliã intra latitudinem eiusdem formalis obiecti virtutis moralis, id nõ prouenit, quia vnus, atque idem habitus immediatè non inclinet ad omnia, sed ex indispositione subiecti. Atque adeò non erit necessarium multiplicare habitus in eadem virtute, sed mutare subiecti dispositionem.

¶ In commento huius articuli mouet Caietanus difficultatem, qualiter stare possit cum articulo quinto huius quæstionis, quo expresse negatur, Deum esse obiectum religionis, propter quod excludit illam à ratione virtutis Theologicæ. Et tamen in præsenti dicit, religionem esse vnam virtutẽ: quia habet vnum Deum secundum vnam rationem pro obiecto. Sed suppositа distinctione de duplici obiecto virtutis, vno, cui, altero quod; summariè dicitur, quòd Deus est subiectũ religionis, cui, & non quod. Et sic vterque articulus verum habet, sed hoc magis explicabitur artic. 5.

¶ In solutione ad tertium argumentum multa dicit D.Thom. de imaginibus, & earum adoratione, quæ ingentem continent difficultatem. Sed quoniam illa proprium obtinent locum, in 3.part.q.25. ab illis supersedeo. Qui plura de illis videre desiderat, legat Cord. lib.1. quæst.q.5.

Articvlvs. IIII.

¶ Vtrùm religio sit specialis virtus ab alijs distincta?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd religio non sit specialis virtus ab alijs distincta. Dicit* enim Augustinus 10. de Ciuita. Dei. Verum sacrificium est omne opus quod geritur, vt sancta societate Deo iungamur. Sed sacrificium pertinet ad religionem: ergo omne opus virtutis ad religionem pertinęt, & sic non est specialis virtus. *L.10.c.6. in prin. to. 5.*

2 ¶ Præterea, Apostolus dicit 1. ad Corin. 10. Omnia in gloriã Dei facite. Sed ad religionẽ pertinet aliqua facere ad Dei reuerentiam, vt supra dictum* est: ergo religio non est specialis virtus. *Art. 2. & ar. 1. ad 1.*

3 ¶ Præterea, Charitas qua diligitur Deus, non est virtus distincta à charitate, qua diligitur proximus. Sed sicut dicitur in octauo* Ethic. Honorari pro pinquum est ei, quod est amari: ergo religio qua honoratur Deus, non est virtus specialiter distincti ab obseruantia, vel dulia vel pietate, quibus honoratur proximus: ergo non est virtus specialis. *Lib.8.c.8. tex.5.*

¶ Sed Contra est, quòd ponitur aliqua pars iustitiæ ab alijs eius partibus distincta.

¶ Respondeo dicendum, quòd cum virtus ordinetur ad bonum, vbi est specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem virtutem. Bonum autem ad quod ordinatur religio, est exhibere Deo debitum honorem: honor autem debetur alicui ratione excellentiæ. Deo autem competit singularis excellentia, inquantum omnia in infinitum transcendit secundum omni modum excessum. Vnde ei debetur specialis honor. Sicut in rebus humanis, videmus quòd diuersis excellentiis personarum diuersus honor debetur: alius quidem patri, alius regi, & sic de aliis. Vnde manifestum est, quòd religio est specialis virtus.

Art.1.huius q.ad.1. ¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd omne opus virtutis dicitur esse sacrificium, inquantum ordinatur ad Dei reuerentiam. Vnde ex hoc non habetur, quòd religio sit generalis virtus, sed quod imperet omnibus alijs virtutibus, vt supra* dictum est.

¶ Ad secundum dicendum, quòd omnia secundum quod in gloriam Dei fiunt, pertinent ad religionem, non quasi ad elicientem, sed quasi ad imperantem. Illa autem pertinent ad religionem elicientem, quæ secundum rationem suæ speciei pertinent ad reuerentiam Dei.

¶ Ad tertium dicendum, quòd obiectum amoris est bonum, obiectum autem honoris, vel reuerentiæ, est aliquid excellens. Bonitas autem Dei communicatur creaturæ, non autem excellentia bonitatis eius. Et ideo charitas qua diligitur Deus non est virtus distincta à charitate, qua diligitur proximus. Religio autem qua honoratur Deus distinguitur à virtutibus, quibus honoratur proximus.

Svmma Textvs.

Conclusio D.Tho. est affirmatiua. Probatur. Virtus ordinatur ad bonũ: ergo ibi est specialis virtus, vbi est specialis ratio boni: sed bonũ ad quod ordinatur religio, quod est exhibere Deo debitũ honorẽ, est speciale; sicut & excellentia, ratione cuius ei honor debetur specialis est: ergo religio est specialis virtus. Eandem conclusionem probat D.Tho. in argumento, sed contra, ex eo, quod religio, vt ex dictis patet, ponitur pars iustitiæ ab aliis distincta.

Explicatio Articvli.

Quid velit intelligere D.Thom. quando in isto articulo quærit, an religio sit virtus specialis ab aliis distincta, ex his, quæ diximus supra, q.58.ar.6. agẽtes de iustitia legali, vbi similis quæstio fuit proposita, colligere licet. Nam, cum dupliciter aliquid possit dici generale; vno modo per prædicationem; & quod hoc modo est generale ad essentiam eorum pertinet, quibus est generale: alio modo secundum virtutem, quia, scilicet, est causa inferioribus influẽs, vt sol respectu inferiorum; & quod hoc modo est generale, non est particularibus essentialiter idem, nec de illis prædicatur, quando D. Thom. quærit, in præsenti, an religio sit virtus specialis, non est mens illius inuestigare, vtrùm ità sit virtus specialis, vt ei repugnet esse generalem secundum virtutem. Nam huius difficultatis pars negatiua est vera, & extra controuersiam posita, cũ certum sit religionẽ in quantum actus omnium aliarum virtutũ, ad suum finem, qui est debitũ cultum Deo exhibere, (vt D.Tho. dicit hic in solutione ad primum) dici posse virtutem generalem. Sicut & iustitia atque charitas hac ratione generales virtutes dicuntur. Sed quod intendit quærere est, an religio secũdũ suã essentiã sit particularis virtus ab aliis distincta. Et in hoc sensu respondet conclusione affirmatiua, quæ ita est vera & extra controuersiam posita, vt non sit curæ in illius probatione sit immorandum. *Dupliciter aliquid potest dici generale.*

¶ In solutione ad secundum argu. dicit D. Tho. quod omnia secundũ quod in gloriam Dei fiunt, pertinent ad religionẽ, non quasi ad elicientem, sed quasi ad imperantem. Illa autem pertinent ad religionem elicientẽ, quæ secundũ rationẽ suæ speciei pertinẽt ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

reuerentiam Dei. Quod vt perfectè intelligatur, aduertendū est primo, quod quia religio siue inclinet ad orandum, siue ad sacrificia facienda, siue ad honestè viuendum in omnibus intendit, & quærit, vt Deo debitus cultus exhibeatur. Hinc fit, vt proprius & adæquatus effectus religionis sit, exhibere Deo debitum cultum & honorem, quod & D.Tho.hic & vbique significat.

Quis sit proprius & adæquatus effectus religionis.

¶ Secundo est aduertendum, quòd iste cultus Deo debitus, quem religio intendit, in eo solùm consistit, vt quis vel opere, vel verbo, proficeatur Dei eminentiam & nostram exigentiam, hoc est, Deum esse primum principium, à quo omnia primò processerunt, & postea gubernantur. Et hæc de Dei excellentia expressa à nobis confessio, est vnicus atq; summus cultus, quem Deo religio exhibet. De qua loquebatur Propheta Psal. 117. quando dicebat: Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltauit me; dextera Domini fecit virtutem. Quasi diceret, pro communi & vniuersali generis humani conditione & liberatione resonet, audiaturque vox gaudii, vox cantici & tripudii, de salute per Dei filium communiter omnibus perfecta, & oblata, in domibus & ecclesiis fidelium; vt quibus vna est salus eademque salutis vtilitas, communis sit etiā exultationis lætitia. Gaudii verò nostri iusta hæc est ratio, quoniā diuina potentia, per Christum brachium suum potenter admodùm, & validè egit, magnæque potentiæ & virtutis opera exhibuit, pro nostra operanda salute. Quibus verbis significat, omnē cultū, quem Deo exhibent iusti hac vna confessione & professione diuinæ excellētiæ cōtineri.

Debitus cultus Dei in quo potissimum consistat.

¶ Tertio est aduertendum, esse quasdam res, atque actiones, quibus ex sua, & propria ratione competit, vt sint protestationes diuinæ excellentiæ, vt sunt sacrificia, & orationes ad Deū fusæ. Eo enim ipso, quod sacrificando offerimus Deo bona nostra, orandoque petimus vt ipse bona sua nobis elargiatur, profitemur eum factorem, & autorem omnium bonorum, nosque ab illo omnino pendere. Quod maximè apparet in sacrificiis veteris legis, quæ cæsis, & immolatis animalibus fieri præcipiebantur. Quasi hoc facto significans, Deum esse vitæ autorem. Et ob hanc eandem causam, inter alias, arbitror interdixisse Deum Iudæis, ne sanguinem animalium vescerentur; sed vni sibi illum reseruarent. Nam quia sanguis est sedes animæ, vt tradunt Medici, & constat ex Deute. c. 12. vbi dicitur: Animalium sanguis est anima; volebat Deus illum sibi offerri, sicque manifestare ipsum esse animæ, & vitæ autorem. Quod & significauit Leuit. 17. quando dixit: Si comederit sanguinem, obstirmabo faciem meam contra illum, & disperdam eum de populo meo, quia anima carnis est in sanguine, & ego illum vobis dedi vt super altare expietis pro animabus vestris. Aliæ res sunt, quibus ex sua ratione atque natura non inest ista significatio, & professio, quamuis ex particulari intentione offerētis assumi possint ad id testificandum, & significandum, vt facere eleemosynam, & pudicè viuere. Quæ quidem opera ex sua natura, non sunt professiones nec testimonia diuinæ excellentiæ. Sed si quis illa, ea intentione & animo faciat, vt eis protestetur, se Deo, à quo rectè viuendi normam accepit, esse subiectum, iam erunt testimonia diuinæ excellentiæ; pertinebuntq; ad religionem, poteruntque dici sacrificia, vt dicit D.Tho.hic ad primum. Sed est maximum discrimen inter istas res, nam priores eliciūtur à religione, suntq; proprii actus illius: cū tamē posteriores solum imperatiuè procedant à religione. Quid autē sit necessarium ad hoc, vt aliquis actus dicatur procedere elicitiuè ab aliqua virtute, & quid, vt imperatiuè, in qua re explicanda Caietanus valde vexatur in præsenti, iam à nobis est explicatum articulo primo huius quæstionis.

Quædam res ex sua ratione sunt protestationes diuinæ excellentia.

Eleemosyna non semper pertinet ad religionem.

Anima animalis est in sanguine.

¶ In solutione ad tertium argumentum dicit D.Tho. Primo, quod obiectum charitatis est bonitas Dei; obiectum autem religionis est excellentia bonitatis Dei. Dicit secundo, quod bonitas Dei communicatur creaturis, cū tamen excellentia Dei illis non cōmunicetur. Ex quibus colligit, quod quia in Deo, & proximo est eadem ratio bonitatis diuinæ, quæ est obiectum charitatis, idcircò vna & eadem virtus charitatis est, quæ inclinat ad diligendum Deum & proximum. Tamen quia excellentia diuina, in quam fertur religio, non est eadem in hominibus, sed diuersa, idcircò non est vna virtus religionis inclinans ad exhibendum cultum Deo, & hominibus, sed diuersæ. Contra quæ argumentor primò in hunc modum. Quando D. Thomas dicit, quòd excellentia bonitatis diuinæ nō communicatur creaturis, communicatur autē ipsa bonitas diuina; vel loquitur de cōmunicatione per essentiā; vel solum de communicatione per similitudinem aliquam participatum. Non primum; quia nulli creaturæ ipsa bonitas diuina, secundum suā essentiam communicari potest: ego loquitur de secūdo, hoc est de cōmunicatione per similitudinem. Tunc vltra: Sed hoc modo non solum bonitas diuina, sed etiam eius ex-

2. argu.

cellentia communicatur creaturis; cū vnaquæque res, quantū participat de bonitate Dei, tantū etiam participet, de eius excellentia: ergo quantum ad hoc, nullum est discrimē inter charitatē, & religionem. ¶ Secundo sic argumentor: Si charitatis virtus, quæ diligit Deū, eadē diligeret proximos; quia bonitas diuina, quæ est obiectū charitatis illis cōmunicatur, sequeretur, quod ratio amādi & obiectū formale dilectionis proximi esset bonitas diuina participata; hoc autē est falsum, & absurdum; nam ista bonitas participata, est quid creatum, obiectum autē charitatis, est quid increatum, scilicet, ipse Deus, alias charitas non esset virtus theologica: ergo male dicit D.Tho. quod eadem charitas diligit Deum, & proximos, quia eadem bonitas diuina communicatur illis.

Diuina bonitas tripliciter potest communicari creaturis rationalibus.

¶ Sed, vt mentē D.Tho. explicemus, ac simul etiam satisfaciamus argumentis propositis; aduertendum est primo, quod eum vnū alteri communicari, nihil aliud sit, quam quod vnū sit in alio, & bonitas diuina tripliciter possit esse in creaturarationali, Vno modo secundum suam essenciam, qua ratione est in beatis; quorū mētibus essentia diuina vnitur in ratione speciei intelligibilis; alio modo per effectū & similitudinē, inquantū, scilicet, producit in illa aliquid sibi simile; qua ratione est etiā in omnibus aliis rebus; tertiò per habitudinem, & rationē, & est affirmare quod sicut sanitas dicitur esse in medicamento, & in vrina, ob id tātū, quia dicūt ordinē ad sanitatē; sic etiā diuina essentia dicitur esse in creatura rationali propter habitudinē, & relationem, quā habet ad illā, quòd scilicet, est capax illius cōsequendæ, fit, vt diuina bonitas his tribus modis possit creaturis rationalibus cōmunicari. Sed est aduertēdū, quod quāmis excellens Dei bonitas secundū se, & suā essentiā sit in creaturis rationalibus, vel actu, vt in beatis, vel per effectum, vt in omnibus aliis rebus, vel per habitudinem, vt in viatoribus, nunquam tamen est in illis secundum eum modum propriū, quo est in Deo, scilicet, essentialiter.

Discrimen inter bona rē, & amoreni.

¶ Secundo est aduertendū, quod vt docuit D.Tho. supra qu. 25. art. 1. in solutione ad 2. hoc interest inter amorē, & honorem; quod amor respicit bonū in cōmuni, honor autēre spicit propriū bonū honorati. Defertur enim semper alicui in testimoniū propriæ virtutis. Ex quo fit, vt amor non diuersificetur specie propter diuersam quantitatē bonitatis diuersorū, dūmodo referatur ad aliquod vnū bonū cōmune, at verò honor diuersificetur secūdū propria bona singulorū. Et sic eodē amore charitatis diligimus omnes proximos, inquantū eōs refertur ad vnū bonū cōmune, quod est Deus; eō tamē diuersos honores diuersis deferamus secundū propriā virtutē singulorū. Et etiā Deo singulare honorem latriæ exhibemus propter eius singularem virtutem.

Ad 1. arg.

¶ His suppositis, ad 1. argn. respondetur, quod D.Tho. loquitur, de cōmunicatione diuinæ bonitatis nō secundū suā essentiā, sed secundū aliquā similitudinē participatā. Et quādo rursus dicitur, diuinā excellentiā eodē modo cōmunicari creaturis, quo cōmunicatur bonitas ipsius, atq; adeò eandē esse rationē charitatis, & religionis, respōdetur negando cōsequentiā. Nā obiectū charitatis est bonitas diuina, nō solùm propriè est in Deo, sed etiā vt refertur ad alios, estq; in illis vel habitudine vel actu. Nā vt modo dicebam, ex D.Thom., obiectum amoris est bonum commune ex quo fit, vt vna, & eadem charitas se extendat ad omnia illa, in quibus ipsa essentia bonitatis inest, vel essentialiter, vt in Deo; vel secundū habitudinē, vt in creaturis rationalibus, dūmodo illa omnia referātur ad idē bonū cōmune. Et hoc est, quod voluit D. Thomas significare quando dixit in præsenti, obiectum charitatis esse bonitatem diuinam, quæ communicatur. Et supra, quæstione 23. articulo 4. quando affirmauit, charitatis obiectum esse bonum diuinum, vt est obiectum beatitudinis, hoc est, quatenus est bonum aliis, sequè communicat. Nam ex illius communicatione efficiuntur beati, quicunque tales sunt. At verò obiectum religionis est bonitas diuina quatenus est bonum proprium Dei, hoc est, quatenus Deo competit ratione quadam peculiari, & propria. Colit enim religio Deum, non solum, quia bonus, sed etiam, quia eo modo bonus, quo nullus alius bonus esse potest. Semper enim honor profertur in testimonium propriæ virtutis, vt modo dicebam. Et sic virtus religionis ad creaturas colendas se extendere non potest. Quod voluit significare D. Thomas quando dixit, excellentem bonitatem esse obiectum religionis, hoc est, bonitatem sub ea ratione, qua Deo competit peculiariter. Nam bonis propriis excedimus, & non communibus. Et rursus, excellentia bonitatis diuinæ non communicatur. Et est dicere, quod modus ille eximius, & singularis, quo competit Deo bonitas non communicatur. Non obstante, quod ipsa res, quæ est excellens, puta, bonitas diuina communicetur, non solum secundum similitudinem, sed etiam secundum essentiam, vel actu, vt in beatis, vel habitudine,

Modus quo bonitas diuina est obiectum charitatis.

Modusque religio colit Deum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitudine, vt in viatoribus. ¶ Ad secundum respondetur, quod quamuis verum sit, quod charitas diligit proximos: quia bonitas diuina illis communicatur; ex hoc tamen non infertur, quod ratio amandi, & obiectum formale dilectionis proximi sit bonitas diuina participata; sed tantum sequitur, quod ratio amandi est ipsa bonitas diuina, quæ communicatur & participatur. Et verè sic est. Nam quia charitas diligit bonitatem, quæ est in Deo, idcirco etiam diligit illos homines, qui habent aliquem respectum, & ordinem ad ipsam bonitatem. Sicut & etiam res amicorum nostrorum diligere dicimur, non propter ipsarum rerum bonitatem, sed propter eam, quam habent ex relatione ad amicos, quorum res sunt.

Ad 2. arg.

Articvlvs V.

¶ Vtrum religio sit virtus theologica.

Ench. c. 3. tom. 3.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quod religio sit virtus theologica. Dicit enim Augustinus in Enchiridio, quod Deus colitur fide, spe, & charitate, quæ sunt virtutes theologicæ. Sed cultū Deo afferre pertinet ad religionem: ergo religio est virtus theologica.

2 ¶ Præterea, Virtus theologica dicitur quæ habet Deum pro obiecto, religio autem habet Deum pro obiecto: quia ad solum Deum ordinat, vt dictū * est: ergo religio est virtus theologica.

Art. 1.

3 ¶ Præterea, Omnis virtus, vel est theologica, vel intellectualis, vel moralis, vt ex * supradictis patet. Manifestū est autem, quòd religio non est virtus intellectualis: quia eius perfectio non attenditur secundum considerationē veri. Similiter etiam non est virtus moralis: cuius proprium est tenere medium inter superfluum, & diminutū. Non enim aliquis potest superfluè Deum colere, secundum illud Eccles. 43. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis. Maior enim est omni laude: ergo relinquitur quòd sit virtus theologica.

1.2.q.57. ar.4.& q. 58. per totum.

¶ Sed Contra est, quod ponitur pars iustitiæ quæ est virtus moralis.

¶ Respondeo dicendum, quod sicut supra * dictum est, religio est quæ Deo debitum cultum affert. Duo ergo in religione considerantur. Vnū quidem quod religio Deo affert, scilicet cultus, & hoc se habet per modum materiæ, & obiecti ad religionem. Aliud autem est id cui affertur, scilicet Deus, cui cultus exhibetur, non quasi actus quibus Deus colitur, ipsum Deum attingant, sicut cum credimus Deo, credendo Deum attingimus. Propter quod suprà * dictum est, quod Deus est fidei obiectum, non solum inquantum credimus Deum, sed inquantum credimus Deo. Affertur autem Deo debitus cultus, inquantum actus quidam quibus Deus colitur, in Dei reuerentiam fiunt, puta sacrificiorum oblationes, & alia huiusmodi. Vnde manifestum est, quod Deus non cōparatur ad virtutem religionis, sicut materia vel obiectū, sed sicut finis. Et ideo religio non est virtus theologica, cuius obiectum est vltimus finis, sed est virtus moralis, cuius esse est circa ea quæ sunt ad finem.

Art. 1. & 3. huius quæst.

Q. 2. ar. 1.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod semper potentia, vel virtus quæ operatur circa finem, per imperium mouet potentiam, vel virtutem operantem ea quæ ordinantur in finem illum: virtutes autem theologicæ, scilicet fides, spes, & charitas, habent actū circa Deum, sicut circa proprium obiectum. Et ideo suo imperio causant actū religionis, quæ operatur quidem in ordine ad Deum. Et ideo Augustinus * dicit, quòd Deus colitur fide, spe, & charitate.

Lococitato in argu.

¶ Ad secundum dicendum, quòd religio ordinat hominem in Deum, non sicut in obiectum, sed sicut in finem.

¶ Ad tertium dicendū, quòd religio non est virtus theologica, neque intellectualis, sed moralis: cum sit pars iustitiæ, & medium in ipsa accipitur. non quidem inter passiones, sed secundum quandam æqualitatem inter operationes quæ sunt ad Deum. Dico autem æqualitatem non absolutè: quia Deo non potest tantum exhiberi, quantum ei debetur, sed secundum quandam considerationem humanæ facultatis, & diuinæ acceptationis. Superfluum autem in his quæ ad diuinū cultum pertinent, esse potest: non secundum circunstantiam quanti, sed secundum alias circunstantias, puta, quia cultus diuinus exhibetur cui non debet exhiberi, vel quando non debet, vel secundum alias circunstantias, prout non debet.

Svmma Textvs.

CONclusio D. Tho. est negatiua. Et probatur. Illa dicitur virtus theologica, cuius obiectū est vltimus finis, puta, Deus; sed obiectū religionis nō est Deus: ergo religio nō est virtus theologica. Cōsequētia cū maiori est nota, & minor probatur: In religione duo est cōsiderare. Vnū est cultus, quē religio affert Deo: Et hic se habet per modum materiæ & obiecti ad religionē, Alterū est Deus, cui talis cultus exhibetur: quiquidē non attingitur per ipsos actus, quibus colitur, sicut attingitur per fidem, quando credimus Deum: propter quod vt dictum est supra quæst. 2. articulo 2. Deus ponitur obiectū fidei, nō solum in quantum credimus Deum, sed etiam in quantum credimus Deo: Affertur autem debitus cultus Deo, inquantum actus, quibus Deus colitur in Dei reuerentiam fiunt: ergo Deus non est obiectum religionis, sed illius finis. Atque ex consequēti religio non est virtus theologica.

Explicatio Articvli.

SVpposito in præsenti, tanquā certo, quod virtutes morales, & intellectuales differūt à Theologicis, in eo, quòd virtutes morales, & intellectuales habēt pro obiecto id, quod humana ratione comprehendi potest, Theologicæ verò habēt pro obiecto Deum, vt humanam facultatem excedit, vt docet D. Tho. 1.2. qu. 62. art. 2. & 3. Dubium est circa istum articulum, vtrùm Deus sit obiectum religionis? Et pro parte affirmatiua argumentor primo ex D. Tho. ar. 3. huius quæstionis, id expresse affirmāte. Probat enim religionē esse vnā virtutē, quia habet vnū Deū secūdū vnā rationē pro obiecto. Quæ ratio nihil valeret, nisi vetū esset, quod Deus est obiectum religionis. Secundo. Obid dicit D. Tho. in isto articulo, religionē nō habere Deum pro obiecto; quoniā actibus à se elicitis nō attingit ipsum Deum; sed hoc est falsum: nam orando, & petendo, vt ipse Deus honorificetur, atque etiam petendo Deum nobis, tanquā præmiū & beatitudinem nostrā, constat, quod à Deo Deum petimus, & quod cultum Deo offerentes, ipsum orationis actu attingimus, non minus, quā actu fidei credendo Deum, & Deo, illū attingimus: ergo religio est virtus theologica.

Dubium. 1. arg. 2. arg.

¶ In hac difficultate vt certā ab incertis separemus dico primo certū esse, quòd religio non est virtus theologica: Nam cum ex communi sensu ecclesiæ tres tātum virtutes theologicæ ponātur: nempe, fides, spes, charitas, de quibus loquebatur Paulus 1. ad Corint. 13. quando dicebat; Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas, fieri nō potest, vt alia theologica virtus constituatur. ¶ Dico secundo etiam esse certum, quod virtutes theologicæ distinguūtur à non theologicis inco, quod theologicæ habēt Deum pro obiecto, aliæ verò non, vt D. Tho. hic, & vbique affirmat. ¶ Tertio etiam est certum, quod theologicæ, atque religio aliqua ratione respiciunt Deum, habentque ipsum pro obiecto: qua aliæ virtutes, siue morales, siue intellectuales illum non respiciunt, vt ex D. Tho. p.p.q. 1. ar. 7. & ex quæstione præsenti colligere licet. Sed quod habet difficultatem est, quis sit ille modus, quo necessarium est, vt Deus sit obiectum virtutis alicuius, vt ipsa Theologica dicatur. Duran. in 3. d. 26. quæst. 2. dicit non esse necessarium, vt Deus sit obiectum immediatum virtutis, ad hoc, vt ipsa Theologica dicatur, sed satis esse, quod sit obiectum principale, quamuis mediatum. Quā suam sententiam probat primo. Spes est virtus theologica, & tamen habet Deum pro obiecto mediato: ergo id sufficit. Cōsequētia cum maiori est nota, & minor probatur. Spes pertinet ad amorem concupiscentiæ: sed Deus non est obiectum immediatum huius amoris; res enim, quæ amantur amore cōcupiscentiæ, non amantur propter se: & est impium, Deum non propter se amare, vt Dā. Augustinus docet in lib. de Doctri. Christiana. c. 3. & 4. ergo Deus non est immediatum obiectum spei. ¶ Secundo: Idem est obiectum gaudii in patria, & spei in via, differunt ergo tantum in eo, quòd gaudium est de obiecto præsenti, spes verò de obiecto futuro: Id enim nunc consequi speramus, quo consequuto gaudio afficimur, & voluptate: sed obiectū gaudii nō est aliquod bonū extra nos positū, sed ipsa beatitudo formalis in nobis existēs, quæ est quid creatū: ergo obiectum spei similiter est aliquid in nobis existēs, quod sit creatū. Atq; ex cōsequēti Deus nō est immediatū obiectū spei, quæ est virtus Theologica.

Resultat difficultatis. Durandus. 1. argu. pro sententia Durandi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confirmatio. ca. ¶ Et confirmatur: obiectum timoris non est Deus, sed malū, quo potest nos Deus afficere: ergo obiectū spei nō est Deus, sed bonū, quod potest in nobis efficere. Antecedēs est manifestum, & consequētia probatur: Nā oppositorū eadem est ratio: & timor opponitur spei.

Conclu. ¶ His tamē nō obstātibus dico ad rationē virtutis Theologicæ necessariū esse, quod habeat Deum pro obiecto nō tātum principali, sed etiā immediato. Defectu cuius nec Theologia, nec religio, nec timor, sunt virtutes Theologicæ. Et quidē quod id sit necessariū patet: quia alias plures essent virtutes Theologicæ, quā tres, cuius tamē cōtrarium cōmuni sensu ecclesiæ recipitur, vt paulò antea dicebā. Ex hoc infero primò, quod spes habet Deum pro obiecto immediato. Nā est virtus Theologica, vt omnes Doctores concedunt; quod esse nō posset, nisi Deum pro obiecto immediato haberet. Infero secūdo, quod neq; Theologia, nec religio, nec timor habēt Deū pro obiecto immediato aliàs augerēt numerum virtutum Theologicarū, quod dici nō potest. Sed vt ostendamus qualiter spes habeat Deū pro obiecto, nō solum principali, sed etiā immediato, aduertendū est primo ex D. Tho. supra q. 17. ar. 5. quod spes dupliciter potest cōparari ad Deum. Vno modo tanquā ad primam causam efficientē, cuius auxilio nititur cōsequi quod sperat. Alio modo tanquam ad causam finalem, quæ est summum bonū, quod cōsequi speramus. Et quidem quod spes tendat immediatè in Deum tanquam in primam causam efficientem, certum est & ab omnibus concessum, nec hoc negat Durandus. Verum autem etiam ferat immediatè in Deum tanquam in vltimum finem & bonum, quod speratur, varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Inter quas ea est probabilior, quæ asserit, spē immediatè tendere in Deū, non solum tanquā in primam causam efficientem, sed etiam tanquam in vltimum finē. Quod, vt probemus, supponendum est secundo, quod quanuis finis & cōsequutio finis, scilicet, Deus & visio Dei, sint duæ res distinctæ, tamen proprie loquendo, non sunt duo fines, nec duo obiecta, sed vnum tantum. Qui enim desiderat videre Deum, nihil aliud desiderat, quam Deum visum. Et qui desiderat pecunias, nihil aliud desiderat, quam pecunias possessas. Nec hæc sunt duo, sed vnus finis. Hoc supposito, probatur, quod spes habeat Deum pro obiecto immediato: spes fertur immediatè in finis vltimi consequutionem, scilicet, in futuram felicitatē: sed finis vltimus, puta, Deus, & eius cōsequutio sunt vnus finis: ergo spes immediatè tēdit in Deū. Ex dictis infertur, quod quādo dicimus, spē immediatè respicere beatitudinē nomine beatitudinis, nō solū intelligim⁹ beatitudinē obiectiuā, qualis est Deus; sed etiā formalē, qualis est visio: cū idem sint finis, & possessio finis, vt iam explicuimus.

Spes cōparatur ad Deum dupliciter.

Deus, & visio Dei sunt vnus tantū finis.

Theologia tendit mediatum Deum.

¶ Quod autē nec Theologia, nec religio, nec timor habeāt Deū pro obiecto immediato, sed tantū pro mediato, id nūc restat explicandū. Et quidē de Theologia, est res manifesta. Nā immediatè tendit in opera Dei, quæ sunt quædā vestigia ipsius; illiusq; mediātibus tēdit in Deū, vt docet D. Tho. p. p. q. 1. ar. 7. in solutione ad 1. arg. Et si quis obiiciat, Principia, ex quibus Theologia procedit, sunt articuli fidei, quorū cognitio immediatè terminatur ad ipsum Deū: ergo Theologia nostra etiā habet Deū pro obiecto immediato; Respōdetur cōcesso antecedēti, negādo consequentiā. Quod vt intelligatur aduertēdū est, quod fides, & Theologia nostra differunt penes hoc, quod fides immediatè nititur autoritate Dei: Theologia verò non nititur immediate autoritate Dei, sed ratione & discursu quovis tur ad eliciendas conclusiones. Itaq; quemadmodum habitus principiorum, qui dicitur intellectus, & scientia, quæ est habitus conclusionum differunt penes hoc, quod habitus principiorum nititur lumine naturali intellectus sine discursu cognoscentis principia, & habitus sciētificus innititur ratiocinatione, quæ per euidentē consequentiā deducit ex principiis conclusiones; ità etiā fides, & Theologia differunt penes hoc, quod fides innititur immediatè diuinæ reuelationi; Theologia verò non immediatè, sed mediante lumine naturali, quo ex principiis deducit conclusiones; & sic lumen diuinæ reuelationis est immediatum obiectum formale fidei, Theologiæ verò non nisi mediatum. Atque adeò Theologia non immediatè, sed mediate tendit in Deum. Ex quo fit, vt non sit virtus Theologica.

Obiect.

Solutio.

Differentia inter Theologiam & fidem.

¶ De timore etiam est certum, quod non habet Deum pro obiecto immediato, vt docet D. Thomas supra quæstione 19. articulo 1. sed mala quæ nobis possunt prouenire. Quod ista ratione probat: Timor potest habere duplex obiectum: vnū est malū, quod homo refugit; & aliud illud, à quo malū potest prouenire: sed Deus nō potest esse obiectū timoris primo modo; quia est ipsa essentia bonitatis: ergo nec timeri immediatè, & secūdū se. Et si quis obiiciat; Deus immediatè & secūdū seipsum potest odio haberi; ergo & timeri. Cōsequentia pater, quia vtrumq; est de malo. Antecedēs verò probatur: Dānati in inferno odio prosequūtur Deū propter seipsum, sicut beati diligunt Deum propter se ipsum: ergo Deus immediatè & secundum se potest timeri; & confirmatur; Deus dicitur bonum nostrum; quia confert nobis bona: ergo pari ratione dicetur malū nostrū, quia infert nobis mala pœnæ, atq; ex cōsequēti poterit secūdū se, & immediatè timeri. Ad obiectionem respondetur negando antecedens. Non enim potest Deus secundum seipsum odio haberi, vt docet D. Tho. supra qu. 34. Et ad probationē dico, quod dānati odio prosequūtur Deū; quia per errorē intellect⁹ apprehēdunt illū, vt summū malū suū: cum tamen secundū seipsum sit summe diligibilis. Ad cōfirmationē respōdeo, negādo, quod Deus sit summū bonum nostrū quia cōfert nobis bona. Quin potius quia est bonū nostrū, largitur nobis bona. Et propter eandē rationem infert mala pœnæ in bonū nostrū. Malum enim pœnæ non auertit nos ab vltimo fine, sed potiùs ducit nos ad Deū. Quare in psal. 31. quod incipit: Quā bonus Israel Deus iis, qui recto sunt corde, cū recensēt propheta mala pœnæ, quibus Deus affligit suos, non appellat eum malū, sed bonum. Non ergo potest Deus esse immediatum obiectum timoris: atq; adeò nec timor erit virtus Theologica. Quod videtur facere difficultatem in hac re est, quod D. Tho. dicit, quod sicut spes habet duplex obiectum; Ita & timor, quod aduersari videtur doctrinæ à nobis paulò antè traditæ. Vbi diximus, quod, quia apud philosophum moralē, vnicū tantū obiectum spei est res & consequutio rei, idcircò Deus est immediatū obiectum huius virtutis. Sed certè hæc duo non contrariantur. Nā quādo D. Tho. supra q. 19. ar. 1. dixit, duplex esse obiectū spei, mēs illius erat, quod obiectū, cui spes innititur, vt primæ causæ efficiēti, & obiectū, q. spes quærit, tāquā vltimū finē apud philosophū moralē reputātur, vt duo obiecta, quorū vnū appellatur obiectū, cui, hoc est obiectū cui spes innititur, alterū autē obiectū, q. hoc est obiectū quod spes quærit. Quod verū est. At verò nos diximus, quod in ipso obiecto, quod, erāt duæ res, quæ quāuis apud metaphysicū sint distinctæ, scilicet, Deus & visio ipius: apud philosophum tamen mora lem ex vtraque conficitur vnum obiectum immediatum gaudii in patria, & spei in via. Et sic hæc non opponuntur. ¶ Præterquā, quod, quanuis in spe sint duo, scilicet, bonū, quod speratur, & is, à quo speratur: & simili ter in timore sint alia duo, scilicet, malum, quod timetur, & is, à quo id malū potest prouenire; ista tamen aliter sunt in spe, & aliter in timore. Nā in spe idem est bonum, quod

Timor non tendit immediatè in Deum.

Obiect.

Solutio.

Neta.

percipi speratur, & Deus, à quo illud bonū speratur. At verò in timore malum, quod timetur, re distinguitur à Deo, inflictore. Et hoc satis est ad hoc, vt timor non dicatur habere Deum pro obiecto immediato.

Religio quæ liter nō tēdat in Deū immediatè

¶ De religione, vtrùm habeat Deum pro obiecto immediato, maior est difficultas. Quamvt explicet Caietanus in præsenti, aduertit, quod quemadmodum in vniuerso rerum naturæ ita sunt connexæ, atque ordinatæ, vt inferior in sui supremo, superioris naturæ attingat cōditionem; cuius rei signum est, quod natura elementaris in sui supremo monetur motu cælesti, & anima rationalis in sui supremo intelligit sine discursu, vt angelus: ità etiam in virtutibus moralibus suprema earum, quæ est religio, quadam ratione participat naturā virtutum Theologicarum. Ex quo fit, vt quamuis ipsa, quia mota lis est, suis actibus non attingat Deum, tanquam obiectum, seu materiam, circa quam operetur, sed attingat mentem nostram, & opera humana, resque exteriores, quas orando, adorando, sacrificando offert Deo: propter coniunctionem tamen, quam habet ad virtutes Theologicas, habet Deum pro obiecto, non simpliciter, sed, cui. Et quidem quod religio habeat Deum pro obiecto, cui debitū cultum exhibet, est res manifesta. Et similiter quod ex tali obiecto sumatur vnitas, vel diuersitas habitus, patet ex eo, quod alia est virtus qua cultum Deo, & alia, qua cultum patri, & alia qua cultum maioribus exhibemus. Nec ob aliam causam; nisi, quia alia ratione Deus, alia pater, alia alū honorandi sunt; vt distinctio inter pietatem, observantiam, & religionem testatur. Propterea que in articulo 3. huius quæstionis ex vnitate rationis formalis Dei assignata fuit à D. Thoma vnitas religionis. Sed, quod Deus non attingatur actibus, quibus colitur, non ita liquet. Erit tamen manifestum, si proprios religionis actus formaliter & nudos inspexerimus. Nam si aliquibus actibus attingendus esset Deus, illi certè essent interiores intellectus, & voluntatis, cū exteriores ad Deū terminari nequeāt. At verò actus interiores quatenus sunt religionis, debitū cultum Deo reddūt. Hoc est offerunt Deo, vel mentem ipsam, vt sit in deuotione, & oratione, vel alias res exteriores. Atque adeò colendo Deū, nō Deū secundū se attingimus illis actibus, quibus cū colere dicimur: sed attingimus vel nos ipsos, vel res ad extra. Et quamuis colere Deū grāmaticaliter, Deum attingere significet, pro quanto, ly, colere, significat terminari ad Deū, secūdū tamē rei veritatem actus colēdi aut nos,

Religio habet Deū pro obiecto cui, non autem pro obiecto quod.

Universidad de Deusto
Biblioteca

abit nostra attingit offerendo illa Deo. Non sic autem in fide, vt D. Thom. in litera affirmat; sed credendo Deo; quod est habere Deum pro obiecto, vt cui, actu etiam credendi attingit ipsum Deum, vt obiectū quod, immediatum: quod necessarium est, vt virtus Theologica dicatur. Resolutio ergo huius difficultatis est, quod, quia actus religionis, inquantum religionis pure sunt, nos nostrique attingunt; vt materiam quam Deo offerunt. Et sicut, quando genuflectimus, talē actu offerimus Deo membra nostra eorundem officio: ità etiam actibus intellectus, & voluntatis offerimus ipsas vires earūdem officio, nec Deum attingimus immediatè, quod necessariū est ad virtutē Theologicā. Ideircò religio non est virtus Theologica, quamuis sit præstantissima inter virtutes morales. Et per hæc patet solutio ad argumēta in principio dubitationis facta. Iam enim constat, qualiter sit intelligendus D. Thom. in tertio articulo huius quæstionis. Vbi vnitatem religionis ex vnitate Dei, cui cultum exhibet, colligit. In quo dictis per ipsum in isto articulo aduersari videtur, vt in primo argumēto dicitur. Loquebatur enim ibi de subiecto, cui; & in præsenti de subiecto, quod. ad modum iam explicatum. Et sic nulla est repugnantia. Atque etiam constat, qualiter religio actibus à se elicitis Deum non attingat, cuius contrarium secundum argumentum probare nitebatur.

Ad 1. arg. in principio dub. tationis factū

Ad 2. arg.

Notæ. pro solutione ad argumēta Durādi.

¶ Sed restat nunc respondere ad argumenta facta pro sententia Durandi. Quod vt facere possimus, aduertendum est primo ex Caietano supra quæst. 17. articulo 5. quod res, quæ subiecto est ab altera distincta secundū bonitatem, quam habet in seipsa, potest esse bonum proprium alterius. Vt, verbi gratia, vinum, quod est ab homine distinctum subiecto, secundum bonitatem, quam habet in se ipso, potest esse proprium bonum hominis. Et ratio est: Nam cum bonum & finis sint idem, & res quæ subiecto est ab homine distincta secundum bonitatem, quam habet in se, sit proprius finis hominis, sit, vt etiam sit bonum proprium illius.

2. Nota.

¶ Secundo est aduertendum, quod bonum ab homine distinctum potest esse in illo obiectum amoris concupiscentiæ. Nā cū vnusquisque sibi concupiscat id, quod bonum proprium esse iudicat: & bonum subiecto ab homine distinctum, accidat, quod sit bonum proprium illius, vt modo dicebam, fit, vt possit homo illud sibi concupiscere. Atque ex consequenti tunc bonum ab homine subiecto distinctum, erit obiectum amoris concupiscentiæ.

3. Nota.

¶ Tertio est aduertendum, quod de ratione amoris concupiscentiæ non est, quod id, quod concupiscitur ordinetur tanquam in finem, in illum, cui concupiscitur. Sed satis est, vt sit volitum alteri, vt docet D. Thom. 1.2. quæstione 26. articulo 4. & 1. part. quæstione 60. articulo tertio. Quod & isto exemplo fit manifestum: Nam certum est, quod cū volumus proximo beatitudinem amamus illum amore concupiscentiæ (concupiscimus enim eam proximo) & tamen non ordinamus beatitudinem in proximum, tanquam medium in finem; sed potius id volumus, scilicet, quod proximus ordinetur in suum finem, qui est beatitudo. Item: pater æternus voluit nobis filium suum, id est, concupiuit illum nobis: & tamen certum est, quod non ordinauit filium suum in nos, tanquam in finem. Et sic constat, non esse necessarium, quod id, quod amatur amore concupiscentiæ, ordinetur tanquam in finem, in illum, cui concupiscitur, quamuis id aliquando cōtingat. Vt cum volo cibum amico. Sed satis est, quod sit volitum alteri. Ex quo possumus colligere regulam bimembrem, quod quando id, quod amatur amore concupiscentiæ, est ordinabile, tanquam in finem, in illum, cui concupiscitur: tunc non solum amatur illi, sed amatur propter eum. Vt contingit in cibo respectu amici. Quando verò id, quod amatur amore concupiscentiæ, non est ordinabile in eum, cui concupiscitur, tanquam in finem: tunc non amatur propter eū; sed solum amatur illi. Vt contingit in beatitudine respectu proximi.

Vlt. nota.

¶ Vltimò est aduertendum, quod sicut in causa efficienti, verbi gratia, in igne, possumus tria cōsiderare, primū est forma, quæ est illi ratio agendi, scilicet, calor, secundum est ipsa actio, scilicet, calefactio, tertium est effectus, scilicet, calor productus per actionē: ità etiam in causa finali possunt totidem cōsiderari: verbi gratia: in vino primum est forma, qua finalizat, id est, trahit ad se voluntatem. Et hæc est contemperatio qualitatum apta ad extinguendam sitim. Secundum est ipsa finalizatio. Tertium verò effectus consecutus, qui est sitis extinctio. Et sicut ignis dicitur verè causa immediata caloris, quem producit in ligno; quamuis mediet & forma, per quam agit, & actio ipsa; quia istæ sunt conditiones necessariæ requisitæ ad producendum calorem; nec est aliud agens medium; ità etiam bonum, quod est ab homine subiecto distinctum erit immediatus finis illius: quamuis mediet, & ratio, qua finalizat, id est, allicit voluntatem, & actio finalizandi, id est, ipsum allicere actua-

le. Quia istæ sunt conditiones necessariæ requisitæ, nec mediat alius finis.

Ad 1. arg. Durandi.

¶ His positis ad primum argumentum Durandi respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quod spes est quidem purissimus actus concupiscentiæ, quo Deum amamus. Non propter nos: quia Deus secundum se non est ordinabilis ad nos, tanquam ad finem. Sed amamus illum nobis, quod est ordinare nos ipsos ad eum, vt ad vltimum finem & summum bonum, cuius visione ac fruitione tandem fumus futuri beati. Nec hoc dicit D. Augustinus esse impium, sed tantum, amare Deum propter aliud, tanquam propter finem.

Ad 2. Arg.

¶ Ad secundum respondetur, concessa maiori negando minorem. Falsum est enim, quod obiectum gaudij non possit esse bonum extra nos positum: quale est Deus, vt docet Caietanus supra q. 17. art. 5. Quia cum obiectum gaudij, sit bonum proprium, quod interdum potest esse subiecto distinctum ab eo, cuius est bonum, vt patet in vino, quod secundum bonitatem, quam habet in se est bonum proprium ebrij, manifestè sequitur, quod obiectum gaudij etiam potest esse bonum extrinum.

Ad 3. arg.

¶ Ad tertium respondetur, quod timor vtrumq; habet pro obiecto, scilicet, Deum, & malum quod Deus infert peccatori: Tamen hæc duo pro eodem obiecto computantur. Nam qui Deum timet, nihil aliud timet, quam Deum mali effectorem, vel malum quatenus à Deo proficiscitur, quod idem est. Et idem contingit in spe. Ex hoc tamen non sequitur, quod timor habeat Deum pro obiecto immediato, vt diximus agentes de timore.

Articvlvs VI.

¶ Vtrum religio sit præferenda alijs virtutibus moralibus.

Inf. q. 88. art. 6. cor. Et q. 103. ar. 2. co. & 3. cont. ea. 185. cor. 1 fi. Et quol. 6. arti. 11. cor. Lib. 2. c. 6. te. 5.

AD Sextvm sic proceditur. Videtur quod religio non sit præferenda alijs virtutibus moralibus. Perfectio enim virtutis moralis cōsistit in hoc, quòd attingit medium, vt patet in secundo * Ethicorum. Sed religio deficit in attingendo medium iustitiæ: quia non reddit Deo omnino æquale: ergo religio non est potior alijs virtutibus moralibus.

2 ¶ Præterea, In his quæ hominibus exhibentur, tanto videtur aliquid esse laudabilius, quanto magis indigenti exhibetur. Vnde dicitur Isaiæ 57. Frange esurienti panem tuum. Sed Deus non indiget aliquo quod ei ab nobis exhibeatur, secundum illud Psal. 15. Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges: ergo religio videtur minus laudabilis alijs virtutibus, per quas hominibus subuenitur.

3 ¶ Præterea, Quanto aliquid fit ex maiori necessitate, tanto minus est laudabile, secundum illud primæ ad Corinth. 9. Si Euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Vbi autem est maius debitum, ibi est maior necessitas. Cum ergo Deo maxime sit debitum, quod ei ab homine exhibetur, videtur quòd religio sit minus laudabilis inter virtutes humanas.

Ar. præced. in cor. Et ad 1. arg. Et sup. q. 4. art. 7.

¶ Sed Contra est, quòd Exodi vigesimo, ponuntur primò præcepta ad religionem pertinentia, tanquam præcipua. Ordo autem præceptorum proportionatur ordini virtutum, quia præcepta legis dantur de actibus virtutum: ergo religio est præcipua inter virtutes morales.

¶ Respondeo dicendum, quòd ea quæ sunt ad finem, sortiuntur bonitatem ex ordine in finem. Et ideo quanto sunt fini propinquiora, tanto sunt meliora. Virtutes autem morales, vt supra * habitum est, sunt circa ea quæ ordinantur in Deum, sicut in finem. Religio autem magis de propinquo accedit ad Deum, quàm aliæ virtutes morales, inquantum operatur ea quæ directe, & immediate ordinantur in honorem diuinum. Et ideo religio præeminet inter alias virtutes morales.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd laus virtutis in voluntate consistit, non autem in potestate deficere. Et ideo ab æqualitate, quæ est medium iustitiæ, propter defectum potestatis non diminuit laudem virtutis: si non fuerit defectus ex parte voluntatis.

¶ Ad secundum dicendum, quod in his quæ exhibentur alteri propter eorum vtilitatem, est exhibitio laudabi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lior, quæ fit magis indigenti, quia est vtilior. Deo autem non exhibetur aliquid propter eius vtilitatem, sed propter eius gloriam, nostram autem vtilitatem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd vbi est necessitas, tollitur gloria supererogationis. Non autem excluditur meritum virtutis, si adsit voluntas. Et propter hoc ratio non sequitur.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio: Religio est præstantissima inter omnes virtutes morales. Probatur primò in argumento, sed contra: Ex eo, quod Exod. 20. primò ponuntur præcepta pertinentia ad religionem, & postea illa, quæ pertinent ad alias virtutes. Ordo autem præceptorũ proportionatur ordini virtutum. Et in corpore articuli hac ratione: Ea quæ sunt ad finem sortiuntur bonitatem ex ordine ad finem. Atque adeò, quanto sunt fini propinquiora, tantò sunt meliora: Sed virtutes morales sunt circa ea, quæ ordinantur in Deum, sicut in finem, & religio magis de propinquo accedit ad Deum, quam aliæ virtutes morales, inquãtum operatur ea, quæ directè, & immediate ordinantur in honorem diuinum: ergo religio inter omnes virtutes morales est præstantissima. ¶ De materia huius articuli nihil aliud est dicendum, quam quæ diximus supra quæst. 58. artic. 12. Vbi, facta comparatione iustitiæ ad omnes alias virtutes, ostendimus, illam esse præstantissimam, excepta religione, quidquid dicat Caietanus in illo commento.

ARTICVLVS VII.

¶ Vtrum religio habeat aliquem exteriorem actum.

Infra q. 84 ar. 2. & q. 85. arti. 2. con. & 3. cõt. ca. 119

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quòd religio non habeat aliquem exteriorem actũ: Dicitur enim Ioan. 4. Deus spiritus est, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Sed exteriores actus nõ pertinent ad spiritum, sed magis ad corpus: ergo religio ad quam pertinet adoratio, non habet actus exteriores, sed interiores.

2 ¶ Præterea, Religionis finis est Deo reuerẽtiam, & honorem exhibere. Sed videtur ad irreuerentiam alicuius excellentis pertinere, si ea sibi exhibeantur quæ propriè ad inferiores pertinẽt. Cum ergo ea quæ exhibet homo corporalibus actibus propriè videantur ad indigentias hominum ordinari, vel ad reuerentiam inferiorum creaturarum, ideo videtur, quòd non congruè possunt assumi in diuinam reuerentiam.

Lib. 6. cap. 10. in fi.

3 ¶ Præterea, Augustinus * in sexto de Ciuitat. Dei commendat Senecam de hoc, quòd vituperat quosdam, qui idolis ea exhibebant quæ solent hominibus exhiberi, quia scilicet immortalibus non conueniunt ea quę sunt mortalium. Sed hæc multo minus conueniunt Deo vero, qui est excelsus super omnes Deos: ergo videtur reprehensibile esse quòd aliquis corporalibus actibus Deum colat. Non ergo habet religio corporales actus.

¶ SED CONTRA est, quòd in Psal. 83. dicitur, Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Sed sicut interiores actus pertinent ad cor, ita exteriores actus pertinent ad membra carnis, ergo videtur, quòd Deus sit colendus, nõ solum interioribus actibus, sed etiam exterioribus.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd Deo reuerentiam & honorem exhibemus, non propter seipsum: quia seipso est gloria plenus, cui nihil à creatura adijci potest, sed propter nos: quia videlicet per hoc quod Deum reueremur, & honoramus, mens nostra ei subijcitur, & in hoc eius perfectio consistit. Quælibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod viuificatur ab anima & aer per hoc quod illuminatur à sole. Mens autem humana indiget ad hoc quod coniungatur Deo sensibilium manuductione, quia inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur, vt Apostolus dicit ad Roma. 1. Et ideo in diuino cultu necesse est aliquibus corporalibus vti, vt eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo cõiungitur. Et ideo religio habet quidem interiores

res actus quasi principales, & per se ad religionem pertinentes, exteriores verò actus quasi secundarios, & ad interiores actus ordinatos.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd dominus loquitur quantum ad id quod est principale & per se intentum in cultu diuino.

¶ Ad secundum dicendum, quòd huiusmodi exteriora non exhibentur Deo quasi his indigeat, secundum illud Psalm. 49. Nunquid manducabo carnes taurorum: aut sanguinẽ hircorum potabo? Sed exhibentur Deo tanquam signa interiorum, & spiritualium operum: quæ per se Deus acceptat. Vnde

Li. 10. c. 5. inter prin. & medium to. 5.

Augustinus * dicit in 10. de Ciuit. Dei, Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum, id est, sacrum signum est.

¶ Ad tertium dicendum, quòd idolatræ deridentur ex hoc, quòd ea quæ ad homines pertinent, idolis exhibebant, non tãquam signa excitantia eos ad aliqua spiritualia, sed tanquam per se eis accepta. Et præcipue quia erant vana, & turpia.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio: Religio habet actus interiores, quasi principales, & per se ad religionem pertinentes: exteriores verò, quasi secundarios, & ad interiores actus ordinatos. Hanc conclusionem probat D. Thom. in argumento, sed contra. ex Psal. 84. Vbi habetur: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Nam sicut interiores actus pertinent ad cor, ità exteriores pertinent ad membra carnis. Sicque illis verbis significatur Deum colendum esse, non solum interioribus actibus, sed etiam exterioribus. Et in corpore articuli, hac ratione. Deo reuerentiam, & honorem exhibemus, non propter seipsum, cum in se sit gloria plenus, cui à creatura nihil addi potest: sed propter nos, quorum mens ex eo, quod Deũ reueremur, & honoramus ei subijcitur: in quo nostra perfectio consistit: vnaquæque enim res perficitur ex eo, quod suo superiori subijcitur, sicut corpus perficitur per hoc, quod viuificatur ab anima, & aer per hoc, quod illuminatur à sole: ergo illo modo cõmodius erit reuerendus, & honorãdus Deus quo magis fuerit conueniens ad nostram vtilitatem. Sed meus humana ad hoc, vt coniungatur Deo, sensibilium indiget manuductione: inuisibilia enim Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, vt dicit Apostolus ad Roman. 1. ergo in diuino cultu necessarium erit aliquibus corporalibus cæremonijs vti, vt eis quasi signis quibusdã mens hominis ad spirituales actus, quibus Deo coniungitur excitetur. Atque adeò religio non solum respicit actus interiores, sed etiam exteriores: quãuis diuersimode. Nam interiores respicit, tanquam principales, & per se ad religionem pertinentes: exteriores verò quasi secũdarios, & ad interiores actus ordinatos.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SI omnes sanè acquiescerent doctrinæ, nec essent qui veritati perspicuæ obsisterent, minimè nobis opus esset in propositi articuli explicatione diutius immorari. Quoniam omnibus cõstaret, Deum nostrum nõ solum internis, verum etiam externis actibus esse colendum: sicque religionem vtrosq; actus respicere, tanquam proprios, quamuis diuersimode, vt dicit D. Thom. in sua confessione. Cæterùm, quoniam impij Lutherani omnes exteriores cultus, atq; cæremonias damnant, ad quod faciendum moueri dicuntur ex sacris literis: opus erit, & eorum argumenta tefellere: & veritatem, non solum ex eisdem sacris literis, sed etiam ex naturali ratione petitis argumẽtis, luce clarius demonstrare. Quod vt facere possim, præmittere oportet, quod, vt constat ex D. Thom. in isto articulo, & latius in 1. 2. quæstio. 101. per totam, vbi de præceptis cæremonialibus legis antiquæ disputat; cultus Dei est duplex. Vnus interior, consistens in hoc, quod anima coniungatur Deo per intellectum, & affectum, alius exterior ad interiorem ordinatus, consistensque in exterioribus actibus, & cæremonijs corporalibus. Et quidem, quod interius cultus Deo sit exhibendus, ab omnibus fere vno ore recipitur. Vno dumtaxat excepto Caluino: Contra quem disputat latè Demochares de sacrificio missæ. capit. 3. qui omnem in vniuersum Dei cultum Christianis negabat. Hac in re ab ipsis Ethnicis cognitione victus, qui cum illo concinunt, qui scripsit. Pronaque cum spectent animalia cætera terram, Os hominis sublime dedit, cælumque videre. Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus. Nec agnoscit non ob aliud, hominem anthropos appellari, quam quod sursum spectet. Propter quod dicebat Lactantius Firmianus libr. 2. de origine erroris cap. 1. sibi renunciare, seque hominum nomine abdica-

Cultus Dei duplex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

abdicare, qui non sursum aspiciunt, sed deorsum: nisi forte idipsum, quod recti sumus sine causa homini tributum putent. Spectare nos, inquit Lactantius, cælum Deus voluit, vtique non frustra. Nam & aues, & ex multis pene omnia cælum vident. Sed nobis propriè datum est cælum rigidis adstantibus intueri, vt religionem ibi quæramus, vt Deum, cuius illa sedes est, quem oculis non possumus, animo cõtemplemur. Graue igitur sua naturæ, quæ vt Deum colat, & suspiciat, erecta est, vim inferunt, quicunque Deum nec suspiciunt, nec admirantur, nec eius opera considerant.

Error Lutheranorũ. ¶ Quare his, vt omnino insipientibus, prætermissis, ad Lutheranos deueniamus, qui internum cultum admittentes, illumque maximi facientes omnes exteriores ritus, atque cæremonias damnant, illasque à Christianis prorsus abdicãdas dicunt. Quam suam sententiam probant primo ex Ioann. capit. 4. Vbi Samaritanæ quærenti, quo in loco Deus esset adorandus, Christus respondit: Venit hora, quatido nec in monte hoc, nec Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & parer tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate, oportet adorare. Quibus verbis Dominus non semel tantum, sed iterum, atque iterum repetit, verum cultum Deo exhibendum futurum internum, & non externum. ¶ Secundo argumentantur Lutherani ex Psalm. 64. Nam vbi nos legimus: Te decet hymnus, Deus in Sion, in Hebræo habetur: Tibi silet laus, vel tibi silentium laus. Quibus verbis significatur. Deum cordis silentio, & non operis externi tumultu esse colendum. Pro quo etiam facit illud Psalm. 8. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Vbi propheta innuit, perfectam Dei laudem in ore eorum esse, qui loqui nesciunt. Quasi significans, omnem exteriorem cultum à vera Dei laude esse reijciendum. Et D. Iacobus in sua canonica cap. 1. dicit: Hæc est munda & vera religio apud Deum, visitare pupillos, & viduas in necessitate earum, & mundum se continere ab hoc seculo: ergo illa religio, quæ in solo exteriori cultu constiterit, nec munda, nec vera erit, atq; ex consequenti, nec Deo grata. Et confirmatur: Ex Esai. cap. 1. vbi omnem exteriorẽ cultum abominatur Dominus dicens: Quo mihi multitudinem victimarum vestrarũ? Plenus sum. Holocausta arietũ, & adipem pinguiũ, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cũ veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambuletis in atrijs meis. Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solẽnitates vestras odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta. Laboraui sustinens, &c. Et cum his verbis Euangelicæ legis status significetur, manifestè sequitur omnem exteriorem cultum à Christianis hominibus esse reijciendum. ¶ Tertio, ratione sic argumentantur: Si rebus externis esset vtendum ad colendum Deum, ea potissimum de causa, vt illis homines incitarẽtur ad cultum interniũ: sed res exteriores potius retardant hominem à cultu interno, quàm incitãt ad illum: ergo eis non est vtendum. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur: Res exteriores applicant animum ad sensibilia, ex quorũ assuetudine ineptior redditur ad contemplandas res inuisibiles, tum propter repugnantiã quam sensibilia habent cum insensibilibus: tum etiam, quia res exteriores semper fiunt cum magno labore: corpore autem fatigato: & defesso, quod animus, qui nihil sine ministerio corporis operatur ad res diuinas nõ se extollat est necesse: ergo res exteriores potius impediunt, quàm adiuuãt ad cultum internum. ¶ Quarto: Deus ea ratione est colendus, qua ipse præscripsit: sed in noua lege nullæ aut paucissimæ sunt cæremoniæ positæ: quibus Deus colatur: ergo illis non est vtendum. Consequentia cũ minori est nota, & maior probatur ex illo Deuter. cap. 4. Nõ addetis ad verbum, quod vobis loquor: nec diminuetis ex eo. Et Proue. cap. vlt. Amplius his fili mi, ne desideres. Et D. Paulus ad Galat. 1. anathematizat eum, qui euangelizauerit præter id, quod euangelizatum est. ¶ Vltimò: Iugum Christi est suaue, & leue, vt dicitur Matth 11. esset autem graue, molestus, & importunus, si exterioribus cæremonijs obrueretur: quod & significauit D. Petrus Actor. cap. 15. dum loquens ad quosdam de Iudaismo, qui docebant, quòd nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non poteritis saluari, dixit: Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari quemadmodum & illi. Quibus verbis significare videtur exteriores cæremonias nihil conducere posse ad spiritualem animæ salutem: Sed

1. argum.

2. argumẽ.

3. argum.

4. argum.

Vltimũ argumẽtum.

Sed tantum gratiam Iesu Christi: non ergo opus erit vti exterioribus cæremonijs.

¶ Contrariam tamen sententiam tenent omnes sancti, & communis vsus Ecclesiæ. Ad cuius explicationem aduertendum est primo, quod D. Thom. 1. 2. quæst. 101. art. 1. varias huius nominis, cæremonia, interpretationes, & etymologias colligit in solutionibus argumentorum. Quas consulto prætermitto, quia non oportet in nominum explicatione immorari, quæ res est facilis, sed ad rem transire. Est autem cæremonia, quantum attinet ad præsens institutum, nihil aliud, quam ritus exterior causa colendi numinis aduentus, vel, vt Cicero dicit sæpissime in suis operibus, Religio sacrorum ad Dei cultum pertinentium.

Cæremonia quid sit

¶ Secundo est aduertendum, quod quoniam animus noster corpori est coniunctus, naturaliter, tantaq; inter corpus & animam est semper consentio, vt permoto corpore animus afficiatur, & vice versa, animo affecto corpus moueatur. Itaque quoniam & affectus animæ elucent in corpore, & motus corporis immutant animum, fit, vt cæremoniæ sint in duplici differẽtia. Nam quædam sunt, quæ sequuntur animæ affectionem, suntque effectus, & tanquam signa animi ali qua passione commoti. Aliæ autem sunt, quæ torpentem excitant animum, vt afficiatur. Suntque istæ non effectus animi commoti, sed potius causa. Prioris generis cæremoniæ sunt maximè naturales, & simplices, & in quibus nihil falsum inest, aut fucatum. Quales sunt genuflexiones, pectorum contusiones, eleuatio, aut depressio oculorum, suspiria, &c. quibus conceptus animo, vel dolor, vel metus, vel amor erumpit, nobis etiam interdum inuitis. De quibus cæremonijs loquebatur propheta Psal. 83. quãdo dicebat: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deũ viuum. Quasi diceret: Non solum anima mea mansionum cælestium æstuat desiderio: sed & omne, quod intra me est, cor meum, corpus meum, & cuncta corporis vires cum exultatione oblectantur in domino, diffunden te ac spargente sese superabundanti animæ desiderio. Tantus est enim affectus animæ, vt in corporis quoque membra redundans, in te ea faciat, velut exultantia præ lætitia. Et de huiusmodi cæremonijs nulla potest esse dubitatio, quod sint honestæ atque licitæ, cum constet Christum Dominum eis fuisse vsum. Nam Marci 14. genibus flexis, & humi fusus dicitur Deum orasse. Et Ioannis 11. suscitaturus Lazarum eleuatis oculis voce magna clamauit: Lazare, veni foras.

Cæremoniæ sunt in duplici differentia.

1. Conclu. ¶ Quocirca in hac re sit prima conclusio:

Loquendo generaliter, & in communi de cæremonijs, earũ externus cultus licitus est, & vtilis, de iureque naturæ Deo necessario exhibendus. Hanc conclusionem posuit D. Thom. in hac quæstione artic. 2. in solutione ad 3. & 1. 2. q. 99. art. 3. ad 2. Et probatur primo: Illud consetur naturale, quod apud omnes viget, semperque viguit: sed apud omnes nationes, etiam barbaras, semper fuit receptum, vt cultibus exterioribus sua numina colerent: ergo id est de iure naturæ. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur: tũ ex historijs, tũ etiã ex Arist. li. 6. Ethi. cap. vltimo, & 7. Ethic. cap. 8. Vbi inter magistratus reipublicæ bene institutæ sacerdotes enumerat, illisque dicit primos deferendos honores. Certum est autem, quod sacerdotibus non est opus, nisi tantum propter externum Dei cultũ. Secundo: Homines constant anima, & corpore: quod vtrumque à Deo accepere: ergo ad declarandũ illum esse vtriusque principium, opus erit illi vtrumq; offerre, corpus, scilicet, actu externo, & animam actu interno, atque ex consequenti religionis erit tam actus internos, quam externos dirigere. Et confirmatur: Animus noster, quandiu est in corpore, nequit aliquid amare, nisi ex rebus sensibilibus, pro isto enim statu, nihil potest esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu, & nihil volitum quin præcognitum: ergo ad hoc, vt Deum cognoscat, atque amet, opus est, vt vtatur rebus sensibilibus, quibus aliqua insit significatio, vel futurę fœlicitatis, vel alicuius operis Christi pro nobis facti; & has vocamus cæremonias exteriores. Vltimò: Sublato cultu externo, quòd interior religio periclitetur erit necesse: ergo cultus externus est necessarius. Cõsequẽtia est nota, & antecedẽs probatur: Si nulla esset obligatio ad cultũ externũ, rectores reipublicę cognoscere non possent, qui ciues essẽt pij, & qui impij, vt illos præmio, & hos pœna afficere possent, nulla antẽ virtus consistere valet præmio, & pœna sublatis: ergo sublato cultu exteriori auferetur etiam & interior religio. Et confirmatur: Rudes homines nullo in pretio haberent res diuinas, nisi illis cultus externi maiestas & cæremonia adhiberetur: sicut enim Reges propter cultũ externum magni & venerabiles habentur: ita etiam & res diuinæ: ergo fuit necessarius vsus cæremoniarum. Ex dictis infertur, tres esse præcipuas causas necessitatis cæremoniarum, & cultus externi. Prima est, vt illis corpus significetur subiectum Deo. Secunda, vt moueat animum in amorem diuinum. Tertia, vt augeant venerationem rerum diuinarum. Dixi autem notanter in conclusione

Cæremoniarũ vsus in communi est de iure naturali

cæremo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæremonias esse de iure naturali, loquendo in communi & vniuersali. Nam in particulari istæ, vel illæ solum sunt de iure positiuo, vel diuino, vel humano: cuius est determinare, & ad singularia deducere quod ius naturæ in communi proponit.

2. Conclu. ¶ Secunda conclusio: Christus Dominus in noua lege nonnullas cæremonias in particulari instituit: & Apostoli multò plures, tum scripto, tum traditione. De Christo manifestum est instituisse septem sacramenta, præcipuè baptismi, & Eucharistiæ in cæremonijs consistētia. De Apostolis autem probatur: Nam primum Apostolorum institutum fuit, vt fideles quando conueniunt in Ecclesia, psalmos, & hymnos cantent. Vnde D. Paulus 1. ad Corint. cap. 14. dicebat: Cum estis in Ecclesia vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet. Quem locum *D. Ambro.* D. Ambrosius exponens ait, psalmum habet, id est, laudem Dei per canticum. Imo, vt ista cæremonia in Ecclesia canendi celebrior fieret, ea Christus Dominus cum discipulis suis vti dignatus est. Nam instāte morte sua post vltimam cœnam, hymno dicto, cum discipulis suis exijt in montem Oliueti, vt habetur apud Matth. cap. 26. Et apud Marcum cap. 14. Vt autem cognoscatur his verbis significari cantationem à Christo morti proximo factam, aduertendum est, quod hymnus, vox est Græca, Latinè tantum valens, ac cāticum, siue laus, quæ Deo tribuitur. Vnde D. Augu *D. Augus.* stinus super Psalmum 72. in expositione tituli sic ait: Hymni laudes sunt Dei cum cantico. Hymni cantus cōcinentes laudem Dei. Si sit laus, & non est Dei, non est hymnus. Oportet ergo, vt sit hymnus, vt habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum. Hæc Au gustinus. Eidem sententiæ subscribit D. Isido *D. Isidor⁹.* rus lib. 6. Etymologiarum cap. 34. sic dicens: Hymnus est canticum laudantium Deum propriè. Aut hymni sunt concinentes laudem Dei. Quod si sit laus, & non est Dei, nō est hymnus. Si sit & Dei, & laus, & non cantetur, non est hymnus. Hæc Isidorus: Cum ergo iuxta Matthæum, & Marcum Christus Dominus dixerit: Hymnum cum discipulis suis, manifestè sequitur, quod cantauerit. Item etiam fuit institutum ab Apostolis, vt oratio fieret versis vultibus ad Orientem, vt *D. Basil⁹.* dicit D. Basilius in li. de Spiritu sancto cap. *D. Ioannes Damasce-nus.* 27. Et Ioannes Damascenus li. 4. fidei ortho doxæ cap. 13. Et quod templa, & loca sacra rebus diuinis dicarentur, vt tradit Nicephorus lib. 2. Ecclesiasticæ historiæ ca. 39. & 40. & 41. Et quod sacerdos salutaret populum dicens: Dominus vobiscum, eique responderetur, Et cum spiritu tuo, vt docet concilium primum Braccarē esse ca. 21. Cuius verba sunt: Placuit, vt non aliter Episcopi, aliter sacerdotes populum salutent, sed eodem modo omnes dicentes: Dominus vobiscum, sicut in libro Ruth legitur, & vt respondeatur à populo: Et cum spiritu tuo, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet orientis. Et non sicut Priscilliana hæresis permutauit. Denique omnes illæ cæremoniæ, quas vniuersalis tenet Ecclesia sunt institutæ ab Apostolis vel à concilijs generalibus, vt docet D. Au *D. Aug.* gustinus epistola 118. cuius verba sunt: Cæremoniæ, quas vniuersalis tenet Ecclesia, illę, vel ab Apostolis traditæ, vel à plenarijs concilijs, quorum est plenissima autoritas salubertimè institutæ creduntur.

3. Conclu. Cæremonia sunt grata Deo quatenus ordinantur ad pietatem internam.

¶ Tertia conclusio: Cæremoniæ per se non sunt gratæ Deo, sed quatenus ordinantur ad pietatem internam, Probatur: Opera eatenus sunt grata Deo, quatenus efficiunt homines bonos, sed homines non sunt boni per cæremonias exteriores, sed per fidem, spem, & charitatem: ergo eatenus cæremoniæ sunt bonæ, quatenus ordinantur ad pietatem internam, qua homo per intellectum, & voluntatem Deo cōiungitur. Et quoniam hæc interior coniunctio ad Deum pro diuersis statibus variatur, hinc etiam fit, vt cæremoniæ pro diuersis temporibus fuerint distinctæ. Nā in statu futurę beatitudinis, quia intellectus humanus diuinam veritatem in seipso intuetur, & illam necessario amat, nullus exterior cultus est necessarius, qui mo *Cæremonię fuerūt variatæ pro diuersis statibus.* ueat ad hoc: sed vniuersus consistit in laude Dei. At verò in statu præsentis vitę, quo diuinam veritatem in seipsa intueri non possumus, opus est, vt radius diuinę veritatis nobis illucescat, sub aliquibus sensibilibus figuris, diuersis tamen adhuc, secundum diuersum humanæ cognitionis statum, quem in hoc mundo homines habent. Nam in veteri lege, quia nec ipsa diuina veritas erat manifestata, nec propalata via ad hoc perueniendi, necesse fuit, vt exterior cultus veteris legis non solū esset figurativus futurę veritatis in patria manifestandæ, sed etiam Christi, qui est via ad talem veritatem ducens. Et sic omnes cæremoniæ atque sacrificia veteris legis hoc significabant, vt autor est D. Thom. 1.2. quæst. 101. per totam. At vero in statu nouæ legis, quia hæc via iam est reuelata, non est necessarium, vt significetur per modum futuri, sed solum, quod per modum præteriti, vel præsentis cōmemoretur. Oportet autē, quòd præfiguretur solum futura veritas gloriæ nondum reuelatæ. Et sic dicebat Paulus ad Hebræos 10. Vmbram habēs lex futurorum bonorum, nō ipsam imaginem rerum. Nam, quia

quia vmbra minus est, quā imago dixit imaginem pertinere ad legem nouam, vmbram verò ad veterem.

4. Conclu. ¶ Quarta conclusio: Cæremoniæ vitiari possunt triplici ex causa. Scilicet, vel multitudine, quia nimiæ sunt, & superfluæ: vel genere, quia sunt inutiles: vel tandem vitio eorum, qui cæremonijs vtuntur: quorum animus longe abest ab ea pietate, quam per exteriores actus profitentur. Probatur: Cæremoniæ, vel nimiæ, vel ineptæ, vel discrepantes ab affectu animi interioris nihil ad pietatem internam conducunt: ergo ex omnibus his capitibus vitiari possunt. Consequentia est nota ex superioribus, antecedens autem probatur, quo ad singulas partes. Et primo de cæremonijs nimijs, quòd sint vitiosæ quia nec percipi, aut intelligi sine magna animi cura, nec sine magno corporis labore exequi possunt. Ex quo tria mala sequuntur. Primum est, quod animi nostri vis tanta solicitudine posita erga res sensibiles potius obruitur, quam excitatur ad diuina. Secundum, quòd facit temporis iacturam, quod in rebus maioribus consumendum erat. Tertiū, quòd ipsa talium cæremoniarum frequētia, & assidua vsurpatione tacitè in eam persuasionem inducuntur homines, vt putent, vel totam, vel præcipuam partem pietatis in ijs rebus positam esse. Potest etiam probari, cęremonias nimias esse vitiosas, quoniam cæremoniæ sunt tanquam medicamenta interna. Medicamenta autem si nimia sunt potius officiunt quam iuuant. Quod, & significare voluisse videtur Christus Dominus Matth. 23. quando cæremoniarum multitudinem appellauit onera grauia, & importabilia. Quod autem cæremoniæ inutiles similiter sint improbandæ, adeo est manifestum, vt non indigeat probatione. Et sic solum est videndum, quæ nam sint illæ? Ad quod breuiter dico, tales esse, quibus se coli Deus non vult. Vt, quòd tauri agitentur in alicuius sancti honorem. Et quòd saltationes impudicæ & moles in processionibus fiant. Et quòd imagines profanè vestiantur. Item sunt inutiles illæ cæremoniæ, quæ licet non obstāt, nihil tamen conducunt, vel certè parum ad pietatem internam. Vt, quod monachi dnabus manibus bibant. Tandem, quod cæremoniæ, quæ fiunt per simulationem, id est, quibus motus in animo nihil pietatis respondet, sint vitiosæ, & ingratę Deo, sufficienter probat dictum Esaiæ cap. 1. adductum in secun- *D. Augus.* do argumento: & testimonium Augustini super Psalm. 63. dicentis: simulata æquitas duplex iniquitas est. Quibus etiam ratio suffragatur. Nam si Deus probat cæremonias, quatenus efficiunt pietatem internam, si illis nihil proficitur, sed tantum profici simulatur, quòd Deus illas spernat, erit necesse. Et sic de toto isto genere cæremoniarum tenenda est regula, quam docet D. Augustinus epistola 118. ad Ianuarium. De tota ista materia cæremoniarum videndi sunt Osius confessionis Polonicæ tomo 2. cap. 27. & 28. Democares in lib. de sacrificio propitiatorio. cap. 3. & 4. Dematius de instauranda religione lib. 9. Conradus Brunus in libr. de cæremonijs, Albertus Carpensis contra Erasmum li. 6. Albertus Pigius controuersia 12. & 13. Castro de hæres. verbo, cantus. & Didacus à Stunica Augustinianus de vera religione, li. 1. cap. 16. & sequentibus.

¶ Restat nunc respondere ad argumenta *Ad 1. arg.* facta pro errore Lutheranorum, vnde ad primum desumptū ex Ioanne cap. 4. dico quòd Christus ibi non damnat omninò cæremonias, quibus ipse sæpe sæpius fuit vsus. Nam sanaturus surdum, & mutum, vt habetur Marc. 7. apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius: & suspiciens in cælum ingemuit: & ait illi: Ephetha, quod est adaperire. Quæ omnia nihil aliud sunt, quam quędam cæremonię. Et quando curauit cæcum à natiuitate dicit Ioannes cap. 9. quòd expuens in terram fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit: Vade, laua te in natatoria Siloe. Quando similiter Apostolis potestatem remittendi peccata tribuisse, narratur, insufflauit, inquit Ioannes cap. 20. & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, &c. Quæ etiam cæremoniarū imaginem præ se ferunt, quibus aliquid significatur, vt omnes Doctores testātur. Nō ergo quando dixit Samaritanę, veros adoratores adoraturos Deum in spiritu, damnat quascunque exteriores cæremonias, vt falso hæretici intelligunt. Sed tantum declarat id, quod debet esse principale, & per se intentum in cultu diuino; vt D. Tho. affirmat hic in solutione ad primum. Et eodem modo respondetur ad tria prima testimonia posita in secundo argumento. Nam vltimum, quod *Ad 2. arg.* est desumptum ex Esaia, est intelligēdum de cæremonijs, quatenus sunt signa falsa internæ pietatis, iuxta id, quod diximus in quarta conclusione. Et sic propheta ibi non tam damnat cęremonias, quam Iudęos illius temporis, qui cùm essent vitijs cooperti, satisfecisse tamen Deo videri volebant cęremonijs externis. ¶ Ad tertium respondetur, concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, falsum esse, quod cæremonię alligant animum rebus visibilibus. Imò cum *Ad 3. arg.* fine

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint signa rerum spiritualium, per illa admonemur rerum significatarum, & excitant animum in amorem diuinum, vt diximus in probatione primæ conclusionis. ¶ Ad quartum, *Ad 4. arg.* vt respondeamus aduertendum est, quòd vnum ex præcipuis fundamentis, quibus hæretici suos nituntur probare errores est, quoddam principium, quod ipsi tanquam verum supponunt, nempe, verbo Dei nihil esse addendum: ex quo nec alijs cæremonijs, quam à Christo institutis esse vtendum, nec determinationibus conciliorum esse fidem adhibendam, nisi quantum ad illas res, quæ expresse *Fundamentum hæreticorũ euertitur.* in sacris literis continentur, inferunt. Cum tamen non solum illa, quæ constant ex scriptura, sed etiam ea, quæ habentur per traditionem, qualia sunt multa pertinentia ad cæremonias, obseruare præcipiat Paulus 2. ad Thessal. cap. 2. dicens: State & tenete traditiones, quas didicistis, siue per epistolam, siue per sermonem. Imò & in lege veteri constat, Iudæos alias cæremonias obseruasse ex traditione, præter contentas in lege, vt autores sunt Philo Iudæus, & Eusebius multis in locis. Præterquam quod, eisdem fere argumentis, quibus Doctores Ecclesiam legum ferendarum facultatem habere, probant, quod in præsenti supponitur, tãquam certum, ex primo tomo, in materia de potestate Ecclesiæ, probare etiam possumus, munus eius esse cæremonias aliquas constituere, quibus foris religionem nostrã profiteamur. Atq; etiã quia cum homines anima, & corpore constantes, non solum mente, sed etiam corpore debeãt Deo obsequium præstare, & corporis obsequium, nõ, nisi cæremonijs significari possit, ratio postulabat, quod, vt vnanimes, & vno ore (vt Paulus vult) honorificaremus Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi, aliquas Ecclesia communes cæremonias instituere, quibus modum traderet religionis profitendæ. Et ad testimonia adducta in eodem argumento ex Deuteronomio, Prouerbijs, & ex D. Paulo dico, illis tantum præcipi, vt verbo Dei nihil addamus, quod ei, vel sit contrarium, vel obsit. Nam quæ pertinent ad meliorem verbi Dei obseruationem, illa addere non prohibemur. Et tales sunt cæremoniæ Ecclesiæ. ¶ Ad vltimum argumentum respondetur, negando, iugum Christi fieri graue, & molestum ex earum cæremoniarum obseruatione, quæ ab Ecclesia ordinatæ *Ad vltimũ argumentum.* sunt, & præceptę nec illis obruitur, sed potius adiuuatur animus hominis, cum eleuetur ad diligendũ Deum. Cuius dilectionis proptiũ munus est efficere, vt omnia facilia videãtur, iuxta illud Pauli 1. ad Corint. 13. Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet, &c. Quando autem D. Petrus Actorum 15. Iudæis volentibus, vt cum lege Euangelica, simul Mosayca obseruaretur, dixit: Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt? Per gratiã Domini Iesu credimus saluari sicut & illi: non omnino excludit à lege Euangelica ritum cæremoniarum, sed illas tantum quæ erant veteris legis, quas nos modo non solum non approbamus, sed etiam vehementer improbamus. Quoniam significabant illę Christum venturum, qui nos suo sanguine omni criminum macula mundaret. Quæ significatio modo nefaria est & impia. Si quas autem nunc Ecclesia tenet, quæ cũ illis conueniant, vt lucernæ accensæ, oblatio incensi, & aliæ, non eas seruandas ducimus, quòd veteri fuerint lege traditę, sed quòd earum vsus ad nos, per Apostolorum & aliorum prę stantissimorum virorũ manus fuit traductus. Ob eam etiam rem D. Petrus in illo loco autores veterum cæremoniarum exagitat, quod valde de gratiæ, ac gestis Christi detraherent: iactantes inite gratiam, & amicitiam Dei neminem posse, nisi vna cum fide Christi veterem legem obseruaret, cum in eo potius ex sententia Pauli immensæ Deo gratię agendę sint, quod graui nos legis iugo liberauit. Illud autem Pauli, quod etiam Lutherus citat in sui erroris confirmationem, nempe: videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, & secundũ elementa huius mundi, & non secundum Christum, ad Colos. 2. in aliam sententiam à Paulo dictum fuit, nec cæremoniarum aliquid ei in mentem venisse puto, cum illud scribebat. Sed tantum admonet Colossenses, ne quispiam eos argumentis artificiosè ad persuadendum compositis, ex naturæq; principijs petitis à fide in Christum, & eius religione auocet. Et sic stultè in sacras cæremonias, verba Pauli Lutherus conuenire opinatur.

Articvlvs. VIII.

¶ Vtrum religio sit idem sanctitati.

Ad Octavvm sic proceditur. Videtur quod religio non sit idem sanctitati. Religio enim est quędam specialis virtus, vt habitum *Ar. 1. ad 3. & arti. 3. ad 2.* * est. Sanctitas autem dicitur esse generalis virtus. Est enim faciens fideles, *Ar. 4. iur. quæst.* & seruantes ea quæ ad Deum sunt iusta, vt Andronicus dicit: ergo sanctitas non est idem religioni.

2 ¶ Præterea, Sanctitas munditiam importare videtur. Dicit enim Dionysius. 14. ca. de Diuin. no. quòd sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata mũditia. Mũditia autem maximè videtur pertinere ad temperantiam, quæ turpitudines corporales excludit. Cum ergo religio ad iustitiã pertineat, videtur quòd sanctitas non sit idem religioni.

3 ¶ Præterea, Ea quæ diuiduntur ex opposito, non sunt idem. Sed in quadam enumeratione partium iustitiæ sanctitas condiuiditur religioni, vt supra habitum * est: ergo sanctitas non *Q. 80. a. 4.* est idem quod religio.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Luc. 1. Seruiamus illi in sanctitate, & iustitia. Sed seruire Deo pertinet ad religionem, vt supra * habitum est: ergo *Ar. 1. ad 3. & arti. 3. ad 2.* religio est idem sanctitati.

¶ Respondeo dicendum, quòd nomen sanctitatis duo videtur importare. Vno quidem modo munditiã. Et huic significationi competit nomen Græcum. Dicitur enim agios, id est, sine terra. Alio modo importat firmitatem. Vnde apud antiquos sancta dicebantur quæ legibus erãt munita, vt violari non deberent. Vnde & dicitur aliquid esse sancitum: quia est lege firmatum. Potest etiam secundum Latinos hoc nomen sanctus ad munditiam pertinere, vt intelligatur sanctus, quasi sanguine tinctus, eo quòd antiquitus illi qui purificari volebant, sanguine hostiam tingebantur, vt Isidõ. * dicit in lib. *Lib. 10. Etymol. ca. 18. incipit, Sapient. circa princip.* Etymo. Et vtraque significatio competit, vt sanctitas attribuatur his quæ diuino cultui applicantur: ita quòd non solum homines, sed etiam templum, & vasa, & alia huiusmodi sanctificari dicantur ex hoc, quòd cultui diuino applicantur. Munditia enim necessaria est ad hoc, quòd mẽs Deo applicetur, quia mẽs humana inquinatur ex hoc, quòd inferioribus rebus coniungitur, sicut quælibet res ex immixtione peioris sordescit, vt argentũ ex immixtione plumbi. Oportet autem, quòd mens ab infe-

rioribus reb⁹ abstrahatur ad hoc quòd supremæ rei possit coniungi. Et ideo mens sine munditia Deo applicari nõ potest. Vnde ad Heb. 12. dicitur, Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deũ. Firmitas etiam exigitur ad hoc quòd mẽs Deo applicetur. Applicatur enim ei sicut vltimo fini, & primo principio. Huiusmodi autem oportet maximè immobilia esse. Vnde dicebat Apostolus Roma. 8. Certus sum, quòd neq; mors, neq; vita separabit me à charitate Dei, Sic ergo sanctitas dicitur, per quã mens hominis seipsam & suos actus applicat Deo. Vnde nõ differt à religione secundum essentiam, sed solũ ratione. Nam religio dicitur secũdum quòd exhibet Deo debitum famulatum, in his quæ pertinent specialiter ad cultum diuinum, sicut in sacrificijs, oblationibus, & alijs huiusmodi. Sanctitas autem dicitur secundum quod homo non solum hæc, sed aliarum virtutum opera refert in Deum, secũdum quod homo se disponit per bona quædam opera ad cultum diuinum pertinentia.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd sanctitas est quædam specialis virtus secundum essentiam. Et secundum hoc est quodammodo eadem religioni. Habet autem quandam generalitatem, secundum quòd omnes virtutum actus per imperium ordinat in bonum diuinum, sicut & iustitia legalis dicitur generalis virtus, inquantum ordinat omnium virtutum actus in bonum commune.

¶ Ad secundum dicendum, quòd temperantia munditiam quidem operatur: non tamen ita, quòd habeat rationẽ sanctitatis: nisi referatur in Deũ. Vnde de ipsa virginitate dicit * Augu- *Ca. 8. circa princ. to. 6.* stinus in libro de virginitate, quòd non quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sanctitas distincta est à religione propter differentiam prędictam, non quia differunt re, sed ratione, vt * dictum est. *In corp. art.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quod sanctitas accipi potest, & secundum quod importat munditiã, & secũdum quod importat firmitatem, qua ratione apud antiquos sancta dicebantur, quæ ita erant legibus munita, vt violari non deberent, respondet D. Tho. ad propositam difficultatem per hanc conclusionem: Sanctitas secundum essentiam non differt à religione, bene tamen secundum rationem. Probatur: Illa eadẽ religionis virtus, quæ exhibet debitum famulatũ Deo in ijs, quæ specialiter pertinẽt ad cultum diuinum, sicut in sacrificijs, oblationibus, & similibus, inquantum non solum hæc, verum etiam opera aliarum virtutum refert in Deum appellatur sanctitas: ergo sanctitas, & religio secundum essentiam non differunt, sed solum secundum rationem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli, aduertendum est, quod vt constat ex superioribus, religio habet duplices actus. Vnos proprios particulares, & immediatos, quales sunt, sacrificare, orare. Alios cõmunes, & mediatos, vt visitare pupillos, caste viuere, &c. Primos elicit religio, & secũdos imperat, vt diximus ex mente D. Thom. ar. 4 huius quæstionis. Vult ergo autor in præsenti, quod idẽ numero habitus quatenus colit Deum per actus à se elicitos, dicatur religio: & idem quatenus actus aliarum virtutum assumit & imperat ad cultum Dei dicatur sanctitas. Et sic identitas inter religionem, & sanctitatẽ consistit in hoc, quod vtraq; reddit Deo debitũ cultum. Differunt autem, quia religio directè respicit ea, quæ specialiter ad diuinum cultũ ordinãtur, vt sunt cæremonię, sacrificia, oblationes. Cũ tamen sanctitas directè respiciat mentem, quam mundat, & firmat, vt Deo applicetur. Medianteq; tali mente sic mundata, & firmata, tam religionis quam aliarum virtutũ opera respicit, vt per illa mẽtem applicet Deo. Ex quo fit contingere posse, vt aliquis religiosus sit, qui tamẽ sanctus non dicatur. Nã qui sacrificijs, & cæremonijs alijsq; rebus huiusmodi vacat religiosus est. Cum tamen ad hoc, vt sanctus dicatur necessarium sit, quod vltra hoc seipsum intrinsece per opera omnium virtutum Deo applicet, à quo non nisi maxima cum difficultate remoueri possit.

Differẽtia inter religionem & sanctitatẽ declaratur

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco qua ratione fieri possit, vt religio cæteris omnibus virtutibus imperet, vt sic sanctitatis nomen sortiatur: Et ratio dubitandi est: Nam imperare, videtur esse virtutis superioris. Nunc autem religio cũ sit virtus moralis, non est superior virtutibus Theologicis, vt illis imperet. ¶ Cajetanus q. 32. ar. 1. supra, vt ad hãc difficultatẽ respõdeat, præmittit, actum alicuius virtutis dupliciter considerari posse, scilicet, materialiter, & formaliter, hoc est, vel nude, secundũ operis substantiã, vel cum ipsis circunstãtijs, & fine ad quem per habitum virtutis, à qua elicitur, dirigitur & ordinatur. Verbi gratia, in eleemosyna potest cõsiderari, vel ipsa sola largitio eleemosynę, vel potest etiam cõsiderari subleuatio miseriæ indigentis, & cõpassio cordis propter Deum, in quo proprie, & formaliter consistit ratio misericordiæ. Et similiter in fide potest cõsiderari, vel ipse actus credulitatis præcise, vel ipse simul cũ ratione formali assentiendi, quæ est diuina reuelatio: in quo propriè & formaliter consistit actus fidei. Quo supposito dicit, quod si actus virtutis superioris consideretur isto secundo modo, non potest imperari ab inferiori: quia tũc virtus inferior imperaret superiori, quod ipse habet pro inconuenienti. Cæterum, si sumatur secundo modo, hoc est, materialiter secundum solam substantiam actus, potest actus superioris virtutis imperari ab inferiori. Et ratio est: quia cum ille, qui imperat respiciat vlteriorem finem, quã ille cui imperat, vt est videre in architecto præcipiente artificibus inferioribus, qui respicit superiorem finem, quam inferiores opifices, & virtus inferior possit intendere superiorem finem, quã est actus materialis superioris virtutis, sit, vt virtus inferior secundum istam rationem possit imperare superiori. Tamen, si actus virtutis superioris accipiatur formaliter, non poterit imperari ab inferiori, quia finis illius actus formaliter accepti, est superior, quam finis virtutis inferioris.

Sententia Caietani.

¶ Hæc tamen sententia, & modus dicendi Caietani, qui & ab ipso, & ab alijs multum commendatur mihi placere non potest. Sed existimo, quod non solum materialiter, sed etiã formaliter acceptus actus superioris virtutis, potest imperari à virtute inferiori. Nõ enim est inconueniens, quod actus superioris virtutis ordinetur ad finem inferioris. Nã si quis, verbi gratia, propter iustitiã, hoc est, vt satisfaciat pro peccatis, intenderet elargiri eleemosynã propter Deum indigenti, tunc eleemosyna, quæ est actus misericordiæ, & charitatis præciperetur à iustitia, cũ ad finem illius ordinaretur. Et si quis ad exhibendum debitum cultum Deo eliceret actum fidei ex diuina reuelatione, ille actus fidei, quę superior est virtus, imperaretur à religione. Nec hoc mirum esse debet. Nã etiã voluntas, quę præstantior est potentia, quam appetitus sensitiuus aliquando mouetur, & trahitur ab illo in consensum ipsius. Et similiter in vitijs aliquan-

Sententia autoris.

Ratio dubitandi.

aliquando videmus, quod vitiũ superius ordinatur ad finem vitij inferioris, præcipiturque ab illo, vt patet in eo, qui fornicatur, vt furetur. Et hac etiã ratione actus superioris virtutis poterit aliquando imperari ab inferiori, & ad finem illius ordinari. ¶ Et ad rationem dubitandi, vt respondeamus aduertendum est, dupliciter posse cõtingere, quod aliquid sit superius alio. Vno modo ex se, & ex sua natura. Qua ratione dominus est superior seruo: & obiectum imperatoriæ facultatis, quod est victoria, est superius ad obiectũ artis fræne factiuę equestris, & militaris, quæ ad illã ex se & ex sua natura ordinãtur. Alio modo ex accidenti. Qua ratione aliquando euenit, vt dominus seruo ministret. Quo supposito dico, primo modo fieri non posse, vt vna virtus imperet alteri, nisi sit superior. Et hac ratione charitas imperat cæteris virtutibus. Quoniam Deus, qui est eius obiectũ, ex se, & ex sua natura est superior ad obiecta aliarum: tamen ex accidenti bene potest fieri, quod illa virtus, quæ est inferior imperet superiori. Et sic iustitia imperat charitati, facere eleemosynã, & religio fidei, elicere suum actum, vt debitus cultus Deo exhibeatur.

Ad rationem dubitandi.

QVÆSTIO LXXXII.

De Deuotione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrum deuotio sit specialis actus.

Inf. art. 2. co. & q. 83 ar. 3. ad 1.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod deuotio non sit specialis actus. Illud enim quod pertinet ad modum aliorum actuum, non videtur esse specialis actus. Sed deuotio videtur pertinere ad modum aliorum actuum. Dicitur enim secundi Paralipo. 29. Obtulit vniuersa multitudo hostias, & laudes, & holocausta mente deuota: ergo deuotio non est specialis actus.

¶ Præterea, Nullus specialis actus inuenitur in diuersis generibus actuũ. Sed deuotio inuenitur in diuersis generibus actuum: scilicet in actibus corporalibus: & etiam spiritualibus. Dicitur enim aliquis & deuote meditari, & deuote genuflectere: ergo deuotio non est specialis actus.

¶ Præterea, Omnis actus specialis, aut est appetitiuæ, aut cognoscitiuę virtutis. Sed deuotio neutri earum appropriatur, vt patet discurrenti per singulas species actuum vtriusq; partis, quæ suprà enumeratæ sunt: ergo deuotio non est specialis actus.

¶ SED CONTRA est, quòd actibus meremur, vt suprà * habitum est. Sed deuotio habet specialem rationem merendi: ergo deuotio est actus specialis.

1.2.q.71. art.5.

¶ RESPONDEO dicendum, quod deuotio dicitur à deuouendo. Vnde deuoti dicuntur qui seipsos quodãmodo Deo deuouent, vt ei se totaliter subdant. Propter quod & olim apud Gentiles deuoti dicebantur, qui seipsos idolis deuouebant in mortem pro sui salute exercitus: sicut de duobus * Decijs Titus Liuius narrat. Vnde deuotio nihil aliud esse videtur, quã voluntas quędam prompte tradẽdi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Vnde Exodi 35. dicitur, quòd multitudo filiorum Israel obtulit mẽte promptissima atq; deuota primitias domino. Manifestum est autem, quòd voluntas prompte faciendi, quod ad Dei seruitium pertinet, est quidam specialis actus. Vnde deuotio est specialis actus voluntatis.

Lib. 10. Decad. 1. inter prin. & med.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod mouẽs imponit modum motui mobilis. Voluntas autẽ mouet alias vires animæ ad suos actus, & voluntas secundum quod est finis, mouet seipsam ad ea quæ sunt ad finem, vt suprà * habitum est. Et ideo cũ deuotio sit actus voluntaris hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum, qui est vltimus finis: consequens est, quod deuotio imponat modum humanis actibus: siue sint ipsius voluntatis circa ea quæ sunt ad finem, siue etiam sint aliarum potentiarum: quæ à voluntate mouentur.

1.2.qu. 8. art.2.

¶ Ad secundum dicendum, quòd deuotio inuenitur in diuersis generibus actuum: non sicut species illorum generum, sed sicut motio mouentis inuenitur virtute in motibus mobilium.

¶ Ad tertium dicendum, quod deuotio est actus appetitiuæ partis animæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& est quidam motus voluntatis, vt dictum * est. *In corp. ar.*

SVMMA TEXTVS.

SVppositio, quod deuotio dicitur à deuouendo, vnde deuoti dicũtur, qui seipsos Deo quodammodo deuouerunt, respondet D. Tho. ad propositam difficultatem per hanc conclusionem: Deuotio est specialis actus voluntatis. Probatur: Deuotio nihil aliud est, quam quædam voluntas tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, vt constat ex Exod. cap. 35. vbi dicitur: Multitudinem filiorum Israel obtulisse mente promptissima, atque deuota primitias Deo: sed voluntas promptè faciendi, quæ ad Dei seruitium pertinent, est quidam specialis actus voluntatis: ergo & deuotio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DIsputauit D. Tho. quæstione præcedenti de religione, cuius, vt ipse dixit, actus vel interni sunt, vel externi: Et quia interni sunt præstãtiores, vt pote primarij, & immediati, illi autem sunt duo, scilicet, deuotio, & oratio, incipit ab hac quæstione agere de actibus internis, dicturus postea de externis, vsq; ad quæstionem 91. inclusiue. Primus autẽ actus inter internos religionis est deuotio: de qua disputat in præsenti quæstione. Et cum hoc nomen à deuouendo manifestè dicatur, & deuoueo, quod à voueo componitur, sponte promittere Deo significet, in quo principiũ, quod maximè penlandum est, est voluntas, non quomodolibet, sed sic affecta, vt prõpta sit, fit, vt deuotio nihil aliud esse videatur, quam voluntas quædam prompta tradẽdi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatũ. Deuoti apud Latinos dicuntur illi, qui alicui superiori voluntate sic affecta dediti sunt, vt prompti sint pro illo quidquã pati. Propriẽque hoc nomen, & Deum & eos, qui quasi locum Dei tenent, principes, scilicet, & patriam, nostri principia, respicere videtur. Indeque in Ecclesiæ vsu idem nomen appropriatum est ijs, qui sic Deo affecti sunt, vt promptos seipsos ad Deum & ad ea, quę Dei sunt exhibeant. Et deuotio significat actum voluntatis, quo homo diuino cultui, cui dicatus est, promptum se exhibet. Estq; specialis actus virtutis religionis, vt dẽ se patet. ¶ Et si quis contra hoc argumentetur. Actus virtutũ sunt in nostra potestate, dicente Arist. operari possumus cum volumus, sed habere deuotionẽ non est in nostra potestate; quare Paul. ad Rom. 7. dicebat: Non quod volo bonum, id facio, sed quod odi malũ, illud ago: ergo deuotio non est actus virtutis. Pro solutione notandũ, quod deuotio dupliciter accipitur à Doctoribus. Vno modo proprie pro sola animi prõptitudine ad faciendũ ea, quæ ad Deum spectant. Quo modo nos in præsenti loquimur de deuotione. Et hæc deuotio in nostra potestate est posita, sicut & est positũ efficere opera virtutum, quãtum ad substantiam actus, quod sufficit ad prædictam rationem deuotionis. Alio modo, strictissimè nõ solum pro prædicta animi prõptitudine, sed etiam pro quodam fructu, quem Deus suis impartitur amicis, ad quemq; habendum necessariũ est, quod homo maxima animi prõptitudine illa efficiat, quæ ad diuinum cultũ spectant, non tantum quantum ad substantiã actus, sed etiam quantum ad modum charitatis, qui viribus naturæ haberi non potest. Et hæc deuotio in nostra potestate non est posita. ¶ Circa totam istam quæstionem nihil aliud dicere oportet, quam quæ dicta sunt à D. Tho. & Caietano in præsenti, consultoq; à me nũc prætermittũtur, vt ad alia difficiliora, & magis necessaria properandi sit locus.

Deuotio vnde dicatur

Argumentum.

Solutio.

ARTICVLVS II.

¶ Vtrum deuotio sit actus religionis.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd deuotio non sit actus religionis. Deuotio enim, vt dictum * est, ad hoc pertinet, quod aliquis se Deo tradat. Sed hoc maxime fit per charitatem: quia vt Dionys. dicit * quarto cap. de diuinis nom. Diuinus amor extasim facit, non sinens amantes sui ipsorum esse: sed eorum quæ amant: ergo deuotio magis est actus charitatis quàm religionis. *Inf. q. 83. ar. 3. ad 1. & art. 11. cor. Et 1. 2. q. 28. ar. 3. ad 1. Ar. prædicto. Ca. 4. par. 1. non mul tum refert à sen.*

2 ¶ Præterea, Charitas præcedit religionem: deuotio autem videtur præcedere charitatem: quia charitas in scripturis significatur per ignẽ, deuotio verò per pinguedinẽ, quæ est ignis materia: ergo deuotio nõ est actus religionis.

3 ¶ Præterea, Per religionem homo ordinatur solum ad Deum, vt dictum * est. Sed deuotio etiam habetur ad homines. Dicũtur enim aliqui esse deuoti aliquibus sanctis viris. Et etiam subditi, dicũtur esse deuoti dominis suis: sicut Leo Papa * dicit, quòd Iudæi quasi deuoti Romanis legibus dixerunt: Non habemus Regem nisi Cæsarem: ergo deuotio non est actus religionis. *Art. 1. præced. In ser. de Passione Domini ca. principio.*

¶ SED CONTRA est, quia deuotio à deuouẽdo dicitur, vt dictũ * est. Sed vo tum tũ est actus religionis, ergo & deuotio. *Ar. prædicto.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ad eandem virtutem pertinet velle facere aliquid, & promptam volũtatem habere ad illud faciendum: quia vtriusque actus est idem obiectum, propter quod, vt Philosophus * dicit in 5. Ethi. iustitia est, qua volunt homines, & operantur iusta. Manifestum est autẽ quòd operari ea quæ pertinent ad diuinũ cultum, seu famulatũ, pertinet proprie ad religionẽ: vt ex prædictis * patet. Vnde etiam ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad huiusmodi exequenda, quod est esse deuotũ: & sic patet, quòd deuotio est actus religionis. *Lib. 5. ca. 1 in princip. to. 5. Q. præced. ar. 4. & 7.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ad charitatem pertinet immediatè, quòd homo tradat seipsum Deo, adhærendo ei per quandam spiritus vnionem. Sed quod homo tradat seipsum Deo ad aliqua opera diuini cultus, hoc immediate pertinet ad religionem: mediate autem ad charitatem, quæ est religionis principium.

¶ Ad secundum dicendum, quòd pinguedo corporalis, & generatur per calorem naturalem digerentem, & ipse naturalis calor habet pinguedinẽ quasi eius nutrimentũ. Et similiter charitas, & deuotionem causat inquantum ex amore aliquis redditur promptus ad seruiendum amico: & etiam per deuotionem charitas nutritur: sicut & quælibet amicitia conseruatur, & augetur per amicabilium operum exercitium & meditationem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd deuotio quę habetur ad sanctos Dei mortuos, vel viuos, nõ terminatur ad ipsos, sed transit in Deum, inquantum, scilicet in ministris Dei Deum veneramur. Deuotio autem quam subditi dicuntur habere ad dominos temporales alterius est rationis: sicut & temporalibus dominis famulari differt à famulatu diuino.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrum contemplatio, seu meditatio, sit deuotionis causa.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod cõtemplatio, seu meditatio sit deuotionis causa. Nulla enim causa impedit suum effectum. Sed subtiles meditationes intelligibilium multoties deuotionem impediunt: ergo contemplatio, seu meditatio non est deuotionis causa. *Inf. art. 4. cor. & 4. di. 15. q. 4. art. 3. q. 2. cor. et mal. q. 11. ar. 1. ad 7.*

2 ¶ Præterea, Si contemplatio esset propria, & per se deuotionis causa, oporteret, quòd ea quæ sunt altioris contemplationis magis deuotionem excitarent. Huius autem contrarium apparet. Frequenter enim maior deuotio excitatur ex consideratione passionis Christi, & alijs mysterijs humanitatis ipsius: quàm ex consideratione diuinæ magnitudinis: ergo contemplatio non est propria deuotionis causa.

3 ¶ Præterea, Si contemplatio esset propria causa deuotionis, oporteret, quod illi qui sunt magis apti ad cõtemplationem, essent etiã magis apti ad deuotionem: cuius cõtrarium videmus, quia deuotio frequenter magis inuenitur in quibusdam simplicibus viris: & in fœmineo sexu: in quibus inuenitur contẽplationis defectus: ergo contemplatio nõ est propria causa deuotionis.

¶ SED CONTRA est, qđ in Psal. 38. dicit. In meditatione mea exardescet ignis. Sed ignis spiritualis causat deuotionẽ: ergo meditatio est deuotionis causa.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd causa deuotionis extrinseca & principalis, Deus est, de quo dicit * Ambros. super Lucam: quod Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, & si voluisset, Samaritanos exindeuotis deuotos fecisset. Causa autem intrinseca ex parte nostra oportet, quòd sit meditatio, seu contemplatio. Dictum est * enim quod deuotio est quidam voluntatis actus ad hoc, quod homo prompte se tradat ad diuinũ obsequium. Omnis autẽ actus volũtatis ex aliqua consideratione procedit: eo quòd bonum intellectũ est obiectum voluntatis. Vnde & Augustl. * dicit in lib de Trinit. quòd voluntas oritur ex intel- *Cap. 9. Art. 1. hu ius quæst. Lib. 14. c. 8. to. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligentia. Et ideò necesse est quòd meditatio sit deuotionis causa, inquantum, scilicet, homo per meditationem concipit quòd se tradat diuino obsequio. Ad quod quidem inducit duplex consideratio. Vna quidem quæ ex parte diuinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius, secundum illud Psalm. 72. Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. Et hęc consideratio excitat dilectionē quę est proxima deuotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget vt Deo innitatur, secundum illud Psalm. 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino qui fecit cælum & terram. Et hæc cōsideratio excludit præsumptionē: per quam aliquis impeditur ne Deo se subijciat, dum suæ virtuti innititur.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd consideratio eorum quæ nata sunt dilectionem Dei excitare, deuotionem causant. Consideratio vero quorumcunque ad hoc non pertinentium, sed ab eis mētem distrahentium, impedit deuotionem.

¶ Ad secundum dicendum, quòd ea quæ sunt diuinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem: & per consequens deuotionem: quia Deus est super omnia diligendus. Sed ex debilitate mentis humanæ est, quòd sicut indiget manuductione ad cognitionem diuinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota: inter quæ præcipuum est humanitas Christi secundum quod in præfatione * dicitur. Vt dum visibiliter Deum cognoscimus: per hunc in inuisibilium amorem rapiamur. Et ideo ea quæ pertinēt ad Christi humanitatem per modum cuiusdam manuductionis maxime deuotionem excitant, cum tamen deuotio principaliter circa ea, quę sunt diuinitatis consistat.

Natiuitatis Christi.

¶ Ad tertium dicendum, quòd scientia & quicquid aliud ad magnitudinē pertinet, occasio est quòd homo consideret de seipso: & ideo non totaliter se Deo tradit. Et inde est, quòd huiusmodi quandoque occasionaliter deuotionem impediunt. Et in simplicibus & mulieribus deuotio abūdat elationem comprimendo. Si tamen scientiam, & quamcunque aliam perfectionem homo perfectè Deo subdat, ex hoc ipso deuotio augetur.

Articvlvs IIII.

¶ Vtrum lætitia sit deuotionis effectus.

Ad Qvartvm sic proceditur. Videtur quòd lętitia non sit deuotionis effectus. Quia vt dictum * est, passio Christi præcipuè ad deuotionem excitat. Sed ex eius consideratione consequitur in anima quædam afflictio, secūdum illud Threno. 3. Recordare paupertatis meæ, absinthij & fellis, quod pertinet ad passionem. Et postea subditur. Memoria memor ero: & tabescet in me anima mea: ergo delectatio siue gaudium non est deuotionis effectus. *Ar. præced.*

2 ¶ Præterea, Deuotio præcipuè consistit in interiori sacrificio spiritus. Sed in Psalm. 50. dicitur: sacrificium Deo spiritus cōtribulatus: ergo afflictio magis est deuotionis effectus quàm iucunditas siue gaudium.

3 ¶ Præterea, * Grego. Nyssenus dicit in lib. De Homine: quod sicut risus procedit ex gaudio: ita lacrymę & gemitus sunt signa tristitiæ. Sed ex deuotione contingit, quod aliqui prorumpant in lacrymas: ergo lætitia vel gaudium non est deuotionis effectus. *In lib. de creat. hom. mirab. 12. 2. medio.*

¶ Sed Contra est, quod in collecta * dicitur: Quos ieiunia votiua castigant: ipsa quoque deuotio sancta lætificet. *Feria 4. post Lætare.*

¶ Respondeo dicendum, quòd deuotio per se quidem & principaliter spiritualem lætitiam mentis causat: ex consequenti autem & per accidēs causat tristitiam. Dictum * est enim quod deuotio ex duplici consideratione procedit. Principaliter quidē ex consideratione diuinæ bonitatis: quia ista cōsideratio pertinet quasi ad terminū motus voluntatis tradētis se Deo. Et ex ista cōsideratione per se quidem sequitur delectatio, secūdum illud Psal. 76. Memor fui Dei, & delectatus sum. Sed per accidens hæc consideratio tristitiā quandam causat in his qui nondum plenè Deo fruuntur, secundum illud Psalm. 41. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, & postea sequitur: Fuerunt mihi lacrymæ meæ, &c. Secundario verò causatur deuotio, vt dictum * est, ex consideratione propriorum defectuum. Nam hæc consideratio pertinet ad terminum à quo homo per motum voluntatis deuotæ recedit: vt scilicet non in se existat: sed Deo se subdat. Hæc autem consideratio econuerso se habet ad primam. Nam per se quidem nata est tristitiam causare: recogitando proprios defectus. Per accidens autem lætitiam, scilicet propter spem diuinæ subuentionis. Et sic patet quòd ad deuotionem primo & per se consequitur delectatio: secundario autē & per accidens tristitia quæ est secundum Deum. *Ar. præce.*

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd in consideratione passionis Christi est aliquid quod contristet, scilicet, defectus humanus: propter quem tollendum Christum pati oportuit: & est aliquid quod lætificet, scilicet Dei erga nos benignitas, quæ nobis de tali libetatione prouidit.

¶ Ad secundum dicendum, quòd spiritus qui ex vna parte contribulatur propter præsentis vitæ defectus, ex alia parte cōdelectatur ex cōsideratione diuinæ bonitatis, & ex spe diuini auxilij.

¶ Ad tertium dicendum, quòd lacrymæ prorumpunt non solum ex tristitia: sed etiam ex quadam affectus teneritudine, præcipuè cum cōsideratur aliquid delectabile cum permistione alicuius tristabilis: sicut solent homines lacrymari ex pietatis affectu cum recuperant filios, vel charos amicos, quos existimauerant se perdidisse. Et per hunc modum lacrymæ ex deuotione procedunt.

QVÆSTIO LXXXIII.
De Oratione, in decem & septem articulos diuisa.

Articvlvs. I.

¶ Vtrum oratio sit actus appetitiuæ virtutis.

Ad Primvm sic proceditur. Videtur quòd oratio sit actus appetitiuæ virtutis. Orationis enim est exaudiri. Sed desiderium est quod exauditur à Deo secundum illud Psalm. 9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: ergo oratio est desiderium, sed desiderium est actus appetitiuæ virtutis: ergo & oratio. *Qu. 3. 22. ar. 2. Et 4. dist. 15. q. 4. ar. 1. q. 1. & q. 2. co. & ad 2.*

2 ¶ Præterea, Dionys. * dicit in 3. cap. de Diuin. Nomin. Ante omnia ab oratione incipere est vtile, sicut Deo nosipsos tradentes & vniētes. Sed vnio ad Deum per amorem fit, qui pertinet ad vim appetitiuam: ergo oratio ad vim appetitiuam pertinet. *Ca. 3. paulo à princ. illius.*

3 ¶ Præterea, Philosophus * in tertio De Anima, ponit duas operationes intellectiuę partis: quarū prima est indiuisibilium intelligentia: per quam, scilicet apprehendimus de vnoquoq; quid est. Secunda vero est compositio, & diuisio: per quam scilicet apprehenditur aliquid esse, vel non esse: quibus tertio additur ratiocinari, procedendo, scilicet de notis ad ignota. Sed oratio ad nullam istarum operationum reducitur: ergo non est actus intellectiuæ virtutis, sed appetitiuæ. *Lib. 3. tex. 21. tom. 1.*

¶ Sed Contra est, quòd Isid. dicit in lib. * Etymolo. quòd orare idem est quod dicere. Sed dictio pertinet ad intellectum: ergo oratio non est actus appetitiuæ virtutis, sed intellectiuæ. *Lib. 10. ca. 4. & ca. 14. cuius principium est Orthodoxus, in princ. Psalm. 38. non multum remote à fine.*

¶ Respondeo dicendum, quòd secundum Cassiodor. * Oratio dicitur, quasi oris ratio. Ratio autem speculatiua, & practica in hoc differunt, quod ratio speculatiua est apprehēsiua solum rerum: ratio vero practica est, non solum apprehensiua, sed etiam causatiua. Est autem aliquid alterius

Universidad de Deusto
Biblioteca

causa dupliciter, Vno quidem modo perfectè necessitatem inducendo, & hoc contingit, quando effectus totaliter subditur potestati causæ. Alio vero modo imperfectè solum disponendo: quando, scilicet effectus non subditur potestati causæ totaliter. Sic ergo & ratio dupliciter est causa aliquorum. Vno quidem modo finem imponens. Et hoc modo ad rationem pertinet non solum imperare inferioribus potentijs, & membris corporis, sed etiam hominibus, & subiectis, quod quidem fit imperando. Alio modo sicut inducens, & quodammodo disponens. Et hoc modo ratio petit aliquid fieri ab his qui ei non subijciuntur, siue sint æquales, siue sint superiores. Vtrumque autem horum scilicet imperare & petere, siue deprecari, ordinationem quandam importat: prout scilicet homo disponit aliquid per aliud esse faciendum. Vnde pertinent ad rationem, cuius est ordinare. Propter quòd Philosoph. * dicit in 1. Ethicor. quod ad oprima deprecatur ratio. Sic autem nunc loquimur de oratione, prout significat quandam deprecationem, vel petitionem, secundum quòd Aug. dicit in li. De verbis Domini, quòd oratio petitio quædam est. Et Damasc. * dicit in tertio libro, quòd oratio est petitio decentium à Deo. Sic ergo patet quod oratio de qua nunc loquimur est rationis actus.

Lib. 1. cap. vlt. to. 5.

Aug. Ser. 5

Lib. 3. de Orth. fide. cap. 24. in princip.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd desiderium pauperum dicitur Dominus exaudire, vel quia desiderium est causa petendi: cum petitio quodammodo sit desiderij interpres, vel hoc dicitur ad ostendendum exauditionis velocitatem: quia, scilicet dum adhuc aliquid in desiderio pauperum est, Deus exaudit antequam orationem proponant, secundum illud Esa. 65. Erit, quantequam clament, ego exaudiam eos.

2.2.q.9.ar.1 ad 3. & q. 82. art. 1. ad 1.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut supra dictum * est, voluntas mouet rationem ad suum finem. Vnde nihil prohibet mouente voluntate, actum rationis tendere in finem charitatis, qui est Deo vniri. Tendit autem oratio in Deum quasi à voluntate charitatis mota dupliciter. Vno quidem modo ex parte eius quod petitur: quia hoc præcipuè est in oratione petendum, vt Deo vniamur, secundum illud Psalm 26. Vnam petij à Domino, hanc requiram vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Alio modo ex parte petentis: quem oportet accedere ad eum à quo petit: vel loco sicut ad hominem: vel mente sicut ad Deum. Vnde dicit * ibidem, quod quando orationibus inuocamus Deum reuelata mente adsumus ipsi. Et secundum hoc etiam Damasc. dicit * quod oratio est ascensus mentis in Deum.

Ca. 3. de gratia primi hominis. Li. 3. orth. fidei ca. 24. in princ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd illi tres actus pertinent ad rationem speculatiuam. Sed vlterius ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperij, vel per modum petitionis, vt dictum * est.

In corp.

Svmma Textvs.

Svpposito, quod oratio dicitur, quasi oris ratio, respondet D. Tho. ad propositam difficultatem per hanc conclusionem: Oratio, de qua nùc loquimur, est actus intellectus practici. Probatur: Oratio de qua nunc loquimur importat quandam deprecationem, seu petitionem, iuxta illud D. Aug. in lib. de verbis Domini: Oratio quædã petitio est. Et D. Damascen. li. 3. fid. Ortho. cap. 24. dicit, quod oratio est petitio decentium à Deo: sed tam deprecatio, quam petitio sunt actus intellectus: ergo oratio est actus intellectus. Consequẽtia cum maiori est nota, & minor probatur. Quod, vt efficiat D. Thom. supponit duo. Primũ est, hoc esse discriminis inter rationem speculatiuam, & practicam, quod speculatiua solum est apprehensiua rerum, practica autẽ non solum est apprehensiua, sed etiam causatiua. Secundò, quod supponit est, quod dupliciter aliquid potest esse alicuius causa. Vno modo perfectè necessitatẽ inducendo. Quod contingit, quando effectus totaliter subditur potestati causæ. Alio modo imperfectè, solum disponendo. Quod contingit, quando effectus non totaliter subditur potestati causæ. Ex quo fit, vt ratio practica dupliciter possit intelligi causa aliquorum. Vno modo, sicut necessitatem imponens. Qua ratione pertinet ad ipsam imperare, nõ solũ inferioribus potentiis, & membris corporis, sed etiam hominibus subiectis. Alio modo, sicut inducens, & quodammodo disponens. Qua ratione, petit aliquid fieri ab his, qui ei non subiiciuntur, siue æquales sint, siue superiores. Primum pertinet ad imperium, secundum ad orationem, & vtrumque ad intellectum, cuius est ordinare, vt dicit Aristo. libro 1. Ethic. capitulo vltimo. Cũ tam imperium, quam oratio ordinationem quandam importet, qua quis aliquid per alium faciendum esse disponit: ergo oratio, quæ deprecationem, & petitionem quandam importat, est actus intellectus practici.

Explicatio Articvli.

Pro intelligentia huius materiæ, quæ præcipua est, valdeque necessaria, vt à nomine ipso exordiamur, aduertendum est primo, quod hoc nomen, oratio, multas ac varias habet significationes. Nam primo largè acceptum significat quemcunque exterius prolatum sermonem. In qua significatione loquitus fuisse videtur D. Thom. in principio huius articuli, quando dixit, quod oratio dicitur quasi oris ratio. Et D. Isidorus libro 10. Etymol. capitulo 4. & 14. affirmans orare, idem esse, quod dicere. Alio modo potest accipi oratio magis strictè, secũdũ quod significat exterius prolatum sermonẽ, non quemcunque sed arte adhibita compositum, & in quo inest vel accusatio, vel defensio aliqua. Quales sunt orationes Ciceronis. Vnde dicti sunt oratores, qui huiusmodi causas accuratius apud iudices agunt. Tertio accipitur oratio, secundum quod significat, vel animo, vel ore prolatum sermonem cum petitione, & obsecratione coniunctum. Et hoc tertio modo loquimur nos in præsenti de oratione.

Nomen oratio multas habet significationes.

¶ Secundo est aduertendum, quod oratio hoc tertio modo sumpta multipliciter definitur à sacris Doctoribus. Nam D. Damas. libro 3. fidei ortho. cap. 24. dicit, orationem esse ascensum intellectus ad Deum. Et rursus ibidem: Oratio est petitio decentium à Deo. D. Augustinus in sermone de Oratione, & ieiunio, inquit, quod oratio est rerum inuisibilium inquisitio. Et rursus ibidem: Oratio est pius affectus mentis in Deum directus. D. Ambrosius dicit, quod oratio est cibus mentis, præclaraque alimonia suauitatis, quæ membra non onerat, sed in ornamenta conuertit. D. Gregorius super 21. capitulum Iob, in illa verba: Nunquid parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis: dicit: Veraciter orare esse, amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare. Quasi diceret: Oratio est amarorum gemituum in compunctione resonantia. D. Bernar. in quadam sua epistola definit orationem dicens, quod est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam, & pia alloquutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo; quam diu licet. Hugo de Virtute orandi: Oratio est deuotio ex compunctione procedens. Et rursus ibidem: Oratio est conuersio in Deum per ptum, & humilem affectum, fide, & spe, & charitate subnixa. Glossa super vltimum caput primæ epistolæ ad Thessa. in illa verba: Sine intermissione orate, dicit, orationem esse bonum desiderium. Et tandem alii: Oratio est expressio desiderii propter bonũ adipiscendũ, vel malũ remouendũ, informata per verbum exterius, vel interius. Quæ omnes potius descriptiones quarundam proprietatum, seu conditionum ipsius orationis, quam veræ diffinitiones sunt dicendæ. Nam, quia oportet orantem contemplari Deum, & ipsius bonitatem, ac potentiam, & etiam oportet ipsum ad Deum, tanquam ad bonorum desideriorum largitorem affectum suum dirigere. Interdumque orans petit à Deo formaliter quod desiderat, interdum autem non, nisi interpretatiue vt quando desiderium suum pandit, etiam si nec ore, nec mẽte dicat, Dñe da mihi hoc, vel illud, & præterea quia aliquãdo orat quis ex compunctione cordis, vt, si pro removendis malis deprecetur, aliquando verò ex amore, & dulcedine, quã sentit Deo adhærẽs, & ipsum cõtẽplans, quasi cupiẽs ad perfectionem peruenire: inde est, quod in describenda oratione quidam attendunt ad hoc, quidam ad illud, & alii ad aliud. Sed ex omnibus positis descriptionibus, quas Alexander Alens. 4. p. quæstione 26. memb. 1. articulo 1. latissimè explicat, ex, quæ est Damasceni, ponitureq; à D. Tho. in illo articulo nempe, Oratio est petitio decentium à Deo, est optima, vt pote quæ magis explicat quid ditatem, & essentiam orationis. Complectiturque hæc definitio, non tm vniuersum omnes orationes, sed illam tantum, de qua nos in præsenti loquimur, quæ est actus religionis. Petitio ponitur loco generis, & additur, decentium à Deo, vt duplex differentia, qua hæc oratio ab aliis distinguitur, significetur. Vna est, quod est à Deo, per quã particulam orationes, quibus homines oramus excluduntur, altera, quod est decentium, per quod iniustas & ineptas orationes, quæ non sunt actus religionis, à ratione orationis reiici-

D. Bern.

Hugo.

Glossa.

Optima diffinitio orationis.

Varie diffinitiones orationis.

D. Augu.

D. Ambr.

D. Greg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus: Est autem aduertendum, quod quando dicitur à Deo, intelligendum est mediatè, vel immediatè. Nã, vt infra dicemus, aliquando oratio nostra dirigitur ad sanctos immediate, & mediatè ad Deum, tanquam ad bonorum, quæ desideramus, largitorem.

1.arg. contra diffinitionem orationis.

¶ Sed contra prædictam diffinitionem, argumentor in hunc modum; Christi petitio à patre non potuit non esse vera, & perfecta oratio: & tamen non fuit petitio decentium à Deo: ergo illa definitio non est conueniens. Cõsequẽtia cũ maiori est nota, & minor probatur; Christus pro reparatione generis humani calicem passionis decentissimè bibit; vt dicit D. Anselmus in lib. Cur deus homo, atque adeò indecentissimum esse videretur, illum non bibere: sed Matth.æ.26. ter petiit à Patre, vt si possibile esset, calix ille à se transiret: ergo oratio non semper est petitio decentium.

2.arg.

¶ Secundo: Oratio Apostolorum non semper fuit decentium; ex quo prouenit, vt non semper fuerit exaudita à Deo, vt constat ex Paulo secundæ ad Conrin. ca.12. dicente; Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphicet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur: ergo nõ est de ratione orationis, quod sit decentium. Et confirmatur ex Glossa super dicta verba Pauli, dicẽte: Nota, quod exauditur Diabolus petens tentandum Iob, & non exauditur Apostolus, petẽs stimulum mouendum: sed petitio diaboli fuit omnino indecens, scilicet, quod iustus sine merito puniretur: ergo ad rationem orationis non est necessarium, quod sit decentium.

Ad 1.arg.

¶ Ad primũ argumentũ respondeo, negãdo minorem, Fuit enim Christi oratio decentium, vt planè docet Damascenus libro 3.ca.24. Et sic postquam dixit: oratio est petitio decentium à Deo, infert statim: Qualiter Lazaro mortuo & tempore passionis orauit Christus. Si quis autem quærat, quare ergo non fuit exauditus? dico, quod quoniam oratio est petitio procedẽs ex voluntate, & desiderio, sicut possumus considerare in Christo triplicem voluntatem: ità etiam & triplicem orationem. Vna fuit procedens à voluntate rationis. Et hæc, quia in omnibus fuit conformis volũtati diuinæ, semper fuit exaudita, iuxta illud Pauli ad Hebr. 5. Exauditus est pro sua reuerentia. Alia fuit procedens à voluntate pietatis, & tertia à voluntate carnis. Et istæ non semper fuerunt exauditæ. Tũ, quia nõ semper fuerunt cõformes volũtati diuinæ in volito materiali, vt patet ex eo, quod pendens in cruce orauit pro suis crucifixoribus, qui tamẽ non omnes saluti facti sunt. Et positus in agonia petiit, vt calix passionis à se transiret, quod Dñs noluit. Tũ etiã, quia illæ petitiones plus erãt ad nostrã eruditionẽ, quã ad diuinã exauditionẽ. Magis enim petebat Christ⁹, vt nos erudiret, quã vt Deũ ad suã petitionẽ inclinaret. Et sic propriè illæ nõ fuerunt orationes, sed magis explicationes inclinationis & desiderii carnis aut pietatis in ipso existentiũ. ¶ Ad 2. argu- *Ad 2.arg.*
respondeo, orationem Pauli fuisse decentiũ, quod à posteriori manifestè colligitur, quoniam fuit exaudita à Deo, si non ad votum, tamen ad meritum, vt dicit Glossa supra dictũ locum. Multa petit æger à medico, quæ medicus non dat, nec exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad sanitatem. Et ad hunc modum nõ exaudiuit Dominus Paulum ad voluntatem. Fuit ergo oratio Pauli decentium, tamen eã Dominus non acceptauit, vt volebat, sed secundum quod ei plus expediebat. Ad illud, quod adducitur in eodẽ argumento de exauditione Satanæ, dico, quod illa non fuit ratione operantis, quod malum erat, & inordinatũ, sed ratione operis operati. Tentatio enim, cuius faciendæ Dæmon à Deo facultatem petebat, cõsiderari potest, & in ordine ad tentãtem, cuius intentio erat praua, & iniqua, & in ordine ad tentatum Iob, cuius sustiuentia erat bona, cedensque illi ad meritum, & posteris ad exemplũ. Fuit ergo acceptata à Deo tentatio non quantum ad primum, sed tantum, quantum ad hoc secundum: Istaque sola præcisa ratione dicitur Satan à Deo exauditus. Vnde D. Damascenus lib.2.ca.29.dicit: Concedit Dominus iustum incidere in calamitates vt eam, quæ in eo latet, virtutẽ, aliis manifestam faciat, vt in Iob, estque hoc non orationis, sed diuinæ prouidentiæ effectus, vt ibidem dicitur. *D.Dama.*

¶ His constitutis, circa conclusionem positam à D.Tho. in isto articulo est difficultas, vtrũ oratio sit actus intellectus, an verò voluntatis. Et quod sit voluntatis, & non intellectus, probatur primo, testimonio Hugonis in li. de virtute orãdi dicẽtis, quod oratio deuotione perficitur; sed deuotio, vt docuit D.Tho. quæstione præcedenti est actus voluntatis; est enim prompta voluntas faciẽdi ea, quæ ad Deum pertinent: ergo oratio similitet pertinet ad voluntatem & nõ ad intellectũ. ¶ Secundo, D.Augu. in sermone de oratione, & ieiunio diffiniens orationem dicit, quod est pius affectus animi in Deum: sed voluntatis est piè affici, & non intellectus: ergo oratio est actus voluntatis. ¶ Ter- *Dubium circa conclusionem D.Tho.* *1.arg.* *2.arg.*

tio: Si oratio esset actus intellectus, sequeretur, ipsam esse cognitionem. Consequens autem est falsum, quia nec est cognitio apprehensiua, nec iudicatiua, vt patet: ergo & illud, ex quo sequitur. Atque ex consequenti oratio potius ad voluntatem, quam ad intellectum spectat. ¶ Vltimo. Ille est actus *Vlt. argu.*
orationis, quẽ hæc verba explicant. Fac hoc, vel, Da mihi hoc: sed ista pertinent ad voluntatem, & non ad intellectum; continent enim imperium, atque motionem quandam, quæ non ad intellectum, sed ad voluntatem spectat: quæ est veluti regina aliarũ potentiarum, ipsasque omnes mouens ad suas operationes: ergo oratio est actus voluntatis, & non intellectus. Et confirmatur: Ista verba explicant animi desiderium, ipsisq; declaramus ea, quæ volumus obtinere: ergo non ad intellectum, sed ad voluntatem spectant.

¶ Propter hæc argumenta Medina in tracta de oratione. C. de pœnitentia cap.2. tenet contra D.Tho. quod oratio est actus voluntatis, & non intellectus. Alexander Alensis. 4.p.q.126.memb.4. multis in medium adductis distinctionibus, concludit orationem interdum ad intellectum, interdum ad voluntatem, & interdum ad irascibilem pertinere. *C concluſ.*
Sed vera, atque tenenda sententia est, quod oratio propriè est actus partis intellectiuæ. Quam tenet D. Tho. in præsenti. Ricardus in 4.d.15.q.4.articulo 1. Gabri. super canone lec.61. Duran. in 4. eadem dist. quæstione de oratione. Et probatur hæc vna & efficaci ratione: Orare nihil aliud est, quam exprimere cordis desiderium, illudque Deo dicere, atque manifestare: sed hæc pertinent ad intellectum, & non ad voluntatem: ergo oratio formaliter est actus intellectus, & non voluntatis. Fateor in oratione duo posse cõsiderari. Primum est desiderium, quod oratio habet obtinẽdi aliquid à Deo. Aliud est propositio, & explicatio huiusmodi desiderii, quæ fit loquendo Deo per modum supplicatium. Primum sine dubio pertinet ad voluntatẽ, estque actus illius, tanquam elicientis. Et secundum pertinet ad intellectum, cuius est dicere: suntque ambo necessaria ad orationem. Nam nihil petitur obtineri, nisi quod, & affecta desideratur, & intellectu ei à quo obtineri speratur exprimitur. Quare qui quod desiderat suo ingenio, & labore, æquirit, non dicetur orare, sed qui quod desiderat, illud sibi ab alio dari petit, orat. Et sic oratio propriè atque formaliter est actus intellectus, & nõ voluntatis; quãuis præsupponat desiderium, quod est actus voluntatis, tanquam principium, & fundamentum orandi.

¶ Et, vt ad argumenta in contrarium facta respondeamus, aduertendum est, quod vt docet D.Tho, supra quæst.47. artic.8. ratio circa ea, quæ sunt agenda tres habet actus. Primus dicitur consiliatio, pertinetque ad inuentionem, & est quo, proposito sibi fine, inquirit homo & consultat de mediis, quibus ad illum consequendum possit perueniri. Secundus est, quo inter media inuenta iudicat, vtrũ illorũ sit præstabilius. Pertinetq; iste actus ad speculatiuã rationẽ. Tertius est præcipere, vt fiat, & exequutioni mandetur, quod vtilius iudicauit. Consistit autẽ iste actus in applicatione consiliatorũ, & iudicatorũ, ad operandum. Et quoniam propinquior est fini rationis practicæ; sic, vt ût principalis actus illius, atque etiam prudentiæ. Sed his tribus actibus intellectus sunt coniungendi alii duo voluntatis, qui sunt voluntas finis, & electio mediorum. Ex voluntate quidem finis inducitur ratio ad primum actum, qui est inquisitio mediorum, atque etiam ad secundum, qui est iudicare de mediis, vtrũ sit alio præstabilius. Et statim sequitur actus volũtatis, qui est electio; & quod voluntas eligit, id statim ratio & intellectus præcipit fieri. Itaque actus, quantum attinet ad agẽda in moralibus, sunt quinque. Primus est volitio finis. Secũdus inquisitio mediorũ. Tertius iudicium rationis. Quartus electio voluntatis. Quintus, & vltimus imperium eiusdem rationis. Oratio secundum D.Tho. pertinet ad istum vltimum actum, quamuis habeat ortũ à præcedentibus. Et propterea, supposito, quod ratio practica, quæ est principium operationis, dupliciter potest esse causa aliquotum. Vno modo perfectè per imperium necessitatem inducendo. Quod contingit, quãdo effectus totaliter subditur potestati causæ. Alio modo imperfectè, solum disponẽdo. Quod contingit, quando effectus non totaliter subditur potestati causæ. Affirmat quod oratio est actus intellectus practici: isto secũdo modo, & non primo, vt diximus in explicatione litteræ. Hoc supposito ad primũ argumentum respondeo, Hugonem affirmare, quod oratio deuotione perficitur. Non quia oratio est voluntas, sed quia nascitur ex voluntate. Et quo maior est voluntas, eõ etiam maior atque efficacior est oratio, & imperiũ. ¶ Ad secundum respondetur, quod quando D.Augus. definit orationem dicẽs, quod est pia affectio in Deum; non assignat orationis definitionem formalem, sed causalem; nam est proprium veræ orationis, vt à pia affectione, tanquam à causa proficiscatur. ¶ Ad tertium argumentum respondetur cum D.Thom. hic ad tertio, negando sequelam. Nam vltra apprehensionem, & iu- *Ratio circa agẽda tres habet actus* *Ad 1.arg.* *Ad 2.arg.* *Ad 3.arg.*

di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicium, qui sunt actus intellectus speculatiui, est etiam alius intellectus practici, qui est imperare. Et ad istum pertinet oratio. ¶ Ad vltimum respondetur, concessa maiori, negã do minorem. Et ad probationem dico cum D. Tho. supra quæst. 47. attic. 8. ad 3. aliud esse mouere absolutè, & aliud imperare. Nam imperare est mouere ordinando hoc ad illud. Ex quo fit, vt quamuis proprium voluntatis sit mouere, imperare tamẽ tantũ pertinet ad intellectum propter ordinationẽ, quã importat. Et ad confirmationem, concedo, quod illa verba siue mentalia sint, siue vocalia explicant desiderium, negatur tamen inde inferri, quod oratio sit actus voluntatis, & non intellectus: Nam explicatio desiderii, quam oratio importat, non est actus voluntatis, sed intellectus.

Ad vlt. arg

Quid requiratur vt quis orare dicatur.

¶ Sed, vt hæc meliùs intelligantur, aduertendum est primò, quod quemadmodum ad hoc, vt lex vel princeps dicatur legem ferre, non satis est, quod iudicet aliquid fieri oportere, & velit id fieri, sed vltra hoc requiritur, quod statuat illud esse faciendum; non quidem consulendo, aut adhortando, sed efficaciter præcipiendo. Itaque tunc tantum existit lex quando illa, quæ iudicio probantur, & placent voluntati fieri præcipiuntur. Et sic lex nihil aliud est, quam quoddam imperium rei probatæ per iudicium, & voluntatem. Vel alio modo, lex est quædam vis imperans id, quod principis iudicio, & voluntate probatur. Ita etiam ad hoc, vt aliquis dicatur efficaciter & vere orare, non satis est, quod iudicet aliquid fieri oportere; & velit id fieri. Sed vltra hoc requiritur, quod per rationẽ practicam illud petat, atque causet. Non quidem quasi necessitatem imponens. Quo modo pertinet ad ipsam imperare nõ solùm inferioribus potentiis, & membris corporis, sed etiam hominibus subiectis. Sed quasi inducens, & quodammodo disponens petendo, scilicet, aliquid fieri ab iis, qui ei non subiiciuntur, siue æquales sint, siue superiores. Nam primum pertinet ad imperiũ, & secundum ad orationem, & vtrumque ad intellectum, cuius est ordinare, vt dicit D. Thom. in corpore articuli. Ex quo fit, vt ad orationem idem prorsus actus tam intellectus, quam voluntatis sint necessarii, qui requiruntur ad imperium: Et quod ad eandem potentiã pertineat orare, cuius est imperare. Et tantum differunt imperium, & oratio in hoc, quod imperium perfectè causat necessitatem imponendo, quia fertur in subiecta, at verò oratio causat imperfectè solũ disponẽdo, quia petit aliquid fieri ab iis, qui ei omnino nõ subiiciũtur. Vnde eodem modo loquendum erit de oratione, quo loquũtur Theologi de imperio, quantum attinet ad explicandum cuius potentiæ actus sit oratio.

¶ Secundo est aduertendum, quod licet imperium habeat quodammodo ortum à voluntate, tamen secundum substantiam est actus intellectus, vt docet Aristo. libro 5. Ethi. capitulo 10. & D. Tho. 1.2. quæstione 17. articulo 1. Et ratio est, quia, vt notat Caietanus super illum articulum, ad rationem imperii tria requiruntur. Primum est, ordinatio ad id, quod faciendum est. Secundum, intimatio, & denunciatio eius, quod est faciendum. Tertium est motio, qua imperans mouet illum, cui imperat, vt imperium exequatur. Duo priora pertinent ad intellectum, & tertium ad voluntatem; quia voluntas est, quæ primò mouet per modum agentis seipsam, & reliquas potẽtias ad exercitium actus. Et quia, vt docet D. Tho. 1.2. quæstione 13. attic. 1. actus compositus ex duobus, quæ spectãt ad diuersas potẽtias illi præcipue est tribuendus, à qua procedit elicitiue, & quantum ad substantiam actus: & substantia imperii est illa intimatiua ordinatio, qua ille, cui imperiũ datur ordinatur ad id, quod est faciendum cum quadam intimatione, & denunciatione illius, quod fieri debet: motio verò voluntatis præsupponitur ad istam ordinationem, sit consequens, vt imperium propriè dicatur pertinere ad intellectum, præsuppositio tamen actu voluntatis, virtute cuius ratio mouet illum, cui imperat. Mouere enim primò conuenit voluntati, & virtute illius conuenit rationi. Si quis autem quærat, qui nam actus voluntatis sit iste, qui præsupponitur ad imperium, & virtute cuius ratio mouet, respondetur cum D. Thoma loco citato, quod est electio. Quando enim aliquis per imperium quod exprimitur per hæc verba. Fac hoc, mouet illum cui imperium datur, ad id faciendum, vis illa, & efficacia mouendi conuenit huic imperio, ex electione, qua prius voluntas elegit hoc esse faciendũ. Et idem prorsus est intelligendum de oratione, quæ eandem rationem habet cum imperio, quantum ad hoc. Ex dictis infertur, quod oratio respectu eorum, pro quibus oramus, cõstituenda est in genere causæ efficientis, dispositiuæ tamen. Atque adeo quando Deum oramus pro re aliqua, non solum mẽtes nostras ipsi offerimus, & appropinquamus eidem: sed etiam apponimus causas efficiendis petitis. Quapropter meritò non orans vt debet, priuatur optatis: sicut & negligens cultor priuatur fructu hor ti, vel agri: Sed de hoc infra latiùs videbimꝰ.

Imperium est actus intellectus

Ar.

Articvlvs. II.

¶ Vtrum sit conueniens orare.

4. di. 15. q. 4. ar. 1. q. 3 ad 1. 2 & 3 Et ver. q. 5 ar. 2. co. & opus. 3. ca. 255.

AD Secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd nõ sit conueniẽs orare. Oratio enim videtur esse necessaria ad hoc: quòd intimemus ei à quo petimus id quo indigemus. Sed sicut dicitur Matth. 6. Scit pater vester, quia his omnibus indigeris: ergo non est conueniens Deum orare.

2 ¶ Præterea, Per orationem flectitur animus eius qui oratur, vt faciat quod ab eo petitur. Sed animus Dei est immutabilis, & inflexibilis, secundum illud 1. Reg. 15. Porrò triumphator in Israel nõ parcet, nec pœnitudine flectetur: ergo non est conueniens, quòd Deum oremus.

Li. 2. de beneficijs, ca. 1. circa finem.

3 ¶ Præterea, Liberalius est dare aliquid non petenti quàm dare petenti: quia sicut Seneca dicit. * Nulla res carius emitur, quàm quæ precibus empta est. Sed Deus est liberalissimus: ergo non videtur esse conueniens, quòd Deum oremus.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere,

¶ Respondeo dicendum, quòd triplex fuit circa orationem antiquorum error. Quidam enim posuerunt, quòd res humanæ non reguntur diuina prouidentia, ex quo sequitur, quod vanum sit orare, & omnino Deum colere. Et de his dicitur Malach. 2. Dixistis vanus est qui seruit Deo. Secunda fuit opinio ponentium omnium etiã in rebus humanis ex necessitate cõtingere, siue ex immutabilitate diuinæ prouidentiæ, siue ex necessitate stellarum, siue ex connexione causarum. Et secundum hos etiam excluditur orationis vtilitas. Tertia fuit opinio ponentium quidem res humanas diuina prouidentia regi, & quod res humanæ non prouenium ex necessitate: sed dicebãt similiter dispositionem diuinæ prouidentiæ variabilem esse, & quod orationibus, & alijs quæ ad diuinum cultum pertinent dispositio diuinæ prouidentiæ immutatur. Hæc autem omnia in primo * libro improbata sunt. Et ideo oportet sic inducere orationis vtilitatem, vt neque rebus humanis diuinæ prouidentiæ subiectis necessitatem imponamus, neque etiam diuinam dispositionem mutabilem æstimemus. Ad huius ergo euidentiam considerandum est, quod ex diuina prouidentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proueniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorundam causæ actus humani: vnde oportet homines agere aliqua non vt per suos actus diuinam dispositionem immutent, sed vt per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem à Deo dispositum. Et idem etiam est in naturalibus causis. Et simile est etiam de oratione. Non enim propter hoc oramus, vt diuinam dispositionem immutemus, sed vt id impetremus, quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum, vt, scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omniporens ante secula disposuit donare, vt Grego. * dicit in lib. Dialogorum.

1. 1. q. 22. ar. 2. & 4. & q. 115. ar. 6. & q. 116. & q. 19. ar. 7. & 8.

Li. 1. c. 8. à med. & habetur 23. q. 4. c. Obtineri.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd non est necessarium nos Deo preces porrigere vt ei nostras indigentias, vel desideria manifestemus, sed vt nosipsi consideremus in his ad diuinum auxilium esse recurrendum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut dictum * est, oratio nostra non ordinatur ad immutationem diuinæ dispositionis, sed vt obtineatur nostris precibus quod Deus disposuit.

In cor. art.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate, etiam non petita: sed quòd aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram vtilitatem, vt, scilicet fiduciam quandam accipiamus recurrendi ad Deum, & vt recognoscamus eum esse bonorum nostrorum authorem: Vnde Chrysosto. * dicit,

In sententia id habet in libro 2. de orando Deum, non procul à prin. incipit, Duplici nomine par est.

Consi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Considera quanta est tibi concessa fœlicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare.

SVMMA TEXTVS.

ANtequã D. Tho. ad propositam difficultatem respondeat, præmittit triplicem fuisse apud antiquos errorem de oratione. Primus fuit eorum, qui dicebant, res humanas diuinæ prouidentiæ non esse subiectas. Ex quo inferebant, vanum esse orare, & omnino Deum colere. Secundus eorum, qui affirmabant, omnia in rebus humanis ex necessitate contingere, siue ex immutabilitate diuinæ prouidentiæ, siue ex necessitate stellarum, siue ex connexione causarũ. Ex quo similiter sequebatur, orationem esse inutilem. Tertius eorum, qui dicebãt, res humanas diuina prouidentia regi, nec esse necessarias, atque adeò necessariam esse orationem, vt illa, atque aliis ad diuinum cultum pertinentibus dispositio diuinæ prouidẽtiæ, quæ variabilis est, immutetur. Quæ omnia manifestam continent falsitatem, vt p.p. variis in locis ab ipso D.Tho. fuit explicatũ. Ex quo sequitur, sic oportere inducere orationis vtilitatem, vt nec rebus humanis diuinæ prouidentiæ subiectis necessitatem imponamus, nec etiam diuinam dispositionem mutabilem æstimemus. Et sic est conclusio. Cõueniens, & necessaria est oratio ad multas res obtinendas. Probatur: Ex diuina prouidentia non solum est dispositum, qui effectus fiant, sed etiã ex quibus causis, & quo ordine proueniant: Sed inter causas dispositas à Deo ad producendos multos effectus, est constituta oratio; multa enim disposuit Deus facere media oratione, sicut etiam mediis aliis causis naturalibus: ergo ad tales effectus consequẽdos necessaria, & conueniens erit oratio. Nõ quidem, vt per illam diuinam dispositionẽ immutemus, sed vt id impetremus, quod Deus per orationes sanctorum implendum esse disposuit. Vt, scilicet, homines postulando mereantur accipere quod eis Deus omnipotens ante secula disposuit donare, vt dicit D.Grego. libro 1. Dialogo, capitulo 8. referturque à Gratiano in Decretis 23.q.4.capi. obtinuit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SI errorum, qui à D. Tho. in hoc articulo recensentur, exactè esset disputatio tradẽda, longior necessario esset, quam quæ intentæ à nobis, multisque in locis promissæ breuitati conueniret. Cùm opus esset multa de prouidentia diuina, de rerum contingentia, de scientia, & voluntate Dei, atque etiam de eius immutabilitate in medium afferre. Quæ adeo difficilia sunt, & à nostro instituto aliena, vt non solum diutius immorari, sed etiam extra chorum saltare esset necesse. Eo vel maximè, quod huis nostri operis intentio ea præcipuè est, vt pertinentia ad mores, & non pertinẽtia ad speculationem doceam. Sed, ne omnino ea, quæ sunt interpretis prætermittã, operæpretium erit aliqua de illis, maiori, qua potero breuitate, perstringere, vt & eorũ errorum autores, & modi, quibus sunt impugnandi, breuiter cognoscantur. Primus ergo error fuit illorũ, qui orationẽ eiusque vsum ideo à rebus humanis excludebant, quia Deũ harum rerum inferiorum prouidentiam habere negabant. Et sic nec orationes exaudiri, nec res per ipsas postulatæ, ab eo conferri posse dicebant. Huius erroris fuisse videntur Democritus, & Epicurei. Qui, vt autor est D. Thom. p.p.q.22.art.2. affirmantes mũdum factum fuisse casu, diuinam prouidentiam omnino à rebus tollebãt. Auerroes. 12. Meta. cõm. 52. & 54. quem multi alii sequuntur, dicebat, res tantum incorruptibiles, atq; perpetuas diuinæ prouidentiæ esse subiectas, non autem res corruptibiles. Et cũ hæc inferiora secundum speciem sint incorruptibilia, secundum autem indiuiduum corruptibilia; subinde affirmabat, illa secundum speciem, & non secundum indiuidia ac singularia diuinæ prouidentiæ esse subiecta. In quorum persona dixisse videtur Iob. capitu. 22. loquens de Deo: Nubes latibulũ eius, & circa cardines cæli perambulat, nec nostra cõsiderat. Rabbi Moyses, vt autor est idem D. Tho. loco citato, dicebat, non solum incorruptibilia, sed etiam indiuidua naturæ humanæ propter splendorem intellectus, quo participãt diuinæ prouidentiæ, esse subiecta. De aliis autem indiuiduis corruptibilibus sequutus est opinionem aliorum. Sed contra hos omnes sit conclusio de fide tenenda. Necesse est omnia nõ tantũ in vniuersali; sed etiã in particulari, diuinæ prouidentiæ esse subiecta. Atque adeò ex hac parte necessitas orationis negari non potest. Probatur primo exillo Sapien. 14. Tu autẽ pater prouidentia cuncta gubernas. Et Sapi. 8. Attingit à fine, vsque ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. Hoc est attingit à summis creaturis, vsq; ad infima earũ. Eandem conclusionẽ probat D. Augu. li. 5. de Genes ad liter. c. 20. & 21. aliis tribus testimoniis. Primum est ex Psal. 145. Ignis, grando, nix, glacies, quæ faciunt verbum eius secundum Matth. 10. Nonne duo passeres asse veneunt? & tamen vnus ex illis non cadit in terra sine patre vestro. Tertium eiusdem Matth. ca. 6. Vbi postquam dixit Christus; Considerate lilia campi, &c. subiunxit statim: si enim fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, sic Deus vestit, quanto magis vos modicæ fidei. Idem testimonium adducit D. Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 14. vbi affirmat Plotinum Platonicum, hanc sententiã tenuisse. In qua etiam est Plato in Epimenide, & lib. 10 de Legibus. vt supra illud caput de Ciuitate, autor est Ludouicus Viues. Licet. D. Tho. p.p.q.22.art.3. aliter de Platone sentiat. De hac re legendus est D. Aug. li. 5. de Ciuit. cap. 9. & 10. Quo etiam loco eleganter reprobat sententiam Ciceronis futurorum præscientiam à Deo subtrahentis. Et lib. 7. de Ciuit. c. 29. & 30. Videndus est etiã D. Hieron. D. Hieronymus super 32. caput. Hierem. in illa verba: Ego Dominus vniuersæ carnis. Vbi affirmat vniuersas res, quamuis minutissimas diuinæ subiacere prouidentiæ. Ex quo infert, quod quando idem D. Hieronymus in ca. 1. Abacuch videtur res infimas à diuina prouidentia subtrahere, non sic est intelligendus, vt negauerit illa subiacere diuinæ prouidentiæ, Sed id dixit, vel, quia non tam particularem curam gerit de illis, sicut de hominibus iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 9. Nunquid Deo cura est de bobus, vel, quia loquebatur secundũ aliorũ sententiam, propria, scilicet, submissa, quod sæpenumero facere consueuit, vt ipse fatetur, in Apologia ad Rufinum c. 1. Sed, vt ratione probemus nostrã conclusionẽ supponendũ est primò, tãquã certũ, quodomne agens agit propter finẽ. Ex quo sequitur, tantũ se extẽdere ordinationẽ effectuum in finẽ, quantũ se extẽdit causalitas primi agẽtis. Quod ità esse constat. Nã si non tantũ se extenderet ordinatio effectuum in finẽ, quantũ causalitas agentis, non semper agens ageret propter finẽ. Quare quotiescunq; aliquis effectus nõ est ad finẽ agentis ordinatus, dicimus illum prouenire ab alia causa præterintentionẽ agentis. Hoc supposito probatur cõclusio hac ratione: Causalitas Dei, qui est primum agens extendit se ad omnia entia, tam corruptibilia, quã incorruptibilia, tam singularia, quam secundũ rationẽ speciei: & ordinatio effectuũ in finẽ extẽditur se tantũ quantũ causalitas agentis: ergo ordinatio diuina, qua ordinat res in finem extendit se ad omnia entia. Sed prouidentia nihil aliud est, quã ratio ordinis aliquorũ in finẽ: ergo omnia sunt subiecta diuinæ prouidentiæ. Secundo probatur conclusio à D. Tho. hac ratione: Deus cognoscit omnia tã vniuersalia, quã particularia, eiusq; scientia comparatur ad res, sicut ars ad artificiata: ergo est necessarium, quod omnia supponãtur diuino ordini, sicut artificiata subduntur ordini artis, atque ex consequenti quod omnia sint subiecta diuinæ prouidentiæ. Sed quoniam non omnes recipiũt illud antecedens, scilicet, Deus cognoscit omnia tam singularia, quã vniuersalia, negantes ipsum cognoscere futura contingentia, quorum vnus est Cicero. libro 2. de Diuinatione, qui dicebat Deum futurorũ contingẽtium nullo modo posse habere certam & infallibilem cognitionem. Et ratio illius erat; Quia futura, vt futura cognosci nõ possunt, nisi in suis causis. Causæ autem ex quibus futura contingentia oriuntur, non sunt ad vnũ determinatæ, sed indifferentes ad vtrumlibet. Et sic videtur implicatio contradictionis, quod visis illis causis, certò & infallibiliter cognoscatur, in quam partem se sint inclinaturæ. Operæpretium erit illud probare, quod facile est ex sacris literis, Nam Ecclesiastici. capitulo 33. dicit Salomon loquens de Deo: Nota sunt tibi omnia, antequã crearentur. Et capit. 39. Opera vniuersæ carnis corã ipso sunt. Et Sapientiæ 8. Signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum & seculorum. Ecclesiast. 23. Oculi Domini lucidiores super solem circũspicientes vias hominum: Et ad Rom. 4. Vocat ea, quæ nõ sunt, tanquã ea, quæ sunt. De qua re disputat latè D. August. super illud Psalmi: Plenitudo agri mecũ est. Et ser. 11. de verbis Apostoli, super illud ad Ephe. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.

Primus error negantium prouidentiam.

Conclusio.

Sententia Ciceronis de cognitione futurorum contingentium.

D. *Hieron.*

D. *Augu.*

¶ Sed, quamuis sit certum de fide, quod Deus cognoscit omnia, etiam futura contingentia; est tamen non leuis difficultas in explicanda ratione, & modo, quo Deus futura contingentia cognoscit? Ad cuius explicationem aduertendum est, quod ea tãtum futura possunt in suis causis cognosci, & præuideri, quæ habẽt causas determinatas, & necessarias. Illa verò futura, quorum causæ contingentes sunt, & indifferentes ad vtrumque, implicat contradictionem, quod ex suis causis possint certò, & infallibiliter cognosci, & præuideri. Et in hoc rectè dixit Cicero, vt manifestè probatur ex ratione illius. Quare si Deus aliunde non haberet, quod futura cognosceret, nisi quod illa videt in causis, nullo modo certò, & infallibiliter cognosceret contingẽtia. Dicimus ergo, quod, vt rectè D. Thom. docet, de Verit. quæstione 2. ar. 12. & p.p.q.14. ar. 13. Deus futura contingentia non præcognoscit in suis causis. Nam est impossibile. Sed præcognoscit illa, idque certò

Difficultas.

Responsio ad difficultatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

certò & infallibiliter, quoniã habet omnes res futuras in sua æternitate præsentes,nó solum in esse cognito & obiectiuo (vt nonnulli dicũt,) sed etiã secundũ esse reale,quod extra suas causas habebunt.Et sic intuetur singulas illas res ipsas in seipsis,eo modo,quo ego intueor res mihi modo præsentes. Et causa huius euidens est,quoniam tota æternitas est præsens Deo cùm successionem non habeat. Et ea æternitas complectitur, & ambit, & coexistit omni tempori. Ex quo fit, quod sunt illi præsentes simul omnium temporũ differentiæ. Atque ex consequenti coexistũt Deo in æternitate omnes res,quæ pro qualibet temporis differentia,erunt, fuerunt, & sunt. Et sic illas omnes præsentes intuetur,atque cognoscit.Itaque, vt exemplo fiat lucidius,dico,quod ab æterno,simul est Deo præsens tempus, in quo Antichristus nondum est;& etiã tempus, in quo Antichristus iam est;& item tempus,in quo iam præteriit esse. Et ab æterno Deus simul,& præsentialiter intuetur Antichristũ nondum esse;& Antichristum esse; & præteriisse,vnumquodque pro suo tempore.Quoniã æternitas simul coexistit illis tribus temporibus;& est tota simul præsens Deo.Et sic cognoscit vniuersas illas res, quæ pro qualibet temporis differentia erunt certò & infallibiliter. Quoniam illas habet præsentes in æternitate, & illi coexistunt. Et hæc de primo errore dixisse sufficiat.

Secundus error dicẽtium omnia euenire necessario.

¶ Secundus error fuit illorum, qui ideo orationem, & eius vtilitatem à rebus humanis reiiciebant; quia omnia ex necessitate euenire iudicabant. Et quamuis plures conuenerint in hac sententia, non tamen omnes ad id dicendum ex vno & eodem capite mouebantur.Nam Stoici Philosophi, qui, vt autor est D. August.libro 5. de Ciuitate.capit. 8.& 9. libertatem,& contingentiam à rebus tollebant, ad id mouebantur, quia existimabant omnia euenire fatali quadam necessitate. Cui etiam ipsum Deum ita subiiciebant, vt dicerent, non potuisse res alio modo facere, quam fecit. Ex quo etiam principio permoti videntur Petrus Abaylardus, & Vvitcleph ad negandum liberum arbitrium, vt dicit Castro lib.9.de Hæresi.verbo.libertas. Prisciliani stæ id ipsum negabant.Quia credebant cælum, & astra ità influere in hominum animos, & alias quascunque res, vt eas non solum inclinarent, sed etiam necessario raperent in actiones. Manichæi alia ratione sunt inducti. Nam dicebant, quod quemadmodum erant duo rerum principia, vnum à quo bona,alterum,à quo mala: ità etiam in homine erant duæ animæ, vna orta à bono principio,& ordinata ad studiũ boni, atque honesti, altera profecta à malo principio,& determinata ad studium turpitudinis. Quæ duæ animæ ità inter seipsas pugnabant,vt cum aliquid boni, aut honesti ageremus, vinceret bona anima, quando autẽ prauè operaremur,vinceret mala anima.Sed, siue studiosè, siue prauè operaremur affirmabant, nunquam nos libere, sed necessariò operari. Et sic tollebant rerum contingentiam, & libertatem. Alii id ipsum faciebant permoti ex infallibilitate, & certitudine scientiæ diuinæ, atque etiam ex efficacia diuinæ voluntatis, & prouidentiæ; cum quibus rerum contingentiam, & libertatem arbitrii stare non posse iudicabant. Et, vt cognoscatis, quantum in hac re explicanda insit difficultatis, argumentor in hunc modum: Deus ab æterno præuidit,quidquid quisque facturus est,& scientia Dei est infallibilis, & immutabilis:ergo nõ potest aliter euenire,quam à Deo est præuisum;atque ex consequenti necessario omnia, & nõ libere eueniunt. *1. arg.* ¶ Secũdo:Deus nõ solũ præuidit, sed etiam prouidit, hoc est, prouidẽtia sua decreuit, & ordinauit singulorũ hominũ singulas actiones,& euentus,& omniũ rerũ summa & prima causa est diuina voluntas,& prouidẽtia:ergo omnia necessario eueniunt, & non liberè. Probo consequentiam: Quia posita causa ad vnum determinata, & quæ nullo modo possit impediri; necessario sequitur effectus,sed diuina voluntas est causa omnium rerum,& est ab æterno posita & determinata ad vnã partem contradictionis: & impediri non potest: ergo effectus sequuntur necessario. *Confirmatio.* ¶ Et confirmatur ex Paulo ad Roman.9. Vbi cum dixisset Deum non ex operibus, sed sua mera voluntate Iacob dilexisse, & Esau odio habuisse, atque etiam cum probasset testimonio Moysi, & exemplo Pharaonis, quod Deus condidit homines vt misericordiæ suæ, atque iustitiæ exempla alia in alios manifestaret, & tandem,cum intulisset; ergo cuius vult miseretur,& quem vult indurat; obiicit sibi Paulus ex aliorum persona dicens: Itaque mihi quid aliud quæritur? Voluntati eius quis resistet? Quasi diceret; Si Deus sua sola voluntate alios eligit, & alios reprobat, vt modo dicebas ò Paule, non erit in potestate hominis suas vias,vel bonas, vel malas facere: sed omnia euenient necessario, iuxta decretum diuinæ voluntatis, cui resisti non potest: Ad quam quidem obiectionem D. Paulus respondet, non

non quidem negando rem ità se habere,vt illata est; sed reprehendendo audaciam illorum,qui talibus verbis exigunt à Deo rationem suæ voluntatis,atque iudicij. Et dicit: O homo,tu quis es,qui sic respõdeas Deo? Nunquid decet figmentum ei, qui se finxit;Quid me feciisti sic? Nonne habet potestatem figulus ex eadem massa luti facere aliud vas in honorem,& aliud in contumeliã? In quibus verbis videtur cõcedere Paulus,quod sibi obiectum fuerat, scilicet,Voluntati eius quis resistet? Et illud tantum respondet,quod quamuis hoc ità sit,vt obijcitur,non tamen idcircò possumus iustè accusare Deum, aut illum in iudicium vocare, magis quam potest lutum quæri de eo,qui se finxit. ¶ Tertio sic argumentor: Actus humani & quæcunq; aliæ causæ in omnibus sequuntur influxum,& inclinationem corporum cælestium:sed corpora cælestia tanquam causæ naturales sunt ad vnum determinatæ: ergo & humani actus erunt determinati ad vnum: atque ex consequenti nullus effectus erit contingens & liber. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur,ex illo Genes. cap.1. Vbi dixit Deus: Fiant luminaria, & stellæ in firmamento,vt sint signa, & tempora: sed stellæ non possunt esse signa rerum in hoc mundo agendarum, nisi quia earum sunt causæ effectiuæ.Vnde Aristot.lib.1.Meteoro.dicit,mundum hunc inferiorem necessariò continuũ esse superioribus lationibus, vt inde omnis illius virtus gubernetur: ergo actus humani ex influentia corporum cælestium, tanquam à causa producuntur. *Confirma.* Et confirmatur: Nam experientia docet,Astrologos ex aspectu astrorum prædicere ea, quæ quisq; actu rus,vel passurus est;signum est ergo, quòd cælum influit in animos nostros, & quod sua influentia nos determinat ad vnum. Plura alia poterant fieri argumenta ad idẽ probandum. Sed quoniã hæc nobis ansam præbent explicandi ea,quæ ad scientiam Dei & voluntatem spectant, atque etiam illa,quæ pertinent ad astrorum influentiam, ex quibus autores secundi erroris positi à D. Th. mouebantur præcipuè ad dicendum,omnia euenire necessario,& sic orationem esse inutilem,& superfluam,non oportet alia multiplicare.Et cum diuina prouidentia, atque prædestinatio includant præscientiam, & voluntatem Dei, explicatis his, quæ ad scientiam, & voluntatem spectant, explicatum etiam erit de prædestinatione,& prouidentia,quantum attinet ad hoc,quod est intelligere,qualiter cum horum infallibilitate,& certitudine stare possit libertas arbitrij, &

3. Argum.

rerum contingentia. Quoniam autem est certum de fide homines esse liberi arbitrij, pluresque inueniri effectus in rerum natura,natura sua liberos,& contingentes,vtpotè qui à causis omnino liberis,& ad neutrã partẽ cõtradictionis determinatis procedũt, nõ est cur in huius rei probatione immoremur;sed tantũ ad argumenta respõdere erit opus. ¶ Ad primũ in quo de scientia Dei est sermo Cic.lib.2. de Diuinatio. respõdet negãdo antecedẽs.s.q; Deus ab æterno præuidet quidquid quisq; facturus sit.Nã dicit,q; eũ futura,vt futura cognosci nõ possint,nisi in suis causis,& causæ, ex quibus oriũtur futura cõtingentia, sint indifferẽtes ad vtrũq;, est impossibile visis illis certò, & infallibiliter cognoscere, quã in partẽ se sint inclinaturæ.Et sic Deus futura contingentia cognoscere non potest.Et quidem,si futuri euẽtus præuideri non possunt, nisi in suis causis,planè conuinceret argumentum,vt paulò antea dicebam. Cæterum hæc sententia est contra fidem. Vnde Laurentius Valla in lib. de libero arbitrio aliter respondet ad argumentum, concedendo omnes euentus à Deo præuideri, & diuinam præscientiam falli non posse.Ex hoc tamen non sequitur, quòd ipsæ res necessario eueniant.Nam præscientia nullã necessitatem rebus præscitis imponit.Quoniã scientia,aut præscientia nõ est causa rerũ futurarũ;sicut neq; præsentiũ. Vnde quẽadmodũ vos nõ estis in hoc loco, quia ego video vos hic esse: sed è cõtra video vos,quia hic estis:ità ad eũdẽ modũ res futuræ nõ sunt,quia Deus præuidit illas futuras:sed cũ futuræ essent Deus illas præuidit.Et cũ quæritur à Laurẽtio: Si res cõtingẽter sunt futuræ, quomodo possunt à Deo infallibiliter præuideri?respõdet,q; ipse tãtũ dicit futuros euẽtus; nõ habere necessitatẽ ex præscientia Dei.Sed vtrũ illã aliũde habeãt, sua voluntate, dicit,sede hoc nihil affirmare. Et Ieniq; apertè significat omnia necessario euenire,sed huius necessitatis causam nõ esse diuinã præscientiã,sed diuinã voluntatẽ, quod est hæreticũ. Quocirca ad illud argumentũ aliter solet cõmuniter respõderi, cũ illa distinctione de sensu cõposito,& de sensu diuiso. Hoc modo:Deus v.g.scit infallibiliter me loquuturũ: ergo ego nõ possum nõ loqui.Distinguo cõsequẽs.In sensu cõpositorũ est.Quoniã ista copulatiua est impossibilis:Deus scit,me loquuturũ,& ego nõ loquor. Cæterũ in sensu diuiso fallũ est.Quod est dicere,q; simpliciter,& absolutè ego possum nõ loqui, quod satis est ad libertatẽ arbitrij.Cæterũ hæc solutio in hac re mihi nũq; satis placuit.Quia quãuis distinctio de sen-

Ad 1. arg. de scientia Dei.

Impugnatur solutio communis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

su composito & diuiso commode posit ad hiberi in multis rebus; tamen huic argumẽto adhibita, verbis tantùm eludit argumentum, & non satisfacit difficultati. Quod isto modo probo: Nam cum quæritur, verbi gratia, vtrùm albus possit esse niger rectè dicitur, quod in sensu composito non potest, quia impossibile est, quòd aliquis simul sit, & albus, & niger. Sed in sensu diuiso potest, quia ille qui est niger amissa nigredine, & loco eius succedente albedine, potest esse albus. Tamen, si esset aliquòd corpus eiusmodi, quod ei nigredo ità inesset, vt per nullã potentiam eam posset amittere, tunc, si quæstio fieret de illo corpore, vtrùm posset esse album, ineptè diceremus, quòd in sensu diuiso potest esse album. Quia perinde est, ac si diceremus, quod tale corpus nigrũ amissa nigredine potest accipere albedinem, & fieri album, quod ex hypothesi est falsum, & impossibile. Quemadmodum cum quæritur, vtrum coruus possit esse albus; nemo distinguit de sensu composito, & diuiso, sed simpliciter negatur esse posse, vt coruus sit albus, quia nigredo illi inhæret inseparabiliter. Sed sic est, quòd præscientia Dei postquam semel posita est, in diuersum mutari non potest: sed manet perpetuò eadem, & est posita ab æterno, & non indifferenter ad vtrumque, sed vnum determinate videns, scilicet, me loquuturum: ergo si simul esse non potest, quòd & Deus præuideat me loquuturum, & ego non loquar, cum illud sit præuisum ab æterno, & præuisio maneat, & mutari non possit: sequitur, quòd non possumus vti distinctione de sensu composito, & diuiso, magis, quam cùm quæritur, vtrũ coruus possit esse albus. ¶ Quocircà, ablis aliorum solutionibus omissis, dicam quod mihi semper, & verius, & probabilius est visum. Ad cuius explicationem aduertendum est primò, quòd scientia, aut præscientia, vt sic, alicuius rei, nunquam ponit necessitatẽ in ipsa re, vt sic, tanquam efficiens ipsam necessitatem. Sed si scientia est infallibilis, quãquàm ipsam non efficiat necessitatem in re tamen interdum illa infallibilitas scientiæ est argumentum efficax, ex quo colligitur, res ipsas esse necessarias in se. ¶ Secundò est aduertendum, quòd ea tantum futura possunt in suis causis cognosci, & præuideri, quæ habent causas determinatas, vt agentes de primo errore diximus. Vbi etiam explicauimus ex sententia D. Th. quod Deus cognoscit infallibiliter futura cõtingentia, non quidem in suis causis, quoniã hoc est impossibile, sed quoniam habet illa præsentia in æternitate, quæ omne tempus ambit.

Sententia Autoris.

¶ Tertiò est aduertendum, quod scientia, & cognitio infallibilis rei futuræ, vt futura est, & cognitio infallibilis rei præsentis, partim conueniunt, & partim differunt. Conueniunt quidem in hoc, quod neutra cognitio est causa efficiens, vt res cognita, vel futura, vel præsens necessario existat. Sed differunt in hoc, quòd ex scientia infallibili rei futuræ colligitur, rem ipsam sic cognitã in seipsa esse necessariam, & non contingentem; quoniam res futura, vt futura, cognosci non potest, nisi in suis causis; & non potest certò in causis cognosci; nisi illæ sint certæ & determinatæ. At verò infallibilis scientia, & intuitiua cognitio rei præsentis, nec est causa, quod ipsa res necessario sit, nec ex tali cognitione colligitur aliquo idoneo argumento, quòd res cognita in se, & in sua natura est necessaria. Sed res merè cõtingentes, si præsentes sunt, possunt infallibiliter, & sine errore, & deceptione videri, & cognosci. Sicut ego infallibiliter video vos hîc esse, nec tamen mea visio imponit vobis aliquam necessitatem, vt hîc sitis: nec ex mea visione, quanuis infallibili potest colligi aliqua idonea ratione, vos hîc necessario, & non potius liberè, & contingenter esse. Et causa huius est in promptu; Quia ad hoc, vt is, qui videt, & cognoscit aliquam rẽ præsentem in ipsa cognitione non decipiatur, nec decipi possit, satis est, vt illa res, quã videt verè sit, quanuis non necessario sit: & non requiritur, vt necessario sit. His constitutis facile respondetur ad argumentum, cõcedendo antecedens, scilicet, quòd Deus habet scientiam infallibilem omnium rerum futurarum, & negando consequentiam: ergo necessario eueniunt; quia illa scientia Dei rerum futurarum, non est rerum futurum in suis causis cognitarum, sed scientia rerum nobis quidem futurarum, cæterum respectu Dei præsentium. Et quoniam Deus præuidere futura, non est illa in suis causis cognoscere, sed ipsas præsentes intueri; quæ intellectio, vt diximus, nec causat necessitatem in rebus visis, neq; illam arguit, esse potest simul cum rerum contingentia. Hæc ratio dicendi, & simul defendẽdi præscientiã Dei cum cõtingentia, & libertate futurorũ euentuũ est D. Aug. lib. 11. de Ciuit. c. 21. & Gratiani in Decr. 23. q. 4. c. Nabuchodono sor. & D. Th. p. p. q. 14. art. 5. & Boetij in lib. de Cõsolatio. & Abulen. super vltimũ capput Geneseos, & Catherini in lib. de præscientia, prouidentia, & prædestinatione. Et sine dubio hæc ratio est optima, & verissima. Nisi, quod nostet intellectus immittet se tẽporaliter, aut in tẽpore, id est, nihil cogitat, nisi tẽporale, aut in tẽpore;

D. Aug.

pore; quoniã assuetus intelligendis rebus sensibilibus, & ex illis eliciens omnẽ suã cognitionẽ, nõ potest quidquã cognoscere, & imaginari, sine successione & tẽpore; quod necesse est ad hoc, vt possimus cõmodè intelligere res præteritas & futuras, tanquam præsentes. Et hæc de 1. arg. ¶ Sed in secũdo argumento, in quo ex eo, q̃ diuina voluntas est causa rerũ contingentiũ, colligitur, nullã rẽ esse contingentẽ, est maior difficultas. Nã scientia speculatiua Dei quãuis sit certa, & infallibilis; tamen nõ est causa rerũ cognitarũ, nec ad hoc, vt illa scientia sit infallibilis, est necesse, vt res cognitæ necessariæ sint: sed satis est, vt vere sint tales, quales esse videtur. At verò volũtas Dei est causa rerũ, & ità efficax, vt impediri nullo modo possit, & est ab æterno determinata ad vnã partẽ contradictionis: ergo ineuitabiliter, & infallibiliter, & necessariò omnia eueniẽt. In hoc argumẽto nõnulli dicũt, q̃ effectus cõtingentes, & liberi cõparati ad causas proximas, & causas secundas à quibus proficiscuntur, sunt & dicũtur liberi, & cõtingentes: quia procedũt à causis indifferẽtibus ad vtrũq;, & quæ impediri possunt: sed ijdẽ effectus cõparati ad diuinã voluntatẽ proueniũt ineuitabiliter & necessariò. Sed vt bene docet Caiet. in hac 2. 2. q. 4. hoc dicere est nihil dicere: & dicere, q̃ huiusmodi effectus cõtingẽtes, simpliciter, id est, consideratis omnibus suis causis sunt infallibiles, & ineuitabiles. At verò secũdũ quid, id est, per ordinẽ ad causas secundas sunt liberi, & cõtingentes, quod quidẽ est in cõuenies. Vnde Scot. in 1. d. 2. q. 2. & d. 8. q. 2. alia ratione dissoluit hoc argumẽtũ, dicens, q̃ quãuis diuina volũtas sit causa omniũ rerũ futurarũ, & ea sit efficacissima; tamẽ esse desinunt cõtingentes, quia liberè & nõ necessariò vult illos. Et dicit, q̃ illa libertas diuinæ voluntatis, est fons, & tota radix cõtingentia. Hanc etiã rationẽ assignat D. Th. in ter alias. 1. Cõtra Gen. c. 83. Sed mihi multo minus probatur, quã superior. Primò: Quia nõ solũ ea, quę in rebus cõtingẽter eueniũt, sed etiã illa, quæ necessario eueniunt, vult Deus, & voluit liberè. Nã potuit nõ voluisse. Atq; ex cõsequẽti, si inde sumitur cõtingẽtia rerũ, sequeretur, q̃ nulli effectus essent in rerũ natura necessarij: sed omnes cõtingẽtes, quod est falsum. Secundò: Quia quanuis isti effectus sint voliti à Deo liberè, non tamen inde sequitur, q̃ fiãt liberè à causis secundis, id quod præcipuè quæritur in hac quæstione. Nã ego, verbi gratia, liberè moueo baculũ, & tamẽ baculus à me motus nõ liberè mouet aerem. Vnde quanuis causa cũ moneatur à Deo, possit dici, q̃ operatur contingenter, quia potuit non moueri, & sic nõ operari: tamen nisi alia melior ratio assignetur, non potest dici, quòd operatur libere; quoniã sequitur motũ causæ superioris, cuius vim declinare nõ põt. Quocirca D. Th. p. p. q. 19. ar. 8. & q. 22. ar. 4. & 1. Cõtra Gẽt. c. 85. aliã assignat rationẽ, dicẽs, q̃ quanuis diuina voluntas sit causa efficax rerũ futurarũ; tamen quædã res eueniũt contingenter & liberè, nõ quia liberè vult illas Deus, sed quia vult, vt liberè, & cõtingenter eueniãt. Et hæc est, inquit, summa efficacia diuinæ voluntatis, q̃ non solũ efficit id quod vult, sed etiam efficit vt eueniat eo modo, quo vult. Vult autẽ Deus, vt quæ fiunt ipso concurrente cũ causis liberis, fiant liberè. Et ita attemperat, & accommodat vim atq; efficaciam suæ diuinæ voluntatis ad huiusmodi causas libetas, vt infallibiliter sequatur esse actus volitus à Deo, & tamen sequatur ipsis causis secundis liberè, & non necessario cõcurrentibus cũ Deo. Quod vtrunque explicat Sapiens Sapient. 8. quando dicit: Attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: fortiter, inquit, propter efficaciam, & infallibilitatem diuinæ volũtatis, & suauiter, propterea quòd nulla vi illata, sed accommodando suam efficaciam, & virtutem ad naturam cuiusque causæ, id quod fieri vult, perducit ad exitum. Quod isto exemplo fiet apertũ. Nam quemadmodum homines prudentes hoc potissimum excellentiam suæ prudentiæ declarãt, quòd cum accidit, illis, vt cupiant aliquid, atque velint quidquam ab alijs impetrari, aut effici, sic moderantur consilia sua, & ea dexteritate se gerunt, vt & consequantur quod volunt, sine repulsa, & obtineant non ab inuitis, & repugnantibus, sed à volentibus, & vltro offerentibus: ad eundem modum Deus infinitam efficaciam, & virtutem suæ volũtatis eo potissimum ostendit, quod efficit infallibiliter quod vult, & efficit nobis liberè, & non necessariò concurrentibus. Atque hæc est D. Thom. sententia, quæ certè, aut vera est, aut ad veritatem proximè accedit. Quanuis nec ista sententia afferat quietem animis nostris. Nam primò est valde difficile ad intelligendum, cum diuina voluntas, nec impediri possit, neque frustrari, nec mutari ab eo, quod semel voluit, quo pacto ista duo coniungi possint, vt & Deus aliquid fieri velit, verbi gratia, me loqui, & velit vt fiat liberè. Nam si semel voluit me loqui, sine dubio inimpedibiliter fiet. Quomodo ergo potest velle, vt fiat libere à me, quod videt inimpedibiliter à me esse faciendum? Nam qui operatur

Ad 2. arg. de voluntate Dei.

Sententia Scoti.

Sententia D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

liberè is potest impedire opus ne fiat. Quod isto exemplo magis declaratur. Ego, verbi gratia, cum conor adducere aliquem in meã sententiam, quoniam meus conatus potest ab alio frustrari, & impediri, possum velle simul ista duo, scilicet, quòd & ille sequatur meam sententiam, & quod liberè sequatur. Cæterùm si ea esset natura meæ voluntatis, & conatus, vt à nullo irritus reddi posit, sed eo ipso, quod aliquid volo, id fieri esset necesse, postquam semel volui, vt Petrus sequeretur meam sententiam, frustra vellé, vt libere sequeretur; quippe quam sequuturus esset vellet nollet: quãdoquidé nec ego possim mutare meam sententiam & voluntatem ab eo, quod semel volui, nec mea voluntas potest carere suo successu. Et ad eundem modum cõtingit in Deo. Secundò: Eo ipso, quòd Deus ab æterno voluit aliquid fieri à me, verbi gratia, me loqui, posuit causam sufficientem ad huiusmodi effectum, & determinatam ad illum, & causam immutabilem, & inimpedibilem, scilicet, voluntatem suam: ergo implicat contradictionem, vt Deus velit id fieri liberè à me. Nam effectus, cuius causa ab æterno posita est, & ad eum effectum determinata, & inimpedibilis videtur necessario sequi, & non liberè. Quocirca Caietanus. p. p. q. 22. art. 4. huius difficultatis magnitudine oppressus dicit, quod ex eo, quod aliqua res sit volita à Deo nec sequitur ipsam rem esse vitabilem, vel ineuitabilem: sed sequitur aliquid altius, & commune ad vtrumque, quod quale sit ipse fatetur se nescire. Sicut ex eo, quòd Deus causat aliquid, nec sequitur, quod illud necessario veniat, nec quod contingenter: sed aliquid aliud, quia Deus est causa eminéter continens causas necessarias, & liberas, & contingentes. Quod quale sit fatetur se nescire. Et in hac nescientia, & ignoratione quiescit. Et idem Caieta. in Epist. ad Rom. c. 9. dicit, quod in hac re de qua loquimur, duo certa sunt ex parte Dei. Primum, quòd Deus volnit, & vidit ab æterno res in tempore futuras. Secundũ, quòd volita & præuisa à Deo euenient infallibiliter. Item dicit, quòd ex parte nostra sunt alia duo certa. Primum, quod sumus liberæ voluntatis, & arbitrij ad bonum, & ad malum. Idque esse conuincitur teste experientia. Alterum ex parte nostra certum est, quod conuertenti se ex animo in Deum, & præparanti se in diuinam gratiam Deus non denegabit gratiam suam. Et quoniam verum non contra dicit vero; sequitur etiã quod ista quatuor, non repugnãt inter sese, sed cohærent potius. Quomodo autem cohæreant dicit Caietanus, se ignorare, neque posse certò sciri, sed esse de fide tenendum. Quemadmodum, & quod tres personæ distinctæ realiter sint idem numero; quod nulla ratio demõstrat, sed fides docet. Et hæc ignorantia, inquit, quietat nostrum intellectum. Quod ego item verum puto. Et hæc de. 2. arg.

Notabilis sententia Caieta.

¶ Ad confirmationem ex testimonio Pauli ad Rom. 9. vbi cum posuisset querelas eorum, qui dicunt Deum quosdam indurare, & aliorum misereri, nec esse possibile, vt resistamus diuinę volũtati, quod nec ipse Paulus negauit esse ità: sed adducto exemplo de luto, & figulo ostendit, esse iniustum nos propter istam causam Deum accusare; est vna solutio D. Hieronymi in Epist. ad Ephes. scilicet, quod Paulus per illa verba non concedit id, quod murmurator inferebat, scilicet, à voluntate diuina nos necessariò ad bonum, & ad malum impelli: sed potius ex ipsa querela murmurantis colligit argumentum ad probandam arbitrij libertatẽ, isto modo: Tu dicis Deum sua voluntate inferre necessitatem hominibus, & tollere arbitrij libertatem, & ob istam causam accusas Deum, & insimulas iniquitatis. At, inquit Paulus, ex his tuis verbis conuinco te habere arbitrij libertatem. Nam si non magis liber esses, quam est vas luteũ, quod à figulo fingitur, & aliud ad honestos vsus, & aliud ad turpes destinat, non posses queri de tuo figulo, neque ipsum accusare: vasa enim huiusmodi nunquam de suo figulo conquerantur: sed accusas Deum, & contra ipsum impia verba dicis: ergo eo ipso probas te habere arbitrij libertatem. Nam voces huiusmodi tam audaces, & liberæ aduersus Deum non possent proficisci; nisi à magna libertate voluntatis. Eandem expositionem sequitur D. Hieron. in Epist. ad Rom. cap. 9. & D. Chrysostomus Hom. 42. ad populum Antioch. & Diuus Ambrosius in eandem Epistolam Pauli. ¶ Secundo potest dici, quòd cum Diuus Paulus dicit, O homo, tu quis es; non concedit murmuranti id, quod obiecerat: sed quoniam siue ita esset, siue secus, erat impium quæri de Deo, & ab eo causam sui consilij petere cutiosius, ad deprimendam huiusmodi audaciam mentis superbæ, & ad inducendas magis honestas, & sobrias cogitationes, vsus est Diuus Paulus ea voce, O homo, tu quis es. Atque etiam est vsus illa similitudine de figulo. Quasi diceret, quanuis ità esset, vt obijcis homo impie: tamen non ob eam causam liceret tibi Deum in iudicio vocare, magis, quã lieet vasi testaceo, accusare figulũ, quandoquidem multo magis

Ad confir.

Respondet D. Hiero.

D. Chrys. D. Ambr.

ius dominium habet Deus in te, quam habet figulus in luto: & tu es Deo per omnia multo magis subiectus, quam sit lutum figulo. Itaque ex illo luto dilce modestiam. Cui præcepto Pauli nos etiam consentimus.

Ad. 3. arg.

¶ Ad tertium argumentum respondetur negando maiorem, & ad probationem ex Genesi dico, quod stellæ dicuntur tantum signa earum rerum, quarum sunt causæ, scilicet, tempestatum, fulgurum, morborũ, &c. Actionum verò contingentiũ, quæ pendẽt ex libero arbitrio, sicut non sunt causæ; ità nec signa. Vnde D. August. lib. 2. de Genes. ad literam exponẽs illum locum dicit, quod non appellat signa ea, quæ obseruare vanitatis est, sed ea, quæ sunt vtilia, huiusque vsibus vitæ necessaria; & quæ vel nautæ obseruant in nauigando, vel agricolæ in serendo, aut alij homines in prædendis aeris qualitatibus. Idem etiam affirmat D. Basilius Homil. 2. de Opere sex dierum, & Theodoret. in quæstio. selectis in Genesim. Ad confirmationem respondetur, quòd Astrologi maxima ex parte decipiuntur in suis iudicijs. Et si quando vera prædicunt, id est, vel casu, vel dæmonis tacito instinctu, vt autor est D. August. in libr. confes. & libr. 2. super Genesim ad literam. Et hæc dicta sufficiant de secundo errore à D. Thom. relato in isto articulo. Cuius falsitatem ità latè placuit explicare. Quoniam res est difficillima, & de qua iterum agendi nobis locus, aut occasio nunquam occurret.

D. Augus.

D. Basilius D. Theod.

3. Error. de eentiũ orationes vtiles ad mutandũ Deũ ab eo quod decreuerat

¶ De tertio errore eorum, qui dicunt, orationes esse vtiles, & necessarias, vt propter illas Deus mutetur ab eo, quod semel voluit, conferatq; nobis ea, quæ alioqui nõ dare decreuerat; non est quid dicamus, nisi, quòd, cùm certum sit de fide Deum omnino esse immutabilem, quod etiã rationibus naturalibus demonstrat D. Tho. p. p. q. 9. ar. 1. fieri non poterit, vt ad Deum mutandum orationes sint vtiles, & conuenientes. Sed cùm in sacris literis plura sint testimonia, quæ orationem valde commendant, quale est illud Luc. 21. Vigilate omni tẽpore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & Matth. 15. Videte, vigilate, & orate, quia nescitis, qua hora tẽpus sit. Ecclesiast. 8. non impediaris orare semper. Paulus etiam in suis epistolis sæpè idem, nõ solum consulit, verumetiam præcipit, non esse ab te inuestigare in præsenti, quod nã sit commodum, & vtilitas, quod potest fidelibus ex oratione accrescere, atq; etiã quis sit modus, quo valet oratio ea vtentes iuuare. Nam vtrumque horũ propriè pertinet ad materiam huius articuli. ¶ Ut quidem ad primum deuenientes, dico, vtilitatem & cõmodum orationis esse adeò manifestum, vt nullus illius naturam, atque officium attento animo considerare valeat, qui nõ statim ipsam non solum vno, verum etiam pluribus, & innumerabilibus modis, hominibus prodesse posse, non intelligat: mirum, scilicet, in modum adiuuans ipsos tam ad virtutum, quam cuiuscunque perfectionis consequutionem, & incrementum. Propter quod dicebat D. Iacobus in sua Canoni. cap. vlt. Tristatur aliquis vestrũ? oret æquo animo, & psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Multũ enim valet deprecatio iusti assidua. Quibus verbis, vt videtis, omniũ bonorũ cumulũ tribuit Apostolus orationi. Sed, vt hæc clariora fiant, magisq; moueantur homines ad vsum, & exercitium orationis, aliqua illius commoda, & beneficia in particulari referre placet. Quorum omnium primum, & velut aliorum fundamentum est, quod per ipsam disponuntur homines ad gratiæ consequutionem. Et meritò quidem. Nam cum munus orationis sit præsentẽ hominẽ Deo facere, omniaq; illius vulnera tanquam vero medico manifestare, & petere remedium ad illudque consequendum omnia iura, & titulos, quibus ad id astringi videtur, allegare, quæ sunt, inter alia, merita Christi Domini, & misericordia ipsius Dei: nulla ratione fieri potest, vt non sit conuenientissima inter dispositiones, quæ ex parte nostra ad impetrandam gratiam nostri creatoris reperiri valeũt. Quare soli ipsi inter alias virtutes tribuit D. August. hanc dignitatem gratiæ consequendæ, dicens: Nullus ad veram salutem venit, nisi vocatus à Deo, & nullus vocatus, sicut oportet operatur, nisi ab eodem adiutus, & nullus adiutorium recipit, nisi qui orationem illud impetrat à Deo. Est ergo oratio dispositio ad veram salutem cõsequendã. Non latebat D. August. omnia opera virtutum in charitate facta ad gratiæ consequutionem deseruire, sicut & orationem. Cæterùm, vt ostenderet illi, cuius proprium munus est gratiam petere, tanquam proprium & adæquatum præmiũ correspõdere ipsius consequutionẽ, dixit, quod nullũ adiutoriũ recipit, nisi qui orationem illud impetrat à Deo. Quod & etiã significare voluisse videtur Christus apud Luc. cap. 11. quando dixit: Si vos, cũ sitis mali, scitis bona da-

Oratio val de commendatur.

Vtilitas orationis declaratur

Oratio est dispositio ad gratiã.

D. Augus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta dare filijs vestris, quanto magis pater vester cælestis dabit de cælo spiritum bonum petentibus se? Peculiariter autem dixit, Patrem cælestem daturum spiritum bonum petentibus se: vt intelligeremus necessariũ esse, vt oratio tã quam dispositio ex parte nostra præcederet ad boni spiritus receptionẽ. Est enim oratio medium, quo Deus hominibus beneficia in vniuersum conferre decreuit, siue spiritualia illa sint, siue naturalia. Quare semper quod promittit bonum aliquod hominibus dare, subintelligenda est condi tio, modo ipsi illud petant. Qua non subsequutã, nec quod beneficium conferatur, erit necesse. Estq; hoc adeò verũ, vt notat Origenes super cap. 4. Ioan. quod promittit Deus filio suo hominẽ daturum se ei gentes, modo eius oratio præcedat. Et sic dicit in Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Si ergo, vt Deus filio suo ea, quæ iure hæreditatis sibi conuenire videbantur, conferat, orationis mediũ prærequirit, quã tò magis eo opus erit nobis ad recipiẽdam gratiam, & cætera dona spiritualia, quæ ex sola Dei beneuolentia, & liberalitate prosiciscuntur. Et sic Christus apud Ioan. c. 4. docens mulierem Samaritanam necessaria ad salutem, inter alia dixit ei; Si scires donum Dei, & quis est, qui loquitur tecũ, tu forsitã petijsses ab eo, & dedisset tibi aquã viuã, &c. ¶Aliud commodũ & vtilitas orationis est, quòd valet plurimũ ad recogitandã nostrã miseriam, & cognoscẽdam diuinã bonitatẽ. Quando enim oramus pro bonis adipiscendis, vel malis remouendis, quod frequentissime fieri est necessarium; cognoscimus quidem quod nullum bonum à nobis habere possumus, ipsumq; omnis boni autorẽ Deũ confitemur. Quare dicebat Hugo in lib. de Virtute orãdi, in prin. Quo studio quo affectu à nobis orandus sit Deus, ex nostra miseria simul, & eius misericordia, considerare possumus. Nam, quia, vt dicit D. Aug. pro eo, quod à nobis habere non possumus, orate debemus & nulla opera, per quæ homo tendat & disponatur ad gratiam consequendã, siue mediatè, siue immediatè potest suis viribus efficere, sine auxilio speciali Dei, iuxta illud, quod dixit Christus apud Ioan. c. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et alio in loco: Nisi ei datum fuerit à patre meo. (Venire autẽ in illis locis significat omnem viam, atq; progressum quem ad vitam consequendã facimus) manifestè sequitur, quòd ad hæc omnia bona obtinenda est valde vtilis & necessaria oratio. Si homo in eo statu, in quo à Deo primo cõditus fuit perstiteret, quo iustitia originalis sufficiens erat eleuare humanam mẽtem in Deũ, conseruareq; ipsum in statu bonis pleno, & malis ac miserijs carẽte; forsan non adeo oratione opus esset. Cæterũ postquam per peccatũ non solum bona illa amissit, sed & in immensum pelagus malorũ incidit, cõprehenditq; eũ maledictio antiquæ serpentis, cui dictũ fuit. Super pectus tuum gradieris, & terrã comedes cunctis diebus vitæ tuæ, multo indiget auxilio, atq; fauore, quẽ suis viribus consequi nõ valet. Sicque nullũ aliud remediũ ei relinquitur, nisi pulsare ianuas diuinæ misericordiæ, humillsq; ac suæ mendicitatis conscius, petere à Deo ἐλεημοσύνã media oratione, sicut & alij mẽdici facere solent. Nam sicut passer recẽter natus, alis, & plumis carẽs, omniq; ingenio, & arte destitutus, ad sumendũ cibum, nihil aliud facere potest, quã voces emittere, aereq; clamoribus implere, quibus parẽtũ viscera cõmoueat, vt sibi necessaria suppeditent: ità etiã & homo, qui per peccatũ omni pulo hirundinis, & quocũq; alio passere pauperior existit, nihil aliud facere potest, quã die & nocte ad Deũ clamare, ipsumq; orare, vt sibi fauorẽ præbeat. Iuxta illud, quod dicit Rex Ezechias in suo cãtico: Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt colũba. Plura alia cõmoda, & vtilitates orationis refert Alex. Alen. 4. p. q. 26. memb. 3. art. 1. Et D. Chrys. in duabus homil. de orat. vide ibi.

¶Restat modo agere de secũdo quod declarãdũ proposuimus, nẽpe, quis nã sit modus, quo valet oratio ea vtentes iuuare. D. Th. in isto artic. affirmat, q̃ oratio prodest hominibus, nõ quidẽ immutando diuinã dispositionẽ: nam hoc est impossibile, sed impetrãdo à Deo, quod ipse per orationes sanctorũ adimplendũ esse disposuit. Multa enim disposuit Deus facere media oratione, sicut etiam medijs alijs causis secundis. ¶Et si quis cõtra hoc argumentetur: Illa, quæ ex diuina dispositione sunt media ad aliquos effectus producẽdos, attingũt ipsos, vel mediatè, vel immediatè: sed oratio nullo ex his modis potest attingere aliquẽ effectũ: ergo nõ est dispositа à Deo tanquã mediũ ad aliquid efficiendũ. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur. Et primò, q̃ oratio non attingat effectus naturales, est res manifesta: Nam illa proueniunt ex aptatione causarũ naturalium. Quod autẽ nec etiam attingat effectus supernaturales, patet: Nam illi producuntur à solo Deo & nulli alij effectus sunt, qui media oratione effici possint.

¶Hoc tamen non obstante, dico, de fide tenendum esse, quòd plures res Deus efficere decreuit media oratione ad se fusa. Itaque oratio ex diuina dispositione est medium necessarium ad aliquos effectus producendos, vt D. Thom. dicit in isto articulo. Et probatur: Deus in sacris literis plura fecisse dicitur oratione prouocatus, quæ alioqui non erat facturus: ergo ea fuit medium talium effectuum producendi. Consequentia est nota, & antecedens probatur ex 3. Reg. cap. 3. Vbi dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti tibi Sapientiam, ad discernendum iudicium, Ecce dedi tibi cor sapiens, & intelligens: in tantum, vt nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit. Et Daniel cap. 9. post longam orationem, quam eo in loco ad Deum fudit, subdit statim: Adhuc me loquente in oratione mea, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & docuit me, & loquutus est mihi, dixitque: Daniel nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres, ab exordio precum tuarũ egressus est sermo, &c. Esaiæ etiam cap. 38. dicitur Deus Ezechiæ propter suam orationem vitæ tempus produxisse, & Ionæ. 3. Niniuitis propter eandem causam impunitatem concessisse. Item multa in diuinis literis pollicetur Deus se facturum orationis gratia: ergo oratio ex diuina institutione est medium necessarium ad multarum rerũ consequutionem. Consequentia est nota, & antecedens probatur Matth. 6. dicit Christus. Petite, & accipietis, pulsate, & aperietur vobis. Et rursus omnis, qui petit accipit, & qui quærit inuenit. Et cap. 17. hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & ieiunio. Iacobus in sua Cano. cap. 5. dicit: Tristatur quis in vobis, oret æquo animo. Et rursus: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, & oratio fidei saluabit infirmum. Et rursus: Orate pro inuicẽ, vt saluemini: ergo oratio est medium ad morbos pellendos, & vitam consequendã. Propter quod dicebat D. August. lib. 15. de Trinit. cap. 14. & lib. 5. de Ciuit. cap. 10. Preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præscit Deus.

¶Et ad argumentum in contrarium factũ respondetur, notando, quod orationis duplex potest esse effectus. Vnus, qui naturaliter ex ipsa oratione, & ex assiduo vsu illius sequitur. Qualis est eleuatio mentis in Deũ, submissio animi, & decens compositio ipsius orantis. Et isti effectus verè attingũtur ab oratione tanquam à causa physica. Alij effectus sunt, qui procedunt ab oratione, quatenus est petitio. Quales sunt bona temporalia, & auxilium gratiæ, quę petendo obtinet à Deo. Et respectu horum oratio non est causa physica, sed tantum moralis, scilicet, meritoria, vel impetratoria. Quæ ad formam argumenti respondeo, negando minorem. Et ad probationem dico, orationem quosdã effectus attingere physicè, & quosdam moraliter, ad modum iam explicatum.

¶Et si quis adhuc instet; Si respectu bonorum temporaliũ, vel serenitatis, vel pluuiæ, oratio esset causa moralis, sequeretur, quod semper ista euenirẽt miraculosè: consequens autem est absurdum: nam non est verosimile, quod Ecclesia, vel qui talia bona postulant, semper petant miracula fieri: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Si oratio non est physica causa istorum, sed tãtum impetratoria: ergo illa secundũ cursum naturę non erant fienda, atque ex consequẽti sunt miraculosa: vel si secundum ordinẽ naturæ debebant euenire, nihil oratio impetrauit à Deo. Respondetur, quod quamuis huiusmodi res, vt pluuia, serenitas, &c. vt in plurimum prouenĩãt naturaliter, fiunt tamẽ propter orationem. Nec ista duo inter sese pugnant. Nam, quia Deus ab æterno decreuit inducere hodie, verbi gratia, serenitatẽ, propter orationem Ecclesiæ, idcirco etiam ab æterno voluit adaptari hodie causas naturales, ex quibus naturali lege futura esset serenitas. Et sic vtrunque est verũ, & quod serenitas prouenit naturaliter, & quod prouenit propter orationem nostram; siquidẽ illa oratio præuisa à Deo fecit, vt naturalis illa causa adaptaretur. Vel secundo respondetur, quòd ꝛapẽ dæmones Deo permittente impediunt cursum naturalem causarum. Cumq; hodie ex stellarum constitutione futura esset serenitas, illi sua vi applicando actiua passiuis, excitant ventos, nubilaq; inducunt, & oratio tali tempore fusa impetrat à Deo, vt nullus dæmonum naturaliũ causarum cursum impediat. Quo facto, effectus, qui posteà sequuntur, & prouenĩunt naturaliter, & ex oratione. Ex dictis infertur, quãta stultitia Christiani agantur, qui in cæteris effectibus media natura, aut arte sperandis conantur, vt mediæ adhibeantur causæ, alio qui censent vanam esse expectationem: in orationum autem fructibus procurãdis dormiunt, tanquam orationes inter causas non sint, aut inter valde remotas sint. Ex quo fit vt somniantes in causis, nihil recipiãt in fructibus. Nam quẽadmodum secundum ordinem diuinæ sapientiæ, & prouidentiæ fuit dispositum, vt multiplicarentur homines medio actu generationis, & triticũ mediãte semine, ac cultura, & domus mediante arti-

Omnia bona conferũtur media oratione.

Origenes.

Oratio valet ad cognoscendam nostram miseriã & diuinam bonitatem.

D. Augus.

De fide est quod Deus media oratione multa facit.

Instantia.

Solutio.

Stultitia Christianorum.

Ad arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fice; ità etiam fuit dispositum, vt multorum salus, & multi alij effectus mediante oratione efficerentur, reliquoque diuino cultu. Et hæc est prima, & essentialis ratio orationis; quanuis etiam sint & multæ aliæ accessoriæ, & secundariæ.

ARTICVLVS. III.

¶ *Vtrùm oratio sit actus religionis?*

Inf. ar. 15. cor. & 4. d. 15. q. 4. ar. 1. q. 2. & ar. 5. q. 1. ad 2.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd oratio non sit actus religionis. Religio enim cum sit pars iustitiæ est in voluntate sicut in subiecto. Sed oratio pertinet ad partem intellectiuam, vt ex supradictis * patet: ergo oratio non videtur esse actus religionis, sed doni intellectus, per quod mens ascendit in Deum.

Art. 1. huius quæst.

2. ¶ Præterea, Actus latriæ cadit sub necessitate præcepti. Sed oratio non videtur cadere sub necessitate præcepti: sed ex mera voluntate procedere: cum nihil aliud sit quàm volitorum petitio: ergo oratio non videtur esse religionis actus.

3. ¶ Præterea, Ad religionem pertinere videtur, vt quis diuinæ naturæ cultum cæremoniamque afferat. Sed oratio nõ videtur aliquid Deo afferre: sed magis aliquid obtinendum ab eo petere: ergo oratio non est religionis actus.

¶ SED CONTRA est, quod dicitur in Psalm. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Vbi dicit gloss. quòd in huius figuram in veteri lege incensum dicebatur offerri in odorem suauem domino. Sed hoc pertinet ad religionem: ergo oratio est religionis actus.

Quæst. 81. ar. 2. & 4.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut suprà * dictum est, ad religionem propriè pertinet reuerentiam, & honorem Deo exhibere: & ideo omnia illa per quæ Deo reuerentia exhibetur, pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reuerentiam exhibet, inquantum, scilicet ei se subijcit, & profitetur orando se eo indigere sicut authore suorum bonorum. Vnde manifestum est, quòd oratio est propriè religionis actus.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod voluntas mouet alias potentias animæ in suum finem, sicut supra dictũ * est. Et ideo religio quæ est in voluntate, ordinat actus aliarum potentiarum ad Dei reuerentiam. Inter alias autẽ potentias animæ intellectus altior est, & voluntati propinquior. Et ideo post deuotionem quæ pertinet ad ipsam volũtatem, oratio quæ pertinet ad partem intellectiuam est præcipua inter actus religionis per quam religio intellectũ hominis mouet in Deum.

Art. 1. huius quæst. ad 2.

¶ Ad secundum dicendum, quòd non sõlum petere quæ desideramus, sed etiam rectè aliquid desiderare sub præcepto cadit. Sed desiderare quidem cadit, sub præcepto charitatis, petere autem sub præcepto religionis. Quod quidem præceptum ponitur Matth. 7. vbi dicitur: Petite & accipietis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd orando tradit homo mentem suam Deo, quam ei per reuerentiam subijcit, & quodammodo præsentat, vt patet ex autoritate * Dionysij prius inducta. Et ideo sicut mens humana præeminet exterioribus, & corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quæ ad Dei seruitium applicantur, ita etiã oratio præeminet alijs actibus religionis.

Art. 1. huius quæst. arg. 1.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua, & probatur in argumento, sed contra testimonio glossæ super Psalm. 140. in illa verba. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in cõspectu tuo; dicentis, quòd in veteri lege in figuram orationis incensus dicebatur offerri in odorem suauitatis: sed oblatio incensus pertinebat ad religionem: ergo & oratio est religionis actus. Et in corpore articuli, hac ratione. Ad religionem propriè pertinent, reuerentiam, & honorem Deo exhibere: ergo omnia illa ad religionem spectant per quæ Deo honor, & reuerentia exhibetur: Talis autem est oratio, qua homo subijcit se Deo, profiteturq; orando se eo indigere, sicut autore suorum bonorum: ergo oratio est actus religionis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli notandũ est cum Caietano in præsenti; quòd in oratione, seu petitione, tria possumus cõsiderare,

Tria considerãtur in oratione.

rare, scilicet, ré petitam, petitionẽ, & ipsum petentem. Si consideremus rem petitam, sic oratione nihil damus Deo, sed magis ab ipso nobis aliquid dari postulamus. Si autem consideremus petitionem, sic orando impedimus Deo maximum honorem; cum ipse actus petendi sit actus subiectionis & professionis virtutis. Qui enim petit aliquid ab aliquo, eo ipso profitetur, se illo indigere, subijcitque se illi petendo. Ex quo fit, vt superbi potius velint indigentiam tolerare, quam petendo aliquid ab aliqua persona, humiliare se illi. Qui petit etiam profitetur petendo, in illo, à quo petit, esse potẽtiam ad se iuuandum: & misericordiam similiter seu iustitiam, aut prouidentiam, vnde speret exaudiri. Et propterea oratio, quantum ad petitionem ponitur actus religionis, cuius est Deo honorem exhibere. Honoramus ergo Deum petendo, & tanto magis, quanto. vel, ex modo petendi, vel ex repetita professione ipsum esse super omnia, Creatorem, Redemptorẽ, Prouisorem, &c. Propterea q; D. Thom. dicit in isto articulo, orationem esse actum religionis. Tertium quod potest considerari in oratione, est ipse petens. Et quia homo petit, per mentem (est enim petitio actus intellectus, quæ est nobilissimũ eorum, quæ sunt in homine) fit, vt in oratione petendo subijciamus Deo nobilissimã partem nostri, offeramusque illi, & sacrificemus mentem orando. Sicut & genuflectendo offerimus, & sacrificamus genua, quibus vtimur ad honorem Deo exhibendum. Et ex hac etiam parte oratio est præstãtissimus inter actus religionis, vt docet D. Thom. in solutione ad. 3. Cuius verba sunt quæ sequũtur. Quia orando tradit homo mentem suã Deo, quam ei per reuerentiam subijcit, & quodammodo præsentat, vt dicit D. Dionysius in lib. de Diuinis nominibus. cap. 3. Sicut mens humana præeminet exterioribus, & corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quæ ad Dei seruitium applicantur: ità etiam oratio præeminet alijs actibus religionis.

Oratio præstantissimũ actus religionis.

Dubium.

¶ Nonnulli solent dubitare in præsenti, vtrum ea oratio, quæ ex aliquo timore proficiscitur, sit actus religionis. Verbi gratia; Nautæ timentes naufragium, orant Deum, magnaq; ipsi munera promittunt. Dubium est, vtrum talis oratio sit dicenda actus religionis. Et pro parte negatiua argumẽtor in hunc modũ: Ea oratio non proficiscitur ex pietate, qua orans vult honorem Deo exhibere: ergo non pertinet ad religionem.

Argumen.

Cõfirmatio

¶ Et confirmatur: si ego coactus necessitate peterem decem aureos mutuò, non, vt mutuanti honorẽ impendam, sed, vt meæ cõsulerem necessitati, talis actus non diceretur cedere in honorem mutuantis: ergo nec ille, quo quis petit aliquid à Deo, non, vt ipsi honorem præstet, sed, vt sibi cõsulat saluti, in honorem Dei cedere dicetur, atque ex consequenti nec pertinere ad religionem. Propter hæc argumenta hæc sententia aliqualem habet probabilitatem. Cæterum, meo iudicio, opposita est longe verior & probabilior, scilicet, quod orationes ad Deum fusæ sunt actus religionis, etiam si ex metu proficiscantur. Probatur: Tales actus ex genere suo pertinent ad religionẽ, cum sint protestatiui ex sua natura excellentiæ, & virtutis existentis in eo, cui fit oratio; nec timor adiunctus mutat conditionem ipsorum. Est enim hæresis Lutheri dicere, q timor mutat naturam operum, & ex bonis malas facit. Quia reprehẽdebat Lutherus eõcionatores, qui propter timorem inferni homines ad pœnitentiam inducere nitebãtur, dicens, quod hac ratione efficiebant illos peiores. Vt late ostendimus in primo tomo, quæstione. 19. articulo. 4. ergo si oratio secluso timore erat actus religionis, similiter etiam erit existente timore. Et loquimur in præsenti de timore seruili. Nam de filiali, qui consistit potissimè in honore & reuerentia Maiestatis diuinæ, orituque ex cognitione excellentiæ Dei, & ex ipsius dilectione, vt docet D. Thom supra, quæst. 19. ar. 2. certum est, quod non minuit, sed potius auget religionem, illamque perficit. ¶ Sed, vt cognoscatis, qua ratione timor seruilis, qui est timor pœnæ, qualis frequenter est in illis, qui in periculis constituti, ex timore orant Deum non mutat naturam orationis, nec illam extrahit à ratione religionis, aduertendum est, quod timor dupliciter potest dici seruilis. Vno modo ex parte subiecti, alio modo ex parte obiecti. Seruilis ex parte subiecti dicitur ille, quo homo extra charitatem existens timet pœnam, vt mala est; sed non in ratione summi mali: Timor autem seruilis ex parte obiecti est ille, quo homo timet pœnam, vt summum malum. Et dicitur seruilis ex parte obiecti tunc; quia in isto casu seruilitas ingreditur ipsam rationẽ obiecti. Estque semper iste timor malus, & peccatum mortale. Nam cum obiectum formale huius timoris sit pœna in ratione summi mali, fit, vt semper aduersetur charitati, quæ solam culpam fugit, vt summum malũ. At verò timor, qui tantum est seruilis ex parte subiecti simpliciter, & absolutè est bonus, vt pote cuius obiectum, scilicet, malum pœnæ, est bonum simpliciter: Quare si-

Sententia autorit.

Timor dicitur seruilis dupliciter.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eut eleemosyna, quam facit peccator, nullam malam circunstantiam ei apponens, dicitur bona simpliciter, quanuis ipse operans sit malus, sic etiam est dicendum de timore seruili ex parte subiecti, quod est bonus, quanuis ipse operans sit in peccato. Et de isto timore seruili ex parte subiecti, loquuntur Sancti atque Concilia, quando distinguũt illum esse bonum. Quod est de fide tenendum; vt constat ex determinatione facta à Leone.X. contra quosdam articulos Lutheri, & ex concil. Trid. sess. 6. cano. 8. Vbi dicitur: Si quis dixerit, Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo, confugimus, vel à peccando abstinemus peccatum esse, aut peccatores peiores facere anathema sit. Et in cap. 6. eiusdẽ sessio. etiam habetur, quod hoc timore homines vtiliter concutiuntur. Quod ipsum probatur testimonijs sacræ Scripturæ. Nã Psal. 118. dicit propheta: Confige timore tuo carnes meas. Et Psalm. 110. Initium Sapientiæ timor Domini. Quæ verba dicunt Doctores intelligenda esse de timore initiali, ex filiali, & seruili composito. Et Psal. 2. Seruite Domino in timore. Ex quo factum fuit, vt Ioannes Baptista apud Matth. cap. 3. & Christus Dominus apud eundem cap. 10. & 23. nisi fuerint homines adducere ad pœnitentiam ex timore pœnæ. Quod non faceret, nisi talis timor fuisset bonus. Cum ergo timor pœnæ ex se bonus sit, vt constat, fit, vt oratio, quæ ex tali timore procedit, à vera ratione religionis, propter istã præcisam causam extrahi nõ possit. Atque adeò, qui ex timore orat, non minus dicetur quantum ad substantiam, actum religionis elicere, quam qui orat sine illo.

Ad argum. ¶Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, negando antecedẽs. Nã, quia oratio ex natura sua est actus subiectionis, & professionis virtutis in eo, cui fit (qui enim petit aliquid ab aliquo, eo ipso profitetur, se illo indigere, subijcitque se illi, vt paulò antea dicebam) nõ potest fieri, vt nõ proficiscatur ex pietate, qua orans velit honorem Deo exhibere, esto, ad faciendam orationem ex metu, & timore pœnæ, qui malus non est, moueatur. Et sic, adhuc metu existente, oratio erit actus religionis.

Ad confirmationem. ¶Ad confirmationem similiter respondeo, negando antecedens. Quando enim quis necessitate coactus pecunias petit mutuò, non vt mutuanti honorem impendat, sed, vt suæ necessitati consulat, adhuc ille actus ex natura sua est inductiuus honoris, cum sit protestatiuus potentiæ ad se iuuandum, & virtutis, vnde speret exaudiri. Nec finis ille appositus, propriæ necessitati subueniendi, mutat naturam ipsius, cum nõ sit malus, sed bonus. Et idem contingit in oratione ex metu facta. Eo vel maximè, quod, vt constat ex D. Thom. 1. 2. quæstio. 1. art. 3. in operationibus humanis duplex potest esse finis: vnus operis, alter operantis. Ille dicitur finis operis, ad quem opus ipsum ex natura sua ordinatur. Ille autẽ dicitur finis operantis, in quẽ ab ipso operante dirigitur. Vt verbi gratia: In eleemosynæ largitione finis operis est, subleuare pauperis miseriam, ad quod ex natura sua eleemosyna ordinatur, estque obiectum istud à quo id opus primam suam speciem sortitur. Finis autem operantis, potest esse, vel charitas, vel libido, vel vana gloria, prout ab ipso operante fuerit intentus. Cum ergo finis orationis sit honorem Deo impẽdere, petendo, vt in principio huius articuli dictum est; estò ex metu operantis ordinetur ad subueniendum propriæ necessitati, eam bonitatem, quã ex proprio fine habet, non amittet. Et sic adhuc erit actus religionis.

¶Circa solutionem ad secundũ argumẽtum, vbi dicit D. Thom. quod sicut desidere cadit sub præcepto charitatis; ità etiã petere sub præcepto religionis, est difficultas, vtrùm oratio cadat sub præcepto? Quod est quærere vtrùm sit præceptum de facienda oratione, an tantum consiliũ. Nonnulli affirmant, orationem non cadere sub præcepto, nisi tantum ex suppositione. Tunc, scilicet, quando res, quæ desideratur cadit sub præcepto: nec aliter, quam media oratione potest obtineri. Sed, vt breuiter quid in hac re dicendum sit, explicem, aduertendum est, q̃ de oratione possumus loqui dupliciter. Vno modo in genere interrogando, an sit necessarium ad salutem Deum colere, media oratione. Alio modo in particulari, & in specie, quærendo de oratione priuata, vel publica, vocali, vel mentali, vtrũ illa cadat sub præcepto.

Dubiũ circa solutionem ad argumentum D. Thom. vtrum sit præceptum de oratione.

¶Quo supposito sit prima conclusio: Oratio in genere, & in communi cadit sub præcepto naturali, & diuino. Et est dicere; quod ratio naturalis dictat Deo esse exhibẽdũ cultum orationis. Probatur: Ratio naturalis dictat Deum esse colendum: ob id enim virtus religionis naturalis est, atque necessaria: sed præstantissimus cultus, qui Deo potest exhiberi est cultus orationis: ergo hic cadit sub præcepto naturali, & diuino. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur: In oratione re ipsa profitemur Deum esse principium, & fontem omnium bonorum, nosq; ab ipso totaliter pendere; ex quo maximus

1. Cõclusio

honor Deo resultat: ergo hæc est præstantissimus cultus, maximeque gratus, qui Deo potest exhiberi. Quod & significare voluisse videtur Christus, apud Ioannem capit. 16. quando dixit: Vsque modo nõ petistis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis, &c. Quasi diceret, vsque modo mihi hanc gloriam, quæ Deo maximè grata est, non dedistis, &c.

2. Cõclusio ¶Secunda conclusio: Oratio publica, quæ certis locis, & temporibus, & à certis personis fit, inducta est iure humano, sanctissimè tamen, & decentissimè. Hæc conclusio statuitur contra aliquos hæreticos, qui ideò orationes ab Ecclesia institutas irridebant, quia de illis nullum extat testimonium in sacris literis. Sed probatur manifestè: Lex naturæ dictat orationem in communi esse faciendam, vt diximus in prima conclusione, nec docet modum quo ipsa oratio fieri debeat: ergo ad Ecclesiam pertinet huius rei facere determinationem. Atque ex consequenti orationes publicę quæ certis locis & temporibus fiunt, sanctissimè, & decentissimæ sunt ab Ecclesia institutæ. Probo consequentiam: Quando lex naturæ aliquid indeterminatè præcipit, ad humanam potestatem, seu ad Ecclesiam spectat, illud determinare; & hæc est vna ex præstantissimis rationibus, quæ demonstrant, vtile & necessarium esse vltrà legem naturalem condere leges humanas, vt est videre apud D. Thom. 1. 2. quæstio. 95. artic. 1. sed lex naturæ indeterminatè præcipit, vt Deum eo honore afficiamus, qui consistit in orationibus: ergo ad Ecclesiam spectat determinare loca & tempora, quibus communes orationes fiant, atque ex consequenti, ad decentissimè, & conuenientissimè est determinatum. Quòd autem similiter fuerit conueniens, quòd certi homines sint determinati ad orationes faciendas sic ostendo: Ob id in republica est conueniens, & necessarium, quòd certi homines certis, & determinatis officijs adhibeantur, vt, quòd alij sint agricolæ, alij sutores, alij exerceant rem militarem, quia ipsa officia sunt vtilia, & conducentia reipublicæ: sed multo magis vtile, & conducens est, quod Deus precibus, & orationibus colatur; ergo etiam est magis vtile, & conducens, quod munus laudandi, & deprecandi Deum certis hominibus, & personis delegetur; qui id statuto tempore faciant. Hæc ratio est euidens, & quæ nullam patitur calumniam.

3. Cõclusio ¶Tertia conclusio: Oratio priuata, hoc est, quod vnusquisque priuatim oret, etiam cadit sub præcepto diuino. Hanc conclusio nem tenent communiter omnes Theologi cum D. Thom. hic ad secundum. Alexãder Alens. 4. par. quæst. 26. memb. 3. Palud. in 4. distinct. 15. quæst. 3. D. Bonauen. atque Durandus, eadem distinctione, & Syluester verbo. oratio. §. 8. Et probatur primo, ex illo Matth. 7. Petite & accipietis. Luc. 18. Oportet orare semper, & non deficere. Quod verbum necessitatis est, vt dicit D. Chrysostomus. Matthæi etiam. 18. dicit Christus. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationẽ. Quo in loco dicit D. Hieronymus; In tentationem intrat, qui orare negligit. Et Matth. cap. 5. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Ex quo loco sic colligo argumentum: Si pro inimicis tenemur orare: ergo & pro nobis. Atque ex consequenti oratio priuata est in præcepto; D. Augustinus in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, dicit: Nullum crédimus ad salutem peruenire, nisi Deo auxiliante, & nullum, nisi orantem auxilium sibi promereri. Et D. Chrysostomus super. 5. cap. Matthæi, dicit: Pro se orare necessitatis est, pro altero autem charitatis. Tandè ratione sic argumentor: Vnusquisque tenetur efficaciter desiderare bona spiritualia: ergo & illa petere ab eo, qui solus potest ea dare, promittitque se illa daturum petentibus, iuxta illud Ioannis capit. 16. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite, & accipietis; vt gaudium vestrum sit plenum. Et confirmatur: Homo ægrotus ex charitate tenetur corporis medicinam à medico petere: ergo & à fortiori tenebitur auxilia gratiæ petere à Deo, quibus animæ vitijs medeatur. Probo consequentiam: Nam multò magis tenetur quisque animæ incolumitati consulere, quam corporis. Et auxilium gratiæ non minus necessarium est ad curanda vitia quã medicina ad curandum corpus.

D. Hieron. *D. Augus.* *D. Chryso.*

¶Sed quoniam hoc præceptum de oratione facienda est affirmatiuum, atque ex consequenti obligat semper, sed non pro semper; potest esse dubium, de tempore, pro quo illius obligatio vrgeat. Ad quod ex sententia D. Thom. in. 4. distin. 15. q. 4. art. 2. quæstio. 3. dico plures esse casus, in quibus homines ex charitate tenentur pro se & pro alijs orare. Primus est, quando homo in graui aliquo periculo corporis, vel animæ est constitutus. Vt quando, verbi gratia, graui alicuius tentatione vexatur. Et ratio est, Quia quã huiusmodi graues tentationes, vix, aut nunquã vitari possunt, sine auxilio Dei, ad quod impetrandum oratio est necessaria, tanquã medium ad id ordinatum. Et propterea dicebat Christus Matth. 26. Vigilate & orate, vt

Dubiũ de tempore pro quo oratio obligat.

Primus casus in quo obligat præceptum de orando.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt non intretis in tentationem. Et subdit statim rationem: Spiritus enim promptus est, caro autem infirma. Quasi diceret, Ob id excusso somno vigilare vna mecum in oratione opus est, vt imminens tentatio vos nos apprehendat, neque absorbeat. Quia quantuis animus vester sit bonus, & promptus spiritus, paratáque voluntas ad præstandam fidem dictis, agendumque & perferendũ pro meo amore omnia, quæ promiseratis; aduertere tamen debetis, hunc animum esse carni ad bonum omne tardæ & inualidæ coniunctum: atque adeò ipsius carnis infirmitatem merito debere vos vobis reddere suspectos, salutaremque timorem incutere, vt tanta iã imminente tentatione per orationẽ ad Deũ confugiatis; sine cuius speciali auxilio tã valida pugnam haud dubie nequibitis superare. Est ergo ex sententia Christi Domini in grauibus tentationibus ad Deum confugiendum, vt earum vincendarum spẽ habere possimus. Quod & sancti suo exemplo fideles docuerunt. Nam Thobiæ capit. 3. Sara illa, quæ postea Thobię filio nupsit, cum sui causa sex viros à dęmone nomine Asmodeo, occisos videret, perrexit in superius cubiculũ domus suę, & tribus diebus, & tribus noctibus non mãducauit, neq; bibit, sed in oratione persistens cũ lacrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam. De Regina quoque Esther dicitur, quod in periculo illo, quod genti Iudæorum à Naaman imminere videbat, ad preces confugit, Esther. cap. 14. Et Nehemias audita afflictione filiorum Israel statim Deum orauit. Iudith quoque videns periculum gentis suæ, ingressa oratorium suum & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino clamabat dicens. Domine Deus patris mei, &c.

Secũdus casus in quo obligat oratio.

¶ Secundus casus, in quo præcepti de orando obligatio instat, est ille, in quo homo tenetur se ad Deum conuertere, qui ex sententia D. Tho. est primũ instans rationis, & extremum vitæ tempus: atque etiam quando instat necessitas cõmunicandi. Et ratio est: Quoniam ista conuersio propter suam difficultatem fieri non potest, sine speciali Dei auxilio, ad quod impetrandum est necessaria oratio. Aliqui dicũt huius præcepti obligationem instare in diebus festis; in quibus ex particulari Ecclesiæ præcepto tenentur homines rebus diuinis vacare, vt est videre apud Abulensem super 6. cap. Matth. q. 93. & apud Syluestrum loco citato, qui huius sunt opinionis. Sed eorum sententia est prudenter intelligẽda, scilicet, quod homo in his diebus nõ tenetur ex præcepto priuatas ipse orationes facere, sed solum publicis, scilicet, missæ interesse, suã intentionem, & attentionem ministris Ecclesiæ adiungendo. Quod cum fecerit, orare dicitur, & vere orat.

Tertius casus in quo obligat oratio.

¶ Tertius casus est, quando proximus in graui aliquo periculo, vel corporis, vel animæ versatur. Sed tunc est distinguendum. Nã si periculum illud est publicum, pertinensque ad rempublicam, non solum priuatim, sed etiam publicè erit orandum. Si autem periculum est priuatum, & grauissimum, nec alia ratione commodè vitari potest, & est spes meã oratione profutura, in particulari erit obligatio orandi pro illo ex charitate. Si verò periculum non est graue, vel priuato consilio potest vitari, nulla obligatio erit orationem ad Deũ pro illo fundendi. Prælati maiori vinculo obligantur in grauibus necessitatibus pro subditis orare, cũ sint velut parẽtes ipsorũ. Quod & significauit Paulus ad Ephe. cap. 3. quãdo dixit, Peto, ne deficiatis in tribulationib' meis pro vobis. Huiusque rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundum diuitias gratiæ suæ, &c. Et Christus apud Ioann. cap. 15. Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructũ afferatis, & fructus vester maneat: vt quodcumque petieritis patrem in nomine meo, det vobis. De hac re videndus est D. Cyprianus lib. 1. epistolarum, epistola. 1. Similiter quando Ecclesia est in grauibus aliqua necessitate tenẽtur Christiani orare pro ea. Nam si quilibet pro quolibet, vt dictum est, tenetur, quantò magis pro tota Christiana republica obligatus erit. Vnde Actorum. 12. dicitur, quod vincto Petro in carcere, oratio fiebat ab Ecclesia pro eo, periculum enim capitis totius Ecclesię periculum erat censendum. Et D. Paulus ad Ephe. 6. Sumite galeã salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instãtia, & obsecratione, pro omnibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in operatione oris mei.

Dubium.

¶ Si quis autem quærat vtrũ semper quod aliquis non orat pro proximo in graui aliquo periculo constituto peccet mortaliter, dico, quòd, vt in plurimum tantum est peccatum veniale. Et ratio est: Nam in necessitatibus spiritualibus ipse potest sibi esse præsidio: in corporalibus autem nõ satis liquet quem fructũ mea oratio sit habitura, & sic rarò defectus orationis pro proximo est peccatum mortale. Vtrum autẽ semper, quod præceptum de orando violatur, eius transgressio inducat nouam culpam, maiorem continet difficultatem. Et pro parte affirmatiua est argumentum: Præceptum de oratione facienda, est speciale, vt diximus: ergo si violetur eius transgressio nouam culpam inducet. In contrarium tamen est: Nã si transgressio huius præcepti induceret nouam culpam, cum teneatur homo orare vrgente necessitate, sequeretur, quod semper quod homo esset in magna aliqua tentatione, cui succũberet, peccaret duplex peccatũ, vnum contra præceptum prohibens tentationi consentire, alterum contra præceptũ de orando: hoc autem esse videtur absurdũ: ergo.

1. dictum.

¶ Pro explicatione huius difficultatis, dico primo. Qui vitam, qualis est hominis, tot periculis obnoxiam, totam, vel bonã partem illius, sine oratione traducit, quanuis per impossibile fingamus ipsum reliqua omnia præcepta diuina adimplere: eo tamẽ ipso, quod non orat peccat nouo, & mortali peccato. Hæc est sententia D. Tho in. 4. distinct. 15. q. 4. art. 1. & 3. par. q. 39. art. 5. Vbi dicit, post baptismum necessariam esse iugẽ orationem, ad hoc, vt in cælum intremus. Et ratio est: Quia cũ in baptizatis remaneat fomes peccati, quo interius ad peccandum prouocantur, necessaria est oratio assidua, vt ab ipso possint liberari. Ità etiã videtur tenere Diu. Chrysostomus lib. 1. de orando Deum. tom. 5. Vbi dicit, quod quisquis non orat, aut assiduo colloquio habet orationẽ cum Deo, ille mortuus est, &c. Dixi autem notãter, licet per impossibile ille cætera mãdata adimpleat; quia, moraliter loquẽdo, est planè impossibile, huiusmodi hominem orationem negligentem in multa alia peccata non ruere, cùm sit planè impossibile, quod per multum tempus viuat, quin graues tentationes occurrant, quas sine oratione vincere non sit potens.

2. dictum.

¶ Dico secundo, quod si alicui sit notum se per diem in graue aliquod, vel corporis, vel animæ periculum casurum, sicut fuit notum Apostolis, quando dixit illis Christus, Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem, & is negligat se orationis scuto contra tale periculum munire, quanuis tale periculum postea nõ sequatur, eo ipso quod neglexit orare, peccauit mortaliter. Et ratio est: Nam, vt ex dictis constat, eo tempore obligabat speciale præceptum de oratione facienda, cuius violatio in re tã graui, sine speciali peccato mortali esse non potuit.

3. dictum.

¶ Dico tertio, quod qui instante tentatione nõ orant, sed ei succumbunt, probabile est, quod non peccant duplex peccatũ, sed vnum tantum. Et ratio est: Quia quod tali tempore teneantur orare, id non est ex vi specialis præcepti, sed ex vi eius, circa quod exurgit tentatio. Vt si, verbi gratia, in

ducor in adulterium ex tentatione, eodem præcepto, quo teneor vitare adulterium, teneor etiam adhibere omnia media ad id necessaria; inter quæ præcipuũ est oratio. Quare in tali casu tantũ erit violatio vnius præcepti, atque ex consequenti & vnicum peccatum. Et per hæc patet solutio ad argumentum factum.

Articvlvs. IIII.

¶ *Vtrum solus Deus debeat orari.*

Ad Qvartvm sic procedi- 4. d. 15. q. 4. art. 3. q. 1. Et d. 38. q. 1. art. 1. q. 1. ad. 2. Ar. *prae.*
tur. Videtur quòd solus Deus debeat orari. Oratio enim est actꝰ religionis, vt dictũ * est. Sed solus Deus est religione colendus: ergo solus Deus est orandus.

2 ¶ Præterea, Frustra porrigitur oratio ad eum qui orationem non cognoscit. Sed solius Dei est orationem cognoscere. Tum quia plerunque oratio magis agitur interiori actu, quem solus Deus cognoscit, quàm voce, secundum illud quod Apostolus dicit. 1. ad Corinth. 14. Orabo spiritu, orabo & mente. Tũ etiã quia vt Aug. dicit * in lib. de Cura pro mortuis agenda, Nesciunt mortui etiã sancti quid agant viui etiam eorum filij: ergo oratio non est nisi Deo porrigenda. Ca. 13. 15. & 16. 1. 4.

3. ¶ Præterea, Si aliquibus sanctis orationem porrigimus, non est nisi inquãtum sunt Deo coniuncti. Sed quidam in hoc mundo viuentes, vel in purgatorio etiam existentes sunt multum Deo coniuncti per gratiam. Ad eos autẽ nõ porrigitur oratio: ergo nec ad sanctos qui sunt in Paradiso debemus orationẽ porrigere.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Iob. 5. Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.

¶ Respondeo: dicendum, quòd oratio porrigitur alicui dupliciter. Vno modo quasi per ipsum implenda. Alio modo, sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo, soli Deo orationẽ porrigimus: quia omnes orationes nostrę ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat secundum illud Psal. 83. Gratiam & gloriam

Universidad de Deusto
Biblioteca

gloriam dabit Dominus. Sed secundo modo orationem porrigimus sanctis Angelis, & hominibus, non vt per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed vt eorũ precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apocal. 8. quòd ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo. Et hoc etiam patet ex ipso modo quo ecclesia vtitur in orando. Nam à sancta Trinitate petim⁹, vt nostri misereatur: ab alijs autem sanctis quibuscũque petimus, vt orent pro nobis.

¶Ad Primvm ergo dicendũ quòd illi soli impendimus orando religionis cultũ, à quo quærimus obtinere quòd oramus, quia in hoc protestamur eum bonorum nostrorum authorem: non autem eis quos requirimus quasi interpellatores nostros apud Deum.

¶Ad secundum dicendum, quòd mortui ea quæ in hoc mundo aguntur considerata eorum naturali conditione, non cognoscunt, & præcipuè interiores motus cordis. Sed beatis, vt Greg.* dicit in 12. Mora. In verbo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de eis quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maximè autem excellentium eorum decet, vt cognoscant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde. Et ideo petitiones quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt.

*Li. 12. c. 13 circa prin.

¶Ad tertium dicendum, quòd illi qui sunt in hoc mundo, aut in purgatorio, nondum fruuntur visione verbi, vt possint cognoscere ea quæ nos cogitamus, vel dicimus. Et ideo eorum suffragia non imploramus orando, sed à viuis petimus colloquendo.

Svmma Textvs.

Svpposito, quod oratio potest alicui dupliciter porrigi, vno modo, quasi per ipsum implenda; alio modo, quasi per ipsum impetranda, respondet D. Tho. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Soli Deo est porrigenda oratio, quasi per ipsum implenda. Probatur: Omnes nostræ orationes ordinantur ad gratiam, & gloriam consequendã: sed hãc solus Deus tribuit, iuxta illud Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus: ergo soli Deo est porrigenda oratio, quasi per ipsum implẽda. Secũda conclusio: Angelis, & sanctis hominibus potest porrigi oratio, quasi per ipsos impetranda. Probatur: Tũ ex modo, quo Ecclesia vtitur in orando quæ quidẽ à sancta Trinitate petit, vt nostri misereatur, & ab alijs sanctis, vt orent pro nobis. Tum etiã ex illo Apocalyp. cap. 8. Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo, &c.

Argumentum contra primã conclusionẽ D. Thom.

Oratio duplex.

Explicatio Articvli.

Prima cõclusio huius articuli inquantũ dicit, Deum à nobis esse orandum, certa est, & extra controuersiam posita. Nam & Prophetæ orauerunt Deum, & Christus Dominus non solum orauit, verum etiam nos orare docuit: & Ecclesia Christi spõsa quotidie, & frequentissime Deum orat; huiusmodique orationes sanctas, & salutares esse determinat. Imo, vt ex supra dictis patet, naturalis ratio, quemcunque superiorem, in cuius potestate est nostris subuenire miserijs, orandum esse, dictat. Et talis est Deus. Cæterum, quod ipse solus sit orandus, tanquam is, qui potest nostram orationem implere, quod etiam in eadem conclusione affirmatur, aliqualem habet difficultatẽ: quã vt explicem argumentor in hunc modum: Bona temporalia rectè petuntur in oratione: sed hæc possunt nobis ab Angelis, & sanctis hominibus dari: ergo ipsi etiam poterunt orari, tanquam illi, per quos implenda est oratio. Consequentia cum maiori est nota: & minor probatur: Bona temporalia pendent ex causis naturalibus: ergo poterunt illa ab angelis, & sanctis hominibus fieri applicando actiua passiuis. ¶Pro solutione huius argumenti aduertendũ est primò, quòd oratio potest esse duplex; vna ordinata, altera carens ordine. Illa dicitur ordinata, in qua id, quod petitur, vel est finis vltimus, scilicet, felicitas æterna, vel mediũ conducẽs ad talem finem consequendum. Quæ oratio ideò fidelis dicitur, quia procedit à fide, & religione, cæterisque virtutibus Christianis. Illa dicitur oratio inordinata, in qua ea, quæ postulãtur absolutè petuntur, & sine ordine ad gloriam. Qualia multa petunt homines peccatores, & infideles. Et hæc oratio non est actus religionis, atque adeò nec agimus de illa in præsenti. Secũdo est aduertendũ, quod sicut solus Deus est effector gratiæ & gloriæ: ità etiam solus Deus est, qui nouit, quæ bona tẽporalia sint opportuna singulis hominibus ad gloriam consequendam, & quæ impediant. Ex quo fit, vt ad solum Deũ spectet ea bona tẽporalia hominibus dare, quæ ad finẽ vltimũ sint conducẽtia. Quibus positis ad argumentũ respondeo, distinguẽdo maiorem. Nã, si in illa sit sermo de bonis temporalibus, quatenus sunt media ad finẽ consequendum, verum est, quod rectè petũtur in oratione. Secus autẽ minimè. Et tũc ad minorem dico, quod loquendo de bonis temporalibus, quatenus cadunt sub oratione, hoc est, quatenus sunt media ad felicitatem obtinendam, nec ab angelis, nec à sanctis hominibus dari possunt. Quia solus Deus est, qui nouit quæ bona temporalia conducant ad consequutionem gloriæ, & quæ impediant. Atque adeò solus Deus est, qui orari potest, tanquam is, per quem implenda est oratio, etiam quantum ad bona temporalia.

Ad argum.

¶Sed suppositio, quod solus Deus est orandus ad modum iam explicatum, dubium cõsequens est, vtrũm oratio conuenienter ad singulas personas Trinitatis dirigi possit? Quod quæritur specialiter propter Spiritum sanctum. Nam de Patre & Filio nulla est dubitatio, quin sint orandi. Et ratio dubitandi est: Nam, vt inquit Erasmus, antiqui, & sancti Doctores orationes suas non solebant ad Spiritum sanctum dirigere: sed ad Patrem & ad Filium. Quod & confirmari potest ex Diuo Hilario libro duodecimo de Trinitat. in hunc modum dicente: Conserua hanc, ait, fidei meæ religionem, vt quod in regenerationis meæ symbolo professus sum, semper obtineam, te patrem, & filium tuum vna tecum adorem, & Spiritum sanctum, qui ex te per vnigenitum tuum est, promereor. Quibus verbis, vt videtis, nonnullam inter Patrem & Filium ex vna parte, & Spiritum sanctum ex alia videtur ponere differentiam, quantum ad adorationem, siquidem Patrem & Filiũ postulat adorare, & Spiritum sanctum promereri.

Dubium.

Ratio dubitandi.

¶His tamen non obstantibus dico, quod Spiritus sanctus non minus, quam Pater & Filius orandus venit. Quod probatur primo ex ritu Ecclesiæ, quæ Spiritum sanctum in litaniis vt mediatè orare consuevit, sicut & Patrem & Filiũ, dicẽs: Spiritus sancte Deus, miserere nobis. Idem etiam ex multis alijs orationibus in missis, quæ ab Ecclesia celebrantur, ad Spiritum sanctum immediatè directis, constare potest. Et ratione hi argumentor. Ideò oramus Patrẽ & Filium, quia omnia nobis bona largiuntur, ab ipsisque immediatè dependent: sed hoc etiã conuenit Spiritui sancto, qui cum Patre & Filio vnum

Conclusio.

est essentiæ, potentiæ, bonitatis, & misericordiæ: ergo Spiritus sanctus non minus est orandus, quam Pater & Filius. Eo, vel maximè, quod, vt dicunt Theologi opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

¶Et ad rationem dubitandi dico, quod si veteres orationes suas solebant immediatè dirigere ad Patrem, & Filium, & non ad Spiritum sanctum, non ideò id faciebant, quia Spiritus sanctus orandus non esset, sicut aliæ personæ diuinæ: sed vt proprietatem Spiritus sancti attendentes, congruentiam quãdam in orando seruandam, significarent. Nam, quia Spiritus sanctus ex vi suæ processionis donum est Patris, & Filij, & congruè magis donum ab eius largitore petere, quam ab ipsomet dono; ideircò hanc conuenientiam seruantes à Patre & Filio donum sibi elargiri petebant, & ipsum donum quod est Spiritus sanctus promereri postulabant. Idque sonant verba Hilarij. Cæterum nos scientes, quod non solum Pater, & Filius dant nobis Spiritũm sanctum, sed etiam ipsemet Spiritus sanctus dat seipsum nobis, tam in se, quam in suis donis, (siquidem hoc, quod est, Spiritum sanctum dari nobis, est opus ad extra, quod necesse est esse commune omnibus tribus personis) ideircò veritatem sequentes, præfata congruentia dimissa, dicimus, quod sicut Spiritus sanctus est adorandus cũ Patre & Filio, ita etiam cum eisdem est orandus.

Ad rationẽ dubitandi.

¶Circa secundam conclusionem, in qua de modo quo angelis & sanctis hominibus porrigi possit oratio, est sermo, est difficultas, vtrũm sanctos orare aliqua ratione sit conueniens? Et quoniam sancti in triplici sunt differentia, quidam enim sunt beati, alij viatores, & alij in purgatorio existentes, de omnibus illis in particulari agere oportebit. Et quidem, quantum attinet ad sanctos in cælo existentes, regnantesque cum Christo, hæretici dicunt, eos nec orandos, nec honorandos esse. Huius hæresis primus autor dicitur esse Eustachius quidam, qui damnatus fuit in concilio Gangrensi, post hunc successit in eodem errore Vigilantius Gallus Ecclesiæ Barchinonensis presbyter. Contra quem scripsit Diuus Hieronymus. Et eundem post multos annos secuti sunt Valdenses, Ioannes Vuiteleph, Ioannes Hus, & nostra hac tempestate Oecolampadius super Esaiam, atque Lutherus. Quam suam sententiam probant primò: Nam cum Diuus Paulus, primo ad Timotheum capit. secundo, dicat,

Dubium.

De sanctis in cælo existentibus dubium.

Vnus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnus est mediator noster Christus Iesus, non potest fieri, vt sancti vtiliter pro nobis intercedere possint. Alioqui nostri mediatores plures erunt apud Deum, quod
2. argum. est contra Paulum. ¶Item: Diuus Ioannes in prima sua canonic. capit. secundo, dicit. Aduocatũ habemus apud Patrẽ Christum Iesum, qui propitiatur pro nobis. Si ergo ipse pro nobis propitiatur, superfluæ erunt aliorum sanctorum preces, quas pro nobis ad Deum fundi postulamus.

3. argum. ¶Tertiò: Sancti in cælo existentes, ac pro se ipsis orantes non exaudiuntur à Deo: ergo nec si pro nobis orauerint exaudiendi erunt; atque ex consequenti non est cur preces ad illos fundamus. Consequentia est nota, & antecedẽs probatur ex Apocalypsi. capit. sexto. Vbi introducuntur Martyres clamantes ad Deum, atque dicentes: Vsquequo Domine, non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra. Constat autem eos non exaudiri, alioqui non conquererentur de Deo.

4. argum. ¶Quartò: Beati sunt extra statum merendi, & demerendi: ergo nihil poterunt impetrare à Deo pro nobis, atque ex con-
Cõfirmatio sequenti non est cur ipsos oremus. Et confirmatur ex illo Ioannis capit. decimosexto. Iterum veniam ad vos; & gaudebit cor vestrum; & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in illo die nihil rogabitis me. Quibus verbis significare videtur Christus Apostolos, post adeptionem gloriæ, nihil
Vltimũ argumẽtum petituros. ¶Vltimo, soli Deo est exhibendus cultus latriæ, iuxta illud Pauli: Soli Deo honor, & gloria. Sed oratio est species latriæ, vt communiter dicunt Doctores: ergo solus Deus orandus est, non homo, etiam si sit beatus.

Conclusio. ¶His tamen non obstantibus sit conclusio de fide tenenda; quod sancti in cælo existentes, siue homines, siue angeli sint, honorandi sunt, atque etiam orandi, non tanquam illi, per quos implenda est oratio, sed tanquam illi per quos est impetranda à Deo. Et quidem, quod sancti sint honorandi, patet manifestè ex Psalmo centesimo trigesimo octauo. Vbi dicit Propheta. Nimis honorati sunt amici tui Deus. Vocat autem eos amicos, qui Deum syncero quodam amore diligunt, quales sunt existentes in patria, quos eximijs honoribus afficiendos esse declarat. Christus etiam apud Ioannem capit. duodecimo, dicit: si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cælis. Iustum ergo est, vt quos Deus Pater honorat in cælis, eos honore afficiamus in terra. Eo, vel maximè, quòd honor sanctis exhibitus quodammodo etiam exhibetur Deo, qui glorificatur in honore sanctorum, iuxta illud Psalmi sexagesimi septimi. Glorioſus Deus in sanctis suis. Salomon quoque Ecclesiastici quadragesimo quarto, hortatur nos ad honorandos beatos, in hunc modum dicens: Laudemus viros glorioſos, & parentes nostros in generatione sua. Et postquam aliquas laudes Patrum veteris testamenti protulit, subdit statim; Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Si ergo licet in cælo existentes, laudibus prosequi, licebit etiam illis honorem impendere, cùm laus honoris cuiusdam species sit, & per verba laudatoria eam, quam de illo, quem laudamus, habemus existimationem, testemur: quemadmodum & per genuflexiones, & capitis denudationes, quam ad alium habemus, venerationem. Accedit ad hæc vniuersalis Ecclesiæ autoritas, quæ dies festos in venerationem sanctorum quotannis celebrat, à totoque populo Christiano celebrari præcipit, & ipsis templa dedicat. *Templa erigenda in veneratione sanctorum.*
De templis extat canon Melchiadis Papæ relatus à Gratiano in Decretis. 2. quæstione. 1. capit. futura. Vbi Constantini Imperatoris laudes prosequitur, propterea, quòd sanctis Apostolis Petro & Paulo, templum erexit. Et subdit rationem: Ab illo etenim tempore, & deinceps viri religioſi, non solum possessiones, & prædia sua, sed etiam seipsos Domino consecrarunt, ædificantes basilicas in suis fundis, in honorem sanctorum. Quod etiam super martyrum memorias missã diceretur statuit Felix Papa, qui fuit à Diuo Petro vigesimus quintus, in quadam sua epistola in hunc modum dicens. Propterea in præfata constituimus synodo, vt super memorias martyrum missæ celebrarentur, ne illorum memoria, aut veneratio periret. Dies etiam festos agi in memoriam sanctorum statuit Vigilius Papa in epistola ad Eutherum, capit. quinto, dicens: Quoties sanctorum Dei fuerit agenda festiuitas, singula capitula diebus apta subiungimus, quibus commemorationem eorum faciamus; quotũ natalitia celebramus. Hæc omnia diffinita habentur in concilio Gangrensi canone decimo tertio. Vbi dicitur: Siquis superbiæ vsus affectu abominetur conuentus, qui per loca & basilicas sanctorum martyrum fiunt, & mysteria, quæ in eis celebrantur & memorias sanctorum martyrum condemnet, anathema

anathema sit. Potest etiam id ipsum probari ratione naturali. Nam, si honor, vt dicit Aristot. in Ethic. est præmium virtutis, nec potest deferri, nisi viris studioſis; stultum erit dicere, eos non esse honore afficiendos quos diuina virtus in cælum tulit. Præterquam quod nulla extitit gens tam barbara, quæ summum honorem illis viris, quos propter sua egregia facta, apud Deos viuere existimabant, deferendum esse non diceret. Et communis, & publicus consensus omnium gentium semper à sapientibus est habitus pro natura.

Sancti sunt orandi. ¶Ostenso iam, qualiter sacris literis, atq; rationi sanctorum sit consona veneratio, superest modò ostendere, licitum esse, ne dicam meritorium, eosdem orare, ac illos pro nobis apud Deum intercessores adhibere quod fuit secundo loco dictum in conclusione. Et quidem nobis catholicis, qui sacrorum conciliorum decretis summam, & indubitatam fidem adhibemus, facile erit huiusmodi veritatem ex Ecclesiæ determinatione conuincere, cùm ferè nullum sit concilium, in quo illa determinata non habeatur. Cæterum, quoniam disputatio solum instituitur contra hæreticos, qui concilia inuerecundè reijciunt, ex sacris literis tantum, & ex manifestis rationibus propositam veritatem probare contendam. Ad quod adduco primò, quod in scriptura de angelis legitur, quod orant Deum, & intercedunt pro nobis, vt vota nostra à Deo cõpleantur. Vt est videre apud Thobiã ca. 12. Vbi angelus dixit. Quando orabas cũ lacrymis, & sepelichas mortuos, & eleemolynam dabas, ego orationem tuam obtuli Domino. Nihil autem aliud est angelum orationem nostram Deo offerre, quam supplicare illi, vt eam adimplere digne tur. Zachariæ etiam cap. 1. dicitur, angelum afflictioni populi Dei miseratum, sic Dominum rogasse: Domine exercituũ, vsquequo tu non miserebaris Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus tu iratus es? Et respondit, inquit textus, Dominus angelo, qui loquebatur verba bona, verba consolatoria. Intercedunt ergo sancti angeli pro nobis in cælo, sæpeque, vel in toto, vel in parte exaudiuntur. Onias similiter summus Sacerdos Iudæorum, post mortem suam apparuit Iudæ Machabæo, manus suas extendens, & orans pro omni populo Iudæorum. In qua visione alius etiã apparuisse dicitur Oniæ socius, de quo ad Iudam Machabæum Onias dixit: Hic est fratrum amator, & populi Israel, qui multum orat pro populo, & sancta ciuitate. 2. Machab. capit. 15. Si ergo sancti in limbo existentes, nec Deo adhuc fruentes, pro filijs orabant, quanto libentius, cum iam Deo fruuntur, id facient. Eo vel maximè, quòd Deum pro alio orare est opus charitatis, quæ ex sententia Pauli non excidit, sed magis in patria perficitur. Et si *Obiectio.*
quis dicat, ex his tantum colligi, quod sancti pro nobis intercedunt, non autem quod nos ad ipsos orationes nostras dirigere debeamus, si quidem illud facere poterunt ex charitate: nobis etiam non orantibus, dico verum esse, quod apertè ex dictis non ostenditur, sanctos à nobis esse orandos; sed ipsos ad Deum pro nobis intercedere. Ex *Responsio.*
hoc tamen manifestè colligitur, ipsos per nos esse orandos. Nam cùm omnis ille possit conuenienter per nos orari, qui sua ope aut precibus potest nostra honesta vota complere; & sancti in cælo existentes sint huiusmodi, sit, vt possint etiam illi per nos orari. Pro hoc etiam facit illud Iob capit. quinto. Voca ergo aliquem, qui pro te respondeat, & ad aliquem sanctorum te conuerte. Et Hieremiæ capit. decimo quinto. Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istũ. Et Ezechielis decimo quarto. Si Noe, Iacob, & Daniel orassent pro eis non eos saluarent. Constat autem tunc sanctos istos prophetas fuisse mortuos: atque adeò solitos esse sanctos Deum pro nobis orare. Id ipsum similiter probari potest ex Geneseos cap. quadragesimo octauo. Vbi Iacob propinquus morti cum filium suum Ioseph benediceret, in hunc modum dixit: Deus in cuius cõspectu ambulauerũt patres mei Abraham, & Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentia mea, vsque in præsentem diem. Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum. Nomina quoque patrum meorum Abraham, & Isaac, & crescant in multitudine super terram. In quibus verbis illud est aduertendũ, quod præcipit Iacob super filios Ioseph inuocari nomina patrum iam defunctorum. Quoniam & si mortui erant corpore, viuentes tamen coram Domino illos poterant iuuare. Non enim est Deus mortuorum, sed viuorum, vt dixit Christus apud Matthæ. capit. vigesimosecundo. Moyses etiam Exod. trigesimo secundo, pro peccato populi, Deum orans sic dixit: Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum, &c. Et sequitur infra: Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum. Eodem modo etiam ora-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bat Azarias positus in fornace accensa igne apud Daniel. cap. tertio, dicens: Ne quæso tradas nos in perpetuum propter nomē tuū, & ne despicias testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum: quibus loquutus es, pollicens, quod multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in litore maris. Si ergo Moysi, atque Azariæ, & alijs patribus veteris testamenti licitum fuit orare Dominum per merita sanctorum iam defunctorum, sicque orantes fuerunt exauditi, vt ex sacris literis constat; nobis etiam erit licitum, atque adeò vtile idem facere. Atque ex consequenti sancti in cælo existentes non solum honorandi, verum etiam, vt pro nobis intercedant orandi erunt, vt diximus ex mente Diu. Thom. in proposita conclusione. De hac re videndi sunt Castro libro decimotertio, aduersus hæreses, verbo sancti. & Alexander Alensis quarta parte, quæstione vigesima sexta, membro. 3. articulo quinto. Qui propositæ veritatis hanc etiam congruentiam assignat: Quia sicut diuinorum charismatum descensus fit per sanctos ad nos, sic etiam est congruum, vt ascensus noster, quo ad Deum mouemur, siue reducimur, fiat ipsis sanctis quasi mediatoribus, & aduocatis nostris, dicente Diuo Dionysio, quod postrema redeunt ad principium per media.

D. Dion.

Ad 1. arg. ¶Restat nunc respondere ad argumenta facta in principio dubitationis. Ad primum ex Paulo primæ ad Timoth. secundo, dico, quod Christus potest dici vnicus mediator noster, vno è duobus modis. Primus est, vt vnus, vel vnicus idem sit, quod præcipuus. Et hac ratione, licet sancti pro nobis intercedant adhuc Christus dicitur vnus mediator noster; quia eius intercessio longè præstat aliorum sanctorum intercessioni. Alio modo, vt vnus idem sit, quod solus, & secundum istam rationem solus Christus dicitur mediator noster, non quia sancti non intercedant, ad modum iam explicatum, sed, quia ipse solus ex natura diuina, & humana compositus, vere mediat inter Deum, & hominem, integram atque perfectam faciens reconciliationem, iuxta illud Pauli ad Colos. secundo. Cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit vos cum illo, donans vobis omnia delicta, & delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum de medio tulit. &c. ¶Ad secundum similiter respondetur, quod quanuis Christus pro nobis intercedat, vt dicit Ioannes, non ideò alij intercessores sunt excludendi. Imò potiùs ex hoc sequitur, alios sanctos similiter pro nobis intercedere volentes, in hoc se Christo capiti conformare. Nec orationes illorum sunt superfluæ, sicut nec superfluæ sunt orationes, quas Ecclesia pro nobis, aut pro defunctis fundit, quia disposuit Deus meditis illis plures effectus facere, vt diximus articulo præcedenti. ¶Ad tertium respondetur, negando antecedens. Et ad probationem ex Apocalypsi dico, falsum esse, quod Martyres in suis votis nō fuerint à Deo exauditi. Quin potius cōtrariū cōstat ex illo loco. Si quidem accipientibus illis singulis stolis albis, quæ coronam triumphi significabant, quantum ad vindictam fusi sanguinis, quam postulabant, dictū est ad illos: Vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec complerentur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi erant, sicut & illi. Quibus verbis tantum abest, vt petitio denegetur, quòd continent apertam promissionem petita consequendi. Et sic vere fuerunt à Deo exauditi. ¶Ad quartum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiā. Nam quando nos dicimus, quod sancti orātes exaudiuntur à Deo, nolumus significare, quod exaudiantur ad cumulum suorum meritorum: quia hoc est impossibile, cum sint extra statum merendi. Sed quod volumus significare est, quod exaudiuntur: quia in via meruerunt, vt orantes pro nobis in patria exaudirentur. Et sic, quod exaudiantur potius cedit illis in præmium præcedentium meritorum, quam in nouum meritū. Et si eos esse extra statum merēdi, esset sufficiens causa, vt pro nobis orantes, nobis prodesse non possent, pari etiam ratione esset sufficiens, vt illorum merita, vtilitatem nobis non afferrent. Et tamen videmus, quod Moyses, & Azarias ac multi alij Deum orantes sanctorum merita illi offerebāt, vt ex dictis constat. ¶Ad confirmationē ex Ioanne. cap. 16. vt respondeamus, aduertendum est, quod de illius interpretatione est varietas opinionum, tam circa tempus, de quo loquitur Christus, quando dicit: Et in illo die nihil rogabitis me, quā circa verbum, rogabitis. Nam D. Chrysost. dicit, id testimonium esse intelligendum de tempore, quo missus est Spiritus sanctus. Quasi voluerit Christus significare, quod accepto Spiritu sancto Apostoli nihil essent ipsū rogaturi. D. Augustinus interpretatur eundē locū de tēpore gloriæ. Et quanuis vtrumque cōmode dici

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

Ad 4. arg.

Ad vltimū.

dici posit, adhuc tamen vrget, quod dicitur, Apostolos in illo die nihil Christum rogaturos. Et sic dico, quod rogare latine, & est orare, & est interrogare. Et in testimonio adducto, rogabitis, idem est, quod interrogabitis. Quod & ex pluribus vulgatis codicibus, in quibus non rogabitis, sed interrogabitis legitur, confirmari potest. Et secundum interpretationem Diui Augustini est sensus, quod in æterna beatitudine, quæ est vna dies continua, vbi beati in diuina essentia clarè vident, quæ expedit eos videre, non erit opus, vt aliquis quidquam interroget. Secundum autem Diuum Chrysostomum est sensus, quod ex præsentia Spiritus sancti à Patre missi, sicetunt Apostoli illuminati, quod non indigebunt, quidquam Christum interrogare, aut quærere, sicut interrogabant, quando Christus eis illa verba dixit. Quod vtrumque est verum. Quanuis interpretatio Chrysostomi videatur magis consona literæ, vt notat Lyranus supra istum locum. ¶Ad vltimum respondetur, concessa maiori, distinguendo minorem. Nam oratio dupliciter considerari potest. Vno modo quatenus dirigitur in Deum, mediatè, vel immediatè, in recognitionem omnipotentiæ Dei, à quo omnia pendent. Et oratio secundum istam rationem pertinet ad latriam, nec alteri, quam Deo tribui potest: cùm aliquem tanquam suprēmum omnium largitorem orare nefas sit, nisi is, quem oramus sit Deus. Et qui hoc modo aliquem sanctum oraret, proculdubio idololatraret. Alio modo potest considerari oratio, inquantū dirigitur ad sanctos, non tanquam bonorum largitores, sed tanquam intercessores, & aduocatos. Et oratio secundum istam rationem non est actus latriæ; sed cuiusdam honoris, atque reuerentiæ sanctis conueniens, & exhibendus.

De sanctis existētibus in hac vita.

¶Explicato iam, quod sancti in patria existentes licitè atque vtiliter possunt à nobis orari, consequens est, vt dicamus de sanctis viatoribus, vtrum etiam conuenienter per nos orari valeant. Et loquor semper de oratione largo modo sumpta, prout se extendit ad deprecationem. Nam de oratione proprie dicta, quæ est actus latriæ, certum est, quod soli Deo est exhibenda, vt paulò antea dicebam. Ad cuius explicationem dico breuiter, esse certum, nec aliqua ratione dubitandum, quod sancti viatores possunt nos suis intercessionibus valde iuuare. Ex quo fit, vt conuenienter à nobis orari queant. Probatur, Ioannis duodecimo, ad preces Philippi & Andreæ Gentiles, qui cupiebant Christum videre, ad ipsum introducti dicuntur. Et Ioannis secundo, ad preces virginis Christus aquā in vinum conuertit. Chananea etiam ad preces Apostolorum obtinuit, vt à Christo audiretur, & veniam consequeretur. Rogauerunt enim ipsum dicentes: Dimitte illam, quia clamat post nos. Moyses quoque sexcentis millibus armatorum veniam impetrauit, vt dicitur Exod. capit. trigesimo secundo. Et Abimelech, qui vxorem Abrahę acceperat dixit Dominus, Geneseos capit. vigesimo. Nunc redde vxorem viro suo, & orabit pro te & viues, & Iob. capit. vltimo, dixit Dominus ad eos, qui Iob increpauerant. Iratus est furor meus in vos, quoniam non estis loquuti coram me rectum. Et paulò inferius, Iob seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia: Et rursus: Cō uersus est Dominus ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Ergo sancti viuentes, id Domino attestante, possunt nobis suis intercessionibus prodesse, atque ex consequenti conueniens & vtile est, ipsos orare, vt pro nobis intercedant. Quod si viui ad id valent, à fortiori id poterunt sancti cum Christo regnantes, vt contra Vigilantium colligit D. Hieronymus.

Conclusio.

De animabus in purgatorio existētibus, quod fuit tertium à nobis explicandum pro posito, maior est difficultas, vtrūm orari à fidelibus possint, & deheant. D. Thom. in hoc articulo, in solutione ad tertium, partē tenet negatiuam, & in. 4. distinctione. 15. quæstione. 4. articulo. 5. Quam etiam sequitur Alexand. Ale. 4. p. quæstione. 26. memb. 5. articulo. 5. Abulensis super Matth. tomo. 3. quæstione. 93. & super cap. 6. quæstio. 87. Syluester, verbo, oratio. §. 3. Nauarro in relectione, super cap. quando. de consecratione, distinct. 1. præludio. 7. D. Anton. 4. p. titulo. 5. §. 2. Et ratio huius sententiæ est, primò, quia oratio ad aliquem prudenter dirigi nō potest, nisi is, quem oramus intelligat, seu audiat, quod ab eo petimus: alioquin inepta & ridicula videretur oratio: sed animę in purgatorio existentes nostras orationes maximè mentales, nec audire, nec intelligere possunt; cum nec illas cognoscant in proprio genere, vt suppono, ob distantiam inter nos, & illas existentem, nec in verbo, quādoquidem non nisi beati vident in verbo, quæ hic aguntur: ergo animæ purgatorij à nobis orandæ non sunt. Secundò: Non est consentaneum rationi, vt quo tempore quis subijcitur tormentis, eo pro alijs

De animabus purgatorij. Sententia D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intercedat; eo, vel maxime, quod qui grauí pœna torquetur vix est sui compos, vt alios possit audire: sed animæ purgatorij sunt huiusmodi: ergo ipsæ non sunt orandæ. Propter istas rationes hæc sententia est valde probabilis, quanuis contraria quam tenet Gabriel super canonem. lectione quinquagesima octaua, & Medina in tractatu de Oratione. Sua probabilitate non careat. Et ratio est primò, quia si sancti in hac vita existentes possunt à nobis conuenienter orari, vt paulò antea docebam, cur non etiam animæ in purgatorio existentes; quando quidem non minus charæ sunt Deo, quam qui in hoc sæculo viuunt? Secundò: Nihil obstat, quominus animæ in purgatorio existentes possint suis intercessionibus nobis prodesse: ergo conuenienter illæ à nobis orari valent. Consequentia est nota, & antecedens probatur: si aliquid obstaret, id esset, vel quia sunt extra statum merendi, vel, quia sunt in pœnis, vel quia orationes nostras cognoscere nequeunt: sed nihil horum impedit. Non primum: Nam sancti in patria existentes sunt extra statum merendi, & tamen ipsæ sæpe nobis succurrunt, oramusque ipsos vtiliter, vt ex dictis patet. Nec secundum: Nam sancti viatores sunt etiam aliquando in pœnis actu, & reatu, imo & in peccatis saltem venialibus, & ad ipsos conuenienter orationes nostras dirigimus, vt paulò anteà dicebam: Nec tertium: Tum, quia licet in particulari animæ purgatorij nesciant, quis, & quomodo eas oret, possunt tamen intelligere, aut verosimiliter, saltem in genere, coniectari, quod miseri viatores sanctarum animarum precibus cupiunt in suis necessitatibus adiuuari: sicut è contra ipsæ similiter per viatores adiuuari desiderant. Et hæc generalis cognitio sufficiens erit, mouere eas, vt orent pro illis, qui se eis commendant. Tum etiam: Quia quanuis in particulari cognoscere non valeant, nec in proprio genere, nec in verbo, quis se illis commendet, vt rectè dicit Diu. Thom. hic ad. 3. est tamen possibile, quod id sciãt, ex angelorum, qui nos custodiunt, reuelatione, quod satis erit, vt pro nobis orare possint. Facit etiam pro hac sententia, quod multi affirmant, nonnullas animas inter nos purgari, specialiter in illis locis, in quibus notanda aliqua scelera commiserunt. Et quod aliquando ad nos peruenire permittuntur, nobiscunque ex diuina dispositione loqui. Cuiusmodi extant nonnulla exempla apud Diuum Gregorium in libris Dialogorum. Et tunc nihil impedit, quominus in proprio genere orationes nostras audiant. Et si illæ pro nobis orant, & à Deo exaudiri solent, non dubito, quin possimus nos illis commendare, & ex consequenti eas, vt pro nobis intercedant deprecari. Est præterea vnum in hac sententia, quod ipsam magis commendabilem reddit. Et est, quod ea admissa vehementius accendentur homines ad orandum pro animabus purgatorij, cùm ex hac hominis conditio, atque natura, vt eos libentius bonis operibus afficiamus, quos scimus nobis bene facere posse. Quo circa illa mihi magis placet, estque ad concionandum magis pia, atque vtilior.

Probabile est quod animæ purgatorij intercedant pro nobis.

Nota vera solutionis ad secundi argumenti D. Thom.

¶In solutione ad secundum argumentum dicit Diuus Thomas, quod beati in Verbo cognoscunt orationes, quas ad ipsos fundimus. Circa quod est aduertendum ex Caietano in præsenti, duos esse modos, quibus intelligere possumus, quod beati in Verbo videnr singularia. Vnus formalis, quia, scilicet, ipsa visio verbi, est etiam realis visio singularium. Et hic est eorum ipsis sanctis à principio suæ beatitudinis, ad hunc sensum, quod quæ vident in Verbo hoc modo, semper viderunt à principio suæ beatitudinis. Alter modus est causalis, quia, scilicet, ipsa Verbi visio est causa, vt sequatur visio singularium. Et hæc de nouo aduenit sanctis iuxta diuinæ gratiæ extensionem. Et quod vterque modus sit constituendus in beatis, patet ex eo, quod quædam singularia cognoscere spectat ad beatitudinem ipsorum. Et hæc vident in Verbo primo modo. Aliorum autem cognitio habetur ex diuina reuelatione de nouo eis facta. Et hæc cognoscunt in Verbo tantum causaliter, vt communiter docent Doctores in materia de visione Dei: Sed cum orationes, quas homines ad sanctos fundunt, sint res singulares, potest esse non leue dubium, quo prædictorum modorum sint dicendi beati, quod vident illas in Verbo? Diu. Thom. in præsenti videtur significare quod vident orationes primo modo. Nam dicit, maximè ad excellentiam beatorum pertinere, quod cognoscant orationes ad eos factas. Et cum beati in essentia diuina formaliter videant ea quorum cognitio facit ad ipsorum excellentiam, quoniam beatitudo ipsa suprema excellentia est, fit, vt orationes nostras in Verbo formaliter videant. Quod etiam videtur attestari Ecclesia in modo interpellandi sanctos, quem obseruat, dum dicit:

cit: Beate Petre, ora pro nobis. Nisi enim præsupponeret omnes sanctos ex eo, quod Deo frauntur orationes nostras cognoscere, non omnes statim adiret, rogans, vt orarent pro nobis. Sed prius adiret Deum supplicas illũ, vt eis nostras orationes reuelaret, vt sic ipsi pro nobis orarent. Et quia hęc Ecclesiæ autoritas, maior est quam autoritas cuiuscunque alterius Doctoris, ità dicendum videtur. Cum quo etiam stat, quod nouis reuelationibus illuminentur, vt cognoscant, quid circa suos clientulos sit agendum, aut quid simpliciter orandum pro eis sit. Nam quanuis ipsas orationes videant in ipsa Verbi essentia, an autem hoc expediat, quod petitur, aut quo modo implendum sit, & an Deo hoc placeat, & alia huiusmodi, ex diuina tantum reuelatione sancti addiscunt. Propterea quæ Ecclesia Deum rogat, vt sanctos pro nobis orare faciat dicens: Tribue quæsumus Domine omnes sanctos iugiter pro nobis orare. Et hæc dicta sint de toto isto articulo.

Articvlvs. V.

¶Vtrùm in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere.

4. di. 15. q. 4. a. 4. q. 1. & opus. 3. c. 140. Lib. 3. fid. orth. c. 24.

Ad Qvintvm sic proceditur. Videtur quòd in oratione nihil determinatè a Deo petere debeamus: quia, vt Damascen. * dicit: Oratio est petitio decentium à Deo. Vnde inefficax est oratio per quã petitur id quod non expedit: secundum illud Iacob. 4. Petitis & non accipitis: eo quòd malè petatis. Sed sicut dicitur Roman. octauo. Quid oremus sicut oportet nescimus: ergo non debemus aliquid orando determinatè petere.

2 ¶Præterea, Quicunque aliquid determinatè ab alio petit, nititur voluntatem ipsius inclinare ad faciendum id quod ipse vult. Non autem ad hoc tendere debemus, vt Deus velit quod nos volumus, sed magis vt nos velimus quod ipse vult: vt dicit glos. super illud Psal 32. Exultate iusti in Dño: ergo non debemus aliquid determinatè à Deo in oratione petere.

3 ¶Præterea, Mala à Deo petenda non sunt: ad bona autẽ Deus nõ inuitat: Frustra autẽ ab aliquo petitur ad quod accipiendũ inuitatur: ergo non est determinate aliquid à Deo in oratione petendum.

¶Sed Contra est, quod Dominus Matth. 6. & Luc. 11. docuit discipulos determinatè petere ea quæ continẽtur in petitionibus orationis Dominicæ.

¶Respondeo dicendum, quòd sicut M. Valerius * refert, Socrates nihil vltra petendũ à diis immortalibus arbitrabatur quàm vt bona tribuerent. quia hi demum scirent quid vnicuique esset vtile. Non autem plerunque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. Quæ quidẽ sententia aliqualiter vera est, quantum ad illa quæ possunt malum cuentum habere: quibus etiam homo potest malè & benè vti. Sic diuitiæ: quæ, vt ibidem dicitur, multis exitio fuere. Honores etiam quàm plures pessundederunt regna quorum exitus sæpè miserabiles cernuntur. Splẽdida coniugia, quæ nonnunquam funditus domos euertunt. Sunt tamẽ quędam bona, quibus homo malè vti non potest, quæ scilicet maluni euentũ habere non possunt. Hæc autem sunt quibus beatificamur, & quib⁹ beatitudinẽ meremur: quæ quidẽ sancti orãdo absolutè petũt: secũdũ illud. 79. Ostẽde faciẽ tuã, & salui erimus. Et iterũ. 118. Deduc me in semitam mandatorum tuorum.

Lib. 7. c. 2. in tit. Externa, de secrate Philosopho.

¶Ad Primvm ergo dicendũ, quòd licet homo ex se scire non possit quid orare debeat: Spiritus tamen, vt ibidem dicitur, in hoc adiuuat infirmitatem nostram, quod inspirando nobis sancta desideria rectè postulare nos facit. Vnde Domin⁹ dicit Io. 4. quòd veros adoratores adorare oportet in spiritu & veritate.

¶Ad secundum dicendum, quòd cum orando petimus aliqua quæ pertinent ad nostram salutẽ, conformamus voluntatẽ nostrã voluntati Dei, de qua dicitur. 1. ad Timot. 2. quòd vult omnes homines saluos fieri.

¶Ad tertium dicendum, quòd sic ad bona Deus nos inuitat, quod ad ea

Universidad de Deusto
Biblioteca

non passibus corporis, sed pijs desiderijs, & deuotis orationibus accedamus.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quod bona, quæ possunt à Deo postulari, sunt in duplici differentia: Quædam enim sunt, quibus homo male vti non potest, qualia sunt illa, quibus beatificamur; & quibus beatitudinem meremur; alia autem sunt, quibus homo potest bene, & malè vti: qualia sunt diuitiæ, regna, splendida coniugia; & reliqua bona temporalia; respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Prioris generis bona possunt determinate peti à Deo. Probatur: Sancti illa absolutè petierunt, vt constat ex illo Psalm. 79. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Et ex illo Psalm. 118. Deduc me in semitam mandatorum tuorum: ergo. Secunda conclusio: Bona secundi generis, qualia sunt omnia temporalia, non sunt determinatè à Deo petenda. Probatur: Nam quantum ad hæc plerunque id votis petimus, quod non impetrare melius foret. Diuitiæ enim multis exitio fuere; & honores quam plures pessundederunt. In regnis quoque sæpe exitus miserabiles cernuntur.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrùm homo debeat temporalia petere à Deo orando.*

4.d.15.q. 4.a.5.q.2. AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd homo non debeat temporalia petere à Deo orando. Quæ enim orando petimus, quærimus. Sed temporalia non debemus quærere. Dicitur enim Matt. 6. Primũ quærite regnum Dei, & iustitiam eius & hæc omnia adijcientur vobis, scilicet, temporalia: quæ non quærenda dicit, sed adijcienda quæsitis: ergo temporalia non sunt in oratione à Deo petenda.

2 ¶ Præterea, Nullus petit nisi ea de quibus est solicitus. Sed de temporalibus solicitudinem habere non possumus: secundum quod dicitur Matth. 6. Nolite soliciti esse animæ vestræ quid mãducetis: ergo temporalia petere nõ debemus orando.

3 ¶ Præterea, Per orationem nostram mens debet eleuari in Deum. Sed petendo temporalia descendit ad ea quæ infra se sunt: contra id quod Apostolus dicebat, secund. ad Corinth. 4. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna: ergo non debet homo temporalia in oratione à Deo petere.

4 ¶ Præterea, Homo non debet petere à Deo, nisi bona, & vtilia: sed quandoque temporalia habita sunt nociua, non solum spiritualiter, sed etiam temporaliter: ergo non sunt in oratione à Deo petenda.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Prouerb. 30. Tribue tantum victui meo necessaria.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut * Augustin. dicit ad Probam, de adorando Deum. Hoc licet orare quod licet desiderare. Temporalia autem licet desiderare: non quidem principaliter, vt in eis finem constituamus, sed sicut quædam adminicula, quibus adiuuamur ad tendendum in beatitudinẽ: inquantum, scilicet per ea vita corporalis sustentatur: & inquantum nobis organicè deseruiunt ad actus virtutum. Vt etiam * Philosoph. dicit in 1. Ethic. Et ideo pro temporalibus licet orare. Et hoc est quod Augustin. dicit * ad Probam, quòd sufficientiam vitæ non indecenter vult quisquis eam vult, & nõ amplius: quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, vt non sit inconueniens eis cum quibus viuendum est. Ista ergo cum habentur, vt teneantur, cum non habentur, vt habeantur orandum est.

Epist. 121. c. 13. Ethic. 4. cor. 5. lect. 1. Li. 1. Ethic. c. 8. ad fin. tom. 5. * Epistola. 121. cap. 6. circa med. tom. 2.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quod temporalia non sunt quærenda principaliter, sed secundario. Vnde Aug. dicit * in lib. De sermone Domini in mõte. Cũ dixit illud, primo quærẽdum est, scilicet regnum Dei, significauit, quia hoc, Li. 2. c. 14. paulò à fin. tom. 4.

hoc, scilicet, temporale bonum posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate: illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd non quælibet solicitudo rerum temporalium est prohibita, sed superflua & inordinata: vt supra * habitum est. Q. 55. a. 6.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quãdo mens nostra intendit temporalibus rebus vt in eis quiescat, remanet in eis depressa. Sed quando intendit eis in ordine ad beatitudinem consequendã, non ab eis deprimitur, sed magis eleuatur sursum.

¶ Ad quartum dicendũ, quòd ex quo non petimus temporalia tanquam principaliter quæsita, sed in ordine ad aliud eo tenore à Deo petimus ipsa, vt nobis concedantur secundũ quòd expediunt ad salutem.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio: Licitum est in oratione petere à Deo bona temporalia, non principaliter, vt in eis finem constituamus, sed sicut quædam adminicula, quibus ad obtinendam beatitudinem adiuuemur. Probatur: Id licet orando petere, quod licet desiderare, vt dicit Diuus Augustinus in epistola ad Probam, de orando Deũ, cap. 12. sed bona temporalia licet desiderare, nõ principaliter, vt in eis finem constituamus; sed sicut quædam adminicula, quibus adiuuemur ad tenendam beatitudinem, inquantum, scilicet, per ea vita corporalis sustentatur, & inquantum nobis organicè deseruiunt ad actus virtutum: ergo bona temporalia licet in oratione petere sub ista ratione.

EXPLICATIO DVORVM Articulorum.

EXplicatis iam in superioribus quiditate, & conuenientia orationis, atque etiã quis sit ille, qui à nobis est orandus, agit D. Thom. in his duobus articulis, de eo, quod est à Deo in oratione petendum. Et quoniã tantum conuenientia possunt esse materia orationis, vt ex illius diffinitione colligitur, qua dicitur, quod oratio est petitio conuenientium à Deo; & tam remotio mali quã collatio boni possit esse conueniens, sit, vt vtrumque veniat à Deo postulandum. Sed sicut bonum est duplex, vnum quod per se, & secundum se est appetibile, vt vita beata, & virtutes ad eam conducentes; aliud quod potest prodesse, & obesse aliquando: id, scilicet, quo potest homo bene & male vti, quale est bonum corporis; ità etiam & conueniens potest esse in duplici differẽtia. Vnũ quod per se, & semper est conueniẽs. Quale est primi generis bonũ. Aliud, quod aliquando conuenit, & aliquando non conuenit. Qualia sunt bona corporalia. De primi generis conuenientibus dicit D. Thom. quod illa licet petere determinate. Quod etiã probari potest ex oratione Dominica, qua dicimus; Adueniat regnum tuum, & ex scriptura. Psal. 79. Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Et iterum: Dirige me in semitam mandatorum tuorum. Et ex Ecclesia, quæ orat: Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, &c. De conuenientibus autẽ secũdi generis affirmat, quod, quanuis possint licitè peti à Deo, quatenus ad vitam sunt necessaria, quod & faciebat Salomon quando dicebat, Victui meo tribue necessaria; & facimus nos in oratione Dominica, quando oramus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (quod non tantum de spirituali pane, sed etiam de corporali est intelligendum, vt dicit glossa super illum locum) & facit Ecclesia, dum in suis litanijs orat Deum pro pluuia congruente, & vt fructus terræ dare, & conseruare digneturr huiusmodi tamen bona, siue corporis illa sint, siue fortunæ, non sunt absolute, & determinate à Deo petenda, sed cum remissione ad ipsius beneplacitum, si ipsa profutura cognouerit ad æternæ beatitudinis cõsequutionem. Et ratio huius est; Nam cum beatitũdo sit primum, & principale obiectum, circa quod oratio nostra versatur, nihil quod ipsius consequutioni aduersetur, erit licitũ postulare. Sæpe autem poterit cõtingere, vt bona temporalia, quæ petuntur, si dentur, potius noceant, quam prosint, atque adeò illa absolutè petere non licebit. Propter hoc que dicebat D. Paulus ad Roman. 8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, nam quid oremus sicut oportet nescimus. Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quasi diceret, ob id spiritus sanctus imperfectum nostrum, benigno suo auxilio adiuuat, in nostris orationibus, quia nos cæci, & miserabiles, neque quid, neque quomodo orare debeamus, cognoscimus. Diu. Thom. supra istum locum in hunc modum dicit: In generali quidem possumus scire quid conuenienter oremus; sed in speciali hoc non possumus.

Temporalia non sunt absolute petenda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primò; Quia si desideramus facere aliquod opus virtutis, contingere poterit, vt illud non huic, aut illi sit congruum: sicut & alicui, qui vtiliter posset in actione proficere, contemplationis quies non expediret, aut è conuerso. Propter hoc que dicebat Salomon Prouerbio. decimo quarto. Est via, quæ videtur homini iusta: nouissima autem illius ducunt ad mortem. Secundò: Quia aliquis desiderat aliquod temporale bonum ad sustentationem vitæ, quod sibi vertetur in periculum mortis, iuxta illud Ecclesiastic. quinto. Diuitiæ conseruatæ in malum domini sunt. Tertiò: Quia aliquis desiderat liberari ab aliqua molestia tentationis, quæ tamen est sibi ad custodiam humilitatis. Vt patet in Paulo; qui petebat amoueri à se stimulum carnis; qui tamen datus ei erat ne magnitudo reuelationum ipsum extolleret: vt dicitur. 2. ad Corinth. capit. 12. Hæc Diu. Thom. Quibus verbis significat apertè, contingere posse, vt quæ petimus à Deo nobis conducibilia non sint, atque adeò necessarium esse, quòd Spiritus sanctus mentem nostram illuminans, & affectum voluntatis bonis desideriis succendens, quæ salutaria sunt gemitibus & suspirijs inenarrabilibus postulare nos faciat. Hoc idem exemplo docuit nos Christus Redemptor noster. Qui cum Patrem oraret, vt calicem eius transferret, suâ tandem voluntatem Patris voluntati subiecit dicens: Verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas. Et in oratione Dominica dicimus; Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Cui petitioni contraire videtur, qui absolutè & determinatè aliquid huiusmodi à Deo petit, cùm tàlis potius suam petat fieri voluntatẽ, quam Dei. Ethinc est, quòd filijs Zebedæi absolutè petentibus, mediante matre, vt vni dexteram, & alteri sinistrã, in regno suo daret, quod ipsi temporale futurum existimabant, Christus dixerit; Nescitis quid petatis.

Argumentum contra D. Thom.

¶Et si quis contrà hoc argumẽtetur: Ecclesia publicè, & vnusquisque secretè in sua priuata oratione quotidie orat Deum, non solum, vt sibi in communi beneficiat, sed etiam in specie, & determinate, vt pluuiam nobis tribuat congruentem, & fructus terræ dare, & conseruare dignetur, & similia: ergo falsò dicit Diuus Thomas, non esse licitum bona temporalia determinatè petere. Respondeo ly, determinatè, posse accipi dupliciter. Vno modo, vt idem sit quod in specie, & in particulari, & non in genere, & in confuso. Et secundum istam rationem Diu. Thom. non negat bona temporalia esse determinatè petenda à Deo. Quin potius ipsemet in 4. distinctione decima quinta, quæstione quarta, articulo quarto, probat, talia bona esse determinatè à Deo petenda. Ad hunc sensum, quod in particulari, & in specie sunt postulanda. Alio modo accipitur determinatè pro eo, quod est absolutè, & sine ordine ad alium rem. Et in hoc sensu non sunt petenda bona temporalia determinatè, hoc est, absolutè, & sine aliqua conditione; sed si expedierint nobis. Et hoc est, quòd affirmat Diuus Thom. in præsenti. Ratioque eius est efficacissima: Quia, scilicet, possunt esse nobis nocua; & ratio postulat, vt nullus ab aliquo supplex, nisi conuenientia, petat.

Solutio.

Diuisio.

¶Et si quis quærat, vtrum semper sit necessarium, quod talis conditio in oratione exprimatur; an verò satis sit, quòd virtutes in petitione subintelligatur; dico breuiter satis esse illam virtutè subintelligi: nec est opus, vt verbis explicetur. In oratione enim Dominica, sine aliqua conditione bona temporalia à Domino petimus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et Ecclesia in litanijs absolutè postulat, vt Deus fructus terræ dare, & conseruare dignetur. ¶Et est aduertendũ, quòd non solum est licitum petere bona temporalia, quatenus ad vitam sunt necessaria, sed etiam bona superflua, hoc est, diuitias modò ad bonum finem ordinentur. Nam cum sit licitum habere diuitias, & meritorium, eas in pias causas, & gloriam Dei expendere, licitum etiam erit, illas ad huiusmodi finem desiderare, & ex consequenti eas petere, cum omne illud sit licitum, orare quod licet desiderare: vt dicit Diuus Augustinus in epistola ad Probam de orando Deũ cap. 12. Est tamen huiusmodi petitio semper valdè periculosa. Propterea que Sapient. 30. dicebat Salomon Deo: Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi; ne fortè satiatus abliciar ad negandum, & dicam: Quis est dominus. Et Propheta in Psalm. 36. Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Christus etiam comparat, propter eandem rationem, diuitias spinis, quæ animam pungunt sæpeque impediunt, ne quis regnum Dei ingrediatur, iuxta illud: Difficilius est diuitem ingredi in regnum Dei, quam camelum per foramen acus trauisire.

Notã.

Salutio.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm *Dubium.* orare pro bonis temporalibus, sit opus hominis imperfecti. Et pro parte affirmatiua est argumentũ. Ad perfectionem Christiani hominis spectat, bona temporalia contemnere, iuxta illud, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes: & veni, sequere me: & Matth. 6. Nolite solliciti esse animo vestræ quid manducetis, nec corpori vestro, quid induamini: & subdit statim: Hæc enim gentes quærunt: Scit autem pater vester, quòd his omnibus indigetis: ergo hominis imperfecti est hæc omnia postulare. Propter hoc argumentum Alexander Alensis affirmat, esse opus imperfectionis petere à Deo huiusmodi temporalia bona. Sed, vt quid in hac re verum putem, explicem, aduertendum est: quòd bona temporalia prima sua diuisione diuidi possunt in bona corporis, qualia sunt pulchritudo, salus, &c. & in bona externa, qualia sunt diuitiæ, opes, amici. Et rursus hæc diuiduntur. Nam quedam sunt valde necessaria. Qualia sunt illa, sine quibus, aut nullo modo, aut vix vita transigi potest. Alia autem sunt bona superflua.

1. Conclus.

¶Quo supposito, sit prima conclusio: Nõ est opus imperfectionis ea bona temporalia petere à Deo, quæ necessaria sunt ad vitam degendam. Probatur. Vnusquisque ex charitate tenetur seipsum diligere: in quo continetur præceptum, vt ea bona quærat quis, quæ necessaria sunt ad suam conseruationem: ergo si illa petat à Deo nõ erit imperfectus. Probo consequentiam: Nam dato oppositò, non quærere esset consilium, atque adeò consilium esset contra præceptum, quod est omnino impossibile. Secundò: Christus in oratione Dominica tradens nobis formam orandi, ea docuit, quæ à Deo essent petenda, sed inter alia vnum est, vt det nobis panem nostrum quotidianum, quo nomine, secundum August. in Epist. ad Proham iam citata, intelliguntur bona, quæ ad victum sunt necessaria: ergo non est imperfectionis illa in oratione petere. Et confirmatur ex Paulo. 1. ad Tim. cap. 2. dicente: Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarũ actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate cõstituti sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus. Hæc autem omnia pertinent ad bona temporalia. Ad quorum petitionem non adeò nos hortaretur Apostolus, nisi orare pro illis esset opus perfectionis.

2. Conclus.

¶Secunda conclusio: Opus imperfectionis est, ea bona petere à Deo, quæ superflua sunt, etiam si ad bonum finem dirigantur. Probatur: Horum bonorum petitio quàuis licita sit, si ad bonum finem dirigantur, semper tamen est valdè periculosa, vt paulò ante ea licebam, sed fieri nõ potest, vt sit opus perfectionis, ea bona petere à Deo, quorã possessio sine periculo animæ non inuenitur: ergo illa petere erit opus imperfectionis. Ad argumentum in contrarium factum dico primò, falsum esse, quòd est opus perfectionis, aut consilij, ea bona temporalia contemnere, quæ ad vitam degendam sunt necessaria. Nec contrarium colligitur, ex illo testimonio, si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & veni, sequere me. Nam Christus in illis verbis solum consuluit, vt abijciamus curam rerum domesticarum, nullam rem familiarem habentes. Non autem consuluit, vt nulla tibi ratione victum parares. Cuius rei signum est, quòd etiam illi monachi, qui illud Domini cõsilium sequuti sunt, omnia derelinquentes: adhuc tenentur victum quærere, vel rogando eleemolynas, vel suis manibus operando. Vel dico secundò, quòd etiam si verum esset, quòd est consilium spernere bona temporalia necessaria ad victum; non tamen inde sequitur esse opus imperfectionis, Deum pro illis orare. Nam licèt sit imperfectio, illa bona desiderare; supposito tamẽ iam isto imperfecto desiderio velle illa per Deum obtinere non est hominis imperfecti, sed potius religiosi, atque testamis, se nolle aliquid sperare, nisi à Deo; etiam quantum ad minima. Ad aliud testimonium ex Matth. cap. 6. respondetur, quòd ibi tantum prohibetur solicitudo, hoc est, anxietas, & cura nimia rerum temporalium. Qui autem illa petit à Deo, non est solicitus.

Ad argum.

Corollariũ

¶Ex dictis infertur licitum esse in oratione petere mortem, vel propriam, vel alienã, non absolutè, sed conditionaliter, si homo finaliter non sit corrigendus. Nam hæc etiã inter bona temporalia connumerantur. Et sic Anastasia orabat Deum, vt suum maritum Publium de medio tolleret, vt daret locum sanctis, si non erat finaliter corrigendus. Et Cyrillus in quadam epistola ad Augustinũ orat Deum, vt hæreticum quendam relipisceere nolentem occidat. Idem similiter potest iusto optari, si timetur, quòd diu viuens in peccatum cadet. Id enim est licitũ viris iustis desiderare, quod sciunt Dei beneficia computatur. Tale autem est eos, de hoc seculo nequam tollere, ne mali fiant, iuxta illud; Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio deciperet animam eius. Hoc etiam petebat pro seipso D. Paulus quando dicebat; Cupio dissolui, & esse cum Christo. Iob quoque propriam mortem desiderabat. Nec in hoc videtur, vitã iustus peccasse, melior est enim mors,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam vita amara. De duobus autem, quorum alterum est eligendum, illud videtur præeligendum quod est melius.

Dubium. ¶ De bonis per se appetibilibus, qualia sunt vita beata, & virtutes ad eá conducentes, de quibus dixit D. Thom. in art. 5. quòd illa est licitum petere determinatè; potest esse aliquale dubiũ, vtrùm id sit vniuersaliter verum. Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum: Liberalitas, magnificentia, & fortitudo bellica, sunt virtutes, & tamen non sunt absolutè, & determinatè petendæ à Deo: ergo falsò dicit D. Tho. quòd illa, quæ sunt per se bona, qualia sunt vita beata, & virtutes ad illam conducentes determinatè possunt peti à Deo. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Huiusmodi virtutes haberi non possunt sine bonis temporalibus, scilicet, diuitijs, aut viribus corporis, sed hæc non petuntur licitè à Deo determinatè, vt constat ex dictis: ergo neque illa. Propter hoc argumentum

Sententia Medinæ. Medina. C. de oratione. §. quid in oratione petendum, affirmat, prædictas virtutes, & si quæ sunt aliæ similes, non esse petendas determinatè à Deo, sed sub conditione, sicut alia bona temporalia. Hæc tamen sententia

Sententia Autoris. est apertè falsa. Et sic dico, nullam virtutem excipiendam esse, ab illa regula generali. Et ratio est; Quia omnis virtus ex se, est bonum honestum; bonum autem honestum, nulla ratione fieri potest, vt sit perniciosum: & sic non est cur sub conditione petatur. Et ad argumentum in contrarium factum, respondeo, quòd aliud est virtus, & aliud exequutio virtutis. Nam, quia virtus

Ad arg. est habitus electiuus in mediocritate consistens, sit, vt formaliter in recta, & honesta voluntate consistat: & res externæ, quæ exequutioni mandantur, pertinent ad ipsam virtutem materialiter. Ad hoc ergo, vt aliquis sit magnificus, aut liberalis, sufficit voluntas efficax magnificè, & liberaliter operandi: quòd autem in ipsa plus, aut minus posit esse per accidens. Vel secundò respondetur, quòd quamuis concedamus, prædictas virtutes non posse consistere sine bonis temporalibus, quod est falsum; adhuc tamen ex hoc non sequitur, quòd qui eas absolutè petit, peteret etiam absolutè diuitias, & bona temporalia. Sed solum sequitur, quòd peteret illa bona temporalia; quatenus sunt materia, & subseruiunt talibus virtutibus. Quæ ratio non est absoluta, sed legitima conditione moderata. Itaque qui peteret sibi à Deo liberalitatem, vna, & eadem oratione formaliter, & absolutè peteret virtutẽ, & interpretatiuè, atque conditionaliter peteret bona temporalia, quatenus subsunt vtui illius virtutis, quod nulla ratione potest esse illicitum. Dixi notanter, esse falsum; quòd virtus magnificentiæ, & liberalitatis, non potest esse sine bonis temporalibus, nam vt docet Magister in. 3. distinctione. 31. & D. Thom. ibidem, quæstione. 2. artic. 4. & 1.2. quæst. 67. artic. 1. ad. 1. virtutes morales manent in patria. Et tamen certum est, ibi nulla futura bona temporalia, quę per liberalitatẽ, & magnificentiam conferantur. Imò nec passiones, quæ per temperantiam, aut fortitudinem moderentur. Quam suam sententiam, vt explicet aduertit, quòd in virtutibus moralibus aliquid est formale, & aliquid quasi materiale. Materiale est in eis inclinatio quædam partis appetitiuæ ad passiones, vel operationes, secundum modum aliquem. Et quia iste modus determinatur à ratione, idcircò formale in omnibus virtutibus est ipse ordo rationis. Hoc supposito dicit, quòd virtutes morales in futura vita non manent quantum ad id, quod est materiale in eis. Non enim habebunt in futura vita locum concupiscentiæ, & delectationes ciborum, & venereorũ, nec etiam timores, aut audaciæ circa pericula mortis. Sed quantum ad id, quod est formale remanebunt in beatis perfectissimè post hanc vitam. In quantum, scilicet, ratio vnuscuiusque perfectissima erit circa ea, quæ ad ipsum pertinent secundum illum statum. Et vis appetitiua omnino mouebitur secundum ordinem rationis. Propter quod Diuus Augustinus libr. 14. de Trinitate, capit. 9. dicebat, quod prudentia ibi erit sine vllo periculo erroris; fortitudo sine molestia tolerandorum malorum; temperantia sine repugnantia libidinum. Et ad eundem modum dicendum erit in nostro proposito.

Virtutes morales manent in patria.

Oratio de malis pœnalibus. ¶ Mala pœnalia non licet petere in oratione, nisi in ordine ad bonum, vt, scilicet, malis per flagella quis conuertatur ad Deum. Et ita sic sunt intelligendæ innumeræ imprecationes, quæ ponuntur in scriptura contra inimicos. Quale est illud: Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei. Psalm. 6. & illud. Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius. Cum iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum Psalm. 108. Quibus in locis conturbationem inimicorum per tribulationes petit propheta, vt per eas corrigantur, & conuertantur ad Dominum. Possunt etiam & vltra dictam expositionem loca illa tripliciter intelligi. Primò, vt sit sensus, quod sancti postulant non vt ipsi peccatores destruantur, sed tantum, quòd in eis destruatur regnum peccati, destructis, scilicet, in eis peccatis ipsorum. Secundò, quòd verba illa fuerint dicta non per modum imprecationis, sed per modum prophetiæ, quid illis eueniet enuntiantis. Et tunc præsens optatiui, vel imperatiui ponitur pro futuro modi indicatiui, quale est illud: Duplici contritione, conterе eos Domine, id est, conteres. Tertiò, quòd Prophetæ verba illa dixerint conformando voluntatem suam cum voluntate diuina circa damnationem perseuerantium in peccato. Mala temporalia orare & petere alijs ex odio, est peccatum mortale. Et si militer postulare posse facere mala culpæ, vt furtum, aut adulterium.

Articvlvs. VII.

¶ Vtrùm debeamus pro alijs orare?

3.q.21.ar.3.ad 3. Et 4.d.15.q.4.art.4.q.3. AD Septimvm sic procedi-tur. Videtur, quòd non debeamus pro alijs orare. In orando enim sequi debemus formam quam Dominus tradidit. Sed in oratione Dominica petitiones pro nobis facimus, non pro alijs dicentes, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c. ergo non debemus pro alijs orare.

2 ¶ Præterea, Ad hoc oratio fit vt exaudiatur. Sed vna de conditionibus quæ requiruntur ad hoc quod oratio sit exaudibilis, est vt aliquis oret pro seipso, vnde super illud Ioann. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Augustin. * dicit, Exaudiuntur omnes pro seipsis: non autem pro omnibus. vnde non simpliciter dictũ est, dabit: sed dabit vobis: ergo videtur quòd non debeamus pro alijs orare: sed solum pro nobis.

Trac. 102. nũ remotè à princ. to. 9.

3 ¶ Præterea, Pro alijs si sint mali prohibemur orare, secundum illud Hierem. septimo. Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te. Pro bonis autem non oportet orare: quia ipsi pro seipsis orantes exaudiuntur: ergo videtur, quòd non debeamus pro alijs orare.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Iac. 5. Orate pro inuicem vt saluemini.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut * dictum est, illud debemus orando petere quod debemus desiderare. Desiderare autem debemus bona non solum nobis, sed etiam alijs. Hoc enim pertinet ad rationem dilectionis quam proximis debemus impendere: vt ex supra dictis * patet. Et ideo charitas hoc requirit, vt pro alijs oremus. Vnde Chrysostom. * dicit super Matth. Pro se orare necessitas cogit: pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio: non quam necessitas transmittit: sed quam charitas fraternitatis commendat.

Art. præc.

Quæst. 25. & 26.

Homil. 14. in imperfecto circa prin. to. 2.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod sicut Cyprian. dicit in lib. de oratione Dominica: ideo non dicimus pater meus, sed noster: nec da mihi, sed da nobis, quia vnitatis magister noluit priuatim precem fieri: vt, scilicet, quis pro se tantum precetur. Vnum enim orare pro omnibus voluit, quoniam in vno omnes ipse portauit.

¶ Ad secundum dicendum, quòd pro se orare ponitur conditio orationis, non quidem necessaria ad effectum merendi, sed sicut necessaria ad indeficientiam impetrandi. Contingit enim quandoq; quòd oratio pro alio facta non impetrat, etiam si fiat piè & perseueranter & de pertinentibus ad salutem, propter impedimentum quod est ex parte eius pro quo oratur, secundum illud Hierem. 15. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Nihilominus tamen oratio meritoria erit oranti qui ex charitate orat, secundum illud Psalm. 34. Oratio mea in sinu meo conuertetur. gloss. Id est, etsi non eis prosit: ego tamen non sum frustratus mea mercede.

¶ Ad tertium dicendum, quòd etiã pro peccatoribus orandum est, vt conuer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

conuertantur: & pro iustis vt perseuerent, & proficiant: Orantes tamen nō pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, sed pro quibusdam. Exaudiuntur enim pro prædestinatis, non autem pro præscitis ad mortem. Sicut etiam correctio qua fratres corrigimus, effectum habet in prædestinatis, non in reprobatis, secundum illud Ecclesiast. 7. Nemo potest corrigere quem Deus despexerit. Et ideò dicitur. 1. Ioann. 5. Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti peccatum non ad mortem. Sed sicut nulli quandiu viuit hic, subtrahendum est correctionis beneficium, quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobatis, vt Augustinus * dicit in libro de correptione, & gratia, ità etiam nulli est denegandum orationis suffragium. Pro iustis etiam est orandum triplici ratione.

C.15.to.7.

¶ Primo quidem, quia multorum preces facilius exaudiuntur, vnde super illud Roman. 15. Adiuuetis me in orationibus vestris, dicit * glos. Bene rogat Apostolus minores pro se orare. Multi enim minimi dum congregantur vnanimes, fiunt magni: & multorum preces impossibile est quod non impetrent illud, scilicet, quod est impetrabile. Secundo vt ex multis gratia agatur Deo de beneficijs quæ conferuntur iustis: quæ etiam in vtilitatem multorum vergunt, vt patet per Apostolum. 2. ad Cor. 1. Tertio vt maiores non superbiant, dum considerant se minorum suffragijs indigere.

Est Ambr. circa finem Commentarij ad 15. c. ad Rom. tom. 5.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua; quam probat D. Thom. in argumento, sed contra, ex illo Iacobi. 5. Orate pro inuicem, vt saluemini, & in corpore articuli, hac ratione: Illud debemus orando petere, quod debemus desiderare, vt ex Diuo August. diximus art. præcedenti; sed non solum nobis, sed etiam alijs debemus bona desiderare; hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam alijs debemus impendere: ergo non solum pro nobis, sed etiam pro alijs debemus orare. Et confirmatur ex Diuo Chrysosto. Homil. 4. in imperfecto super Matthæum dicente; Pro se orare necessitas cogit: pro altero autem charitas fraternitatis hortatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusio huius articuli certa est, & extra controuersiam posita, eiusque assignat plures rationes Alexander Alens. 4. part. quæstione. 26. membro. 3. articulo. 6. Quarum vna sumitur ex necessitate eorum, pro quibus oramus, scilicet, peccatoribus, quibus quasi commembris compati, & succurrere competit ex charitate. Pro iustis similiter orare debemus, quandiu credimus eos miserijs præsentibus præpediri. Et sic dicit Glossa super capitulum vltimum Iacobi, in illa verba; Si quis errauit ex vobis: Oremus pro salute proximorum, non solum temporali, sed æterna. Si enim est magnæ mercedis eripere corpus quandoque moriturum; quanti meriti erit animam liberare in cælesti patria victuram? Secunda ratio sumitur ex diuina voluntate, quæ vult membra esse pro inuicem solicita, atque vnum per aliud adiuuari. Et sic dicit Glossa super primam Epistolam Ioann. capit. vltimo, in illa verba. Audiet nos quidquid petierimus. Si petimus secundum voluntatem Dei impetrabimus, sicut quando petimus pro fratre, pro quo est petendum. Tertia ratio sumitur ex propria vtilitate orantium, qui eo ipso, quòd pro alijs orant merentur citiùs, & vberiùs pro seipsis exaudiri, iuxta illud D. Gregorij libr. 33. morali. Quisquis pro alio intercedere nititur, sibi potiùs ex charitate suffragatur: & pro semetipso tantò citiùs exaudiri meretur, quantò deuotiùs pro alijs intercedit. Hæc etiam conclusio sufficienter probatur ex dictis à nobis art. 3. huius quæstionis, vbi latè ostendimus esse præceptum orandi, non tantum pro nobis, sed etiam pro alijs.

Glossa.

D. Greg.

¶ Sed potest esse non leue dubium, circa illam, vtrùm sit ità vniuersaliter intelligenda, vt pro omnibus viatoribus, in quibuscunque peccatis existentibus orare debeamus. Et pro parte negatiua argumentor primo, ex Ioanne. 1. sua Canonica, capit. 5. in hunc modum dicente: Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem, & peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis. Quibus verbis significare videtur Apostolus, aliqua esse peccata, in quibus qui inuentus fuerit ad

Dubium.

1. Argum.

ad mortem vsque non expiabitur. Et pro huiusmodi vanum existimat orationes fundere ad Deum. Non ergo pro omnibus peccatoribus in vniuersum orandum est.

2. Argum. ¶ Secundò, vt Eccles. cap. 7. habetur: Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit: sed multi dicuntur derelicti, & despecti à Deo in sacris literis, iuxta illud Esai. 1. Derelinquentur filiæ Sion, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario: ergo pro illis non erit orandum. Et idem argumentum potest fieri de peccatibus in Spiritum sanctum, quorum peccatum, inquit Christus, nec remittetur eis in hoc seculo, nec in futuro.

3. Argum. ¶ Tertiò: Infideles, atque hæretici sunt viatores, & tamen pro illis orandum non est, quia cum iam contra eos Deus sententiam, atque iudicium protulerit, iuxta illud Ioannis. 3. Qui non credit iam iudicatus est, non videtur conueniens, vt pro illis oratio nes ad Deum fundamus: ergo non in vniuersum pro omnibus viatoribus orandum est. Et confirmatur: Excommunicati sunt viatores, & tamen pro illis orandum non est, cum sint diuisi à cœtu fidelium, & exclusi, atque priuati suffragijs, & orationibus Christianorum: ergo non pro omnibus viatoribus in vniuersum est orandum.

vlt. argu. ¶ Vltimò, Pro præscitis, de quibus manet fixa Dei sententia, quòd damnabuntur in perpetuum, videtur vanum orationes fundere ad Deum, & tamen sunt viatores: ergo non pro omnibus viatoribus est orandum.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quòd de orationibus, quæ possunt à fidelibus pro alijs fieri, loqui possumus, vel ex natura rei, vel supposita Ecclesiæ determinatione. Rursus possumus loqui, vel de orationibus publicis, Ecclesiæ nomine factis, vel de oratione particulari, quam vnusquisque priuatim ad Deum fundere potest. Quo supposito sic prima conclusio: Loquendo ex natura rei, nullus viator, quantumcunque peccator sit, est excludendus à nostris orationibus, siue publicæ illæ sint siue priuatæ. Itaque non est homo viuus, pro quo non conueniat orare. Probatur: Pro omni illo orandum est, cui salutem optare possumus, cum id orare debeamus, quod debemus desiderare, vt ex mente Augustini dicit Diuus Thomas in illo articulo, sed nullus homo est in genere, cui non debeamus optare salutem, cum nullus sit, quem ex præcepto charitatis sicut nos ipsos diligere non teneamur: ergo pro omnibus ex natura rei orare te-

1. Conclus.

nemur. Ex confirmatur: Si pro aliquo orandum non esset, maximè pro homine obstinato, de quo nulla habetur spes pœnitentiæ; sed vt Diuus Augustinus affirmat de nullo homine, quantumlibet obstinato, est desperandum, quin possit in momento, Deo aspirante, conuerti: ergo pro omnibus viatoribus ex natura rei, est orandum. Idem etiam probari potest ex Diuo Iacobo. Qui in capit. 5. huc Canonicæ dicit; Orate pro inuicem, vt saluemini; quod ad omnes vniuersaliter sine exceptione dictum esse constat; cùm omnibus optare debeamus, vt saluentur, vt conformes simus voluntati Dei. De quo dicit Paulus, quòd vult omnes homines salnos fieri. Vltimò: Christus pro omnibus quantumuis peccatoribus venit, & passus est, vt ipse testatur dicens; Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam; quare pro omnium salute, quantum in se fuit, fecit: ergo nos similiter Christum imitati, omnibus salutem optare, & pro omnibus orare debemus.

2. Conclus. ¶ Secunda conclusio: Supposita Ecclesiæ determinatione, quæ priuat excommunicatos communibus orationibus Ecclesiæ, nullus pro illis publicè orare potest. Voco autem orationem publicam, eam, quam minister facit nomine Ecclesiæ. In hac conclusione omnes Doctores conueniunt, & habetur expresse in cap. nuper. de sententia excommunicationis. Dixi autem publicè: Nam oratione priuata, nullus prohibetur pro quibuscunque voluerit, etiam excommunicatis, orationes fundere ad Deum, cum maior excommunicatio, vt communiter dicunt Doctores sequuti Diuum Thomam in additio. ad 3. part. quæst. 21. artic. 1. solum priuet cōmunione Ecclesiæ, quo ad fructum, & suffragia generalia. Nomine fructus intelligimus quamcunque externam communionem, tam ciuilem, quam ecclesiasticam, & perceptionem sacramentorum, ex quibus maximum fructum capiūt fideles. Et nomine suffragiorum generalium intelligimus, tam exteriores orationes, nomine Ecclesiæ factas, quam internam communionem exillis prouenientem, quibus omnibus maior excommunicatio priuat. Si quis autem quærat, vtrùm sacerdos in memento, vel alijs missæ collectis possit pro excommunicatis orare, Syluester, verbo, excommunicatio. primo. §. 8. respondet, quòd tanquam publica persona & minister Ecclesiæ non potest. Quare si Rex, vel Episcopus fuerit excommunicatus in canone nominandus non erit. Tamen,

quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia sacerdos inter sacra potest pro consanguineis,& amicis orare, sit, vt si aliquis illorum sit excommunicatus,tanquam priuata persona pro illo orare non impediatur. Eandem sententiam tenet Nauarro in capit.quando. de consecratione, distinctione 1. nota.19.numero.71. & Couarruuias super capit.alma mater.§.6.numero.4. Cæterum hæc opinio,quanuis clemens sit,& forsam vera, periculo tamen non caret. Tum, quia potuit Ecclesia priuare excommunicatum non solum orationibus communibus,sed etiam præcipere ministris, ne inter sacra pro eo orarent ; & si hoc factum est pro eis orare non licet. Tum etiam;quia in sacrificio missæ semper sacerdos orare videtur nomine Ecclesiæ: siquidem tanquam illius minister illud offert. Certum est autem , quòd hac ratione nullo modo potest pro excommunicatis orare, vt D.Thom.docet loco citato in solutione ad. 2. Nec obstat quòd Ecclesia in die Parasceues specialiter orat pro hæreticis , & schismaticis. Quia hoc facit in exemplum Christi, qui ea die pro omnibus orauit; sicut & pro omnibus passus est: Non tamen orat pro aliquibus sub nomine excommunicatorum,Nam quanuis hæretici , & schismatici iure sint excommunicati , illo tamen tempore , quo Ecclesia orat pro illis , quantum ad id,censentur absoluti ab excommunicatione. Ex dictis omnibus infertur, quòd oratione priuata pro illis omnibus orare potest homo, pro quibus siue publicè, siue priuatè orare posset,ex natura rei, nisi esset Ecclesiæ prohibitio contrarium determinans iuxta modum à nobis explicatum in supra positis conclusionibus.

Ad 1. arg. ¶Ad primum argumentum ex Ioanne.1. sua Canonica,capit.5.vt respondeamus,aduertendum est , quid sit peccatum ad mortem , variè solere à Doctoribus explicari. Nonnulli affirmant , peccatum ad mortem vocari solum finalem impœnitentiam, hoc est,peccatum , quod vsque ad mortem durat. Vt sit sensus,quod quando quis cognouerit fratrem suum peccato aliquo teneri, vel leuiori,& veniali,vel tali (etiam si grande sit) quod videatur non vsque ad mortem per finalem impœnitentiam duraturum, sed probabiliter existimatur , quia ex infirmitate, ignorantia, aut fragilitate illud commisit , de eo pœnitentiam acturus , atque ita remissionem consequuturus ; tali, inquam,peccato , de cuius emendatione,& remissione speratur, si quis viderit fratrem peccasse,adiuuet illum suarum precum suffragio apud Dominum : vt qui sic non ad mortem deliquit , per pœnitentiam redeat ad perfectam animæ vitam,quam tollit peccatum. Est autem quorundam peccatum ad mortem , scilicet, finalis impœnitentia. Et pro illo non dico vt roget quis ; quia non est rogandum pro damnatis, vt postea dicemus. Hanc expositionem sequitur Glossa super istum locum.

Finalis impœnitentia dicitur peccatum ad mortem ab aliquibus.

¶Alij dicunt , vocari à D. Ioanne peccatum ad mortem illud , quod à Christo alio nomine appellatur peccatum in Spiritum sanctum. De quo apud Matth.cap.12.affirmat:Qui dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei. Qui autem dixerit verbum in Spiritum sanctum non remittetur ei, nec in hoc seculo , nec in futuro . Nam cum oratio pro peccatoribus facta ad id ordinetur,vt eis peccata remittantur,& illud, quod est in Spiritum sanctum irremissibile à Christo dicatur in hoc seculo , & in futuro, superfluum videbitur pro illo orationé fundere ad Deum.Sed quia non omnes eodem modo explicant, quid à Christo appelletur peccatum in Spiritum sanctum, idcirco horum sententia in plures diuidi potest. D.Thom.supra quæst. 14.artic. 1. tres sanctorum patrum explicationes refert de peccato in Spiritum sanctum. Prima est D. Ambrosij lib.2. de pœnit.cap.4.& lib.de Spiritu sancto.cap.3.D.Hieron.& D. Chrysost. super Matth.cap.12.& aliorum, qui dicũt, quòd verbum in filium hominis est blasphemia in Christi humanitatem iactata.Quales fuerunt illæ, quibus dixerunt,Christum esse voracem,potatorem vini, amicum publicanorum,&c.Verbum autem in Spiritum sanctum est blasphemia in Christi diuinitatem prolata.Qualis fuit illa,In Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia , qua opus diuina virtute apertè factum virtuti dæmonis tribuebant. Secunda expositio est D.Augustini.Qui in Enchiridio cap.83.& Epist.50. dicit,blasphemiam in Spiritum sanctum esse finalem impœnitentiam, hoc est , peccatum mortale ad finem vsque vitæ perseuerans : blasphemia verò in filium est quodcunque aliud peccatum. Ideò autem affirmat quòd finalis impœnitentia dicitur peccatum in Spiritum sanctum: quoniam excludit remissionem quæ peculiariter Spiritui sancto tribuitur.At verò alia peccata , quæ non sunt contra remissionem; siquidem aliquando remittuntur dicuntur peccata in filium. Tertia expositio est D.Tho. loco citato, quam recentiores Doctores admittunt. Scilicet, quòd peccata,quæ committuntur per fragilitatem sunt in patrem , cui tribuitur potentia . Quæ verò per ignorantiam

Peccatum in Spiritum sanctum dicitur peccatũ ab aliq.

Diuersæ sententiæ de peccato in Spiritum sanctum.

sunt in filium; cui tribuitur sapientia. Quæ autem procedunt ex certa malitia,illa sunt in Spiritum sanctum,cui tribuitur bonitas. Et intelligit D.Thom. per operari ex certa malitia,operari ex ipsa electione mali,vt ipse se exponit, citans ea, quæ dixerat. 1.2.q. 78.art.1.& 3.Et supposito,quòd potest hoc dupliciter contingere ; vno modo ex inclinatione habitus vitioli,qui malitia dicitur: alio modo ex eo,quòd per contemptũ abijcitur,& remouetur id,quod electionem peccati poterat impedire , ponit istam conclusionem bimembrem: Peccatum in Spiritum sanctum,est peccatum ex certa malitia;non quæ procedit ex inclinatione habitus vitiosi;sed ex malitia, qua per contemptum abijcitur & remouetur;id quod electionem peccati poterat impedire. Primam partem probat ex eo,quòd peccare ex inclinatione habitus vitioli, non dicit speciale genus peccati , sed conditionem seu circunstantiam, quæ potest omnibus peccatis competere. Peccare verò in Spiritum sanctum dicit speciale genus peccati, quod posteà ab ipso in sex species diuiditur.Secũda verò pars probatur.Nam per operari ex certa malitia,vel debet intelligi prauus habitus,vel praua electio:Non prauus habitus,vt statim dicebã: ergo praua electio.Et est aduertendũ, quod omne peccatum procedens ex malitia ad modum explicatum,appellatur à D.Thom. blasphemia . Non quia propriè sit species blasphemiæ : sed quia quodammodo potest appellari blasphemia: sicut omne opus bonum potest etiam appellari fidei confessio. Et quidem,si nomine peccati in Spiritum sanctum intelligatur cum Diuo Augustino, finalis impœnitentia, sententia illorum,qui affirmant per peccatum ad mortem,pro quo non est orandum, intelligendum esse peccatum in Spiritum sanctum, prorsus coincidit cum prima responsione. Sed quoniam, quanuis hæc Doctrina Diui Augustini de peccato in Spiritum sanctum, propter tanti viri autoritatem ab omnibus veneretur, à nullo tamen admittitur , tanquam germana expositio textus. Loquitur enim ibi Christus de aliquo peculiari peccato blasphemiæ , vt ex ipso textu constat. Et finalis impœnitentia nec est peculiare peccatum , sed conditio, quæ potest omnibus peccatis conuenire : Nec semper est blasphemia ; sed plerumque est culpa alterius generis . Nihil velimus dicere cum D. Thom. ibidem in solutione ad primum, quòd sicut omnis pia cogitatio , & pium opus externum dicitur quodammodo confessio fidei; sic etiam omne peccatum , siue cordis,siue oris, siue operis potest dici quodammodo blasphemia , quæ est impropria loquutio. Idcircò hac expositione omissa, vna ex duabus reliquis erit sequenda. Inter quas , quantum ad loci expositionem attinet longè probabilior mihi videtur ea, quæ est Diui Hieronymi , atque Chrysost. Et probatur primo ex eo, quòd certum est Dominum ibi loqui, non de quouis peccato, quod dici posit singulari aliqua ratione commissum in Spiritum sanctum , sed de peccato , quod in verbis consistit. Blasphemia enim propriè est contumelia alicui verbis illata.Nec dicit: Omnis,qui peccauerit in Spiritum sanctum,sed qui dixerit verbum in Spiritum sanctum,aut, vt habet D. Marcus , qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, quod nec de finali impœnitentis, nec de peccato ex malitia commisso , potest commodè intelligi . Est ergo blasphemia in Spiritum sanctum ea , qua quis malitia aliqua permotus , quæ manifestè sunt Dei,tribuit dæmonibus,vt erat electio dæmoniorum. Nec nomen , Spiritus sanctus, necessariò hic accipi debet,vt significet singulariter tertiam personam in diuinitate, sed ponitur pro tota diuinitate: Ità, vt blasphemare in Spiritum sanctum sit pene idẽ, quod blasphemare in Deum. Ideò autem positum fuit hoc nomen Spiritus sanctus, quia directè opponitur spiritui immundo, cuius virtute dicebant Iudæi Dominum eijcere dæmonia. Et quia etiã Spiritui sancto propriè tribuitur in scripturis operatio virtutum,& miraculorum;blasphemia verò in filium Dei fuit , qua aliqui calumniabantur Christum,tanquam vini potatorem,& voracem,&c. Quod autem dicitur verbum in Spiritum sanctum, nec remitti in hoc seculo,nec in futuro,non sic debet intelligi,quasi voluerit Christus significare huiusmodi peccatum esse omnino irremissibile . Sed ità appellatur, vel quia regulariter non remittitur,vel; quia difficulter eius venia obtinetur. Vnde non dixit Christus: Blasphemia in Spiritum sanctum est irremissibilis, sed non remittitur , negans non remissionis possibilitatem,sed euentum. Vt in plurimum enim non sequitur tale peccatum remissio. Nam ob criminis ipsius enormitatem , qui sic peccant tradũntur fere in reprobum sensum, aut ex reprobo sensu,in quem traditi sunt, procedit.Ex quo fit , vt dignam non agant pœnitentiam; ac proinde nec remissionem consequuntur. De hac re videndus est Diuus Ambrosius, lib.2.de pœnitentia , cap.4.& D. Hieronym. super Euseb. Matthæi ,& Iansenius in concordia

Sententia Autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dia Euang.concord.49.& Vega super concil.lib.13.c.9.Sed si intelligamus per peccatum ad mortem peccatum in Spiritum sanctum, hoc est, blasphemiam in Christi diuinitatem prolatam, quæ omnino irremissibilis non est, vt modo dicebam, poterit quis meritò dubitare, quare Diuus Ioannes in testimonio in argumento adducto dicat,pro huiusmodi peccato non esse orandum. Ad quod breuiter respondeo, ipsum non negare, pro hoc peccato esse orandum, sed tantum insinuat, propter peccati magnitudinem opus esse in illo maiori remedio. Vtenim docet Alexander Alensis,quarta parte, quæstione.26. membro.3. articulo sexto, in huiusmodi peccatis propter sceleris magnitudinem, & hominis, cui benefacere cupimus indignitatem, orandum non est,hoc est,non est vtendum aperta petitione, sed potius ingemiscendum, hoc est, gemitu quodam latens & occultũ scelus demonstrandum.

Notanda interpretatio Erasmi.

¶ Erasmus in annotationibus in nouum testamentum, aliter interpretatur dictum locum Ioannis, in hunc modum dicens: Locus hic in speciem adimere videtur spem veniæ relapsis in culpam grauem. Nec me clam est, quibus rationibus sese hinc explicent Theologi. Sed mihi videtur alius exitus aperiri posse. Venialia delicta, sine quibus non viuitur, quotidiana petitione delentur; Remitte nobis debita nostra, quemadmodum interpretatur & Augustinus. Cæterùm atrocia flagitia non sanantur eodem modo. Sed olim eijciebantur è contubernio Ecclesiæ, tradebanturque Satanæ, nec recipiebantur, nisi ieiunio, lacrymis, multisque remedijs duris deleta culpa. Hæc Erasmus: Quibus verbis significat, quòd quando Diuus Ioannes affirmat, Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem, petat, loquitur de peccatis venialibus, quæ per orationem Dominicam deleti posse dicit, est enim oratio Dominica in remissionem venialium peccatorum à Christo instituta, vt Diuus Augustinus docet. Quando autem dicit, Et peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis, loquitur de peccatis mortalibus, ad quorum remissionem orationem Dominicam non sufficere affirmat; quia necesse est, vt pro illis ieiunio, & lacrymis satisfaciamus. Hæc interpretatio Erasmi mihi magnopere placet. Quia est valde consona literæ. Nec ex hoc habetur esse aliquos peccatores, pro quibus orandum non sit, vt argumentum probare nitebatur; sed tantum quòd oratio Dominica, de qua solum in eo loco est sermo, non est efficax remedium, ad remissionem peccatorum mortalium, quod verum est. Beda putat omnino peccatum aliquod esse, cui non sit petenda venia, eo quod frustra peteretur. Videlicet sequutus Augustinum, qui hoc in libris de sermone Domini in monte sensit. Quæ fuit Origenis,Theognosti,& Athanasij opinio. Verum huius sententiæ canit palinodiam, D. August.lib. 1. retractationum. Addens hoc esse verum solum in illo, qui in peruerso affectu perseuerauerit vsque ad mortem.

Ad 1.

¶ Ad secundum argumentum respondetur concessa maiori, atque minori, negando consequentiam. Quanuis enim nemo possit corrigere quem Deus despexerit, vt habetur Ecclesiastes, capit. 7. ad hunc sensum, quòd quia correctio fraterna ordinatur ad particularem emendationem fratris, idcircò ab illa cessandum est, quando probabiliter timetur, illum, qui corripitur, futurum deteriorem. De tali enim correctione loquitur Sapiens in illo loco, vt communiter interpretantur Doctores cũ Glossa. Et quanuis etiam sit verum, quòd multi dicuntur derelicti, atque despecti à Deo in sacris literis, non quia ipsis deneget Deus illa auxilia, quæ necessaria sunt, & ordinaria, & quibus conuerti possent; sed illa vberiora, & extraordinaria, quæ si conferret sine dubio conuerterentur. Quanuis enim Deus interdum aliquibus peccatoribus, dum sunt in peccato, immittat copiosa auxilia, & illos momento temporis conuertat ad se, vt Paulo contigit, atque Magdalenæ: tamen, vt in plurimum, & maiori ex parte in conuersione procedit sensim, atque paulatim. Prius, scilicet, reuocando ipsum peccatorem ad sobriam mentem, & deinde illum paulatim disponendo, & idoneum efficiendo ad susципienda illa auxilia, quibus vltimatè ad gratiam disponatur. Itaq; Deus in conuersione peccatoris regulariter hoc modo procedit, quòd primò incipit à generalibus,& minoribus auxilijs, aptis tamen, ad producendos suos effectus, si homo permittat se ab illis duci, atq; regi. Cuiusmodi sunt morbi,& felices,siue aduersi rerum euẽtus. Quibus auxilijs si homo acquieſcit,& incipit se arcere à voluntate peccandi, quam antea habebat, fauet Deus illis conatibus, & suppeditat illi maiora auxilia, quibus magis arceat voluntatem eius ab studio peccandi: idque efficit per prædicatorum voces,per lectiones,per timores, &c. Quibus auxilijs si homo rectè vtitur, & magis ac magis

Auxilia Dei multiplicia.

magis continet se à peccato; & sibi totus displicet, incipit Deus tunc acrius instare, & abundantiori auxilio efficit, vt perfectè detestetur peccata, & ad Deum se toto corde, & anima conuertat. Cæterum, si è contrario peccator contempserit illa priora auxilia gratiæ, & magis generalia, Deus etiam quasi subsistit, & se quodammodo continet à conferendis vlterioribus auxilijs. Sed illa eadem priora, iterum, atque sæpius repetit, atque multiplicat: semper paratus, si prioribus auxiliis homo rectè vtatur maiora conferendi. Nam qui infidelis est in minimo: id est, qui contemnit priora auxilia, & in maximo infidelis erit. Dicitur ergo Deus peccatores derelinquere, atque despicere, cum propter sua peccata denegat illis, non illa auxilia, quæ necessaria sunt, & ordinaria, & quibus conuerti possint, sed illa vberiora,& extraordinaria, quæ si conferret, sine dubio conuerterentur. Nam si cum Deus aliquem reprobum iacentem in peccato vocat, & excitat ad pœnitentiam per illa priora auxilia, quæ diximus paratus conferre posteriora, si prioribus rectè vtatur, vehementioribus,& extraordinarijs auxilijs pulsaret, vt fecit in Paulo, sine dubio conuerteretur. Sed tamen non dat hæc auxilia, sed potius illa priora sæpius repetit, & continet se à conferendis vltimis auxilijs, & maioribus quoadusque prioribus rectè vtatur. Idque facit, quia propter illa priora peccata habet illum exosum & reprobatum. Et in hoc consistit ea derelictio, à qua peccatores dicuntur derelicti, estque effectus reprobationis. Quod ità esse facile intelligitur ex illo Matthæi.11. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Ex quo constat, quod quamuis Deus sciebat Tyros,& Sydonios esse conuertendos, si vidissent ea miracula, quæ viderunt ciues Corozaim; tamen nec denegauit illis auxilia necessaria & sufficientia, quibus possent conuerti, nec dedit illis hoc auxilium miraculorum, quo sine dubio conuerterentur: quia erant reprobati à Deo propter sua peccata; & ideò fuste hoc modo derelicti. Quamuis ergo nemo possit corrigere, quem Deus despexerit; & multi dicantur derelicti, & despecti à Deo, ad modum iam explicatum; non tamen ex hoc infertur non esse orandum pro illis; cum oratio non ad id ordinari debeat, vt aliquid contra diuinam voluntatem fieri velimus, sed tantum, vt Deus ea auxilia conferre dignetur, quæ efficacia fuerint, vt homo exeat à peccato; nisi contrarium eius diuinæ conforme fuerit voluntati. Cui si nec expresse, nec tacite homo votum suum, aut desiderium submiserit, superba & deprauata erit oratio. Quia perinde erit ac si peteret: Domine fiat quod ego volo, non quod tu vis, quod est diuinæ voluntati reniti; ac proinde illicitum, & contra illud Matthæi sexto: Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Propter quod Diu. Augustinus super Psalm. 110. in illa verba; Non adhæsit mihi cor prauum, dicebat, cor prauum habet, qui non vult, quod Deus vult. Et ad idem est Glossa ibidem. ¶ Ad aliud autem quod dicitur in eodem argumento de peccantibus in Spiritum sanctum, iam ex dictis patet solutio.

Cur Deus dicatur peccatores derelinquere.

Ad 3. arg.

¶ Ad tertium argumentum, in quo de infidelibus,& hæreticis est sermo, quantum attinet ad hæreticos, iam diximus in secunda conclusione, quod quoniam iure sunt excommunicati; nulli est licitum publica oratione pro illis orare; bene tamen priuata. De infidelibus autem affirmo, quod siue priuata, siue publica oratione licitum est vnicuique pro illis orare, propter rationes à nobis superius positas, quæ non minus militant in infidelibus, quam in aliis peccatoribus. Quod& insinuate videtur Paulus 1. ad Timot. capitulo secundo, dum dicit: Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus,& omnibus, qui in sublimitate constituti sunt. Certum est autem tempore Pauli omnes Reges, pro quibus orationes fundendas esse dicit, esse infideles. Diu. etiam Augustinus in epistola ad Marcellinum in hunc modum dicit. Legimus fratribus nostris,& vestris librum beatissimi Cypriani de oratione Dominica: vbi demonstrauimus, quemadmodum docuerit omnia, quæ ad mores pertinent, à patre nostro, qui in cælis est, esse poscenda. Et etiam quomodo admonuerit pro inimicis nostris, qui nondum in Christum crediderunt, nos vt credant, debere orare. Quod vtique haud aliter fieret, nisi Ecclesia crederet malas, atque infideles hominum voluntates posse per Dei gratiam ad Deum conuerti. Et reprobans idẽ Augustinus hæresim Pelagianorum in libro de hæresibus,& nominibus hæreticorum dicit, Destruunt etiam orationes quas facit Ecclesia, siue pro infidelibus, & doctrinæ Dei resistentibus, vt conuertantur ad Deum, siue pro fidelibus, vt augeatur in eis fides. Nec obstat illud, quod obiicitur ex Ioanne capitulo tertio, Qui non

Pro infidelibus orare licitum est

Universidad de Deusto
Biblioteca

credit iam iudicatus est. Nam loquitur ibi Christus de iudicio damnationis æternæ, quam in Christum credere nolentes, proculdubio subibunt. Qui enim non peccant in lege, sine lege iudicandi sunt. In præsenti tamen non debemus eos iudicare; quia qui hodie infideles sunt, cras fideles esse possunt. Et ideò pro eis est orandum. ¶ Ad confirmationem de excommunicatis iam ex dictis patet solutio.

Ad vltimũ argum. Dubium.

¶ In vltimo argumento tangitur difficultas de præscitis, & reprobis, vtrùm pro illis sit orandum. Ad quam Diu. Thomas hic ad tertium respondet, quod quemadmodum nemini debemus subtrahere correctionis beneficium, quia nescimus, quis sit quem Deus protecturus: ità etiam pro præscitis orandum est, quandiu sunt in hac vita, quia non possumus eos à prædestinatis discernere. Quibus verbis significare videtur, quod si sciremus, qui sunt reprobi, nec eos corrigere, nec pro eis orare deberemus. Et quoniam, quamuis in particulari de nullo viuente sciamus, quod sit præscitus, in genere tamen constat, aliquos esse prædestinatos, & aliquos præscitos. Ex hoc sequi videtur, quod nec possimus orare pro præscitis in communi, quicunque sint illi. Quod & confirmari potest exemplo Christi, qui nunquam legitur pro reprobis prasse, sed tantum pro electis, & pro illis qui in eum erant crediturі. Et sic Ioannis. 17. de Apostolis loquens, in hunc modum dicit:

Argu. ex testimonio.

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt; & mea omnia tua sunt; & tua mea sunt; & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mũdo; & hi in mundo sunt; & ego ad te venio. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. &c. Et ratione sic argumentor: Oratio pro reprobis

Arg. ex ratione.

fusa est omnino superflua; cum repugnet præscitos à Deo saluari: ergo pro illis orandum non est. Et confirmatur: Qui orat, debet semper suam voluntatem, & petitionem Dei voluntati subiicere: sed qui pro præscitis orat, vt saluentur, cum sciat voluntatem

Cõfirmatio

Dei oppositam esse, non solum non subiicit voluntatem suam Deo, sed etiã illi videtur reniti, & aduersari; ergo eius oratio non solum superflua, verum etiam culpabilis, & temeraria erit dicenda. ¶ His tamen non obstantibus dicò, quod quamuis quisque

Reprobi nõ sunt excludendi à nostris orationibus.

ne possit nominatim orationem fundere ad Deum, pro prædestinatis, nulla facta mentione de reprobis; tũ quia non semper, quod aliquis orat, tenetur orare pro omnibus, atq; adeò poterit orare pro solis prædestinatis; & non pro reprobis; tum etiam; quia est vsus Ecclesiæ aliquando pro solis prædestinatis orare; vt constat ex quadam oratione, quæ incipit: Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locãdus, &c. non tamen tenemur reprobos nominatim nec in communi, nec in particulari à nostris orationibus excipere. Quod & probari potest primò, exemplo Christi, qui pendens in ligno generaliter pro crucifixoribus Patrem orauit, quorum plures certum est fuisse reprobos. Secundo ex vsu Ecclesiæ, quæ communiter pro viuis ac defunctis fidelibus sacrificium offerre solita est: & tamen dubitari non potest, inter viuos, alios esse reprobos, & alios prædestinatos. Et tandem tertio; nam licèt nostra oratio pro reprobis fusa ad gloriæ consequutionem prodesse non possit, vt minus tamen peccent, atque ex consequenti, vt minus puniantur poterit prodesse; & sic erit vtile etiam pro reprobis orare. ¶ Et ad argumentum ex testimonio dico, quod in illo loco Ioannis, solum orat Christus pro prædestinatis, & non pro reprobis, vt ex verbis ipsius sufficienter colligere licet. Ex hoc tamen non infertur, quod non est licitum orare pro reprobis; cum non semper quis teneatur orare pro omnibus, pro quibus orare non prohibetur. ¶ Ad rationem respondeo, negando antecedens. Potest enim oratio pro reprobis fusa, ad hoc, vt conuertantur, desernire, vel saltem, vt rarius peccent, & mitius finaliter torqueantur, vt modo dicebã. Præterquã, quod quia, quãuis in sensu composito stare non possit, vt quis sit præscitus, & saluetur: quia tamen absolutè loquendo quisque viator potest saluari, hinc fit, vt pro quolibet absolutè possimus orationem fundere ad Deum.

Ad argu. testimonium.

Ad rationem.

¶ Ad confirmationem vt respondeamus, supposito tanquam certo, quod qui in suis orationibus nec tacitè nec expresse suum votum, atque desiderium diuinæ subiicit voluntati, eius oratio superba est & depraua-

Ad confirmationem.

ta, vt paulo antea dicebam, operæpretium est, vt explicemus, quæ sit illa Dei voluntas, cui orando, & quodcumque aliud faciendo, nos conformare est necesse. Ad cuius intelligentiam est aduertendum primo, quod quemadmodum homo duobus modis potest aliquid velle: vno modo formaliter, hoc est, actu elicito voluntatis; alio modo arguitiuè, hoc est, efficiendo aliquid ex quo manifestatur, & arguitur eius voluntas; veluti cum homo prohibet, vel præcipit aliquid, ipsa prohibitio indicat, & demõstrat

In Deo est duplex voluntas signi.

se nolle id, quod prohibet: Ex quo fit vt in homine distinguamus duplicem voluntatẽ,

vnam,

vnam, quæ appellatur voluntas beneplaciti, & est ipsa formalis voluntas, qua homo actu elicito aliquid vult. Alteram, quæ dicitur voluntas signi, & nihil aliud est, quam illud omne, ex quo ipsa voluntas arguitur & manifestatur, vt præceptum, prohibitio, consilium: ità etiam in Deo possumus distinguere duplicem voluntatem, vnam beneplaciti, alteram signi. Voluntas beneplaciti est, qua vult omne illud, cuius est in eo voluntas formalis, & in quo sibi bene complacet. Voluntas autem signi, est id, ex quo eius voluntas manifestatur, & arguitur. Quod est quinquplex, scilicet, præceptum, prohibitio, consilium, permissio & operatio, vt autor est Diu. Thom. prima parte. quæstione 19. articulo 11. & 12. Signum autem voluntatis diuinæ appellatur Dei voluntas, ad modum, quo interdum ipsum signum appellatur, nomine signati, sicut & imago Cæsaris appellatur Cæsar.

¶ Secundo est aduertendum, quod quem admodum vna & eadem res potest diuersi mode considerari: ità etiam & Deus, circa eandem rem diuersimode consideratam, potest habere diuersas volitiones. Vnde Theologi adhuc ex parte obiectorum distinguunt in Deo duplicem voluntatem, vnam, quam appellant antecedentem, alteram consequentem. Inter quas hoc est discrimen; quod voluntas antecedens fertur in res secundum se, & absolutè consideratas: voluntas verò consequens fertur in res consideratis omnibus suis circunstantiis: Potest autem contingere, quod aliqua res sit bona secundum se & absolutè considerata, quæ si consideretur cum omnibus circunstantiis, mala sit: sicut viuere homi nem, absolutè consideratum est bonum. Sed si addatur, quod sit homicida, & in malum multitudinis est malum. Et, quia vnumquod que, secundum quod est bonum, sic est volitum à Deo, potest fieri, quòd aliqua res secundum se sit volita à Deo; quæ tamen consideratis circunstantiis non sit volita. Vt absolutè Deus vult omnes homines saluos fieri; quia hoc absolutè consideratum est bonum quoddam. Nihilominus tamen, quia contingit, vt plures sint peccatores, & mali, quos saluari bonum non est; idcircò illos saluari non vult, vt latè ostendit Diu. Thomas prima parte. quæstione 19. articulo 6. ad primum argumentum. Voluntas ergo antecedens, quæ secundum D. Thomam, & omnes sanctos non semper impletur, non est voluntas simpliciter, sed potius appellatur velleitas, quam voluntas. Ex quo infertur aliquid esse volitum voluntate antecedenti, cuius contrarium est volitũ voluntate consequenti, & è conuerso.

In Deo est voluntas antecedens & voluntas consequens.

¶ Tertio est aduertendum, tripliciter posse contingere, quod homines conformentur voluntati diuinæ: scilicet, in volito, in actu volendi, & in modo volendi. In volito nos conformamus, quando idem obiectum, vel eandem rem, quam Deus vult, & nos volumus. In actu volendi, quando habemus illũ actum, quem Deus vult nos habere. Vt contigit Abrahamo. Gen. 22. quãdo voluit filium suum Isaac sacrificare, sicut illi Deus præcepit: quamuis postea opus non fuerit subsequutum, quia Deus illud fieri noluit. In modo volendi nos conformamus, quando ex eadem radice, videlicet, ex simili charitate, & propter eundem finem, ex qua, & propter quem Deus vult, aliquid volumus, putà principaliter ex charitate, & propter Deum, & ad nostram beatitudinem meritoriè.

Tripliciter se homo cõformat voluntati diuinæ.

¶ His constitutis quantum attinet ad voluntatem signi, certum est, quod diuinæ voluntati signi præceptiuæ, & prohibitiuæ tenentur se homines conformare, ad hunc sensum, quod tenentur præceptis Dei obedire illa adimplendo, & prohibita cauendo, quando & quomodo ipsa vel præcepta, vel prohibita fuerint, iuxta illud Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Imò hoc solum intendit Deus in eis, vt homo sit obligatus ea velle, quomodo ipse præcipit; quãuis non semper velit voluntate consequenti, & de facto ea adimpleri. Nec tale præceptum est signum, quod Deus vult efficaciter impleri id, quod ipse præcepit, sed quod homo sit obligatus ad id volendum, siue faciendum, vt dictum est. Voluntati signi consultiuæ non tenentur se homines conformare, vt constat, quia non tenentur sequi consilia. Nisi forte quis specialiter ea vouisset; quia tunc illa sequi teneretur. Tenentur tamen omnes ea non contemnere, parui pendendo, aut inutilia iudicando. Voluntati signi permissiuæ non tenemur similiter nos conformare; ità, vt aut illa faciamus, aut in aliis similia permittamus, saltem vniuersaliter, quando ea commodè possumus impedire, ne committantur. Imò huic voluntati tenemur esse difformes, non peccando, nec peccare volendo. Quia hæc voluntas permissiua proprie non est, nisi malorum culpæ, quæ Deus positiuè nec vult, nec non vult, sed merè priuatiuè se habet. Et quia ea mala si vellet, posset impedire, & non impedit ex iustissima causa; idcircò illa permittere dicitur. Tenentur tamen homines contra hanc

Qualiter teneantur homines cõformare se voluntati signi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

signi voluntatem permissiuam non murmurare, eam reprehendendo; quia iustissima, & sapientissima est, iuxta illud Psalm. 118. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Et Psalm. 35. Iudicia Dei abyssus multa. De voluntate signi operatiua eadem est ratio, ac de voluntate beneplaciti; cum illa semper adimpleatur, sicut & ista. Et sic eodem modo est loquendum de vtraque quantum ad obligationem nos conformandi illis.

¶ De voluntate beneplaciti, siue antecedens illa sit; siue consequens, atque etiam de voluntate signi operatiua, quantum ad conformitatem, & difformitatem ad illam, maior est difficultas. Quam vt explicemus supposito, quod conformitas, seu difformitas potest esse vel in volito, vel in actu, vel in modo volendi, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quod diuinæ voluntati beneplaciti, & signi operatiuæ tenentur homines se conformare in actu volendi, vel actualiter, vel habitualiter pro suo tempore. Ad hunc sensum, quod tenétur, vel habitualiter, vel actualiter; dum sibi innotuerit, velle id, quod Deus vult eos teneri velle; non autē tenétur velle id quod Deus vult illos velle. Opera enim consilii vult Deus homines velle, maximè quando ea operanturi & tamen ea velle non tenentur, vt rectè docet Gabriel. lect. 69. in canon. Dico secundo, etiam esse certum, quod in modo volendi, hoc est, in eo, quod ex charitate, & propter Deum meritoriè operentur, non tenentur se homines ita diuinæ voluntati conformare, vt, nisi id faciant, peccatum committant. Ad vitandum enim peccatum satis est regulariter vt extra charitatem præcepta adimpleamus. Nam si infidelis baptizatur, & per peccatum mortale, in quo est, ponit obicem gratiæ, & non sacramento, certum est, quod non tenetur rebaptizari; atque adeò extra charitatem existens adimplet præceptum de recipiendo baptismum. Itaque hæc certa sunt. Sed quod habet difficultatem est, vtrùm prædictæ Dei voluntati beneplaciti, aut signi operatiuæ, teneantur semper homines se in volito conformare, ità, vt res, quæ est volita à Deo, eadem etiam sit volita à nobis? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est Gregorii Ariminen. in secund. distinctione vltima. & Gabriel. lectio. 68. in canonem. & aliorum, qui dicunt, semper esse obligatos homines conformare se diuinæ voluntati beneplaciti, aut signi operatiuæ, quando constat nobis, quod talis res, vel obiectum est volitum à Deo. Cognoscitur autem prædicta diuina voluntas beneplaciti ex reuelatione rei futuræ, vel ex ipsius operis, aut facti impletione. Eo enim ipso, quo aliquid fit, cognoscitur id Deo volente fieri, aut factum esse; sine cuius voluntate nihil fit. Præcipuum huius opinionis fundamentum desumitur ex aliquibus testimoniis Diu. Augustini super Psalmum 100. & Glossæ ibidem superius à nobis adductis; quæ nihil probant, de conformitate, que in actu volendi commodius intelligi possunt. Secunda opinio, quam communiter tenent Doctores, tangiturque breuiter à Gabriele vbi supra. & præcipuè in primo distinctione 48. est, quod voluntati Dei beneplaciti, aut signi operatiuæ tenentur homines se conformare in volito habitualiter. Ad hunc sensum, quod tenentur non remurmurare contra illam, nec ei repugnare. Non tamen tenentur se positiuè ei conformare, ponendo aliquem actum sibi conformem. Itaque, si Deus vult aliquem, siue propter demerita ex lege, siue sine demeritis præter legem gloria priuare, sicut pueros sine baptismo descendentes ad limbum, ex lege destinat, tenetur non remurmurare, nec resistere; non tamen tenetur id positiuè velle. Cuius contrarium dicebat Gregorius in prima opinione præcedente.

¶ Cæterum, vt quid in hac re sit tenendum, clare & ordinatè dicamus, ad propositam difficultatem respondebimus per aliquot propositiones. Prima conclusio: Vbi non constat de diuina voluntate beneplaciti, in aliquo negotio particulari, nullum est peccatum agere contrarium eius, quod Deus vult. Et probatur primo. Nam secundo Regum capitulo septimo. dicitur, quod Dauid voluit ædificare domum Domino, eiusque voluntas maximè laudatur tertio Regum capitulo 8. At voluntas diuina beneplaciti erat in contrarium, vt asseritur locis allegatis, quod Dauid penitus ignorabat. Item Danielis. 10. scribitur, quod angelus regni Persarum volebat detinere captiuū populū Dei, & alius angelus nitebatur in contrarium, voluntasque vtriusque studiosa erat, quamuis ex necessitate altera illarum debebat esse contraria voluntati Dei beneplaciti, quam vterque angelus ignorabat. Omnes etiam tenemur velle & orare, vt omnes fideles salutē consequantur æternam, quoniam ignoramus, qui nam sint prædestinati, & qui reprobi, vt paulo antea dicebam: Et tamen certissimum est de fide, quod Deus aliquibus vult denegare vitam æternam: ergo nostra conclusio est vera.

1. Dictum certum.

1. Dictum certum.

Puctus difficultatis.

Sententia Gregorij.

Sententia communis.

1. Concl.

2. Conclu. Secunda conclusio: Quamuis nobis constet de diuina voluntate beneplaciti in particulari, non tenemur illi conformari, secundum appetitum sensitiuum, nec secundò voluntatem, vt natura est, hoc est, secundum quod naturaliter operatur. Probatur: Quando quis infirmatur euidenter cognoscit esse voluntatem diuinam beneplaciti, quod infirmetur; & tamen non tenetur secundum appetitum sensitiuum complacere sibi in illa infirmitate, eamque appetere, quoniam appetitus sensitiuus naturaliter refugit nocium, & destructiuum suppositi: estque ista inclinatio bona & à Deo: ergo. Eadem etiam ratio fieri potest de voluntate, vt natura, est: cū voluntas, vt natura naturaliter feratur in bonum suppositi, & detestetur eius nocium, & destructiuum. Et hoc modo Christus Dominus, cuius rectissimæ sunt operationes, fugiebat mortem, quamuis certò sciebat esse diuinam voluntatem beneplaciti, vt moreretur.

2. Conclu.

3. Conclu. ¶ Tertia conclusio: Quamuis nobis constet de diuina voluntate beneplaciti in particulari, aut de voluntate signi operatiua, quæ semper est coniuncta voluntati beneplaciti, non semper tenentur homines se illi in volito conformare: hoc est, non semper tenentur velle quidquid Deus vult: Sed voluntate deliberata possunt contrarium velle. Tenentur tamen homines contra hanc voluntatem beneplaciti non remurmurare, illam reprehendendo, aut iniustam iudicando. Prima pars huius conclusionis, quoniam difficillima est, & directe opposita primæ opinioni, magnis, & euidentissimis argumentis confirmanda erit. Probaturque in primis testimonio Augustini, qui hanc nostram sententiam tenet in Enchiridio capitulo 101. vbi dicit, quod homo aliquando bona voluntate potest velle oppositum eius, quod fieri vult Deus: vt cum bonus filius dolet de morte patris. Idem etiam docet super Psal. 100. in illa verba: Non adhæsit mihi corpravum, quæ si militer est sententia Magistri in primo. dist. 48. 1. tim in principio distinctionis. Secundo probatur conclusio exemplis sanctorum Patrū. Dauid enim optimè sciebat esse voluntatē diuinam, vt viueret, & tamē ipse orabat dicēs. Heu mihi quia incolatus meus prolōgatus est. Et D. Paul. ad Phi. c. 1. aiebat: Cupio dissolui, & esse cū Christo. Et tamē certò sciebat esse diuinā voluntatē, vt in carne maneret. Subiungit enim ibi tim: Permanere autem in carne necessariū propter vos. D. etiam Aug. cum diem vltimum ageret, certò sciebat esse diuinam voluntatē, vt ciuitas Hyponensis à Barbaris obsideretur: at verò hoc ipse ægerrimē ferebat. Et quod amplius mouet, Christus Dominus sciebat esse voluntatem diuinam quod ciuitas Hierusalē penitus destrueretur, & ipse videns eam, fleuit super illam. Tertio sic arguētor ex oppositā sententia, sequitur primò quod existens in peccato mortali tenetur velle carere gratia, si quidē Deus vult quod peccator careat gratia. Rursus sequitur, quod si Deus reuelaret alicui suā damnationē, teneretur eā velle, quod est cōtra propriā charitatem. Præterea sequitur, quod si viderem patrē meum mori, & perire in sempiternum, quod teneor illud velle, & de eo gaudere. Et si video ciuitatē incēdio ardere, teneor illud velle. Et si cognosco quod pestis omnia deuastat, teneor id velle. Quia vniuersa hæc mala certum est, ex diuina voluntate prouenire; cum nullum sit malū in ciuitate (loquēdo de malo pœnæ) quod Deus non fecerit, vt scriptura testatur. Item sequitur, quod nullum est opus consilii. Nam si ingredior religionem, iam est voluntas diuina, quod ingrediar, atque ex consequenti teneor ingredi. Ité sequitur, quod tenemur velle omnia quæ sunt in mundo, quæ ferè sunt infinita, pisces natare, aues volare &c. Præterea sequitur, quod quilibet mihi potest imponere præceptum diuinum. Nam si Petrus sedet teneor velle quod sedeat. Et si surgit teneor velle quod surgat. Est autem positum in potestate Petri sedere & surgere. Tandem sequitur, quod idem homo tenetur velle, & nolle idem pro eodem tempore. Nam si me nolente quod pluat, antequam pluat, deinde venat pluuia, adhuc perseuerante me in eadem nolitione, tunc teneor nolle, quod pluat, nam Deus vult me nolle. Et teneor velle, quod pluat, quia Deus vult, quod pluat. Hæc autē omnia sunt absurda: ergo & illud ex quo sequitur. Ad eandē etiam veritatem comprobandam valēt duo argumenta, quæ habet Durandus in primo d. vlt. qu. 1. Quorū primum est: Nullum extat præceptum de conformitate ad diuinam voluntatē in volito, nec Christus iuueni interrogāti: Quid faciēdo vitā æternā possidebo? respōdit: Cōformate diuinæ voluntati; sed, Serua mandata, &, Mandata nosti; Non adulterabis. &c. ergo non tenētur homines se hoc modo diuinæ voluntati conformare. Si quæ autē sunt autoritates diui Augustini, aut aliæ similes dicentes, quod diuinæ voluntati nos cōformare tenemur, loquūtur, & sunt intelligēdæ de voluntate Dei præceptiua, & de con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

formitate in actu volendi ad modum iam explicatum. Secundum argumentum Durandi est: Deo eodem pacto tenemur obedire, quo tenemur obedire prælatis, per quos nos regit & gubernat. Sed licèt ego intelligam esse voluntatem prælati, vt legam, aut prædicem, non teneor obedire, donec accedat præceptum: ergo eodem pacto dicendum est, quòd quamuis ego intelligam voluntatem diuinam, non teneor obedire, donec ipse præcipiat.

1. Argum. contra tertiam conclusionem. ¶ Et si quis contra hoc argumentetur: Qui agit aliquid, aut vult contra voluntatem diuinam, facit contra legem æternam, dicente D. Augusti. libro 22. contra Faustum. capitulo 27. quod lex æterna est ratio, vel Dei voluntas: ergo peccat, atque ex consequenti nulli licet discordare à voluntate Dei beneplaciti. Probo consequentiam: Nam peccatum nihil aliud est, quam dictum, vel factū, vel concupitū contra legem æternam, vt idē

2. Argum. D. Augustinus affirmat. ¶ Secundo: Nolle id, quod iustum, & bonum est, est peccatum; sed quidquid Deus vult, bonum & iustum est; ergo illud nolle est peccatum. Et confirmatur ex Paul. 1. ad Timot. capitulo 2. Vbi postquam præcepit fieri obsecrationes, & orationes pro Regibus, rationem huius sui præcepti volens subiungere, ait; Hoc enim bonum est, & acceptunt coram Deo: ergo quod acceptum, & beneplacitum fuerit coram Deo, amplecti tenemur. ¶ Tertio. Vni-

3. Argum. uersi tenemur velle in communi, quòd diuina voluntas in omnibus, & super omnia adimpleatur; id enim sonant voces illæ: Fiat voluntas tua: ergo & quando nobis constiterit, quòd aliqua est diuina voluntas in particulari, tenemur velle, vt illa adimpleatur: Probo consequentiam: Nam frustra tenerentur homines velle in cōmuni, quod diuina voluntas in omnibus, & super omnia adimpleretur, nisi posteà quando in particulari constat aliquam esse diuinam voluntatem, teneantur in particulari velle,

Vlt. argu. quod illa adimpleatur. ¶ Vltimo: Impium est omnibus modis contra niti, & resistere diuinæ voluntati, sed si pater meus moritur, euidenter cognosco, quod hæc est diuina voluntas: ergo non licet contra niti, & resistere.

Ad 1. arg. ¶ Ad primum argumentum respondeo negando antecedens. Et ad probationem dico, quod lex æterna est diuina voluntas, non vtcumque, sed vt præcipiens. Et de hac voluntate fatendum est, quod qui agit contra eam, agit contra legem æternam. Hæc est explicatio Diu. Augustini loco citato dicentis, Lex æterna est voluntas diuina, ordinem naturalem seruari iubens, perturbari vetans. ¶ Ad secundum respondetur negando maiorem. Imo aliquando licet nolle id quod sanctum est, vt patet in consiliis diuinis. Licet namque nolle esse virginem, & nolle esse religiosum: & tamen certum est, quod esse virginem, aut religiosum optimum est, & iustum. Ad confirmationem ex Paulo respondeo, quod ille locus potest dupliciter intelligi. Vno modo, vt sit sermo de obsecrationibus, quæ sunt in præcepto. Et tunc supposito tali præcepto, ratio Diu. Pauli est, quod est orandum, & obsecrandū pro regibus: quia hoc est bonum, & acceptum de præcepto. Alio modo, vt sit sermo de obsecrationibus, & petitionibus, quæ sunt in consilio. Et tunc ratio Diu. Pauli nō ducit ad obligationem præcepti, sed ad perfectionem virtutis. ¶ Ad tertium argumentum dico primò, non esse mihi satis certum, quòd tenentur homines velle in vniuersali; quod voluntas diuina in omnibus adimpleatur. Quamuis hoc Corduba libro primo quæstionarii quæstione. 51. propositione prima pro indubitato, & comperto habeat. Sed satis erit velle, quod voluntas diuina præcepti ua adimpleatur, sicut in superioribus dictum est, de voluntate diuina in particulari. Vel respondeo secundo, quidquid sit de antecedēti, negando consequentiam. Nā potest cōtingere, quod id, quod Deus vult in ordine ad voluntatem diuinam, & in ordine ad bonum commune, sit bonū; & si referatur ad voluntatem particularem, & ad finē particularem sit malum. Vt est videre in exēplo, quod D. Tho. adducit 1. 2. q. 19. art. 10. ad ostendendū fieri posse, quod duæ volūtates velint oppositō, & vtraque sit bona. Vt cum iudex vult suspendere latronem, & vxor illius latronis non vult. Vtraque voluntas est bona, & diuersis rationibus, quod est bonū respectu vnius, est malū respectu alterius. Iudex enim vult occidere latronē propter bonum cōmune, cuius curam gerit. Vxor autem vult illum viuere propter bonum suæ familiæ. Et idem pōterit contingere inter Deum, & hominē, quantū ad volita materialia in particulari cō siderata. ¶ Ad vltimum respondetur negando, quod filius, qui dolet de morte patris, sit impius, aut stultus, quamuis cognoscat diuinam voluntatem fuisse, quod moriatur. Tum, quia Deus vult illum de morte patris dolere. Tum etiam, quia licet cognoscat voluntatē Dei fuisse, quod moreretur propter rationes vniuersales; propter rationes tamē particulares, & propter pietatē est rationabile, vt doleat, vt modo dicebā de vxore latronis, quæ propter rationes particulares potest rectè

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

Ad vlt. arg.

rectè dolere de morte mariti, non obstante, quod propter rationes cōmunes fuerit cōtēnēs illū suspendere, præterquam quod bonus filius non habet voluntatem effiacem, & absolutam, quod pater non moriatur. Sed tantū habet istam volitionem; Vellem si possibile esset. Cuiusmodi habuit Christus Dominus quādo dixit: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.

¶ Ex dictis omnibus infertur, quod quantum attinet ad voluntatem signi, tantum tenentur homines volendo, aut orando, aut aliquid aliud faciendo, se cōformare diuinæ voluntati præceptiuæ, aut prohibitiuæ. Quātum autem attinet ad voluntatem beneplaciti tenentur se conformare in actu volendi, non autem in modo volendi, aut in volito, nisi forte sit præceptum, quod Deo in volito conformemur. Tenemur tamen non repugnare diuinæ voluntati, nec contra illam murmurare. Quæ fuit secunda pars tertiæ conclusionis. Nam qui murmurat contra Deum impatienter agit, & quodammodo in illum culpam reiicit, quod est impium. Et sic de tali intelligitur illud Iob capitulo 9. Quis restitit ei, & pacem habuit? Et D. Paulus ad Roma 9. O homo, tu quis es, qui sic respondeas Deo! In quo etiam sensu verissime dicūt Theologi, teneri homines in nullo difformari diuinæ voluntati. Et per hæc patet sōlutio ad confirmationem, cuius occasione omnia, quæ ad conformitatem orationis & voluntatis nostræ ad diuinam, pertinent, dicta sunt.

Corolla.

Impugnatur Media.

Dubium. ¶ Est aliud dubium, vtrùm si, Deo reuelante, mihi certo constet, Petrum esse reprobum, possim & debeam orare pro illo. Et pro parte affirmatiua est argumentū: Ille homo absolutè potest saluari: ergo & ego possum sperare illi beatitudinem, atque ex consequenti orare pro illo. Et confirmatur: Si eidem Petro fuisset facta reuelatio de sua damnatione, adhuc teneretur sperare, quamuis esset certus, quod beatitudinem non consequetur: alioqui desperans peccaret nouo peccato: ergo ego similiter teneor sperare illi beatitudinem, in casu posito, atque ex consequenti possum orare pro illo. In contrarium tamen est: Nam talis oratio esset superflua, cum certum sit Petrum beatitudinem non consequuturum. ¶ Ad hanc difficultatem Ioannes de Medina Codi. de oratione. capitulo de iis, pro quibus orandum est, vt respondeat, supponit, dupliciter posse contingere, quod Deus aliquem reprobet, vno modo absolutè, sponte sua, nulla interueniente culpa ex parte reprobi; alio modo ex culpa, & flagitio præuiso. Quo supposito dicit, quod pro eo, de quo constat esse reprobum primo modo, non est orandum: quia tunc, inquit, voluntas Dei est absoluta, cui contraire & inutile, & temerarium est. At verò pro eo, de quo constat esse reprobum secundo modo, est orandum. Quia tunc reprobatio partim pendet ex voluntate hominis reprobi, quam flecti, & in melius mutari posse, nemo est, qui ambigat. Hæc dicit Medina, quem etiā sequitur Corduba libro 1. quæstionarii. quæstione 51. Cæterum hic modus dicendi mihi non placet. Præsupponit enim, non esse in Deo vnam & eandem rationem reprobandi homines, sed illum quosdam reprobare nulla præuisa culpa; alios autē culpa præuisa; quod plane falsum est. Nam cum Deus non habuerit actum voluntatis, quo voluerit absolutè & sine ordine ad peccatum, quosdam homines excludere à gloria vt ex sententia D. Thomæ colligunt Doctores. p. p. quæstione 23. articulo tertio. fieri non potest, vt aliquos reprobauerit, nulla culpa præuisa. Quod & ista ratione probatur, Quæ Deus decreuit, & statuit facere ab æterno, nullo modo possunt melius à nobis perquisitari, quam ex iis rebus, quas videmus in tempore fecisse: nam procul dubio Deus id ab æterno statuit facere, quod in tempore fecit: sed Deus in principio omnibus creatutis rationalibus, quas condidit, dedit gratiam gratum facientem, quæ forma supernaturalis est, ex natura sua ordinans illum, in quo est ad vitam æternam: & sic omnes angelos creauit in gratia, & omnes homines similiter, cum primo homini, in quo reliqui erant, & ex quo alii erant propagandi; gratiam & iustitiam contulerit ea lege, quod si perseueraſſet vsque ad finem, omnes ex illo nati, essent in gratia nasciturī: ergo circa omnes creaturas rationales in communi habuit Deus actum voluntatis, quo quantum ex se erat, voluit illos esse beatos supernaturaliter, atque ex consequenti non fuit in illo actus voluntatis, quo voluit absolutè, & sine ordine ad peccatum quosdam homines reprobare illos à gloria excludendo. Et confirmatur: si in Deo esset talis actus, nec esset actus misericordiæ, neque iustitiæ: quia nullam culpam præsupponit: Nec etiam prouidentiæ: Quia, quamuis prouidentia, quæ versatur circa res defectibiles, permittat aliquando aliquos deficere à fine proposito, tū, quia ad bonum vniuersi, quod Deus principaliter intendit, pertinet, quod rerū naturæ, quæ sunt partes illius non perturbentur;

Sententia Ioannis de Medina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed vnaquæque in suo naturali esse integra, & perfecta maneat; tum etiam quia, quando Deus prouidet creaturis habentibus libertatem arbitrii, qua possint se in quamcumque partem maluerint vertere; non ità prouidet illis, vt necessariò suum finem consequantur. Nam hoc esset perturbare rerum naturas, & ex liberis, & ex consequenti defectibilibus, necessarias & infallibiles efficere. Sed ad diuinam prouidentiam pertinet ità illis prouidere, & media disponere, & ordinare, vt his creaturis nec desit, facultas ad consequendos suos fines, nec inferatur necessitas, sed possint si velint aberrare à fine. Ex quo etiam sequitur, vt de facto nonnullæ aberrauerint, vt docet D. Tho. p. p. quæst. 22. ar. 4. Non tamen pertinet ad prouidentiam positiue & absolute velle quod aliquis non perueniat ad finem. Imò huiusmodi voluntas aduersatur prouidentiæ, quæ quantum est ex parte sua intendit, vt omnia finem propositum assequatur. Et hac de causa omnibus prouidet de mediis ad talis finis consequutionē necessariis: Ergo cū ille actus, quo Deus voluit absolutè, & sine ordine ad peccatum, quosdam homines excludere à gloria, nec sit misericordiæ, neque iustitiæ, neque prouidentiæ, nullo modo est ponendus in Deo.

¶ Quo circa hac Medinæ sententia omissa aliter mihi ad propositā difficultatē respondendum videtur. Notando primo, quod diuina voluntas circa res, quas vult, dupliciter se potest habere. Aliquādo enim ità est iam omnino determinata, vt nunquā retractetur, nec reuocetur. Quod regulariter cōtingit in punitione dānatorū in inferno, vbi nulla est redemptio. Et idem inuenitur nonnū quā in aliquibus punitionibus temporalibus propter crimina quædā, quas sine vlla reuocatione Deus facere decreuit, etiam si pro misericordia oretur, iuxta illud, quod respondit Samuel Sauli petenti, vt pro se Deum oraret. 1. Reg. capitu. 15: Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud próximo tuo meliori te. Porro triumphator Israel non parcet & pœnitudine non flectetur: nec enim homo est, vt agat pœnitentiam. Et Ieremiæ septimo. Tu ergo noli orare pro populo hoc; quia non exaudiam. Vndé Gregorius 23. quæstione quarta capitulo Nabuchodonosor. dicebat: cum superna indignatio lese, vt ità dixerim, medullitus mouet; hanc oppositio humana non remouet, nec se cuiuslibet deprecatio vtiliter obiicit, cum semel Deus aliquid, quasi ab intimis irascendo disponit. Aliquando autem non est omnino

Voluntas diuina circa res quas vult se potest habere dupliciter.

irreuocabiliter determinata diuina voluntas; sed adhuc pendet ex nostra dispositione; ita, vt si nos conuertimur, aut oramus, aut tale aliquid facimus, ipse etiam Deus ad nos conuertetur, dando gratiam, aut alia bonatam spiritualia, quam corporalia, & punitionem amouendo, vel temperando, vt oportet. Si verò nos non conuertimur, aut nos non disponimus nec ipse Deus in sua misericordia ad nos conuertetur; quia sic ipse ab æterno sine vlla sui mutatione & voluit & facere decreuit. Et sic propositum diuinæ dispositionis non mutatur nec fallitur, quamuis sententia aut eius executio mutetur, vt communiter dicunt Doctores in materia de pœnitentia.

Reuelatio duplex.

¶ Secundo est aduertendum, quod diuina reuelatio de malo, quod sibi aut alteri est euenturum, adhuc est duplex. Vna absoluta. Qualis est illa, quæ fertur in res, respectu quarum diuina volūtas ità est determinata, vt ab ipsis nunquam flectatur. Alia conditionata. Qualis est illa, quæ fertur in res pendentes ex nostra dispositione. Alioq; nomine appellatur reuelatio comminatoria. Et est illa, in quā, vel tácite vel expresse subintelligitur aliqua cōditio. Cuiusmodi inueniuntur quam plurimæ reuelationes in sacra scriptura. Vt est videre apud Esa. capitu. 38. Vbi dicitur Ezechiæ: Morieris, & non vives. Et Ionæ. 3. dicitur Niniuitis: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur. Et tamen has reuelationes conditionatas esse rei comprobauit euentus.

Reuelatio de malo facta ei cui est ligenda damnatio.

¶ Tertiò est aduertendum, quòd cū Deus de potentia ordinaria possit reuelare viatoribus, reuelatione conditionata siue commina toria suam, vel aliorum damnationem; quia hæc reuelatio non repugnat legi & ordinationi diuinæ: Et sic forsan est intelligenda illa reuelatio facta à Christo Phariseis Ioan. capitulo 8. Et in peccato vestro moriemini; absoluta autem reuelatione non possit Deus de potentia ordinaria reuelare alicui suam condēnationem; tum, quia hæc reuelatio repugnat legi diuinæ, qua Deus statuit, vt omnes sperent beatitudinem; tum etiam, quia ex illa sequerentur quam plurima inconuenientia contra legem à Deo posita: nam primò ille homo inducetetur in desperationem: secundo fieret negligens in obseruatione mandatorum & cuius iustitiæ: tertio incitaretur ad peccandum, quæ omnia diuinæ ordinationi sunt contraria, semper quod alicui sit reuelacio de sua, vel aliorum condemnatione, etiam si nulla apponatur conditio, tenetur credere talem reuelationem esse conditionalem, & commi

natoriam, vt docet D. Thom. in 3. d. 38. quæstiuncula art. 4. & de veritate q. 23. arti. 8. Altissiodorensis 3. p. tract. 3. cap. 6. dicit fieri non posse etiam de potentia Dei absoluta, quod alicui viatori, manente viatore, fiat absoluta reuelatio à Deo de sua condēnatione. Quam etiam sententiā tenet D. Bonauen. in 1. d. 38. qu. 1: Et ratio horum autorum est, quia talis homo nec posset sperare, nec consequi beatitudinem, quod rationi viatoris repugnat. Sed procul dubio hęc sententia est falsa. Primò: Quia nullam implicat cōtradictionem, quod Deus alicui de sua potentia absoluta talem faciat reuelationem. Secundò: Quia quod Ioannes, verbi gratia, damnetur, est quædam veritas à Deo certo cognita, ergo illam poterit cuicunque voluerit reuelare, de potentia sua absoluta, sicut & reuelauit alias veritates supernaturales. Tertio: Quia non magis repugnat statui viatorum certa & absoluta reuelatio de sua damnatione, quam de æterna salute: sed Deus alicui de facto reuelauit suam prædestinationem, scilicet, beatissimæ virgini Mariæ & sanctissimis Apostolis: ergo etiam poterit reuelare æternam damnationem.

1. Dictum. ¶ His suppositis dico primò, facta reuelatione à Deo de propria, vel alterius damnatione regulariter loquendo, tenemur pro nobis vel pro alijs orare. Probatur: Talis reuelatio regulariter loquendo, est intelligenda fieri conditionaliter, etiam si conditio non exprimatur: sed reuelatio conditionalis, non tollit quominus speremus propriā, vel aliorum salutem: ergo nec quod pro illius consequutione oremus. Mala tēporalia aliquando prædicit Deus enentura absolutè. Et in tali casu non est orandum, vt Deus illa depellat: vt ex testimonijs adductis in primo notabili sufficienter colligitur. Atque etiam ex illo quod dixit Dominus Samueli 1. Reg. ca. 16. Vsq; quo tu lugebis Saulem, cum ego eiecerim eum à facie mea? Loquitur autem ibi Deus de electione quantum ad regnum temporale, & sic vetuit Samuelem ne se oraret pro illo. *2. Dictum.* ¶ Dico secundo, quod si fingamus Deum absoluta reuelatione, Petri damnationem alicui manifestasse, non tenetur nec debet orare pro illo. Quia illa oratio tunc non minus frustra susciperetur, quam si Deus absolutè reuelasset, quoduis aliud malum temporale euenturum, cùm non minus determinata ponatur diuina volūtas respectu vnius quam respecta alterius. Possemus tamen orare ne maiori pœna puniretur.

Argumentum cōtra 2. dictum. ¶ Et si quis contra hoc argumentetur: Petrus in eo casu teneretur pro se orare, & de se bene sperare: ergo & nos similiter possumus bene sperare de illo, & pro eo orare.

Aliquorū solutio. ¶ Nonnulli respondent ad hoc argumētum cum illa distinctione de sensu composito, & de sensu diuiso, dicentes, quod ille, cui facta fuerit absoluta reuelatio de sua damnatione, in sensu diuiso, potest & tenetur sperare non tamen in sensu cōposito, hoc est, stante reuelatione. Sed quoniam nos supponimus iam factam fuisse reuelationem certam, & infallibilem, quæ mutari non potsit, manifestè sequitur, quod huiusmodi loquutio semper facit sensum compositum. Atque ex consequenti ea distinctio huic rei applicata non satisfacit. ¶ Magister Victoria ad hoc argumentum aliter respondebat, dicens, quod homo ille in tali casu simpliciter & absolutè potest & tenetur sperare. Quam suam sententiam probat aliquibus argumētis. Primò sic: Ille homo potest efficere, vt nunquam sibi facta fuerit reuelatio de sua damnatione: ergo potest & tenetur sperare. Consequentia est nota: & antecedens probatur. Bene valet hæc consequentia: Petrus non condemnabitur: ergo non fuit illi absoluta reuelatio facta à Deo de sua condemnatione: sed Petrus potest facere, vt antecedens sit verum: potest enim saluari nec diuina reuelatio tollit ab eo liberum arbitriū, quo possit adimplere diuina mandata: ergo & consequens. Atque ex consequenti poterit efficere, vt sibi non fuerit facta reuelatio de sua damnatione. ¶ Secundo: Si Petrus in casu posito non teneretur sperare, sequeretur, quod nec etiam teneretur seruare alia præcepta, atque ex consequenti quod ea violās non peccaret. Consequens autem est absurdum: ergo. Probo sequelam: Nam si non posset sperare vitam æternam, nec etiam posset velle efficaciter illam consequi, atq; ex consequenti, nec ponere media necessaria ad illius consequutionem, quorum præcipuum est obseruantia mandatorum.

Sententia Victoriæ.

1. Argum.

2. Argumē.

Sententia autoris.

¶ His tamen non obstantibus dico, contrariam sententiam esse longe probabiliorē, scilicet, quod in casu posito, ille homo nec posset, nec teneretur sperare. Probatur: Deest illi obiectum spei: ergo sperare non potest. Probo antecedens, obiectum spei est bonum arduum possibile: sed ille non apprehendit beatitudinem vt possibilem sibi: certò enim iudicat se fore damnandum: ergo non habet obiectum spei. Et confirmatur ex D. Thom. supra quæst. 18. art. 3. dicente, damnatos non posse habere spem, quia non apprehendunt beatitudinem, vt bonum sibi possibile: sed eadem est ratio de eo, cui facta fuerit reuelatio certa de sua damnatione: ergo. Secundo: Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinis: sed ille homo non potest habere certitudinem de sua beatitudine, sed potius de oppositō:ergo nec potest illam sperare,atq; ex consequenti nec tenetur, cum nemo obligetur ad impossibile.¶ Ex hoc infero primò, quod homo ille,cui facta fuerit reuelatio de sua damnatione,secluso odio Dei,& contemptu diuinæ misericordiæ, posset licite habere hunc actum voluntatis,scilicet, nolo beatitudinem, quia Deus non vult mihi dare eam. Plures ex Thomistis negant hoc corollarium. Sed possumus illud probare. Primò: Quia omnis actus voluntatis conformis iudicio vero rationis,est bonus:sed illa nolitio esset actus voluntatis conformis huic iudicio vero rationis,scilicet,ego dānabor: quia Deus id vult:ergo est bonus. Secūdo. Quamuis ego teneor velle proximis meis beatitudinem tamen si mihi reueletur in particulari,quod Petrus,verbi gratia, cōdemnabitur, licet mihi nolle beatitudinem illi, vt faciūt beati respectu illorum,quos sciunt esse præscitos : ergo pari ratione dicendum erit in proposito. Et confirmatur ex D. Augustino lib. 12. de Ciuit. cap. 24. dicente, quod si Ecclesia certò cognosceret,qui nam ex viuentibus sunt præscīti,non magis oraret pro illis,quam pro diabolo:ergo nec vellet illis beatitudinem magis,quam diabolo,atque ex consequenti idem esset licitum facere cuicumque, supposita reuelatione de sua damnatione. Et si quis objiciat,desperatio est intrinsece mala:sed illa nolitio beatitudinis est desperatio : ergo est intrinsece mala, atque ex consequenti nulli est licitum illam habere : respondeo dupliciter posse contingere, quod aliquis nolit sibi beatitudinem. Vno modo: quia contemnit Dei misericordiam, qua hominibus rectè viuentibus beatitudinem,& promisit & paratus est dare. Et hoc modo nolle sibi beatitudinem est intrinsece malum, & oppositum virtuti supernaturali spei. Alio modo, non quia contemnit diuinam misericordiam, sed quia credit Deum esse veracissimū, & scit illum sibi reuelasse, quod est dānandus,& hoc modo nolle beatitudinē sibi,nec opponitur spei virtuti Theologicæ,nec est intrinsece malum : sed potest licite fieri. ¶ Infero secundo, quod ille, cui facta fuerit absoluta reuelatio de sua damnatione, nec tenetur, nec debet orare pro seipso:cum hæc oratio tunc,non minus frustra facta fuisset, quam si Deus absolutè reuelasset quoduis aliud malum temporale euentum, vt diximus in superioribus.

1. Corollarium.

2. Corollarium.

¶ Et ad primū argumentum factū pro opinione Victoriæ, respōdetur primò,quidquid sit de antecedenti negando consequentiam.

Ad 1. arg. Victoriæ.

Et ratio est : Quia licet possit facere Petrus quod nunquam facta fuerit sibi illa reuelatio : tamen certo & euidenter scit, se nunquam id facturum,quia cognoscit euidenter illud esse à Deo sibi reuelatum absolutè. Et cum habeat hoc iudiciū, licet cognoscat se posse facere,tamē de se bene sperare non poterit. Sicut nec ægrotus posset sperare suam sanitatem,etiam si sciret esse positum in sua potestate,vt conualesceret, si tamen certò & euidenter sciret se nunquam vsurum illa potestate. Vel secundo respondetur,negando antecedēs. Et ad probationem dico,quod supposita diuina reuelatione qua reuelauit Petro,se fore damnandum, Petrus non potest facere vt non damnetur, sed infallibiliter damnabitur. Nec ex hoc licet inferre, quod non habeat liberum arbitrium: quia necessitas suppositionis non tollit libertatem arbitrij:sed tantum necessitas simpliciter,vt latè ostendunt Doctores in materia de libero arbitrio. ¶ Ad secundū respondetur concessò antecedenti,negando consequentiam. Nam licet sit verum quod Petrus in tali casu non tenetur ad obseruantiā mandatorum, inquantum sunt media ordinata ad salutem,tenetur tamen illa seruare ad vitandam nouam culpā, & maiorem pœnam.

Ad 2.

¶ Vltimum dubium circa istum articulum est,vtrùm pro illis,qui sunt extra mundum sit nobis licitum orare. In qua re vt certa ab incertis seperemus,dico primò,certum esse,quod pro illis qui sunt in purgatorio est à nobis orandum,vt fides catholica docet. Et probatur manifestè ex illo libri 2. Machab. cap. 12. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, & ex Tobia cap. 4. dicente: Panem & vinum tuum pone super sepulturā iusti. Quod etiam habetur diffinitum in cōcilio Cabilonēsi & refertur de consecrat. d. 1. ca. visum. & confirmatur ex vsu Ecclesiæ. ¶ Dico secundo etiam esse certum de fide, quod fœlicitas beatorum in cęlis,& tormenta damnatorum in inferno sunt futura perpetua,vt ex sacris literis manifestè colligitur. Dicitur enim apud Matth. cap. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Et Prouer. cap. 11. Mortuo homine nulla erit vltra spes. Et Luc. 1. Regni eius non erit finis. Nihil autem aliud est regnum Christi,quam beati, vt constat ex illo Apocalyp. ca. 5. Qui fecit nos Deo nostro regnū. De hac re videndus est D. August. lib. 12. de Ciuit. cap. 20. ¶ Dico tertio etiam esse certum quod absolute, nec pro beatis, nec pro damnatis est à nobis orandum. Nam eum priorum fœlicitas,& posteriorum miseria sit futura perpetua,vt diximus,non est cur pro illis

Vltimum dubium.

1. Dictum.

2. Dictum.

3. Dictum.

illis absolutè oremus, quia frustra susciperetur oratio. Itaque hæc certa sunt. Sed quod habet difficultatem est, vtrum sit licitum petere à Deo,vt beatorum felicitas consummetur. Atque etiam vtrum liceat orare Deum pro aliquo, de quo constat esse damnatum in inferno,vt restituatur ad vitam, & pœnitentiam agens saluetur. Primum probari potest ex eo, quod felicitas beatorum non est consummata ante resurrectionem, & sic videtur licitū esse orare Deum, vt illos faciat consummatè beatos. Et confirmatur: Quod licet desiderare,licet petere:sed licet desiderare,vt beati sint consummatè beati:ergo id etiam licet petere à Deo. Secundum autem probatur. Tum exemplo D. Gregorij,de quo legitur, quod sic orauit pro Traiano. Tum etiā quia beata Agnes, & multi Sancti atq; Apostoli sic similiter orauerunt, multosque infideles ad vitam ab inferis resuscitauerunt vt Ecclesiastica refert historia.

Pũctum difficultatis.

1. Concluſ.

¶ His tamen non obstantibus sit prima conclusio : Quamuis sit licitum desiderare, vt sancti sint consummatè beati, non tamen est licitum regulariter loquendo, id nostris orationibus à Deo postulare. Tum,quia talis oratio esset præsumptuosa,cum beati sint in statu, quo potius ipsi possint nobis suis orationibus auxilium præstare. Tum etiam, quia beati vt sic,nulla re indigent, & si qua opus habent,ipsi per se conuenientius illam suis orationibus poterunt à Deo impetrare. Et per hoc patet solutio ad primum argumentum cum sua confirmatione. Sed est aduertendum, quòd quamuis non sit licitum orare pro sanctis,missæ tamen in illorum nomine celebratæ, atque etiam orationes, & preces,quas ad eos fundimus,prosunt illis ad gloriam accidentalem augendam. Dignum est enim,vt gaudeant sancti,quod sui memoria fiat in sacris,atque etiam,quod ista ratione ab hominibus venerentur. Quod & significare voluit Ecclesia,quando in quadā oratione dicit,vt illis proficiat ad honorem,nobis autem ad salutem,&c.

2. Concluſ.

¶ Secunda conclusio : Non licet orare Deum pro illo, de quo constat esse damnatum in inferno, vt restituatur ad vitam, & pœnitentiam agens saluetur, nisi ex speciali reuelatione,vel motione diuina id fiat. Probatur:Regulariter loquendo non licet petere à Deo,nisi quod non est contra legem positam,vel quod secundum illam ab ipso possumus impetrare, vt ex communi sententia omnium Doctorum probat Soto in 4. dist. 45. q. 2. ar. 2. sed non est tale quod damnatus in inferno existens restituatur ad vitam, vt pœnitentiam agens saluetur: ergo id à Deo postulare non est licitū, nisi ex speciali reuelatione, vel motione id fiat. Et ad argumentum ex historia Traiani respondet Abulensis. 4. Reg. 4. quæst. 57. quod beatus Gregorius peccauit mortaliter petendo Traiani restitutionem ad vitam. Sed melius dicendum videtur: Vel,quod illa historia non est omnino certa quod ego vehementer suspicor. Non enim est verosimile,quod D. Gregorius illā, si vera esset,literis non mandasset in Dialogis,qui multa alia minora scripsit. Vel si admittamus historiam, dicendum erit beatum Gregorium & omnes alios sanctos,qui infideles ad vitam resuscitauerunt,id ex speciali reuelatione,vel motione diuina fecerunt,vt Soto loco citato & Medina. Cod. de oratione. cap. de his pro quibus orandum est,fatentur. Nec tunc illi erant finaliter & irrenocabiliter damnati, sicut sunt alij de lege communi, vbicunque eorum animæ detinerentur. Vltra hæc argumenta posset fieri aliud desumptum ex verbis,quibus Ecclesia vtitur in orationibus,quas pro defunctis ad Deum fundit, quibus etiā pro illis qui in inferno sunt,orare videtur,dicens: Absolue Domine animas omnium fidelium defunctorum, & gratia tua illis succurrente mereantur euadere iudicium vltionis. Et alibi : Domine Iesu Christe libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, & de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum : quæ dicta quæ sunt in purgatorio commode intelligi non possunt,cum certa sit Ecclesia de illis,quod non absorbebuntur à leone,nec casuræ sunt in obscurum lacum, & sic de alijs fidelibus, qui sine gratia decesserunt videntur intelligēda. Sed de explicatione istarum & similium orationum late disputat Ioannes de Medina. Cod. de oratione cap. de ijs pro quibus orandum est.

ARTICVLVS VIII.

¶ Vtrum debeamus pro inimicis orare.

3. dist. 30. ar. 2. co. & virt. qu. 2. ar. 8. cor. fin.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur quod non debeamus pro inimicis orare : quia vt dicitur Roman. 15. Quæcunque scripta sunt,ad nostram doctrinā scripta sunt, Sed in sacra scriptura inducuntur multæ imprecationes contra inimicos. Dicitur enim in Psalm. 6. Erubescant & conturbentur omnes inimici mei, conuertantur & erubescant valde velociter : ergo & nos debemus orare contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

tra inimicos nostros magis quàm pro eis.

2 ¶ Præterea, Vindicare de inimicis, in malum inimicorum cedit: sed sancti vindictam de inimicis petunt, secundum illud Apoc. 6. vsquequo non vindicas sanguinem nostrũ de his qui habitant in terra? Vnde & de vindicta impiorum lætantur, secundum illud Psalm. 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam: ergo non est orandum pro inimicis, sed magis contra eos.

3 ¶ Præterea. Operatio hominis & eius oratio non debent esse contraria. Sed homines quandoque licite impugnant inimicos: alioquin omnia bella essent illicita: quod est contra supra* dicta: ergo nos non debemus orare pro inimicis. Q. 40. ar. 1

¶ Sed Contra est, quod dicitur Matthæi 5. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.

¶ Respondeo dicendum, quòd orare pro alio, charitatis est, sicut dictum* est: vnde eodem modo quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro inimicis orare. Qualiter autem teneamur inimicos diligere, supra* habitum est in tractatu de charitate, vt scilicet in eis diligamus naturam, non culpam. Et quòd diligere inimicos in generali est in præcepto, in speciali autem non est in præcepto, nisi secundum præparationem animi: vt scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum iuuare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret. Sed in speciali absolute inimicos diligere, & eos iuuare, perfectionis est. Et similiter necessitatis est, vt in communibus nostris orationibus, quas pro alijs facimus, inimicos non excludamus. Quòd autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali. Ar. praced. Q. 25. art. 6. 8. & 9.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod imprecationes quæ in sacra Scriptura ponuntur, quadrupliciter possunt intelligi.

¶ Vno modo secundum quod Prophetæ solent in figura imprecantis futura prædicere, vt Augustin.* dicit in lib. De sermone Domini in monte. Secundo, prout quædam tẽporalia mala peccatoribus quandoque à Deo in correctionem mittuntur. Tertio, quia intelliguntur petere non contra ipsos homines, sed contra regnum peccati, vt scilicet correctione hominum peccata destruantur. Quarto conformando voluntatem suam diuinæ iustitiæ circa damnationem perseuerantium in peccato. Li. 1. to. 21. à med. to. 4.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut in eodem libro* Augustin. dicit, Vindicta martyrum est vt cuertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt. Vel sicut dicitur in libro* de quæstionibus veteris & noui testamenti, postulant se vindicari, non voce, sed ratione: sicut sanguis Abel clamauit de terra: lætantur autem de vindicta non propter eam, sed propter diuinam iustitiam. Ead. li. 1. q. 32. circa med. to. 4. Et libro 2. de quæstio. Euang. q. 40. to. 4. Cap. vel q. 63. inquit hic li. Deus contra prosa. Chaldæos.

¶ Ad tertium dicendum, quòd licitum est impugnare inimicos, vt compescantur à peccatis: quod cedit in bonum eorum & aliorum. Et sic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, vt corrigantur, & sic oratio & operatio non erunt contraria. mis 4.

Summa Textvs.

Ad propositam difficultatem respondet D. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: In generali tenentur homines pro inimicis orare, hoc est, non excludere illos ab orationibus communibus. Secunda conclusio: In particulari non tenentur homines pro inimicis orare, nisi in extrema necessitate. Extra illam autem solum est consilium id faciendi. Vtramq; conclusionem probat D. Thom. simul hac ratione: Eo modo tenentur homines pro inimicis orare, quo tenentur illos ex charitate diligere, cum oratio pro alijs facta opus sit charitatis: sed vt constat ex superioribus, solum tenentur homines inimicos diligere in generali, in speciali autem non tenentur illos diligere nisi in extrema necessitate, quamuis sit consilium illud faciendi: ergo nec etiam tenẽtur extra extremam necessitatem in speciali pro illis orare.

Ex-

Explicatio articvli.

Materia huius articuli est valde affinis illi, quam tractat D. Thom. in hac. 2. 2. quæst. 25. artic. 8. & 9. vbi de necessitate inimicos diligendi, atque etiam de signis & effectibus dilectionis illis necessario exhibendis instituit sermonem. Quare ex his, quę eo loco diximus ea, quæ in præsenti dicenda sunt, colligere oportebit. Quod vt commode efficiamus aduertendum est, quod quemadmodum dilectio inimicorum potest triplici ter considerari, vno modo, vt inimici diligantur inquantum sunt inimici, alio modo, vt diligantur secundum naturam: & hoc adhuc dupliciter, scilicet, vel in vniuersali, vel in particulari, & de primo modo dicit D. Thom. quod inimici, vt sic, non sunt diligendi, quia hoc repugnat charitati, & esset diligere malum alterius, de secundo autem modo dicit, quod inimici quatenus homines sunt diligendi ex charitate generali dilectione, quæ cõsistit in hoc, vt quis diligẽs Deum & proximum ab illa dilectione non excludat inimicos: non verò tenemur præcepto charitatis inimicos diligere speciali motu dilectionis, cum nec etiam hoc sit necessarium respectu aliorum hominum, qui non sunt inimici, quamuis de necessitate charitatis sit, secundum præparationem animi, ita diligere inimicum in particulari, vt habeamus animum paratum ad hoc, vt illi in singulari benefaciamus, si necessitas occurrerit: ita etiam de oratione, quæ est quidam effectus dilectionis loquendum est. Ex quo fit, vt pro inimicis quatenus sunt inimici à nobis orandum non sit, quia non minus hoc repugnat charitati, quam illos diligere. Et hoc voluit significare D. Augustinus lib. 21. de Ciuit. cap. 24. quando dixit: Ecclesia non orat pro malis, maximè quos nouit inimicos. Pro inimicis verò secundum naturam ex præcepto orandũ est generali oratione, quæ consistit in eo, quod quis orans pro omnibus nõ excludat inimicos. Particulari autem oratione nõ tenemur orare pro inimicis extra casum necessitatis: sicut nec etiam tenemur orare pro amicis. Quamuis de necessitate charitatis sit, secundum animi præparationem, vt scilicet, homo sit paratus, etiam specialiter inimicũ diligere, & eum iuuare in necessitatis articulo, vel si veniam petierit, Dubium esse potest circa illam particulam, vel si veniam petierit, & ad hominem, & simpliciter. Ad hominem quidem, quia supra quæst. 25. art. 8. & 9. vbi de dilectione inimicorum ex professo disputat, solus necessitatis articulus fuit exceptus, quo in particulari tenentur homines inimicos diligere. Hic autẽ vltra necessitatem excipitur etiam casus, quo inimicus petit veniam. Et sic videtur D. Tho. sibi ipsi aduersari. Simpliciter autem: Quia regula vniuersalis est, quod præcepta affirmatiua, licèt obligent semper, non tamen obligant ad semper, sed solum in necessitatis articulo. Male ergo nunc contra tempus necessitatis condistinguit D. Thom. tempus petitionis veniæ, in quo sit necessarium inimicum in speciali diligere, siquidem dilectio inimicorum præcepto tantum affirmatiuo præcipitur. Et augetur dubium. Nam non apparet, ad quem actum dilectionis in particulari teneatur quis, propter hoc quod ab eo inimicus veniam petat. Nam, si ego diligo inimicum dilectione generali, nec in speciali eum odio habeo: & cum petit veniam nõ teneor illi remittere pœnam, quam de iure debet, vt communiter dicunt Doctores, ad quem nouum actum obligabor ex illius veniæ petitione? Si dicatur, vt vulgò dicitur, quod debeo parcere quo ad offensam, hoc nihil aliud est, quam quod debeo eum non odio habere, nec velle illi malum quod à principio facere tenebar, & nunc solum disputamus de nouo actu positiuo, ad quem tenetur homo, tempore quo inimicus ab illo veniam petit. Si autem dicatur, quod teneor ei loqui mirum est, quod videatur esse melioris conditionis inimicus petens veniã, quam is qui nunquam me offendit, si quidem inimico veniam petenti teneor respondere: illi autem, qui me nunquam offendit quodcunque aliud à me petenti respondere non teneor extra casum necessitatis. Sicut de dilectione ita de oratione loquendum est, respectu inimicorum. Dubium literale.

¶ Caietanus in præsenti, vt ad hanc difficultatem respondeat, dicit, quod cùm offensi homines communiter præsumantur habere malam voluntatem contra suos inimicos, si huic communi præsumptioni in speciali adiungatur, quod inimico veniam petenti offensus non annuat, ex hoc probabilis aut violenta opinio orietur, quod adhuc habet malam voluntatem contra inimicum. Ex quo fiet, vt petenti veniam dabitur occasio recidiuæ inimicitiæ, si quidem locum veniæ nõ inuenit, & alij scãdalizabuntur. Quod vtrũq; est Explicatur literà D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est inconueniens. Quare ipsa petitio veniæ tempus determinat, quo charitas debet necessario exire in actum manifestationis cordis sui erga inimicum, & ex consequenti tũc tempus petitionis veniæ est articulus necessitatis, quo præceptum dilectionis in particulari obligat. Et sic simpliciter nulla est repugnantia inter doctrinam, quam D. Thomas tradit in isto articulo, & illam, quam communiter recipiunt Doctores de obligatione præceptorum affirmatiuorum. Siquidẽ tempus, quo inimicus veniam petit, ponitur articulus necessitatis, quo dilectio inimicorum in particulari obligat, vt diximus. Vtautem etiam ostendamus quod doctrina à D. Thoma tradita in isto articulo non aduersatur illi, quam supra posuerat de dilectione inimicorum, aduertendum est, quod necessitas, in qua præceptum de dilectione inimicorum potest intelligi, quòd obligat, est multiplex. Vna quæ se tenet ex parte indigentiæ personæ, vt pascere fame morientem, & reliqua huiusmodi. Alia, quæ se tenet ex parte occurrentium circunstantiarum, seu conditionum, vt corrigere fratrem, quando habetur probabilis coniectura, quod inde liberabitur à peccato. Et licet omnes huiusmodi necessitates comprehendantur sub articulo necessitatis, quando dicitur, quod præcepta affirmatiua non obligant, nisi tempore necessitatis: vna tamẽ condistinguitur aliquando contra aliam. Et hoc facit D. Thom. in præsenti articulo, quando dicit, quod non est præceptum particulariter inimicos diligendi, nisi, vel in articulo necessitatis, vel quando inimicus veniam petit, condistinguens, scilicet, necessitatem ex parte indigẽtiæ personæ, contra necessitatem ex parte conditionum occurrentium. Cùm tamen supra quæst. 25. arti. 8. & 9. sub articulo necessitatis omnem necessitatis modum comprehenderit. Et per hæc patet solutio ad obiecta. Colligitur ergo ex hoc, quod quando inimicus veniam petit, offensus præcepto charitatis obligatur peculiarem actum dilectionis circa illum habere, qui sit alloqui ipsum, placatumq; animum circa eum ostendere, cum ipsa petitio veniæ tunc necessitatis articulum determinet. Tum, ne petenti veniam detur occasio recidiuæ inimicitiæ. Tum etiam, ne alij scandalizentur, vt paulò antea dicebam. Et quando obijcitur, quod melioris conditionis tunc esset inimicus petens veniam, quam is, qui nunquam me offendit, siquidem inimico petenti veniam teneor respondere, ei autem, qui me nunquam offendit, quodcunq; aliud à me petenti, respondere non teneor, extra casum necessitatis, respondeo, id non prouenire ex meliori conditione inimici veniã petentis; sed quia quando inimicus veniam petit, ratione conditionum occurrentium, consurgit articulus necessitatis, quo præceptum particularis dilectionis obligat. Quod in petitione illius, qui me nunquam offendit, non inuenitur, ad modum iam explicatum.

¶ In solutione ad tertium argumentum dicit D. Tho. licitum esse impugnare inimicos, vt compescãtur à peccatis, quod cedit in bonum eorum, & aliorum. Et sic etiam licet orãdo petere aliqua temporalia mala inimicorum, vt corrigantur. Circa quod est difficultas, quæ nam sint ista mala, quæ licitum est inimicis imprecari, vt corrigantur, & vtrũ tantum ob istam causam, scilicet, vt corrigantur, sit licitum petere à Deo, vt illis prædicta mala conferat. ¶ Ad cuius explicationem dico primò: Quod mala spiritualia, qualia sunt quod gratiæ aut gloriæ aliquã iacturam patiantur, nullo modo est licitum aliquibus hominibus quantumcunq; inimicis, imprecari, aut illa petere à Deo, vt conferantur. Probatur: Nam hoc est cõtra charitatẽ, quę semper huiusmodi bona proximis desiderat, & optat. ¶ Dico 2. quod mala tẽporalia, vt mortẽ, exilium, paupertatem, &c. licitum est inimicis optare, illaq; petere à Deo: non solum, vt cõuertãtur: sed etiam in omnibus illis casibus, in quibus licitum est illis bellũ inferre. Probatur: Quando inimici nos oppugnant, aut res nostras iniuste detinent, licitè possumus illa mala eis inferre: habemus enim tunc bellum iustũ, vt supponimus, in quo omnia illa mala inferre licitum est, vt cõmuniter dicunt Doctores: ergo etiã est licitum tunc illa mala eis optare, petereq; à Deo, vt ipse ea inferat, nulla habita ratione cõuersionis eorum. Probo consequentiã ex regula generali, quę in hac materia est tenẽda, tãquã vera, scilicet, quod possumus licitè petere à Deo, omnia illa, quæ possumus vel facere, vel desiderare. Ex quo infertur, per vnicã illam causam mala temporalia inimicis optandi, quam D. Tho. assignat, scilicet, vt cõuertantur, omnes etiam alias licitas causas impugnandi inimicos intelligere debemus. Non enim solum, vt conuertantur à peccatis, sed etiam propter alias causas est licitum inimicis mala inferre, vt constat ex materia de bello. ¶ Dico tertio: Sub conditione, scilicet, si homo finaliter non est corrigendus, bene possumus petere à Deo mortem peccatoris, siue is sit amicus, siue inimicus. Probatur primò exemplo D. Cyrilli: qui in quadam epistola ad Augustinum, orat Deum vt quendam hæreticum resipiscere nolentẽ è mundo tollat.

Dicta ista sunt ad 3. D. Tho.

1. Dictum.

2. Dictum.

3. Dictum.

Et

Et ratio est manifesta: Ei, qui perseueraturus est in peccato vsque ad diem vltimum vitæ, vtile, & bonum est, vt quam citissimè moriatur, cùm quantò citius obierit, tantò minus peccabit, & tanto minus in inferno torquetur: sed omnia illa, quæ habent rationem boni respectu aliorum, possunt licitè peti à Deo: ergo & quod ille moriatur. ¶ Dico quartò, Homini iusto atque etiam nobis est licitum mortem optare, illamque petere à Deo, si fuerit probabilis timor, quod vita longior allatura est occasionem peccandi. Probatur: Maximum Dei beneficium est, quod iusti eripiantur ab hoc seculo nequã, iuxta illud Sapientiæ 7. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum: sed quodcunque Dei beneficium est semper licitum petere ab illo: ergo & quod iustis hominibus, atque etiam nobis mortem inferat, quando est timor, quod longior vita allatura est occasionem peccandi. Et confirmatur ex Paulo ad Phili. 1. dicente: Cupio dissolui & esse cum Christo. Et ad Roman. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. ¶ Dico vltimò: Non solum propter culpam vitandam, sed etiam vt vitemus alias huius vitę miserias, quę nobis inferunt molestiam, vt infirmitatem, aut grauem aliquam necessitatem, licitum est nobis mortem optare, illamque petere à Deo. Probatur: Melior est mors, quam vita amara, vt dicit Sapiens Ecclesiast. 30. sed è duobus malis minus licitè eligitur: ergo. Et confirmatur: Nam Iob graui illa sua calamitate oppressus dicitur mortem optasse, pro illaque Deum orasse, nec in eo peccauit, vt textus affirmat Iob. cap. 3. Et Helias 3. Reg. capit. 19. huius vitæ atque laborum, quos vt fugeret Iezabelem impiam Reginam perferebat, tædio affectus, petiuit animæ suæ, vt moreretur.

4. Dictum.

Vltimum dictum.

Articvlvs IX.

¶ Vtrum conuenienter septem petitiones orationis dominicæ assignentur.

3. di. 34. q. 1. art. 6. Et opus. 3. c. 4. 254. vsque in fin. & opusc. 7.

Ad Nonvm sic proceditur. Videtur quòd inconuenienter septem petitiones orationis dominicæ assignentur. Vanum enim est petere sanctificari illud quod semper est sanctum. Sed nomen Dei semper est sanctum: secundum illud Lucæ 1. Sanctum nomen eius. Regnum etiam eius est sempiternum, secundum illud Psalm. 144. Regnum tuum Domine, regnum omnium sæculorum. Voluntas etiam Dei semper impletur, secundum illud Isa. 46. Omnis voluntas mea fiet. Vanum ergo est petere quòd nomen Dei sanctificetur, quòd regnum eius adueniat, & quòd voluntas eius fiat.

2 ¶ Præterea, Prius est recedere à malo, quàm consequi bonum. Inconuenienter ergo videntur præordinari petitiones, quæ pertinẽt ad consequendum bonum, petitionibus quæ pertinent ad amotionem mali.

3 ¶ Præterea, Ad hoc aliquid petitur vt donetur: sed præcipuum donum Dei est Spiritus sanctus, & ea quæ nobis per ipsum dantur: ergo videntur inconuenienter poni petitiones: cum non respondeant donis Spiritus sancti.

4 ¶ Præterea, Secundum Lucam in oratione dominica ponuntur solum quinque petitiones, vt patet Luc 11. Superfluum ergo fuit secundum Matth. quòd septem petitiones ponuntur.

5 ¶ Præterea, In vanum videtur caprare beneuolentiam eius qui beneuolentia sua nos præuenit. Sed Deus sua beneuolentia nos præuenit, quia ipse prior dilexit nos, vt dicitur 1. Ioan 4. Superfluè ergo præmittitur petitionibus. Pater noster qui es in cælis, quod videtur ad beneuolentiam captandam pertinere.

¶ Sed In Contrarivm sufficit authoritas Christi orationem instituentis.

¶ Respondeo dicendum, quòd oratio dominica perfectissima est: quia sicut Augustin. * dicit ad Probam: Si rectè & congruẽter oramus, nihil aliud dicere possumus, quàm quòd in ista oratione dominica positum est. Quia enim oratio est quodammodo desiderij nostri interpres apud Deum, illa recte solum orando petimus, quæ recte desiderare valemus. In oratione autem dominica non solum petuntur omnia quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt: vt sic hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informatiua totius nostri affectus. Manifestum est autem,

Epist. 121. cap. 12. in prin. to. 2.

tem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem,quòd primo cadit in desiderio nostro finis: deinde ea quæ sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter: vno quidem modo prout volumus gloriã Dei: alio modo secundum quod volumus frui gloria eius. Quorum primum pertinet ad dilectionẽ Dei: qua Deum in seipso diligimus. Secundum vero pertinet ad dilectionem qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur, Sanctificetur nomen tuum, per quam petimus gloriam Dei. Secunda vero ponitur, Adueniat regnum tuũ: per quam petimus ad gloriam Dei & regni eius peruenire. Ad finem autem prædictum nos ordinat aliquid dupliciter: vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem bonum, quod est vtile in finem. Est autem aliquid vtile in finem beatitudinis dupliciter: vno modo directè & principaliter secundum meritum quo beatitudinem meremur Deo obediendo. Et quantum ad hoc ponitur, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Alio modo instrumentaliter, & quasi coadiuuans nos ad merendum. Et ad hoc pertinet quod dicitur, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: siue hoc intelligatur de pane sacramentali, cuius quotidianus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia sacramenta: siue etiam intelligatur de pane corporali: vt per panem intelligatur omnis sufficientia victus, sicut dicit Augustinus.* ad Probam: Quia & eucharistia est præcipuũ sacramentum, & panis est præcipuus cibus. Vnde & in Euangelio Matthæi scriptum est, supersubstantialem, id est præcipuum, vt Hieronymus* exponit. Per accidens autem ordinamur in beatitudinem per remotionem prohibentis. Tria autem sunt quæ nos à beatitudine prohibent.

Epist.121. cap.11. in me.to.2. Matt.6. Et ad Titum ca.2.to.9.

¶ Primo quidem peccatum, quod directè excludit à regno, secundum illud primæ ad Corinth.6. Neque fornicarij, neque idolis seruientes, &c. regnum Dei possidebunt. Et ad hoc pertinet quod dicitur, Dimitte nobis debita nostra. Secundo tentatio, quæ nos impedit ab obseruantia diuinæ voluntatis. Et ad hoc pertinet quod dicitur, Et ne nos inducas in tentationem: per quod non petimus vt non tentemur, sed vt à tentatione non vincamur: quod est in tentationem induci. Tertio pœnalitas præsens, vt quæ impedit sufficientiam vitæ. Et quantum ad hoc dicitur, Libera nos à malo.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod sicut* Augustin. dicit in lib. de Sermone Domini in monte, cum dicimus, Sanctificetur nomen tuum: non hoc petitur quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum ab hominibus habeatur: quod pertinet ad Dei gloriam in hominibus propagandã. Quod autem dicitur, Adueniat regnum tuũ, non ita dictum est quasi Deus nunc nõ regnet, sed sicut Augustin.* dicit ad Probam: Desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, vt illud nobis veniat, atque in eo regnemus. Quod autem dicitur, Fiat voluntas tua: rectè intelligitur, vt obediatur præceptis tuis, Sicut in cælo & in terra, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Vnde hæ tres petitiones perfectè complebuntur in vita futura. Aliæ vero quatuor pertinent ad necessitatem vitæ præsentis: sicut Augustin.* dicit in Enchiridio.

Liber. 83. cap.quæst. et lib.1.q.4.

Epist.121. ca.11.in me.to.2.

Enchirid. ca.115.prin.

¶ Ad secundum dicendum, quòd cum oratio sit interpres desiderij, ordo petitionum non respondet ordini executionis, sed ordini desiderij siue intentionis: in quo prius est finis quàm ea quæ sunt ad finem, & consequutio boni quàm remotio mali.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Augustin.* in lib. de Sermone Domini in monte, adaptat septem petitiones donis & beatitudinibus, dicens: Si timor Dei est quo beati fiunt pauperes spiritu, petamus vt sanctificetur nomẽ Dei in hominib⁹ timore casto. Si pietas est qua beati fiũt mites, petamus vt veniat regnum eius, vt mitescamus, nec ei resistamus. Si scientia est qua beati sunt qui

Li.2.c.1.to. tomo 4.

lugent, oremus vt fiat voluntas eius, & sic non lugebimus. Si fortitudo est qua beati sunt qui esuriunt, oremus vt panis noster quotidianus detur nobis. Si consilium est quo beati sunt misericordes, debita dimittamus, vt nobis nostra dimittantur. Si intellectus est quo beati sunt mundo corde, oremus ne habeamus duplex cor, temporalia sectando, de quibus tentationes fiunt in nobis. Si sapientia est qua beati sunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, oremus vt liberemur à malo. Ipsa enim liberatio liberos nos faciet filios Dei.

Ca.115. in princ.to.3.

¶ Ad quartum dicendum, quòd sicut Augustin.* dicit in Enchiridio: Lucas in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est. Ostendens enim tertiam petitionem duarum præmissarum esse quodammodo repetitionem, prætermittendo eam magis facit intelligi: quia scilicet ad hoc præcipuè voluntas Dei tendit, vt eius sanctitatem cognoscamus & cum ipso regnemus. Quod etiam Matthæus in vltim. posuit, Libera nos à malo. Lucas non posuit, vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quod non infertur in tentationem.

¶ Ad quintum dicendum, quòd oratio non porrigitur Deo vt ipsum flectamus, sed vt in nobis ipsis fiduciam excitemus postulandi. Quæ quidem præcipuè excitatur in nobis, considerando eius charitatem ad nos, qua bonum nostrum vult. Et ideo dicimus, Pater noster. Et eius excellentiam, qua potest. Et ideo dicimus, Qui es in cælis.

Svmma Textvs.

Svpposito, quod oratio Dominica est omnium præstantissima, vt Diuus Augustinus affirmat, in epistola ad Probam, quæ est. 121. capit. 12. vbi dicit, si rectè & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione Dominica positum est, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem vnica conclusione, quæ talis est: Septem petitiones orationis Dominicę conuenientissimè fuerunt assignatæ. Probatur: Quia oratio est quodammodo desiderij nostri interpres ad Deum, illa solum rectè orando petimus, quæ rectè desiderare valemus: sed in oratione Dominica septem petitiones continentur, non solum ponuntur omnia, quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt, vt sic hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informatiua totius nostri affectus: ergo conuenientissimè in ea septem illæ petitiones assignantur. Consequentia cum maiori est nota, & minorem probat D. Thom. longo facto discursu, per omnes petitiones, vt clare patet in litera.

Explicatio articvli.

Totus iste articulus à D. Thom. consumitur, in ordinandis, & explicandis petitionibus in Dominica oratione contentis. Quod & nos faciemus maiori, qua poterimus, breuitate: ne in re tam graui tractatus iste de oratione manens, & diminutus esse videatur. Quæ autem nos breuitatis gratia prætermittimus, videri poterunt in Gabriele super Can. Nec prætereundus est noster Ægidius Rom. qui non minus in pietate & deuotione excellens, quam in Metaphysicis & Philosophicis mirabilis extitit. Edidit autem tractatum pietate & eruditione refertissimum super orationem Dominicam. In cuius explicatione ab eo exordium sumemus, à quo D. Thom. illud accepit, nempe, à commendatione Dominicę orationis, quam omnium aliarum præstantissimam esse dicit, & meritò multis, & rationabilibus de causis, vt est videre apud Abulensem tomo. 3. in Matth. q. 121. & sequentibus. Vbi vigiti sex rationes colligit, quibus probat hanc orationem cæteris omnibus præstare. Sed illas omnes cum Hugone in Postilla super Matthæum ad tres reducere poterimus, nempe, ad dignitatem autoris, ad breuitatem, & ad fœcunditatem. ¶ Est ergo oratio Dominica dignior alijs. Primò: Ratione autoris, quia ab ipso Christo Deo, qui oratur, edita & edocta fuit: atque ex consequenti omnibus alijs exaudibilior erit. Qui enim fieri potest, vt eius, quem constituit pater mediatorem inter se, & nos peccatores, & in quo sibi bene complacuit, quemque à mortalibus audiri præcepit dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite, orationem non audiat, qui eum tanquam filium vnigenitum diligit, & quem nihil petiturum esse scit, quod eius aduersetur voluntati? Si ergo Christus dicit, sic orabitis: Pater noster,

Oratio dominica præstat alijs ex parte autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ster, qui es in cælis,&c. quomodo quis poterit dubitare orationem illam, quacunque alia esse Patri acceptiorem? Propter quod dicebat Diuus Cyprianus: Quæ potest esse spiritualior oratio, quam quæ à Christo nobis data est, à quo & Spiritus sanctus nobis missus est? Et quæ apud patrem precatio exauditior, quam quæ ab ore filij, qui veritas est, prolata creditur? Et rursus idē: Qui fecit viuere, docuit & orare, vt dum prece & oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facillimum vtique exaudiri credamus. Hanc exaudibilitatem significauit Christus, dum dixit: Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. cùm nihil magis in nomine Christi petere possimus, quam quod per orationem, quam ipse nobis orandam edidit, & personaliter instituit, postulamus. ¶ Secundo præstat oratio Dominica cæteris omnibus in breuitate. Quare Christus illam instituens præmisit, orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. Putāt enim quod in multiloquio suo exaudiātur. Quasi diceret, Vobis orare volentibus, illud quam maximè obseruandum est, vt non fidatis in multiloquio, in inani verborum multiplicatione vim orationis sitam esse putantes, quo modo Gentiles faciunt, qui cunc optimè se orare existimant, cùm verba quam maximè multiplicant. Quasi Deus verba requirat, & vocis iouitu, aut labiorum fatigatione oblectetur. Aut, quasi ad audiendum eum putent esse tardiorem, nec audire, quæ postulantur, nisi multis vocibus inclamata fuerint eius auribus. Aut, quasi ad exaudiendum sit difficilis, nec ab eo possit quidquā obtineri, nisi importunis clamoribus, & multa verborum replicatione, atque inculcatione extorqueatur. Damnat quidē Christus multiloquium infidelium: sed non multas lacrymas non multas obsecrationes in cordis puritate, quas sancti emittunt, & quas Christus Dominus legitur fecisse dum in oratione pernoctauit. Nam verbo tenus sine affectione vacuas aures Dei implere, malum est, quasi in hoc exaudiamur. De hac breuitate in lib. de oratione Dominica dicebat D. Cyprianus: Ipsa est oratio, quam ipsemet Deus incarnatus mortales orare docuit, suoq; magisterio omnem precem nostram in vno sermone breuiauit: Tanquam sit sermo, de quo dixit Esaias: Sermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ. Huius autem breuitatis multæ assignantur causæ à Doctoribus. Primò, vt sic Christus præberet fidelibus fiduciam cito impetrandi, quod brevibus verbis postulandum esse demonstrauit. Quare Glossa super Matthæum in hunc modum dicebat: Christus Dominus inter cætera salutaria monita, quibus consuluit credentibus, formam orandi proponens, orationem composuit breuibus verbis, vt esset fiducia citò annuendi, qui breuibus vult rogari. Secundā ratio est: vt eò facilius posset memoriæ commendari. Tertia vt prudentiis etiam ingeniorum miraretur de profunditate mysteriorum, & multiplicitate sententiarum in tanta verborum paucitate comprehēsorum. De secunda ratione dicebat D. Augustinus: Oratio illa paucis verbis res multiplices cōprehendit, vt sic simplices fidei suæ salutis sufficientiam citò adhiberent. De tertia verò ratione subdit: Et prudentia ingeniorum mysteriorum profunditate obstupesceret. Quarta ratio est, vt quantò breuior, & quanto facilior est oratio: tantò frequentius, & maiori cum attentione ac deuotione repetatur. Animus nostor volubilis est, multitudi neque verborum nonnunquam ita distrahitur, vt ante orationis finem, sola lingua loquente totus effluat. Et ideò, nisi ex speciali causa orationem conueniat extendi, breuibus verbis, & compendiosis Christus in institutione huius breuissimæ orationis, orandum esse monstrauit. Quinto, contexuit Christus breuissimam orationem, vt sic Ethnicorum errorem, qui in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis Deum orandum esse putabant, quasi vel vocibus absens vocandus esset, vel verborum multiplicatione docendus, quod anteà ignorabat, destrueret, & expugnaret. Propter quod dicebat D. Augustinus in epistola ad Probam: Absit in oratione multa loquutio: sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui in orando, est rem necessariam in superfluis agere verbis. Multum autem precari, est Deum, quem precamur diuturna cordis excitatione pulsare. Et plerunque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Non enim est Deus, vt homo, vt verborum posit flecti multitudine, aut persuasibilibus inclinari, vel ad exaudiendum moueri, sicut Gentiles de suis dijs existimabant. Et Diuus Chrysostomus: Quasi dormientem Dominum accusat, qui orationem suam longa contentione prosequitur, vel qui orat, vt Deo, quasi ignoranti suam necessitatem exponat, qualiter Ethnici faciunt. Non docendus est Deus, sed placandus. Non afficiendus, id est, affectus in eo excitandus, quasi sit affectione mutabilis: sed omnium bonorum largitor cognoscendus. Sexto breuem instituit Christus orationem, vt de ignorantia excusationem nullus adultus

Oratio dominica præstat aliis in breuitate.

Breuitatis dominicæ orationis assignatur causa.

adultus prætendere posset: Et quia quod tam breue est, & tam facilitèr scitur non nisi culpabiliter ignoretur. ¶ Tertium, in quo diximus superare orationem Dominicam cæteras orationes, est fœcunditas, sententiaque ponderositas. Quare in libro de oratione Dominica, dicebat D. Cyprianus: Magna sunt orationis Dominicæ sacramenta, quia multa, & magna breuiter sunt in sermone collecta, ità vt nihil prætermissum sit, quod non in precibus & orationibus nostræ cælestis doctrinæ compendio comprehendatur. Et D. Augustinus in epistola ad Probam: Si rectè, & congruenter oramus, nihil aliud petere possumus, quam quod in oratione Dominica positum est. Et paulò inferius: Si omnia sanctarum precum verba discurras, quantum existimo, non inuenies, quod ista oratio Dominica non contineat, & includat. Qui enim dicit: Clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, vt prophetæ tui fideles inueniantur: quid aliud dicit, quam, Sanctificetur nomen tuum? Qui dicit: Ostende nobis faciem tuā, & salui erimus: quid aliud dicit: quam, Adueniat regnum tuum? Qui dicit: Dirige gressus meos in semitis tuis, secundum eloquium tuū, vt non moueantur vestigia mea: quid aliud dicit, quam, Fiat voluntas tua? Qui dicit: Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, quid aliud dicit, quam, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie? Qui dicit: Memento Domine Dauid, &c. & iterum: Si reddidi retribuentibus mihi mala: quid aliud dicit, quam: Dimitte nobis debita nostra? Qui dicit: Aufer à me concupiscentiam ventris, quid aliud dicit, quam, Et ne nos inducas in tentationem? Qui dicit: Eruе me de inimicis meis, quid aliud dicit, quam, Sed libera nos à malo? Et sic si per omnia sanctarum precum verba discurras, nihil inuenies, quod ista oratione Dominica non contineatur. Hæc Augustinus: Ex quibus omnibus colligitur, orationem Dominicam, omnium aliarum multis de causis esse præstantissimam, vt D. Thom. affirmat in initio huius articuli. Quo supposito, ad illius explicationem accedamus oportet.

Oratio Dominica præstat aliis fœcūditate

¶ Diuiditur ergo hæc oratio in tres principales partes, scilicet, exordium, tractatum, & conclusionem. In quarum prima eius, qui petitur captatur benevolentia. In secunda petitiones, quas fundimus, subiungitur series. Ibi: Sanctificetur nomen tuum. Et tandem in tertia earundem petitionum optatur cōfirmatio, cùm concluditur, Amen. Circa primum est aduertendum, semper apud homines positum fuisse in more, eos, qui aliquid impetrare cupiunt, à laudibus ipsius, quem rogaturi sunt, sum exordiri orationem, quatenus eum benevolum & attentum reddant. Et sic dicebat D. Ambrosius in lib. de sacramentis versus finem: Vide orationem tuam, vnde incipere debeas. Dic mihi, si velis hominem rogare, & sic incipias: Da mihi quod peto, nonne arrogans videretur oratio? Propter hoc Sapientes oratores hāc sibi obseruant disciplinam, vt à iudicis laudibus orationem incipiant. Quæ, & sacræ scripturæ est consuetudo. Nam amicus Dei Moises rogaturus Deum, vt populum Israeliticum non desereret, eius laudes suæ petitioni præmisit dicens: Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ misericordiæ, & verax. Et subdit statim: Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine obsecro, vt gradiaris nobiscum. Iudith quoque pro contritione hostium Deum orare volens, ab eius laudibus incipiens, dixit: Deus cælorum, Creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem. Similem etiam orandi formam plurimi prophetarum & patrum obseruauerunt. Et eandem magister ac Redemptor noster Christus pro sua infinita misericordia nos habituros esse docuit, dum orationem instituens laudis exordium præmisit, dicens: Sic autem orabitis: Pater noster, qui es in cælis. Captamus autem hoc exordio Dei benevolentiam: non, vt ipsum flectamus, cùm eius voluntas sit immutabilis: nec, vt eius benevolentiam præueniamus, quoniam ipse prior dilexit nos: Sed vt in nobis ipsis de sua benevolentia certam fiduciam excitemus. In illisque verbis Deus, qui petitur, ex quatuor præcipue commendatur. Primò à dilectionis magnitudine, cùm dicitur, Pater: Secundo à liberali bonitatis suæ diffusione, cùm additur noster. Tertio ab immutabili perpetuitate significata, cùm subiungitur, Qui es. Quarto à sublimitate potentiæ declarata per illam particulam, In cælis. Per primam dictionem huius orationis exordium differt ab exordijs orationum veteris legis. In illis enim communiter exordium accipiebat à Dei dominatione, & maiestate, vt est videre in exemplis positis: At verò in hac oratione initium sumitur à Dei benevolentia, & pietate, cùm dicitur: Pater noster. Et est ratio: Quia habitendo hominum veteris testamenti ad Deum erat seruorum ad Dominum. Illius enim temporis homines magis seruiebant Deo timore, quam amore: quod est proprio seruorū. Vnde lex illa ab Apostolo, lex timoris fuit appellata. Cū

Differimen inter exordia orationis nihil vltra & noui testamenti

In oratione vtēdum exordio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen in nouo testamento habitudo fidelium ad Deum, sit filiorum ad Patrem. Per Christi enim incarnationem tantum Deus humano generi condescendere dignatus est, vt eos per adoptionis gratiam filios suos cõstituerit. Quare dum dicimus, Pater noster, non tam quod pater sit ratione creationis, secundum id, quod dictum est: Nunquid non
Deute.23. ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Sed magis ratione adoptionis, qua nos misericorditer in filio suo renatos, in tãti nominis honoré adoptauit, & potestatem dedit, vt quotquot eum receperunt filij Dei fierent, credentes in nomine eius, & ex Deo
Ioan.1. per gratiã geniti, significare volumus. Serui peccati eramus infelicissimè geniti ex Adã. Sathanæ filij eramus, cuius instinctu ad omne malum solicitabamur. Sed ille, cùm ad-
Ephes. 2. huc inimici essemus, nostri misertus, per vnigenitum filium suum Iesum nos exemit à seruitute peccati: à patre diabolo emancipauit, liberauit à morte perpetua, ab hæreditate ignis æterni in æternam gloriam vindicauit: ac per fidem & baptismum & gratiam suam in consortium nominis, & hereditatis filij sui adoptare dignatus est, & facere heredes quidem Dei, fratres autem & cohæredes Christi. Et ne quid dissideremus de eius erga nos pietate, pignus quoddam suæ in nos charitatis cælitus immisit, spiritum, scilicet, filij
Ad Rom.8. sui clamantem, Abba pater. Dicendo ergo, Pater in primis gratias agimus Deo, quod gratuita adoptione facti sumus filij Dei: profitemurque, nos renunciasse patri diabolo, & omnibus operibus eius, & solum eum, qui in cælis est patrem habere cœpisse. Ad-
Malac.1. monemur maximè honorare Deum. Ipse enim ait: Si ego pater, vbi est honor meus? Accenditur, & inardescit in nobis charitas. Quid enim charius debet esse filijs, quam pater? Quædam etiam impetrandi sancta præsumptio, & humilis, ac iusta confidentia in nascitur cordi. Quid enim non dabit Deus pater filijs petentibus, quibus ipse antea dedit, vt filij essent: & quibus ipse dicebat: Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis pater vester cæ-
Luc. 11. lestis dabit spiritum bonum petentibus se? Et qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Pater ergo nomen amoris est, & pietatis, quod natura ipsa in patre naturali, & in patre spirituali fides astruit. Quia enim naturalis pater non de aliena, sed de propria sua substantia filium generat (propter quod filius aliquid patris esse dicitur) ideircò illũ naturali quodam instinctu diligit, nec potest pater propriam naturam, quam filio communicauit, non amare. Quod sciens sapientissimus Salomon, cum ex nulla exteriori probatione discernere posset, cuius mulieris filius esset infantulus ille, de quo coram ipso litigabatur, ad philosophiam naturalem, quæ rerum naturales instinctus, & conditiones explicat, se conuertens: quasi naturam ipsam subtiliter interrogans, illam veram viui infantis matrem esse cognouit, quæ eius occisionem naturali amore tolerare non posset, vt patet. 3. Reg. cap. 3. Super quem locum dicit Glossa. Salomon tentauit naturam parentis, quæ non potuit seipsam, vt in filio est, dilectione naturali non amare. De quo & Aristot. latè 7. Ethicor. De spirituali autem parente idipsum fides affirmat, docens, gratiam potiorem esse natura. Ex quo factum fuit, vt cum filij Dei spirituales essemus secundum spiritualem regenerationem per Christi mortem, in æternam hæreditatem nos vocauerit, ibique nobis bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, præparauerit. Et quis est, qui nesciat hæc maximæ dilectionis, & pietatis esse indicia, quæ in nomine patentis designantur. Relucet igitur in prima Dominicæ orationis particula, quæ est, Pater, dilectionis & charitatis diuinæ magnitudo.

¶ Secunda particula exordij orationis dominicæ est, noster: qua similiter Dei benenolentiam captamus, per commendationem amplitudinis liberalitatis ipsius, dicendo enim Noster, quod generalitatem, siue vniuersalitatem importat, suæ bonitatis liberalem quandam diffusionem significamus. Magna quippe Dei dignatio fuit, quod ipse creaturas aliquas rationales ad beatitudinem ordinauerit, illarumque pater non tam creatione, quam adoptione extiterit. Sed proculdubio auget non modicum huiusmodi dignationem, quod non solum angelicarum virtutum naturæ perspicuitate fulgentium, neque dumtaxat hominum excellentissimorum, & in vera religiositate eminentium, sed omnium generaliter mortalium, quos imaginis suæ similitudine insigniuit, patrem se constituit, omnes paterno respiciens aspectu, vt non sit homo viuens, qui se abscondat à calore eius, hocque per particulam, noster, significatur. Qua etiam Christus suorum discordias, & inimicitias interimit: superbiam retundit: & humanarum rerum inæqualitatem ad concordiam, & æqualitatem reducit, vt dicit Diuus Chrysostomus. Non enim conuenit, vt fratres ambitione, odio, liuore, contentione inter se dissideant. Quando ergo dicimus, Noster, fraternæ pietatis, charitatis, & humilitatis admonemur, iuxta illud Malachiæ. 2. Nunquid non pater est vnus omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque fratrem suum? Nemo igitur alium spernat. Sed quando in proximo considerat, quæ ad communem naturam attinent, dicat cum Iob capit. 31. Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est: & formauit me in vulua vnus? Si verò ad gratiam respexerit, meminerit, quod ex Deo omnes nati sumus, edoctique dicere: Pater noster.

Explicatur particula, noster, in oratione dominica posita.

¶ Qui es. Hic tertio captatur benenolentia ex commendatione immutabilitatis, & perpetuitatis diuinæ subsistentiæ. Hoc enim complexum, qui es, proprie acceptum, soli Deo est proprium, ipsiusque inuariabilem & immutabilem substantiam, in qua nec præteritio, nec futuritio, sed nunc æternitatis semper stans, sine fluxu in præteritum, & sine transitu in futurum, inuenitur, proprie significat. Quare Christus
Ioan.8. illam de se tanquam de Deo ostendere volens, Iudæis dicentibus: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti, respondit: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Secundum, scilicet, diuinitatem, quæ nec tempori subiacet, nec illo mensuratur. Non dixit, antequam Abraham fieret, ego fui, sed, antequam fieret, ego sum. Nam quamuis ab Abraham vsque tunc tempus fluxerit: diuinitas tamen, quæ immutabilis est, nec fluxit, nec fluet, sed semper inuariata mansit,
D. August. quod est proprium Dei. Quare Diuus Augustinus super Ioannem tractans illud: Nisi credideritis, quia ego sum: moriemini in peccatis vestris cap. 8. in hunc modum dicit. Res quælibet qualicunque excellentia fulgens, si mutabilis est, verè non est. Non est enim verum esse, vbi esse & non esse est possibile. Quidquid enim mutari potest, mutatum, non est quod erat. Et si non est quod erat, mors quædam ibi facta est, quia peremptum est ibi aliquid, quod erat, & non est. Et ponit exemplar: Nigredo enim mortua est in capite albescentis senis, & pulchritudo mortua est in corpore fessi, & curui senis: & mortuæ sunt vires in corpore languentis: mortuaque est statio in corpore ambulantis. Denique de mortuo cum dicitur, Vbi est ille homo? respondetur, fuit. In omnibus igitur actibus, & motibus nostris, & in vniuersa prorsus agitatione creaturæ, duo tempora inuenio, præteritum & futurum. In veritate autem quæ manet, præteritum & futurum non inuenio, sed solum præsens: & hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est. Hæc Augustinus: Ex quibus omnibus colligitur, creaturas quaslibet esse mutabiles, & per consequens non vere esse: solam autem veritatem, quæ Deus est, immutabilitet esse. Et hoc est esse sibi proprium. Hinc que soluit Diuus Augustinus quæstionem, quam eo loco præmiserat, quærens: Quid est quod aiisti, O Domine Deus noster: Nisi credideritis, quia ego sum? Quid enim non est eorum, quæ fecisti? Nunquid non est cælum? Nunquid terra non est? Nunquid ea non sunt, quæ sunt in cælo, & quæ in terra sunt? Nunquid homo ipse, cui loqueris non est? Si omnia sunt, quæ per te facta sunt, quid est quod tibi quoddam proprium tenuisti esse, quod alijs non dedisti, vt solus esses? Aut quomodo audio: Ego sum qui sum, quasi alia non sint? Hanc enim quæstionem soluit per ea, quæ præmissa sunt. Nam quia vere esse, est semper & immutabiliter esse, quod soli Deo conuenit, vnde Moysi ad liberandum populum Israel misso, ac quærenti: Si dixerit mihi populus, quod est nomen eius, qui misit te, quid dicam eis? respondit Dominus: Ego sum qui sum. Et statim sic dices filijs Israel, Qui est misit me ad vos. Solus Deus vere dicere potest. Nisi credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.

Explicatur particula, qui es.

¶ Nonnulli affirmant, Qui est, non esse propriũ nomen Dei. Quam suam sententiã probant primò: Nullibi in Sacris literis Deus eo nomine appellatur: ergo nõ est proprium illius. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Si Deus aliquo loco appellatur, Qui est, maximè illo Exod. 3. Vbi rogatus Deus à Moyse, quo nomine appellaretur dixit, Ego sum, qui sum: & paulo inferius, Dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos: sed in eo loco, vt docent Burgensis, atq; Lira, in codice Hebræo non est verbum præsentis temporis, sed futuri, Ero, & sic Sanctes Pagninus vertit, Ero, qui ero: & postea, Dices filijs Israel, Ero misit me ad vos, cui omnes Hebræi consentiunt: ergo. ¶ Secundo, aptius, & conuenientius est, vt Deus nominet se per verbum futuri temporis, Ero, quam præsentis sum: ergo non solum Hebraica scriptura, sed etiam ratio docet Deum non deberi appellari, Qui est. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Qui dicit se futurum esse, eo ipso docet, & fuisse, & esse: sicq; omnes differentias temporis cõprehendit, & ex consequenti significat perpetuã quandam

Sententia quorũdam de nomine Dei qui est.

1. argum.

2. argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

durationem & perpetuitatem, quam verbum præsentis temporis non importat: ergo illud est magis conueniens. Et confirmatur: Frequens vsus est sacrarum literarum, hac ratione verum Deum à falsis distinguere, quod falsi Dii tandem interibunt, iuxta illud Hieremi. cap. 10. Stultus factus est omnis homo à scientia sua; confusus est artifex omnis in sculptili, quoniam falsum est, quod cõflauit: & non est spiritus in eis. Vana sunt, & opus irrisione dignum, in tempore visitationis interibunt, &c. Verus autem Deus nunquam interibit, iuxta illud Esaiæ. cap. 48. Ego primus, & nouissimus: sed hoc discrimen & differentia veri Dei à falsis Dijs non declaratur per hoc nomen. Qui est: declaratur autem hoc nomine. Qui erit, quod perinde est ac si diceretur, qui solus rebus omnibus deficientibus persistet, iuxta illud Psalm. Ipsi peribunt, tu autem idem ipse es, &c. ergo nomen: Qui est, non est proprium Dei. ¶ Vltimò: Ea de causa interrogauit Moyses Deum Exod. 3. quo nomine appellaretur, vt ipse, & cunctus populus Israeliticus se non illudi à dæmone in illa visione cognosceret: sed accepisse mandatum à Deo: ergo conueniés fuit illud dicere de se, quo maximè distingueretur à falsis Dijs: hoc autem sit per verbum, Ero, & non per verbum, Sum: ergo.

Confirmatio.

Vltimũ argumentum

¶ His tamen non obstantibus dico, hoc nomẽ: Qui est, esse vnũ è proprijssimis Dei. Et probatur primò: Nam vulgata nostra editio, cuius est magna autoritas apud Catholicos, habet: Ego sum, qui sum, cui concordant Septuaginta interpretes. Et D. Hieronymus in epistola ad Marcellam de diuinis nominibus, inter alia ponit hoc nomen, Qui est, sexto loco. Eodemque modo vertit illud Exod. 3. Quare omnes sancti tam Græci quam Latini semper ex illo collegerũt Deum vocari, Qui est. Ita D. Augustin. quæstionibus super Exodum, & D. Damascenus lib. 1. cap. 12. de fide orthodoxa. Secundo principaliter sic argumentor: Sapientiæ ca. 13. appellatur Deus hoc nomine, Qui est. Nam dicitur de impijs: Non poterunt cognoscere eum, qui est. Et Ioan. 8. appellat se Christus eodem nomine: Nisi crediderit is, inquit, quia ego sum: ergo est proprijssimum nomen Dei. Quod & confirmari potest ex cõmuni consensu omnium philosophorum. Plato enim in Timæo sic Deum appellat, Qui est, vel quod est. Mercurius etiam in hymnis, & multi alij.

Nomẽ qui est, est proprium Dei.

¶ Et ad primum argumentum respondeo, negando antecedens: Et ad probationem dico, verum esse, quod illo loco Exodi habetur verbum futuri temporis, Ero, & non præsentis, Sum. Futurum tamẽ ponitur pro præsenti, quod familiare esse sacris literis nemo est, qui ambigat. Et sic futurum illud habet significationem præsentis. Ad quod probandum satis est autoritas Septuaginta interpretum, & D. Hieron. qui in illa lingua doctissimi fuerunt. Præterquam quod ratio eidẽ rei suffragatur: Nam significatio præsentis temporis multò magis quadrat in illo loco, quã futuri. Primò, quia dicendo, Sum qui sum, significatur Deũ esse, cui primò & per se conuenit, quod sit, & ex consequenti quod est summum in entibus. Secundo: Quia, vt Abulensis docet, in quæst. super Exodum, verbo præsentis tẽporis, significatur perpetuitas & æternitas in eo, de quo dicitur, quam verbũ futuri temporis non importat, cum ille, qui à seipso est, nunquam possit desinere esse. Tertio: Quia in verbo, Qui erit, quædam videtur significari successio, atque mutabilitas, quam verbum præsentis temporis excludit. Significat enim, quod Deo totum suũ esse est semper præsens, sibiq; idem, iuxta illud Psal. Tu autem idem ipse es. Et subdit causam, Et, id est, quia anni tui non deficient, hoc est, non fluunt nec festinant à præsenti in futurum. Creaturæ non propriè sunt quod sunt: quia semper sunt in fluxu, singulisq; momẽtis id, quod sunt esse desinunt, iuxta illud 2. Reg. 2. Omnes sicut aqua dilabimur. Vltimo: Nã appellando Deũ, Qui est, ostendimus ipsum esse summè & infinitè perfectum. Significamus enim ipsum habere totum esse in sua latitudine, quod est habere omnem perfectionem. Esse enim est forma omnium perfectionum: imo & omnis perfectio nihil aliud est, quam esse quoddam. Et per hæc patet solutio ad alia argumenta. Ex dictis omnibus infertur, per illam particulam, Qui es, positam in exordio orationis Dominicę commendari Deum ex immutabilitate, & perpetuitate suæ substantiæ, quæ illo nomine tanquam proprio ipsius significatur.

Ad 1. arg.

Ad alia vt patet.

¶ Quarta particula est: In cælis, qua vltimo captatur benevolentia ex manifestatione sublimitatis mansionis diuinæ: vt sic Dei potentiam profiteamur. Dicitur autem, Qui es in cælis, non quod non sit in terris, & vbiq; Cùm scriptum sit Ioann. 1. Cælum & terram ego impleo. Sed quod eius diuinitas, maiestas, & gloria magis resplẽdeat in cælestibus. Qui fatetur se patrem habere in cælis, cuius inexpugnabile regnum iustè vniuersa moderatur, is se totum Dei protectioni committit. Certus sibi nullam posse nocere creaturam, quem tuetur, atque defendit omnipotentia creatoris. His etiam verbis docemur discernere patrem cælestem à terreno, quem in mundo habemus. Terreum enim

Explicatur particula in cælis.

enim peculiarisque pater multis rationibus egens est, & imbecillis, qui si quid aduersi accidat, nec nobis nec sibi succurrere potest. Nec prætereà certum habemus, quandiu maneat is pater, vtpote qui mortis subditur imperio: vnde nec in eum spem nostram collocare possumus, aut debemus. Quare dicebãt illi per Esaiam ca. 63. Abraham nescivit nos: & Israel ignoravit nos. Tu pater noster, & Deus noster. In eandem etiam sententiam dixit Christus: Nolite vobis vocare patrem super terram. At cum Patrem cælestem appellamus, patrem agnoscimus longe meliorem & præstantiorem, omnipotentem, beneficentissimum, immortalem, omnia prouidentem, atq; eo ipso fatemur iustum & æquum esse ipsi fidere, & pro eo cætera contemnere. Insuper his verbis incitamur ad recolendum, vnde simus delapsi, nempe, è cælo, & gratia Dei, quam in Paradiso acceperamus, & quo rursus tãquam ad destinatum locum autore tanto parente reditui sumus. Quare cum quidam à terris mente & spiritu euolasset, insuetum miratus lumen Olympi, & per cælorum pulchritudinem oculos extendens: Hæc, inquit, memini patria est mihi, hinc ortus sum: hic sistam gradum. Multa alia de hac eadem particula dicit Gabriel sit per canon lect. 65. quæ à me breuitatis causa prætermittuntur.

Boetius.

¶ Explicatis iam singulis particulis primæ partis oãtionis Dominicæ, quæ illius exordium continebat, operæpretium erit, vt ad secundam petitionum, quas ad Deum fundimus, feriem, & ordinem contingentem, accedamus. Quam vt similiter explicemus, aduertendum est primò, ex D. Thom. in isto articulo, quod cum hæc oratio perfectissima sit, non solum petenda comprehendit, sed etiam ordinem petendorum instruit. Quem vt declaremus, supponendũ est, quod quia oratio desideriorum nostrorum est interpres, fit, vt talis debeat esse ordo petitionum, qualis est ordo desideriorum. Ordo autem desiderij atque intentionis is est, vt in illo primo cadat finis: deinde ea, quæ sunt ad finem: inter quæ illa debent esse priora, quæ sunt fini propinquiora. Finis autem noster est Deus, in quem affectus noster dupliciter tendere potest. Vno modo propter seipsum, & vt est summum bonum in se. Quod fit quãdo per actum charitatis Deum in seipso diligimus, eiusque gloriam atque perfectionem super omnia volumus. Alio modo propter nos, & inquantum est summum bonum nostrum. Quod contingit, quando ipso frui cupimus per actum spei. Primum pertinet ad affectionem iusti, & secundum ad affectionem commodi. Et vtraque dilectio est bona: quia vtraque est actus virtutis Theologicæ. Sed prima est perfectior, vtpote quæ pertinet ad charitatem, quæ est præstantior virtus quàm spes. Ad primum igitur pertinet, petitio prima, quia dicitur, Sanctificetur nomen tuum, per quam gloriam Dei petimus. Et ad secundum pertinet secunda petitio, Adueniat regnum tuum, qua ad gloriam, in clara Dei visione & beata fruitione consistentem peruenire petimus. Et sic istæ duæ petitiones ordinantur ad finem, scilicet, ad beatitudinem. Prima ad beatitudinem obiectiuã. Secunda ad formalem. Ad finem autem hunc ordinat nos aliquid dupliciter. Vno modo per se. Alio modo per accidens. Per se ordinat nos id bonum, quod est vtile ad finem. Quod adhuc est duplex. Vnum, quod ordinat, & dirigit nos ad finem directè & principaliter. Quale est meritum, quo beatitudinem Deo obediendo meremur. Et quantum ad hoc dicitur, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Aliud, quod instrumentaliter & quasi coadiuuando ad meritum, dirigit nos ad finem. Et ad hoc pertinet quod dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, siue intelligatur de pane verbi Dei, siue de pane sacramentali, siue de pane corporali. Per accidens ordinamur ad beatitudinem per remotionem prohibentis. Sunt autem tria, quæ nos prohibent à beatitudinis consequutione. Primum est peccatum, quod directè prohibet à regno Dei, iuxta illud 1. ad Corinth. 6. Nec fornicarij, nec idolis seruientes regnum Dei possidebunt. Et quantum ad hoc dicitur, Dimitte nobis debita nostra, hoc est, peccata, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Secundum, quod impedit à consequutione finis, est tentatio retrahens ab obedientia diuinæ voluntatis, & inclinans atque inducens ad peccatum. Ideoque petitur: Et ne nos inducas in tentationem. Tertio nos impedit pœnalitas præsens, propter quod subditur: Sed libera nos à malo. Hæc est sufficientia, & ordinatio, quam D. Tho. constituit in hoc articulo, petitionum, quæ in oratione Dominica continentur. Sed poterit planius explicari hoc modo: Omne appetibile, aut est collatio boni, aut remotio mali. Bonum, cuius collatio petitur, est triplex: Bonum cæleste, bonum spirituale, & bonum temporale. Primum est gloria, secundum gratia, tertium natura. Bonum cæleste adhuc est duplex, scilicet, obiectiuale, & formale, vt dictum est. Malum, quod petitur auferri, similiter est triplex, scilicet, præteritum, præsens, & futurum.

Oratio dominica cõprehendit petenda & ordinem petendorum.

Declaratur ordinatio & suffscientia petitionum.

Alia ordinatio petitionum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum. De præterito petitur, vt remittatur, de præsenti vt tollatur, de futuro vt caueatur. Quatuor ergo bonis conferendis correspondent quatuor primæ petitiones suo ordine. Et tribus malis remouendis correspondent tres vltimæ, nec potest esse aliud bonũ, cuius collationẽ desiderare, aut aliud malum, cuius remotionem petere possimus. Et sic constat petitiones in oratione Dominica contentas, esse sufficienter positas, vt pote quæ ad omne appetibile se extendere valent. D. Augustinus in libro de verbis Domini, profundius Dominicæ orationis sacramenta discutiens, septenarium numerum petitionum septem donis, & beatitudinibus connectit. Sed hoc alterius est negotij.

¶ Explicato iam ordine, atque sufficientia petitionum in oratione Dominica contentarum, cõsequens est, vt de singulis seorsum nonnihil dicamus. Est autem prima petitio, Sanctificetur nomen tuum. Quæ dupliciter potest intelligi. Vno modo, vt sanctificatio referatur ad Deum, seu ad diuini nominis sanctificationem, ea ratione, qua sanctificari potest in se. Secundo, vt referatur ad nostram sanctificationem, qua nomen Dei in nobis sanctificati intelligitur. Si referatur ad Deũ, quoniam ipse nullam in se nouam potest recipere sanctitatem, idem erit dicere: Sanctificetur nomen tuum, ad postulare, vt eius sanctitatis extensio, & manifestatio fiat, ipsum, scilicet, sanctum esse prædicando & declarando. Tunc enim Deus à creatura sanctificari dicitur in se, quando eius sanctitas creditur, laudatur, extollitur, prædicatur. Si autem referatur ad nostram sanctificationem, idem erit petere, Sanctificetur nomen tuum, ac orare vt ea nobis sanctitas tribuatur, quę cõueniẽs sit Dei sanctitatem atque bonitatem manifestare, eiusque testimonium reddere.

Prima petitio orationis dominicæ declaratur.

Sanctificatur Deus in se.

D. *Cyrill.* De prima sanctificatione dicebat D. Cyrillus: Penes eos, apud quos nondum peruenit fides, nomen Dei contemnebatur. Sed vbi iubar veritatis super eos illuxit, ipsum fatentur sanctum, sicut & sanctum sanctorum. Et Glossa super Matth. capit. 6. Sanctificetur, inquit, hoc est, ità ab hominibus sanctus habeatur, innotescatq; illis Deus, vt aliquid eo sanctius non reputent. Et D. Hieron. super Esaiam explicans illam particulã, Sanctificetur nomen tuum, eidem expositioni adhærens, in hunc modum dicit: Iubemur à Deo petere, vt det vocem virtutis Euangelizantibus, vt per eorum prædicationem, & doctrinam apud omnes gentes sanctitas Dei innotescat, & vnus verus & æternus Deus eis manifestetur, vt sic toto orbe cõuerso, fiat vnus pastor, & vnum ouile. Cui expositioni similis est ea, quam

D. *Hieron.*

D. Augustinus assignat super illud Ioannis cap. 18. Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Meritò, inquit, quæri posset, quo modo patrem clarificauerit filius, cũ sempiterna claritas patris, nec diminui a fuerit in forma humana, nec augeri potuerit in sua perfectione diuina. Et respondet: In seipsa claritas patris nec augeri, nec minui potest. Sed apud homines proculdubio minor erat, quando in Iudæa tantummodo notus erat, necà solis ortu vsque ad occasũm laudabant nomen Domini. Hoc autem, quia per Euangelium Christi factum est, vt per filium pater innotesceret gẽtibus, profecto Patrem clarificauit, & Filius. Itaq; petere diuini nominis sanctificationem secundum primã expositionem, nihil aliud est, quã orare, vt Dei sanctitas credatur, laudetur, prædicetur, reueretur, honoretur, & diligatur. De secunda sanctificatione dicebat Glossa super Matth. capit. 6. Hic spiritum sapientiæ oramus ne à sanctissatione nominis in aliquo discrepemus: sed patris nomen in filijs, vita & moribus ostendatur. Et rursus: Nomen patris in nobis est, qui filij dicimur, quod petimus sanctificari, non vt ipse sanctior fiat, sed vt in nobis operetur augmentũ suæ sanctificationis. Nam sanctificatio filiorum nomini eius tribuitur. Tunc autem in nobis sanctificatur, vt dicit D. Chrysostomus, quando sciẽtes ipsum sanctum timemus, soliciteque vigilamus, ne fortè in nobis ipsum violemus. Violemus, inquit, nõ in sua natura, sed in nobis, ipsum contemnentes, eique non obedientes per mala opera. Tunc ergo sanctificatur nomẽ Dei in nobis, quando voluntatem nostram suæ rectissimæ & inobliquabili voluntati conformem reddimus, suis parendo præceptis, tanquam summi, & supremi Domini, cumq; exterioribus signis reuerentialibus, vt genuflexionibus, prostrationibus, pectoris tunsionibus, & similibus ipsum reueremur, tanquam vniuersalem & supremum Dominum. Cui sanctificationi opponitur inhonoratio. De qua loquebatur Paulus ad Romanos 2. quando dicebat: Qui alium doces, te ipsum non doces: Qui dicis non mœchandum, mœcharis: Qui abominaris idola, sacrilegium facis: Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. Et Ezechiel cap. 36. Ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, eum dicerentur de eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt. Idcirco dices domui Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam domus Israel, sed propter

D. *Augustin.*

Sanctificatur Deus in nobis.

pter nomen sanctum meum, quod pollutistis in gentibus ad quas intrastis, & sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, in medio earum, vt sciãt gentes, quia ego Dominus, ait Dominus exercituum. Cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis. &c. Itaque petere diuini nominis sanctificationem secundum hanc expositionem, nihil aliud est, quam orare vt sanctificetur Deus in nobis, hoc est, vt nos sancti efficiamur, & in ea sanctitate perseuerantes Deum glorificemus, quæ est vera gloria nostra.

Secunda petitio orationis dominicæ declaratur.

¶ Adueniat regnum tuum. Hæc est secunda petitio orationis dominicæ, à qua, postquam in prima petitione, id, quod ad Dei honorem, & reuerentiam pertinebat, petitum est, ea, quæ ad nostram salutem, & indigentiam spectant, postulare incipimus. Illa autẽ sunt numero tria. Scilicet, bonum cæleste gloriæ, quo in patria beatificamur. Bonum spirituale gratiæ, quo in via ad beatitudinem promerendam prouocamur. Et bonum temporale, ac fortunæ, quo in naturali vita sustentamur. Primum petitur, quando dicimus, Adueniat regnum tuum. Secundum, quando dicimus, Fiat voluntas tua. Et tertium, quando oramus: Panem nostrum quotidianum. &c. In hac ergo secunda petitione summum bonum nostrũ, quod est beatitudo, & regnum cælorum nobis postulamus. Et meritò quidem. Ratio enim ipsa exigere videtur, vt filii adoptionis, post petitionem eorum, quæ ad patris pertinent honorem, tanquam ad hæreditatem Dei asciti, regnum ipsius petant tanquam filii. Scio huiusmodi locum diuersis, quamuis non aduersis, modis, exponi à Doctoribus iuxta multiplex Dei regnũ, de quo fit mentio in sacris literis. Aliquando enim appellatur regnum Dei, vniuersale ipsius dominium. De quo in Psalm. 102. Regnum ipsius omnibus dominabitur. Et primo ad Timoth. 6. Solus potens Rex regum, & Dominus dominantium. Et aliquando dicitur regnum Dei sacra scriptura, iuxta illud Matthæi 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Quem locum sancti expositores in hunc modum interpretantur: Auferetur à vobis carnalibus indiratisque Iudæis spiritualis intelligentia sacræ scripturæ, pro eo quod Christum, qui verum scripturæ sensum reserat, reprobastis. Et hinc est quod vsque in hunc diem excæcati manent inuitentes literæ, quæ occidit, & spiritum, hoc est, verum scripturæ intellectũ abdicientes. Tertiò appellatur regnum Dei Ecclesia militans. De quo quàm plurima habentur euangelicæ parabolæ. Qualis est illa: Simile est regnum cælorum sagenæ missæ

Regnum Dei multa significatin sacris literis.

in mare. Et illud: Colligent de regno suo omnia scandala, hoc est, de Ecclesia ista militanti, secundum expositionem D. Gregorii. Quartò appellatur regnum Dei gratia ipsa. De quo apud Lucam capitulo 17. Regnũ Dei intra vos est, hoc est, gratia, quæ veri regni Dei origo est, atque principium. Quintò appellatur regnum Dei gloria. De quo Lucæ 14. Beatus qui manducabit panem in regno Dei, hoc est, in beatitudine, vt Glossa interpretatur. Sextò appellatur regnum Dei locus beatitudinis. De quo Matthæi 13. Fulgebunt iusti in regno patris eorum, id est, in cælo. Vltimò appellatur regnũ Dei ipsa persona Christi, iuxta illud Lucæ 11. Si in digito Dei eicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei, id est, Christus. Et quamuis de omnibus his regnis petitio intelligi possit, præcipuè tamen de regno gloriæ, quod est beatitudo nostra formalis, venit intelligenda. Quare idem erit dicere, Adueniat regnum tuum, ac orare, vt æterna Dei beatitudo, quæ est clara Dei visio, post huius vitæ fidem intra nos veniat. Ex quo redundabit gloria corporis post resurrectionem. Et sic omnis humanus appetitus satiatus erit. Rationalis quidem in perfectissima possessione obiecti beatifici, sensitiuus autẽ, & naturalis in dotibus corporis. Quã satietatem omnes aliæ creaturæ sine Deo præstare non possunt, iuxta illud D. Augustini libro 1. confessionum, Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perueniat ad te. Et Propheta in Psal. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Huic expositioni quadrat illud D. Cypriani. Regnum petimus adueniat nobis à Deo repromissum, & Christi sanguine acquisitum, vt qui in hoc seculo ei seruimus, post modum cum ipso regnante regnemus. Vel certe illud regnum petimus adueniat, quod præstituto tempore omnibus perfectis, ac Dei filiis, generaliter est repromissum, & ad quod recipiendum à Christo inuitamur, cum dicit: Venite benedicti patris mei. Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Matthæi 25. Petimus autem, Adueniat regnum tuum. Nam quia pondere peccati, & mole corporis peregrinati ad id ascendere non valemus, quod ad nos veniat, vt hinc nos assumat, quo à præsenti, & futura miseria liberemur, erit necesse. Si quando autem præcipimur, vt ad illud perueniamus, intelligendum est, quod quia beatitudo, per Dei regnum significata, est nostri finis vltimus, quamuis non sit nostri finis naturalis, vt pote, qui nec naturali virtute, aut perfectione consequi potest, sed exhibitus finis supernaturalis, quem non nisi

D. *Augus.*

D. *Cypria nus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex Dei beneficio,& gratia speciali obtinere valemus;idcircò,quamuis inquantum est finis supernaturalis, sit opus vt ad nos perueniat ex Dei misericordia;tamen, inquantum est nostet finis vltimus,quem in hac vita per præceptorum Dei obseruantiam,& per bona, virtuosaque opera consequi debemus;ad ipsum venire dicimur, & iubemur.Petimus igitur, vt nobis adueniat ex Dei misericordia regnum, ad quod venire ex nostra natura non possumus; & imus ad ipsum inquantum in hac vita per mandatorum obseruantiam ad ipsum tendimus,quamuis ad illum non perueniamus, nisi in patria. Et hoc ex ipsa tantum diuina bonitate & misericordia,iuxta illud; Non ex operibus iustitiæ,quæ fecimus nos,sed secundum suam misericordiam, saluos nos fecit. Et in Psalm. Gratiam & gloriã dabit Dominus.Petimus etiam,vt adueniat regnum Dei,id est,vt veniat tempus,quo sit terra cælum, vita Deus, tempus æternitas,patria requies,diuitiæ sanctitas,salus immortalitas, pax pulchritudo, honor æqualitas angelorum,Deus omnia in omnibus in illa regione viuorum. Sed væ nobis dicit D.Cyprianus,si cum regnum Dei venire quotidie petierimus, quando euocat nos Deus & accersit de mundo, nõ modo nõ libentissimè amplectimur,sed obnitimur,& reluctamur,& peruicacium more seruorum ad conspectum Domini cum tristitia,& mœrore perducimur, exeuntes hinc necessitatis vinculo,non obsequio ac desiderio voluntatis,& volumus ab eo præmiis honorari cælestibus,ad quem venimus inuiti. Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poscimus,vt acceleret dies regni, si maiora desideria,& vota potiora sunt seruire mundo, & premi multitudine malorum in hac lacrymarum valle,quam regnare cum Christo?

D.Cyprianus.

Tertia petitio orationis Dominicæ declarat ur.

¶ Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Post petitum bonum cælestis gloriæ, quo in patria beatificamur,consequenter tertio loco ponitur petitio boni spiritualis gratiæ,quo in hac vita ad promerendam cælestem beatitudinem præparamur, & consistit in conformitate nostræ voluntatis ad diuinã. Continet autem hæc petitio duas partes principales:in quarum prima, ipsa petitio simpliciter ponitur dicendo, Fiat voluntas tua. In secunda verò subiicitur modus, quo diuinæ voluntatis adimplectionem desiderare, & petere debemus, nempe, Sicut in cælo & in terra. Ad explicationem primæ partis plura adducere oporteret de significatione huius vocis,volũtas diuina,quæ diuersimodè accipitur in scriptura, vt est videre apud Magistrum in primo distinctione 45. Sed de hoc nos diximus latè supra, articulo septimo huius quæstionis, cùm de conformitate, quam homines, tam in orando, quàm volendo vel desiderando, habere debent, ad voluntatem diuinam, instituimus sermonem. Qui nunc in memoriam necessariò reducendus esset, vt cognosceretur, qualis voluntatis Dei actus sit ille, cuius executionem petimus, quando dicimus, Fiat voluntas tua; & cuius voluntatis actui tenentur se homines conformare in suis petitionibus,& obsecrationibus; nisi eo loco id à nobis satis clarè positum esset, abundeque declaratum, quis sit legitimus sensus illorum verborum: Fiat voluntas tua. Quare pro nunc satis sit dicere, quòd hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, stabilitas in fide, confidentia in spe, ardor, alacritas, & dulcedo in charitate, humilitas in conuersatione, misericordia in operibus, in moribus disciplina; cum omnibus pacem tenere, iniuriam facere non nosse, & illam vlcisci putare scelus, atque flagitium; benefacere iis à quibus per nefas oppugnamur, seruire Deo corde magno & animo volenti; & quando de eius nomine ac honore certatum fuerit, exhibere in sermone veritatem, in persequutione constantiam, in cruciatu fiduciam, in morte patientiam ac fortitudinem. Et hoc denique est voluntatem Dei adimplere, quam qui facit manet in æternum.

¶ Modus autem diuinæ voluntatis adimplendæ est; Sicut in cælo & in terra. Quæ particula pluribus rationibus potest exponi secundum diuersas cæli & terræ acceptiones. Accipitur enim aliquando, cælum, pro cælestis patriæ incolis; & aliquando pro superiori portione rationis: & aliquando pro sanctis, & iustis hominibus; & denique pro superioribus mundi sphæris. ¶ Si primo modo accipiatur, sensus illorum verborum est; Fiat voluntas tua, sicut in cælo,& in terra, hoc est, fiat, quod sint homines similes angelis, vt sicut ab illis voluntas Dei impletur in cælo, ità etiam hi, qui sunt in terra,ipsius Dei faciant voluntatem. Huic expositioni consonat Diu. Augustinus super istum locum dicens; Petitur, vt sicut Dei voluntas fit in angelis, qui cæli sunt,qui ipso perfruuntur; nullo errore obnubilante ipsorum sapientiam; nulla miseria impediente eorum beatitudinem; ità etiam fiat in terra, hoc est, in hominibus, qui sunt in terra, & de terra quantum ad corpus facti. Et Diu.Thomas.Petimus,vt sicut cæli ciues cõ formant suam voluntatem diuinæ,ità & homines faciant in habitatione terrestri. Et ly, sicut, tunc non dicit omnimodam similitudinem, sed proportionabilem æqualitatem, quæ conuenit viatoribus, & peregrinis. ¶ Secundo modo accipiendo cælum & terram pro spiritu,& carne,siue pro superiori,& inferiori portione,sensus illorumverborum est,quod petimus obedientiam carnis ad spiritum, hoc est, quod caro spiritui nõ rebellet,sed perfectè obediat. Quia enim secundum spiritum cælum sumus, & secundum carnem terra;ideò oramus, vt sicut in cælo,hoc est, in spiritu, sic & in terra, hoc est,in carne, voluntas Dei adimpleatur, ex carneque & spiritu vnus spiritualis homo tunc resultet, qui simul feratur in Deum. Quo modo & propheta se totum in Deo significat iubilasse,quando affirmat:Cor meũ, & caro mea exultauerunt in Deum verum. Ità exponit hunc locum D. Cyprianus in hunc modum dicens:Cum corpus è terra,& spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus.Fitque & impletur Dei voluntas in cælo, quando illud in nobis expetimur:Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Et oramus vt ea voluntas fiat in terra,de qua scriptumest:Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ;& captiuum me ducentem in legem peccati.Exultet ergo in te, seruiatque tibi cor,ac mens,& caro nostra,fiatque benignissime Domine,voluntas tua, sicut in cælo,& in terra. Seruiunt tibi angeli in cælo; nos seruiamus tibi in terra. Non te illi offendunt in cælo;nõ te nos offendamus in terra. Denique faciunt illi tuam voluntatem; faciamus & nos. ¶ Tertio modo,accipiendo cælum pro sanctis & iustis hominibus, & terram pro peccatoribus, sensus illorum verborum est,quod diuina voluntas executioni mandetur tam in Ecclesia iustorum seu fidelium;secundum legem cæli viuentium, quã in congregatione peccatorum terrena quærentium;pro quorum conuersione & iustificatione ex charitate orare debemus, vt ad Dei fidem, cultum, & agnitionem venientes cæli fiant. Hanc expositionem innuit Diu. Augustinus in sermone de oratione Dominica, dicens. Huius petitionis est alius sensus pius valde; Moriamur orare pro inimicis nostris, qui terra sunt, quasi dicamus: Credant inimici nostri, sicut & nos in te credimus. Terra sunt, ideò nobis aduersantur. Cæli fiant & nobiscum erunt. Hunc etiam intellectum tangit Diu. Cyprianus, vt autor est Diu. Augustinus in libro de dono perseuerantiæ. vbi sic inquit; Vidit, & alium in his verbis sensum beatus Martyr Cyprianus, vt, scilicet,pro infidelibus, qui sunt adhuc in terra, terrenum tantum hominem portantes, orare intelligantur fideles,qui cælesti homine induti, non immeritò cæli nomine intelliguntur. Eundem etiam sensum sequitur Diu. Chrysostomus super Matthæum. ¶ Quarto modo accipiendo cælum pro superioribus mundi sphæris, & terram pro hominibus in terra constitutis, est sensus illorum verborum, quod,sicut illa, quæ sunt in cælo materiali diuinæ parent voluntati, ità etiam, & homines id ipsum ostendant. Illa, quæ in cælestibus sphæris sunt,Dei ordinationem nequaquam transgrediuntur. Sed sol iuxta diuinam dispositionem continue mouetur de oriente in occidens, & aliquando ad Dei nutum, contra suum cursum naturalem, diuino beneplacito obediens facit, stando, scilicet, tempore Iosue, & retrocedendo tempore Ezechiæ.Cæteræ quoque stellæ, sphæræ, & planetæ nunquam à diuino præcepto recedunt. Et ad eundem modum in nobis nihil, quod diuinis mandatis sit contrarium reperiri debet. Sed nunc currendo de virtute in virtutem; nunc stando perseueranter ac fortiter in bono contra omnes Christi inimicos, nunc retrocedendo per conuersionem à vita peruersa, & perditis moribus, fiat voluntas Dei, sicut in cælo & in terra. ¶ Diu. Chrysostomus putat istam particulam, Sicut in cælo, & in terra, tertiæ petitioni adiunctam,subintelligendam etiam esse in duabus præcedentibus petitionibus ità vt orationis Dominicæ contextus hoc modo ordinetur: Pater noster, qui es in cælis; Sanctificetur nomen tuum: sicut in cælo & in terra. Adueniat regnum tuum, sicut in cælo & in terra. Fiat voluntas tua; sicut in cælo & in terra. Sed siue hoc ita sit, siue secus: particulæ huc vsque positæ intelligendæ sunt eo modo, quo à nobis sunt explicatæ. Et sic non est cur diutius in hac re declaranda immoremur.

Cælum & terra pro spiritu & carne.

Cælum pro iustis & terra pro peccatoribus.

D.Cyprian.

Ad Rom.7

D.Augu.

Cælum pro superioribus mundi sphæris.

D.Chrys.

¶ Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Scio huiusmodi verba diuersimodè à Doctoribus explicari iuxta multiplicem significationem, quam illud nomen, panis, potest habere; Nunc de pane materiali; Nunc de Eucharistia,quam quotidie spiritu fatem, manducare debemus. Nunc de verbo Di, quo mentes nutriuntur, & saturantur; Nunc de aliis mysticis significationibus, illud intelligentes. Sed iis omnibus omissis de pane tantum

Quarta petitio orationis Dominicæ declarat ur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum materiali corpus sustentante, cuius nomine ea omnia, quibus humani corporis fragilitas ad sui sanitatē & conseruationem indiget, comprehendimus, vt cibum, potum, vesticum, habitationem, & reliqua huiusmodi, ad literam dicemus. Pro quo est aduertendum, quod quia homo ex duabus substantiis est compositus, corpore, scilicet, & anima, quarum quælibet iuxta naturæ suæ conditionem refectione, defensione, conseruatione, variisque aliis adiutoriis, & sustentamentis indiget, pro quibus Deum iugiter implorare debet, ratio postulat, vt post petitionem eorum, quæ pertinent ad salutem animæ, & continentur orationibus primis iam explicatis, ad petitionem illorum, quibus corpus est reficiendum accedamus. Vtraque enim bona à Deo tanquam à vero patre specialem singulorum curam gerente, sunt speranda. Nec decet virum catholicum, qui Deum patrem appellare didicit, rerum quibus indiget, siue spirituales illæ sint, siue corporales, ab alio quā ab ipso, copiam expetere. Sicut nec decet filium Regis, aut cuiusuis alterius hominis principis, atque diuitis, panē & reliqua ad vitæ sustentationem necessaria ab aliis, quam propriis parentibus mendicare.

¶ Modus autem, quo dicit Christus bona temporalia siue corporis illa sint, siue fortunæ, esse postulanda, his verbis continetur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Soliusque panis mentionem facit, nec docet nos expresse carnē, pisces, aut vinum, quamuis his etiam homines pro competenti, ac salubri sua sustentatione indigeant, postulare; vt ex modo loquendi nobis insinuaret, vt quantum commode possumus paucis simus contenti, communibus, scilicet, & ad victum necessariis, iuxta illud D. Chrysostomi: Christus solum panem petendum docuit, vt habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Estque hoc valde conforme orationi, quam fundebat ad Deū Sapiens Prouer. 30. dicens; Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; sed tātum tribue victui meo necessaria; ne fortè satiatus alliciar ad negandum, & dicam. Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Quæ vero sint necessaria vitæ declarat idem Ecclesia. 39. in hunc modum: initium vitæ hominis aqua, & panis & vestimentum, & domus protegens turpitudinem. Dicit autem, vt petamus panem nostrum, & non meum. Primò, vt nemo sibi temporalia pro sua tantum vtilitate appropriet, sed ea quæ à Deo percipit aliis, pro vt indigentia, & necessitas expostulat, impertiatur. Quare dicebat Diu. Chrysostomus: Omnia, quæ nobis orantibus Dominus dat, siue militantibus: non nobis solùm dat, sed & aliis per nos, vt de eo, quod percipimus à Deo, partem impotentibus faciamus: Sicut enim natura cibum per stomachum assumptum communicat omnibus membris, sic & nos, qui multa membra sumus vnius corporis mystici, debemus petere hunc panem, non solum pro nobis petentibus, sed etiam pro omnibus nobiscum participantibus. Secundo, dicit nostrū, vt nemo pro se solùm, sed etiam pro aliis orare debere intelligat; solicitusque sit, non tantum pro se, sed etiam pro fratribus, & proximis petere necessaria. Quare dicebat Diu. Cyprianus in libro de oratione Dominicæ non longe post principium. Ante omnia pacis Doctor vnitatisque magister sigillatim noluit, & priuatim precem fieri, ne quis cùm precatur, pro se tantum & non pro populo mittat orationem; cum totus populus vnum simus. Deusque pacis, & concordiæ magister, qui docuit vnitatem, sic orare vnum pro omnibus voluit, quo modo ipse in vno omnes portauit.

¶ Addidit præterea, Quotidianum quæ particula ponitur à Diu. Luca capitulo 11. cum tamen Matthæus dixerit, supersubstantialem. Et est ponderandum, quod cum Ecclesia in oratione Dominica in omnibus sequatur verba Matthæi, in hoc mutauit nomen supersubstantiale in quotidianum. Cuius rei hæc assignatur ratio à Doctoribus: Quia, quid sit supersubstantiale pauci intelligunt, quid autem sit, quotidianum, ab omnibus capitur. Et præterea, quia generalius exprimuntur petenda per nomē quotidianum, quam, per nomen supersubstantiale, cùm nomen supersubstantiale propriissimè acceptum solum panem sacramentalē significet, scilicet, Christum, qui vere & propriè super omnes substantias existens, panis noster esse dignatus est, & nomen quotidianum, quemcunque panem quotidie sumendum importet siue corporalis ille sit, siue spiritualis, siue doctrinalis, siue sacramentalis; idcircò Ecclesia in oratione Dominica, quam addiscendam omnibus & dicendam proposuit, non supersubstantialē, sed, quotidianum, legendum iudicauit. Potest autem ly, supersubstantialem, dupliciter explicari. Vno modo, vt sint duæ dictiones. Et hac ratione proprie de Christo intelligitur, qui est super omnes substantias, vt statim dicebam. Alio modo, vt est vna dictio. Et sic tam de Christo, quam de pane materiali explicatur: Vt sit sensus, quod petimus

Quare solus panis petendus.

D. Chryso.

Quare panis noster dicitur.

D. Chryso.

Explicatur particula, quotidianū

mus dari nobis à Deo super panem nostræ sustentationi necessarium, panem sacramentalem, hoc est, quod det nobis Deus vtrumque panem, mentis & corporis. Et secundum istam acceptionem idem est petere panem nostrum quotidianum, & panem super substantialem, vt autor est Diu. Damascenus, qui pro eodem accipit panem supersubstantialem, & panem quotidianum, & Glossa super Matthæum capitulo 6.

Explicatur 5. petitio orationis dominicæ.

¶ Et dimitte nobis debita nostra. Ab hac particula incipiūt petitiones, quibus post collationem bonorum, malorum remotionem postulamus. Sunt autē mala, à quibus liberari petimus triplicia, scilicet, maxima, media, & minima. Maxima mala sunt, mala culpæ: quia separant nos à summo bono, iuxta illud Esaiæ. 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. Mala media sunt peccatorum occasiones, quæ inducunt ac præcipitant in mala culpæ; quales sunt tētationes dæmonis, mundi, vel carnis. Mala minima sunt mala pœnæ, corporis, vel animæ, vt dolor, tristitia, & cætera afflictiua. Et secundum hanc diuisionem ponuntur tres petitiones vltimæ. Quarum prima petimus peccati deletionem, dicentes, Dimitte nobis debita nostra. Secunda occasionis ad culpam inducentis, scilicet, tentationis exclusionem, dum dicimus, & ne nos inducas in tentationem. Tertia à malis pœnæ liberationem, his verbis: Sed libera nos à malo. Circa primum ergo primò ponitur petitionis forma, cum dicitur: Dimitte nobis debita nostra. Et postea subditur modificationis clausula, cùm adiungitur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debita autem, quæ hac oratione nobis dimitti postulamus, non sunt census, aut pecuniæ, vt Diu. Augustinus dicit, sed peccata, quæ in Deum commisimus, quæ debita appellati in sacris literis manifestum est, iuxta illud Matthæi quinto. Amē dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem, hoc est, vsque ad minima peccata, quia nihil impunitum relinquetur. Et Lucæ 13. Putatis, quia ipsi debitores fuerint, præter omnes homines habitantes in Hierusalem? hoc est peccatores. Loquitur enim ibi Christus de illis decem & octo hominibus, quos turris cadens in Siloe oppresserat, quos non solos peccatores, sed in terrorem reliquorum putauit esse dicit. Horum autem debitorum instruimur quotidie à Deo petere remissionem, vt nos non quasi mundos coram diuina maiestate existimemus, & sic de mundicia gloriantes plus peccemus, iuxta illud D. Cypriani. Quam necesse, quam prouidè, & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgentia à Deo petitur, conscientiæ suæ animis recordetur. Et ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur, & docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare, oramus verò, vt omnia nostra peccata generaliter dimittantur, quia omnia, & singula ad introitum regni Dei, quod nobis superaduenire petimus, præstat impedimentum, iuxta illud Pauli primæ ad Corinth. 6. Nolite errare. Neque fures, neque auari, neque fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque ebrioli, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Is autem, à quo venia petitur, pater est cælestis, qui solus habet potestatem peccata dimittendi. Ad illum enim propriè pertinet peccati remissio, qui illo offenditur. Et hic est solus Deus. Quod & Iudæi agnoscentes, cum Christus paralytico dixisset, Dimittuntur tibi peccata tua, dixerūt, Quis est hic, qui peccata dimittit? scientes, id solius Dei esse opus. Dimitte ergo pater benignissime, ad nostram petitionem, & gemitū nostra delicta; & quando te petentibus veniam peccatorum concessurum promisisti per prophetam, dicens. Iniquitas impii non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit. Et beatus Bernardus tractans illud, Hodie mecum eris in paradiso dicit, Non arctatur, non clauditur fine; nullas habet metas diuina clementia. Sit qui innocet, erit qui excusat. Sit qui puniat, non deerit qui indulgeat. Nobis supplicibus ac veniam postulantibus integram ac plenam peccatorum remissionem concede, quo ab illis absoluti te potentissimum Deum, ac summum bonum nostrum amare & super omnia diligere valeamus. Donabuntur autem nobis nostra peccata, si vnusquisque fratri suo ex corde remiserit. Fecit enim Deus nobiscū pactum firmum, & stabile, vt qui vult dicere efficaciter, Dimitte nobis debita nostra, dicat, & ipse veraciter, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quod si hoc posterius, aut non dicit, aut dicit fallaciter, illud certè, quod prius est dixit inaniter. Veniæ igitur fons emanat à pectore supplicantis. Et quidquid, ò homo, effuderis in alterum ad te refluet, & quantum alteri condonaueris tantum tibi indulsisse putato. Sed parum omnino est, quod dixi. Et idcircò ego me reprehendo. Nam, ò Deus meus, & totius misericordiæ fons, O fe-

Exod. 33

D. Bernar.

D. Augu.

D. Chryso.

D. Augu.

D. Augu.

D. Augu.

D. Cypria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

licissime acta mecum commutatio. Remitto fratri parua mala, quæ commisit in me; & tu remittis mihi magna & innumera mala, quæ commisi in te. At nihil magis dignum tua magnificentia, & gloria, quam si me liberes, & educas ab abysso malorum, atque conferas ingentia bona, eo quod ego puluis & cinis, dante te, feci quoddam bonum. Non ergo, ò Christi fideles, & cultores vindictam quæramus. Nam si quæritillam Deus à nobis, vbi remanebimus. Noluit cælestis magister nos peccatorum nostrorum remissionem simpliciter petere, sicut cætera in oratione contenta. Sed quod ei petitioni adiungeremus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nam, quia intentio illius fuit, & diuina prouidentia, eam tradere orandi formam, quæ sufficientissima in se, efficacissima apud Deum, & fructuosissima nobis esset; non solum quid orandum, sed etiam quid coagendum à petente, ne eius oratio inefficax fieret apud Deum, & ex consequenti infructuosa nobis, docere voluit. Quid autē coagendum sit explicatur conditione apposita, scilicet, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, itaque nostra dimissio est conditio, quæ nostram orationem exaudibilē Deo facit, quod, & Salomon significauit Ecclesiasti. 28. quando dixit: Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata

D. Augu. soluentur. Et D. Augustinus in enchiridio. c. 73. Qui roganti peccati sui veniam & petenti ex corde non dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimittenda. Quoniam mentiri veritas non potest, quæ dicit; Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitruum, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est: & tamen mortuos suscitare potens est ille. Hæc Augu.

Explicatur 6. petitio orationis Dominica. ¶ Et ne nos inducas in tentationem. Quoniam vita nostra adeò fragilitati, & mutabilitati subiecta est, vt nunquam in eodem statu permaneat, sed fluctuet semper diuersarū tentationum impulsibus, huc & illuc agitata (sunt enim in hoc mari magno, & spatioso reptilia, quorum non est numerus, & animalia pusilla cum magnis, hoc est, varia & multiplicia tentationum genera, quibus quasi quibusdam funiculis & retibus misera anima quæritur quotidie irretiti) post petitam debitorum remissionem, recto ordine ad patrem potentissimum recurrimus, instanter petentes, vt tentationes diaboli, mundi, vel carnis, quæ ad culpam inducere possunt, à nobis misericordissimè auertat. Ne, scilicet, purgata domo nostra à peccatorum sordibus, rursus tentatione victi in eadem, aut maiora recidiuantes, fiant nouissima nostra peiora prioribus. Vndique nobis parantur insidiæ, vndique tela iaciuntur. Insurgit contra nos caro, trahit mundus, insidiatur diabolus. Suggerit caro voluptatem, mundus vanitatem, diabolus iniquitatem. Caro mollia, mundus inania, diabolus mortifera. Caro infestat per lasciua desideria, mundus per prospera & aduersa, diabolus per turpitudines & vitia. Quocunque nos vertimus, tentationum laqueos ad captandas animas inuenimus. Insidiantur nobis nostri inimici, & vndique nos deiicere festinant. In esu, in potu, in opere, in verbo, in vigilia, in somno, in cogitatu, in delectatione, in diuitiis, in paupertate, in patientia, in rigore, & in omni denique materia nobis occurrente. Quare de miseria hominis dicebat Diu. Bernardus: Inimici animam meam circundederunt, corpus, mūdus, & diabolus. Corpus fugere non possum, nec fugare. Circunferri id necesse est, quoniam alligatum est mihi. Petimere non licet, sustentare cogor, cum illud impingo, hosté aduersum me nutrio. Si enim satis comedo, & illud robustum fuerit, sanitas eius mihi aduersatur. Mundus circuncingit me vndique, ac per quinque sensus corporis mei, quasi per portas, sagittis suis vulnerat me, & mors intrat per fenestras meas. Respicit oculus, & mentis sensum auertit. Audit auris, & intentionem cordis inflectit. Odoratus cogitationem bonam impedit. Os loquitur & fallit. Ardor libidinis patua occasione excitatur, & nisi subito respuatur, statim totum corpus occupat; æstuat, vrit, incendit. Diabolus (quem videre non valeo, & ideò minus cauere possum) ipse tetendit arcum suum, & in eo parauit sagittas suas, vt sagittet me in auro, & argento, & in omnibus iis, quibus abutimur, cum illis male delectamur. Nec solum laqueum posuit, sed & viscum. Viscus est amor possessionis, affectus cognitionis, cupiditas honoris, & voluptas carnis; quibus anima inuiscatur, & irretitur; ne pennis contemplationis per plateas supernæ Sion discurrere valeat. Hæc Diu. Bernardus. Cum ergo non sit pax in vita ista, quæ plena est tentationibus, & adeò plena, vt tentatio meritò possit appellari, sicut illam Iob vocauit, militiam; ratio postulat, vt defectum nostrum, viriumque nostrarum paruitatem cognoscentes, ad cælestem Patrem confugiamus; sicut

D. Bernar.

Miseria hominis declaratur.

sicut & Christus Redemptor noster nos confugere docuit, dicentes; Et ne nos inducas in tentationem. Hoc est: Ne permittas nos succumbere tentationi; sed da, vt semper peccatum caueamus. Non oramus hac petitione, vt non tentemur, nec hoc assecrandū est viatori. Vita enim ista, vt Augustinus affirmat, sine tentatione duci non potest. Nec nobis vtile foret non tentari.

Non petimus vt non tentemur quia tenta tio vtilis.

Nam si oramus, vt non tentemur, vnde nobis erit virtus constantiæ? Si tentationes, & tribulationes non sint, fortitudo, patientia, & cæteræ virtutes, quæ circa difficile versantur, quomodo in nobis generarentur, conseruarentur, & augerentur? Virtutes morales moderatrices sunt passionum tristitiæ, & delectationis secundum rectam rationem. Quare illis sublatis, aut per tentationum non excitatis, quod etiam materia exercitij virtutum auferatur, erit necesse. Et hinc dicebat Diu. Augustinus. Dum huius vitæ infirmitatem gerimus, si tentationes, & passiones omnino nullas habemus non rectè viuimus. Et Apostolus ad Romanos quinto. Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur. Et Iacobi capitulo primo. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio nostræ fidei patientiam operatur. Et Diu. Augustinus super Psalm. 60. per tentationem profectus noster vtique fit. Non enim quisque sibi innotescit, nisi tentatus. Nec potest quisque coronari, nisi vicerit; nec vincere, nisi certauerit. Nec potest certare, nisi inimicos & tentatores habeat. Fructuosum est, dico, si victoria subsequatur. Diu Gregorius libro 23. Moralium, capitulo 27. singulares quasdam vtilitates ex tentationibus prouenientes tangit. Videre ibi.

D. Augu.

D. Greger.

Explicatur vltima petitio orationis Dominicæ.

¶ Sed libera nos à malo. Hæc est vltima petitio orationis Dominicæ, qua liberationem à minimis malis, hoc est, malis pœnæ, secundum superius positam diuisionem postulamus. Nonnulli affirmant istam clausulam, vnam petitionem continere cum præcedenti, vt sit sensus: Ne nos inducas in tentationem, malo, ad quod tentatio inducere nititur, consentiendo, sed magis ab ipso liberando. Cuius suæ opinionis eam assignant rationem, quod hæc verba non ponuntur à Diu. Luca. Quod non fieret, si petitionem distinctam à præcedentibus continerent. Cæterum, meo iudicio, probabilior est sententia, quæ asserit, his verbis contineri petitionem ab aliis distinctam, nempe, illam, qua liberationem à malis pœnæ, siue præsentibus, siue futuris, quatenus ad bonum non promouent, postulamus. Et hæc est mens D. Thomæ in sibi anti ulo. Nam quia nos à primæua nostra origine, vitia hoc, quod in peccatis geniti, & concepti fuimus, nostram vanitatem in sui exordio, in naturalibus vulneratam, & in gratuitis, quibus ornata fuerat, spoliatam, vitiosisque inclinationibus fomitis ad malum pronam, accepimus. Ex quo factum fuit, vt ad æternæ etiā damnationis pœnas fuerimus addicti. Quæ omnia inter mala pœnæ continētur. Nec propter naturæ vulnerationem, fomitisque inclinationem fit in nobis potestas à prædictis malis resistendi, nec industria, aut ars, quibus perdita dona recuperare valeamus, nec denique studium, aut diligentia, quibus vulnera nostra, prauasque inclinationes, aut curare, aut tollere possimus, ne ex peccatorum onere damnaremur, & ex expoliatione gratuitorum donorum succumberemus, & nr tuffocremur ex inflicto vulnere, deprimeremur que ex mala inclinatione, cælestis Magister noster Christus ad me dicinam spiritualem, patrem, scilicet, misericordiarum, & Deum omnipotentem, nos confugere docuit, deuote dicentes; Sed libera nos à malo. Hoc orare docuit, quia non ille, vt cæteri medici, placatur pecuniis, sed oratione deuota, vt docet D. Chrysostomus super illud Matthæi. Ostende te sacerdoti, & offer munus tuum. Oramus igitur Deum Christi instituti documento, vt liberet nos à malo tam præsenti, quam futuro. Tot enim & tanta sunt mala miseriæ in vtroque seculo, vt non immeritò incessanter clamare cogamur; Sed libera nos à malo. Propter quod dicebat Diuus Ambrosius in quodam sermone. Tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium esse putetur, non pœna. Et Diuus Augustinus tractans illud Iacobi capitulo quarto. Quæ est vita vestra? in hunc modum dicit; Dubia quidem est, cæca est, æruminosa est; quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant, aera morbidant, escæ inflant, ieiunia macerant, loci soluunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mæror deprimit, & post hæc omnia mors interimit, & vniuersis gaudiis finem imponit: ita, vt cum esse desierit, nec fuisse putetur. Iob capitulo 14. de præsentis etiam vitæ miseriis loquens sic dicit: Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis;

D. Chryso.

D. Ambr.

D. Augu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

riis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Super quem locum multa dicit Diu. Gregorius ad idem propositum pertinentia. Et Diuus Augustinus sermo 17. de Verbis Euangelii: Non tamen sic orandum est, nos liberari à malo, vt Dominus noster omnes istas tribulationes, & pœnales miserias penitus à nobis auferat. Quia nec id naturæ nostræ conditio patitur: nec status huius seculi exigit: nec nobis proficimm esset & salutare. Sed quod petere debemus est, vt illarum moderationem, & mitigationem faciat, ne, scilicet, ipsis pressi, & nimium fatigati, in maius malum culpæ declinemus. Hoc enim solum malum habent pœnales miseriæ huius seculi, quod in deterius quãdoque præcipitant suos possessores; à quo si ob nostram orationem à patre cælesti fuerimus præseruati, satis à malo, quod pœnæ istæ inferunt, liberabimur, etiam si incessanter nos cruciét, & infestent. Poterit igitur mens deuota circa hanc petitionem sic meditando orare: Eu Pater cælestis benignissime, qui scis nos malis & periculis præsentibus subsistere nõ posse, sed nec futura ex nobis cauere, libera nos à malis omnibus, quæ contra nos in hoc mũdo molitur inimicus. Sic enim erit nobis fiducia, & summa tutela; si tu nos liberaueris, ac implorantibus, & de precãtibus tuã opem præstiteris. Libera nos, inquam, Pater potentissime, ab omni malo intus ex nobis orto, ab ignorantia sciendorum, ab infirmitate agendorum, à pusillanimitate obseruantiæ tuorũ mandatorum, à tarditate bonorum, à pronitate malorum, à rebellione vitium inferiorum, à vana solicitudine temporalium, à radicibus pessimis vitiorũ. Da Domine Pater omnipotens, & misericors spiritum timoris tui, vt eius magisterio confirmati mortiferum superbiæ tumorem salutifera humilitatis cura prementes, pauperes spiritu efficiamur; quatenus in humilitate cordis & omnimodo terrenorum contemptu perseuerãtes, regnum cælorum nostrum esse sine fine gaudeamus. &c.

Qualiter orandum est quod liberemur à malis.

Explicatur particula, amẽ.

¶ Amen. In ista particula, vt diximus, continetur tertia pars principalis orationis Dominicæ, qua petitionum in ea contentarum confirmationem petimus, & optamus, dicentes. Amen. Est autem ea dictio secundum D. Aug. nec Græca, nec Latina, sed Hebraica, sicut & aliæ, quæ in sacris libris interpretatæ nõ sunt. Vt, alleluia. Osanna, Racha. &c. Non quidem, vt ipse Diu. Augu. affirmat in libro secundo, de doctrina Christiana, quia id fieri non potuerit. Sed vt propter sanctioré autoritatem antiquitas venerãda obseruaretur. Et hoc quãtum ad illas duas dictiones, Amẽ, & Alleluia. Nam quantum ad alias duas, scilicet, Racha, & Osanna, dicit translationẽ fieri non potuisse: Sũt enim quædã verba certarũ linguarum, quæ in vsum alterius per interpretationẽ transire non possunt. Quod præcipue interiectionibus accidit, quæ magis animi motum, quam sententiæ conceptæ aliquã particulã significant. Et talia dicũtur esse Racha, & Osana. Est enim Racha interiectio indignãtis, & Osanna lætãtis. Tres autẽ sunt voces quibus felicitatem, & bonum successum Iudæi suis rebus precari solebant, scilicet, Selah, id est, semper, schalõ, id est pax, & amẽ, id est, fiat. Quæ & in sacris literis frequentissimè inueniuntur, præsertim in Psalmis, in quorũ fine aliquando ponitur, amen amen, & aliquando selah, id est, semper, quibus omnium quæ dicuntur successus, ac perfectio optatur. Simili etiam ratione cum imprecatio esset lecta in mulierẽ adulterii infamatam, lex cogebat ipsam respondere, Amen. Num. 5. Et cum recitabantur deuotiones contra transgressores legis Dei, populus respondebat, Amen. Deuteronomii 17. Sed est aduertendũ, quod hæc dictio, Amẽ, tripliciter accipitur in scriptura. Vno modo nominaliter. Et sic tantum valet, sicut verax, vel veritas. Qua ratione accipitur in Apocal. capitu. tertio. cum dicitur: Hæc dicit, Amen, testis fidelis, & verus. Amen, id est, verax. Quod est vnum è propriis nominibus Christi. Alio modo accipitur verbaliter, & valet tunc tantũ, sicut, fiat. Qua ratione sumitur communiter in fine orationum, quibus orantis desiderium exprimitur. Est enim verbum optatiuum, ex quo sit, vt solum dicatur respectu rerum subsequentiũ. Tertio modo accipitur aduerbialiter. Cuius acceptionis vsus est frequens in Euangelio, vt constat ex illo, Amen amen, dico vobis, quod multoties Christus repetit in suis concionibus. Nonnulli affirmant, quod quando ea dictio in Euangelio ponitur geminata, in primo loco accipitur nominaliter, & in secundo aduerbialiter. Vt sit sensus; Ego veritas dico hoc, vel illud, sub affirmatione. Quando enim aduerbialiter sumitur est aduerbiũ affirmandi, vt docet D. Ambrosius, & refertur de consd. 2. cap. reuera in fine. Sed quãuis hæc expositio mihi non displiceat, placet tamen magis affirmare, quod vtrobique accipitur aduerbialiter, & geminatur dictio solũ vt augeat asseuerationẽ, sicut & omnes aliæ dictiones geminatæ solent augere significationem. Et hæc dicta sufficiant de explicatione orationis Dominicæ, cuius interpretationem eo libentius assumpsimus, quo à D. Thom. in hoc articulo, magis ex professo declaratur.

Tres voces quibus felicitatem & bonum successum precabantur.

Diuisio triplicem attingens.

A R-

ARTICVLVS. X.

¶ Vtrum orare sit proprium rationalis creaturæ?

4.d. 15.q. 4.art. 6.q. 1.& 3.

AD DECIMVM sic proceditur. Videtur, quòd orare non sit proprium rationalis creaturæ. Eiusdem enim videtur esse petere & accipere: sed accipere conuenit etiam personis increatis, scilicet, Filio & Spiritui sancto: ergo etiam eis conuenit orare. Nam & Filius dicit Ioan. 14. Ego rogabo patrem meum. Et de Spiritu sancto dicit Apostolus. Spiritus postulat pro nobis.

2 ¶ Præterea, Angeli sunt suprà rationales creaturas, cum sint intellectuales substãtiæ. Sed ad Angelos pertinet orare: vnde in Psalm. 96. dicitur, Adorate eum omnes Angeli eius: ergo orare non est propriũ rationalis creaturæ.

3 ¶ Præterea, Eiusdem est orare cuius est inuocare Deum, quod præcipuè fit orando. Sed brutis animalibus conuenit inuocare Deum, secundum illud Psalm. 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum: ergo orare non est proprium rationalis creaturæ.

Ar. 1. huius quæst.

¶ SED CONTRA, Orare est actus rationis, vt suprà * habitum est. Sed rationalis creatura à ratione dicitur: ergo orare est proprium rationalis creaturæ.

Art. 1. huius quæst.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex suprà * dictis patet, oratio est actus rationis, per quem aliquis superiorem deprecatur: sicut imperium est actus rationis quo inferior ad aliquid ordinatur. Illi enim propriè competit orare, cui conuenit rationem habere, & superiorem quem deprecari possit. Diuinis autem personis nihil est superius. Bruta autem animalia non habent rationem. Vnde neque diuinis personis neque brutis animalibus conuenit orare, sed proprium est rationalis creaturæ.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod diuinis personis conuenit accipere per naturam. Orare autem est accipientis per gratiam. Dicitur autem filius rogare, vel orare secundum naturam assumptam, scilicet humanam, nõ secundum diuinam. Spiritus autem sanctus dicitur postulare, quia postulãtes nos facit.

¶ Ad secundum dicendum, quòd intellectus & ratio non sunt in nobis diuersæ potentiæ, vt in primo * habitum est. Differunt autem secundum perfectum & imperfectũ. Et ideo quandoq; intellectuales creaturæ, quæ sunt Angeli, distinguuntur à rationalibus: quandoque autem sub rationalibus cõprehenduntur. Et hoc modo dicitur orario esse propriũ rationalis creaturę.

1.p. q. 79. art. 8.

¶ Ad tertium dicendum, quòd pulli coruorum dicuntur inuocare Deum propter naturale desiderium, quo omnia suo modo desiderant consequi bonitatem diuinam. Sic etiã bruta animalia dicuntur Deo obedire, propter naturalem instinctum quo à Deo mouẽtur.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua. Probatur: Oratio est actus rationis, quo aliquis superiorem deprecatur, sicut imperiũ est actus rationis, quo inferior ad aliquid ordinatur: ergo illi soli conuenit propriè orare, cui competit rationem, & superiorẽ habere. Sed personæ diuinæ non habent superiorem, quem possint deprecari, nec bruta rationem: ergo soli creaturæ rationali conuenit orare. Et sub creatura rationali cõprehẽdũtur etiã Angeli, vt cõstat ex solu. ad 2.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVoniam quærit D. Th. in isto artic. an sit proprium rationalis creaturæ orare, & proprium secũdum Porphirium in. c. de proprio, vere est illud, quod conuenit omni, soli, & semper, quamuis sit certum, soli creaturæ rationali posse conuenire orationem, vt ratio posita clarè conuincit, non tamen est satis certum, vtrum, id omni rationali creaturæ conueniat. Quod dico propter peccatores & damnatos, quibus oratio magis repugnare, quam conuenire videtur. Et quidem, quòd peccatoribus non conueniat orare, probatur primò ex illo Eccles. c. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Et Psal. 49. Peccatori autẽ dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamẽtũ meũ per os tuum? Et Ioan. c. 9. Scimus, quia Deus peccatores non exaudit. Et Esai. cap. 1. Cũ multiplicaueritis orationẽ, nõ exaudiã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et datur pro causa; Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Et D. Ambros. in Psal. 118. dicit, peccato ingraueſcit oratio, & longè fit à Deo. Tantò autè plus grauatur, quãtò improbior est vita postulantis. Quod autem nec etiam conueniat orare damnatis cõuincitur. Tum ex diffinitione orationis assignata à D. Damasceno, qua dicitur orationem esse ascensum mentis in Deum. Cõstat enim, quòd damnati huiusmodi ascensum facere non possunt, cũ habeãt voluntatẽ omnino auersam à Deo. Tũ etiã quia propriũ orationis est animum orantis subijcere Deo; & damnati, quorũ superbia ascendit semper, mentem Deo subiectam, nec habent, nec possunt habere.

Sententia Ioannis de Medina.

¶ Ad hanc difficultatem Ioannes de Medina. C. de oratione. cap. de his, quibus conuenit orare, vt respõdeat distinguit duo peccatorum genera. Vnũ eorum, qui sunt obstinati, & cum proposito perſistendi in peccato. Et de his dicit, quòd non competit illis oratio, nec sunt digni, qui à Deo exaudiãtur. Imò tales non solum non exaudiuntur, sed de nouo Deum offendunt, quem orantes deludunt. Alij peccatores sunt, qui sua peccata recognoſcentes pœnitent, & ad Deũ humiliter confugiunt, veniam postulantes. Et tales sine dubio à Deo audiuntur, & in eius gratiam admittuntur, illisque conuenit orare. Hæc Medina. Cæterũm in hac sua sentẽtia duplici dicto contenta, errat in tribus.

Impugnatur Medi.

Primò in eo, quòd nõ rectè distinguit genera peccatorum. Nam præter illa duo, est tertium genus eorum, qui nec obstinati sunt, nec resipiscunt, sed habent in animo resipiscere in posterum. Aut licet non verè resipiscant, putant tamen se verè resipuisse, quorum est maxima pars in mundo. Secundò errat in eo, quòd dicit, obstinatos peccare cum orant; quod est apertè falsum. Nam talium oratio non est mala ex fine, vt supponimus, nec ex aliqua circunstantia. Et hoc, quòd est orantem esse in peccato, non est sufficiens causa, vt oratio reddatur mala. Quod probatur ex eo, quòd si oratio alioquin bona redderetur mala, solum ex eo quòd orans est in peccato; pari ratione sequeretur, quòd omnia opera moraliter bona cum efficiuntur à peccatore sunt peccata. Cuius contrarium est diffinitum contra Lutherum in Concilio Tridentino. Tandem errat Medina in eo, quòd dicit obstinatorum orationes non esse illis vtiles; cùm certum sit peccatores ex operibus moraliter bonis in peccato factis, licet non proficiãt ad gratiam nec ad gloriam, proficere tamen ad hoc, vt vitent maiora peccata, & bona aliqua temporalia consequantur.

¶ Quocirca hac Mediuæ sententia omissa, vt propositæ difficultati satisfaciamus, sit prima conclusio: Oratio quæ sit actus religionis: illa, scilicet, in qua animus subijcitur Deo, nullo modo competit damnatis, aut obstinatis. Hanc conclusionem probãt sufficienter argumenta in principio facta. *1. Concl.*

¶ Secunda conclusio: Orare, hoc est, rogando aliquid petere, tam obstinatis, quam dãnatis potest competere. Probatur: Matth. 8. Dæmones rogabant Christum; Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos, quod & à Christo obtinuerunt. Et Satan petiit à Deo, vt permitteretur tẽtare Iob, quod & obtinuit: ergo. *2. Concl.*

¶ Tertia conclusio: Cum Deus concedit aliquid damnatis, vel obstinatis, id maioſi ex parte facit, non propter illorum vtilitatem, sed vel in malum ipsorum, vt contigit Iudæis obstinatè Regem petentibus. 1. Reg. cap. 8. quibus & Dominus in ipsorum malum Regem concesit, à quo durè, & seruiliter erant tractandi, aut propter aliquem alium bonum finem à Deo intentũ: vt, scilicet, Christi potestas ostenderetur, sicut accidit quando dæmonibus cõcesit, vt in porcos intrarent: aut, vt aliorum bonitas, & perfectio innotesceret, sicut innotuit patiẽtia, & virtus Iob ob tentationem dæmoni à Deo permissam. In bonum autem ipsius obstinati Deum rogantis, seu aliquid ab eo petentis, nunquam legitur obstinatum à Deo fuisse exauditum. *3. Concl.*

¶ Quarta conclusio: Reliquis peccatoribus non obstinatis, non solũ petere, verùm etiam orationem, quæ sit verus actus religionis emittere conuenit. Hęc conclusio sequitur ex præcedentibus. Et probatur præterea: Quia illi peccatores, qui sua peccata recognoſcentes, pœnitent, & humiliter ad Deum confugiunt, veniam postulantes, sine dubio à Deo exauditur, & in eius gratiam admittuntur, prout in sua lege sæpissimè promisit, exemploque monstrauit. Imo non solum tales à Deo audiuntur, sed ex lege & iustitia legis auditi debent, vt docet Diuus Augustinus ad Roman. 5. dicens; Si Deus confugientes ad se non reciperet, esset in eo iniquitas, aut iniustitia. Alij autem peccatores, qui nec obstinati sunt, nec resipiscunt, sed vel habent in animo resipiscere in posterum, vel licet non verè resipiscant, putant tamen, se verè resipuisse, possunt efficere omnia, quæ necessaria sunt ad hoc, vt eorum oratio sit verus actus religionis. Ex dictis omnibus infertur, quòd si oratio accipiatur, solũm veniam portat petitionem vtcunque, sic orare, aut orare posse, conuenit omni, soli, & semper creaturæ *4. Concl.*

creaturæ rationali, cum tam homines, quã Angeli, siue beati sint, siue damnati, hoc modo possint orare, vt diximus in secunda cõclusione. Si autem oratio accipiatur, prout dicit actum religionis, sic nec damnati, nec homines obstinati, quandiu tales fuerint, possunt verè orare. Et per hæc patet responsio ad difficultatem propositam.

Articvlvs. XI.

¶ Vtrùm sancti qui sunt in patria, orent pro nobis?

4. d. 15. q. 4. art. 6. q. 2. & d. 45. q. 3. ar. 3.

Ad vndecimvm sic procedi tur. Videtur, quòd sancti qui sunt in patria non orent pro nobis. Actus enim alicuius magis est meritorius sibi quàm alijs. Sed sancti qui sunt in patria non merentur sibi, nec pro se orant: quia iam sunt in termino constituti: ergo etiam neque pro nobis orant.

2 ¶ Præterea, Sancti perfectè suam voluntatem Deo conformant, vt non velint nisi quod Deus vult. Sed illud quod vult, semper impletur: ergo frustra sancti pro nobis orarent.

3 ¶ Præterea, Sicut sancti qui sunt in patria, sunt superiores nobis, ita & illi qui sunt in purgatorio, quia iam peccare non possunt. Sed illi qui sunt in purgatorio non orant pro nobis, sed magis nos pro eis: ergo nec sancti qui sunt in patria pro nobis orant.

4 ¶ Præterea, Si sancti qui sunt in patria, pro nobis orarent, superiorum sanctorum esset efficacior oratio. Non ergo deberet implorari suffragiũ orationum sanctorum inferiorum, sed solum superiorum.

5 ¶ Præterea, Anima Petri non est Petrus. Si ergo animæ sanctorum pro nobis orarent quandiu sunt à corpore separatæ, nõ deberemus interpellare sanctum Petrum ad orandum pro nobis, sed animam eius: cuius contrariũ Ecclesia facit. Non ergo sancti ad minus ante resurrectionem, pro nobis orant.

¶ Sed Contra est, quod dicitur. 2 Machab. vltimo. Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias propheta Dei.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut Hieronymus * dicit: Vigilantij error fuit, quòd dum viuimus, mutuo pro nobis orare possumus. Postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio sit exaudienda oratio: præsertim cum Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes impetrare nequeant. Sed hoc est omnino falsum: quia cum oratio pro alijs facta ex charitate prouenit, vt dictum * est, quanto sancti qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuuari possunt: & quãto sunt Deo coniunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces. Habet enim hoc diuinus ordo, vt ex superiorum excellentia in inferiora resundantur, sicut ex claritate solis in aerem. Vnde & de Christo dicitur Heb. 7. Accedens per semetipsum ad Deum ad interpellãdum pro nobis. Et propter hoc Hierony. * contra Vigilantium dicit: Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse soliciti, pro alijs orant, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos.

Hier. cont. Vig. Circa finẽ primi folij à prin. epist. quæ incipit: Multæ in orbe, to. 3. Ar. 7. & 8.

Loco citato in prin. corũ istius art.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd sanctis qui sunt in patria, eũ sunt beati, nihil deest, nisi gloria corporis pro qua orant. Orant autem pro nobis quibus deest beatitudinis vltima perfectio. Et eorum orationes habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorũ meritis, & ex diuina acceptione.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sancti impetrant illud quod Deus vult fieri per orationes eorum. Et hoc petũt quod æstimant eorum orationibus implendum secundum Dei voluntatem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad pœnas quas patiuntur. Et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis vt oretur pro eis.

¶ Ad quartum dicendũ, quòd Deus vult inferiora per omnia superiora iuuari: & ideò oportet nõ solũ superiores

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed etiã inferiores sanctos implorare. Alioquin esset solius Dei misericordia imploranda. Contingit tamen quandoque quòd imploratio inferioris sancti efficacior est: vel quia deuotius imploratur, vel quia Deus vult eius sanctitatem declarare.

¶ Ad quintum dicendum, quòd quia sancti viuentes meruerunt, vt pro nobis orarent: ideò inuocamus eos no minibus quibus hic vocabantur, quibus etiam nobis magis innotescunt. Et iterum propter fidem resurrectionis in sinuandam, sicut legitur Exod. 3. Ego sum Deus Abraham.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, ex D. Hieronymo, errore Vigilantij asserentis, quòd mutuò pro nobis dum viuimus, orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius pro altero exauditur oratio; respondet D. Tho. ad propositam difficultatẽ hac cõclusione: Sancti in patria existentes orant pro nobis. Probatur primò, testimonio Pauli ad Hebr. 7. dicentis de Christo: Accedens per semetipsum ad Deum ad interpellandum pro nobis. Et D. Hieronymus contra Vigilantium dicit, Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse soliciti; pro alijs orant, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Et ratione sic argumentor. Oratio pro alijs facta, ex charitate illius, qui orat, prouenit, vt dictum est supra artic. 7. & 8. ergo quantò aliquis magis fuerit in charitate, tantò magis illi cõuenit orare. Sed sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis: ergo magis orant pro viatoribus, qui possunt orationibus iuuari, & quia sunt Deo coniunctiores eorum orationes erunt efficaciores. Hic enim est ordo diuinæ prouidentiæ, vt ex superioribus excellentia in inferiora refundatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

MAteria huius articuli iam satis à nobis supra declarata fuit articulo. 4. huius quæstionis, vbi ostendimus non solum beatos, sed etiam sanctos in purgatorio existentes posse à nobis orari, tanquam illi, qui suis orationibus nos possunt mutuò iuuare. Quocirca hac re omissa, solum dicemus de Christo, cuius exemplo D. Tho. in præsenti probat beatos in patria pro nobis orare. Præmissisque quibusdam, quæ certa sunt, ad eius rei explicationẽ deueniemus, quæ maiorem habet difficultatem propriè; pertinet ad istum articulũ. Primum autẽ, quod tanquam certum supponitur, est, Christo, in quantum Deus est, non competere orationem. Tum, quoniam oratio est ad superiorem. Tum etiam, quia eiusdem ad seipsum secundum eandem naturam non est oratio, quod vtrumq; accidit Christo, vt Deo. Et denique, quia quid obsecro orabit, vt fiat, qui omnipotens est. Secundum, quod supponitur tanquam certum est, Christo in quantum homo, in diebus carnis suæ maximè cõueniens fuisse orare. Primò; Propter meritum, sua enim oratione meruit nobis, qui muneribus, & beneficijs Dei digni non eramus. Secundo: Propter exemplum, vt, scilicet, discipulos suos, & in eis fideles omnes hortaretur ad orationis studium, in cuius exercitio maximè superatur aduersarius. Propter quod dicebat D. Ambros. lib. 5. in Lucam in quodam cap. de oratione Iesu. Noli insidiatrices aperire aures, vt putes filium Dei, quasi infirmũ rogare, vt impetret quod implere non possit. Potestatis enim est auctor, obedientiæ magister, ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo. Et D. Augustract. 104. in Ioannem, Poterat, inquit, Dominus in forma serui, si hoc opus esset, orare silentio: sed ità se patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset nostrum se esse doctorem. Tertio propter veritatis argumentum, vt ostenderet se verum hominem, & verè à Deo missum, iuxta illud Ioannis. 11. Gratias ago tibi Domine, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quoniam semper me audis: sed propter populum istum, qui circunstat dixi, vt credant, quia tu me misisti. Quarto propter officium, Christus enim inter alia erat sacerdos, & pontifex; & sic ad eum pertinebat & offerre sacrificiũ pro peccatis, & pro delinquentibus orare, iuxta illud ad Hebræos. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum. Et cap. 7. Talis decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus; qui non haberet necesse prius pro suis delictis orare, deinde pro populo. Itaq; hæc certa sunt.

¶ Sed quod habet difficultatem est, vtrũ Christo sedenti iam ad dexteram patris in excelsis conueniat preces fundere, & orare. Et pro parte affirmatiua est primum argumentum desumptũ ex pluribus testimonijs sacræ scripturæ Ioann. enim. 14. ipse Dominus loquens ad discipulos de ijs, quæ post mortem suam erant euentura; ego inquit, rogabo patrem, & alium Paracletum dabit

dabit vobis. Et Ioannes. 1. sua Cano. cap. 2. dicit: Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et Paul. ad Rom. 8. Qui est ad dexteram Dei, qui & interpellat pro nobis. Imò Origenes in Leuit. Hom. 7. Christum facit non modo patrem orantẽ, sed & anxium, & solicitum in modum aduocati. Secundò ratione sic argumentor: Christus sedens ad dexteram patris, non solũ est Deus, sed & homo: ergo vt sic minor patre ab illoq; dependens. Atque ex consequenti nihil obstat, quominus vt sic patrem possit orare.

2. Argum.

¶ Pro explicatione huius difficultatis, quæ grauissima est, & scitu digna, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certũ esse, quòd Christus Dominus etiam postquã ascendit in cælum, & sedet ad dexteram patris in excelsis, est eiusdem naturæ nobiscũ, quanuis alterius gloriæ. Itaq; non solum est verus Deus, sed etiam verus homo, vt fides docet. Ex quo fit, vt etiam in cælis existens, sit minor patre; à Deoq; in omni sua operatione dependens: cùm omne illud, quod factum est, quòd à Deo in omni sua operatione dependeat, sit necesse, auertenteq; ipso manum suam ad nihilum redigeretur. ¶ Dico secundò, etiam esse certum, quòd Christi hominis in cælo humilitas non est minor, quã fuerat in terra; & sic summe perfecta est. Nam cum cælum sit proprium regnum, & sedes virtutis, atq; sanctitatis, q̃ ibi omnes illæ maximè fulgeant, & splendeant mirabiliter, erit dicendum. Nullum autem astrum splendidius est humilitate: siquidem tã magnum est esse paruum, tam altum & excellens esse humilem, vt Sapiẽtia æterna patris Sapiẽtię thesauros aperire volẽs dixerit, Venite ad me, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Nec hæc virtus pugnat cum illo statu beato. ¶ Dico tertiò, etiã esse certum, quòd si quæ in Christo esset oratio in cælis dum astat patri, illa esset sine aliqua anxietate & solicitudine. Christus enim Dominus passione consummata liber fuit quacunq; anxietate, & solicitudine. Imò verò liber etiam est eo modo quicunq; beatus; qua libertate Christus eos liberauit. Itaque hæc certa sunt. Sed punctus difficultatis in eo cõsistit, vt explicemus, vtrũ propriè sit dicendum, quòd nunc Christus in cælis orat pro nobis? Dionysius in cap. 2. primæ Epistolæ Ioannis, partem tenet affirmatiuã. Quam etiam dicit tenuisse quosdam alios in cap. 16. Euangelij Ioannis in illa verba. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrẽ. D. Thom. similiter videtur esse huius opinionis in cap. 7. Epistolæ ad Hebræos. ibi; Ad interpellandum pro nobis. Et in hoc articulo. Siquidem ex oratione, quam Christus facit in cælis, sumit argumentum ad probãdum, quòd cæteri beati similiter orãt pro nobis.

1. Dictum certum.

2. Dictum certum.

Matth. 11.

3. Dictum certum.

¶ In hoc tamen sit cõclusio: Quanuis ea, quæ diximus, verissimè Christo conueniãt, ille tamen in cælo iam non orat, nec preces fundit ad Deum pro nobis. Hanc conclusionem non ideò constituo, quòd plenè ea ex scripturis, aut quouis alio argumento efficaci probari posse intelligam: sed quoniam in re tam sublimi, & purè Theologa nihil me arbitror scire, præter id, quod sancti patres docuerunt, à quibus in præsenti, nec tantillum discedere fas esse puto. Illi autem dum legunt: Filioli, hæc scribo vobis, vt non peccetis; sed & si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Iesum iustum. Et illud: Qui mortuus est, qui & resurrexit, qui sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis & similia, sic ea interpretantur, vt illa interpellatio non sit postulatio submissa, sed eius passionis, quæ pro nobis semel susceptа, & oblata est, æterna commemoratio in conspectu sanctæ Trinitatis admissa, præsentatioq; vulnerum ac sanguinis eius melius loquentis, quam sanguis Abel. Est etiã ea interpellatio Christi illius fauor, dilectio, & miseratio nostri. Ita hanc rem exponunt ex antiquis D. Hieronymus in cap. 8. Epist. ad Roman. D. Theodoretus D. Ambrosius OEcumenius, & Glossa interlinealis ibidẽ. Quæ dicit: Interpellat Christus non voce, sed miseratione. Idem etiam docẽt D. Chrysostomus, D. Anselmus, & Nicolaus de Lira in eodem loco. Rupertus Abbas lib. 9. de diuinis officijs. cap. 3. multa doctè & erudite ad hoc propositum dicit, præterquam quod plus iusto premit oppositam sententiam. Videtur enim illam facere contra fidem, quod ego dicere non auderem. Et ratio est: Nam si sancti illi patres, quos Rupertus vidit, aut ij, quos ego citaui, non solum dicerent, quòd interpellat Christus vulneribus, & miseratione, sed etiam adderent, quòd omnino non rogat patrem, nec illum precatur oratione omni solicitudine libera, securaque repulsæ. Proculdubio putarem illam esse traditionem ecclesiasticam, & sic esse de fide. Cæterùm, quoniam hoc non dicunt, nec ego habeo, vnde possim diffinire esse contra fidem, asserere, quòd Christus, vt homo, vt minor patre & dependens ab ipso, conuertat se ad illum, aliquid rogans non illud affirmo, sed tantũ dico, nostram conclusionem esse valde cõformem modo loquendi sanctorum. Quam

Conclusio.

Christus in cælo existẽs non orat, nec preces fundit pro nobis ad Deum.

D. Hieron. D. Theodo. D. Ambro. D. Chrys. D. Ansel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam tenent ex Neotericis, Adamus, Claudus Guilliaudus, Trexus, & alij. Possumusq; huius sententiæ nonnullas adducere congruentias. Quarum prima est; Quia fortè hic honor fuit eius passioni debitus, vt iam deinceps diademate coronatus nihil amplius à patre peteret, aut precaretur. Secunda: Quia non sine causa post resurrectionē suā dixit: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Sed, vt doceret, munus suum iam non esse orare, sed potestate excellenti hos corrigere, illos subleuare, remittere noxam quibusdam, & illos iustificare. Tertia: Quia videmus, quòd Ecclesia modo non inuocat Christum, vt roget patrem, sed semper precatur: Miserere nobis. Et si dicatur quòd loquitur Ecclesia sine determinatione, & ideò dicit de Christo id, quod maius, & dignius est; adhuc est instantia, quòd Ecclesiam nunquam, nec sine determinatione nec cū illa illud verbum vsurpasse, Ora pro nobis, loquens de Christo, est satis efficax argumētum, quòd de illo nulla ratione est dicendū. Quarta congruentia, quæ me vehementer mouet est, quòd quanuis verum sit, quòd quitacet, nec negat, nec fatetur, tamen eo ipso, quòd illæ sacræ scripturæ voces, Qui interpellat pro nobis, & aliæ similes, vocabāt interpretes ad hoc, vt Christum facerent deprecantem, & orantem, & illi ad alia diuertunt sermonem, tacitè negāsse videtur, eius loci sensum posse esse illū, quem prima speciei textus obijcit, atq; adeo non posse teneri, quòd Christus modo ad Deum fundit preces pro nobis.

Rationes propter quas Christus in cælo non dicitur orare.

Ad 1. arg. ¶ Et ad testimonia sacræ scripturæ in primo argumento adducta, respondetur, illa interpretāda esse iuxta veteres autores. Vt sit sensus, quòd Christus dicitur aduocatus noster, & interpellare pro nobis, non quia orationes fundat ad Deum pro nobis, sed quia præsentatio vulnerum, & sanguinis ipsius veniam & misericordiam nobis imprecatur. Siquis autem obijciat, quòd ipse Christus Ioan. 14. dicit de seipso sedente ad dexterā patris: Ego rogabo patrem, &c. dico, quòd qua ratione & phrasi Paulus facit eum interpellantem, eadem ipse se facit rogantem.

Ad 2. arg. ¶ Ad secundum respondetur negando vltimam consequentiam. Nam Christum, vt hominem, esse minorem patre, & dependentē ab eo positum est in rei natura. Illum autē adhuc preces effundere, aut non effundere, positum est in decreto, & ordinatione Dei. Quare ex vno non potest aliud legitimè inferri. Decretum autem Dei fuit, vt Christus preces effunderet, & orationem, solum in diebus carnis suæ.

ARTICVLVS. XII.

¶ Vtrùm oratio debeat esse vocalis?

AD DVODECIMVM sic proceditur. Videtur, quòd oratio non debeat esse vocalis. Oratio enim, sicut ex dictis * patet, principaliter Deo porrigitur. Deus autem locutionem cordis cognoscit. Frustra ergo vocalis oratio adhibetur. *3. d. 9. q. 1. art. 3. q. 3. ad 3. Et 4. d. 15. q. 4. ar. 2. q. 2. Art. 4. huius quæst.*

2 ¶ Prætereà, Per orationem mens hominis debet in Deum ascendere, vt dictum * est. Sed voces retrahunt homines ab ascensu contemplationis in Deum, sicut & alia sensibilia: ergo in orationibus non est vocibus vtendū. *Art. 1. ad 3.*

3 ¶ Prætereà, Oratio debet offerri Deo in occulto, secundum illud Matth. 6. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrē tuum in abscondito. Sed per vocē oratio publicatur: ergo non omnino debet esse vocalis.

¶ SED CONTRA est, quod dicitur in Psalm. 3. Voce mea ad Dominū clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd duplex est oratio, communis & singularis. Communis quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur. Et ideo oportet quòd talis oratio innotescat toti populo pro quo profertur: quod non posset fieri nisi esset vocalis. Et ideò rationabiliter institutum est, vt ministri Ecclesiæ huiusmodi orationes etiam alta voce pronuntient, vt ad notitiam omnium possint peruenire. Oratio vero singularis est quæ offertur à singulari persona cuiuscunque, siuè pro se, siue pro alijs orantis. Et de huiusmodi orationis necessitate non est, quòd sit vocalis. Adiungitur tamen vox tali orationi triplici ratione.

¶ Primo quidem ad excitandum interiorem deuotionem qua mens orantis eleuetur in Deum: quia per exteriora signa, siue vocum, siue etiam aliquorum factorum, mouetur mens hominis

nis secundum apprehensionem, & per consequens secundum affectionem. *Epist. 121. c. 9. circa princ. to. 2.* Vnde Augustin.* dicit ad Probā, quòd verbis & alijs signis ad augendum desiderium sanctum, nosipsos acrius excitamus. Et ideo in singulari oratione tā tum est vocibus & huiusmodi signis vtendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem. Si verò mens per hoc distraharur, vel qualitercunq; impediatur, est à talibus cessandum. Quod præcipuè contingit in his quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter ad deuotionem parata. Vnde Psalm 29 dicebat: Tibi dixit cor meū, exquisiuit te facies mea. Et de Anna legitur. 1. Regum. 1. quòd loquebatur in corde suo. ¶ Secundo, adiungitur vocalis oratio quasi ad redditionem debiti, vt scilicet, homo Deo seruiat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est non solum mente, sed etiam corpore. Quod præcipuè competit orationi secundum quod est satisfactoria. Vnde dicitur Oseæ vltim. Omnem aufer iniquitatem & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorū. ¶ Tertio, adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secūdum illud Psalm. 15. Lætatum est cor meum & exultauit lingua mea.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd vocalis oratio non profertur ad hoc quod aliquid ignorum Deo manifestetur, sed ad hoc quòd mens orantis vel aliorum excitetur in Deum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd verba ad aliud pertinentia distrahunt mentem, & impediunt deuotionem orantis. Sed verba significantia aliquid ad deuotionem pertinens, excitant mētes, præcipuè minus deuotas.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Chrysost.* dicit super Matthæum. *Hom. 15. in opere imperfecto post mediū. to. 2. Et hom. 19.* Eo proposito Dominus vetat in conuentu orare, vt à conuentu videatur. Vnde horans nihil nouum facere debet quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo. Nec tamen, vt Aug. dicit* in lib. de Serm. Domini in mōte: videri ab hominibus nefas est, sed ideo hoc agere vt ab hominibus videaris. *Lib. 2. c. 6. in prin. to. 4.*

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd oratio possit esse duplex, vna communis, qualis est illa, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi Deo offertur; altera singularis à singulari persona cuiuscunque, siue pro se, siue pro alijs oblata, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Rationabiliter institutum est, vt ministri Ecclesiæ orationes communes alta voce pronuntient, vt ad notitiam omnū possint peruenire. Probatur: Tales orationes fit persona totius populi fiunt: ergo oportet, vt toti populo manotescant, quod fieri non posset, nisi essent vocales. Secunda conclusio: Quanuis non sit de necessitate singularis orationis, vt sit vocalis, adiungitur tamē ei vox triplici ex causa. Primùm, ad excitandam interiorē deuotionem, qua mens oratis in Deū eleuetur. Per exteriora enim signa, siue vocum, siue factorum mens hominis secundum apprehensionem moueri consueuit, & per consequēs secundum affectionem; iuxta illud Augustini Epist. ad Probam: Verbis & alijs signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus. Secundò, quasi ad redditionē debiti, vt, scilicet, homo Deo seruiat, secundum illud totum, quod ex Deo habet, hoc est, non solum mente, sed etiam corpore. Tertiò: ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, iuxtā illud Psal. 15. Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.

EXPLICATIO ARTICVLI.

EXplicatis iā eis, quæ pertinēt ad oratiōnē in genere, siue vocalis illa sit, siue mētalis, hīc cōsequēter dicendū erit, de oratione vocali in particulari. Et cū duplex illa esse possit, vt constat ex D. Th. in illo art. vna cōmunis, qualis est illa, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi Deo offertur; alia particularis à singulari cuiusq; persona, siue pro se, siue pro alijs oblata: omissa oratione vocali particulari, tanquā illa, quæ quānis vtilis sit, nō est tamē sub præcepto, nec diuino, nec humano, vt dicit D. Tho. in 2. conclus. de sola oratione vocali cōmuni, ad quam ministri Ecclesiæ, ex præcepto ecclesiastico tenentur erit à nobis agendum. Quā quidem Vvicleph, vt auror est Thomas Vualdensis in initio quinti tomi, de sacramentalibus ea ratione repudiabat, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceu sanctissimam, & firmissimum fundamentum ducebat, dubitare prorsus inter ecclesiasticas ceremonias permittendū, quod in sacra pagina non esset expressum. Quod etiam ante ipsum fuit fundamentum Lollardorum, & multò antea Arianorum, & nūc est Lutheranorum. Reliqua autem omnia appellabant Phatisæorum traditiones. Quare præcisa verba consecrationis totam missam esse dicebant, & cætera adiectitia, nempe, vestes, lectiones, atque orationes, inuētā esse hominum affirmabant. Atque ideò horas canonicas penitus è suis Ecclesijs erādicarunt.

¶ Cæterum, vt quid in hac re dicendum sit, innotescat, sit prima conclusio: Valde fuit consonum rationi, ad salutemq; Christiani populi, quam maximè necessarium, Clerum instituere, cui præter sacramentorum administrationem, id etiam proprio munere incumberet, vt quotidie Deo, totius populi nomine, psalmos, & alias orationes communes offerret. Probatur: Intet omnia reipublicæ munia, atque functiones, religio, cultusque diuinus est, qui apicem tenere debet, cuius præcipua pars est Deum laudibus extollere, illumque nobis precibus placare, vt ex supradictis constat: ergo ratio naturalis dictat, quòd sicut militiæ milites mancipantur, & iudicatibus iudices, alijsque ministerijs & functionibus sui magistratus, atque ministri: sic etiā clerici apud Christianos deputentur, qui non solum sacramentis populum sanctificent, doctrinaque & exemplo promoueāt, verumetiam qui publico populi nomine, (quia id alijs artibus opificijsque & muneribus, ac negotijs occupati iugiter facere nequeunt) incessanter Deo laudes dicant, precesque fundant tanquām inter Deum & populum mediatores. Qui videlicet, sicut ministerium gerunt deferendi ad populum gratiam per sacramenta, sic etiam & populi nomine gratias Deo vicissim rependant, & ab illo, quæ sibi necessaria sunt, subsidia poscant, ac potissimum peccatorum remissionem. Hac enim de causa sacerdotes peccata populi comedunt, hoc est, eleemosynas, quas populus in peccatorum remissionem offert, vt testatur Oseas cap. 4. Accedit huc etiam, & alia ratio: Nempe, quòd cum huiusmodi laudum precumque celebratio, ea debeat lingua & arte, ac rerū peritia celebrari, qua tota plebs pollere nō potest, quòd certæ ad id personæ constituātur, quæ sicut in cæteris artibus sit, doctæ sint faciendi, erit necesse.

1. *Conclus.*

Particulares personæ assignari debent, quæ orationibus insistant.

2. *Conclus.* ¶ Secunda conclusio: Non solum decuit, particulares personas præfato muneri esse destinatas, verum & statuta tempora, atque horas, quibus eiusmodi orationes, & laudes celebrarentur, & sita loca, quibus fierent. Et quidem de horis, atque temporibus determinatis plures possunt dari rationes. Prima: Quia quando temporis articuli eisque negotio fixi non sunt, nec ordo esset, neque perpetuitas, quod vtrumque commodis orationibus faciendis est valde necessarium. Propter quod dicebat D. Paul. 1. ad Thessaloni. cap. 2. Ideò & nos gratias agimus Deo, sine intermissione. Et expressius. c. 5. Sine intermissione orate. Cuius certè intermissionis prohibitio adeo absolutè intelligi nequit, vt nullum refectioni, aut somno tempus tribuamus. Sed est intelligendum sine intermissione, hoc est, nulla temporis hora ad id constituta prætermissa. Est enim hoc ingenium nostrū, vt vbi tempore, quod nos rei faciendæ admiteat, nō attingimus, statim negotia differamus. Quare qui in opere aliquo faciendo perpetuo durare constituit, quòd ad id determinata tempora figat, erit necesse. Secunda ratio est, Quia cū populus ad prædictas laudes celebrandas concurrere debeat, quòd certa tēpora, quibus ad illas accedere possit, statuantur erit opus. Alioqui nec omnes simul concurrere esset possibile, nec etiam scire qua ratione familiaria negocia sint disponenda, ne orationum religioni sint impedimento. Potest tertiò id ipsum probari: Nam si omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo, vt dicit Sapiens Eccles. c. 3. quòd id orationi, quam maximè congruat oportebit, quæ inter vniuersa negotia silentium exigit, nec omnia tempora æqualem habent ad orandum aptitudinem. Noctis enim tranquillitas maximè ad orationem inuitat. Propter quod dicebat prophetа: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Et ex alijs horis, antemeridianæ, quò sunt auroræ viciniores, & postmeridianæ, quo nocti magis accedunt, eò sunt orationi congruentiores, quia magis participant de noctis silentio. Quòd verò etiam loca sita esse debeant, quibus laudum, atque precum oblatio fiat, probat latè Vualdensis, in lib. de sacrament. tit. 17. c. 143. & seqüent. cōtra Vvitclephum templa abominantem, atq; dicentem, Christum apud Ioanic. 4. nō curasse de talibus, atque adeò non plus ibi orandum esse, quam in stabulo porcorum. Quod etiam dixerunt Sagarelli hæretici, vt autor est Guido Carmelita in libr. de hæresibus. hæresi. 8. sed quando nostra conclusio nō historiæ tā sacræ, quā profanæ non con-

Rationes propter quas certa tempora & loca sunt statuta ad orandum.

uincerent, inde satis probari deberet, quod cum reliquis publicis actibus sua sint loca distincta, vt forum ad iudicandum, senatus ad consilia ferenda, scholæ ad docendum, & theatra ad ludos spectandos, nulla relinquitur ratio templorum religionem abnegandi, quibus coetus populus in vnum cōgregatus Deum suum adoret. Eo vel maxime, quod cum cultus diuinus precibus, atq; laudibus constans, res sit quædam sacratissima, ratio postulat, vt talis ei locus consecrari debeat. atque adeò vasa, vestimentaque, & alia ornamenta, quibus condecens maiestatis, quæ adoratur, repræsentatio fiat. Nec contrarium significauit Christus apud Ioannem cap. 4. Nam quamuis mulieri interroganti, an Hierosolymis, vel in monte illo esset Deus adorandus, Christus respondetit, Mulier crede mihi: quia venit hora, quā do nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis Patrem. Venit enim hora, & nūc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam, & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare: nulla ratione templa reprehendisse erit dicendus; sed tantum declarasse modum, quo fideles in Ecclesia Deum adorare debent, nempe, in spiritu & veritate. Et si dicatur, non ideò Deum adorandum esse in Ecclesia, quia in spiritu & veritate oportet illum adorare, vt Christus testatur, pari ratione esset dicendum, quòd nec in terra, nec in aere, nec in nemore, nec in domo, nec in loco quouis corporeo, sit adorandus, quod est apertè falsum. Si ergo in materiali loco oportet Deum adorare, quātis Christus dicat, in spiritu & veritate, quo modo hoc ipsum repugnabit Ecclesiæ, quod non repugnat nemori.

Rationes propter quas certa loca sunt statuta ad orandum.

3. *Conclusio*

¶ Tertia conclusio: Quemadmodum personas, tempora, loca, & reliqua ornamenta diffinita, atque præscripta esse condecuit ad cultum diuinum, sic etiam, & Psalmos, orationes, ac preces ad eundem cultum esse cōstitutas, erit valde necessariū. Probatur. Tū: Quia huiusmodi laudum cultū maxima prudentia, atque doctrina præditum esse oportet, quæ in singulis hominibus reperiri est impossibile, atque adeò op⁹ est, vt ab Ecclesiæ primoribus, imo & à toto cœtu fidelium, cui Spiritus sanctus præest, sit inuentus, lege que firmatus, sicuti & reliquas leges necesse est, non à singulis ciuibus, sed à tota republica, Instituit. Tum præterea: Quia sicut in reliquo cultu, sic etiam præcipuè in gratiarū laudumque actione, & in orationibus ac precibus est necessarium, vt totus Christianus

In Ecclesia oportet esse determinatos psalmos & orationes.

populus vnitatem repræsentet, sitque vnus modus laudandi ac precandi Deum sicut & vnum fidem, & vnum baptisma, atque vnū Deum prohtendum esse docet Apostolus. Hęc autē concordia & vnitas seruari nō potest, nisi Psalmorum, & orationum corpus atque substantia lege statuatur, quæ vniuersis Christianis sit communis. Dixi notanter, corpus & substantia. Nam nihil incongruit, imò est valde ritioni consentaneum, vt variæ prouinciæ in horarum solutione nōnihil varient, vt Ecclesia, sicut à Salomone depingitur Reginam referat à dextris sponsi assistentem circumamictam varietate.

4. *Conclusio.*

Septē horæ Canonicæ antiquitus fuerunt ab Ecclesia institutæ.

¶ Quarta conclusio: Ratio publicè Deum orandi per septem horas Canonicas diuisa, vt antiquissima est Ecclesiæ institutio: ità etiam & congruentissima, & decentissima, nempe, vt post matutinatū nocturnum officium, aliæ sex diurnæ horæ sequantur, videlicet, prima, tertia, sexta, nona, vesperæ, & completorium. Et quidem quod huiusmodi modus Deum orandi antiquitus fit ab Ecclesia institutus constare poterit discurrendo per omnes horas. Nam de nocturno officio testatur D. Hieronymus super illud Matth. 25. Media nocte clamor factus est, quod cū traditio Iudæorum esset, Messiam media nocte venturum, in similitudinem Ægyptij tēporis, quando Phase celebratū est, & exterminator venit, traditio apostolica (vt refertur) permanſit, vt in die vigiliarum Paschæ, ante noctis dimidium populos dimittere nō liceret, expectantes aduētum Christi. Et D. Isidorus lib. 1. de Officijs, cap. 19. dicit in primitiua Ecclesia noctem in quatuor vigilias fuisse diuisam, modo, & ordine militari, & eleemosynam similiter partitum fuisse in tres partes. In prima vigilia prima pars cleri canebat tres Psalmos. In secunda vigilia, secunda pars cleri canebat totidem, & in tertia vigilia idem fiebat ab alia tertia parte cleri, in quarta autē vigilia appropinquante aurora conueniebant omnes ad recitandas laudes, qua ratione fiebat, vt nulla pars noctis vacua esset diuinis laudibus, vt sic Christus aduentiens semper inueniret seruos suos vigilantes, iuxta illud Marci cap. 13. Vigilate, nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cū venerit repēte inueniat vos dormientes. Sed quoniam hoc pondus laboris iugiter & continue infirma caro ferre non poterat, omnes nocturni cum laudibus redacti sunt ad vnam noctis vigiliam, quibusdam deuotis primā noctis vigilia totum officium decantantibus, vt maiorēs parte contingit in ecclesijs cathedralibus, alijs autem, vt mona-

De nocturno officio.

D. Isidorus

Universidad de Deusto
Biblioteca

chis nigris, in secunda noctis vigilia, & alijs, vt monachis albis, in tertia noctis vigilia, & tãdem alijs, vt clericis cum reliquo populo, in quarta vigilia. Vt sic regula Euangelica, quę de vniuersis nõ obseruatur ab omnibus, saltem integro officio teneri possit à singulis, sicque à summo diluculo Christi seruus Christum canat semper, & ante omne opus habeat horam orandi Canonicè, quæ opus humanum omne præcedat. Multa etiam sunt loca sacræ scripturæ, quibus nocturnarum laudum officium commendatur. Nam Psal. 118. dicit propheta: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ. Et alibi: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime, ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Et rursus. Memor fui nocte nominis tui Domine. Et tandem in Psalm. 133. In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. Actuum etiam cap. 16. dicitur de Paulo, & Syla in carcere detentis, quod media nocte orantes laudabant Deum, & audiebant eos, qui in custodia erant. Et de Christo Domino affirmat Lucas cap. 6. quod erat pernoctans in oratione. Et Matthæ. cap. 26. quod media nocte in montem Oliueti ad orandũ exiuit. Vbi discipulos increpans, quod vna hora nõ potuissent vigilare secũ, & à Iudæa traditus, & à Iudæis captus fuit. Quæ testimonia sufficientia proculdubio sunt, vt Christianum populum in nocturnis orationibus iugiter contineant. Vvitclessistæ, vt autor est Thomas Vvaldensis in lib. de Sacramentalibus tit. 3. cap. 25. sequuti Vigilantiũ quę dam hæreticum peculiarem patronum ordinis Lollardini, qui primus contra sacras vigilias audacter disputauit, propter quod D. Hieronymus eum confutans, peruerso nomine Vigilantij, Dormitantium illum appellauit in epistola ad Riparium presbyterum, matutinarum vigiliarum celebritatem, quam singulis noctibus frequentandam esse diximus, indignissime contrectarunt, increpantes religiosos nostros, quòd illa vtantur, atque dicentes, quòd cum Deus nocte hominibus ad quietem indulserit, nos eam vigilijs insumentes religionem Christianã grauem reddimus. Huius erroris mentionem facit D. Isidorus lib. 1. de Officijs, cap. 22. in hunc modum, dicens: Est autem quoddam genus hæreticorum, superfluas existimantium sacras vigilias, & spiritali operi infructuosas, dicẽtes iura temerari diuina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici Græco sermone Lethargici, hoc est, somniculosi vocantur. Sed proculdubio hui⁹ hæresis falsitas ex testimonijs superius positis sufficienter cõuincitur, atq; etiã ex eo, quod, vt supra diximus, nocturna quies ad contẽplationẽ, atque adeò ad orationẽ naturaliter inuitat, sensibusq; à suo vsu cessantibus, pacatior mẽs introrsum redditur. D. Hilarius super Psal. 118. in illa verba: Memor fui nocte nominis tui Domine, in hũc modũ dicit. Scit præcipue noctuno tempore diuini esse à nobis nominis recordãdũ. Scit tũc maximè custodiam Dei legis à nobis esse retinendã, cũ subrepũt animo impuræ cupiditates, cũ stimuli vitiorũ, per recens assumptum cibũ corpus exagitant. Tunc Dei nomen recordandum, tunc custodienda eius lex est, pudicitiam, continentiam, timorem Dei statuẽs. Nouit hoc præcipue tempore Dominum esse orandum, deprecandum, promerendum. Dicens in alio loco: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lactymis meis stratum meum rigabo. Non est periculoso nocturnarum vigiliarum otio animus relaxãdus: sed in omnibus deprecationibus, in confessionibus peccatorum occupandus est: vt cum maximè corporis vitijs datur opportunitas, tunc præcipuè eadem vitia, diuinę legis recordatione frangantur. Hæc Hilarius. Quibus verbis apertè declarat ob eam etiam rationem nocturnis vigilijs, & orationibus instandum, quia tũc præcipuè vitia subrepũt, quibus diuinæ legis recordatione obsistere est necessariũ.

Hæresis Vviteleff, atque Vigilantij.

D. Hilar⁹.

De horis diurnis.

¶De horis similiter diurnis nonnulla extant sacræ scripturæ testimonia, quibus illarum mentio fit. Nam tertia, sexta, & nona, adhuc ipsis Apostolis viuentibus, erant ad orandum celeberrimæ. Actorum enim cap. 1. dicitur, quòd post Ascensionem Domini mãserũt Apostoli Hierosolymis vnanimiter in oratione perseuerantes. Nec dubium est eo loco fieri sermonem de oratione cõmuni, atq; soléni, qualis est ea, quæ modo à clericis in choro frequentatur. Vnanimiter nãque ex proprietate sermonis, non tantùm cordium vnitatem, verum & vocum concordiam significat. Posteà autem dicitur cap. 2. quod hora tertia Spiritus sanctus illis apparuit linguarum, atque cordiũ inflammator. Nec potest negari Apostolos, tunc destinatos Psalmos dicere. Qua de causa Ecclesia modò ad tertiam vtitur Hymno: Nunc sancte nobis spiritus. De sexta fit mentio Actorum. 10. Vbi dicitur D. Petrum circa horam sextam in superiora domus ascendisse, vt oraret. Et de nona legitur Actorũ. 3. quod Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Quin potius D. Cyprianus in lib. de oratione Dominica affirmat Hebræis etiam fuisse in more, vt orarent tertia, sexta, & nona. Quod & probatur ex Danũele cap. 6. Vbi habetur, quod ipse cõtra Hierusalẽ tet in die flectebat genua, adorabatque, & confitebatur coram Domino Deo suo, sicut antea facere consueuerat. Erat enim tunc Prophetis solemnis statis, fixisq; horis, concinendi vsus. Quare 1. Reg. ca. 10. dixit Samuel ad Saulem: Cum ingressus fueris vrbem, obuiam habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos Psalterium, tympanum, & tubiam, & citharam, ipsosq; prophetantes, hoc est, spiritu prophetico psallentes. Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis. Vnde in Prouerbium exijt. Nunquid Saul inter Prophetas. Erant autem isti Prophetæ homines quidã deuoti, & religiosi, quos Samuel, ad statis horis Deum laudandum, congregauerat, qui etiam habebant spiritum prophetiæ, vt declarat Lyranus super istum locum. Et addit Cyprianus, loco citato, in illis tribus horis ab Hebræis in vsu habitis præsignatum fuisse mysterium Trinitatis, quod nouissimis temporibus manifestandum erat. Eundem prorsus horarum numerum, scilicet, tertiæ, sextæ, & nonæ, fundat Isidorus lib. 1. Offici. cap. 19. in eisdem verbis Danielis.

Hebræi orabant horis tertia, sexta & nona.

D. Isidor⁹.

¶Horæ primæ, hoc est, orationis, quæ fit in prima hora diei, nõ est tam frequens mẽtio in sacris literis, nec eius institutio videtur esse adeò antiqua, sicut institutio aliarũ horarum. Eius tamen mentionem facit Dionysius loco superius citato. Vbi dicit: Nobis, fratres charissimi, præter horas antiquitus obseruatas, orãdi spatia, & sacramẽta creuerunt. Nam & mane orandum est, vt resurrectio Domini in matutina celebretur. Vocatque matutinam, quam nos primã appellamus. Et Cassianus libro. 3. de institutis monachorum. capit. 4. dicit. Sciendum hanc matutinam, quæ obseruatur maximè in occidentalibus regionibus, canonica sanctione fuisse prius institutam. Fundaturque hæc oratio in illo Psal. 5. Quoniam ad te orabo Domine: mane exaudies vocem meam. Et Psal. 54. Vespere, & mane, & meridie narrabo & annunciabo: & exaudiet vocem meam.

De vesperis & completorio.

¶De vesperis meminit D. Basilius, & D. Cyprianus locis citatis. Earundemque fit mentio in concilijs Laodicensi Canon. 18. & Tarraconensi Cano. 1. Huiusque horę conuenientia colligitur ex illo Psalmi nuper citati: Vespere, & mane, & meridie, &c. De completorio quod duodecima hora à patribus appellabatur, vt est videre in concilio Turonensi Canone. 19. præter duos sanctos

ciscatos, facit mentionem D. Ambrosius super Psalmum. 118. Qui dicit, dum de completorio agitur, venire sibi in mentem autum recordationem, quæ dum eunt cubitum, quasi peracto latè munere, æthera cantu mulcere cõsueuerunt. Quod velut à surgente, & occidente die, semper instaurare consueuerunt, vt vel decurso, vel adorto nocturno, diutnoque tempore, iustas laudes suo referant creatori. Ex dictis omnibus colligitur, hanc rationem Deum orandi per septem horas Canonicas diuisam, antiquissimam fuisse Ecclesiæ constitutionem; quod fuit primũ in quarta conclusione à nobis propositum. Sed quod eadem fuerit conuenientissima, atque congruentissima, probatur. Tum: quia sic, iuxta Christi præceptum & Pauli monitum, iugis, nec intermissa in nobis persistit Dei memoria, laus, gratiarum actio, deprecatio, & fauoris petitio. Tum etiam, quia hoc numero septenarij plura mysteria in sacris literis, (quæ colligit glossa super cap. presbyter, de celebratione missarum.) significari consueuerunt. Ad quæ attendisse videtur regius Vates quando Psalmo. 118. dixit: Septies in die laudem dixi tibi. Septem etiam sunt dies, quibus mũdus fuit perfectus. Tot sunt dona Spiritus sancti. Tot mundi ætates: & tot petitiones, quæ in oratione Dominica continentur. Gabriel super Canon Lect. 13. hunc septenarium numerum horarum accommodat Christo, & eius passioni. Ità vt matutinali hora capt⁹ intelligatur, & per reliquas diei passus. Vnde versus consurgit. Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis. Matutina ligat Christum, qui crimina porgat. Prima replet sputis. Causam dat tertia mortis. Sexta cruci nectit. Latus eius nona bipertit. Vesperæ deponit. Tumulo Cõpleta reponit. De his etiam septem horis Canonicis, & de ratione, & numero Psalmorũ, qui in illis canuntur fit mentio in concilijs superius positis, & in Agatensi Cano. 11. & in concilio Getundensi. Can. 10. & in Turonensi. 2. Can. 19. & in Tolet. 4. per multa capita. Quorum etiam multa congerit, Gregorius septimus, in ca. in die resurrectionis. de consec. d. 5.

¶Sed est iam aliud dubium, vtrùm cantus Ecclesiastici, atq; musica, quæ horis Canonicis, & alijs sacris officijs adhiberi consuenit, sit conueniens. In qua re fuit hæresis cuiusdam Hilarij, de quo meminit D. Augustinus lib. 1. retractationum capit. 11. Qui omnes cantus, quibus Ecclesia dicuntur, irridet, quam maximè. Hunc errorem posteà susceperunt Vvaldenses dicentes, frustra tempus teritur Canticis Ecclesiasticis. Quos deinde

2. Dubiũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de sequutus est Ioannes Vvitcleff Anglicus. Qui adeò cāticis Ecclesiasticis detraxit, vt cantantes in Ecclesia vocauerit sacerdotes Baal. Quibus cum clamore orantibus Helias Propheta dixit: clamate voce maiori, Deus enim vester forsam cum alio loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur. Præcipua argu-
1. argum. menta, quibus hæc hæresis probari potest, de sumuntur, primum ex cap. 1. lib. 1. Regum, vbi de Anna matre Samuelis dicitur, quod pressis labijs adeò silenter orabat, vt temulenta appareret. Quod exemplum quasi orā tium figura inter sanctos est celebratissimū.

2. argum. ¶Secundo ex verbis Christi, apud Matth. cap. 6. dicentis: Tu autem cum oraueris intra cubiculum tuum, & clauso ostio tuo ora patrem tuū in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

3. argum. ¶Tertiò, sic argumētor: Deꝰ noster nō est urdus, nec dormiens, vt clamoribus nostris, quibus excitetur, indigeat: ergo frustra illi

4. argum. orationibus adhibentur. ¶Quartò: Qui cum Cæsare cantando colloqueretur, aut aliquid ab eo altissimis vocibus, & musico artificio deposceret, proculdubio ridiculus haberetur: quid ergo sic coram Deo fari non verebimur, qualiter coram Cæsare non audemus? Hoc argumento vtebantur Lutherani, vt autor est magister Soto lib. 10. de iustitia, quæstione. 5. articul. 2. qui illud ab eis se

Vltimū argumētum. audiuisse testatur. ¶Vltimò: Autor operis imperfecti apud Chrysostomum Homilia. 13. affirmat, quod ex clamorosa oratione, multa nascuntur mala, maximè hæc tria. Primum, quod clamorosa voce orans non credit Deum vbique esse, & secreta audire. Secundum, quod mysteria secretarum suarum petitionum, quę fortè non oportebat alterum, præter Deum, scire, auribus bonorum, & malorum audienda committit. Tertium, quod clamorosè orans alterum iuxta ipsum astantem orare non sinit, vt experientia constat: ergo ratio postulat, vt ab Ecclesiasticis orationibus cantus & alij strepitus arceantur.

1. cōclusio. ¶His tamen non obstantibus sit prima cōclusio. Vti cantibus, atque musica in sacris orationibus, res est satis antiqua, legeque tū veteri, tum noua, tum etiam naturali com-

Vsus cantādi in sacris officijs fuit in veteri lege comprobatum. probata. Et quidē de lege veteri res est manifesta. Nam Psal. 68. dicit regius Vates: Laudabo nomen Dei cum cantico. Et Psal. 64. Te decet hymnus Deus in Sion. Psalm. 99. Introite portas eius in confessione; atria eius in hymnis: confitemini illi. Iudith capit. 16. Hymnum nouum cantemus Domino Deo nostro. Est autem hymnus vox Græca Latinè tantum valens, ac canticum siue laus, quæ Deo tribuitur. Vnde D. August. super Psal. 72. in expositione tituli sic ait. Hymni laudes sūt Dei cū cāntico. Hymni, cāntus cōcinētes laudē Dei, si sit laus, & nō est Dei, non est hymnus. Oportet ergo, vt sit hymnus, vt habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum. Hæc Augustinus. Cui sententiæ subscribit D. Isidorus lib. 6. Etymologiarū cap. 54. in hunc modum dicens. Hymnus est cāticum laudantium Deum proprie, aut hymni sunt concinentes laudem Dei. Si sit laus & non est Dei, non est hymnus. Si sit, & Dei, & laus, & non cantetur, non est hymnus. Hæc Isidorus. Cum ergo in veteri testamento multoties dicatur Deum in hymnis esse laudandum manifestè cōuincitur vsum illius fuisse, diuinis laudibus, & orationibus cantus, & alia musicorum genera commisceri. Idem etiam probatur ex illo Psalmi. 32. Cantate ei canticum nouum, bene psallite ei in vociferatione. Et lib. 2. Reg. cap. 6. dicitur, quod cum Dauid, & vniuersus populus, qui erat cum eo adducerent arcam Dei de domo Aminadab, ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis. Et paulò inferius, cùm area duceretur de domo Obededon dicitur, quod Dauid percussit in organis, & saltauit totis viribus. Iosephus quoque lib. 6. antiquit. Explicat instrumenta, quibus Dauid in diuinis laudibus celebrandis vtebatur. Quorum etiam fit mentio lib. 2. Paralyp. cap. 5.

¶In lege noua similiter extat huius rei exemplum in Christo Domino. Qui, vt habetur apud Matthæum ca. 26. instante morte sua, post cœnam vltimam, hymno dicto cum discipulis suis, exiuit in montem Oliueti. Et D. Paulus ad Ephes. 5. fideles adhortatur, vt intelligentes, quę sit voluntas Dei, non lint inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleantur Spiritu sancto, loquentes sibimetipsis in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus suis Domino, &c. Pro hoc etiam facit quod Actorum. 16. legitur de Paulo, & Syla, nempe, quod media nocte adorantes laudabant Dñm, & audiebant eos, qui in custodia erāt. Subito autē terræmotus factus est magnus, ità, vt moverentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Si autem non liceret altè, & cum clamore, & cum cantu orare quomodo ad clamorosam orationem Pauli & Sylæ tot miracula facta fuissent? Deniq; hic fuit totius Ecclesiæ vsus. Non nouus, sed ab ipsius nascentis exordio, vsque ad nostra tempora

tempora conseruatus. Et vt cætera de hac re testimonia omittam vnum citabo, eò cæteris efficacius, quòd ab homine extraneo, & nostræ religionis inimico prolatum est. Plinius Secundus in quadam epistola ad Traianum de Christianis, tunc (vt sic dicam) nascentibus loquens ait: Affirmabant autem hanc fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem conuenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem. Et Eusebius Cæsariēsis lib. 2. Ecclesiasticæ historiæ cap. 17. enarrans qualiter Philo Iudæus omnia Ecclesiasticæ institutionis initia, & originem apostolicæ traditionis descripserit dicit, illū hoc etiam de Christianis narrasse, quod vnus ex omnibus consurgens in medio Psalmum honestis modulis concinebat, & præcinenti ei vnum versiculum, omnis multitudo respondebat. Et paulò inferius habitationes eorū, quales illæ fuerint, describens; sic ait: In singulis regionibus sacrum domicilium est, quod semnion, & monasterion vocatur. In quo manentes honestæ ac sanctæ vitæ ministeria celebrant, nihil illo inferentes, nec potum, nec cibum, nec aliud quidquā eorum, quæ ad corporis sunt sustentationem necessaria; sed leges & oracula prophetarum, & hymnos, ac reliqua huiusmodi, quibus scientia, & pietas augescunt, & consummantur. Imo & de eo, quod de nouo Psalmos cōponebant ad hunc modum scribit. Itaque non modò diuina contemplantur, sed & cantica, & hymnos ad Deum, sacratioribus omnis generis metrorum, & carminum rhythmis graviter constituunt. &c. Socrates quoque Constantinopolitanus libro 6. historiæ Ecclesiasticæ capitulo 9. referens vnde initium sumpserit, vt antiphonæ, & responsoria in Ecclesia cantarentur, sic dicit, Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius ab Apostolo Petro Episcopus, vna cum Apostolis aliquando conuersatus visiones angelorum, responsorios hymnos, sanctam Triadem laudantium vidit: & modū visionis Antiochiæ Ecclesiæ tradidit. Vnde & ad omnes Ecclesias ista traditio promanauit. Et hæc est ratio responsoriorum, & hymnorum. Hæc Socrates. Ex dictis omnibus colligitur fuisse primum Apostolorum institutum, vt fideles quando conueniunt in Ecclesia psalmos, & hymnos canterit.

Cantus sacris officijs admixtus naturali rationi est cōformis. ¶Probauimus iam vsum canendi, tam veteri, quam noua lege fuisse comprobatum, restat modò probare illum sacris officijs, & orationibus admixtum, naturali etiam legi, atque tationi esse conformem. Quod, vt faciamus supponendum est, quod horæ canonicæ, & quæcunque aliæ preces, quibus religio Deum colendi consistit, triplicem possunt, inter nos, & Deum habitudinem continere. Prima est laudationis diuinæ, quam ei propter seipsum tanquam summo bono debemus. Hac enim de causa Deo à nobis debetur confessio, quod est summè infiniteq; bonus, iustus, misericors, omnipotēs, & quid quid boni in rebus existit immensa sua continet essentia. Ex quo fit, vt ei hymnos, Psalmorumque laudes concinamus. Secunda habitudo est petitionis, quæ quidquid nobis ad vitam, salutemque tum temporalem, quam spiritualem necessarium est, ab ipso petimus, confitentes, nos suas ipsius esse creaturas, atque adeò nihil nobis boni nisi ab ipso posse contingere. Tertia habitudo est gratiarū actionis, quando enim oramus, non solum Deum laudamus, aut ab eo aliquid petimus, verum etiam gratias agimus pro receptis ab ipso beneficijs. Hoc supposito, probatur nostra conclusio. Siue in orationibus & sacris officijs habitudinem laudationis diuinæ, siue habitudinem petitionis, aut gratiarum actionis consideremus, cantus, aut musicæ illis non repugnat, sed congruit quam maximè: ergo legi naturali, atque rationi est conforme, vt ipsis cantum, & musicā admisceamus. Consequentia est nota, & antecedens probatur quo ad singulas eius partes. Et primò, quod cantus, & musica laudum conditioni non repugnet, sed potius ei maximè congruat, patet manifestè. Tum: quia, si naturale hominum ingenium consulamus, inde heroica carmina ortum habuisse intelligemus, vt ipsis sonoro metro decurrentibus, Heroum laudes, & gesta canerentur. Quod & poeta Latinus Æneidos principio significauit dicens: Arma virumque cano. Quare Aristot. 8. Polit. cap. 5. & Boetius in prologo Musicæ, permultùm Musicam, ceu rem ad morum affectus valde conferentem, cōmendarunt. Tum etiam, quia symphonia in eiusmodi canendis laudibus adeò est naturalis, vt ipsi autori naturæ in cælis hoc modo concini referant sacræ literæ. Apocalypsis enim cap. 4. de sanctis animalibus testatur Ioannes, quod requiem die ac nocte non habentibus, dicunt: Sanctus, sanctus, &c. Vnde Ecclesia in præfatione Missæ Deum deprecatur, vt quemadmodum cæli, cælorumque Virtutes, Cherubim quoque, ac Seraphim, socia exultatione clamare nō cessant: sic etiam, & nostras voces cum ipsis admitti iubeat, socia exultatione dicentes: Sanctus sanctus, sanctus, Dominꝰ Deus Sabaoth. Propter quod non immeritò sunt plures Doctores, qui veris vocibus licet supernaturalibus Deum in cælestibus laudari fateantur.

Cantus nō repugnat laudationi sed potius congruit.

In

Universidad de Deusto
Biblioteca

In cuius rei testimonium adducunt, quod angeli, nato Domino, pastoribus apparentes, non solum diuinę gloriæ splendore fulserunt, verum & vocibus intonuerunt, Gloria in excelsis Deo. Vnde quod passim in Apocalypsi legimus, sanctos homines personaturos alleluia, & laudes, & cantica, non trāslatitiè, & metaphoricè, sed vera voce, ac sonora intelligendum esse habet Diuus Thomas ex Augustino, & Glossa in. 2. distinctione. 2. quæstione. 2. articulo. 2. ad. 5. & in. 4. distinctione. 44. quæstione. 2. articulo. 1. quæstiuncula. 1. in corpo. & ad. 4. Qua autem ratione vocesillæ & loquelæ formentur in cælo Empyreo, cum ibi non sit aer, in quo solo nata est vox formari, & deferri ad aures audientium, quæ difficultas difficillima visa est Henrico quodlib. 7. q. 7. alterius est negotij. Vos de hoc videre poteritis, apud Abulen. in Matthæum capit. 23. quæstione. 560. & apud Diuum Thomam locis modo citatis, & latissimè apud Magistrum Soto in. 4. distinctione. 49. quæstione. 4. articulo. 5. Quòd verò nec etiam solēni orandi religioni, quatenus gratiarum actionem continet, cantus aut musica repugnet, sed congruat quam maxime, hinc inde satis conuincitur, quod Christo Domino in monte, & vsu id fuisse testatur Diu. Matthæus cap. 26. Postremam enim cœnam enarrans ait: Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti. Quibus verbis significatur Christum cum discipulis suis gratiarū actiones cantando fecisse. Est enim hymnus laus cum cantico, vt ex Diuo Augustino & Diuo Isidoro paulo anteà docuimus. Quare idem Augustinus in libello, quem de laude spiritualium canticorum inscripsit, ex eo, quod Zachariashymni voce prophetauit, & Angeli, Gloria in excelsis Deo intonuerunt, & pueri Hierosolymitæ, Osanna inclamauerunt, & Christus hymnum cum discipulis concinit, in hunc modum colligit. Quis iam habito tali documento de psalmorū, & hymnorum religione dubitauerit, quando ille, qui à cælestibus adoratur, & psallitur, ipsum cum discipulis hymnum in gratiarum actionem cantasse perhibetur? Tandē, quod nec sacris officijs, & orationibus quatenus preces continent cantus, & musica repugnet, probari potest ex eo, quod legitur Actorum decimo sexto, de Paulo & Syla; qui in carcere detenti media nocte adorantes laudabant Deum, nimirum suam causam illi proponētes, & subito terræmotus factus est, &c. Vbi secundum Bedam alia litera habet, & hymnum dicebant. Adnotatque iste autor eo in loco hymnorum psalmorumque vim, admonens, vt quicunque fidelium in tentationes varias inciderit cum Paulo & Syla inter carceris tenebras hymnizet, & cum Psalmista Domino canat: Tu es præsidium meum à pressura, quę circundedit me. Sed, ne dum nostram conclusionem tatione naturali probare contendimus, ad sacras literas recurrere videamur, ex seculari literatura aliquot exempla, & testimonia mutuabimus, quæ in nostros vsus conuertemus, iuxta præscriptum canonem Diui Augustini libro secundo de Doctrina Christiana capit. quadragesimo. Nam quod carmina auribus Dei sint gratissima, Flaccus ad Augustum in epistola. 1. libri secundi, in hunc modum dixit: Carmine Dij superi placantur, carmine Manes. Et Ouidius libr. 1. Tristium: Exorant magnos carmina sępè deos. Quinimo nec preces olim ad diuos fundebantur soluta oratione apud Ethnicos Theologos: sed metrica, vt patet ex hymnis Pindari. Et Macrobius libro secundo, in Som. Scipionis, capit. tertio, in sacrificijs, & Deorum laudib⁹ carmina olim adhiberi solita dicit. Quod & ex Neotericis tradit Bartholomæus Cassanæus Catalogi gloriæ mundi. part. 10. considerat. 51. Et Aristotel. libr. 1. Cæli Deum hymnis honorari solitum à Pythagoricis tradit. De quo Iacobus de Valentia super, Te Deum laudamus. Ex dictis omnibus infertur, quod cum cantus, atque musica diuinis officijs & orationibus admixtus, tum ad laudandum Deum, tum ad gratias agendum, tum etiam ad ea, quibus indigemus, impetrandum valde conducat, ratio naturalis dictat, vt eis in Ecclesia vtamur, sicut de facto vtuntur fideles.

Cantus cō gruit gratiarū actio

Cantus cāgruit petitionibus.

¶Potest præterea id ipsum alia ratione probari, quæ talis est: omnis religionis cultus in nostram vtilitatem est institutus, sed inest cantui atque musicæ, ad animi nostri affectus sedandos inflammandamque mentem nostram in Deum, maxima vis: ergo ratio naturalis dictat illis in diuinis officijs esse vtendum. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur ex Aristote. 8. Politic. capit. 5. sic dicente: habet musica naturalem voluptatem, per quam illius vsus cunctis ætatibus, cunctisque moribus est acceptus. Et infra: Harmoniarum distincta est natura, ità, vt qui audiunt aliter disponantur, nec vno modo se habeant ad vnamquamque ipsarum, sed ad qualdam flebiliter, & contractè magis, puta, ad eam, quæ appellatur Lydia mixta; ad quasdam verò mollius secundum mentem, ad aliam mediocriter. Phrygia verò distrahit, ac

Alia ratio exclusiua.

ac rapit animum, &c. Ex quibus tandem colligit Musicam posse animi mores in melius permutare, quam ob causam pueri in ea sunt instruendi. Quod, & docet Philo libro de agricultura, pagina. 166. Docet præterea ibidem Aristoteles cognationem quandam esse nobis cū harmonijs & rhythmis, & multos iam olim sapientes dixisse, animum hominis autelse, aut habere harmoniam. Isti vero sapientes fuere ante Aristotelem Pythagorici, & Platonici, & post ipsum Iamblicus, Alexander Aphrodisæus libro primo, problemat. problemat. 119. Quintilianus libro primo, capit. decimo sexto, Boetius libro primo, de Musica, cap. primo, Plutarchus in Sympotiacis, & ex modernis Cælius Rhodiginius libro quinto, lectio. antiqua. à capit. vigesimo, sed præter liquis Diu. Augustin. libro nono Confes. capit. 6. & 7. vbi ait. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis suauè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & exæstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum illis. Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, & exhortationis celebrare, magno studio fratrum canentium vocibus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Iustina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo suo seruo tuo. Ibi mater mea ancilla tua solicitudinis, & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc frigidi à calore spiritus tui, excitabamur tamen cinitate actonita, atque turbata. Tunc hymni, & psalmi, vt canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret: institutum est; & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cæteras orbis imitantibus. Et libro decimo, capit. trigesimo tertio, iterum ait. Nunc in fontis, quos animant eloquia tua, cum suaui & artificiosa voce cantantur, fateor aliquantulum acquiesco, non quidem vt hæream, sed vt surgam, cum volo. Omnes enim affectus nostri habent proprios modos in voce & cantu, quorum nescio, qua occulta familiaritate excitentur. Et paulò infrà: Cùm reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipsi commoueor. Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis apertè constat, quantum cantus Ecclesiæ mentibus audientium prodesse possint; si suaui modulatione cantentur. Huc etiam spectare dicit Diuus Thomas. 2. 2. quæstione nonagesima prima, illud Isaiæ capit. quadragesimo octauo. Laude mea infrænabo te, ne intereas. Nam diuinis canticis infrænatur homo, & coercetur, ne per vitiorum præcipitium rapiatur. Scio hunc locum Isaię sic ab alijs verti. Frenum injiciam mihi tui causa, vt sint verba Dei, qui propter nos aliquando humanitatis frænum sibi iniecturus erat, quo à furore, & ira, qua olim in homines solebat sæ desœre, seipsum repararet, & cohiberet. Sed de hoc alibi.

Mens nostra habet cognationē cū musica.

D. Augus.

Nota.

¶Secunda conclusio: Hac nostra ætate in cantu, & musica sacris officijs adhibita, non rectus fetuatur modus, sed sunt multa inordinata, & reprehensione digna. Probatur: Omnis exterior psallendi, & cantandi ratio in Ecclesia, ad interiorem animi deuotionem excitandam, & alendam, est instituta: ergo tantum illud, quod ad id conducit est probandum, & cætera sunt reprehendenda. Admiscentur autem hac nostra ætate, multa in canticis, quæ potiùs obstāt, quam prosunt deuotioni: ergo illa non conuenientia, sed magis inordinata, atque peccatum erunt dicenda. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur, aliquibus in medium adductis, quibus hac nostra tempestate in canticis delinquitur. Primum est summum studium, quod ponitur in eo, quod officium canonicum magna vocum, & instrumentorum varietate decantetur, inductis ad id, summo pretio, magnis, & peritissimis hominibus. Cùm tamen in Ecclesia multa alia sint maioris momenti, quæ neglecta iacent. Ex quo fit, vt canonici, qui habent munus cantandi diuitijs, & honoribus abundent. Parochi verò, qui altius in Ecclesia munus exercent, docendi, scilicet, & erudiendi populum Christianum, nulla ratione cum his, nec in honore, nec in diuitijs veniant comparandi: quod bene deplorarunt patres concilij Tridentini. Alterum vitium, hac nostra tempestate in musica inuentum est, quod multa taliter canuntur, vt nullo modo quid dicatur, percipi possit. Quo fit, vt fructus in verbo diuino, in psalmis & hymnis existens, pereat.

2. Cōclusio

Sed dubitabit aliquis hoc loco, an inter sacras preces licitum sit quidquam decantare, quod in sacris libris non contineatur. Vt, verbi gratia, carmina humano ingenio composita. Concilium enim Laodi

cense

Universidad de Deusto
Biblioteca

censẽ canone vltimo, id omnino interdicere videtur. Sed in hoc sit tertia conclusio: Hymni, & orationes humano ingenio compositæ, prudenter tamen, atque piè, licitè possunt in diuinis officijs vsurpari. Hanc cõclusionem diffinit concilium Toletanum. 4. capit. duodecimo. Vbi ex ijs hymnis, quos Hilarius, & Ambrosius composuerunt, eos approbat, quibus nunc vtimur. Potest etiam idem probari, ex illo versiculo: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Et ex adiunctis cantico Angelorum, nempe, Laudamus te, &c. & ex vtiuersis orationibus; quas nunc cantat Ecclesia, quæ ingenio humano fuerunt compositæ, nec in sacris literis continentur.

3. Cõclusio

4. cõclusio.

¶Quarta cõclusio: Orationes & carmina humano ingenio cõposita, quæ aut verbis, aut sententia sunt inepta, cuiusmodi erant plurima in breuiarijs antiquis, nulla ratione possunt licitè diuinis officijs admisceri. Hoc dicit expressè concilium Laodicense citatum. Et ratio est manifesta. Nam illa verba, & carmina sua ineptitudine aures audientium offendunt, eorumque animos diuertunt, quod est contra finem orationis.

5. & vltima conclusio.

¶Quinta conclusio, & vltima: Miscere sacris precibus carmina, vel obscœna, vel profana, vel ioculatria, aut illorum numeris vti in psallendo, res est perabsurda, peccatumque mortale ex genere suo. Dico ex genere suo. Nam aliquando ex leuitate materiæ, vel ex pio affectu dicentium (vt quãdo, quis animo aliquorum dierum celebritatẽ omnibus modis reddendi lætissimam, id facit, quanuis non secundum scientiam) tantum erit peccatum veniale. Probatur nostra conclusio. Tum, quia huiusmodi carmina non solam faciunt perire fructum deuotionis, cuius causa oratio est instituta; sed etiam, quod peius est, animos hominum risu dissoluunt, & ad lasciuiam conuertunt, illaque re, qua meliores efficiendi erant, peiores sed duntur. Tum etiam, quia & locis, & rebus sacris, & ipsi Deo magna fit irreuerentia. Estque summopere dolẽdum, quòd id, quod honestus homo coram se dici nunquam esset passus, etiam in conuiuijs, illud publice altâ voce inter sacras preces, vbi ad modestiam, & temperantiam addiscendam conuenimus, cantetur.

Ad. 1. arg.

¶Restat nunc respondere ad argumenta in principio facta. Ad primõ, vt respõdeam, aduertendũ est, dupliciter esse orationem quæ coram Deo fit: vnam priuatam à singulari persona factam, aliam publicam, quæ ab hominum conuentu in vnum congregato fit. Primam orationem expedit magis esse cum silentio, quam cum clamore. Tum, quia sic cum clamore orans impediret alium, ne ità quiete apud se orare posset, cum suis vocibus alterius sensum ad suos sermones raperet. Tum etiam, quia sic publicè orans, suas secretas petitiones, quas fortè non expedit alium scire, in auribus bonorum, & malorum audiendas committeret; & ita contingeret, vt ab hominibus, quibus sua secreta reuelat, deriderẽtur. Ex propter hoc laudatur Anna Samuelis mater, de qua ortẽ te Dominum pro impetrando filio dicitur in libro primo Regum: Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Itaque primum argumentum ab hæreticis factum procedit de oratione particulari, nos autem in præsenti loquimur de orationibus communibus, quibus musicam adiungi, honestum, & congruum iudicamus.

Ad. 2. arg.

¶Ad secundum argumentum respondetur, Christum illis verbis non prohibuisse publicè orare, sed tantum prohibuit, ne hac intentione, aut animo quis oret in publico, vt ab alijs videatur. Itaque non prohibet opus, sed intentionem. Quod ità esse colligitur ex præcedentibus ejusdem Christi verbis. Præcedentia enim, & subsequentia sunt, quæ verum literæ sensum manifestant. Præcedentia autem Christi verba hæc sunt. Cum oraueritis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Et statim subiungit: Tu autem cùm oraueris, &c. Præcedentibus verbis prohibuit intentionem malam, vt constat, quæ est, cum quis orat, vt videatur ab hominibus. Et sequentibus præcipit bonam intentionem, videlicet, vt hac sola intentione oret quisque, vt videatur à Deo. Vnde, si quis, hac intentione, etiam publicam orationem faciat, intentio sua est secreta, id est, vt secretè fiat, quia ad solum Deum eam dirigit, quanuis opus fuerit publicum. Et in hoc bene agit. Imò sæpe necesse est, vt sic fiat. Quoniam vt ait Diuus Augustinus, Si nõ habuerimus inspectores, nullos etiam habebimus imitatores. Si verò orans optat ab aliquo videri, quantumlibet claudat ostium cubiculi, in quo orat, iusta tamen Christi intentionem, in publico orat, quoniam Christus magis animum attendit, quam opus. Et opus ipsum nunquam bonum, aut malum censetur, nisi, quia à bono, aut à malo animo procedit.

Ad. 3. arg.

¶Ad tertium argumentum respondetur, concesso

concesso antecedenti, negãdo consequẽtiã. Non enim ideò cantus & Musica orationibus adhibentur, vt à Deo intelligi, aut videri possint, sed vt mentes nostræ deuotione accendantur, vt ex supra dictis patet. Nec est cur propter id cantantes in Ecclesia sacerdotes Baal appellentur, sicut illos vocauit Vvitcleff. Nã, quãuis, verũ fuerit, quod Helias sacerdotes Baal reprehẽderit, seu potius deriserit sub his verbis: Clamate voce maiori, Deus enim vester forsitã cũ alio loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur: nõ reprehendit clamorẽ, sed tantum illorũ errorẽ, quo credebãt, Deũ egere altioribus vocibus, vt audire posset. Qui autem orat cum clamore, & cantu credens Deũ æquè audire voces submissas vt altas, imò, quod maius est, audire clamores cordis, iste sic credens, licet orãs clamet, non errat. ¶Ad quartũ argumentũ respõdetur, non esse simile, quod in eo ab humana maiestate, ad diuinam transfertur quantũ attinet ad præsens institutum. Ideò enim non decet coram humanis principibus preces cãtando fundere; quia non sunt tanquam Dii colendi, tametsi, & heroum laudes, vt supra diximus in ipsorum præsentia cani soleant. ¶Ad vltimum argumentum respondetur, quod autor operis imperfecti, eo in loco, solum loquitur de oratione particulari, in qua, quia clamor necessarius non est, quicunque clamat, credere videtur Deum non esse vbique, aut secreta non audire, quod impium est. De alijs autẽ malis iam diximus in solutione ad primum.

Ad. 4. arg.

Ad vltimũ argument.

3. Dubiũ.

¶Tertium dubium principale huius articuli est, qui nam sint illi, qui horas Canonicas dicere ex præcepto teneantur. Et quoniam omnis ista obligatio ortum habere debet ex iure positiuo, quod de meris secularibus nihil dicit, de clericis solum in præsenti erit sermo. Tres autem sunt causæ, secũdum communem omniũ Doctorum sententiã, ex quibus tantũ intelligi potest, obligationẽ ad recitãdas horas Canonicas ortũ habuisse. Nẽpe, vel propter ordinẽ sacrum, quẽ quis suscepit, vel propter stipendiũ Ecclesiasticũ, quod accipit, vel propter votũ religionis, quod emisit. De quibus suo ordine erit dicendũ. Et quidẽ, quantũ attinet ad primã causã talis statuitur cõclusio: Quicũq; initiati sacris ordinib⁹, quos maiores vocãt, nẽpe, subdiaconatu, diaconatu, aut presbyterio tenẽtur ex præcepto Ecclesiastico, singulis diebus horas Canonicas recitare. Hãc tenent cõmuniter Canonistæ super cap. presbyte. de celeb. miss. Et est sententia D. Thomæ quodlib. 6. artic. 8. quem communiter sequuntur omnes Theologi. Nam, quanuis in dict. cap. presbyter, quod ex cõcilio Agathẽsi est desumptũ de solo presbytero fiat mẽtio, Innocentius tamen in cap. dolẽtes, minores etiã clericos exprimit, scilicet, diaconũ, & subdiaconum. Et clarius id fit in capit. fin. 92. d. & in cõcilio Basilien si sess. 21. Ratio autẽ, quæ iuris Pontificij autores mouere potuit ad huiusmodi præcepti impositionem ea est, quòd cum illi, qui sacris initiantur singulari Dei cultui sint mancipati, in illoque constituti statu, qui ad diuinas laudes institutus est, iuxta illud Isaiæ capit. quadragesimo tertio, Omnem illum, qui inuocat nomẽ meum, in laudem meam creaui illum; ratio postulare videbatur, vt qui in clericorum ordinẽ suscipitur, vinculo laudandi Deũ modo atq; ratione ab Ecclesia sancito, sit astrictus.

1. Cõclusio Clerici in maioribus ordinib⁹ cõstituti tenẽtur dicere horas canonicas.

¶De clericis autem, qui in minoribus ordinibus sunt constituti; nec aliqua potiuntur Ecclesiastica præbenda, quanuis Panormitanus in capi. presbyter. iam citato, dicat eos teneri ad Canonicas horas, tanquam illi, qui vt nomen clerici præsefere, in sortem Domini sunt assumpti, & Paludanus in. 4. distinctione. 15. quæstione. 5. affirmet, quod ad aliquid plus tenentur, quam laici, proculdubio dicendum est, eos nec ad horas Canonicas obligari, necad canticum graduum, nec ad aliquid aliud. Nec est aliqua lex, aut consuetudo, quę talem inficiat scrupulum, nec Episcopus ad id potest obligare, vt recte docet Nauarro in Enchiridio. de oratione. cap. 7. & Syluester in summa. verbo. hora-quæstio. 2. & Soto lib. 10. de Iustitia, quæstione. 5. articulo. 3. Et ratio est. Nam, quanuis clerici minoribus ordinibus initiati in sortem Domini assumpti dicantur; non tamen ità assumuntur, vt firmiter statũ mutent. Quandiu enim integrum est illis vxorem ducere, si velint, statum firmiter mutare non sunt censendi: præterquam q⁹ functio illorũ ordinum in solo præparamento templi, vasorumque finitur, nec habent proximum ordinẽ ad Eucharistiæ sacramentũ, sicut officiũ diaconi & subdiaconi. Quo fit, vt nec Ecclesia eis obligationem aliquid recitandi imposuerit. Et in ijs, quæ sunt de iure positiuo, vbi lex nõ obligat, nec nos obligare debemus.

Clerici in minoribus cõstituti, nec ad horas cãonicas nec ad iliquid aliud, tenẽtur.

¶Secunda conclusio: Quicunque habet Ecclesiasticum beneficium, aut præbendam, sub clericali titulo, sub reatu peccati mortalis tenetur, singulis diebus, integrum canonicarum horarum officium persoluere. Et est intelligenda conclusio cum præcisione, sicut, & præcedens. Vt sit sensus, quod sicut ordo sine beneficio

2. cõclusio. Beneficiati tenẽtur horas canoni cas dicere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

obligat: ità & beneficium absque ordine sacro. In hac conclusione similiter conueniũt omnes Doctores. Et quamuis expressè non sit in iure posita, colligunt illam ex eo, quòd presbyter iam citato, cuius verba sunt quæ sequũtur: Presbyter, aut diaconus, vel quilibet clericus Ecclesiæ deputatus ad quotidianũ officium teneatur. Vbi verbo, deputatus, intelligunt eum, qui licet non sit presbyter, aut diaconus, Ecclesiasticis tamen ministerijs ratione alicuius beneficij est addictus. Pro eodem etiam facit textus in cap. finali de scrip. lib. 6. Vbi dicitur, beneficium non dari, nisi propter officium. Est enim propriũ ac peculiare clerici officium, canonicarum horarum pensum persoluere. Quare quidquid negotij ei incubuerit, siue sit literatũ studium, siue gubernandi, aut legendi munus, aut etiam prædicandi, postponendum erit sacrarum horarum recitationi. Eo vel maximè, quod, vt vulgò dicitur, tempus statis orationibus dicatum, ex quocunque alio negotio succidaneo, non impedit, Deo sic disponente. Quod & se expertum fuisse testatur Nauarro in Manual. cap. 23. nu. 101. Vbi agens de impedimentis, quæ possunt excusare à debito canonicarum horarũ persoluendo, inter alia dicit: Quando occurrit necessitas habendi prælectionem in concursu publico, vel exercitationum defensionem, quæ rectè facere plurimum reipublicæ, vel priuatæ personæ interesset, & eorum studio; & precum recitatio se non compateretur, quamquam ipse vsque ad illud diem nunquam horarum recitationem ante, vel post eiusmodi actus omisisse dicit, quamuis frequenter ei occurrerint, nec ob geminas in die lectiones, quas nullis annis Tholosæ, & Cathurci primum, deinde Salmanticæ & Conimbricæ habuit, nec ob quaternas toto vno anno in Gallia singulis diebus, etiam festis. Attento quod sine ope diuina nihil; & cum ea omnia fieri possint: iuxta illud Paul. ad Philip. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat Christus. Huius sanctissimi viri exemplum in medium adducere placuit, vt firmissimum habeant clerici, nullo ex causa, horarum recitationem prætermittere. In eiusdem secundæ nostræ conclusionis confirmationem addunt solet à Canonistis capitũ secundum, de prębendis. Vbi dicitur clericos omnes ad onus eligi, atque adeò à mercede depellendos non esse. Et subinde subditur, vt nemo sine titulo, aut beneficij, aut patrimonij ordinetur. Et si secus fiat Episcopus ei victũ præbeat. Ex quo loco sic colligunt argumentũ. Merces propter onus debetur, vt ex tua affirmat: sed propriũ munus clerici est dicere officium: ergo ex quacunq; præbenda hæc nascitur obligatio. Dixi notãter in conclusione, sub clericali titulo. Nã qui titulo secularis decimas percipit, vt regas, & equitas, & cõgruator, & lector, & cæteros huiusmodi canonicarũ horarũ pensum nõ obligantur, vt cõmuniter fatẽtur Doctores. Vtrũ De habẽte autẽ illi, qui beneficia habẽt præstimonialia hui beneficad earundẽ horarũ recitationẽ teneãtur, va eas pro rietate opinionũ disputatur à Doctoribus mumalia. Soto lib. 10. de Iustitia, q. 5. ar. 3. parte tenet affirmatiuã. Et ratio illi? est: Nã titulus, quẽ similes beneficiati habẽt, est clericalis, & nõ secularis, atq; adeo obligantur ad omnia ea, ad quæ alij beneficiati tenẽtur. Et cõfirmatur ex ca. quoniã, de cõcessione præbẽdæ li. 6. vbi talia præstimonia inter cæteros Ecclesiasticos titulos cõnumerantur. Alij tenẽt cõtrarium, dicẽtes, quod huiusmodi beneficia præstimõnialia nõ obligant suos possessores ad officiũ diuinũ persoluẽdũ. Et ratio illorũ est; quoniã putant eos nõ sumere hæc beneficia ab Ecclesia, vt ei ministrent, sed vt illorũ opibus adiuti studio literarũ, ad quod propriè sunt instituta, vacare possint. Et quidẽ si hæc ratio aliqua certa iuris auctoritate cõstaret, opinio esset satis probabilis: sed quoniam non constat, nec eius rei determinatio nẽ in iure inuenire põtui, primã sententiã, sicut decuriorem ita etiam & veriorẽ, atq; tenendam puto. De sensionarijs, quoniã nullã habẽt Ecclesiasticam titulum, sed merũ ius petendi ab eo, qui titulum habet, certũ est, eos non teneri ad diuinum officium dicendum, obligantur tamen recitare officiũ pãrum beatæ Virginis; propter proprium motum Pij Quinti, quẽ refert Nauarro in Manuali cap. 25. nume. 122. quod & nos latius probauimus supra q. 83. ar. 2.

¶ Sed quoniam sæpe fit, vt plus contingit clericum aliquem alicuius beneficij titulum habere, nullum autem ex eo commodum, aut fructum recipere: atque etiam contingit beneficium, quod habetur esse perexiguum, operæpretium erit, vt explicemus, an in his duobus casibus officium diuinum recitare teneatur. Et quidem quantum attinet ad primum casum Medina C. de oratione, cap. de necessitate: vocaliter orandi oratione publica, ea, partem tenet affirmatiuam, dicens, quod quicunque habet titulum beneficij, esto alias omnes fructus illius recipiat, etiam ex auctoritate, & iussu summi Pontificis, ad officium diuinũ dicendum obligatur. Solus enim titulus beneficij sufficiens est tutè inducere obligationem. Et ratio illius est: Nã cum beneficium cum illo onere acceptauerit, esto, fructus non percipiat, tenebitur hora Canoni-

cas dicere. Alioqui nec etiã teneretur ad officiũ in Ecclesia cõplendum, quod ipsum exigit beneficiũ. Cuius oppositũ aperte colligitur ex cap. clericus victũ. 90. d. Vbi habetur quod clericus, quẽ sui beneficij fructus alere non possunt, quærat suo artificio victum sine detrimento officij sui. Et si id sibi difficile fiat, imputet sibi, qui beneficium acceptauit, aut beneficium dimittat. Quod etiam videtur habere locum (cum eadẽ sit vtriusque ratio) in beneficiatis fructus non recipientibus, quando habent ius eos percipiendi, & per eos stat quominus percipiant. Hoc tamen non obstante, dico in præfato casu, vtendum esse distinctione. Nam vel ille, qui habens titulum beneficij, non percipit fructus, id facit sua sola voluntate, quia, scilicet, gratis alteri fructum concedit, aut, quia absens est, aut excõmunicatus. Vel certè id facit ex dispensatione summi Pontificis, qui titulo beneficij penes vno reservato voluit alteri fructus cõcedere. Si fiat primo modo, certum est, quod habens titulũ tenetur diuinum officium persoluere, esto, fructus non recipiat: quia habet ius illos percipiendi, quando voluerit. Si autem fiat secũdo modo, non tenetur. Ita asserit Caietanus in summa, verbo, hora, quem sequitur Soto lib. 10. de Iustitia, q. 5. ar. 3. & Nauarro locis citatis. Et ratio horum Doctorum est: Quia obligatio officij diuini persoluendi in clericis non religiosis tantũ oriri potest, vel ex sacro ordine, vel ex fructibus ab Ecclesia receptis, quorum neutrũ existit in isto casu. Nec valet obiectio superius posita, nẽpe, sibi imputet, qui tale beneficium acceptauit. Nam quod autoritate Pontificis sit alteri imputari nõ debet. Eo vel maximè, quod eo ipso, q̃ Papa sacerdotiũ suis fructibus priuat, videtur possessorem ab obligatione dicẽdi horas absoluere. Secus esset, si per illũ, qui præbẽdam possidet staret, vt fructus non percipere. Vt si absens esset, & nihil lucraretur, aut si parentes, vel consanguinei ex eius volũtate fructibus gauderent. Tunc enim à soluendo debito canonicarum horarũ nõ esset absolutus. ¶ In secundo casu, quãdo beneficiũ est perexiguum, similiter sentit Medina loco citato, quod illud possidens tenetur diuinum officium persoluere. Quã etiã sententiã sequitur Nauarro atq; Sylueit. ver. hora. §. 3. illamque probat ex ca. clericus victũ, modo citato. Vbi habetur, q̃ clericus, quẽ sui beneficij fructus alere nõ possunt, quærat suo artificio victũ sine detrimẽto officij sui. Et si id sibi difficile fiat imputet sibi, &c. Hoc tamen nõ obstãte, dico, lõgè esse probabilius, q̃ qui valde tenue habet beneficiũ ad recitandum diuinum officium nõ obligatur. Ità tenet Soto loco citato: quẽ communiter sequuntur recentiores Theologi. Et ratio illius est: Tum, quia beneficium perexiguum in iure, vix habetur pro beneficio, cuius rei signum est, quod possunt plura illorum ab eodem simul obtineri. Tum etiã quia quod parum distat nihil distare videtur, vt habet regula iuris. Et tandem: Quia obligatio recitandi diuinum officium in beneficiatis, ortũ habet ex accepta mercede, & qui tenue habet beneficium, absolute loquẽdo, mercedem recipere non est dicendus. Quod autem tenue dicatur beneficium, arbitrio prudentis viri relinquitur iudicandum, qui sententiam proferes habita ratione temporis, loci, personæ, & aliarum circunstantiarum, quæ clerici sustentationem poterunt facere difficiliorem, hoc præsuppositio tanquã certo, quod quãuis tale beneficium congruę clerici sustentationi non sit sufficiens, si tamen adiuuet bonæ illius parti, à debito recitandi horas Canonicas non excusabitur. Nã in hoc casu loquitur capitulum superius positum, & nostra sententia procedit, tantũ in beneficijs adeò tenuibus, vt beneficij nomẽ vix mereri possint.

Egregia laus Doctoris Martini Nauarri

Sententia autoris.

De eo qui habet beneficium perexiguũ sententia autoris.

Habẽt beneficiũ in cõmẽda tenẽtur horas Canonicas dicere.

¶ Ex dictis omnibus infero primo, q̃ ille, cui collatum fuerit beneficium in commendam, sicut interim, q̃ beneficiũ habet tenetur per se, vel per alium Ecclesię sibi cõmisse officium complere, ac si sibi datum esset in titulum (cum enim Ecclesia pastore carere non debeat, qui eidem ministret, is qui eam in commendam, interim quod alter in titulatur, accipit, illud idem onus, in illo interim, suscipit, quod esset intitulatus acceptarus. Est enim velut substitutus alicuius cathedratici, aut alterius officialis, cuius vicem & obligationem in se suscipit tempore substitutionis) ità etiam & ad recitandas horas Canonicas obligatur pro illo interim, quo beneficium habuerit in cõmendã. Eo vel maximè, quod ius habet fructus beneficij percipiẽdi, si voluerit, ad quod obligationem, diuinum officium persoluẽdi sequi, diximus.

Capellani tenentur dicere officiũ diuinum.

¶ Infero secõdo, q̃ cui capellania collatiua data fuerit ad Canonicas horas dicẽdas obligatus erit. Cũ enim capellaniæ huiusmodi, etiã si de iure patronatus sint, beneficia sint Ecclesiastica, non releuabuntur ea possidentes, ab onere recitandi diuinum officiũ, quãuis munus capellaniæ per alios suppleant. Sicut nec cæteri beneficiati à debito recitandi horas Canonicas releuantur, per hoc, quod capellanos habeant, qui sibi collatis Ecclesijs ministrent. Est enim obligatio di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cendi horas Canonicas personales, hoc est, personis ipsis, quæ ad ordinem sacrum, aut beneficium promoti sunt, iniuncta. Ideòque, nisi per se ipsos eas persoluant non satisfaciunt. Excepto, nisi ob aliquam iustam causam excusentur: de quo postea dicemus.

4. Dubiū. De monachis in sacris ordinibus non cōstitutis.

¶Explicatis iam duobus titulis, ex quibus obligatio recitandi horas Canonicas sub oriri potest, nempe, ordine sacro, & Ecclesiastico beneficio, superest, vt dicamus de tertio, scilicet, voto solenni. Dubitatio q; est, vtrum monachi, ex eo solum quod monachi sunt, secluso sacro ordine, ex Ecclesiæ præcepto teneantur diuinum officium persoluere. Dico ex præcepto Ecclesiæ. Nam ex vi suarum constitutionum, certum est, quosdam posse obligari ad culpam, & alios ad pœnam, pro diuersitate legum, sibi impositarum. De nostris religiosis non est dubitatio, quod, nisi in sacris ordinibus sint cōstituti, ex vi nostrarum legum, quæ suos transgressores non ad culpam, sed ad pœnam obligare velle dicunt, non tenentur sub mortali horas Canonicas dicere. Et idem fatetur Dominicus de Soto, de religiosis Dominicanis. Cæterum, vtrum ad id teneantur ex Ecclesiæ præcepto omnibus votum solenne emittentibus impositō, quale est illud, quod diaconos & subdiaconos obligat, maiori varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Caietanus in summa verbo. horæ Canonicę. fatetur se nullo modo videre, qua ratione huiusmodi religiosi teneantur, nisi ex consuetudine. De qua vtrūm obliget, nec ne, multum dubitare dicit. Medina Codic. de oratione. capit. de necessitate vocaliter orandi oratione publica, absolute dicit, quod non tenentur. Potestque probari hæc sententia pluribus argumentis. Primo sic: Monachi, de quibus loquimur, non obligantur officium diuinum persoluere ex ordine sacro, nec ex beneficio, nec ex voto solenni: ergo nullo modo obligantur. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Et primò, quod non obligentur ex ordine sacro, nec ex beneficio, est res manifesta: Nam ità ex hypothesi supponimus. Quod autem, nec etiam obligentur ex voto solenni, probatur. Quia, ipsi tantum vouent tria vota essentialia, in quorum nullo, nec virtualiter, nec formaliter obligatio dicendi horas Canonicas continetur. ¶ Secundo sic argumentor: Autore Diu. Thom. 2.2. quæstione vltima, articulo octauo, in solutione, ad. 2. hoc differt status monachorum ab statu regularium canonicorum, quod istis, scilicet, canonicis regularibus per se competit, vt sint clerici, addictique sint Ecclesiasticis ministerijs: ordo autē monachorum per se institutus, est contēplationis gratia, & per accidens competit illis, vt sint clerici: ergo quandiu clerici non fuerint ex eo, quod monachi sunt, non tenebuntur diuinum officium persoluere. ¶ Tertiò: Autores contrariæ opinionis ex eo obligant monachos horas Canonicas dicere, quia viuunt ex eleemosynis, sed hæc ratio nihil valet: Tum, quia eleemosynæ perceptæ nullam inducunt obligationem orandi, vt de se patet: Tum etiam, quia monachis, eo ipso, quod Deo sunt addicti, debetur victus atque vestitus à republica, quanuis nullū aliud Ecclesiasticum officium exerceant, Conducit enim quam maximè ad bene institutam rempublicam, vt sint aliqui, qui rerum diuinarum contemplationi insistant: ergo. Nec obstat esse aliqua monasteria, quæ decimas Ecclesiasticas percipiant. Nam, vt supra diximus, decimæ Ecclesiasticæ non semper inducunt obligationem recitādi diuinum officium. ¶ Quartò: Si monachus ex vi voti solennis teneretur horas Canonicas dicere; sequeretur, non posse eum ab eo vinculo eximi, nisi ex dispensatione summi Pontificis: consequens autem est falsum: nam, si frater aliquis ex chorista fieret laicus, ad quod sola prælati voluntas est sufficiens, non tenetur diuinum officium persoluere ad modū aliorum fratrū, qui choro inseruiunt, vt omnes Doctores fatentur: ergo nec anteà tenebatur.

Sententia Caietani et Medinæ.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

4. argum.

¶Contrariam tamen sententiam tenent communiter omnes Doctores tam Theologi, quam Canonistæ, Syluester verbo. hora. q.2. Antoninus. 3. p. titu. 13. cap. 4. Soto libri 10. de Iustitia, q. 5. ar. 3. Nauarro in Enchir. de oratione, cap. 7. numer. 2. & 5. Paludanus in 4. d. 15. q. 5. Panorm. & alij in capit. licet. extra. de voto. Et rationes, quæ pro hac sententia adduci possunt potissimæ sunt duæ. Prima desumitur ex consuetudine, quæ vim habet legis. Secūda ex eo, quod monachi in singulis conuentibus tenētur in cōmuni horas Canonicas recitare. Ex quo colligi videtur, q; qui fuerint choro mancipati, quādo absunt, obligātur illud priuatim dicere. Quod enim aiunt multi, teneri eos ratione voti, ex cap. licet. de voto. est ridiculum. Cum ibi solū habeatur, quòd, si quis quid vouit illud soluere teneatur: religiosi autem tantū suscipiunt tria essentialia vota; & in reliquo policentur se victuros, iuxta præscriptum ordinem suarum constitutionum.

Sententia communis.

¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est primo, quod, vt constat ex Diu.

Nota. 1. Officiū diuinū per se non pertinet statui monachorū

Diu. Tho. loco à nobis nuper citato, ad monachorum statum propriè loquendo, nec pertinet, nec ex illo sequitur obligatio recitandi horas Canonicas publicè, aut priuatim; nec etiam obligatio exercendi alia munera Ecclesiastica, sed hoc pertinet clericis: & monachorum purum institutum est, vt renunciantes seculo, sibi viuant, Deoque vacent, vt patet ex Diuo Hieronymo, & habetur in decretis. 16. quæstione prima, capit. alia. & capit. sic viue. & capit. hic clericatus. Ex quo fit, vt eisdem monachis de per accidens conueniat, vt sint clerici. Quare olim maiori ex parte erant laici.

Nota. 2. Officiū diuinū inquatione pertineat statui monachorum.

¶Secundo est aduertendum, quod quanuis officium diuinum propriè, & per se non pertineat statui monachorum, posteà tamen fuit illis iniunctum; & vt colligi potest, propter duas causas, vnam congruentem, alteram necessariam. Causa congruens fuit: Quia cum monachi institutum esset Deo vacare, visum fuit conueniens prælatis monachorum certam quandam rationem laudandi Deum illis præscribere, vt ita in illo clericos imitarentur, sicut faciunt in concionando, & audiendis sacris confessionibus. Causa necessaria fuit. Quia monachi qui olim maiori ex parte erant laici, posteà maiori ex parte fuerunt sacris initiati. Est autem sancitum in iure, vt clerici sacris initiati interfint in Ecclesia publicis vigilijs, & precationibus, magnaque est pœna imposita ijs, qui id neglexerint, vt patet ex capit. clericus. & duobus sequentibus. 91. distinctione. Quia ergo clerici monachi non poterant commode adire Ecclesias secularium, necessariò factum fuit, vt ipsi monachi in sua domo publicè diuinum officium persoluerent. Et ob eandem causam adiuncta fuit singulis monasterijs sua Ecclesia, diuisiq; fuerūt monachi in duas partes. Vna illorū, qui sacris erāt initiādi, & appellātur clerici. Altera illorū qui nō erāt sacris initiandi, & appellātur laici, siue cōuersi. Taliter tamē, vt solo iussu prælati è laicis clerici, & ex clericis laici fieri possent sine vlla dispensatione.

Nota. 3. Qualiter cōsuetudo obliget.

¶Tertiò, est aduertendum, quod consuetudo, vt consuetudo est, ipsa per se nullā inducit obligationem legalē, sed eatenus obligat, quatenꝰ est indiciū, & argumentō legis, vel formaliter, vel virtualiter latæ. Vnde quādo extat lex, vnde nata est consuetudo, tunc cōsuetudo nihil amplius obligat, quam ipsa lex. Quādo verò non extat lex, tūc cōsuetudo indicat legem esse, in duobus casibus. Primus est quādo ità se res habet, vt qui violāt consuetudinē puniantur. Tunc enim respublica, eo ipso, quod punit violatores consuetudinis, satis declarat se velle, vt ea seruentur, quæ posita sunt in consuetudine. Alter casus est, quando omnes probi & docti viri vnanimi consensu iudicant peccare illos, qui violant consuetudinem. Nam taliam hominū sensus, tunc est idoneꝰ, & sufficiens indiciū publici iudicij, & voluntatis.

1. cōclusio.

¶His constitutis sit prima conclusio; Monachi tenentur diuinum officium dicere publicè, & in communi, in singulis monasterijs, si adsit opportunitas. Probat ex secūdo notabili. Monachi magna ex parte sunt sacris initiati: sed nō est licitū secundum iura, vt clericorum conuentus sit expers diuini officij: ergo tenentur in communi, in singulis monasterijs diuinum officiū recitare. Ex quo infero, prælatos monasteriorum mortaliter peccare, si oblata opportunitate non curauerint, vt officium publicè & in communi dicatur.

2. Cōclusio Monachi laici, vel nouitij non tenentur dicere diuinū officium.

¶Secunda conclusio: Monachi, vel laici, vel nouitij non tenetur dicere officium diuinum, nec aliquam partem illius. Hæc cōclusio partim est contra Paludanum in. 4. d. 15. quæst. 5. dicentem, nouitios sicut cæteros professos teneri recitare horas Canonicas. Et ratio illiꝰ erat, quia ita viuunt de eleemosynis, sicut cæteri, partim est contra Diu. Antoninum. 3. p. tit. 13. c. 4. ad id obligātem laicos, seu conuersos. Et quidem, quantū ad nouitios est res manifesta, quia nondū sunt religiosi, nec eleemosynæ perceptæ aliquā inducunt obligationem orandi, vt dicitur in tertio argumēto. Quantum autem ad laicos seu conuersos, probatur: Nam illorum munus non est vacare rebus Ecclesiasticis, sed ministrare. Quare quòd præfecti religionis laicorum ordini orandum iniunxerint, non aliam vim habebit præcepti, quam quæ in tali religione exprimitur. Et quia in ordine nostro illud vinculum non obligat ad culpam, nisi, vbi contēptus adfuerit, sed ad pœnam pro arbitrio prælati, laici officium sibi præscriptum relinquentes non peccabunt mortaliter, imò nec venialiter, nisi aliunde ratio culpæ orta um habuerit. De hac cōclusione quantum ad vtranque partem videndus est Syluester verbo. hora. q. 2.

3. cōclusio. Monachus semel, aut iterū non dicens officiū diuinū non peccat mortaliter.

¶Tertia cōclusio: Monachus chorista, qui sacris non est initiatus, semel, aut iterū non dicens officium diuinum, meo iudicio, non peccat mortaliter. Hāc conclusionē mihi faciunt probabilē argumēta facta pro opinione Medinæ. Et certè videtur valde durū, & à pietate Christiana alienum, mittere aliquē in infernum, aut dicere, quod peccat mortaliter, sine euidēti, aut certa ratione. Et ad argumētū de cōsuetudine factū pro opinione

Universidad de Deusto
Biblioteca

communi respondeo, quod cum in singulis ordinibus sit præceptum, quod tam in communi, quam in particulari officium diuinum dicatur, est probabile talem consuetudinem ortum habuisse ex illo præcepto, atque adeò non obligare magis quam ipsum præceptū, quod nec ad mortale, nec fortè ad veniale obligat, vt diximus, iuxta doctrinam à nobis traditam in tertio notabili. Ad aliud, in quo ex obligatione, quam monachi in communi habent recitandi horas canonicas colligitur eadem obligatio in particulari, respondetur, concesso antecedēti, negando consequentiā. Nam, quod teneantur in cōmuni, causa est, quod monachi magna ex parte sunt clerici; & iure sancitum est, vt clerici sacris initiati in Ecclesia publicis vigilijs & precationib⁹ intersint, vt diximus in secūdo notabili. Ex hoc autem non infertur, quod qui absunt à choro, si non sunt sacris initiati in particulari diuinum officium dicere teneantur.

Vltima conclusio. ¶Vltima conclusio: Monachus chorista, qui per magnum temporis spatiū horas canonicas non recitaret, aut per negligentiam crebrò illas relinqueret, hunc ego non audeo excusare à peccato mortali. Hanc conclusionem non alia ratione probo, quam cō muni consensu, atque iudicio bonorum, & sapientium virorum, qui in re morali pluri mum valere debet. Dixi autem, per negligētiam. Nam ex iusta & rationabili causa, sicut à cletico seu beneficiato officium diuinū iustè, & sine peccato prætermitti potest: ità etiā à monacho. Quæ verò sint causæ iustæ, atque legitimæ officij diuini prætermittendi ab illis, qui illud ex iure dicere tenentur, declarat Nauarro in Manua. cap. 25. nu. 100. & sequentibus. Qui illas reducit ad quinq;. Prima est infirmitas eiusmodi, ob quam directè, vel indirectè precū recitatio infirmo noceret, iuxta Innocentium, & Hostiensem in cap. 1. de celebra. missi. quod videtur intelligendum de nocumento notabili, quod sequeretur non solum recitando horis debitis, sed etiam ante vel post illas, vsque ad mediam noctem, & recitando etiam cum socio, si eum haberet, alias non, vt latè ostendit idem Nauarro in Enchiri. de oratione capit. vndecimo. Ex quo infert febrim, quæ statis horis recurrit, non excusare illum, qui ante, vel post illas commode dicere valet, & consequenter, nec febrim quartanam, aut aliam leuem quæ grauium negotiorum, aut rerum colloquia, vel dispositionem non impedit quo sit, vt multos arbitretur nimis facile se excusare. Cæterum sicut non est opus post ægritudinem repetere horas in illa omissas, vt dicunt Innocentius & Hostiensis communiter recepti in dicto capit. primo, ita etiam non est opus eas ab alio recitante audire tempore ægritudinis, vt docet Paludanus in. 4. distinctione. 11. quæstione 5. articulo. 2. conclusione. 1. Nec contrarium sentiunt Innocentius & Hostiensis, quidquid dicat Gerardus de assiduitate orandi, colum. 4. Nec etiā est necesse loco horarum mēte Deum precari, quanuis contrarium dicat Maioris in. 4. d. 12. q. 6. post decimum argumentū, sine textu, aut ratione concludente.

1. causa præmittēdi diuinū officium.

Monachus crebro relinquens officiū diuinū, peccat mortaliter.

¶Secunda causa, à recitando excusans est occupatio repentina, quæ, aut sine scādalo, aut sine peccato omitti non posset, vt si necesse foret horas omittere ad sedandos populi tumultus, qui excitarentur, aut ad concionem quæ sine scandalo, aut magno damno omitti non posset, necessaria pararentur: & idem est dicendum, quando occurrit necessitas habendi prælectionem in concursu publico, vel conclusionum defensionem, quæ rectè facere plurimum reipublicæ, vel priuatæ personæ interesset, & eorū studiū, & precum recitatio se non compateretur. De hac causa videndi sunt Henricus de Gādauo, quodl. 15. q. 12. & Syluester verbo hora. q. vltima.

2. causa excusans à debito recitādi horas.

¶Tertia causa, est defectus breuiarij, siue id sua culpa, siue absq; ea cōtingat, quia quis peccet breuiariū, sibi non comparando, aut illud proiiciendo, non tamen peccat, nō recitando, cum id præstare nequeat, modo iuste pœniteat illud nō comparasse, argumē tum leg. impossibiliū. ff. de reg. iur. & ca. nemo ad impossibile, eodem titulo. lib. 6.

3. causa excusans.

¶Quarta causa est dispensatio summi Pōtificis, iuxta Cardinalē Turrecremata in ca. Eleutherius. 91. d. Scio Panormitanū in d. c. 1. de celeb. miss. affirmare, quod Papa nō potest facere, vt clerici non teneātur ad horas, quanuis possit dispensare in modo dicendi, hoc, vel illud officium. Quod etiā affirmāt sum. Ange. & Host. Quorum fundamētum est, quoniam existimant hoc esse de iure diuino iuxta illud Psalmi, Septies in die laudē dixi tibi. Sed si hęc ratio aliquid valeret pari ratione sequeretur, nec etiā posse dispēsare Papā in vigilijs matutinis. Quoniā idē propheta dicit: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Quare dico, non esse de iure diuino omnia, quæ leguntur facta in scriptura. Alioquin teneremur pugnare cum Golia & bestiis, vt Dauid fecit. Sed ea tantum, quæ ibi fieri præcipiuntur præcepto morali, & non iudiciali, aut cæremoniali. De quo videndus est Diu. Thom. 1. 2. quæstione centesima tertia. Et cum in sacris

4. causa.

sacris literis non præcipiatur septem canonicarum horarum recitatio, quanuis sit illis conformis, manifestè sequitur earum dicendarum obligationem esse solum de iure positiuo, atque adeò posse summū Pontificem in illa dispensare, licet rarissimè soleat.

5. causa excusans à debito recitādi horas.

¶Quinta causa est, quando quis non tenetur diuinum officium recitare, nisi ratione alicuius beneficij, & nullos eius fructus per se, aut per alium capit, imò nec capere potest, nec in posterum est capturus. Dico, per se, aut per alium propter eos, quorum patres heri, vel amici fructus beneficij percipiunt. Nam isti non minus quam ipsi caperent recitare tenentur, iuxta reg. qui per alium. libro sexto. Dixi, nullos fructus. Nam qui partem recipit ad officium obligatur. Dixi, nec capere potest propter eos, per quos stat, quominus fructus percipiant, vel quia non accipiunt possessionem, vel non residēt, qui etiam tenentur horas recitare ac si fructus perciperent. Dixi, nec in posterum est capturus. Nam si litigaret, & habita sententia fructus sequestratos, aut ab aduersario perceptos obtinere deberet, teneretur quanuis possessionē non accepisset, imò nec accipere posset, diuinū officium recitare. Fructus enim percepti, saltem post litem contestatam debentur vero beneficiato, si vicerit, quanuis contra possessorem de proprietate litiget, tam in rebus spiritualibus, quam profanis. Decis. Rot. vigesima quarta, per notata in capit. grauis, & per Innocentium in capit. in literis. de restitutione spoliatorum. leg. certum. Cod. de rei vend. & leg. Et ex diuersō. ff. eodem. Propterea autem, quod studeat, vel inseruiat, vel peregrinetur, nullus à recitando excusatur, vt latè docet Nauarro in Enchi. de oratione, capit. septimo, numero decimo octauo, contra Gerardum de assiduitate orandi quæstione sexta. Nec etiam excusat excommunicatio etiam denuntiata, quanuis semper excommunicatus teneatur seorsum recitare, nec alijs se commiscere, capit. presbyterum vigesima octaua distinctione, & capit. secundo, & cap. illud. de clerico excommunicato.

5. Dubium principale.

¶Quintum dubium principale huius articuli in explicando ordine & modo, & quo quis debeat diuinum officium persoluere, versatur, quod ante breuiarium Romanum Pij Quinti Pontificis maximi iussu editum maiorem continebat difficultatem. Nam cum tunc essent pene innumera breuiaria, vnaquæque enim Ecclesia suum peculiarem modum habebat recitandi, imò & sub nomine breuiarij Romani, duo conferebantur, vnum quod dicebatur Romanum vetus, eratque pene idem cum breuiario quod nunc est in vsu, alterum quod dicebatur Romanum nouum à Francisco Quignonio, tituli sanctæ Crucis in Hierusalem presbytero Cardinali compositum, maxima controuersia erat inter Doctores an singuli clerici, vel monachi debito diuinum officium dicendi satisfacerent, sequendo breuiarium, quod maluissent. Et quanuis vnusquisque in officio diuino persoluendo teneretur ritum suæ metropolis sequi, vt constat ex capit. de ijs. & ex cap. placuit. 12. distinct. vbi id singulis clericis præcipitur. Communiter tamen dicebant Doctores, non peccare mortaliter, qui secus facerent, sicut nec peccabant mortaliter qui, die, quo orandum erat, de feria, orabant de aliquo sancto. Quod erat intelligendū, quā tum attinet ad præceptum commune Ecclesiæ. Nam poterat fieri, quod in aliqua speciali Ecclesia esset præceptum, vel excommunicatio imposita contra eos, qui alio, quam suæ metropolis breuiario, vterentur, & tunc peccarent mortaliter qui secus facerent. Ratio autem illorum Doctorum erat, quia canones superius citati cum præcipiebant, vt vnusquisque ritum suæ Ecclesiæ sequeretur, non vtebantur verbis, quę sufficiētia essent obligationē peccati mortalis inducere. Cæterum, quoniam iam pene omnia illa breuiaria sunt abolita per Pium Quintum, vt constat ex bulla principio breuiarij ab ipso editō, appositā, & singulis clericis & monachis præceptum, vt nullum aliud, quàm suum in diuinis officijs persoluendis sequantur, exceptis eis, quæ ab ipsa prima institutione à sede apostolica approbata, vel consuetudine, quæ vel ipsa instituio ducentos annos antecedat, alijs certis breuiarijs vsa fuisse constiterit: qui contrariū fecerit proculdubiò peccabit mortaliter. Ordo etiam breuiarij adeò strictè præcipitur tam à Pio Quinto, loco citato, quam à Gregorio. XIII. in proprio motu proprijs officijs Hispaniæ præposito, vt quāuis nō existimem esse peccatum mortale, vno, aut altero die officium diuinum pertractare recitando, scilicet, horans de vno tanto, in die, quo breuiariū præcipit, vt officiū fiat de feria, qui crebrò & frequenter id faceret proculdubio mortaliter peccaret, tanquā ille, qui vnitati & conformitati diuini officij psallendi, ab Ecclesia, & ab his duob⁹ summis Pontificibus præcipuè valde intētæ contrariōs existeret. Eadem etiam vnitas, atque conformitas fuit præcepta in concilio Tolet. quarto, capit. secundo, sub his verbis:

Breuiariū Pij Quinti & eius ordo seruandus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbis. Vnus ordo orandi & psallendi per omnem Hispaniam, & Galliam conseruetur, vnus modus in missarum solennijs, vnus in vespertinis officijs; quia vna fide, & vno regno continemur, scilicet, Christo. Et idem dicitur in concilio Toletan.11. cano.tertio. Ratio autem huius vnitatis,& conformitatis procurandæ fuit, quia varietas precandi in Ecclesia vnitatem animorum quodammodo scindere videbatur,præbebatque fragilibus causam schismatis, vt constat.

De officio beatæ Virginis,mortuorum & litanijs.

¶De officio paruo beatę Virginis,de officio mortuorum, & litanijs, quæ in profestis diebus nocturno officio adhiberi præcipiebantur, etiam erat antiquitus concertatio inter Doctores, an caderent sub præcepto nec ne? Sed hæc lis iam est dirupta per Pium Quintum in bulla breuiarij prę fata dicente: Quod verò in rubricis nostri huius officij præscribitur,quibus diebus officium beatæ Virginis,& defunctorum,item septem Psalmos pœnitentiales, & gtaduales dici ac psalli oporteat. Nos propter varia huius vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione remouendum duximus. Verum debito prouidentiæ pastoralis admoniti omnes vehementer in Domino cohortamur, vt remissionem nostrã, quantum fieri poterit, sua deuotione ac diligentia precurrentes, illis etiam precibus suffragijs & laudibus suæ & aliorum saluti consulere studeant. Hoc autem concedimus sine præiudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium patuum beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueuerat, ità, vt in prædictis Ecclesiis seruetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum officium. Hæc Pius Quintus. Ex quibus verbis colligo primo,in illis Ecclesijs, in quibus erat consuetudo dicendi officium patuum Beatæ Virginis, eandem nunc manere obligationem dicendi illud in choro, in illis diebus tantum,in quibus Breuiarium præcipit, vt dicatur. Infero secundo, extra chorum nullum obligari tale officium dicere. Infero tertio, quod relinquentes officium defunctorum, vel septem Psalmos, vel graduales in choro, vel extra chorum nullum peccatum committunt. Hæc enim dicendi nulla obligatio imponitur, nec in communi, nec in particulari,sed tantũ concedũtur indulgentiæ recitantibus.

De tẽpore & ordine horarum.

¶De tempore etiam & ordine horarum multa, atque diuersa dicunt Doctores. Cæterum, vt ea, quæ vera sunt, breuiter & dilucidè explicemus, aduertendũ est,quod tempus legitimum diuino officio soluendo præscriptum spatio viginti quatuor horarum continetur, nempe, à duodecima hora mediæ noctis vnius diei, vsque ad duodecimam mediæ noctis alterius, quanuis & matutinæ preces diei crastinæ dici possint hodie occidente sole, vt constat ex consuetudine, & ex Diuo Thoma in quodlibet.affirmante, Matutinas serò dicere propter honestarum occupationum necessitatem, non esse malum, quia melius est laudes debitas Deo præueniendo reddere, & alia honesta officia postea facere, quam si per vnum aliud impediatur. Prima autem & reliquæ preces, non nisi postquam sonuerit duodecima hora noctis dici possunt. Habent & vltra hoc singulæ horæ sua peculiaria tempora, ex quibus nomina traxerunt, scilicet, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium. Hoc constituto dico primò, quod cum officium in communi dicitur, adeò est necessarium, vt statis per Ecclesiam horis persoluatur, seruata locorum consuetudine, vt contrarium facere sit peccatum mortale. Nolo dicere, quod vno aut altero die tempus mutare sit peccatum mortale; sed quod si ità mutetur, vt magna fiat peruersitas in horis dicendis, id sine peccato mortali esse non possit. In hoc dicto vnanimiter conueniũt omnes Doctores. Et ratio illius est: Quia Ecclesia iustis, & rationabilibus de causis publicis dicendis laudibus determinata tempora statuit, vt in principio huius articuli dictum est. Et præsertim, vt sciret populus quo tempore in Ecclesiam confluere deberet: ergo si ille ordo intermitteretur per grauem offensam Ecclesia pateretur: ex grauitate autem obiecti culpæ magnitudo æstimatur, & sic esset peccatum mortale. Et confirmatur ex Clementi.1. de celebra.missarum. Vbi concilium Vienense in hunc modum inquit; Graui turbatione mouemur, quod ex nonnullorum rectorum negligentia, &c. Ne igitur transgressiones inualescant huiusmodi, alijsque veniant in exemplum,sacri concilij approbatione hoc fieri prohibentes sancimus, vt illi, ad quos id pertinet (omni negligentia, vel incuria penitus relegata) circa reformanda præmissa, & eorum singula corrigenda, nec non, vt cathedralibus regularibus, & collegiatis Ecclesijs horis debitis deuotè psallatur, solicitam curent diligentiam adhibere. Quibus verbis significatur ad illos, quibus publica cura incumbit, quam maximè spectare, vt faciant, quod officium diuinum in communi

1. Dictum. Diuinum officium in communi debet dici statutis horis sub reatu peccati mortalis.

communi debitis horis,& deuotè cantetur.

2. Dictum. Dico secundò, quòd qui dicit priuatim officium diuinum tempora singulis horis propria mutans,aut inuertens ordinẽ, dicẽdo, scilicet,Primam post Tertiam, si id in conspectu populi non faciat,nec scandalum inde oriatur, non peccat mortaliter. Imò si rationabilis aliqua causa id faciendi, adfuerit,nec etiam peccabit venialiter. Ità tenent communiter omnes summistæ. Et si aliqua mutatio est facienda melius est anteuertere,quam postponere officium, vt dicitur in cap.clericus.91.dist.

De ordine quę debet habere missa inter alias horas

¶De ordine quem missa debet habere inter alias horas; est dubitatio, vtrùm, ea dici possit, antequam sacerdos matutinale officium persoluat. Vercensis, quem Syluester refert,verbo,missa.1.§.6. dicebat eos,qui ante nocturnum officium, matutinales, scilicet, Psalmos, & Laudes, Missam celebrant mortale peccatum committunt. In qua etiã sententia dicit esse omnes summistas. Imò D.Antoni.3.part.tit.13.cap.4. citat in eandem Hostiensem & alios, quibus ipse non contradicit. Hæc tamen sententia proculdubiò est falsa,& absq; ratione asserta. Et probatur: Missæ officium est distinctum ab officio orandi,nec aliquam intet sẽse coordinationem ista officia habent: ergo quanuis missa dicatur ante matutinum, non erit peccatum mortale. Consequentia est nota,& antecedens probatur. De tempore dicendæ missæ priuatæ nihil aliud in iure cautum est,nisi quod non dicatur, vel ante lucem, vel post meridiem: Constat autem nullum esse peccatum mortale, quòd matutinales horæ dicantur post meridiem: ergo missa & officium matutinale nullam connexionẽ habent inter sese. Et confirmatur: Maior connexio, & ordo est inter ipsas horas canonicas inter sese, quam inter missam & matutinale officium; sed prætermittere ordinẽ horarum non est peccatum mortale, vt paulò anteà probauimus: ergo nec dicere missam ante officium matutinale erit peccatũ mortale. Forsan ob consuetudinem venialis esset culpa, vbi id commodè fieri posset, nocturnum officium non prius soluere, quam missa diceretur. Cæterùm, si causa aliqua legitima adsit nullum erit peccatum. Causæ autem legitimæ,meo iudicio,erunt, vt si ille, qui nondum matutinas dixit,necessitas incumbat celebrandi. Vel,quia prælatus præcipit,vel quia alter eleemosynam offert, vt statim dicat, & similia. Siquis autẽ propter aliquem morbum legitimam haberet excusationem dicendi officium diuinum, bene posset sacrificium missæ facere, estò nec dicere missam, nec dicturus esset horas canonicas, quidquid dicant summistæ. Magister Melchior Cano solitus erat respondere ad propositam difficultatem sub distinctione, dicens, quòd si missa diceretur nomine conuentos, qui illam celebrarent ante persolutũ matutinale officium peccaret mortaliter, tamen si missa esset priuata, vel nullum esset peccatum, si legitima causa id faciendi adesset, vel tantum esset peccatum veniale. Et ratio illius erat; quoniam conuentualis, quę Maior appellatur, in diebus festis post tertiam, in profestis post sextam, in diebus ieiunij post nonam, celebrari præcipitur. de cõsecrat. dist.1.can.nocte.& can.solent. Cæterùm meliùs dicendum existimo, quòd siue missa sit priuata, siue conuentualis interpide quisque potest illam celebrare non recitato matutinali officio, absque conscientia peccati mortalis, imò & absque venali culpa, si causa aliqua id faciendi adsit. Canones enim citati nullum præceptum imponunt, particulariter ab aliquo obseruandũ, sed tantum præscribunt ordinem, qui à tota cõmunitate teneri debet, vt supra diximus de ordine in officio seruando.

Dicere missam ante matutinũ non est peccatum mortale.

Sententia Melchioris Cani impugnatur.

De loco vbi horæ canonicæ dici debent.

¶De loco, in quo horæ canonicæ sunt dicendæ, nec etiam satis conuenit inter Doctores. Nam Hostiensis,Innocentius,& alij, quos refert Syluester,verbo,hora.§.3. absolutè dicunt beneficiatos clericos, ità teneri singulis diebus horas canonicas dicere, vel audire in Ecclesia, vt,nisi iusto impedimento excusentur,illas ibi,etiam priuatim,recitare obligentur,sub mortali. Hæc tamẽ sententia tanquam nimis rigida, & sine fundamento asserta communiter reijcitur à Doctoribus. Quocirca, vt quid in hac re verũ sit paucis explicem,dico,quòd cum horę in communi,& solenniter dicuntur in Ecclesia celebrari debent sub mortali. In hoc enim templa extructa,& destinata sunt, vt ibi horæ canonicæ, sicut & missarum solennia celebrentur. Præterquã, quòd in Clem. graui. de celebratione missarum. in Ecclesijs horę psalli præcipiuntur. Cum quo stat, vt in aulis principum, vel alibi eadem officia ex priuilegio dicantur. Priuatim autem in quocunque loco decenti, etiam à beneficiatis dici possunt, cum nec extet lex aliqua, aut consuetudo quæ contrarium præcipiat. Vetitur est, quòd si alicui ecclesiastico stipendiũ detur, vt officio diuino interfit, is non potuerit sine peccato mortali causas absentiæ excogitare, aut fingere, quia Ecclesiam, cuius alimentis viuit, defraudaret seruitio debito. Cæterùm hoc non proueniret ex obligatione, quam habet dicendi horas canonicas,

Sententia Autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed ex debito efficiendi id, ad quod ex iustitia obligatur. Et tã apertè in hac parte posse esse iniustus, vt ad restitutionẽ teneretur.

De habentibus priuilegium vt missa in loco priuato dicatur.

¶ De habentibus priuilegium, vt extra Ecclesiam, in priuatis locis, missas celebrare faciant, solet esse concertatio inter Doctores, vtrùm huiusmodi priuilegia licitè concedãtur. Ad cuius explicationẽ dico primo: Nullo priuilegio fieri posse, vt officium diuinũ, maximè Missa, in loco indecenti licitè dicatur. Voco autem locum indecentem eum, quo aleis luditur, aut comeditur, vel dormitur. Et locus decens erit sacellum, aut pars aliqua domus orationi dicata. Probatur: Nã hoc ratio naturalis dictat. Et confirmatur ex Dent. c. 12. Vbi dicitur: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus. Et Felix Papa. IIII. in quadam sua Epist. ad Episcopos per diuersas prouincias constitutos c. 1. multa dicit ad hoc propositum. Videte illa. Dico secundò, quòd qui habent priuilegium, & aptum locum in domo sua ad celebrandum, si ea facultate crebrò, & sine magna necessitate vtantur, non benefaciunt. Quin potius addo, quòd casu, quo habens priuilegium non valet Ecclesiam adire, vel, quia ægrotat, vel, quia est alio negotio occupatus, melius faceret non audiendo missam, etiam si dies festus esset, quam faciẽdo illam celebrare in sua domo. Quod est intelligendum, modò magna aliqua necessitas non vrgeat, vel multi dies nõ præcesserint, ex quibus missam non audiuit. Hoc totum expresse habetur in Epist. Felicis Papæ modo citata. Ex quibus colligere licet, quã tardi debent esse prælati in concedendis facultatibus, vt missæ in priuatis domibus celebrentur, & similiter, quam male faciãt, qui prædictis facultatibus concessis crebrò, & sine vrgenti necessitate vtantur.

6. Dubium principale.

¶ Est aliud dubium principale de voce, qua officium diuinum dici debet, & quam integrè, & quàm non interrupto sermone. Ad cuius explicationem supponendum est tanquam certum, esse necessarium, quòd officium diuinum ore, & voce exprimatur. Nã cum omnes clerici tantum ex præcepto Ecclesiæ horas canonicas dicere teneantur, & Ecclesia non præcipiat nudos actus interiores, de quibus non potest esse certa, vtrùm fiant, necne, sed actus exteriores, quos potest in iudicium vocare, fit, vt actu externo diuinum officium persoluere obligemur. Cæterum de voce, quæ dici debet tam in communi, quam in particulari Doctores diuersimodè loquuntur. Medina. C. de oratio. loquẽs de eo, qui particulariter diuinum officium recitat, affirmat, quòd nisi ità illud priuatim recitet, vt à circunstantibus audiri possit, non satisfacit obligationi. Caiet. in sum. quærens, vtrùm qui in choro, cæteris canentibus, ipse suam partem submisse dicit, satisfaciat debito diuinum officium persoluẽdi, respondet negatiuè. Cui etiam sententiæ subscribit Nauar. in Enchir. de oratio. c. 10. Et ratio Caietani est: Quia qui ità recitat, nec publicè, nec priuatim orat, & sic nõ potest Ecclesiæ præceptum adimplere. Et quidem, quod non oret priuata oratione est res manifesta: Nam audit socium officij mediocritatem dicentem. Quod autem nec etiã oret publica oratione, probat; Nam qui ità submisse loquitur in choro, vt ab omnibus percipi non possit, non dicetur illis communicare. Quod necessarium est, vt quis dicatur publicè orare.

Sententia Caietani.

Sententia Medinæ.

1. Obiect.

¶ Vt tamen in ista quæstione, quid verũ sit, paucis explicemus, sit prima conclusio: Qui submissa voce priuatim officium diuinum recitat, bene facit, nec est necessarium ità illud dicere, vt à circunstantibus possit audiri. Probatur: Quando diuinum officiũ priuatim recitatur non ob eam causam dicitur, vt à circunstantibus audiatur: ergo nõ est, cur illud alta voce dicamus. Nec potest esse aliqua apparens ratio, quæ opinionem Medinæ probabilem faciat.

2. Obiect.

¶ Secunda conclusio: Existens in choro, suamque partem subtrahisse dicens, quamuis male faciat, si sine causa id facit, quia læsum dum, & remissum se præbet in laudando Deum, adimplet tamẽ præceptum diuinum officium recitandi, nec iterum illud dicere tenetur. Probatur: Nam ad hoc, vt quis cum alijs orare dicatur, satis est, vt choro psallentium corpore, & animo immixtus partem audiat dicentes, & partim ipse dicat, taliter, vt ab eis, qui circunstant audiri possit. Et per hoc patet solutio ad rationem Caietani. Nonnulli dixerũt, eos, qui choro intersunt, non satisfacere debito diuinum officium recitandi nisi ipsi totum officium dicant; nec sufficere vnum versum proferre, & alterum audire. Cæterùm horum sententia est apertè falsa, & ad quam impugnandam sola antiquissima Ecclesiæ consuetudo, quæ pro nobis stat, est sufficiens. Ex quo infero, ineptè facere eos, qui ea, quæ vel cantor, vel hebdomadarius dicit tacti secum musitant; cùm melius multò foret attentè audire quæ dicuntur, quam illa per se ipsos proferre. Et eadem est ratio de responsorijs, quando dicuntur à cantoribus: quibus melius est attẽdere quam ea in atrili recitare. De illis, qui pulsant organa, aut ponunt libros, vel è choro

Existens in choro quæ sufficiant vt officium recitatum dicatur.

Sententia Caietani.

Sententia Medinæ.

Sententia Nauarri.

Sententia Medinæ.

Pulsant organa & thurificans satisfacit, quãdo suo ministerio inseruit.

ro mittuntur ad thurificandum altare, ex quo fit, vt parte aliquam diuini officij, nec proferant, nec audiant, similiter puto, quòd satisfaciunt, etiam si partem illam per se ipsos non dicant, quia dum illi in re illa ad celebritatem officij occupantur, totus chorus pro illis supplet. Et satis dicere sunt existimandi, qui ministrant dicentibus. Extra huiusmodi occupationes, quicunque, siue in choro, siue extra chorum, ex ijs, quæ in breuiario ponuntur dicenda, magnam aliquam partem ex negligentia prætermittit, peccat mortaliter. Dixi, magnam partem. Nam si sit parua, solum erit veniale peccatũ ex paruitate materiæ, vt in alijs præceptis contingit. Quicunq; enim præcipit, vt diuinũ officiũ integrè dicatur, eo ipso mandat, ne magna aliqua pars prætermittatur; & si secus fiat erit peccatum mortale. Quæ autem cẽseatur magna pars officij arbitrio prudentis viri relinquitur determinanda.

De interruptione officij.

¶ De interruptione, quæ in officio diuino fit, vnum est certum, & alterum dubiũ. Certum est, quòd qui sine causa idonea nõ dum absoluta oratione ab illa desistit, peccat saltim venialiter. Ità habetur expresse in Concil. Tolet. 4. Et ratio est manifesta; Nã si est irreuerentia, instituto cum aliquo sermone, illum interrumpere sine causa, cur nõ idem dicendum erit de oratione? Dubiũ autem est, vtrùm qui ad istum modum orationem interrumpit, teneatur de nouo diuinũ officium dicere, vel potiùs sit satis supplere quod deficit. Medina loco citato affirmat, quòd si magnũ fuerit spatium interruptionis, & interruptio sine causa legitima fiat, interruptor tenebitur iterum diuinum officium dicere. Quæ sententia videtur satis pia. Sed verius & probabilius proculdubiò est, in quocunq; casu satis esse supplere quod deficit, nec teneri nos in integrum de nouo diuinum officium recitare, esto, causa fuerit indecens, & tempus interruptionis fuerit magnũ. Nulla enim assignari potest efficax ratio, quæ contrariũ cõuincat. Eo vel maximè, quòd cum præceptũ de singulis diebus diuinum officium persoluẽdo, sit odiosum, illud restringere, & nõ ampliare oportebit, iuxta regulam, Odia restringi, & fauores cõuenit ampliari. de regulis iuris. in. 6.

Articvlvs XIII.

¶ Vtrũ de necessitate orationis sit, quod sit attenta.

AD Tertivmdecimvm sic proceditur. Videtur, quòd de necessitate orationis sit, ꝙ sit attenta. Dicitur enim Ioan. 4. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Sed oratio non est in spiritu, si non sit attẽta: ergo de necessitate orationis est, quòd sit attenta.

In sermone cuius titulus est. Institutio ad vitam perfectam & de orando Deum, post medium illius. Et in const. exercit. c. 1.

2 ¶ Prærereà, Oratio est ascensus intellectus in Deum. Sed quando oratio nõ est attenta, intellectus non ascendit in Deum: ergo de necessitate orationis est, quòd sit attenta.

3 ¶ Prætereà, De necessitate orationis est, quòd careat omni peccato, sed non est absque peccato, quòd aliquis orando euagationem mentis patiatur. Videtur enim deridere Deum, sicut & si alicui homini loqueretur, & non attenderet ad ea, quæ ipse proferret. Vnde Basilius * dicit, quòd diuinum auxilium est implorandum non remisse, nec mente huc vel illuc euagante, eo quod talis non solum non impetrabit quòd petit, sed etiam magis Deum irritabit: ergo de necessitate orationis videtur, quòd sit attenta.

¶ Sed Contra est, quòd etiam sancti viri orando quandoque euagationem mentis patiuntur, secundum illud Psalm. 39. Cor meum dereliquit me.

¶ Respondeo dicendum, quòd quæstio hæc præcipuè habet locum in oratione vocali. Circa quam sciendum est, quòd necessarium dicitur aliquid dupliciter. Vno modo per quod melius peruenitur ad finem. Et sic attẽtio absolutæ orationi necessaria est. Alio modo aliquid dicitur necessarium sine quo res non potest consequi suum effectum. Est autem triplex effectus orationis. Primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri. Et ad hunc effectum non exigitur necessitate requiritur, quòd attentio adsit orationi per totum, sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in alijs meritorijs actibus accidit. * Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare. Et ad hunc etiam effectum sufficit prima

Vt suprà dictum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prima intentio quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetratiua. Illam enim orationem Deus non audit, cui qui orat non intendit, vt Gregor. dicit. Tertius autem effectus orationis est quem præsentialiter efficit, scilicet, quædam spiritualis refectio mentis. Et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio: vnde dicitur 1. Corinth. 14. Si orem lingua, mēs mea sine fructu est. Sciendum tamen, quòd triplex est attentio quæ orationi vocali potest adhiberi: vna quidem, qua attenditur ad verba ne aliquis in eis erret: secunda, qua attenditur ad sensum verborum: tertia, qua attēditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maximè necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ. Et quandoque intantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, vt etiam omnium aliorum mēs obliuiscatur: sicut dicit Hugo * de sancto Victore.

In li. de modo orandi ca. 2. à medio, tom. 2.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd in spiritu & veritate orat qui ex instinctu spiritus ad orandum accedit, etiam si ex aliqua infirmitate mēs postmodum euagetur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd mens humana propter infirmitatē naturæ diu stare in alto non potest. Pondere enim infirmitatis humanæ deprimitur anima ad inferiora. Et ideo contingit, quòd quando mens orantis ascēdit in Deum per contemplationem, subito euagetur ex quadam infirmitate.

¶ Ad tertium dicendum, quòd si quis ex proposito in oratione mente euagatur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum. Et contra hoc Augustinus * dicit in regula, Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore. Euagatio verò mentis quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit. Vnde Basilius * dicit: Si vero debilitatus à peccato finè nequis orare, quantumcunque pores te ipsum cohibeas,

In. 3. regul. tom. 1.

In serm. de orādo Deū à medio illiur.

& Deus ignoscit, eo quòd non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, vt oportet, assistere coram eo.

Svmma Textvs.

Svpposito, quòd hæc quæstio principaliter habet locum in oratione vocali, antequam D. Thom. ad illam respōdeat, præmittit multa. Primum est, quòd dupliciter aliquid potest dici necessarium, iuxta doctrinam traditam ab Arist. 5. Metaphysicæ. Vno modo dicitur necessarium, vt commodius, id, per quod meliùs & decentiùs peruenitur ad finem. Qua ratione equus dicitur necessarius ad iter agendum. Alio modo dicitur aliquid necessarium simpliciter. Et est illud, sine quo finis consequi non potest. Qua ratione cibus dicitur necessarius ad vitam. Secundò præmittit, quòd finis seu effectus orationis potest esse triplex. Primus est mereri: qui communis est illi cum omnibus alijs actibus charitate informatis. Secundus finis seu effectus orationis, & illi proprius est, impetrare postulata à Deo. Tertius, & quem præsentialiter oratio efficit, est quædam spiritualis refectio mentis. Tertiò præmittit, quòd attentio vocali adhibita orationi potest esse triplex. Prima, qua quis ad verba duntaxat attendat, ne in prolatione erret. Secunda, qua attendat ad verborum sensum. Tertia, qua attendat ad finē orationis, scilicet, ad Deum, & ad rem, pro qua orat. Rursus attentio adesse potest, vel toti orationi, vel solum principio illius. Quibus suppositis respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per plures propositiones. ¶ Prima conclusio: Attentio, quæ toti orationi sit coniuncta est necessaria primo modo, hoc est, vt commodius ad omnē effectum orationis consequendum. Hanc conclusionem non probat D. Thom. sed illam vt notam relinquit. ¶ Secunda conclusio: Ad meritum & impetrationem orationis non est simpliciter necessarium vt toto tempore, quo oratio fit, duret attentio; sed satis erit, quòd in principio adsit. Probatur: In alijs actibus meritorijs non est necessarium, quòd semper attentio adsit: sed vis primæ intentionis reddit totum opus meritorium: ergo idem etiam erit dicēdum de oratione. ¶ Tertia conclusio: Illa oratio vocalis cui nulla adest intentio, nec meritoria, nec impetratoria est apud Deum, probatur ex D. Gregorio dicente, quòd illam orationem Deus non audit, cui qui orat non intendit. ¶ Quarta conclusio: Ad tertium effectum orationis, qui est suauitas & mētis dulcedo, opus est, vt attentio totam orationem cō-

mitetur. Probatur ex Paulo. 1. ad Corinth. cap. 14. dicente: Si orem lingua mens mea sine fructu est. ¶ Quinta conclusio: Cum sit triplex genus attentionis, vt diximus, quodlibet illorum erit sufficiens ad omnes orationis fructus percipiendos. Sed vltimū est præstantissimum, quod etiam possunt habere idiotæ.

Explicatio Articvli.

Quæstio de necessitate attentionis solū habet locū in oratione vocali.

Qvæstio ista de necessitate attentionis solum in oratione vocali locum habere potest. Nam in mentali, cum ipsa eadem attentio sit ipsissima oratio, vanum erit quęrere, vtrū illic requiratur attentio. Est enim repugnantia, mente orare, & non attendere; siquidem cum primum mens diuagari incipit, orare desinit. Imò ob id mentalis oratio sæpènumero optatior est, quòd eū mēs ad verba non effunditur, diuinis hauriendis mysterijs liberiùs vacat. Sola ergo vocalis oratio est, quæ attentione carere potest, nimirum dum aliorum cogitatione diffluente lingua dat sine mente sonum. Est autem, vt constat ex D. Thom. articulo præcedenti, oratio vocalis duplex. Vna communis, qualis est illa, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi Deo offertur. Altera particularis à singulari cuiusque persona, siue pro se, siue pro alijs oblata. Et de attētione in vtraque oratione necessaria erit à nobis dicendum. Quod vt efficere possimus opus erit, vt nonnulla prius de attentione in cōmuni dicamus, aduertentes primò, quòd attendere nihil aliud sonat, quam mentem habere præsentem ad id, quod dicitur, nempe, vt quod lingua foris personat, mens simul intus concipiendo loquatur. Et vt Augustin. dicit in regula: Hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Differtq; plurimum à deuotione, siue deuotio accipiatur impropriè, sicut illam vulgus accipere consueuit, pro spirituali quadam dulcedine, qua anima reficitur & recreatur, siue accipiatur propriè, sicut illam accepit D. Tho. quæst. præcedenti, pro animi in alterius obsequium propensione, & applicatione. Qua ratione dicitur beatissimæ Virgini deuotus ille, qui sic ei affectus est, vt promptum seipsum ad illam, & ad ea, quæ eius sunt, exhibeat. Imò quicunq; morti se pro re aliqua destinauit animum se illi deuouisse dicitur. Stat enim aliquem destinatum habere animum ad Dei seruitium, qui tamen mente, dum orat, non sit attentus. Et vice versa. Et spiritualis illa dulcedo, quam vulgus appellat deuotionē, potiùs est ipsius deuotionis propriæ dictæ, atque etiam attentionis fructus, & effectus, quam ipsa attentio.

Quid sit attentio.

¶ Secundò est aduertendum, quòd attentio, quæ vocali orationi adhiberi potest, vt constat ex D. Thom. in præsenti, est triplex. Prima, qua quis ad verba duntaxat attendit, ne prolatione erret. Secunda, qua attendit ad verborum sensa. Tertia, qua attendit ad finem orationis, scilicet, ad Deum, & ad rem pro qua oratur. Ex quibus hæc postrema est fructuosissima, & præstantissima. Prima, nempe, attentio ad verborum prolationem infimum gradum tenet inter attentionum genera, nec illam habere potest, nisi qui linguā nouit. Quare clerici omnes saltem Latini esse debent, alias rectè, & congruè verba proferre nequibunt. Secunda attentio, quæ est ad verborum sensa, non omnibus Latinis congruit, sed tantum Theologiæ peritis. Tertia verò omnibus spiritualibus hominibus est familiaris, etiam si sint idiotæ. Isti nanque, quia alia mysteria non callent, dū orant, attendunt, tum ad diuinam maiestatem, cum qua loquuntur, tum etiam ad suā ipsorum exiguitatem, & præterea ad necessitatem illorum, quæ postulantur: & sic tertium ac præstantissimum attentionis genus habere solent. Imò & homines doctissimi ita aliquando per hanc attentionē Deo affiguntur, vt omnium aliarum rerum obliuiscantur.

Attentio triplex.

¶ Tertio est aduertendum, quòd cum oratio à sanctis Doctoribus describatur, quòd sit ascensus mentis, nō in diuos, nec in alias supremas substantias, sed in Deum ipsum, supremus orationis scopus ille esse debebit, nempe, cor atq; mentem, quam maximè fieri potuerit, deificare, & in diuinitatem ipsam semper intendere. Ex quo fit, vt si in alios sanctos, vel in Virginem sacram aliquando attendamus, quod non sic ibi mens gradum figat oportebit, ac si illic esset vltimus orationis scopus, in quo indocta plebs errare solet, sed id solum tanquam medium, per quod ad diuinitatem, quantum Deus dederit, ascendatur, accipiendum erit. Imò etiam si sit consiliū, quando oratur, passionis Christi, cæterorūq; eiusdē humanitatis mysteriorū contemplationē habere, haud tamen illic sistēda erit mens, tanquā in fine, sed tanquā in medio; quod ad ducēdō in diuinū amorē omniū est supremū, iuxta illud, quod Ecclesia in præfatione Natiuitatis canit, nempe; per incarnati verbi mysteriū nostra mentis oculis lux tuæ claritatis infulsit, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.

Quis sit supremus orationis scopus.

¶ His constitutis, prima conclusione D. Tho. vt nota, relicta, circa secundam atque tertiam est difficultas, vtrūm semper quòd homo

Dubiū circa secundā conclus. D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homo sine animo attento orat, amittat meritum, & fructum orationis. Ad cuius intelligentiam est aduertendum, primò, quòd attẽtio adhuc potest esse duplex, vna actualis, altera virtualis. Attentio actualis est, cum animus actu attendit ijs, quæ dicit. Virtualis autem quando quis aliquod opus aggreditur, animo attento illud perficiendi: & dũ in opere versatur animum alio conuertit, non tamen dedita opera, nec ex proposito. Tunc autem dicitur quis alio animum cõuertere ab orando ex proposito, cùm, dum orat, cogitat, aut agit aliquid, quod ex natura sua orationis attentioni aduersatur, idq; aduertenter facit. Dixi notanter, quod ex natura sua aduersatur orationis attẽtioni, qualia sunt legere, scribere, depingere, & reliqua huiusmodi, quæ totum animum ad se vocant. Nam de alijs rebus, qualia sunt, lauare manus, vestiri, & reliqua huiusmodi, quæ minus animũ ad se vocant, secus est dicẽdũ. Dixi prætereà: Idq; aduertenter facit. Nam qui inaduertenter se distrahit, licet voluntariè in eo versetur, non erit dicendus ex proposito se distrahere. Ex quo infertur in duobus tantum casibus posse contingere, quòd quis non habeat virtualem attentionẽ. Primus est, quando accedit ad orandũ animo non attendendi. Secundus, quando in progressu orationis consultò & aduertenter animum ad alia traducit. ¶ Hoc supposito dico primò, ꝙ qui dũ orat attẽdit orationi, saltẽ virtualiter, nec peccat, nec fructum orationis amittit. Itaq; meretur & orationis obtinet impetrationem. Ità affirmat D. Tho. in hoc articulo, quẽ cõmuniter sequũtur omnes Theologi. Et probatur: Illi orationi nulla circunstãtia deest ex illis, quæ necessariæ sunt ad operis honestatẽ: ergo ipsa est honesta, atq; meritoria. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Si aliqua circũstantia deesset, maximè attentio: sed illa non deest; quia prima, à qua voluntariè non recessit, adhuc durat: ergo. Et confirmatur: In alijs operibus meritorijs nõ est necessariũ, quòd semper attentio adsit: sed vis primæ intẽtionis est sufficiẽs efficere illud dignũ prẽmio: ergo idẽ etiam erit dicendum de oratione. ¶ Dico secundò, ꝙ qui orat ex præcepto, & eo tempore, quo orat, nec habet attentionẽ actualẽ, nec virtualẽ, peccat mortaliter, & fructũ orationis amittit. Ita tenet D. Thom. hic in solut. ad 3. estq; cõmunis sentẽtia omnũ Doctorũ. Et probatur: Qui taliter orat, orat sine mente: ergo nõ orat, atq, ex cõsequenti non adimplet præceptũ, peccatque mortaliter. Antecedens est manifestũ, & cõsequentia probatur: Oratio ad minus est actus humanus, qualis non est illa, quæ sine mente funditur: ergo nõ est oratio. Et cõfirmatur: Oratio, vt constat ex diffinitione Damasceni superius posita est ascensus mẽtis in Deũ: sed ille, qui solo verbo absq; attẽtione orat, nõ eleuat mentẽ suã in Deũ: ergo non orat. Tandẽ hoc ipsum probatur ex. c. dolentes. de celebra. miss. Vbi Innoc. in concil. generali in hũc modũ dicit, loquẽs de horis canonicis. Districtè præcipimus in virtute obedientiæ, vt diuinũ officiũ nocturnũ pariter & diurnũ, quantũ eis (nẽpe clericis) Deus dederit studiosè celebrent, & deuotè. Verba nanq; illa, Districtè in virtute obedientiæ, planissimè ostendũt vim præcepti obligãtis sub reatu mortali. Nec valet, si dicatur præceptũ illic nõ ferri super modũ attentè deuotèq; orandi, sed super substantiã. s. vt diuinũ officiũ integrè persoluatur, vt nonnulli dicũt. Nã cum præceptũ illud iampridẽ in Ecclesia extitisset, nec aliqua de illo in concilio suborta esset quæstio, non erat, cur de nouo imponeretur. Quia tamen modus dicendi sensim ibat in præceps, idcircò curatu fuit, eum præcepto imposito instaurare. Adiecit autem concilij illa verba; Quantũ eis Deus dederit. Non, quia attentionis modus relictus fuerit orantis arbitrio, vt prima fronte significari videtur; sed, vt ostenderet neminem obligari summam adhiberi attentionẽ ac deuotionẽ, sed sufficere eã, quã in primo dicto explicuimus, modo orans præparet se, vt per ipsum nõ stet, quo minus Deus deuotionẽ influat. Aliqui nituntur probare verbis illis concilij, non contineri præceptum obligans ad officium deuotè, & attentè dicendũ, ex eo quòd deuotio, & attẽtio sunt actus interiores, supra quos Ecclesia potestatem non habet, cum de illis iudicare non possit. Cæterùm hæc euasio nullius est momenti. Nam quanuis sententia, quæ asserit Ecclesiã non habere iurisdictionẽ in actus purè interiores, sit probabilior, quã sua opposita, illamq; teneant Caiet. & D. Th. 1. 2. q. 91. art. 4. & cõmuniter omnes Theologi probariq; possit ex. c. Christiana. 32. q. 5. vbi dicitur, ꝙ Ecclesia nõ iudicat de occultis, & ex. c. cõsuluisti. 2. q. 5. vbi idẽ habetur, & ex c. si omnia. 6. q. 1. & ex. c. erubescãt. 32. d. vbi dicitur, ꝙ secretorũ Deus, & cognitor, & iudex est; Et ratio sit manifesta: Nã cũ de illis solũ possit homo, vel Ecclesia legẽ ferre, de quibus potest iudicare, & de actibus interioribus, & per se occultis, nõ possit Ecclesia iudicare: manifestè sequit, ꝙ nec etiã potuerit de eisdẽ legẽ ferre. Ex quo colligit D. Tholoco citato, vltra legẽ humanam, & Ecclesiasticam esse necessariã aliã legem diuinã, quæ

Attentionum vna actualis altera virtualis.

Attentio virtualis sufficit.

Orans ex præcepto nec attendens peccat mortaliter & fructũ orationis amittit.

Ecclesia nõ habet potestatem in actus interiores.

quæ ad actus interiores se extendat eosq; ordinãs, & præcipiens quæ ad interiores actus spectant. Alioqui non rectè esset homini prouisum, cum ad perfectionem virtutis requiratur, quòd in vtrisq; actibus homo perfectus existat. Non, inquam, euasio posita, alicuius est momenti. Nam quamuis verum sit, quòd Ecclesia directè, & per se solum respicit actus exteriores; mediatè tamen etiam respicit actus interiores, quatenus sunt conditio requisita ad actus exteriores. Vnde qui præcipit missam audire, ex consequenti, & mediatè præcipit voluntatem audiendi. Et similiter contingit in attentione & recitatione diuini offici). Qui enim præcipit recitationẽ, quæ est actus exterior, ex cõsequẽti præcipit attẽtionẽ, quæ est cõditio necessario requisita ad debitã recitationẽ. Et sic præceptũ non est nisi circa puré interiori; sed potius de exteriori implicite, qui debet fieri cum omnibus circunstãtijs requisitis ad bonitatem illius. Similis modus præcipiendi inuenitur etiam, quantum ad multa alia, in iure. Nam in Clement. 1. de statu monachorum interdicitur monacho sub pœna excommunicationis accessus ad curiam animo nocendi. Et in Clement. multorum. de hæreticis, excommunicatur inquisitores odio, vel amore contrà aliquem procedentes. Et in cap. fundamenta. de electione. & electi. post. in 6. excommunicantur consentientes electioni in eo textu reprobatæ. Et in. c. ad abolendam. de hæreticis. excommunicantur quicunq; aliter sentirent de septem sacramentis, quàm sentit Ecclesia Romana. Et ratio est: Quia quanuis animus nocendi monacho tendente ad curiam: & odium, vel amor in inquisitore procedente contra aliquem: & consensus, qui potest fieri electioni: & dissensus doctrinæ traditæ à Romana Ecclesia de septem sacramentis, sint actus interiores; non tamen absolutè ponitur excõmunicatio pro illis, sed pro actibus exterioribus, quatenus habent ordinẽ ad interiores. Ex quo sequitur, quòd in illo. c. ad abolendam, lentè, non significat solũ actũ interiorem, sed consensum exteriori signo declaratum. Quare si tantum fuerit indicium interius, quo quis dissenserit à sacramentis Ecclesiæ, non incurret excommunicationẽ talis hæreticus, licut nec quicunq; alius mẽtalis. Et sic quilibet idoneus confessor posset illum absoluere ab huiusmodi peccato. Quod est intelligendum, dummodo nõ habeat aliam relictuationem vltra illam, quæ prouenit ex bulla Cœnæ Domini. Nam in alijs quodcunq; peccatum hæresis esset Papæ, vel Episcopo reseruatum, non posset ea

Declaratur multa capita iuris.

Quilibet confessor potest absoluere ab hæresis mẽtali.

his hactenus ab insultibus absoluti, cum relaxatio non sit pœna, sed ademptio iurisdictionis, quæ superiori patet vti in quantũcunq; occultis, vt docet Caiet. 2. 2. q. 11. art. 3.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum orans non ex præcepto, si orat sine attentione, aliquod peccatum committat? Gabriel in can. lect. 63. tenet partem negatiuam dicens, quòd quanuis necessaria sit attentio in oratione communi, seu in ea, quæ ex præcepto fit, in illa tamen, quæ non ex præcepto, sed ex voluntate dicitur, attentio non est ità necessaria, vt peccet orans, attentionẽ non habens. Et ratio illius est: Quia cũ oratio in illo casu non sit necessitatis, sed voluntatis, sicut potest sine peccato dimitti, ità etiam potest sine peccato ab ea attentio abesse. ¶ In hoc tamen dico tertiò, quòd siue oratio fiat ex præcepto, siue ex voluntate, semper tenetur orans attentionem apponere, non solum ad assequendum fructum orationis, sed etiam ad vitandam culpã. Itaque quicunq; orat, essò, liberè id faciat, nisi attẽdat, peccatum committit. Hæc est cõmunis sententia Doctorum. Et probatur primo ex Matth. c. 15. Vbi Christus talem orationem reprehendens adhuc illud dictum Prophetæ: Populus hic labijs me honorat, cor autẽ eorum longè est à me. Et D. Cyprian. de oratione tractans dicit: Quæ segnitia est, alienari & capi ineptis & profanis cogitationibus, dum Dominum deprecaris? quasi sit aliud quod debeas magis cogitare, quam quod cũ Deo loquaris. Quomodo te audisti à Deo postulas, cum te ipsum nõ audias? Et addit: Hoc est ab hoste capi, totum non cauere. Hoc est, cum orat Dominum, maiestatem Dei offendere. Et Hugo de sancto Victore ad hoc idem propositum dicit: Si cum oratione confundimus, quodlibet aliud in corde versamus, etiam si illud bonum sit, à culpa liberari non sumus. Et ratio est manifesta: Nam naturalis ratio dictat, esse contra reuerentiam Deo debitam, quòd absentes mente, labijs tantum illum laudemus. Sed est aduertendum, esse latissimum discrimen inter illos, qui orantes ex præcepto non attendunt, & illos, qui dum orant liberè, attentionem nõ apponunt. Nam primi peccant mortaliter, vt diximus; secundi autem tantum peccant venialiter, vt dicit Magister Soto lib. 10. de iustitia & iure. q. 5. art. 5. Et ratio est: Nam defectus illius circunstantiæ, scilicet, attẽtionis in opere alioquin non debito, tantum inducit quandam indecentiam, quæ planè cõtra charitatem non militat.

¶ Est aliud dubium, vtrum orantes expresse, nec habentes attentionem, vel saltẽ

Dubium.

Sententia Gabrielis.

Qui orat sine attentione, esse oratio sit liberum, peccat.

Discrimen inter orantes ex præcepto, & orantes liberè.

Dubium.

sæpius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sententia D. Anton. atque Medinæ.

sæpiùs contingit in clericis recitantibus horas canonicas, teneantur de nouo diuinum officium dicere. Diuus Antoninus. 3. part. titul.13.cap.4.& Medina in tractat.de oratione. partem tenent negatiuam. Dicentes, quòd quamuis clerici recitantes diuinum officium sine attentione peccent mortaliter, vt paulò anteà dicebam, non tamen iterum diuinum officium persoluere sunt obligandi. Et probari potest hæc sententia hac ratione: Qui Ecclesiam ad audiendam rem sacram die festo intrat, cum animo tamen mortaliter corrupto,si sacrum audiat præceptum adimplet: ergo pari ratione dicendū erit, quòd qui psalmorum substantiam profert, estò, sciens & prudens vaga mente id faciat,satisfaciet debito orandi.

Orans sine actuali, vel virtuali attentione tenetur iterū diuinum officium dicere.

¶In hoc tamen dico quartò,quòd qui officium diuinum,ad quod tenetur, sine actuali, vel virtuali attentione dicit, ad illud in integrum persoluendum sub mortali obligatur.Ità tenent Palud.in.4.d. 15.quæst.5. Gabriel super Canonem lect.62.Gerson in libello de oratione,& Soto lib.10. de iustitia,q.5.art.5.Pro quo nota,dupliciter posse contingere,quòd quis dum orat ex præcepto,consultò, & dedita opera vagetur. Vno modo,cum proposito iterum idē officium dicendi, quoniam, scilicet, intelligit illud à se non rectè dici.Et talis sine dubio tenetur totum officium iterum persoluere, quānis in eo,quòd sine attentione orauerit nō peccat mortaliter,sed tantum venialiter. Et ratio est: Quia cum nolit illa sua oratione satisfacere præcepto, idem iudicium habendum erit de illa,ac de alijs orationibus voluntarijs. Alio modo potest se quis voluntariè distrahere in oratione cum animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ per illam orationem,nec iterum eam recitandi. Et talis peccat mortaliter: & præterea tenetur iterum idem officium in integrum dicere. Et quidem, quòd sic orans peccet mortaliter, est res manifesta: Quia non orat sicut præcepit Ecclesia,nec habet animum iterum legitimo modo orandi. Quod autem etiam teneatur iterum diuinum officium persoluere,probatur: Nam habet adhuc tempus, & facultatem id faciendi,cum nondum sit dies elapsa,vt supponimus: ergo adhuc tenetur præcepto de dicendo diuino officio. Et ad hunc modum est intelligendum nostrum quartum dictum.

Dubium.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an ille, qui dixit diuinum officium cum debita attentione,'animo tamen nō satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, teneatur iterum idem officium recitare.In hac re Medina loco citato partem tenet affirmatiuam. Quam probat hac ratione; Si ego debeo alicui decem, & do ei totidem, animo tamen non soluendi sed gratis donandi,non liberor à debito, vt constat. Item; Si sacerdos accipiat à Petro stipendium,vt pro eo, illa die, missam celebret, ipse autem non pro stipendio, sed ex beneuolentia celebret pro eodem nolens satisfacere obligationi, adhuc tenebitur pro Petro ratione stipendij missam dicere: ergo idem etiam erit dicendum in nostro proposito. Cæterùm quanuis hæc sententia Medinæ sit valde probabilis, atq; secura, non tamen minus probabile puto,quòd qui diuinum officium cum debita attentione dixit, cum animo non satisfaciendi præcepto ecclesiæ, tenetur iterum eadem die de nouo officium recitare, vel intra eandem mutare animum, atque habere voluntatem satisfaciendi. Tota enim illa die vrget præceptum ecclesiæ,cui tenetur velle obedire. Et ad id sufficiens videtur animi mutatio,supposito, quòd iam debite officium dixerit. Nec argumentum in contrarium factum aliud conuincit.Sed concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ratio discriminis est, quòd in casibus positis in antecedenti interuenit ratio iustitiæ, cui adhuc satisfaciendū restat, postquam aliquid gratis est donatū. At verò in casu consequentis non interuenit ratio iustitiæ.Clericus enim, cui recitandi diuinum officium præceptum est impositum,non ex iustitia tenetur illud dicere,sed tantum ex obedientia: Quare ex quacunq; intētione illud recitet, modo intra tempus, quo præceptum obligat habuerit propositum satisfaciendi ecclesiæ,illi satisfacit, nec ad aliquid aliud tenetur.Qui autem persoluit diuinum officium non animo orādi, sed aut legendi,aut psalmos addiscendi,tenetur illud iterare,siquidem talis orare obligatur, & non orat,vt constat.

Sententia Medinæ.

Sententia aurea.

Ad argum. Medinæ.

¶Est aliud dubiū,an qui simul audit missam,& recitat diuinū officium, quando ad vtrumq; ex precepto tenetur,satisfaciat vtri que obligationi.Sylvest.in sum.verb.missa. 2.§.vlt. partem tenet negatiuā.Et ratio illius est,quia vtriq; actioni sua,& propria debetur attentio. Et implicat contradictionem, vt duabus rebus diuersis simul quis attendere possit. Contrariam tamen sententiā tenet Caietanus in Opusculo de valore orationis,quem sequitur Soto in. 4. dist.13.q. 1.art.1.quā ego verā existimo. Et ratio est: Nā ex præcepto audiēdi missam nullas obligatur attendere ijs,quæ in missa dicūtur;cuius rei signū est,q sicut cōmuniter dicūt Doctores,qui præsentes sunt, dū missa dicitur, licet

Dubiū de puncto difficultatis.

Sententia Soti tribus dictis contenta.

licet non audiant, quæ à sacerdote dicuntur, satisfaciunt obligationi, quæ tantum est vacandi Deo dum missa celebratur, & qui id tempus consumit in recitandis cum attentione horis canonicis, optime dicitur Deo vacare. Facit etiam pro eadem re: Nam is, de quo loquimur, aut facit satis vtrique præcepto, aut neutri, aut alteri. Neutri nullus est qui dicat: nec etiam alteri, cum non sit maior ratio vnius, quam alterius: ergo satisfacit vtrique. Et per hoc patet solutio ad fundamentum Syluestri.

Dubiūgrane.

¶ Alterum dubium in hoc articulo examinandum est, vtrùm clerici horas canonicas non dicentes aliquam teneantur facere restitutionem. In qua re, vt certa ab incertis separemus dico primo, certum esse, quod clericus non beneficiatus non tenetur ex omissione horarum aliquam facere restitutionem,seu spiritualem,seu temporalem. Non enim peccat contra iustitiam, nec vlli aliquam facit iniuriam, ex qua restitutionis obligatio oriatur, quamuis mortaliter peccet in dimittenda quacumque ex septem horis, vt ex supra dictis patet; nec id modo probare est opus. ¶ Dico secundo, etiam esse certum de clerico beneficiato, quod non tenetur ad spiritualem restitutionem, hoc est, ad iterum dicendas horas omissas. Id enim nullo iure cautum videmus. Et si dicatur, peccare illum contra iustitiam, facereque iniuriam Ecclesiæ, quam communibus suffragijs, & orationibus priuat,& sic damnificare illam in spiritualibus, respondeo primò,quod ille nullum in particulari damnificat, sicut si missam, aut ipsas horas alteri promisisset, etiam sine stipendio. Respondeo secundò, quod horarum recitatio solum obligat ex præcepto Ecclesiæ. Quare qui stipendium, quod ab illa accipit, restituit, nullo modo peccat contra iustitiam, nec ad aliquam aliam spiritualem restitutionem tenetur. Itaque hæc certa sunt. Sed quod habet difficultatem est, vtrùm beneficiatus non recitans horas canonicas stipendium ab Ecclesia receptum restituere teneatur. Soto libro decimo de iustitia quæstione quinta, articulo sexto, conclusione quarta, hanc quæstionem in terminis versans dicit tria. Primum est, quod non quicunque defectus in persoluendo diuino officio, imò nec omnis, qui culpam inducit mortalem, ad restitutionem obligat. Nam, si quis incongrue officium diuinum proferat,aut versus aliquos, etiam ex supina negligentia, & oscitantia interpollet, peccatum mortale committet ad restitutionem tamen fructuum non obligabitur. Et ratio Soti est: Quia hoc esset nimium strictæ hominum conscientias, cum vix caducis & labilis vita nostra sine huiusmodi negligentijs transigi queat. Dicit secundo, quod quamuis quis matutinale officium, aut aliam horam seu ex culpabili obliuione,seu dedita opera prætermiserit, quod forte semper est mortale, vel etiam si totum diem orare prætermittat, quod proculdubio est lethale; non ideò ad restitutionem fructuum ex rigore iuris obligatur. Et ratio illius est: Nam quamuis beneficiato propter officium beneficium concedatur, non tamen adeo minutatim respondere debent stipendii portiunculæ singulis canonicis horis, vt cuiuscunque prætermissio ad restitutionem illius portiunculæ obliget. Quoniam nec in ciuilibus familiis, tam exactè requiritur seruitium,nec Spiritus sanctus, cuius nutu Ecclesia regitur,tales voluit suis ministris scrupulos iniicere. Et hoc quantum attinet ad eos,qui vno, aut altero die diuinum officium prætermittunt. De illis autem,qui longioti tempore orare canonicere liquerint,dicit tertio,quod statim ac quis obtinet beneficium tenetur restituere, si post duos aut tres menses officium non dicat. Nā quamuis concilium Lateranense sessione 9. in hunc modum habeat,præcipimus, statuimus,& ordinamus,quod quilibet habens beneficium cum cura,vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit,legitimo impedimento cessante,beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis,& officii & temporis suos non faciat,sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas Ecclesiarū huiusmodi beneficiorū,vel pauperū elemosynas erogare teneatur.Si verò vltra dictū tēpus in simili negligētia cōtumaciter permāserit,legitima monitione præcedēte,beneficio ipso priuetur,cū propterea offici detur beneficiū.&c.Quibus verbis significatur,ante sex mēses elapsos à cōsequutione beneficii neminē obligari ad restitutionē fructuum , etiam si diuinum officium non dicat. Quamuis, inquam, videatur obstare hæc Concilii determinatio tertio dicto à Magistro Soto posito,ipse tamen respondet, quod verba Concilii non sunt intelligenda, vt iacent. Habetur enim prius, quod qui post sex menses ab obtento beneficio non orauerit, pro rata restituat. Posteà verò subditur,si verò vltra dictum tempus simili negligentia contumaciter permanserit. &c. Quæ verba prioribus non grate cohærent.Nam hæc posterna,in simili

Clericusnō beneficiatus nullā tenetur facere restitutionem.

Beneficiatus non tenetur horas omissas iterum dicere.

1.Dictum Soti.

2.Dictum Soti.

3.Dictum Soti.

Explicatio Concilij L. a Soto facta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

negligentia, apertè denotant negligentiam priorum sex mẽsium ad restituendũ pro rata obligasse: quandoquidem post illos rigor cogendi per commonitionem priuationis officii adhibetur. Et sic credit Magister Soto; quod verbum concilii non est, post, sed per. Vt sit sensus, quod qui per sex menses ab obtento beneficio officium diuinum, vel quamlibet eius partem non dixerit, solum teneatur ad restitutionem pro rata. Elapso verò semestri, si post admonitionem in quindecim diebus non bis orauerit, beneficio priuetur. Itaque primum semestre non datur tanquam induciæ, vt clericus non orans nulli subiaceat pœnæ: quia hoc esset omni rationi dissonum, sed vt non priuetur. Et hac ratione dicit esse intelligenda verba concilii, & non alio modo.

Impugnatur Sotus.

¶ Cæterum hæc sententia Soti, quamuis quantum ad primum dictum vera proculdu biò sit: quantum ad secundum, & certiuin est omnino improbabilis. Nam primò affirmare, quod qui matutinale officium, aut aliam horam, vel totum diuinum officium vno, aut altero die prætermiserit, fructus perceptos restituere non obligatur, est apertè contra decisionem Pii Quinti, quam refert Nauarro in Manuali capitulo 25. numero 122. Vbi sic habetur: Statuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit omnes fructus; qui illi, vel illis diebus corresponderent, si quotidie diuiderentur; qui verò matutinas dimidiam, qui cæteras omnes horas aliam dimidiam; qui harum singulas sextam partem fructuum eius diei amittat. Quod etiam decretum habetur in Concilio Lateranensi iam citato. Cuius verba refert, & declarat Pius Quintus in extrauaganti ab ipso edita. In cuius principio dicitur: Ad perpetuam rei memoriam. Ex primo Lateranensi Concilio pia & salubris sanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium cum cura. &c. Et paulò inferius: Nos igitur huic rei euidentius, atque expressius prouidere volentes, statuimus. &c. Ex quo apertè colligitur immeritò Sotum à prædicta concilii determinatione discessisse, nimium ius illam affirmans. Secundo etiam dicere, quod statim ac quis obtinet beneficium, tenetur fructus restituere ante sex menses elapsos, nisi diuinum officium persoluat, est similiter contra determinationem concilii Lateranensis, quam Pius Quintus in sua illa Extrauaganti non reuocat, sed eam declarat, & in suo vigore relinquit. Et quod Sotus affirmat, esse errorem in verbis; & vbi nos legimus, post, legendum esse, per, nullo alio nititur fundamento, quam suæ diuinationis, vt suæ sententiæ conforme habeat concilium. Cum tamen solutionem de errore impressionis, nisi vbi apparent erroris manifesta indicia, admittere sit planè, omnem scripturam & doctrinam inuertere. Fuit ergo intentio Concilii clericis beneficiatis induciarum sex menses concedere quibus, quamuis peccent mortaliter, canonicas horas non dicentes, fructus tamen perceptos restituere non obligantur. Quod & confirmari potest ex verbis Pii Quinti, qui licet in dicto proptio motu id ipsum ad expressum non declaret; refert tamen verba concilii, quæ salubria & pia esse dicit, adiiciens verbum, post, & non per; quo etiam modo habetur in originali Concilii Lateranensis. Imò Nauarro loco citato referens determinationem Concilii vtitur phrasi æquipollenti, verbo, post, & non, per. Dicens in Concilio Lateranensi sub Leone decimo sessione sexta in hunc modum fuisse sancitum: Statuimus, vt nemo beneficium curatum, aut simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consequutione. &c.

Argumẽta quæ fieri possunt pro sententia Soti. 1. arg.

¶ Sed placet modo in gratiam Soti in confirmationem suæ lectionis aliquot proponere argumenta, quæ sint velut indicia manifestantia, quod textus Concilii habetur mendosè, & quod non post, sed, per, est legendum. Primo. Nam sensus verborum videtur mancus, & imperfectus, nisi legamus, vt Sotus legit. Postquam enim dixit Cõcilium, quod quicunque habens beneficiũ cum cura & sine cura, si per sex menses, quam illud obtinuerit, diuinum officium non dixerit, beneficiorum suorum, pro rata omissionis, & officii, & temporis fructus suos non faciat: Subdit statim: Qui autẽ vltra id tẽpus intra quindecim dies nõ recitauerit bis, priuetur beneficio. Vt sit sensus, quod qui per sex mẽse nõ recitauerit pro rata restituat: qui autẽ vltra id tẽpus nõ recitauerit bis intra quindecim dies priuetur beneficio: Sed si particula esset, post, nõ deberet priuari beneficio, sed tantum pro rata soluere, qui officiũ nõ recitaret bis intra quindecim dies: cum dicatur, quod post sex mẽses pro rata soluat: ergo nõ post, sed per, est legendum, vt perfectus sit sensus Concilii. nec iidem quindecim dies restitutionis fructuum, & priuationis beneficii constituantur. ¶ Et confirmatur: Illa particula vltra, aduerbatiuè ponitur ad illam, quæ in præcedenti clausula posita fuerat, vt de se patet; sed particula vltra, non est aduerbatiua de ly, post, quin potius vtraque pro-

Cõfirmatio

positio idem significat, idem enim est dicere, post sex menses, & vltra sex menses: est autem aduerbatiua de ly, per, cum aliud sit dicere, qui per sex menses & aliud qui vltra sex menses: nõ ergo præcesit particula, post, sed, per, ne inepta patrum videatur oratio. Atque ex consequenti perfectus sensus concilii est, quod qui per sex menses non recitauerit soluat ratam, qui autem post dictum tempus siue vltra id tempus quod idem est, non recitauerit bis intra quindecim dies priuetur beneficio. Adde etiam, quod ad præparandum se ad recitandas horas nõ oportebat sex menses induciarum dare.

Respondetur ad argumẽtum pro sententia Soti.

¶ Cæterum quamuis ob hanc rationẽ, Soti sensum nonnulli defendere conentur, quia tamen in prædictis omnibus editionibus habetur, post, & non, per, Pius Quintus in eo sensu refert, & approbat salubrem illam constitutionem, idcircò supra dictis stãdo ad argumentum factum pro sententia Soti respondeo, quod illud verbũ, post, denotat omnes dies sequentes totum numerum sex mensium, in quibus pro rata restituere tenebitur qui diuinum officium non recitauerit. Itaque qui per octo dies, vel decem nõ recitat singulis illis diebus ratam restituet. Qui verò vltrà procedens vsque ad quindecim dies, saltem bis nõ recitauerit, priuabitur beneficio. Vel accipe clariùs: Qui per quindecim dies sequentes numerum sex mensiũ nullũ diem, vel vnum tantum recitauerit priuabitur beneficio: qui autem bis, ter, aut quater tantum recitauerit soluet pro rata, sed non priuabitur beneficio. Nec id ego solum intelligo de primis quindecim diebus. Sed quandocunque post illos menses reperitur quis intra duas hebdomadas non bis recitans priuabitur beneficio: id enim significant verba illa; Vltra id autem tempus, si bis non recitauerit, priuetur. Si bis autem, aut plures recitauerit, non priuabitur: sed solum restituet pro rata omissionis officii iuxta modum explicatum. Et hæc est meo iudicio germana illius loci expositio. ¶ Quod autem de beneficii priuatione dicitur, non putauerim esse intelligendum de priuatione ipso facto incurrenda, sed de ea, quam post iudicis condemnationem facere oportebit, vt communiter dicunt Doctores. Est enim lex illa, quantum ad id pœnalis. Vtrũ autẽ idẽ sit dicendum de restitutione fructuũ, varietate opinionũ disputatur à Doctoribus. Syluester verbo. clericus. 4. q. 24. & 25 indubitanter tenet, clericũ, & beneficiatũ non solũ non residentẽ, aut nõ canentẽ in Ecclesia, sed omnino nõ recitantẽ horas canonicas nõ teneri ad restitutionẽ fructuũ, ante iudicis cõdẽnationẽ, citãs ad id Panarmi. in c. 1. de celebra. miss. & Cardinalem & alios. Quam suam sententiam probat primò: Quia opposita est nimis rigida, nec iure probata. Secundo: Quia ille, qui per annũ non residet occasione tituli, quem habet, donec priuetur, licitè percipit fructus. Et idem videtur iudiciũ de eo, qui nõ recitat. Quia licet nõ seruierit dicendo officium, seruiuit tamen Ecclesiæ in ordine clericatus. Tertio. Quia, cum fideles teneantur exhibere decimas malo beneficiato, qualis est ille, qui diuinum officium non dicit, vt docet D. Tho. in quodlibetis, & habetur in capit. tua nobis, de decimis. non est cur illas soluere teneatur ante iudicis condemnationem, Tandem: Quia beneficium datur, non solum propter officium dicendi horas, vel psallendi: sed etiam propter officium administrãdi sacramẽta, consiliorum, verbi Dei, & decantandi diuina. Et ratio postulare videtur, quod quando stipendium datur propter plura, vno eorum deficiente, ipsum stipendium non denegetur. ¶ Cæterum hæc sententia mihi omnino falsa videtur. Nam cũ in dicto. §. Statuimus. Concilii Lateranensis, licèt de priuatione beneficii dixerimus, non esse ipso iure priuatũ post sex menses eum, qui bis non recitauerit intra quindecim dies, tamen quod ratam fructuum in conscientia debeat ante condemnationem reuera decernitur & expressim habetur. Nam dicit, quod talis fructus non faciat suos, sed eos impendere tanquam rem iniustè captam in fabricam beneficii, aut eleemosynas pauperum teneatur. Et ità Pius Quintus non quasi nouum ius condens, sed ius prædicti concilii (vt ipse dicit) declarando euidentius, statuit, non facere fructus suos, qui horas dimiserit recitare, & sic manifestè sequitur, quod non solum de iure Pii Quinti, sed etiam prædicti concilii non potest in conscientia retinere fructus, etiam ante iudicis condemnationem, siue vnius diei contra Sotum, siue vnius anni, vel plurium, contra Syluestrum & alios, qui diuinum officium recitare prætermiserit. ¶ Si quis autem quærat, vtrùm id etiam sit verum stando in iure naturali? Ego ad hanc difficultatem sub distinctione respondendum censerem: Nam vel est sermo de beneficio curato, aut de non curato, qualia sunt beneficia simplicia, præstimonia, canonicatus &c. De his quidẽ putarẽ omnino iure naturali teneri ad restitutionem fructuũ eũ, qui diuinũ ofꝯiũ non diceret. Nã cũ beneficium detur propter officium, & in beneficiis non curatis non sint alia munia præter recitationem horarum canonicarum, qui illas non diceret iure naturali tenere-

Optima expositio Concilii Lateranensis.

Sententia Syluestri de restitutione fructuum ante iudicii condẽnationem.

Impugnatur Syluester & sta tuitur vera sententia.

Quæstio.

Solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur fructus perceptos restituere. Et sic constat rationes Sylvestri esse infirmas. Si verò de beneficiis curatis loquamur, existimo non teneri iure naturali ad restitutionem fructuum, qui diuinum officium non dixerit, quia alia sunt munia & officia ob quæ principaliter dantur decimæ, & fructus, vt optimè probat Sylvester. Cæterum quamuis curam animarum habens de iure naturali restituere non obligetur ob horarum dimissionem, in effectu tamen tenetur ob dictam Pii Quinti Extrauagantem, imò ob dictum concilium, quod miror Sylvestrum non vidisse, cum dicat; Statuimus, vt nemo beneficium curatum, aut simplex habens. &c. Quo loco plane decernitur tam curam animarum non habentem, quam habentem
Ad vltimum. teneri ad restitutionem fructuum nisi diuinum officium persoluerint. Quæ constitutio, &si rigore non careat, vt recta tamen & salutaris seruanda est, præsertim in curam animarum non habentibus, vt sunt canonicatus, & alia simplicia beneficia. Nonnullis prima facie, fortasse videbitur maiorem obligationem restituendi existere in habentibus curam animarum, quam in non habentibus. Et non est ita. Nam is, qui curam animarum habet, plura alia exercet munia, ob quæ eis decimæ debentur: cum tamen in non curatis, nisi in fundendis precibus, vix inueniri possit aliquid, in quo deseruiant Ecclesiæ.

Notanda resolutio dubij principalis.

¶ Ex dictis possumus colligere breuem resolutionem principalis dubii à nobis propositi. Quæ quidem est, quod omnes beneficiati tam curam animarum habentes, quam non habentes, nisi diuinum officium dicant, sex mensibus elapsis à consequutione beneficii, de facto tenentur in conscientia, etiam ante iudicis condemnationem fructus restituere pro rata, iuxta ordinem præscriptum à Pio Quinto Pontifice Maximo in Extrauaganti iam citata. Quod est intelligendum, siue vno die, siue pluribus officium sit prætermissum. Imò etiam si in vno die pars tantum officii sit derelicta. Quidquid dicat Soto loco citato. Dixi notanter, sex mensibus elapsis à consequutione beneficii. Nam intra sex primos menses existimo, quod quamuis beneficiatus canonicas horas non recitans, peccet mortaliter, non tamen tenetur fructus perceptos restituere, iuxta decretum Concilii Lateranensis sub Leone. x. quod Pius Quintus in sua Extrauaganti non reuocat, sed eo in suo vigore relicto, eius euidentiorem, & manifestiorem adhibet declarationem, vt ipse fatetur. Scio communiter dici à Doctoribus, beneficiatos, *Impugnatur Sententia communis.* etiam intra sex primos menses, diuinum officium non recitantes ad fructuum suorum beneficiorum teneri restitutionem. Cæterùm cum hoc sit de iure positiuo saltem in illis beneficiatis, qui curam animarum exercent, quibus propter multa alia munera, à recitatione horarum canonicarum, decimæ debentur, non est cur illis maiorem imponamus obligationem, quam quæ ex iure positiuo colligitur. Certum autem est, quod in iure hoc non habetur sed potiùs contrarium, vt constat ex Concilio Lateranensi iam citato. De habentibus ea beneficia simplicia, in quibus, nisi quod funduntur preces ad Deum, vix inueniri potest aliquid, in quo inseruiatur Ecclesiæ, verisimum puto. Quod si intra sex primos menses diuinum officium non recitauerint, ad fructuum perceptorum tenentur restitutionem, non quidem propter dispositionem iuris positiui, cuius nulla est quantum ad hoc, sed propter ius naturæ, quod vt diximus, eos obligat vel ad diuinum officium dicendum, vel ad non percipiendos fructus, qui propter talis officii recitationem conceduntur cum beneficium non detur nisi propter officium. ¶ Solet à *Cui facienda sit restitutio fructuum à non recitante.* quibusdam dubitari cuinam sint conferendi illi fructus, qui à non recitantibus restitui præcipiuntur, immeritò tamen. Nam cùm summus Pontifex dicat, vel quod tribuantur in fabricam ipsorum beneficiorum, vel quod in pauperum eleemosynas erogentur, non est cur hoc in dubium reuocetur, sed pro certo habendum, quod siue fructus tribuantur pro faciendis fabricis earum Ecclesiarum, vbi sunt beneficia, siue dentur pauperibus, restitutio erit legitima, vt latè docet Nauarro in Enchiri. de oratione. capitulo septimo numero 32. Ex quo colligit id, quo dicit se non semel consolatum fuisse aliquos scholasticos pauperes, qui propterea quod diuinum officium non recitauerant, suorum beneficiorum fructus amiserant, nempe, quod satisfaciunt prædictæ obligationi, capiendo, saltem de consilio confessarii, eos fructus sibi tanquam vni de pauperibus. Qui enim ad dandum aliquid pauperibus obligatur, potest illud sibi accipere, tanquam vnus ex eis, si vere talis est, saltem de consilio confessarii, per tradita à Baldo in lege id quod pauperibus. quæstio. 22. Cod. de episcop. & clericis. & à Calderi. consi. 19. de testamentis, & ab Ancha. in consid. 84. de quo etiam nos aliquid diximus in materia de restitutione. Quando

do autem dicit summus Pontifex prædictam restitutionem faciendam esse, vel Ecclesiæ, vel pauperibus, loquitur de beneficiis. Nam in distributionibus quotidianis, & aliis, quibus est ius accrescendi, debenturque illis, qui horis canonicis interfuerint, illis diebus, quibus alii non recitant non sufficiet prædictam restitutionem facere, vel fabricæ, vel pauperibus, sed necessariò facienda erit illis, quibus accrescunt, per capitulū primū. de clerico non residente. libro sexto. Et ratio est. Quia non sufficit dare pauperibus, quod debetur alteri, nisi quando dominus ignoratur, iuxta tradita à nobis supra quæst. 62. articulo 5.

Difficultas ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm beneficiati diuinum officium non recitantes teneantur restituere pro rata vniuersos fructus, quos percipiūt, vel potius sit satis ali quam tantum partem tribuere? Ad cuius explicationem omissis variis modis dicendi, sub distinctione respondeo, quod si beneficium sit eiusmodi, vt nullam aliam obligationem
Quando restitutio sit facienda à non recitantibus. inducat, quam recitandi officium diuinum, qualia sunt beneficia simplicia, & præstimonialia, qui officium diuinum non dicerent, vniuersos fructus, quos percipit, restituere pro rata teneretur. Non enim haberet legitimum titulum, propter quem partem illorum retinere posset, cum beneficium detur propter officium, vt iam sæpe diximus. Cæterum, si non recitans haberet beneficium obligans illum, non solum ad dicendum diuinum officium, sed etiam ad plura alia munera exercenda, propter quæ si militer redditus annuales conferuntur, vt si est parochus, cui ex officio incumbit regimen Ecclesiæ, & administratio sacramentorum, vel est capellanus, qui vltra horas canonicas tenetur etiam aliquas missas celebrare; non erit compellendus vniuersos fructus, quos ex tali beneficio percepit, restituere pro rata, sed partem tantum, habita ratione ministerii exhibiti Ecclesiæ. Itaque qui ratione beneficio curam animarum gerit, & sacramenta administrat; si talis per mensem diuinum officium non recitat, non tenetur vniuersos fructus illi mensi correspondentes restituere; sed qualis proportio fuerit inter diuinum officium, & alia ministeria, quibus fungitur, talis etiam habenda erit in diuisione fructuum, vt restitutio fiat. Hoc enim ratio ipsa postulare videtur. Nec obstat decretum Pii Quinti iam citatum, quo dicitur, quod qui omnes horas canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur, amittat. Nam vel loquitur tantùm de illis beneficiis, ad quæ nulla alia obligatio sequitur, quā recitandi. Vel est intelligendū solum de illa parte fructuū, quæ in beneficio respondet debito soluendi diuinum officium, vt optimè declarat Bartholomæus à Medina in summa sermone Hispano conscripta §. 11. folio 106.

¶ Sed supposito esse necessarium in foro animæ ad faciendos fructus suos, quod beneficiatus horas canonicas persoluat, confurgit hic non leuis difficultas de canonicis, vtrū in illis ad id sit satis, quod diuinū officium priuatim recitent, vel potius sub restitutionis onere teneantur illud in Ecclesia canendo persoluere? In qua re, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd etiā si canonici priuatim horas dicant, si tamen sui præsentiam corporalem in choro non exhibent, nec lucrantur fructus, nec distributiones in foro animæ. Et quidem de distributionibus est aperta determinatio concilii Trid. sess. 24. capitulo 12. Quod etiam diffinitur in c. vnic. de clerico non resid. libro 6. & in capitulo licet, de præben. & dig. Imò Couarr. lib. 3. Varia. resol. capit. 13. nume. 2. existimat contraria consuetudine aliud introduci non posse, quia est contra naturam distributionum, vt non residentibus detur, vt constat ex illo capitulo vnico iam citato. Quamuis posteà numer. 8. illatio. 8. fateatur, quod qui præsens adest in loco, vbi Ecclesia est constituta, non modo ob infirmitatem, sed etiā ob alia legitima impedimenta ex consuetudine luctari posset distributiones. De corpore autem beneficii quod vestuarium, vel grossa appellatur, similis determinatio habetur in iure in multis locis. Et sic proposita quæstio solum procedit de canonicis corporaliter choro interessentibus, & diuinum officium in cameta persoluentibus, vtrùm, scilicet, id sufficiat, vt in conscientia fructus, & distributiones retineant, vel potiùs vltra hoc requiratur, quod horas canonicas in Ecclesia canē do persoluant. In quo secundo etiam est cer- *2. certum.* tū, quod si canonici capellanos non habent, vel si habēt nō adsunt, tenētur ipū saltē in cō muni, horas canonicas psallere sub onere restitutionis. Nā cum tunc nec per se, nec per alios officiū adimpleant, & defraudent Ecclesiā debito seruitio horarum, ob quod, sicut ob causam totalem, vel saltem principalem datur illis stipendium, fit, vt ad illius restitutionem sine dubio obligentur. Dixi, saltim in communi, ad significandum debere saltē esse aliquos ex illis deputatos ad officium decantandum. Nam, vtrùm singuli in particula

Granis difficultas de canonicis.

1. certum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri non psallentes restituere obligentur, po-
3. certum. steà explicabitur. ¶ Tertio etiã est certũ, nõ teneri canonicos canere, cum officiũ dicitur cantu figurato, qui Hispane appellatur, canto de organo, sed satis esse habere capellanos qui id muneris exquantur. Non enim decet eorum gravitatem illo cantus genere uti. Quare dicet tunc taceant, nec peccabunt;
4. certum. nec ad restitutionẽ erunt obligandi. ¶ Quarto etiã est certum, quod si adest iusta aliqua causa vera & non ficta, non cantandi in choro, quando præsens est, vt infirmitas, vel aliquid huiusmodi, canonicus tunc nõ cantãs nec amittet fructus, nec distributiones, imo nec amitteret etiam si omnino non conueniret, vt notant Syluester verbo. beneficiũ. 5. quæstione 5. Angelus, & alii, habeturque expresse in dicto capitu. vnico. decleri. non resi. hb. 6. Quod est intelligendum de iure communi. Nam si esset specialis aliqua cõsti tutio, vel consuetudo, vt non lucraretur nisi qui adesset, etiam si legitimè abesset, illa videretur seruanda. Quamus minime rationabilem talem constitutionem seu consuetudinem existimarem. Itaque hæc certa sunt.

Punctus difficultatis. ¶ Sed quod habet difficultatem est, vtrũ teneantur canonici psallere in choro simul cũ aliis sub onere restitutionis, vel potius sufficiat, quod intersint horis, supposito quod eas postea priuatim recitent? Soto libro 10. de Iustitia quæst. 5. art. 4. dicit stipendium dari illis, non vt assistant, nec dũtaxat vt sit numerus, sed re vera, vt psallant. Quibus verbis significare videtur, quod nisi ceciderint ad restitutionem fructuum erunt obligandi. Et probari potest hæc sententia. Primo: Beneficium
Sententia Soti. datur propter officium, sicut ob causam principalem, vt habetur in capit. fina. de rescriptis libro 6 sed canonicorum officium est diuina facere in choro, & non veluti mutos se dereget ergo nisi id fecerint obligandi erunt ad restitutionem. patet consequentia: Nam
1. argu. quod ob causam datur, iure retineri non potest, causa non subsequuta, vt constat ex toto titulo ff. de conditionibus ob turpem causam. ¶ Secundo: id ipsum probatur ex natu-
2. argu. ra institutionis canonicorum; quæ quidem est, non vt adsint tantum, sed plane, vt psallendo assistant, vt patet ex concilio Trident. sess. 24. capit. 22. Vbi in hunc modum habetur: omnes canonici per se & non per substitutos diuina compellantur obire officia, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis nomen Domini reuerenter distincteque laudare. Si ergo hæc est natura, & ratio instituti ipsorum, fit, vt debito sui officii satisfacere non sint dicendi, qui solam naturalem, & corpulentam præsentiam exhibent. ¶ Et confirmatur ex concilio Basiliensi, sess. 21. vbi dicitur: Canonici cum psallendi gratia conueniant: iuncta aut clausa labia tenere non debent; sed omnes præsertim, qui maiori funguntur honore, in psalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur. ¶ Tandem probatur hæc sententia, ex Extra-
3. argu. uaganti Pii Quinti iam citata, vbi postquam dixerat, non recitantes non facere fructus suos, nec distributiones, subdit. Tamẽsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque & distributiones forte aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, alias sibi lucrifeciſſe prætendat, &c. Quibus verbis apertè significat, eum, qui est choro addictus, si tamen non recitat cum aliis in choro, licet sit præsens non posse lucrifacere fructus, & distributiones.

Cõfirmatio

Sententia autoris. ¶ His tamen non obstantibus ego, salvo meliori iudicio, nullam esse restituendi obligationem existimarem, dummodo canonici capellanos habeant, qui officium in Ecclesia cantent, & ipsi illud domi recitent, præsenteſque sint choro attendentes saltem ad verba, vel attentione quadam saltem externa corporis, sint assistentes. Nam quod docet Corduba libro quarto quæstio. quæsti. 13. dub. vltimo in fine, scilicet, quod etiam si nullam omnino attentionem habeant, etiam exteriorem, nullam tenẽtur facere restitutionem, citans ad id Medinam. C. de resti. quæ. 20. Florentinum 3. p. tit. 13. cap. 4.
Impugnatur Corduba. §. 7. Syluestrum, Castrum, & alios, nunquam mihi placere potuit, sed verius multò existimaui, quod dicit Nauarro in Enchiridio de oratione. capitulo 13. numero 17. & 19. scilicet, quod requiritur aliqualis attentio, saltem ad verba, vel externa corporis. Ad lucrandos enim fructus, atque distributiones necessariũ est, vt canonici Ecclesiæ præceptum adimpleant. Et certum est, quod licet demus Ecclesiam interiorem attentionem non præcipere, quod tamen præcipiat externam, nulluseſt qui dubitet, hoc est, quod præcipiat in canonicis, & aliis, qui choro intersunt quandam compositionem, & recolitionem externam, qua, scilicet, nõ scribãt vel cõfabulentur, &c. licet interius nihil attendant. Et si Ecclesia hanc præcipit, & ob id stipendia assignat, ob orationẽ, inquã, si nõ verã & meritoriã coram Deo, at certè apparentẽ exterius, quis dixerit esse, nõ dico verã, & meritoriã, sed apparentem orationẽ ilã, qua quis nec

corpore intentus est iis, quæ in choro cantantur, sed mutmurationibus aut fabulationibus, aut aliis externis actibus occupatus est? Immeritò ergo putauit Corduba hunc esse à restitutione immunem, cum non faciat id, ob quod stipendium datur, non solum verè, verùm neque etiam fictè. Verum est, quod si non notabiliter tempore horæ sed modice in his se occupauerit, vt si consignet chirographum, aut vnum verbum, aut alterum loquatur, non ob id tenebitur ratam illius diei, imò nec illius horæ restituere:
Canonici non tenentur canere in choro. quia quod parum est, pro nihilo reputatur. Sed restat modò probare, quod non teneantur canonici aliquã facere restitutionẽ, licèt non cantent, sed domi officium dicant, dum modo præsentes sint choro, illiq; attentione aliqua, saltem corporali, assistant, quod verius esse diximus contra Sotum & alios. Et quidem præcipua ratio, qua ad id dicendum mouemur, est; Quoniã & si secundum rigorem iuris, & veterem Ecclesiarũ institutionẽ & fundationem canonici perse psallere, & cæteta diuina officia obire teneantur, tamẽ de cõsuetudine iã à multis annis recepta, tolerata, & approbata oppositum cernimus obseruatum, Papa, cæterisque prælatis videntibus, & tacẽtibus. Præterquã, quod nec omni ex parte, prisca, & antiquã consuetudo cessasse videtur. Nam & Missas per hebdomadas psallẽdo dicunt, & in horis canonicis capitulam, & orationem canunt. Episcopoque celebranti assistũt, & plura alia. Et sic solũ quo ad horas introductũ videtur, vt per capellanos, ipsis assistentibus dicantur. Cum igitur talis consuetudo vigeat, & prælati consentiant, fit, vt nec non canentes peccent, nec ad aliquam teneantur restitutionem. Idem etiam potest probari ex dispositione iuris, quod huic parti fauet quam plurimum. Nam in capitulo primo, de clerico non residente libro 6. sic habetur: Distributiones iis, qui in choro ad fuerint dentur. Et in concilio Trid. vbi supra eadem prorsus verba scripta sunt, citato præ dicto capitulo ex Bonifacio 8. quod idem in capitulo licet. de præben. & dignit. prorsus dicitur. Si ergo prædicta iura statuunt, quotidianas distributiones esse conferendas iis, qui intersunt, & nihil amplius, vt illis dentur exigunt, sit, eos, qui adsunt licitè eas percipere, iureque facere suas, & multò meliùs fructus ipsius beneficii, cum eorum loco distributiones fuerint subrogatæ, & per consequens sint eiusdem naturæ, & eisdem legibus subiectæ, quo ad causam eos percipiendi. Imò longè plura requiruntur ad distributiones lucrandas, quam ad fructus, vt omnes fatentur. Vnde vnius diei residentia videmus fructus lucrari, & tamen distributiones non, nisi eius diei, quo residet. ¶ Et si quis contra hoc obii-
Obiectio ex concil. Tri. ciat, quod licet ante concilium Tridentinum consuetudo non psallendi à peccato, & restitutionis onere excusauerit, talis tamen consuetudo nunc improbata, & sublata videtur per idem consilium, quod dicit, compellantur canonici per se diuina obire officia, & non per substitutos, atque in choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter dignè, & distinctè laudare. ¶ Respondeo,
Solutio. non dicere concilium, quod canonici teneantur obire officia per se, & non per substitutos, nec quod ipsi nomen Dei laudent in hymnis. &c. sed quod compellantur id facere. Et sic præceptum non dirigitur ad ipsos, sed ad prælatos: qui si in eo negligentes fuerint peccabunt, non autem canonici sua vtentes cõsuetudine. Fuit quidem intentio concilij, vt prælati conuenientibus iuris remediis canonicos compellendo, eos ad pristinum psallendi morem, & primæuam institutionem renouarent, qua salutari, & antiqua consuetudine renouata officium psallendo per se ipsos exercere sub mortali & sub restitutionis onere tenerentur. Cæterum, quoadusque id factum fuerit licitè poterunt sua vti consuetudine.

Ad 1. argũ. ¶ Vnde ad primum argumentum factum pro sententia Soti, respondeo, quod licet officium canonicorum sit horas canonicas psallere in choro, si primam eius institutionem attendamus, tamen de consuetudine solum est, vt missam ordinatim psallant in Ecclesia, & horarum officium suo ordine faciant, hebdomadariique munus exequantur, incipientes horam, cantantes Capitulam, & orationem, & denique assistere choro, vt sua assistentia Dei gloria compleatur. Præterquam, quod est sanè multò pulchrius, ad proximorumque consolationem, & ædificationem, & ad Dei laudem accommodatius, quod coadiutores, (quos portionarios vocant) & capellanos, (quos cantores dicunt) habentes, diuina officia mira suauitate, & vocum varietate, instrumentorumque cantibus exequentes, ipsi veluti maiores sacerdotes omnia conspiciant, & gubernent, quæ ab inferioribus decantantur. Et ob hæc officia, quæ & consuetudo habet, & in se nõ sunt minima dãtur eis redditus & distributiones. Fateor quidem, quod in diebus nõ festiuis, quibus cantu figurato vti nõ solẽt, sed cãtu communi, vulgo, cãto llano appellato, deberent prælati, vt suprà dicebam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& concilium Tridentinum præcipit, eos ad psallendum compellere, quia tunc tacere nō est tam rationabilis consuetudo, sicut in diebus festis. ¶ Et per hæc patet solutio ad secundum. *Ad 2. arg.*

¶ Ad confirmationem ex concilio Basilien si respondeo, ibi consilium magis dari, quam præceptum. Vtuntur enim patres verbo, debent, quod consilium denotare videtur. Et si esset præceptum consuetudine iā esset derogatum, sicut ipsa prima institutio. Maximè cum prædictum concilium habitū fuerit tempore, quo nondum erant cantores in Ecclesiis creati & ad adiuuandum introducti. Quo casu certum esse diximus teneri canonicos per se ipsos psallere, nulla consuetudine excusante, quæ magis esset corruptela quam prouida, honesta, & rationabilis cōsuetudo. *Ad confirmationem.*

¶ Ad vltimū ex Extrauagāti Pii Quinti respondetur, sensum illorū verborū, si rectè expendātur, nō esse eū, quem arguendo assērebamus. Sed is est planus sensus, quod ille, qui nō recitauerit horas, scilicet, nec in choro nec extra, quamuis choro adsit, prætendens, sola præsentia lucrari, nō lucrifaciet fructus, nec distributiones. Itaque illa particula, cum aliis, nō est iungenda verbo, recitās, quasi voluerit Papa significare, quod nō recitans cum aliis in choro, non lucrifaciat. Sed est iungenda illi verbo, præsens adsit, quasi dicat quòd tenetur restituere non recitans, tametsi sit præsens cum aliis in choro omnibus horis prætendens sola præsentia lucrari. Et quòd iste sit sensus, potest colligi primò ex eo, quod intentio pontificis in tota illa Extrauagante erat condemnare non recitantes vllo modo: vt factum fuerat in concilio Lateranensi ibi citato. Secūdo: Nam illa particula, sola præsentia, declarat ipsum loqui non de dicente horas in camera, sed de eo, qui solum, quia præsens est choro, vult lucra, fructus, & destributiones. Nos autem non solam præsentiam sufficere putamus, sed etiam oportere recitare horas saltem in priuato dicimus, & sic nihil obstat dicta constitutio. Et hæc dicta sint de toto isto articulo. *Ad vlt. ar.*

Articvlvs XIIII.

¶ Vtrum oratio debeat esse diuturna.

4. d. 15. q. 4. art. 2. q. 2. & 3. & Rom. 1. le. 5. Et Colos. 1. & Co. 6. prin. Et 1. The. 5. le. 2.

Ad Qvartvmdecimvm sic proceditur. Videtur quòd oratio non debeat esse diuturna. Dicitur enim Matthæi 6. Orantes nolite multum loqui. Sed oportet multū loqui diu orantem: præsertim si oratio sit vocalis: ergo non debet esse oratio diuturna.

2 ¶ Prætèrea, Oratio est explicatiua de fidetii. Sed desiderium tanto est sanctius, quanto magis ad vnum restringitur, secundum illud Psalm. 26. Vnam petij à Domino, hanc requiram: ergo & oratio tanto est Deo acceptior, quāto est breuior.

3 ¶ Prætèrea, Illicitum videtur esse quod homo transgrediatur terminos à Deo præfixos, præcipuè in his quæ pertinent ad cultum diuinum, secundum illud Exod. 19. Contestare populum ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominū, & pereat ex eis plurima multitudo. Sed à Deo fixus est nobis terminus orandi per institutionem orationis Dominicæ, vt patet Matth 6. ergo non licet vltra orationem protendere.

¶ Sed Contra, Videtur quod continuè sit orandum, quia Dominus dicit Lucæ 18. Oportet semper orare & non deficere. Et primæ ad Thessa. 5. Sine intermissione orate.

¶ Respondeo dicendum, quòd de oratione dupliciter loqui possumus. Vno modo secundum seipsam: alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio: quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu vel virtute: manet enim virtus huius desiderii in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia autē debemus in gloriam Dei facere, vt dicitur primæ ad Cor. 10. Et secundum hoc oratio debet esse continua. Vnde Augustinus * dicit ad Probam: in ipsa fide & charitate continuato desiderio semper oramus. Sed ipsa oratio secundum se considerata non potest esse assidua, quia oportet aliis operibus occupari. Sed sicut Augustinus * dicit ibidem, ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nosipsos admoneamus, quantumcunque in hoc desiderio profecerimus nobisipsis innotescamus: & ad hoc agendum nosipsos acrius

Epi. 121. c. 9. in princ. tomo 3.

Eodē loco nunc proximè dicto

acrius excitemus. Vniuscuiusque autem rei quantitas debet esse proportionata fini, sicut quantitas potionis sanitati: vnde & conueniens est vt oratio tantum duret, quantum est vtile ad excitādum interioris desiderij feruorem. Cum verò hanc mensuram excedit, ita quòd sine tędio durare non possit, non est vlterius protendenda. Vnde Augu. * dicit ad Probam, Dicuntur fratres in AEgypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat atque hebetetur intentio: ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem sicut nō esse obruendam, si perdurare nō potest, ita si perduranerit, non cito esse rumpendam. Et sicut hoc est attendendum in oratione singulari per comparationem ad intentionem orātis, ita etiam in communi oratione per comparationem ad populi deuotionem. *Epist. 121. circa medium, in 2.*

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd sicut August. * dicit ad Probam, non est hoc orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & dominus Domino scriptū est, quod pernoctauerit in orando, & quòd prolixius orauerit, vt nobis præberet exemplum. Et postea subdit: Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Plerunque autem hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur. *Epi. 121. c. 10. in 2.*

¶ Ad secundum dicendum, quòd prolixitas orationis non consistit in hoc quòd multa petantur, sed in hoc quòd affectus continuetur ad vnum desiderandum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Dominus non instituit hanc orationem, vt his solis verbis vti debeamus in orando: sed quia ad hæc sola impetranda debet tendere nostræ orationis intentio, qualitercunque ea proferamus, vel cogitemus.

¶ Ad quartum dicendum, quòd aliquis continuè orat, vel propter continuitatem desiderij, vt dictum* est, vel quia non intermittit quin temporibus statutis oret, vel propter effectum siue in ipso orante, qui etiam post orationem remanet magis deuotus, siue etiā in alio: puta cum aliquis suis beneficijs prouocat alium vt pro se oret, etiam quando ipse ab orando cessat & quiescit. *In corp. ar.*

Summa Textvs.

Svpposito, quod de oratione possumus loqui dupliciter, vno modo secundum seipsam, alio modo secundum suam causam, quæ est desiderium charitatis ex quo oratio procedere debet, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Oratio quantum ad suam causam debet perpetuò in nobis durare. Probatur: Desiderium charitatis, ex quo tanquā a causa oratio procedere debet, oportet sit in nobis continuum, vel actu, vel virtute: omnia enim debemus in gloriam Dei facere, vt dicit Paulus 1. ad Corinth. 10. ergo & ipsa oratio quantum ad suam causam debet in nobis esse perpetua. Et propterea D. Augustinus in epistola ad Probam dicebat, quod in fide, & charitate continuato desiderio semper oramus. Secunda conclusio: Oratio in seipsa non potest esse perpetua. Tamdiu tamen durare debebit, quandiu fuerit conueniens ad excitandam interiorem deuotionem, & feruorem. Et quidem, quod oratio in se non possit esse perpetua, est res manifesta: quia oportet alijs operibus occupari. Quod autem tandiu durare debeat, quandiu fuerit conueniens ad excitādam interiorem deuotionem. Probatur: Vniusculusque rei quantitas debet esse proportionata fini, vt quantitas potionis sanitati: sed oratio ordinatur, tanquam ad finem ad excitandam interiorem deuotionem, & feruorem, propter quod dicebat D. Augustin. loco citato: Ideò per certa interualla horarum & temporum, etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus. Et ad hoc agendum nos ipsos acrius excitem*: ergo tādiu orare debebimus, quandiu oratio necessaria fuerit ad excitandam interiorem deuotionem. Ex hoc colli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

git D.Thom.tertiam conclusionem,quæ talis est: Sicut quantitas in particulari oratione consideranda est per comparationem ad intentionem orantis: ita etiam in communi oratione colligēda erit per comparationem ad populi deuotionem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima conclusione huius articuli, vt nota, relicta, circa secundam est aduertendum, fuisse olim errorem Messalianorum, siue Psallianorum quorum meminit D.Augustinus in lib.de Hæresibus cap.57. asserentium, perpetuo esse persistendum in oratione. Quam suam sententiam probabant 1.ex Paulo 2.ad Thessal.cap.3. dicente: Sine intermissione orate,& ex Luc.ca.18. vbi Christus dixit:Oportet semper orare,& nūquam deficere.Sed vt hanc hęresim conuincamus, non est opus multum sudare. Apertissimum enim est non esse possibile,vt homo semper oret.Nam necessarium est,dormire,quo tempore nullus orare potest,cum nullus tunc sit mentis vsus, qui maximè in oratione exigitur. Et nemo est, nisi Christus saluator noster,qui verè dicere possit id, quod in Canticis habetur: Ego dormio,& cor meum vigilat.Oportet etiam comedere,& bibere,& pro his acquirendis moderatum aliquem laborem,quamuis non solicitudinem adhibere.Opus est etiam curam rei familiaris habere.Nam,1. ad Timoth. 5. de viduis loquens Paulus,inquit: Si qua vidua filios,aut nepotes habet,discat primum domum suam regere,& mutuam vicem reddere parētibus, hoc enim acceptum est coram Deo. Et paucis interiectis: Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit,& est infideli deterior.Inter alia etiam quæ idem Apostolus enumerauit, tanquam necessaria, vt quis debitè munere Episcopatus fungi possit,hoc quoq; addit: Sit domui suæ bene præpositus. Si quis enim domui suæ bene præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Certum est autem quam valde impedire ab oratione, hanc rei familiaris curam. Taceo de cibo, & potu, quoniam cum hi percipiuntur certum est nullum patere orationi locum,præsertim vocali, de qua Messaliani loqui videntur. ¶ Et ad testimonia in contrarium adducta sunt variæ sanctorum expositiones. Prima est, quod oratio ibi sumatur pro sua causa,scilicet, pro bono animi desiderio, & voluntate Deo per omnia placēdi,quod in nobis iuge & perpetuum esse debet,actu,vel habitu, vt D.Thomas dicit in prima conclusione.Iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 10. siue manducatis, siue bibitis omnia in laudem Dei facite.Et ad Coloss. 3. Omnia quæcunque facitis in verbo,vel in opere in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Ita exponit hunc locum Beda super Lucam loco citato.Secunda expositio est D.Augustini in lib. de Hæresibus ad Quoduultdeum capi.57. qui dicit, illa verba sic esse intelligenda, vt nulla sit dies,in qua oratio intermittatur. Itaq; apud D.Augustinum idē est,semper orare, & sine intermissione orare, & qualibet die orare. Ad eūdem modum interpretatur eadem testimonia D. Anselmus in commentarijs super epistolam Pauli.Sed quamuis horum clarissimorum Doctorū expositiones sint conuenientes,aliter tamen, & fortè melius verba illa possunt intelligi, scilicet, quod Christus & eius Apostolus in illis locis quadam hyperbole ad rem exaggerandā,est vsus,sicut & aliàs sæpè in Sacris literis figura illa reperitur.Sacra enim scriptura,vt ait D.Augustin. in lib.de Doctrina Christiana,quæ instar communis loquutionis scripta est, eisdem vtitur tropis, & figuris, quibus communis modus loquendi vtitur.Et,vt res sit apertior,vnum aut alterum exemplum proferam ex sacris literis,in quibus hæc hyperbole reperitur. In Actis enim Apostolorum describēs D.Lucas aduentum Spiritus sancti,& volens innuere multitudinem gentium, & nationum, quæ tunc erat Hierosolymæ,ait: Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione,quæ sub cęlo est.Quod nisi hic admittatur hyperbole erit necessariū fateri,tunc fuisse Hierosolymæ Hispanos,Gallos,Anglos,Scotos,Æthiopes, Siculos, aliasque innumeras nationes, quas vix Niniue quę ciuitas erat magna itinere triū dierū, capere potuisset,necdum Hierosolyma. Similiter Christus volens nobis suadere,vt quam secretè,& absque omni iactantia fieri posset, eleemosyna daretur,dixit: Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. At cum eadem in vtraque manu sit anima fieri non poterit, vt sinistra nesciat,quod dextera facit. Sed est id intelligendum secundum quandam hyperpolem ad rem magis commendandam. Ad eundem etiam modum in præsenti,vt Christus nobis frequentiam orationis commendaret, dixit, hyperbole quadā vsus: Oportet semper orare. Et eadem hyperbole vtitur Paulus cum dicit: Sine intermissione orate. Vltima expositio istorum locorum est, quod Christus & Paulus hic vsi fuerunt modo loquendi Hebræorum,qui his dictionibus semper,omnis,totus,vti consueuerunt, non vt comprehendunt omnia, vel tempora, vel negotia, sed ea tantum, quæ pro ratione rei, de qua agitur,

Hæresis Messaliano tum.

Multiplex interpretatio aliquorum locorum sacræ scripturæ.

Actor.2.

Matth.6.

agitur:sunt necessaria.Itaq; cum dicit Christus: Oportet semper orare, est intelligendum, quod est orandum cum vacat ab alijs negotijs necessarijs,& quoties habita rationæ personæ, & temporis id fuerit necessarium. Ad quem etiam modum multi interpretantur illud Matthæi.22. Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex toto corde,&c. His enim verbis non præcipimur omnes nostras cogitationes, & curas in Deo consumere,quod est impossibile,cū, quandiu hic viuimus diuidendæ necessario sint cogitationes nostrę.Sed quod quantum curæ & cogitationis superfuerit, postquam ab vnoquoque nostrum officio huius vitæ necessario fuerit satisfactum, id totum Deo tribuamus.

ARTICVLVS XV.

¶ Vtrùm oratio sit meritoria.

Supra ar.7 ad 2. Et 4. di.15.q.4. 7.ar.qu.2. per to. & q.3.ca. & ad 3.

AD DECIMVMQVINTVM sic proceditur. Videtur quòd oratio non sit meritoria. Omne enim meritum procedit à gratia: sed oratio præcedit gratiam: quia etiam ipsa gratia per orationem impetratur secundum illud Lucæ 11. Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se: ergo oratio non est actus meritorius.

2 ¶ Præterea,Si oratio aliquid meretur, maximè videtur mereri illud, quod orando petitur.Sed hoc nō semper meretur: quia multotiens etiam sanctorum orationes non exaudiuntur: sicut Paulus non est exauditus petens à se remoueri stimulū carnis: ergo oratio non est actus meritorius.

3 ¶ Præterea, Oratio præcipuè fidei innititur,secundum illud Iacobi 1.Postuler autem in fide nihil hæsitans. Fides autem non sufficit ad merendum, vt patet in his qui habent fidem informem: ergo oratio non est actus meritorius.

¶ SED CONTRA est, quod super illud Psal.34. Oratio mea in sinu meo conuertetur, dicit gloss. Et si eis non profuit,ego tamen non sum mea mercede frustratus.Merces autem non debetur nisi merito: ergo oratio habet rationem meriti.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum * est, oratio præter effectum spiritualis consolationis quam præsentialiter affert, duplicem habet virtutem respectu futuri effectus, scilicet virtutem merendi, & virtutem impetrandi. Oratio autem sicut & quilibet alius actus virtutis, habet efficaciā merendi,in quantum procedit ex radice charitatis, cuius propriū obiectum est bonum æternum,cuius fruitionem meremur. Procedit tamen oratio à charitate, mediante religione, cuius est actus oratio,vt dictum * est:concomitantibus etiam quibusdam alijs virtutibus quæ ad bonitatem orationis requiruntur, scilicet humilitate & fide. Ad religionem enim pertinet ipsam orationem Deo offerre. Ad charitatē vero pertinet desiderium rei cuius cōplementum oratio petit. Fides autem est necessaria ex parte Dei quem oramus: vt scilicet credamus ab eo nos posse obtinere quod petimus. Humilitas autem est necessaria ex parte ipsius petentis qui suam indigentiam recognoscit. Est etiam & deuotio necessaria. Sed hoc ad religionem pertinet, cuius est primus actus necessarius ad omnes consequentes, vt supra dictum * est. Efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei quem oramus: qui etiam nos ad orandum inducit. Vnde Augusti. dicit in lib. de verbis Domini,Non nos horraretur vt peteremus,nisi dare vellet. Et Chrysost. dicit,Nunquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, sua pietate instigat.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod oratio sine gratia gratum facięte meritoria nō est: sicut nec aliquis alius actus virtuosus. Et tamen etiam oratio quæ impetrat gratiam gratum facientem, procedit ex aliqua gratia, quasi ex gratuito dono: quia ipsum orare est quoddam donum Dei, vt Augus. * dicit in lib.de Perseuerantia.

¶ Ad secundum dicendum, quòd ad aliud principaliter respicit meritum orationis quāàoque,quam ad id quod petitur.

Art.13.huius quæst.

Art.3.huius quæst.

Arti.1.qu. præced.

Serm.5.Et 29.non remotè à prin. to.10.

Cap 23.citat. hoc ex Ambr.in 1. ca 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

petitur. Meritum enim præcipuè ordinatur ad beatitudinem, sed petitio orationis directè se extendit quandoque
Ar.6.& 7 ad aliqua alia, vt ex dictis* patet. Si ergo illud aliad quod petit aliquis pro seipso non sit ei ad beatitudinem vtile, non meretur illud. Sed quãdoque hoc petendo & desiderãdo, meritum amittit, puta si petat à Deo complemẽtum alicuius peccati, quod est non piè orare. Quandoque vero non est necessarium ad salutem, nec manifestè saluti contrarium: & tunc, licet orans possit orando mereri vitam æternam, non tamen meretur illud obtinere quod petit. Vnde Augustin.* dicit in libro sen-
In libr. qui inscribitur Sententiæ ex Augu. decepta. c. 212. to. 3. inter opera Augu. tentiarum Prosperi, Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit vtile, magis nouit Medicus quã ægrotus. Et propter hoc etiam Paulus non fuit exauditus, petens amoueri stimulum carnis, quia non expediebat. Si vero id quod petitur sit vtile ad beatitudinem hominis, quasi pertinẽs ad eius salutem, meretur illud non solum orando, sed etiam alia bona opera faciendo. Et ideo indubitanter accipit quod petit. Sed quando debet accipere? Quædam enim non negantur, sed vt congruo dentur tempore differuntur, vt
Tract. 102 Paulo à prin. to. 9. In serm. de orãdo Deũ à medio. Et in cõst. Exerci. cap. 1. 1. 2. q. 114. art. 6. Augustin.* dicit super Ioan. quod tamen potest impediri, si in petendo non perseueret. Et propter hoc dicit* Basilius, Ideo quandoque petis, & non accipis: quia perperam postulasti vel infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel destitisti. Quia vero homo non potest alij mereri vitam æternam ex condigno, vt suprà dictum* est, ideo per consequens nec ea quæ ad vitam æternam pertinent potest aliquãdo aliquis ex condigno alteri mereri. Et propter hoc non semper ille auditur qui pro alio orat, vt supra habitum* est. Et ideo
Artl. 7. ad 2. & 3. ponuntur quatuor cõditiones, quibus cõcurrentibus semper aliquis impetrat quod petit, vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè & perseuerãter.

¶ Ad tertium dicendum, quòd oratio innititur principaliter fidei, non quantum ad efficaciam merendi, quia sic innititur principaliter charitati: sed quantum ad efficaciam impetrandi: quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ diuinæ & misericordiç, ex quibus oratio impetrat quod petit.

Svmma Textvs.

SVpposito, quod oratio respectu futuri effectus habet duplicem virtutem, scilicet, merendi, & impetrandi, respondet D. Thom. ad propositum difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Oratio, sicut & quilibet alius actus virtutis habet efficaciam merendi, inquantum procedit ex radice charitatis. Secunda conclusio: Oratio procedit à charitate mediãte religione, cuius est actus, & concomitantibus aliquibus alijs virtutibus, quæ ad bonitatem orationis sunt necessariæ, nempe, fide, & humilitate. Tertia conclusio: Oratio habet virtutem impetrandi ex gratia Dei, quem oramus, & qui etiam nos ad orandum inducit. Probationes, seu potius explicationes harum conclusionum clarè ponuntur à D. Thom. in litera.

Explicatio Articvli.

PRo explicatione huius articuli est aduertendum primò, quod oratio sicut potest tripliciter considerari, ita etiam habet tripli
Oratio habet triplicem effectum. cem effectum. Potest quidem oratio primò considerari, inquantum est opus honestum. Secundò, inquantum est opus pœnale, scilicet, cum labore coniunctum. Tertiò inquantum est alicuius rei petitio. Inquantum est opus honestum habet facultatem merendi gratiam, & gloriam, sicut & alia opera honesta modo fiant ab homine existente in gratia, & procedant ex radice charitatis, quæ est primum principium merendi. Inquantum est opus pœnale habet virtutem satisfaciendi, pro peccatis, vt ieiunium, eleemosyna, &c. Et inquantum est petitio, habet virtutem impetrandi illa, quæ petit, quibusdam conditionibus appositis, de quibus posteà dicemus. ¶ Secundo est aduertendum, quod istę tres facultates, quas dicimus orationi inesse, sunt inter se diuersæ, nec semper omnes in omni oratione inueniuntur: sed interdum inuenitur vna interdum omnes. Et quidem, quod illæ facultates differant inter seſe, patet primò, quia procedunt ex diuersis principijs, vt diximus. Meritum enim est in oratione, quatenus est opus honestum. Satisfactio, quatenus est opus pœnale. Et impetratio quatenus est petitio. Secundo, quia ordinantur ad diuersos terminos. Meritum enim est respectu gratiæ & gloriæ: satisfactio respectu pœnæ, & impetratio respectu aliorum bonorum, quæ per orationem consequi possumus. Quod autem istæ tres facultates non semper in omni oratione inueniantur, probatur: Nam cum oratio possit esse in triplici differentia. Vna quæ dicitur viua, qualis est illa, quæ procedit à charitate. Altera mortua, quæ fit à peccatore. Tertia mortifera, vt cum quis petit aliquid repugnans charitati. Oratio mortifera, nec est meritoria, nec satisfactoria, nec impetratoria: quia offendit animum diuinum. Oratio mortua, licet non sit meritoria, nec satisfactoria, habet tamen aliquando facultatem impetrandi, inquantum, scilicet, peccatores aliquando impetrant à Deo illa, quæ honestè petunt, vt dicit D. Augustin. super Ioannem capi. 9. At verò oratio viua semper in viatore est meritoria, & satisfactoria: sed nõ semper est impetratoria, & in beatis talis oratio viua nunquam est meritoria, aut satisfactoria, & aliquando est impetratoria.

Dubium. ¶ Sed est difficultas, vtrum possit inueniri aliqua oratio, cui infallibiliter conueniat impetrare à Deo quæ postulat? Et pro parte
1. Conclu. negatiua est argumentum: Si aliqua esset huiusmodi oratio, maximè oratio viua: sed hæc non semper impetrat infallibiliter quæ petit, vt modo dicebam: ergo. ¶ In hoc tamen sit prima conclusio: Certum est de fide, esse aliquam orationem infallibiliter efficacem ad impetrãdum postulata. Probatur: Ex illa promissione facta à Christo Ioan. 16. Amen dico vobis si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, & iterũ: Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Ioannes etiam prima sua Canonica capi. vltimo, dicit: Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quæcunque petierimus in nomine eius dabit nobis. ¶ Secunda conclusio:
2. Conclu. Vt oratio sit infallibiliter efficax multas debet habere conditiones, quas ad quatuor reducere licet. Prima est, quod sit pia, hoc est ex fide spe & charitate procedens. Secunda, quod sit de necessarijs ad salutem. Tertia, quod fiat perseueranter. Quarta, quod qui orat pro se oret & non pro alio. Has conditiones ponit D. Thom. hic in solutione ad 2. Alex. Alen. 4. p. q. 16. artic. 3. memb. 5. & Gabriel super Canonẽ lect. 63. & omnes Theologi, qui illas desumpserunt ex Glossa super Lucam cap. 11. Itaque his conditionibus appositis nulli debet esse dubium quin eius oratio à Deo exaudiatur, sitq; impetratoria, modò impedimentum peccati, quo indignus fiat, vt audiatur, non superueniat. Non dico, hæc omnia necessaria esse, vt impetret quis, quod petit, quia multis ex his deficientibus solet Dominus postulata concedere non ex promissionis debito, sed ex sua gratia, & li-
Prima conditio quod oratio procedat ex fide, spe & charitate. beralitate. Tamen si omnia adfuerint, ex debito promissionis, ad votum condescendet orantis. Quod autem hæc omnia necessaria sint, vt certa sit orationis impetratio, facile apparebit si autoritates scripturæ de hoc tractantes in vnum collegerimus. Et quidem, quamuis de necessitate charitatis expresse mentio non fiat, fit tamen æquiualenter idque in multis locis. Nam illos exaudiendos à Deo dicit, qui mandata eius faciunt, & verba eius audiunt. Qui timent Deum, & conscientiam puram à peccato mundatam habent: quos certum est in charitate Dei futuros. Diuus etiam Ioannes in. 1. Canon. capit. 3. dicit: Carissimi, si cor nostrum non reprehẽdit nos, fiduciam habeamus ad Deũ, & quidquid petierimus accipiemus ab eo. Quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus. Cui cõsonat Psalmista dicens: Si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Et alibi: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saltos faciet eos. Loquitur autem de timore filiali permanente in seculum seculi, quo timet quis peccare ne Deum offendat, quem certum est sine charitate esse non posse. De fide & spe dicitur apud Matth. cap. 12. Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de siculnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle & iacta te in mare, fiet. Et sequitur: Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Et Ioan. 14. Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quę ego facio, & ipse faciet Et ca. 16. Si quid petieritis patrẽ in nomine meo dabit vobis. Is autem in nomine Christi dicitur aliquid à Deo petere, qui fidem habet in Christum, omne bonum nobis ob merita illius de cælo euenire credens. Ex quo factum fuit, vt Ecclesia in omnibus suis orationibus adiunxerit: Per Christum Dominum nostrum. Opus ergo est, vt oratio nostra exaudiatur, quod affectus noster in Deũ finaliter tendat, quod est charitatis: & credere, quod potens est, si velit, quod petitur elargiri: in suaq; bonitate cõsidere, quæ pertinent ad primam conditionem ex quatuor superius positis. ¶ De secunda conditione, quæ est, vt oratio sit de necessarijs ad salutẽ, dixit Christus Matthæi 6. Quærite primùm regnum

Quatuor cõditiones sunt necessariæ vt oratio sit infallibiliter efficax.

Secunda conditio quod oratio sit de necessarijs ad salutem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Quasi diceret: Nō regnum vestrum, quo regnetis, sed regnum Dei, quo Deus regnet in vobis, postulare debetis. Et in oratione Dominica: Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, &c. Quæ omnia certum est, ad gloriam Dei, & ad orantis salutem pertinere. Vt latè explicuimus art. 9. huius quæstionis. Et quoniam sæpe ignoramus, an quod petimus ad gloriā Dei conferat, sitque nobis vtile ad salutem, scit autem id Deus, idcircò opus erit omnia vota nostra Deo committere. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, vt dicit Paulus. Et quia iustus in sua oratione non semper principaliter gloriā Dei prætendit, vel quod petit, pro tunc, ipsi oranti non expedit, sicut non expediebat Paulo, nec Ecclesiæ quod Deus exauditet illum, quando vt auferret ab eo stimulum carnis à Domino postulabat: idcircó non semper exauditur à Deo, quamuis instanter petat. ¶ De tertia conditione, quæ est perseuerantia, post traditam orandi formam apud Lucam cap. 11. dicit Christus: Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illū media nocte, & dicit ei: Amice commoda mihi tres panes, &c. Et ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, &c. Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis: & si non dabit surgens eo quod amicus est: propter improbitatem tamen eius surgit, & dabit illi quotquot habet necessarios. Quibus verbis apertè docemur, non satis esse, Deum orare, etiam si amici eius simus, vt certa sit nostræ petitionis impetratio sed vltra hoc requiri, quod in oratione perseueremus. Et apud Lucam ca. 18. dicit Dominus: Oportet semper orare, & nō deficere, scilicet, quoadusque fiat, quod in oratione petitur. Et subdit statim parabolā de iudice, qui viduæ iustitiam postulāti, eam non nisi post importunas & frequentes preces ipsius viduæ, facere voluit. Propter quod D. Gregorius in moralibus dicebat, virtutis pondus oratio nō habet, quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet. Et D. Chryso. in de compunctione cordis. Ab oratione non recedas, donec accipias finem postulati. ¶ De quarta cōditione, quæ est, quod qui orat pro se & non pro alio oret, nullum habetur apertum testimonium. Cæterùm illam colligunt Doctores ex multis verbis Christi quibusalijs, ab orantibus, non videtur promittere, quod petierint. Dicit enim: Si quid petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis. Et iterum: Quæcunque petieritis in nomine meo, accipietis. His igitur quæ diximus concurrētibus, certi simus, sicut esse debemus, quod oratio nostra erit impetratoria, imò ex debito, & ex iustitia legali complenda, siquidem ad id Christus sua se promissione obligauit. Et quamuis non statim Deus vota orantis compleat, non propterea diffidendum est. Differt enim aliquādo vota complere, prout ipse scit ad gloriā suam, & nostram salutem magis expedire. Et hæc dicta sint de ista difficultate.

3. Cōditio quod oratio sit perseuerans.

4. Cōditio quod qui orat pro se & non pro alio oret.

Dubium grauc.

¶ Sed quoniam diximus vnam è conditionibus necessariò requisitis ad infallibilē impetrationem orationis esse, quod qui orat, pro se & non pro alio oret, ratio postulare videtur, vt explicemus, quis sit valor orationis pro alio fusæ? Quod est quærere, vtrùm oratio vnius pro alio fusa prosit illi, & ad quid? Ad cuius intelligentiam aduertēdum est, quod oratio vnius pro alio fusa, potest esse, vel pro beatis, vel pro damnatis, vel pro existentibus in purgatorio, vel pro viatoribus. Quo suppositō, vt certa ab incertis separemus, dico primo, certum esse, quod qui scienter orat pro ijs, qui sunt in beatitudine, eius oratio ad nihil valet beatis, cum sit deprauata oratio, & sanctis iniuriosa. Iniuriam nanque facit beato, qui orat pro illo vt supra diximus. Cæterùm si oratio fiat pro beato nescienter, quia, scilicet, nescitur an sit beatus ille, pro quo oratio funditur, valet eidem ad gaudium accidentale. Accidētaliter nanque gaudent sancti in cælo videntes, quod sui amici in terris viuentes, ex pio & charitatiuo affectu, qui Deo gratus est, bona opera pro illis faciunt. ¶ Secundo etiam est certum, quod oratio fusa pro his, qui sunt in purgatorio valet illis, vel vt inde totaliter liberentur, vel citiùs, vel saltem, vt mitius torqueantur, iuxta illud. 2. Macha. cap. 12. Sancta, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Vnde Diuus Gregorius, & refertur in cap. animæ. 13. q. 2. in hunc modum dicebat: Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Et D. Augustinus in Enchiridio loquens de orationibus, & suffragijs pro defunctis in purgatorio existentibus factis, dicit. Quibus prosunt, ad hoc prosunt vt illis plena fiat remissio, aut certè, vt tolerabilior fiat ipsa damnatio. ¶ Tertio etiam est certū, quod oratio sciēter & ex proposito fusa pro damnatis deprauata est, & voluntati diuinæ contraueniens, atque adeò ad nihil illis prodesse potest. Estque prohibita, vt constat, ex cap. pro obeuntibus. 13. qu. 2. Vbi dicitur: Pro impijs etiam si Christiani fuerint sacrificia facere, aut alia suffragia non licebit. Et in cap.

1. Dictum certum.

2. Dictum certum.

3. Dictum certum.

in cap. placuit. 13. q. 5. pro ijs, qui in peccatis impœnitentes discesserunt, nulla prorsus fiat commemoratio. Nonnulli affirmant, quod quamuis oratio pro damnatis fusa non valeat eis, vt ab æternis pœnis liberentur, valet tamen, vt à temporali pœna cui obnoxij sunt, ob peccata, de quibus hic doluerunt, & non satisfecerunt, liberati possint. Quia hęc pœna in inferno temporalis est. Nec patrum decreta superius posita loquuntur de oratione priuata sed de publica, quam clerici tanquam Ecclesiæ ministri faciunt. Et sic non videtur probatum, orationem saltem priuatam pro damnatis fusam ad remissionē præfatæ illius pœnę temporalis non valere. Cęterùm verius proculdubiò est, nullam orationem nec priuatam, nec publicam damnatis prodesse, etiam ad temporalis pœnæ remissionem. Quod inde sufficienter colligitur, quod ille dives Epulo, cum in inferno esset, & ab Abraham nunnihil suffragij, quo mitius torqueretur, exigeret, nullum misericordiæ verbum audiuit. Imo potius significatum ei fuit, ob Chaos magnum, quod erat inter damnatos, & alios, non posse illis auxilij quidquam communicari. Et D. Augustī. dicebat: Si scirem patrem meum esse in inferno, non magis orarem pro illo, quam pro diabolo. Quod certe inhumanum dictum videretur, si posset sua oratione patri in inferno existenti aliqualiter subuenire. Itaque hæc certa sunt.

Punctus difficultatis.

¶ Sed dubium est de oratione pro altero viatore fusa, quam certum est ex superioribus, plurimum ei prodesse posse, ad quid valeat illi? Et mouetur specialiter dubium de gratia gratum faciente, an, scilicet, valeat, vt ei prima gratia detur, vel augmentum illius. Et pro parte affirmatiua potest desumi argumentum ex Matth. capit. 9. vbi dicitur: quod videns Iesus fidem illorum dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quibus verbis apertè significatur aliorum preces valuisse paralytico, vt remissionem peccatorum, & ex consequenti primam gratiam obtineret. Et D. Iacob. in sua Canon. cap. 5. inquit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, &c. Et addit: Et oratio fidei saluabit infirmum: & si in peccatis fuerit dimittentur ei. Valet ergo oratio aliorum, vt ille, pro quo funditur remissionem peccatorum, & primam gratiam consequatur. ¶ Sed, vt quid in hac re dicendum sit, explicemus aduertendum est, dupliciter posse intelligi, quod oratio vnius valet, vt primam gratiam alter consequatur, vno modo, vt oratio vnius valeat alteri ad primam gratiam, seclusō omni bono motu illius, ita, scilicet, vt ex parte eius, pro quo oratur nihil aliud sit necessarium, quam, quod nō ponat obicem. Et in hoc sensu, certum est secundum fidem, quod oratio vnius non prodest alteri, vt primam gratiam obtineat. Certum est enim, quod peccatori in mortale peccatum lapso, est necessaria cordis pœnitentia, vt viuat. Quod sæpissimè scriptura dicit, & D. Thom. declarat. 1. 2. q. 113. ar. 5. Alio modo potest intelligi, quod oratio vnius prosit alteri, vt primam gratiam habeat. Ita, scilicet, quod ex parte eius, pro quo oratur sit necessaria pœnitentia cordis: nō tamen tanta, quę per se sufficiat ad gratiā obtinendam, ob sui remissionem. Et tali dispositione existente in illo prodest ei alterius oratio. Sed nec hic modus potest habere verum. Nam, vt in materia de pœnitentia dicitur, in contritione seu pœnitentia cordis non est necessaria intensio gradualis, sed quælibet, etiam remissa, est efficax, vt sit sufficiens dispositio ad gratiam. Quare, si ità est, quod sine pœnitentia cordis formali, aut virtuali non potest peccator primam gratiam habere, & quæcunque talis, etiam si remissa sit, sufficit, vt illam obtineat, consequens est, orationem alterius ad primam gratiam directè non valere, quandoquidem ea correspondet pœnitentiæ, seu propriæ dispositioni ipsius pœnitentis, & secundum eius exigentiā sibi præstatur. Vtrùm autem oratio vnius taliter alteri ad gratiam prosit, quod vltra illam gratiam propriæ dispositioni correspondentem impetret illi alium gradum, non est ita certum. Non enim est secundū legem, nec contra legem, sed præter, vt constat. Cæterùm quamuis in libera Dei potestate sit, salua lege, hoc modo, orationem vnius ad gratiam alteri conferendam acceptare, probabilius tamen est, quod non facit, sed semper prima gratia correspondet propriæ dispositioni, vt communiter docent Doctores in materia de gratia. Ex dictis infertur orationem vnius propriè loquendo, nunquam valere, vt alteri, pro quo orat, prima gratia conferatur, valere tamē vt ei à Deo dispositiones ad quas gratia sequitur tribuantur: non ex lege, nec ex iustitia, sed tantum de congruo. Quo solummodo vnus alteri mereri potest, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 114. ar. 6.

1. argum.

2. argum.

Qualiter potest intelligi quod oratio vnius prodest alteri ad primam gratiam habēdam.

Corollariū

¶ Et ad primum argumentum de paralytico respondeo, ex illo loco non colligi, solam fidem astantium fuisse satis, vt illi peccata remitterentur. Tum: quia paralyticus, qui in morbum ob peccatum inciderat, sine fide propria vitam gratiæ habere non potuit. Tum etiam: quia Christus dixit ei: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quibus verbis

Ad 1. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbis significatur ipsum paralyticum fiduciam habuisse in Christo, & ob id remissionem obtinuisse. Et ita nonnulli expositores dicunt, quod quando dicitur: Videns Iesus fidem illorum, ly illorum, non solum refert, fidem astantium: sed etiam ipsius paralytici.

Ad 2.arg. ¶ Ad secundum ex Canonica Iacobi capi.5. respõdetur, quod locus ille communiter intelligitur de sacramẽto extremæ Vnctionis, quod valet ex opere operato ad salutẽ vncti. Et oratio illa fidei, de qua textus loquitur, & dicit, quod saluabit infirmum, potest accipi, pro oratione, quam vngens dicit, quæ est forma efficax ipsius sacramenti. Nempe: Per hanc sanctam vnctionem, & Dei pijssimam misericordiã indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per gustũ, &c. Quod si de oratione multorum presbyterorum illic pro salute infirmi orantium, id velis accipere, dicendum est, quod talis oratio saluabit mediatè infirmum. Nempe mediante pœnitentia illi per orationem impetrata. Nam, quod oratio illa valeat infirmo in peccato mortali existenti ad salutem animæ immediatè, secluſa, scilicet; eius immediata dispositione est valde absurdum, vt ex supradictis patet.

Articvlvs XVI.

¶ *Vtrum peccatores orando aliquid impetrent à Deo.*

Inf.q.178. ar.2.ad 1. Et po.q.6. ar.9.ad 5. Et Io.4.lo. 3.

AD Decimvmsextvm sic proceditur. Videtur quòd peccatores orando non impetrent aliquid à Deo. Dicitur enim Ioann.9. Scimus quia peccatores Deus non audit. Quod consonat ei quod dicitur Prouerb.28. Qui declinat aures suas ne audiat legem: oratio eius erit execrabilis. Oratio autem execrabilis non impetrat aliquid à Deo: ergo peccatores non impetrant aliquid à Deo.

2 ¶ Præterea, Iusti impetrant à Deo illud quod merentur, vt supra habitum

Ar.praced. * est. Sed peccatores nihil possunt mereri, quia gratia carent, & etiam charitate, quæ est virtus pietatis, vt dicit glos. 2. ad Timotheum 3. super illud, Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et ita non piè orant: quod requiritur ad hoc, quòd oratio impetret, vt supra dictum

Ar.praced. ad 2. * est: ergo peccatores nihil impetrant orando.

3 ¶ Præterea, Chrysost. dicit * super Matthæum, Pater non libenter exaudit orationem quã filius non dictauit. Sed in oratione quam Christus dictauit dicitur, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: quod peccatores nõ faciunt: ergo vel mentiuntur hoc dicentes, & sic nõ sunt exauditione digni: vel si non dicant, non exaudiuntur: quia formam orandi à Christo institutam nõ seruãt.

In opere imperfecto, homil.14.

¶ Sed Contra est, quod Augustꝰ. * dicit super Ioannem. Si peccatores non exaudiret Deus, frustra publicanus dixisset, Domine propitius esto mihi peccatori. Et Chrysos. * dicit super Matthæum, Omnis qui petit accipit: id est, siue iustus sit, siue peccator.

Tract. 44. in Io. à me. 10.9. Hom.18.in opere imperfecto, parum ante medium, tomo 2.

¶ Respondeo dicendum, quòd in peccatore duo sunt consideranda, scilicet, natura, quam diligit Deus: & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, inquantum peccator, id est, secundum desiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex misericordia, sed quandoq; auditur ad vindictam: dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata. Deus enim quædam negat propitius quæ concedit iratus, vt Augustꝰ. * dicit, Orationem vero peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia: obseruatis tamen quatuor * præmissis conditionibus: vt scilicet pro se petat necessaria ad salutem, piè & perseueranter.

Tract. 53. in Ioan. paulo à prin. to. 9 Et de verb. Dom. Ser. 53. Ar. praced. ad 2.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd sicut Augustꝰ. * dicit super Ioannem. Illud verbum est cæci adhuc inuncti, id est, nondum perfectè illuminati, & ideo non est ratum: quamuis possit verificari, si intelligatur de peccatore, inquantum est peccator, per quem etiam modum oratio eius dicitur execrabilis.

Tract. 44. in Ioann. à med. to. 9.

¶ Ad secundum dicendum, quòd peccator non potest piè orare: quasi eius oratio ex habitu virtutis informetur

tur. Potest tamen eius oratio esse pia quantum ad hoc quòd petit aliquid ad pietatem pertinens: sicut ille qui non habet habitum iustitiæ, potest aliquid

In corp. ar. et q.10.ar. 4.& q 58. ar.1.ad 3. iustum velle, vt ex supradictis * patet. Et quamuis eius oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetratiua: quia meritum innititur iustitiæ, sed impetratio innititur gratiæ.

Ar.7.ad.1 ¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut dictum * est, oratio Dominica profertur ex persona communi totius Ecclesiæ. Et ideo si aliquis nolens dimittere debita proximo, dicat orationem Dominicam, non mentitur: quamuis hoc quod dicit non sit verum quantum ad suam personam, est enim verum, quantum ad personam Ecclesiæ ex qua est meritum: & ideo fructu orationis caret. Quandoque tamen aliqui peccatores parati sunt debitoribus suis dimittere: & ideo ipsi orantes exaudiuntur, secundum illud Eccles.28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.

Svmma Textvs.

SVpposito, quod in peccatore duo sunt considerandã, scilicet, natura, & culpa, ad propositam difficultatem respondet D.Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: Peccator, vt peccator, non auditur à Deo ex misericordia: quandoque tamen auditur ad vindictam. Probatur ex D. Augustino dicente, quod Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus, vt cum permittit peccatorem amplius ruere in peccata, quę postulat. Tunc enim dicitur peccator, inquantum peccator, orare, quando petit aliquid secundum desiderium peccati. Secunda conclusio: Cum peccator ex bono desiderio naturæ aliquid petit, exauditur à Deo, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia.

Explicatio Articvli.

REsolutio D. Thom. in isto articulo videtur esse, quod quando peccator orat, inquantum peccator, hoc est, secundum desiderium peccati, non exauditur à Deo. Tamen quando orat ex bono desiderio naturæ auditur ab illo. Sed potest esse difficultas,

Dubium. vtrùm absolutè loquendo sit concedendum, quod peccator à Deo exaudiatur? Et pro parte negatiua est argumentum desumptum ex illo Ioan.capit.9. Scimus, quod Deus peccatores non exaudit. Et si dicatur, verba illa esse hominis cæci nondum satis in veritate illuminati, poterimus adducere in eiusdem rei confirmationem plura alia loca sacræ scripturæ. Psalm.enim.65. dicit propheta: Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus. Et Esai.cap.1. Si multiplicaueritis orationem non exaudiam vos, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. & capi.59. Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, nec aggrauata est auris eius, vt non exaudiat: sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. ¶ Secundo sic argumentor: Ex amicitia humana sæpe ducimus argumenta ad conuincendum ea, quæ in amicitia diuina contingunt, quod & faciunt D. Thomas, & alij sancti in multis locis: sed inter homines ille, qui est inimicus, & aliquid petit, non exauditur: ergo nec apud Deum. 1. argum. 2. argum.

¶ Pro explicatione huius difficultatis, supposito quod loquimur de peccatore in mortali peccato existente, aduertendũ est primo ex D.Tho. hic ad secundũ, quod in oratione hæc duo, scilicet, mereri, & impetrare non se consequuntur mutuò, sed potius sunt disparata, potestque vnum sine alio inueniri. Nam oratio Pauli de qua fit mentio, 2.Corint.12. fuit meritoria & non impetratoria. Et oratio Iudæorum Regem petentium 1. Reg.capit 8. fuit impetratoria, & non meritoria. Nota 1.

¶ Aduertendum est secundo, quod ea, quæ peccator petere potest sunt in triplici differentia: aut enim petit illa, quæ necessaria sunt ad salutem, vt gratiam, charitatem, aut petit illa quæ sunt mala, aut petit bona, quę appellantur media, vt sunt opes, diuitię, fama. Quæ bona media adhuc tripliciter petere potest. Aut enim petit illa, vt sint ei adminiculo ad virtutem, aut vt illis male vtatur: Aut absolutè, quatenus sunt necessaria ad vitam corporalem. Si petit primo modo, iam reducuntur ad illa, quæ necessaria sunt ad salutem. Si petit secundo modo, iam petit quæ sunt mala, & sic tantum loquimur in præsenti de bonis medijs quatenus sunt necessaria ad vitam. Nota 2.

¶ His constitutis sit 1. conclusio: vtrumque falsum est, scilicet, & quod peccator nunquam exauditur à Deo, & quod semper exauditur. Hæc conclusio est Diui Augustini lib.2. contra epistolam Parmeniani capit.8. In cuius probatione non est opus immorari: cum sint innumera exempla in sacris literis, quibus videmus homines peccatores 1.Cõclusio

Universidad de Deusto
Biblioteca

in suis orationibus interdum fuisse exauditos,& interdum minimè.

2. Conclu. ¶ Secunda conclusio : Licet Deus libentius audiat iustos,quàm peccatores:tamen si peccator petat bona necessaria ad salutem semper exauditur à Deo, dummodo aliqua ex conditionibus necessarijs ad efficaciam orationis, quæ sunt numero quatuor, hic à D.Tho.relatæ,non deficiat.Hæc cõclusio similiter est D. Aug.loco citato,& super Ioan. tract.44. & D.Tho.de potentia q.6.art.9.& supet Ioan.ca.9. Et probatur primo ex Luca cap.18.Vbi de publicano peccatore in templo orante dicitur,quod descendit iustificatus in domum suam.Et cap.15.dicitur de filio Prodigo, quod fuit à patre exauditus, & indutus stola prima,hoc est,gratia. Et ratione sic argumentor: Nunquam Deus hortatur peccatores ad petenda huiusmodi bona, nisi illa esset petentibus concessurus, Deus enim & natura nihil faciunt frustra: sed hortatur:ergo. Probo minorem:Nam apud Matthæum ca.6.docens nos Christus orare præcipit, vt dicamus : Dimitte nobis debitã nostra.Quæ verba principaliter sunt intelligenda de peccatis mortalibus,iuxta communem expositionem sanctorum.Tum: quia aliàs sequeretur, quod qui in peccato mortali existens diceret illa verba, faceret contra dictum Christi: quod est absurdum . Tum etiam : quia quando absolutè in scriptura inuenimus nomen peccati , aut est intelligendum de mortali & veniali simul,aut si de vna tantum est intelligendum , est de mortali, quod verius atque perfectius habet rationem peccati.Et idem prorsus est dicendũ de nomine debiti. Conditiones autem quas D. Thom. dicit debere comitari orationem peccatoris,vt infallibiliter à Deo exaudiatur sunt, quod sit pia,perseuerans, de rebus necessarijs ad salutem,& pro ipso orante, & nõ pro alio fusa . Et si quis obijciat fieri non posse, vt oratio peccatoris sit pia , cum non habeat charitatem,à qua proficiscatur:respõdeo cum D.Thom. hic ad secundum, quod quamuis peccator non possit pie orare,quasi eius oratio ex habitu virtutis informetur,potest tamen eius oratio esse pia, quantum ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens,sicut & ille, qui non habet habitum iustitiæ,potest aliquid iustum velle.

3. Conclu. ¶ Tertia conclusio: Quando peccator petit à Deo mala , vel illa, quæ facultatem afferant peccandi,quamuis bona sint,non exauditur à Deo, nisi forte cum iratus est , & vult peccatorem punire. Probatur ex D.Iacobo in sua Canonica cap.4. dicente : Petitis,& non accipitis,eò quod male petatis,vt in concupiscentijs vestris insumatis . Et D. Augustinus tract.63.in Ioannem. Male vsurus eo,quod petit,Deo miserante non accipit . Proinde si aliquid ab eo petitur , vnde homo lædatur , magis metuendum est , ne quod non posset dare propitius , det iratus. Ad hunc modum in malum Iudæorum Regem petentium datus fuit illis rex , postquã Dominus mala quæ sub Rege passuri erant, prædixerat 1. Reg. 8. Et in malum eorundem datæ fuerunt illis coturnices , quando carnes petierunt. Siquidem in earum comestione multi perierunt . Qua etiam ratione credendum est Deum multorum impœnitentium, & obstinatorum orationes audire, in quibus solum bona corporis,aut fortunæ petunt, sciens hoc illis in maiorem ipsorum condemnationem cessurum . Quare nec ij, quorum orationes semper exaudiuntur superbire,nec illi , quos Deus non audit diffidere , aut desperare debebunt . Sæpe enim Deus iratus contra orantem concedit illi, quod si iratus non esset denegaret, vt modo diximus ex D. Augustino , atque etiam sæpe suis electis denegat,quod petunt:sciens forte si concederet non illis in bonum esse cessurum.

4. Conclu. ¶ Quarta conclusio : in petitione bonorum temporalium sæpe peccator exauditur à Deo ex misericordia sua , quamuis quantum attinet ad liberationem à malis contrarijs horum bonorum,vt est paupertas, infirmitas, &c. sæpè non exaudiatur. Prima pars huius conclusionis est manifesta. Experientia enim sæpe videmus, homines peccatores petere à Deo bona temporalia, & accipere. Secunda autem pars probatur ex illo 2.Machab.cap.9.Orabat Dominum hic sceleſtus, à quo non esset misericordiam consequuturus.Et Threno.cap.3.Nos iniquè egimus,& ad iracundiam prouocauimus,idcircò tu inexorabilis es. Hoc est: Ideo tu nullis precibus flecteris,vt à puniendo abstineas.Ex dictis infertur peccatores orãtes interdum exaudiri à Deo,& interdum non ad modum in conclusionibus explicatum.

Ad 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum in contrarium factum respondeo , quod illa testimonia scripturę sunt intelligenda iuxta tertiam conclusionem,quando,scilicet,homines petunt aliquid à Deo ex desiderio peccãdi, vel quãdo Deus iratus vult de peccatoribus supplicium sumere . Tunc enim eos non exaudit. Ita exponit D. Hieronymus super Esai. cap.59. ¶ Ad secundum de amicitia humana respondetur,misericordiam diuinam maiorem esse, quam misericordiam humanam, ex quo fit, vt Deus non dedignetur peccatorum

torum misereri, illosque orantes exaudire, quamuis homines id non faciant . Ad illud ex Ioanne cap.9.Scimus, quod Deus peccatores non exaudit,respondet D.Augustinus, verba illa esse hominis cæci,nondum in veritate satis illuminati. Sed quamuis hæc responsio non sit aspernenda,possumus etiam dicere,sensum illorum verborum esse, quod Deus peccatores non audit,vt miracula edat ad approbationem vitæ illorum.Ita interpretantur Chrysostomus,Theophylactus,Diuus Thom.& alij super illum locum Ioannis. Et quod hæc expositio quadret textui , ex eo conuinci potest , quod prius Pharisæi dixerunt , quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et sic tam pharisæi,quam cæcus loquebantur de illo miraculo. Voluitque cæcus ostendere Christum nõ esse peccatorem hoc syllogismo: Vos dicitis hominem peccãtorem non posse facere hæc signa , quia miracula non fiunt,nisi virtute diuina,sed Christus illud fecit: ergo non est peccator, quoniam Deus peccatores non exaudit.

Articvlvs XVII.

¶ Vtrum conuenienter dicantur esse orationis partes,Obsecrationes,Orationes,Postulationes,& Gratiarum actiones.

4.dist.15.q. 4.art.3.& Philip.4. Et 1.Tim.2 Origenes homil. vlt. in Matth. tract. non multum remotè ante med.to.3.

AD Decimvmseptimvm sic proceditur.Videtur quòd incõuenienter dicantur esse orationis partes,obsecrationes,orationes,postulationes,& gratiarum actiones. Obsecratio enim videtur esse quædam adiuratio . Sed sicut Origenes * dicit super Matthæum.Non oportet,quòd vir qui vult secundum Euangelium viuere,adiuret alium. Si enim iurare non licet, nec adiurare:ergo inconuenienter ponitur obsecratio orationis pars.

Li.3.de fide cap.24. 2 ¶ Præterea,Oratio secundum * Damascenum,est petitio decentiũ à Deo. Inconuenienter ergo orationes contra postulationes diuiduntur.

3 ¶ Præterea,Gratiarum actiones pertinent ad præterita, alia verò ad futura: sed præterita sunt priora futuris. Inconueniẽter ergo gratiarum actiones post alia ponuntur.

¶ In Contrarivm est authoritas Apostoli 1.ad Timotheum 2.

¶ Respondeo dicendum, quòd ad orationem tria requiruntur , quorum primum est, vt orans accedat ad Deum quem orat , quod significatur nomine orationis : quia oratio est ascensus intellectus in Deum . Secundo requiritur petitio quæ significatur nomine postulationis, siue petitio proponatur determinatè , quod quidam nominant propriè postulationem:siue indeterminatè,vt cum quis petit iuuari à Deo,quòd nominant supplicationem: siue solum factum narretur, secundum illud Ioan.11.Ecce quem amas infirmatur:quod vocant insinuationem. Tertio requiritur ratio impetrandi quod petitur : & hoc vel ex parte Dei vel ex parte petentis . Ratio quidem impetrandi ex parte Dei est eius sanctitas, propter quam petimus exaudiri , secundum illud Danielis 9. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam , & ad hoc pertinet obsecratio, quæ est per sacra cõtestatio : sicut cum dicimus, per natiuitatem tuam libera nos Domine. Ratio verò impetrandi ex parte petentis est gratiarum actio: quia de acceptis beneficijs gratias agentes meremur accipere potiora , vt in collecta dicitur, & ideò dicit * gloss.1. ad Timot. 2.quòd in missa obsecrationes sunt quæ præcedunt consecrationem,in quibus quædam sacra commemorantur.Orationes sunt in ipsa consecratione, in qua mens maximè debet eleuari in Deum. Postulationes autem sunt in sequentibus petitionibus. Gratiarum actiones in fine . In pluribus etiam Ecclesiæ collectis hæc quatuor possunt attendi,sicut in collecta trinitatis. Quod dicitur, Omnipotens sempiterne Deus,pertinet ad orationis ascensum in Deum.Quod dicitur,Qui dedisti famulis tuis,&c. pertinet ad gratiarum actionem. Quod dicitur, præsta quæsumus , &c. pertinet ad postulationem . Quod in fine ponitur , per Dominum nostrum, &c. pertinet ad obsecrationem . In collationibus autem patrum* dicitur, quòd obsecratio est imploratio pro peccatis: oratio cũ aliquid Deo vouemus: postulatio cum

Glo.ordinaria in princ. commenta rij ad ca.2 1.ad Tim.

In collatione 9.c.11. 12.& 13. simul.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro alijs petimus. Sed primum melius est.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd obsecratio non est adiuratio adcomplendum, quod prohibetur: sed ad misericordiam implorandum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd oratio communiter sumpta includit omnia quæ hic dicuntur. Sed secundum quod contra alia diuiditur, importat propriè ascensum in Deum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd in diuersis præterita præcedunt futura. Sed aliquid vnum & idem, prius est futurum quàm sit præteritum. Et ideo gratiarum actio de alijs beneficijs præcedit postulationem aliorum beneficiorum. Sed idem beneficium prius postulatur, & vltimò cum acceptum fuerit de eo gratias agunt. Postulationem autem præcedit oratio per quam acceditur ad Deum à quo petimus. Orationem autem præcedit obsecratio: quia ex consideratione diuinæ bonitatis, ad eũ audemus accedere.

Svmma Textvs.

Conclusio huius articuli est affirmatiua, quam probat D. Thom. hac ratione: Ad orationem generaliter tria requiruntur. Quorum primum est, vt orans ascendat ad Deum, quem orat, quod nomine orationis significatur. Secundo requiritur petitio determinata, quæ postulatio dicitur, vel indeterminata, quæ nominatur supplicatio. Tertio requiritur ratio impetrandi quod petitur, vel ex parte Dei propter eius sanctitatem. Et ad hoc pertinet obsecratio: quæ est per sacra contestatio, vel ex parte petentis, & dicitur actio gratiarum. Et sic hæ partes orationis vocantur obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones. Totus iste articulus consumitur in explicatione cuiusdam loci Diui Pauli, 1. ad Timoth. 2. Et quamuis possit aliter intelligi: expositio tamen D. Thom. est optima. De quare vide D. Augustinum epistola 59. ad Paulinum. & cum illo conueniunt Chrysostomus, & Theophylactus.

QVÆSTIO LXXXIIII.
De Exterioribus actibus latriæ, in tres articulos diuisa.

Artivlvs I.
¶ *Vtrùm adoratio sit actus latriæ, siue religionis.*

3. di. 10. q. 1. ar. 2. q. 7 Et 3. con. c. 119.

Ad Primvm ita proceditur. Videtur quòd adoratio non sit actus latriæ siue religionis. Cultus enim religionis soli Deo debetur. Sed adoratio nõ debetur soli Deo. Legitur enim Gene. 18. quod Abrahã adorauit Angelos. Et 3. Reg. 1. dicitur quòd Nathan Propheta ingressus ad regem Dauid, adorauit eum pronus in terrã: ergo adoratio non est actus religionis.

2 ¶ Præterea, Religionis cultus debetur Deo prout in ipso beatificamur, vt patet per Augu.* in 10. de Ciui. Dei. Sed adoratio debetur ei ratione maiestatis: quia super illud Psal. 98. Adorate Dominum in atrio sancto eius: dicit glo. De his atrijs venitur in atrium vbi maiestas adoratur: ergo adoratio non est actus latriæ.

li. 10. c. 1. med. 10. 5.

3 ¶ Præterea, Vnius religionis cultus tribus personis debetur. Nõ autem vna adoratione adoramus tres personas. Sed ad inuocationem trium personarum singulariter genuflectimus: ergo adoratio non est actus latriæ.

¶ Sed Contra est, quod Matth. 4. inducitur: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

¶ Respondeo dicendum, quòd adoratio ordinatur in reuerentiã eius, qui adoratur. Manifestum est autem ex *dictis, quod religionis propriũ est reuerentiã Deo exhibere. Vnde adoratio qua Deus adoratur, est religionis actus.

*Q. 81. ar. 1. ad 3.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod Deo debetur reuerentia propter eius excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur: non secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem. Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quòd pertinet ad latriam: & alia veneratione quasdam excellentes creaturas,

turas, quod pertinet ad duliam, de qua post* dicetur. Et quia ea quæ exterius aguntur, signa sunt interioris reuerentiæ, quædam exteriora ad reuerentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis inter quæ maximum est adoratio. Sed aliquid est quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium: Vnde Augustin. dicit in 10 de Ciuit. Dei. Multa de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen quòd quibus ea deferuntur homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi. (Si autem multum eis additur) & adorandi. Quis vero sanctificandum censuit nisi eum quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Secundum reuerentiam ergo quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauid, Secũdum autem reuerentiam quæ debetur Deo Mardochæus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem, vt dicitur Hester 3. Et similiter secundum reuerentiam debitam creaturæ excellenti Abraham adorauit Angelos & etiam Iosue, vt legitur Iosue 5. quamuis possit intelligi quòd adorauerint adoratione latriæ Deum, qui in persona Angeli apparebat & loquebatur. Secundum autem reuerẽtiam quæ debetur Deo, prohibitus est Ioannes Angelum adorare. Apoc. vltim. Tum ad ostendendum dignitatem hominis quam adeptus est per Christum, vt Angelis æquetur: vnde ibi subditur: Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. Tum etiam ad excludendũ idololatriæ occasionẽ vnde subditur: Deũ adora.

Q. 110. & seq. & qu. 103. ar. 3. & 4.

li. 10. c. 3. circa fi. to. 5.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sub maiestate diuina intelligitur omnis Dei excellentia, ad quam pertinet quòd in ipso sicut in summo bono beatificamur.

¶ Ad tertium dicendum, quod quia vna est excellentia trium personarum, vnus honor & reuerentia eis debetur, & per consequens vna adoratio. In cuius figuram cũ legitur de Abraham Genes. 18. quòd tres viri apparuerunt, adorãs vnum, alloquitur dicens: Domine, si inueni gratiam, &c. Terna autem genuflexio signum est ternarij personarum, non autem diuersitatis adorationum.

Svmma Textvs.

Conclusio est affirmatiua. Probatur in argumento sed contra hac ratione: Adoratio ordinatur in reuerentiam eius, qui adoratur: sed religionis propriũ est reuerentiam Deo exhibere: ergo adoratio, qua Deus adoratur est actus religionis. Et in corpore articuli hoc modo: Proprium religionis est reuerentiam exhibere Deo, cuius excellentia creaturis communicatur, non secundum æqualitatem, sed secundum quandã participationem: vnde alia veneratione adoratur Deus, quod pertinet ad latriam: & alia veneratione excellentes quædam creaturæ, quod pertinet ad duliam: ergo adoratio, qua Deus adoratur est actus latriæ, atque ex consequenti religionis.

Explicatio Artivli.

Pro explicatione huius quæstionis, vt à nomine ipso exordiamur aduertendum est, quod hoc vocabulũ, adoratio, est æquiuocum, variasque habet significationes in sacris literis. Interdum enim denotat eam adorationem, quæ soli Deo debetur, vt apud Matthæum ca. 4. cum dicitur: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et apud Ioan. cap. 4. in illis verbis: Deus tales quærit adoratores, qui adorent illũ in spiritu, & veritate. Interdum autem denotat cultum, & venerationem, quæ exhibetur creaturis. In qua significatione nihil aliud est adoratio, quam exhibitio honoris alicui personæ facta, propter eius excellẽtiam. Sic accipitur Gene. 18. quando de Abrahamo dicitur, quod pronus in terra angelos adorauit. Et Gene. 19. quando dicitur de Loth, quod pronus in terra adorauit angelos veniẽtes, vt perderent Sodomã. In eadem etiam significatione Genes. 23. dicitur Abraham adorasse filios Heth, & Gene. 33. quod adorauit Iacob fratrem suum Esau veniente in apparatu, dicens sic: Vidi faciem tuam, quasi videtim vultum Dei. Fecit quoq; vxores, & proles adorare fratrem suum Esau. Exodi. 18. Moyses adorauit Iethro socerum suum. Et Miphiboseth filius Ionathæ & Ornam adorauerunt Dauidem. Innumeraque alia sunt testimonia, quibus cõuincere poterimus, quod adoratio non solum ad Deũ, sed etiam ad sanctos Dei angelos, & ad homines in eminenti maiestate constitutos, fiat. ¶ Et si quis quærat, cur ergo Apoca. c. 22. prohibuit

Nomẽ adoratio varias habet significationes.

Quæstio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angelus ne Apostolus Ioannes ipsum adoraret, dicens: Vide ne feceris: cōseruus enim tuus sum: Deum adora. Et D. Petrus Actor. 10. recusauit adorationem, quam Cornelius ad ipsum facere volebat dicens: Surge! Nam & ego ipse homo sum, si adoratio, vt modò dicebam non solum significat in sacris literis, eam reuerentiam, quæ soli Deo debetur, sed etiam exhibitionem honoris, cuicunque personæ factam, propter ipsius eminentem excellentiam? Respondeo, dubium quidem non esse, quod secundum reuerentiam, quæ creaturæ excellenti debetur, Patriarchæ, & Prophetę adorauerunt non solum Angelos, verum etiam homines, & secundum illam reuerentiam, quæ soli Deo debetur noluisse Mardocheum adorare Amam, ne, scilicet, honorem Dei transferret ad hominem, vt dicitur Esther cap. 13. Quo etiam modo D. Paulus, & Barnabas reprehendebant, & detestabantur, scissis vestibus, paratum sibi cultum adorationis in Lystris. Volebant enim habitatores illius ciuitatis, velut dijs quibusdam, idque cultu latriæ, eis sacrificare, dicentes: Dij similes facti hominibus descenderūt ad nos. Actor. cap. 14. Et hæc etiam adoratio est, quā angelus prohibuit Ioanni. & D. Petrus Cornelio: Præterquam quod dicere possumus, quod Angelus prohibuit Ioāni, etiam illam reuerentiam, quæ creaturis potest impendi. Tum, vt ostenderet dignitatem, quam homo per Christum adeptus erat, qua meruit Angelis æquari, & ideo dixit: Cōseruus tuus sum, & fratrum tuorum. Tum etiam, vt occasionem idolatriæ excluderet. Et sic dixit: Deum adora. Sunt ergo diuersi cultus hoc vno nomine adorationis in sactis literis significati, quos, vt Ecclesia Catholica, atque sancti distinguerent diuersis vocabulis nominarunt. Et eam adorationem, quæ soli Deo debetur, propter suam diuinitatem appellauerunt latriam. Eam autem, quam Theologi tribuunt sanctis insignioribus, vt beatissimæ Mariæ virgini præcipuè, & sanctis Apostolis appellauerunt hyperduliam. Et tandem tertiam, quæ refertur ad sanctos minores, dixerunt duliam.

Responsio.

Diuersa nomina quibus diuersi cultus significātur.

¶ Laurentius Valla, atque Caluinus Theologos taxant, quod ex ignoratione linguæ Græcæ distinxerint, inter latriam & duliam, quasi latria significet cultum, qui Deo debetur, & dulia illum, qui sanctis accōmodatur. Cum tamen inter latreuo, & duleuo, à quibus talia nomina deducūtur nullum prorsus sit discrimen, quantum ad hoc, sed vtrumq; significat idem, quod seruio. Quam suam sententiam probant ex illo Leuit. cap. 23. Opus seruile non facietis in eo. Vbi septuaginta le gunt, latreuton. Et ex illo eiusdem Leuit. ca. 18. De semine tuo nō dabis seruire principi. Vbi Græci habent, latteuin. Cæterùm dico, quod quamuis latreuo significatione natiua æque amplū sit, ac duleuo, vt colligere licet ex Suida & ex Phauorino, iam tamen cōmuniter accipitur magis restrictè, & vt solum significat cultum Deo debitum. Nec mirum: Nam non est nouum, aut inusitatum principes alicuius facultatis vti aliqua voce paulum à primęua sua significatione deflexa. Sic Porphirius, qui fatetur, primò appellatum fuisse genus vniuscuiusq; generationis principium, & deinde multitudinem eorum, qui sunt ab vno principio, vt Græcorum genus, aut Troianorum, tertio accipit, pro eo cui supponitur species, aut quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid est prædicatur. Qua ratione semper accipitur à logicis: prioribus illis significationibus longè ablegatis. Item Aristotel. 5. Metaph. fatetur, naturam, primò, ortum & natiuitatem significasse, & tamen communiter iam accipiunt hoc nomen philosophi pro specie, & natura rei. Sic etiam sacramentum, quod significatione primęua significat iusiurādum, teste Marco Varrone, accipitur à Theologis pro visibili signo inuisibilis gratiæ. ¶ Sed poterit quis dubitare, vtrum fuerit aliqua causa, & ratio sufficiens, quam scholastici sequantur in vsurpando nomine latria pro cultu, qui soli Deo exhibetur, ac in referendo proinde duliam ad reliquos sanctos? Ad quod breuiter affirmatiè respondeo. Scriptura enim quæ Græcè scripta est, quando agit de colendo Deo plurimum vtitur verbo latreuo. Et quod magis ponderādum est, quādo sermonem facit de seruiendo eis, qui nec sunt, nec æstimantur Dij, non vtitur verbo latreuo, sed duleuo. Quorum primum probo. Nam Exod. 4. cum dicitur: Dimitte populum meum vt seruiat mihi: & Exod. 23. Seruietis Domino. & Deuterono. 6. Illi soli seruies. & Deuteronom. 10. Vt diligas eum ac seruias. & Deuteronom. 28. eo quod non seruieris Domino Deo tuo. & Iosue 22. Seruiatis in omni corde. & in eodem loco: Vt seruiatis seruitutem Domino. Et cap. 24. Seruite ei perfecto corde, cum similibus, sex aut septem eius capitis testimonijs. Et Iudicum 9. Idola proiecerunt, & seruierunt Domino: in his, inquam, omnibus locis habetur latreuo. Quod autem similiter quando sermo est de seruiendo alijs, non vtatur scriptura verbo, latreuo, sed communi verbo duleuo, vel dulia, constat ex Gene. c. 14. cū dicitur: Seruierāt Chodorlahomor, & Gene. 15. ibi: Gentem, cui seruituri sunt, & c. 25. & 27. Fratri seruies. & capit. 29. Seruiam tibi pro Rachel. & per totum caput 30. & 31. Et Exod. 21. Sex annis seruiet tibi. & Deuteronom. 15. Quatuor habentur huius acceptionis testimonia: quæ etiam est eadem apud prophetas, vt constat ex Esai. capi. 14. Semper ergo scriptura cauet, ne quando est sermo de seruitute homini exhibita vtatur voce latria, aut latreuo. Propter quod dicebat Diuus Augustinus libro decimo de Ciuitat. capit. 1. Hic est Diuinitati, vel si expressius dicendum est, Deitati debitus cultus, propter quem vnico verbo significandum, quoniam satis mihi idoneum non occurrit Latinum, Græco, vbi necesse est, insinuo, quid velim dicere. Latriam quippe, vbicunque sacrarum literarum scriptum est, nostri interpretati sunt, seruitutem. Sed ea seruitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcepit Apostolus seruos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græce nuncupari solet. Latria vero secundum consuetudinem, qua loquuti sunt, qui nobis eloquia diuina condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, vt pene semper, ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Hæc Augustinus: Et post alia tandem concludit, quod latria interpretatur seruitus, sed ea seruitus, qua colimus Deum. Patres etiam Concilij Nicæni, qui maiori ex parte Græci erant, & Græce loquebantur in id conuenerunt, quod cultus latriæ in spiritu, & veritate beatæ tribuitur Trinitati ab Orthodoxis. De qua re videnda est epistola Tarasij, & totius synodi ad Imperatores, quę habetur in fine Concilij illius. Et D. Damascen. lib. 3. dicit, quod solum rerum omnium procreatorem, & opificem adoramus, & latriæ cultu veneramur. Verum est, quod aliquando ponitur verbum, latreuo, vbi mentio fit de seruitute homini debita, quale est illud iam citatum. Opus seruile non facietis, & illud: Non dabis de semine tuo seruire principi, sed hoc non obstat. Nam vt autor est Diuus Augustinus in testimonio iam citato, latria apud eos, qui nobis eloquia diuina tradiderunt, aut semper, aut pene semper, accipitur pro seruitute, quæ pertinet ad colendum Deum. Cum quo stare potest, quod rarissime ea vox in alia significatione inueniatur. Quemadmodum quam uis genus philosophis sit, teste Porphirio, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid: aliquando contingit, quod idem philosophi accipiant illam vocem in alia atque primęua significatione, secundum quam ipse Aristoteles dicere solet, hominum genus. ¶ Et si quis obijciat, quod scriptura dum sermonem facit de seruiendo Deo, sæpe vtitur verbo, duleuo, & sic videtur falsum, quod latria peculiariter significet cultum Dei, respondeo, Theologos non negare, quod duleuo, vel dulia sit vox communis, quæ ad Deum, & ad homines referatur: sed illam vocem, quæ communis est, peculiari quadam ratione acceptam tribuunt speciei inferiori dignitate, siue adorationi diuotum. Nec ex hoc sequitur, quod latria non sit specialis cultus Dei. Sicut nec ex eo, quod dispositio est vox communis habitui, & dispositioni sequitur, quod habitus non sit peculiaris dispositio, nec, quod male habitus contra dispositionem peculiariter acceptam, distinguatur, aut quod dispositio non sit nomē speciei condistinctæ contra habitum, vt dicunt Dialectici in prædicamentis in cap. de qualitate.

Laurētius Valla & Caluinus Grāmatici

Principes cuiusq; facultatis, sæpe vtuntur nominibus paululū à primæua significatione deflexis

Dubium.

Solutio.

Responsio.

¶ Ex dictis infertur, quod, quamuis nomen, dulia, accipi possit latissimè pro quocunque obseruantiæ genere, quo quis alterum reueretur, ex quacunque causa ea reuerentia oriatur. Est enim dulia proprie seruitus, quam seruus exhibet domino, & sic continet in se latriam, quæ est seruitus exhibita Deo, & etiam eam virtutem, qua serui inter homines dominos venerantur: tamen, quia ea virtus, per quam serui dominos suos temporales venerantur, non habet proprium nomen, sicut seruitus quæ Deo impenditur, ideirco secundario nomen dulię, appropriatum fuit ad significandam eam seruitutem, qua serui inter homines dominos venerantur. Et sic accipiendo duliam primo modo, constat, quod nec diuidetur contra latriam, nec est omnino idem cum ipsa: sicut nec superius diuiditur contra inferius, nec est conuertibiliter idem cum ipso, vt apparet in animali respectu hominis. Cæterum: Si dulia accipiatur, secundo modo, sic est virtus specie distincta à latria. Nam vbi est alia ratio debiti, quod ibi alia sit virtus, quæ debitum reddat est necesse. Certum est autem quod alia ratione debetur seruitus Deo, & alia homini, sicut & alia ratione dominium competit Deo, & homini. Deus enim plenarium, & principale dominiū habet respectu totius, & cuiuslibet creaturæ, quæ totaliter eius subijcitur potestati. At verò homo participat quandam similitudinē diuini dominij, inquātum habet peculiarem potestatē super aliquem hominem, vel super aliquā creaturam. Ex quo fit, vt dulia quæ debitam seruitutem exhibet homini dominati, alia virtus sit à latria, quæ exhibet seruitutē diuino dominio. De hyperdulia solum dico, quod quia hyper, apud Græcos auget in compositione

Obiectio.

Nomen dulia accipitur dupliciter.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut per,aut quàm, apud Latinos: idcirco hyperdulia exhibetur quibusdam diuis inter sanctos ipsos præclaris & heroicis, habentibusq; peculiatem affinitatem ad Deum vt beatæ Virgini.

Latria soli Deo debetur.

¶ Diximus latriam soli Deo,ineffabiliq́ue Trinitati deberi, quod est verissimum. Et hoc est quod docuit Dominus Matt.4. dum dixit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies,& Paulus 2.ad Timoth.1.dicens: Soli Deo honor & gloria. Quo loco, nisi de isto latriæ peculiari honore loqueretur, nunquam dixisset ad Roman. 2. Gloria & honor omni homini operanti bonum.Et hæc eadem est illa gloria,quam vellet Apostolus Roman. 1. vt dedissent Deo illi, qui cum Deum cognouissent non sicut Deum glorificauerunt,aut gratias egerunt:sed mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.De hac re videndus est D.August. lib.3.contra Maximinum Arrianorum Episcopum.cap.23.& lib.12. de Trinit.cap.14. & in Enchiridione, & multis alijs locis citatis à Magistro in 3.d.9.vbi scholastici de hac re disputant.

Obiectio.

¶ Et si quis obijciat contra hoc Glossam super illud Psalm.67. Deo Domino de fontibus Israel,dicentem: Deo, cui debetur latria,Domino,cui debetur dulia.Et Glossa interlinealis in illud Psalm. 7. Domine Deus meus,in te speraui:inquit,Domine propter potentiam,cui debetur dulia. Deus propter creationem, cui debetur latria. Et D.Aug. lib.2.quæstionum super Exod.qu.94. etiam dicit,quod dulia debetur Deo tanquam Domino,latria vero non nisi Deo tãquam Deo, quibus locis significari videtur,Deo non magis deberi latriam,quam duliam:omissis pluribus,quæ de hac re dici solent à controuertentibus,& disputantibus hanc D.Augustini & Glossæ sententiam videre poteritis,si placuerit Diuum Thomam in 3. dist. 9. qu. 1. ar.3.quæstiuncula 1. & 2.2.quæst.81.ar.3.& Alexand.de Ales.3.p.q.30.memb.1.artic.3. & Gabrielem super Canonem lect.49. dico breuiter, quod quemadmodum, si propria propriis accõmodare,& formaliter loqui velimus,dicemus,quod animal in eo,quod animal, est sensitiuum, homo vero in eo, quod homo est rationalis: sic etiam dicemus,quod dulia in eo, quod dulia, refertur ad Dominum, ac proinde Deo tanquam Domino tribuitur, quoniam propria ratio huius nominis, dulia, postulat illud correllatiuum, nempe, Dominum. At verò latria, vt latria debetur Dei Maiestati,quam intelligo,quando nomino deitatem. Et dulia in illis locis accipitur generaliter,& vt ratione solum distinguitur à latria: non autem accipitur pro ea specie adorationis,quæ tribuitur aliis sanctis. ¶ Et si quis logicè instet: Dulia, quæ superior est, refertur ad Dominum: ergo eius etiam species latria debet referri ad Dominum, nam quod conuenit superiori, debet etiam conuenire inferiori, respondeo primò,quod quia logicè agimus de rebus vt subiiciuntur nominibus, idcircò logicè negãda est illa consequentia.Et ad probationem dico, quod propositio in illa assumpta sæpe fallit. Nam scientia est scibilis scientia. At vero metaphysica non est metaphysicabilis metaphysica, nec scibilis metaphysica: quia hæc nomina non bene se habent adinuicem. Vel secundo respondeo,quod metaphysicè, & ex natura rei loquendo, quemadmodum dulia se habet ad Dominum generali ratione: ita etiam latria se habet ad Dei maiestatem, qua maius excogitari non potest,& in qua inuenitur eminens ratio dominij. Non tamen refertur ad eum in eo quod Dominus, sed secundum aliquid particulare & excellens, quod continet etiam rationem dominij. Itaque quemadmodum Metaphysica refertur quidem ad suum obiectum re ipsa,non tamen in eo quod scibile, sed in eo,quod metaphysicabile, si sic loqui licet: ita etiam & latria re ipsa refertur ad Dominum, non tamen in eo, quod Dominus,sed in eo quod Deus, quæ est altior ratio continens sub se rationem Dominij. Alij dicunt,quod perfectiones Dei sunt in duplici differentia. Quædam enim non possunt communicari creaturæ, nec secundum eandem rationem,nec secundum idem nomen, vt Deus,Omnipotens, Creator. Nihil enim aliud à Deo potest esse Deus, aut omnipotens,aut creans. Aliæ autem Dei perfectiones sunt communicabiles creaturis: nõ quidem secundum eundem gradum,nec secundum eandem rationem: sed secundum idem nomen,vt,bonitas,sapientia, Dominus, &c. Dicitur enim creatura bona,& dicitur nonnunquam sapiens,& domina. Et affirmant, quod quia primæ perfectiones ità sunt propriæ Deo, vt nec secundum nomen possint creaturis communicari ideò adoratio, quæ debetur Deo ratione illarum perfectionum, significatur nomine peculiari denotãte adorationem soli Deo debitam quod est latria. At verò quia aliæ perfectiones Dei sunt communes creaturis secundum nomen, idcirco adoratio,quæ debetur Deo ratione illarum significatur nomine importante adorationem communem Deo,& creaturis quale est no-

Instantia logica.

1. Solutio.

2. Solutio.

3. Respõsio.

Respõsio ad obiectionẽ.

est nomen dulia.Ità respondent Alexander, & Gabriel locis citatis. Quorum sententia mihi non displicet,nec aduersatur eis quæ à nobis sunt dicta. Ex dictis omnibus infertur eam adorationem quæ soli Deo debetur esse actum latriæ,illam autem,quæ debetur sanctis nõ esse actũ latriæ,sed aut duliæ,aut hyperduliæ.Omnis tamen adoratio,siue Dei illa sit,siue alicuius sancti est actus religionis, eo modo,quo & oratio,quæ ad Deum funditur, & illa quæ funditur ad sanctos, inquãtum habent ordinem ad Deum, pertinet ad religionem, vt ex mente D. Thom. docuimus,quæstione præcedenti. Vtrùm autem Christi humanitas,aut eius imago sint adorãdæ adoratione latriæ, non est præsentis loci disputare.Sed pertinet hoc ad 3.p.quæstione 25.vbi latè Doctores disputant de hoc.

Corollar.

Articvlvs. II.

¶ *Vtrum adoratio importet actum corporalem.*

Super q.81 ar.7.Et 3. d.9.qu.1. ar.3.qu.3. & 3.con. ca.119.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur,quòd adoratio nõ importet actum corporalem. Dicitur enim Io.4 Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Sed id quod fit in spiritu, non pertinet ad corporalem actum:ergo adoratio non importat corporalem actum.

2 ¶ Præterea, Nomen adorationis ab oratione sumitur.Sed oratio principaliter consistit in interiori actu,secundum illud primæ ad Corinth.14. Orabo spiritu, orabo & mente: ergo adoratio maximè importat spiritualem actum.

3 ¶ Præterea,Corporales actus ad sensibilem cognitionem pertinent.Deum autem non attingimus sensu corporis, sed mentis:ergo adoratio non importat corporalem actum.

Glo.ordin. ibid.

¶ Sed Contrà est, quod super illud Exod.20.Non adorabis ea neque coles:dicit * glo.Nec affectu colas,nec specie adores.

Lãc.Orthod. fi.in princ. c.13.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut Damascen. dicit * in 4 lib. Quia ex duplici natura compositi sumus,intellectuali scilicet,& sensibili,duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet, spiritualem, quæ consistit in interiori mentis deuotione:& corporalem quæ cõsistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius refertur ad id quod est interius,sicut ad principalius: ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, vt videlicet per signa humilitatis quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo: quia connaturale est nobis,vt per sensibilia ad intelligibilia procedamus.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd etiam adoratio corporalis in spiritu fit,inquantum ex spirituali deuotione procedit, & ad eam ordinatur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut oratio primordialiter est quidem in mente,secundario autem verbis exprimitur, vt suprà dictum * est:ita etiã adoratio principaliter quidem in interiori Dei reuerentia consistit:secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis:sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum. Prosternimus autem nos quasi profitentes nos nihil esse ex nobis.

Qu.83.ar. 12.

¶ Ad tertium dicendum, quòd etsi per sensum Deum attingere non possimus, per sensibilia tamen signa mens nostra prouocatur vt tendat in Deum.

Svmma Textvs.

Ad propositam difficultatem respondet D.Thom.per duas propositiones. Prima conclusio: Adoratio importat duplicem actum,spiritualem,scilicet,& corporalem. Probatur in argumento, sed contra,testimonio Glossæ super illud Exod. 20. Non adorabis ea,neque coles,dicentis: Nec affectu colas nec specie adores. Et in corpore articuli testimonio Damasceni libro 4. fidei ortho.capitulo 13. qui dicit, quod quia ex duplici natura conditi sumus intellectuali,scilicet,& sensibili,duplicem adorationẽ Deo offerimus,scilicet,spiritualem, quæ in interiori mentis deuotione consistit, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Secunda conclusio: Adoratio corporalis ordinatur ad spiritualem. Probatur:in omnibus actibus latriæ id,quod est exterius, refertur ad id,quod est interius, sicut ad principalius, vt scilicet,per signa humili-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis,quæ corporaliter exhibemus, affectus noſter ad ſubiiciendũ ſe Deo excitetur,cõna turale enim eſt nobis,vt per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus:ergo adoratio corporalis ordinatur ad ſpiritualem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Adoratio duplex.

QVoniam, vt docet D. Damaſcenus libro 4.fidei ortho.capitulo 13.adoratio eſt duplex: vna interior,altera exterior. Adoratio interior cõſiſtit,& in intelligẽtia,ſeu cognitione, qua aliquis cognoſcit eum,quem adorat,eſſe dignum honore ob aliquam excellentiam, & in voluntate, atque affectu, quo ſe illi ſubmittit. Qui affectus adeò eſt neceſſarius ad adorationem,vt ſine illo cognitio excellentiæ, quantacunque illo ſit, non ſufficiat. Quod conſtat: Nam in Dæmonibus eſt cognitio excellentiæ diuinæ,ſi quidem credunt,& contremiſcunt, vt dicit D. Iacobus in ſua cano.capitulo 2.& tamẽ,quoniam eis deeſt hic affectus non adorant, ſed blaſphemant Deum. Adoratio verò corporalis conſiſtit in exteriori corporis humiliatione. Sicut adoratio generaliter dicta diuiditur in interiorem & exteriorem: ità etiã & latria, ſiue cultus proprius Dei, in interiorem & exteriorem erit diſtinguendus:& vterque Deo tribuendus. Nam quoniam ex duplici natura cõditi ſumus,intellectuali, ſcilicet,& ſenſibili,duplicẽ etiã adorationẽ Deo offerre debemus, ſpiritualem, & corporalẽ. Et quod peculiaris iſte cultus,honor,& veneratio Deo debeatur probari poteſt,pluribus & manifeſtis rationibus. Prima eſt: Nam quia adoratio externa, internæ adorationis & reuerentiæ,qua mẽs ſe humiliat,& offert, eſt repræſentatiua,& humiliat ſe mẽs noſtra Deo,atque offert,quaſi ſuæ creationis principio,quaſi ſuæ beatitudinis fini, quaſi bonorum omnium fonti,& autori vniuerſali, quæ omnia ſoli Deo conueniunt,fit, vt peculiari ille ratione à nobis ſit colendus, & adorandus. Secunda ratio eſt: Nam cum cultum externum exhibeamus Deo,non quod ipſe eo indigeat,bonorũ enim noſtrorum non eget; ſed,vt per ſenſibilia in nobis gignatur vera opinio de Deo. Opinio autem ſiue ſententia vera de eo, quod Deus eſt vnus,& ſuper omnia exaltatus,in nobis gigni & ſtabilici non poſſit per ſenſibilia,niſi per hoc,quod ei aliquid ſeparatum,honoreſque ac titulos peculiares & excellentes exhibeamus,qui aliis tribui non poſſint,niſi aut ratione diuerſa, aut adulatione peruerſa,ſit,vt peculiari ratione Deus à nobis & colendus, & adorandus ſit. Tertia ratio: Hæc habet humana conſuetudo,quæ ad opiniones gignendas valet quã plurimum,quod honor,qui exhibetur ei,qui ſummum locũ in republica tenet, nẽpe, Regi aut Imperatori, nulli alteri exhibeatur: ergo animus hominis adhoc erit excitandus, vt eam æſtimationẽ habeat de ſummo Deo, quam habere tenetur,per hoc,ſcilicet,vt peculiarem aliquem cultum & honorem ei exhibeat. Et certè cum honor ſit virtutis,& beneficentiæ præmium,& ſola Dei virtus bonitas,atque largitas immenſa ſit & incomprehenſibilis, non eſt dubium,quin ei peculiaris adoratio honor, & cultus debeatur, quod,& omnes homines tã philoſophi quã non philoſophi cognouerunt. Debemus ergo Deo duplicem cultum, corporalem,& ſpiritualem. Corporalis conſiſtit in exterioribus humilitatis & ſubmiſſionis ſignis,in flexione genuum,in humiliatione,in proſtratione, in eleuatione manuum,& ſimilibus. Spiritualis autem latria conſiſtit in interno affectu, in puritate, & deuotione, iuxta doctrinam D. Auguſtini in Enchiridio capitulo 3. vbi dicit, quod fide,& ſpe, & charitate colitur Deus. Et capitulo 5. cultus Dei initiatur fide, tenetur ſpe,perficitur charitate. Et libro 12. de Trinitat.capitulo 14. Et quis eſt, inquit, cultus Dei,niſi amor eius,quo nunc deſiderare mus eum videre,& fides, qua credimus, & ſpes, qua ſperamus nos eum aſſequuturos. Sunt verò quædam genera ſeruitutum, quæ veluti ſpecies latriæ ſoli Deo exhibere debemus deſumpta ex D. Auguſtino, libro 10. de Trinit. capitulo 4. quorum meminit Thomas Vualdenſis de ſacramentalibus,capitulo 147. Primum eſt ſacrificium altaris, ſiue cordis. Secundum,effuſio ſanguinis, & vitæ in martyrio. Tertium,quando incendio amoris flagrantis nos Deo vouemus, & noſtra. Quartum,quando dies ſolennes,& feſtos celebramus Deo,ne memoriam beneficiorum eius ingrata tollat obliuio. Quintum eſt ſpiritus humiliatus. Vltimum, quando perfruitionẽ Deo ipſi inhæremus. Hæc Vualdenſis. De qua re videndus eſt Corduba lib. 1. quæſtionarii, quæſt. 5. dub. 6.

Rationes quibus probatur peculiarem cultum Deo eſſe tribuendũ.

ARTICVLVS. III.

¶ Vtrũm adoratio requirat determinatum locum.

AD TERTIVM ſic proceditur. *1. Tim. 2.*

Videtur quòd oratio non requirat determinatum locum. Dicitur enim Io. 4. Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem. Eadem autem ratio

ratio videtur eſſe & de aliis locis: ergo determinatus locus non requiritur ad adorandum.

2 ¶ Præterea, Adoratio exterior ordinatur ad interiorem. Sed interior adoratio fit ad Deũ, vt vbique exiſtentem: ergo exterior adoratio non requirit determinatum locum.

3 ¶ Præterea, Idem Deus eſt qui in nouo & veteri teſtamento adoratur: ſed in veteri teſtamento fiebat adoratio ad occidentem: nam oſtium tabernaculi reſpiciebat ad orientẽ, vt habetur Exo. 26. Ergo eadem ratione etiam nũc debemus adorare ad occidentem, ſi alius locus determinatus requiritur ad adorandum.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Iſai. 56. Et inducitur Luc. 19. Domus mea domus orationis vocabitur.

Ar. præced.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut dictũ* eſt, in adoratione principalior eſt interior deuotio mẽtis: ſecũdariũ autẽ eſt quod pertinet exterius ad corporalia ſigna. Mens autem interius apprehendit Deum quaſi non comprehenſum aliquo loco. Sed corporalia ſigna neceſſe eſt, quod in determinato loco, & ſitu ſint. Et ideo determinatio loci non requiritur ad adorationem principaliter quaſi ſit de neceſſitate ipſius, ſed ſecundum quandam decentiam, ſicut & alia corporalia ſigna.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Dñs per illa verba prænunciat ceſſationem adorationis, tam ſecundum ritũ Iudæorũ adorantiũ in Hieruſalem, quã etiam ſecũdum ritũ Samaritanorũ adorantium in monte Garizim. Vterq; enim ritus ceſſauit, veniente ſpiritualis Euangelij veritate: ſecundum quam in omni loco Deo ſacrificatur, vt dicit Malac. 1.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd determinatus locus eligitur ad adorandum: non propter Deũ qui adoratur, quaſi loco concludatur, ſed propter ipſos adorantes. Et hoc triplici ratione. Primò quidem propter loci conſecrationem, ex qua ſpiritualem deuotionẽ concipiunt orantes, vt magis exaudiantur, ſicut patet ex adoratione Salo. 3. Regu. 8. Secundò propter ſacra myſteria & alia ſanctitatis ſigna quæ ibi continentur. Tertiò propter concurſum multorũ adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis: ſecundũ illud Matt. 18. Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum. *Diſt. 11. c. Eccleſiaſticarum.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſecundum quandam decentiam adoramus verſus orientem. Primò quidem propter diuinæ maieſtatis indicium: quod nobis manifeſtatur in motu cæli, qui eſt ab oriente. Secundò propter paradiſum in oriente conſtitutum, vt legitur Gen. 2. ſecundum literam ſeptuaginta interpretum: quaſi quæramus ad paradiſum redire. Tertiò propter Chriſtum, qui eſt lux mundi, & oriens nominatur Zacha. 6. Et qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem. Et ab oriente etiam expectatur venturus, ſecundum illud Matthæi 24. Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vſque ad occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quod in oratione primarium eſt, quod pertinet ad interiorem mentis deuotionem, & ſecundarium, quod pertinet exterius ad corporalia ſigna, reſpondet Diu. Tho. ad propoſitam difficultatem vnica concluſione, quæ talis eſt: Ad adorationẽ principaliter non requiritur determinatio loci, quaſi ſit de neceſſitate ipſius, ſed requiritur ſecundario ſecundum quandam decentiam; ſicut & requiruntur alia corporalia ſigna. Probatur: Mens interius apprehẽdit Deũ, quaſi non comprehẽſum aliquo loco, quod pertinet ad adorationem principaliter; & corporalia ſigna, neceſſe eſt, quod in determinato loco & ſitu fiant, quod pertinet ad adorationem ſecundario: ergo ad adorationem non requiritur principaliter determinatio loci; bene tamen ſecundariò.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum ſolùm occurrit diſputandum, vtrũm ſit aliquis certus & determinatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

terminatus locus, in quo homines vel in particulari, vel in generali cum aliis adorationē exercere debeant? Ad cuius explicationem

1.Dictum dico primò, de iure diuino aut naturali nullum talem esse determinatum locum, vt constat ex illo Ioann.4. Venit hora, quando nec in monte hoc &c. Et ad Timoth.2. Volo viros orare in omni loco leuantes manus: Et Malachiæ capitulo 1. In omni loco offertur oblatio munda. In veteri lege erat determinatus locus ad orandum, & sacrificium offerendum, & in quibusdam temporibus. Ex quo factum fuit, vt Daniel capitulo sexto verterit se ad adorandum versus templum. Sed de hoc nunc nullum extat diuinum, aut

2.Dictum naturale præceptum. ¶ Dico secundo, conuenientissimè Ecclesiam determinasse certa quædam loca, vbi fideles conuenirent ad orandum, ad celebrandum, ad diuina audiendum, & ad sacramenta suscipiendum, prudentissimeque instituisse, vt talia loca conserarentur, & magnis priuilegiis ornarentur. Sicut & quondam Deus cum religionem veteris legis condidit, voluit tabernaculum sibi ditissimum erigi, vbi Iudæi ad prædicta conuenirent. Ratio enim postulabat, vt propter honorem sanctissimi sacramenti magis nūc templa, & loca sacra dedicarentur. ¶ Dico tertio etiam nunc esse conuenientissimū, vt adoratio Dei fiat versus orientem. Hæc est sententia D. Tho. hic ad tertiū. Cuius rei plures assignat rationes. Prima, propter diuinæ maiestatis indicium, quod nobis in motu cæli, qui est ab oriente manifestatur. Secunda, propter paradisum in oriente cōstitutum, vt legitur Genes.2. iuxta lectionem Septuaginta interpretum: quasi quæramus ad paradisum redire. Tertia, propter Christum, qui lux est mundi, orienſque nominatur, vt constat ex Zacharia cap.6. Et ascendit super cælum cæli ad orientem. Ex qua etiam parte vēturus expectatur, iuxta illud Matth.24. Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque ad occidentem, ità erit & aduētus filii hominis. Sed vltra has, possumus etiam aliam assignare rationem; nēpe, quia in lege gratiæ, est iam totum oppositum ad illas causas, propter quas Iudæi versus occidentem adorabant. Illi enim erant in tenebris & in figura, quia nondum illis ortus erat sol iustitiæ Christus Deus noster, nobis autem sic. Propter quod dicebat D. Paulus ad Roma. capitulo 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. &c. Item lex illa tandem finienda erat, atque cassura, ad occasumque cum suo statu tendebat, & sic tandem occidit in morte Christi. At verò nostra est testamentum æternum, quod ab oriente Christo nostro sole iustitiæ perpetuo conseruatur. De hac re videndus est Thomas Vualdensis de sacramentalibus titu. 17. capitulo 144. & Orantius de locis Catholicis lib.5. capitulo 5.

QVAESTIO LXXXV.
de his quæ à Deo fidelibus dantur, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

¶ *Vtrum offerre sacrificium Deo, sit de lege naturæ.*

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod offerre sacrificiū Deo non sit de lege naturæ. Ea enim quæ sunt iuris naturalis communia sunt apud omnes homines. Non autē hoc cōtingit circa sacrificia. Nam quidam leguntur obtulisse in sacrificiū panem & vinū, sicut de Melchisedech dicitur Gen.14. Et quidam hæc, quidam vero alia, vt animalia: ergo oblatio sacrificiorum non est de iure naturali.

2 ¶ Præterea, Ea quæ sunt iuris naturalis omnes iusti seruauerunt. Sed non legitur de Isaac quòd sacrificium obtulerit. Neque etiam de Adam: de quo tamen dicitur Sap.10. quod sapientia eduxit eum à delicto suo: ergo oblatio sacrificij non est de iure naturali.

3 ¶ Præterea, Aug * dicit 10. de Ciuita. Dei, quòd sacrificia in quadam significantia offeruntur. Voces autem quæ sunt præcipua inter signa, sicut idem dicit * in libro de Doc. Chryst. non significant naturaliter, sed ad placitum, secūdum * Philosophum: ergo sacrificia non sunt de lege naturali. *Li.10.c.5. & 6. & 19 tom.5.* *Lib.2.c.3. circa med. to.3. Ari.lib. 1. periher.c. 2.to.1.*

¶ SED CONTRA est, quod in qualibet ætate & apud qua libet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Quod autem est apud omnes, videtur naturale esse: ergo & oblatio sacrificiorum est de iure naturali.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd naturalis ratio dictat homini quòd alicui superiori subdatur propter defectus quos

quos in seipso sentit: in quibus ab aliquo superiori eget adiuuari & dirigi. Et quicquid illud sit, hoc est, quòd apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundū naturalē inclinationē, vt ei quod est supra hominem, subiectionem, & honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conueniens homini, vt sensibilibus signis vtatur ad aliqua exprimenda: quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quòd homo quibusdam sensibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis & honoris secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerūt in recognitionem dominij. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificij: & ideo oblatio sacrificij pertinet ad ius naturale.

1.2.q.95. a.2. ¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sicut suprà * dictum est, aliqua in communi sunt de iure naturali: quorum determinationes sunt de iure positiuo, sicut quòd malefactores puniantur, habet lex naturalis. Sed quòd tali pœna vel tali puniantur, est ex constitutione diuina vel humana. Similiter etiā oblatio sacrificij in communi est de lege naturali, & ideo in hoc omnes conueniunt. Sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel diuina: & ideo in hoc differunt.

¶ Ad secundum dicendum, quòd Adam & Isaac sicut & alij iusti Deo sacrificium obtulerunt, secundum sui temporis congruentiam, vt patet * per Gregor. qui dicit, quòd apud antiquos per sacrificiorum oblationes remittebatur pueris peccatum originale. Non tamen de omnibus iustorum sacrificijs fit mentio in scriptura, sed solum de illis circa quæ aliquid speciale accidit. Potest tamen esse ratio quare Adam non legitur sacrificium tulisse: ne quia in ipso notatur origo peccati, simul etiam in eo sanctificatio

Li.4. Moral.c.2. parum ante medium.

nis origo signaretur. Isaac vero significauit Christum, inquantum ipse oblatus est in sacrificium: vnde non oportebat vt significaretur quasi sacrificium offerens.

¶ Ad tertium dicendum, quòd significare conceptus suos est homini naturale. Sed determinatio signorum est secundum humanum placitum.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio Diui Thomæ est affirmatiua. Quam probat in argumento, sed contra, ex eo quod in qualibet ætate, & apud quasi bet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Et quòd apud omnes est, videtur esse de lege naturæ. Et in corpore articuli, hac ratione. Ex naturali ratione procedit, quod homo, qui ex sensibilibus cognitionem accipit, quibusdam sensibilibus rebus vtatur offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis, & honoris secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij. Naturalis enim ratio dictat, vt propter defectus, quos in seipso sentit homo, subdatur alicui à quo possit dirigi, & adiuuari, in quibus eget, & sic honorem, & subiectionem exhibeat, sed hoc pertinet ad rationem sacrificij: ergo talis oblatio pertinet ad ius naturæ.

EXPLICATIO. ARTICVLI.

PRO intelligentia huius materiæ, vt à nomine ipso exordiamur, aduertendum est primo, quod hæc vox sacrificium, sicut & res significata per illam, frequens est, atque receptissima apud latinos autores, & est idem quod factio sacri, sicut & sacrificare significat facra facere. Differtque ab oblatione, vt autor est D. Thom. articulo tertio huius quæstionis, in eo quod quidquid in Ecclesia offertur, etiam si nihil circa ipsam rē fiat, dicitur oblatio, vt dum offeruntur nūmi, aut panis, aut res alia. At verò sacrificium nō inuenitur, nisi quando circa ipsas res, quæ Deo offeruntur aliquid exercetur: vt contingebat præsertim in animalium immolationibus, & contingit, nobis modo, dum sacrosanctum panem benedicimus, consecramus, frangimus & consumimus. Hoc enim est propriè sacrificare. Quæ quia apud gentiles præter sacerdotes sacrificia offerentes erant etiam sacrificij, qui talia opera exercebant,

¶ Secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Secundo est aduertendum quod sacrificium interdum dicitur id, quod in honorem Dei ipsi offertur, Interdum autem dicitur ipsa oblatio. Inter quæ duo nihil fere differt. Sed, sicut finis noster modò dicitur Deus, modò apprehensio, & fruitio Dei, & est idem finis: sic in proposito. Quare eodem sacrificii nomine significabimus modò rem ipsam oblatam, & modò ipsam oblationem, sine discrimine. Est autem duplex sacrificium. Vnum visibile; qualia erant sacrificia & pecudes immolatæ in lege veteri; Alterum inuisibile: cuius signum est ipsum visibile; quod est multo perfectius & per se gratum Deo. De vtroque sacrificio loquebatur propheta Psalm. 50. quando dicebat. Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quo loco, id est ponderandum, quod vbi dixit vates, Deum nolle sacrificium, ibi etiam ostendit illum velle sacrificium, vt differentiam visibilium illorum, & inuisibilis sacrificii significaret. Non enim vult Deus sacrificium trucidati pecoris: sed per se vult sacrificiũ contriti cordis. Et alibi in persona Dei: si esuriero, nõ dicã tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid mãducabo carnes taurorũ, aut sanguinẽ hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Et apud Michæam cap. 6. dubitanti atque hæsitanti homini, & dicenti. Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Respondit Dominus. Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Et ad Hebræos 13. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Ex quo infertur, quod quando Christus apud Matthæum capitulo nono dixit, Misericordiam volo & non sacrificium, nihil aliud quam sacrificium sacrificio prætulit, scilicet, sacrificium inuisibile sacrificio visibili: illud enim quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii, quod est misericordia. Et certè qui virtutum actus negaret esse sacrificia, non videretur intelligere, quod viuat in lege spiritus. Vnde Philo in libro de profugis dicebat, perfectæ & inculpatæ victimæ virtutes sunt & operationes his congruentes, quas Ægyptium corpus affectibus obnoxium abominatur. Vnde scriptum est: Abominationes Ægypti sacrificemus Domino? Et quidem esset plurimum à ratione alienũ affirmare, quod fœnum, & aliæ herbæ, quas, teste Theophrasto, offerebant antiqui, & pecudes etiam ac earum cruor immolata essent sacrificia; laus verò Dei, misericordia, patientia, effusio sanguinis pro Christo non sint sacrificia cum & per se grata sint, & oblata Deo. De martyribus non est dubium, quod gratissimum Deo obtulerunt sacrificium, mortem fortissime perferentes in eius honorem. Et sic verè, & propriè Eleazarus pro patriis legibus moriens gratissimum sui ipsius obtulit sacrificium. Imò & ipse homo Dei nomine consecratus, & Deo deuotus, inquantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est; & cum corpus nostrum per temperantiam eo fine castigamus; vt non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis, sed arma iustitiæ Deo sacrificium offerimus. Ad quod nos adhortans Apostolus ad Romanos 12. inquit. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Si ergo corpus, quo tanquã famulo inferiori, vel instrumento vtitur anima, sacrificium est, cum eius bonus & rectus vsus refertur ad Deum, quantò magis anima ipsa cum se refert ad Deum, vt igne amoris eius accensa ei incommutabili formæ subdita reformetur, sacrificium erit? Atque ex his efficitur, vt tota ipsa redempta ciuitas, hoc est, congregatio societasque sanctorum vniuersale sacrificium appelletur, quod offertur Deo per sacerdotem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, secundum formam serui, vt tanti capitis nos efficeret corpus. Colligimus ergo ex dictis, quod, quia sacrificiũ est id, quod offertur Deo ad reuerentiã ipsius, & ad placandũ ipsum, verè, & catholicè dicendum est, loquẽdo de lege spiritus, quod eius altare est cor nostrũ, cũ illud sursum habemus ad Dñm. Cruẽtas autẽ victimas ei cædimus, quando vsq; ad sanguinẽ pro eius fide, & honore certamus. Et tunc suauissimũ adolemus incẽsum, quãdo in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus. Et tunc ei dona eius, & nos ipsos vouemus, & reddimus quando in ara cordis hostias

Sacrificiũ duplex visibile & inuisibile.

Psal.49.

Exod.8.

Ad Hebr.

sacri-

sacrificamus, obedientiæ, humilitatis, & laudis. Verum est tamen, quod quia homines assueti visibilibus visibilia primò nominãt. Et quia in rebus visibilibus nulla inuenitur alia ratio boni honesti, nisi qua sacrificia sunt, & in honorem Dei referuntur, idcirco ista corporea, & visibilia obtinuerunt nomen sacrificii: Sed si illa dicuntur sacrificia, quæ aliam rationem boni, & accepti Deo non habent, nisi, quia ad eius honorem assumuntur quantò magis sancta, & honesta vita, laus Dei, & strenuæ virtutis actus, ad eum finem relata sacrificia erunt? Et hæc dicta sint, vt fidelibus veram, atque perfectã rationem sacrificii declaremus. De quo vidẽdus est Diu. Augustinus libro 10. de Ciuita. Est autem summa huius doctrinæ, quod quia sacrificium exterius dicitur tale in ordine ad interius, & vt ità dicam, denominatiuè, & extrinsecè, multò magis interius ipsum opus erit dicendum sactificium: & sic de vtroque est intelligendus loqui D. Thom. in hoc articulo.

Dubiũ circa conc. D. Tho.

¶ Sed circa conclusionem, qua dicit esse de lege naturæ, offerre Deo sacrificia, est difficultas, vtrùm vera sit? Ad cuius explicationem aduertendum est primò ex Diu. Thoma 1. 2. quæstione 91. per totam, quod quãuis tota rerum vniuersitas regatur ordine diuinæ prouidentiæ, tamen, quia homo liber est, & rationis compos, peculiari quadam ratione accepit à Deo quandam facultatem gubernandi & dirigendi se in finem: qui duplex est, vnus naturalis, alter supernaturalis.

Leges sunt in multiplici differentia.

¶ Secundo est aduertendum, quod cùm lex sit quædam ordinatio rationis, & hæc considerari possit multipliciter, scilicet, vel prout est in eo, qui regit, vel prout est in iis, quæ reguntur: & item, vel vt continet aliqua tanquam principia, vel prout ex principiis colliguntur conclusiones; & tandem prout est ad finem naturalem, vel prout est ad finem supernaturalem; ex parte horum omnium legum diuersitas potest desumi, vt latè docet Diuus Thomas loco citato. Ex quo fit, vt leges sint multiplices. Prima est ipsa ratio diuinæ prouidentiæ in Deo existens, qua res vniuersæ gubernantur, quæ quia in Deo est ab æterno dicitur lex æterna. Altera est illa eadem ratio diuina, quatenus est in homine, quæ quia est quædam participatio, & impressio diuinæ gubernationis indita mentibus eorum, qui gubernantur, appellatur lex naturalis, & dirigit ad bonum naturale. Tertia lex est quædam ordinatio rationis ex naturali lege per discursum, & syllogismos probabiles collecta, appellaturque lex humana, & ciuilis, quia humano ingenio comparatur, & ordinatur ad bonum ciuile. Leges enim ciuiles sunt velut conclusiones ex principiis naturalibus collectæ. Quarta lex est, quædam diuinæ mentis ordinatio, dirigens hominem ad finem supernaturalem. Et hæc appellatur diuina lex, diuiditurque in nouam, & veterem. Et quia ex hac lege diuina homines eliciunt probabiles conclusiones practicas, pertinentes & dirigentes ad eundem finem, inde existit alia lex humana, quæ dicitur Ecclesiastica. Et sic in summa sunt sex legum differentiæ. Prima est lex æterna, & ratio gubernationis, existens in Deo. Secunda est naturalis; & est ratio gubernationis impressa mentibus hominum. Tertia est diuina; & est ratio gubernationis excogitata à Deo, dirigensque hominem in finem supernaturalem. Et hæc est duplex, scilicet, noua & vetus. Vltima lex est humana, & est ratio gubernationis deducta ex principiis, vel naturalibus, vel à Deo reuelatis. Si ex naturalibus, est lex humana ciuilis, si ex principiis reuelatis est lex humana Ecclesiastica. Nonnulli addunt ad has aliam, quam appellant legem fomitis, & est inclinatio potentiæ sensitiuæ in suum obiectum. Cæterum hæc reduci potest ad legem naturalem, estque à Deo, vel directè, vel indirecte. Directè quidem, si consideretur inquantum est inclinatio in suum obiectum. Indirectè verò, si consideretur, inquantum anteuertit rationem, illique repugnat. Hac enim ratione procedit à Deo indirectè, tanquam à remouente prohibens, scilicet, institiam originalem, quod hominis culpa factum est.

Lex fomitis reducitur ad naturalem.

¶ Tertio est aduertendum, quod vt docet Diuus Thomas prima secundæ quæstione 94. articulo primo. Lex naturalis nihil aliud est, quam quoddam iudicium practicum, ac dictamen per se notum, quod ratio de agendis constituit, vt non furandum, non mœchandum, dicuntur autem hæc dictamina per se nota, non quia intellectus noster practicus non indigeat aliqua vi & facultate sibi superaddita ad illa cognoscenda, sed, quia non eget aliorum cognitione vt hæc cognoscere possit: Nam quemadmodum in intellectu speculatiuo ad cognoscenda prima principia speculatiua, ponimus quemdam habitum inditum à natura, qui dicitur intellectus: ità ad cognoscenda prima principia practica ponitur alius habitus in intellectu practico, qui appellatur synderesis; cuius proprium munus est inclinare intellectum

Lex naturalis quid sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lectum ad assentiendum primis principiis practicis. Nec iste habitus est lex naturalis, sed potius ipsæ propositiones practicæ, ad quarum iudicium inclinat, dicuntur lex naturalis. Si quando autem legatur synderesim esse legem intellectus nostri, vt dicit Diuus Basilius, non est intelligendum, quod sit lex per essentiam, sed quod dicitur lex, quia est habitus continens prima principia practica, quæ dicuntur, lex naturalis, vt docet Diuus Thomas prima secundæ quæstione 94. articulo primo ad secundū. Ex dictis infertur, legem naturalem non esse essentialiter habitum; Nam est essentialiter iudicium rationis & propositio practica; iudicium autem non est essentialiter habitus, sed actus. Cæterùm dicetur habitus improprie, inquantum continetur in habitu synderesis. Nam, quia cessante actu iudicandi, adhuc remanet in natura facultas ad habendum summa facilitate eadem iudicia practica, quotiescunque opus fuerit, & sic dicuntur illa iudicia habitualiter manere in nobis, quasi contenta in virtute synderesis, sit, vt lex naturalis, quamuis essentialiter sit actus, dicatur tamen habitualiter in hominibus manere quocunque actu cessante.

Lex naturalis non est habitus sed actus.

Quæstio.

¶ Si quis autem quærat, vtrùm hæc lex naturalis plura præcepta contineat, vel vnum tantum, respondeo, quod quemadmodum in motibus est necessarium ponere vnum principium mouens, non motum, cuius virtute cætera moueantur, ità etiam in discursu intellectus, qui quidam motus est, necessarium est ponere vnum primum principium per se notum, cuius virtute reliqua cognoscantur. Et hoc in intellectu speculatiuo, est: Quodlibet est, vel non est, vel impossibile est idem simul esse, & non esse, vt docet Aristoteles quarto Metaphysic. textu nono. & in intellectu practico bonum est sequendum, & malum fugiendum, vt docet Aristoteles primo Ethicorum capitulo primo. Sed vltra istud principium vniuersale, quod est primum præceptum legis naturæ, inueniuntur plura alia magis particularia, quæ circa determinatas materias versantur, quæ vt certo ordine explicentur aduertendum est, in homine esse tres gradus vitæ iuxta quorum quodlibet habet à natura propria & particularia præcepta. Primus gradus communis est homini, & aliis viuentibus, & dicitur vegetabilis, ad quem naturaliter sequitur inclinatio se conseruandi. Vnde in homine existit præceptum naturale huic inclinationi conforme de conseruanda vita, & fugienda morte. Cæterum, quia in homine sunt alia genera viuendi, præstantiora vegetabili ex vi huius præcepti non tenebitur seruare vitam vt summum bonum, sed vt fundamentum vitæ honestæ, ac bonæ operationis. Ex quo fit, vt homo interdum teneatur oppetere mortem, si ad vitam honestam conseruandam opportunum esse videatur. Ex vi etiam dicti præcepti, tenetur homo sumere cibum, & vti indumentis, & medicamentis quatenus hæc omnia ad conseruandam vitam sunt necessaria. Secundus gradus vitæ est communis homini cum brutis: & dicitur animalis; ad quem naturaliter sequitur inclinatio conseruandi propriam speciem. Vnde in homine ob istam causam est præceptum naturale de propaganda specie ea ratione, qua hominem decet. Et quia per concubitum vagum, nec proles suscipi, nec species propagari potest, fit, vt à natura dimanet naturale præceptum de matrimonio. Ex quo sequitur simplicem fornicationem esse contra legem naturæ. Et quia quemadmodum natura inclinat animalia ad suscipiendam prolem: ità etiam ad alendam susceptam, fit, vt existat aliud præceptum naturale de educandis filiis, & rectè instituendis. Ex quo præcepto rursus infertur primò, matrimonia iure naturæ esse indissolubilia. Nam si pro arbitratu dissoluerentur, nec commodè educari, nec rectè institui posset proles suscepta. Infertur secundò, parentes debere prouidere filiis suis, & illis thesaurizare, iuxta illud Pauli secundo ad Corinth. 12. Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Est tamen aduertendum, quod hoc præceptum de propaganda specie, quantum ad aliquid est affirmatiuum; & quantum ad aliquid negatiuum. Est affirmatiuum inquantum præcipit speciei propagationem fieri. Et hac ratione solum obligat pro tempore necessitatis, quod est quando esset periculum, quod species humana periret, vel quando erant rari homines. Est autem negatiuum, inquantum prohibet ne aliquis faciat contra generationem. Et hac ratione obligat semper, & pro semper. Tertius gradus vitæ, quem homo viuit, est rationalis, & est omnium præstantissimus, constatque operibus intellectus, & voluntatis, & societate cum aliis. Et secundum hunc gradum vitæ sunt in homine plura præcepta naturalia. Nam primò ex parte intellectus præcipit natura, quod homo discat ea, quæ necessaria sunt ad rationabiliter viuendum. Et ex parte voluntatis quod diligat Deum super omnia, & omnia alia propter Deum, & denique, quòd in omnibus operibus ratio sensibus imperet. Ex parte verò societatis præcipit, quòd nullus, quod sibi non vult alteri faciat. Hoc enim est fundamentum iustitiæ, qua societates conseruantur. His suppositis manifestè patet, qualiter præcepta legis naturalis numero sunt plura, quanuis omnia contineantur sub illo præcepto vniuersali: Bonum est amandum, & malum fugiendum. Dico tamen, quòd quanuis lex naturalis contineat plura præcepta, dicetur vna lex duplici de causa. Primò: Quia illa omnia procedunt ab vno principio, scilicet, ratione. Secundò: Quia ordinantur ad vnum finem; & sic propter vnitatem principij & finis lex dicitur vna. Ex dictis infero primò, quòd non solum sunt de lege naturæ ea, quæ sunt prima, & immediata principia; sed etiam illa, quæ ex primis eduntur per euidentem consequentiam. Infero secundò, quòd quemadmodum in conclusionibus scientiarum sunt plures gradus, & illæ habentur potiores, quæ propiùs accedunt ad sua principia: ità etiam in præceptis naturalibus, quæ propius accedunt ad primum principium, dicentur magis pertinere ad naturam. Infero tertiò, quòd omnes actus virtutum, generali ratione, in quantum sunt conformes rationi, sunt de lege naturæ. Nam sunt secundum inclinationem naturalem hominis, qua homo est, cum sint conformes animæ rationali, quæ est propria forma hominis, & vnumquodq; naturaliter inclinatur ad operationem conuenientem sibi, secundum propriam formam, vt ignis ad calefaciendum, &c. Hæc est ratio Diui Thomæ. 1. 2. quæstione. 94. articulo tertio, qua probat omnes actus virtutum esse de lege naturæ. Dixi notanter, generali ratione, inquantum sunt conformes rationi. Nam, si considerentur actus virtutum inquantum respiciunt particularia obiecta, & continentur in proprijs speciebus; non est necesse, vt omnes sint de lege naturæ, cum plures hac ratione pertineant ad virtutem ex sola dispositione legis humanæ, quæ præcipit eos fieri, tanquam conuenientes ad bene viuendum, vt docet idem Diu. Thom. loco citato. Infero quartò, quòd sacrificare, qui est actus religionis virtutis præstantissimæ, etiam est de lege naturæ, vt dicit Diuus Thomas in præsenti articulo. Et sic eius conclusio cum sua ratione adeo est lumine naturali nota, vt nulla vnquam fuerit natio, quæ Deum non coluerit, sacerdotesque habuerit, & sacrificia. Hæc enim omnia paria semper fuerunt reputata. Et sunt illa, in quibus omnis recte institutum respublica consistit. Cum quilibet reipublicæ institutor, primum illico scopum, quem oculis ciuium præfigere consueuerit, fuerit Deus, quem populus veneraretur, & à quo subsidia posceret, ac mox sacrificia instituere, quibus coleretur, deinde condere leges eidem religioni congruas, ac denique magistratus penes quos ista esset legum custodia. Sic enim Liuius tradit Numam illum secundum Romanorum Regem, rempublicam instituisse. Vnde Aristot. sexto Ethicorum, capite vltimo, inter magistratus, sine quibus respublica constare nequit, sacerdotes connumerat, qui publicis sacrificijs addici debeant, & quorum præsidentes interdum Reges sacrorum, & interdum Pontifices maximi, dicuntur. Et idem repetit libro. 7. capit. 8. Vbi in primo magistratuum gradu eosdem collocat sacerdotes. Et libr. 8. capit. 9. ad rationem nostræ conclusionis alludens, dicit, sacrificia vetusta post perceptionem frugum fuisse fieri solita. Et si historias tam nostras, quam profanas perlustres, statim ab orbe condito inuenies, Abel, Noe, ac Melchisedech in lege naturæ oblationes, & sacrificia obtulisse, & ante legem datam Abraham, & Iacob. Et in sacra denique historia Genes. 47. sacerdotum Ægyptiorum extat memoria, qui erant regalibus priuilegijs insignes. Et si quis contra hoc argumentetur, Quæ sunt iuris naturæ, cunctis sunt mortalibus communia, sed sacrificia Deo offerre, non fuit semper vniuersis mortalibus commune, & vnum, Abel nanque legitur obtulisse de grege suo, Cain verò de terræ fructibus, & Melchisedech, vt Genes. 14. dicitur, panem & vinum obtulit; alij autem alia animalia: ergo sacrificiorum oblatio non est de iure naturæ. Respondetur sacrificiorum oblationem, si eam in genere mediteris cunctis fuisse semper gentibus communem. Cæterum, quòd his, aut illis vterentur, constitutiones fuerunt humanæ, pro diuersitate cognitionis, quam vnaquæque gens attingebat de Deo, adinuentæ. Hac enim ratione dicunt Doctores, sequuti Diuum Thomam 1. 2. quæstione. 93. artic. 2. humanas leges à naturali deriuari per modum determinationis generis ad species. Quia est lex naturæ, verbi gratia, quòd malefactores supplicio plectantur; cæterū, quòd hoc, aut illo, lex

In homine tres gradus vitæ inueniuntur. Præcepta naturalia quæ sequūtur gradū vegetabilē.

Præcepta naturalia quæ sequūtur gradū sensitiuum

Præcepta naturalia quæ sequūtur gradū rationalē.

Respōsio.

Argum.

Respōsio.

1. Corolla.

2. Corolla.

3. Corolla.

4. Corolla.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanxit humana, secundum cuiusque nationis ingenium. Et idem est dicendum de cultu, & sacrificijs.

ARTICVLVS II.

¶ Vtrum soli Deo sit sacrificium offerendum.

1.2.q.102. art.3. cor. & 3.q.48. art.3. cor. & 3. cõtra c.120. fin. Et Psa.28. co. 2. Et Ro. 1. lect. 7. fin.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd non soli summo Deo sit sacrificium offerendum. Cùm enim sacrificium Deo offerri debeat, videtur quòd omnibus illis sit sacrificium offerendum, qui diuinitatis consortes fiunt. Sed etiam sancti homines efficiuntur diuinæ naturæ cõsortes, vt dicitur. 2. Petr. 1. Vnde & de eis in Psalm. 81. dicitur. Ego dixi, Dij estis. Angeli etiam filij Dei nominantur, vt patet Iob. 1. ergo omnibus his debet sacrificium offerri.

2 ¶ Præterea, Quanto aliquis maior est, tanto ei maior honor debet exhiberi. Sed Angeli & sancti sunt multo maiores quibuscunque terrenis Principibus, quibus tamen eorum subditi multo maiorem honorem impendũt, se coram eis prosternentes, & munera offerẽtes quàm sit oblatio alicuius animalis, vel rei alterius in sacrificium: ergo multo magis Angelis & Sanctis potest sacrificium offerri.

3 ¶ Præterea, Templa & altaria instituuntur ad sacrificia offerenda. Sed templa & altaria instituuntur Angelis & sanctis: ergo etiam sacrificia possunt eis offerri.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Exod. 22. Qui immolat Dijs, occidetur præter Domino soli.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum * est, oblatio sacrificij fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius: interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo, secundum illud Psalmistæ. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Quia sicut suprà * dictum est, exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis. Secundum autem veram fidem solus Deus est creator animarum nostrarum, vt in primo habitum * est. In solo etiam eo animæ nostræ beatitudo consistit, vt suprà dictum * est: & ideò sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ità etiam soli ei debemus offerre exteriora sacrificia. Sicut etiam orantes atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus offerimus, vt Augustin. * dicit. 10. De Ciuitate Dei. Hoc etiam videmus in omni republica obseruari, quòd summum rectorem aliquo signo singulari honorant: quod cuicunque alteri deferretur, esset crimen læsæ maiestatis. Et ideo in lege diuina statuitur pœna mortis his qui diuinum honorem alijs exhibent.

Ar. præc.

Qu. 84. ar. 2. & q. 81. art. 7.

Qu. 118. art. 2.

1.2.q.2. & 3. art. 8.

L. 10. c. 19. paulo à prin. to. 5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd nomen diuinitatis communicatur aliquibus non per æqualitatem, sed per participationem, & ideo nec æqualis honor eis debẽtur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in oblatione sacrificij non pensatur pretiũ occisi pecoris, sed significatio, qua hoc fit in honorem summi rectoris totius vniuersi. vnde sicut * Augustin. dicit. 10. de Ciuit. * Dei. Dæmones non cadauerinis nidoribus, sed diuinis honoribus gaudent.

L. 20. contra Faust. c. 21. to. 6. Lib. 10. de ciu. Dei c. 19. nũ prec. circ. à fi. to. 5.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Augustin. * dicit. 8. de Ciuit. Dei. Non constituimus Martyribus templa sacerdotalia: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Vnde sacerdos non dicit, Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victorijs gratias agimus, & nos ad imitationem eorum exhortamur.

Lib. 8. cap. vltim. in prin. to. 5.

SVMMA TEXTVS.

SVppositò, quòd oblatio sacrificij fit ad aliquid significandum, & quod sacrificium, quod offertur exterius significat sacrificium spirituale interius, quo anima seipsam offert Deo, actus enim exteriores religionis ordinantur ad interiores, vt ex suprà dictis patet; respondet D. Th. ad propositam difficultatem vnica conclusione: qua

tie: quà dicit, soli Deo esse offerendum sacrificium. Et probatur in argumento sed contra, ex illo Exod. capit. vigesimo secundo. Qui immolat dijs occidetur, præter Domino soli. In corpore autem articuli, hac ratione. Anima offert se Deo in sacrificijs interioribus tanquam principio suæ creationis, & fini suæ beatitudinis, cùm ipse solus sit creator animarum nostrarum, & in eo solum beatitudo nostra consistat: ergo sicut ipsi soli sacrificium spirituale offerimus: ità etiam eidem soli sacrificia exteriora offerre debemus, cum sacrificia exteriora ordinentur ad interiora, & illa significent. Et confirmatur exemplo, quod inter homines cernimus. Regi enim summo reipublicæ capiti semper dicati sunt honores, quos alteri inferiori deferre crimen est læsæ majestatis. Debet enim præ ciuibus in ea esse excellentia, vt ei quempiam exequare nefarium sit.

Non omnis oblatio est sacrificium

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli operæpretium erit, vt explicemus quid nam sit illud, quod verè & propriè appellatur sacrificium. Nonnulli Theologi rem exactè non expendentes, dicunt, Sacrificium esse oblationem sacratam Deo, tanquam vniuersali omnium Domino. Vel aliter: Sacrificium est peculiariter Deo dicatum oblatum, & nuncupatum. Sed prædicti autores pro eodem accipiunt oblationem Deo sponte factam, & sacrificium, cum tamen non omnis oblatio sacrificium sit, vt constat ex Paulo ad Hebr. 5. dicente; Omnis pontifex constituitur, vt offerat dona & sacrificia. Quibus verbis apertè innuit discrimen inter oblationes factas Deo, quas appellat dona, & sacrificia. Et ad Hebr. 8. Omnis pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur. Quare D. Chrysost. in Homilia quadam super Epistolam ad Hebræos exponens illud; Sacrificium & oblationem noluisti, expresse dicit: non omnem oblationem esse sacrificium. Quod vel ex eo solum efficaciter probatur, quòd cùm animalis viui, iuxta legis præscriptum, fiebat oblatio, nunquam hæc, aut hostia, aut sacrificiũ fuit appellata. Alioqui dicendum esset, quòd filij à Iudæis in sacrificium immolabantur quando, post purificationis exremonias, illos Domino offerebant, quod est absurdissimum. Quocirca his sacrificij diffinitionibus omissis, dico integram, atq; perfectam sacrificij diffinitionem esse, quòd est oblatio sacra soli Deo facta, circa quam aliquid exercetur. In qua diffinitione primò omnium asseritur, esse necessarium ad rationem sacrificij, vt sit oblatio, & non quæcunque, sed sacra. Sacrificium enim, vt nomen præsefert, & vt docet Gregorius in capit. multi. 12. quæst. 1. dicitur quasi sacrum factum in reuerentiam, & cultum Dei. Dicitur præterea, soli Deo facta. Nam multæ sunt cæremoniæ sacræ, & religiosæ in cultum Dei, & hominum adhibitæ. Colimus enim & Deum, & sanctos. Cæterùm solum dicitur sacrificium illud, quod vni Deo offertur, quod expressè docet D. August. lib. 10. de Ciuitate capit. 4. & contra aduersarium legis, & Prophetarum lib. 1. cap. 18. & Concilium Tridentinum, sessione. 22. in doctrina de sacrificio Missæ. capit. 3. Sed quid opus est hanc veritatem tot testimonijs probare, cum habeatur expressè Acto. 14. Vltimum, quòd requiritur ad veram rationem sacrificij, est, quòd aliquid circa res oblatas exerceatur, ipsas, scilicet, conficiendo, consumendo, conterendo, frangendo. Tunc enim solum habet oblatio rationẽ sacrificij, propter quod & immolatio dicitur, quando aliquid istorum exercetur, vt docet D. Tho. artic. sequenti ad. 5. & quæst. 86. artic. 1. & Theophylactus ad Hebr. 8. & D. Chrysost. Hom. 18. in Epistolam ad Hebr. Estque hæc doctrina satis consona diuinis literis: in quibus tunc sacerdos vere sacrificium facere dicebatur, quando circa rem, quam offerebat aliquid sacri faciebat. Vt si animalis fundebat sanguinem, si thus ardere faciebat; si conterebat frumentum; si oleo similam conspersam frigebat in sartagine; vt patet ex Leuit. capit. 2. & 6. & lib. Num. cap. 5. & ex lib. 2. Parali. cap. 28. Rectè ergo tunc dicitur esse sacrificium, quando circa rem, quæ Deo offertur, aliquid fit, quo res ipsa quodammodo sacra cõficitur; quæ est doctrina D. Thom. 3. par. quæst. 48. art. 3. Sed est aduertendum ex eodem Diuo Thoma ibidem, in solutione ad. 3. & ex Domino Caietano explicante eandem solutionem, quòd iuxta diuersam sacrificij naturã, diuersimodè etiam inuenitur facere sacrum. Nam in sacrificijs, quæ consistunt in actione inuenitur facere sacrum ad extra, vt patet in sacrificijs animalium. At verò in sacrificijs, quæ consistũt in passione, inuenitur facere sacrum secundũ actionẽ interiorẽ, qua sponte quisq; offert Deo suum pati. Et sic Christus fecit sacrum in sua passione, quæ sacrificium quoddam fuit, actione interiori. Occisores autem eius fecerunt actione exteriori, non sacrum, sed maximum sacrilegium. Ex dictis infertur sacrificium

Universidad de Deusto
Biblioteca

propriè dictum soli Deo esse offerendum; quod & docet Paulus ad Romanos primo: Vbi impudentissimam Gentium idololatriam reprehendit, aràsque eorum & lucos, ac nefarios sacrificia abominatur: quia cum illi honores essent soli Deo debiti, infimis creaturis impendebantur. Idem etiam dicit Diuus Augustinus libro decimo de Ciuitate, capite quarto, & sequentibus. Itaque hæc sententia adeò vera, vt nec Ethnici quidem censuerint vlli alij, quam ei, quem Deum, aut sciuerint, aut putauerint, esse sacrificandum. Vnde non ob hoc culpantur, quòd sacrificia fecerint, sed quia hæc, non secundum inspirationem, atque doctrinam veri Dei, sed secundum adinuentiones proprias, non vero Deo, sed idolis exhibuerunt. Nec dæmonia sibi sacrificium fieri expeterent, nisi id soli vero Deo deberi scirent. Falsus enim Deus sic vult ab ijs, quos decipit, honorari, sicut verus Deus ab ijs, quibus consulit, honoratur. Et si quis quærat, quæ nam sit causa, propter quam Deus ab homine sacrificium tanquam sibi propriè debitum requirat; respondeo ex naturali ratione procedere, vt homo, qui ex sensibilibus cognitionem accipit, quibusdam rebus sensibilibus vtatur offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis, & honoris, secundum similitudinem illorum, qui Dominus suis aliqua offerunt in recognitionem dominij. Naturalis enim ratio dictat, vt propter defectus, quos in seipso sentit homo, subdatur alicui, à quo possit dirigi, in quibus eget, & sic ei honorem, & subiectionem exhibeat, quod pertinet ad rationem sacrificij, vt dixit Diuus Thomas articulo præcedenti. Itaque sacrificium est cultus latriæ, hoc est, seruitutis, & subiectionis, quæ soli Deo debetur. Illumque à nobis non ideò Deus exposcit, quia sacrificijs nostris indigeat; Deus enim bonorum nostrorum non eget, vt testatur Propheta Psalm. 15. sed gratia significationis, vt, scilicet, exterioribus rebus vera cordis sacrificia expromeremus. Est enim sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum, hoc est, sacrum signum, vt dicit Diuus Augustinus loco citato. Interna autem sacrificia protestationes esse debent, quibus profiteamur Deum, esse vnum à quo salus nostra, totaque rerum summa, ac demum suprema nostra fœlicitas pendet. Quare cum peccamus, confitentes cum propheta ei soli peccasse, corda nostra conterimus, & contribulamus, atque orationes ei, veluti suauissimum incensum adolemus. Cuius interioris sacrificij signa erant illa, quæ sub antiqua lege in victimis, atque incenso offerebantur. Et si quis obijciat: Deiparæ Virgini, cæterisque diuis, in more nobis est, munera offerre, locaque habere designata, in quorum deuotionem diuersis sanctis nos ipsos nostraque offerimus, atque etiam illi sub forma sacrificij; nam & sanctis thura adolemus, & cereos incendimus, reliquaque facimus, quæ sacrificij imaginem præ se ferunt, ergo vel falsum est dicere, quòd soli Deo sacrificia sunt offerenda, vel ritus atque mos, qui inter Christianos seruatur, est malus, atque culpabilis; Respondetur illa non esse sacrificia, sed meras oblationes. Verum enim sacrificium altaris soli Deo offerre fas est. Propter quod Diuus Augustinus libro octauo, de Ciuitate dicebat: Non constituimus martyribus templa sacerdotalia, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Vnde sacerdos non dicit, Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule. Sed Deo dicimus, Accipe oblationem, quam tibi offerimus. Sanctorum autem memoria fit in missa. Tum, quia de eorum victorijs Deo gratias referimus. Tum etiam, quia eos oratores, atque intercessores nostros apud eundem Deum nostrum constituimus. Simplicia etiam munuscula, quæ sanctis offerimus in Dei laudem, & honorem referimus: qui in sanctis suis laudari amat, quatenus eius sunt filij ad æternam iam hæreditatem recepti, quemadmodum, & quo regia famulos honore dignaris, regem ipsum colis. In summa, sicuti sanctos sola duliæ adoratione colimus, non latriæ; & oratione pulsamus non vt nostri misereantur, sed vt pro nobis orent: sic etiam oblationes eis facimus non sacrificia.

Cur Deus ab homine sacrificia requirat.

Obiectio.

Solutio.

Qualiter sanctis oblationes offerantur & non sacrificia.

Articvlvs III.

¶ Vtrùm sacrificiorum oblatio sit specialis virtutis actus.

Ad Tertium sic proceditur. Videtur, quòd oblatio sacrificij non sit specialis actus virtutis. Dicit* enim Augustin. 10. de Ciuitate Dei. Verum sacrificium est omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo. Sed omne opus bonum non est specialis actus alicuius determinatæ virtutis: ergo oblatio sacrificij non est specialis actus determinatæ virtutis.

* L. 10. c. 6. in prin. to. 9.

2 ¶ Præ-

2 ¶ Præterea, Macerátio corporis quæ fit periciunium, pertinet ad abstinentiam: quæ autem fit per continentiam, pertinet ad castitatem: quæ autem est in martyrio, pertinet ad fortitudinem: quæ omnia videntur comprehendi sub sacrificij oblatione, secundum illud Roman. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem. Dicit etiam Apostol. ad Hebræos vltim. Beneficentiæ & communionis nolite oblinisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Beneficentia autem & communio pertinent ad charitatem, misericordiam, & liberalitatem: ergo sacrificij oblatio non est specialis actus determinatæ virtutis.

3 ¶ Præterea, Sacrificium videtur, quod Deo exhibetur. Sed multa sunt quæ Deo exhibentur, sicut deuotio, oratio, decimæ, primitiæ, oblationes, & holocausta: ergo sacrificium non videtur esse aliquis specialis actus determinatæ virtutis.

¶ Sed Contra est, quòd in lege specialia præcepta de sacrificijs dantur, vt patet in principio Leuit.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut supra* habitum est, quando actus vnius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis, participat quodammodo speciem eius: sicut cum quis furatur vt fornicetur, ipsum furtum accipit quodammodo fornicationis deformitatem, ità quòd si etiam alias non esset peccatum, ex hoc iam peccatum esset, quòd ad fornicationem ordinatur. Sic ergo sacrificium est quidam specialis actus laudem habens ex hoc, quòd in diuinam reuerentiam fit, propter quod ad determinatam virtutem pertinet, scilicet, ad religionem. Contingit autem & ea quæ secundum alias virtutes fiunt, in diuinam reuerentiam ordinari: putà cum aliquis eleemosynam facit de rebus proprijs propter Deum, vel cum aliquis proprium corpus alicui afflictioni subijcit propter diuinam reuerentiam. Et secundum hoc etiam actus aliarum virtutum sacrificia dici possunt. Sunt tamen quidam actus, qui non habent ex alio laudem, nisi, quia fiunt propter reuerentiam diuinam. Et isti actus propriè sacrificia dicuntur, & pertinent ad virtutem religionis.

* 1. 2. q. 18. art. 6.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd hoc ipsum quòd Deo quadam spirituali societate volumus inhærere, ad diuinam reuerentiam pertinet. Et ideo cuiuscunque virtutis actus rationem sacrificij accipit ex hoc quòd agitur, vt sancta societate Deo inhæreamus.

¶ Ad secundum dicendum, quòd triplex est hominis bonum. Primum quidem est bonum animæ quod Deo offertur interiori quodam sacrificio per deuotionem, & orationem, & alios huiusmodi interiores actus. Et hoc est principale sacrificium. Secundum, est bonum corporis quod Deo quodammodo offertur per martyrium, & abstinentiam seu continentiam. Tertium, est bonum exteriorum rerum de quo sacrificium offertur Deo: directe quidem, quando immediate res nostras Deo offerimus: mediate autem, quando eas communicamus proximis propter Deum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur: quòd panis frangitur, & comeditur, & benedicitur: & hoc ipsum nomen sonat. Nam sacrificium dicitur ex hoc quòd homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directè dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiam si nihil circa ipsum fiat: sicut dicuntur offerri denarij, vel panes in altari: circa quos nihil fit. Vnde omne sacrificium est oblatio, sed non conuertitur. Primitiæ autem oblationes sunt, quia Deo offerebantur, vt legitur Deuteron. 26. Non autem sunt sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat. Decimæ autem propriè loquendo

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sunt sacrificia, neque oblationes: quia non immediatè Deo, sed ministris diuini cultus exhibentur.

SVMMA TEXTVS.

REspondet D. Thom. ad propositam difficultatem per tres propositiones. Prima conclusio: Sacrificiorum oblatio secundum suam propriam rationem est actus specialis virtutis, nempe, religionis. Probatur: Sacrificium secundum suam propriam rationem habet laudem ex eo, quod in diuinam reuerentiam fit; sed est proprium religionis diuinam reuerentiam respicere: ergo sacrificium secundum suam propriam rationem est actus specialis virtutis, nempe, religionis. Secunda conclusio: Cuncta officia vniuersarum virtutum participatiuè, & ab extrinseco, hoc est, quatenus per religionis virtutem in diuinum honorem, & cultum referuntur, sunt quædam sacrificia. Probatur: Quamuis singulæ virtutes ex suis propriis obiectis sortiantur speciem, & vna sit fortitudo, alia iustitia, alia temperantia, &c. dum tamen per charitatem referuntur in Deum, quandam charitatis speciem participant, non obstante, quòd charitas suum habeat proprium obiectum, atque actum, qui est diligere Deum sub ratione bonitatis eius, ac subinde proximum sub eadem ratione. Et quamuis in vitijs, furtum per se sit peccatum, dum tamen fit propter mœchiã, quandam, inde maculam eiusdem vitij contrahit, vt autor est Aristot. 5. Ethic. Ergo pari ratione, quamuis actus aliarum virtutum proprias habeant species, quando in Dei cultum & honorem virtute religionis referũtur, sacrificiorum rationem erunt dicendi participare. Tertia conclusio: Quædam officia, & actiones sunt, quæ nullam habent aliunde laudem, nisi quod in diuinam reuerentiam, significandi gratia, exhibentur. Et hæc maximè propriè dicuntur sacrificia, pertinentque ad virtutem religionis. Hanc cõclusionem non probat D. Thom. sed illam vt notam relinquit. Poterit tamen manifestari hoc exemplo. Nam eleemosynas erogare, temperatè ac fortiter agere, etiam si per virtutem religionis non fierent sacrificia, essent nihilominus per se actus virtutum. At verò vetus illa animalium occisio, & aspersio sanguinis, pinguedinumque incentio, si significationis ratio semoueatur, nullã per se haberent virtutis rationem. Et ideo hæc peculiariter sacrificia dicuntur, quasi non promerentia aliam laudem, quam religionis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VEritatem huius quæstionis pluris nõ scire refert, propter Lutheranos, quã elapsis temporibus referebat. Negant enim non minus obstinatè, quam impudenter, ali quod esse Ecclesiæ Christi singulare sacrificium, ad certam attinens virtutem, & cultum. Sed dicunt, omnia virtutum officia nihil aliud esse, quam quædam sacrificia. Atq; adeò in Christianismo nullum sacerdotum singularem ordinem dignoscunt: sed aiunt vniuersos Christianos vtriusque sexus promiscuè esse sacerdotes, iuxta verbum Petri qui prima sua canonica, vniuersos fideles, regale sacerdotium appellat. Ac proinde inficiantur, sacrosanctum altaris sacramentum esse sacrificium. Cæterùm, quamuis Lutherus diceret, omnes Christianos esse sacerdotes, affirmabat tamen, nemini licere ea potestate vti, nisi per consensum communitatis: Quia (vt ille ait) quod est omnium communiter, nullus singulariter potest vsurpare, ni si vocetur. Potestas autem hæc, iuxta Lutheri sententiam, primò ad communitatem fuit deriuata, & deinde ab ipsa communitate in eum, qui sacerdotio fungeretur. Est tamen hæc sententia hæretica: quam & falsitatis pluribus conuincere poterimus. Quod vt faciamus, percontari primum oportebit hîc Lutherum, an sacerdotium Euangelicum credat abiectius quid esse, & vilius, quam sacerdotium veteris legis. Nam non puto, illum adeò insanire, vt neget sacerdotium Euangelicum multò præstantius esse sacerdotio Leuitico. Quo supposito argumentor in hunc modum: Sacerdotium veteris legis non fuit adeò abiectum, & vile, vt omnibus sine vlla differentia creditum fuerit. Exodi enim capite vigesimo octauo, legimus Dominum Deum Moysi hæc verba dixisse: Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi, faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Quibus verbis, vt videtis, Aaron, & filij eius segregati ex præcepto Domini dicuntur à tota plebe, vt sacerdotio fungantur coram eo. Cui legi consonat Paulus ad Hebræos septimo quando de Saluatore nostro disserens ait: In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altario præfuit. Manifestum est enim, quòd Dominus noster ex Iuda ortus sit, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses loquutus est. Et sic ex sententia Pauli nullus de tribu Iuda iuxta legis Mosaicè præceptum poterat esse sacerdos.

Hæresis Lutherana de sacrificijs & sacerdotio legis nouæ.

Fundamentum Lutheri.

Impugnatur hæresis Lutherana

Idem

Idem testimonium dedit propheta Samuel contra Regem Saul, qui erat de tribu Beniamin, quando illum grauiter reprehendit, propterea quòd holocaustum, & pacifica Deo obtulerit, sacerdotis officio functus: pœnamque grauissimam illi ob hoc peccatum à Deo decretam manifestauit, sic dicens; Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum. Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum, eo quòd non seruaueris quod præcepit Dominus. In libro Numerorum legimus tribum Leuiticam esse à Domino peculiariter electam ad ministrandum tabernaculo, & filios Caath destinatos ad portanda vasa sacrificij inuoluta ab Aaron, & filijs eius, vt non tangerent ea, ne fortè morerentur. Si ergo tantam reuerentiam Deus præcepit exhiberi vasis sanctuarij, vt non ab alio, quàm à sacerdote tangi possent, quanto maiorem reuerentiam credendum est nos oportere exhibere sanctissimæ Eucharistiæ, vt vasa, quibus illa reconditur, ne dicam ipsammet, non permittamus ab alio, quam à sacerdote contrectari? Si enim tantus honor præstatur vmbræ: nonne iustum est, vt maiorem multò honorem tribuamus corpori? Dathan Chore & Abiron absorpti sunt à terra, & viui descenderunt vsque ad inferos, eo quòd sacerdotale officium vsurpare tentarunt: & ducenti quinquaginta viri illis consentientes ab igne consumpti sunt. Et Oza, quoniam extendit manum ad arcam Dei, & tenuit eam contra suæ sortis conditionem, subitò percussus est à Domino super temeritate sua, & mortuus est statim ibi iuxta arcam Dei, & Ozias Rex Iuda fuit à Domino lepra percussus in fronte, eo quòd sacerdotalis ordinis munus vsurpare præsumpserit, offerendo incensum super altare thymiamatis. Balthasar Rex temulentus bibens ex vasis aureis, & argenteis, quæ Nabuchodonosor pater eius abstulerat de templo Dei, quod erat Hierosolymis, vidit manum scribentem in pariete, Mane, Thecel, Phares, & eadem nocte illo interfecto Darius Medus successit in regno. Si ergo Dominus tantum zelatus est pro figura, quanto magis zelabitur pro veritate? Vmbram non permisit tangi, nisi à solo sacerdote, & corpus permittet contrectari indiscretè à quolibet? Caueant igitur laici Lutherani, & ad Dominum conuertantur, ne fortè sicut Dathan, Chore, & Abiron viuos illos Dominus in infernum conijciat. Potest secundò conuinci falsitas Lutheranæ sententiæ superiùs positæ, ex institutione sacerdotalis ordinis, & tempore, quo sacerdotes fuerunt creati. Nam fuerunt initiati in sacerdotio in cœna vltima, quando Saluator noster cum discipulis suis cœnans dixit illis: Hoc facite in meam commemorationem: & consummati post resurrectionem, quando dixit eisdem; Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, & quorum retinueritis retenta sunt. Sed multo ante illa tempora discipuli erant Christiani, cum essent iam Christum induti per baptismum, nec tamen ante illa tempora erant sacerdotes: ergo in baptismo non efficitur quisque sacerdos (vt Lutherus dicebat) nec est opus, vt eo ipso, quòd aliquis est Christianus potestatem habeat supra corpus Christi verum, & mysticum, hoc est, potestatem consecrandi, & absoluendi, quæ pertinent ad sacerdotium. Et confirmatur ex Paulo primæ ad Timotheum, capite quarto, dicente; Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Vel, (vt Erasmus apertius transtulit) autoritate sacerdotij. Et iterum ad eundem; Vt resuscites, inquit, gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Ex quibus locis duo aduertus Lutherum colligere possumus. Vnum est, quòd Timotheus fuit sacerdos ordinatus à Paulo. Alterum, quòd talis ordinatio fuerit facta per autoritatem sacerdotum, & non (vt Lutherus ait) per consensum plebis. Item ad Titum capite primo, inquit: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Sed si omnes Christiani essent sacerdotes, non esset cur Titus Cretæ relinqueretur ad constituendos presbyteros per ciuitates: ergo. Et est ponderandum, quòd ex solo iussu Pauli, & non ex consensu, aut concessione populi dicitur Titus Cretæ relictus. Sicut ego, inquit Paulus, disposui tibi. Vt etiam ex hoc Lutheranæ sententiæ falsitas cognoscatur. Præterea ad Hebræos quinto, dicit Apostolus; Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, sed certum est, quòd Aaron non à plebe fuit vocatus, aut institutus sacerdos, sed à Deo: ergo nec sacerdotium Euãgelicum, quod præstantius est illo

Num. 4.

Num. 6.

2. Reg. 6.

2. Par. 26.

Daniel. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

à plebe, sed à solo Deo erit derivandum. Pro hac etiam re faciunt verba, quæ post resurrectionem Christus dixit omnibus discipulis in vnum congregatis, scilicet; Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, erunt retenta. In quibus verbis aliqua consideratione digna adnotare oportebit. Primum est, quòd dixit; Accipite Spiritum sanctum. Et non dedit tunc Spiritum sanctum ad operationem miraculorum. Nam huiusmodi donum iam prius illis collatum fuerat tempore, quo ad prædicandum fuerunt missi, iuxta illud Lucæ. 9. Tunc dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt langores curarent. Nec etiam dedit Spiritum sanctum ad sanctificationem illorum, aut ad Ecclesiæ illuminationem: quia hoc modo fuit datus Apostolis in die Pentecostes: ergo dicendus erit datus in die resurrectionis, quia tunc dedit potestatem remittendi peccata. Nam, quanuis remissio peccatorum à tota Trinitate detur hominibus, peculiari tamen quadam ratione tribuitur Spiritui sancto; sicut & peculiariter attribuitur illi bonitas, quæ communis est tribus personis. Potestas autem remittendi peccata est iudiciaria quædam potestas, ad cuius executionem necessarium est, saltem duas esse personas; alteram, quæ sit reus peccatis obnoxius: alteram, quæ sit iudex illum à peccatis absoluens. Et sic inde colligitur, non omnes esse sacerdotes, sed alterum esse sacerdotem, & alterum esse reum. Fortè dicet Lutherus, vtrumque alteri peccata remittere. Sed si res ità se haberet, dicere debuisset Christus; Remittite inuicem, prout Iacobus in sua Cano. capit. 5. orationem commendans, dixit: Orate pro inuicem. Secundum, quod est considerandum in illis verbis est, quòd quando Christus illa dixit, nulla aderat mulier: imò nec alij viri, quam Apostoli. Vt sic conuinceretur, illam potestatem remittendi peccata non omnibus hominibus, sed solis Apostolis, & illis, ad quos postea per Apostolos fuit derivata fuisse concessam. Nam quoties per aliquod signum sensibile diuinitus conceditur aliquod munus illis tantum credendum est fuisse concessum, in quos signum illud ceciderit, & non cæteris absentibus, vt gratia baptismi non conceditur, nisi illis tantum, qui loti sunt aqua, & sacramentum Eucharistiæ ex eo tantum pane, & vino conficitur, super quæ consecrationis verba fuerint prolata. Certum est autem, quòd signum sensibile, per quod potestas illa remittendi peccata fuit tradita, quod fuit flatus Christi, solum cecidit in Apostolos. Dicit enim textus, quòd insufflauit eis dicens: Accipite Spiritum sanctum, &c. Et sic soli Apostoli tunc illam potestatem accepisse sunt dicendi, & inde alij, quibus ipsi, aut Episcopi ipsorum successores eam concesserunt. Et, siquis obijciat, quòd si hoc argumentum aliquid valeret, eo conuinceretur, Thomam vnum de duodecim Apostolis non habuisse potestatem remittendi peccata, atque adeò nec habuisse plenam sacerdotis potestatem, nec fuisse perfectum sacerdotem, quia, vt D. Ioannes testatur, non fuit cum alijs Apostolis, quando Christus illis apparuit, & dixit; Accipite Spiritum sanctum, &c. quibus verbis potestatem remittendi peccata concessit; Hanc difficultatem mouit olim Cyrillus, illique respondet, dicens, omnes duodecim Apostolos fuisse à Deo electos, vt principes essent super omnem terram potestatemque haberent, tanquam illius ministri, remittendi, & retinendi peccata. Et Christus, cuius potentia non præscribitur loco, non indiguit præsentia Thomæ, vt hanc illi potestatem simul cum alijs concederet, & ne illud quod omnibus dare decreuerat, Thomæ etiam quanuis absenti dedit, quando illud alijs omnibus donauit. Nec hoc alicui videri debet difficile, cum certò constet aliud simile in tempore veteris legis præcessisse. Legitur enim Numero. 11. quòd præcepit Dominus Moysi, congregare septuaginta viros ex senibus Israel, vt illis daret Deus de spiritu eiusdem Moysi, ad sustentandum simul cum eo onus populi, quod solus Moyses ferre non poterat. Venit ergo Moyses, & narrauit populo verba Domini congregans septuaginta de senioribus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & loquutus est ad eum auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra requieuerunt. Remanserunt autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit Spiritus sanctus. Nam & ipsi descripti fuerant & non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nuntiauit Moysi, dicens, Eldad, & Medad prophetant in castris. Et statim Iosue filius Nun minister Moysi, & electus è pluribus ait; Domine mi Moyses prohibe eos. At ille; Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis

Explicatur locus Ioan. 20.

Obiectio.

Solutio.

Thomas in absentia accepit potestatem remittendi peccata.

omnis populus prophetet, & det ei Dominus spiritum suum? Si hæc omnia olim contigisse sacra narrat historia, non erit iusta causa dubitandi, Christum Saluatorem nostrum dedisse Thomæ absenti, sed ab eo electo spiritum suum, sicut, & Eldad & Medad absentibus, quia ad hoc electi erant, datus fuit. Nam quos Deus ad muneris alicuius functionem eligit, etiam si absentes eo tempore sint à comitatu & congregatione illorum, quibus munus suum donat, recipiunt tamen illud perinde ac alij. Quia etsi alijs ab eijs absentes sint, Deo tamen, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, & cui nulla est inuisibilis creatura absentes esse nó possunt. Denique poterit conuinci falsitas sententiæ Lutheri ex diffinitionibus conciliorum. Nam concilium Carthaginense quatum præscribit modum, quo aliquis in presbyterum est ordinandus, & si omnes Christiani (vt Lutherus ait) essent sacerdotes, superflua esset talis ordinatio. Et concilium Lateranense, sub Innocentio III. de Sacramento Eucharistiæ loquens, ita diffinit: Et hoc vtique Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus, secundum claues Ecclesiæ, quas ipse concesserit Apostolis, & eorum successoribus Iesus Christus. Habetur hoc decretum in lib. Epistolarum Decretalium sub titulo de summa Trinitate & fid. catho. cap. 1. Concilium etiã Remense cap. 2. in hunc modum dicit: Peruenit ad notitiam nostram, quod quidam presbyteri in tantum parui pendant diuina mysteria, vt latæo, aut fœminæ sacrum corpus Domini credant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committunt, quod quã sit horribile, quamque detestabile omnium religiosorum animaduertit præcellétia. Quibus verbis manifestè significatur, non solum esse interdictam fœminis & laicis corporis Domini consecrationem, sed & eiusdem corporis contactum. Et si dicit esse horribile & detestabile, vt fœminæ, & laici sacrum Domini corpus contrectent, quid dicturum esset concilium, si audiret laicos tentantes idem Domini corpus consecrando conficere? Non est dubium, quin atrociorem puni tionem in eos esset statuisset. Habetur hoc decretum de cons. d. 2. ca. peruenit. Quod ideò præmoneo, quia illius concilij acta non habentur in eo volumine, in quo sunt aliorũ conciliorum decreta congesta per Isidorum.

¶Restat nunc respondere ad fundamentum Lutheri, quod erat desumptum ex prima canonica Petri vniuersaliter de omnibus fidelibus dicentis: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Et dico primo, & si ex illo loco colligeretur, omnes fideles esse sacerdotes, pari ratione etiam colligi posset, quod omnes sunt reges, cum non quælibet sacerdotiũ, sed regale eos appellet: & vigintiquatuor seniores qui figuram tenent iustorum, in Apocalypsi cap 5. clamẽt dicentes; Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Si ergo nihil magis est sacerdos ritè ordinatus, quam quilibet Christianus, quia omnes dicuntur sacerdotes, oportebit similiter eadem ratione, quod nihil magis habeat Rex, quam quilibet Christianus, quia omnes etiam dicuntur Reges. Atque adeo nemo esset Rex Luthero, sicut nemo est illi sacerdos. Imò si propter illa verba Petri, oporteret fateri omnes Christianos esse veros sacerdotes; pari ratione conuinceretur omnes Iudæos fuisse sacerdotes, cũ in Exo. cap. 19. dictum sit à Domino. Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meũ, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Cõ stat autem apertissimè ex eadem sacra scriptura, non omnes Iudæos fuisse sacerdotes, quanuis fuerint à Deo vocati regale sacerdotium. Dico secundo, verum sensum illius loci esse, quod ideò omnes Christiani appellantur à Petro sacerdotes, quia sunt vniti Christo, qui est Rex & sacerdos. Vel aliter, quod dicuntur genus electum, & regale sacerdotium: quia eorum pater videlicet Christus est Rex & sacerdos. Ità exponit hunc locum Didymus Alexandrinus in expositione, quæ eius nomine super septem Epistolas Canonicas, circunfertur. Vbi postquam ostendit, Christum esse Regem, & sacerdotem in hæc verba subiungit. His itaque dispensatis necessarium erat dispersos ab eo, qui simul Rex & sacerdos est, electum esse genus, & regale simul, ac sacerdotale, patre siquidé corũ vtrumq; habente principatũ, necesse est eos tanquã ex Rege regale, & tãquam ex sacerdote, sacerdotale, esse genus.

Ad fundamentũ Lutheri.

¶Explicato iam in Ecclesia constituendum esse singularem sacerdotum ordinem, qui non ad omnes, sed ad eos tantum, qui ritè fuerint consecrati, pertinet, explicatũ etiam manet, quòd est in illa singulare ac particulare sacrificium ad certam & determinatam virtutem, & cultum pertinens. Nam sacerdotium ex natura sua ordinatur ad sacrificium, & sic vbi est particulare sacerdotium, quod ibi etiam sit singulare sacrificium.

Sacrosanctum Eucharistiæ sacramẽtũ est etiã sacrificium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Error Vvitcleff atque Lutheri.

cium,est necesse: & huiusmodi est sacrosanctum altaris Sacramentum. Scio Vvitcleffum Anglum,Sathanica furia correptum, cũ omnes ritus ac sacramenta Ecclesiæ è medio tollere conaretur,hoc etiam diuina Maiestate plenum demoliri fuisse conatum, & quatenus est Sacramentũ,& quatenus est sacrificium.De quo articulo Vualdensis contra ipsum egregiè disputauit lib.2.de Sacramentis. Ac de hoc particulari puncto,an sit sacrificium.cap.31.&.32. Lutherus etiã negat idem Sacramentum esse sacrificium, & ad id ostendendum edidit librum, cui titulum fecit, de abroganda missa priuata. Vbi postquam inanibus rationibus visus sibi est, rem demõstrasse, amarulentis verbis in nos inuehitur dicens,quod qui Sacramentum altaris sacrificium vocamus idololatriæ impietate commaculamur. Imò ipso facto,inquit, nos negare Christũ semel tantũ fuisse mortuum, cum suam mortem vnicum tantum voluerit esse sacrificium. Ac subinde infert, nullum esse peculiare sacrificium in Ecclesia Christi, sed cuncta bona opera, nempe, eleemosynas, orationes, oblationes, &c. esse nostra sacrificia,vt diximus in principio huius articuli. Cæterum contra hos omnes talem statuo conclusionem, de fide tenendam: Sacrosanctum altaris mysterium non solum,sicuti cæteta, est Sacramentum, verũ etiam victima,& sacrificiũ, illudq; fidelibus vnicũ.Probatur primò. Ex diffinitione sacrificij,quam articulo præcedẽti assignauimus dicentes. Sacrificium esse oblationem sacram soli Deo factam, circa quam aliquid exercetur: Quæ omnia perfectissimè inueniuntur in sacrificio missæ: nec est aliud in Ecclesia Christi,cui ea diffinitio conueniat: ergo solum Eucharistiæ Sacramentum potest dici in Ecclesia vere & proprie sacrificium. Et confirmatur: In missa nos sacratum panem,& vinum,hoc est, corpus & sanguinem Domini offerimus Deo,quibusdam circa illa religiose & ritè peractis, eaque offerimus,vt ab ipso,per eam sacratissimam hostiam, impertemus bona, & liberemur à malis,quæ omnia veram,& perfectam rationem sacrificij constituunt: ergo verè tunc sacrificamus. Sed est aduertendũ,quod quia hoc nomen,sacrificium,aliquando solet accipi pro re ipsa oblata,dicitur enim quis offerre sacrificium: & aliquando accipitur pro ipsa rei oblatione, qua ratione qui bona & pura mẽte Deo aliquid offert, sacrificare dicitur;nec sunt ista duo sacrificia, sed vnum tã tum,vt diximus articulo primo huius quæstionis.fit, vt & corpus Christi, atque eius sanguis dici possint sacrificium,& similiter oblatio,qua ista in missa offeruntur. Quare promiscue vtrumque,nomine sacrificij,significabitur. Secundo probatur conclusio: *2. Ratio.* Præter sacrificia laudis, gratiarum actionis, iustitiæ,& bonæ ac studiosæ vitę,quæ ab initio mundi in omni natione & ætate iustis communia fuere,præter hæc,inquam, nulla respublica fuit tã male fundata,nulla gens tam barbara, & inculta, quæ peculiare aliquod sacrificium,& rationem venerandi atque placandi Deum, vel Deos suos non haberet,in quod conueniret:& quo suam religionem manifestaret,ac tueretur.Vnde Aristotel.capit.2. Rhetoricæ ad Alexandrum, exemplum ponens argumentandi à iusto & honesto,illud petit à sacrificijs, docens, iustum esse apud omnes, vt sacrificia fiant, & quod patrio more fiant, idque dicit,& omnia vaticinia iussisse hominibus, & primos vrbium conditores eis tradidisse: Sed in nouo testamento & Ecclesia Christi,si corpus, & sanguis Domini,quæ offerimus in missa, non est sacrificium, nullum omnino restat, quod sit huius reipublicæ ac populi peculiare sacrificium: ergo dicendum est procul dubio, quod id quod in missa offertur est vnicum & peculiare Ecclesiæ sacrificium.

3. Ratio. ¶Tertiò,iuxta doctrinam Apostoli, hæc tria se consequuntur, necessarioque quodam vinculo continentur,lex, sacerdotium, & sacrificium; dicit enim ad Hebræos.7. Translato sacerdotio,necesse est, vt & legis translatio fiat,& cap.5.&.8.minus sacerdotis esse dicitur, hostias offerre: sed Ecclesia Christi habet peculiarem legem, & peculiare sacerdocium,vt diximus: ergo etiã habet peculiare sacrificium. Nullum autem aliud esse potest,nisi illud,quod in missa offertur: ergo hoc est verum & proprium sacrificiũ. Respondent aduersarij fideles omnes esse sacerdotes,ac proinde Ecclesiam Dei præter communia sacrificia laudis,misericordiæ,& iustitiæ,non habere aliquod peculiare sacrificium. Sed hæc responsio ex dictis in isto articulo iam improbata manet. Potest præterea ex lege veteri efficax desumi argumentum ad probandam nostram conclusionem. Iubebat enim lex illa numerosissimam sacrificiorum,hostiarumque oblationem;quibus tum suam erga Deum subiectionem cõmendabat: tum etiam nostram præfigurabat legem. Adde, quod & lex vetus Euangelij vmbra, distinctis ordinibus sacerdotum ac leuitarum,quibus summus præsidebat Pontifex, diuinitus fuit instituta:ergo, nisi legẽ illam nostræ velis præferre,necesse erit Euãgelium professis peculiare aliquod esse sacrificium, quod præter illud altaris nullum

4. Ratio.

Responsio Lutheri.

aliud est proprie. Ad istam rationem respõdet Lutherus,illam quidem conuincere aliquod esse peculiare sacrificium Euangelicum, Hoc tamen inquit,non fuit,nisi illud, quod Christus in ara crucis semel obtulit. *Impugnatio eiusdẽ.* Hæc tamen responsio minime satisfacit. Nã sacrificium illud quod religioni est peculiare,tandiu durare debet,quãdiu religio præstat. Et illud quod Christus obtulit in propria specie non iteratur, dicente Apostolo; Christus semel mortuus est,si quidem resurgens ex mortuis iam non moritur:mors illi vltra nõ dominabitur. Fuit ergo necessariũ, vt tale sacrificium institueretur, quod religio Christiana quotidie Deo suo offerret; quale est sacrificium altaris. Præterquam,q; Christus Dominus, vt constat ex Psal.109. adiuncta interpretatione Pauli ad Hebræos, cap.5. fuit sacerdos secundum ordinẽ Melchisedech,qui vinum & panem obtulit. Certum est autem, quod in cruce non his corporum speciebus, sed suum proprium corpus moriens immolauit. Documentum est ergo maximum, hoc, quod nos,qui suæ membra sumus, sub eisdem speciebus quotidie offerimus, esse legitimum nostrum sacrificium,ob idque seipsum panem de cælo descendentem nuncupauit. Et in huius rei pręsagium præter agnum paschalem, quem secundum legis mandatum Exod. 12. antiqui patres semel quotannis in figuram Christi passionis immolabant,iubebantur,& Num. 28.offerri quotidie in templo duo agniculi immaculati in holocaustum. Nempe,vt doceremur non modò quod Christus obtulit, sed & quod nos quotidie offerimus legitimum esse sacrificium. His præterea rationibus accedunt testimonia sanctorum Patrũ. *Testimonia sanctorum.* D.enim Augustinus lib.10.de Ciuit.cap.22. loquens de Melchisedech inquit: Ibi primũ apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur toto orbe terrarum. Et libr. 10. de Ciuit.cap 20. loquens de illo sacrificio, quod Christus Dominus in forma serui obtulit Deo patri in cruce,addidit. Cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tã ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam iuetus offerri.D.Chrysost. in ritu missæ sic habet: Propter inenarrabilem, & infinitam tuam benignitatem citra conuersionem, & commutationem homo factus es,& nobis sacerdos appellatus, & huius ministerij & incruẽti sacrificij consecrationem nobis tradidisti, tanquam Dominus omnium.D. Ambrosius in præfatione missæ cœnæ Domini inquit: Aut quid sperare de tua misericordia possumus, qui tantum munus accepimus, vt talẽ tibi hostiam offerre mereremur,corpus, scilicet,& sanguinem Domini nostri Iesu Christi,qui formam sacrificij perẽnis instituens, hostiam se primus obtulit,& primus docuit offerri. D. Cyprianus ad Cæcilianum ait: Quia passionis mentionem in sacrificijs omnibus facimus; passio est enim Domini sacrificium,quod offerimus, nihil aliud, quam quod ille fecit,facere debemus. Et quia longum esset sanctorum testimonia recensere ademinuenietis apud D. Dionysium libr.de Eccles.Hier.capit.3.apud Diu.Ignatium in epistola ad Smyrnenses, apud Athanasium in lib.quæstionum ad Antiochũ,apud Gregorium lib.4 Dialog.cap.58. apud Damascenum lib.4.fidei ort.ca.14.apud. D.Hiera. ad Eulibiam.q.2.Sed dicunt hæretici, Eucharistiam ideò vocari à patribus sacrificium, quia est exemplar,& imago sacrificij. Cæterum hæc imago, & exemplar sacrificij in cruce pro nobis oblati,sacrificium est.Et sic quando in missa passionem Domini referimus, & repræsentamus offerimusque Deo corpus, & sanguinem filij sui, verè & propriè sacrificamus, quia nihilibi deest quod ad perfectam rationem sacrificij spectet. De nique hæc veritas diffinita est in multis cõcilijs. Nam antiquum illud,& grauissimum Nicenum can.14. prohibens ne diaconi corpus Christi tradant presbyteris, hæc dicit: Nec regula,nec consuetudo tradit,vt ij,qui offerendi sacrificij non habent potestatem, ijs,qui offerunt, corpus Christi porrigant. Et Innocentius Tertius in concilio Lateranensi,& refertur de Sum.Trinit.& fid.cath. cap.fi.mitter. Vna,inquit, est fidelium vniuersalis Ecclesia,extra quam nullus omnino saluabitur.In quo idem ipse sacerdos est, & sacrificiũ Christus Iesus. Et nequis putaret ad mortem eius tãtum fieri allusionẽ,subdit;cuius corpus,& sanguis in sacramẽto altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur. Quasi diceret, quod ipse semel sub carnis forma immolauit sacrificium,nos quotidie sub speciebus panis & vini offerimus. Concilium Toletanum primum, ca.5. præcipit, vt omnes clerici veniant ad sacrificium,& eodem nomine illud appellant cõcilium Trullanum, & Braccarense tertium, cap.1. Concilium Florentinum in decreto vnionis Armenorum, Altissiodorense, & Constantiense multaque alia. Et tandem cõcilium Tridentinum in hunc modum diffinit:siquis dixerit in missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam Christum nobis ad manducadum dare,anathema sit. De hoc

Determinationes conciliorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacrificio loquebatur Malachias cap. 1. quando dicebat: Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum. In gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Et Daniel cap. 12. appellat illud iuge sacrificium. Manet ergo fixum ex dictis, in Ecclesia esse peculiare aliquod sacrificium ad particularem virtutem religionis pertines, quod in diuinam laudem, & reuerentiam ex sua natura tendit. Et hoc est sacrificium altaris. Nam reliqua virtutum officia, quamuis participatiuè, & ab extrinseco, hoc est, quatenus per religionis virtutem in diuinũ honorem & cultum referantur, dici possint sacrificia, propriè tamè, & verè, hoc est, quatenus ex suis obiectis propriam sortiuntur speciem, hoc nomine gaudere non possunt, sed dicentur, vel actus iustitiæ, vel fortitudinis, vel temperantiæ, vnusquisque secundũ suam naturam. Et hoc est, quod D. Tho. docet in hoc articulo.

Corollariũ

¶Sed quoniam plures moueri possunt difficultates de sacrificio missæ ad materiam iustitiæ pertinentes, nec alius conuenientior erit locus illas disputandi, operæpretium duxi cuncta ad hanc rẽ pertinentia in vnum cõgerere. Quod & faciã maiori qua potuero breuitate. Nam timeo ne noster hic labor iustum libri volumen excedat, & dum cunctis placere cupio, nihil intactum relinquẽs nimia hac nostra prolisitate omnibus sim molestus. Erit autem primum dubium, quod & fundamentum est aliorum, vtrùm missæ sacrificium pro multis oblatum tantum valeat singulis, ac si pro vno tantum offerretur? Quæ quæstio celebris est inter Theologos, nec tam facilis explicatu, quam scitu vtilis. Ad cuius intelligentiam aduertendũ est primò, quod, vt constat ex D. Thom. 3. p. q. 79. art. 7. & in 4. d. 12. q. 2. art. 2. quæstiuncula 1. in missa sunt tria, scilicet, Sacramẽtũ, sacrificium, vel oblatio, & oratio Ecclesiæ, vel sacerdotis, sacramentum est, quatenus continetur ibi Christus sub speciebus sacramentalibus. Cuius consecratio consistit in illis solis verbis: Hoc est corpus meum; &c. Hic est calix sanguinis mei, &c. Vsus autem consistit in sumptione. Sacrificium est quatenus ibi offertur Christus hostia pro peccatis, tam ipsius sacerdotis, quam aliorum, oratio verò, quatenus ibi adiunguntur precationes Deo fusæ siue nomine Ecclesiæ, siue ipsius offerentis. Et quidem quando quærimus, vtrùm missa oblata pro pluribus tantũ prosit singulis, ac si pro vno tantum offerretur, non est sermo de missa quatenus est Sacramentum; cum certum sit, hac ratione, tantũ prodesse sumentibus quibus; ceu alimonia spiritualis vitæ gratia confert, & dulcedinẽ deuotionemque excitat. Sed loquimur de missa, secundum alias duas rationes; nempe, quatenus est sacrificium, & quatenus continet orationes. Secundum quas etiam est certum, quod non solis sumentibus, verum & offerentibus & illis, pro quibus offertur confert. Dixi offerentibus. Nam in sacrificio missæ non solum sacerdos offerens censetur, verum & astantes & eleemosynam largientes, vt infra patebit. Prodest autem ad satisfactionẽ pro peccatis, scilicet, ad remissionem pœnarum eorum criminum, quorũ culpa per pœnitentiam est deleta.

Dubium de valore missæ.

In missa inueniuntur tria.

¶Secundo est aduertendum, in vnoquoque bono opere ex charitate facto, tres valores, aut fructus posse considerari. Primus est valor meriti de condigno, qui in eo consistit, quod pro illo danda est gloria in cælo ex iustitia & lege Dei, iuxta illud: Qui dederit potum aquæ frigidæ in nomine meo, &c. Secundus est impetratio, quia per actus bonos in charitate factos impetramus à Deo nostras petitiones. Et hæc etiam potest dici meritum, non de condigno, sed de congruo. Nulla enim lege tenetur Deus omnes nostras petitiones concedere in particulari, quãuis sit cõgruũ, vt illis annuat, quãdo pertinent ad salutẽ. Imò quatuor cõditionibus comitãtibus precationem, quas refert Diu. Thom. in materia de oratione supra. q. 83. art. 16. infallibiliter obtinebimus petita. Tertius valor in opere ex charitate facto inuentus est, quod valet ad satisfactionem pœnæ debitæ pro peccatis. Idque ex iustitia, vt communiter dicunt Doctores in materia de satisfactione. Quod à nobis in præsenti, vt notum, supponitur, ne in singulis probandis diutius immoremur. Sed est inter hos valores, aut fructus talis differentia, quod primus, scilicet, meriti de condigno, non potest alteri valere, quàm facienti opus, vt communiter docent Doctores in materia de gratia. At verò valor secundus, qui est impetratio, & tertius qui est satisfactio potest alteri applicari. Imò summus Pontifex per indulgentiarum concessiones applicat quotidie fidelibus satisfactiones sanctorum, valentque illis non solum ex congruo, sed etiam de cõdigno. Cum ergo missæ celebratio inter bona opera computetur, quod omnes isti tres valores, aut fructus illi correspondeant, erit necesse, nẽpe, meritũ de cõdigno, q. sol⁹ erit sacerdotis celebrantis, impetratio, & satisfactio, quæ etiam poterunt prodesse alijs.

In vnoquoque bono opere tria cõsiderãda.

¶Tertio

In sacrificio missæ duplex valor, scilicet, ex opere operantis, & ex opere operato.

¶Tertio est aduertendum, quod in missæ sacrificio adhuc possumus distinguere duplicem valorem. Vnum, qui dicitur ex opere operantis, in illos tres; præcedenti notabili explicatos, diuisus. Alterũ, qui dicit ex opere operato. Et est ille, qui ex bonis operibus Christi, ibi veluti in vase quodam reseruatis nobisque applicatis, prouenit. In quo similiter triplex illud valoris genus est distinguere. Itaque in missæ sacrificium vltra nostri actum cum suo triplici valore, possumus etiam considerare opera Christi, in quibus similiter triplex ille valor distinguatur, scilicet, meritum Christi, impetratio eiusdem, & satisfactio. Quæ opera tanquam illa, quæ sunt infinita in ratione meriti, & satisfactionis, & à quibus omnis nostra operatio valorem, vim, & efficaciam habet, actus nostros longe superant. Et sic est differentia, quod quamuis meritum nostrum nulli valeat ex iustitia ad consequutionem gloriæ, vel ad augmentum gratiæ, vt diximus, nec similiter nostra impetratio prosit nobis, aut alijs de condigno, sed tantum de congruo: tamè meritum Christi, satisfactio, & impetratio valent nobis de cõdigno, & ex iustitia, tam ad gloriæ consequutionem, quam ad alia. Et ratio est: Nam cum Christus sit caput nostrũ, quando eius merita nobis applicantur, ita valent ex iustitia, ac si essent merita nostra. Si enim Adæ peccatum, quia peccatũ erat capitis, ex iustitia omnes eius posteros infecit, quantò magis gratia Christi (qui secundus est Adam) meritum & satisfactio, omnes quotquot attingit saluare, & reficere ex iustitia poterit, vt sit verum, quod vbi abundauit delictum superabundauit & gratia? Quare missæ sacrificium quatenus continet meritum Christi, tam primam gratiã & delictionem peccati, quam ipsam remissionẽ pœnæ operatur in nobis ex iustitia, & ex opere operato, sicut & reliqua sacramenta. Est etiam alia differentia meo iudicio, q. quando aliquis accipit eleemosynam pro missa, vel ipse sua sponte promittit alicui eã dicere, vel pro se, vel pro suo defuncto, non promittit valorem, qui est ex opere operantis, sed illum, qui est ex opere operato: vt bene docet Caietanus in quodl. de celebratione missæ. q. 2. vers. ex his ergo. Meritum autem, & satisfactionem, quæ est ex deuotione offerentis, bene poterit liberè applicare sacerdos, vel sibi, vel alteri, cui placuerit. Cuius rei est manifestum signum, quod si quis in peccato mortali celebrat, satisfacit danti eleemosynam, vt omnes Doctores concedunt. Et tamen certum est, quod non applicat meritum, & satisfactionem suo actui respondentem, quæ nulla est, sed solum meritum, & satisfactionẽ Christi. Ex quo obiter licet inferre, q. si quis petat missam de Spiritu sancto, vel de defunctis, vel de alio sancto, aut, q. apponatur collecta de beata Virgine, vel de salute, nõ tenebitur sacerdos ei acquiescere, nisi ob speciale illi laborẽ nõ debitũ, eleemosynam augeat. Quod probo non solum ex eo, quod Syluester verbo. missa. q. 8. & multi alij sentiunt, nulla missam esse defuncto, aut cuipiam alteri salubriorem, quam dici, quod infra examinabitur: Sed etiam ex eo, quòd cũ taxatur labor missæ, non cũ his circunstantijs, sed simpliciter taxatur. Quare importunas has conditiones sacerdos nõ tenebitur admittere: Nisi fortè ipse eas promittat. Quia tunc ex vi promissionis, & veritatis tenebitur sub veniali illas adimplere; sicut & quamcunque alia promissionẽ, quæ non adimpleta non damnificat proximũ notabiliter. Syluester loco citato videtur significare talem peccare mortaliter. Nam dicit, quod infideliter agit, & quòd non satisfacit. Sed hoc duntaxat verum esse puto, quãdo ob has conditiones, & similes, vt q. missa dicatur in hoc loco, vel in illo eleemosyna notabiliter augetur.

Celebrantes stipẽdio quæ valorẽ promittat in missa.

In missæ sacrificio possumus cõsiderare aliũ triplicẽ valorẽ ex parte Ecclesiæ.

¶Tertio est aduertendum, quod præter illũ triplicem valorem ex opere offerentis ministri, & alium triplicem ex opere oblati Christi in sacrificio missæ existentẽ, est etiã alius triplex valor, ex fide & deuotione Ecclesiæ prouenies. Est enim Ecclesia, vt ex canone constat, quæ etiam medio ministro sacrificium illud offert, & sic missa continet orationes & cæremonias quasdã publicas ex Ecclesiæ institutione ordinatas. Idemq; est dicendum de horis canonicis, & de alijs orationibus ab Ecclesia compositis. Et quamuis Scot⁹ quodl. 20. ar. 2. & Gabriel in. 4. d. 1. & 4. & 45. vt refert Corduba libr. 1. quæstionarij, q. 3. statim in principio, appellent hunc valorem ex opere operato, quia inuenitur in hoc sacrificio, vltra meritum operantis ministri, melius tamen erit dicere cum eodem Corduba, & cũ Couarruuias in cap. alma mater. de sententia excõmunicationis. p. 1. §. 5. num. 6. quod illud meritũ pertinet ad opus operantis, cũ habeat efficaciã ex Ecclesiæ deuotione, vel fide. Alioquin horæ etiam canonicæ, & aliæ orationes publicæ ab Ecclesia institutæ dicendæ essent habere effectũ ex opere operato, cũ vltra sacerdotis meritũ, etiã habeant alium valorem ex Ecclesiæ merito, quod nulla ratione est dicendũ. Eo vel maximè, quod cũ, vt docet Corduba loco citato, omne illud dicatur meritum ex opere operantis, quod ratione boni motus, seu operis

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris ipsius agentis, modo sit ipse ministrans, modo sit suscipiés, & modo proptec meritū eius cōgrui, vel propter meritū cōdigni, ipsi, vel alteri proueniat; Et illud tātū dicat' meritum ex opere operato, quod virtute, aut ratione alicuius Sacramenti, vel sacrificij, tanquā instrumēti applicatiui passionis Christi, & applicati secundū Dei, & Ecclesiæ institutionē prouenit, propter merita, scilicet, Christi tantum ibi applicata, fit, vt meritū quod in missa ex deuotione, & fide Ecclesiæ offerentis inuenitur, non ad meritū ex opere operato, sed ad meritū ex opere operātis sit referendū. ¶Si quis autem quærat an missæ valor prout est ab Ecclesia sit maior semper quam prout est à ministro? Et vtrūm ex indeuotione ministri minuatur ille valor, qui ex Ecclesiæ opere cōsurgit? Et tandē an possit sacerdos eum valorē, qui est ex Ecclesia, cui voluerit applicare, satisfaciatq; debito dicendi missam offerēdo solū meritū, quod est ex opere operato Christi? ¶Ad primā difficultatem respondeo, mea quidē sententia, quantumuis crescat ministri etiā sanctissimi deuotio, nunquā perueniet, aut æquabit Ecclesiæ valoti. Nullus enim in particulari etiā sanctissimus dilectior, aut acceptabilior esse potest Deo in terrā, quā sit tota eius Ecclesia sancta, immaculata, nec habens maculā, neq; rugam, & contra cuius firmissimam fidem & charitatem inferorū portæ non prēualebunt. Præterquā, quod totū corpus multò maioris virtutis esse debet quā singulare mēbrū. Quare dico, quod sicut Christi meritum est in infinitum maius quā Ecclesiæ, & ex hac parte prouenit, quod valor huius sacrificij non possit habere æqualem: ità etiā valor eiusdem prout est ab Ecclesia superat longè valorem ex deuotione optimi cuiusq; sacerdotis prouenientē. Quod magno solatio esse debet ijs, qui missas dicere iubēt, cū participes sint vltra Christi meritū, & satisfactionem, etiā tot sanctorum in Ecclesia existentiū merita & deuotionis, quod, vt statim dicemus, non impeditur ob malū ministrū.

1. difficultas.
2. difficultas.
3. difficultas.

Ad. 1. difficultatem.

¶Ad secundam difficultatē Sylvester. verbo. missa. in principio, respondet, valorē, qui ex Ecclesiæ opere consurgit. in sacrificio missę, minui, vel augeri ex deuotione, & bonitate ministri maiori, vel minori. Et ratio illius est: Nā minister est instrumentū Ecclesiæ. Certum est autem, quod instrumentum, quo aptius est, melius operatur. Et sic videtur dicendū, quod si minister ēst in gratia, vel habet maiorem deuotionē, missa ab ipso dicta fructuosior erit, etiam quo ad orationes, & preces Ecclesię, quā quę dicta fuerit à malo ministro. Sed si hæc ratio aliquid valeret pari modo sequeretur missam mali sacerdotis nullius penitus esse valoris, nō solū quo ad valorē ab Ecclesia receptū, sed etiā quo ad sacrificiū, & meritū Christi oblati; quod, tā Sylvester, quā omnes alij Doctores tanquā erroneū, & valde periculosum condēnant. Quod sequatur probatur? Nā minister in sacrificio missæ etiam est instrumentum Christi, sicut in alijs sacramentis. Quocirca melius dicendum existimo cum Angelo in summa quod missa quo ad orationes & alia accidentalia ei annexa, melior est melioris, prout orationes illæ pendent ab eo, vt à priuata persona, non autem quatenus dicitur ab illo, vt à persona publica gerēte vicē Ecclesiæ, quia, vt sic à quocunq; dicantur sunt æquè fructuosæ, sicut & ipsum sacrificium. Et si quis curiosius interroget, quid si nō, vt minister Ecclesiæ, sed, verbi gratia, Iudeus horas Canonicas recitet, vel orationē Dominicam, nunquid, si in peccato mortali eas fundat, proderunt saltē illis, pro quibus oratio fit? Soto in. 4. d. 15. q. 2. art. 1. putat, nō prodesse, quia ex quo talis recitās nō est minister Ecclesiæ, nō habent preces illæ aliā vim, quā si ab eo essent factæ. Sed lōge melius Nauar. in Manu. cap. 25. nu. 111. & Couar. in ca. Alma mater, p. 1. existimāt oppositū. Ex quo enim Ecclesia, eas orationes instituit, & à quolibet suo mēbro Deo offerri voluit; qui cunq; illas dicit orat nomine Ecclesię. Et ad rationē Syluestri respōdeo, quod cū malus sacerdos tā respectu Christi, quam Ecclesiæ exerceat nudū ministeriū, non debebit eius malitia totaliter impedire, aut eius infirmitas, & indeuotio enervare, siue Christi, siue Ecclesiæ meritū, aut valorē, imò neq; quidquā omnino officere: sicut nec malus famulus dans eleemosynā, vt instrumētū sui domini illius merito obest, aut præiudicat. ¶Ad certiam difficultatē respōdeo, quod quoniā Ecclesia offert suum valorē pro cōmunibus necessitatibus, scilicet, pro Papa, pro Rege, & pro omnibus fidelibus tam viuis, quā defunctis, non erit positū in potestate sacerdotis illū cuicūq; voluerit applicare, sicut nec meritū, aut satisfactionē audientiū. Sed suæ facultatis solū erit, valorē Christi ex opere operato, & suū ex opere operantis, pro quacunq, priuata persona ipse voluerit, offerre. Imò ad satisfaciendū debito dicendi missam pro aliquo, sat erit si solū meritū Christi illi applicet, vt diximus in tertio notabili.

Ad. 2. difficultatem.

Ad. 3. difficultatem.

Missa etiam libet aliud opus bonū tripliciter potest alicui applicari.

¶Quarto est aduertendum, quod sacrificium missæ, & quodlibet aliud opus bonū tripliciter potest alicui applicari, scilicet, generalissimè, specialissimè, & medio modo, seu specialiter, generalissimè applicatur illud,

lud, quod omnibus cōuenit, & cōtingit vno è duobus modis, scilicet, vel ratione tantum vnionis gratiæ & charitatis, vel ratione generalis, seu habitualis intētionis applicātis. Primo modo valet omnibus in gratia & charitate existentibus, etiā si eis per intentionem nullo modo applicetur, quia ex natura rei bonū vni⁹ mēbri naturaliter participatur à cæteris. Et hoc est quod credimus, quādo dicimus sanctorū cōmunionē, & quod voluit significare Propheta Psal. 118. dicēs; Particeps ego sum omniū timētium te. Nec ab hac participatione potest excludi, qui est in gratia, vel charitate: quia charitas facit societatem in Christo, & amicorū spiritualiū bona omnia spiritualia cōmunicabilia, eis esse cōmunia: sicut & in beatitudine omnes, sibi inuicē cōmunicant, atq; participāt gaudiū. Secūdo modo, scilicet, ratione generalis intētionis, saltē habitualis Ecclesiæ, aut viri iusti bonū opus faciētis, valet, & prodest hoc sacrificiū, sicut & oratio, toti Ecclesiæ, & omnibus fidelibus eius, nō præcisis, etiā si sint peccatores in peccato mortali existētes. Quia, vt cōmuniter dicūt Doctores cū Scoto quodl. 20. ar. 2. ex charitate, qua iusti tenētur omnes diligere, & facto diligūt, intēdūtq; saltē virtualiter, vt bona sua prosint generaliter omnibus alijs mēbris, seu filijs Ecclesiæ, quib⁹ & quo modo, sine alterius præiudicio illis prodesse possint, sit, vt quādo pro se, vel pro alio specialiter orāt, etiā tūc generaliter pro omnibus orēt & offerāt sacrificiū. Et ad hūc etiā sensum intelligitur articulus ille; Credo sanctorū cōmunionē, vt optimè explicat nobilis quidā autor Soto appellatus. li. 3. de institutione Christiana c. 16. Si quis autē quærat, quæ bona seu fructus, hoc, vel illo modo generalissimo, cōmunicentur fidelibus ex bonis operibus factis? respōdeo ex mēte Cordubæ. lib. 1. quæstionarij, q. 3. §. si quæratur, q. sunt gaudiū spirituale, dæmonū debilitatio, conseruatio à malis tēporalibus, pluraque alia bona tā tēporalia, quam spiritualia, quæ Deus hominibus confert ob bona opera ab amicis facta. Et ideo quāto sunt plures sancti, & plura bona opera in Ecclesia, tāto plura etiam beneficia nobis Deus largitur: vt cognoscatis, quantū vtilitatis fidelibus resultet ex eo, q. multi iusti in Ecclesia inueniantur. Quod & significare voluisse videt Deus Gene. 18. quādo Abrahamo postulāti, ne Sodomā subuerteret, promisit, q. propter quinquaginta iustos, qui fuerint in ciuitate, vel propter quadraginta, vel propter decē, illā nō deleret. ¶Specialissimè dicitur applicari missæ sacrificiū, vel quodlibet aliud opus bonū, inquātū solū prodest ipsi operāti dispositō. Fructusq;, qui ex tali applicatione resultat est, q. ipse offerēs mereatur de cōdigno gloriā, & augmentū gratiæ ādimplere, atq; præceptū, & alia huiusmodi cōsequātur, quę nō nisi operāti ex nātura operis, & ex lege diuina cōuenire, aut prodesse possint. ¶Medio modo, seu specialiter, applicatur missæ sacrificiū, vel opus bonū alteri ex intētione ipsius offerētis, vt cōmuniter fieri solet. Potestq; sic ri ista specialis applicatio distinctē pro vno, aut pro multis in particulari, & etiā confusē pro illis multis, aut pro omnibus. Idq;, vel ex q. quo cuilibet eorū applicādo, aut vni, vel alicui quibus plusquā alij, vel alijs, prout placuerit applicāti. Quę diuersa intētio applicātis, nisi actualis, vel virtualis fuerit nō plus valebit vni, quā alteri eorū, quibus sic specialiter ex æquo applicatur. Et q. iste tertius modus applicationis distinguatur ab alijs duobus supra dictis, tā quo ad vim meritoriā, quā quo ad satisfactionē, p̄batur ex ritu Ecclesię, quę missam, aut aliud suffragiū specialiter instituit pro hoc, aut illo homine, pro salute, pro pace, aut pro alio bono obtinēdo, &c. Quæ applicatio nō est specialissima pro ipso solo operāte, vt cōstat, neq; generalissima, ex quo valet etiā peccatorib⁹, quibus nō valeret, nisi eis specialiter applicaretur. Et sic est media seu specialis illis tantū proficiēs, quibus applicatur. Alioquī frustra fierent speciales missarū, & orationū applicationes per Ecclesiā institutæ. Si quis autē quærat ad quos fructus valeat iste tertius specialis applicationis modus? respōdeo, q. ad omnes illos, quos ex merito cōgrui homo sibi, & alijs promereri potest. Insuper, & ad satisfactionē pœnarum pro peccatis, si applicās intēdat saltē virtualiter ad hūc fructū satisfactorium suū opus, vel sacrificiū applicare. Nā iste modus nō extēditur vltra intentionē specialiter applicātis. Et de isto solo tertio modo loquimur in præsenti, quādo agimus de applicatione sacrificiorū, vel pro vno, vel pro multis. Nam duo priores sunt impertinētes ad hoc institutū, cū ille primus generalissimus naturaliter sequatur ex ipso sacrificio, & ex quocūq; bono opere, nec pēdeat ex applicatione offerētis. Et secūdus, scilicet, specialissimus non possit alteri applicari, aut prodesse, nisi soli offerēti: alioquī plures dato argēto pro missa, obtinerent, q. sacerdos, vel alius pro ipsis præceptum impleret, gratiāq; & gloriā etiā alijs negotijs implicati de condigno merērē tur, quod est absurdissimum.

Generalissimus modus applicandi.

Specialissimus modus applicandi.

Specialis modus applicandi.

Opus vnius applicatum alteri valet ei, vel per viam satisfactionis, vel per viā meriti de congruo.

¶Vltimò est aduertendū, q. per istū tertiū modū applicationis proximè dictū potest bonū opus vnius alteri, cui applicatur, valere dupliciter. Scilicet, per viā satisfactionis, hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc est, ad fructū satisfactionis pœnarū, si ipsum opus satisfactoriū fuerit, & ad talē effectū specialiter applicetur. Et per viā meriti de congruo, ad ea omnia, quę vnus alteri de congruo mereri potest. Dico per viā meriti de cōgruo. Nā regulariter nullꝰ alteri de cō digno aliquid meretur, nisi solus Christus, qui nobis de cōdigno meruit gratiā, & gloriā. Deꝰ enim regulariter nō statuit se infallibiliter acceptaturū bonū opꝰ vnius pro altero, ad effectū omnē intentū ab ipso applicā te; quod est necessariū ad meritū de cōdigno: sed id reseruauit suo beneplacito liberali. Quare vna de conditionibus necessarijs ad infallibiliter aliquid impetrādum à Deo est, quod oratio fiat pro ipso orante, vt ex mē te D. Tho. docuimus in materia de oratione. De cōgruo autē amicorū preces, & bona opera pro alijs facta audit & acceptat Deꝰ. Nō tamē ità, quod si nō exaudiat, nec sua liberalitate vtatur, ex hoc dici possit, quòd facit iniustè, aut cōtra aliquā suam legē, vel promissionē: quia nulla reperitur generaliter lata quo ad hoc. Quāuis in aliquibus casibus specialibus lata inueniatur. Iob enim ca. 42. dixit Deus: Iob seruus meus orabit pro vobis. Faciē eius suscipiā, &c. & Gene. 12. Et in his oratio pro alijs facta erat meritoria, siue impetratoria de cōdigno, aut potius ratione promissionis, vt docet Adrianus quodl. 8.

¶ His constitutis operæpretiū est, vt ad principalem difficultatem deueniētes explicemus, vtrū missæ sacrificiū pro multis oblatum tantum valeat vnicuiq;, ac si pro eo solum offerretur? De qua re Corduba loco citato maxima verborū & argumētorum copia, quinq; refert opiniones diuersas, quas nos brevitatis causā ad duas è regione contrarias reducem⁹. Prima est Scoti quodl. 20. partem tenentis negatiuam, quam etiā sequuntur D. Bonau. in. 4. d. 45. arti. 2. q. 3. Ricard. ar. 5. q. 2. Durand. q. 3. Paludanus. q. vlt. Adrianus quodl. 8. arti. 2. quanuis omnes alij ab Scoto tātum loquantur de satisfactione, & non de merito. Gabriel super canonē lec. 27. litera. S. dicit hanc esse cōmunem opinionē, & penè omnium sententiā, quo ad pœnę solutionē. Et vltra hoc ipse affirmat, q̄ quo ad bonorum collationē etiā diminuitur meritum multorum participatione. Nam sacrificium missæ duos præcipuè habet effectus. Primus est pœnæ solutio, seu satisfactio. Secundus est malorum ablatio, & bonorū gratuitorū collatio, tam gratiæ gratū facientis, quā gratis datæ. Et respectu vtriusq; opinat Gabriel nō tantū valere missam pro pluribꝰ oblatā, ac si pro vno tantū diceretur. Eandē sententiā sequitur Nauarro in summa ca. 21. nu. 92. & 111. & in. c. quādo, de cōsecra. d. 1, notabili. 1. nu. 77. & Soto de iustitia, & iure. li. 9. q. 2. ar. 2. cōclusione. 2. & 3. Et loquuntur isti Doctores de valore, qui est in milliex opere operato. Nā de illo, qui est ex opere operātis, siue ille sit ex motu boni ministri, vel Ecclesiæ, vel offerentis, certū est, quod minuitur ex consortio participantiū. Idē quā tum ad satisfactionē de cōdigno & meritum de cōgruo. Nā cū quātitas illius satisfactionis, atq; meriti, quę obtinet ex opere operātis sit finita, sequitur, quod quo in plures fuerit diuisa, eo minor erit singulis. Dixi notanter, quantū ad satisfactionē & meritū. Nam quantū ad impetrationē nō puto minui valorē missę, qui est ex opere operātis, sed potiùs augeri magis, sicut & augetur laus actꝰ, cū pro multis offertur quā cū offertur pro paucis. Et ratio huius discriminis est; Nam cum satisfactio de iustitia habeat perfectam rationem debiti, & meritum congrui etiam habeat rationem debiti, quanuis imperfectam, & secundum quid (respicit enim omne meritū præmiū ipsum, sicut sibi aliquo pacto debitū) fit, vt cū offertur pro multis talis satisfactio, & meritū minus debeatur vnicuiq;, siue debitū sit ex iustitia, vt in satisfactione alteri applicata, siue secundū quid & ex quadā congruētia, vt contingit in eo, quod vnus alteri meretur. At verò impetratio nō respicit præmiū, aut meritū aliquo modo, sed meram eius, quē oramus liberalitatē. Et hinc fit, q̄ ex eo, q̄ plures in oratione ad Deū fusa, apponamus, nihil illius minuatur, sicut nec eius liberalitas, quæ illimitata est, impeditur, aut minuitur. Vt cōtingit in creaturis: quæ quia dū pro multis orātur, minus habēt quod dēt, nolūt sæpius, & pro multis rogari oblimitatā earū virtutē. Cæterū Deꝰ, cuius virtus, & liberalitas nō minuitur dādo, nec recusat, quod multa, nec pro multis à se petantur, sed placet sibi: & sic cū oramus pro multis magis est accepta oratio, & maioris efficaciæ quam cū oramus pro vno. Eo vel maximè quòd cum non sit aliquid diuidendum inter eos, pro quibus rogatur, vt in satisfactione, & merito; idem prorsus erit orare pro multis, ac si iterum atq; iterum oraretur pro vnoquoque per se. Quid enim quo ad Deum attinet, an pro viginti roges vna oratione, aut pro vno vna, & deinde pro duobus, cum virtualiter oratio pro multis fusa sit multæ orationes? Gabriel super canonē lect. 27. sub litera. L. etiam dicit, quod minuit valor operis, quo ad impetrationē ex eo, quod pro multis fit. Sed procul dubio hæc sententia est falsa propter rationem iam dictam.

Valor missæ ex opere operātis est minor pro multis, quā pro vno.

Valor impetrationis non minuitur cū pro multis offertur.

Sētētia Scoti & aliorum.

¶ Argu-

1. argumētū pro sententia Scoti.

¶ Argumēta autem, quibus Scotus atque alij suā sententiā probāt, sunt tria præcipua. Primū est; Virtus finita tā satisfactoria, quā meritoria diuisa per applicationem ex quo in plures est minor in singulis, quam si vni tantū, aut pauciores tota applicaretur: sed virtus satisfactoria & meritoria missæ, & cuiuslibet boni operis, etiā ex opere operato, est finita, quoad suum fructum, vel effectū: ergo est minor in singulis. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur dupliciter. Primò: Quia virtus sacrificij prædicti non attenditur solum ex quantitate rei oblatæ, id est, Christi & meritorum eius, quæ ibi offeruntur, sed etiam & potius ex quantitate, & virtute offerētis immediati, iuxta illud Diui Gregorij homil. super Lucam vigesimaprima. Non quantum, sed ex quanto in eius sacrificio offeratur pensat Deus. Secundò: Quia sacrificium missæ, vel oblatio duo ex sua natura important, scilicet, rem oblatā, & actionem offerentis. Sacrificium enim missæ est oblatio rei sacrę, id est Christi sub sacramēto, & meritorū eiꝰ. Vnde corpus Christi in pyxide reseruatum non dicetur sacrificiū, quāuis sit sacramentū. Constat autē actionē offerentis esse finitā. Quādo Christus in cruce se obtulit, tūc erat sacrificium infinitū, quia offerens erat infinitē gratus, & acceptus Deo; & consequenter eius oblatio erat infiniti valoris, At verò modo non dicitur Christus immediatè offerre nisi improprie, inquantū, scilicet, ipse iusit nobis offerre. Propter quod dicebat D. Paulus: Christꝰ semel seipsum obtulit. Et ad Hebræos. 9. Introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Et D. Petrus. 1. sua can. c. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. Si ergo hoc sacrificium à sacerdote oblatū, est finitū in valore, quantò pluribus fuerit applicatū, tantò minus continget vnicuiq;. Hanc rationē prosequuntur latè, Corduba. q. 3. in probatione secundæ opinionis circa dubium principale, & Gabriel super canone. lec. 27. sub litera. K. ¶ Secundo principaliter sic argumentor: Nisi virtus prædicta missæ finita esset, & nisi diuisa in plures minueretur in singulis, sequeretur, q̄ per vnicā missam posset quis mereri primā gratiā, & alia bona, & satisfacere pro quotcunq; peccatoribus, & peccatis, etiam animarū purgatorij, pro quibus voluerit illā applicare, ac si pro vno tantum illam offerret. Consequens autē est falsum: tū, quia cōtra cōmunem sensum, & ritū Ecclesiæ instituētis multas missas, & multa suffragia etiā pro vno defuncto, & pro boni alicuiꝰ impetratione: tū etiā quia sicut in amicitia humana videmus, q̄ amicus per suam supplicationē, vel obsequiū meret maius bonū vni, vel paucis, quā multis, idq; secundū legē amicitiæ: ità videtur dicendū apud Deum, quia iustitia humana exemplificatur à diuina: ergo & illud ex quo sequitur. Probo sequelam: Nam cū omnis pœna viuorum, & mortuorum sit finita, si virtus missæ esset infinita, pro omnibus satisfaceret & mereretur. ¶ Tertiò, argumentatur Soto in hunc modum: infinitus valor satisfactionis Christi solum æstimatur quantum ad sufficientiam, nam quantum ad efficaciam non operatur, nisi finitè per sacramenta, ideòque singulis, etsi instrumenta eiusdem passionis existant, non nisi sub gradu finito, & ad certam mensuram, tribuit esse causas gratiæ. ex opere operato, vt est videre in baptismo, & in cæteris: idemque contingit in sacramento Eucharistiæ, quod quāuis corpus & sanguinem veraciter continet, non nisi limitatum gratiæ modum ex sua institutione confert: ergo sicut Eucharistia, quatenus sacramentum non confert gratiā ex opere operato, nisi limitatè, sicut & cætera sacramenta: ità etiam quatenus sacrificium ex ipso opere operato, hoc est, ex ipsa ratione institutionis Christi, qui non disposuit per instrumenta suæ passionis operari nisi finitè, non erit ad satisfaciendum in finiti valoris sed finiti: atque adeo oblatum pro pluribus non tantum proderit singulis ac si pro vno tantum offerretur.

2. argum.

3. argum.

Sententia Caietani et aliorum.

¶ Contrariam tamen sententiā tenet Caietanus tomo tertio opusculorum, quæstione secunda, de celebratione missarum. Syluester verbo. missa. 1. quæstione nona, Angelus eodem verbo. quæstione. 52. Canus de locis Theologicis lib. 12. cap. 13. ad. 10. argumentum. D. Thomas. 3. part. quæstione. 79. articulo. 5. cum Caietano ibidem & in. 4. distinct. 45. art. 4. ad vltimum. Corduba quæstione citata in quinta opinione, cōclusione. 3. & pro eadem citat Sotum in. 4. d. 13. q. 1. art. 10. Sed profecto vix Soti mens percipitur in locis citatis, vbi modo hāc modo illā sententiam videtur amplecti, quanuis semper magis in primā declinet. Qui omnes Doctores vnanimiter dicunt fructum meritorium & satisfactorium sacramenti, & sacrificij missæ valere tantum ex condigno singulis (cum pro multis offertur) ac si vni tantū applicaretur. Quæ sentētia mihi semper visa est verior atq; probabilior. Et probat: virtus missæ ex opere operato in se & absolute sumpta est indeterminata, & infinita syncategorematicè, vel extensiuè, quanuis categorematicè sit finita, ita quod nō applicatur, nec applicari potest tot hominibus

Sententia autoris.

1. Ratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus & in tanto gradu, quin pluribus, & in maiori gradu applicari, & valere possit: ergo nihil prædicti fructus detrahitur vni ex consortio aliorum. Consequentia est nota: Quia alioqui nullo modo esset infinita, & indeterminata prædicta virtus, vt cõstat. Antecedens autem probatur: Res oblata in hoc sacrificio est Christus passus ibi repræsentatus, & eius merita infinita ibi applicata: ergo illius oblationis, & sacrificij virtus est prædicto modo infinita. Et si negetur hæc consequentia, sicut & negatur ab Scoto loco superius citato dicendo, quod virtus sacrificij non ex quantitate rei oblatæ, sed offerentis immediati, puta, sacerdotis, vel Ecclesiæ attendenda est, & sic cum hæc sit finita, totius sacrificij virtus dicetur finita. Contra hoc sic argumentor, & probo, quod licet id sit verum quoad virtutem sacrificij ex opere operantis, non tamen quo ad eius virtutem ex opere operato, de qua nostra sententia procedit. Primo: Quia, si ità esset, quod hæc virtus mensuraretur secundum deuotionem offerentis immediati, sequeretur, quod missa sacerdotis in mortali peccato celebrantis, aut quando pauciores iusti essent in Ecclesia non æque prodesset ex opere operato Petro, pro quo celebratur, sicut missa in statu gratiæ, aut quando plures iusti essent in Ecclesia, celebrantes: hoc autem est contra communem sensum Ecclesiæ, & contra Diuũ Augustinum, de cons. distinctione secunda in capit. vtrùm. dicentem: Nihil à bono malus, nihil à malo minus offertur. Secundò: Virtus sacramentorum ex opere operato non pendet ex deuotione, virtute, seu dignitate ministri, vel Ecclesiæ, sed ex meritis Christi ibi applicatis ex illius institutione: ergo idem etiam est dicendum de virtute sacrificij missæ, quatenus tale est. Probo consequentiam: Nam vtrobique est virtus ex opere operato ex eadem causa proueniens, & vtrobique est instrumentum passionis Christi, & meritorum eius applicatiuum, ex ipsius Christi institutione, vt docet Diu. Thom. in 4. distinctione quadragesimaquinta, quæstione secunda, articulo primo & secundo, & tertia parte, quæstione septuagesima nona. Quare licet requiratur intentio secundum ritum Ecclesiæ applicatiua huius sacrificij, non tamen ex ea, vel ipsius offerentis, vel Ecclesiæ deuotione, vel dignitate proueniet virtus ex opere operato ipsius, vt est sacrificiũ. Sicut nec proueniet virtus ipsius, vt est sacramẽtum nisi ex meritis tantum Christi ibi secundum ritum Ecclesiæ legitimè applicatis ex Christi institutione. Eo vel maximè, quod si rẽ attentius considerare velimus, non excludimus actum offerentis à virtute infinita huius sacrificij. Sed, sicut damus rem oblatam infinitam: ità etiam oblationem, quæ essentialiter, & directè sit sacrificium. Demus de ratione sacrificij esse non solum rem oblatam cum intentione offerentis, sed etiam deuotionem, seu actionem ipsius offerentis, vt Doctores contrariæ sententiæ volunt: & adhuc ex hoc nihil sequitur contra nos. Christus enim (vt constat) seipsum obtulit Patri factus pro nobis hostia, & offerens. Et sic qui illum ipsum Christum mortuum in cruce offert, sanè non modò rem oblatam à Christo, hoc est, vitam Dei infiniti valoris, sed etiam oblationem & deuotionem, eiusdem Christi offert. Quare licet sacrificium sacerdotis, vel Ecclesiæ, id est, oblatio facta, vt emanans à sacerdote, & Ecclesia, infinita non sit; tamen sacrificiũ, hoc est, oblatio seu deuotio Christi, quæ à sacerdote offertur (licet oblatione finita à se elicita) infinita est. Et sic non solum damus sacrificium infinitum pro re oblata, sed etiam pro actu offerendi, vt cum omni proprietate dici possit, sacrificium à sacerdote oblatum esse infinitum. Et si quis obijciat ex hoc sequi nullum esse discrimen inter sacrificium, quod nos quotidie offerimus incruentum, & illud, quod Christus semel in cruce obtulit, vt oblatio est; respondeo negando sequelam. Nam actus, quo nos offerimus est finitus, licet res à nobis oblata sit infinita, siue rem oblatam appelles ipsam Christi substantiam, siue ipsam oblationem, & actum infinitũ, quo se patri obtulit. At verò actus quo se Christus obtulit erat simpliciter infinitus, & infinitè acceptus Deo. Et ratio discriminis est: Nã nos offerimus ipsum Christum agnum immaculatum, atque etiã offerimus ipsam eius oblationem, seu sacrificiũ, cum tamen Christus nullius alterius sacrificium obtulerit, imò neque suam oblationẽ actu distincto obtulit, sed seipsum offerens oblationẽ fecit, nõ in actu signato, vt dicitur, sed in actu exercito. Nõ actu veluti reflexo, vt nos, qui eiusdẽ actũ habemus pro obiecto cũ offerimus, sed actu directo, eodẽ, scilicet, quo seipsũ obtulit, & nõ distincto. Itaq; immediatũ obiectũ suæ oblationis fuit nõ oblatio alterius, vel sua, sed ipsemet agnus Dei. Cũ tamen nostræ oblationis finitæ immediatus terminus sit nõ solũ ipse Christus, sed etiã oblatio & actio, qua seipsũ obtulit. Et sic oblatio personalis Christi erat simpliciter infinita quo ad acceptationẽ, quia erat oblatio Dei. At verò nostra, quę est ex nobis, est quidẽ finita, quanuis eadem nostra, hoc est terminus nostræ, quæ est oblatio Christi, infinita sit. Cum ergo non solum rem oblatam, verùm etiam oblationem infinitam offerat sacerdos: dici non poterit, valorem missæ, & eius effectum esse finitum, sed esse maiorem, & maiorem syncategorematicè, iuxta majus & maius vas deuotionis, quo ille valor infinitus exhauritur. Nam quemadmodum vis, & potentia causæ vniuersalis est generalis, & indeterminata, determinatur autem per causas particulares, & inferiores, siue ministrantes, nõ aliter, ac virtus solis per ignem generat ignem, & per hominem, hominem; & Imperatoris autoritas, ac potestas alia facit per prætores, alia per consules, alia per duces; ita etiam virtus passionis Christi illimitata cum sit secundum se, & infinita, alia facit per vnum sacramentum, alia per aliud, alia per huius orationis deuotionem, & fidem, alia per illius. Determinatur verò effectus huius sacrificij in hoc, aut illo homine per deuotionem eius, pro quo offertur, & cui à sacerdote applicatur. Itaque ad determinatum hunc effectum immensæ virtutis illius hostiæ concurrit intentio sacerdotis huic applicantis, & eius, cui applicatur deuotio. Intentio quidem ministri applicando virtutem sacrificij, vel sacramenti. Deuotio autem, vel dispositio suscipientis, quantificando eius virtutem, vel effectum. Quod vtrumque in canone missæ significatur. Nam intentio ministri applicantis exprimitur in eo, quod dicitur: Quæ tibi offerimus pro Ecclesia sancta tua, &c. Et infra: Memento Domine famulorum famularũque tuarum. Actus verò deuotionis quantificantis fructum sacramenti, quando subiungitur: Quorum fides tibi cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, &c. Sicut ergo vnius deuotio alteri non præiudicat illam minuendo: ità nec fructus ex infinito sacrificio oblato minui poterit ex multorum participatione; atque adeò oblatum pro pluribus tantum proderit singulis, ac si pro vnoquoque illorum offerretur. Et hæc est præcipua ratio huius sententiæ. Quæ & secundo principaliter probatur hoc modo: In alijs sacramentis est virtus ex opere operato infinita syncategorematicè, vel extensiuè in se absolutè considerata ante applicationem huic, vel illi factam, & est dicere, quod est virtus infinita, quo ad sufficientiam: ita, scilicet, quod, quanuis eorum virtus non sit infinita categorematice, vel intensiue, sed finita, non tamen sic est determinata, siue taxata à Deo ad tot homines, si ue gradus gratiæ, vel fructus, quod non ad alios, nec ad plures homines, & gradus extendi possit. Potest enim extendi in infinitum, & non tot, quin pluribus, & in maiori gradu, secundum cuiusque suscipientis maiorem dispositionẽ, valere & prodesse, quanuis non, nisi in quantitate finita, & determinata à quocunque suscipiatur: ergo idem etiam erit dicendum de sacramento Eucharistiæ, & de sacrificio missæ, scilicet, quod est veluti quędam causa vniuersalis de se indeterminata ad tantum, vel tantũ effectum, & determinatur à causa particulari, puta, à deuotione, vel dispositione suscipientis ad hunc, vel illum maiorem, sine alterius detrimento: & sic, quod pro pluribus oblatum non minus proderit singulis, quã si pro vno tantum offerretur. Scio multos Doctores communiter dicere, hoc sacrificium, & reliqua sacramenta ex institutione diuina ex opere operato habere certum, atque taxatum gradũ virtutis suæ, qui applicatur huic, vel illi, & vltra quem non potest ipsi, vel alteri amplius applicari. Sed hæc sententia est apertè falsa, vt docet Caietanus in quodlibeto iam citato. Vbi non tollit virtutem huius sacrificij, vt illi Soto falsò adscribit; sed ponit eam non taxatam in se, sed secundum dispositionem suscipientis. Quod est dicere, quod est infinitum syncategorematicè, hoc est, ita sufficiens ex se, vt non tot quin pluribus, & in maiori gradu secundum cuiusque dispositionem applicari, & participari possit, vt dictum est. Si autem consideretur hoc sacrificium, vt iam applicatum huic, vel illi: sic eius effectus ex opere operato, est finitus, & determinatus secundum quantitatem & dispositionem participantium. Et si quis contra istam rationem obijciat, quod si ea aliquid valeret, ex illa sequeretur, missam dictam pro paruulo habere valorem infinitum, cum non sit deuotio, ex qua terminetur, & similis difficultas videtur esse de missa celebrata pro defuncto, quando ipse de hoc nihil ordinauit, sed alius suæ sponte illam pro eo dicit. Et vt magis vrgeat ratio, ponamus sacerdotem, qui talem missam celebrat, esse in peccato mortali, vt nulla sit deuotio, ex qua terminum possit suscipere. Respondeo primò, esse omnino per accidens, quod nulla sit dispositio ex parte eius, qui missam dicit, & illius, pro quo dicitur, & eius ad cuius instantiam celebratur: atque adeò tunc dicendum erit, vel, quod missa nullum habet effectum, quia passum est omnino indispositum, vel, si habet in eo casu

Obiectio. *Responsio.* *1. Ratio.* *Obiectio.* *Responsio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

metaphysico, & rarò solus Deus taxat fructum, quem si haberet motum liberi arbitrij, quo magis, vel minus moueretur in Deum suscipiens, nullo modo taxaret, quin potius quantum est ex parte sacrificij, quod est veluti causa, & instrumentum vniuersale, illimitata virtus ex illo exiret. Vel dico secundo, quod ex deuotione Ecclesiæ limitatur effectus in eo casu, quod qualiter fiat soli Deo est notum; quia est ratum & præter legem. Estque huius rei accõmodatissimum exemplum in baptismo. In quo videmus, quod limitatur eius effectus in paruulo, & in dormiente nullam omnino dispositionem habente, ex intentione Ecclesiæ, quæ deficere nunquam potest: vel ex Dei voluntate, quæ prædeterminauit talem effectum taxare. Ità respondet Syluester soluens hoc idem argumentum verbo, missa. 1. quæstione nona, versiculo, sed circa prædicta. Tertio principaliter probatur nostra sententia ex canone missæ. Vbi non solum generaliter pro Ecclesia, pro principibus Christianis, sed etiam specialiter pro ijs, qui in memento cogitantur, & pro omnibus circunstantibus docemur sacrificium illud offerre, & applicare. Idque ex opere operato, non solum quantum ad vim impetratoriam, seu orationem Ecclesiæ; sed etiã quantum ad vim meritoriam & satisfactoriam. Dicitur enim: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificiũ laudis: pro redemptione animarum suarum, hoc est, pro satisfactione animarum suarum. Accipitur enim ibi, redemptio, pro satisfactione. Quia ratione Christus dicitur nos redemisse, hoc est, satisfeciſſe pro nostris peccatis: sed constat non esse determinatum numerum cogitandorum in memento, nec circunstantium: ergo sentit Ecclesia ex opere operato nihil detrahi vni ex consortio aliorũ de fructibus prædictis. Probo consequẽtiam: Alioqui quilibet, & maximè faciens missam per se celebrari, iustè posset quemlibet alium circunstantẽ, aut superueniẽtem ab ea repellere, & prohibere, ne alij in memento cum ipso memorarentur, ne ex eorũ cõsortio missæ prædictus fructus sibi minueretur. Hæc ratio est efficacissima, quã & soluere nititur magister Soto. Sed actum agit.

3. Ratio.

Ad. 1. argumentũ pro sententia Scoti.

¶Restat nunc respondere ad argumenta facta pro prima opinione. Vnde ad primum concessa maiori, nego minorẽ. Et ad primã probationẽ dico, falsum esse, q̃ virtus sacrificij missæ, nõ solũ attenditur, ex quãtitate rei oblatæ, hoc est, Christi, & meritorũ eius, quę ibi offerũtur, sed etiam & potius ex quãtitate, & virtute immediati offerentis. Iã enim supra ostendimus, q̃ quãuis ad determinatũ hunc effectum immensæ virtutis sacrificij altaris simul concurrant intentio sacerdotis, huic applicãtis, & deuotio eius cui applicatur, tamẽ intentio sacerdotis solũ concurrit applicando virtutem sacrificij, vel sacramẽti, & intentio illius, cui applicatur est, quæ quã tificat effectum talis virtutis. Nec obstat illud quod adducitur ex D. Gregorio: Nõ quã tũ, sed ex quãto in eius sacrificio offeratur, Deus pensat. Loquitur enim ibi de virtute prouenięte ex opere operãtis; ad quã quidẽ nõ solum quantitas rei oblatæ, sed etiam bonitas operãtis cum omnibus suis circunstantijs consideratur à Deo, vt decet D. Thom. 3. parte, quæst. 79. artic. 5. Imò ad prædictã virtutem, & bonitatem ex opere operanti s, magis offerentis deuotionem, quam quantitatem rei oblatæ respicit Deus, vt ex verbis ipsius D. Gregor. colligere licet. Ad secundã probationem eiusdem minoris ex dictis in prima ratione pro nostra sententia patet solutio. Ibi enim ostendimus, qualiter dici possit, quod res oblata, & oblatio sit infinita in sacrificio missæ: quamis ipsa actio sacerdotis finita sit. ¶Ad secundum argumentum respondetur, eõcedendo sequelã ad hunc sensum, q̃ vna missa ex opere operato potest prodesse multis, & innumeris hominibus, & animabus purgatorij, quo ad vtramque vim, scilicet, meritoriam, & satisfactoriam secundum cuiusque dispositionem dumtaxat: si omnibus eis specialiter applicetur per sacerdotem, nec vni detrahitur ex consortio aliorum, quia quilibet recipit secundũ suam dispositionem, ac si pro eo solum celebraretur, quod non habet locum in virtute ex opere operantis tantum: quia est finita, vt ex supra dictis constat. Et de hac procedit secunda probatio minoris desumpta ex similitudine amicitiæ humanæ. Ad alteram, quæ desumitur ex ritu Ecclesiæ, cui nostra sententia aduersari dicitur, respõdeo, id esse falsum: Nam ideo Ecclesia, & quidem rectè, multas missas specialiter pro vno viuo, vel defuncto ad prædictos effectus, celebrari instituit; vt qui non est dispositus, nisi ad participandum vnum, vel duos gradus prædictorum fructuum vnius missæ, iam ex alterius missæ celebratione alios duos participans maiorem fructum ex pluribus, quam ex vna missa recipiat. Eo vel maximè, quod sæpè sæpiùs offeruntur missæ ad Deum, vt per modum impetrationis aliqua bona, siue temporalia, siue spiritualia ab eo obtineamus. Et cùm hæc non nitatur in aliqua iustitia, aut debito, sed in sola liberalitate, & misericordia donantis, poterit contingere, vt

Ad. 2. arg.

vt non ad primam orationem, nec ad secundam, sed ad quartam, vel ad quintam nostris Deus annuat votis. Et sic non frustrà multiplicantur sacrificia, sicut nec frustra, sed maxima cum vtilitate, in oratione persistimus. ¶Ad tertium argumentum ex secundã ratione patet solutio. Ibi enim diximus, quod quamuis virtus sacramentorum ex opere operato in se & absolutè considerata ante applicationem huic, vel illi factam, sit infinita syncategorematicè, hoc est, infinita, quo ad sufficientiam, categorematice tamen, & quo ad efficaciam, est finita, quia non nisi in quantitate finita, & determinata, iuxta propriam dispositionem ab vnoquoque suscipitur. Et idem habet Eucharistia, tam inquantum sacrificium, quam inquantum sacramentum. Et si hoc voluit dicere Soto in suo argumento, verum dixit. Nihil tamen ex eo sequitur contra nostram conclusionem. Si autem quando dixit, quod infinitus valor satisfactionis Christi non operatur, nisi finitè per sacramenta, & ideò singulis, non nisi sub gradu finito, & ad certam mensuram, tribuit esse causas gratiæ, vult significare (vt significare videtur) quod hoc sacrificium, & reliqua sacramenta ex institutione diuina ex opere operato habent certum, atque taxatum gradũ virtutis suæ, qui applicatur huic vel alteri, & vltra quem ipsi, aut alteri ampliùs applicari non potest, allumptum ab ipso in argumento est falsum, vt ex mente Caietani diximus in eadẽ ratione. Sed potius est dicendum, quod quemadmodum passio Christi omni generi humano profuit quantum ad sufficientiam, quantum ad efficaciam autem non nisi solis credentibus, & iuxta quantitatem fidei vniuscuiusque: ità etiam vna & eadẽ hostia, sufficeret pro omniũ hominũ satisfactione: sed efficaciter solũ prodest ijs, quibus applicatur iuxta fidei, & deuotionis mensuram. Quod & egregiè significauit D. Tho. 3. par. q. 79. artic. 5. Vbi in hunc modum dicit: Eucharistia inquantum est sacrificium habet vim satisfactiuam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Vnde, & Dominus dicit Lucæ. 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, q̃ plus omnibus misit. Quamis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quãtitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna. Hæc Diu. Thomas. Et in solutione ad. 3. quòd per hoc sacrificium, inquit, tollatur pars pœnæ, & non tota pœna, non contingit ex defectu virtutis sacrificij, sed ex defectu deuotionis humanæ. Et articulo. 7. ad. 2. Illis, ait, pro quibus offertur, prodest plus, aut minus, secundum rationem deuotionis eorum. Gabriel super canon. lect. 27. citat pro sua sententia Diu. Thomam in. 4. distinctione. 45. quæstione vnica, quæstiuncula. 2. dicentem, quod magis valet suffragiũ alicui, quod pro eo singulariter fit, quã quod fit pro eo communiter, & pro multis alijs. Sic enim effectus suffragij duiditur ex diuina iustitia inter eos, pro quib⁹ fit. Immeritò tamẽ: Nã hæc verba D. Tho. quæ habentur. q. 2. illius distinctionis, ar. 4. quæstiuncula. 2. in corpore, nõ sunt ad propositũ cũ ibi D. Tho. loquatur de suffragijs, & orationib⁹ in cõmuni, nõ autẽ specialiter de hoc suffragio, de quo in locis citatis apertè sensit ex se non esse limitatum. Vel, si loquebatur etiã de sacrificio missæ, postea factus doctior mutauit sententiam in. 3. p.

Ad. 3. arg.

Quæstio.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, an hæc deuotio, secundũ quã virtus huius sacrificij quantificatur, sit tantũ eius, pro quo sacrificiũ fit; vel potiùs etiã sit sacerdotis applicãtis, & exequentis sacrificiũ, & illorũ, ad quo rũ instantiã missa celebratur: & deniq; omniũ astantiũ, & offerentiũ? Ad cuius explicationẽ dico breuiter primò, quod valor missæ præcipuè quãtificatur ex deuotione illi⁹, pro quo specialiter offertur. Id enim est, ad quod directè ordinatur sacrificium, vt sacrificium est, scilicet, vt is, pro quo offertur, expietur à pœna: sicut & sacramentũ, vt sacramentum respicit directè suscipientem, ad expiandum illum à culpa, & ad conferendum ei gratiam. Quod & significare voluit se videtur Christus, quando dixit: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur. Quare in veteri lege omnia ferè sacrificia ordinabãtur, non tã ad offerentes, quãad illos, pro quibus offerebãtur. Dico secũdò, q̃ etiã quãtificatur ex deuotione offerẽtis, nõ solũ quando pro se offert missam; quia tunc habet rationẽ eius, pro quo offertur, sed etiã, vt offerens est. Quod est intelligendũ, dum modo habeat deuotionẽ. Nã, si solũ habet intẽtionẽ, vt si sit malus sacerdos, in peccato mortali existens, nulla portio sibi respõdebit. Itaq; si sacerdos immediatè offerens aliquã habet deuotionẽ, credi debet fructũ etiã sibi correspondere ex sacrificio, iuxta quantitatem talis deuotionis, quem applicare poterit, cui voluerit. Ità docet Diu. Thom. 3. p. q. 79. ar. 5. Vbi dicit de Eucharistia, vt est sacrificium, quod sit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ deuotionis.

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et colligitur ex verbis Christi apud Matt.c. 26. & apud Luc.c.22.dictis: Quod pro vobis, scilicet, sumẽtibus, & pro multis, scilicet alijs effundetur in remissionẽ peccatorũ. Et Ecclesia in canone dicit: Pro quib⁹ tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro se suisq; omnibus, &c. Imò cũ non solum sacerdos, qui celebrat, sed etiã omnes astantes, atq; etiã illi, ad quorum instantiam dicitur missa, sint aliquo modo offerentes, quãuis mediatè, iuxta quantitatẽ similiter deuotionis illorum, quãtificabitur valor huius sacrificij. Omnes enim isti sunt, qui ex opere operato, aliquẽ fructum quanuis inæqualẽ ex eo percipiũt, secundũ deuotionẽ vniuscuiusq;, vt cõmuniter dicũt Doctores. Ex quo colligitur, quã ratione verum sit quod dicunt Gabriel, & alij relati à Corduba quæstione supra citata, nempe, quod virtus seu valor ex opere operato huius sacrificij, & aliorũ sacramẽtorũ crescit, vel minuitur ex deuotione ministri, vel Ecclesiæ. Quod etiã docet Soto lib.9. de Iustitia.q.2.ar.2. de hoc sacrificio, licèt nõ de alijs sacramentis. Quia, scilicet, vt dictũ est, quantificatur virtus sacrificij & sacramenti ex quantitate fidei, & affectus, tam suscipiẽtis, quam offerẽtis, vt D.Tho. sæpe dicit. Non significare, quod quando pro aliquo celebratur missa, vel quando alicui confertur sacramentum, ex deuotione offerentis, vel ministri, accrescit ei, pro quo missa dicitur, vel illi, qui suscipit sacramentum, aliquis valor ex opere operato, vltra illum, qui respondet propriæ dispositioni, vel deuotioni. Nã hoc est falsum, & contra rationẽ, cùm nulla formatecipiatur, nisi in subiecto disposito, & secundum quantitatem proptiæ dispositionis. Sed quod volo dicere est, quod ex ipso sacrificio missæ, atq; etiam ex sacramẽto, quod confertur ex opere operato cõsurgit aliquis fructus, vel valor pro ipso offerente, vel ministrante proportionatus propriæ deuotioni, & sic fructus huius sacrificij, & aliorum sacramentorum dicitur crescere, vel minui ex deuotione ministri, vel Ecclesiæ.

Frull' miss & sacramentorum augetur ex deuotione ministri.

¶Sed quoniam diximus fructum sacrificij missæ, ex opere operato correspondere tam deuotioni eius, pro quo missa dicitur, quam ipsius offerentis, & aliorum, qui intersunt, vel instant, vt missa celebretur, inæqualiter tamen, operæpretium erit, vt explicemus modum, atque ordinem, quo est intelligenda ista diuersitas, & inæqualitas participationis. Nauarrus in Manual.capit.vigesimo quinto, numero centesimo vndecimo, versũ. arbitror autem. in quinque portiones diuidit valorem cuiuscunque missę. Primam portionem dicit deputari cuicunque ex eo solum, quod est orthodoxus. Secundam, ex eo, quod est circunstans. Tertiam, toti Ecclesiæ, & specialiter nominatis in canone, nempe, Papæ, Regi, &c. Et has tres dicit esse stabiles, nec minui ex maiori copia participantium, nec crescere ob minorẽ: quanuis nõ dicit ipse esse æquales. Quartam portionem confert sacrificanti. Quintã ijs, pro quibus sacrificiũ fit, vel qui pitantiã porrigũt. Et has dicit crescere, vel decrescere iuxta maiorẽ, vel minorem numerũ participantium, esseque maiores, quã sunt tres priores. Et huius diuersitatis totiusque doctrinæ à se traditæ nullam aliam rationem assignat, nisi quod tribus dicit dari fructum, vt singulis, duobus autem posterioribus, vt diuersis. Huius autem suæ rationis rationem desumendam esse affirmat, ex quadam vnitate, quam habent missans, & voluntatiè nominati ab eo, & ex quadam vnitate, quã habent facientes eã fieri, cum ijs, pro quibus faciunt fieri. Hæc Nauarrus. Sed eius sententia præterquã quod est omnino inintelligibilis, continet etiam multa falsa. Nã primò falsum est dicere, quod quilibet ex eo solũ, quod est orthodoxus habet certam portionem satisfactionis ex opere operato, ex quacunq; missa prouenientem. Cùm possit contingere quod sit in peccato mortali; & tunc nihil ex opere operato habebit ex iustitia cõducens ad satisfactionem. Sicut nec indulgẽtiæ valent existenti in peccato mortali. Et si dicamus ipsum loqui de cõgruo, & nõ de cõdigno, præterquam quod dicere poterimus, quod eadẽ ratione valet ad primã gratiã obtinendam, adhuc sententia est falsa. Nã sic sequeretur, q̃ nullus esset in Ecclesia in peccato mortali; etiã si vna tantũ missa in illa celebraretur. Si quidẽ eo ipso, quod quilq; est fidelis mereretur de cõgruo per illam, primã gratiam, & partem satisfactionis. Et quod de congruo quis meretur dari solet à Deo, licet non ex lege, aut iustitia. Præterea est etiam falsum quod dicit de tertia portione respondenti toti Ecclesiæ. Nam cum tota Ecclesia ex fide solum talis dicatur, similiter cuicunque fideli, adhuc in peccato mortali existenti, sua portio obueniret ex condigno, quod est æque falsum ac primum. Præterquam, quod prima & tertia portio coincidunt inter sese, nec aliqua ratione distinguuntur. Quid enim est Ecclesia, nisi omnes orthodoxi? Aut quid omnes orthodoxi, nisi Ecclesia? Item quod dicit, tres priores partes esse stabiles, quia dantur omnibus, vt singulis, nulla ratione probatur: sed est mere voluntarium. Cur enim non dicemus, quod etiam ea portio,

Impugnatur Nauarrus.

Dubium. Sententia Nauarri.

tio, quę confertur ijs pro quibus missa dicitur datur omnibus, vt singulis, & ita stabilis erit? Aut quid refert dari, vt singulis, vt verum sit, quod non minuitur ex numero participantium? Eo vel maximè, quod ex ista ratione potius colligitur cõtrarium. Si enim illis omnibus datur fructus sacrificij missæ, ac si essent vna persona & non prout multi, sequitur quòd si illud totum per accidẽs est maius, aut minus, magis etiã, aut minus participabitur, secũdũ quod plures, vel pauciores fuerint in societate. Hac ratione vtitur Syluester loco citato ad probandum, quod quando sacerdos à seipso motus offert missam pro multis, per modum vnius, valor eius est minor pro singulis. Quod quidem est verum; nec contra nostram sententiam. Nam quando diximus, quod missa pro pluribus oblata, ità prodest singulis, ac si pro vno tantum offerretur; sodum est sermo, quando illi omnes causaliter aliquo modo concurrunt, cum aliqua deuotione, vt optimè docet Caietanus quod libeto supra citato. Ex quo infert & bene, quod sacerdos, qui rogatus ab vno pro multis missam dicit, non satisfacit. Tunc enim, quia non sunt plures deuotiones, sed vna tantum, vnica etiam solum illi correspondet proportio ex opere operato. Quæ si inter multos diuidatur minor erit in singulis. Denique est falsum in sententia Nauarri, affirmare, quod ille tres portiones priores sint stabiles. Nam cùm fructus huius sacrificij, ex mente Diui Thomæ, iam sæpe citati, quem communiter sequuntur Doctores, sit maior, aut minor, secundum quantitatem deuotionis, fit, quod si est maior deuotio, & multitudo iuuorum in Ecclesia, maior etiam ac maior fructus communicabitur à Deo, ex dicto sacrificio. Et idem est dicendum de secunda parte. hoc, est, de circunstantibus, quod quo plures circunstant, & maiori cum deuotione, maior etiam erit fructus sacrificij.

Sententia autoris.

¶ Quocirca hac sententia omissa, vt quid in hac re mihi videatur probabilius, explicem, dico primò, non esse patem fructum huius sacrificij in omnibus, sed esse quosdam, quibus plus, & quosdam quibus minus obuenit. Itaque sunt plures portiones, & omnino inæquales huic sacrificio respondentes. Ità tenet Caietanus quod libeto citato, & Soto in.4. distinctione decima quinta, quæstione secunda, articulo primo, & Nauarro vbi supra: eitque communis sententia omnium Theologorum. Dico secundo, quod illis semper in missa datur maior pars fructus ex opere operato, qui illius fuerint causæ propinquiores. Quod est intelligendum, cæteris paribus in deuotione. Quare existimo, quod primus est is, pro quo fit sacrificium specialiter. Secundus ipse celebrans. Tertius, procurans, vt missa fiat, siue eleemosyna, siue prece. Et si alis pro se missam dici iubeat habebit etiam primam, & omnium maiorem portionem. Si autem vltra hoc sit sacerdos, qui celebrat, & pro se, habebit omnes tres priores portiones, quia est, pro quo, & qui celebrat, & qui procurat. Quartus est minister, & quouis modo adiuuans. Inter quos similiter, inuenietur ordo, vt plus recipiat, qui propinquius accedit. Vnde Diaconus plus accipiet, quam subdiaconus, & is plus, quã acolythi, & sic de reliquis, iuxta ordinem, & gradum vniuscuiusque. In quinto gradu erunt circunstantes. Nam pro illis specialiter offertur sacrificium, ipsiq; illi sua autoritate, & presentia deseruiunt: imò etiam sunt offerẽtes, iuxta illud canonis: Et omnium circunstantium, quorũ fides tibi cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerim⁹, vel qui tibi offerunt. &c. Caietanus opusculo supra citato cum dicat solum astantes, aliquoque modo causaliter concurrentes ad hoc sacrificium, percipere fructũ illius, vt omnes audientes, imò remotos & ignorantes, eius participes faciat, inquit, quod omnes illi causaliter, aliquo modo concurrunt, inquantũ sunt membra Ecclesiæ. Sacerdos enim in persona Ecclesię offert illud, atque adeò quilibet de Ecclesia potest dici celebrare & offerre per sacerdotem. Cęterùm, quanuis hoc sit verũ, & ex hac parte omnis fidelis, etiã remotus, ex omni missa fructum aliquem percipiat, adhuc tamen dicendum existimo, quod qui ad est, speciali quadam ratione, estò nullo modo cooperetur, vt sacrificiũ fiat, percipit aliquẽ fructum specialem vltra illum generalem, quem Caietanus ponit. Tum, quia est is, pro quo sacrificium offertur specialiter. Tũ etiam, quia ipse illud specialiter offert suo ordine, vt modo colligebam ex canone. Et denique, quia aliquo modo causat sacrificiũ, cui assistit, qui sua præsentia illud approbat, & authorizat. Ex quo colligit, quatuor esse modos, quibus is, qui audit sacrũ, participat fructũ illius, vt hinc cognoscas, quã sit vtile missam singulis diebus audire, assistereq; diuinis mysterijs, quã sæpissime fieri potuerit. In sexto gradu sunt absentes; de quibus in missa fit mentio, nempe, Papa, Rex, Antistes, atque etiam illi, quos sacerdos in canone nominatim commendat, vel in oratione, dicens. Collectam de infirmis, vel de defunctis. In septimo denique sunt omnes fideles

Quam vtile sit missam audire.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Ecclesia in charitate existentes, non mo do ob generalem rationem communionis sanctorum, quia hoc commune est cuicunque bono operi, sed etiam quoniam in orationibus præcipue Dominicarum, & in canone missæ mentio fit de illis, dum sacrificiũ offertur pro viuis ; & defunctis. Imò & in quantum ipsi generali quadam ratione, quãuis sint peccatores, modò sint fideles, dicuntur celebrare, & offerre singulas missas per manus sacerdotũ, iuxta illud Exod. 5. Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Et Leuit. 23. & Nu. 28. præcipiebat populus sacrificia offerre: quod fieri debebat per manꝰ sacerdotum, possunt etiam dici participare de fructu tertij ordinis. Ex dictis omnibus colligo duo. Primum est: quod ex quacũq; missa in vniuersali Ecclesia celebrata, participat quilibet fidelis, etiam absens, & non cogitans, triplicem fructum ex opere operato, & ex iustitia, modò sit in gratia, & ex cõgruo, si non est in ea. Vnus est ratione communionis sanctorum, vel quia est membrum Ecclesiæ. Secundus ; quia pro eis offert generaliter Ecclesia sacrificium. Tertius, quia ipsi etiam sunt quodammodo offerentes, vt est explicatum, licèt quantitas horũ graduum, vt dicunt Nauarrus, & alij, soli Deo sit nota. Infero secundo, nulla ratione potuisse esse veram opinionem refutatam de finito fructu huius sacrificij. Nã, si esset certus gradus ex opere operato, cuicunq; missæ assignatus, iam vbi essent plura personarum genera, ex octo assignatis, & in quolibet genere plures, vt si essent plures procurantes missam, plures audientes, plures iusti in Ecclesia, &c. minor etiam esset fructus in singulis, quod certè concessu indignum videtur. Et hæc dicta sufficiant de ista quæstione non minus vtili, quam difficili.

Duo coroll. latria valde notanda.

¶Supposito iam valorem missæ esse infinitum, & quod applicatus pluribus tantum prodest singulis, ac si vni tantum applicaretur, consurgunt alia non minora dubia ad materiã iustitiæ pertinentia, quæ velut pro priora nostri instituti, explicare oportebit. Imo, vt ad hæc viam pataremus, longam illã disputationem de valore missæ suscepimus, non ignorantes eam proprie ad materiam Eucharistiæ pertinere. Sit ergo primũ dubium iustitiæ: vtrùm sacerdos, qui ad sacrificium, quod facere tenetur, siue, quia eleemosynam accepit, siue, quia ipse illud promisit, plures admittit, aliquam teneatur facere restitutionem? Et procedit quæstio supposita tanquam vera opinione, quæ affirmat, quod sacrificium oblatum pro pluribus non minus prodest singulis, quam si pro vno tantum offeretur. Nam si contraria sententia, quæ à nobis tanquam falsa fuit reiecta, teneatur; proculdubiò erit dicendum, quod sacerdos taliter celebrans, & peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, siue spiritualium damnorum, siue temporalium eleemosynarum : quia planè lædit commutatiuam iustitiam, proximumque iniustè damnificat in bonis spiritualibus, qui minus de fructu missæ, ob aliorum participationem, accipit, quam habere debebat. Et quidem de difficultate in sensu à nobis intento, sunt variæ Doctorum sententiæ. Corduba enim in quæstione illã tertia iam citata, conclusione quinta, conatur probare, quod quãuis ex aliorum consortio nihil fructus missæ ex opere operato prouenientis detrahatur illis, quibus specialiter applicatur, nõ tamen satisfacit sacerdos suo debito, nisi tot missas pro eis celebret, quot & quo modo singulis celebrare promisit. Primò: Quia licèt fructus ex opere operato nõ minuatur, minuitur tamẽ fructus ex opere operantis, quẽ finitũ esse diximus, & sic defraudantur missas petentes. Vnusquisque enim, qui missam petit, intendit vtique petere, vt applicetur sibi totus illius fructus, qui, & quomodo illi applicari, & prodesse potest, tam ex opere operato, quam ex communibus orationibus Ecclesiæ. Et certum est, quod ex vna, vel ex paucis missis, non prouenit illi, vel illis, qui eas commendauerunt, tantus fructus ex opere operato, & ex orationibus Ecclesiæ, quantus ex pluribus proueniret. Secundò: Quia qui multas missas promisit, & vnam tantum dicit, defraudat Ecclesiam debita diuini cultus ampliatione, atq; adeò nõ satisfacit. Tertiò: Quia nullus potest vnico actu pluribus promissionibus, & obligationibus satisfacere, qui autem plura, vel duo stipendia accepit, vnicuique illud conferenti promisit distinctum laborem & ministerium soluere.

Sententia Cordubæ.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

Dubium de eo qui ad idem sacrificiũ vni debitum plures admittit.

¶His tamen non obstantibus dico, quod qui tribus, verbi gratia, vel pluribus, missam dicere promisit, satisfacit obligationi vnam tantum celebrando pro omnibus. Ità tenet Caietanus quodlibet. supra citato, quem sequuntur communiter Theologi. Syluester in summa, verbo, missa. 1. quæstione decima, quanuis teneat eandem sententiam cum multis conditionibus, & limitationibus. Quæstione tamen vndecima, apertè fatetur, quod secundum tertiam opinionem quam ipse veram existimat, ità est dicendum. Imò, quod maius est, etiam si ab eo petatur sine participatione

Sententia autoris.

patione aliorum, quia inquit non est bonũ. Et sic tutus erit, qui pro multis vnã missam dicit. Et probari potest hæc sententia hac vnica ratione efficaci. Nulli detrahitur ex consortio aliorum de fructu operis operati, qui præcipuè intenditur in missa ; & quem solũ sacerdos applicare tenetur, vt diximus in superioribus : ergo nulli faciet iniuriam alios admittendo ; atq; ex consequenti erit licitum. Sicut, & qui obligatus esset aliquem baptizare, vel absoluere, ob stipendium acceptum, nullam illi faceret iniuriam ex eo, quòd alterum, vel plures simul cum illo baptizaret, vel absolueret, dicens: Ego vos baptizo, vel absoluo, quia nihil vni detrahitur ex consortio aliorum. Et ex hoc potest conuinci, quam sit friuolum tertium argumentum Cordubæ; siquidem videmus fieri posse, quòd quis vnico actu pluribus satisfaciat obligationibus, & promissionibus, etiam in specie, absq; eo, quòd promissionis reus habeatur. Primum autem, & secundũ argumentum non conuincunt, contrarium facientes peccare mortaliter; sed solum venialiter. Nã defraudare aliquem fructu ex opere operatis proueniente ex orationibus cõmunibus Ecclesiæ, aut defraudare eandem Ecclesiã eo modo ampliatione cultus diuini, non est tam grauis materia, vt obliget ad mortale. Imò nec esset veniale, si ipse sua deuotione suppleret, vel illi spirituali, & non graui læsioni satisfaceret in alijs orationibus, vel expleta missa repeteret orationes & preces Ecclesiæ. Vt enim diximus supra ex mente Nauarri, & aliorum, orationes ab Ecclesia institutæ, etiam si priuatim dicantur, habent valorem ex Ecclesiæ deuotione nascentem. Vel denique horas canonicas, aut psalmos pro defraudatis recitando.

Ad argu. Cordubæ.

Obiectio.

¶Sed obijciet aliquis contra nostram sentẽtiam, ex illa sequi, quòd siquis à pluribus acceperit plures eleemosynas pro missis celebrandis, vna tantum pro illis oblata, poterit omnibus satisfacere, absq; eo, quod ad aliquã sit obligandus restitutionem, siquidem nullam facit iniuriam illis, qui eleemosynas dederunt, nec in hoc aliquod ipsi detrimentũ patiuntur. Respondetur tamen, negando sequelam, sicut & illam negant vniuersi Doctores. Quanuis in assignanda ratione propter quam, illud consequens est falsum, non omnes eodem modo loquãtur. Sed, vt quid in hac re verum sit paucis explicemus, dico primò, certum esse ex superioribus, quòd cũ sacerdos, qui sua sponte pro duobus offert minimè requisitus, vno sacro non possit æquè omnibus prodesse, sed minor sit fructus sacrificij in singulis, (& idem est, quando requisitus ab vno tantũ, pro alijs offert) tenetur tunc ad acceptæ eleemosynæ restitutionem. Et ratio huius est, Quia cum respondeat in hoc casu fructus finitus, proportionatus deuotioni, vel suæ, vel eius, qui rogauit, quidquid pro alijs offertur detrahitur priori. Fateor ex iustitia non teneri sacerdotem suam deuotionẽ in missa apponere, sicque fructum illi respondentẽ posse pro alio offerre. Cæterùm si fructum respondentem ex opere operato deuotioni illius, qui missam petit, qui finitus est atq; taxatus, in alios diuidat, plures ad eius sacrificij participationem, sua voluntate, admittendo, iniuriam faciet ei, qui eleemosynam dedit, & sic erit obnoxius restitutioni. Ex quo infertur, quòd quando vna eademq; persona iubet plures missas sibi dici, vt in testamentis vsu receptum est, tenetur sacerdos sub mortali, & sub onere restitutionis omnes dicere, nec vna poterit satisfacere. Quia cum sit tunc tantũ vna deuotio, si tantum dicat vnam missam, tantum erit vnus fructus, & si plures missæ plures fructus. Dixi, quòd quando sacerdos sua sponte dicit missam pro pluribus, non satisfacit; non quia peccet, vel aliquid restituere teneatur, sed quia fructus est minor in singulis. Ex quo fit, vt si simul etiam tunc missam offerat pro illis, pro quibus offerre obligatur, vel ratione stipendij, vel ratione promissionis ad restitutionem obligetur.

Relatio.

1. Dictum.

¶Dico secundò, quòd quanuis qui plures accipit eleemosynas in casu, quo sunt multi petentes, non videatur aliquẽ defraudare, iuxta sententiam à nobis superius posita, non tamen potest vna missa satisfacere, sed ad restitutionẽ tenebitur eius, quod vltra iustum stipendium acceperit. Hæc est communis sententia omnium Doctorum. Et probatur: Stipendium missæ, non datur ob fructum sacrificij applicandum, quia cum id sit spirituale, simonia committi videretur, sed datur in stipendium temporale, quo indiget celebrans, vt ab administrando viuere possit, iuxta illud Pauli. 1. ad Corint. 9. Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altario deseruiunt, cum altario participant. Huiusmodi autem stipendium, siue consuetudinem, siue legem positiuam attendas, est determinatum, vel ad vnum, vel ad duos argenteos. Et si attendas legem naturalẽ, cui omnis consuetudo, & lex positiua cedere debet, ad id, quod ad strictam ministri sustentationem sufficit, vt infra videbimus: ergo qui viginti, aut cẽtum argenteos pro illo stipendio recipit, etiam si ab vno petente vnum, & ab alio alterum accipiat, & estò nullum in particulari damnificet,

2. Dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nificet: quantum ad fructum sacrificij iniustitiam committet, quia plus longè contradit pro labore, quàm prædictus labor mereretur. Sicq; sunt omnes & ipsa respublica rationabiliter inuiti, quòd ille pro paruo labore tam magnam summam accipiat. Quod est iniustum & inæqualitas magna, siue habita ratione laboris ad mercedem, siue stipendij ad sustentationem. Estque huius rei accommodatissimum exemplum: Furatur quis modica à diuersis, ita vt ex illis paruitatibus magnam sibi quantitatem pariat. Certum est tunc, quòd quamuis nullum in particulari notabiliter damnificet, tenetur ad restitutionem, vt latè ostendimus in materia de furto. Et id non ob aliam rationem, nisi quia omnes simul sunt rationabiliter inuiti, quòd ille diues factus fuerit ex furto. Quod est omnino contra ius naturæ, estò nullum notabiliter læserit. Cum ergo omnes illi, qui eleemosynam siue stipendium pro sacrificio dederunt, sint rationabiliter inuiti, quòd quis pro modico labore, qui iustè taxatur vno, vel duobus regalibus, ingentè sibi summam conquirat, atq; retineat, fit, vt ex lege naturæ, & ex debita æqualitate seruanda inter datum & acceptum teneatur ad restitutionem eius, quod vltra iustum stipendium accepit.

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quod nam sit iustum stipendium missarum, vltra quod si sacerdos aliquid accipiat, ad restitutionem teneatur? Corduba lib.1. quæstiona.q.4.dub.2. ex mente Medinæ atque Nauarri affirmat sacerdotem & si pauperé, & mercenarium, non posse, etiam pro sua decentè sustentatione accipere aliquid, vltra, id, quod pro vna missa, vel lege, vel consuetudine, dari consueuit, estò sit modicū. Quā suam sententiam probat quatuor argumentis.

Sententia Nauarri, & aliorū.

1. Argum.

Primò sic: Pitantia non datur, nec accipitur, vt pretium pro re spirituali; quia sic esset simonia: nec vt pura eleemosyna, nā sic sacerdos diues non posset illā accipere, nec esset aliquo modo debita ex iustitia; sed datur, vel vt merces laboris, vel vt stipendium sustentationis, iuxta diuersas opiniones, quę de hac re loquuntur: Sed siue detur, vt merces laboris, siue vt stipendium sustentationis, non tenetur missam commendans plus dare, quam meretur sacerdos pro illo celebrando: quod quidem est illud, quod lege, vel consuetudine est taxatum, estò sit modicum: ergo nec ipse sacerdos poterit amplius accipere. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Nam quamuis Matt. 10. & Luc. etiam. 10. dicat Christus, Dignus est mercenarius, vel operarius cibo, aut mercede sua, & D. Paul. 1. ad Cor. 9. Qui altario seruit, &c. Cùm loquantur indeterminate intelligendi erūt proportionabiliter; ità, scilicet, vt secūdum ministeriū, vel laborē, quē quilibet in spiritualibus ministrans impēdit præmietur, aut sustentetur plus, vel minus recipiendo, secundum quòd plus, vel minus seruit, aut laborat. Alioqui diaconus, vel alius, qui solū deseruit altario, legendo Euāgelium, vel Epistolam, vel officiādo missam, æqualem deberet mercedē, vel sustētationē vitæ accipere, sicut qui celebrat, & simplex sacerdos, sicut curatus, vel Episcopus. Constat autē, quòd in præparatione, & celebratione missæ sacerdos vnā, vel duas circiter horas duntaxat consumit: ergo nō tenetur propter hoc totum victum diei tribuere is, pro quo illā celebrat, ac si totū pene diē ad eius vtilitatem expenderet.

2. Argum.

¶ Secundò: Si eadem die sacerdos sæpē celebraret, certè deberet esse contentus paruo illo stipendio, sibi pro qualibet celebratione dato, vel ex legis taxatione, vel ex consuetudine, quia ex multis illis stipendijs illarū missarū, vnū integrū constitueretur sufficiens & abundans pro illius diei sustentatione: ergo etiā si semel tantum in die celebret, non amplius merebitur stipendiū pro illa missa, quā pro eadem mereretur, & sibi deberetur, si sæpiùs celebraret. Probo consequentiam: Nā ex eo quod aliquis sæpiùs celebret, vel non, non variatur valor, aut præmiū vnius celebrationis, cùm id sit per accidens. Et confirmatur: Diaconus, qui plura caneret euangelia, posset quidē plura, licet parua stipēdia accipere, quæ conflarent decentē sustentationē: sed non liceret pro vno decātato euangelio integrā sustentationē accipere, estò illa, quę datur sit insufficiens: ergo idē etiā erit dicē dum de sacerdote celebrante.

Confirma.

3. Argum.

¶ Tertiò: Si licitū esset sacerdoti totā decentē sustentationē accipere pro missa illius diei, sequeretur, quòd sacerdos honorabilior, & in dignitate cōstitutus, plus posset accipere, quā pauper: consequēs autē est falsum; nā paupertas, vel abundantia sacerdotis nec tollit, nec ponit iustitiā, aut debitum in illis, qui tantū stipēdium, & nō amplius pro vna missa dare voluerūt: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelā: Nā sacerdos honorabilior pluribus indiget ad suam decentē sustentationē, quā pauper, vt constat.

4. Argum.

¶ Quartò, habens tenue beneficium, nec sufficiens ad decentē sustentationē, tenetur ei deseruire, nec amplius potest exigere, prætextu decētis sustentationis, vt habetur in c. clericus. 91. d. ergo idē etiā est dicendū de sacerdote habente tenue stipendiū pro celebratione missæ; si ipse illud acceptauit. Probo consequentiam: Nā vtrobique

Conclusio.

bique videtur esse eadem ratio. ¶ His tamē non obstantibus dico, longè verius & probabilius esse, sacerdotē, qui quotidie ferè celebrat, tot stipendia posse accipere à diuersis, quot ad decentem sustentationē pauperis mercenarij pro sua vita, sunt necessaria, & non amplius. Ità tenet Honcala de valore missæ, art. 11. & 16. Cano de locis Theolog. lib. 12. c. 13. Vbi in hunc modum loquitur. Omnis autem opinio in hoc conueniat necesse est, sacerdotem siue pro paucis, siue pro multis offerat vitæ necessaria suscipere iure suo posse. Quem cibum si vnus non derit, nulli facit iniuriam, si expetat à pluribus. Imo tu illi iniurius es, si cogis sacerdotem, vt solum pro te hostiam præbeat, nisi tu illi præbeas cibum, qui qualis, quantusq; sit homini necessarius, prudentia magis, quā Theologia dijudicat. Vno enim tempore, & loco non satis erit nūmus argenteus, &c. Soto lib. 9. de iustitia. q. 3. art. 1. & in. 4. d. 13. q. 2. ar. 1. sub. 2. conclus. quamuis dicat sacerdotem celebrantem posse quotidie recipere duas eleemosynas si est pauper, imò etiā si sit diues, quia vtitur iure suo de altari viuēdo, dummodo illa duo stipendia vnū argenteum non excedant. (Loquitur enim Soto de tempore, quo pro vna missa dimidiū tantum erat texatū in Hispania) tamen eius ratio conuincit mentem illius fuisse, quòd tot stipēdia potest accipere quot fuerint necessaria ad congruentē sustentationē, nisi quòd ipse habita ratione temporis duas eleemosynas dimidij argentei ad id iudicauit sufficiētes. Dicūt autem omnes isti Doctores, quòd non nisi decens sustentatio pauperis mercenarij accipi potest, quia talibus sacerdotibus non est licitum de prædictis missarū stipendijs apparatū status sustentare, nec tam abūdanter viuere, vt curati, vel præbendati, sed pauperē vitam degere, & ideo cautū est, ne absq; aliqua bonorum possessione ad ordines admittantur. Et præcipua ratio huius sententiæ est, quia sic conceditur iure diuino Matth. 10. Luc. 10. & 1. ad Corin. c. 9. per totum. Sed dubitabit aliquis hoc loco quid in præsenti intelligamus nomine congruæ sustentationis, nā vt refert Cord. vbi sup. ex nostræ opinionis sectatoribus alij aliter iudicant: quidam enim dicunt, quòd nomine conuenientis sustentationis venit̄ etiam intelligenda alimēta pauperū parentū si illos habet, & filiorū olim ex matrimonio habitorū, quibus iure naturali succurrere tenetur. Cæterū ego solā strictā suæ personæ sustentationē, & eorū quæ simpliciter ad vitā sunt necessaria, acquisitionē intelligendā puto. s. victus, vestitus, domus, & ei inseruiētes, &c. non enim postulat ius naturæ, aut diuinū, nisi q̄ sibi ex altario succurrat, qui altario participat, nec fideles, alios alere tenentur, quā ministros, si autē habuerit sacerdos, vel parentes, vel filios pauperes, aliūde quærere debebit ad ista suppleda. Ex quo sequitur, q̄ nec honorabilior plus, nec minus honorabilis minus, nec etiam è contra pauper plus, & diues minus accipere poterit, sed omnes æqualiter quæ necessaria fuerint ad congruā sustentationē. Paupertas enim, vel diuitiæ sacerdotis nihil cōferunt ad æqualitatē iustitiæ, & ad debitū, vt rectè docet Nauar. in Man. c. 25. n. 92. & 111. quare diues sacerdos, si non quia diues, at quia sacerdos ius habebit de altari viuēdi, sicut & pauper, modo officia debita præstet. Et si quis cōtra nostrā sententiā obijciat. c. clericus victum. 91. d. vbi nō dicitur, q̄ clericus pauper, ex spiritualibus, sed manibus laborando, victū quærere debeat, respōdeo in dicto capitulo & cæteris eiusdē distinctionis solū prohiberi, ne clericus negotijs vacet, vt sic victum quærat, sed si Ecclesia ei nō sufficiat, potius ex honesto artificio (exēplo Pauli, qui de labore manuū viuebat) victū quærat, quam ex negotiatione. Præterquā, quòd Gratianus in principio illius distinctionis sic dixit: Qui autē turpi lucro, vel inhonesto negotio victū sibi quærere prohibetur, de oblationibus Ecclesiæ stipendia consequatur. Quibus verbis potiùs significat, quā sit alienū à vo lūtate Ecclesiæ prohibere, ne sui ministri ex ea, vel ex suo officio viuant, quā eius contrariū. Sed quod vult est, q̄ si alicui sua Ecclesia nō sufficit, potiùs suo artificio, vel agricultura victū, & vestitū quærat, quā negotiatione, quod nostræ sententiæ non aduersatur.

Ad. 1. arg. Corduba.

¶ Et ad primū argumentū Cord. respō detur, nō modo ob laborē, verùmetiā ob sustentationē ministrorū pitantiā dari. Et quāuis concedamus (quod modo non disputamus) ob mercedē dūtaxat laboris dari, vnde tenet hæc consequētia: Labor, pro quo datur, est vnius horæ: ergo nō meretur victum totius diei? Nō enim corporalis sudor attendus est in sacerdotibus Dñi, vt congruā eis ac iustam sustentationē præbeamus, sicut attenditur in colono, aut agricultore, qui fodit & arat, vel in alio alicui mechanico officio seruienti. Sed quod præcipuè attendere oportet est, q̄ sicut sacerdos in spiritualibus præbēdis, maximè in pane cælesti ministrando, occupatur: sic etiam fideles panē illi materialē præstent, vt egregiè adnotauit Magister Cano loco citato. Quod enim labor ille grauis sit, aut leuis, longior, aut brevis, impertinens est; maximè cū ille nō permittatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

mittatur plus laborare, hoc est, pluſquã vnã miſſam celebrare. Certè indignum eſſet ſacerdotali dignitate, vel laborem totius diei, vel tantũ ab eo exigere quantũ à colono, vt ei debita ſuſtẽtatio præbeatur. ¶ Ad ſecundũ
Ad.2.arg. reſpondetur, conceſſo antecedenti, negãdo conſequentiã. Non enim dicimus ius habere ſacerdotẽ ex quocunq; ſacro eadẽ die facto, integrã eiuſdẽ diei ſuſtentationẽ excipere. Sed quod dicimus eſt, ex officio ab eo ſecundum iura præſtando, in eodẽ die poſſe vi ctum quærere. Vnde cũ ex pluribus illis miſſis eodem die celebratis, quamuis pro ſingulis acciperet tenue ſtipendiũ, reſultaret vnũ quod eſſet ſufficiens & conueniens, nõ poſſet tunc pro illis plus accipere, quam eſſet taxatum. Cæterũ nunc, quia vnicum tantũ ſacrum celebrat, & ex iure diuino, qui altario ſeruit, debet de eodem altario participare, poterit accipere pro eius ſtipendio totũ illud, quod ad congruã ſuſtentationẽ (eſtò ex cõſuetudine minus detur) fuerit neceſſariũ. Qui autẽ in die Natiuitatis Dñicæ tria ſacra peragit, nõ poteſt pro vnoquoq;, duos (v.g.) argenteos accipere, ſi duo ſunt cõgrua ſuſtẽtatio, propter rationem iã dictã. Poteſt tamẽ accipere tria pro illis tribus ſacris; etiã ſi excedãt congruã ſuſtẽtationẽ prædicti miniſtri. Quia tũc nõ iure victus neceſſarij illa accipit, ſed iure taxationis, & cõſuetudinis, quæ eſt, vnũ argenteũ pro vnoquoq; ſacro accipiendi. Quo fit, vt ſi decies eodem die celebraret, decem etiam argenteos poſſet accipere. Ad confirmationẽ reſpondetur cõceſſa maiori, atq; minori negando conſequentiam. Non enim eſt eadem ratio de diacono cantante Euangeliũ, & de ſacerdote pro pluribus celebrante. Nam diaconus ſi pro duobus offerat, ſiue verba Euangelica, ſiue orationes, ſiue alia eiuſmodi miniſtrãdo munia, eũ habeant hæc finitũ valorẽ, tam ex deuotione ipſius diaconi, quã ex intentione Eccleſiæ, minus vnicuiq; dabit. Atq; ex conſequenti dicens pro duobus Euangeliũ, quod pro vno dicere tenebatur, alterũ vel vtrũq; defraudabit. Nullus aũt põt cũ iniuria alterius accipere etiã illa, quę neceſſaria ſunt ad congruã ſuſtẽtationẽ. At verò ſacerdos pro pluribus dicẽs eãdẽ miſſam, nihil minus dat vnicuiq;, quã ſi ꝓ ipſo ſolo miſſam offertet. Atq; adeo accipiens pro eadẽ celebratione, quæ ſibi neceſſaria ſunt ad cõgruã ſuſtẽtationẽ, nullam alicui facit iniuriã. Nec ipſi, pro quibus miſſa celebratur, nec reſpublica, poterunt eſſe rationabiliter inuiti, ex eo, quòd miniſter Eccleſiæ, ſine alterius iniuria, pro ſuo miniſterio, congruam habeat ſuſtentationem. Ex quo infertur, quòd ſi talis ſacerdos non haberet miſſas à pluribus commendatas, quæ ſufficientes eſſent efficere congruã ſuſtentationem, haberet tamen illas commẽdatas ab vno, non poſſet pro vna ex illis accipere maius ſtipendium, quam ex conſuetudine, vel taxatione dari conſueuit, numerum prædictarum miſſarum ad minorem reducendo. Et ratio eſt: Nam cùm tunc valor vniuſcuiuſque miſſæ ex illis, ſit finitus, vtpotẽ qui ſolum reſpondet deuotioni eius, qui tales miſſas dicere præcepit, nõ poteſt fieri ſine eius iniuria atq; fraude quòd illarum numerus ad minorem reducatur. Et nullus poteſt cum iniuria alterius accipere, etiam illa, quæ neceſſaria ſunt ad congruam ſuſtentationem, vt modo dicebam de diacono. Propterea ⁊q; in concluſione quã contra Cord. ſtatuimus appoſuimus illam particulam, à diuerſis dicentes verius & probabilius eſſe, quòd ſacerdos qui ferè quotidiè celebrat tot ſtipẽdia poteſt accipere à diuerſis, quot ad decentem ſuſtentationẽ pauperis mercenarij ſunt neceſſaria, quaſi ſignificantes nõ poſſe illam ab eodem accipere. ¶ Ad tertiũ
Ad.3.arg argumentũ reſpõdetur negando ſequelã. Iã enim diximus congruã ſuſtentationẽ ſacerdotis eſſe illã, quæ ad vitã pauperis mercenarij eſt neceſſaria: & hæc æqualis eſt in omnibus. ¶ Ad quartũ argumentũ reſpondetur
Ad.4.arg. conceſſo antecedẽti, negando cõſequentiã. Qui enim habet tenue beneficiũ, quia non poteſt ſine dãno & iniuria tertij ex illo victũ quærere, ſuo ſtipendio debet eſſe cõtentus, ſibiq; imputare, ꝙ ità tenue beneficiũ acceptauerit. At verò ſacerdos pro pluribus celebrãs nulli facit iniuriam, cũ ſingulis reddat quod ſibi eſt debitũ. Et ratio naturalis dictat, ꝙ quiſq; ex ſuo miniſterio cõgruã accipiat ſuſtentationẽ, ſine alterius detrimento.
Dubium. Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũ ex Papę diſpenſatione, vel conceſſione poſſit ſacerdos pro vna miſſa plura ſtipendia accipere, quando ſingulũ illorũ eſt ſufficiens ad congruã ſuſtentationẽ. Ad cuius explicationem
1.Dictum. breuiter dico primò, ſine inſta, & rationabili cauſa, nulla ratione id fieri poſſe. Papa enim in præiudiciũ tertij nõ põt alteri tẽporalia bona cõcedere, nec ab obligationibus naturalibus ſine rationabili cauſa abſoluere vel liberare. Nõ enim eſt dñs legis diuinæ, vel naturalis; ſed diſpenſator. Nec habet poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem Eccleſiæ: Nec habet dominium omnium rerum temporalium, nec omniũ hominũ, & eorum contractuũ, ſed iuriſdictionem & poteſtatem ad debitã illorũ gubernationem: quatenus ad finem ſupernaturalem aliquo modo expediunt, vt eſt videre in Syluest.

Corollariũ valde notã dum pro ſacerdotibus.

1. Dictum. Sylueſt. verbo. Papa. q. 11. & 13. ¶ Dico ſecũdò, quòd ſi cauſa rationabilis adfuerit, benè poterit Papa id aliquibus concedere, ſicut & ex cauſa poteſt relaxare obligationẽ votorum, iuramentorũ, pactorũ, & promiſionum inter homines initorũ, quanuis iure diuino, & naturali, Deo & hominibus hæc reddere teneamur. Tunc autem cauſam rationabilem adeſſe (niſi contrarium certo cõſtat) eſt intelligendũ, quando Papa id concedit, atq; diſpenſat. Poteſt etiam Papa ratiõnabilia, & ſufficientia taxare ſtipendia miſſarum, & aliorum exercitiorũ, & miniſteriorum ſpiritualium, vltra quæ nihil amplius, niſi mere liberaliter datum, accipi poterit. Imo & Epiſcopus in ſua diœceſi, maximè in ſynodo prouintiali id efficere valebit. Quod & ad ſerenitatẽ conſcientiarũ fieri pro omnibus eſſet valde conueniens. Si enim conſuetudo ad id eſt ſufficiẽs, pariter, vel à fortiori lex & ſtatutũ id poterunt. Vtrũm autẽ ità lege, vel ſtatuto poſsit ſtipendiũ miſſæ ſtatui, atq; taxari, vt etiã ſub excõmunicatione præcipiatur, ne minus detur à laicis, & ne minus à ſacerdotibus accipiatur, maiorẽ continet difficultatẽ. Soto lib. 9. de iuſtit. q. 6. art. 1. in reſponſ. ad 2. arg. & Naua. in ſum. c. 23. n. 109. quo ad laicos, & facientes miſſas dicere, tenent tale ſtatutum eſſe illicitũ, nec aliqua ratione obligare. Quam ſuã ſententiam probant primò. Quia quod datur ratione miſſæ, non, niſi per viam eleemoſynæ datur, de cuius ratione eſt, quòd liberè & non coactè donetur. Id autem quod per talem legem, aut præceptũ excõmunicationẽ aggrauatum fieret, non libere, ſed coactè daretur. Secundò: Quia licet poſt ſpiritualiũ adminiſtrationẽ licitum ſit per ſententiam iudicis cogere, etiã ſub excommunicatione, laicos ad ſtipendia conſueta ſoluendũ, ſecũdum laudabilẽ conſuetudinẽ, vt habetur in c. ad Apoſtolicã. de ſimonia. non tamẽ ante ſpiritualium adminiſtrationẽ, quia ſpeciem mali, aut ſimoniæ præſefert, vt dicit D. Th. infra. q. 100. ar. 3. ad 2. Tale autẽ eſſet huiuſmodi ſtatutum. Tertiò: Quia tale ſtatutũ eſt in præiudicium laicorũ, atq; adeò ſine ipſorum conſenſu fieri non poteſt, iuxta capitulum ſuper. eo. de offi. del. & l. 5. ſiquis à principe, ne quid in loc. pub.

Sententia Soti & Nauarri.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

¶ His tamen non obſtantibus dico contrariam ſententiã eſſe veram, atq; tenendã, quã ſequitur Cord. lib. 1. quæſt. q. 4. dubio. 4. Et probatur: Lex & ſtatutũ ſuperioris poſſunt omne id, quod eius ſententia, & conſuetudo efficere poſſunt. Tũ, quia lex poteſt agere ſpecialiter, & derogare conſuetudinẽ, æquè, aut magis, quã conſuetudo poteſt contra legẽ prævalere. Tũ etiam, quia ex lege eſt põteſtas iudicis ſuprà eadẽ re ſecundũ legẽ iudicantis, ſententiamq; ferentis: ſed ſuperior in ſpiritualibus, videlicet Epiſcopus per ſuã ſententiã poteſt decernere iuſtũ ſtipendiũ deberi ſacerdoti celebranti, ſicut & iure naturali & diuino debitũ eſt; ipſumq; taxare, vt paulò antea dicebam, ſicut & cõſuetudo eam taxationẽ efficere poteſt: & eadẽ ratione idem ſuperior poteſt decernere minus ſtipendiũ non eſſe ſufficiens nec iuſtũ, ſicut nec verè eſt, vt ſuppono: ergo poterit per legem ſic taxare & ſtatuere, ſiue præcipere, etiam ſub excõmunicatione, vt minus debito ſtipendio taxato laici non dent, ſed iuſtũ, vti ex quocunq; iure, & conſuetudine teneantur. ¶ Et ad primũ argumentum
Ad.1.arg. Soti reſpondetur, negando, quòd id, quod datur pro miſſa ſolũ detur ſacerdoti per viã eleemoſynæ; ſed datur potius per viã debitũ ſtipendij, ad iuſtitiam quodammodo pertinentis, & non ad puram miſericordiã. Quod ità eſſe conſtat. Nam alioquin eadẽ ratione nec poſſent laici, etiã poſt miſſæ celebrationẽ per iudicẽ cõpelli ad illud ſoluẽdũ, ſicut nec ad alias eleemoſynas, etiã conſuetas, cõpelluntur, niſi in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate. Imò nec ipſe ſacerdos ſi dies eſſet, poſſet per ſolam viam eleemoſynæ ſtipendium miſſæ non neceſſarium, etiam poſt eius celebrationẽ, exigere. Imò nec accipere libenter oblatũ, cũ eleemoſyna non niſi indigenti debeatur, nec niſi ab eo licitè recipiatur, vt omnes Doctores concedunt. ¶ Ad
Ad.2.arg. ſecundum argumentũ reſpondetur negãdo, ſemper eſſe illicitam exactionẽ iuſti ſtipendij ante ſpiritualiũ adminiſtrationẽ; ſed tũc tantũ quando fit per ſpiritualiũ ſubtractionem, niſi ſtipendia ſoluantur ante miniſteriũ eorum, aut quando ante miniſterium exiguntur ſtipendia cum ſcandalo; vel quando habẽt ſpeciẽ ſimoniæ, vel alterius mali. Nec contrariũ huius dicit D. Th. in illo loco. Per prædictam autẽ legem, vel ſtatutũ nullũ iſtorum malorũ fit, quia nec ſubtrahuntur ſpiritualia, quæ debentur; nec aliqua intẽtio, aut ſpecies ſimoniæ ibi inuenitur. Eo vel maximè, ꝙ per talẽ legẽ, nec fit exactio, nec exequutio ſtipendij, ſed ſolũ prouidetur prudẽter contra iuſtitiam, & innumera alia inconuenientia, quæ ex eo, ꝙ laici minus dant, & clerici minus accipiunt ſubortiri poſſunt. Et in hac ratione fundant D. Th. vbi ſup. ar. 4. ad 3. & Soto. q. 7. ar. 1. in fin. iuſtitiã, & æquitatem illius legis, qua annatæ beneficiorum eccleſiaſticorũ, exiguntur, ac ſolui præcipiũtur, antequã adminiſtrentur, vel cõferantur.
¶ Ad tertiũ argumentũ reſpondetur negãdò
Ad.3.arg. id

Universidad de Deusto
Biblioteca

id esse in ipsorũ laicorũ præiudiciũ: cùm nõ ad ipsos, sed ad prælatos Ecclesiæ pertineat iusta stipendia prædicto modo taxare. Et hoc quantum attinet ad laicos.

Dubium de clericis. Conclusio.

¶ Quãtum autem attinet ad clericos, vtrũ etiam illis per statutum possit præcipi sub excommunicatione, ne de prædicto stipẽdio per legem taxato aliquid remittant, nõ tãta est difficultas. Et sic breuiter dico; tale statutũ regulariter, & simpliciter esse illicitũ, nec aliquam obligationẽ inducere, etiã si excõmunicatione sit firmatũ. Tũ, quia si clericus potest minori pretio alia bona sua vendere, ministeria q; sua tã corporalia, quã spiritualia, & seipsum, & suas operas locare, & obligare, imò ea omnia omnino gratis & libera liter facere, atq; donare, quæ ex sua natura, nec gratis fieri, neq; donari debent: vt psallere, cantare, lcienti q; aliquã docere; à fortiori missam pro minori stipendio, & omnino gratis poterit celebrare; nõ obstante prædicto statuto, cũ missa & ministratio sacramentorum ex sua natura magis debeãt fieri gratis; sicut & potestas hæc faciẽdi omnino gratis à Deo fuit accepta: iuxta illud Matth. 10. Gratis accepistis gratis date. Tum etiam, quia taxatio omniũ rerum, & ministeriorũ in temporalibus, & spiritualibus non fit, vt gratia & liberalitas volentis impediatur, sed vt iniustitia vndiq; vitetur. Atq; adeò fieri non poterit, nisi ità, vt nec plus nec minus illo iusto taxato pretio detur, aut exigatur, altera parte inuita. Non obstante tamẽ prædicto statuto remissio in toto, vel in parte, sicut & amplior donatio vtrinq; fieri poterit. Et denique, quia opus virtutis, aut consilij, qualis est prædicta remissio liberalis, siue ex amicitia, siue ex libertalitate, siue ex misericordia fiat, prohiberi humana lege vniuersaliter non potest, ablq; errore intolerabili, qui ipsam legẽ & excõmunicationẽ nullam reddit ipso facto, vt cõmuniter dicũt Doctores in materia de excõmunicatione. Ex hoc

Corollariũ

infertur propter easdẽ causas in vniuersitatibus statui non posse, vt graduati de suis iuribus taxatis alicui remissionẽ facere nõ possint, nec id statutũ obligaret, etiã si esset iuratũ, vtpotè quod prohibet opus misericordiæ, aut alterius virtutis simpliciter, & vt sonat. Fateor tamen, quòd si alicubi lites, fraudes, vel tyrannides, siue alia inconuenientia, ex tali liberalitate clericorũ, aut graduatorũ sequerentur, vel ipsi clerici, aut graduati varijs modis, etiam palliatis, per laicos, vel graduandos de sibi debito stipendio taxato, aut non taxato, in toto, vel in parte remissionẽ facere cogerentur: tunc certè crederem licitum esse tale statutum, etiam sub excõmunicatione prohibens, ne de illo quidquam remittatur quia tunc ex iusta causa ad illa inconuenientia præcauendum, quæ vel remissionem coactam faciunt, vel vitiant, vel ex illa quouis modo, vel occasione sequuntur, procedit. Et sic vim habebit in conscientia.

Dubium.

¶ Est aliud dubium, vtrùm sacerdos anticipans, vel postponens notabiliter missæ sacrificium, ad aliquam teneantur restitutionem ijs fiendam, à quibus stipendiũ accepe runt. Verbi gratia: Sunt sacerdotes, qui multam missarum multitudinem sub sua fide accipiunt anticipato stipendio, quas per longum tempus non perficiunt, & sunt alij è diuerso, qui cùm non habeant eleemosynas, dicunt missas anticipatas, vt cum posteà aliquis venerit cum eleemosyna ea accepta, missæ iam à se dictæ ei faciant applicationẽ. Dubium est, vtrùm illi suo debito satisfaciãt vel potius ad aliquam teneantur restitutionem? Et quidem, quantum attinet ad postponentes, plana est quæstionis determinatio, cùm certum sit eos peccare, si notabiliter sint in mora & ad restitutionem teneri. Nã, si missa dici iubetur ratione impetrationis, vt pro aliqua necessitate salutis, vel pacis, vel pro iter agente, vel pro quouis alio simili bono, poterit contingere, quod si missa cito diceretur proximus consequeretur bnẽ intentum; ob moram autem sacerdotis, vel nunquam, si iam tempus necessitatis est elapsum, vel tarde illum consequatur, quorum vtrumque in damnum spirituale, vel temporale illius cedit, idque iniuste illatum. Si autem missa dici iubetur ratione satisfactionis præcipuè animarum purgatorij: plana etiam est iniquitas in eo, quòd acerbissimis doloribus detentę debito suffragio non liberantur, quod sine manifesta iniustitia fieri non potest. Et in eodẽ etiã dãno sunt testamentorum exequutores, quorum negligentia similia mala patiuntur defuncti. Peccant ergo mortaliter quicunq; sacerdotes hanc notabilem missarum postpositionem facientes, tenenturq; ad restitutionem modo sibi possibili, atque etiam ad maiorem, quam primum fieri potuerit, dicendum. Non dico teneri sacerdotem, præcipuè mercenariũ, omnes missas statim dicere. Cùm, si ita se gereret, vt nullam eleemosynam acciperet, nisi quãdo nullam aliam priorem obligationẽ haberet, viuere certè non posset: & dum aliam quæreret, oporteret sæpè in vacuum missas dicere. Sed quod affirmo est, non posse eum multas & longinquo tempore anticipatas eleemosynas habere, quod arbitrio boni viri, & suæ conscientiæ, & honestæ commoditati relinquendum censemus. Syluester, verbo, missa,

Quid sit dicendum de postponentibus missas.

q. 10. in fi. de hac re loquens in hunc modum dicit: Si sacerdos dicere tardat, peccat mortaliter, quia faceret iniustitiam expectantibus. Soluere ergo tenetur quã citius potest. ¶ De anticipantibus missas maior est difficultas. Et quidẽ, quòd id licitè fieri non possit, probatur hoc argumento: Missę sacrificium consistit in vsu: tandiu enim est sacrificium, quandiu durat consecratio, oblatio, & sumptio: ergo his finitis iam nõ est sacrificiũ: atque ex consequẽti nec effectus, aut fructus illius. Sed offerre pro aliquo missam sine fructu est defraudare eũ, qui illã petijt: & hoc facit, qui missam iam dictã applicat alicui: ergo non potest pro illa stipendiũ accipere. ¶ Secundò: Missã & quodcunq; opus bonũ, nisi pro certa intẽtione offeratur pertinet ad thesaurum ecclesiæ, cuius dispẽsatio ad solum summũ pontificẽ spectat, vt cõmuniter dicunt Doctores in materia de indulgentijs: sed missæ anticipatæ nõ offeruntur pro certo fine, vt constat: ergo statim ac fuerint dictæ pertinebũt ad thesaurũ ecclesiæ. Atque ex consequenti nõ erit iã positum in potestate sacerdotis, qui illas dixit, eas cui voluerit applicare, sed in potestate summi pontificis. Et sic non poterit sacerdos pro illis stipendia accipere. ¶ Propter hæc argumentã hæc sententia aliqualem habet probabilitatem: quam & tenet Cord. q. illa 4. iam citata dub. 6. Sed vt quid in hac re mihi verũ videatur, explicem dico primò, certum esse, quòd sacerdoti alias missas non habenti est licitum, dicere anticipatas ex illis quas in posterũ dicere debet pro certa intẽtione. Verbi gratia: Habet quis capellaniã, qua singulis hebdomadis ter pro fundatore, & alijs defunctis sacrificare tenetur, & facit tria sacra, quibus satisfacit hebdomadę, dico quòd poterit alias tres missas, quas sequenti hebdomada est celebraturus, in illa facere, & in sequenti hebdomada omnes pro alia intentione offerre: & sic deinceps. Nec in hac re Cordu. dissentit. Probatur: Ille dicit missas pro certa intentione, & ex alia parte persoluit anticipatè; quod est boni debitoris: ergo nulli facit iniuriã. sed potius laudẽ meretur. Maximè, q; citius proderũt illa suffragia defunctis, quã si ad terminũ expectaret. Dico secundò, etiã esse certũ, q; siquis dicat missam pro intẽtione eius, qui solicus est missas cõmendare, adhuc ipso ignorãte, poterit pro missa taliter dicta stipendiũ accipere. Verbi gratia: Nõ habet sacerdos missas, & celebrat pro intentione cuiusdã alterius vel sacerdotis, vel amici, quẽ scit plures missas ad dicendum habere, poterit posteà illũ cõmonere, q; tot sacra peregerit pro eius intentione, & totidẽ pro illis stipendia accipere. Probatur: Nã ille pro certa intentione dicit: & quod alter nõ fuerit præmonitus ab ipso, nullo modo eneruat sacrificij effectũ. Itaque hæc certa sunt: nec de eis aliquẽ dubitare posse arbitror. Sed quod habet difficultatẽ est, de eo, qui anticipatas missas dicit, absque aliqua determinata intentione, applicaturus posteà illas, ijs, qui eleemosynas dederint. Ad cuius explicationẽ aduertẽdũ est, dupliciter adhuc posse aliquẽ dicta sacra peragere. Vno modo nihil cogitando de eorũ reseruatione in posterũ. Alio modo cum expressa vel virtuali intentione in posterum reseruandi illa applicanda pro certa intentione, vel applicãdo ea statim pro illis, quos Deus scit primò eleemosynam daturos? Et quidẽ, si missæ primo modo celebrentur ad thesaurũ ecclesiæ deuenire existimo. Et sic pro illis nec eleemosynas accipere, nec pro missionem, aut applicationẽ amplius facere poterit sacerdos: sed distribuendæ relinquẽtur summo pontifici, sicut & alia bona ad thesaurũ ecclesiæ pertinentia, vt rectè probat argumentũ secundo loco factũ. Si autẽ missæ dicantur secundo modo, probabiliter affirmo fieri posse, quòd quis pro illis posteà recipiat eleemosynã, satisfaciatque promissioni, & applicationi quã pro certa persona facere debet, quanuis Cord. cõtradicat. Et ratio est: Quia illud opus, quanuis sit preteritum respectu nostri, tamen in Dei acceptatione & æternitate manet præsens, ac si eo momento offerretur, atque adeò habet eundẽ valorẽ, quẽ antea habebat, & erat volut in depositò, vsque ad tẽpus applicationis. Sicut & si artifex vas aliquod pretiosum fingeret, illudque Regi offerret, apud se retinendũ vsque dũ idoneũ tẽpus veniret quo ipse artifex debitã satisfactionẽ postularet: nec refert hoc esse permanẽs, sacrificiũ autem missæ successiuum & præteritũ. Nã respectu Dei nec præterita præterierunt, nec futura expectantur, vt veniant, sed omnia tempora supergreditur, suaque æternitate illa omnia recentia & præsentia tenet. Alioqui nec etiam summus pontifex posset missas, & orationes, aliaque bona opera, quæ contenta sunt in Ecclesiæ thesauro, applicare, quoniam iam præterierunt, nec palsio Christi modo placeret patri, cum iam non extet. Quæ tamen Corduba concedere non auderet. Satis est ergo, quòd missæ sacrificiũ extet in æternitate, & diuina acceptatione, vt suum posteà effectum sortiri valeat. Merita mortificata requiescunt, & valent, vt verior & probabilior tenet sententia, & hoc sacrificium, quod nec tempore senescit, nec

Dubium de illis qui dicunt missas anticipatas. 1. Argum.

2. Argum.

1. Dictum certum.

2. Dictum certum.

Puncta difficultatis.

Sententia Autoris.

Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei acceptationem, & æternitatem fugit, reseruatum non valebit? Et per hoc patet solutio ad.1.argum.

Vlt. dubiũ de facientibus dicere missas pro minori stipendio, quã ipsi acceperunt.

¶ Vltimum dubiũ in hoc articulo explicãdum est, vtrũ sacerdos, qui recipit abundantiora stipendia pro missis celebrandis. v. g. duo regalia pro qualibet missa, & ipse alijs sacerdotibus eas cõmendat pro minori stipendio, consueto tamen, puta pro vno regali, sit tutus in conscientia, vel potius ad aliquam teneatur restitutionẽ. Soto lib.9.de iustitia.q.3.ar.1. affirmat huiusmodi sacerdotem licitè id facere, nec ad aliquã restitutionem teneri, dummodo ipse sit curatus, aut eius populi curam habens. Et ratio illius est: Nam cum talis sacerdos iustũ stipendiũ, vt supponitur alijs cõcedat, nulli facit iniuriã; si ipse pro cura & onere, quod ex officio pastorali subit, cui creditum est, vt quo potuerit honesto stipẽdio illas missas pro suis sub diuis faciat celebrari, reliquum accipiat. Si autem sacerdos dans illas missas, non sit curatus, aut eius populi curã gerens, affirmat, quòd nec erit tutus in conscientia, nec liber à restitutione, nisi totum stipendium, quod accepit, alijs tribuat. Nauar. in Manua.c.28. n.91. dicit, quòd nec habens curam, nec nõ habens erit tutus, nisi ex lege, vel consuetudine, vel ex voluntate saltem tacita commẽdantium, dantiumq; maiora solito stipendia sit ordinatum, atque receptum, vt aliqua pars illorum determinata, vel indeterminata, sit pro ipso curato, cui pro debito stipendio, eas missas facere celebrari, incumbit. Quæ sententia proculdubiò est vera, atque tenenda. Et probatur: Curatus ille pro sua diligentia, atque cura, in hoc & in alijs ad salutem subditorum pertinentibus præstanda habet iam aliàs sufficiens stipendium in decimis, & in primitijs, & in alijs particularibus oblationibus pro his, vel illis actibus tractatis: & pro ea cura particulari seu onere, quod ipse libenter subit, nihil est datum neque promissum ab eo, qui ei missas commẽdauit, qui & solum pro stipendio sustentationis id dedit celebranti: ergo nullo iusto titulo potest de illo stipendio quidquam sibi accipere, nisi altero omnino liberaliter remittente, quod de nullo est præsumendũ, etiam si dicat se libere donare. Dat enim non daturus, si aliter stipẽdium habere posset, vt contingit in soluente vsuras; atque ex consequenti dat non plenè volũtariè, quod satis est, vt ipse curatus peccet accipiens, & ad restitutionem teneatur. Et si hoc est verum de curatis, quid erit dicendum de alijs sacerdotibus, nisi quod peccant grauissimè, & ad restitutionem tenentur? Si enim is cõtractus honestus esset, liceret quidem vnicuiq; ditari innumeras missas vndiq; congregando, pro quibus abundantia stipendia sunt assignata, & faciẽdo eas celebrari pro diminutis stipendijs, residuumque sibi reseruando. Quod quam turpe sit lucrum, & scandalosum manifestãque iniustitiam continens, nullus est qui ambigat.

Sententia Nauarri vera & tenenda.

Sententia Soti.

Quæstio de defraudãte in vna vel in duabus missis.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an sacerdos, qui in vna, vel duabus missis aliquem defraudat, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur. Et videtur pars negatiua verat nam vnum vel duo argentei non sunt materia peccati mortalis; atque ex consequenti nec necessario restituendi, vt diximus in materia de restitutione. In contrarium tamen est: Nam qui defraudat proximum in vna, vel in duabus missis, in spiritualibus damnificat plurimum, scilicet, in gratia, in satisfactione, in impetratione, aliisque inæstimabilibus huius sacramenti effectibus. Imò poterit aliquando contingere, quòd maxima vtilitas rei impetrandæ, vel satisfactionis maximè defuncti, impediatur ex eo, quòd quis sacrificium offerre desijt; ad quod ex lege iustitiæ tenebatur.

Responsio.

¶ Ad hanc difficultatem breuiter respondendum censeo sub distinctione. Nam vel ille, qui missam commendauit, cognouit eam esse omissam; quia ex ore sacerdotis id audiuit, vel alia via: aut id omnino ignorat. Si sciuit, dico nullam restitutionem ei esse faciendam sub mortali, nec ratione damni temporalis, nec spiritualis. Non ratione temporalis, quod inuoluntariè patitur: nam vnius, vel duorum argenteorum quantitas non est materia sufficiens peccati mortalis. Nec ratione damni spiritualis, quia postquam res est cognita poterit ipse aliam missam commendare ad leues expensas, si voluerit; & si non commendat iam videtur remittere iniuriam, vel saltem non reputare illam grauem: quod est satis, vt venialis culpa habeatur. Si autem ille, qui missam dici iussit, ignorat, quòd non fuerit dicta, tunc tenebitur sacerdos sub mortali illam per se, aut per alium dicere. Alioqui erit efficiens causa magni damni spiritualis. Vel certè tenebitur, vt à mortali liberetur, significare alteri, quòd missam non dixerit. A peccato omnino non liberatur. Nam ratione eleemosynæ fraudulenter acceptæ peccabit peccato furti, quanuis ex leuitate materiæ erit solum venialiter. Et hæc dicta sint de toto isto articulo.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

¶ Vtrùm omnes teneantur ad sacrificia offerenda.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd non omnes teneãtur ad sacrificia offerenda. Dicit enim Apostol. Roman.3. Quæcunque lex loquitur, his qui sunt in lege loquitur. Sed lex de sacrificijs non fuit omnibus data, sed soli populo Hebræorum: ergo non omnes ad sacrificia tenebantur.

2 ¶ Præterea, Sacrificia Deo offeruntur ad aliquid significandum. Sed nõest omnium huiusmodi significationes intelligere: ergo non omnes tenentur ad sacrificia offerenda.

3 ¶ Præterea, Ex hoc sacerdotes dicuntur, quod sacrificium Deo offerunt. Sed non omnes sunt sacerdotes: ergo non omnes tenentur ad sacrificia offerenda.

Ar.1.huius q.

¶ SED CONTRA est, quòd sacrificium offerre est de lege naturæ, vt suprà *habitum est. Ad ea autem quæ sunt legis naturæ omnes tenentur: ergo omnes tenentur ad sacrificium Deo offerendum.

Ar.2.huius q.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd duplex est sacrificium, sicut* dictum est, quorum primum & principale est sacrificium interius, ad quod omnes tenẽtur: omnes enim tenentur Deo deuotam mentem offerre. Aliud autem est sacrificium exterius quod in duo diuidi tur. Nam quoddam est quod ex hoc solum laudẽ habet quòd Deo aliquid exterius offertur in protestationem diuinæ subiectionis: & ad hoc aliter tenenturilli qui sunt sub lege noua, vel veteri, aliter illi qui non sunt sub lege. Nam illi qui sunt sub lege, tenentur ad determinata sacrificia offerẽda secundum legis præcepta. Illi vero qui non erãt sub lege tenebantur ad aliqua exterius faciẽda in honorem diuinum, secundum cõ decentiam ad eos inter quos habitabãt, non autem determinate ad hæc vel ad illa. Aliud vero est exterius sacrificiũ, quando actus exteriores aliarũ virtutũ in diuinã reuerentiã assumũtur. Quorũ quidã cadũt sub præcepto, ad quos omnes tenentur. Quidãvero sunt supererogationis ad quos non omnes tenentur.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ad illa determinata sacrificia, quæ in lege erant præcepta, non omnes tenebantur. Tenebantur tamen ad aliqua sacrificia interiora vel exteriora, vt dictum* est.

In corp.ar.

¶ Ad secundum dicendum, quòd quamuis nõ omnes sciant explicitè virtutem sacrificiorum, sciunt tamen implicite, sicut & habent fidem implicitã, vt suprà* habitum est.

Q.3.ar.7.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sacerdotes offerunt sacrificia quæ sunt specialiter ordinata ad cultum diuinum, non solum pro se, sed etiam pro alijs. Quædam verò sunt alia sacrificia, quæ quilibet potest pro se Deo offerre, vt ex suprà* dictis patet.

In corp.ar. 1.ar.2.& 3

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quod sacrificium potest esse duplex: vnum interuum mente immolatũ, alterũ externum re foris exhibitum; quod adhuc est duplex, vnum, quod sic est sacrificium, vt nullam habeat aliunde laudem; aliud quod per se quidem officium est virtutis, & relatum in reuerentiam Dei fit aliquo modo sacrificium; respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per quatuor propositiones. Prima conclusio: Ad sacrificium mẽtis internum non solum antiqui in lege scripta, & Christiani sub lege gratiæ: sed & mortalium vniuersitas lege naturæ tenetur. Probatur: Nam nullus viuentium existit, qui quatenus est Dei creatura, & ad ipsum, tanquam ad suum finem tendit, ei illam reuerentiam intus exhibere non teneatur, quæ primo rerum principio summoque fini debetur. Secunda conclusio: Ad illa sacrificia, quæ sola significatione religionis virtutem induunt, tantum tenentur qui sub scripta Dei lege viuunt, quales erant patres veteris testamenti, qui ad suorum sacrificiorum numerum, & sunt Christiani, qui ad vnicũ nostrum Eucharistiæ sacrificium, tenemur. Probatur ex Paulo ad Romanos tertio dicente; Quæcunque lex loquitur his, qui sunt in lege loquitur. Certum est enim, quod lex vetus solum obligabat suos subditos

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut & nos nostra. Tertia conclusio: Adhuc solo naturali iure viuentes quocunque seculo fuerunt, vel futuri sunt, eodem iure fuerunt astricti ad exhibendum Deo aliquod exterius sacrificium; quo secundum legitimam cognitionem quam de vna prima causa habere tenentur, illi profiteatur se esse subiectos, honoreque diuinos debere. Probatur: Nam eo ipso, quod quis nouerit vnum primum rerum principium, debet etiam intelligere illi se esse subiectum, atque adeò non solum mente, verum & corpore obligari illum colere. Quarta conclusio: Sacrificia, quæ ab extrinseco sic dicũtur, hoc est, cuncta virtutum opera vniuersi tenentur Deo offerre, vel actuali, vel virtuali relatione. Probatur: Nam vnusquisq; tenetur proponere vni primæ causæ seruire, declinando à malo, & sequendo bonum, offerreque illi cuncta officia, & obsequia sua.

QVAESTIO LXXXVI.
de Oblationibus & Primicijs, inquatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.
¶ Vtrum homines teneantur ad oblationes ex necessitate præcepti.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod homines non teneantur ad oblationes ex necessitate præcepti. Non enim homines tẽpore Euangelij tenentur ad obseruanda cæremonialia præcepta veteris legis, vt suprà habitum * est. Sed oblationes offerre ponitur inter cæremonialia præcepta veteris legis. Dicitur enim Exod. 23. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Et postea subditur. Non apparebis in cõspectu meo vacuus: ergo ad oblationes non tenentur nunc homines ex necessitate præcepti. 1.2.q.103 ar.3.& 4.

2 ¶ Præterea, Oblationes antequã fiãt, in voluntate hominis consistunt: vt videtur per hoc quòd Dominus dicit Matt.5. Si offers munus tuũ ad altare: quasi hoc arbitrio offerentiũ relinquatur. Postquã autẽ oblationes sunt factæ, non restat locus iterato offerendi eas: ergo nullo modo aliquis ex necessitate præcepti ad oblationes tenetur.

3 ¶ Præterea, Quicunque aliquid tenetur reddere Ecclesiæ, si non reddat, potest ad id compelli per subtractionem Ecclesiasticorum sacramentorum. Sed illicitum videtur his qui offerre noluerint, ecclesiastica sacramenta denegare, secundum illud Decretum sextæ synodi, quod habetur 1.quæst.1. Nullus qui sacram communionem dispensat, à percipiente gratiam aliquid exigat: si vero exegerit, deponatur: ergo non tenentur homines ex necessitate salutis ad oblationes.

¶ SED CONTRA est, quòd Gregor.* dicit, Omnis Christianus procuret ad missarum solemnia aliquid Deo offerre. *Greg.7.& habetur de Conse d.1. cap.omnis Christian* Qu. præt. ar.3.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum * est, nomen oblationis commune est ad omnes res quæ in cultum Dei exhibentur: ita quòd si aliquid exhibeatur in cultum diuinum, quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debeat consumendum est, & oblatio est, & sacrificium. Vnde Exo.25. dicitur Offeres totum arietem in incensum super altare. Oblatio est Domino odor suauissimus victimæ Dei. Et Leu.2. dicitur: Anima cùm obtulerit oblationẽ sacrificij Deo, simul erit eius oblatio. Si vero sic exhibeatur, vt integrũ maneat diuino cultui deputandum vel in vsus ministrorũ expendendum, erit oblatio & non sacrificium. Huiusmodi ergo oblationes de sui ratione habent quod voluntarie offerantur, secundum illud Exo.25. Ab homine qui offert vltroneus accipietis eas. Potest tamen contingere quod aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione.

¶ Primò quidem ex præcedenti conuentione: sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem census.

¶ Secundò, propter præcedentem deputationem siue promissionem: sicut cum aliquis offert donatione inter viuos, vel cum relinquit in testamento Ecclesiæ aliquam rem mobilem vel

vel immobilem in posterum soluendã.

¶ Tertio modo, propter Ecclesiæ necessitatem, pura, si ministri Ecclesiæ nõ haberent vnde sustentarentur.

¶ Quarto, propter consuetudinẽ. Tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas. Tamen in his duobus vltimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scilicet quantum ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in noua lege homines non tenẽtur ad oblationes, causa solemnitatum legalium, vt in Exodo dicitur: sed ex qui busdam alijs causis, vt dictum * est. In corp.ar.

¶ Ad secundũ dicendũ, quòd ad oblationes faciendas tenentur aliqui, & antequam fiant: sicut in primo, & tertio, & quarto modo, & etiam postquam eas fecerint per deputationem siue promissionem. Tenentur enim realiter exhibere quod est Ecclesiæ per modum deputationis oblatum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd illi qui oblationes debitas non reddunt, possunt puniri per subtractionem sacramentorum, non per ipsum sacerdotem cui sunt oblationes faciẽdę, nevideatur per sacramentorum exhibitionem aliquid exigere, sed per superiorem aliquem.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito discrimine, quod est inter oblationem, & sacrificium; nam oblatio dicitur omne illud, quod Deo offertur, & sacrificium solùm est oblatio rei, quæ immolatur; ex quo fit, quod oblatio latius pateat, quã sacrificium: atque etiã supposito, quod oblatio naturali sua significatione importat vltro neam exhibitionem, iuxta illud Exo. Ab homine, qui offert vltroneus accipietis eas; respondet D. Tho. ad propositam difficultatem per vnicã conclusionem, quæ talis est: Oblationes: quadruplici ex causa possunt cadere sub præcepto. Primo quidem, ex præcedenti conuentione, vt quando Ecclesia fundum aliquem ciui confert retenta pensione, statis temporibus referenda: quæ pactio census rationem induit. Secundo, propter præcedentem deputationem, vt quando res donatione, vel pollicitatione, aut testamenti legatione debetur. Tertiò propter Ecclesiæ necessitatem, vt si aliunde ministri ali, sustentarique non possunt. Quarto & vltimò, propter consuetudinem, quæ in ius transit, vt si consuetum est certis solemnitatibus hoc, vel illud offerri. Quamuis in his duobus vltimis casibus oblationis quantitas relinquatur vouentis libertati.

EXPLICATIO ARTICVLI.

INstitutum D. Thomæ à quæstione octuagesima quarta inclusiue, vsque ad octuagesimam octauam exclusiue fuit agere de exterioribus actibus religionis, nempe, adoratione, sacrificiis, oblationibus, atq; decimis. Explicatisque iam duobus prioribus, incipit in præsenti agere de tertio. Ad cuius intelligentiam præsupponit, quòd oblationis verbum omnes actiones, quibus res quæcunque ad diuinum cultum exhibentur, ambit. Ex quo fit, vt oblatio latior, atque patentior vox sit, quam sacrificium: quidquid enim est sacrificium censetur oblatio non tamen è contra. Cùm enim aliquid offertur, quod integrum est permansurum, hoc est, quod sacrificio ipso non insumitur, nec circa illud aliqua fit cæremonia, sed Ecclesiæ offertur, siue in fabricam, siue in ministros cedat, oblatio dicitur, sacrificium autem non est, nisi oblatio rei, quæ immolatur, quales erant oblationes animalium in veteri testamento, & in lege Euangelica sacrificium altaris. Differt autem oblatio à decimis. Tum; quia decima solum est omnium bonorum mobilium licitè acquisitorum pars decima Deo data, diuinaq; constitutione debita, vt constat ex cap. 1. de decimis, & ca. parrochia. & capitu. non est, & c. tua nobis. & ca. cum non sit in homine, eodem titu. Oblatio verò non solũ de decima parte rerum mobilium, sed etiam de quibuscunque aliis etiam immobilibus fieri potest. Tum præterea, quia secundum Hostiensem in summa de decimis §. primo. oblatio offertur Deo immediatè, hoc est ad cultum Dei. Cum tamen decimæ non offerantur immediatè Deo, sed eius ministris, scilicet, alendis: aut dispensaturis. Differt etiam oblatio à primitiis in eo, quod primitiæ, solũ est prima pars frugum, siue fructuum Domino offerenda. Et intellige prima hoc est, dignitate præcipua, & Domino, id est, diuino cultui. Offerebantur enim primitiæ per modum oblationis, vt docet Diu. Thomas articulo quarto huius quæstionis. At verò oblatio non solum ad primas partes

Discrimen inter oblationem & sacrificium

Discrimen inter oblationem & decimam.

Discrimen inter oblationem & primitias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

frugum aut fructuum; sed etiam ad omnia se extendere potest: qua ratione nummi, & cereι, & in exequiis panis & vinū oblationes dicuntur. Ex quo fit, vt primiciæ species quædam oblationis sint. Propterea que D. Tho. in hac quæstione sub vno & eodem titulo simul agit de oblationibus, & primicijs. Secundum autem Panormitanum in cap. fina. de verbo. sig. ad oblationem tria requiruntur. Primum quod offerens sit Christianus. Ab infidelibus enim oblationem Ecclesia non recipit: sed æstimationem oblationis pro interesse vt constat ex cap. quanto. de vsu. Secundum quod is, cui offertur sit Ecclesia. Nam id quod fit priuatæ personæ, etiam Ecclesiasticæ, non oblatio sed donatio est dicē dum. Tertium, vt res data sit licitè acquisita, alia enim pro oblatione non accipiuntur. ca. quia in omnibus, de vsu, & c. ex trāsmissa, de decimis. Intelligitur autē aliquid illicite acquiri dupliciter, scilicet, vel cōtra iustitiā vt in furto, vel mediante peccato, vt in meretricio.

Ad oblationem tria necessaria.

De modis quibus oblationer possunt esse in præcepto

¶ Quātū attinet ad ius offerēdi, dicit D. Tho. in hoc articulo quadrupliciter posse cōtingere, quod oblatio cadat sub præcepto. Primo ex præcedēti cōuentione. Secūdo ex præcedē ti donatione, vel pollicitatione, aut testamēti legatione. Tertio propter Ecclesiæ necessitatem. Quarto propter cōsuetudinē, quæ in ius transit. Sed omisso priori modo tanquā alieno ab hoc instituto (quæ enim ex præcedenti cōuentione donātur, vt cū Ecclesia fundum aliquem alicui conferat retenta pēsione statis tēporibus reddenda, potiùs habēt rationē cēsus, quā oblationis) circa alios tres aliqua breuiter adnotare oportebit. Vnde circa secundum dico illius extare textus in ca. qui oblationes. & duobus sequentibus. Quibus sub anathematis censura præcipitur, vt defuncto rum oblationes seu donatas, seu legatas, illi, quibus incumbit, facile & absque mora persoluant. Sunt enim plane debitæ. Et de omnibus oblationibus generaliter extat cap. præter hoc. 52. d. & c. statuimus. 16. qu. 1. quibus eandem animaduersionem oblationes debitas retinentibus, Ecclesia comminatur: quare sub peccato mortali illas reddere tenebūtur.

De obligatione exdonatione.

De obligatione propter Ecclesiæ necessitatem.

De tertio modo, qui est propter necessitatem Ecclesiæ, est aduertendum, quod ille est valde legitimus. Nam cum Christianorum religio in sacramentorum administratione, & susceptione, in sacrificiique oblatione posita sit, sit, vt quisque populus sub reatu criminalis impietatis, tum templum pro sua facultate extruere, tum etiam & ministros alere, cultuique necessaria contribuere iure naturali teneatur. Et sic vbi decimæ non soluuntur nec aliunde ad huiusmodi sumptus prouisum est, tenebitur illos populus de sua substantia suppeditare. Quod si renuerit per censuras Ecclesiasticas, atque adeò si opus fuerit, iudicii secularis animaduersione, potestis compelli. Vt significare videtur Paulus 1. ad Corinthios 9. Vbi plus iuris ministris altaris suppetere docet ad subsidia temporalia recipienda, quam habet miles ad suum stipendium, & ad vineæ fructum, qui illam plantauit, & qui gregem pascit ad fruendum lacte. Dicit enim in hunc modum: Quis militat suis stipendiis vnquā? Quis plantauit vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? Nam propter nos vtique scripta sunt. Quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi: si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus. &c. Erat, vt arbitror, Corinthi præceptores nōnulli opulenti, qui gloriæ ducebant alios gratis instruere, moliebanturque vt Apostolo quæstus ex doctrina cibus ad ignominiam cederet. Qua re cognita, dicit in illo capitulo se nolle à discipulis victum sumere, ne quod offendiculum det Euangelio Christi: tametsi id ei iure naturæ sit permissum. Omnis enim, qui militat, iustum accipit militiæ stipendium ab eo cui militat. Et omnis, qui in vineæ cultura laborem & operam impendit, condignum accipit sui laboris, atque operis præmium, ab eo, cui laborat & qui gregem pascit pro labore & cura ac diligentia, quam in pascendo impendit, debet inde sustentari & quæ sunt necessaria sumere. Et ne humanis rationibus solis ipsum agete existimarent: ecce diuinæ scripturæ inquit habemus testimonium. In lege enim Moysi præceptum est, boui laboranti in tritura ad vsum humanum, non denegari victus necessaria: sed illa in laboris præmium reddi. An verò hoc in præcepto putamus de bobus, animalibus brutis, principalem curam, & primariam Deum habuisse? Ego verò multo magis puto de prædicatoribus præceptum istud debere intelligi. Sunt enim hæc propter nos scripta, & sub boum nomine de nobis pro Christo laborantibus præceptum est datum, vt intelligatur, vnumquemque operarium mercede sustentationis dignum esse, quoniam qui arat ex labore fructū sperare mercedis optimo iure potest. Et qui in tritura laborat mercedem debitā iustè expectat.

Egregium testimoniū Pauli.

Nos

Nosigitur qui vobis seminauimus, multa prædicationis diligētia, spiritualia, si vestris temporalibus bonis vtamur ad necessitatem non magnum vobis videri debebit. &c. Cum ergo ex sententia Pauli non minus debeatur ministris euāgelij cōgrua sustētatio, quā militi suū stipendium, & mercenario merces, pro qua seruit, sequitur, quod vbi ista nō suppetit, tenebitur populus illā tribuere, & si renuerit ad id per cēsuras Ecclesiasticas, & si opus fuerit, iudicii secularis potestate cōpelli, sicut & iure cōpelleretur ille, pro quo alii quis militat, aut in vineæ cultura laborat ad soluendum debitum stipendium, atque mercedē vtriq;. ¶ De quarto modo, quo oblatio potest cadere sub præcepto, scilicet, propter consuetudinē, quæ in ius trāsiit, aduertendū est, quod Angelus de Clauasio in summa existimat, oblationes nō posse esse in præcepto ex cōsuetudine, quia sunt liberæ facultatis. Et idē videtur tenere summa Rossella. Contrarium tamē affirmāt cōmuniter omnes Doctores, tam Theologi, quam iurisprudentes. Imò & ipse Angelus videtur sibi ipsi aduersari, cùm dicat primicias esse in præcepto ratione cōsuetudinis, & nō est maior ratio de illis, quā de aliis oblationib⁹. Præterquā, quod si huiusmodi cōsuetudo nō est obligatoria, vix inueniri poterit alia, quæ obligationem induceat. Est enim valde rationabilis, & à tēpore, cuius nō extat memoria præscripta. Nec ratio Angeli aliquid valet. Falsum est enim dicere, quod oblationes sunt semper liberæ facultatis. Imo aliquando sunt necessitatis, & iuris naturæ: atque adeo consuetudo potest eas determinare ad certos dies. Quamuis etiā tunc retineant aliquid voluntarii quantum ad quantitatem, vt dicit D. Thom. in fine articuli. Est tamen aduertendum cum Syluestro in summa. verbo. decima qu. 2. in fine, quod oblationes sunt in præcepto ratione consuetudinis, eo modo, quo est consuetudo, scilicet, quod offerat maior pars populi, & nō semper singuli de populo, nec in omnibus festiuitatibus. Quare non erit imputandum, mortale peccatum alicui, ex eo, quod rarò & ex aliqua causa, nempe, quia non habet ad manum quid det, oblationem intermittit. Postquam autem ciuitas est solita oblationem, vel certum quid Ecclesiæ dare, illud per statutum mutare non poterit, secundum Panormitanum in capit. abolendæ. de sepulturis, de mente Bartol. in leg. priuilegia. Cod. de sacrosan. Ecclesiis, per textum illum, qui dicit, Solita ab antiquo Ecclesiis, & ministris tribui, aliquo modo non debent immutari. Sed est hoc intelligendum dummodo aliter de intentione inducentium consuetudinem, ex quo consuetudo habet vim obligandi, non constaret, vt docet Syluester in summa verbo. consuetudo. §. 13. Quare si constat oblationem fuisse introductam pro fabrica alicuius Ecclesiæ, ea completa licitè mutabitur, non obstante quacunque temporis præscriptione.

De obligatione ex cōsuetudine.

Articvlvs II.

¶ Vtrum solum sacerdotibus debeantur oblationes.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd oblationes non solum sacerdotibus debeantur. Inter oblationes enim præcipue videmus esse quæ hostiarum sacrificijs deputantur. Sed ea quæ pauperibus dantur, in scripturis hostiæ dicuntur, secundum illud Hebræo. vlti. Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur Deus: ergo multo magis oblationes pauperibus debentur.

2¶ Præterea, In multis parochijs monachi de oblationibus partem habent. Alia autem est cura clericorum, alia monachorum, vt Hieron. * dicit: ergo non solum sacerdotibus oblationes debentur.

Ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ 2 med. to. 1.

3¶ Præterea, Laici de voluntate Ecclesiæ emunt oblationes, vt panes & huiusmodi. Sed non nisi vt hæc in suos vsus conuertant: ergo oblationrs possunt etiam ad laicos pertinere.

¶ Sed Contra est, quod dicit Canon Damasi Papæ, & habetur * 10 quæstione 1. Oblationes quæ intra sanctam Ecclesiam offeruntur tantum modo sacerdotibus qui quotidie Domino seruire videntur, licet comedere & bibere: quia in veteri testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filijs Israel nisi tantummodo Aaron & filijs eius.

Habetur 10.q.1.cā. hanc cōsuetudinem.

¶ Respondeo dicendum, quòd sacerdos quodammodo constituitur sequester, & medius inter populum & Deum, sicut de Moyse legitur Deuterono. 5. Et ideo ad eum pertinet diuina dogmata & sacramenta exhibere populo. Et iterum ea, quæ sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

populi,puta preces & sacrificia & oblationes per eum Domino debent exhiberi,secundum illud Apost.ad Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum,vt offerat dona & sacrificia pro peccatis . Et ideo oblationes,quæ à populo Deo exhibentur , ad sacerdotes pertinent non solum vt eas in suos vsus conuertãt,verum etiam vt fideliter eas dispensent.Partim quidem expendendo eas in his quæ pertinẽt ad cultum diuinum . Partim verò in his, quæ pertinent ad proprium victũ: quia qui altari deseruiunt,cum altari participant, vt dicitur primæ ad Corinth.9. Partim etiam in vsus pauperum , qui sunt,quantum fieri potest,de rebus Ecclesiæ sustentandi:quia & Dominus in vsum pauperum loculos habebat, vt Hieron y * dicit super Matth.

Refertur simile 12.q 1.ca.habebat. & Hieron.Matt. 17.vbi dicto.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod ea quæ pauperibus dantur , sicut non proprie sunt sacrificia, dicuntur tamen sacrificia inquantum eis dantur propter Deum:ita etiam secundum eãdem rationem oblationes dici possunt: tamen non proprie dictæ: quia non immediate Deo offeruntur. Oblationes vero proprie dictæ in vsum pauperũ cedũt,nõ per dispensationẽ offerentiũ:sed per dispensationẽ sacerdotum.

¶ Ad secundũ dicẽdũ,quòd monachi siue alij religiosi possunt oblationes recipere tripliciter.Vno modo sicut pauperes per dispensationẽ sacerdotũ, vel ordinationẽ Ecclesiæ,alio modo si sint ministri altaris, tunc possunt accipere oblationes sponte oblatas.Tertio modo si parochiæ sint eorum : & tunc ex debito possunt accipere oblationes tanquam Ecclesiæ rectores.

¶ Ad tertium dicendum , quòd oblationes postquam fuerint consecratæ,non possunt cedere in vsum laicorum:sicut vasa & vestimenta sacra. Et hoc modo intelligitur dictum * Damasi Pap.Illa vero quæ nõ sunt cõsecrata, possant in vsum laicorũ cedere ex dispẽsatione sacerdotũ,siue per modũ donationis,siue per modum venditionis.

Citatum in arg. Sed cõtra 10.q 1 Hanc cons.

Svmma Textvs.

Ad hanc difficultatem respondet Diu. Thomas per duas propositiones. Prima conclusio: Vniuersorum oblationum , quæ à plebe Deo exhibentur dispensatio pertinet ad sacerdotes.Probatur:Oblatio genere suo non est,nisi rei , quæ Deo ad cultum religionis dicatur (est enim in præsenti sermo de sacris , & non de secularibus oblationibus)sed inter homines & Deum sacerdos est sequester constitutus, & quodam modo medium(sicut de Moyse legitur Deutero.5.)quia illi incumbit,tum diuina dogmata per Deum reuelata populum docere, tum etiam & sacramenta per ipsum instituta eidẽ populo,ipsius nomine administrare. Et vice versa eius munus etiã est ex parte populi coram Deo stare,& eius preces ad ipsum fundere,sacrificiaque ei offerre,ac dona, & oblationes& munera præsentare,iuxta illud Pauli ad Heb.5.Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis,quæ sunt ad Deum,vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis:ergo omnium munerum,quæ populus Deo dicare constituit, vsus, administratio, & dispensatio pertinet ad sacerdotes.Secunda conclusio:sacerdotes trifariam possunt iis,quæ ad diuinum cultum offeruntur vti.Primo in fabricam & reparationem Ecclesiarum, in apparatumque eorum , quæ ad diuinum cultum pertinent. Secundo,in suum ipsorum proprium victum, quia vt ait Paulus,qui altario seruit de altario viuere debet.Tertio,in subsidium pauperum,quos bonis Ecclesiasticis pasci,& sustentari condecet.

Explicatio Articvli.

Materia huius articuli longissimam requirebat disputationem de bonis Ecclesiasticis,& de illis,ad quos eorum dominiũ pertinebat,cum D.Thom.in secunda conclusione dicat,illa in tres vsus esse diuidenda,scilicet,in fabricam Ecclesiarum,in victum ministrorum & in subsidium pauperum.Et in prima conclusione affirmat vniuersarum oblationum,quæ à plebe exhibentur dispensationem pertinere ad sacerdotes . Sed quoniam est iam mihi in animo cætera, quæ dicenda manent,maiori qua potero breuitate præstringere,ne volumen istud suum iustum terminum excedat,omissis pluribus , quæ de hac re dici poterant , paucis, & breuibus sermonibus , quæ ad tantæ rei explicationem fuerint necessaria,comprehendere curabo . Quod vt faciam , aduertendum est primò , quod bona Ecclesiasticorum sunt in

Bona ecclesiasticorum quæ dã sunt patrimonialia & alia Ecclesiastica.

in duplici differentia . Quædam enim sunt patrimonialia,quæ per successionem hæreditariã,aut per donationẽ,aut per alios contractus sibi acquisierunt,sicut & laici.Et de his non loquimur in præsenti,cum certũsit apud omnes horum bonorum verum,& legitimũ dominium esse penes ipsos Ecclesiasticos.Vnde,quamuis ea superfluè & prodigè consumant,nec in fabricas Ecclesiarũ, aut in pauperum sustẽtationem illa distribuant,ad nullam tenebuntur restitutionem.Imò adhuc dicunt Doctores, quod si vltra bona patrimonialia habet clericus Ecclesiasticũ beneficiũ, potest illa patrimonialia bona sibi reseruare, & redditus beneficii in proprios vsus cõuertere.Ità tenet D.Tho.in infra q.185.ar.7.ad 5.& Caietanus ibidem.& Syluest. verbo.Clericus. 4.§.12. & Soto libro 10 de Iustitia q. 4.artic.3.ad 2.Et Innocẽtius in c.Episcopus, de præbendis. Hostiensis & Panormitanus ibidẽ.Et probatur ex c.cùm secundum Apostolum,de præben.Vbi dicitur,quod cum secundum Apostolum,qui altario seruit de altario viuere debeat,potestũ clerici de patrimonio Iesu Christi viuere , cuius obsequio sunt deputati,vt ipsa nominis significatio per se habet. Idem definitur in concilio Agathẽsi,& refertur 1.q.1.cap.clerici.Vbi habetur, quod clerici omnes,qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deseruiunt stipendia sanctis laboribus debita secundum seruitii sui meritũ per ordinationẽ canonũ à sacerdotibus cõsequantur.¶ Et si quis obiiciat,quod in c. clericos.1.qu.2.dicit D.Hieron. Clericos illos conuenit stipendiis Ecclesiæ sustẽtari,quibus parentum,& propinquorũ nulla suffragãtur bona:Qui autẽ bonis parentũ,& opibus suis sustentari possunt,si quod pauperũ est, accipiunt,sacrilegium profectò committũt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant & bibunt;respondetur primò cũ D. Tho.loco citato textũ illum esse intelligendũ in casu extremæ necessitatis.Tũc enim grauissimè peccaret Episcopus,aut sacerdos qui cũ posset ex bonis patrimonialibus viuere bona Ecclesiæ pauperibus non erogaret,sed in suos vsus illa conuerteret.Adhuc tamen nec tunc teneretur ad restitutionem, vt aduertit Caietanus;quia illa bona ecclesiastica sunt debita ministris pro ipsorum seruicio. Vel secundo respõdetur cum magistro Soto, quod D.Hieronymus loquitur pro illo tempore, quo clerici in communi viuebant.Tũc enim dabatur eis optio,vt vel bona, quæ habebãt parentibus suisque necessariis relinquerẽt,& de Ecclesiæ fructibus cum reliquis pauperibus vitam ducerent;aut si mallent sua retinerent,quæ sibi sufficerent : sed tunc sumptui parcerent eorum, quæ in communi possidebantur.Vel tertiò respondetur cum Conrado;quod verba illa D. Hieronymi non sunt intelligenda de illis bonis Ecclesiæ,quæ pro ministerio tãquam stipendia clericis deputãtur,sed de illis,quæ facta diuisione bonorum Ecclesiæ,de qua statim dicemus,pauperibus erant specialiter assignata.De his enim viuere nõ licebat clericis, cum aliunde habebant vnde sustentarentur.Et istæ duæ solutiones vltimæ magis videntur accedere ad verba ipsius textus.Et quod diximus de bonis patrimonialibus clericorum,est etiam intelligendum de quibuscunque aliis bonis sibi aliunde,quam ex redditibus ecclesiasticis prouenientibus, vt habet expresse Panormitanus in cap.de Episcopis.& Nauarrus,& Soto & alii.Estque diffinitum in cap.sixum. 12.q.5. Alia bona sunt ecclesiastica . Et hæc adhuc sunt in multiplici differentia.Quædam enim fuerunt collata Ecclesiæ à fidelibus,vt ex illis viuerẽt clerici,& pauperes , sicut Act.4.legitur,quod omnes,qui habebant possessiones domos,& agros vendebantilla,& offerebant pretia ad pedes Apostolorum,vt inde subueniretur vnicuiq;,sicut cuique opus erat.Postea autem visum fuit conuenientius,nõ vendere tales possessiones,sed tradere illas Ecclesiis,vt ex illis ministri,& pauperes,tã præsentes,quã futuri alerentur,vt dicit Melchiades Papa in ca.futuram. 12.q.1.& Vrbanus in capi.videntes. eadem causa,& quæstione. Alia bona ecclesiastica sunt,quæ postmodũ fuerũt Ecclesiis oblata,tanquam stipendia conuenientia pro clericis , & ministris capellanias,& memorias perpetuas celebrantibus, quæ communiter appellantur anniuersalia. Nec huiusmodi bona habẽtibus alicuius pauperis sustentandi,aut fami subueniendi , sed solius memoriæ celebrandæ munus fuit iunctum . Alia bona ecclesiastica sunt , quæ quotidie clericis tribuuntur pro missis, & officiis defunctorum celebrandis,quæ vocabulo vulgari appellantur,pie de altar. Alia autem , & præcipua bona sunt bona beneficiorum,quæ ex decimis constant; de quibus fit mentio .16.quæstione prima,capitulo,decimæ, & extra de decimis per totum.

Obiectio.

Responsio.

¶ Secundo est aduertendum , varios fuisse ecclesiæ status. Nam in principio fideles in communi , & ex bonis communibus viuebant, qui status , & modus viuendi decentissimus erat , præcipue clericis, si commode seruari potuisset , vt dicit Clemens Papa in capitulo dilectissimi , & Vrbanus in capitulo videntes , & in capitulo scimus. 12. quæstione 1.Et quando clerici sic viuebant in communi,bona illacõmunia cõmissa

Varij fuerũt Ecclesiæ status.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erant fidei, & dispensationi Episcopi, vt ex illis vnicuique distribueret quidquid cuiq; opus erat, vt habetur expresse in ca. Episcopus,& in c.præcipimus.12. qu.1.Postea autē crescente numero clericorū, cū non possent in communi viuere,& Episcopi bona illa infideliter distribuerent;præceperunt summi Pōtifices vt ex illis bonis cōmunibus, quatuor portiones fierent,vna Episcopo, altera clero,tertia fabricæ,quarta pauperibus distribuēdu.Nec est necesse intelligere, quod omnes illæ portiones æquales essent. Istā diuisionē bonorū Ecclesiæ fecit Simplicius Papa circa annū Domini 470.in quodā concilio tempore Aug atque Hieronymi celebrato;eiusque mētio fit in c. de redditibus.12.q.2. Eandem diuisionem postea confirmauit Gelasius Papa,vt cōstat ex c.vobis enim.& ex c.quatuor eadēm causa,& quæstione & ex beato. Gre. in cap.mos. & in cap. cognoscimus,ibidem. His cōstitutis,dico primò,quod clerici sunt veri Domini fructuum prouenientiū ex possessionibus ecclesiasticis, sibi ratione alicuius ministerii clericalis concessis,aque etiā illorū bonorū,quæ pro anniuersariis, & aliis ecclesiasticis officiis conferuntur. Ex quo fit, vt quāuis peccent mortaliter nōn conferēdo pauperibus ea, quæ ex his bonis superfuerint,nō tamen tenentur ad restitutionē. Ità tenet Soto lib.10.de iustitia & iure q.4.art.3.& videtur esse sententia D.Tho.infra 185.ar.7.& est expressa sententia Panormitani in c.cum esset.de testamentis nu.26.& Nauarri tract.de reddit.q.1.n.7. Et probatur. Pauperes sunt veri domini illorum bonorum,quæ sibi in eleemosynā conferuntur:ergo & clerici illorum,quæ sibi tribuūtur pro ministeriis ecclesiasticis. Nec refert,an huiusmodi bona sint tēporalia,& quotidiana,an verò perpetua,Antecedens est manifestū,& consequentia probatur: Nam longè maior ratio est,propter quam clerici acquirant dominium,quā pauperes. Secundo: Nullo alio titulo meliùs transfertur dominium,quam libera volūtate conferentis;vt enim habet Instituta de rerū diuisione.§.per traditionē, & de acquirēdis rerū dñiis leg.ea ratione.§.literæ.nihil est tā conueniēs æquitati naturali, quā voluntatē dñi liberè trāsferentis ratā haberi:sed qui tribuūt clericis bona pro ipsorū ministeriis volunt illorum dominium in clericos transferre,ergo verè trāsfertur,atq; ex cōsequēti clerici habēt verum dominiū illorum bonorū. Vltimo,Ea,quæ magistratibus ciuilibus,& iudicibus tribuūtur pro ministerio, quo reipublicæ seruiūt,transeunt in illorū dominiū:ergo & ea,quæ cōceduntur clericis pro Ecclesiæ ministerio. Probo consequentiā: Nā multo melius seruiunt isti Ecclesiæ, quā illi reipublicæ. ¶ Dico secundo,bonorū,quæ à fidelibus fuerint data pauperibus,si Episcopi, & alii clerici ea vsurpauerint, aut pauperibus nō erogauerint, tenētur ad restitutionem. Et idē est dicēdū de bonis hospitaliū. Ità habetur expresse in Clemētina,quia cōtingit.de religiosis domibus,& in Cōcilio Trid.sess.25.c.8.de reformatione. Et probatur manifestè: Quia,vt docet D.Thom.supra q.62.ar.1.ad 3.& Soto li.4.de iustitia,quæ.6.art.1.ad vltimum,quando aliquis omittit distribuere bona,quæ distribuere tenetur,ex vi iustitiæ cōmutatiuæ obligatur illa distribuere:sed sic est quod Episcopus, & quicunque alii clerici, quibus ex officio incumbit illa bona distribuere,ad id tenentur ex vi iustitiæ commutatiuæ:ergo si nō distribuāt tenebūtur ad restitutionem. De aliis autem bonis Ecclesiasticis maior est difficultas. Quare in illis oportebit tempora distinguere. Nā si loquamur de illo tempore,in quo bona Ecclesiæ habebantur in communi pro indiuiso,dico tertio, quod Episcopus non habebat plenum dominium illorum bonorum,sed sicut tenebatur tribuere clero, & fabricæ suas portiones,ità etiā & dare pauperibus suā:& si non daret,teneretur ad restitutionem. Ita dicunt communiter omnes Doctores: Et probatur ex capitibus superius citatis. Et præterea ratione: Quia qui pluribus collata sibi reseruat, non solùm peccat,sed etiā tenetur ad restitutionē:sed Episcopus nō destribuens partē illorū bonorum pauperibus,retinet sibi cōmunia: ergo peccat,& tenetur ad restitutionē. Et cōfirmatur: Si non daret clero & fabricis de huiusmodi bonis portiones debitas peccaret, & ad restitutionē teneretur:ergo & si nō dat pauperibus. Probo consequentiam: Nam domini ità dederunt partē illorum bonorū pauperibus,sicut fabricæ & clero. Vtrùm autem tunc temporis dominium omnium illorum bonorum esset apud solum Episcopum,& clerum,cum onere tamē erogandi aliquam partem pauperibus. An verò etiā dominium alicuius partis esset penes pauperes, varietate opinionum disputatur à Doctoribus,canonistis communiter affirmātibus, pauperes esse veros dños illius partis,quæ illis erat tribuenda. In hoc tamē dico quartò multò verius & probabilius esse quod solum penes Episcopū & clerū totale illorum bonorum dominium residebat,cū onere & obligatione tribuendi pauperibus illam partem. Ità tenet Soto loco citato. Et probatur: ius percipiendi decimas est spirituale, conuenitque Ecclesiasticis ratione ministerii,quo Ecclesiæ seruiunt: ergo non potest laicis cōuenire:atque ex consequenti

1. Dictum

2. Dictum

3. Dictum

4. Dictum.

sequenti nec pauperibus: & sic non habent dominium illorum bonorum. Ita tenet D. Thom.quodl.2.art.8.& infra quæstione 87. art.3. Et Caietanus ibidē. Dico vltimò,quod facta iam diuisione bonorum singulę partes erunt in potestate, & dominio illius, cui in ipsa diuisione fuerint applicatę. Et qui vltra partem sibi debitam aliquid acceperit peccabit mortaliter,& ad restitutionem tenebitur, tanquam ille, qui rem alienam accipit inuito domino rationabiliter. Ex dictis infertur, quod quando D.Thomas affirmat in hoc articulo, sacerdotes tripliciter posse vti ijs,quæ ad diuinum cultum offeruntur,scilicet, in fabricam Ecclesiarum, in suum ipsorum proprium victum,& in subsidium pauperum,non sic est intelligendus,quasi voluerit significare, quod pro sua voluntate possunt tales oblationes in quemlibet istorum vsuum conuertere,sed in singulos iuxta ordinem distributionis, qui vel ex lege,aut consuetudine, vel ex voluntate offerentium fuerit determinatus. Nam qui rem debitam Ecclesiæ, aut pauperibus to propriam valitatem cōuerterit,peccabit mortaliter,& ad restitutionem obligabitur. Eorum autem quæ ad Ecclesiæ sumptus dedicantur, Episcopus est administrator,ac dispensator,vel canonicorum collegium secundum morem, qui legitimus sit. Et sic est verum, quod affirmat D.Thom.in prima cōclusione, scilicet,quod omnium oblationum quæ à plebe Deo exhibentur,dispensatio pertinet ad sacerdotes, quamuis non omnia transeant in ipsorum dominium.

Vltimum dictum.

Articvlvs III.

¶ Vtrùm homo possit oblationes facere de omnibus rebus licite possessis.

Ad Tertivm sic proceditur. Videtur, quòd non possit homo oblationes facere de omnibus rebus licite possessis: quia secundum iura humana turpiter facit meretrix in hoc quòd est meretrix:non tamen turpiter accipit, & ita licite possidet. Sed non licet de ea facere oblationem, secundum illud Deuteron. 23. Non offeres mercedem prostibuli in domo domini Dei tui: ergo non licet facere oblationem de omnibus licite possessis.

2 ¶ Præterea, Ibidem prohibetur quòd pretium canis non offeratur in domo Dei. Sed manifestum est, quòd pretium canis iuste venditi iuste possidetur: ergo non licet de omnibus iuste possessis oblationem facere.

3 ¶ Præterea, Malach. 1. dicitur: Si offeratis claudum & languidum nōne malum est? Sed claudum & languidum est animal iuste possessum: ergo videtur quod non de omni iuste possesso possit oblatio fieri.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Prouerb.3. Honora Dominum Deum tuum de tua substātia. Ad substantiam autem hominis pertinet quicquid iuste possidet:ergo de omnibus iuste possessis potest fieri oblatio.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut Augustin *dicit in libro de Verbis Domini, si deprædaueris aliquem inualidum, & de spoliis eius dares alicui iudici, si pro te iudicaret, tanta vis est iustitiæ, vt & tibi displiceret. Non est talis Deus tuus, qualis non debes esse nec tu. Et ideo dicitur Eccle.34. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata. Vnde patet quòd de iniuste acquisitis & possessis non potest oblatio fieri. In veteri autem lege in qua figuræ seruiebatur,quædam propter significationem reputabantur immunda, quæ offerre non licebat. Sed in lege noua omnis creatura Dei reputatur munda, vt dicitur ad Timo 1. Et ideo quantum est de se, de quolibet licite possesso potest oblatio fieri. Per accidens autem contingit quòd de aliquo licite possesso,oblatio fieri non potest puta,si vergat in detrimentum alterius, vt si filius aliquis offerat Deo id vnde debet patrem nutrire. Quod Dominus improbat Matth. 15. Vel propter scandalum, vel propter contemptum, vel aliquid aliud huiusmodi.

*Ser.35.an te med. to. 10.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd in veteri lege prohibebatur oblatio de mercede prostibuli propter immunditiam. In noua autem lege propter scandalum: ne videatur Ecclesia fauere peccato, si de lucro peccati oblationem recipiat.

¶ Ad secundum dicendum, quòd canis secundum legem reputabatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

animal immundum. Alia tamen animalia immunda redimebantur: & eorum pretium poterat offerri, secũdum illud Leuit vlti. Si immundum animal est, redimet qui obtulerit. Sed canis nec offerebatur, nec redimebatur, Tũ quia idolatræ canibus vtebantur in sacrificijs idolorum. Tum etiam quia significant rapacitatem, de qua non potest fieri oblatio. Sed hæc prohibitio cessat in noua lege.

¶ Ad tertium dicendum, quòd oblatio animalis cæci vel claudi reddebatur illicita tripliciter. Vno modo, ratione eius ad quod offerebatur. Vnde dicitur Malach. 1. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Sacrificia autem oportebat esse immaculata. Secundo, ex contemptu. Vnde ibidem subditur: Vos polluistis nomen meum in eo quod dicitis: mensa Domini contaminata est & quod supponitur, contemptibile est. Tertio modo, ex voto præcedenti, ex quo obligatur homo, vt integrũ reddat quod vouit. Vnde ibidem subditur. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & vorum faciens immolat debile Domino. Et hæ causæ manent in lege noua: quibus tamen cessantibus non est illicitum.

Svmma Textvs.

AD propositam difficultatem, respondet D. Thom. tribus propositionibus. Prima conclusio: De rebus iniustè acquisitis, atque possessis nulla Deo licitè potest fieri oblatio. Hanc probat in argumento sed contra ex illo Prouer. 3. Honora Dominum Deum tuum de tua substantia. Certum est enim, quod ad substantiam hominis non pertinet quidquid iniustè possidetur. Et in corpore articuli hac ratione. Oblatio cum sit religionis actus non debet esse iustitiæ violatio; sicut enim vero omnia vera: sic etiam & vnius virtutis actui, omnes aliæ virtutes debent consonate: sed cuncta iniustè parta ex lege iustitiæ sunt restituenda: ergo nequeunt Deo per religionem dicari. Et cõfirmatur ex D. Augustino qui sermone 35. de verbis Domini, ad id declarandum pulcherrimum affert exemplum. Dicens: Si deprædaueris aliquem inualidum, & de spolijs eius dares alicui iudici, qui pro te iudicaret, tanta vis est iustitiæ, vt & tibi displiceret. Non est talis Deus tuus, qualis non debes esse neque tu. Secunda conclusio: Quantum per se attinet ad rei naturam, de quacunque re iustè possessa potest licitè fieri oblatio. Probatur: Nam, quamuis in veteri lege in qua figuræ seruiebatur, quædam res propter significationem ità reputabantur immundæ, vt de illis oblationes Deo facere non liceret: iam tamen in lege noua omnis creatura reputatur munda, iuxta illud Pauli ad Titum 3. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum. Tertia conclusio: Potest aliquando cõtingere, quod oblatio, quæ per se erat licita, ex accidenti commaculetur, & reddatur illicita. Vt si, verbi gratia, filius Deo offerat id, quo debet patrem sustentare. Nam cum ad operis honestatem non satis sit, quod ex suo genere sit bonum: sed vltra hoc requiritur, quod quę circunstant sint honesta, fieri poterit vt ex defectu alicuius circunstantiæ, oblatio, quæ ex se esset licita, reddatur illicita, atq; peccatum.

Explicatio Articvli.

CONclusiones huius articuli sunt certæ, & extra controuersiam positæ. Certum est enim, quod omnis actus humanus, quamuis ex obiecto sit bonus, ex circunstantijs potest reddi malus. Et sic contingit in oblationibus, quod redduntur interdum illicitæ ex eis, quæ circunstant. D. Thom. in solutione ad 3. triplicem assignat rationem illicitæ oblationis animalis cæci, aut claudi. Prima desumitur ex improportione oblatæ rei ad sacrificium. Secunda ex eo, quod ipsa res contemptibilis contemptibilem reddit diuinum cultum. Tertia ex voti vinculo. Et ex omnibus his causis possunt etiam reddi illicitę oblationes in lege noua. Propter primam nanque non licet vinum acetosum, aut farinam fere corruptam offerre pro sacrificio Eucharistiæ, quia immaculato sacrificio sola immaculata materia est proportionata. Et propter hoc dicebat Deus Malachiæ 1. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Sacrificia enim oportet esse immaculata. Propter secundã rationem, vestes concubinarum non debent vbi sunt cognitæ, in sacras transferri vestes. Iuxta illud, quod in eodem capitulo subditur: Vos polluistis nomen meum in eo, quod dicitis: Mensa Domini contaminata est: & quod supponitur contemptibile est. Propter tertiam autem rationem, qui vouit vitulum non satisfaciet si infirmum illum offerat: quia votum intelligitur

Ex triplici ratione potest oblatio reddi illicita.

ligitur de vitulo in bono statu. Et sic dicebat Deus in eodem primo capitulo Malachiæ: Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino. Vbi autem quis qualem habet rem Deo offert, & nihil horum incõuenientium sequitur, benefacit. Potest etiam oblatio reddi illicita ex eo, quod quamuis id, quod offertur, licitè possideatur, ex misericordia tamen debetur potius alteri, quam quod in templo debeat offerri. Et ex hac causa, dicit D. Tho. Qui haberet patrem in necessitate constitutum, & ex illis, quibus deberet ei subuenire, oblationes faceret, peccatum committeret, iuxta doctrinam Christi Domini traditam apud Matth. cap. 15.

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco: quid nam sit in vniuersum conducentius, & ad diuinum cultum accommodatius, bona nostra ad conficienda celebrandaque sacrificia elargiri, vel potius in egenorum subsidia illa dinidere? Et quidem, quod sit melius illa pro oblationibus, & sacrificijs tribuere probatur ex eo, quod per sacrificium Deo propius re ipsa accedimus. In contrarium tamen ipsa miserorum egestas reclamare videtur. ¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertẽdum est, quod vnumquodque vnius opus è duobus præcipue inter alia æstimari potest, quãnam ad finem perfectionem, scilicet, ex obiecto à quo finem speciem sortitur; & ex necessitate, cui charitas semper succurrere satagit. Si ad primam dumtaxat rationem respiciamus, certum est sacras oblationes, atque sacrificia reliquis eleemosynis longe præstare. Est enim religio, quæ Dei reuerentiam pro obiecto habet, non modo misericordia, verum & vniuersis alijs moralibus, vtpote quę non nisi erga proximos versantur, excellentior virtus, vt docuit D. Thom. supra quæst. 81. art. 6. Et secundum istam rationem Christus apud Matth. cap. 26. officium, & causam Magdalenæ, quæ ipsum dispendio pretiosissimi vnguenti vnxerat, aduersus indignantes discipulos, qui opus misericordiæ pluris faciebant, defendit, dicens: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit. Quasi diceret: Quare mulieri huic iniustè exhibetis negotium? Quare aduersus illam sine causa vestrum quidam indignantur, & obmurmurant? Opus enim istud in reuerentiam ipsius Dei exhibitum, religione sua anteferendum est misericordiæ, de qua vos loquimini. Non cõdemnat misericordiam in pau-

Perfectio operis considerari potest vel ex obiecto vel ex necessitate.

peres, quin potius illam maximè commendat, dicens, pauperes semper habebitis vobiscum. Sed quod facit, est ostendere, quod actus ille religionis, quo non solum diuinitatis manifestatem, atque immortalitatem pretioso illo incorruptibilique vnguento confessa est: sed etiam incorruptionem humanitatis præsignauit, longe præstatius esse quacunque eleemolyna. Si autem consideremus operis perfectionem ex necessitate, sic etiam est certissimum, quod necessitatis pondus, vnde virtus, & præcipue misericordia incrementa suscipit, aliquando potest efficere, vt ad diuinum cultum sit multo conferentius, atque optatius opem ferre miseris, quam oblationes & sacrificia facere. Et ratio est: Nam sacrificia nõ in Dei vtilitatem, qui bonorum nostrorum non eget, sed in eius duntaxat honorem & gloriam, & ad nostram deuotionem excitandam celebrantur & offeruntur. Tanta autem est Deo hominum cura, vt eorum vtilitatem sæpe sæpius pluris ad sui charitatem, ac subinde gloriam æstimet, quam reliqua sacrificia. Et præcipuè postquam ipse Deus, cum dines esset, vt ait Paulus, propter nos egenus factus est: & nostras miserias ac ærumnas vsque adeò suas fecit, vt in die iudicij cotã angelorum, hominumque vniuersitate confiteri non sit veriturus, ipsum apud nos esuriuisse, nudumq; fuisse, & mendicum, quia homines hæc mala patiuntur. Imo quod magis est mirandũ, cum pene infinita peccata cõmiserint homines in Deũ immediata, qualia sunt illa, quæ in sacramenta fiunt, & peccata hæreticorũ, eorum duntaxat, dicit in die iudicij ratione exacturum, & pro illis supplicia petiturum, quæ contra homines fuerint inuenta. Non quia priora impunita relinquentur, sed quia tanti facit homines, vt pene videatur suorum obliuisci, cum de iniurijs eis illatis, vindictam sumit. Discedite à me, inquit, maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c. Hæc ideo tam late dixi: quia sunt multi, qui falso existimant, maius se obsequium Deo præstare, maximè cum ab hac luce recedunt, si omnia bona sua in amplissimum missarum numerum, & in capellanias expendant, quam si illa pauperibus distribuerint. Cùm tamen verum sit, quod quamuis in Ecclesiæ ortu illa essent valde necessaria, & vbi modo desunt sint etiam confulenda: tamen vbi diuinus cultus satis est celebris, multo erit consultius, egenorum calamitates leuare. Ideo Christus in Euangelio crebrius nos huius misericordiæ admonitos esse voluit, quam vt eleemosynas in sacrificia conuertere-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uerteremus. Imo apud Matth. 9. obiurgans phariſæos: quia hoc ita non intellexerint dixit illis: Euntes diſcite, quid eſt: Miſericordiam volo, non ſacrificium. Oratio quidem, & ſatisfactio ſacrificij acceptiſsima eſt: ſed eleemoſyna, quæ præcipuum eſt charitatis officium, & pauperum orationes etiam ſunt, teſte Chriſto, valde efficaces, vt nos in æterna recipiant tabernacula.

Articvlvs IIII.

¶ Vtrùm ad primicias ſoluendas homines teneantur.

AD Qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd ad primicias ſoluendas homines non teneantur: quia Exod. 13. data lege primogenitorum ſubditur: Erit quaſi ſignum in manu tua, & ita videtur eſſe præceptum cæremoniale. Sed præcepta cæremonialia non ſunt ſeruanda in lege noua: ergo neque primiciæ ſunt ſoluendæ.

2 ¶ Præterea, Primiciæ offerebantur Domino pro ſpeciali beneficio illi populo exhibito. Vnde dicitur Deutero. 26. Tolles de cunctis frugibus tuis primicias, accedeſque ad ſacerdotem qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo quòd ingreſſus ſum terram pro qua iurauit patribus noſtris vt daret eam nobis: ergo aliæ nationes non tenentur ad primicias ſoluendas.

3 ¶ Præterea, Illud ad quod aliquis tenetur debet eſſe determinatum. Sed non inuenitur, nec in noua lege, nec in veteri determinata quantitas primiciarum: ergo ad eas ſoluendas non tenentur homines ex neceſsitate.

16.q.7.ca. decimas.

¶ Sed Contra eſt, quod dicitur 16 quæſt. 7. oportet decimas & primicias, quas iure ſacerdotum eſſe ſancimus ab omni populo accipere.

¶ Respondeo dicendum, quòd primiciæ ad quoddam genus oblationum pertinent: quia Deo exhibentur cum quadam profeſsione vt habetur Deutero. 25. Vnde & ibidem ſubditur: Suſcipiens ſacerdos cartallum, ſcilicet primiciarum de manu eius qui defert primicias, ponat ante altare Domini Dei tui. Et poſtea mandatur ei quod dicat. Ideirco nunc offero primicias frugum terræ quas Dominus dedit mihi. Offerebantur autē primiciæ ex ſpeciali cauſa ſcilicet in recognitionem diuini beneficij, quaſi aliquis profiteatur ſe à Deo fructus terræ percipere: & ideo ſe teneri ad aliquid de huiuſmodi Deo exhibendum: ſecundum illud 1. Paral. vlti. Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Et quia Deo debemus exhibere id quod præcipuū eſt, ideo primicias quaſi præcipuum aliquid de fructibus terræ præceptū fuit Deo offerre. Et quia ſacerdos conſtituitur pro populo in his, quę ſunt ad Deum, ideo primiciæ oblatæ à populo in vſum ſacerdotum cedebant. Vnde dicitur Num. 18. Locutus eſt Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi cuſtodiam primiciarum mearum. Pertinet autem ad ius naturale, vt homo ex rebus ſibi datis à Deo, aliquid exhibeat ad eius honorem. Sed quòd talibus perſonis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri lege iure diuino determinatum, in noua autem lege definitur per determinationem Eccleſiæ, ex qua homines obligantur, vt primicias ſoluant ſecundum cōſuetudinem patriæ, & indigentiam miniſtrorum Eccleſiæ.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd cęremonialia proprie erant in ſignum futuri, & ideo ad præſentiam veritatis ſignificaræ ceſſauerunt. Oblatio autem primiciarum fuit in ſignum præteriti beneficij, ex quo etiam debitum recognitionis cauſatur ſecundum dictamen rationis naturalis: & ideo in generali huiuſmodi oblatio manet.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd primiciæ offerebārur in veteri lege nō ſolum propter beneficium fructuum terræ promiſsionis datæ à Deo, ſed etiā propter beneficium fructuum terræ à Deo datorum. Vnde dicitur Deute. 26. Offero tibi primicias frugum terræ, quas Dominus Deus dedit mihi. Et hęc ſecunda cauſa apud omnes eſt communis. Poteſt etiam dici quod ſicut Iudæis ſpeciali quodam beneficio terram promiſsionis contulit Deus, ita generali beneficio toti humano generi contulit terræ dominium, ſecūdum illud Pſalm. 113. Terram autem dedit filijs hominum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut Hier. * dicit ex maiorum traditione introductum eſt, quod qui plurimū, quadrageſimam partem dabant ſacerdotibus loco primitiarum; qui minimum, ſexageſimam. Vnde videtur quod inter hos terminos ſint primitiæ offerendæ ſecundum conſuetudinem patriæ. Rationabiliter tamen primitiarum quantitas non fuit determinata in lege, quia ſicut dictum * eſt, primitiæ dantur per modū oblationis, de cuius ratione eſt, quòd ſint voluntariæ.

Referturin decret. li. 3 ti. 30. ca. 1 à med. illiur.

In corp. ar.

Summa Textvs.

IN hoc articulo, vnicam dumtaxat conſtituit D. Thom. concluſionem, quę talis eſt: Homines tenentur ad primicias Deo ſoluendas, quaſi præcipuum aliquid de fructibus terrę in recognitionem diuini beneficij. Probatur in argumento, ſed contra ex capit. decimas. 16. qu. 7. Vbi in hunc modum dicitur: Oportet decimas, & primitias, quas iure ſacerdotum eſſe ſancimus ab omni populo accipere. Et in corpore articuli hac ratione: Nā ad ius naturę pertinet, vt homo ex rebus ſibi datis à Deo, aliquid exhibeat ad eius honorem: Quod autem id talibus perſonis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate in veteri lege fuit à Deo determinatum. In noua autem lege diffinitur per determinationem Eccleſiæ: ex qua homines obligantur ſecundum conſuetudinem patriæ & indigentiam miniſtrorum decimas & primicias ſoluere: ergo.

Explicatio Articvli.

QVamuis vniuerſus ritus offerendi primicias in Eccleſia ſit de iure poſitiuo: eius tamen nomen, atque principium ex veteri teſtamento habuiſſe ortum videtur. Ibi enim ſæpe fit mentio de illis: & ordo qui in eis offerēdis haberi deberet explicatur. Erat autem ſpecies quædam oblationis: nam exhibebantur cum quadam proteſtatione, vt D. Thom. dicit in hoc articulo, & colligere licet ex Deuteron. ca. 26. Vbi hæc verba ponuntur: Cum intrueris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus eſt poſſidendam, & obtinueris eam atque habitaueris in ea, tolles de cunctis frugibus tuis primicias, & pones in cartallo, pergeſque ad locum, quem Dominus tuus elegerit, vt ibi invocetur nomen eius. Accedeſque ad ſacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſim in terram, pro qua iurauit patribus noſtris, vt daret eam nobis. Suſcipiensque ſacerdos cartallum de manu eius ponet ante altare Domini Dei tui, &c. Itaque primiciæ ſingularis ſpecies oblationis exiſtentes à cęteris omnibus quatuor modis, quos hic tangit D. Thom. differebant. Primus eſt in materia. Nam primiciæ non offerebantur, niſi de primitiis, & optimis fructuum, & frugum initijs: cum tamen oblationes in genere de aliis rebus fieri poſſent. Nonnulli affirmant nomine primiciarum non primam, ſed optimam eſſe intelligendam. Ad quem modum dicunt, quod Abel obtulit de pinguedine gregis. Sed textus Numerorum 18. vtcumque ſignificat, dicit enim ibi Dominus ad Aaron: Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quidquid offerunt primiciarum tibi dedi. Quibus verbis optima quæque in primicijs dari declaratur. Et ſubdit ſtatim: vniuerſa frugum initia, quæ gigni humus, & Domino deputantur, cedet in vſus tuos: ea forſan ratione, quod primum ſemper cenſetur optimum. Secundò differebāt primiciæ ab aliis oblationibus in cauſa. Reddebantur enim primiciæ Deo ex cauſa ſpeciali, nempe, in recognitionem beneficij collati in ingreſſu terræ promiſsionis, & in proteſtationem, quod quidquid ex terræ fructibus percipiebant, Deo autore illis proueniret, vt conſtat ex loco citato Deuteronomij. Et tamen oblationes in genere quæcūque ex cauſa offerebantur. Tertio differebant in modo. Offerebantur enim primiciæ particularibus cæremonijs. Suſcipiebat enim ſacerdos cartallum, hoc eſt, caniſtrum primiciarū de manu eius, qui eas deferebat & ponebat ante altare Domini: commemorataſque Dei beneficijs in hunc modum: Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eſt in paucisſimo numero, creuitque in gentem magnam, & robuſtam. Afflixeruntque nos Ægyptij, &c. Hæc verba dicebat: Ideirco nunc offero primicias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi, &c. At verò in alijs oblationibus nihil horum fiebat. Quartò differebant ex parte eorum, in quorum vſum exhibebantur. Nam cum Deo pro beneficio rependerentur, inter quem, & populum

Primiciæ in veteri lege quadrupliciter differebāt ab aliis oblationibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulum sacerdos est sequester, vt dixit Diuus Thomas art. 2. huius quæstionis, in eius singularem vsum cedebant ad differentiam decimarum, quæ totam Leui tribum contingebant. Et sic Numer. 18. dixit Dominus ad Aaron: Omnes primicias sanctuarij, quas offerunt filij Israel Domino, tibi dedi, & filijs ac filiabus tuis iure perpetuo. Filijs autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Hoc quantum attinet ad primicias veteris testamenti. Nam de illis, quæ conferuntur in lege noua, certum est, quod nec quantum ad modum, nec quàtum ad causam conueniunt cum illis, sed solũ dantur ex præcepto Ecclesiæ, vel in debitam ministrorum sustentationem, vel in Ecclesiæ ædificationem, ad quam populus ex lege naturæ tenetur, vt iam sæpe diximus. Dantur autem per modum oblationis, in gratitudinẽ beneficiorum à Deo acceptorum. Idẽ enim ius naturæ docet, vt grati simus eis, à quibus beneficia accipimus, & cum Deus sit primus naturalium omnium beneficiorum autor, ratio postulare videbatur, vt ei primas, omniũ quæ nobis natura confert, pensiones daremus. Si parentibus, à quibus vitam habemus, vt quarto nos loco Decalogus admonet, in quo nulla alia, nisi naturalia præcepta continentur, honorem præstare, & de eis, quæ ad victum nostrum possidemus, dum egent, succurrere strictè obligamur, quanto strictiori iure Deum, in quo viuimus, mouemur, & sumus, nostrorum omnium bonorum autorem profiteri, & eandem ei recognitionem, non quidem propter eius indigentiam, quæ nulla est, sed propter nostrum commodum, & eius gloriam exhibere debebimus?

De primicijs quæ solũ tur in lege Euangelica.

Obiectio. ¶ Etsi quis obijciat, hanc rationem non esse propriam ad debitum primiciarum concludendum: sed tantum conuincere, quod teneantur homines, iure naturæ, Deo sacrificia offerre, quibus illum conditorem nostrum profiteamur, vt diximus in superioribus, primiciæ autem longè distant à sacrificijs, cum sint simplices oblationes.

Solutio. ¶ Respondeo, quod aliter nobis naturalis ratio sacrificia persuadet, & aliter reliquas oblationes, præsertim primicias. Nam quia Deus est supremum ens, & per se bonum, à quo esse, & vitam accepimus, diuinos ei honores, & obedientiam præstamus: & hac ratione illi, rem diuinam facimus, & sacrificamus. Quia autem præterea fructus terræ nobis quotidie suppeditat, colligimus, ad eius honorem accedere de ijs, quæ nobis donat partem ei libare, & præcipuè rerum primicias, quibus profiteamur illum esse primum atque supremum principium, cuius nutu sol, terra, atque aer hæc nobis affatim progignunt. Fuitque hæc ratio adeò omnibus hominibus nota, vt Romani, autore Plinio in eorum historia li. 18. capit. 2. nihil antèa de terræ nascentibus degustarent, quam sacerdotes nouarum frugum ac vini primicias libarent. ¶ De quantitate primiciarum nihil vel in veteri, vel in nouo testamento scriptum legimus, præterquam illud Ezechi. 45. Hæc sunt primiciæ, quas tolletis sextam partem Ephi de coro frumenti & hordei, mensura quoque olei. Batus olei decima pars cori est, &c. In libro Leuitici cap. 12. & in libro Numer. capit. 8. præceptum erat à Deo literis mandatum, vt filij primogeniti, expletis diebus purgationis, deferrentur ad templum, vbi Domino pro illis offerretur agnus anniculus, & pullus columbæ, seu turtur, aut saltem par turturum, aut pullorum columbarum, ab ijs, qui ob inopiam agnum offerre non poterant. Quam ob causam sanctissima virgo Deigenitrix ob paupertatem suam non agnum obtulit, sed par turturum, aut duos pullos columbarum. Imo dicere poterimus, quod obtulit agnum illum immaculatum, de quo sanctificatus Baptista dicebat: Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi. De alijs autem rebus nulla alia legitur facta determinatio in lege, quantum ad quantitatem primiciarũ, sed determinatur à propheta in hoc loco, dũ pro primicijs frumẽti, & hordei, sexta pars Ephi: & pro primicijs olei batus, & pro primicijs arietum, ex grege ducentorũ, vnus offerri præcipitur. D. Hieronymus super istum locum dicit hæc verba: Ad decimas pertinere. Est enim Ephus decima pars cori, sicut batus in liquidis: qui corus triginta continebat modios. Et subdit statim: At vero primiciæ, quas de frugibus offerebant, non erant speciali nomine diffinitæ: sed offerentium arbitrio derelictæ: Sed quidquid fuerit de hoc in veteri lege: quantum attinet ad nouam, certum est, nullam esse determinatam quo tam pro primicijs: sed in Hispania sicut prouentus vltra decem modios obuenerint, vnum soluit, nec plus etiam si vsque mille, aut decem millia ascenderint. Et in alijs locis tenuior est solutio, plurimũque in hoc consuetudini defertur. Imò vbi decimæ ad totum Ecclesiarum cultum abundarent, non esset cur primiciæ, legis obligatione exigerentur. Et quod diximus, naturale ius primicias solui iubere, non sic est intelligendum, quasi determinatè id præcipiat, sed quod est valde consonum rationi, vt ab Ecclesia præcipiatur. Eò vel maximè, cum nullus effectus ex primicijs prouenirat, qui idem

De quantitate primiciarum.

Refertur hæc verba Hieronymus extra de decimis cap. 1.

idem ex decimis resultare non possit. Olim primiciæ singulariter sacerdotibus obueniebant, & decimæ Leuitis, vt ex loco Numerorum supra citato sufficienter colligitur. Sed nunc vice versa decimæ sunt sacerdotum, & primiciæ maiori ex parte sacristis, sacrorumque ædificijs deputantur, vel in fabricæ sumptus designantur: nec exactè deposcitur, vt de primis soluantur fructibus, nec de oleribus, aut leguminibus: sed de frugibus tantum. Hæc enim omnia in veteri testamento legalia erant, & quibus nos minime obligamur modò. Vnum dubium principale poterat hic disputari, qua ratione nunc Ecclesia præcipiat, vt vetus ritus primiciarum seruetur à fidelibus, cum illa omnia, quæ legalia erant, atque cæremonialia omnino cessauerint? Sed quoniam eadem prorsus difficultas est de decimis, relinquitur vsque in quæstionem sequentem, articulo primo, examinanda.

QVÆSTIO LXXXVII.

De Decimis, in quatuor articulos diuisa.

Articvlvs I.

¶ Vtrum homines teneantur dare decimas ex necessitate præcepti.

Quolib. 2. artic. 8. Et quo. 6. art. 10. cor. & Heb. 7.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd homines non teneantur dare decimas ex necessitate præcepti. Præceptum enim de solutione decimarum in lege veteri datur, vt patet Leuit. 27. Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt. Et infra: Omnium decimarum ouis, & bouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit sanctificabitur Domino: Nõ autem potest computari hoc inter præcepta moralia: quia ratio naturalis non magis dictat quòd decima pars debeat magis dari, quàm nona, vel vndecima: ergo vel est præceptum iudiciale vel cæremoniale.

1. 2. q. 103 ar. 3. & q. 104. ar. 3. Sed, sicut supra habitum * est, tempore gratiæ non obligantur homines neque ad præcepta cæremonialia, neque ad iudicialia veteris legis: ergo homines nunc non obligantur ad decimarum solutionem.

2 ¶ Præterea, Illa sola homines seruare tenentur tempore gratiæ, quæ à Christo per Apostolos sunt mandata, secundum illud Matth. vlti. Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis. Et Paulus dicit, Actuum. 20. Nõ enim subterfugi quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei, Sed neque in doctrina Christi, neque in doctrina Apostolorum, aliquid continetur de solutione decimarum. Nam quòd Dominus de decimis dicit, Matt. 23. Væ vobis qui decimatis mentam & rutam, &c. hæc oportuit facere. Ad tẽpus præteritum legalis obseruantiæ referendum videtur. Dicit enim * Hilarius super Matth. Decimatio illa olerum quæ in præfigurationem futurorum erat vtilis, non debebat omitti. ergo homines tempore gratiæ non tenentur ad decimarum solutionem.

Canone 24 circa med.

3 ¶ Præterea, Homines tempore gratiæ non magis tenentur ad obseruantiam legalium, quàm ante legem. Sed ante legem non dabantur decimæ ex præcepto, sed solum ex voto. Legitur enim Genes. 28. quòd Iacob vouit votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in viâ qua ambulo, &c. cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi: ergo etiam neque tempore gratiæ tenentur homines ad decimarum solutionem.

4 ¶ Præterea, In veteri lege tenebantur homines ad triplices decimas soluendas, quarum quasdam soluebant Leuitis. Dicitur enim Nume. 18. Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt: quas in vsus eorum & necessaria separaui. Erant quoq; aliæ decimæ, de quibus legitur Deutero. 14. Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis quæ nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Deus. Erant quoque & aliæ decimæ de quibus ibidem subditur: Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas, venietque Leuita qui aliam non habet partem, neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque possessionem tecum : & peregrinus ac pupillus, & vidua qui intra portas tuas sunt,& comedent, & saturabuntur.Sed ad secundas & tertias decimas homines non tenentur tempore gratiæ:ergo neque ad primas.

3 ¶ Præterea, Quod sine determinatione temporis debetur,nisi statim soluatur,obligat ad peccatum.Si ergo homines tempore gratiæ obligarentur ex necessitate præcepti ad decimas soluendas in terris in quibus decimæ non soluuntur, omnes essent in peccato mortali.Et per consequens etiam ministri Ecclesiæ,dissimulando: quod videtur inconueniens. Non ergo homines tempore gratiæ ex necessitate tenētur ad solutionem decimarum.

Aug.in ser. 1.Dominica 12.post. Trin.Et in ser.de Tēp. 119.to.10. Et habetur 16.q.1.ca. Decimæ.à medio.

¶ Sed Contra est, quod Aug.* dicit,& habetur 16. q. 1. Decimæ ex debito requiruntur,& qui eas dare noluerint,res alienas inuadunt.

¶ Respondeo dicendum, quòd decimæ in veteri lege dabantur ad sustentationem ministrorum Dei. Vnde dicitur Malach.3. Inferte omnem decimationem in horreum meum: vt sit cibus in domo mea. Vnde præceptum de solutione decimarum, partim quidem erat morale inditum naturali rationi: partim autem erat iudiciale, ex diuina institutione robur habens. Quod enim eis qui diuino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret : ratio naturalis dictat, sicut & his qui communi vtilitati inuigilant, scilicet Principibus & militibus,& alijs huiusmodi, stipendia victus debentur à populo. Vnde & Apostolus hoc probat primæ ad Corinth. 9. Per humanas consuetudines dicens. Quis militat suis stipendijs vnquam, aut quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit? Sed determinatio certæ partis exhibendæ ministris diuini cultus, non est de iure naturali, sed est introducta institutione diuina secundum conditionem illius populi cui lex dabatur, qui cum in duodecim tribus esset diuisus, duodecima tribus, scilicet Leuitica,quæ tota erat ministerijs diuinis mācipata, possessiones non habebat. Vnde conuenienter institutum est, vt reliquæ vndecim tribus decimam partem suorum prouentuum Leuitis darent, vt honorabilius viuerent: & quia etiam aliqui per negligentiam erant transgressores futuri. Vnde quātum ad determinationem decimæ partis, erat iudiciale, sicut & alia multa specialiter in illo populo instituta erāt ad æqualitatem inter homines adinuicem conseruandam, secundum populi illius conditionem,quæ iudicialia præcepta dicuntur,licet ex consequenti aliquid significarent in futurum, sicut & omnia eorum facta : secundum illud primæ ad Corinth. 10. Omnia in figuram contingebant illis. In quo conuenichant cum cæremonialibus præceptis : quæ principaliter instituta erant ad significandum aliquid futurum. Vnde & præceptum de decimis soluendis significat aliquid in futurum. Qui enim decimam dat, quæ est perfectionis signum (eo quod denarius est quodāmodo numerus perfectus,quasi primus limes numerorū : Vltra quem numerum non procedant, sed reiterantur ab vno) nouem sibi partibus reseruatis, protestatur quasi in quodam signo ad se pertinere imperfectionem, perfectionem vero quæ erat futura per Christum esse expectādam à Deo. Nec tamen propter hoc est cæremoniale præceptum,sed iudiciale, vt dictū * est. Est autem hæc differentia inter cæremonialia & iudicialia legis præcepta, vt supra * diximus, quòd cæremonialia illicitum est obseruare tempore legis nouæ. Iudicialia vero,etsi non obligēt tempore gratiæ : tamen possunt obseruari absque peccato, & ad eorum obseruantiam aliqui obligantur,si statuantur authoritate eorum quorum est cōdere legem. Sicut præceptum iudiciale veteris legis est,quòd qui furatus fuerit ouem,reddat quatuor oues, vt legitur Exodi. 22. Quod si ab aliquo Rege statuatur, tenentur eius subditi obseruare,

In isto art.

1.2.q.104 art.3.

re. Ita etiam determinatio decimæ partis soluendæ,est authoritate Ecclesiæ,tempore nouæ legis instituta,secundum quandam humanitatem : vt scilicet non minus populus nouæ legis ministris noui testamēti exhiberet, quàm populus veteris testamenti exhibebat: cùm tamen populus nouæ legis ad maiora obligetur,secundum illud Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisęorum,non intrabitis in regnum cælorum, & cum ministri noui testamenti sint maioris dignitatis, quàm ministri veteris testamenti, vt probat Apostol. secundæ ad Corinth. 2. Sic ergo patet quòd ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex iure naturali,partim etiam ex institutione Ecclesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum, & personarum, posset aliam partem determinare soluendam. Et per hoc patet responsio ad primum.

¶ Ad Secvndvm dicendum,quòd præceptum de solutione decimarum, quantum ad id quod erat morale, datum est in Euangelio à Domino, vbi dicit Matth. 10. Dignus est operarius mercede sua.Et etiam ab Apostolo, vt patet primæ ad Corinth. 9. Sed determinatio certæ partis est reseruata ordinationi Ecclesiæ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ante tempus veteris legis, non erant determinati ministri diuini cultus : sed dicitur quòd primogeniti erant sacerdotes qui duplicem portionem accipiebant. Et ideo etiam non erat determinata alia qua pars exhibenda ministris diuini cultus, sed vbi aliquis occurrebat, vnusquisq; dabat ei propria spōte quod sibi videbatur. Sicut Abraham quodā prophetico instinctu dedit decimas Melchisedech,sacerdoti Dei summi,& dicitur Gen. 4. Et similiter Iacob decimas vouit se daturū,quamuis non videātur decimas vouisse, quasi aliquibus ministris exhibendas, sed in diuinū cultum, puta ad sacrificiorum consummationem. Vnde signanter dicit, offeram tibi decimas.

¶ Ad quartum dicendum, quod secundæ decimæ, quæ reseruabantur ad sacrificia offerenda, locum in noua lege non habent,cessantibus legalibus victimis. Tertiæ verò decimæ, quas cum pauperibus comedere debebant, in noua lege augentur,per hoc quòd Dominus non solum decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhiberi,secūdum illud Lucæ 11. Quod superest date eleemosynam. Ipsę etiam decimæ quæ ministris Ecclesiæ dantur, per eos debēt inusus pauperū dispēsari.

¶ Ad quintum dicendum,quòd ministri Ecclesiæ maiorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promouendorum, quàm temporalium colligendorum. Et ideo Apostolus noluit vti potestate sibi à Domino tradita, vt scilicet acciperet stipendia victus ab his quibus Euangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimētum Euangelio Christi. Nec tamen peccabant illi qui ei non subueniebant. Alioquin Apostolus eos corrigere nō omisisset. Et similiter laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirunt, vbi sine scandalo requiri nō possent,propter dissuetudinem,vel propter aliquā aliā causam. Nec tamē sunt in statu dānationis qui non soluunt in locis illis in quibus Ecclesia non petit: nisi forrè propter obstinationem animi, habentes voluntatem non soluendi,etiam si ab eis peterentur.

Svmma Textvs.

Svppositо, quod in veteri lege dabantur decimæ ad sustentationem ministrorum Dei, iuxta illud Malach. 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea, respondet Diuus Thomas ad propositum difficultatem per quatuor propositiones. Prima conclusio: Præceptum de soluendis decimis in veteri lege, partim erat morale, & partim iudiciale, ex diuina institutione robur habēs. Nam quod in genere, Ecclesię ministri populi sumptibus sustentētur naturale præceptum est, atq; adeò in lege veteri moralium numero cōprehensum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hensum. Quod autem pars decima eisdem sumptibus manciparetur iudiciale præceptũ fuit, ex diuina institutione robur habens. Vtraque pars huius conclusionis est certissima. Sed, vt probationes illius positæ à D. Thoma in litera intelligatur, præsupponere oportebit discrimen, quod est, inter præcepta moralia, & iudicialia: Est enim morale præceptum, quodcunque ex naturæ principijs, ceu syllogismi conclusio, elicitur. Quo modo illud: Non occides colligitur ex illo vniuersali principio: Quod tibi nõ vis, alteri ne feceris. Iudiciale autem præceptum est, ad quod speciatim arbitratu quodam ab vniuersali descenditur, vt si vniuersale illud: Aliquid Deo est offerendum, fic arbitreris, vt bima vitula offeratur, aut aliud quodvis animal. Hoc constituto prima pars conclusionis, scilicet, quod præceptum de soluendis decimas in genere, quantum ad hoc, quod est, vt ministri Ecclesiæ populi sumptibus sustentẽtur, sit naturale: probatur hac ratione: Quicunque reipublicę in re necessaria ministrant, & seruiunt, ex lege naturæ habent ius stipendium ab eadem republica suscipiendi, imo & exigendi, iuxta illud Pauli. 1. ad Cor. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? quod naturalis rationis dictamen continet: sed administratio diuini cultus est reipublicæ necessaria, imò magis necessaria, quam secularium magistratuum: ergo illius ministris respublica stipendium debet ex iure naturæ, idque multò æquius, quam quæ principibus & militibus cõferuntur. Quod verò pars decima huiusmodi sumptibus manciparetur in veteri lege, ad iudicialia præcepta pertinuerit, quod secundo loco dicebatur in conclusione, etiam probatur: Nam ius naturæ non, nisi ministrorum pro eorũ numero & dignitate sustentationem iubet, & qualis, ad id esse debeat populi pensio, arbitrio, prudentiaq; reipublicæ relinquitur statuendum. Deus autem, qui populum illum priscum peculiari cura gubernabat, quoniam è duodecim tribubus vnã diuino cultui administrãdo mancipanit, quę agriculturę vacare non poterat, atq; adeò nec propriam sortem, in terra promissa erat habitura, tum ne minus reliquis, imò aliquantulum plus tãquam honoratior de terræ fructibus perciperet: tum etiam, quia, cùm forsan solutio non tam exactè fieret paulo plus obueniret illi tribui, quam cæteris, decimam partem singulis reliquarum tribuum in Leuitarum subsidium impartiri præcepit. Et sic præceptum illud de quota fuit iudiciale, sicut & multa alia, quæ in lege continebantur ad seruandam populi æquitatem & decorem. Non obstante quod aliquid etiam in futurum significabat, sicut & omnia illius populi gesta. De quibus dicit Paulus 1. ad Corinth. 10. quod omnia in figura contingebant illis. Secunda cõclusio: Inter cæremonialia, & iudicialia legis præcepta, hoc est discriminis, quod cæremonialia non licet post Euangelium integrare: iudicialia verò, quamuis quantum ad vim illius legis fuerint prorsus antiquata, possunt nihilominus nonnulla Christianis instaurari. Quemadmodũ lex talionis, & quod qui quem deprædatur quatuor reddat, potest modo à principibus lege statui. Hanc conclusionem non probat D. Thom. sed illam vt notam relinquit, ex materia de legibus. Tertia conclusio: Determinatio decimarum ad istiusmodi quotam nunc est de iure Ecclesiastico, & Pontificio, prudentibusque considerationibus est instituta. Et quidem, quod talis determinatio sit de iure Ecclesiastico, potueritque fieri ab Ecclesia, constat ex præcedentibus. Sed quod illa rationabiliter fuerit instituta, probatur tam ex parte populi, quàm ex parte sacerdotum. Ex parte populi: quia Euangelicus dignitate longe præstat antiquo: estque abundantiori iustitia præditus, iuxta illud Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Ex parte autem sacerdotum quoniam nostri longe sunt excellentioris dignitatis, quam antiqui, excelsiusque tractant sacramentum, vt demonstrat Paulus 2. ad Corinth. 3. Quarta conclusio: Hæc decimarum quota pro temporum, locorum, & personarum qualitate & opportunitate maior minorve secundum Ecclesiæ iudicium poterit institui. Hæc conclusio sequitur ex suprà dictis.

Explicatio Articvli.

VT explicaret D. Thom. ius, quo fideles decimas soluere tenentur, multa inuoluit in litera ad præcepta veteris legis pertinentia, quæ si exacte essent examinanda, plus temporis esset consumendum, quam toti operi finiendo relinquitur. Prętetquam quod proprie pertinent ad materiam de legibus, de qua disputat ipse Diuus Thomas 1.2. quæstio. 94. & sequentibus. Cæterum, ne omnino eorum difficultatem fugisse videamur, breuiter atque succinctè, vt ea omnia intelligantur aduertendum est primo, præceptorum veteris testamenti, quædam esse iudicialia, quædam moralia, & quædam cæremonialia. Iudicialia erant, quæ ad iustitiam hominibus exhibendam pertinebant quarumque obseruatio iudicibus ipsis incumbebat, vt proximo redderetur quod suum

Præcepta veteris legis, quædã iudicialia alia moralia & alia cæremonialia.

suum esse constaret, & pax atque concordia absque alicuius iniuria tutissimè custodiretur. Moralia erant, quæ ad dictamen legis naturalis spectabant: & quæ quilibet, vt virtutes ipsas exerceret, nihilque faceret ab ipso iure naturali alienum, adimplere tenebatur. Qualia erant omnia præcepta Decalogi. Cæremonialia verò erant quæ de ijs, quæ ad cultum diuinum, ad reuerentiam, honoré & obsequium Deo exhibendum, statuebantur. De quibus omnibus præceptis loquebatur Paulus ad Rom. 7. quando dixit: Itaq; lex sancta, & mandatũ sanctum, & iustum, & bonũ. Nam mandatum sanctum ad cæremonialia: iustum ad iudicialia, & bonum ad moralia retulit, vt autor est D. Tho. 1.2. q. 99. ar. 4. Quo in loco hæc præcepta cõmemorat, cõmunitq; recipitur à cæteris Theologis. Tametsi glossa in cap. 1. de decimis. in 6. & in cap. vlt. 6. dist. cuius memmere Felinus in cap. transacto. de cõstitutionibus. & Iason in lege. 1. nu. 55. ff. si certum petatur. alia vtatur distinctione, imperfecta tamen, vt constat ex D. Tho. loco citato, & ex iuris prudẽtibus cõmuniter in dicto cap. 1. & in dicto ca. vlt. vbi Cardinalis à Turrecremata in principio idem tradit, & D. Antoni. 1. p. tit. 14. ca. 5. Horum autem præceptorũ iudicialia & cæremonialia, Euãgelica lege lata, omnino cessauerunt, vimque præceptorum amisere, iuxta illud Pauli ad Gala. 5. Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quę erat reuelanda. Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Et iterum cap. 4. Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres non sumus ancillæ filij sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Quibus verbis significat Paulus eijciẽdam esse legem veterẽ, quæ velut ancilla fuit legis Euãgelicæ. Et ad Hebræos. 7. Translato sacerdotio, necesse est, vt legis quoq; translatio fiat. Estq; hoc adeo verum, vt plane sit hæreticum existimare, legem veterem esse seruandã simul cum noua, vt docet D. Augu. in lib. de hæresibus, & Alphonsus à Castro. de hæresi. verbo. lex. Et cõuincitur ex Actis Apostol. cap. 15. vbi id expresse diffinitur. Imò & præcepta moralia veteris legis, quãuis adhuc habeãt vim, & illam sint perpetuo habitura: non tamen illam habẽt ex autoritate veteris legis: sed ex eo quòd à natura sunt instituta, & à Christo Domino in lege Euangelica quatenus naturalia relicta, vt optimè docet Soto. libr. 2. de Iustitia q. 5. ar. 4. conclusione 2.

Præcepta iudicialia & cæremonialia cessauerunt.

¶ Secundo est aduertendum, quod, vt constat ex D. Thom. in hoc articulo conclusione secunda, hoc adhuc est discriminis inter præcepta iudicialia, & cæremonialia veteris legis, quod quamuis vtraque cessauerint in aduentu Christi, tamen iudicialia non ita cessauerunt, vt post Euangelicæ legis promulgationem non possint itetum ab homine statui, imò de facto sunt statuta multa, vt cõstat ex titulo de iniurijs, & ex capi. 1. de homicidio, & seruantur modo, non tanquam ex veteri lege, sed, quia nouiter ex lege humana constituta sunt. At vero præcepta cæremonialia veteris legis, ità cessauerunt, vt nequaquam lege lata à principibus Christianis iterum institui possint. Ex quo factum fuit, vt idem D. Thom. 1.2. qu. 104. art 3. dixerit, cæremonialia, & iudicialia præcepta adhuc differre, quia cęremonialia non solũ sunt mortua, post Euangelicę legis edictum, verum & mortifera ea seruantibus. Cùm tamen iudicialia mortua quidem sint, quia vim obligationis non habent: non tamen sunt mortifera. Quia si aliquis princeps eadem iudicialia præcepta, iterum ad sui principatus regimen statueret, non peccaret. Et ratio est: Nam cæremonialia principaliter fuerint statuta, & ordinata ad significanda præfigurandaque Christi mysteria, vti futura. Atq; ideo eorum obseruatio præiudicat fidei veritati, qua confitemur illa præfigurata mysteria iam contigisse & completa esse. Quod in iudicialibus præceptis non contingit. Nam quãuis etiam ipsa aliquam contineant significationem, sicut & omnia alia, quæ in eo populo gerebãtur, iuxta illud Pauli. 1. ad Corint. 10. Omnia in figura contingebant eis: quia tamen principaliter non fuerant instituta ad significandum, sed ad continendos homines in officio, & si significabant, eorum significatio non ordinabatur ad præfigurandum Christi & Euangelicæ legis aduentum, sed potius deuotionem, quam homines deberent habere, nó est inconueniens, quod in noua lege iterum instituantur. Cuiusmodi erant vestes sacerdotum, altaria, thurificatio, decimarum & primiciarum solutio, oblationes, hisque similia: Quæ etiam in lege Euangelica à Christianæ reipublicę rectoribus statuta, & ordinata sunt, vt constat ex capit. 1. de consecratio. distin. 1. & ex capit. nolens. de purificatione post partum. Sic etiam plura vitia, quæ ex veteris legis instituto sacerdotium impediebant, in lege Euangelica, ex pontificum decretis, eadem dignitate quemquã insigniri omnino vetant. Ex dictis infertur, legem de decimis soluendis ex ea parte qua iudicialis erat veteris testamenti, post legis Euangelicæ promulgationem vim, & obligandi ius

Discrimen inter præcepta iudicialia & cæremonialia.

Dubium de iure quo decimæ nunc debentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ius amisisse. Sed vtrùm nunc iure naturali, vel diuino Euangelico, vel potius tantum positiuo Ecclesiastico obliget? varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Quibusdam dicentibus, decimas etiam hodie iure diuino, & naturali esse debitas. Ita tenent Glossa. Archid. Anch & alij in capi. 1. de decimis in 6. Innocen. in cap. vlti. de paroch. Ioannes Andreas in rubrica de decimis. Anto. in cap. parochianos. colum. 2. Abbas in capi. in aliquibus. colum. vlt. de decimis. imò Innocentius in dicto cap. vltimo. quasi hæreticos eos esse asserit, qui dicunt, etiam sub lege gratiæ non esse decimas debitas iure diuino, sed tantum positiuo. Et probari potest hæc sententia pluribus argumentis. Primo ex cap. parochianos, de decimis. Vbi summus Pontifex dicit, decimas non ab homine, sed à Deo fuisse institutas. Et ad idem est textus in ca. cum non sit. & in cap. tua. eodem titulo. & in ca. omnes decimæ. 16. qu. 7. & in cap. in aliquibus. §. vltimo, de decimis. ¶ Secundo idipsum probatur autoritate multorum virorum sanctitate illustriũ, qui decimas debitas esse clericis diuini iuris testimonijs probare nituntur, vt refert Gracianus 16. qu. 7. & 16. qu. 1. cap. reuertimini. Quod etiam faciunt Romani Põtifices sępissime in rubrica de decimis. ¶ Tertio ratione sic argumentor: Iuris naturalis ratio dictat, decimas Ecclesiarum ministris esse soluendas, cum hi laborent circa spiritualium administrationem, & animarum fidelium curam exerceant, ac pro ipsa Christiana plebe sacrificia offerant, summoque Deo preces fundãt, & digni sint mercede sua tanquam legitimè operantes, vt docet Christus Matth. 10. & Lucæ 10. Et D. Paulus 1. ad Timoth 5. & 1. ad Corinth. capi. 9. ergo non tãtum iure positiuo, sed naturali, aut diuino sunt præceptæ. Et confirmatur: Nam nulla tam effera, barbaraue gens fuit quę sacerdotibus in communem totius reipublicæ vtilitatem Deum colentibus mercedem laboris, bonaq; ex quibus alimenta sibi perciperent non constitueret. Imò quælibet respublica, etiam solo legis naturalis lumine prędita, maximam curam habebat, vt sacerdotes alioqui egeni victum, sibique necessaria ex publico instituto consequerentur. Nam apud Ægyptios sacerdotibus ex horreis publicis cibaria ministrabantur. Genes. c. 47. de primicijs frugum. Et quod hæc non tantum ab Israelitis, sed & ab Ethnicis Deo offerri solerent, tradit diligenter Tiraquel. de primoge. in præfacione n. 65. ergo iure tantum naturali inspecto Ecclesiasticis ministris decimæ debitę videntur. Atq; ex consequenti præceptum de decimis Leuitis soluendis in veteri lege non omnino cæremoniale, aut iudiciale fuit, sed & morale, quod sub lege etiã Euangelica viget, nec omnino antiquatum est. ¶ Nonnulli Doctores affirmant præfatam sententiam esse veram in decimis prædialibus, non autẽ in personalibus, quas iure tantũ humano, non diuino, aut naturali debitas esse dicũt. Huius sententiæ sunt Hostiensis in summa. tit. de decimis. §. & vtrum. q. 7. Henricus in c. peruenit. de decimis col. 5. Felinus in c. causam. de præscrip. colu. 1. & in cõmuni vsu esse receptum adnotauit Cardinalis in c. primo. de decimis. Cũ tamen autores prioris sententiæ non tantum prędiales, sed & personales iure diuino, & naturali deberi absq; vlla distinctione dixerint, & probauerint. ¶ Tertia sententia est eorum, qui dicunt decimas etiam prædiales iure tantũ humano, & pontificio statutas esse non diuino Euangelico, nec naturali. Hanc tenet D. Tho. in hoc art. cum Caietano. & in quodl. 2. a. 8. Cardi. Turrecremata in c. reuer timini 16. q. 1. ar. 3. Florentinus 2. p. tit. 4. c. 3. §. 5. Syluester verbo decima. q. 3. & 4. Ioan. Maioris in 3. d. 37. q. 36. Alexan. Alen. 3. p. q. 51. memb. 6. ar. 1. Adrianus quodl. 5. ar. 1. Dominicus à Soto li. 9. de iust. q. 4. ar. 1. Et hanc sententiam cõmuniter esse receptam à Theologis contra Canonistas asserit Alphonsus à Castro in li. de hæresi. verbo. decima. Et probatur efficacissimis rationibus. Primo sic: Ratio naturalis non magis dictat ministrãtibus spiritualia dãdam esse decimã partem, quam nonam, vel octauam: ergo quod decimę soluantur non est de iure naturali. Quod autẽ nec etiam sit de iure diuino Euangelico sic ostendo: Sub lege Euangelica ea solum tenemur seruare de iure diuino, quæ à Christo, vel eius apostolis nobis fuerint præcepta iuxta illud Marci vlt. Docentes eos seruare quęcunq; mandaui vobis: sed de soluendis decimis nec in Euangelijs à Christo, nec alibi ab apostolis aliquod præceptum legitur traditũ: ergo quod decimæ soluantur non est de iure diuino. Et confirmatur: In lege Euangelica nullum præceptum continetur, quod nõ sit iuris naturalis, nisi illa, quæ de sacramentis, & de fide dantur, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 108. ar. 1. & 2. & quodl. 4. ar. 13. Propterea q; dixit Christus: Iugũ meum suaue est, & onus meũ leue: sed præceptum de solutione decimarũ, nec est naturale, vt probat 1. argumentũ, nec ad sacramenta, nec ad fidei articulos spectat: ergo non est de iure diuino Euangelico. Tertio: Decimę cõsuetudine possunt diminui, vt probat textus singularis in ca. in aliquibus. §. vl. de decimis: ergo nec sunt de iure naturali, nec de diuino Euangelico. Probo cõsequentiã: Nã quæ pertinẽt ad ius naturæ, vel ad ius diuinum,

Sententia Canonistarum.

1. argum.

2. argum.

3. argumẽ.

2. Sẽtentia

3. Sẽtẽtia D. Tho. & Theologorum.

diuinum, ab alio, quam à Deo minui non possunt.

Sententia autoris.

¶ Mihi ex his sententijs hæc vltima videtur vera, & necessario tenẽda. Quæ vt melius intelligatur duarum conclusionum propositione explicabitur. Prima conclusio: Iure naturali, & diuino Euangelico debetur clericis à laicis ea pars fructuum, quæ ad eorum alimenta, & congruã sustentationem, dum spiritualia ministrant, necessaria sunt, in laboris impensi iustam mercedem. Hæc conclusio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus: estq; de fide, vt constat ex concilio Constantiensi. A quo damnata est hæresis quorundam, qui ilthæc alimenta clericis negari posse cõstanter adseuerarunt. Quod traditur erudite simul, ac diligenter ab Alphonso à Castro in li. de hæresibus. verbo. decima. Ex quo colligere licet cum Couarr. li. 1. Variar. ca. 17. n. 3. parœcianos, qui vulgo parrochiani dicuntur, ex præcepto naturali & diuino, teneri ad oblationes presbyteris ministranti bus spiritualia exhibẽdas, vbi ipsi presbyteri indigent, nec habent vnde possint sibi necessaria ministrare. Et hanc dicit esse sententiam Abbatis, & multorum aliorum, quos ipse eo loco refert. Et subdit, quod si clerici ministrãtes spiritualia inopia minimè grauãtur, laici eis oblationes exhibere non erunt cogendi: nisi legitima consuetudine oblationes altari factæ fuerint. Nam tunc ratione huius consuetudinis cogi poterunt: Sed de hoc iam nos diximus supra quæstione præcedenti.

1. Cõclusio

¶ Secunda conclusio: Decimæ quantum ad quotam, quæ verè decima pars est, in lege Euangelica, ex iure tantum humano pontificio institutæ sunt ad imitationem veteris legis diuinæ: & ex eo solum iure obligatio eas soluendi oritur. Ita tamen, vt nulli dubium esse possit, quin hodie Christiani sub peccati mortalis pœna, ratione illius præcepti humani, & apostolicæ sedis, cui omnes fideles subesse tenentur, illas soluere obligãtur. Imò impium, & hæreticũ esset asserere posse laicos decimarum solutionem iustissima lege debitam sacerdotibus denegare. Nec refert, quod sacerdotes diuites sint, nec quod habeant prædia, agros, aliasque res, vnde viuere absque inopia possint. Nam, si eis, vt dictum est, decimæ debentur, parum obest eos diuites esse, cum debitor, ex eo quod creditor dives est, à solutione debiti immunis non reddatur. Nec lege pontificia statutum est, vt sacerdotibus decimæ dentur, ea tantum principali causa, quod pauperes sunt, vt docet D. Thom. quodl. 6. artic. 10. sed soluuntur tanquam merces, perinde atque principibus tributa. Ex hac conclusione infertur decimarum quotam ex dispensatione summi Pontificis variari, minui, & tolli posse. Dum tamen id, quod iuris naturalis est superstes semper sit, atque saluum: nẽpe, quod aliunde Ecclesiarum ministris pro sua dignitate & munere alimenta suppeditentur, reliquaque vitæ subsidia. Nam hoc nulla dissuetudo, vel dispensatio violare potest. Hanc etiam conclusionem probant argumenta facta pro tertia sententia. Sed restat respondere ad illa, quæ fecimus pro prima, quatenus huic nostræ secundæ conclusioni aduersantur. Vnde ad primum, quod pluribus constabat textibus expresse dicentibus, quod decimæ fuerunt à Deo institutæ, respondeo verba illa sic esse intelligenda quasi significent lege lata à Deo ante Christi aduentum in veteri testaméto id fuisse sancitum. Itaq; quando dicitur, lege diuina decimas fuisse indictas, de lege diuina veteris testamenti, ad cuius exemplar, & imitationem Ecclesia Catholica sub lege gratiæ eandem decimã fructuum partem, in Ecclesiasticorum ministrorum alimenta soluendam esse censuit, est sermo, & non de lege diuina Euangelica. Et eodem modo sunt explicandi, quod loquantur D. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, & reliqui viri doctrina, & sanctitate illustres, de quibus fit mẽtio in secundo argumento. Et si vtuntur testimonijs veteris testamenti ad probandum debitam decimarum solutionem, solum id faciunt, vt ostendant Ecclesiam, eiusque principes legem à Deo Israeliticis datã imitatos fuisse in imponendo præcepto de decimis soluendis. ¶ Ad tertium argumentum respondetur illud quidẽ, probare quod iure negari non potest, scilicet à laicis congruam sustentationem clericis esse exhibendam, ne mendicare in opprobrium tanti ordinis tantæque dignitatis cogantur, & vt mercedem laboris pro plebe impensi ab ipsa plebe accipiant. Non tamen ex hoc sequitur ad ilthæc alimenta, & congruam sustentationem decimam fructuum portionem necessãriam esse. Et ideo naturali iure ea clericis non debetur.

Ad 1. arg. pro prima sententia.

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

¶ D. Thom. in tertia conclusione affirmat decimarũ determinationẽ prudentibus cõsiderationibus fuisse à summis Pontificibus factam. Circa quod est difficultas, vtrũ verum sit. Et pro parte negatiua argumẽtor in hũc modũ: Ecclesia Romana in determinatione decimarũ pro suis ministris, nec seruauit ęquitatẽ antiquæ legis, nec humanitatem, quã lex noua debuisset inducere: ergo non prudẽter id fecit. Cõsequentia est nota, & antecedens probatur. Et primo, quod nõ seruauerit ęquitatẽ antiquæ legis. Nam si in illo Hebraico

Dubium.

Argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

populo, decima pars fructuum templi ministris fuit addicta, ratio id postulare videbatur. Erant enim Leuitæ duodecima pars populi. Et si vndecim decimas percipiebat, nō erat enormis excessus cum reliquarum singulæ retinerent nouē. Eo vel maximè, quòd vxores habebant, familiamque alendam. At verò, clerus Euangelicus curatorum, quibus solis (si Caietano creditur) decimæ pro suo ministerio debentur fortè, non est centesima pars populi, nec vxores habent, nec filios habere debent: ergo, quod à reliquis totidem decimas recipiant, & quod singulis cæterarum partium non fiant, nisi nouem reliquæ nulla videtur esse æquitas. Et præterea: quia Christianis decimæ personales imponuntur, quæ antiquitus non erant in vsu. Et ex hoc videtur colligi rationes, quibus D.Tho. suā tertiam conclusionē probauit, quarum vna fuit desumpta ex parte populi, & altera ex parte sacerdotum non fuisse conuenientes. Quod autem, nec etiam seruauerit Ecclesia in illa determinatione decimarum humanitatem, quam lex noua seruare debuisset. Probatur: Nam cum lex Euangelica sit suauior, quam vetus, leuiora etiam onera imponere debuisset. Eo vel maximè, cum Christus dicat: Beati pauperes, quod sacerdotibus maximè conuenire oporteret. Hoc argumentum tantum valuit apud aliquos, & apud Caietanum in hoc commentario, vt eo conuicti nullam aliam iustitiam, & conuenientiam in decimarum quota, quæ in lege Euangelica soluitur, reperierint, quam quod clericis non pro ipsis solis, sed pro pauperibus, quibus Ecclesiæ fructus dispensare tenentur, persoluitur. Et quidem, si ob id duntaxat isti autores hoc dicerent, quia Ecclesiastici strictiori sanctiorique vinculo, quam laici, tenentur in pauperes esse benefici, sententia esset certissima, atque vera, quam & nos multis probauimus in 1.tomo q.32.agentes de eleemosyna. Cæterum, quoniam contendunt decimas illis non omnino tanquam dominis solui, sed tanquam dispensatoribus concredi, quarum partem ex rigore iustitiæ, imò totum illud, quod post decentem personæ, & status sustentationem supererit, egenis refundere tenentur; tanta obligatione, inquit Caietanus, quanta ipsis eædem decimæ debentur, ex quo fit, secundum istos Doctores, quod secus facientes sint restitutioni obnoxij, quod nos falsum putamus, & probauimus loco citato, aliter ad argumentum respondere oportebit. Supposito prius, tanquam certo decimas, quæ nunc soluuntur ministris Ecclesiæ, non excedere quantum ad quotam iustum illorum stipendium, etiam si tota eis, tanquā veris dominis, adiudicetur. Quod probatur primo ratione contraria illi de numero ministrorum, qui sunt in lege Euangelica, qua aduersarij vtebantur: Nam iustus numerus clericorum, qui ad cultum diuinum in lege gratiæ necessarij sunt, nō tanta proportione est minor reliquo populo, vt iniustè decimā suscipiant. Quod sic ostendo: In lege veteri vnicum duntaxat erat templum, quo omnes duodecim tribus ad sacra confluebant, quater in anno: quia tot solum erant præcipuæ solennitates: at in nostra Ecclesia vix sunt centum domus, quæ non habeant vnū templum, cui quotidie ab omnibus sacerdotibus seruitur, cum tamen sacerdotes veteris testamenti tantum per vices hebdomadatim seruirent: ergò si in seruitium vnius præcisè templi, duodecima pars fructuum, & populi erat conscripta, quid miraculi nunc erit, si æqualis pars tantæ templorum multitudini administrandæ mancipetur? Præsertim, cum ratio mediorum ex fine sit sumenda. Sed dicit Caietanus: Solis clericis curam animarū habētibus decimas deberi, & hi nullam proportionem cum reliquo populo habent. Sed profecto hoc dictum nullum habet fundamentum. Nam, si templo illi, quo non nisi arca testamenti custodiebatur, tam numerosa cantorū aliorūq; ministrantiū copia, vt libris Paralipomenon legitur, deputata fuit, cur nō in templis nostris, quibus corpus Christi adoratur & colitur, præter parœcios amplior sacerdotum numerus dedicabitur? Potest etiam alia ratio desumi ad idem probandum ex dignitate, quam nostri sacerdotes habēt supra illos veteris testamenti: in quibus quidē amplissimus esse debet antistitum numerus, & canonicorum corona, quibus Ecclesia præfulgeat, & qui subinde ministros & familias habeant. Et si quis obijciat cōuenientius esse quod omnes in paupertate viuant, dico neminem profectò esse, qui huic sententiæ refragaretur, si possibile esset, vt tantus clericorum numerus quantus necessarius est, decēti sanctitate polleret: quia tunc citra alium ornatum populo haberetur in pretio. Cæterùm, quia hoc fieri non potest, necesse est, vt humanæ conditioni indulgeatur: sicque sacerdotes familia & autoritate honestentur, vt populus eos non despiciat, sed tanquam præcipuos populi colat. Experientia constat, quod in illis prouincijs, vbi sacerdotes nimia egestate premuntur, vilescunt in conspectu populi, & sic sacramenta, & res sacræ eo deueniunt, vt in prouerbio habeantur. Quare nullum erit indecorum, si episcopi, vt alij magnates: & canonici, sicut alij nobiles: & sacerdotes veluti alij ciues vixerint.

Sententia Caietani.

Decimæ nō excedūt iustum ministrorum stipendium.

Eo vel

Eo vel maximè, quod non condecet nostros sacerdotes propter sacramentorum dignitatem opifices esse, manualesque operas exercere, quod in veteri lege Leuitis licebat. Item nostri sacerdotes debent vacare literarum studio, & in hoc negotio sua patrimonia insumere. Reperiri autem non possent qui absque aliquo proposito præmio tantos facerent sumptus, tantumq; ætatis & laborum dispenderent (cum qui, id religionis solum amore faceret, quam rarissimi essent) & sic consulere Ecclesia debuit humano ingenio, instituereque sacerdotia, & dignitates quarum consequendarum desiderio fideles ad ea faciendum mouerentur. Accedit huc, quod decimę non ità exactè vbique soluuntur, sed in multis locis exiliores, & quod sunt multa cœnobia, & hospitalia de illarum fructibus fundata: & tandem quod ingruente aliqua Ecclesiæ calamitate necessarij sunt ampliores sumptus. Ex quo factum est, vt iam Regibus bonus decimarum cumulus fuerit adiudicatus. Et sic iustis & rationabilibus de causis decimarum solutio fuit ab Ecclesia ad quotā, quę nunc soluitur, determinata, prout D.Tho. dicit in 3.conc. Nec obstat arg in cōtrariū factū. Ad quod ex dictis patet solutio.

Dubium de consuetudine an eximat à solutione decimarum

¶ In solutione ad quintum argumentum dicit D.Thom. laudabiliter ministros Ecclesiæ non petere decimas, vbi sine scandalo requiri non possunt, propter dissuetudinem, vel propter aliam causam. Circa quod est difficultas, vtrum consuetudo in solutione decimarum vim habeat ad eximendos laicos ab eo iure quo decimas soluere tenentur. De qua re sunt variæ Doctorū & diuersę sententiæ. Prima est quorundā iurisprudentium affirmantium, quod quamuis consuetudo possit eximere seculares à solutione decimarum personalium, non tamen potest eximere ab obligatione soluendi decimas prædiales. Ita tenet Hostiensis in capi. in aliquibus. de decimis. Quem sequuntur multi alij: & præsertim illi, qui existimarunt decimas prędiales iure naturali & diuino, personales autem tātum iure humano fuisse institutas. Secunda sententia est illorum, qui affirmant, quod quamuis decimæ ad vigesimam, vel trigesimam partem dissuetudine possent reduci, nō tamē possent omnino tolli, quia ius naturale & diuinum diminui quidem potest, non tamen omnino tolli. Hanc sententiam tenuit Panormitanus in cap. in aliquibus. de decimis. n.7. & Fulgosius cons. 166. col. 2. & multi alij, quos refert Couarruuias lib. 1. Variar. c. 17. nu. 8. D.Tho. etiam in hoc artic. & quodl. 2. ar. 8. videtur in hanc eandē sententiā declinare. Nā dicit Ecclesiā, Romanumq; Pōtificem, & alios Ecclesiasticos prælatos potuisse statuere, vt ratione decimæ partis alia minor à populo solueretur: ea ratione, quod huius rei certa quantitas, aut portio nō iure naturali, nec diuino habetur determinata. Ex quo colligi videtur, circa hanc solū portionē constituendam, posse consuetudinem habere locum. Cęterum his sententijs omissis, quod mihi in hac quæstione dicēdum videtur est, quod decimæ ex ea parte, qua à iuris naturalis, & diuini institutione procedunt, nempe, inquantū significant ac important ministrātium spiritualia cōgruam sustentationem, & necessariā, nulla consuetudine tolli, nec diminui possunt, sicut nec ipsum ius naturale aut diuinū cōsuetudine vlla tollitur, aut minuitur. Quod satis manifestum est ex his, quę no tantur in ca. vlti. de cōsuetudine. Et præterea ex cōmuni hominum sententia, qua receptū est ius naturale immutabile omnino esse, atq; perpetuum: & itidem diuinum, quod à nullo homine variari potest. Nam licet possit principis ipsave consuetudo ius naturale ac diuinum interpretari, atq; docere ipsum ita esse intelligēdum, vt in certis casibus, nihil cōtra illud cōmittatur: tamen nullo iure, nullaque principum licentia, & nulla immemoriali, vt aiunt, cōsuetudine poterit obtineri, vt quod iure naturali, aut diuino Euangelico fuerit inductum, licitè, aut violetur, aut tollatur. Eas verò decimas, quę iure tantum humano Christianæ plebi fuerunt inductæ, similiter censemus tolli posse consuetudine, quæ rationabilis sit, ac legitime præscripta, & qua cætera, quæ iure etiā pontificio statuta sunt, sæpissime & regulariter tolluntur, vt constat ex ca. vlt. de consuetudine. & ex lege. de quibus. ff. de legib. Ex dictis infero primo, quod licet magis cōmuniter sit receptū ex prædijs Ecclesiarū intra alterius parochiæ fitis, decimas eidem parochiæ soluendas esse, prout notant Panormitanus, & alij in ca. nouū genus. de decimis. & in c. 1. de censibus. cōsuetudine tamen, aut prescriptione poterit obtineri libertas ab harū decimarū solutione. Et ita plerisq; in regionibus obtentum est, vt autor est Couarru. li. 1. Variar. c. 17. n. 8. Infero 2. consuetudinē veluti iustissimū interpretē observandā esse, quoties de iure dubium fuerit, cui Ecclesię decimę de certis rebus sint soluēdę, vt Glossa, & cōmuniter Doctores tradunt, per textū ibi. in c. eū cōtingat de decimis. Imò in hac re sufficiet decē annorum consuetudo, cū ea non sit contra ius canonicum, sed potius eiusdem iuris æqua interpretatio, vt ex mēte Abbatis & aliorum docet Couarruuias loco citato. Infero tertio optimo iure procedere consuetudinem, ex qua decimę vni Ecclesię

Sententia autoris.

1. *Sententia*

2. *Sententia*

1. *Corollarium.*

2. *Corollarium.*

3. *Corollarium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

debitæ iure cõmuni, alteri Ecclesiæ soluuntur.cap.ad Apostolicæ.ca cum contingat.ca. quoniam. de decimis. Et idem probatur ex eo, quod alibi sæpè dicitur consuetudinem in decimis soluendis seruandam esse. Infero

4. *Corollarium.* quarto eodem iure optimè defendi consuetudinem,quæ passim in orbe Christiano viget,vt ex certis fructibus nulla soluatur decima,nec eius aliqua portio, vtpote de fœno,de herbis,de oleo,si tamen ex alijs redditibus supersit iusta sacerdotum sustentatio, vt præter alios scribit Paul.Castr.consilio 17.

5. *Corollarium.* lib. 2. Infero quinto, hinc etiam posse perpendi veram,& iustissimam rationem, quæ Catholicos Hispaniarum reges,& præsertim Carolum primum Cæsarem inuictissimum induxit, vt publicis edictis interdixerint, ne in his regnis decimæ à laicis exigerẽtur,quæ per consuetudinem contrariam non consueuerunt solui. Quemadmodum, & cautum fuit ab eodem Cæsare Toleti anno 1525. leg.14. & 76. & rursus anno 28. Madriti.l. 19.& deinde Segouiæ anno 32.leg.56. Idẽque apud Gallos statutum fuit à Philippo quarto anno 1354. Et ex consuetudinibus Auerniæ idem constat titu.17.artic.18.& ex consuetudinibus Bituricensibus. tit.de consuet.prædialibus. §. 12. vbi pluries idem iudicatum fuisse Parisijs,asserit Boerius. Infero

Vltimum Corollar. vltimo dissuetudinem decimarum in totum nullatenus ab Ecclesia permitti. Nam cum existat ius naturale,& præceptũ morale strictissimũ,diuinumq; præcipiens,vt sint Ecclesiæ,vbi celebrentur res sacræ,sacramentaque administrentur: atque adeò sacerdotes,& ministri,qui populi sumptibus alantur,& sustẽtentur: super hoc totum Ecclesia non habebit potestatem dispensandi, nec ab Spiritu sancto id vnquam facere permittetur. Id quod & vsus ipse palam ostendit. Siquidem nec in aliquo Italiæ angulo, neque alibi vspiam gentium reperitur Christianorum locus, vbi decimæ non soluantur, aut annui prouentus stati non sint,vel populi stipẽdia, quibus sacerdotes alantur. Quinimo dicit Couarruuias loco citato, irrationabilem, & omnino iniquam censendam esse eam consuetudinem,quæ laicos omnino ab omnium decimarum personalium, & prædialium solutione, & obligatione eximeret in aliqua regione, prouincia ue, etiam si sacerdotes ibidẽ spiritualia administrantes aliunde quã à decimis congrue possent alimenta percipere. Nimia enim hæc esset exemptio, & ex qua tolleretur ea recognitio, quam iustissimum,& æquissimum est, sacerdotibus spiritualia ministrãtibus exhiberi,aliquo sibi præstito stipendio. Quare irrationabilis hæc consuetudo ab episcopis admittenda non erit, sed penitus rescindenda. Quod mihi etiam verum videtur.

Articvlvs II.

¶ Vtrùm de omnibus teneantur homines decimas dare.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur quòd non de omnibus teneantur homines decimas dare. Solutio enim decimarum videtur esse ex veteri lege introducta.Sed in veteri lege nullum præceptum datur de personalibus decimis, quæ scilicet soluuntur de his quæ aliquis acquirit ex proprio actu, puta de mercationibus vel de militia: ergo de talibus decimas nullus soluere tenetur.

2 ¶ Præterea,De malè acquisitis non debet fieri oblatio, vt suprà * dictum est, Sed oblationes quæ immediatè Deo exhibentur magis videntur pertinere ad diuinum cultum, quàm decimæ quæ exhibentur ministris: ergo etiam nec decimæ de malè acquisitis sunt soluendæ. *Q. præc.*

3 ¶ Præterea,Leuit.vlt.Non mandatur solui decima nisi de frugibus & pomis arborum,& animalibus quæ transeunt sub virga pastoris. Sed præter hæc sunt quædam alia minuta, quæ homini proueniunt:sicut herbæ quę nascuntur in horto, & alia huiusmodi: ergo nec de illis homo decimas dare tenetur.

4 ¶ Præterea, Homo non potest soluere nisi id quod est in eius potestate. Sed non omnia quæ proueniunt homini de fructibus agrorum aut animalium,remanent in eius potestate. Quia quædam aliquando subtrahuntur per furtum vel rapinam. Quædam vero quandoque in alium transferuntur per venditionem. Quædam etiam alijs debentur,sicut Principibus debentur tributa: & operarijs debentur mercedes: ergo de his non tenetur aliquis decimas dare.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Genes.28. Cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Sed omnia quę homo habet sunt ei data diuinitus: ergo de omnibus debet decimas dare.

¶ Re-

¶ Respondeo dicendum, quòd de vnaquaque re præcipue est iudicandum secundum eius radicem,Radix autem solutionis decimarum est debitũ quo seminantibus spiritualia debentur carnalia,secundum illud Apostoli.ad Corinth.9.Si nos vobis spiritualia seminauimus,nõ magnum est si carnalia vestra metamus.Super hoc enim debitum fundauit Ecclesia determinationẽ solutionis decimarum. Omnia autem quæcunque homo possidet sub carnalibus continentur, & ideo de omnibus possessis decimæ sunt soluendæ.

¶ Ad Primvm ergo dicẽdũ, quòd specialis ratio fuit quare in veteri lege non fuit datum præceptum de personalibus decimis secundum conditionem populi illius: quia scilicet, omnes aliæ tribus certas possessiones habebãt, de quibus poterant sufficienter prouidere Leuitis, qui carebant possessionibus.Non autem interdicebatur eis quin de alijs operibus honestis lucrarentur,sicut & alij Iudæi: sed populus nouæ legis est vbique per mundum diffusus: quorum plurimi possessiones non habent:sed de aliquibus negotiis viuunt: qui nihil conferrent ad subsidium ministrorum Dei: si de eorum negotiis decimas non soluerent. Ministris etiam nouæ legis arctius interdicitur ne se ingerant negotijs lucratiuis, secundum illud secundæ ad Timoth.2.Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis.Et ideo in noua lege tenentur homines ad decimas personales,secundum consuetudinem patriæ & indigẽtiam ministrorum Vnde Augustinus * dicit,& habetur 16.quæstione prima capitulo 10. De militia, de negotio, & artificio,redde decimas.

Sermon. de temp. 119. In serm. 1. Dominica 12. post Tri. to. 10. Et habetur 16.q.1.ca. decimæ.

¶ Ad secundum dicendum, quòd aliqua malè acquiruntur dupliciter. Vno modo quia ipsa acquisitio est iniusta: puta quia acquiruntur per rapinam,aut furtum, aut vsuram: quæ homo tenetur restituere, non autem de eis decimas dare, tamen si aliquis ager sit emptus de vsura,de fructu eius tenetur vsurarius decimas dare: quia fructus illi non sunt ex vsura, sed ex Dei munere. Quædam verò dicuntur male acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa, sicut de meretricio, & histrionatu,& alijs huiusmodi:quæ non tenentur restituere. Vnde de talibus tenentur decimas dare secundum modum aliarum personalium decimarum. Tamen Ecclesia non debet eas recipere quandiu sunt in peccato, ne videatur eorum peccatis cõmunicare:sed postquam pœnituerint possunt ab eis de his recipi decimæ.

¶ Ad tertium dicendum,quod ad ea quæ ordinantur in finem sunt iudicanda secundum quòd competunt fini. Decimarum autem solutio est debita, non propter se,sed propter ministros: quorum honestati non conuenit vt etiam minima exacta diligentia requirant.Hoc enim in vitium computatur, vt patet per Philo.* in 4. Ethicorum.& ideo lex vetus non determinauit vt de huiusmodi minutis rebus decimæ dentur, sed relinquit hoc arbitrio dare volentium:quia minima quasi nihil computantur.Vnde pharisæi quasi perfectã legis iustitiam sibi ascribentes, etiam de his minutis decimas soluebant.Nec tamen de hoc reprehenduntur à Domino,sed solum de hoc,quòd maiora,scilicet, spiritualia præcepta contemnebant. Magis autem de hoc eos secundũ se commendabiles esse ostendit,dicẽs: hæc oportuit facere, scilicet, tempore legis vt Chrysost.* exponit.Quod etiã videtur magis in quandam decentiam sonare,quam in obligationem. Vnde & tunc de huiusmodi minutis rebus non tenentur homines decimas dare, nisi fortè propter consuetudinem patriæ.

Li.4.ca.21 aliquantulum à med. to.5.

Hom.44. in Matt. in opere imperfecto à med.illius tom.2.

¶ Ad quartum dicendum, quòd de his quæ furto vel rapina tolluntur, ille à quo auferuntur,decimas soluere non tenetur antequam recuperet,nisi fortè propter culpam vel negligentiam suam damnum incurrerit:quia ex hoc Eccle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sia non debet damnificari. Si verò vendat triticum non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere, & ab empto re: quia habet rem Ecclesiæ debitam: & à venditore: quia quantum est de se Ecclesiam defraudauit. Vno tamen soluente, alius non tenetur. Debentur autem decimæ de fructibus terræ, inquantum proueniunt ex diuino munere. Et ideo decimæ non cadunt sub tributo, nec etiam sunt obnoxiæ mercedi operariorum. Et ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum quàm soluantur decimæ: sed ante omnia debent decimæ solui ex integris fructibus.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua, quam probat D. Thom. in argumento, sed contra. Exemplo Iacob, qui Genes. capitu. 28. dicebat: Cunctorum, quæ dederis mihi decimas offeram. Cuncta autem, quæ homo habet diuinitus ei donatur: Et sic videtur, quod de omnibus debet decimas soluere. Et in corpore articuli hac ratione: Iudicium vniuscuiusque rei ex eius propriis causis, & radicibus est sumendum. Natiua autem & propria radix decimarum est, secundũ Apostolũ 1. ad Corint. 9. quod spiritualia seminantes ius habent metendi carnalia. Si enim, inquit, nos spiritualia seminauimus, non mirum est, si carnalia vestra metamus: Sed vniuersa, quæ homo possidet carnalium nomine comprehenduntur: ergo de vniuersis tenebitur decimas soluere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio D. Thom. habetur determinata in iure.

CONclusio huius articuli in multis capitibus iuris determinata habetur in capitulo tua nobis. de decimis. in capitulo reuertimini. 16. quæstione 1. & expressius in capitulo decimæ, quod est Diu. Augustini, vbi dicitur de negotio, de militia, de opificio, ac denique de rebus omnibus soluendas esse decimas. Idem etiam definit Cælestinus Papa in capitulo non est. extra, de decimis. Vbi inquit, quod etiam de venatione decimæ debẽtur. Et in capitulo peruenit dicitur, quod de piscaturis, & de molendinis. &c. Et in capitulo nuncios, additur etiam de apibus. Ex quibus locis iurisprudentes colligere solent celebrem illam decimarum distinctionem, in reales, seu prædiales, ac personales. Reales sunt, quæ de rebus habentur, putà, de prædiorum fructibus, quos terra per solis, aerisque clementiam natura sua progignit. Personales verò, quæ ex personarũ operis ac negotiis, sine terræ ope exercitis, soluuntur: Sed de his omnibus intelligendæ sunt huiusmodi constitutiones quod loquantur, dummodo contraria non obstet consuetudo, iuxta dicta à nobis articulo præcedenti. Solet autem quæri ab aliquibus, vtrum agricola ex aceruo ante decimationem operas suas, & sumptus, vel saltem semina excipere possit. Sed ego huius dubitationis causam non video, cum certum sit, id non licere, vt constat ex capitulo non est. & ex capitulo tua nobis. & ex capitulo pastoralis, de decimis. Quare existimandum erit in præsentia genus quoddam societatis inter hominem, & Deum esse, in quo homo sua semina, labores, & sumptus, Deo confisus, periculo exponat, Deus autem quæ sua est benignitas, cumulatam frugem confert. Et non videtur irrationabile, quod homo pro suo periculo nouem retentis partibus, decimam Deo reddat. Soto libro 9. de iustitia quæstione 4. articulo secundo in fine dicit hoc esse adeò verum, vt ratio contrariam consuetudinem valere non permitteret. Sed procul dubio est falsum. Nam si consuetudo est potens inducere obligationem soluendi tantum vigesimam, vel trigesimã partem, atque etiam ad omnino liberandũ aliquos à decimarum solutione, vt diximus articulo præcedenti, cur non similiter valebit eadem consuetudo inducere, quod agricola ex aceruo ante decimationem sua semina, atque labores excipiat, cũ æqua sit vtriusque ratio? ¶ De legatis donatis, & successione acquisitis solet esse controuersia inter Doctores, vtrùm sint soluendæ decimæ de iure communi. Quibusdam tenentibus partem negatiuam, quoniam solum de illis, quæ quis naturaliter, vel suis operibus acquirit, illas soluendas esse existimant. Alij dicunt contrarium, vt notat Hugo 16. quæstione prima capitulo decimæ, nempe quod legatarius, & donatarius tenentur decimare donatum, vel legatum, esto anteà à legatore, vel donatore fuerit decimatum, à qua lege excipiunt filios parentibus succedentes in re à patre iã decimata. Quia cum omnia patris, quodammodo sint filii, decimationem etiam pro filio fecisse dicendus erit pater. Cæterum quoniã Innocentius vt dicit Sylueiter, verbo decima quæstione 6. neutram opinionem alteri præfert, standum erit consuetudini optimæ legum interpreti quantum ad hoc. ¶ De illicitè acquisitis dicit Hostiensis, quod si decimæ

De donatis & legatis an sint soluendæ decimæ.

Decimæ de illicite acquisitis an sint soluendæ.

cimæ fuerint prædiales soluendæ erunt à quocunque siue iusto, siue peccatore, siue Iudæo, siue fideli. Et ab Ecclesia poterũt recipi: quia hæc non intuitu personæ, sed quasi ex censu debito prædiorum donantur. Tamen si decimæ fuerint personales, opus erit distinctione. Nam non poterunt dari de iis, quæ sunt restitutioni obnoxia. De aliis, autem, quæ non sunt restitutioni obnoxia, vt de meretricio histrionatu, & similibus, si ex notorio peccato quæstus prouenerit, Ecclesia tales decimas recipere non debebit, ne peccatum approbare videatur, ipsi tamen illas dare tenebuntur. Vnde consulit Ecclesia, quod meretrix, & histrio inde faciant eleemosynam. Si verò peccatum fuerit occultum secuserit, quamuis prælatus hoc sciuerit. Argumentum ex capitulo Christiana 32. q. 5. & cap. si omnia. 6. qu. 1. Iudæi, & alii infideles personales decimas soluere non tenentur, cum nec recipiant sacramenta, nec audiant diuina. argumentum ex cap. de terris. de decimis.

Dubiũ circa rationẽ D. Thom.

¶ Circa rationem, qua D. Thom. in hoc articulo suam probat conclusionem, mouet Caietanus in præsenti difficultatem: Nam videtur ineficax. Sic enim procedit: Seminantibus spiritualia debentur carnalia, sub quibus continentur quæcunque possidentur: ergo de omnibus possessis debentur decimæ. Videtur enim hæc ratio in illatione deficere. Quia ex indefinita propositione, qualis est ista; Seminantibus spiritualia debentur carnalia, colligit propositionem vniuersalem, scilicet, ergo de omnibus possessis debentur decimæ; quod in bona consequentia fieri non potest. Dico tamen hanc rationem, potius adductam fuisse à D. Tho. ad defendendum ius Ecclesiasticum, quam ad eius necessitatem demonstrandam. Et procedit eius discursus sub intellecta hac propositione, & non est maior ratio de vno carnali quam de alio. Qua adiũcta certum est, nullum vitium in illatione inueniri. Sic enim procedit; Seminantibus spiritualia debentur carnalia; & non est maior ratio de vno quam de alio: ergo de omnibus carnalibus decimæ debentur.

Solutio.

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrùm decimæ solis clericis debeantur.*

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod decimæ non sint clericis dandæ. Leuitis enim in veteri testamẽto decimæ dabãtur, quia non habebant aliquam partem in possessionibus populi, vt habetur Num. 18. Sed clerici in nouo testamento habent possessiones, & patrimoniales interdũ, & ecclesiasticas: recipiunt insuper primitias & oblationss pro viuis & mortuis. Superfluum ergo est quòd eis decimæ dentur.

2 ¶ Præterea, Contingit quandoque quòd aliquis habet domicilium in vna parochia, & colit agros in alia. Vel aliquis pastor ducit gregem per vnam partem anni in terminis vnius parochiæ: & alia parte anni in terminis alterius: vel habet ouile in vna parochia, & pascit oues in alia: in quibus, & consimilibus casibus, non videtur posse distingui quibus clericis sint decimæ soluẽdæ: ergo non videtur quòd aliquibus clericis determinatè sint soluendæ decimæ.

3 ¶ Præterea, Generalis consuetudo habet in quibusdam terris, quòd milites decimas ab Ecclesia in feudum tenent: religiosi etiam quidam decimas accipiunt. Non ergo videtur, quod solum clericis curam animarum habenti bus decimæ debeantur.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Nu. 18. Filijs Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo. Sed filijs Leui succedunt clerici in nouo testamento: ergo solis clericis decimæ debentur.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd circa decimas duo sunt considerandа, scilicet ipsum ius accipiendi decimas, & ipsæ res quæ nomine decimæ dãtur. Ius autem accipiendi decimas spirituale est. Consequitur enim illud debitum quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, & quo seminantibus spiritualia debentur temporalia: quod ad solos clericos pertinet habentes curam animarum, & ideo eis solum competit hocius habere. Res autẽ quæ nomine decimarũ dãtur, corporales sunt. Vnde possunt in vsum quorumlibet cedere, & sic possunt etiam ad laicos peruenire.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in veteri lege sicut* dictum est, speciales quædam decimæ deputabãtur sub-

Art. 1. huius q. ad 4. præcipuè.

uentioni

Universidad de Deusto
Biblioteca

uentioni pauperum. Sed in noua lege decimæ dantur clericis, non solum propter sui sustentationem, sed etiam vt ex eis subueniant pauperibus: & ideo non superfluunt, sed ad hoc necessariæ sunt possessiones ecclesiasticæ & oblationes & primitiæ simul cum decimis.

¶ Ad secundum dicendum, quòd decimæ personales debentur Ecclesiæ in cuius parochia homo habitat: decimæ verò prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Ecclesiã in cuius terminis prædia sita sunt. Tamẽ iura determinant quòd in hoc seruetur cõsuetudo diu obtenta. Pastor autem qui diuersis temporibus in duabus parochijs gregem pascit, debet proportionaliter vtrique Ecclesiæ decimas soluere. Et quia ex pascuis fructus gregis proueniunt, magis debetur decima gregis Ecclesiæ, in cuius territorio grex pascitur, quàm illi, in cuius territorio ouile locatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut res nomine decimæ acceptas potest Ecclesia alicui laico tradere: ita etiã potest ei concedere vt dandas decimas ipsi accipiant, iure accipiendi ministris Ecclesiæ reseruato, siue pro necessitate Ecclesiæ, sicut quibusdã militibus decimæ debentur in feudum per Ecclesiam cõcessæ: siue etiam ad subuentionem pauperum, sicut quibusdã religiosis laicis vel non habentibus curam animarum, aliquæ decimæ sunt concessæ permodum eleemosynæ. Quibusdam tamẽ religiosis competit accipere decimas ex eo quòd habent curam animarum.

Summa Textus.

Supposito, quod in decimis duo possunt considerari, nempe ius petendi illas, & ipsæ res, quæ petuntur, respõdet D. Tho. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Ius petendi decimas duntaxat clericis potest conuenire. Probatur: Ius petẽdi decimas est spirituale, vt pote quod consequitur ad illud debitum, quo ministris altaris pro suo ministerio sumptus debentur, iuxta illud Pauli: Si spiritualia seminauimus, quid mirũ est si carnalia vestra metamus? sed solis clericis potest cõuenire quòd sint spiritualiũ administratores: ergo solis clericis poterit conuenire ius percipiendi decimas. Secunda conclusio: Res ipsæ quæ hoc iure clericis obueniunt, nihil vetat quo minus ex eorum concessione in laicorum ius demigrent. Probatur: Nam res huiusmodi sunt corporales.

Explicatio Articvli.

Resolutio D. Thomæ in isto articulo est, quod cum ius petendi decimas cõsequatur sacerdotes ex ministerio altaris, & spiritualium, seminãtibus enim spiritualia, corporalia debentur, quorum solutio tanquã proprium stipendiũ pro spirituali officio, quod ab alijs, quã à clericis exhiberi nequit, impẽditur, fit, vt ius petendi decimas sit spirituale, nec laicis competere aptum. Quæ etiã est cõmunis adnotatio Doctorum in c. causam. de præscrip. & c. 1. de iudi. & in ca. quamuis. de decimis, Vbi addit Glossa, quod quamuis possit Episcopus alicui laico ex iusta causa, eo scilicet, quod Ecclesiam, eiusve patrimoniũ à Tyranni oppressione exemerit, concedere ad vitam, vel ad aliud tempus decimarum fructus; tamen ipsum ius percipiendi decimas, ei conferre non poterit, sed solum vt eas nomine, & titulo Ecclesiæ cõsequatur. Quæ etiã est communis sententia Doctorum, vt autor est Couarruuias libro 1. Varia. ca. 17. num. 5. Et eodem modo laici sacerdotum nomine cõductionis iure decimas, & oblationes percipere poterunt, & quotidie exigunt & percipiunt. Sed est aduertendum, quod quamuis laici possint constitui oblationum collectores, cauendum omnino est, ne hoc munus viris fallacibus, malis moribus præditis, aut mendacibus, impostoribus ve delegetur. Hos enim omnes execratur textus in cap. fi. de reliquiis, & veneratione sanctorum. clem. 1. de pœnitentia. ca. tuarum. de priuileg. Mari Soci in tract. de oblationibus. libello. 20.

¶ Olim ante Concilium Lateranense, quod celebratum fuit sub Alexandro III. anno Domini 1179. quod tradidere Platina libro de vitis Pontificum. Sabellicus Eneidis. 9. lib. quinto. Raphael Volaterranus Anthropologiæ libro 22. & præter historicos Ioan. Andre. Collecta. Antoni. & Cardi. in capitulo cum Apostolica. de his quæ fiunt à prælatis. Olim inquam ante dictum concilium Lateranense obtentum erat, vt laicis de Ecclesia benemeritis decimæ à prælatis perpetuum in feudum concederentur. Quod prædictum concilium in posterum fieri magno conatu prohibuit. Ità tamen, vt laici iuste possent detinere decimas antiquitus sibi à prælatis in perpetuum feudum concessas, & non eas, quæ post dictum concilium, etiam iure feudorum fuissent eisdem perpetuo datæ, vt constat ex dicto capitulo cum Apostolica, & ex c. quamuis, & ex cap. prohibemus, de decimis. Quare temporis huius concilij erit habenda ratio in examinandis causis detinentibus ad decimarum concessionem laicis ante dictum Concilij Lateranẽse factam. Et licet Innocentius III. Concilium generale Romæ apud Lateranum congregauerit, anno Domini 1215. vt ex Platina & alijs, & ex secundo tomo Conciliorum colligere licet: non tamen ad hoc concilium referenda est prohibitio, qua vetitum fuit laicis decimas dari in feudum; sed ad præcedens, vt constat ex dicto capitulo cum apostolica. Vbi Innocentius III. alterius Concilij Lateranensis ab eo, quod ipse celebrauit, mentionem facit. Quod & multis alijs confirmat Couarruuias loco citato. Et sic constat, vtcumque res ista examinetur, laicos posse retinere decimas ipsis in feudum concessas ante dictum Concilium Lateranense, in quo omnes Doctores conueniunt. Et si quis obiiciat capitulum, prohibemus. quod ex dicto Concilio Lateranensi sub Alexandro III. est desumptum, vbi dicitur laicos cum animarum periculo posse dere decimas, quas etiam ante illud Concilium obtinuerunt, respondeo, quod textus ille solum loquitur de decimis à laicis ante Concilium illud obtentis, absque legitimo infeudationis iure. Aut fortasis textus ille hunc sensum habet, quod laici obtinentes decimas in feudum, in periculo animarum sunt constituti, quia minimè impendunt Ecclesijs, à quibus eas accepere, seruitia, obsequia, & ministeria, quæ secundum feudalis conuentionis leges exhibere tenentur. ¶ Præter hæc etiam est aduertendum, quod laici decimas in feudum ante concilium Lateranense obtinentes bene possunt eas ex consensu episcopi in aliquam Ecclesiam transferre, vt eas ipsa Ecclesia eodem titulo obtineat. Textus in dicto capitulo prohibemus, iuncta Glossa & Doctorum communi expositione, & in capitulo cum & plantare. §. primo de priuileg. Non tamen possunt eas in alios laicos transmittere, etiam ex consensu episcopi. Sicuti probatur in dicto ca cum apostolica, & tenent Hostiensis Ioan. Andr. & Abbas in dicto ca. prohibemus. Si autem dubitetur an decimæ in titulo feudi à laicis possessæ, ante concilium Lateranense vel post fuerint concessæ, consi derare oportebit antiquitatem possessionis. Et si immemorialis temporis fuerit, maximã præsumptionem inducet, & sufficientem prohationẽ tituli ante conciliũ acquisiti. Quod in specie expresim tradidere Ioan. And. Anto. Cardi. & Immola in dicto capitulo cum apostolica. Nec est necessaria probatio famæ, ex qua deducatur has decimas ante conciliũ Lateranense in feudum fuisse concessas: quia satis est possessionem probari eius temporis, cuius initiũ memoriã hominũ excedit, vt frequẽtius à prædictis autoribus receptum est.

Prohibitio Concilij Lateranensis.

Nota pro habentibus feudum decimarum.

¶ Caietanus in præsenti persistens in eadem sententia, quam articulo primo huius quæstionis tenuerat, nempe, quod solis clericis curam animarum habentibus debentur decimæ, ait, quod hoc ius petendi decimas duo simul prærequirit, scilicet, altaris ministerium, hoc est, sacramentorum administrationem, & spiritualium seminationem, hoc est, Euangelij prædicationẽ: quorum vtrumque per se personæ incumbat. Quare dicit, quod alij clerici aliter altari seruientes, & mõnachi, quibus accidentariè, & non ex proprio munere prædicare incumbit, hoc iure ceu proprio non funguntur. Cæterum, quia iam supra dixmus, decimas non solum ob sacramentorum administrationem deberi, sed etiam ob omnia alia altaris obsequia, qualia sint cantare, officio diuino interesse, quæ sunt munera canonicorum, & ipsi sacrosancto altaris sacrificio administrare, quod diaconorum & subdiaconorum est ministerium, idemque spirituale, fit, vt pro his omnibus decimæ debeantur; atque adeo omnes isti habent vel habere possunt ius illas percipiendi. Fateor curatorum munus functionum spiritualium apicem tenere; cuius subinde causa decimæ illis potissimè debentur. Sed non est negandum, quod canonici, archidiaconi, & id genus alij, etiam suo gradu & ordine illud ius participent. Sacerdotes mercenarij, qui nulli sunt addicti particulari Ecclesiæ, sicuti æque monachi, iure percipiendi decimas fungi non possunt, nisi ex priuilegio. Reges autem & seculares principes ex concessione Ecclesiæ decimarum fructus percipientes, ius ad illas petendum habere non sunt dicendi cum nullum spirituale officium exerceant, cui tanquam stipendium correspondere possint. Ex hoc documento, atque discrimine, quod est inter ius petendi, & ius possidendi res eodem iure acquisitas, eliciendа est regula ad cognoscendum quæ nam sacerdotia, & Ecclesiasticæ præbendæ sint spirituales, & quæ temporales, quod est funda-

Sententia Caietani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fundamentum, & basis disputationis de simonia, quam Deo dante, in quæstione 100. iumus prosequuturi. Nam illa præbenda quæ spirituali muneri fuerit annexa, spiritualis censebitur; alioqui minimè: Est autem munus spirituale non solum sacramentorum administratio, animarumque cura, sed etiam multa alia Ecclesiæ munia. Nec contrarium dici potest. Alias canonicatus, & cætera sacerdotia ad Ecclesiarum seruitium instituta, non essent spiritualia, ac proinde nec simoniæ materia, quod sine errore dici non potest.

ARTICVLVS IIII.

¶ Vtrùm etiam clerici teneantur decimas dare.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd etiam clerici teneantur decimas dare: quia de iure communi Ecclesia parochialis debet recipere decimas prædiorũ quæ in territorio eius sunt. Contingit autem quandoque quòd clerici habent in territorio alicuius parochialis Ecclesiæ aliqua prædia propria, vel etiam aliqua alia Ecclesia habet ibi possessiones ecclesiasticas: ergo videtur quòd clerici teneantur dare prædiales decimas.

2 ¶ Præterea, Aliqui religiosi sunt clerici, qui tamen tenentur dare decimas Ecclesijs ratione prædiorum, quæ etiam manibus proprijs excolunt: ergo videtur quòd clerici non sint immunes à solutione decimarum.

3 ¶ Præterea, Sicut Numero. 18. præcipitur, quòd Leuitæ à populo decimas accipiant, ita etiam præcipitur quòd ipsi dent decimas summo sacerdoti: ergo qua ratione laici debent dare decimas clericis, eadem ratione clerici debent dare decimas summo Pontifici.

4 ¶ Præterea, Sicut decimæ debent cedere in sustentationem clericorum, ita etiam debent cedere in subuentionem pauperum. Si ergo clerici excusantur à solutione decimarum, pari ratione excusantur & pauperes. Hoc autem est falsum: ergo & primum.

In Decre. li. 3. ti. 30. cap. 2.

¶ SED CONTRA est, quòd dicit *Decretalis Paschalis Papæ. Nouum genus exactionis est, vt clerici à clericis decimas exigant.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd idem non potest esse causa dãdi & recipiendi, sicut nec causa agendi & patiendi. Contingit autem ex diuersis causis, & respectu diuersorum eundem esse dantem & recipientem, sicut agentem & patientem. Clericis autem, inquantum sunt ministri altaris, spiritualia populo seminantes, decimæ à fidelibus debentur. Vnde tales clerici, inquantum clerici sunt, id est, inquantum habent Ecclesiasticas possessiones, decimas soluere non tenentur. Ex alia vero causa, scilicet propter hoc quòd possident proprio iure, vel ex successione parentum, vel ex emptione, vel quocunque huiusmodi modo, sunt ad decimas soluendas obligati.

¶ Vnde patet responsio ad primum, quia clerici de proprijs prædijs tenentur soluere decimas parochiali Ecclesiæ, sicut & alij, etiam si ipsi sint eiusdem Ecclesiæ clerici quia aliud est habere aliquid vt proprium, aliud vt commune. Prædia vero Ecclesiæ non sunt ad decimas soluendas obligata, etiam si sint infra terminos alterius parochiæ.

¶ AD SECVNDVM dicendum, quòd religiosi qui sunt clerici, si habeant curam animarum, spiritualia populo dispensantes, non tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere. De alijs verò religiosis etiam si sint clerici, qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio. Ipsi enim tenentur de iure communi decimas dare, habent tamen aliquam immunitatem secundum diuersas concessiones eis à sede Apostolica factas.

¶ Ad tertium dicendum, quod in veteri lege primitiæ debebantur sacerdotibus, decimæ autem Leuitis. Et quia sub sacerdotibus Leuitæ erant, Dominus mandauit, vt ipsi loco primitiarum soluerent summo sacerdoti decimam decimæ. Vnde nunc eadẽ ratione tenentur clerici summo Pontifici decimam dare, si exigeret. Naturalis enim

enim ratio dictat, quod illis qui habent curam animarum, de communi multitudinis statu prouideatur, vnde possint exequi ea quæ pertinent ad communem salutem.

¶ Ad quartum dicendum, quòd decimæ debent cedere in subuentionẽ pauperum per dispẽsationem clericorum. Et ideo pauperes non habent causam accipiẽdi decimas, sed tenẽtur eas dare.

SVMMÆ TEXTVS.

Littera huius articuli duabus propositionibus continetur. Prima conclusio: Clerici inquantum clerici, hoc est, inquantum de decimis, quas pro suo spirituali ministerio recipiunt, & de Ecclesiæ fundis, quorũ fructibus, clericali iure vtuntur, nullatenus tenentur decimas soluere. Secunda conclusio: Clerici non quatenus clerici, sed quatenus seculari iure, vel hæreditario, vel emptionis, vel quouis alio, terras possident seculares, decimarũ sunt debitores, scilicet, ex fructibus, qui inde sibi proueniunt. Probatur vtraque conclusio simul: Idem, inquantum idem, nõ potest esse ratio & fundamentum quidquid dandi & recipiendi: est enim contra naturã, vt idem sit agendi patiendique principium: sed clerici propter spiritualem functionem habẽt ius recipiendi decimas, ac proinde fructus prædiorum, quæ Ecclesia possidet: ergo eadem ratione nihil debent decimarum refundere. Nihil autem obstat, quominus in eadem persona diuersa sint principia, vnũ agendi, alterum patiendi respectu diuersorum: ergo in clerico etiam non obstante spirituali principio recipiendi decimas inuenirí simul poterit temporalis possessio, ex qua eadem debeat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusiones huius articuli certissimæ sunt, & de quibus nulla extat controuersia apud Doctores. Ec sic solùm circa secundam est aduertendum, quod contra tenorem illius, quam plurimis extant concessa priuilegia à summis pontificibus ne de possessionibus, quas habent decimas soluant. Cisterciensibus nanque, & Hospitalarijs concessit Alexander tertius, vt de prædijs, quæ quomodocunque possiderent, si proprijs manuum laboribus illa colerent decimas non soluerent: idem concessit Adrianus, vt constat ex ca. ex parte, de decimis. Et intelligitur etiã si prædicti priuilegiati per suos famulos propria prædia colant: Cæterorum autem nulli siue clerici, siue monachi exempti erunt, quin illas debeant, esto ipsi sua arua colant, nisi similiter fuerint muniti priuilegio. Quando verò Ecclesiastici proprias terras agricolis locãt multò minor relinquitur ratio dubitandi, quin huiusmodi decimarum sint debitores, vt habetur in ca. licet. & in c. ad audientiam, de decimis. Quãuis etiã super his habẽda erit ratio consuetudinis, vt diximus in superioribus.

¶ In solutione ad primũ dicit duo D. Tho. Primum est, quòd clerici de propriis prædijs tenentur soluere decimas parochiali Ecclesiæ, sicut & alij, etiam si ipsi sint eiusdem Ecclesiæ clerici. Secũdũ est, quod prædia vnius Ecclesiæ no sunt ad decimas soluendas obligata, etiam si sint infraterminos alterius parochiæ. Sed contra primum est argumentũ desumptum ex c. nouum, de decimis. Vbi dicitur, quod illi clerici is debent soluere decimas, qui à clericis spiritualium ministeriorũ labores accipiunt. Sed clerici eiusdem Ecclesiæ non accipunt ministeria spiritualia à clericis, sed simul ipsi populo ea ministrẽt: ergo non videntur quod ad decimas soluendas de proprijs prædijs sint obligandi. ¶ Secundo contra secundum dictum D. Tho. etiam argumentor in hunc modum. Nam, si illud esset verum, sequeretur posse cõtingere, quod vna Ecclesia omnibus suis decimis fraudaretur: si ponamus quod omnia prædia infra terminos alicuius parochiæ existẽtia, à diuersis donarẽtur diuersis alijs Ecclesijs. Tunc enim aliis Ecclesijs cuncta possidentibus, spoliata remaneret ea Ecclesia, in cuius territorio sunt omnia illa prædia. Consequens autem est absurdum, & contra rationem: ergo. ¶ Ad primum argumentũ respondeo cum Caietano in præsenti, quod licet ex illo capitulo, nouum, nõnulli, vt Glossa, accipiant occasionem dicẽdi contra D. Tho. quod clerici eiusdem Ecclesiæ non tenentur de propriis prædijs alij aliis decimas soluere: cõtrarium tamen est verum, vt probat ratio à D. Tho. adducta in eadem solutione, scilicet, quia aliud est habere aliquid vt proprium, ratione cuius debentur decimæ; Et aliud habere cõmune Ecclesiasticũ ratione cuius non debentur. Nec ex illa Decretali contrarium colligitur. Nam non dicit, quod illi soli tenentur soluere decimas, qui à clericis spiritualium ministeriorum labores accipiũt, sed, quod illi tenẽtur. Cum quo stat, quod etiã alii teneantur. Eò vel maximè, cũ sit per accidens, quod vnus clericus suæ Ecclesiæ teneatur. Accidit enim quod iste homo dominus agri sit clericus illius Ecclesiæ. Et ex his, quæ per accidens veniunt rei natura non mutatur. Vel secundo respondetur, falsum esse, quod clerici à clericis eiusdem paræciæ non accipant aliquando sacramenta. Accipiunt enim illa in casu necessitatis

Duo dicit D. Tho. in solut. ad 1.

1. arg. contra primũ dictum D. Tho.

2. arg. contra 2. dictũ

Respondetur ad primum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis præter curatum, qui illa non nisi à suo vicario suscipit. Et sic de suis tẽporalibus fundis decimas debent. ¶ Ad secundum argumẽtum, suppositio, quod doctrina à D. Tho. tradita est vera (eo enim ipso, quod fundus est alicuius Ecclesiæ, efficitur Ecclesiasticus, hoc est, spirituali muneri mancipatus, & sic ad solvendas decimas non tenetur) respondeo hoc esse intelligendum cum grano salis, vt dicit Caietanus in isto commentario. Scilicet, quãdo sine notabili damno Ecclesiarum fieri potest, vt colligitur ex c. suggestum. extra, de decimis. Vbi cum cuidam ordini indultum privilegium esset, ne decimas solueret, & tanta illis deinceps fieret prædiorum accessio, vt aliæ paræciæ magnum damnum acciperent, iussum est, vt fieret supra hac re compẽsatio, ne contingeret quod vnus esuriret, & alius ebrius esset. Æquitas nanque non patitur, vt statuta Ecclesiæ talem deordinationem inducant. Quare in similibus casibus, debebunt prædia extraneis Ecclesiis curatis donata, cũ suo onere transire, nempe, vt solitas parochiali Ecclesiæ decimas soluant. Et tunc clerici per accidens à clericis decimas exigerent, scilicet, ratione prædiorum sibi annexorum, nec obstaret capitulum, nouum genus, quod de eo, quod per se & regulariter contingit, loqui, est intelligendum.

Ad 2. arg.

QVAESTIO LXXXVIII.
de Voto, per quod aliquid Deo promittitur, in duodecim articulos diuisa.

Articvlvs. I.
¶ Vtrum votum consistat in solo proposito voluntatis.

4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 1.

AD Primvm sic procedi-tur. Videtur quòd votum consistat in solo proposito voluntatis. Quia secundum quosdam, votum est conceptio boni propositi cum animi deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum vel non faciendum se Deo obligat: sed conceptio boni propositi cum omnibus quæ adduntur: potest in solo motu voluntatis consistere: ergo votum in solo proposito voluntatis consistit.

2 ¶ Præterea, Ipsum nomen voti videtur à voluntate assumptum. Dicitur enim aliquis proprio voto facere, quæ voluntariè facit. Sed propositum est actus voluntatis, promissio autem rationis: ergo votum in solo actu voluntatis consistit.

3 ¶ Præterea, Dominus dicit Lucæ nono. Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Sed aliquis ex hoc ipso quòd habet propositum benefaciendi, mittit manum ad aratrum: ergo si aspiciat retro, desistens à bono proposito, non est aptus regno Dei. Ex solo ergo bono proposito aliquis obligatur apud Deum, etiam nulla promissione facta. Et ita videtur quod in solo proposito voluntatis votum consistat.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Ecclesiastici quinto. Quod vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio: ergo vouere est promittere, & votum est promissio.

¶ Respondeo dicendum, quòd votum quandam obligationem importat ad aliquid faciendum vel dimittendum. Obligat autem homo se homini ad aliquid per modum promissionis: qui est rationis actus, ad quẽ pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodo quid sibi ab aliis fiat, ita promittendo ordinat quid ipse pro alio facere debeat. Sed promissio, quæ ab homine fit, homini non potest fieri, nisi per verba, vel quæcunque exteriora signa. Deo autem potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem: quia vt dicitur 1. Regu. 16. Homines vident ea quæ parent, sed Deus intuetur cor. Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora, vel ad suiipsius excitationem, sicut circa orationem dictum* est, vel etiam ad alios contestandum: vt non solum desistat à fractione voti propter timorem Dei, sed etiam propter reuerentiam hominum. Promissio autem procedit ex proposito faciendi. Propositũ autem

Qu. 83. art. 12.

autem aliquam deliberationem prꝫexigit, cum sit actus volũtatis deliberatæ. Sic ergo ad votũ tria ex necessitate requiruntur. Primò quidem, deliberatio. Secundò, propositum voluntatis. Tertiò, promissio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur verò quandoque & alia duo ad quandam voti confirmationem, scilicet pronuntiatio oris, secũdum illud Psalm. 65. Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea. Et iterum testimonium aliorum. Vnde magister dicit trigesimaoctaua distinctione quarti libri sententiarum, quod votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo & de his quæ sunt Dei, fieri debet. Quanuis testificatio possit ad interiorem testificationẽ propriè referri.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod conceptio boni propositi nõ firmatur ex animi deliberatione, nisi promissione deliberationem consequẽte.

¶ Ad secundum dicendum, quòd voluntas mouet rationem ad promittendum aliquid circa ea, quæ eius voluntati subduntur. Et pro tanto votum à voluntate accipit nomen quasi à primo mouente.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ille qui mittit manum ad aratrum, iam facit aliquid. Sed ille qui solũ proponit, nondum aliquid facit. Sed quando promittit, iam incipit se exhibere ad faciendum: licet nondum impleat quod promittit: sicut ille qui ponit manum ad arandum, nondum arat: iam tamen ponit manum ad arandum.

Svmma Textvs.

Litera huius articuli tribus propositionibus continetur. Prima conclusio: Ad votum necessariò requiruntur tria, scilicet, deliberatio rationis, propositum volũtatis, & promissio, in qua voti ratio perficitur. Probatur: Votum est promissio facta Deo, aut homini ex proposito aliquid faciẽdi procedens: sed ante propositum aliquid faciendi & promittẽdi præcedit deliberatio rationis, cùm propositum sit actus deliberatæ voluntatis, qui semper præsupponit deliberationem: ergo in voto illa tria necessario includuntur. Consequentia cum minori est nota; & maior probatur. Votum importat obligationem faciendi, aut dimittendi aliquid, sed homo obligat se homini per modũ promissionis ordinando se ad aliquid faciẽdum, aut dimittendum, quæ promissio semper præsupponit propositum id faciendi. Sicut enim homo imperando, aut deprecando ordinat, vt per alios fiat, quod ipse vult, ita etiam promittendo ordinat se, vt faciat, vel euitet aliquid propter alios: quæ promissio quando est vera procedit ex proposito id faciendi: ergo votum est promissio facta Deo, aut homini ex proposito aliquid faciendi. Secunda conclusio: Promissio, quæ fit homini, non potest esse nisi per verba, aut per signa exteriora. Cæterum promissio quæ fit Deo, potest esse per solam cogitationem. Probatur ex illo. 1. Reg. c. 16. Homines vident ea, quæ apparent, Deus autem intuetur cor. Tertia conclusio: Licet votũ, quod Deo sit sola mentis loquela possit fieri, adhibentur tamen à vouentibus alia duo ad voti cõfirmationem, nempe oris pronũtiatio, & aliorum testimonium. Hanc conclusionem probat D. Th. testimonio Magistri in. 4. dist. 38. dicentis, quòd votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de ijs, quæ sunt Dei, fieri debet.

Explicatio Articvli.

DE hac materia, quæ celebris est, cognituque necessarijssima, disputant Doctores in. 4. d. 38. Soto lib. 7. de iustitia, per totum, Nauar. in Manua. c. 12. à nu. 24. Canonistæ in titulo de voto, & voti redemptio. & Summistæ verbo. votum. Ad cuius intelligentiam, vt à nomine ipso exordiamur aduertẽdum est, quòd hoc nomen, votũ, quòd à vouere dicitur, si Latinis autoribus fides adhibetur propriè promissionem significat, non quamcunque, sed illam, quæ Deo, aut sanctis fit. Vnde Cicero lib. 2. de legib. Voti sponsio quo obligamur Deo, & 3. de Natura Deorum. Nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portũq; salui peruenerint? Et quoniam quæ magnopere desideramus adhibitis votis à dijs petere solemus, tractum fuit etiam nomen ad significandum nostrum desiderium. In qua significatione dicere solemus, voti compotem eũ, qui desiderium suum assequutus est. Sed in præsenti tantum loquimur de voto primo modo. Et sic constat, illud esse actum religionis, quæ est virtus, qua Deo & sanctis seruimus.

Votũ quid significet.

¶ Secundò est aduertendum, quòd inter hæc quatuor nomina pactũ, stipulatio, pollicitatio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Differẽtia inter pactũ stipulationem, pollicitationẽ, & votum.

licitatio,& votum hęc est differentia,quòd pactum necessariò requirit consensum duorum vel plurium. Tunc enim dicitur fieri pactum inter aliquos,quando de re aliqua, supra qualis vel controuersia esse posset,cõueniunt. Iuxta illud Vlpiani in lege pactũ. de pollicitationibus.Pactum est duorum cõsensus,atque conuentio. Et in.l.1.de pactis. Pactum à pactione dicitur. Vnde etiam pacis nomen deductum est. Stipulatio est nomen verbale ab stipulor,quod postulare, sibi promitti aliquid solemnibus verbis,significat.Iuxta illud Colum.in præfactione lib. 10.Fœneris tui Syluane, quod stipulati sponderam tibi,reliquam pensiunculam percipe.Et Cicero lib.2.de legibus:Si is, cui legatum est,stipulatus est id ipsum,quod legatum est,vt ea pecunia ex stipulatione debeatur.Et pro Roscio Amerino,inquit, Stipulatus es? vbi? quo die?quo tempore?quo præsente? Quis spopondisse me dicit? nemo, &c.Et hac ratione stipulatio nihil aliud est, quam verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur,daturum,facturumne se quod interrogatur, respondet. Quare stipulatio duos necessario, scilicet, interrogantem & respondentem requiret. Pollicitatio est solius offerentis promissio, vt autor est Vlpianus vbi supra.de pollicitationibus. dicens: Pollicitatio solius offerentis promissum est. Atque ideo solet appellari communiter simplex promissio.Votum autem solum importat promissionem Deo factam,vt paulò anteà dicebam.

Dubiũ de possibilitate voti.

¶ Sed antequã ad ipsius voti quidditatẽ, & diffinitionem explicandam, accedamus, operæpretium erit agere de eius possibilitate.Vtrum,scilicet,sit possibile votum emitti de re aliqua,ad quam ex vi præcepti diuini,minimè teneamur?Quod quærimus propter Lutherum in suo libro de votis monasticis,dicentem, morem Ecclesiasticũ emittendi vota esse perniciosum hominum inuẽtum,nullo sacræ scripturæ exemplo,aut autoritate nitens. Eandem sententiam tenuerunt Lamperiani hæretici, vt autor est Castro de hæresibus.verbo. votum. Et posteà Pseudoapostoli, ac tandẽ Ioãnes Vviteleph. Et probari potest aliquibus argumentis. Primò sic: Nihil operis Deo præstare possũmus, quod ei non sit debitum ex vi præcepti dilectionis,super omnia: tenemur enim isto præcepto illum diligere ex toto corde, & ex tota mente, & ex totis viribus,&c.ergo nullum relinqui potest supererogationis opus,quod possit esse peculiaris materia voti; atque ex consequenti vanum erit Deo quidpiam vouere. ¶Secundò: Deus creauit nos de nihilo, suaque misericordia nos pascit,atque sustentat:ergo ratione istius beneficij debebimus ei quidquid sumus, & quid quid possumus operari:atque ex consequenti nihil relinquitur non debitum, quod ei vouere possimus. ¶Tertiò: Iustorum opera debent fieri liberrimè: sed votum infert necessitatem adimplẽdi, quod est promissum: ergo repugnat perfectioni Christianæ. Atque ex consequenti illud facere non solum vanum verum & perniciosum erit.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Conclu. de fide.

¶ His tamen non obstantibus sit conclusio de fide tenenda,quòd præter opera præceptorum,sunt etiam alia nõ debita,de quibus votum emittere iustum est, & celebre religionis officium. Hæc conclusio duas cõtinet partes,prima est,quod vltra opera præceptorum sunt etiam alia non debita,secunda quod de his votum emittere iustum est, & celebre religionis officium,quod vtrunque inuerecundè negabat Lutherus. Prima pars probatur ex illo Matth.16.Sunt Eunuchi,qui seipsos castrauerunt propter regnũ cælorum.Qui potest capere capiat. Quibus verbis, iuxta communem omnium interpretationem,loquitur Christus de illis, qui voto virginitatis se astringunt,aliàs ex vi præcepti alicuius non obligati.Quod & D.Paulus exponit.1.ad Corinth.7.dicens;Dico nõ nuptis & viduis,bonum est illis,si sic permanserint,sicut & ego.Et subdit statim;de virginibus autem præceptũ Domini nõ habeo, &c. Quibus verbis apertè significat opus virginitatis seruandæ non debitum ex præcepto,sed liberum esse vnicuiq;.Item Matt. 19.adolescenti interroganti; Quid faceret, vt vitam possideret æternam respõdet Christus,serua mandata. Et mox dicente iuuene; se iam omnia seruasse à iuuentute sua,adiecit Dominus: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes,& da pauperibus, & veni sequere me. Quo in loco manifestè discernitur inter opera præceptorũ, & cõsiliorum:Nã ad possidendã vitã æternã prius assignauit mãdata, tanquã ad id maxime necessaria.Deinde autem ad perfectam vitam degendam adiecit consiliũ de renuntiandis opibus,& pauperibus distribuendis.Sunt ergo ex mẽte Christi aliqua opera indebita ex vi præcepti; qualis est renũtiatio omniũ bonorũ.Et ratione sic argumentor. Quia finis præcepti(teste Apost.1.ad Tim.1.)est charitas ex operibus;quę spectãt ad proximũ.Nõ erat cur nobis Deus præciperet,nisi tãtũ ea quæ pertinent ad charitatis custodiam. Et in alijs,quæ ad cultũ suum pertinent, non voluit Deus obligationem nostram metiri ex magnitudine beneficiorum, quæ nobis

bis contulerat,scilicet,creationis redemptionis,& aliorum: sed omnia iuxta nostram naturam suauiter disponere; illaque tantũ præcipere, quæ suam amicitiam seruarent, & quæ possibilia essent non solum quibusdam hominum conditionibus,pro loco, & tempore,sed quæ omnibus.& quocunque tempore essent possibilia. Nam sic leges debent disponi. Cætera autem difficiliora in manu cuiusque posuit, vt ea implerent vel non. Ergo non omnia opera nostra sunt debita Deo ex vi præcepti.Et confirmatur: Multa sunt opera,ad quæ nullum nos cogit præceptum,& multa alia,quæ lex minimè prohibet,vt seruare virginitatem,renuntiare diuitijs, &c. ergo non omnia sunt debita Deo ex vi præcepti. Secunda pars conclusionis, scilicet, quòd de his operibus non debitis Deo ex vi præcepti, sit iustum & religionis officium vota emittere, probatur primò: Multis sacræ scripturæ testimonijs, quibus hominibus suadetur, vt vota faciant, & ea quam citissime adimpleant.Psalm.75.Vouete & reddite Domino Deo vestro,qui in circuitu eius offertis munera. Et Psalm.49.Immola Deo sacrificium laudis;& redde Altissimo vota tua.Et Psal.55.Reddam tibi vota mea,quæ distinxerunt labia mea.Et Nume. 39. Siquis virorum votum Domino vouerit,aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum votum suum, sed omne quod promisit implebit. Et Deut.23. Cum votũ voueris Domino Deo tuo non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus.Et si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.Si nolueris polliceri absque peccato eris.Quod autem semel egressum est de labijs tuis obseruabis,& facies,sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo loquutus es.Posset secundò,id ipsum probari multis sacræ scripturæ exemplis,& sanctorum ac conciliorum in mediũ adductis testimonijs.Sed quoniam illa longum esset recensere, consulcò prætermitto. Qui ea videre voluerit legat Alphonsum à Castro,loco nuper citato.

Ad 1. arg.

¶Et ad primum argumentum respondeo, negando,maximo illo dilectionis præcepto, omnia opera, quæ quis exhibere potest,cõtineri. Cum satis sit ad illius impletionem, sic tota mente, & anima, & viribus Deum diligere,vt nihil eidem dilectioni contrarij admittamus:quod in hac vita per Dei fauorem implere possumus.Nam,vt ait D.Tho. supra.q.44.art.6.dupliciter potest intelligi, quòd illud mandatũ adimpleatur. Vno modo perfectè, quod contingit,quando per illius obseruantiam ad eum finem peruenimus,quem Deus intendit, scilicet,ad hoc,vt homo se Deo coniungat perfectissimo amore,qui non patitur secum peccatum vllum, quanuis leuissimum,nec alium quemcunq; amorem qui non sit Dei. Et isto modo in patria implebitur hoc mãdatum. Alio modo adimpletur imperfectè. Tunc,scilicet,quando,& si non perueniat homo ad prædictũ finem:non tamen recedit à via,quæ illucducit. Et isto modo impletur in via. Appellaturque huiusmodi adimpletio imperfecta, non, quia non sufficiat ad vitandam culpã: sed quia per illam non assequimur finem illo perfectissimo modo.Propter quod dicebat D.Augustinus lib.de spiritu,& litera.capit.26. id esse discriminis inter triumphantem,& militantem vitam, quòd ad iustitiã huius vitæ, quæ illo dilectionis mandato præscribitur,satis est,non peccare,nec id deputandum est culpæ, quòd nondum potest hic esse tanta Dei dilectio, quanta illius erit dum à nobis conspicietur. Itaque,vt explicatiùs loquamur,aliud est perfectè adimplere præceptum, & aliud non violare. Possumus quidem in hac vita non violare præceptum dilectionis Dei,licèt non possimus illud perfectè adimplere. Et sic cauenda est æquiuocatio adimplendi. Accipitur enim vno modo, vt opponitur transgressioni,seu omissioni. Et isto modo impletur in hac vita. Alio modo, vt tantum valet, quantum plenè ad mensuram,cacumen,& finem pertingere, & isto modo impletur in patria. Sed est aduertendum, quod quando dicimus præceptum dilectionis Dei posse adimpleri in hac vita, loquẽdo de adimpletione, vt opponitur transgressioni, tantum est sermo de dilectione Dei,vt est speciale præceptum. Possumus enim loqui de dilectione Dei dupliciter. Vno modo, vt est speciale præceptum internos actus dilectionis præcipiens. Alio modo,vt est præceptum generale omnium aliorum præceptorum adimpletionem in se continens. Et quidem si loquamur primo modo, potest homo ex auxilio speciali illud præceptum in hac vita adimplere.Nam potest quo tempore occurrit obligatio elicere maxima intensione istum actum: Volo Deum super omnia diligere; nullam tunc culpam mortalem, aut venialẽ admittendo.Cæterùm,si loquamur de dilectione,vt est præceptum generale,nulla ratione potest in hac vita adimpleri, nisi à confirmatis in gratia. Quia est impossibile, quòd homo non peccet, saltim venialiter.Vt docet Diuus Hieronymus in Dialogo quinto contra Luciferianos, & Concil. Tridentin. Sessione 6. Can. 23. nullum

Aliud est adimplere præceptũ, & aliud nõ violare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posse omnia peccata venialia vitare, sine speciali Dei priuilegio. Sicut de Beata Virgine
Ad.2.arg. tenet Ecclesia. ¶ Ad secundum respondetur, quòd quanuis Deus immensa nobis creationis, & redemptionis bona contulerit; noluit tamen obligationem nostram ex magnitudine beneficiorum metiri: sed suauiter cuncta disponens, quæ ad amicitiam seruandam essent necessaria, & quæ omnibus essent possibilia, præcipere. Et sic multa opera fuerũt relicta non præcepta, quæ facere, vel non facere liberum est homini. ¶ Ad tertium respõ
Ad.3.arg. detur, negando, quòd libertati Christianæ repugnet votũ. Seruire enim Deo regnare est, & ab hac seruitute Christus non liberauit nos morte sua, sed à seruitute peccati qua libertate nullus melius potitur, quam qui seruit Deo. Iuxta illud Apostoli ad Rom.6. Liberati peccato, serui facti estis iustitiæ.

¶ Supposito esse possibile, votum emitti de re aliqua, ad quam ex vi præcepti diuini minimè teneamur, opus erit explicare ea, quæ D.Tho. dicit esse necessaria ad votum. Vnde circa deliberationẽ, quæ est primum eorum quæ ad voti rationem requiruntur, aduertendum est primò, quòd deliberatio duo importat. Primum est discursus, seu collatio inter multa. Aliud autem est determi-
Deliberatio importat duo. natio ad vnum. Et constat ità esse experientia. Nam nunquam deliberatio requiritur, nisi quando datur optio inter multa. Vt, verbi gratia, concipit aliquis bonum esse ingredi religionem, tũc ad hoc, vt deliberatio fiat necessarium est, vt per discursum & collationem consideret, vtrùm ille status sibi expediat, & quæ religio sit conuenientior, conferendo singula, quæ in religionibus inueniuntur cum fine, quem intendit. Et postquam per discursum reperetit, talem religionem esse conuenientem, tunc determinat eã sumere, & sic fit deliberatio. Est tamen aduertendum, quòd determinatio est duplex. Vna intellectus: & est sententia, quæ sequitur post factam collationẽ inter multa: qua vnum illorum approbatur. Altera est determinatio voluntatis, qua potius eligitur hoc medium, quam illud. Et quidem ad hoc, vt sit plena deliberatio, non satis est prior determinatio intellectus, nisi secunda, quæ est voluntatis sequatur. Nã quanuis multi sint, qui determinatè iudicent, melius illis esse ingere pœnitentiam, & ingredi religionem, quam manere in seculo, quia tamen non habent determinatam voluntatem id faciẽdi, non dicuntur id deliberasse, quo ad vsque per voluntatem determinentur. Ex quo sequitur primò, quòd deliberatio, quæ ad votum requiritur, est determinatio voluntatis supposito discursu, & supposita determinatione intellectus. Appellatur tamẽ à D. Th. & ab alijs Doctoribus deliberatio rationis, quia præsupponit discursum, & deliberationem intellectus. Sequitur secundò, quòd actus voluntatis, qui procedunt non ex collatione, & discursu, sed ex simplici apprehẽsione obiecti, vt velle beatitudinẽ, nolle miseriam, &c. non sunt deliberati, quia nõ procedunt à volũtate, vt deliberatiua, sed à volũtate, vt natura ad vnum determinata.

¶ Secundò est aduertendũ, quòd actus voluntatis dupliciter potest procedere ex discursu, & collatione intellectus. Vno modo ex discursu, & collatione actuali. Alio modo ex discursu, & collatione virtuali. Tunc dicitur procedere ex discursu actuali, quando actu fit collatio, vtrum sit conueniẽs, quòd talis actus fiat, necne. Quæ actualis collatio aliquando fit tempore perceptibili. Vt cum quis considerat, & confert, vtrùm sit ducenda vxor, & post talẽ considerationẽ determinat illã ducere. Aliquãdo tẽpore imperceptibili. Vt cũ quis ex vehementi passione subitò mota determinat occidere inimicum: ità tamen, quòd statim in ipsa occisione offeratur ei consideratio rei, quam facit. Nam si talis consideratio ei non offeratur, ille actus non erit humanus, nec imputabitur ei, sed erit actus naturalis, & primò primus. Tunc autem dicitur actus volũtatis procedere ex collatione, & discursu virtuali, quando de ipso actu non est facta collatio in se, sed in suo principio. Quomodo artifices operari dicũtur ex collatione virtuali: Quia quãuis actu non faciant collationẽ de opere, quod efficiunt, eam tamen iam fecerunt cum arte didicerunt. Aliquando etiam dicitur actus esse ex collatione virtuali, quia ità consonat operanti, vt nolit de eo actualem collationẽ efficere. Vt cum quis ex habitu operatur, vel ex consuetudine, vel ex negligentia. Tũc enim ità se habet homo, vt habeat determinatam voluntatem ad operandum, ac si fecisset collationem de re agenda.

Actus volũtatis potest dupliciter procedere ex discursu intellectus.

¶ His positis est difficultas, vtrũ ad hoc, vt votũ sit obligatorium, necessariũ sit, q̃ vouens prius deliberet de omnibus, quorũ cognitio ipsum cohiberet à vouendo? Quod est quærere, vtrũ vota facta ex cordis facilitate, aut ex repentino timore, aut ex nimio dolore, vel ex magna turbatione, sint obligatoria? De qua re est sententia quorundã Doctorũ, qui, vt refert Syluester, verbo, votum. 2. partem tenuit negatiuam. Eandẽ videtur sequi Ricardus de Mediavilla in. 4. dist. 38. art. 1. quæst. 2. Nam dicit, quòd sicut in nobis est duplex velle, scilicet, plenum, & semiplenũ: illud

Dubium de deliberatione necessaria ad votum.

illud est velle deliberatiuum, & hoc est velle ex surreptione; ita etiam est duplex votum, plenum, & semiplenum. Primum habet plenam rationem voti; quia factum est ex deliberatione. Secundum verò non habet plenam rationem voti, quia fit ex surreptione. Et ideo non obligat ex necessitate, sed ex quadam congruitate. Vnde frangere tale votum, etiam propria autoritate nõ est peccatum mortale. Hactenus Ricardus. Quibus verbis videtur significare, vota, quæ ex plena deliberatione non fiunt, non esse obligatoria. Et probari potest hæc sentẽtia aliqui
1. Argum. bus argumentis. Primò sic: Votum cum à voluntate dicatur, debet esse spontaneum, & voluntarium: sed ignorantia tollit volũtarium: ergo vbi non omnia plene deliberantur non est plena libertas: atque ex con
2. Argum. sequenti nec votum. ¶ Secundò: Deliberatio importat maturum consilium, atque discursum: sed quando homo non considerat omnia, vel propter passionem, vel propter timorem, non est ibi maturum consilium: ergo nec potest esse votum factum ex deliberatione, atque ex consequenti tale votum nullũ erit. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Nam agere ex passione solemus distinguere contra agere ex deliberatione, &
3. Argum. ex consilio. ¶ Tertiò: Votum est grauissima obligatio, qua homo se obligat Deo in perpetuum, sub pœna mortis æternæ: ergo requirit omnium circunstantiarum plenam deliberationem. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur: Nam in omnibus alijs contractibus ciuilibus, vt in matrimonio opus est tali deliberatione propter grauissimam obligationem, quam secũ adducit. Et confirmatur: Si aliquis me deciperet ad hoc, vt profiterer aliquam religionem, dicens in ea non seruari delectum ciborum, nec ibi esse aliqua ieiunia extraordinaria, cuius contrarium posteà verum inueniretur, licèt ego ita deceptus illam vouerẽ, non tenerer seruare votum; quia mihi non fuit commoditas deliberandi: ergo similiter non teneor seruare votum, in quo plena deliberatio non inuenitur propter timorẽ, vel propter aliam passionem.

¶ Contrariam tamen sententiam tenent communiter omnes Doctores sequuti Palu
Deliberatio accipitur dupliciter. danum in. 4. dist. 38. quæst. 1. & Caietanum in præsenti commentario. Quæ proculdubio est vera, atque tenenda. Vnde ad illius explicationem aduertendum est, quòd deliberatio potest accipi dupliciter. Vno modo, vt opponitur motui subitaneo, & ex surreptione, siue sit ille motus primò primus, in quo nulla est deliberatio, nec ratio culpæ, aut meriti; siue secundo primus, in quo sola esse potest culpa venialis. Itaque secundum hanc acceptionem omnes illi dicuntur operari ex deliberatione plena, & perfecta, qui cognoscunt quid sit id, quod faciunt, quanuis non cõsiderent omnia, quæ possunt euenire ex tali operatione. Alio modo potest accipi deliberatio pro plena consideratione, qua nihil eorum, quæ deliberari poterant omittitur. Secundum quam significationẽ solum illi dicuntur operari ex deliberatione, qui plenè considerant omnia, quæ circunstant operationem.

¶ Hoc supposito sit prima conclusio: Ad votũ semper est necessaria deliberatio primo modo accepta. Quod est dicere, necessarium esse ad hoc, vt votũ sit validum, quòd non fiat subitò, nec ex motu primo, nec ex motu primo secundo, in quo tantum inuenitur culpa venialis. Sed semper debet præcedere deliberatio his motibus opposita. Probatur: Votum non solum debet esse spõtaneum; sed etiam ità deliberatum, vt obliget ad sui obseruãtiam sub reatu culpę mortalis; sed motus primo primus nulla ratione est voluntarius, sed naturalis: & motus secũdò primus, in quo tantum est culpa venialis, nõ potest esse inductiuus talis obligationis: ergo nec actus voluntatis primus, nec secundus, in quo tantum est culpa venialis, erit sufficiens ad votum. Atq; ex consequẽti erit necessaria deliberatio his actibus contraria. Consequentia cum minori est nota, & maior patebit ex ijs, quæ infra dicemus. Et confirmatur: Per motum voluntatis, in quo solum culpa venialis inuenitur, nõ frãgitur votum, vt omnes Doctores concedũt: ergo nec talis motus sufficiens erit ad inducendam voti obligationem. Patet consequẽtia ex paritate rationis.

1. Conclu.

¶ Secunda conclusio: Ad voti obligationem non est opus plena deliberatione, qua homo cuncta consideret, quæ illum deterrent à vouendo: sed sufficit illa deliberatio, qua iudicat quid sit id, quod facit, & quæ satis est ad peccandũ mortaliter. Hæc cõclusio videtur esse D. Tho. in hoc art. & clarius in opus. 17. c. 10. ad 2. Quam etiam tenet Caieta. hic, & in sum. verb. votum. in. c. de quatuor conditionibus, quæ se tenent ex parte vouentis. Syluest. verbo. votum. 2. §. 15. Panormitanus in cap. venientes. de voto, & voti redempt. Ioan. And. in. c. duelum. de conuers. coniu. Soto lib. 7. de iusti. q. 1. art. 2. & Nauar. in Man. c. 12. n. 24. Et probatur: Ad voti obligationẽ satis est, q̃ sit opus spontaneũ & volutariũ; sed illa deliberatio, qua homo iudicat quid sit id, quod facit, sufficiens

2. Conclu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est ad efficiendum opus voluntarium: ergo & ad votum. Consequentia est nota,& antecedens ab omnibus conceditur. Et confirmatur: Illa deliberatio satis est ad suscipiendum baptismum, ad iurandum ; ad contrahendum matrimonium; & ad quemcunque alium contractum ciuilem , & ad merendum coram Deo, & ad peccandum mortaliter: ergo & ad votum. Antecedens est manifestũ,& consequentia probatur. Quia æqualis libertas requiritur ad hæc omnia. Item: Tale votum fit liberè libertate contradictionis; tempore enim quo fit potest homo non facere: ergo libere vouet, atque ex consequenti tenetur votum adimplere. Et confirmatur: Per talem promissionem obligaretur homo homini, vt omnes concedunt: ergo & Deo, cum æqua sit vtriusq; ratio. Præterea: Iurans ex consuetudine, vel ex facilitate, est reus periurij , si non iurat verum , vt habet communis consensus Doctorum: ergo & qui vouet ex facilitate tenebitur votũ adimplere. Imò , vt dicit Caietanus in hoc commentario, frangens votum ex facilitate factum habebit duplex peccatum . Vnum quod commisit vouens irreuerenter,& sine exacta diligentia. Alterum frangens votum. Tandem probatur conclusio ex cap. venientes. de voto.& vot.red. vbi votum emissum magis ex facilitate animi, quam ex arbitrio, iudicatur validum,& commutatur. Et in . c. ficut nobis. de regularibus, lib. 6. clericus, qui nimia ægritudine laborans religionem vouit , ad assumendum habitum cogitur. Et in cap. sunt qui. 17. q. 4. illi, qui tumultuario mentis impulsu,& non iudicio opes suas Ecclesiæ perpetuo contulerunt,& postea reuocandas putauerunt, tanquam sacrilegi condemnantur,& de voci leuitate taxantur. Ex dictis infero primò, falsam esse regulam, quam adducit Angelus in summa ad cognoscendum, vtrùm votum fuerit validum necne. Dicit enim, quòd quotiescunq; transacta angustia,& periculo pœnitet, facti eum, qui vouit , vel vt ipse dicit est male contentus, signum est quòd votum non fuit validum. Hæc tamen regula est falsissima. Nam ex ea sequeretur, quòd etiam si homo diu deliberasset antequam vouisset,& posteà eum facti pœniteret, tale votum non esset validũ: quod apertè est falsum. Vnde dicendũ erit, quòd tunc votum est validum, quando procedit ex deliberatione sufficienti. Quæ quidem tunc est quando vouens aduertit, quid sit id, quod facit, ad modum iam explicatũ. Infero secundò, quòd deliberatio, quæ tantum efficit peccatum veniale, qualis est ea, quæ inuenitur in actu primo secundo, non est sufficiens ad votum cum illa nõ sit inductiua obligationis sub peccato mortali , vt diximus in prima conclusione. Nec ex hoc licet inferre, quòd siquis prudens, & sciens vouеat quotidie recitare vnum Aue Maria, tale non sit votum: quia non obligat ad mortale. Est enim vere votum, cum similis deliberatio in alia materia sit inductiua obligationis mortalis. Et quod in illo casu nõ obligetur non est ex defectu deliberationis; sed ex paruitate materiæ. Infero tertiò, quòd siquis fraude, vel ignorãtia inducatur ad vouendũ, tale votum non erit validum , cum fraus & ignorantia tollant voluntarium requisitum ad votum. Vnde siquis induxit rusticum ad hoc, vt voueret peregrinationem Hierosolymitanam, dicens, quòd prope est, tale votum nullum erit. ¶ Sed contra istam conclusionem est argumentum. Nam ex ea sequeretur, quòd qui sciens & volens, se inebriaret, cognoscens quòd ebrius solet vouere, si posteà vouеat votũ esset validũ. Consequés autem est falsum, & contra communem Doctorum sententiam. ergo. Probo sequelam. si alia peccata fecisset imputarentur ei , quia essent volita in sua causa: ergo similiter votum esset volitum in causa, atque ex consequenti voluntarium & obligatorium. Eo vel maximè, quòd vt paulò anteà dicebã, libertas , quæ sufficit ad peccandum mortaliter, sufficit etiam ad votum. Respondetur tamẽ, negando sequelam. Et ad probationẽ dico, quòd libertas, quæ sufficit ad peccandũ mortaliter sufficit ad votum, dummodo votũ sit liberum in seipso,& non in sua causa. Nam cum ex eo magna obligatio oriatur, requiritur, quòd in se habeat libertatem. Et siquis obijciat: Libertas in causa sufficit ad peccatum: ergo & ad votum, nego consequentiã. Nam plus requiritur ad bonum, quã ad malum. Bonum enim consurgit ex integra causa,& malum ex quocunque defectu. Ex quo infertur, quòd tunc tantum erit votum obligatorium, quando fuerit volitum in se formaliter, vel virtualiter.

¶ Tertia conclusio: Vota facta ex repentina deliberatione, sufficienti tamen ad votũ, secum afferunt causam, vt dispẽsentur; ex eo quod ita facta sunt. Hæc conclusio est Caietani in præsenti, & Panorm. in cap. venientes, iam citato. Et ratio est: Nam huiusmodi vota facta ex passione, vel timore, quodammodo sunt inuoluntaria, atq; ex consequẽti afferunt causam , vt dispensentur. ¶ Et ad primum argumentum respondetur concessa maiori, distinguendo minorem. Nam ignorantia est duplex . Vna , qua ignoratur id quod sit. Et hæc quidem tollit voluntariũ.

Arg. cõtra 2. conclus.

Respõsio.

3. Conclus.

Ad. 1. arg.

Altera

Altera, qua ignorantur ea, quæ ex facto cognito sequi possunt. Et hæc non tollit volũtarium , vt supra diximus. Vnde cùm quis vouet aduertens quid facit, nulla ratione factum ignoret, sequitur opus illud esse volũtarium,& ex consequenti votum est validũ.

Ad. 2. arg. ¶ Ad secundum respondetur cõcedendo verum esse, quòd deliberatio plena, atque perfecta importat maturum consilium, & omnium rerum cognitionem. Cæterùm deliberatio sufficiens ad votum tantum importat iudiciũ, quo homo iudicat quid sit id, quod facit, & hæc non distinguitur contra agere ex passione : sed sæpèsæpiùs ille, qui ex passione operatur habet hoc modo deliberationem sufficientem ad voluntarium, dummodo opus non sit primo primum, aut primo secundum, vt diximus in cõclusionibus.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium respondetur, quòd hæc deliberatio, qua homo iudicat quid sit id, quod facit, sufficiens est ad hoc, vt homo obliget se Deo per votum,& homini per contractum ciuilem: siquidem efficit simpliciter voluntarium. Ad confirmationem respondetur distinguendo antecedens. Nam, si deceptio esset circa res graues, verum est, quòd votum est nullum, quia esset per iniuriam extortũ. Cæterùm si esset tantum circa res leues, votum validum esset. Vnde dico , quòd siquis deciperet rusticum, vt voueret peregrinationem in Hierosolymam , dicens locum esse proximum,& quòd non est nauigandum, tale votum esset nullum. Cæterùm, si deciperet illum dicens , iter esse amœnum , magis quam est, votum validum esset. Et idem iudicium est de ingressu in religionem.

Dubium. ¶ Sed suppositо, non esse necessariam maturam,& diuturnam deliberationem ad votum, dubium est, vtrùm saltim sit sanum cõsilium, non vouere religionem, nisi præuia matura & longa deliberatione,& præcedente multorum saltem amicorum consultatione? Quam disputationem versat D. Thom. opusc. 17. cap. 8. 9. & 10. Reprehensaq; sententia eorum, qui asserũt talem deliberationem & consultationem esse valde necessariam,& conuenientem, ipse statuit conclusionem dicens, non esse sanum consilium ad vouendam religionem vti ista longa, & matura deliberatione. Et probatur ex illo Matthęi. 4. Vbi dicitur, quod Petrus & Andreas vocati à Christo ; statim sequuti sunt eum. Vnde in eorum commendationem dicit D. Chrysost. In medijs operibus existentes audientes iubentem nõ dixerunt: Reuertamur in domum: Loquamur amicis. Sed statim sequuti sunt Christum. Talem enim obedientiam à nobis requirit Deus. Et subdit statim de Iacobo,& Ioanne, quòd relictis retibus, & patre, sequuti sunt Dominum. Item Luc. cap. 9. iuueni petenti à Christo, vt permitteret ire ad sepeliendum patrem Christus respondit : Sinite mortuos sepelire mortuos. Sed ad hæc testimonia, & alia similia respõdent aduersarij ex illis tantum colligi, tunc non debere præcedere longam deliberationem, quando Christus sua propria voce vocat ad religionem. Secus autem erit, quando quis interius vocatur. Tunc enim opus erit deliberatione , & aliorum consilio , vt hac ratione possit discernere, vtrùm motus sit ex Deo. Sed hæc solutio est erronea , vt docet D. Tho. loco citato. Nam verba Christi in scriptura contẽta sic accipienda sunt, ac si singulis peculiariter dicerentur. Vnde Matth. 18. dixit Christus: Quod vobis dico, omnibus dico. Et ad Rom. 15. Quæcunque scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt. Et notat Chrysost. dicta fuisse propter audientes, quibus Christus loquebatur, scripta verò propter nos. Et confirmatur : Loquutio interior , qua Deus hominem vocat , & de qua est sermo in Psalm. 84. cùm dicit Propheta: Audiã quid loquatur in me Dominus Deus, longè præstantior est quã loquutio exterior, vt docet D. Greg. in Homilia Pentecostes, dicẽs, quòd conditor noster, quando loquitur exterius, nõ loquitur ad eruditionẽ, nisi interiori loquutione loquatur: ergo, si exteriori loquutioni statim est assentiendum , nullo requisito aliorum consilio; vt aduersarij dicunt ; similiter erit assentiendum interiori. ¶ Sed contra istam sententiam est argumentum. In arduis rebus , & ad statum vitæ pertinentibus multorum consilium requirere laudabile iudicatur , iuxta illud : Vbi multa consilia , ibi salus ; sed in rebus humanis nihil est tam arduum,& difficile, quam seipsum abnegare, & ingredi religionem: ergo id faciendũ nõ est , nisi præuia matura deliberatione , & multorum consultatione. Et cõfirmatur: Ea, quæ possunt habere malũ exitũ, diu sunt ex cogitanda: sed religionẽ vouere,& eã ingredi potest habere malũ exitum, cũ ab ea multi apostatentur,& retrocedãt: ergo.

Sententia D. Tho. vera & tenenda.

Argum.

¶ Ad hoc argumentum respondetur, quòd in rebus arduis, quarũ veritas manifestè nõ cõstat opus est matura deliberatione, & consultatione. Secus autẽ est in ijs, quæ manifestè, & de fide constat esse altiora,& meliora. Quale est ingredi religionem. Ad confirmationem respondetur, quòd quando malus exitus potest prouenire ex parte rei assumendæ, opus est longa deliberatione. Cæterùm , quando malus exitus tantum potest prouenire ex

Respõsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte assumentis, non est opus consultatione, sed vigilantia ad seruandum propositum. Vnde cum mali euentus, qui sunt in religione tantum proueniant ex parte assumentis, nihil concludit argumentum. Imò si aliquid valeret eò similiter probaretur, quòd venientibus ad fidem opus esset longa deliberatione, cum possint fieri hæretici, & retrocedere à veritate. Et melius est viã veritatis non agnouisse, quam post cognitã retrocedere.

Propositum & deliberatio differũt

¶Circa secundum, quod D. Thom. dicit esse necessarium ad votum, scilicet, propositum voluntatis, est aduertendum, quòd propositum est consensus voluntatis, quo quis iuxta deliberationem rationis proponit operari; distinguiturq; à deliberatione, quę etiã, vt diximus, importat actum voluntatis eligentis potius vnum medium, quam aliud. Primò in eo, quòd deliberatio importat determinationem volũtatis indifferenter, siue rei futuræ, siue presentis. Deliberamus enim pulsare, & nos pulsaturos. Cæterùm propositum tantum refertur ad futura; nõ enim proponimus agere, nisi id, quod futurũ est. Secundo differunt in eo, quòd determinatio voluntatis semper necessario præsupponit discursum, & collationem rationis. At verò propositum nõ eam semper necessario presupponit; sed tantum dicit simplicem actum voluntatis rei agendæ, vel cauendæ.

Dubium.

¶Sed est dubium, vtrùm propositum voluntatis sit necessarium ad votũ. Et pro parte negatiua sic argumentor.

Argumen.

Sola promissio sufficit ad votum, quanuis non adsit propositum id faciendi: ergo fruſtra ponitur ista conditio. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Promittens, vel iurans, se aliquid facturum, quanuis non habeat propositum id faciendi, manet obligatus promissione, cum promissio ex natura sua astringat fidem promittentis: ergo non requiritur necessariò propositũ voluntatis. Et confirmatur: Vouens religionem absq; proposito seruandi ea, quæ in religione continentur, adhuc manet obligatus voto: ergo non requiritur propositum voluntatis.

Tripliciter potest homo habere in promissione.

¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quod homo dum promittit Deo aliquid facere tripliciter se potest habere in tali promissione. Vno modo, ità, vt habeat propositum, & animũ promittendi, & seruandi promissum. Alio modo, ità, vt nec habeat animum promittendi, nec seruandi promissum. Tertio modo potest homo aliquid promittere, habens quidem animum promittendi, sed non seruandi promissum. Quod fortassè accidit in religionibus militaribus, & in alijs, in quibus intuitu potius alicuius boni temporalis, quam religionis studio vota emittuntur.

¶Hoc posito sit prima conclusio: Quotiescunque aliquis promittit Deo se aliquid facturum, cum animo promittendi, & seruandi promissum, est verum votum, & obligatorium. Probatur: Nam sunt ibi omnes conditiones requisitæ ad votum. *1. Conclu.*

¶Secunda conclusio: Quotiescunque aliquis promittit, se aliquid facturum, non habens propositum promittendi, nec seruandi promissum, tale votum non est validum nec obligatorium apud Deum. Probatur: Talis non est promissio, sed fictio promissionis: ergo nullam obligationem inducit apud Deum. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Exterior promissio est signum interioris promissionis: ergo quando homo interius promittere non intendit, exterior promissio tantum est fictio promissionis: & sic non obligat. Tamen qui sic vouet, ex natura sua peccat mortaliter: quia mentitur in re graui. Est tamen aduertendum, quòd quanuis huiusmodi promissiones nullam obligationem inducant apud Deum; apud Ecclesiam tamen, qui sic vouerint manent astricti voto, & cogendi erunt ad illud obseruandum; nisi certis euidentibus signis, aut testibus ostenderint, non habuisse animum promittendi. Et probatur: Si aliquis alteri homini coram testibus quidquam promittat, cogi poterit ad soluendum promissum, quanuis dicat se non habuisse animum promittendi, sed decipiendi, quia fraus & dolus nulli debent patrocinari: ergo multo magis qui promittit Deo. Et confirmatur: Nam alias magna sequeretur perturbatio in republica, & monachi, atque moniales statim ac aliquid triste illis accideret, dicerent, se non habuisse animum vouendi. Item: coniugati possent dissoluere matrimonia. Et denique nulla fides adhiberetur pactis, cum nullus cogi posset ad seruandum promissum: hoc autem est absurdum: ergo dicendum erit, quòd Ecclesia potest tales cogere, & quod ipsi tenentur parere mandato Ecclesiæ, non quidem ex vi voti, sed ex præcepto Ecclesiæ propter vitandum scandalum. Et est hoc intelligendum, dummodo ipsi possint seruare promissum sine peccato. Nam alias potiùs debent mori, quam Ecclesiæ parere. Ex quo sequitur, quòd si aliquis post clandestinas nuptias alteri publicè contraheret, & ab Ecclesia compelleretur ad habitandum cum secunda, potiùs debet mori, quam Ecclesiæ parere: quia illa cohabitatio semper est peccatum,

tũ, cũ ex illa sequatur fornicatio. Sequitur secundo, quod qui potest fugere, & abire in prouinciam, in qua viuat sine scandalo, non tenetur tale votum seruare, cum ex se sit nullum, & tantum obliget ratione scandali.

3. cõclusio.

¶Tertia conclusio: Quotiescunque aliquis aliquid promittit, cum proposito quidem promittendi; sed non seruadi promissum; tale votum est verum, & obligatorium coram Deo: quanuis sic vouẽs peccet mortaliter. Et probatur: Votum, & iuramentũ ex natura sua habent obligare quando liberè fiunt: sed in casu posito ille libere vult vouere: ergo eius votum est validũ, & obligatorium; quanuis habeat intentionem non seruandi promissum. Imò ex eo sic vouens peccat mortaliter; quia habet animum non seruandi votum, ad quod tenetur. Et sic quã diu illum non deposuerit, erit in peccato mortali. Et ad argumentum in principio dubitationis factum ex dictis patet solutio.

Dubium.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm, si quis vouerat animo quidem vouendi, non tamen animo se obligandi per votum, quin potius animo non se obligandi; tale votum sit validum & obligatorium? Sylvester in sum. verbo. metus. §. 8. circa finem, partem tenet negatiuam, & eandem sequitur verbo. pactum. §. 4. Quam etiam tenet Scotus in. 4. d. 38. circa finem, & glossa super cap. literarum de voto, & voti redemp. estque communis Canonistarum. Et probatur primò ex cap. humanæ aures. 22. q. 5. Vbi dicitur, quod quia Deus intuetur cor, non debet homo ad verba, sed ad intentionem iurãtis aduertere: ergo quando iurans habet intentionem non se obligandi per votum, aut iuramentum illud non erit obligatorium.

Sententia Canonistarum.

1. argum.

2. argum.

¶Et ratione sic argumentor: Obligatio voti consistit in intentione & arbitrio vouentis: ergo quanuis habeat propositum vouendi, si tamen habet propositum non se obligandi per võtum, votum illud erit nullum. Consequentia est nota, & antecedens probatur. In voluntate vouentis, stat se obligare ad pœnam, nisi seruauerit promissum: ergo etiam in voluntate eius stabit se obligare ad culpam. Et confirmatur: Leges obligãt ex intentione legislatoris, vel ad culpam, vel ad pœnam: sed votum est quædam lex, quã vouens sibi præscribit: ergo in voluntate vouentis stabit, quod obliget, vel ad culpã, vel ad pœnam.

¶Contrariam tamen sententiam tenet Caietanus quæstione sequenti, ar. 7. & Soto. li. 7. de Iustitia, q. 1. art. 2. estque cõmunis omnium Theologorum nostri temporis. Ad cuius explicationẽ dico primò: Votum, quod

1. Dictum

vere votum est, & similiter iuramentum ex natura sua habet obligare ad sui obseruantiam. Probatur: Votum seruare, vel iuramẽtum, est de iure naturali, & diuino, iuxta illud Psal. 75. Vouete, & reddite Dño Deo vestro, & Ecclesia. 5. Si quid vouisti non moreris reddere: ergo ex sua natura habent inducere obligationem. Et confirmatur: Sicut est præceptum de reddendo alienum, & seruanda fide; ita etiam de reddendo voto: sed iure naturali, & diuino tenetur homo reddere alienum, & seruare fidem: ergo & reddere votum. *2. dictum.*

¶Dico secundo: Ad hoc, vt votum sit verum votum, non est opus, q̃ vouens habeat formalem intentionem se obligandi. Probatur: Votum ex sua natura est obligatorium: ergo qui vult vouere virtualiter, vult se obligare. Atque ex consequenti non est necessarium, quod vouens formaliter habeat intentionem se obligandi. Et cõfirmatur: Nam aliàs vota, quæ communiter fiunt, non essent vera vota, cum nullus fere sit, qui habeat intentionem se obligandi, sed tantum vouendi & promittendi: hoc autem non est dicendum: ergo. Item: Alij contractus obligant, licet in illis non explicetur formalis intentio se obligandi, sed tantum contrahendi: ergo idem etiam erit dicendũ in voto, cum æqua sit omnium ratio. *3. dictum.*

¶Dico tertio. Quotiescunque aliquis habet propositum vouendi, quanuis habeat propositum non se obligandi, adhuc manet voto obligatus. Probatur: Illud propositum vouendi, est sufficiens ad votum, vt diximus: & votũ ex natura sua habet obligare, & non ex voluntate vouentis: ergo qui habet propositum vouendi, quanuis habeat propositũ non se obligãdi, adhuc manebit voto obligatus. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Votum in sua ratione formali includit obligationem, quæ quidem oritur ex lege naturali, & diuina, & non ex voluntate vouentis. Nam, quanuis sit positum in nostra potestate votum emittere, non tamen efficere, quod non obliget, postquam fuerit emissum. Quin potius, quemadmodũ accipere mutuum, & vxorem ducere pendet ex nostra voluntate, & tamen ea supposita ex natura rei oritur necessitas reddendi mutuũ creditori, & debitum vxori; ità etiam in voto: ergo qui habet propositum vouendi, quanuis habeat propositum non se obligandi, adhuc manet voto astrictus. Et confirmatur: Si in potestate vouentis esset vouere, & non se obligare ad votum, sequeretur, quod etiam in eius potestate esset vouere, & non se obligare ad culpam: consequens autem est falsum: ergo & illud, ex quo sequi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. Sequela est manifesta: Nam qua ratione non manet quis obligatus voto, non peccat non seruando illud. Falsitas verò consequentis probatur. Frangere votum est contra ius diuinum, & naturale: ergo non potest fieri, vt sit voti violatio sine aliqua culpa. Ex dictis infertur ad votum esse necessarium propositum voluntatis, non quidem quod cadat supra materiam voti, nec supra eius obligationem: sed tantum supra promissionem. Nam quamuis non habeat quis propositum seruandi promissum, nec se obligandi per promissionem: si tamē habet propositum vouendi, & promittendi, hoc sufficiens erit ad votum, vt diximus. Et ratio est: Nam cum obligatio sit effectus intrinsecus voti, qui vult vouere ex consequenti & virtualiter vult se obligare, & sic manet obligatus. Dico tamen, quod si aliquis ex ignorantia inuincibili, vel quia credit obligationem non esse inseparabiliter annexam voto, vel, quia existimat opinionem Syluestri esse veram, emitteret votum, habens quidē propositum vouendi, & non se obligandi per votum, ille talis non maneret obligatus voto. Nam cum ignorantia inuincibilis tollat voluntarium, fit, vt obligatio tunc nec formaliter, nec virtualiter fuerit volita, & sic votum erit nullum. Ex quo infertur, quod si aliquis ignorans inuincibiliter votum castitatis esse coniunctum sacro ordini, illum susciperet, ille talis non maneret obligatus voto castitatis; quia nec formaliter, nec virtualiter fuit volitum. Quare, si puer ante vsum rationis sacris ordinibus initiaretur, posteà quando adolesceret votum castitatis seruare non teneretur, sed posset vxorem ducere, si vellet. Ita docet Soto in.4.d.25.quæst.1. articulo.2.

Ad.1.arg. ¶Et ad primum argumentum desumptū ex cap.humanæ aures, respondetur, sensum illius textus esse, quod iuramentum habet vim obligandi ex intentione iurantis. Nam si iurans non habeat animum, & propositū iurandi, iuramentum nullum erit. Et idem dicendum est de voto. Cæterum postquam iurans, vel vouens habuit animum iurandi, & vouendi, quamuis habeat propositum nō se obligandi, adhuc manet voto astrictus, quia votū, vel iuramentum ex natura sua habent obligare, & non ex voluntate vouētis, vt diximus. Et sic nihil obstat textus ille.

Ad.2.arg. ¶Ad rationem respondetur, falsum esse, quod ex voluntate vouentis pendet voti obligatio. Non enim habet votum, q̄ obliget ex voluntate vouentis, quamuis ab ea habeat, quod sit votum, sed ex natura sua. Et idem iudicium est de lege, vt diximus supra quæstione sexagesima secunda, articulo tertio.

Dubiū de promissione necessaria ad votum.

¶Circa tertium, quod D.Thom. dicit esse necessarium ad votum, scilicet promissionē, est dubium, vtrùm sit verum? De qua re Syluester verbo, religio.5.§.8. affirmat, communem sententiam iurisprudentium, super cap.cōsulti.de regularibus in.6. fuisse, quod ad votum sufficit solum propositum voluntatis, absque promissione; maximè quando opus iam est inceptum. Vnde dicunt, quod si āliquis habeat propositum vouendi religionem, illud erit sufficiens, vt maneat voto astrictus, maximè si ipsum habitū susciat. Suntque isti iurisprudentes in duas partes diuisi. Quidam enim affirmant propositum voluntatis cum habitus susceptione habere vim voti solennis. Vnde talis non poterit postea matrimonium contrahere. Ità tenent Innocentius supra cap. consulti, iam citatū. Hostiensis, Vincentius & alij. Quam suam sententiam probant ex cap. beneficium. de regularibus.lib.6. Vbi diffinitur, quod beneficium clerici, qui religionem est ingressus, intra annum probationis alteri non est conferendum, nisi constet, quòd absolutè voluit vitam mutare. Ergo propositum mutandi vitam cum habitus susceptione censetur à summo Pontifice votum solenne. Aliàs non expoliaretur ille clericus beneficio. Alij autem affirmant, quod propositum voluntatis est votum simplex, & non solenne. Vnde qui religionem fuerit ingressus cum illo proposito tenebitur in illa, vel in altera professionem effiecre. Quam suam sententiā probant ex dicto ca.consulti.de regularibus in.6. Vbi Innocentius Pontifex affirmat, quod ille, qui accipiens habitum religionis habuit firmum propositum deserendi seculum, non potest rursus in seculum redire. Idem etiam diffinitur in cap.statuimus, & in capi. super eo, eodem titulo. Item in cap.neque viduas. 17.q.1.dicit Pelagius Papa; Neque viduas ad nuptias transire patimur, quæ in religionis proposito diuturna obseruatione permā serunt. Et in cap. qui bona.eadem causa, & quæstione.dicit D.Hieronymus: Qui bona agunt, si meliora proposuerunt, in conspectu Dei ceciderunt. Ergo solum propositū sufficit ad voti obligationem. Et confirmatur ex cap.Beata Maria.17.q.2. Vbi D.Augustinus dicit de Beata Virgine, quod propositum, quod habuit fuit votum. Paludanus in.4. d.38. alia ratione procedit. Dicit enim, quod illi, qui habuerunt propositū vouendi religionem, & habitum susceperūt tenentur illud adimplere. Non quidem quia propositum sit votum; sed ex præcepto Ecclesiæ,

Sententia Canonistarum.

1.Cōclusio clesiæ ita præcipientis, vt constat ex capitibus iam citatis.

¶Cæterum ad explicationem difficultatis sit prima conclusio: Propositum voluntatis, etiam si sequatur habitus susceptio, nō est votum solenne. Hæc conclusio est Syluestri loco citato. Et probatur: Votum solenne fieri non potest sine consensu professionis, & monasterij: Sed prior, vel monasterij tribuens alicui habitum religionis, non consentit in illius professionem: sed tantum vult experiri nouitij mores: ergo quāuis habeat propositum vouendi, & habitum susciat, non erit voto solemni astrictus. Consequentia cum minori est nota, & maior habetur expresse in cap.ad apostolicam.de regularibus. Et confirmatur: Votum solenne est veluti contractus quidam, quo vtraque pars obligata manet: ergo requiritur ad illud vtriusque partis consensus. Atque ex consequenti, quantumuis aliquis habeat propositum vouendi, & habitum susciat, nō erit astrictus voto solenni.

2.Cōclusio. ¶Secunda conclusio: Propositum voluntatis, etiam si sequatur operis inceptio, non est votum simplex, nec eius vim habet, sed vltra hoc requiritur promissio. Hæc conclusio est Syluestri loco citato, & verbo votū. 1.§.2. Et D.Tho in hoc articulo. Vbi dicit. quod ratio voti perficitur in promissione, quem communiter sequuntur Theologi in.4.d.38. Et probatur primo ex scriptura, in qua votum appellatur promissio, vt constat ex Deuteron.cap.23. Vbi dicitur: Si quid vouisti Domino, redde; quia promisisti. Et Ecclesiast.cap.5. Si quid vouisti, non moreris reddere, displicet enim Deo infidelis; & ita promissio: ergo ad rationem voti vltra propositum volūtatis requiritur promissio. Quare à Magistro in.4.d.38. diffinitur votum, quod sit, testificatio spontaneæ promissionis. Item ratione idem probatur: Votum est obligatio, qua homo se Deo, aut alteri obligat: sed homo non se potest ordinare ad alterum per solum propositum voluntatis, absque promissione: ergo ad votum vltra propositum voluntatis requiritur promissio. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Ordinatio pertinet ad intellectum, cuius est ordinare: sed propositū tantum est actus voluntatis: ergo homo nō se potest ordinare ad alterum per solum propositum. Atque ex consequenti vltrà illud, opus erit promissione; quæ est actus intellectus. Item manifestè probatur conclusio ex cap.literarum.de voto, & voti redemp. Vbi dicit Pontifex, quod non tenetur sumere habitum religionis ille, qui in ægritudine constitutus dixit: Non morabor proponens in animo religionis habitum accipere. Et expressius in cap.si bona.17.q.1.absoluit Diuus Gregorius ab obligatione eum, qui propositum absque promissione habuit. Dicens, q̄ aliud est propositū corde concipere, & etiā ore nunciare: aliud autem subsequenti obligatione se voti reum facere: ergo ad votum vltra propositum voluntatis requiritur promissio. Quare in leg.pactum. ff.de pollicit. seruo. dicitur, quod ex pollicitatione nascitur obligatio.

3.Cōclusio ¶Tertia conclusio: Qui habuerit propositum vouendi religionem, etiam si habitū susceperit, non tenetur illud adimplere ex præcepto Ecclesiæ. Hæc conclusio est contra Paludanum. Illam tamen ponit Syluester loco citato. Et probatur: Tale præceptū nullibi in toto iure reperitur: ergo gratis asseritur. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Nam prædicta iura tantū pronuntur ad explicationem voluntatis, quam quisque habet intrandi religionem; nec aliquod præceptum Ecclesiæ in se continent. Ex dictis infertur, quod solum propositum voluntatis, licet firmissimum sit, nullā obligationem peccati inducit, sed poterit quisq; libere facere, contra propositum, absque eo quod peccet, vel contra votum, vel contra præceptum Ecclesiæ. Vnde, si nouitius intra annum probationis habitum dimittat, dummodò votum non fecerit, non peccat mortaliter; imò nec venialiter; nisi id faciat ex animi facilitate. Et idem iudicium erit, quando homo desistit bonis operibus inceptis, quæ facere proposuerat. De hac re videndus est D.Thom.infra.q.artic.4. Sed contra hoc est argumentum. Firmum propositum voluntatis, nihil aliud est, quam affirmatio de futuro aliquid faciendi; quæ quidem explicatur hoc verbo: Faciam, vel, non faciam: ergo qui habuerit tale propositum tenebitur facere quod proposuit. Probo consequētiam: Nam aliàs mentiretur in re graui, suā affirmationem falsam faciēdo, quod sine peccato fieri non potest. Hoc argumētum ideò proposui, vt quid sit propositum clariùs aperiamus. Vnde ad illius solutionem aduertendum erit, hoc esse discriminis inter propositum, & promissionem, quod propositū cū sit actus voluntatis eligentis aliquid facere in futurum, non est affirmatio, nec negatio; sed tantum est consensus voluntatis, qui exprimi potest per hoc verbum de futuro; Faciam, dummodo in illo non intelligamus sensum promissorium, scilicet, promitto facere, sed tantum simplicem assertionem eius, quod tūc in animo gero. Cæterum promissio.

Discrimen inter propositum, & promissionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sio cum sit actus intellectus, importat affirmationem, aut negationē. Ex quo sequitur, quod si ille, qui habuit propositum aliquid faciendi, postea mutato proposito oppositū faciat, non mētitur; quia potuit mutare propositum. Et sic licet falsum dixerit, nec mentitus est, quando protulit, quia tunc tantum dixit quod putabat facere; nec postea quando contrarium facit, quia non tenebatur nō mutare propositum. Cæterum qui promissione firmat propositum, si postea contrarium faciat, mentitur; cùm faciat contra veritatem illius propositionis, faciam hoc, quā promisit semper facere veram. Et per hoc patet solutio ad argumentum. Ad aliud desumptum ex cap. beneficium. quo Innocentius, & alij probabant propositum habere vim voti solennis, respondetur cum Panormitano super cap. literatum. de voto, & voti redemp. quod nomine propositi mutandi vitam in eo loco intelligit summus Pontifex ipsum propositum voto simplici firmatum. Tale enim est quod vere ostendit clericum voluisse vitam mutare. Et sic habitum suscipiens videtur renuntiare anno probationis. Quare merito expoliatur beneficio habito; & alteri confertur. Ità etiam respondet Sylvester verbo. religio. 5. §. 8. Ad alia iura similiter respondetur, quod loquuntur de proposito voto simplici firmato, vt cōstat ex ca. viduas. & ex cap. statuimus. & ex cap. cōsulti. in quibus ponuntur tres modi, quibus alii religioni obligantur. Primus est per publicā professionem. Secundus per professionem tacitam, & implicitam. Quid autem sit implicitè profiteri, videbimus infra. Tertius est, per propositum firmum mutandi vitam. Quod intelligitur, quando per votum simplex fuerit firmatum.

ARTICVLVS. II.

¶Vtrùm votum semper debeat fieri de meliori bono.

AD SECVNDVM sic procedi tur. Videtur, quòd votum non semper debeat fieri de meliori bono. Dicitur enim melius bonū quod ad supererogationem pertinet. Sed votum non solum fit de his quæ sunt supererogationis, sed etiā de his quæ pertinent ad salutem. Nam & in baptismo vouent homines abrenūciare diabolo, & pompis eius, & fidem seruare, vt dicit * Glos. super illud Psal. 75. Vouete & reddite Domino Deo vestro. Iacob etiam vouit quòd esset ei Dominus in Deum, vt habetur Genes. 28. Hoc autē est maximè de necessitate salutis: ergo votum non solum fit de meliori bono.

Sumitur ex Cassiod. & Aug. in hoc loco.

2 ¶ Præterea, Iephte in catalogo Sāctorum ponitur. vt patet Hebræor. 11. Sed ipse filiam innocentem occidit propter votum, vt habetur Iudic. 11. Cùm ergo occisio innocentis non sit melius bonum, sed sit secundum se illicitum, videtur quòd votum fieri possit nō solum de meliori bono, sed etiam de illicitis.

3 ¶ Præterea, Ea quæ redundant in detrimentum personæ, vel quæ ad nihil sunt vtilia, nō habent rationem melioris boni. Sed quandoque fiunt aliqua vota de immoderatis vigilijs & ieiunijs: quæ vergunt in periculum personæ. Quandoque etiam fiunt aliquā vota de aliquibus indifferentibus & ad nihil valentibus: ergo nō semper votum est melioris boni.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Deuter. 23. Si nolueris polliceri, absque peccato eris.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum * est, votum est promissio Deo facta. Promissio autē est alicuius quod quis pro aliquo voluntariè facit. Non enim esset promissio, sed comminatio, si quis diceret se contra aliquem facturum. Similiter vana esset promissio si aliquis alicui promitteret id quod ei non esset acceptum. Et ideo cū omne peccatum sit contra Deum, nec aliquod opus sit Deo acceptū, nisi sit virtuosum, consequens est quòd de nullo illicito, nec de aliquo indifferēti debeat fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis. Sed quia votum promissionē voluntariam importat, necessitas autē voluntatem excludit, id quod est absolutè necessarium esse, vel non esse, nullo modo sub voto cadit. Stultum enim esset, si quis voueret se esse moriturum, vel se non esse volaturum. Illud verò quod non habet absolutam necessitatem, sed necessitatem finis, puta, quia si

Ar. præc.

ne eo non potest esse salus, cadit quidē sub voto, inquantum voluntariè fit, nō autem inquantum est necessitatis. Illud autem quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, omnino est voluntarium: & ideo hoc proprijssimè cadit sub voto. Hoc autē dicitur esse maius bonum in comparatione ad bonum, quòd cōmuniter est de necessitate salutis: ideo propriè loquendo, votum dicitur esse de meliori bono.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod hoc modo sub voto baptizatorū cadit abrenuntiare pompis diaboli, & fidem Christi seruare: quia voluntariè fit, licet sit de necessitate salutis. Et similiter potest dici de voto Iacob. Quamuis etiam possit intelligi quòd Iacob vouit se habere Dominum in Deum per specialem cultum: ad quem non tenebatur, sicut per decimarum oblationem, & alia huiusmodi quæ ibi subduntur.

¶ Ad secundum dicendum, quòd quædam sunt quæ in omnem euentum sunt bona: sicut opera virtutis, & alia bona quæ possunt absolutè cadere sub voto. Quædam verò in omnem euentum sunt mala, sicut ea quæ secundum se sunt peccata. Et hæc nullo modo possunt sub voto cadere. Quædā vero sunt quidem in se considerata bona (& secūdū hoc possunt cadere sub voto) possunt tamen habere malum euentum, in quo non sunt obseruanda. Et sic accidit in voto Iephtē, qui vt dicitur Iudicum 11. votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Amō in manus meas quicūq; primus egressus fuerit de foribus domus meę, mihiq; occurrerit reuertēti in pace, cū offerā holocaustū Domino. Hoc autem poterat malum euentum habere, si occurreret ei aliquod animal non immolandum, sicut asinus vel homo: quod etiam accidit. Vnde, & Hier. dicit: In vouendo fuit stultus, quia discretionem nō habuit. Et in reddendo, impius. Præmittitur tamen ibidem, quòd factus est super eum spiritus Domini, quia fides & deuotio ipsius, ex qua motus est ad vouendum, fuit à Spiritu sancto. Propter quod ponitur in catalogo Sanctorum: & propter victoriā quam obtinuit: & quia probabile est eum pœnituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat.

¶ Ad tertium dicendum, quòd maceratio proprij corporis, puta, per vigilias & ieiunia, non est Deo accepta, nisi inquantum est opus virtutis: quod quidem est inquantum cum debita discretione fit: vt scilicet, concupiscentia refrenetur, & natura non nimis grauetur. Et sub tali tenore possunt huiusmodi sub voto cadere. Propter quod & Apostolus Romano. 12. postquam dixerat, exhibeatis corpora vestra hostiam viuētem, sanctam, Deo placentem: addidit, rationabile obsequium vestrum. Sed quia in his quæ ad seipsum pertinent, de facili fallitur homo in iudicando talia vota, congruentius, secundum arbitriū superioris, sunt vel seruanda, vel præter mittenda: ita tamen quòd si ex obseruatione talis voti magnum & manifestū grauamen sentiret, & non esset facultas ad superiorem recurrendi, non debet homo tale votum seruare. Vota verò quæ sunt de rebus vanis, & inutilibus, sunt magis deridenda, quàm seruanda.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quod votum est promissio facta Deo, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per plures propositiones. Prima conclusio: De nulla re illicita potest esse votum. Probatur: Promissio semper est de re, quam quis pro alio facere disponit in gratiam illius. Sed omne peccatum est contra Deum: ergo de nullo peccato potest fieri votum. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur ex differentia, quę est inter promissionem, & commationem. Nam in comminatione disponit homo facere aliquid aduersus alterum: in promissione verò in illius gratiam: ergo qui vouet aliquod malum potius comminaretur Deum, quam votum emitteret. Secunda conclusio: De nullo opere indifferenti potest fieri votum. Probatur: Promissio, quæ fit in gratiam alicuius, debet esse de re grata illi, & accepta: alias vanum esset & stultum tale votum: sed opus indifferens, nec placet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec est gratum Deo: ergo. Tertia conclusio: De re absolutè necessaria, vel impossibili, vt quod homo sit moriturus, vel volaturus non potest fieri votum. Probatur: Votum est promissio voluntaria: sed necessitas, vel impossibilitas tollit voluntarium: ergo. Quarta conclusio: De re non absolutè necessaria, sed ex fine, qualia sunt illa, quæ cadunt sub præcepto, potest fieri votum, non inquantum est necessaria, sed inquantum libere fit. Hanc conclusionem non probat Diuus Thomas. Potest tamen eius probatio ex litera colligi in hunc modum: Tùc opus, quod placet Deo cadit sub voto, quãdo subest humanæ voluntati: sed opus necessariũ ad salutem placet Deo, & subest humanæ voluntati: ergo de eo potest fieri votum. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Nam necessitas finis, vel legis, non tollit voluntarium; sed tantum necessitas absolutè. Quinta conclusio: De opere virtutis non necessario ad salutem, qualia sunt opera consiliorum, proprie potest fieri votum. Probatur: Talia opera placent Deo; & sunt vndequaque libera, tã ex parte finis, quam ex parte vouentis: ergo de illis proprie potest fieri votum. Vltima conclusio, quæ sequitur ex superioribus est: Quod votum semper debet fieri de meliori bono. Probatur: Opera consiliorum dicuntur meliora in cõparatione ad ea, quæ sunt necessaria ad salutem; quia sunt perfectiora. Et de his proprie potest fieri votum: ergo votum semper est de meliori bono.

Explicatio Articvli.

EXplicatis iam eis, quæ pertinebant ad formam voti, consequenter Diu. Thom. in hoc articulo agit de illius materia. Et quia ea multiplex est, multiplices etiam suboriũtur dubitationes, quæ à nobis sequentibus ordinem conclusionum Diui Thomæ maiori, qua potuimus breuitate explicabuntur.

De promissione rei illicitæ.

Vode circa primam conclusionem, in qua de promissione rei illicitæ est sermo, vt certa ab incertis separemus, dico primo, certum esse, quod votum de re illicita factum nullam inducit obligationem, cùm tale potius habeat rationem comminationis, quam promissionis, vt docet Diu. Thom. in litera. Dico secundo, etiam esse certum, quod emittere votum de re illicita est peccatum; & similiter illud adimplere; vt constat ex Diu. Isidoro lib. secundo de synonimis, & refertur in decretis. 22. quæstione quarta, in capit. in malis. dicente: In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretũ. Quod incaute vouisti, ne facias. Impia est promissio, quę scelere adimpletur. Dico tertio, etiam esse certum, quod emittere votum de cõmittendo peccato mortali, vt de occido inimicum, vel de vindicanda iniuria, est peccatum mortale. Nam cum actiones sumant speciem ab obiecto, & obiectum illius voti sit mortale, fit, vt etiam ipsum votum sit peccatum mortale, duplicem malitiam in se continens. Prima est, malæ voluntatis occidendi inimicum. Altera est sacrilegij, quod sit dum consecratur Deo res, quæ illi maximè displicet: in quo maxima iniuria Deo irrogatur. Vnde vtraque ista malitia erit in confessione necessario explicanda. Habetque verum hoc tertium dictum non solum, quando vouens habet intentionem promittendi, & seruandi promissum: sed etiam, quando habet propositum promittendi, quamuis habeat propositum non seruandi promissum. Nam cum illud propositum vouendi sufficiens sit ad votum in illo includitur voluntas se obligãdi, & seruandi promissum, vt supra diximus. Itaque hæc certa sunt.

Dubium.

¶Sed dubium est, vtrum emittere votum de committendo peccato veniali, tantum sit peccatum veniale, vel potius mortale. In qua re Caietanus in summa, verbo. votum, dicit, quod emittere talia vota, est peccatum mortale. Et probari potest hæc sententia primò: Quotiescunque aliquis promittit Deo id, quod vouens non facere tenetur, grauem illi irrogat iniuriã: sed qui promittit se venialiter peccaturum, vouet id, quod non facere tenetur: ergo grauem iniuriam Deo irrogat atque ex consequenti peccat mortaliter. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur: Nam illud est deludere Deum. ¶Secundò: Iuramentum factum de committendo aliquo peccato veniali, est peccatum mortale: ergo & votum. Consequentia tenet: Nam votum magis obligatorium est quam iuramentum. Et antecedens probatur. Quicunque iurat se venialiter peccaturum tenetur suum iuramentum falsum reddere, non peccando: sed quodcunque iuramentum falsum, etiam in re leui, est peccatum mortale, cum in illo adducatur Deus in testem mendacij: ergo quodcunque iuramentum factum de peccando venialiter est peccatum mortale.

Sententia Caietani.

1. argum.

2. argum.

Conclusio.

¶His tamen non obstantibus dico, quod emittere votum de peccato veniali, tantum est veniale, & non mortale. Ità tenet Syluester verbo. iuramentum, quarto, & Antonin. secunda parte, titulo trigesimo, capit.

Pis. quarto. §. primo. Nauarro in manual. capit. duodecimo, numero vigesimo octauo, & Soto libro septimo de Iustitia, quæstione prima, articulo tertio. Et probatur. Bonitas, vel malitia alicuius actus sumitur ex obiecto: Sed obiectum illius voti tãtum est peccatum veniale: ergo & ipsum votum. Et confirmatur: Adimplere illud votum, & peccare venialiter, tantum est peccatum veniale: ergo & illud vouere. ¶Et ad primum argumentum respondetur distinguendo maiorem: Nam si homo tenetur non facere id, quod vouet, tantum sub peccato veniali, falsum est dicere, quod irrogat grauem iniuriam Deo, illud promittendo, cum tantum Deum deludat in re leui; quod quidem est peccatũ veniale. Cæterũ si homo tenetur non facere id, quod vouet sub peccato mortali, verum est, quod irrogat Deo grauem iniuriam, illud promittendo, quia Deum deludit in re graui. Et sic nihil valet argumentum. ¶Ad secundum respondetur primò, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam; Nam licet vinculum voti sit maius, quam vinculum iuramenti potest tamen voti transgressio esse peccatum veniale ex leuitate materiæ, cùm tamen iuramenti transgressio semper, & in quocunque indiuiduo sit peccatum mortale, cum in illo adducatur Deus in testem falsi. Et sic; quia iurans se venialiter peccaturum, iurat id, quod non facere tenetur, & ex consequenti iurat falsum, fit, vt semper peccet mortaliter; quod non inuenitur in voto. Vel secundo respondetur, & melius, negando antecedens, vt communiter negatur ab omnibus Doctoribus. Qui dicunt, quod sicut votum peccati venialis tantum est peccatum veniale: ita & iuramentum. Et ad probationem dico, esse duplex iuramentum; vnum assertorium, alterum promissorium. Inter quæ hoc est discrimis, quod iuramentum assertorium etiam de re leui, si falsum sit est peccatum mortale: quia est perfectè petiurium; & adducitur Deus in testem mendacij: quod fieri non potest sine graui iniuria. Caterum in iuramento promissorio; vt quando quis iurat, se aliquid facturum; quamuis sit de re illicita, & quam non facere tenetur, si materia sit leuis, non est peccatum mortale, sed tantum veniale. Quia tunc nõ adducitur Deus in testem mendacij; sed in testẽ criminis faciendi, quod cum sit leue, leuis tantum, & parua iniuria Deo irrogatur. Et sic tale iuramentum tantum est peccatum veniale. De hac re est videndus D. Thom. quæstione sequenti, art. 3.

Ad. 1. arg.

Ad. 2. arg.

¶Circa tertiam conclusionem Diu. Tho. in qua de voto rei indifferentis emisso, est sermo, aduertendum est, quod res indifferens dicitur illa, quæ nihil mali, vel boni præfert, vt fricare barbam, rescindere vngues in tali die; & alia huiusmodi. Ex quibus si fiant, vel non fiant, nihil honori diuino accrescit, nec vtilitati proximi, aut propriæ; nec per contrarium resultat aliqua offensa contra Deum, vel contra proximũ. Sed est difficultas; vtrùm votum de huiusmodi rebus emissum sit validum & obligatorium. Et pro parte affirmatiua est argumentum: Iuramentum de re indifferenti factum, est validum, & obligatorium: ergo & votum. Consequentia est nota: Nam maius est vinculum voti, quam iuramenti. Et antecedens probatur: Vnusquisque tenetur suum iuramentum verum reddere: alias erit periurus: ergo qui iurat se facturum aliquam rem indifferentem, tenetur illam facere, ne sit periurus. ¶Secundò: Opus religionis cadit sub voto, cum sit opus virtutis: sed res indifferens, postquam de eo est votum emissum, est opus religionis: ergo de eo potest votum emitti, quod sit obligatorium. Consequencia cum maiori est nota, & minor probatur: Nã opus factum ex voto, est opus religionis.

De promissione rei indifferentis.

Dubium.

1. argum.

2. argum.

¶In contrarium tamen est Diu Thom. in hoc articulo, & communis sententia omnium Doctorum. Ad cuius explicationem aduertendum est, quod de opere indifferenti dupliciter loqui possumus. Vno modo, inquantum est indifferens, nullam ex se bonitatem, aut malitiam habens. Alio modo inquantum per rationem ordinatur ad aliquem finem bonum. Quo supposito dico primo, quod votum emissum de re indifferenti, quatenus indifferens est, non est validum, nec obligatorium. Et præterea id emittere est peccatum veniale. Probo singulas partes. Et primò, quod tale votum non sit obligatorium: Nam votum, cùm sit promissio in gratiã alicuius facta, debet esse de re grata illi, alias erit vana. Res autẽ indifferẽtes quatenus tales sunt, nõ sunt gratæ Deo: Atq; ex cõsequẽti, nec votũ de illis emissum poterit dici promissio, nec erit obligatorium. Quod verò talis voti emissio sit peccatum veniale, probatur; Nam illicitum est velle per res vanas, & nullius momenti Deo, aut sanctis reuerentiam exhibere, & res indifferentes, quatenus tales, sunt vanæ & nullius momenti. ¶Dico secundo, quod votum emissum de re indifferenti, quatenus per rationem ordinatur ad aliquem bonum finem. Vt si quis vouеat, non transi-

Dupliciter possumus loqui de opere indifferenti.

1. Dictum

2. Dictum

re

Universidad de Deusto
Biblioteca

re per aliquem vicum, ne in eo ei offeratur occasio peccandi, est validum, & obligatorium. Probatur: Huiusmodi opera indifferentia, quando fiunt propter aliquem bonum finem, sunt actus virtutum: ergo de illis potest fieri verum votum. Hoc autem est intelligendum dummodo ipsa opera indifferentia ex ordinatione ad bonum finem bona efficiantur. Nam si adhuc post illum ordinem manent indifferentia, vota, quæ de illis fuerint emissa non erunt valida, nec obligatoria propter rationem iam dictam. Ex quo infero primò, quod vota, quæ à mulieribus communiter fiunt non nendi, vel non coquendi in die sabbathi propter honorem Beatæ Virginis, non sunt valida, nec obligatoria. Quia opera illa, adhuc relata in illum bonum finem, manent indifferentia, cum nihil conducat ad honorem Beatæ Virginis non nere, si tamen mulier, quæ illud votum emisit in alijs operibus seruilibus se exerceat. Secus autem esset, si votum fieret de cessando ab omni opere seruili, vt hac ratione vouens liberiùs vacaret diuinæ contemplationi. Tunc enim esset validum, cum tale opus in illum finem relatum bonum efficiatur, & actus religionis. Infero secundo, quod vota non loquendi, vel non ludendi cum aliquo, vel ad aliquem certum ludum, quando solum fiunt, quia colloquium vel ludus vouenti sunt grauia, non sunt valida, nec indigent dispensatione, vt non seruentur; cum in illum finem relata non cedant in cultum diuinum. Secus autem esset, si fierent propterea quòd ex talibus actionibus datur occasio peccandi, vel dilapidandi substantiam vouentis. Tunc enim essent valida propter rationem iam dictam. Infero tertio, quod si aliquis emitteret votum rei, quæ ex se erat indifferens; & ex circunstantia, vel fine appositio facta fuit materia voti, & actus virtutis; vt si quis voueret, non ingredi talem domum; quia ibi datur ei occasio peccandi, cessante tali fine, & circunstantia cessaret votum; nec teneretur illud amplius seruare. Et ratio est: Nam cessante illo fine, opus redditur indifferens; & de quo votum fieri non potest.

3. dictum. ¶Dico tertio, quod quando est dubium, vtrum res, de qua fit votum, sit indifferens, necne, seruandum erit votum, quo ad vsque illius fiat dispensatio, vel constet rem esse indifferentem. Probatur: Nam in dubijs tutior pars semper dicitur eligenda.

Ad.1.arg. ¶Et ad primum argumentum, respondetur negando antecedens. Sicut enim votum rei indifferentis non obligat: ità etiam nec iuramentum. Et ad probationem dico, falsum esse, quod in iuramentis promissorijs teneatur homo suum iuramentum verum reddere. Nam cum illud non cadat supra veritatem propositionis, sed supra promissionem, fit, vt si promissio non est obligatoria, nec ipsum iuramentum. Quare absque aliqua dispensatione poterit homo facere contra illud.

Ad.2.arg. ¶Ad secundum argumentum respondetur, concessa maiori, distinguendo minorem. Nam vel illud opus indifferens ordinatur ad aliquem bonum finem, vel non. Si ordinatur verum est, quòd est actus religionis, postquam de eo est votum emissum. Si autem non ordinatur, falsum est, quod sit actus religionis, cum tam indifferens maneat, postquam de eo est votum factum, sicut antea. Quare ad hoc, vt de aliquo opere posit votum emitti, necessarium erit, quod antea sit opus virtutis, & quod postea per votum fiat actus religionis.

Dubiũ de promissione rei præceptæ. ¶De tertia conclusione Di. Thom. in qua dicit de rebus absolutè necessarijs, vel impossibilibus, vt de moriendo, vel de volando, non posse fieri votum, nihil est dicendum, quoniam certa est, & extra controuersiam posita: ratioque illius eam sufficienter conuincit. Quare ea prætermissa, circa quartam, in qua de rebus necessarijs ex fine, qualia sunt opera præceptorum, vt non fornicari, non furari, est sermo, est difficultas, vtrùm votum emissum de rebus, quas homo ex præcepto diuino, vel naturali facere tenetur sit validum, & obligatorium. De qua re est sententia Gersonis Parisiensis Cancellarij in secunda patte, numero vigesimoquinto, dicentis de rebus, quæ sunt sub præcepto, non posse fieri votum. Vnde dicebat, quod si quis vouerit rem debitam ex præcepto, & contrarium fecerit, non peccat grauius, quam si votum non emisisset. Et probari potest hæc sententia primò ex Diuo Thoma in quarto, distinctio ne trigesima octaua, quæstione prima, articulo secundo, quæstiun. prima. Vbi postquam diuisit votum in singulare, & commune, & dixit, quod votum singulare, quod est de operibus consiliorum, habet completè rationem voti: de voto communi, quod est de operibus præceptorum, affirmat, quòd non habet completè rationem voti. Et sic appellat illud votum commune, quasi largo modo, & abusiuè, non propriè votum. Et in solutione ad tertiũ dicit, quod frãctio talis voti, non inducit nonum

Sententia Gersonis.

1. argum.

uum peccatum: ergo ex mente Diu. Thomæ non est verum votum. ¶Secundò: In omnibus rebus materia, & forma sibi debent proportionari: sed votum est opus consilij: ergo & materia illius debet esse in consilio; atque ex consequenti ea, quæ cadunt

2. argum. sub præcepto non possunt esse materia voti. ¶Tertiò: Quicunque vouet opus, quod

3. argum. ex præcepto diuino, aut naturali facere tenetur facit iniuriam Deo: ergo tale votum non est validum, nec obligatorium. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Nam ille talis videtur maiorem vim suæ voluntati tribuere, quam legi diuinæ, in quo

Vltimũ argumẽtum grauis iniuria Deo irrogatur. ¶Vltimo: Si posset fieri votum de re, quæ est sub præcepto sequeretur, quod etiam de eadem re posset homo pluries, vel millies idem votum emittere: Consequens autem est absurdum: nam sic frangendo primum votum, mille peccata committeret, quod non est dicendum: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam: Non magis tenetur homo votum adimplere, quam facere ea, quæ sunt sub præcepto: ergo si non valet secundum votum de eadem re emissum, propterea quod ex primo voto tenetur homo illam adimplere; similiter etiam non erit validum votum, quod fit de re, quæ est in præcepto: quia iã ante votum erat debita. Et confirmatur: Si esset aliqua lex humana, quæ statueret, ne quis fornicaretur, illa nullam obligationem induceret supra diuinam, & naturalem, quæ idem præcipit: sed votũ nihil aliud est, quã quædam lex particularis, quã homo sibi præscribit: ergo illud nullam obligationem inducit supra legem naturalem.

1. cõclusio. ¶Contrariam tamen sententiã tenet Caietanus in hoc articulo, & Syluester, verbo votum. Estque communis omnium Doctorum. Vnde ad illius explicationem sit prima conclusio: de rebus, quæ sunt sub præcepto diuino, aut naturali potest fieri votũ. Probat primò ex cõmuni vsu Ecclesiæ, in qua illi, qui vouẽt religionẽ, vel suscipiũt sacros ordines, nouo vinculo voti obligãtur abstinere à fornicatione, & adulterio, à quib' tamẽ iã lege diuina, & naturali erãt prohibiti. Et cõfirmatur ex cap. nec aliqua. & ex c. si quis Episcop'. 27. q. 1. Vbi sacrilegę appellãtur mulieres, quæ post votũ emissum fornicationẽ cõmittunt. Ex quo sequitur eas duplex peccatũ cõmisisse. Vnũ intẽperantiæ cõtra præceptũ naturale. Alterũ sacrilegij faciẽdo cõtra votũ. Itẽ ratione sic argumẽtor: Res, quæ sunt sub præcepto, sunt gratæ Deo, & præterea pẽdẽt ex nostra volũtate in quantũ à nobis libere fiunt: ergo de illis potest fieri votũ. Hæc est ratio D. Tho. in isto articulo. Cuius vis in eo nititur, quod cum res præceptæ nõ sint simpliciter necessariæ, sed ex nostra pendeant voluntate, quantum ad exequutionem, ex ea parte possumus nos ad illas arctiori vinculo astringere. Nec aliqua inter has obligationes existit repugnantia. Itaque, quẽadmodum quanuis lege naturali teneamur non occidere, aut furari, nihilominus leges humanæ malefactoribus supplicia decernunt, vt quos virtutis honestas non mouet, pœnæ metus cohibeat, nec inter has obligationes aliqua existit repugnantia: ita etiam ad eas res faciendas, quæ eodem iure naturali, aut diuino sunt præceptæ poterimus nos arctiori voti vinculo ex voluntate nostra astringere. Nec in hoc plus tribuimus nostræ voluntati quam Dei: sed relegamus eandem diuinæ religioni, vt firmius id, quod nobis præcipit persoluamus. Verba sunt Diui Augustini in capit. sunt quædam. decimoseptima, quæstione prima. Ex quo infertur falsam, & erroneam esse sententiam Gersonis asserentis, quod si quis voueat rem, quæ est in præcepto, & posteà contrarium faciat, non magis peccat, quam si votum non emisisset.

¶Sed supposito, quod tale votum est validum poterit quis dubitare, vtrum sit verum, & proprium votum? Nonnulli tenent partem negatiuam, dicentes, etiam Diu. Thom. in hoc articulo, esse eiusdem sententiæ, propterea quod asserit, id esse vere & propriè votum, quod cadit supra materiam consiliorum. Et cum votum de rebus præceptis non cadat supra talem materiam, videtur, quod non sit verè & proprie votum. In hoc tamen sit secunda con- *2. cõclusio.*
clusio: Votum emissum de opere præcepto, est verum & proprium votum. Probatur: Est vera, & propria promissio distinctam habens obligationem ab ea, quæ nascitur ex præcepto: ergo est verum votum. Cõsequentia est nota, & antecedẽs probatur ex prima conclusione. Et cõfirmatur: Si aliquis emittat votum de opere præcepto, vt de nõ fornicãdo, & cõtrariũ faciat, peccat peccato sacrilegij, vt cõstat ex ca. nec aliqua. & ex ca. si quis Episcopus, iam citatis. Sed hoc nõ esset, nisi illud esset verum, & proprium votũ: ergo. Probo minorem: Nam illud opus non pertineret ad religionem, nisi esset verum, & proprium votum. ¶Et ad D. Thom. respõ- *Ad.1.arg.*
deo, quòd dicit, circa materiam consiliorum esse propriè votũ, quia tale nõ solũ ex parte formæ sed etiã ex parte materiæ est propriè votum, cum materia illius sit propria voti, & nulla ratione cadat sub præcepto. At verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

votum,quod cadit supra materiam præceptam,quanuis sit verè, & propriè votum, vt diximus,materia tamen illius nõ est propria voti,sed communis illi & præcepto.Et propter hoc etiam dixit in.4.distinctione trigesima octaua, votum de re præcepta esse cõmune votum. Ad aliud, quod adducitur in eodem argumento ex eodem D. Thoma dicente, fractionem voti de re præcepta non inducere nouum peccatum, dico,id esse verum;quia ibi non est,nisi vnicus actus dupli
Ad.2.arg. cem malitiam habens. ¶Ad secundum argumentum respondetur,concesso antecedenti, negando vltimam consequentiam. Nam sicut vouere est opus consilij; ità etiam materia voti,quanuis sit præcepta,inquantum pendet ex nostra voluntate,& ad illam obligari possumus maiori vinculo religionis,cadit sub consilio. Et sic omnia proportionã-
Ad.3.arg. tur. ¶Ad tertium argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dico, quod vouens rem præceptam id non facit, quia plus tribuat suæ voluntati, quam legi diuinæ; sed quia vult eam maiori vinculo relegare, vt sic firmius, quod Deus præcipit persoluat, quasi duplici obligatione astrictus. Propter quod dicebat Diuus Augustinus, & refertur in capit. sunt quædam. 17. quæstione prima. Sunt quædam, quæ etiam non vouentes debemus,quædam etiam, quæ nisi vouerimus, non debemus. Nec in hoc plus tribuimus nostræ voluntati, quam Dei: sed relegamus eandem diuinæ religioni, vt firmius, id quod nobis præcipit, persoluamus. Et quanuis in hoc profiteamur nostram imbecillitatem, illam tamen consolidamus,atque vt dæmones inde ferociores in nos insultant, ità & diuina subsidia locupletiora nobis mittuntur.

Ad vltimũ argument. ¶Ad quartum argumentum respondetur, negando sequelam. Et ad probationem dico,quod ratio,propter quam votum secundum de eadem re emissum nihil valet, est, quia cum obligatio sequentis voti sit eiusdem rationis cum priori, nihil aliud facit, quam primum firmare. Cæterùm obligatio voti cum sit distincta ab obligatione precepti,& alterius rationis,fit,vt eidem rei possint ambæ conuenire. Et sic ad rem,quã ex præcepto facere teneor, possum me adhuc per votum obligare. Ad confirmationem,vt respondeamus est aduertendum, quod leges humanæ de nouo positæ ad præcipiendum id, quod lege naturali, aut diuina erat præceptum,sunt in duplici differentia. Quædã enim sunt,quæ actum præceptum non trãsferunt in aliam speciem,sed in eadem relinquunt. Et huiusmodi leges nullam aliã obligationem inducunt vltra naturalem,aut diuinam. Vt, verbi gratia, est lex naturalis, quæ præcipit non occidere. Et præterea lex humana idem præcipit grauissimis impositis pœnis contra occisores. Et quia huiusmodi lex posterior non transfert priorem actũ in aliam speciem, nullam aliam obligationem inducit vltra naturalem. Et sic peccans contra has leges tantum peccat vno peccato. Aliæ autem leges humanæ sunt,quæ adiunctæ legibus naturalibus actus illarum trãsferunt in aliam speciem. Et hæ nouam obligationem inducunt supra legem naturalem. Vt, verbi gratia, est lex naturalis præcipiẽs alienum restituere, si posteà prælatus in virtute obedientiæ præcipiat, vt ablatæ rei fiat restitutio; quia huiusmodi præceptum, & lex mutat speciem prioris actus, fit, vt non inducat obligationem supra legem naturalem. Quare non restituens peccabit duplici peccato, vnum iniustitiæ, alterum inobedientiæ: quorum quodlibet debet necessario in confessione explicari. Vnde,quia votum accedens ad id, quod homines ex lege naturali facere tenentur, mutat actus speciem, & facit quod id, quod anteà erat in virtute temperantiæ sit in virtute religionis, fit, vt inducat nouam obligationem. Et per hoc patet solutio ad argumentum.

Leges humanæ in duplici differentia.

Dubium. ¶Circa eandem quartam conclusionem Diu. Thom. est alia difficultas, vtrùm, si quis vouerit nunquam peccare, tale votum sit validum? Ad cuius explicationem breuiter dico primò, quod si quis vouerit *1. Dictum* absolutè nunquam peccare,tale votum non erit validum, nec obligatorium. Esset enim de re moraliter impossibili, cum Diu. Ioan. prima sua canoni. capit. primo,dicat: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Idẽ etiã est diffinitum in concil. Mileuitano can. 6. 7. & 8. & in cõcil. Trid. sess. 6. can. 23. Dico secũdo, q. si quis *2. Dictum.* vouerit nunquã peccare venialiter, circa aliquam certã materiã, vt, verbi gratia, nunquã mentiri iocosè,tale votũ esset validum,cum esset de bono obiecto,& possibili moraliter, cum gratiã diuina. Dico tertio, quod si quis *3. dictum.* vouerit,nunquã peccare mortaliter,tale votum ex natura rei erit validum. Hoc dictum est contra Nauarrum in Manuali. capit. 12. numero. 65. dicentem, tale votum non esse validum, quia est rei valde difficilis. Sed probatur nostra sententia ex eo,quod illud votum est de bono obiecto,& possibili moraliter per gratiam Dei, quam omnibus conferre est paratissimus. Consulendum tamen erit, ne huiusmodi votum fiat. Præsertim quantum ad peccata cordis, quæ maxima cum difficultate possunt cognosci. Quia sic semper esset scrupulus,an vouens consentiat,nec ne, & votum debet fieri de re comperta & cuius transgressio sit valde manifesta. ¶Si quis autem quærat, vtrùm qui vouerit nunquam peccare venialiter,saltim teneatur ex voto maiori qua poterit vigilantia peccata venialia vitare? Nam videtur pars affirmatiua vera. Si quis enim vouerit confiteri omnia peccata venialia,ex voto tenebitur saltem confiteri ea, quæ moraliter memoriæ occurrunt. Et eadem videtur esse ratio de eo, qui vouit nunquam peccare venialiter, quantum ad ea, quæ moraliter potest vitare. Et confirmatur: Si quis vouerit ieiunare totam quadragesimam in pane, & aqua, vel dare Ecclesiæ centum aureos; si non potest implere totum votum, tenetur saltem implere partem possibilem,vt docet Diu. Thom. articulo sequenti ad tertiũ: ergo idem est dicendum in nostro proposito; cum sit vtriusque vna & eadem ratio. In hoc
4. Dictum. tamen dico quarto, quod qui vouerit nunquam venialiter peccare,ad nihil tenetur ratione voti. Atque adeò talis venialiter peccans,non magis peccat,quam si votum non emisisset. Probatur: Illud votum est nullum vt diximus: ergo nulla ex illo nascitur obligatio. Et ad argumentum in contrarium factum respondetur,concesso antecedenti,negando consequentiam. Nam qui vouit ieiunare totam quadragesimam, vel confiteri omnia venialia, aut dare centum aureos,sensus illius voti est, q̃ obligatur ad id, quod ipse facere poterit. Quare cum obiectum illius voti sit bonum, & possibile, validum erit. Cæterùm,quando quis expresse vouet, omnia peccata venialia vitare,votum cadit supra totam materiam simul sumptam, quæ cum impossibilis sit, ipsum votũ reddit nullum,nec obligatorium.

Dubiũ circa quintã conclusionẽ D.Tho. ¶Circa quintam conclusionem,in qua D. Thom. agit de operibus consiliorum, quæ sunt propria materia voti, aduertendum est, quod quanuis ea certa sit, & ab omnibus concessa ex illa tamen subortiuntur plures, & graues difficultates. Quarum prima est, vtrùm votum emissum de opere consilij,propter malum finem sit validum, & obligatorium. Vt si, verbi gratia, vouerit quis dare eleemosynam propter vanam gloriam, vel ire ad Ecclesiam propter solicitandam puellam. Et pro parte negatiua est argumẽtum: Votum de re illicita non est validum, nec obligatorium, vt diximus in principio huius articuli: sed votum emissum de opere consilij propter malum finem est votum de re illicita: ergo. Consequentia cũ maiori est

Tripliciter potest homo vouere opus consilij propter malum finem.

nota,& minor probatur. Nam appositio prauti finis vitiat ipsam rem, de qua fit votũ. In contrarium tamen est: Nam ille, qui ex malo fine inclinatur ad suscipiendos sacros ordines,vel ad vouendam religionẽ manet voto castitatis astrictus,vt omnes Doctores fatentur. ¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est ex Caietano in præsenti,tripliciter posse contingere, quod homo voueat opus consilij propter malum finem. Vno modo ità,vt malus finis; sic finis eius boni,quod dicitur vouere. Vt cum quis vouet dare eleemosynam propter inanem gloriã. Alio modo, ità, vt malus finis, sit finis, non ipsius boni,quod dicitur vouere;sed applicationis voluntatis ad vouendum. Vt cũ quis profitetur religionem Hierosolymitanam, vel quancunque aliam,vt habeat diuitias,vt de viuat luxuriosè. Tũc enim vita luxuriosa nõ est finis rei,quæ vouetur,sed applicationis voluntatis ad vouendũ. Tertio modo,ità, vt malus finis sit finis,non rei,quæ vouetur, nec applicationis voluntatis ad vouendum, sed ipsius voti. Vt cùm quis vouet,se daturũ mille aureos Ecclesiæ,vel Deo,si consequatur victoriam belli iniusti. Tũc enim ipsum votum est,quod ordinatur ad malum finem, scilicet, victoriam iniustam.

1. Cõclusio ¶Hoc posito sit prima conclusio: Votum emissum propter malum finem,ità,vt malus finis sit finis rei,quæ vouetur, non est validum,nec obligatorium. Probatur: Materia illius voti est mala formaliter: ergo votũ de ea emissum nõ est validũ. Consequẽtia est nota, & antecedens probatur. Nã materia illius voti nõ est eleemosyna absolutè,sed cũ ordine ad malũ finẽ;quæ quidẽ est mala eleemosyna. Hanc etiã conclusionẽ probat argumẽtum factũ in principio dubitationis pro parte negatiua. Ex quo infertur esse peccatũ talia vota emittere, vel mortale, vel veniale, pro grauitate finis appositi,vt diximus in explicatione primæ conclusionis D. Thom.

2. cõclusio. ¶Secunda conclusio: Votum emissum de opere consilij propter malum finem, ità, vt malus finis sit finis, non rei, quæ vouetur, sed applicationis voluntatis ad vouendum, est validum, & obligatorium, quanuis sic vouens peccet mortaliter. Probo singulas partes. Et primò,quod tale votum sit validum: Obiectum illius est bonum formaliter: ergo votum est validum. Consequentia est nota, & antecedens probatur: obiectum illius voti tantùm est viuere religiosè,nec vita luxuriosa est finis religionis, sed mortium vouentis, quod votum relinquit in sua natura: ergo est est bonum formaliter. Et confirmatur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

promissiones, quæ fiunt inter homines, sunt validæ, quamuis promittens ad eas efficiendas moueatur ex malo fine: ergo idem etiam est dicendum in voto. Quod verò sic vouere sit peccatum mortale patet: Nam ad id efficiendum mouetur homo, ex malo fine mortaliter. Sed contra hoc est argumentum: Emittere votum hac ratione est peccatum mortale: ergo tale votum non est validum. Probo consequentiam: Nam propterea, diximus, quod votum emissum primo modo, non erat validum; quia erat peccatum. Respondetur tamen concesso antecedenti, negando consequentiã. Et ad probationem dico, esse diuersam rationem de voto emisso primo modo, & secundo. Nam votum emissum propter malum finem, qui sit finis rei, quæ vouetur, quia est malus intrinsecè, & ex obiecto, in quo ille malus finis includitur, non potest seruari, & adimpleri sine peccato, atque adeò non est validum. Cæterùm secundum votum, quia tantum est malum ex circunstantia, quæ nulla ratione vitiat rem promissam, sed tantum actum promittentis, vt constat, nam res, quæ promittitur, est bona, adimpleri potest sine peccato. Atque ex consequenti semper est validum, & obligatorium; quãuis vouens ad id efficiendum ex malo fine moueatur. Et siquis obijciat; Circunstantia, quæ mutat operationem de bona in malam, transit in rationem obiecti, vt videtur docere Diu. Thom. 1.2. quæstione decima octaua, & decimanona: operatio enim mala differt à bona in eo, quod illa est de malo obiecto, & hæc de bono; ergo votum, de quo fit mentio in secunda conclusione, etiam est de malo obiecto: atque ex consequenti non est validum. Respõdetur, negando antecedens. Et ad probationẽ, dico, falsum esse, q̃ operatio mala semper differat à bona in eo, quod illa est de malo obiecto, & hæc de bono. Fieri enim potest, quod operatio mala sit de bono obiecto, & quòd solum vitietur ex circunstatia; cùm bonum consurgat ex integra causa, & malum ex cuiuscunque defectu. Nec contrarium docet Diu. Thom. loco citato. Quare cùm ad hoc, vt votum sit validũ tãtum requiratur, quod sit de bono obiecto, sit, vt illud sit verum votum, in quo obiectum est bonum, quamuis vouens moueatur ad id efficiendum ex malo fine.

Argumentum contra ist.am.2. cõ clusionem.

Solutio.

Instantia.

Responsio.

3. Cõclusio

¶Tertia conclusio: Votum emissum propter malum finem, qui sit finis ipsius voti, vt siquis voueat, se daturum centum aureos Ecclesiæ, si iniustam victoriã consequatur, non est validum, nec obligatorium. Probatur: In tali voto facimus Deum autorem mali; quod est intrinsece malum & ingens blasphemia: ergo illud non est validum. Et confirmatur: Exequutio ipsius voti, scilicet, dare mille aureos pro consequenda victoria iniusta, est mala: ergo & ipsum votum: atque ex consequenti non est validum. Et quoniã idem est vouere Deo aliquid propter malũ finem consequendum, & post consequutũ in gratiarum actionem: quia vtrobique facimus Deum mali autorẽ, quod est ingens peccatum, & grauius, quam vouere Deo rem malam, vtrumque votum erit inualidum, nec obligatorium. Et siquis contra hoc argumentetur: Promissio facta homini pro fine turpi consequendo; vt siquis promittat scotto decem aureos pro turpi actu, est valida, vt omnes fatentur: ergo idem etiam erit dicendum de promissione facta Deo: Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam cum ab homine expectari possit obsequium turpe, quod sit pretio æstimabile, promissio pro tali obsequio facta ex iustitia est valida. Cæterùm, cùm à Deo tale obsequium expectare sit blasphemum, fit, vt votum pro eo consequendo factum nulla ratione sit validum. Et si adhuc fiat instantia; Victoria iniusta, & similiter quicumque alius actus peccati, quantum ad id, quod in eo est positiui, est à Deo: ergo votum emissum pro tali victoria consequenda, vel post consequutam in gratiarum actionem erit validum; si quidem erit votum factum pro beneficio à Deo accepto: Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio est: Nam votum communiter non fit pro victoria absolute, nec pro entitate illius, sed pro victoria belli iniusti, quæ formaliter est mala in genere moris, quamuis in genere entis sit bona, & à Deo. Et sic votum est nullum. Dico tamen, quod si aliquis Theologus, vel Metaphysicus distingueret in malo actu, id quod est entitatis ab eo, quod habet deformitatis, ratione cuius est peccatum & solum pro eo, quod est entitatis emittat votum, illud erit validum, propter rationem adductam in argumento. Ex quo infero, quod si quis voueat opus consilij pro consequutione alicuius boni temporalis, quod causis turpibus est annexum, vt si quis voueat, se daturum calicem Ecclesiæ, si ex concubina filium suscipiat, tale votum erit validum. Similiter, si Rex dans operam bello iniusto, votum emittat pro conseruanda valetudine sui exercitus; vel vsurarius, aut ludens ludo illicito pro repor-

Argumentum contra ist.am.3. cõ clusionem.

Solutio.

Instantia.

Responsio.

reportando lucro; talia vota erunt valida. Nam, quamuis adulterium sit malum, & similiter victoria iniusta, proles tamen bonum quoddam est; & similiter incolumitas exercitus. Et sic vota pro his rebus emissa sunt valida. Et idem iudicium est de ludente, & vsurario. Quando autem dixi, quod vouere propter malum finem, qui sit finis ipsius voti, est blasphemia, non debet intelligi, quod sit blasphemia formaliter, cum hæc tantum sit in intellectu; sed materialiter, & ex natura operis; quia Deo attribuitur id, quod illi non competit.

Aliud dubium circa quintã conclusionem D. Thom.

¶Circa eandem quintam conclusionem est aliud dubium, vtrùm votum de rebus oppositis, vel impedientibus bona consiliorum, vt si quis voueat non ingredi religionem, vel non ieiunare, nisi in diebus ab Ecclesia præceptis, vel non mutuare, vel etiam ducere vxorem sit validum? Et pro parte affirmatiua argumentor primo. Quod licet facere, licet vouere: sed licet non ingredi religionem, vel non mutuare quæ sunt opposita consilijs, atque etiam licet ducere vxorem, quod est impediens opus consilij: ergo licitum etiam erit id vouere.

1. argum.

2. argum.

¶Secundò: Contrahere matrimonium est opus virtutis: ergo licitum est illud vouere. Patet consequentia: Nam opus virtutis est propria materia voti. Tunc vltra: Sed matrimonium est impeditiuum boni consilij, scilicet, status religionis: ergo licitum erit vouere ea, quæ impediunt bona consiliorum. Et confirmatur ex capit. commissum. de sponsalibus. Vbi dicitur, quod qui iurat matrimonium, vel sponsalia contrahere, tenetur iuramentum adimplere: ergo idem est dicendum de voto, cuius vinculum est maius, quam iuramenti.

3. argum.

¶Tertiò: Votum emissum de perpetuò seruiendo hospitali, est validum, vt omnes Doctores fatentur: & tamen illud est impeditiuum boni consilij, scilicet, ingressus religionis: ergo vota de impedientibus bona consiliorum sunt valida.

1. Cõclusio

¶In hac difficultate sit prima conclusio: Votum emissum de rebus oppositis materiæ consiliorum, vt si quis voueat non ingredi religionem, vel non mutuare non est validum. Probatur: votum cum sit promissio facta Deo necessario debet esse de re grata illi: ea autem, quæ sunt opposita consilijs, non sunt grata Deo: ergo votũ de illis emissum non est validum. Nota tamen, quod licèt mutuare absolutè sit consilium, & similiter fideiubere; tamen omnibus petentibus mutuare, & etiam pro omnibus fideiubere, non est consilium, cùm aliquando expediat hæc non facere. Quare qui vouerit se non mutuaturum illi, à quo mutuum acceptus non est, vel non fideiussurum indiscriminatim pro omnibus, tale votum erit validum, cùm hoc ad prudentiam pertineat; & consilium tantum sit de mutuando, vel fideiubendo pro loco, & tempore, & cum alijs circunstantijs virtutum. Ex quo sequitur, quod ille tantum, qui voueret absolutè non mutuare, faceret contra consilium, aliàs autem non. Et sic votum esset validum. Et idem iudiciũ est de eo, qui vouerit nõ emissurum aliquod votum, nisi consultò aliquo viro docto, vel cum alijs circunstantijs. Tale enim votum erit validum. Nam quamuis sit consilium de vouendo absolutè; bonum tamen est, quod homo non præcipitanter voueat, sed cum maturo consilio ad quod spectat illud votum. Et sic validum erit. Nec est contra consilium. Imò diuinum consilium est, quod homo non præcipitanter voueat. Ita docet Sylnester. verbo. votum. 2. §. septimo, & Ricardus in. 4. distinctione trigesima octaua, articulo secundo, quæstione tertia, & Soto libro septimo de Iustitia, quæstione prima, articulo tertio. Si quis autem quærat, an ille, qui vouit nunquã emissurum votum, nisi adhibito consilio alicuius viri docti, vel cum alijs circunstantijs, si posteà sine illis votum emittat, tale votum sit validum? Dico breuiter, quod quamuis sic vouẽs peccet grauiter, faciendo contra primum votum, votum tamen sine illa circunstantia factum adhuc erit validum, & obligatorium. Et ratio est: Nam cum votum de re licita ex iure diuino, & naturali habeat obligare, nullus per appositas circunstantias potens est illud abrogare.

2. cõclusio

¶Secunda conclusio: Votum emissum de rebus impedientibus bona consiliorum, vt si quis voueat ducere vxorem ex genere suo non est validum. Probatur: Votum cum sit promissio facta Deo, debet esse de rebus gratis illi, alioqui validum non erit; sed non est gratum Deo, quod homo voueat, se nunquam sequuturum consilia virginitatis, aut religionis: ergo nec quod voueat ducere vxorem, cum hoc ex natura sua impediat virginitatem, aut religionẽ. Et confirmatur: Ille, qui per votum se obligat ad contrahendum matrimonium ponit obicem Spiritui sancto, & occludit ei viam, qua posset eum perducere ad perfectiorem statum: sed hoc fieri non potest sine peccato: ergo votum de hac re emissum non est validum. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Nam, quamuis homo possit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducere vxorem, & non vouere religionem: non tamen potest occludere viam Spiritui sancto, qua ipsum ad perfectiorem statum perducere potest. Sed tenetur antequam statum mutet, liber permanere, vt si Spiritus sanctus dignetur aliquando illi prospere affiare, illum audire possit. Et si contra hoc fiat argumentum; Matrimonium ratum, & non consummatum non impedit ingressum religionis: ergo saltem erit licitum votum emittere de contrahendo matrimonium, sine consummatione copulæ. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam qui simpliciter vouet contrahere matrimonium ex natura rei obligat se illud consummare, aliàs vanum, & deceptorium esset tale votum: Quare dum absolutè emittitur, est illicitum quia impeditiuum ex natura sua maioris boni. Et si adhuc fiat instantia: Matrimonio iungere virginem, est bonum opus dicente Paulo primæ ad Corinthios septimo. Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit: ergo votum de hac re emissum erit licitum & obligatorium. Probo consequentiam: Nam de bonis operibus licite fiunt vota & promissiones Deo. Hoc argumentum petit, vt explicemus, quæ nam sit propria, & exacta ratio, propter quam votum de contrahendo matrimonium non est licitum. Et ea est, quod matrimonium contrahere est quoddam bonum continens in sese status mutationem. Ista autem status mutatio potest esse descensiua & ascensiua. Illa est mutatio de perfectiori statu ad minus perfectum, hæc verò è contra de minus perfecto ad perfectiorem. Et quia status continentium perfectior est, quam coniugatorum; ideircò mutatio quæ fit per matrimoniũ, appellanda est descensiua, & non ascensiua. Cum ergo Deus non suadeat hominibus descensiones; sed ascensiones: non habet acceptum, quod illi polliceamur quod sibi est minus gratum. Atque adeò, non licet emittere votum de contrahendo matrimonium; quia est descendere, & votum debet esse de meliori bono, vt dicit Diuus Thomas in hoc articulo. Sed contra hoc est argumentum: Quamuis nubere absolutè loquendo, sit descendere ab statu continentium, & sic minus bonum, tamen respectu alicuius personæ in particulari non potentis se continere, maius bonum erit nubere, quam in statu continentiæ permanere, iuxta illud Pauli loco citato: Quod si non se continent, nubant: Melius est enim nubere, quam vri: ergo saltem huiusmodi hominibus erit licitum nuptias vouere. Ad hoc argumentum Caietanus in præsenti respondet, concedendo consequentiam. Existimat enim, quod si quis voueat nubere propter fornicationem vitandam; quia, scilicet, cognoscit se labilem, & nisi nubat cadet in multa crimina, votum erit validum, & obligatorium. Et ratio illius est; Nam si votum de re indifferenti absolutè, propter cautelam à malo, est obligatorium, vt diximus, quantò magis obligabit votum de re bona, & in remedium tanti periculi. Eo vel maximè, quod respectu illius, melius est nubere, quam vri, & sic illud votum est de meliori bono. Hanc eandem sententiam tenet Nauarro in Manual. cap. duodecimo, numero quadragesimo tertio. Sed Soto libro septimo de Iustitia, quæstione prima, articulo tertio, oppositum affirmat. Et eius fundamentum est: Quia semper tale votum manet impeditiuum maioris boni absolutè. Quare affirmat, quod licet matrimonium contrahere sit licitum, & aliquando consilium, quatenus est melius, vt ait Paulus, nubere quam vri, adhuc tamen votum de hac re emissum non est licitum. Quia sic vouens eo ipso impeditur, ne ascendat ad perfectiorem vitam, si fortè Deus ad illam eum adiuuare dignetur. Vtraque sententia est probabilis. Sed probabilior, meo iudicio, est hæc secunda. Vnde ad rationem Caietani respondeo, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam si votum de re indifferenti ad cautelam, vt diximus, est validum, est quia iam est de re bona, nec impeditiuum maioris boni. At verò votum de contrahendo, quamuis sit de re bona, est tamen impeditiuum maioris boni, & sic non valet.

¶Sed restat nunc respondere ad argumenta in principio dubitationis facta. Et sic ad primum respondeo, negando maiorem. Nõ enim quidquid licet facere licet vouere, si illud sit impeditiuum maioris boni.

¶Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam quamuis contrahere matrimonium sit opus virtutis, quia tamen impedit maius bonum, votum de eo emissum non est validum. Et sic potest homo etiam post tale votum habitum religionis accipere, & similiter seruare virginitatem. Ad confirmationem respondetur cum Caietano in præsenti; concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam quamuis sit maius vinculum voti, quã iuramenti: quia tamen iuramentum de contrahendis nuptijs sit homini, cui magis

Argumentum cõtra istam secũdam cõclusionem.

Responsio.

Instantia.

Responsio.

Ratio propter quã votum de nubendo non est valitũ.

Sententia Caietani.

Sententia Soti.

Ad. 1. arg.

Ad. 2. arg.

gis grata est promissio matrimonij, quam perseuerantia in statu continentiæ, fit, vt qui talem promissionem iuramento firmauit, teneatur illam adimplere, ne faciat iniuriam illi, cui facta est promissio. At verò votum, quia est promissio soli Deo facta, cui magis placet status continentiæ, quam matrimonij, fit, vt qui vouet matrimonium non maneat voto astrictus; sed poterit semper, aut religionem vouere, aut permanere in statu continentiæ, cum hæc ex natura sua sint magis grata Deo.

Ad. 3. arg.

¶Ad tertium respondetur concessa maiori, negando minorem. Adhuc enim, post illud votum emissum poterit ingredi religionem, & per professionem absoluetur ab obligatione prioris voti. Et sic ex natura sua non est impeditiuum maioris boni.

Dubium.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum emittere votum de rebus oppositis, vel impedientibus bona consiliorum, sit peccatum mortale? Ad cuius explicationem dico primo; quod si quis ità pertinaciter voueat non dare eleemosynam, vel non mutuare, vt habeat animum in nullo casu hæc efficiendi, peccabit mortaliter. Nam dare eleemosynam, vel mutuare sæpe sæpius est in præcepto, scilicet, in casu necessitatis. Et qui illo animo voueret, haberet propositum non seruandi præceptum, atque ex consequenti peccaret mortaliter. Dico secundo, quòd si aliquis sciens, & prudens, quod opposita consilijs non placent Deo, ea voueat, ea intentione, vt displiceat, peccat mortaliter. Nam illa esset maxima iniuria. Dico tertio, quòd regulariter loquendo qui vouent opposita consilijs, tantum peccant venialiter. Nam id non faciunt in contemptum Dei. Quin potius existimant, se obsequium præstare Deo, talia vouentes; atque ex consequenti tantum peccant venialiter. Imo tanta posset esse ignorantia, vt nullum peccatum committerent.

Dubiũ circa solutionem ad. 1. D. Thom.

¶Circa solutionem ad primum argumentum Diui Thomæ, monet Caietanus difficultatem, vtrum in baptismo fiat verum votum? Et pro parte affirmatiua est argumentum. Nam sancti atque Doctores, sæpe sæpius dicunt, quod fideles in baptismo, vouent legem Euangelicam. Contrariam tamen sententiam tenet Caietanus in isto articulo, dicens, quod in baptismo non est propriè votum. Ex quo fit, vt Christianus quando fornicatur non peccet duplex peccatum, scilicet, contra præceptum, & contra votum. Sed tantum committit vnum; quamuis sit grauius, quam infidelis, propter notitiam veritatis ex fide, quam habet, & propter sacramenta, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit, vt dixit Diuus Thomas supra quæstione decima, articulo tertio, ad tertium. Probat autem Caietanus istam suam sententiam, quæ proculdubio est vera, primò: Quia in verbis, quæ dicit baptizandus, nec implicitè, nec explicitè continetur votum. Verba enim baptizandi sunt. Abrenuncio, volo, & credo, in quorum nullo promissio continetur. Nam neque qui abrenunciat Diabolo, neque, qui vult fieri Christianus, neq; qui credit, promittit explicitè aliquid, nec implicite. Itẽ, si in baptismo contineretur votũ, id esset, vel ratione statuti Ecclesiastici, vt in susceptione ordinis continetur votũ continentiæ, vel ratione ipsius rei, scilicet, assumptionis status, & professionis fidei, quasi hoc habeat vim voti. Sed neutrum horum potest dici. Non primum: nullibi enim inuenitur tale præceptum Ecclesiæ, vt voueat aliquid, qui baptizatur. Quin potius id videtur esse contra eius intentionem, quæ laqueos in sacramentis necessitatis multiplicare non vult. Vnde in sacramento pœnitentiæ, in quo pœnitens renuntiat operibus Diaboli per contritionem, & confessionem, non vult, vt promittat se emendaturum. Imò confessarijs inhibet ne huiusmodi vota exposcant à pœnitentibus, hac sola ratione, ne illis multiplicentur laquei, quibus irretiantur. Et similiter accedentes ad sacramentum baptismi non inducit ad aliquid vouendum, ne posteà transgredientes Dei legem duplici peccato maculentur, nempe, transgressionis præcepti, & voti. Quòd autem nec etiam ratione assumptionis status, & professionis fidei contineatur votum in baptismo, probatur: Nam, ad professionem fidei satis est illam corde, & ore profiteri cum proposito mutandi vitam sine vllo voto. Eo vel maximè quod cum vouere sit opus consilij, & baptizari opus præcepti non potest fieri, quòd vnum in altero contineatur ex natura rei. Et si quis cotra istam sententiam obijciat Diuũ Thomam hic ad primum dicentem, quòd sub voto baptizatorum cadit abrenunciare, &c. quibus verbis insinuare videtur in baptismo contineri votum; Respondeo, quod Diuus Thomas non affirmat in baptismo contineri votum: sed supposito esse votum ex Magistro sententiarum in quarto, distinctione trigesima octaua, declarat modum, quo abrenunciare pompis Diaboli, & fidem Christi seruare comprehen-

Sententia Caietani vera.

In baptismo nulla fit votum.

Obiectio.

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dantur sub voto baptizatorum. Si quando autem inuenitur aliquis sanctorum asserens, in baptismo esse votum, intelligendus erit loqui de voto impropriè dicto, id est, de proposito mutandi vitam, quod largo quodam modo votum appellari potest, vel quod voluit explicare votum, quo fortasse suo tempore baptismus conferebatur. Et per hoc patet solutio ad argumentum in principio dubitationis factum.

¶In secundo argumento, qui ex eo, quod Iephte in Catalogo sanctorum ponitur à Diuo Paulo ad Hebræos vndecimo, cum tamen innocentem filiam occiderit propter votum, vt dicitur Iudi. vndecimo, colligit Diuus Thomas votum non solum de meliori bono, sed etiam de rebus illicitis emissum, esse validum, & obligatorium, occasio se offerebat disputandi, an verum fuerit, quod Iephte filiam occiderit, vt vouit? Nam illud, quod dicitur in sacris literis de filia deplorante virginitatem suam, priusquam à patre mactaretur, à diuersis diuersimodè explicatur. Cæterum quoniam nostrum munus est vim & materiam voti explicare, non autem difficilia loca sacræ scripturæ interpretari, breuiter nos ab his expediemus. Fuere qui dicerent, vt fusissime habetur apud Abulen. super caput. vndecimum Iudicum, quæstione nonagesima sexta, Iephte non occidisse filiam suam; sed potius recluisse eam, quasi in monasterium sanctimonialium, vt ibi quoad viueret, cœlibem vitam ageret Deo dicata, cum reliquis sanctis fœminis. Hanc sententiam tenet Lyranus in hunc modum dicens: Hebræi dicunt, quod ipsam non immolauit: sed votum eius fuit relaxatum per ipsum Phinees. Et aliqui dicunt, quod fuit interpretatum per sapientes, quod non deberet votum adimpleri per mortem filiæ innocentis. Vnde quædam Glossa Hebraica super illud verbum: Dimitte me, vt circumeam montes, sic dicit, id est, sapientes in lege, quia forsitan inuenient modum relaxationis, seu interpretationis voti tui. Et mox: Sine præiudicio dici potest, quòd filia Iephte non fuit sacrificata Domino, per mortem corporalem: sed potius per ciuilem seu spiritualem, eo modo, quo religiosi dicuntur modo mortui. Hæc Nicolaus de Lyra, quem sequitur Vatablus. Quia tamen Patres communiter tenent, quod Iephte verè & propriè filiam occidit eis assentiendum erit, & dissentiendum à Lyrano, atque Vatablo. Ita habet Diuus Augustinus libro primo de Ciuitat. capit. vigesimoprimo, & quæstione quadragesima nona, super Iudicum latissime. & Diuus Ambrosius libro primo de Officijs, capit. quinquagesimo, Gregorius Nazianzenus oratione de Machabæis. Athanasius in Synopsi libro septimo, Diuus Hieronymus & alij. Idem etiam habetur in concilio Toletano octauo, capit. secundo, inter probandum, quod iuramenta illicita non sunt seruanda. Sed quamuis sancti, atque concilia tacerent, ipse textus biblicus loqueretur, qui habet, quod Iephte vouit ocellurum se suam filiam, & deinde dicit, quod fecit ei sicut vouerat. Quare Caietanus super illum locum non solum credit, quod Iephte filiam occiderit, sed & quod obtulerit eam in holocaustum, id est, totam absumpserit, quod Abulensis quæstione quinquagesima secunda, explicans dicit, quod eâ prius occidit, & postea cremauit, vsquequo redacta est in cineres, & sic eam dicauit Domino. Quod autem quidam dicunt, fleuisse eam suam virginitatem, hoc est, quod non fuisset experta libidinem ac venerem, turpe est atque nefarium, vt docet Abulensis super illum locum quæstione quinquagesima. Et sic affirmat, quod flere illam suã virginitatem, nihil aliud fuit, quam flere se tam teneram, & paruam, tamque præcociter, & immaturè mori, aut flere quod sine liberis moreretur. Vt enim habet elegans testimonium Oseæ capit. nono, Omnis gloria illorum erat à conceptu ab vtero, & à partu. ¶Supposito tam verum esse, quod Iephte filiam occidit, quantũ attinet ad vim voti, nihil aliud dicere oportebit, quam quod D. Thom. in hoc argumento, adducit ex Diuo Hieronymo. Nempe, quod fuit in vouendo stultus, & in reddendo impius. Nam quoniam immolationis materia non fuit ab ipso præfinita, sed dixit: Quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, eum holocaustum offeram Domino, votum prudenti caruit discretione, & fuit stultum. Quoniam autem vota in illis euentibus quæ iure naturæ licita non sunt, neutiquam obligant, talium adimpletio sine impietate non existit. Et sic Iephte stultus in vouendo, & impius in reddendo iure dicitur. Nec videtur vlla posse ignorantia excusari. Quia non modo hominem contra ius naturæ, verum, & natam truculentissimè morti adegit. Quare quod in eius historia præmittitur, scilicet, Spiritum sanctum factum fuisse super Iephte, nec ad voti emissionem, nec ad eius solationem est referendum, sed ad id quod diuino zelo animatus Ammonitas Dei hostes adortus est. Nec ex eo, quod inter iustos antiquæ legis

An Iephte occiderit filiã suã, vt vouit.

legis à Paulo cõmemoratur, fit consequẽs, nullum illum delictum admisisse. Nam etiã recensẽt Samsonem, atque Dauidem, quos constat nõnunquam fuisse peccatores, quia est probabile illum pœnituisse de facto iniquo, sicut & multi alij pœnitẽtiam egerũt.

Articvlvs III.

¶Vtrùm omne votum obliget ad sui obseruantiã.

4. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 1. & ar. 4. q. 1. cor. & ad 3.

Ad Tertivm sic procedi-tur. Videtur, quòd nõ omne votum obliget ad sui obseruationem. Homo enim magis indiget his quæ per alium hominem fiunt, quam Deus, qui bonorum nostrorum non eget. Sed promissio simplex homini facta, non obligat ad obseruandum secũdum institutionẽ legis humanæ, quod esse videtur institutum propter mutabilitatem humanæ voluntatis: ergo multo minus simplex promissio Deo facta, quæ dicitur votum, obligat ad obseruandum.

2 ¶ Præterea, Nullus obligatur ad impossibile. Sed quandoque id quod quis vouit, fit ei impossibile: vel quia dependet ex alieno arbitrio: sicut cùm quis vouet aliquod monasterium intrare, cuius monachi eum nolunt recipere, vel propter emergentem defectum: sicut mulier quæ vouit virginitatem seruare, & postea corrumpitur. Vel vir qui vouet pecuniam dare, & postea amittit pecuniam: ergo non semper votum est obligatorium.

3 ¶ Præterea, Illud ad cuius solutionem est aliquis obligatus, statim soluere tenetur. Sed aliquis non statim soluere tenetur illud quod vouit, præcipuè cũ sub conditione futura vouet: ergo votum non semper est obligatorium.

¶ Sed Contra est, quòd dicitur Eccles. iast. quinto: Quodcunq; voueris, redde. Multoque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.

¶ Respondeo dicendum, quòd ad fidelitatem hominis pertinet vt soluat id quod promisit. Vnde secundum * Augustin. fides dicitur ex hoc quòd fiunt dicta. Maximè autem debet homo Deo fidelitatem: tum ratione dominij, tum etiam ratione beneficij susceptí. Et ideò maximè obligatur homo ad hoc quòd impleat vota Deo facta. Hoc enim pertinet ad fidelitatem quã homo debet Deo. Fractio autem voti est quædam infidelitatis species. Vnde Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda: quia displicet Deo infidelis promissio.

Li. de mendac. c. 20. tom. 4. Et epi. 19. post me. to. 2.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur: & hæc est obligatio iuris naturalis. Sed ad hoc quòd aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione ciuili, quædam alia requiruntur. Deus autẽ etsi bonis nostris non egeat: ei tamen maximè obligamur. Et ita votum ei factum est maximè obligatorium.

¶ Ad secundum dicendum, quòd si illud quod quis vouit, ex quacunque alia causa impossibile reddatur, debet hoc facere quod in se est, vt saltem habeat promptam voluntatem faciendi quod potest. Vnde ille qui vouit monasterium aliquod intrare, debet dare operam quantum potest vt ibi recipiatur. Et si quidem intẽtio sua fuit se obligare ad religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc religionem vel hunc locum, quasi magis sibi congruentem, tenetur, si non potest ibi recipi, aliam religionem intrare. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum propter specialem complacentiã huius religionis vel loci, non tenetur aliam religionem intrare, si eum illi recipere nolunt. Si vero incidit in impossibilitatem implendi votum ex propria culpa, tenetur insuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere, sicut mulier quæ vouit virginitatem, si postea corrumpatur, non solum debet seruare quod potest, scilicet perpetuam continentiam, sed etiam de eo quod admisit peccando pœnitere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Ad tertium dicendum, quòd obligatio voti ex propria voluntate & intẽtione causatur. Vnde dicitur: Deute. 23. Quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis: & facies sicut promisisti Dño Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. Et ideo si in intentione & voluntate vouentis est obligare se ad statim soluendum, tenetur statim soluere. Si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim tenetur soluere. Sed nec debet tardare vltra quàm intendit se obligare. Dicitur enim ibidem: Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

Svmma Textvs.

COnclusio huius articuli est affirmatiua. Quam probat D. Thom. in argumento, sed contra, ex illo Eccles. 5. Quodcunque voueris redde. Et rursus: Multo melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. Et in corpore articuli hac ratione: Homo tenetur Deo maximè fidelitatem seruare, tum ratione dominij, tũ ratione beneficij susceptj: sed seruare promissum pertinet ad fidelitatem, quam homo Deo debet, iuxta illud Salomonis: Displicet Deo infidelis promissio: ergo omne votum, quod ex sua ratione est promissio facta Deo, obligabit ad sui obseruantiam.

Explicatio Articvli.

COnclusio huius articuli est de fide tenenda. Quam latè probat Soto lib. 7. de iustitia, quæst. 1. art. 1. & Castro de hæresibus, verbo, votum. Habeturque expressè Deuter. cap. 23. Eccles. cap. 5. & Prouer. 20. Sed est difficultas, vtrùm omne votum obliget ad sui obseruantiam sub reatu peccati mortalis? Ad cuius explicationem Caietan. quæst. sequenti, art. 7. dicit duo. Primũ est, quòd omne votum cuiuscunque rei, etiam minimæ (si tamen illa res est tota materia voti) obligat ad sui obseruantiam sub peccato mortali. Vnde affirmat, quòd si aliquis voueat dicere quotidie vnum Aue Maria, & illud relinquat; erit peccatum mortale. Eandem etiam sententiam tenet Nauarr. in sum. cap. 12. num. 10. & 40. & cap. 18. nu. 4.

Dubium.

Sententia Caietani.

Et probatur: Quæcunque perfecta transgressio præcepti diuini, aut naturalis est peccatum mortale: sed ille, qui totam rem promissam non reddit perfectè transgreditur præceptum diuinum, & naturale de reddendo voto: ergo peccat mortaliter. Et si quis obijciat contra Caietanum, quòd cuiuscunque alterius præcepti transgressio in re leui, tantum est peccatum veniale, vt patet in furto, & in falso testimonio, & sic idem videtur dicendum in voto; atque ex consequenti illud, quod est de re leui non obligabit ad sui obseruantiam sub mortali, quanuis ipsa res leuis sit tota materia voti; Respondet Caietanus notando, quòd præceptum de reddendo voto, aut iuramento partim conuenit cum alijs præceptis diuinis, & naturalibus & partim differt ab illis. Conuenit quidem in hoc, quòd sicut faciens contra materiam perfectam aliorum præceptorum frangit ea, & peccat mortaliter; ità etiam violans præceptum iuramenti, aut voti quã tum ad perfectam illius materiam, peccat mortaliter. Differunt autem in hoc, quòd alia præcepta diuina, aut naturalia ex se determinata sunt ad res in genere. Vt patet in præcepto furti, aut falsi testimonij; quæ absolutè dantur de non furando, aut dicendo falsum testimonium: & non in particulari de hac, aut illa re leui. Ex quo fit, vt quando aliquis facit contra præceptum si res est leuis, tantum sit peccatum veniale; quia nõ facit contra totam materiam præcepti, nec contra præcipuam eius partem: sed contra minimam: & parum pro nihilo reputatur. Cæterùm præceptũ voti, & iuramenti cũ ex se nec in genere, nec in particulari habeat determinatam materiam, sed relictum sit nostræ voluntati illam determinare, fit, vt quã do votum determinamus ad rem leuem, sci licet, ad eleemosynam, vel breuem orationem, sub peccato mortali teneamur illam adimplere; cùm illa sit tota materia illius præcepti: acsi à Deo esset taxata. Et sic nõ est eadem ratio de præcepto voti, aut iuramenti, & de alijs præceptis diuinis, & naturalibus, quantum ad hoc, quod est non obligare ad mortale propter leuitatem materiæ. Secundò, dicit Caietanus, quòd si quis voueret aliquid totum, dimitteretque tantum vnam minimam illius partem, vt si quis voueat dicere vnum psalterium, & dimittat ex negligentia vnum, aut alterum psalmum, talis non peccabit mortaliter: quia tunc parum pro nihilo reputatur.

¶ Hæc sententia Caietani licet sit valde ingeniosa; mihi tamen quantum ad primum illius dictum non placet. Vnde ad explicationem difficultatis sit prima conclu-

1. Conclus. sio: Votum ex genere suo obligat ad sui obseruantiam sub peccato mortali. Probatur: Redditio voti pertinet ad fidelitatem, quã homo tenetur Deo seruare; sed hæc ex genere suo obligat ad mortale: ergo. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur. Primò: Quia ad fidelitatem hominis pertinet, vt soluat id quod promisit. Vnde dicit Diuus Augustinus, quòd fides dicitur, quia fuit dicta. Secundò: Nam fractio voti infidelitas appellatur, vt constat ex illo Eccleiast. capit. 5. Si quid vouisti non moreris reddere; displicet enim Deo infidelis & stulta promissio. Et sunt ponderanda, ly displicet, & ly, stulta, & ly, infidelis, quæ grauem quandam Dei offensam significãt. Et in capit. licet. de voto, & voti redemptione, inquit Innocentius III. Licet vniuersis liberum sit arbitrium in vouendo, vsque adeò tamen solutio necessaria est post votum, vt sine propriæ salutis dispendio, alicui non liceat resilire. Et Diuus Thomas in quarto, distinctione. 38. quæstione prima, articulo tertio, quæstiuncula prima, ait, quòd qui votum ritè factum prætermittit, peccat mortaliter, quia fidem, quam cum Deo inijt frangit. Et confirmatur: Quanuis vouere sit opus consilij: tamen redditio voti pertinet ad iustitiam: cum religio, cuius actus est votum, pars sit iustitiæ, qua Deo reddimus debitum cultum: sed iustitia ex genere suo obligat ad mortale: ergo & votum. Imò dico, quòd multò maior est obligatio voti, quam iustitiæ: quia in voto obligatio oritur, non solum ex iustitia, sed ex religione. Ex quo sequitur grauius peccatum esse non seruare promissionem factam Deo, quam promissionem factam homini. Et ratio est: Nam cum in violatione promissionis homini factæ tantum fiat peccatum contra iustitiam: in violatione verò promissionis factæ Deo, fiat peccatum contra iustitiam, & contra religionem, fit, vt ex violatione vtriusque virtutis maius peccatum oriatur.

2. Conclus. ¶ Secunda conclusio: Quando aliquis prætermittit minimam partem eius, quod vouerat, non peccat mortaliter: sed tantum veniãliter. Hæc conclusio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus; estque Caietani in secundo dicto illius. Et probatur: In omnibus alijs præceptis diuinis, & naturalibus transgressio in re leui tantum est peccatum veniale: ergo idem etiam est dicendum in voto.

3. Conclus. ¶ Tertia conclusio: Votum emissum de re leui, etiam si illa res leuis sit tota materia voti, non obligat ad sui obseruantiam, sub reatu peccati mortalis. Hæc conclusio est contra Caietanum. Et probatur: Promissio rei leuis facta homini non obligat ad sui obseruationem sub peccato mortali, quanuis ipsa res leuis sit tota materia promissionis: ergo nec facta Deo. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur: Nam Deus non est rigidior exactor suarum promissionum, quam homo. Item: Materia illius voti, quomodocunque sumatur, est res leuis: ergo votum de ea emissum tantum obligat ad veniale. Et confirmatur: Grauitas peccati non est sumenda ex arbitrio, & voluntate peccantis, sed ex quantitate, & necessitate obiecti, vt constat in omnibus præceptis, si loquamur de grauitate, quam habet actus ex natura sua. Verbi gratia, in furto grauitas peccati non sumitur ex voluntate furantis, sed ex re ipsa, de qua est furtum. Nam si res furata est grauis, quanuis latro nolit erit peccatum mortale, & si est res leuis, erit peccatum veniale. Sed quando votum sit de re leui, ipsa ex se est parua materia fidelitatis, & religionis: ergo tale votum violare ex se non erit peccatum mortale. Vltimò: Votum est quædam lex hominis, quam quisque sibi ponit ex propria voluntate: ergo non aliter debet obligare, quam si esset lex Ecclesiastica, vel diuina. Sed lex diuina & Ecclesiastica, etiam si ex genere suo obligent ad sui obseruantiam sub reatu mortalis culpæ, nihilominus frangere illas in re leui est tantum peccatum veniale: ergo similiter & votum. Ex hoc infertur, quòd si aliquis promittat singulis diebus dicere vnum, aut duo Aue Maria, & illud quotidie prætermittat, nunquam peccabit mortaliter; quia semper frangit fidelitatem in re leui; & ex pluribus venialibus non potest fieri vnum mortale. Secus autem esset, si promitteret dare quotidie vnum assem pauperibus. Tunc enim, quanuis quotidie non dando tantum peccaret veniali ter; tamen quando peruenisset ad materiam peccati mortalis, peccaret mortaliter: sicut ille qui quotidie furatur vnum assem. Et ratio est: Nam licet priora peccata tantum sint venialia; tamen vltimum est mortale, vel ratione nocumenti, vel ratione grauitatis materiæ, quæ aufertur. Sed contra hoc est argumentum: Ille, qui vouit quotidie dare vnum assem pauperibus, si per annum dimittat nihil tenetur restituere: ergo nunquam potest fieri, vt materia voti tan-

Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti tantum crescat, vt sit sufficiens ad peccatum mortale. Atque ex consequenti, quanuis non adimpleat per multum tempus illud votum, nunquàm peccabit mortaliter. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Ille, qui vouet, quotidie dicere vnum Aue Maria, si hodie omittit, non tenetur crastina die illud recitare, vt omnes Doctores fatentur; alioquin posset etiam tantum augeri materia voti, vt esset peccatum mortale illud non adimplere: ergo idem erit dicendum de eo, qui vouit quotidie dare vnum assem. Probo consequentiam ex paritate rationis.

Responsio. ¶ Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dico, non esse eandem rationem de eo, qui vouit quotidie dicere vnum Aue Maria; & de eo, qui vouit quotidie dare vnum assem pauperibus, vt dicit Caietanus infra articulo duodecimo. In primo enim voto ipsa temporis determinatio per se cadit sub voto: & sic mutari non potest. Cæterùm in secundo voto tantum res promissa per se cadit sub voto, & tempus secundario. Quare semper manet obligatio ad reddendum id, quod fuit promissum, quanuis tempus mutetur. Infero secundò, falsum esse discrimen positum à Caietano inter præceptum voti, aut iuramenti, & alia præcepta diuina, & naturalia, quantum ad hoc, quod est non obligare ad mortale propter leuitatem materiæ. In omnibus enim transgressio in re leui tantum est peccatum veniale. Et ratio est: Nam cum grauitas peccati non sumatur ex arbitrio, & voluntate peccantis, sed ex natura ipsius rei, fit, vt quando res est leuis, peccatum tantum sit veniale, etiam si illa res sit tota materia præcepti. Dummodo ex conscientia erronea peccans non existimet peccare mortaliter. Tunc enim erit peccatum mortale. Et ad argumentum, quo Caietanus probauit suum primum dictum, respondetur, falsum esse, quòd quando materia voti est leuis, perfectè transgrediatur homo præceptum diuinum, & naturale de reddendo voto, si illud non adimplet. Sicut nec perfectè transgreditur præceptum de non furando ille, qui rem leuem furatur, cum æqua sit vtriusque ratio.

Dubiũ de voto ex metu facto. ¶ Circa eandem conclusionem Diui Thomæ est aliud dubium, vtrùm votum ex metu factum sit obligatorium? Et ratio dubitandi est; Nam cum votum, vt diximus, debeat esse voluntarium: & ignorantia, vis, atque metus tollant voluntarium, vt docet Aristotel. tertio Ethicorum, videtur consequens, quòd votum ex metu factum non sit obligatorium. In oppositum tamen est: Nam nullo metu videtur posse homo excusari ab obseruantia legis diuinæ & naturalis; implere autem promissum votum est de lege naturali & diuina. *Ratio dubitandi.*

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est primò, quòd metus est duplex, vnus incussus ab extrinseco, & alter ab intrinseco. Quæ distinctio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus tam Theologis, quam iuris prudentibus. Vt est videre apud Panormitanum super capit. sicut. el segundo, de regularibus. Et rursus: Metus est duplex, vnus, qui dicitur cadens in virum constantem, & alter, qui dicitur non cadens in virum constantem. Metus cadens in virum constantem dicitur ille, quem ex se vir constans timere debet. Dignoscique poterit iste metus primò ex obiecto. Vt si malum, quod minatur est graue. Qualia sunt mors; grauis cruciatus, diuturnus carcer, seruitus, grauissima infirmitas, amissio status, vel magnæ partis suorum bonorum, metus stupri, metus infamiæ, quæ facile resarciri non potest, vt constat ex capite dilectus. de ijs, quæ vi metusue causa fiunt. Vbi hæc omnia recensentur. Secundo potest dignosci metus cadens in virum constantem ex parte modi. Vt si metum incutit vnus, vel plures homines; armati, vel inermes, si mulier, si senex, &c. Tertiò ex parte subiecti. Fieri enim potest, vt metus, qui respectu vnius est cadens in virum constantem, respectu alterius non sit. Vt metus, qui respectu alicuius puellæ, vel alterius fœminæ dicitur cadens in virum constantem; respectu viri non dicetur. *Multiplex metus.*

¶ Hoc constituto, sit prima conclusio: Votum factum ex metu ab extrinseco illato, qui sit cadens in virum constantem non est validum, nec obligatorium, quanuis vouens habeat propositum vouendi. Hæc conclusio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus, habeturque expressè in capite perlatum. de ijs, quæ vi metusue causa fiunt. Et probatur à simili: Matrimonium contractum ex tali metu est nullum: ergo & votum. Consequentia tenet ex paritate rationis, & antecedens habetur expressè, trigesimatertia, quæstione quinta, capite notificasti. & de conuer. coniugat. per multa capita. Tandem hanc eandem conclusionem probat argumentum primo loco factum in principio dubitationis. Ex quo infertur, falsam esse sententiam Syluestri, verbo metus. §. octauo, asserentis prædictum votum esse obligatorium, si ille, qui vouit, habuit animum vouendi. Idem etiam affirmat, verbo, votum, secundo. §. duodecimo. Et ad capitula iuris, quæ dicunt votum, vel matrimonium ex tali metu contractum esse nullum, respondet ex mente Panormitani, quòd ea dicuntur esse nulla, quia ius præsumit eum, qui sic vouit, aut contraxit, non habuisse animum vouendi, aut contrahendi. Cæterùm hæc sententia est falsa, vt dicebam, & contra communem sensum Ecclesiæ, quæ semper habuit irritum votum, vel matrimonium ob metum celebratum, etiam si homo fateatur se habuisse animum contrahendi, vel vouendi, vt constat ex capit. cum locum. de sponsalibus, & trigesima tertia quæstione quinta, capit. notificasti. Quare, quanuis sic vouens dicat se habuisse animum vouendi, vel contrahendi, si tamen legitimè probat ex metu contraxisse, à voto, vel matrimonio iure absoluetur, vel potius declarabitur absolutus, cum anteà re ipsa obligatus non fuerit. *1. Conclus.*

2. Conclus. ¶ Secunda conclusio: Votum factum ex metu non cadente in virum constantem, vel ab intrinseco illatum, est validum, & obligatorium. Hæc conclusio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus, tam Theologis, quàm iurisprudentibus. Et probatur primò de metu non cadente in virum constantem: Nam ille non tollit voluntarium: ergo nec impedit votum, aut matrimonium. Consequentia est nota, & antecedens ab omnibus conceditur. Quòd verò votum factum ex metu ab intrinseco incusso similiter sit validum, probatur ex capite sicut. el segundo de regularibus. Vbi clericus, qui nimia ægritudine monachatum vouit, cogitur esse monachus. Et ratio est manifesta: Nam metus ab intrinseco incussus non tollit voluntarium, sicut ille, qui incutitur ab extrinseco. Quod ita esse constat ex eo, quòd ille qui ex metu ab extrinseco incusso votum emittit, nulla ratione habet gratum, id quod vouet, nec sua sponte illud acceptat, sed tantum, vt se ab hoste illud acceptat, sed tantum, vt se ab hoste liberet. Tamen ille, qui vouet ex metu incusso ab intrinseco gratum habet illud vouere, vt metetur patrocinium diuinum, quo à periculo liberetur. Et sic alia ratione est voluntarium, quam prius. Et est aduertendum, quòd in præsenti non dicitur metus ab extrinseco incussus omnis ille, qui ex re extrinseca prouenit, sed tantum ille, quem alter homo per iniuriam infert, vt votum extorqueat. Vt si quis diceret; Occidam te, nisi tale votum emiseris. Ex quo infertur, quòd si aliquis ad vitandum mortis periculum in mari, vel in bello, vel etiam ad hoc, vt liberetur à carcere, in quo iniustè detinetur votum emittat illud erit validum, & obligatorium. Nam cum hæc mala non inferantur ad votum extorquendum; si illud fiat validum erit, nec dicetur ex metu ab extrinseco incusso, emitti. Et idem iudicium est de omnibus alijs periculis, ad quæ vitanda votum emittitur. *Quis dicatur metus incussus ab extrinseco.*

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quo iure votum emissum ex metu cadente in constantem virum, sit nullum? Vtrùm, scilicet sit nullum iure naturali, an tantum iure positiuo. In qua re Scotus in quarto distinctione vigesima nona, quæstione vnica, articulo secundo, dicit, quòd tale votum est nullum iure naturali & diuino. Et ratio est: Nam cum ad votum ex iure naturali, & diuino libertas requiratur, & ille metus tollat voluntarium, fit, vt iure etiam naturali votum annullet. *Sententia Scoti cum sua ratione*

¶ Hoc tamen non obstante, sit tertia conclusio: Votum emissum ex metu cadente in virum constantem iure tantum positiuo est nullum. Vnde stando in iure naturali; & diuino validum esset. Probatur: Ille metus non ita tollit voluntarium, vt excuset omnino à peccato; nam si aliquis ex metu cadente in virum constantem fornicaretur proculdubiò peccaret, vt docet Diuus Thomas prima secundæ, quæstione sexta, ergo stando in iure naturæ, si ex illo metu fiat votum illud validum erit. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur: Nam, vt diximus articulo primo huius quæstionis, ea libertas, & deliberatio sufficiens est ad votum, quæ satis est ad peccandum mortaliter. Sit confirmatur: Si metus cadens in virum constantem iure naturæ votum annullaret; sequeretur, quòd etiam metus leuis in viro meticuloso irritaret votum, atque matrimonium. Consequens autem est falsum, & contra communem Doctorum sententiam: ergo. Probo sequelam: Nam non minus libertatis tollit in viro meticuloso metus leuis, quam in viro constanti metus grauis. Tandem probatur conclusio ex eo, quòd iuramentum factum ex metu cadente in constantem virum iure naturæ est validum: ergo & votum. Consequentia patet: Nam maius est vinculum voti, quàm iura- *3. Conclus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuramenti, vt docet Diuus Thomas, quæstione sequenti, articulo octauo. Et ratio est: Quia obligatio voti nascitur ex fidelitate, quam Deo in promissis et factis debemus; vt ea persoluamus. Obligatio autem iuramenti nascitur ex reuerentia, quam eidem debemus, vt reddamus quod per eius nomen alicui pollicemur. Et cùm infidelitas sit peior quam irreuerentia; Omnis enim infidelitas est irreuerentia, & non è contra, imò infidelitas hominis ad Deum est maxima irreuerentia, fit, vt votum ex se magis sit obligatorium, quam iuramentum, quatenus eius violatio propter infidelitatem est magis sacrilega. Et antecedens probatur ex communi sententia omnium Doctorum, & ex toto iure, vbi sæpè sæpiùs dicitur, tale iuramentum esse validum, non solum iure naturali, sed etiam positiuo, quia nullibi irritatur sicut votum. Signum ergo est, quòd votum iure tantum positiuo est nullum. Et si quis quærat, quænam sit ratio, propter quam votum factum ex metu cadente in vitum constantem iure positiuo nullum reddatur, & non iuramentum; dico id esse, propter reuerentiam diuini nominis, quod in iuramento assumitur. Cum tamen iure naturæ vtrumque esset validum, vt diximus. Et si quis argumentetur: Ius positiuum non potest tollere ius naturæ: ergo, si votum factum ex metu cadente in vitum constantem iure naturæ est validum, ius positiuum non poterit illud annullare; atque ex consequenti semper erit validum; Respondeo, notando, quòd ea, quæ pertinent ad ius naturæ, sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt positiuè præcepta, vt præcepta Decalogi. Et hæc nulla ratione possunt per ius positiuum derogari. Alia autem sunt, quæ positiuè non præcipiuntur, sed permittuntur fieri & valida esse, quo ad vsque per rempublicam aliter fuerit determinatum. Et in his potest ius positiuum apponere conditiones, sine quibus non sint valida. Et talia sunt votum, matrimonium, & quicunque alij contractus humani, &c. Non enim ius naturæ præcipit, vt votum, vel matrimonium factum ex metu sit validum, sed tantum permittit validum esse, quo ad vsque respublica aliud ordinauerit. Et idem iudicium est de matrimonio clandestino, & de matrimonio inter consanguineos intra quartum gradum. De hac re est videndus Soto libro quarto, de iustitia, quæstione tertia, articulo primo.

Ad rationē Scoti. ¶ Ad fundamentum Scoti respondetur, falsum esse, quòd metus omnino tollat voluntarium, quamuis illud minuat admiscendo aliquid inuoluntarij, vt docet Aristotel. 3. Ethicorum. Ex quo factum fuit, vt Ecclesia irritet vota ex tali metu facta, quasi non plene voluntaria: cum tamen iure naturæ essent valida.

Ad arg. facti pro ratione dubitandi. ¶ Ad primum argumentum pro ratione dubitandi respondetur, quòd probat nostram primam conclusionem, dummodo Aristoteles intelligatur modo à nobis explicato. Ad rationem in oppositum dico, falsum esse, quòd nullo metu possit homo excusari ab obseruantia legis diuinæ, & naturalis, quando res præcepta non est intrinsecè mala. Tunc enim poterit facere contra præceptum ex æquitate ipsius legislatoris, vt diximus latè supra quæst. 62. artic. 3.

De obligatione simplicis promissionis. ¶ In solutione ad primum, agit Diuus Thomas, de promissione homini facta, & de eius obligatione. In qua re quædam sunt dubia, & quædam extra controuersiam posita. Vnde, vt certa ab incertis separemus, dico primò, certum esse, quòd omnis promissio, etiam simplex, obligat ad sui obseruantiam sub reatu alicuius culpæ, saltem venialis. (Appello autem simplicem promissionem illam, quæ nec ratione alicuius debiti præcedentis sit, nec aliquo iuramento firmatur. Vt cum quis spontaneè, & simplicibus verbis quidpiam amico promittit, dicés, Promitto tibi equum, &c.) Probatur: Omnis homo tenetur suam promissionem veram facere ne mentiatur: ergo qui illam transgressus fuerit peccabit, saltem venialiter. Et confirmatur ex Diu. Thom. hic ad primum dicente, quòd ex qualibet promissione homo homini obligatur naturaliter. Et infra quæstione 110. articulo tertio, ad quintum, dicit, quòd qui non facit quod promisit, videtur infideliter agere per hoc, quòd animum mutat. Rursus, quæcunq; promissio etiam simplex ad minus continet affirmationem, quæ nisi adimpleatur erit mendacium: ergo & peccatum. Et confirmatur: Promittere est dare fidem: sed frangere fidem est peccatum contra ius naturæ: ergo & qui non adimplet promissum peccat contra ius naturæ.

1. Dictum certum.

¶ Dico secundò, etiam esse certum, quòd promissio facta homini ratione alicuius debiti præcedentis, vt si quis promittat puellæ eam ducere, vel ratione sponsaliorum, vel alterius debiti, ex genere suo obligat ad sui obseruantiam sub reatu peccati mortalis. Et idem iudicium est de promissione iuramento firmata, & de alijs, quæ habuerint circunstantias requisitas ad ita obligandum in fo-

1. Dictum certum.

ro exteriori, vt promittens compelli possit ad sui obseruantiam. Et ratio est: Nam si istæ promissiones ex suo genere non obligarent sub reatu peccati mortalis; omnis societas inter homines, & amicitia, atque iustitia violaretur. Itaque hæc certa sunt.

Pūctus difficultatis. ¶ Sed dubium est, vtrùm simplex promissio, qua homo sua sponte, & simplici verbo aliquid amico pollicetur, ex suo genere obliget sub mortali? De qua re Caietanus infra quæstione centesima decima tertia, articulo primo, dubio quarto, partem tenet negatiuam. Et idem affirmat in summa, verbo, perfidia. Et ratio illius est: Nam obseruantia promissionis pertinet ad fidelitatem; quæ nihil aliud est quam virtus veritatis, ad quam spectat verum dicere: sed veritas ex suo genere, & ex obiecto tantum obligat sub veniali, cùm mendacium ex obiecto tantum sit peccatum veniale: ergo & promissio simplex solum obligabit sub veniali. Consequentia cùm minori est nota, & maior probatur: Ad fidelitatem pertinet reddere verum, quod dictum est; sed eiusdem virtutis est veritatem dicere, & dictum verum facere: ergo obseruantia promissionis pertinet ad veritatem.

Sententia Caiet. cum suo fundamento.

Conclus. ¶ Hoc tamen non obstante dico, quòd simplex promissio facta homini ex suo genere obligat sub mortali, nisi ex leuitate materiæ fiat veniale. Ità tenet Soto libro septimo, de iustitia, quæstione secunda, articulo primo. Et probatur: Obseruantia promissionis pertinet ad iustitiam commutatiuam: sed iustitia ex suo genere obligat sub mortali: ergo & simplex promissio. Consequentia cùm minori est nota, & maior probatur. In promissione non solum aliquid dicitur: sed etiam astringitur fides, quæ, vt dicit Cicero libro primo Officiorum, non solum pertinet ad iustitiam, verum etiam est ipsissimum iustitiæ fundamentum, cui omnia hominum pacta, atque conuenta nituntur. Et confirmatur: Promissio facta Deo obligat sub mortali, non solum inquantum est cultus religionis; sed etiam inquantum est officium iustitiæ: ergo & illa, quæ facta fuerit homini. Consequentia tenet ex paritate rationis, cum quantum ad hoc vtraque promissio sit eiusdem generis. Antecedens verò probatur: tum ex communi consensu omnium Doctorum: tum etiam ex illo Ecclesiast. capit. quinto. Displicet Deo infidelis, & stulta promissio: quibus verbis mortale peccatum significari diximus. Item: Non reddere promissum est contra iustitiam: ergo peccatum mortale ex genere suo. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Postquam aliquid est promissum iam est debitum: ergo ad iustitiam spectat illius solutionem facere. Et confirmatur: Facere iniuriam proximo ex genere suo est peccatum mortale; sed non reddere promissa, est facere iniuriam proximo, vt de se patet: ergo est peccatum mortale ex genere suo. Vltimò: Infidelitas conuictum humanæ societatis tollit; nisi enim sibi homines inuicem seruarent fidem, conuiuere nulla ratione possent: ergo contrariatur charitati, qua homo tanquam animal sociabile cum alijs simul viuere debet, alterque alterius onera portare, vt dicit Apostolus ad Galat. sexto. Atque ex consequenti, qui facit contra huiusmodi fidelitatem ex genere suo peccat mortaliter. Et ad fundamentum Caietani respondeo, falsum esse, quòd obseruantia promissionis tantum pertineat ad veritatem moralem; nam etiam pertinet ad fidelitatem, quæ est pars iustitiæ commutatiuæ. Quare non adimplere promissum non solum erit dicere mendacium, vt Caietanus affirmabat; sed etiam erit violare iustitiam, nō reddendo debitum ei, cui fuit promissum. Sed est aduertendum, quòd non adimplens promissum ex duobus poterit excusari à peccato, & mortali, & veniali. Primò, si promisit quod de se erat illicitum. Nam is promittendo peccauit: & mutando propositum bene facit. Secundò, si sunt mutatæ conditiones personarum, & negotiorum, vt si quod tibi promisi, postea fit inutile, vel nociuum. Aut, si promittenti fit impossibile, vel perniciosum, vt si promisit pecuniam, quam posteà ob infortunium reddere non potest. Aut, si mihi ingratitudinis signa dedisti. Aut denique, si promisi aliquo ire, & posteà maiora vrgent. Vnde Seneca in libro de beneficijs dicebat: Ad hoc, vt homo teneatur facere quod promisit, requiritur, quòd omnia immutata permaneant. Alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus. Nec fuit infidelis non adimplendo quod promisit, quia eædem conditiones non extant. Ita tenet Diuus Thomas infra quæstione centesimadecima, articulo tertio, ad quintum, Caietanus hic addit aliam rationem excusandi, saltem à peccato mortali, non adimplentes promissa, desumptam ex loquentium abusu. Solent enim homines vti communiter simplici promissione, quando non

Ad fundamentum Caiet.

inten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

intendunt se obligare ad mortale. Cuius signum est, quòd suam promissionem iuramento firmare nolunt. Idque non ob reuerentiam iuramenti, sed ne peccent mortaliter, si non seruent, arbitrantes ex sua simplici promissione non teneri, nisi ex quadam benenola honestate. Et qui tali animo promittunt, certum est non promittere in rebus arduis, atque adeò nec peccare mortaliter promissa non adimplentes. Et hinc videtur esse, quòd simplices promissiones parum inter homines æstimentur.

Dubium. ¶ De eadem simplici promissione est aliud dubium, vtrùm facta interius in mente, aut etiam exteriùs, dummodo promittens sit solus, aliquam inducat obligationem? De qua re est communis sententia iuris prudentium partem tenentium negatiuam. Quam probant ex lege. 1. ff. de verborum obliga. Vbi dicitur, quod animus in mente retentus non inducit obligationem, sed oportet, quod explicetur per verba exteriora. Et in leg. absenti. ff. de donation. habetur, quod absenti non potest fieri donatio, quia requiritur acceptatio alterius partis. Diu. Thom. in articulo primo huius quæstionis etiam videtur idem asserere. Nam dicit, promissionem, quæ ab homine fit homini, non posse fieri, nisi per verba, vel quæcunque exteriora signa. Et idem dicit in quarto, distinctione trigesima octaua, quæstione prima, articulo primo. Almaynus in quarto, distinctione decima quinta, quæstione secunda, etiam tenet idem. Quod probat duplici argumento. Primum: Homo non potest per solum actum interiorem corpus suum tradere in matrimonio: ergo nec per eundem actum poterit tradere quamcunque aliam rem. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur: Quia supra nullam aliam rem habet homo tantum dominium, quantum habet supra proprium corpus. Secundum: Ad firmitatem promissionis necessaria est acceptatio illius partis, cui fit promissio, vt habetur in iure; sed talis acceptatio esse nõ potest, nisi ei, qui debet acceptare constet de promissione, quod solo actu interiori fieri non potest: ergo promissio per solum actum interiorem facta nullam inducit obligationem.

Sententia iurisprudẽtium.

Sententiæ Soti. ¶ Contrariam tamen sententiam tenet Soto lib. 4. de iustitia, quæstione 5. articulo. 1. ad 1. Et quanuis lib. 7. quæst. 2. artic. 1. ad 1. magis inclinet in oppositum, dicit tamen hanc partem esse valde probabilem. Quam & probat multis rationibus. Primò sic: Vo-

2. Argum. Soti.

ces sunt signa conceptuum, & si vox obligat est ratione conceptus: ergo magis obligat ipse conceptus; atque ex consequenti promissio mente facta erit obligatoria. ¶ Secundò: Si talem promissionem mentalem firmaret quis iuramento adhibito, nulli est dubium, quin ad eius adimpletionem maneret astrictus; idq; non nisi ratione præcedentis promissionis; quia iuramentum promissorium non obligat, nisi in virtute promissionis præcedentis: ergo ipsa promissio mentalis iam erat obligatoria. Tertiò: Si surdo nihil audienti aliquid verbo promittas; & si militer, si in præsentia vnius dicas; Ego tali absenti amico hoc promitto, promissio in conscientia videretur tenere: ergo etiam si fiat in mente, quæ est promissio in absentia.

3. Argum. Soti.

1. Dictum. ¶ Cæterùm, vt quid mihi in hac re verum esse videatur explicem, dico primò, quòd in contractibus, ad quorum essentiam requiritur vtriusque partis consensus, nullam obligationem inducit mentalis promissio; vt est videre in matrimonio, & in alijs contractibus emptionis, & venditionis. Cuius ratio est; Quia talis promissio non est simplex, sed hypothetica, & mutua, scilicet, do, vt des; facio vt facias; promitto vt promittas. Et sic non sufficit mentalis, sed requiritur ea quæ vtriq; parti, per exteriora signa constet. Ex quo infertur, quam male inferat Almaynus non obligare promissionem mentalem simplicem, ex eo, quòd mentalis de contrahendo matrimonio, & alijs huiusmodi contractibus nõ est obligatoria. Fit enim argumentatio à promissione hypothetica ad simplicem. Et sic nulla est consequentia. Et per hoc patet solutio ad eius primum argumentum. ¶ Dico secundo, quòd loquẽdo de alijs simplicibus promissionibus, quæ super nullo contractu fundantur, vtra que opinio est probabilis, propter rationes assignatas. Et sic qui voluerit defendere partẽ affirmatiuã difficultatis propositæ, poterit respondere ad argumenta in contrariũ, quòd leges allegatæ solum dicunt, quòd homo propter huiusmodi donationem mentalem in iudicio conuenisi non potest: quia secundum illas vsque ad acceptationem alterius partis potest promittens licitè reuocare donationem factam. Cum quo tamen stat, vt in conscientia astrictus maneat. Et similiter respondetur ad secundum argumẽtum Almayni. Acceptatio enim alterius partis tantum est necessaria respectu tribunalis ciuilis, & non vt in conscientia obliget promissio. At verò cui magis arriserit pars negatiua, sicut & mihi magis arridet (propterea, quòd quandiu non est aliquis

2. Dictum.

quis, qui acceptet promissionem, nulli fit iniuria ex eo, quod à promittente reuocetur, & promissio, quæ obligationem inducit, sine iniuria violari non potest, cùm pertineat ad iustitiam commutatiuam eius adimpletio, vt diximus) Respondebit ad primum argumentum Soti, verum esse, quod vox obligat ratione conceptus. Promissio enim in voce facta non obligaret nisi fieret cum animo promittendi. Cum hoc tamen stat, quod ad talem obligationem sola mentalis promissio non sufficiat, nisi etiam explicetur per verba, propter necessitatem acceptationis alterius partis. Itaque & vox & conceptus æquè concurrunt ad obligatoriam promissionem. Conceptus quidem, vt insit promissio. Vox autem, vt sit obligatoria. Quia ea mediante intercedit acceptatio alterius partis, sine qua obligatio inueniri non potest. Et si quis obijciat; Quando aliquis facit promissionem præsentibus testibus, quibus in iudicio legitimè probari possit, talis promissio, tenet in conscientia etiam in absentia illius cui fit promissio, dummodo promittens voluerit se obligare, vt constat ex ordinationibus regalibus libro tertio, titulo octauo lege tertia. & tamen non est ibi, qui talem promissionem acceptet: ergo ad obligationem promissionis non est necessaria acceptatio partis; respondetur concessa maiori, negando minorem. Quia quando adsunt testes, vel tabellio lex ipsa acceptat promissionem. Et qui sic promittit creditur cordatè & ex consulto promittere, velleque se obligare. Quod non inuenitur, quando solum in mente, vel solus profert promissionem.

Ad 1. arg. Soti.

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum respondetur, quod talis homo tenebitur adimplere promissum, non ratione promissionis, sed ratione iuramenti. Et ad probationem dico, quòd ex iuramento nascitur obligatio adimplendi quod fuit promissum. Ad tertium respondetur, negando, quod promissio facta absenti, vel surdo valeat, nisi adsint testes, iuxta dispositia in legibus allegatis, de acceptatione alterius partis, cui fit promissio. Et hæc dicta sufficiant de simplici promissione.

¶ Circa solutionem ad secundum argumentum. Vbi Diuus Thomas dicit, quod si illud, quod quis vouit ex quacunque causa impossibile reddatur, debet facere quod in se est, vt saltem habeat promptam voluntatem faciendi quod potest; agendum est nobis de illis, quibus fit impossibile votum emissum implere. Et cum sint in duplici differentia: nam quidam absque sua culpa constituuntur in tali impossibilitate, quales sunt illi qui religionem vouerunt, quam sibi refragantibus monachis profiteri non est possibile; & alij qui culpabiliter talem impossibilitatem incurrunt; differendum erit prius de primis, & deinde de secundis. Vnde ad primum deuenientes, est primum dubium de eo, qui vouit ingredi religionem, & monachi eum admittere nolunt, ad quid teneatur? In qua re, vt certa ab incertis separemus dico primò certum esse, quod qui determinatè vouit vnam religionem, si in ea non recipiatur non tenetur aliam adire; quia ad id non se obligauit per votum. Dico secundo, etiam esse certum, quod, si quis in particulari vouit vnam religionem, & postea in se cognoscit aliquod impedimentum, propter quod in ea non recipietur, vt si Verbi gratia, vouit intrare religionem, in qua homines ex ignobili genere non recipiuntur, & postea in se cognoscit talem ignobilitatem, amplius ad votum non obligatur. Et similiter, si postea incurrerit aliquod perpetuum morbum, vel contagiosum, propter quod à monasterio expelleretur. Et ratio est: Quia nullus obligatur ad impossibile: & vota illa iam sunt sibi facta impossibilia. Dico tertio etiam esse certum, quod qui vouit religionem in communi, ita, vt intentio præcipua ipsius tantum fuerit se obligare ad religionem; quamuis habuerit attentationem ad hunc, vel ad illum ordinem, & ad hunc, vel ad illum locum tanquam sibi conuenientem, si in illo non recipitur tenebitur alios adire, vt votum adimpleat. Et ratio est: Nam cum determinatio loci aut religionis in illo non se teneat ex parte obiecti, sed accidentaliter se habeat, adhuc ea deficiente tenebitur vouens votum implere. Dico tamen, quod si in monasteriis, quæ sunt in proprio regno non recipiatur non tenebitur transire ad alia, quæ sunt extra regnum. Nec similiter tenebitur adire singula monasteria. Sed sat erit adire ea, ex quibus cognoscere potuerit, quod in nullo recipietur. Et ratio est; Nam cum votum sit actus moralis, moraliter etiam eius obligatio erit intelligenda. Itaque hæc certa sunt.

Dubium de eo qui vouit religionem ad quã non admittitur.

1. certum.

2. certum.

3. certum.

¶ Sed dubium est, vtrùm ille qui passus fuerit repulsam à religione, vel monasterio, cui se per votum astrinxit, teneatur castitatem, & regulam, & alia illius ordinis præcepta seruare, quantum est in se? In quo similiter est certum, quod si ille qui vouet religionem per tale votũ voluit se

Punctus difficultatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

obligare ad castitatem. Et ad alia religionis officia, etiam si in illa non reciperetur, postquam passus fuerit repulsam tenebitur illa seruare. Et item si ille, qui vouit religionem habuit animum ad nihil se obligandi, nisi in ea reciperetur, certum est, quod postquam passus est repulsam, ad nihil obligatur. Et sic de nullo istorum est sermo in proposita disputatione; sed tantum de illo, qui absolutè vouit religionem. Et quidem, quod talis postquam passus fuerit repulsam teneatur seruare castitatem, & alia religionis officia quantum est in se, probatur hoc argumento: In voto religionis includitur castitas, & obseruantia regulæ; sicut in voto virginitatis includitur continentia: sed mulier, quæ vouit virginitatem, si postea corrumpatur, tenetur seruare continentiam: ergo & qui vouit religionem si postea expellatur; tenebitur seruare castitatem, & alia religionis præcepta. Consequẽtia cum maiori est nota, & minor probatur ex communi consensu omnium Doctorum, qui id affirmant cum Diuo Thoma in solutione ad secundũ. Imò est regula vniuersalis, quod quando id, quod aliquis vouit, est factum ei impossibile, tenetur dare operam, vt adimpleat, saltem id, quod est in eius potestate. Et confirmatur: Si quis vouet dare pauperibus centum, vel ieiunare totum aduentum: si non potest omnia implere tenebitur saltem ad id, quod est sibi possibile: ergo similiter erit dicendum de eo, qui vouit religionem, quod tenebitur seruare castitatem si in monasterio non admittatur. ¶ Secundo: Votum solenne religionis obligat ad singula, quæ seruantur in religione, vt de se patet; sed obiectum, voti simplicis est ipsum votum solenne: ergo etiam obligabit ad obseruandum continentiam, & alia, ad quæ obligamur per votum solenne. Et confirmatur ex capitulo quidam, de conuers. coniuga. Vbi habetur, quod quidam inuita vxore intrauit monasterium, & postea ipsa repetente fuit coactus ad eam redire. Dicit tamen summus Pontifex, quod quamuis talis ad monasterium ratione voti, quod nullum fuit, redire non teneatur, non tamen poterit, mortua priori vxore, ad secundas nuptias transire, nec debitum petere, quod in eius potestate erat, & ideò quo ad hoc votum tenuit. Idem etiam dicitur in capitulo placet. eodem titulo, de quadam muliere, quæ credens suum maritum esse mortuum, habitum religionis assumpsit, & eo reuerso de monasterio fuit extracta.

1. arg.

Confirmatio.

2. arg.

Concluſ. ¶ His tamen non obstantibus sit conclusio; quod si aliquis vouit religionem, ad quã non admittitur, non tenetur amplius in seculo manens, castitatem, aut alia religionis officia præstare. Hæc conclusio est Caietani in hoc articulo, quam etiam tenent communiter omnes Doctores. Et probatur: Si ille talis teneretur ad castitatem, & ad alia religionis officia, id esset, vel ex vi voti, quod emisit, vel ratione repulsæ: sed ex nullo horum obligatur: ergo. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Et primò, quod non teneatur ratione repulsæ: Nam cum illa non fuerit in eius potestate, nullam de nouo obligationem poterit inducere. Quòd verò nec etiam obligetur ex vi voti probatur: Nam alias sequeretur, quod à die emissi voti teneretur ad castitatem, & ad alia religionis officia. Consequens autem est falsum, & contra communem Doctorum sententiam; nullus enim dicit, quod si aliquis vouerat ingredi religionem Carthusiensium à die emissi voti teneatur ad recitandos Psalmos, & abstinendum à carnibus: ergo. Sequela probatur. Vnusquisque tenetur statim à voto emisso ad omnia ea, quæ cadunt sub voto: ergo si obseruantia castitatis, & aliorum officiorum, quæ sunt in religione cadit sub voto illius, statim post votum emissum tenebitur quisque illa seruare. Et cõfirmatur: Nullus ex vi voti obligatur, nisi ad id, quod cadit sub eius obiecto: sed ille talis tantum vouit religionem, nõ autem castitatem, aut alia religionis officia: ergo si non recipiatur non tenebitur illam seruare. Item: Si quis vouerat statum aliquem accipere, non tenebitur ad leges illius quoadusque ipsum statum susciperiat, nisi fortè in voto, quo statum promisit, leges aliquas illius specialiter vouerit, vt qui vouit suscipere sacros ordines non tenetur officium diuinum persoluere, & castitatem seruare, quoadusque fuerit ordinatus: sed religio est quidã status: ergo qui illam vouit non tenetur seruare castitatem; aut alia religionis officia, quoadusque talem statum per professionẽ susciperiat.

1. corollar. ¶ Ex dictis infero primo, quod si ille, qui vouit religionem antequam professionem emittat, cum muliere congrediatur, tantum peccabit peccato fornicationis, aut adulterij, & non erit sacrilegus, cum non vouerit continentiam, aut castitatem, sed tantũ religionẽ.

2. corollar. ¶ Infero secundo, quod si ille, qui vouit religionem, vxorem ducat matrimonium erit validum: & poterit petere & reddere debitum, absq; aliquo peccato, quamuis verũ sit quod peccabit mortaliter, tam matrimonium contrahendo, quã ipsum primo consummando, vt docet D. Tho. in 4. distinctio. 38. quæstione secunda articulo primo. Ratio autem propter

propter quam mortaliter peccat, dum primũ consummat matrimonium, est; quia illo actu se impossibilem reddit ad votum implendum; cùm matrimonium ratum, & consummatum per ingressum religionis non dissoluatur. Cæterum, si ille, qui vouit castitatem vxorem ducat, quamuis possit, & teneatur debitum reddere, non tamen potest illud petere sine peccato mortali, vt docet Diu. Thomas in quarto distinctione 38. quæstione prima, articulo tertio, quæstiun. secunda ad quartũ, Et ratio est: Nam, cùm ille, qui vouit castitatem, expresse promiserit, nunquam mulierem cognoscere, tenetur, quantum est in se, votum implere. Et sic debitum petere non poterit. ¶ Infero tertio quod ille, qui vouit religionem, & matrimonium contraxit, si posteà vxor moriatur, rursus tenebitur religionem intrare. Quia cum obligatio voti nõ tollatur per matrimonium, sed tantum impediatur, sublato impedimento, votum in sua vi, atque obligatione manebit. ¶ Infero quarto, quod ille, qui ducit eam personam, quam scit, vel religionem vel castitatem vouisse, peccat mortaliter; quia est socius & particeps peccati alterius.

3. Corolla.

4. Corolla.

Ad 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum in contrarium factum, vt respondeamus, aduertendũ est cum Caietano in præsenti, dupliciter posse contingere, quod mulier aliqua virginitatem voueat Vno modo ità, vt eius intentio solum feratur in virginitatem, quam intendit seruare à prima. Venere abstinendo Et quæ ità vouerat virginitatem si posteà illam lemel amitteret, non teneretur amplius ex voto ad castitatem seruandam; quia illam nõ promisit. Alio modo simpliciter & absque vllo moderamine; sed, vt votum ex natura sua habet obligare Et quæ ità vouerat virginitatem, si illam amitteret, adhuc teneretur castitatem seruare. Nam cum hoc votum ex sua natura sit negatiuum, omnis voluptatis carnalis, quotiescunque mulier contrarium facetet peccaret mortaliter. Quo suppositio ad argumentum respondeo, negando maiorem Falsum est enim, quod votum castitatis contineatur in voto religionis sicut continentia continetur in virginitate. Nam virginitas includit castitatem promissam expresse, vel quantum ad primum actũ, vel quantum ad omnes. At verò religionis votum nulla ratione castitatẽ includit. ¶ Ad confirmationem respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam qui vouit aliquod totum: ex consequenti vouit singulas illius partes. Et sic si non potest totum præstare, tenebitur saltem præstare partes, quantum est in se. Cæterum qui vouit religionem, nulla ratione vouet castitatem, aut alia religionis officia quoadusque solenniter profiteatur. ¶ Ad secundum argumentum similiter respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam per votum solenne explicitè vouetur castitas, obedientia, paupertas, & alia secundum regulam religionis seruanda, quod in voto simplici religionis non fit. Quare quoadusque votum solenne fuerit emissum, ad ista in particulari seruandum nullus erit obligandus. ¶ Ad confirmationem ex capitulo quidam, & ex capitulo placet, respondeo, casus in illis capitibus expressos nihil facere contra nostram conclusionem. Nam illi, de quibus ibi fit mentio, per solennem professionem in monasterio factam expresse vouerunt, se fore castos perpetuo: quod seruare tenebantur, quia illud promittere fuit in sua potestate. At verò ille, qui vouit religionem in communi, non vouit expresse castitatem. Atque adeò nõ tenebitur ad illam, quoadusque per solenne votum in religione emissum, ad ipsam obligetur.

Ad 1. arg.

Ad confirmationem.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm saltem in voto non nubendi includatur votum castitatis. Quod est quærere, vtrùm mulier, quæ vouit non nubere, ità teneatur seruare castitatem, vt si fornicetur peccet dupliciter peccato, vno fornicationis, altero sacrilegij? Ad quam quæstionem breuiter respondeo, negatiuè cum Magistro Soto in 4. d. 38. q. 2. artic. 1. & cum Nauarro in Manuali capitulo 12. num. 43. & cum Syluestro. verbo. votum. 4. §. 4. Et ratio est: Quia hoc votum tantum habet pro obiecto non ducere virum, nec opponere obstaculum religioni, si eam sumere velit; & sic non obligat ad castitatem seruandã. Ex quo infero posse Episcopũ in hoc voto dispensare, cum non sit castitatis, nec reseruatum summo Pontifici. Et in voto non reseruato Episcopus ex rationabili causa potest dispensare, vt docent Soto, atque Syluester locis citatis; & Antoninus 2. p. tit. 11. c. 2. §. 1. & Angelus, verbo. votũ. q. 4. Imo dico, quod quilibet idoneus cõfessor per bullam cruciatæ poterit in eo dispensare: Cùm nec sit reseruatum Pontifici, nec in bulla excipiatur. Si quis etiã quærat, vtrũ mulier, quæ vouit nõ nubere, vt licentius luxuriaretur, teneatur votũ adimplere, dico huiusmodi difficultatem diffiniendam esse iuxta ea, quæ diximus articulo secundo huius quæstionis agẽtes de votis emissis propter malum finẽ. Nã si licentius luxuriari, quod est malus fi-

Quæstio.

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis, in illo voto intentus, est finis eius boni quod dicitur voueri, aut etiam ipsius voti, tale votum erit nullum, nec obligatorium, vt pote quod de re illicita est emissum. Si autem licentiùs luxuriari solum fuerit finis applicationis voluntatis ad vouendum, votum erit validum & obligatorium, cum verè sit de meliori bono, nempe, non nubere, nec ille malus finis inficit obiectum ipsius voti, vt eo loco diximus.

Dubium. ¶ Est aliud dubium, vtrùm qui vouit ingredi religionem, & in ea non admittitur, quia nescit Grãmaticam, aut aliud officium, propter quod intet professos laicos recipiatur, teneatur Grãmaticam, vel aliud officium addiscere, vt sic votum adimpleat? Et videtur pars affirmatiua vera. Nam vt dicit Diuus Thomas hic ad secundum, si aliud, quod quis vouit, ex quacunque causa impossibile reddatur, debet facere quod in se est, vt saltem habeat promptam voluntatem faciendi quod potest. Certum est autem, quod ille, qui ob defectum Grammaticæ, aut alicuius officij in monasterio non admittitur, potens est ista superam, vt illa addiscat, vt sic recipiatur. Ego tamen ad hoc sub distinctione respondendum censeo. Quod si ille, qui votum religionis emisit, proposuit illius esse ordinis, qui sacris initiantur, bona fide credens non requiri scire Grammaticam: ista ad posteà ab ipso requiratur, nec teneatur addiscere Grammaticam, si alias non admittitur; nec etiam tenetur habitum laicorum suscipere, sed omnino manet voto absolutus. Et ratio est: quia ignorantia ipsum excusat, quæ facit, vt votum fuerit inordinatum. Et similiter qui vouit intrare ordinem laicorum credens non esse necessarium scire aliquod officium, non tenetur addiscere illud, vt admittatur, præsertim si fuerit scitu difficile, propter eandem rationem. Cæterùm, qui absolutè vouit religionem, non ignorans esse necessariam Grammaticam ad habitus susceptionem, procul dubio tenebitur, vel Grammaticam addiscere, vel habitum laicorum suscipere, vt voto satisfaciat, propter rationem hic à Diuo Thoma additam. Vtrùm autem ille, qui deteriorè vouit vnum monasterium intrare, postquam semel passus est repulsam, teneatur aliud tempus expectare, & interim tentare an ad habitum recipiatur, maiorem in se continet difficultatem. Et videtur pars affirmatiua vera. Nam duodecim horæ sunt in die, vt dicit Christus Ioan. 11. & quod modo monachi non fecerunt, re posteà melius perspecta facere poterunt. Eo vel maximè, quod fortè sunt alij monachi à præcedentibus in monasterio, qui meliori spiritu ducti velint eum in eorum societatem admittere. Hoc tamen non obstante, dico cum Caietano in præsenti, quod si talis vouens repellitur vsque ad aliquod tempus expectare tenetur, quia non simpliciter est repulsus. Cæterum si simpliciter fuerit refutatus non tenebitur amplius expectare; sed omnino liber manebit à voto. Quare, quamuis posteà monachi velint eum recipere ad ingressum religionis, nõ tenebitur. Et ratio est: Quia quãdo duorum voluntas requiritur ad aliquem contractum, vno eorum renuente, alter liber manet ab obligatione contrahendi.

De eo qui non solũ vouit religionem ingredi sed in ea profiteri. ¶ Est aliud dubium, vtrùm ille, qui vouit non solum ingredi religionem, sed etiam in ea perseuerare, & profiteri, possit ab illa exire in anno probationis antequam professionem emittat? Ad quod breuiter respondeo, quod si ille bona fide religionem ingreditur, & in ea permanens experimento discat, eam sibi non conuenire, poterit ab ea exire, absolutusque manebit à voti obligatione. Ita tenet Soto libro septimo, de Iustitia, quæstione secunda, articulo primo. Et ratio est: Nam idem est vouere religionem absolutè, & vouere profiteri: cùm votum religionis sit intelligendum secundum ius diuinum, quod præcipit, vt qui vouit religionem eam ingrediatur, & profiteatur. Cæterùm, quia hoc ius diuinum per humanum est interpretatum, ità, vt intelligatur dummodo per annum experiri possit, vtrùm ille status sibi conueniat, nec ne (ad hoc enim datur annus probationis,) fit, vt hæc conditio semper sit intelligenda in voto religionis. Et sic, quamuis quis vouerat perpetuò perseuerare, poterit à monasterio exire, si intra annum probationis inuenerit bona fide, illum statum sibi non expedire. Et si quis quærat, vtrùm saltem iste manens in seculo teneatur castitatem seruare? Magister Soto vbi supra non distinguit istum casum à præcedentibus, sed reputat eundem. Quia nisi quis vouerat ingredi religionem cum animo statim exeundi à monasterio, quod votum vanum esset, quicunque religionis votum emittit, intelligit perseuerare. Et sic qui perseuerantiã addit, nihil nouæ illi obligationis accumulat. Caietanus tamen aliter sentit, existimans, nõ esse idem vouere religionem absolute, & vouere illam vsque ad professionem. Sed siue distinguantur hi casus, siue non, eadem est ratio de vtroque, secundum vtrumque doctorem. Et sic dico ex mente illorum, talé hominem

Sententia autoris.

De eo qui semel expellitur à religione quam vouit.

Quæstio.

Responsio.

nem non teneri ad castitatem seruandam. Et ratio Caietani est: Quia materia immediata, & proxima istius voti, est profiteri religionem. Materia autem mediata, & remota est obedire, pauperem esse, & castitatem seruare. Si ergo sic vouens excusatur ab impletione voti, propter impedimentum superueniens, quo ad materiam proximam, & immediatam, multo magis excusabitur quo ad remotam, & mediatam. Cum mediatum & immediatum, primarium, & secundarium semper sic se habeant, quod secundarium sequitur naturam primarij, & mediatum naturam immediati. Quod autem professio sit immediata materia illius voti, & obedire atque castè viuere sint materia remota, patet ex eo, quod directè & sine aliquo medio attingit religionem. In obedientiam verò, & castitatem non fertur, nisi media professione, cuius sunt materia. Quare, si votum non obligat quo ad immediatum obiectum, nec etiam obligabit quo ad mediatum. Vide Caietanum, quamuis nimis prolixè loquatur.

Dubium de eo qui propter incorrigibilitatem expellitur à monasterio. ¶ Hucusque diximus de eo, qui citra suam culpam impossibilitatem incurrit vtũ adimplendi. Superest vt dicamus de illo qui sua culpa votũ sibi fecit impossibile. Et primum de eo, qui post emissum votum solenne à religione expellitur propter suam incorrigibilitatem, vtrum sit tutus in conscientia, & ad quid teneatur? Ad cuius explicationem dico primo, quod qui ità expellitur à monasterio absolutus manet à voto obedientiæ, & paupertatis, & ab obligatione dicendi officium diuinum, nisi fuerit in sacris constitutus, & à ieiunijs, & alijs religioni annexis. Non tamen manet absolutus à voto castitatis. Probo singulas partes. Et primò, quod maneat absolutus ab obedientia; nam prælati, quibus illam debebat, eam reiecerunt. Quod verò maneat absolutus à voto paupertatis, patet; quia ille iam amplius non alitur à monasterio, & sic poterit bona habere, quibus alatur, & sustentetur. Quod autem non teneatur dicere officium diuinum, nec alia religionis officia seruare, probatur; Quia hæc non promisit expresse, neque ad illa tenebatur, nisi ratione religionis, à qua est exclusus. Quod tandem teneatur castitatem seruare, probo: Nam illam expresse vouit; nec est aliquod inconueniens: sed valde conueniens, quod eam in seculo seruet. Dico secundo, quod qui ità fuerit à monasterio expulsus, tenetur suam vitam emendare, & ad monasterium redire. Quamdiuque per illum steterit, quominus rursus admittatur non manet tutus in conscientia. Probatur: Ille sua malitia, atque culpa est causa, ne votum religionis, quod emisit possit adimplere: ergo quandiu in illa perseuerauerit non erit tutus in conscientia. Probo consequentiam: Nam malitia, & culpa nulli debent patrocinari. Dico tertio, quod si ille, qui à monasterio fuit expulsus, posteà correcta vita, redeat, vt admittatur, & monachi nolint illum admittere, deinceps manet tutus in conscientia. Probatur: Nam adimpletio voti iam est illi facta impossibilis sine sua culpa. Dico quarto, quod si ille, qui sic expellitur à religione, antequam professionem fecisset, vouerat voto simplici religionem in genere, probabile est, quod teneatur aliam religionem intrare, si non admittatur in illa, à qua fuit expulsus. Probatur: Nam ille, qui vouit religionem in genere, si in vna non admittitur, tenetur aliam inquirere, vt supra diximus; & talis est ille, qui post votum solenne in vna religione emissum ab ea expellitur. Dixi tamen, hoc esse probabile; quia opposita sententia etiam potest sustineri. Et ratio est: Quia cum per votum solenne cessent vota simplicia prius facta, vt infra videbimus, etiam videtur probabile, quod cesset illius voti simplicis obligatio. Probabilior tamen est prima sententia.

2. dictum.

3. dictum.

4. dictum.

De tempore quo debent vota adimpleri. ¶ In solutione ad tertium argumentum agit Diuus Thomas de tempore, quo quis tenetur votum adimplere. Pro cuius intelligentia aduertendum est primò, tripliciter posse contingere, quod aliquis votum emittat. Vno modo determinando tempus adimpletionis. Secundo modo sub conditione, vt eum quis promittit aliquid facere, si hoc, vel illud acciderit. Tertio modo absolutè nullum determinando tempus. ¶ Secundo est aduertendum, dupliciter posse contingere, quod homo aliquid vouerat, tempus determinando. Vno modo ità, vt tempus ipsum se habeat tanquam pars obiecti ipsius voti. Vt cum quis vouet ieiunare vigiliã alicuius sancti ex ipsius deuotione. Alio modo ità, vt tempus non sit pars obiecti, sed tantum se habeat tanquam determinatiuum executionis ipsius voti. Vt si quis vouerat ingredi religionem post annum elapsum. Tunc enim temporis determinatio non cadit sub voti obiecto, sed tantum religio, & tempus se habet vt determinatiuum executionis ipsius voti. ¶ Tertio est aduertendum, quod votum conditionale etiam potest fieri dupliciter. Vno modo absolutè. Et est quando conditio tantum se habet, vt conditio. Vt cum

Dupliciter potest determinari tempus in voto.

Votum cõditionale potest fieri dupliciter.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum quis vouet religionem, vel ieiunium si salutem à Deo consequatur. Alio modo vt conditio non tantum sit conditio, sed etiam pœna, quam sibi vouens præscribit, vt rem, quam exosum habet, effugiat. Vt si quis voueat non murmurare, & si contrarium fecerit ieiunare in pane, & aqua in illa die. Dicitutque hoc votum pœnale. His positis dico primò, certum esse, quod quicunque vouerit aliquid facere tempus determinando; siue tale votum sit absolutum, siue conditionale, tenetur intra illud tempus votum adimplere. Et si contrarium fecerit reus erit fracti voti. Probatur: Obligatio voti est ex intentione vouentis: ergo si vouens intendit votum adimplere intra certum tempus, & id non facit peccabit mortaliter. Dico secundo, quod si determinatio temporis se tenet ex parte obiecti, quamuis vouens peccet mortaliter, non adimplendo votum tempore statuto; eo tamen elapso non tenetur amplius ad voti solutionem. Probatur: Non existente voti obiecto cessat ipsius voti obligatio: sed post elapsum tempus, quod cadit in materia voti non existit voti obiectum: ergo cessat ipsius obligatio. Vnde si quis voueat ex deuotione alicuius sancti, eius vigiliam ieiunare; si id non faciat peccabit mortaliter non tamen tenebitur alio die ieiunare. Dico tertio, quod si temporis determinatio tantum se habet tanquam determinatiuum executionis voti, & vouens tempore statuto non adimplet votum; non solum peccat mortaliter; verumetiam post illud tempus elapsum adhuc tenebitur votum adimplere. Et ratio est: Nam obiectum, & materia voti semper manet eadem. Quare, si quis voueat ingredi religionem intra certum tempus; & id non faciat, non solum peccat mortaliter, verumetiam manet voto astrictus. Dico quarto, quod quicunque emittens votum conditionatum, siue illud sit pœnale, siue non, posita conditione tenetur ad voti solutionem. Et ratio est: Nam tunc intentio vouentis fuit se obligare ad votum. Est tamen aduertendum, esse latissimum discrimen inter votum absolutè conditionale, & votum pœnale. Nam votum absolutè conditionale, si est de religione, vel de castitate, vel de peregrinatione in Hierusalem, aut in Romam aut in Diuum Iacobum, etiam antè adimpletam conditionem, non potest dispensari, nisi à summo Pontifice, qui horum quinque votorum dispensationem sibi reseruat, vt constat ex extranaganti. Et si Dominici gregis, secunda de pœnitenti. & remission. Cæterùm, si votum est pœnale, ante adimpletam conditionem poterit dispensari per episcopum. Et ratio est; quia tunc talis directè non vouet castitatem, nec religionem; sed tantum non facere id, quod exosum habet, scilicet, non ludere, vel non murmurare, quod vt adimpleat pœnam sibi imponit. Vtrùm autem tale votum pœnale post adimpletam conditionem possit ab Episcopo dispensari, varietate opinionum disputatur à Theologis. Soto tenet partem negatiuam. Cæterum contraria est probabilior, vt videbimus articulo vltimo huius quæstionis. Vltimò dico, quod quotiescũque aliquis quidquã vouit absolutè, nullum determinando tempus, tenetur statim votum adimplere, iuxta illud Deuteronomij 23. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non moreris reddere. &c. Cum hoc tamen est verum, quod si bona fide differat solutionem credens in hoc non peccare, nullum peccatum committet. Et si dubius est, vtrum peccet nec ne? standum erit arbitrio confessarij docti atque prudentis. Qui pensatis omnibus circunstantijs tam temporis, quam personæ, quid faciendum sit iudicabit, cùm alia conuenientior ratio assignari non possit. Caietanus in præsenti dat regulam ad cognoscendum tempus executionis horum votorum, ex conscientia ipsius vouentis desumptam. Et dicit, quod si conscientia sibi dictat, quod expectare annum, vel duos annos, non est contra votum, non tardat illud reddere. Poterit autem ipse vouens hoc examinare, & cognoscere tripliciter. Nam primò, si recordatus sui voti non illi remordet conscientia, quod non adimpleuit illud, vel non adimplet, signum est, quod non intendit se obligare intra illud tempus. Secundo, si in singulis promissis non consueuit se obligare, nisi ad longum tempus, signum etiam est, quod per huiusmodi votum non se voluit obligare ad statim illud soluendum, sed pro tempore, quo cætera promissa adimplere solet. Tertiò, Quia multa tempora, sunt tempora commoda secundum veritatem, quæ tamen secundum morem vouentis non reputantur commoda, & ipse intendebat de tempore commodo in idiomate suo, commoditas consideranda erit secundum morem, & consuetudinem ipsius vouentis. Quod & explicat Syluester verbo. votum. secundo. §. tertio. Dicens, quod tunc tenetur vouens implere votum suum quando commodè facere potest, assignato ei tempore, in quo ad id disponatur, secundum arbitrium viri prudẽtis. Nã quando

1. Dictum

2. Dictum.

3. Dictum

4. Dictum

Vlt. dictũ.

Sententia Caietani.

quando procrastinat ex negligentia notabili, est in mora adimplendi votum. Si verò procrastinat spe maioris commoditatis, vel quia sine magna negligentia est oblitus occupationis causa, vel ratione paruitatis materiæ, non erit censendus esse in mora adimplendi voti, saltim culpabiliter. Hæc omnia vera sunt, sed modus, quo à nobis hæc difficultas fuit explicata longe facilior est, & in quo minus inest dubitationis. Relinquendo, scilicet, ea, quæ dubia sunt arbitrio, atque iudicio prudentis confessarij).

Articvlvs IIII.

¶ Vtrum expediat aliquid vouere.

3. contr. c. 138.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd non expediat aliquid vouere. Non enim alicui expedit vt priuet se bono quod ei Deus donauit. Sed libertas est vnum de maximis bonis quæ homini Deus dedit, qua videtur priuari per necessitatẽ quam votum imponit: ergo nõ videtur expediẽs homini quòd aliquid voueat.

2 ¶ Præterea, Nullus debet se periculis inijcere. Sed quicunque vouet se periculo inijcit: quia quod ante votum sine periculo poterat præteriri si non seruatur post votum, periculosum est. Vnde Augũst. * dicit in epistola ad Armentarium & Paulinam: Quia iam vouisti, iam re obstrinxisti, aliud facere tibi non licet. Non talis eris, si non feceris quod vouisti: qualis mansisses si nihil tale vouisses: minor enim tunc esse, nõ peior. Modo autem tanto (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior, si persolueris: ergo non expedit aliquid vouere.

Epi. 45. nõ multum re motè à fin. to. 2.

3 ¶ Præterea, Apostolus dicit 1. ad Corin. 4. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Sed nõ legitur neque Christum aliquid vouisse, nec Apostolos: ergo videtur quòd non expediat aliquid vouere.

Ar. 1. & 2.

¶ Sed Contra est, quod dicitur in Psal 75. Vouete, & reddite Domino Deo vestro.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut suprà * dictũ est, votum est promissio Deo facta. Alia autẽ ratione promittitur aliquid homini, & alia ratione Deo. Homini quidem promittimus aliquid propter eius vtilitatem, cui vtile est & quod ei aliquid exhibeamus, & quòd eũ de futura exhibitione priuscertificemus. Sed promissionem Deo facimus, non propter eius vtilitatẽ, sed propter nostram. Vnde Augusti. * dicit in prædicta epistola, Benignus exactor est, & non egenus, & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat reddentes. Et sicut id quod damus Deo non est ei vtile, sed nobis, quia quod ei redditur, reddenti additur, vt Augustinus ibidem * dicit, ita etiam promissio qua Deo aliquid vouemus, non cedit in eius vtilitatem, qui à nobis certificari non indiget: sed ad vtilitatem nostram in quantũ vouẽdo voluntatẽ nostrã immobiliter firmamus ad id quod expedit facere. Et ideo expediens est vouere.

Epist. 45. post med. liut to. 2.

Eadem epi. 45. à med. to. 2.

¶ Ad Primvm ergo dicẽdũ, quòd sicut non posse peccare non diminuit libertatem, ita etiam necessitas firmatæ voluntatis in bonum, non diminuit libertatẽ, vt patet in Deo & in beatis. Et talis est necessitas voti similitudinem quandam habens cum confirmatione beatorum. Vnde Augustinus * dicit in eadem epistola, quòd felix necessitas est quæ in meliora compellit.

Eadem epi. 45. non re motè à fine to. 2.

¶ Ad secundum dicendum, quod quando periculum nascitur ex ipso facto, tunc factum illud non est expediens, puta, quòd aliquis per põtem ruinosum transeat, fluuium. Sed si periculum immineat ex hoc quòd homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse expediens. Sicut expediens est ascendere equum, quamuis periculum immineat cadenti de equo, alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidẽs ex aliquo cuẽtu possunt esse periculosa. Vnde dicitur Ecclesiasticæ vndecimo Qui obseruat vẽtum, nõ seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet. Periculum autẽ vouenti non imminet ex ipso voto, sed ex culpa hominis qui voluntatẽ mutat

Universidad de Deusto
Biblioteca

transgrediens votum. Vnde Augustinus * dicit in eadem epistola, Non te vouisse pœniteant, imò gaude iam tibi sic non licere quod cum tuo detrimento licuisset.

Epi.45. nõ remotè àsi. to.2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Christo, secundum se non competebat vouere, tum quia Deus erat, tũ etiam quia inquantum homo habebat firmatam voluntatem in bono, quasi comprehẽsor existens, quamuis per quandam similitudinem ex persona eius dicatur in Psalm * 65. secundum glossam, Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Loquitur autem de corpore suo quod est Ecclesia. Apostoli autẽ intelliguntur vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti.

Psa.21.est Aug.ibidẽ.

SVMMA TEXTVS.

COnclusio huius articuli est affirmatiua. Quam probat D. Tho. in argumento, sed cõtra ex illo Psalmi; Vouete, & reddite Domino Deo vestro &c. Et in corpore articuli hac ratione: Votum est promissio facta Deo: sed promissio facta Deo cedit in vtilitatem eius, qui vouet: ergo expediẽs est aliquid vouere. Cõsequẽtia cũ maiori est nota, & minor probatur ex differentia, quæ est inter promissionem factã homini, & illam, quæ fit Deo. Prior enim cedit in vtilitatem eius, cui fit promissio, & posterior in vtilitatem eius, qui vouit, vt docet D. August.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticulus præsens de vtilitate voti inquirit, vt decisio quæstionis & articuli titulus testantur. Et sic expedire in proposito idem est ac vtile esse. In qua significatione dicitur in euangelio: Expedit vobis, vt vnus homo moriatur. &c. Quare sensus conclusionis à D. Thoma positæ erit, quod expedit, hoc est, est valde vtile hominibus, quod vota Deo emittant de rebus, quas facere nõ est in præcepto. Et ad hunc modum intellecta conclusio est certa & de fide tenenda. Quam latè probat Guido Carmelita de erroribus Pseudoapostolorum capitulo 7. Rofensis contra Lutherum articulo 16. & 17. Clitoneus lib.1. & 3. Antelutheri Eckius in Enchiridio capitulo 8. & 18. Vvaldensis de doctrina antiquæ fidei libro 3. capitulo 20. articulo 2. D. Thom. opusculo 17. capi. 11. & 12. Et opusculo 18. capitulo 12. Castro de hæresibus. verbo. votum. Soto libro septimo de iustitia quæstione 1. ar. 1. De qua etiam nos aliqua diximus arti. 1. huius quæstionis statim in principio.

ARTICVLVS V.

¶ Vtrum votum sit actus latriæ siue religionis.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quod votũ nõ sit actus latriæ siue religionis. Omne enim opus virtutis cadit sub voto. Sed ad eandem virtutem pertinere videtur promittere aliquid, & facere illud, ergo votum pertinet ad quamlibet virtutẽ, & non specialiter ad religionem.

Inf q.189. ar.2.co. Et 3.contra s. 138. Et op. 17.ca.12. & opusc. 18.c.3. Li.2.de inuen. in fol. 4 ante finem libri.

2 ¶ Præterea, Secundum * Tullium ad religionem pertinet cultum, & cæremoniã Deo offerre. Sed ille qui vouet nondũ aliquid Deo offert, sed solũ promittit, ergo votũ nõ est actus religionis.

3 ¶ Præterea, Cultus religionis nõ debet exhiberi nisi Deo. Sed votum non solum fit Deo, sed etiam sanctis & prælatis, quibus religiosi profitentes obediẽtiam vouent, ergo votum non est religionis actus.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Isaiæ decimonono. Colent eum in hostijs & muneribus & vota vouebũt Domino, & soluent. Sed colere Deum est proprie religionis siue latriæ, ergo votum est actus latriæ siue religionis.

Q.81.ar.7 & ar.1.ad 1.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra * dictũ est, opus virtutis ad religionẽ seu latriã, pertinet per modũ imperij, secundũ quòd ad diuinã reuerẽtiam ordinatur, quod est proprius finis latriæ. Ordinare autẽ alios actus in suũ finẽ, pertinet ad virtutẽ imperantẽ, nõ ad virtutes imperatas. Et ideo ipsa ordinatio actuũ cuiuscunq; virtutis in seruitiũ Dei, est proprius actus latriæ. Manifestum est autẽ ex * prædictis, quòd vorũ est quædam promissio Deo facta, & quòd promissio nihil est aliud, quam ordinatio quædam eius, quod promittitur in eum cui promittitur. Vnde votũ est ordinatio quædam eorum quæ quis vouet in diuinum cultum seu obsequium. Et sic patet quòd vouere propriè est actus latriæ seu religionis.

Ar.1.&2.

¶ AD

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, illud quod cadit sub voto, quandoque est actus alterius virtutis, sicut ieiunare, & continentiam seruare, quandoque vero est actus religionis, sicut sacrificium offerre, vel orare. Vtrorumque tamen promissio Deo facta ad religionem pertinet, ratione iam * dicta. Vnde patet quod votorum quoddam pertinet ad religionem, ratione solius promissionis Deo factæ, quæ est essentia voti, quandoque etiam ratione rei promissæ, quæ est voti materia.

In corp. ar.

¶ Ad secundum * dicendum, quòd ille qui promittit, inquantum se obligat ad dandum, iam quodammodo dat, sicut dicitur fieri aliquid cum fit causa eius, quia effectus virtute continetur in causa. Et inde est quod non solum danti, sed etiam promittenti gratiæ aguntur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd votum soli Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini. Et ipsa promissio boni quæ fit homini, potest cadere sub voto, inquantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vouet aliquid sanctis vel prælatis, vt ipsa promissio facta sanctis vel prælatis cadat sub voto materialiter, inquantum scilicet homo vouet Deo se impleturum quod sanctis vel prælatis promittit.

SVMMA TEXTVS.

COnclusio est affirmatiua. Quam probat D. Thom. in argumento, sed contrã, ex illo Esai. 19. Colent eum in hostijs, & muneribus, & vota vouebũt Domino, & soluent: sed colere est actus religionis: ergo & vouere. Et in corpore articuli hac ratione: Votum est ordinatio eorum, quæ quis vouet in diuinum cultum, atq; obsequium: sed ordinare aliquid in cultum diuinum pertinet ad religionem: ergo & votum. Consequentia cum minori est nota, & maior probatur: Votum est promissio facta Deo: sed promissio nihil aliud est, quam ordinare id quod promittitur in illum, cui fit promissio: ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli aduertendum est, dupliciter posse cõtingere, quod aliquis actus studiosus sit ab aliqua virtute. Vno modo elicitiue, alio modo imperatiue. Ille actus dicitur esse elicitus ab aliqua virtute, qui sub formali obiecto illius continetur. Quomodo etiam dicimus nos, illos actus esse elicitiuè ab aliqua potentia, qui sub ratione formali obiecti illius continentur. Vt visio dicitur esse eliciti uè à potentia visiua, quia color, ad quem visio tendit, sub ratione formali obiecti potentiæ visiuę continetur. Et similiter credere est actus fidei, &c. Ille autem actus dicitur esse imperatiuè ab aliqua virtute, qui elicitur per imperiũ vnius virtutis mouentis, & ordinantis aliam in suũ finem. Vt ieiunium, quod fit propter amorem Dei, dicitur esse imperatiuè à charitate: quia ea mouet temperantiam ad ieiunãdum propter finem charitatis. Quando ergo quærimus, vtrùm votum sit actus religionis, non quærimus, vtrùm sit imperatiuè ab illa: sed vtrum sit elicitiuè. Quod item secundum erit quotiescunque D. Thom. & Aristot. absolutè quærunt de actibus alicuius virtutis, vtrùm sint ab illa, necne? Et hoc sensu conclusionis est, quod votum est actus elicitus à virtute religionis. Sed contra eum est argumentum: Votum est actus intellectus, cum sit essentialiter promissio: religio autem est habitus pertinens ad voluntatem: ergo votum non potest esse elicitiuè à religione. Ad hoc argumentum Caietanus supra q.81. art.1. & 4. respondet, concesso antecedenti, negando consequentiam. Dicit enim, quod quamuis verum sit, quod inter potentias, vna non potest elicere actum alterius, bene tamẽ potest fieri, quod habitus existens in vna potentia alterius potentiæ actum eliciat. Et ratio est: Nam cum potentia ad subsistendum actus concurrat in genere naturæ, necessario debet esse intrinseca ipsi actui: & sic non potest elicere, nisi proprium actum, cui tantum est intrinseca. Cæterum habitus non concurrit ad producendam substantiam actus, sed tantum modum & qualitatem illius: qualitas autem est quid extrinsecũ. Et sic fieri poterit, quod ab habitu in alia potentia existente producatur. Quo modo votum ab habitu religionis in voluntate existente elicitur. Sed quoniam multis non placet dicere, quod habitus in potentijs existentes solum quantum ad modum, & non quantum ad substantiam actus producunt, quod in præsenti disputare non vacat: aliter respondeo ad argumentum, quod vouere, & orare, quæ pertinent ad intellectum, dicuntur esse elicitiuè à virtute religionis, quæ est in intellectu. Quia religio nulla alia media virtute indiget ad illos actus eliciendos: sed ipsa per se sufficit: quamuis

Argumentum cõtra conclusionẽ D. Thom. Solutio Caietani.

Alia solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

egeat diuersa potentia ab illa, in qua est subiectiuè. Prætercquam, quod cum vouere, atq; orare contineantur in ratione formali obiecti religionis: (ordinantur enim immediatè huiusmodi actus in cultum diuinum, qui est obiectum religionis) necessario debemus dicere, quod elicitiuè sunt à virtute religionis, quamuis per distinctam potentiam producantur. Sicut & restituere, qui est actus extrinsecus, & iudicare, qui est actus intellectus, dicuntur esse elicitiuè à iustitia, quæ est in voluntate, quia vterque actus intrinsece, clauditur in ratione formali obiecti iustitię: quod est facere æquale.

Argumentum cõtra processum litera.

¶ Processus D. Thom. in isto articulo est, Ex eo, quod votum est promissio facta Deo: & promittere nihil aliud est, quam ordinare id, quod promittitur, in illum, cui fit promissio, colligit, quod votum est actus religionis, cuius est ordinare res in diuinum cultũ. Sed contra hoc est argumentum: Ordinare, & referre aliquid in Deum non solùm virtuti religionis: sed etiam charitati, & huic præcipuè competit, cuius finis & obiectum est Deus: ergo ex eo, quod votum est promissio, cuius est ordinare id, quod promittitur in illum, cui fit promissio, non magis colligitur, quod vouere est actus religionis, quam quod est actus charitatis.

Responsio Caietani.

¶ Respondetur tamen cum Caietano in præsenti, quod quia sermo rei, & non res sermoni subijci debet, & in vnaquaq; re sermones sunt intelligendi secundum subiectam materiam, non est facienda vis in verbis, quando cõstat de rebus. Constat autem, quod quidquid Deo promittimus, promittimus sub ratione reuerentiæ, quoniam promittimus, vt offerendum Deo. Diuina autem reuerentia certum est, quod pertinet ad Dei cultum, atque adeo ad religionem, cuius est diuinum cultum respicere. Et sic de primo ad vltimum, votum pertinet ad religionem. Itaque non infertur, quod votum pertinet ad religionem ex eo, quod vouere est ordinare, & referre aliquid in Deum: sed ex eo, quod est offerre aliquid Deo, ad eius cultum & reuerentiam, quod propriè pertinet ad religionem. Hoc enim est discrimen inter charitatẽ, & religionem, quod charitas refert opera in Deum tanquã in finem. Ieiunamus enim, & oramus propter Deum, tanquam propter finem. At verò religio non refert opera in Deum, tanquam in finem, nec sub forma finis, sed sub forma illius, cui aliquid offertur, in eius cultum, & reuerentiam. Oriturq; huiusmodi discrimen ex eo, quod charitas habet Deum pro obiecto, tanquam rem amatam, hoc est, rem, cui bonum in communi volumus, & nolumus malum. At verò religio tanquam id, cui reueremur, & obsequimur nos nostraque illi cultu offerentes. Quia ergo votum non solum ordinatur in Deum, sed etiam in eius cultum, & reuerentiam, non ad charitatem, sed ad religionem dicitur pertinere.

Discrimen inter charitatem & religionem

¶ Doctrina D. Tho. in solutione ad 1. argumentum est valde notanda. Consistit autem in hoc, quod quamuis verum sit, quod materia voti interdum pertineat ad religionem: vt cũ quis vouet orare aut sacrificare, & interdũ ad alias virtutes: vt cũ quis vouet ieiunare, aut continentiam seruare: ipsa tamen promissio Deo facta semper pertinet ad religionem, ab illaque elicitur. Itaque votum interdum est actus religionis, sõlũ ratione formæ: quia ipsa promissio elicitur à religione. Interdum autem ratione formæ, & ratione materiæ, vt quando actus promissi ab eadem etiam virtute eliciuntur. Sed consurgit ex hoc non leue dubium: vtrũ semper, quod homo frangit aliquod votum, peccet duplex peccatum. Vnum contra specialem virtutem: à qua talis actus elicitur. Et alterum contra religionem: per quam Deo fuit oblatus. Verbi gratia, vouet quis ieiunare in die sabbathi, & non ieiunat, dubium est, vtrũm illius voti transgressio duas culpas includat: vnam contra continentiam: & alteram contra religionem? Et pro parte affirmatiua est argumentum: Frangens ieiunium ab Ecclesia præceptum peccat duplex peccatum. Vnum contra sobrietatem seu abstinẽtiam, in qua actus ille per Ecclesiæ præceptum fuit cõstitutus: & alterum contra obedientiam, vt communiter dicunt Doctores: ergo & qui frangit ieiunium, quod ipse vouit, peccat etiam dupli ci peccato; vno cõtra temperantiam, in qua actus ille per proprium votum fuit constitutus: & altero contra religionem. Nam cum votum sit veluti quædam lex particularis, quam vouẽs sibi præscribit, quemadmodum lex humana præcipiens ieiunare est sufficiẽs constituere actum illum in materia temperantiæ, sic etiam & proprium votum.

Dubium.

Argumentum.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est primò cum Caietano in præsenti, quod præceptum legis, atq; proprium votum, partim conueniunt, & partim differunt. Conueniunt quidem in hoc, quod tam materia præcepti, quã materia voti est actus alicuius virtutis. Præcipit enim lex, quę sunt iustitiæ, mansuetudinis & temperantiæ, &c. sicut & votum eadem promittit. Differunt autem in hoc, quod materia præcepti est actus necessarius ad virtutem, & sine quo virtus saluari non potest: sine ista necessitas sit ex natura actus absolutè, vt contingit in honoratione parentum, sine quã pietas stare nõ potest, & in furto & homicidio, &c. cum quibus virtus non inuenitur. Siue ex positione legis, vt contingit in carnali coniunctione cum consanguineis, vel affinibus in secundo, & alijs gradibus. Est enim huiusmodi abstinentia necessaria ad castitatem, non ex natura actus, & virtutis, vt patet ex sanctis antiquorum matrimonijs in talibus gradibus: sed ex legis determinatione. Et simile est de ieiunio respectu abstinentiæ, & de extractione homicidæ ab Ecclesia, respectu sacrilegij, & alijs huiusmodi. Cæterum materia voti, scilicet, ieiunare in sabbatho est actus supererogationis, nec ex voto fit necessarius ad virtutem temperantiæ. Non enim respicit votum virtutẽ illam, vt finem, sicut lex cuius est facere homines virtuosos, sed fit ex voto talis actus necessarius ad virtutem religionis, quia eo ipso, quod assumitur, vt materia voti fit necessarius respectu operantis, & respectu religionis, cuius est vouere & reddere vota, & non est factus necessarius respectu illius virtutis, cuius est ieiunare, puta, abstinentiæ.

Votum & præceptum partim differunt & partim conueniunt.

Promissio facta homini est actus fidei.

¶ Secundo est aduertendum, quod sicut promissio facta Deo est actus religionis: ita etiam promissio facta homini est actus fidei, quæ est virtus moralis. Eiusdem enim virtutis est promittere, & reddere promissum. Et fides, vt dicunt Tullius & D. Augustin. est, qua dicta fiunt. Actus ergo fidei est promittere homini, sicut est actus religionis promittere Deo.

Explicatio difficultatis.

¶ His constitutis ad propositam difficultatem respondetur sub distinctione, scilicet, quod quãdo actus ille, qui voto, vt materia substernitur, est cõstitutus in genere virtutis per aliquam legem, siue diuinam, siue naturalem siue humanam, congeminatur peccatum in eius transgressione. Quando autem solum constituitur in genere virtutis per votum, non est duplex peccatum, sed vnum. Verbi gratia, vouisti honorare parentes, aut confiteri, aut ieiunare quadragesimam, quia iam secluso voto, illa opera erant singulariũ virtutum, si transgrediaris votum duplex peccatum committis: vnum contra illam virtutem, cuius actum vouisti: & alterum contra religionem, ad quam pertinet violata promissio. Si autem vouisti ieiunare vigiliam Corporis Christi: quamuis per tuum votum opus illud fuerit constitutum in genere abstinentiæ: quia tamen antea non erat obligatorium, in fractione illius voti non committitur duplex peccatum, sed vnum tantum. Et si puellæ dotem promisisti: & cum iam sis ad id astrictus humana fide, eandem pollici-

tationem religionis voto confirmes, tunc effracta fides duplex erit peccatum: vnum contra humanam promissionem pertinẽs ad iniustitiam: alterum contra religionem. Et ad argumentum in principio factum respondeo primo, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Nam, quia ieiunium ab Ecclesia præceptum per se, secluso voto, pertinet ad materiam temperantiæ, si posteà de illo votum emittatur, & transgrediatur, duplex erit peccatum: vnum contra illam virtutem: & alterum cõtra religionem. Tamen, quia ieiunium votiuum non est materia necessaria temperantiæ, qui illud frangit, solum peccat contra religionem, ad modum iam explicatum. Vel secundo respondetur, negando antecedens. Falsum est enim, quod qui frangit ieiunium ab Ecclesia præceptũ, peccat duplex peccatum: vnum contra sobrietatem, seu abstinentiam, in qua actus ille per Ecclesiæ præceptum fuit constitutus: & alterum contra obedientiam. Nam, quia præceptum illud positiuum substernit actum ieiunij virtuti religionis, tanquam necessarium ad illam: qui frangit illud peccat contra abstinentiam: & non contra obedientiam formaliter: nisi adsit contemptus. Et eadem ratione, quia votum substernit actum ieiunij virtuti religionis, tanquam necessarium ad illam: qui frangit ieiunium votiuum, peccat contra religionem, & non contra temperantiam formaliter: nisi fortè adsit guiæ superfluitas temperantiæ oppositæ.

Ad argumentum.

¶ In solutione ad tertium argumentum agit D. Thom. de votis factis sanctis. Et dicit quod ea ratione possunt dici vota emitti sanctis, qua promissio facta illis, & prælatis cadit sub voto materialiter, quatenus, scilicet, homo vouet Deo se impleturum quod sanctis, & prælatis promittit. Itaque sanctis, atq; prælatis solum intelliguntur factæ promissiones, quarum obseruantia pertinet ad fidelitatem, & votũ pertinens ad religionem solum fit Deo. Quamuis materia huius voti, possit esse promissio homini facta, inquantum est quoddam opus virtuosum. Sed contra hoc est argumentum desumptum ex modo profitendi religiosis, & omnibus alijs hominibus communi, qui expresse dicunt se promittere Deo, & Beatæ Virgini, & Beato Augustino, vel Francisco & prælato obediẽtiam, &c. & Diuo Iacobo peregrinationem, & alia huiusmodi. Quibus verbis significatur formaliter fieri vota prælatis, ac sanctis, & non solum Deo contra doctrinam à D. Tho. traditam. Sed, vt huic difficultati satisfaciamus, aduertendum est, quod quia sancti sunt medij inter Deum & homines, & medium vtriusq;

Qualiter fiant vota sanctis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtriusque extremi naturam sapit: idcirco diuersa de sanctis sanciuntur in proposito. Nam si cõsiderentur sancti, vt homines, seu creaturæ rationales, capaces secundum se honoris & obedientiæ: sic promissiones, quæ eis fiunt non sunt vota: sed possunt esse materia voti. Et in hoc conueniunt sancti cum hominibus viatoribus. Et sic considerat eos D. Thom. in hac solutione. Loquiturque de illis ex ea parte, qua distinguuntur à Deo. Et verum dicit. Cæterùm, si considerentur sancti, vt sunt Dij participatiuè: imò, vt in eis est, & honoratur Deus, sic promissiones eis factæ, sunt vota, quoniam Deo in ipsis fiunt. Et quoniam votum sonat promissionem factam Deo: ideò cùm absolutè quis vouet sancto alicui intelligendus est vouere Deo in illo sancto. Sicut, & qui blasphemat aliquem sanctũ intelligitur blasphemare Deũ in illo sancto. Est enim blasphemia solius Dei: sicut & soli Deo vota emittimus. Nec obstat, quod vouere est actus latriæ, seu religionis. Quoniam eiusdem virtutis actus est vouere, & orare. Et tamen constat ex dictis, quod oramus sanctos in ordine ad Deum: & eodem modo possumus illis vota emittere: & eadem ratio est de prælatis, si considerentur quatenus in eis est Deus secundum dignitatis participationem & potestatem, quam habent, secundum quam gerunt vicem illius. Huicque considerationi consonat modus profitendi à religiosis obseruatus, quando dicunt: Promitto Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Augustino, &c. Et per hæc patet solutio ad argumentum.

Articvlvs VI.

¶ Vtrùm magis sit laudabile & meritorium facere aliquid ex voto, quàm sine voto.

Inf.q.189. ar.2.co. Et 3.q.28.ar. 4.co. Et 3. contra ca. 138. & op. 17.c.12. et opusc.18. cap.13. Li.2.c.24 in princ. & est ca.vlti. lib.

AD Sextvm sic proceditur. Videtur quòd magis sit laudabile & meritorium facere aliquid sine voto, quàm cum voto. Dicit enim Prosper * in secundo de vita contemplatiua, Sic abstinere vel ieiunare debemus, vt non nos necessitati ieiunandi subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus. Sed ille qui vouet ieiunium, subdit se necessitati ieiunandi, ergo melius esset si ieiunaret sine voto.

2 ¶ Præterea, Apostol. dicit 2. Corinth. 9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Sed quidam ea quæ vouent ex tristitia faciunt. Et hoc videtur procedere ex necessitate quam votum imponit, quia necessitas contristans est, vt dicitur * quinto Metaph. ergo melius est aliquid facere sine voto, quàm cum voto. *Lib.5.text. 6.tom.3.*

3 ¶ Præterea, Votum necessarium est ad hoc quòd firmetur voluntas hominis ad rem quam vouet, vt suprà * habitum est. Sed non potest firmari melius voluntas ad aliquid faciendum, quàm cum actu facit illud: ergo non melius est facere aliquid cum voto, quam sine voto. *Art.4. huius quæst.*

¶ Sed Contra est, quod super illud Psalm. 75. Vouete & reddite, dicit glos. Vouere voluntati consulitur. Sed consilium non est nisi de meliori bono, ergo melius est facere aliquod melius opus ex voto, quàm sine voto, quia qui facit sine voto, implet tantum vnũ consilium, scilicet de faciendo, qui autem facit cum voto implet duo consilia, scilicet & vouendo & faciendo.

¶ Respondeo dicendum, quòd triplici ratione facere idem opus cum voto est melius, & magis meritorium, quàm facere sine voto. Primò quidem, quia vouere sicut * dictum est, est actus latriæ quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius & magis meritorium, vnde actus inferioris virtutis est melior, & magis meritorius ex hoc, quòd imperatur à superiori virtute, cuius actus fit per imperium, sicut actus fidei vel spei melior est si imperetur à charitate. Et ideo actus aliarum virtutum moralium, puta ieiunare, quod est actus abstinentiæ, & continere, quod est actus castitatis, sunt meliora & magis meritoria si fiant ex voto, quia sic iam pertinẽt ad diuinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia. Vnde * Augustinus dicit in libro de Virginitate, quòd neq; ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est honoratur, quã fouet & conseruat continentia pietatis. Secundò, *Ar. præc. Ca.8 circa princ.10.6.*

cundò, quia ille qui vouet aliquid & facit, plus se Deo subijcit, quàm ille qui solum facit. Subijcit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere, sicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret ei fructus tantum, vt dicit * Anselmus in libro de Similitudinibus. Et inde est quod etiã promittentibus gratiæ aguntur, vt dictum * est. Tertio, quia per votum immobiliter volũtas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis, vt patet * per Philosophũ in secundo Ethicor. Sicut etiam peccare mẽte obstinata, aggrauat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum sanctum, vt suprà * dictum est. *Capi.84. Ar.prace. ad 2. Li.2.ca.4. tomo 5. Q.14.ar.1*

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd autoritas illa est intelligenda de necessitate coactionis, quæ inuoluntarium causat, & deuotionem excludit. Vnde signanter dicit, Ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus. Necessitas autem voti per immobilitatem fit voluntaris, vnde & voluntatem confirmat, & deuotionem auget: & ideo ratio non sequitur.

¶ Ad secundum dicendum, quod necessitas coactionis, inquantum est contraria voluntati, tristitiam causat secundum * Philosophum. Necessitas autem voti in his qui sunt bene dispositi, inquantum voluntatem cõfirmat, non causat tristitiam, sed gaudium. Vnde Augustin. * dicit in Epistola ad Armentarium & Paulinam, Non te vouisse pœniteat, imò gaudeam tibi sic nõ licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Si tamen ipsum opus secundum se consideratum, triste & inuoluntarium redderetur post votum, dum tamen remaneat voluntas votum implendi, adhuc est magis meritorium, quam si fieret sine voto, quia implere voti est actus religionis, quæ est potior virtus quam abstinentia, cuius actus est ieiunare. *Loco cit. ad 1 arg. Epi.42. nõ remotè à fine, tom.2.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd ille qui facit aliquid sine voto habet immobilem voluntatem respectu illius operis singularis quod facit, & tunc quando facit, non autem manet voluntas eius omnino firmata in futurum, sicut vouentis qui suam voluntatem obligauit ad aliquid faciendum, & antequam faceret illud singulare opus, & fortasse ad pluries faciendum.

Svmma Textvs.

AD propositam difficultatem respondet D. Thom. vnica conclusione affirmatiua. Quam probat in argumento, sed contra, testimonio Glossę dicentis super Psalm. 75. quod vouere voluntati consulitur. Et in corpore articuli triplici ratione. Prima est: Ille actus est nobilior, & magis meritorius, qui proficiscitur à nobiliori virtute: sed religio à qua votum procedit est nobilior virtus, quam aliæ: ergo magis meritorium, atque laudabile erit facere aliquid ex voto, quam ex alia virtute. Secunda ratio: Ille actus est nobilior, & magis meritorius, quo homo Deo se magis subijcit: sed quando homo aliquid facit ex voto, Deo se magis subijcit; quam si sine voto faciat: ergo magis laudabiliter, & meritoriè operatur. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur. Nam qui facit aliquid ex voto, subijcit se Deo nõ solum quantum ad actum: sed etiam quantum ad potestatem: cum de cætero non possit non facere, quod promisit. Tertia ratio: Ille, qui operatur ex voto operatur ex maiori animi firmitate: ergo magis meritoriè. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Nam per votum voluntas in bono cõfirmatur.

Explicatio Articvli.

CONclusio huius articuli est de fide tenenda. Quam late probant Doctores adducti in arti. 4. præsertim D. Thom. opusculo. 17. cap. 11. & 12. & opusculo. 18. capi. 12. Et confirmatur ex communi consensu Ecclesiæ, quæ suos fideles ad vouendum hortatur. Quod non faceret, nisi opera ex voto facta laudabiliora, & magis meritoria essent, quam quæ fiunt sine voto. Quare D. Hieronymus pertractans illud Threnorum capitis, Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sic in hunc modum dicebat: Milicum ergo Christi perfectiõ est, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotijs, *D. Hieronym.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

negotijs,& tumultu seculi, iuxta illud Apostoli: Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus,& cætera: eamque quantum humana imbecillitas finit,festinat vnire cum Christo. Quam quidem speciem conuersationis boni eremitæ & monachi, qui voto monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt.Sed rara est & paucissimis dono Dei hæc perfectio concessa. Is enim verè & non ex parte perfectus est, qui & in eremo squalorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat. Et ideò in vtraque professione per omnia consummationem inuenire difficile est: Quja nec anachorita contemptum, ac priuationem materialium rerum, nec cœnobita theoricam ad integrum potest assequi puritatem. Sed tamen quantum superexcellat serenitas tranquillæ vitæ turbulétiam secularis conuersationis nouit,qui hanc expertus est. Et dominicum iudicium in Euangelio, Dominus inter duas mulieres cernit, ad Martham dicens:Martha,Martha,solicita es, & turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit,quæ non auferetur ab ea.Hęc Hieronymus. In quibus verbis multa sunt notatu digna. Primum,quod tẽpore D.Hieronymi monachi se voto astringebát.Quod tamen Erasmus pertinacissime negat in plerisque suis operibus, præsertim in vita Hieronymi,quam ipse scripsit.Secundum,quod talis monachorum vita voto obligata, est bona, & ad imitationem perfectionis Christianæ.Tertium,quod hæc monachorum vita præferenda est vitæ aliorum,qui secularibus miscentur negotijs.Et hoc est quod nostro proposito deseruit,& quod etiam Erasmus negare non erubescit. Sed, vt apertius Erasmum, & alios monasticæ professionis hostes de impudentissimo mendacio conuincam, alium testem multo Hieronymo vetustiorem proferam.Diuum,scilicet,Dionysium Pauli discipulum, qui in libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ capit.6.ritum consecrationis,professionisque monasticæ, qualis ab Apostolis institutus tũc seruabatur in Ecclesia, describens sic ait: Porro purgandorum omnium excelsior & sublimior est ordo monachorum sacra dispositio,aut sancta distinctio:Expiatione omni,tota virtute,atque ex actissima suarum operationũ castitate mundata. Inde diuini duces nostri appellationibus eos sacris dignati sunt, partim Therapeutas,id est,cultores,à sincero Dei famulatu,& cultu,partim monachos, ab indiuidua, & singulari vita vni Deo intenta, appellantes, tanquam quæ sanctis complicationibus, aut cõuolutionibus inseparabiliũ, illos ipsos in diuinam,& Deo gratam vnitatem promoueant.Quapropter & perficiẽtem eis donauit gratiam diuina sanctio,& quadã eos consecratiua inuocatione dignata est. Deinde formam illius consecratiuæ inuocationis, & monasticę professionis describẽs ait:Stat quidem sacerdos ante sacrum altare monasticam imprecationem psallens. Ille autem post sacerdotem astat: nõ vtrumque ponens genu, non alterum,non habens imposita sacra eloquia capiti. Verum sacerdoti tantum astans, mysticam super illum inuocationem persequenti.Qua finita sacerdos ad eum accedens interrogat primum, an renunciet diuisibilibus omnibus, non solum conuersatione, sed etiam phantasijs eorumdẽ.Deinde perfectissimam ei vitam exponit, illud apertè contestans,oportere illum medio lõge antecedere. Vbi verò ille hæc omnia intente promiserit, consignans eum signo crucis sacerdos tõdet, trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans,exutumq; omni veste aliam induit. Et cum sanctis illis, qui ipsum astãt,viris, ipsum salutans, diuinorum mysteriorum participé facit.Hactenus D.Dionysius.In quibus verbis duo præcipuè notare licet. Primum est, quod monachi tunc professionem per voti promissionẽ faciebant.Quod manifestè ostẽdit cum dicit:Vbi verò ille hæc omnia intentè promiserit,&c.Et sic non solum tempore D.Hieronymi: sed multò ante, scilicet, in ipsis Ecclesiæ primordijs monachi se voto Domino obligabant, promittentes, rerum diuisibilium hoc est,rerum terrenarum,quæ à nobis per mortem diuiduntur, & separantur, renunciationem. Secundum, quod vita monastica, in qua soli Deo vacatur, & curis secularibus renunciatur, est omnibus alijs excellẽtior,& sublimior.Idem etiã probatur ex D.Grego.homi.20.super Ezechielẽ,in hunc modum dicẽte:Hoc inter sacrificium,& holocaustum distat, quod omne holocaustũ sacrificium est,sed nõ omne sacrificiũ holocaustum.In sacrificio enim pars pecudis, in holocausto verò totum pecus offerri consueuit. Vnde & holocaustũ Latina lingua totum incensum dicitur.Pensemus ergo,quid est sacrificium,quid holocaustũ.Cum enim quis suũ aliquid Deo vouit,& aliquid non vouit sacrificiũ est.Cum verò omne,quod habet,omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit,holocaustũ est. Nã sunt quidã, qui adhuc mente in mundo tetinentur: sed tamen ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant: oppressos defendere festinant. Isti in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid de actione sua Deo immolant: & aliquid sibimetipsis reseruant.

Elegans testimonium D.Dionysij

D.Gregor.

Et sunt

Et sunt quidam hic, qui nihil sibimetipsis reseruant,sed sensum,linguam,vitam,atq; substantiam,quã acceperunt, omnipotenti Deo immolant.Quid isti,nisi holocaustum Domino offerunt? Imò magis holocaustum fiunt. Israeliticus enim populus primũ sacrificium in Ægypto obtulit: secundum verò in eremo. Qui ita adhuc mentem habet in seculo, sed boni iam aliquid operatur, Deo sacrificium obtulit in Ægypto. Qui verò præsens seculum deserit,& agit bona,quę valet,quasi iam Ægypto derelicta,sacrificium præbet in eremo: quia repulso strepitu desideriorum carnalium in mentis suæ quiete, atque solitudine Deo immolat quidquid operatur. Quamuis ergo sicut dictum est sacrificium sit etiam holocaustum, maius tamen est holocaustum sacrificio:quia mente, quæ huius mundi delectatione non premitur,totum in omnipotentis Dei sacrificio incẽditur, quod habetur. Hucusque D.Gregorius. In cuius verbis est etiam ponderandũ,quod ait maius esse holocaustum sacrificio: maiusque fuisse sacrificium eremi, quam sacrificium Ægypti.Quasi significans monachos,qui ex toto negauerunt volũtatem suam,se totos in professione Deo per votum obedientiæ immolantes,fecisse holocaustum. Atque adeò conuincitur eadem lege eorum votum esse sacrificium eremi, & ex consequenti melius, quam opus à secularibus libere factũ, quod est sacrificium Ægypti. Poterit etiam valere ad efficacissimam probationem huius veritatis, videre, quod beatissima Virgo Maria, quam laudabiliora & magis meritoria opera fecisse,nullus est qui ambigat,cum virginitatem & castitatem libere seruare potuisset,ad illam tamen voto se voluit astringere. Quod manifestè testantur verba illa, quæ ipsam Angelo nuncianti conceptionem filij Dei, respondisse dicit D.Lucas cap.1. Quomodo fiet: quoniam virum non cognosco? Illa enim negatio verbo præsentis temporis adiuncta, non sic accipienda est, vt solum neget actum præsentis temporis: sed vt dicat votum de negatione actus in posterum. Alioqui nulla subesset dubitationis causa,& sine occasione quęsiuisse videretur.Vt enim mulier, quæ nunquam antea virum cognouit,in posterum concipiat, non est quid difficile,nec illa duo, vel in specie pugnant inter sese.At verò votum de perpetua virginitate, & concipere, velut ex diametro repugnare videntur, nisi miraculum intercedat. Ideoq; merito quærit. Quomodo fiet istud, quoniam virum nõ cognosco?Hoc est nunquam me virum cognituram spopondi. Et quod hic sit verus, & germanus illius litteræ sensus testantur D.Bernardus homilia.4.super Missus est. Beda in homilia eiusdem Euangelij.Et D.Augustinus in libro de sancta virginitate cap.4.vbi de Virgine Deipara loquens,sic ait: Ipsa quoq; virginitas eius gratior & acceptior: quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruauerat,ipse præripuit, sed priusquam conciperetur iam Deo dicatam,de qua nasceretur,elegit.Hoc indicant verba,quæ sibi fœtam annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginitatem anteà vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusábant, desponsata est viro iusto,non violenter ablaturo: sed potius contra violentos, custodituro, quod illa iá vouerat.Hæc Augustinus: Simile etiam votum credũtur emisisse Apostoli,de paupertate seruanda,quando derelictis omnibus sequuti sunt Christum, vt affirmat D.Augustinus lib.17.de ciuitate.cap.4. in hunc modum dicens: Dixerant enim potentes illi:Ecce nos dimisimus omnia, & sequuti sumus te.Hoc votum potentissimi vouerant.Sed vnde hoc illis,nisi ab illo,de quo dictum est: Dans votum vouenti? Demum ne amplius de hac re cõtendamus audiamus Ecclesiæ diffinitionem.Concilium enim Toletanum 4.capi.49.suorum decretorum, sic inquit:Clerici,qui monachorũ propositum appetunt: quia meliorem vitam sequi cupiunt,liberos eis ab Episcopo in monasterijs largiri oportet ingressus, nec interdici proposítum illorum,qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. Hæc concilium: Ex cuius determinatione hoc colligimus, quod monachorum vita est perfectior,quam aliorum secularium.Nec hoc aliunde prouenit,quam ex voto,quod emiserunt,quod maiorem perfectionem, maiusque meritum illorum operibus tribuit.

Beatissima virgo vouit virginitatem.

Apostoli emiserunt votum de paupertate seruanda.

¶ Contra istam veritatem obijciunt hæretici quam plurima argumenta. Sed quoniam illa inania sunt, nec multum habent difficultatis,consultò à me prætermittuntur. Et solum respondebo vni, quod facit Luthe rus, desumpto ex libertate Christiana, cui ipse consuetudinem vouendi repugnare affirmat,sub his verbis: Monasticæ professionis vota repugnant veritati Euangelicæ, seu Christianæ, quæ non solum est ea libertas in spiritu regnans, qua soluitur conscientia ab operibus,sed etiam qua sublata sunt vniuersa hominum mandata,& quidquid in externis cæremonijs seruari potest,vt sunt omnes cibi,omnes vestes, omnes personæ, omnes gustus, omnia loca, omnia vasa, omnes dies,

Argumentum Luthe ri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dies,vt ea liceat obseruare, & non obseruare: quandiu, vbi, & quomodo, quando & quoties placuerit, aut res ipsa obtulerit, & omnino quidquid non est mandati diuini abrogatum,& libertate donatum est. At vouendi institutum, nonne miserrimè humanum est? Nonne situm est in rasura,veste,cibo,potu,diebus,locis,gestibus, & alijs cæremonijs? Et paucis interpositis colligit: Sunt itaq; vota monastica contra libertatē Euangelicam,& diuinis mandatis omnino prohibita. Estque votorum institutum seruilis hominum doctrina,nequaquam tolerāda. Hęc impius Lutherus. Cuius verba ita copiosè referre volui, quia in eis totius suæ falsæ doctrinæ basim & fundamentum aperit. Sub fuco enim & nomine libertatis Christianæ effrænatam omnium vitiorum licentiam hominibus prædicans, & indulgens illis quidquid facere liberet, dummodo crederent se per misericordiam Dei fore saluos; tantam hominum multitudinem ad se traxit, quantam apud Germaniam Angliam, & alias nobilissimas prouincias, ab Ecclesiæ veritate discessisse,compertum est. Cum tamen vitiorum licentia, quam Lutherus libertatem Christianam vocat,pessima,& omnium maxima seruitus sit,dicente Christo apud Ioannē cap.8. Qui facit peccatum seruus est peccati. Est etiam falsum quod ait libertatem Christianam in hoc sitam esse, vt nullis hominum mandatis obedire teneamur. Nam hac ratione oporteret fateri, nullum esse in Christiana religione Magistratum, nullum Regem,nullum Principem;nullum Ducem; periretque sic omne regnum, omnisq; respublica:quod non solùm sacris literis & Ecclesiæ determinationibus, verumetiam rationi naturali aduersatur,vt in materia de Ecclesia primo tomo q.1.arti.10. late ostendimus. Est etiam falsum,quod ait Lutherus,votorum obligationem esse ex instituto humano. Fateor quidem votum ipsum ex humana voluntate pendere, & non ex præcepto diuino,Deus enim non præcipit,sed tantum consulit nobis,vt aliquid illi voueamus. Cæterum postquam aliquid quispiam sponte sua vouit Deo: tunc iam ex præcepto diuino, & naturali obligatur ad reddendum id, quod vouit,vt diximus in præcedentibus,& in subsequentibus dicturi sumus amplius, cum de voti dispensatione fuerit sermo. Nō est ergo votorum institutum, vt Lutherus ait,seruilis hominum doctrina, sed doctrina Dei dicentis: Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Denique falsum est, quod Lutherus ait, vota monastica esse diuinis mandatis prohibita. Omnia enim illa sunt quæ-

Responsio.

dam Christi consilia: Quæ monachi non solum facere, sed ad illa per voti emissionem obligare se voluerunt. Quare omnia quæ in hac obiectione Lutherus coniungit, & falsa sunt,& plena mendacijs,& à patre mendacij procedentia.

Dubiū circa solutionem ad 2. D.Tho.

¶ Circa solutionem ad secundum argumentum D.Thom.occasione illius,quod inquit ex D. Augustino ad Armentarium, & Paulinam: Non te vouisse pœniteat: Imo gaude,iam tibi sic non licere,quod cum tuo detrimento licuisset: est dubium ex Caietano in præsenti, vtrùm pœnitere de voto emisso sit peccatum mortale? Ad cuius explicationem suppositio,quod pœnitentia referri potest,vel ad propositum seruandi promissum, quod est mutatum,& retractatum,vel ad applicationem animi ad vouendum,ita, vt qui vouit, pœniteat se vouisse, quamuis habeat firmum propositum adimplendi promissum, vel denique ad opera ipsa,quę fecit ex voto, vt cum quis pœnitet,se multos annos in religione vixisse, multaque bona opera in ea perpetrasse,dico primo, quod qui ita pœnitet de voto, vt intendat illud non adimplere, regulariter loquendo peccat mortaliter: Probatur:quia habet intentionem peccandi mortaliter. Dixi,regulariter loquendo. Nam si votum sit de re leui,cuius transgressio nō sit peccatum mortale, sed tantum veniale, quod contingere posse diximus supra contra Caietanum, quamuis quis ità pœniteat de voto, vt habeat propositum non adimplendi illud,nō peccabit mortaliter. Nam si ipsa transgressio voti non est peccatum mortale, nec habere propositum illud transgrediendi,mortale peccatū erit. Dico secundo,quod qui ita pœnitet de voto facto, vt tamen habeat propositum illud adimplendi, non peccat mortaliter. Probatur: Vouere non est de necessitate salutis:ergo nec pœnitere vouisse, erit peccatum mortale, cum contra nullum præceptum sit talis actus. Imò poterit fieri,vt tot circunstantijs illa pœnitentia honestetur,vt nullum sit peccatum. Maximè si ratione voti cognoscit se homo impeditum ad aliquod maius bonum. Dico tertio,quod quamuis dicta pœnitētia voti ex genere suo nullum sit peccatum,pœnitere tamen de votis religionis, vel castitatis, vel alijs ita magnis,semper est peccatum veniale graue. Et ratio est: Quia, regulariter loquendo,nunquam potest dari causa sufficiens, propter quam melius esset ista vota non emisisse. De alijs autem votis non ita magnis,pœnitere,regulariter loquendo,vel non est peccatum, si sufficiens causa pœnitendi adsit, vel tantum est peccatum,veniale leue, si talis causa non adsit.

1. Dictum.

2. dictum.

3. dictum.

4. argumē. adsit. Dico quarto,quod opus factum ex voto cum illa tristitia & pœnitudine,dummodo adsit propositum adimplendi, adhuc est magis meritorium,quam si non fieret ex voto. Ita tenet D. Thom. expresse in solutione ad 2. & infra quæst.180.arti.5. & in summa, verbo.cogitatio. Ex quo sequitur,quod quātitas meriti nō semper est pensanda ex quantitate charitatis. Fieri enim poterit, vt opus ex æquali charitate factum, sit magis meritorium, quam aliud: si modò illud fiat ex voto. Vt ieiunium factum ex voto,est magis meritorium,quam illud,quod non sit ex voto, quamuis ab æquali charitate vtrumque procedat. Dico vltimò, quod pœnitere de voto,quantum ad opera,quæ quis fecit, aliquando est peccatum mortale, & aliquando veniale:& aliquando nullum est peccatum. Quod vt intelligatur aduertendum est,istam pœnitentiam dupliciter posse contingere. Vno modo ita, vt quis doleat de bonis factis ex voto,adhuc voto præsuppositō: hoc est, pœnitet se fecisse illa opera, ad quæ ratione voti tenebatur. Et ista pœnitentia non est dubium,quin sit peccatum mortale. Nam est pœnitētia rei necessariæ ad salutem: qualis est iam emissi voti adimpletio. Et est proprie dolere de præterita impletione voti, quod ex genere suo est mortale. Secundo modo, ita vt quis doleat de bonis operibus factis ex voto: non tamen præsuppositō voto. Vt cùm quis dolet, se professum esse, & tot annos in religione vixisse,continentiamque seruasse. Qui dolor propriè non est de voti obseruatione,sed de applicatione animi ad votum. Et sic potest esse,vel peccatum veniale,vel nullum peccatum,iuxta doctrinam traditam in secundo & tertio dicto.

Vltimum dictum.

Nota pro religiosis.

¶ Solet præterea circa istum articulum moueri disputatio,vtrùm inter monachos sit laudabile, in omnibus, quæ facere debent, semper expectare superioris præceptum, atque nihil datum. Quam difficultatem paucis absoluit Soto lib.7.de iustitia quæst.2.art.4. dicens,quod si res fuerit ardua, atque dubia, vt ad Indos mittere,vel regimini onus suscipere,consilium est,quod monachus absq; superioris particulari præcepto tales prouincias non subeat. Cæterum si res fuerit certa, vanum erit, atque etiam peccatum præceptum expectare,quod cogat: cum ex virtute voti obedientiæ in his rebus promptitudo, sit magis meritoria, & præceptum imponere non sit necesse, nisi aut rebellibus, aut in dubio haerentibus. Quæ sententia procul dubio est vera,atque tenenda.

ARTICVLVS VII.

¶ Vtrum votum solennizetur per susceptionem sacri ordinis, & per professionem ad certam regulam.

Infr. ar.9. co. Et 4.di. 38.q.1.ar. 2.qu.3. Et quol.3.ar. 18.cor. Et quol.8.ar. 10.cor. Ayt.1.hu. ius.q.

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur quod votum non solennizetur per susceptionem sacri ordinis, & per professionem ad certam regulam. Votum enim,vt dictum *est,est promissio Deo facta. Ea vero quæ exterius aguntur ad solennitatem pertinentia, non videntur ordinari ad Deum,sed ad homines: ergo per accidens se habēt ad votum. Non ergo solennitas talis est propria conditio voti.

2 ¶ Præterea,Illud quod pertinet ad conditionem alicuius rei,videtur posse competere omnibus illis in quibus res illa inuenitur,sed multa possunt sub voto cadere, quæ non pertinent neque ad sacrum ordinem, neque pertinēt ad aliquam certam regulam, sicut cum quis vouet peregrinationem, aut aliquid huiusmodi, ergo solennitas quæ fit in susceptione sacri ordinis, vel in professione certæ regulæ, non pertinet ad conditionem voti.

3 ¶ Præterea, Votum solenne idem videtur esse quod votum publicū. Sed multa alia vota possunt fieri in publico, quàm votum quod emittitur in susceptione sacri ordinis, vel professione certæ regulæ,& huiusmodi etiam vota possunt fieri in occulto: ergo non solum huiusmodi vota sunt solennia.

¶ SED CONTRA est, quod solum huiusmodi vota impediunt matrimonium contrahendum,& dirimunt iam contractum. Quod est effectus voti solennis, vt infra * dicetur in tertia huius operis parte.

Non cōpleuit morte præuentus.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd vnicuique rei solennitas adhibetur secundum illius rei conditionem: sicut alia est solennitas nouæ militiæ, scilicet in quodam apparatu equorum & armorum,& concursu militum, & alia solennitas nuptiarum, quæ consistit in apparatu sponsi & sponsæ, & conuentu propinquorum, votum autem est

Universidad de Deusto
Biblioteca

promissio Deo facta. Vnde solennitas vóti attenditur secundum aliquid spirituale quod ad Deum pertineat, id est, secundum aliquam spiritualem benedictionem vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ, secundo gradu post sacri ordinis susceptionem, vt dicit Dionysius secundo capite Ecclesiasticæ Hierar. Et huius ratiõ est, quia solennitates non consuerunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Non enim solennitas nuptialis adhibetur, nisi in celebratione matrimonij, quando vterque coniugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti solennitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis, diuino ministerio applicatur. Et in professione certæ regulæ, quando per abrenũciationem seculi & propriæ voluntatis, aliquis statum perfectionis assumit.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod huiusmodi solennitas pertinet non solum ad homines, sed ad Deum, inquantum habet aliquam spiritualem consecrationem seu benedictionem, cuius Deus est autor, etsi homo sit minister secundum illud, Numeri sexto, Invocabunt nomẽ meum super filios Israel, & ego benedicam eis, & ideo votum solenne habet fortiorem obligationem apud Deum quàm votum simplex, & grauius peccat qui illud transgreditur. Quod antè dictum est, quod votum simplex non minus obligat apud Deum quàm solenne, intelligendum est quantum ad hoc quod vtrumque transgressor peccat mortaliter.

¶ Ad secundum dicendum, quod particularibus actibus non consuetum fuit solennitas adhiberi, sed assumptionem status, vt dictum est. Et ideo cum quis vouet aliqua particularia opera, sicut aliquam peregrinationem, vel aliquod speciale ieiunium, tali voto non congruit solennitas, sed solum verbo quo aliquis totaliter se subiicit diuino ministerio seu famulatui, in quo tamen voto quasi vniuersali multa particularia opera comprehenduntur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd vota ex hoc quod fiũt in publico, possunt habere quandam solennitatem humanam, non autem solennitatem spiritualem & diuinam, sicut habent vota præmissa, etiam si coram paucis fiant. Vnde aliud est votum esse publicum, & aliud esse solenne.

In corp. ar.

SVMMA TEXTVS.

AD propositam difficultatem respondet D. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio: Solennitas voti attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertinet, scilicet, secundum aliquã spiritualem benedictionem, vel consecrationem. Probatur: Solennitas vniuscuiusque rei adhibetur secundum illius rei conditionem: sed votum est promissio facta Deo: ergo eius solennitas debet attendi secundum aliquid, quod ad Deum pertineat. Consequẽtia cum minori est nota, & maior probatur: Nam alia est solennitas militiæ, quæ consistit in apparatu armorum: & alia solennitas nuptialis, quæ consistit in apparatu sponsi: & sic etiam alia debet esse solennitas voti, & illi proportionata. Secunda conclusio: Hæc solennitas adhibetur in professione certæ regulæ, & in susceptione sacri ordinis. Probatur primo ex D. Dionysio in libro de Ecclesiastica Hierarchia ca. 2. Et præterea ratione: Solennitas adhiberi nõ consuevit, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei: sed per professionem homo renunciat seculo totaliter, & per susceptionem sacri ordinis mancipatur cultui diuino: ergo per hæc debet solennitas voti adhiberi.

Votum duplex, vnum solenne alterum simplex.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca istum articulum, omissis pluribus voti diuisionibus, quas ponit Magister in 4. d. 38. & Paludanus eadem distinctione, q. 2. & Syluester verbo votum. 1. §. 5. aduertendum est, quod votum, quatenus attinet ad præsens institutum, est duplex, vnum simplex, alterum solene. Solenne est illud, quod in professione certæ regulæ, vel in susceptione sacri ordinis emittitur. Simplex autem, quod extra hos duos casus homo Deo facit: etiam si illud coram pluribus fiat: vt constat ex cap. vnico. de voto, & voti redemp. lib. 6. Inter quæ dius voti genera, hoc præcipuũ est discrimẽ, quod votum simplex castitatis, aut religionis impedit matrimonium contrahendum. Et sic peccat mortaliter, qui post votũ simplex castitatis, aut religionis, contrahit: Non

Non tamen dirimit contractum. Quare si homo post tale votum semel contrahat, matrimonium erit validum. At verò votum solenne non solum impedit contrahendum, sed etiam dirimit contractum: cùm efficiat personas omnino inhabiles ad contrahendum, vt constat ex Bonifacio Octauo, in capitulo illo vnico, iam citato. & ex capit. me minimus, & ex cap. veniens, & ex cap. rursus, qui clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possunt. Sed existit hoc loco graue dubium, quid nam sit illud, in quo præcipue consistat solennitas voti? Et vtrùm illud sit de iure diuino, an verò de iure positiuo? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est quorundam, qui dicunt voti solennitatẽ præcipuè consistere siue in benedictione, quę fit in religione, siue in consecratione cuius vsus est in susceptione sacri ordinis. Hanc sententiam tenent communiter Canonistæ super cap. rursus. modo citatum. Et videtur esse D. Thom. in hoc articulo, qui dicit voti solennitatem attendi secundum benedictionem, aut consecrationem. Et cum hæc benedictio, & consecratio tantum sit de iure positiuo, consequenter dicunt voti solennitatem esse de iure positiuo. Cæterũ hæc sententia communiter reijcitur ab omnibus, & meritò. Primo: Quia professio tacita, vt constat ex Concilio Tridentino est votum solenne: tamen in eo nulla interuenit benedictio. Secundo: Nam in professionibus nostri ordinis non benedicuntur illi, qui profitentur: sed tantum genus indumenti, quod portant. Nec illa benedictio est de essentia, nec requiritur ad professionem. Quare etiam si prætermitteretur, adhuc esset voti solennitas. Tertio: Nam sacerdotes Græcorum consecrantur sine illo voto solenni castitatis. Et idem Ecclesia de nostris posset decernere, si vellet, imo posset statuere, vt qui sacris initiãtur, soluin emittant votũ simplex castitatis: & tunc dabitur consecratio sine voto solenni: ergo votũ solenne proprie non consistit in benedictione, aut cõsecratione. Nec D. Tho. contrarium affirmat in hoc articulo. Non enim asserit voti solennitatem in benedictione, aut consecratione consistere. Sed tantum dicit, quod voti solennitas attenditur secundum benedictionem, aut consecrationem. Quibus verbis solum vult significare, illam solennitatem benedictionis, aut consecrationis adhiberi in signum voti solennis: non autẽ, quòd sit de illius essentia: sicut nec solennitas nuptiarum est de essentia matrimonij, quamuis adhibeatur in illius testimonium. Et quod hæc fuerit mens D. Thom. colligitur ex eo, quod ipse in 4. dist. 38. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 3. expresse affirmat, votum solenne consistere in perpetua traditione personæ. Ait enim, votum solenne habere ex natura sua, quod dirimat matrimonium contractum, inquantum homo per ipsum amisit sui corporis potestatem, illud tradens ad perpetuam continentiam. Vnde non potest illud tradere in potestatem vxoris ad matrimonium contrahendum. Et vt ostenderet suam sententiam in hoc loco non esse distinctam ab ea, quam tenuerat in 4. dicit in præsenti, quod solennitates non consueuerunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Sicut solennitas nuptialis non adhibetur, nisi in celebratione matrimonij: quando vterque coniugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti solennitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis diuino ministerio applicatur. Quibus verbis manifestè significat, quod illa benedictionis, aut consecrationis solennitas adhibetur in signum voti solennis, absque eo, quod sit de eius essentia. Sicut & solennitas nuptiarum non est de essentia matrimonij, sed illius dumtaxat testimonium: quidquid dicat Michael à Medina Franciscanus de sacrorum hominum continentia. lib. 4. controuers. 7. cap. 36.

Dubiũ de eo in quo consistit solennitas voti.

1. Sententia

¶ Altera sententia est Caietani in isto articulo, asserentis voti solennitatem præcipuè consistere in statuto Ecclesiæ præcipientis, vt suscipientes sacros ordines, vel profitẽtes religionem approbatam inhabiles sint ad matrimonium contrahendum. Et quoniam huiusmodi Ecclesiæ statutum est de iure positiuo, consequenter dicit voti solennitatem solum esse de iure positiuo. Ex quo infra artic. 11. colligit, Papam posse dispensare in voto solenni castitatis, & religionis. Quod etiam affirmat in opusculo 27. quæstionum q. 25. Hanc etiam Caietani sententiam tenet Antoni. 3. p. titulo 21. §. 3. & glossa in cap. vnico. de voto & voti redemp. lib. 6. & Scotus in 4. dist. 38. & Paludanus eadem dist. quæst. 4. artic. 4. conclusione 11. Et probatur primo: Papa modò potest statuere, vt qui coram tribus testibus religionem voueret, maneret astrictus voto solenni, & inhabilis omnino ad matrimonium contrahendum: ergo voti solennitas tantum consistit in statuto Ecclesiæ. Secundo: Qui emittit votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ in religione non approbata, non est ligatus voto solenni, sed solum voto simplici, & non alia ratione, nisi, quia deest autoritas Ecclesiæ: ergo ex ea sola voti solennitas dependet. Et confirmatur ex capite vnico, iam citato.

2. Sententia

1. argum.

2. argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vbi diffinit Pontifex voti solennitatem ex institutione Ecclesiæ esse inuentam. Et idem habetur in cap. vt lex. & in capi. nuptiarum. 27. quæst. 1.

3. Sententia

¶ Tertia sententia est D. Thom. in 4. d. 38. q. 1. art. 3. qui dicit, voti solennitatē cōsistere præcipuè in exhibitione personæ. Itaque votum solenne hoc præcipuè differt à simplici, quod simplex est tantum promissio rei tradendæ: solenne autem includit ipsam traditionem personæ. Et hoc idem affirmat in hoc articulo: in quo votum solenne nuptijs comparat. Constat autem substantiam matrimonij præcipuè & perfectè consistere in coniugum traditione. Et cùm hæc traditio non sit de iure positiuo, sed potius de iure naturali, atque diuino, consequenter est dicendum voti solennitatem esse de iure diuino, & naturali. Ex quo sequitur primo ad votum simplex non requiri ministrum Ecclesiæ: sed sat esse illum, qui promittit. Cæterū ad votum solenne, cum sit traditio actualis, necessario requiritur persona aliqua acceptans: cum actualis traditio fieri nequeat sine persona acceptante, & gerente vicem Ecclesiæ. Sequitur secundo, quod summus Pontifex in voto solenni dispensare non potest. De quo late videbimus, ar. 11. huius quæstionis. Et si quis contra istam sententiam obijciat dicens, votum habet vim obligandi ex intentione vouentis: ergo in illius potestate erit per votum simplicem se totum Deo tradere, sicut alius se tradit per votum solenne, atque ex consequenti vtrumque votum erit actualis traditio & sic falsum est discrimen positum inter votum solenne, & simplex: Respondeo ex mente D. Thomæ, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam cum traditio alicuius in perpetuum Dei cultum, maximè renunciando omnibus, sit res magni momenti, noluit Deus, vt fieret sine præuio examine, atque iudicio. Quod non commisit illi, qui vouit, sed potius Ecclesiæ, vt per suos ministros iudicaret, an ille, qui vouet, sit aptus statui, quē promittit, necne? Ex quo fit, vt quoadusque Ecclesia per suos ministros votum acceptet, illud nō sit actualis traditio, quamtumuis vouens se tradere intendat.

2. & 3. sententia partim conueniunt, & partim differunt.

¶ Pro explicatione huius difficultatis, quę vtilissima est, & ex præcipuis huius materiæ (ex illius enim determinatione pendent plures aliæ graues quæstiones inferius examinandæ) aduertendum est, quod istæ duæ vltimæ opiniones, in quibus rei veritas cōsistit, partim cōueniunt, & partim differunt inter sese. Conueniunt quidē in hoc, quod vtraq; opinio dicit in voto solenni cōcurrere simul, & traditionē propriæ personæ, & statutum, atq; ordinationem Ecclesiæ. Caietanus enim hic, hoc concedit, dicens, oportere, quod ambo concurrant, scilicet, Ecclesiæ autoritas, & ex parte vouentis impotentia tradendi seipsum alteri, quæ impotentia fundatur supra affirmatione exhibitionis sui ipsius. Scotus etiā, vt refert Michael à Medina vbi supra ca. 38. inquit, quod solennitas voti considerandā est penes traditionem sub certa forma ab Ecclesia constituta. Et similiter D. Tho. in 4. d. 38. q. 1. ar. 2. quæstiun. 3. affirmat, tunc votum solemnizari, quādo aliquis præsentialiter se dat Deo, diuinisq; seruitijs se mancipat, quod fit per ordinis sacri susceptionē, & per professionem certæ regulæ debito modo factā, scilicet, in manu eius, qui debet recipere, alijsq; circunstantijs seruatis, quæ secundum iura determinantur. Alias non esset votū solenne quantumcunq; quis profiteretur. Soto lib. 7. de iustitia q. 2. ar. 5. etiam docet ad votum solenne esse necessariam traditionem personæ sub forma ab Ecclesia determinata. Alias nullum erit votum solenne. Itaq; secundum omnes vtriusq; partis Doctores, vtrumq; simul requiritur ad solennitatem voti, scilicet, traditio, & Ecclesiæ statutum. Secundo, conueniunt in hoc, quod solennitas illa, seu cæremonia, vel modus, quo vouens se tradit Deo in manu eius, qui potest eū recipere, est Ecclesiæ constitutio, & de mero iure positiuo, iuxta sententiam Bonifacij supra citatā. Differunt autem isti Doctores in hoc, quod Scotus (vt Medina eius discipulus testatur) tenet, quod votum esse solenne prouenit ab Ecclesiæ autoritate, vel statuto. Ait enim, quod in voto solenni traditio se habet, tanquam materia & genus, & Ecclesiæ determinatio, tanquam forma, & differentia. Cum igitur omnis res non habeat, quod sit talis à genere, sed à differentia non à materia, sed à forma, fit, vt votum non dicatur esse solenne à traditione, quæ vt materia, vel genus se habet: sed à constitutione Ecclesiæ, quæ habet rationem formæ & differentiæ. Ex quo colligit, quod votum solenne non habet ditimere matrimonium contractum à traditione, sed ab Ecclesiæ voluntate, & arbitrio determinantis votum solenne talem sortiri effectum. Eodem modo Caietanus, postquam dixit traditionem esse necessariam ad votum solenne ex parte vouentis, subiungit, ex parte Ecclesiæ esse necessarium, quod votum sit inhabilitans hominē ad matrimoniū. Hācq; vim inhabilitantem ad matrimoniū conatur probare, quod non sit in ipsomet voto, ex natura sua, sed solū ex Ecclesiæ statuto. At verò D. Thom. & eius discipuli vt est videre apud Magistrum Soto loco citato, dicunt substantiam, & essentiam voti solennis consistere in traditione. Ex quo consequenter colligunt, votum solenne nō ab Ecclesiæ autoritate, sed à iure diuino, & ex natura sua, eo solū, quod est traditio, habere quod dirimat matrimonium contractum. Verum est, inquiūt, quod hęc traditio debet fieri in manu alicuius, qui nomine Ecclesiæ recipiat solenniter ipsum vouentē. Traditio enim in hoc differt à promissione, quod promissio soli Deo fieri potest, sine aliquo eius ministro, traditio verò necessario requirit acceptantem & recipientē, qui assignari debet ab Ecclesia, vt præuio conueniente examine, atq; iudicio fiat. Tamen solennitas voti, non in ista Ecclesiæ determinatione, sed in ipsa actuali traditione essentialiter consistit. Itaque Ecclesia solum determinat qualitates vouentis, id est, tradentis se Deo, & recipientis eum nomine Dei, quando decernit, neminem recipi debere ad religionem ante tempus probationis, & ante debitam ætatem, & nisi in manu prælati, qui nomine eius recipiat vouētem. nec ad sacros ordines, nisi cum debito examine de ætate, & moribus & scientia, vt patet ex titulo de ætate, & qualitate, & ordine præficiēdorum. Et iste modus suscipiendi est solennitas illa, quam paulò anteà dicebam esse necessariam ex statuto Ecclesiæ secundum omnes Doctores. Cæterum substantia & essentia voti solennis non consistit in hoc, sed in eo, quod vouens tradat se Deo, & illi: à quo nomine Dei recipitur. Ex qua traditione resultat, quod votum solenne ex natura sua habeat dirimere matrimonium contractum, quatenus per illam abrenunciauit iuri & potestati matrimonium contrahendi. Nec hoc est de iure positiuo, sed de iure naturali, & diuino. Quare secundum istos Doctores non est dicendum, quod determinatio, & autoritas Ecclesiæ habet in voto solenni rationem formæ, dans illi completiuè esse solenne, & vim, atque potestatem dirimendi matrimoniū, vt alterius opiniones fautores dicebant. Sed potius se habet sicut conditio, sine qua nō. Itaque quemadmodum in materia fidei, Ecclesia proponens credenda, non est ratio formalis credendi, nec in eam fit vltima fidei resolutio; quia hoc solum conuenit primæ veritati: sed est conditio, sine qua non, quia, nisi Ecclesia proponat tanquam reuelatum à Deo, & à prima veritate, non erit credendū, ipsa enim, vt columna veritatis est cōstituta, quasi regula, & norma eorum, quæ sunt credenda à fidelibus: ita etiā Ecclesiæ autoritas in proposito non est ratio formalis voti solennis cōstitutiua illius in esse tali: sed solum modificat traditionem ipsam, in qua cōsistit. Quatenus non traditio quęcunq;, sed ea, quę est ab Ecclesia approbata & recepta facit votum solenne. Et hic effectus ille faciēdi inhabiles ad matrimoniū, potius traditioni sic factæ, quam autoritati Ecclesiæ est tribuēdus.

Sententia autoris.

¶ Mihi ex his duabus opinionibus, ea quæ est Diui Thomæ videtur longè verior, atque probabilior, oppositamque omnino falsam existimo. Præcipuè quantum ad illud, quod dicit votum solenne, ex statuto Ecclesiæ, & nō ex natura sua, nec ex iure naturali, & diuino habere vim dirimēdi matrimoniū contractum. Et probatur hac ratione. Qui alteri se tradit, suam voluntatem illi mancipādo, naturali iure, & diuino est inhabilis ad suscipiendum alium statum priori contrarium. Sed qui vouet solenniter, tradit se, & voluntatem suam diuino cultui, & ministerio abrenunciando iuri ducendi vxorem, & possidendi proprium, &c. ergo votum solenne ex natura sua, & ratione traditionis, idq; ex iure naturali & diuino, reddit hominem inhabilem ad matrimonium contrahendum. Consequentia est nota, & antecedens, quantum ad vtramq; propositionem, probatur. Et primo, quantum ad maiorem. Nam, si iure naturali, & diuino, qui rei suæ dominium alteri tradit, non potest illam iterum sine furto surripere, nec etiam ille, qui seipsum alteri tradidit, eodem iure poterit seipsum sine furto surripere. Minor autem probatur: Nam religio ex iure diuino, est status sequendi Christum iuxta illud Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Si ergo vtraque propositio posita in præmissis est de iure naturali, & diuino, eiusdem etiam iuris erit conclusio, quæ est sententia D. Thomæ. Secundo: Si sententia Scoti, atque Caietani esset vera, sequeretur, posse Papam dispensare in matrimonio rato non cōsummato: cōsequens autem est falsum, & contra cōmunem sensum Ecclesiæ: ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequela: Votum solenne emissum post huiusmodi matrimoniū, dissoluit illud, & Papa potest, secundū Scotum & Caietanū, dispensare in voto solenni: ergo de primo ad vltimum, etiam poterit dispensare in matrimonio rato nō consummato. De hac re latius erit agendum infra, cū de dispensatione voti fuerit sermo. Vbi, quidquid huius difficultatis residuum fuerit absoluetur.

Ad 1. arg.

¶ Et ad primum argumentum factum pro sententia Caietani, respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiā. Nam quāuis solennitas voti de iure naturali, & diuino consistat in actuali traditione: potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen summus Pontifex efficere, vt quotiescunque votum sit coram tribus testibus in eo sit actualis traditio. Nec ex hoc sequitur voti solennitatem esse de iure positiuo, sed tantum, quod ad ius positiuum spectat apponere conditiones, sine quibus in voto non erit actualis traditio. Quod quidem verum est. Nam quemadmodum, quamuis matrimonium iure naturali, & diuino sit validum, & similiter testamẽtum à quocunque homine factum, & tamen ad ius positiuum expectat apponere conditiones, sine quibus nec matrimonium, nec testamentum validum erit, ita etiam licet votum solenne religionis ex natura sua, & ex iure diuino, & naturali sit actualis traditio: & ex consequenti non solum impediat matrimonium, sed etiam dirimat contractum, ad Ecclesiam tamen spectat apponere conditiones, sine quibus in voto, actualis traditio non inuenietur. Et sic dico substantiam voti solennis religionis esse de iure diuino, & naturali. Tamen quod soléne fiat hoc, vel illo modo, ista, vel illa cæremonia pendet ex iure humano, & Ecclesiastico, & hoc est, quod voluit significare summus Pontifex in illo cap. vnico. de voto, & voti redemp. lib. 6. quando dixit, voti solennitatem ex institutione Ecclesiæ esse inuentam.

Ad 2. arg. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quod in religione non approbata non sit solenne votum ex defectu recipientis ex parte Ecclesiæ. Nam quia non approbat Ecclesia religionem illam, nec etiam recipit votum in ea factum. Et si quis contra hoc argumentetur ex Beato Dionysio Areopagita cap. 6. de Ecclesiastica Hierarchia, vbi dicit, tempore Apostolorum, & suo, fuisse multos ordines monachorũ, & in voto solẽni, vt creditur, & tamẽ tunc nõ fiebat professio eo modo, quo nunc fit, per actualem traditionem in religione approbata: postea enim D. Antonius, & D. Augustin. & D. Benedictus hanc formam religionum, modumque profitendi in illis Ecclesiæ autoritate instituerunt: ergo votum solenne fieri poterit autoritate Ecclesiæ, sine ea solẽnitate, & receptione, qua nunc fit. Respondeo, quod si illi monachi emittebãt vota solennia, de quo valde dubito, ea faciebãt in manibus Episcoporũ, qui nomine Ecclesiæ ea acceptabant, ex Apostolorum, & Ecclesiæ ordinatione. Ad confirmationem ex dictis patet solutio. Iam enim diximus, quod Bonifacius in illo capitulo solum loquitur, de illa cęremonia, seu modo suscipiendi vota, qui ab Ecclesia est inuentus, vt omnes concedunt.

Dubium. ¶ Est aliud dubium, quod mouet Caietanus in præsenti, vtrùm votum simplex, & solenne differant specie? Ad quod ipse sub distinctione respondet, dicens, quod si considerentur ex parte subiecti differunt specie. Ille enim, qui simpliciter vouit, non est inhabilis ad matrimonium, sicut qui votum solenne emisit. Tamen, si considerentur ex parte obiecti sunt eiusdem speciei, cum sint de eadem materia, & eandem vim obligandi habeant. Itaque dicit, quod quemadmodum oculus leonis, & oculus hominis ex parte subiecti differunt specie: quia homo, & leo specie differunt, vt ait Auertoes in primo de anima, & ex parte obiecti sunt eiusdem speciei, quia vterq; oculus habet idem obiectum formale: ità etiam votum simplex, & solenne ex parte obiecti sunt eiusdem speciei, & similiter transgressiones illorum, & differunt solum secundum magis, & minus intra eandem speciem. Loquiturque Caietanus in hoc consequenter ad suam opinionem. Nam cum secũdum ipsum votum simplex, & solenne tantum differant ex instituto Ecclesiæ, & non ex natura rei, eorum obligationes non erunt distinctæ specie, sed solum penes maiorem, vel minorem obligationem. Cæterum nos stando in superius dictis affirmamus, votum solenne & simplex differre specie ex parte obiecti, quatenus hoc est tantum promissio, illud vero traditio, quæ actiones inter sese sunt specie differentes. Hæc est sententia D. Thom. in 4. dist. 38. vbi dicit, quod votum solenne & simplex differunt sicut vegetatiuum, & sensitiuum. Et probatur: Effectus specie distincti à causis specie differentibus debent necessario esse: sicut calefacere, & frigefacere: quia sunt differentes specie à causis etiam specie differentibus procedunt, nempe, ab igne, & ab aqua: sed dirimere matrimonium contractum, & non dirimere sunt effectus specie differentes: ergo & causæ, quæ sunt votum simplex, & solenne debent inter se specie differre. Ex quo infertur, quod si quis post votum solenne castitatis fornicetur, non sat erit in confessione dicere se peccasse cõtra votum castitatis, sed tenebitur dicere, se peccasse contra castitatem solenniter professam, quia circunstantiæ mutantes speciem, sunt necessariò confitendæ, vt omnes Doctores concedunt in 4. d. 18.

Sententia Caietani.

Sententia autoris.

¶ De hoc latius dicemus articulo 11. huius quæstionis cum de voti solennis dispensatione erit sermo. Vbi etiam erit disputatio de matrimonio rato, & non consummato, & de voto, quod fit in susceptione sacri ordinis. Pro nunc hæc dicta sufficiant.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

¶ *Vtrum illi, qui sunt alterius potestati subiecti, impediantur à vouendo.*

Inf. q. 189. ar. 5 Et 4. dist. 32. ar. 4. & d. 38. q. 1. art. 1. q. 3. & opu. 17. 6a. 12.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur quod illi qui sunt alterius potestati subiecti non impediantur à vouendo. Minus enim vinculum superatur à maiori. Sed obligatio qua quis subijcitur homini est minus vinculum, quàm votũ per quod aliquis obligatur Deo: ergo illi qui sunt alienæ potestati subiecti nõ impediuntur a vouendo.

2 ¶ Præterea, Filij sunt in potestate patris, sed filij possunt profiteri in aliqua religione, etiam sine voluntate parentum: ergo non impeditur aliquis à vouendo per hoc, quod est subiectus potestati alterius.

3 ¶ Præterea, Maius est facere quàm promittere. Sed religiosi qui sunt sub potestate prælatorum, possunt aliqua facere sine licentia suorum prælatorũ, puta dicere aliquos Psalmos, vel facere aliquas abstinẽtias, ergo videtur quòd multo magis possint huiusmodi Deo vouendo promittere.

4 ¶ Præterea, Quicunque facit quod de iure facere non potest, peccat. Sed subditi nõ peccant vouendo, quia hoc nunquam inuenitur prohibitum ergo videtur quod de iure possint vouere.

¶ SED CONTRA est quod Numeri trigesimo mandatur, quòd si mulier in domo patris sui & adhuc in puellari ætate aliquid vouerit, non tenetur rea voti, nisi pater eius cõsenserit. Et idem dicit de muliere habente virũ: ergo pari ratione nec aliæ personæ alterius potestati subiectæ possunt se voto obligare.

Artic. 1. q. Præced. ¶ RESPONDEO dicendum, quod sicut supra * dictum est, votum est promissio quædam Deo facta. Nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed solum ad id, quod est omnino in sua potestate. Quicunque autem est subiectus alicui quantum ad id in quo est subiectus, nõ est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non potest se per votum firmiter obligare in his in quibus alteri subijcitur, sine consensu sui superioris.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sub promissione Deo facta non cadit nisi quod est virtuosum, vt supra dictũ * est. Est autem contra virtutem, vt id, quod est alterius, homo offerat Deo, vt suprà dictum * est. Et ideo non potest omnino seruari ratio voti, cum quis in potestate alterius constitutus, vouet id quod est in potestate alterius, nisi sub conditione, si ille ad cuius potestatem pertinet non contradicat.

Ar. 2. huius quæst. Q. 32. a. 7. & q. 86. art. 3.

¶ Ad secundum dicendum, quod ex quo homo venit ad annos pubertatis si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis, quantum ad ea quæ pertinent ad suam personam, puta quod obliget se religioni per votum, vel quod matrimonium cõtrahat. Non autem est suæ potestatis quãtum ad dispensationem domesticam. Vnde circa hoc non potest aliquid vouere quod sit ratum sine consensu patris. Seruus autem, quia est in potestate Domini, etiam quãtum ad personales operationes non potest se voto obligare ad religionẽ, per quã ab obsequio Domini sui abstraheretur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd religiosus subditus est prælato, quantum ad suas operationes secundum professionem regulæ. Et ideo (etiam si aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia hõ occupatur à prælato, quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo prælatus non possit eum circa aliud occupare) nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati, sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris, nec vxoris, nisi sit de consensu viri.

¶ Ad quartum dicendum, quòd licet votum eorum qui sunt alterius potestati subditi, nõ sit firmũ sine cõsensu eorum quibus subijciuntur, non tamẽ peccant vouẽdo, quia in corũ voto intelligitur debita cõditio, scilicet si suis superioribꝰ placuerit vel nõ remittatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVMMA TEXTVS.

LItera huius articuli vaica tantum conclusione continetur. Quæ talis est: Nullus in ijs, in quibus alteri est subiectus, potest per votum se firmiter obligare, sine consensu superioris. Probatur: Votum est promissio facta Deo, qua ad faciendum id, quod vouit, homo se obligat: Sed nullus per promissionem potest se firmiter obligare ad id, quod est in alterius potestate, sine ipsius facultate: ergo nullus in ijs, in quibus alteri est subiectus, poterit per votum firmiter se obligare sine cõsensu superioris. Consequẽtia cum maiori est nota, & minor probatur. Nam in ijs, in quibus aliquis alteri est subiectus, non est sui iuris nec potestatis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Qui impediantur à vouendo ex defectu libertatis.

AB hoc articulo incipit D. Thom. agere de illis, qui sunt potentes vota emittere. Quod vt explicemus, aduertendum est primò, quod duo sunt genera hominum, quibus ex defectu libertatis, facultas ad vouendũ deesse poterit. In primo continentur illi, qui alterius potestati sunt subiecti. Et sunt in triplici differentia: Nam quidam sunt serui sub potestate suorum dominorum constituti. Alij subditi suis prælatis, vt religiosi. Aliæ vxoratæ fœminæ, quę ex præcepto Domini, suis viris sunt subditæ. Et in secundo genere constituuntur pueri, ante legitimum rationis vsum. In hoc articulo agit D. Thom. de illis, qui in primo genere continentur, dicturus articulo sequenti de pueris, quantum ad hoc, quod est, voto se obligare ad religionis ingressum. ¶ Secundo est aduertendum, quod subiectio, qua aliqui impediuntur à vouendo, diuersimodè se potest ad illos habere. Non enim æqualiter omnium opera superioribus subijciuntur, sed diuersimode iuxta diuersitatem subiectionis, quam vnusquisque habet. Nam serui solum sub potestate domini sunt, quantum ad operationes personales, vt ait D. Thom. hic ad 1. non autem quantum ad ea quæ non vergunt in præiudicium Domini. Cum tamen monachi prælato suo, quasi Dei vicario omnem suam voluntatem consecrauerint. Et sic non est paritatio de vtrisque. Nec etiam de vxore respectu viri quæ alterius rationis subiectionem ad illum habere est manifestum. Quare de singulis seorsum erit dicendum.

Subiectio multiplex.

Dubiũ an monachus possit vouere.

¶ Est ergo prima difficultas, vtrùm monachus possit aliquid firmiter vouere sine facultate sui superioris. Et pro parte negatiua est primum argumẽtum: Votum à monacho emissum sine consensu superioris derogat

1. argum.

autoritati, & obedientiæ, quam prælato debet, cum monachus in nulla re sit sui iuris: ergo nõ erit firmum nec validum ante consensum superioris. ¶ Secundo: Monachus per professionem obtulit Deo, & prælato eius vicem gerenti, omnem suam voluntatem: ergo nihil sibi reliquit, de quo possit valide votum emittere sine consensu superioris. Et confirmatur: Promissio de re aliena, ipso iure est nulla: sed subditus vouens sine licentia, facit promissionem de re aliena: ergo ipso iure est nulla. Propter hæc argumenta Ricardus in 4. dist. 38. quæst. 4. tenet nullum votum à monacho emissum ante cõsensum sui superioris esse validum. Quod etiam affirmant summa Angelica, & Rosella verbo, votum. Et adducunt etiam pro se D. Thomam in hoc articulo, dicentem in solutione ad 3. & 4. votum monachi non esse firmũ, sine consensu prælati. Et rursus, quod in voto monachi semper intelligitur conditio, si prælato placuerit: ergo ex sententia D. Thomæ ante consensum superioris non est validum. Et confirmatur ex capit. monacho. 20. q. 4. Vbi dicitur, monacho non licere vota emittere sine consensu abbatis, quod si fecerit frangenda erunt.

2. argum.

Opera de quibus potest votum emitti est multiplex.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, quod opera, de quibus monachi votũ emittere possunt, sunt in multiplici differentia. Quædam enim sunt prohibita, & alia non prohibita. Rursus ex operibus prohibitis, quædam sunt prohibita in genere, vt peregrinatio, & exitus à monasterio, & alia sunt prohibita in particulari, vt quod non faciat hoc vel illud, scilicet, quod non ieiunet. Tandem opera non prohibita sunt in quadruplici differentia. Quædam enim sunt necessaria ad salutem, vt præcepta Decalogi, quorum materia non est subiecta prælatis. Alia sunt, ad quæ monachus ex professione tenetur, vt cæremoniæ, ieiunia, silentium, & alia religionis statuta, in quibus à prælato potest fieri dispensatio. In tertia differentia collocantur opera quædam libera, quæ prælatus subditis prohibere non potest, vt transitus ad strictiorem regulam. In quarto autem genere collocantur opera voluntaria, quæ superioris voluntati subiecta esse videntur, vt orare, abstinere, disciplinam sumere, &c.

1. Cõclusio

¶ Hoc posito sit prima conclusio: Votum à monacho emissum de materia à prælato prohibita, siue in generali, siue in particulari, non est validum, nec obligatorium, quoadusque accedat prælati consensus. Probatur: Ad hoc, vt votum sit obligatorium debet cadere supra materiam virtu-

tutis, sed res à prælato prohibita, nõ est monacho materia virtutis, antequã accedat ipsius consensus: ergo votũ de ea emissum non est validum. Et confirmatur: In illo voto semper est subintellecta conditio affirmatiua. Si prælatus consenserit: ergo ipso consensu nõ existente votum non erit validum. Dico tamen, quod subditus, qui tale votum emiserit ex vi illius tenebitur petere à prælato facultatem faciendi quod vouit, alias promissio esset vana, & ridicula. Vtrum autem dum talem facultatem petit: teneatur dicere prælato se tale votum emisisse, vel potius sufficiat tantum petere facultatem, verbi gratia, ieiunandi, vel peregrinandi, quod fuerat promissum, & etiam prohibitum, varietate opinionum controuertitur à Doctoribus. Securius tamẽ est votum prælato explicare. Multa enim negant absolutè superiores, quæ cõcederent, si scirent esse Deo promissa. Si quis autem quærat, vtrùm vouens materiam prohibitam vltra hoc, quod votum non est validum ante consensum prælati peccet? Dico breuiter sub distinctione, quod si res, quæ promittitur est prohibita quia mala, votum emissum non solum non est validum, sed etiam illud emittere erit peccatum; quia est de re absolutè illicita, & sine aliqua conditione. Si autem res, quæ promittitur est mala; quia prohibita, & alias posset esse materia voti, illam vouens sub conditione facultatis superioris non peccat, cum nihil illicitũ faciat, sed potius mereatur.

2. Concluſ.

¶ Secunda conclusio: Votum à monacho emissum de re non prohibita, erit validum, & obligatorium, etiam ante consensum prælati, quoadusque prælatus contradicat. Probatur: Materia illius voti est legitima, & in in eo intelligitur conditio negatiua, scilicet, nisi prælatus contradicat: ergo quoadusque interueniat prælati contradictio, erit validũ, & obligatorium. De hac re est videndus Caietanus in præsenti. Si quis autem quærat, vtrùm monacho liceat tale votum manifesta re, vt irritetur, vel potius teneatur illud celare? respondetur, quod vtrumque potest fieri; quia in hoc subditus vtitur iure suo. Imo dico quod si votũ emissum est graue, poterit prælato suã molestiã aperire, & petere voti irritationẽ. Quã etiam poterit prælatus facere; dũmodo sit de re, quæ nulla lege sit, aut præcepta, aut prohibita; vt de orãdo, vel ieiunando tali die. In his enim monachus verè est prælato subiectus. Nec sit iniuria voto, cum munus maiorum sit subditorum temeritates corrigere, & coercere, vt statim sequenti dubitatione dicemus.

3. Concluſ.

¶ Tertia conclusio: Si monachus emittat votum de re à prælato, vel religione prohibita, quam ignorabat esse prohibitam, & postea certo cognoscit illius rei prohibitionem, non est validum, nec obligatorium, nec tenetur illud prælato manifestare aut petere licentiam, vt votum adimpleat. Probatur: Ignorantia illa tollit voluntarium; & si sciret talem prohibitionẽ non vouisset: ergo votum illud non est validum, nec inducit aliquam obligationem. Et idem dicendum existimo, si voto iam à monacho emisso, prohibeat prælatus rem promissam. Vt si, verbi gratia, promittat aliquis ieiunare singulis diebus vnius hebdomadæ, & posteà prælatus tale ieiunium prohibeat, votum illud non erit validum, nec tenebitur subditus aperire prælato suum votum, aut petere licentiã ad illius adimpletionem. Quia tunc interpretandus est monachus nõ voluisse voto se obligare, stante tali prohibitione. Dico tamen, quod si posteà talis prohibitio auferatur, quæ quidem extinguitur extincto prælato, sicut & quæcunque alia censura, aut prohibitio ab homine facta denuo resurget voti obligatio. Quia cum illud non fuerit factum irritum per prohibitionem, sed suspensum, ad irritationem enim cum sit actus iurisdictionis requiritur causæ cognitio, ea prohibitione de medio sublata, votũ adhuc erit obligatorium. Quare si talis monachus domicilium mutet & ad aliud monasterium, in quo similis prohibitio non inuenitur, trãseat; tenebitur illud votum seruare, quoadusque per prælatum fuerit factum irritum.

¶ Sed quoniam de irritatione nobis sermo incidit, dubium est, vtrùm prælatus possit quodcumque votum subditi irritare? Ad cuius explicationem aduertendum est primò, esse latissimum discrimen inter irritationem, & dispensationem, quantum attinet ad præsens institutum. Irritare enim est votum cassare, & impedire ne robur obtineat. Quomodo princeps potest irritare legem à ciuitate institutam, & maritus potest irritare vota vxoris, & pater vota filiorum; super quibus quidem, si solida essent dispensare non posset. Dispensare verò est autoritate superioris relaxare voti obligationem. Quæ quidem differunt, & quantum ad causam, & quantum ad potestatem. Quantum ad causam; quia dispensatio sine legitima causa facta est nulla, vt videbimus articulo. 10. huius quæstionis. At verò irritatio etiam sine legitima causa facta erit valida, quamuis sic irritans peccet ad minus venialiter, faciendo opus otiosum. Differunt etiam quantum ad potestatem. Quia ad dispensationem re-

Discrimen inter irritare & dispensare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quiritur potestas spiritualis iurisdictionis: & sic fieri non potest nisi à prælatis habentibus spiritualem iurisdictionem. Ad irritationem verò tantum requitur potestas dominatiua. Qualis est in patre erga filios, in marito erga vxorē, & in domino erga seruos. Ex quo infertur, quod illi, qui habuerint vtramque potestatem, spiritualem, scilicet, & dominatiuam erga subditos, poterunt illorum vota irritare, & dispensare. Illi autē, qui tantum habuerint potestatem spiritualem, poterunt quidem vota dispensare, sed nō irritare. Illi verò, qui solum habuerint potestatem dominatiuam, tantum poterunt vota irritare, & non dispensare.

Prælati religionum possunt irritare & dispēsare vota subditorū.

¶ Secundo est aduertendum, quod prælati religionum, vt Prouincialis & Generalis erga subditos non solum habent spiritualem iurisdictionem, sed etiam potestatem dominatiuam: quia sunt subditorum patres. Et sic illorum vota non solum poterunt dispensare sed etiam irritare. Et similiter summus Pōtifex respectu monachorum habet vtramq; potestatem; quia est omnium religionum generalissimus pater. Cæterùm respectu aliorū, siue laicorum, siue clericorum, tantum habet potestatem spiritualis iurisdictionis. Et sic poterit eorum vota dispensare & non irritare. Et similiter Episcopus erga suos subditos, siue laicos, siue clericos, tantum habet potestatem spiritualis iurisdictionis. Et sic non poterit eorum vota irritare, sed dispensare. At verò mariti, patres, tutores, domini, quia erga vxores, filios, pupillos, & seruos tantum habent potestatem dominatiuam, poterunt quidem eorum vota irritare, & non dispensare Dico tamen, quod mater marito viuente non potest filij votum irritare, sed pater, quia vterque est ipsi patri subiectus. Bene tamen mortuo marito: maximè si sit filiorum tutrix. Tutores autem vtriusque sexus poterunt irritare vota pupillorum; quia habent vicem patris.

Potestas irritandi in prælatis est de iure naturali & diuino.

¶ Tertio, est aduertendum, quod potestas, quam superiores monachorum habent ad irritandum suorum subditorum vota, non solum iure humano, sed etiam naturali, & diuino illis conuenit. Nam cum eo ipso, quod quis religionem profitetur, subiiciatur per obedientiam arbitrio prælati, fit, vt facta professione iure naturali, & diuino non possit ab illo suam voluntatem dimouere, sine superioris iniuria. Et sic superior iure naturali, & diuino potest suorum subditorum vota irritare, vt rectè docet Caietanus in hoc articulo, quamuis Syluester verbo. votum. 3. §. 3. sequutus Ricardum, & alios dicat, quod prælatus tantum habet hoc ex iure humano. Ex dictis infertur, quod prælatus non potest irritare vota nouitiorum, cum nondum sint eius subditi, nec ipse sit propriè pater illorum. Quòd autem pater respectu filij, & maritus respectu vxoris, & dominus respectu serui iure naturali, & diuino habeat potestatē vota irritandi, patet ex libro Numero. capitulo 30. & refertur. capitu. noluit, & capitulo, manifestum. 33 q. 5.

4. Concluſ.

¶ His positis sit quarta conclusio: Votum à monacho emissum de rebus necessariis ad salutem, vt de non mentiendo, & non furando, potest à prælato dispensari. Hæc conclusio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus. Et probatur: Nam, quamuis illa materia non subsit absolutè potestati prælati, subest tamē quatenus cadit sub libera obligatione. Et sic ex hac parte potest prælatus in illo voto dispensare. Vtrùm autem tale votum possit à prælato irritari, varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Quidam tenent partem negatiuam. Quia cum potestas irritandi, secundum illos, fundetur supra dominium materiæ; & materia præcepto rum non cadat sub dominio prælati, fit, vt votum supra illam cadens à prælato irritari nō possit. Contraria tamen sententia est probabilior; quam tenet Soto libro 7. de iustitia quæst. 5. arti. 1. Et probatur: Quamuis prælatus non sit dominus absolutè illius materiæ, est tamen dominus quatenus cadit sub libera obligatione: ergo hoc satiserit ad hoc, vt possit illud votum irritare. Et cōfirmatur: Prælatus est dominus voluntatis subditorū, quantum ad ea, quæ non sunt de necessitate salutis; & debent sub eius voluntate adimpleri: sed illa nona obligatio, quæ ex voto oritur, est huiusmodi: ergo illius est dominus prælatus, atque ex consequenti poterit tale votum irritare.

5. Concluſ.

¶ Quinta conclusio: Votum à monacho emissum de transeundo ad strictiorem regulam, potest à prælato dispensari, non tamen irritari. Hæc conclusio communiter ponitur ab omnibus Doctoribus. Et probatur primo, quod illud votum irritari non possit. Est de re, quam subditus facere debet, postquam fuerit extra prælati obedientiam: ergo prælatus non habet supra illam plenam potestatem; atque ex consequenti non potest illud votum irritare. Quod verò illud dispensare valeat, probo: Tēpore, quo monachus tale votum emittit, ità est sub prælati potestate, vt teneatur in omnibus sequi eius voluntatem: ergo poterit eius grauamen tollere per dispensationem.

6. Concluſ.

¶ Sexta conclusio: Omnia alia vota à monacho emissa poterunt à prælato irritari, &

& dispensari, siue sint de rebus, ad quæ ex professione tenetur, siue de alijs operibus voluntarijs, vt de ieiunando, orando. &c. Probatur: respectu horum habet prælatus vtramque potestatem, spiritualem, scilicet, & dominatiuam: ergo poterit illa vota irritare, & dispensare.

Sententia autoris.

Ad 1. arg. ¶ Ad primum argumentū in principio factum respondetur, negando antecedens: Nā cum in voto à monacho emisso, si sit de re non prohibita, intelligatur semper conditio negatiua, nisi prælatus contradicat, & in voto de re prohibita intelligatur conditio affirmatiua; si prælatus consenserit, vt iam diximus, nulla prælato fit iniuria; nec tale votum derogat eius autoritati, si quidem semper pendet à voluntate prælati. *Ad 2. arg.* ¶ Ad secundum respondetur, quod licet monachus obtulerit Deo, & prælato eius vicem gerenti omnem suam voluntatem, manet tamen liber ad hoc, vt de rebus necessarijs ad salutē, & de alijs non prohibitis possit valide votū emittere, vt iam explicuimus. Ex quo sequitur, vt quando de his rebus votum emittat, non offerat rem alienam, sed propriam, supra quam habet potestatem, licet prælato subiectam. Et per hoc patet solutio ad confirmationem. Ad illud, quod adducitur à Ricardo ex D. Thoma, respondeo, quod quando D. Thom. affirmat, votum monachi non esse firmum sine consensu prælati, non vult significare, quod illud non sit validū, si de re non prohibita fiat; sed tantum, quod non est omnino firmum: quia prælatus potest illud irritare & dispensare. Ad aliud ex capitu. monacho. respondetur, illud potiùs facere pro nostra opinione. Nam, si vota à monachis facta, sine consensu Abbatis, sunt frangenda, signum est, quod erant obligatoria. Alias non esset opus, vt frangerentur, vel irritarentur. Eo vel maximè, quod illud capitulum nō est alicuius concilij, aut Pontificis; sed tantum D. Basilij. Et sic tantum habet autoritatem vnius Doctoris.

Dubium. ¶ Est aliud dubium, vtrùm votum à monacho emissum ex licentia prælati possit postea à prælato irritari? In qua re Ricardus in 4. d. 38. artic. 4. partem tenet negatiuam; imò dubitat, vtrùm possit iam amplius in illud votum dispensare. Vnde dicit recurrendum esse ad summum Pontificem pro irritatione, vel dispensatione. Et ratio illius est: Nam ad firmitatem voti à religioso emissi, nihil amplius requiritur, quam prælati consensus: ergo postquam ille accesserit iam erit ita firmum, vt amplius irritari non possit. Hoc tamen non obstante, dico, quod contraria sententia est verior, atque probabilior. Et probatur ex D. Augustino. Qui, vt refertur in capit. noluit. & in cap. manifestum. 33. quæst. 5. dicit, quod si maritus consentiat voto vxoris, & postmodum consensum reuocet, non tenebitur amplius vxor voto: ergo idem etiā est dicendum de prælato respectu subditi: atque ex consequenti poterit illud irritare. Et confirmatur: Monachus, cùm ex facultate prælati vouet, adhuc manet illi subiectus, sicut anteà erat: ergo adhuc manet in ipso prælato autoritas illud votum irritandi. Dico tamen, quod si prælatus huiusmodi voti irritationem faciat, sine rationabili causa peccabit mortaliter; quia est infidelis Deo in re graui. Ipsa tamen irritatio erit valida, vt expressè docet D. Augustinus loco citato. Et confirmatur ex libro Nume. capitu. 30. vbi dicitur, quod si vir postquam consenserat voto vxoris, illi denuo contradicat, vxor non erit voti rea; ipse tamen portabit iniquitatem eius: ergo id non potest facere sine culpa. Cæterum, si ex rationabili causa motus prælatus reuocet licentiam datam, & irritet votum, quod sua licentia fuerat emissum, nullū peccatum committit, vt docet D. Augustinus loco citato. Et ratio est: Nam prælatus adhuc post datam licentiam manet dominus materiæ, quoad usq; eius fiat traditio per voti adimpletionem, & sic ex rationabili causa potest illud votum irritare absque aliquo peccato, & multo melius dispensare, cum semper maneat prælatus, & iudex, habeatq; potestatem spiritualis iurisdictionis, quæ requiritur ad dispensationem. Et ad rationem Ricardi respondetur, quod illud votum est firmum ad hunc sensum, quod est obligatorium, & irritari licitè non potest, sine rationabili causa. Cæterùm cum prælatus post datam facultatem adhuc maneat rei possessæ dominus, si voti irritationem faciat, erit valida. Et si quis adhuc instet pro sententia Ricardi: Promissio facta homini à monacho, vel ab vxore, vel à seruo ex licentia superioris, vel mariti, vel domini, ità est obligatoria, vt à superiori, vel marito, vel domino non possit irritari: ergo idem est dicendum de voto, quod est promissio facta Deo: Et confirmatur: Prælatus peccat irritando illud votum, vt diximus: ergo talis irritatio est nulla: Patet consequentia: Nam subditus non debet obedire prælato in re illicita; & sic tenebitur votum adimplere. Respondetur ad hoc argumentū primò, cōcesso antecedē-i, negādo consequētiā. Nam quando prælatus vel maritus dant facultatem subdito, vel vxori, vt promissionem homini faciant, videntur etiam dare facultatem, vt in alterum transferant dominiū rei promissæ; & sic illam denuo reuocare

Sententia Ricardi.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

nō possunt. Cæterū in voto facto Deo hoc nō inuenitur, & sic non est eadē vtriusq; ratio. Vel secūdo respōdetur, & melius, negādo antecedēs. Nā quāuis subditus, vel vxor aliquid promittāt ex licētia prioris, vel mariti; si tamē ipsi postea antequā promissionē adimpleant mutent sententiā, non tenebitur subditus, vel vxor promissionem adimplere, sed extunc erūt ab ea liberi, siue superior peccet prohibēdo, siue nō. Ità docet Caietanus hic, & Soto li.7.de institia q.3.ar.1.& colligi videtur ex c.nec illud 33.q.5. Et idē est dicendū de voto. Ad confirmationē respondetur, quidquid sit de antecedēti, negādo consequētiam. Nam licet prælatus peccet reuocando licentiam, reuocatio tamen est valida; quia vtitur iure suo. Nec subditus peccat dum sequitur voluntatem prælati, cum munus illius sit prælato parere, & nō examinare iussa maiorū in iis, quæ nō sunt per se mala. Sicut nec peccat ille, qui pecunias apud se depositas reddit dño illas petenti ad prodigēdum, quia alius vtitur iure suo, quāuis in eī vsu peccet.

Dubiū de dominis irritantibus vota seruorum.

¶ De dñis est aliud dubium, vtrū quodcūque votum serui irritare possint? Ad cuius explicationē dico primò, quod omne illud votum, quod ad sui adimpletionem aliquod tēpus requirit, vt votum peregrinationis, vel de recitandis horis, potest à dño irritari. Ità affirmat D.Tho.in 4.d.38.q.1.art.1.q.3.atti.3. Et ratio est; quia cum seruus nullo tempore sit exemptus à seruitio sui domini nō poterit tale votū emittere, sine iniuria domini sui. Atq; adeo dñs poterit illud irritare. Dico secundo, quod si seruus voueat castitatem, tale votum non poterit à domino irritari. Et ratio est: Nam in iis, quæ non præiudicant seruitio sui domini, seruus non subiectus, sed sui iuris est. Et tale est votum castitatis: Et sic si emittatur non poterit à domino irritari. Et confirmatur: Seruus domino inconsulto, imò renitente, potest matrimonium contrahere: ergo & castitatem vouere. Patet consequentia: Nam hoc votum minus præiudicat seruitio dñi sui, quā matrimonio; cū ad sui adimplētionē nullū tēpus requirat. Antecedēs verò probatur, ex c.1.de cōiugio seruorū, & ex c.omnibus. & ex c.dictū.27.q.2. Nō tamē poterit seru⁹ religionē intrare dño inuito, quia hoc præiudicat seruitio illius.

De marito an possit irritare vota vxoris.

¶ Simile dubium mouetur de marito, vtrum omnia vota vxoris possit irritare? Ad cuius explicationem dico primò, quod omnia vota vxoris, quæ præiudicant viro, quantum ad actum matrimonialem, possunt à viro irritari. Hoc dictum est certum, & ab omnibus receptum, habeturque expresse in capitu. innotuit.33.qu.5. Imò dico, quod si

1. Dictum.

mulier ante matrimonium votum emisit, etiā ex licentia patris, ieiunii, vel magnæ abstinētiæ, vel etiam recitandi horas B. Virginis, poterit illud postea maritus irritare, vt docet expresse D.Aug.in illo loco. Vtrū autem vxor possit similia viri vota irritare varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Verior tamen, & probabilior sententia est, quod vxor potest omnia vota mariti, quæ præiudicant actum matrimonialem irritare. Ita tenet Syluest.verbo.votū.5.§.1.& Nauarro in Man.c.12.n.60. Et ratio est: Quia quantū ad debitū matrimoniale, æqualis sunt potestatis vir, atq; vxor, vt cōstat ex Paulo 1.ad Cor.c.7. Vbi licut dicit, quod vxor nō habet potestatē sui corporis, sed vir, ita etiam dicit quod vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor. Ex quo infero primo, quod neuter illorum potest vouere castitatem simpliciter: sed illo voto non obstante adhuc tenebitur debitum reddere, ac si illam nō vouisset. Quantū autē attinet ad petitionem debiti, non poterit alter coniugum castitatis votum ab altero factum irritare, quia quantum ad illud, nō præiudicat actum matrimonialem, nec fit iniuria alicui. Infero secundo, quod si vir voueat ieiunium, vel magnam abstinentiam, vel longam peregrinationem, poterit tale votum ab vxore irritari: quia vergit in præiudicium actus matrimonialis. Excipitur tamen votum peregrinationis in subsidium terræ sanctæ, quod vir sine licentia vxoris emittere poterit nec ab ea irritari, vt docet D.Tho.in 4.d.32. art.4 ad 2. Colligiturque hoc ex cap.multa. de voto, & voti redemptione. ¶ Dico secundo quod maritus potest irritare omnia vota vxoris, quæ fiunt de eleemosynis, de ieiuniis, de orationibus, & de alijs rebus, quæ ad domesticam pertinent gubernationem. Et probatur. Nam vir quātum ad hæc omnia habet plenam potestatem supra vxorem. Ità docet D.Aug.relatus in c.noluit.iam citato. & constat expresse ex scriptura. Numerorum enim c.30.dicitur, quod si mulier voueat, & iuramento se constringat, vt per ieiunium, vel per aliarū rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, vt faciat, siue non faciat. Similiter etiam poterit vir irritare vota vxoris de nō mentiendo, vel de non furando. Quia licet materia horum votorum absolutè non cadat sub viri potestate, cadit tamen quantum ad liberam obligationem, quæ ex voto oritur, vt supra diximus de religiosis. Et hoc satis est ad voti irritationem. Vtrum autem votum ab vxore emissum, sine viri licentia, de non petendo debitum possit à marito irritari? maiorem in se continet difficultatem. Caietanus in hoc articulo

2. Dictum.

affirmat tale votum non posse à viro irritari, & eandem sententiam tenent Paludanus, atque Ricardus in 4.dist.38. Et ratio illorum est, quia hoc non vergit in præiudicium viri, cum vxor sufficienter satisfaciat debito matrimoniali reddendo debitū. Contraria tamen sententia est verior, & probabilior, quā tenēt D.Tho. Albertus Magnus, & Nauarro cap.12.num.60. Et probatur: Nam Numerorum cap.30. dātur marito absolutè potestas irritandi quæcunque vota vxoris: ergo hoc etiam poterit irritare. Et confirmatur: Nam, quāuis materia huius voti nō sit plenè subiecta viro, est tamen quatenus cadit sub libera obligatione. Maximè, quod vt docet Nauarro loco citato, hoc votum vergit in præiudicium viri, cui onus imponitur semper debitum petendi. Et certè, si hæc ratio aliquid valet, vxor similiter poterit irritare tale votum à viro emissum; quia cedit in præiudicium actus matrimonialis, præsertim, quod mulieres naturali pudore magis arcentur à petitione debiti, quam viri: & sic maius onus illis imponitur per tale votum. Quod quidem est probabilissimum. ¶ Dico

3. dictum.

tertio, quod quāuis votū fuerit ab vxore emissum, ex licētia mariti, adhuc potest à viro irritari: Probatur: Maritus nō minorē potestatē habet supra vxorē, quā pater supra filios, & prælatus erga monachos: sed isti post concessam licentiā possunt subditorū vota irritare, vt diximus: ergo & maritus. Eo vel maximè, quod hoc habetur expresse Numero. ca.30. pertinetque ad præcepta moralia, & non ad cæremonialia, vel iudicialia.

4. dictum

¶ Si quis autem quærat, vtrùm votum, quod emisit vxor, implendum post mortem mariti; & votum filij implendum postquam fuerit emancipatus; & votum serui factum sub conditione, si fuerit libertus, possint à marito, patre, & domino irritari? quantuis multi teneant partem affirmatiuam; propterea, quod eo tempore voluntas vxoris, vel filij non subijcitur voluntati patris, vel mariti, quod necessarium esse dicunt ad voti irritationem. Dico quarto verius, & probabilius esse, quod nec maritus, nec pater, nec dominus possunt tale votum irritare. Ità tenet Caietanus in præsenti. Et ratio est: Nam ad hoc, vt superior possit irritare vota inferioris, necessarium est, vt habeat potestatem supra materiam ipsius voti, vt diximus supra, cum de religiosis agere mus: sed maritus, vel pater non habet potestatem supra materiam voti, quod ab vxore, vel filio post mortem eius debet adimpleri: ergo nec potest illud votum irritare. Et confirmatur: Potestas irritandi non cō

5. dictum.

uenit personæ superioris; quia superior est; sed, quia est dominus materiæ ipsius voti: sed maritus vel pater, nō est dñs materiæ voti quod debet ab vxore, vel filio impleri post mortem ipsius: ergo. Et ad argumentum in contrarium factum respondeo, ad potestatē irritandi non satis esse, quod quis habeat potestatem supra voluntatem vouentis: sed vltra hoc requiritur dominium materiæ ipsius voti, vt diximus.

¶ Vltimum dubium in hoc articulo est, vtrùm, si vterque coniugum ex mutuo consensu castitatem voueat, maritus possit illud irritare? In qua re est opinio quorundam, qui dicunt, non obstante tali consensu, ad huc virum posse votum vxoris irritare. Quo facto ipsa posteà poterit votum mariti irritare, & sic petere mutuò, & reddere debitū. Et ratio huius sententiæ est; quia vir absolutè habet potestatem irritandi quodcunque votum ab vxore factum; atque ex consequēti etiam poterit irritare hoc. Et confirmatur: Si sola vxor tale votum emisisset, posset vir illud irritare: ergo etiam si à viro fuerit emissum. Probo consequentiam: Nam maritus idem ius habet in vxorem, quod antea. Hoc tamen non obstante, dico quinto, quod vir eo tempore non potest vxoris votum irritare. Ita tenet Soto libro 7.de Iustitia, quæst.3. articulo 1.& in 4.distin.27. quæstione 1.articulo 4.& Nauarro capitulo 12.numer. 59. Et ratio est: Nam ex mutuo consensu, vterque coniugum renunciauit iuri, quod habebat, tam debitum petendi, quam votum irritandi. Ex quo infero primò, quod si vir petat debitum ante dispensationē, vxor non poterit illud reddere sine peccato. Infero secūdo, quod hoc votū nō poterit ab Episcopo dispensari. Nam cum sit absolutum votum castitatis, recurrēdum erit ad summum Pontificem. Nisi fortè sit periculum incontinentiæ, & non possit de facili patere accessus ad summum Pontificem. Vel, nisi ipsi coniuges sint ità pauperes, vt non habeant quo dispensationem acquirant. Tunc enim poterit Episcopus in tali voto dispensare. Ità tenēt Syluester verbo.dispensatio.§.9. & Nauarro in Manuali cap.12.numero 59. Quando autem alter tantum coniugum vouit castitatem; quia non est absolutum votum castitatis, sed tantum non petendi debitum dispensari poterit ab Episcopo, & à quocunque idoneo confessore per bullam Cruciatæ, vt docet Syluester verbo, matrimonium 7.§.7. ¶ Dico

Vlt. dictū.

vltimò, quod votum semel à superiori irritatum, siue sit puberum, siue impuberum, nō potest amplius reuiuiscere, adhuc cessante autoritate eius, qui illud irritauit. Hoc dictum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum est contra Innocentium. Qui in capitulo, scripturæ, de voto. ponit discrimen inter votum puberum, & impuberum. Et dicit, quod vota impuberum non reuiuiscũt, bene tamen vota puberum. Nostram tamen sententiam tenẽt Panormitanus in dicto capitulo, Syluester verbo, votum. 4 §. 2. & Nauarro cap. 12. num. 67. Et probatur. Illud votum verè fuit factum nullum per irritationem: ergo non poterit amplius obligare, nisi de nouo fuerit emissum.

ARTICVLVS IX.

¶ Vtrùm pueri possint voto se obligare ad religionis ingressum.

Inf. q. 189. artic. 5. co. Et 4. dist. 27. quæst. 2. arti. 3. co. Et dist. 38 q. 1. ar. 1. quæst. 1. & opusc. 17. ca. 12. & cap. 13. ad 10.

AD NONVM sic proceditur. Videtur quòd pueri non possunt voto se obligare ad religionis ingressum. Cum enim ad votum requiratur animi deliberatio, non competit vouere nisi illis qui habent vsum rationis. Sed hoc deficit in pueris, sicut & in amẽtibus vel furiosis. Sicut ergo amentes & furiosi non possunt se ad aliquid voto astringere, ita etiam nec pueri (vt videtur) possunt se voto obligare religioni.

2 ¶ Præterea, Illud quod rite potest ab aliquo fieri, non potest ab aliquo irritari. Sed votum religionis à puero vel puella factum ante annos puberatis, potest à parentibus reuocari vel à tutore, vt habetur vigesima q. 2. capite, puella: ergo videtur quòd puer vel puella ante quatuordecim annos non possit rite vouere.

3 ¶ Præterea, Religionem intrantibus, annus probationis conceditur, secundum regulam beati Benedicti, & secundum statutum * Innocentij quarti, ad hoc quòd probatio obligationem voti præcedat: ergo illicitum videtur esse quòd pueri voto obligentur ad religionem ante probationis annum.

17. q. 2. ca. Consaldus ex Alexan.

¶ SED CONTRA, id quod non est rite factũ, nõ est validũ, etiam si à nullo reuocetur. Sed votum puellæ ante annos pubertatis emissum, validum est, si infra annum à parentibus non reuocetur, vt * habetur vigesima q 2 c. puella, ergo licite & rite possunt pueri obligari ad religionem, etiam ante annos pubertatis.

20. q. 2. c. puella.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex suprà * dictis patet, duplex est votũ, scilicet simplex & solenne. Et quia solennitas voti in quadã spirituali benedictione, & consecratione consistit (vt dictum * est) quæ fit per ministeriũ Ecclesiæ, ideo solennizatio voti sub dispẽsatione Ecclesiæ cadit. Votum autem simplex efficaciã habet ex deliberatione animi, qua quis se obligare intendit. Quod autem talis obligatio robur non habeat, dupliciter potest contingere. Vno quidem modo propter defectum rationis, sicut patet in furiosis & in amẽtibus, qui se voto nõ possunt obligare ad aliquid, dum sunt insuria vel amẽtia. Alio modo, quia ille qui vouet, est alterius potestati subiectus, vt suprà dictũ * est. Et ista duo concurrunt in pueris ante annos puberratis, quia & patiuntur rationis defectũ, vt in pluribus, & sunt naturaliter sub cura parentum vel tutorum, qui sunt eis loco parentũ. Et ideo eorum vota ex duplici causa robur nõ habent. Contingit tamen propter naturæ dispositionem, quæ legibus humanis non subditur, in aliquibus, licet paucis, accelerari rationis vsum, qui ob hoc dicuntur doli capaces. Nec tamen propter hoc in aliquo eximuntur à cura parentum, quæ subiacet legi humanæ respiciẽti ad id quod frequentius accidit. Est ergo dicẽdum, quòd si puer vel puella ante pubertatis annos nondũ habeat vsum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si verò ante pubertatis annos attingit vsum rationis, potest quidẽ, quantum in ipso est, se obligare, sed votum eius potest irritari per parẽtes, quorũ curæ remanet adhuc subiectus. Quantumcunq; tamen sit doli capax ante annos pubertatis, non potest obligari voto solenni religionis, propter Ecclesiæ statutum, quod respicit id quod in pluribus accidit. Post annos autem pubertatis possunt iam se voto religionis obligare, vel simplici vel solenni absque voluntate parentũ.

Arti. 7. huius quæst.

Art. 7. huius qu.

Art. præc.

¶ AD

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdũ, quòd ratio illa procedit de pueris qui nondũ attigerunt vsum rationis, quorum vota sunt inualida, vt dictum * est.

In corp. ar.

¶ Ad secundum dicendum, quod vota eorum qui sunt in potestate aliorum, habent conditionem implicitam, scilicet, si non reuocentur à superiori, ex qua licita reddũntur, & valida si conditio extat, vt dictum * est.

Ar. 8. & 9.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de voto solenni quod fit per professionem.

SVMMA TEXTVS.

ANte quam D. Tho. ad propositam difficultatem respondeat, supponit duo. Primũ est, quod votũ est duplex, vnũ simplex alterum solenne. Inter quæ hoc est discrimen, quod obligatio voti solennis pendet ex statuto Ecclesiæ, ad hunc sensum, quod nisi fiat conditionibus ab Ecclesia statutis, non erit votum solenne, vt diximus art. 7. At verò obligatio voti simplicis pendet ex deliberatione vouentis. Secundum, quod supponit D. Tho. est, quod obligatio voti dupliciter potest impediri, ne robur obtineat. Vno modo ex defectu vouentis, quia non est mentis suæ compos, vt contingit in amentibus, vel furiosis. Alio modo, quia ille, qui vouet, est subiectus alterius potestati, in eo quod vouet, vt diximus articulo præcedenti. His suppositis, est prima conclusio: Pueri ante vsum rationis nullo voto simplici, aut solenni se possunt obligare. Probatur: Omne votum requirit ad sui obligationem deliberationem rationis, vt constat ex articulo 7 huius quæstionis. Sed hæc deficit in pueris ante vsum rationis: ergo. Secunda conclusio: Si ante annum pubertatis, qui in pueris est decimus quartus, & in fœminis duodecimus, quis habeat vsum rationis, & votum simplex emittat, illud erit validum, & obligatorium, poterit tamen à patre, vel tutoribus irritari. Tertia conclusio: Votum solenne à puero emissum, ante annos pubertatis, non est validum, nec obligatorium, quamuis ipse puer habeat vsum rationis. Probatur: Nam huiusmodi votum irritatur ab Ecclesia. Quarta conclusio: Post annos pubertatis quilibet se potest religionis voto tam simplici, quam solenni obligare, quæ tamen parentes reclamente.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Tres pueritiæ ætates.

PRo intelligentia huius articuli aduertendum est primò, quod in pueris cõsiderari possunt tres ætatum differentiæ. Prima, quæ appellatur infantia, & durat vsque ad septimum annum, quo tempore infantes nullo rationis vsu fungi censentur. Et de hoc tempore est intelligenda prima conclusio D. Tho. Secunda ætas appellatur pueritia: & durat in viris vsque ad 14. annum, & in fœminis, vsque ad duodecim, vt constat ex capitu. in qui. de regularibus libro 6. & cap. puella. 20. quæst. 2. Et de hac ætate loquuntur secunda & tertia conclusiones. In qua quidem, quia pueri sunt doli capaces, & habent vsum rationis poterunt, quantum est in se voto se obligare. Cæterùm, quia adhuc manent sub potestate patris, poterit pater quæcunque illorum vota etiam personalia irritare, vt habetur expresse in ca. non solum, de regularibus, lib. 6. Tertia ætas appellatur pubertas, & durat vsque ad 25. annum, in qua adolescentes sunt sub cura parentum in iis, quæ pertinent ad dispensationem suorum bonorum, ità, vt sine eorum licentia nihil valeant dispensare, vt habetur ff. de minoribus vigintiquinque annorũ, per totũ titulũ. Et in hac ætate patet potest irritare quæcunque vota realia filiorum, non autem personalia, qualia sunt vota religionis, ieiunij, orationis, &c. Et ideò dicitur in quarta cõclusione, quod puer post annos pubertatis potest se voto religionis obligare, tam simplici, quam solenni.

Qualiter infantia duret vsque ad septimum annum.

¶ Secundo est aduertendum, quod quãdo dicimus infantiam durare vsque ad septimũ annum, & pueritiam incipere ab eo, & durare vsque ad decimum quartum, est intelligẽdum secundum præsumptionem iuris, quod pueritiæ & infantiæ eas ætates assignat, iudicans de rebus secundum quod regulariter contingit. Poterit tamen aliquando accidere, vt puer in decimo anno non habeat vsum rationis. Et tunc votum ab illo emissum nullũ erit, sicut illud, quod fit ante septenniũ. Similiter è cõtra poterit accidere, vt puer ante septenniũ vigeat integro rationis vsu: & tunc ille, quantum erit de se, poterit voto simplici se obligare iuxta tenorem secundæ cõclusionis, sicut ille, qui habet tredecim annos. Ius autem statuit hos ætatis limites, vt si quando res fuerit dubia, maximè in foro Ecclesiæ, per hos diffiniatur.

Dubiũ circa 4 concl. D. Tho.

¶ Circa quartã conclusionẽ D. Tho. est difficultas, vtrũ parẽtes possint aliquod votũ personale filiorũ post decimum quartum annum irritare? Pro cuius intelligentia est aduertendum, quod votum quantũ attinet ad præsens institutum est duplex, vnum reale, alterum perso-

Universidad de Deusto
Biblioteca

personale. Reale est, quod ad res pertinet. Quale est illud, ad cuius impletionē sumptus requiruntur. Personale verò, quod pertinet ad personam, vt votum ieiunij, orationis. &c. Hoc supposito, vt certa ab incertis seperemus dico primò certū esse, quod vtrúq; votū ante annos pubertatis emissum, potest à parentibus irritari, vel à tutoribus, qui gerunt vicem patris. Quo facto nulla amplius obligatio conturget, iuxta ea quæ diximus articulo præcedēti. Secundo etiā est certum, quod votum reale potest à patre vsq; ad vigesimum quintum annum filij irritari. Nā cum vsq; ad illud tēpus iuuenes sint sub cura parentum quantum ad rerum gubernationē, nullum votum firmum emittere poterūt, quod ad ré pertineat. Tertio etiā est certum, quod votum religionis, vel castitatis à puero emissum post annos pubertatis non potest à parētibus irritari. Ità habetur expresse in pluribus canonibus iuris, & in quarta cōclusione D. Tho. Imo si puer habuerit decimū sextum annum poterit religionē profiteri, etiā inuitis parētibus. Ista enim est ætas, quæ post concilium Tridentinum sess. 25. ca. 15. requiritur ad professionem faciendam. Itaque hæc certa sunt. Sed quod habet difficultatem est, vtrū alia vota personalia, vt votum ieiunij, vel orationis post annos pubertatis à pueris emissa possint à parentibus irritari? De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Prima est Syluestri, verbo, votum 4. §. 2. tenentis partem affirmatiuam. Et ratio illius est: Nam sacri canones tantum in fauorem religionis prohibent, ne pater tale votum possit irritare; cui etiam æquatur votum castitatis: ergo omnia alia potest. Et confirmatur ex D. Tho. in 4. conclu. Vbi solum dicit, votum religionis post annos pubertatis emissum nō posse irritari. Quasi significās, quod alia omnia potest irrita facere. Hoc tamē nō obstāte dico verius, & probabilius esse, quod parentes nullum votum personale post annos pubertatis emissum possunt irritare. Ità tenet Soto li. 7. de iustitia q. 3. ar. 2. Et probatur: Puer post annos pubertatis quantum ad personā habet plenum ius, cum etiā habeat plenū vsum rationis: ergo votum personale ab eo emissum, ità erit validū, vt à patre irritari nō possit. Et confirmatur: Maius est votum religionis, aut castitatis, & maiorem deliberationem requirit, quam quodcunque aliud personale: sed illud à patre irritari nō potest post annos pubertatis: ergo nec hoc. Quin potius dico, quod si pueri habeant bona aliqua castrensia, vel quasi castrensia, & de ijs votū eleemosynæ, vel alterius pij vsus emittāt post annos pubertatis nō poterit illud pater irritare. Quia quantum ad hæc bona iuuenes habent plenā potestatē, & nō filij sed patres familias cēsentur. De hac re est videndus Syluester, verbo, peculiū. §. 1. & 2. & Nauarro c. 17. nu. 141. & 142. ¶ Ad rationem Syluestri respōdetur, quod sacri canones tantum loquuntur de voto religionis, & castitatis. Quia si hoc, quod maius est post annos pubertatis irritare non possunt parentes, multò minus alia personalia poterunt irritare. Et eodem modo respondetur ad D. Thom. De votis autem mixtis, qualia sunt illa, quæ sunt personalia, admiscetur tamen in eis aliquid reale, vt votum peregrinationis, cui, vel expensæ, vel distractio à re familiari coniungitur, probabile est, quod pater potest illa irritare, vel saltem suspendere, quo ad exequutionem, vsque ad tēpus, quo filius fuerit emancipatus. Quia, cum filius tunc sit subiectus patri, quātum ad curam bonorum, ratione illius rei ad mixtæ pater videtur habere potestatem supra illud votum. Tutius tamen erit eius petere dispensationem à superiori, vt sic omnis scrupuli ratio auferatur.

Sententia Syluestri. Argu.

Sententia autorit.

Ad arg.

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm votum à filio emissum, dum erat in potestate patris, possit postea à patre irritari dum est extra illius curam. Verbi gratia: Emisit filius ante decimum quartum annum votum aliquod personale vel ante vigesimum quintū votum aliquod reale, quod à patre his temporibus non fuit irritatum. Dubium est, vtrum possit postea ab eo irritari? Caietanus infra quæstione vltima articulo quinto, partem tenet affirmatiuam. Et ratio illius est: Quia cum in illis votis semper intelligatur negatiua conditio, nisi pater contradicat, semper, quod eius intercenit contradictio, erunt nulla. Hoc tamen non obstante, dico oppositam sententiam esse veriorem & probabiliorē. Et probatur: Potestas, quam habet pater irritandi ea vota, tātum durat vsque ad præfinitum tempus: ergo eo elapso non poterit amplius illa irritare. Et confirmatur: Si seruus emisisset votum dum erat sub alterius dominio, quod à domino non fuit irritatum non poterit posteà, seruo libertò existente, à domino irritari: ergo idem etiam est dicendum de filio respectu patris. Consequentia tenet ex paritate rationis, & antecedens ab ommbus conceditur. Item. Illa vota iam non subsunt potestati patris, vt constat: ergo pater non potest illa irritare. Et ad argumentum Caietani respondeo, quod intelligitur conditio, nisi pater contradicat intra tempus illi à iure cōcessum. Nā eo elapso, sicut nō habet potestatē irritandi, ita nec cōtradicendi.

Sententia Caietani.

Sententia autorit.

A R-

ARTICVLVS X.

¶ Vtrùm possit in voto dispensari.

4. d. 38. q. 1. art. 4. q. 1. cor. & ad 2. & q. 2.

AD DECIMVM sic proceditur. Videtur, quòd in voto dispēsari non possit. Minus est commutari votum quàm in eo dispensari. Sed votum non potest commutari. Dicitur enim Leuit. vigesimoseptimo, Animal quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum erit, & mutari non poterit, nec melius malo, nec peius bono: ergo multo minus potest dispensari in voto.

2 ¶ Præterea, In his quæ sunt de lege naturæ & in præceptis diuinis, non potest per hominem dispensari, & præcipuè in præceptis primæ tabulæ quæ ordinantur directè ad dilectionem Dei, quæ est vltimus præceptorum finis. Sed implere votum est de lege naturæ, & est etiam præceptum legis diuinæ, vt ex suprà * dictis patet. Et pertinet ad præcepta primæ tabulæ, cùm sit actus latriæ: ergo in voto dispensari non potest.

Art. 2. huius quæst.

Art. 3. huius quæst.

3 ¶ Præterea, Obligatio voti fundatur super fidelitatem quam homo debet Deo, vt dictum * est. Sed in hac nullus potest dispensare: ergo nec in voto.

Art. 3. huius quæst.

¶ SED CONTRA, Maioris firmitatis esse videtur quod procedit ex communi voluntate, quàm quod procedit ex singulari voluntate alicuius personæ. Sed in lege quæ habet robur ex communi voluntate, potest per hominem dispensari: ergo videtur, quòd etiam in voto per hominem dispensari possit.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd dispensatio voti intelligenda est ad modum dispensationis, quæ fit in obseruantia alicuius legis, quia, vt suprà * dictum est, lex ponitur respiciendo ad id quod est in pluribus bonum. Sed quia contingit huiusmodi in aliquo casu nō esse bonum, oportuit per aliquem determinari in illo particulari casu legem non esse seruandam. Et hoc proprie est dispensare in lege. Nam dispensatio videtur importare quandam commensuratam distributionem, vel applicationem communis alicuius ad ea quæ sub ipso continentur, per quem modum dicitur aliquis dispensare cibum familiæ. Similiter autem ille, qui vouet, quodammodo sibi statuit legem, obligans se ad aliquid quod est secundum se, & vt in pluribus bonum. Potest tamen contingere quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum, quod est contra rationem eius quod cadit sub voto, vt ex prædictis * patet. Et ideò necesse est quod determinetur in tali casu votum non esse seruandum. Et si quidem absolute determinetur aliquod votum non esse seruandum, dicitur esse dispensatio voti. Si autem pro hoc quod seruā dum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Vnde minus est votum commutare quàm in voto dispensare. Vtrumque tamen in potestate Ecclesiæ consistit.

1. 2. q. 79. art. 4.

Art. 2. huius quæst.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod animal quod immolari poterat, ex hoc ipso quod vouebatur sanctum reputabatur, quasi diuino cultui mancipatum. Et hæc erat ratio quare non poterat commutari, sicut nec modo posset aliquis rem, quam vouit, iam consecratam (puta calicem vel domū) commutare in melius, vel in peius. Animal autem quod non poterat sanctificari, quia non erat immolatitium, redimi poterat & debebat, sicut ibidem lex dicit. Et ita etiam nunc commutari possunt vota, si consecratio non interueniat.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut ex iure naturali & præcepto diuino tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eisdem obedire superiorum legi vel mandato. Et tamen cū dispensatur in aliqua lege humana, nō fit, vt legi humanæ nō obediatur, quod est contra legem naturæ, & mandatum diuinum, sed fit, vt hoc quod erat lex, non sit in hoc casu. Ita etiam autoritate superioris dispensantis fit, vt hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod continebatur sub voto, non contineatur, inquantum determinatur in hoc casu, hoc nō esse congruam materiam voti. Et ideo cum prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto iuris naturalis vel diuini, sed determinat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circunspicere.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ad fidelitatem Deo debitam non pertinet, quòd homo faciat id quod ad vouendum est malum, vel inutile, * vel maioris boni impeditiuum, ad quod tendit voti dispensatio: Et ideo dispensatio voti non est contra fidelitatem Deo debitam.

Aliàs quod ad vitandū malum est inutile.

SVMMA TEXTVS.

LItera huius articuli tribus propositionibus continetur. Prima conclusio est affirmatiua. Et probatur: In lege potest fieri dispensatio: ergo & in voto. Consequētia est nota. Nam votū est quædam lex particularis. Et antecedens probatur: Lex ponitur in ordine ad bonum commune: sed aliquando potest contingere, vt non sit bonū seruare illam: ergo tunc poterit dispensari. Secunda conclusio: Tunc intelligimus voti fieri dispensationem, quando absolutè determinatur illud non esse seruandum. Nam, si pro eo, quod seruandum erat aliud imponatur, non dispensationem, sed commutationē voti fieri dicetur. Hanc conclusionem non probat D. Tho. sed illam tanquam extremis notam relinquit. Tertia conclusio: Minus est votum commutare, quàm dispelare; sed vtrunq; consistit in potestate Ecclesiæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli meminisse oportebit distinguis, quod posuimus inter irritationem, & dispensationem, artic. 3. Irritare enim est votum cassare, & impedire ne robur obtineat. Dispensare verò est autoritate superioris voti obligationem relaxare. Differtq; dispensatio à commutatione in eo, quòd per dispensationem omninò tollitur vinculum voti. Cæterùm per commutationem non tollitur, sed mutatur, vt cadat supra aliam materiam. Ex quo infertur, quòd si quis vouit peregrinationem, & votum illud commutetur in ieiunium, vel orationem, quòd hæc tenebitur facere vouens ex vi voti, & non solùm ex præcepto commutantis. Quare si non ieiunauerit, vel orauerit, peccabit peccato sacrilegij contra votum. Redimere idem est, quòd commutare, nisi quòd redemptio commutationē sonat, vel in pecuniam, vel in aliud pecunia æstimabile. Vt dum votum peregrinationis, quod ad sacrum D. Iacobi fuit editum, in aurum mutatur, quod eidem templo offertis. Dispensatio tam in legem, quam in votum cadit. Sed differunt quantum ad hoc, quòd quia lex multos obligat, votum autē tantum respicit singularem personam; dispensatio in lege nihil aliud erit, quam exceptio ab vniuersali obligatione. Vt cum quis priuilegio excipitur, ne quadragesimam ieiunet. At verò dispensatio in voto est sublatio illius; ob id, quòd causa qua factum est minime iam tunc decere videtur. Interpretatio atq; epicheia similiter habet locum in lege, & in voto. Et est quando declaratur, legem aut votum in aliquo particulari casu non tenere, vt diximus supra quæst. 66. artic. 5. Si quis autem quærat, quod nam sit discrimen inter dispensationem, & epicheiam, seu interpretationem, quantum attinet ad votum, (nam cum dispensare nihil aliud esse videatur quam interpretari, & declarare, quòd votum in illo casu non obliget, videtur hæc duo coincidere, & in idē reddere,) respondeo discrimen cōsistere in hoc, quòd ad interpretationem, siue in lege, siue in voto est necessarium, quòd eius impletio in tali casu sit rationi naturali contraria. At verò ad dispensationem satis est, quòd legis, & voti ratio in tali persona deficiat. Ex quo sequitur, quod ad interpretationem voti non est necessaria prælati autoritas pro illo articulo. Est tamen semper necessaria ad dispensationem, vt videbimus latius artic. 12. huius quæstionis. Verbi gratia: Vouit quis carnes non edere, & in eum locum deuenit, vbi nisi eas comedat peribit. In hoc casu, quoniam res accidit iuri naturali contraria, ipse vouens, sua priuata autoritate, non obstante voto, poterit carnes comedere, quoniam per epicheiam debet interpretari in illo casu non obligare. Haud tamen ideò à voti vinculo manet absolutus, sed illa necessitate præterita manebit eo astrictus, sicut antea. Tamen, si vouit nō comedere carnes & esus aliarum rerum est sibi impedimeto, no tam attentè literarum studio incumbere possit, non ideò poterit per epicheiam contra votum facere, quia eius impletio tunc non est rationi naturali contraria. Habebit tamen causam, quare prælatus cum illo dispenset, vtique obligationem, vel ad tempus, vel in perpetuum tollat. Et dispensatio, tunc non est interpretatio, quòd

Irritare quid.

Cōmutare.

Redimere.

Dispensare

Interpretari.

Discrimen inter dispēsationē & interpretationem.

quòd votum in illo casu non tenet, sed est efficere, quòd etiam si teneat tollatur. Est etiam vltra hæc omnia voti cessatio, de qua diximus articulo secundo huius quæstionis, ad quam nulla requiritur dispensatio. Et contingit, quando quis emittit votum de re indifferenti ex aliqua particulari circunstantia, aut fine bona effecta. Vt si quis vouit certam domum nunquam intrare propter vitandum aliquod periculum, quod ibi sibi imminebat. Tunc cessante causa cessat & votum; quia iam talis domus ingressus relinquitur, res vana, & indigna, vt sit materia voti.

Cessatio voti quid sit.

1. Conclus. D. Tho. de fide tenenda.

¶ His constitutis, prima conclusio huius articuli est de fide tenenda. De fide enim est, quòd Ecclesia potest in votis simplicibus dispensare, vt constat ex eius vsu, & ex veteri traditione à tempore Apostolorum, vsque ad præsens. Et non est dicendū, quòd Ecclesia in re tam graui erret. Præterquam quòd erat necessarium ad bonam illius gubernationem, vt haberet hanc potestatem, vt optimè declarat Innocentius in cap. dispensationes. 1. quæst. 7. in hunc modum dicens: Dispensationes cogunt aliquid de debito remittere, vt maius aliquid lucri fiat; more nauigantium, qui tempestate ingruente quædam exonerant, vt cætera salua permaneant. Idem etiam dicitur in cap. regula. 19. distinctione. Est autem hæc potestas nō solum in concilio generali, ad quod non potest toties haberi recursus, quoties opus est, sed etiam in ipso Papa omnium prælatorū capite, atque pastore. Nam cum Papa sit generalis commissarius Christi, eiusq; vicarius assumptus in plenitudinem potestatis, vt habetur in capit. qui se scit. 2. q. 6. & in capit. quodcunque. 24. q. 5. iuxta illud Ioann. 21. Pasce oues meas, & Matth. 16. Quodcunq; solueris, & quodcunque ligaueris super terram, &c. fit, vt ex suo officio pastorali, & vt vicarius Christi, possit quascunque leges positiuas declarare, dispensare, tollere & abrogare. Est autem votum quædam lex particularis, quam vouens sibi præscribit, vt ex supradictis patet. Ad hoc etiam habent singuli prælati Ecclesiastici suam limitatam autoritatem, vt infra videbimus. Vbi similiter explicabimus, quæ nam causæ sint necessariæ ad voti dispensationem. Sed contra hoc est argumentum: Adimpletio voti etiā simplicis, est de iure diuino, & naturali: ergo in eo non potest Papa dispensare. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur: Nam in iis, quæ sunt de iure diuino, & naturali, nec Papa, nec Ecclesia potest dispensare, vt latè docet D. Tho. quodl. 4. art. 13. & in 3. dist. 37. art. 4. Ad hoc argumentū variè respondetur à Doctoribus. Quidam enim dicunt, quòd ideò Papa potest in voto dispensare, quia in quolibet subintelligitur conditionaliter voluntas Papæ, ad cuius dispensationem pertinent actus subditorū. Itaq; dicunt, quòd ideo summus Pontifex, cum voluerit, potest voti obligationē relaxare, quia deest illa cōditionalis subintellecta, scilicet, si Papæ placuerit. Eo enim ipso, q̄ dispensat non placet illi: & exinde cessat obligatio voti. Hæc tamen responsio impugnatur à D. Thom. & meritò in. 4. dist. 38. q. 1. art. 4. quæst. 1. Quia certè sicut sine voluntate Papæ potest quis alia multa facere, ità & vouere. Alij dicunt, quòd Papa dispēsat in votis, non quidem tollendo illorum obligationem, sed solum declarando, quòd ea in tali, & tali casu non obligant, propter aliquod bonum quod impeditur, aut malū, quod oritur ex adimpletione voti. Sed nec hæc responsio aliquid valet, vt rectè docet D. Thom. loco citato. Quia aliud est declarare ius, quod pertinet ad epicheiam, & aliud dispensare, quod pertinet ad potestatem, quam habet Papa. Est enim latissimum discrimen inter declarare ius, & dispēsare in illo, vt latè docet Couarru. de testamentis. 2. part. cap. 6. §. 9. num. 1. & nos in præsenti tā tum loquimur de dispensatione, quam ex cōmuni omnium Doctorum sententia dicimus fieri posse à summis Pontificibus in votis simplicibus. Alij respondent ad argumentū concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ad probationem dicunt, quòd quāuis Papa regulariter loquendo, non possit dispensare in iure naturali, & diuino, potest tamen in votis simplicibus, quorum redditio est de iure naturali, & diuino ex particulari potestate, & autoritate sibi ad id à Christo tradita ibi; Quodcunque solueris super terram, &c. Quod constat ex vsu, & traditione Ecclesiæ. Itaque affirmant, quòd Papa tanquam Christi vicarius dispensat in votis, & relaxat ea, vultque illa non valere in tali, aut tali euentu. Quia si Christus adesset etiam dispensaret. Et sic ex interpretatiua commissione Christi dispensat Papa, interpretando, scilicet, esse Christi voluntatem, quòd in tali euentu rescindatur contractus voti. Vnde quanuis, cum dispensatur in voto, dispensetur in iure diuino, & naturali; hæc tamen dispensatio non fit ab hominibus, sed à Christo ipso. Ità respondet Cano in relectione de pœnitentia in fine. Et si quis obijciat, ex hoc sequi, quòd etiam potest summus Pontifex ex magna, & iusta causa dispensare in matrimonijs, & in

Arg. diffic.

1. Solutio.

2. Solutio.

3. Solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

votis ſolennibus, cum non videatur eſſe maior ratio de his, quam de votis ſimplicibus; ſiquidem omnia habent æqualem obligationem ex iure naturali & diuino, reſpondent negando ſequelam. Nam ad hæc non habet Papa, nec Eccleſia interpretatiuam cõmiſſionem Chriſti, ſicut ad illa, quod ex perpetuo vſu & traditione Eccleſiæ colligitur. Cæterùm hæc ſolutio meo iudicio ſuſtineri non poteſt. Tum, Quia voluntariè aſſeritur illud de interpretatiua cõmiſsione Chriſti ad diſpenſandum in votis ſimplicibus, & nõ in votis ſolennibus, aut in matrimonijs. Tũ etiã: Quia cum ius naturale in ſuis præceptis intrinſecam, & eſſentialem contineat rectitudinem, aut malitiam; nulla ratione fieri poteſt, vt ſuper illo cadat diſpenſatio. De quo etiã nos diximus ſupra agentes de præceptis Decalogi. Quocirca his ſolutionibus omiſsis,

Vera reſpõſio ad arg.

Quod mihi ad propoſitum argumentum reſpondendum videtur eſt, verum quidem eſſe, quòd ſuper his, quæ ſunt iuris naturæ, ac diuini diſpenſari per hominem non poteſt. Tamen quanuis adimplere votum ſit de lege naturali, & diuina, quando ſuperior diſpenſat, nihil contra ipſum votum fit; ſed tollitur eius vis, dum iudicatur non debere in tali caſu ligare. Quare quemadmodum quãdo princeps in lege humana diſpenſat, non facit, vt ſubditus legi nõ obtemperet, quod eſt contra ius diuinum & naturale, ſed ſolũ, vt quod erat lex in hoc caſu ceſſet: ſic etiam in voto, quando prælatus diſpenſat non facit, vt vouens non adimpleat votum, quod eſſet contra ius naturale & diuinum: ſed ſolum facit, vt quod antea erat votum, in tali caſu non ſit. Et ſic prælatus diſpenſans in voto, non diſpenſat ſupra ius diuinum, aut naturale quod faceret, ſi manente voto licitum cenſeret opus contrarium. Sicut nec diſpenſans in lege diſpenſat in iure naturali, quod præcipit illi parere. Sed ſolum tollit obligationem voti, qua non exiſtente, nulla lex naturalis præcipit, illud eſſe adimplendum. Et ſi quis adhuc inſtet;

Inſtantia.

Lex diuina, & naturalis non poteſt per hominem tolli; ſed reddere votũ eſt lex diuina, & naturalis: ergo non poteſt tolli per hominem, atque ex conſequenti nec voti obligatio;

Reſponſio.

Reſpõdeo, quòd diſpenſans non tollit legem diuinam, quæ eſt, vt dum votum firmum manet, ſeruetur, ſed tollit obligationem, quæ ex mera voluntate vouentis ortum duxit. Sicut nec diſpenſans in lege humana tollit legem diuinam, quæ eſt, vt legi, quãdiu firma manet, obtemperetur; ſed tollit obligationem, quæ ex lege debebat oriri, ſi in ſua vi firma maneret. Itaque quod homo reus ſit voti ex duabus præmiſsis colligitur, nempe, quia vouit, & quia eſt lex, vt votum reddatur. Et diſpenſans non tollit hoc ſecundum, ſed prius, ſcilicet, obligationem, quatenus ex propria voluntate vouentis emerſit, quæ, vt ſupra diximus, eſt quædam lex humana.

Articvlvs XI.

¶ Vtrùm in voto ſolenni continentiæ poſsit fieri diſpenſatio.

AD Vndecimvm ſic proceditur. Videtur, quòd in voto ſolenni continentiæ poſsit fieri diſpenſatio. Vna enim ratio diſpenſandi in voto eſt, ſi ſit impeditiuum melioris boni, ſicut * dictum eſt. Sed votum cõtinentiæ etiam ſi ſit ſolenne, poteſt eſſe impeditiuum melioris boni. Nam bonum commune eſt diuinius quàm bonum vnius. Poteſt autem per continẽtiam alicuius impediri bonum totius multitudinis, puta quando per contractum matrimonium aliquarum perſonarum quæ continentiam vouerunt, poſſet pax patriæ procurari: ergo videtur, quòd etiam in ſolenni voto continentiæ poſsit diſpenſari.

Inf. q. 186. ar. 8. ad 3.

Art. præc.

2 ¶ Præterea, Latria eſt nobilior virtus quã caſtitas. Sed ſi quis vouerit aliquẽ actum latriæ, puta offerre Deo ſacrificium, poteſt in illo voto diſpenſari: ergo multo magis poteſt diſpenſari in voto continentiæ, quod eſt de actu caſtitatis.

3 ¶ Præterea, Sicut votum abſtinentiæ obſeruatum poteſt vergere in periculũ perſonæ: ità etiam obſeruatio voti continentiæ. Sed in voto abſtinentiæ, ſi vergat in corporale periculũ vouentis, poteſt fieri diſpenſatio: ergo pari ratione in voto continentiæ poteſt diſpenſari.

4 ¶ Præterea, Sicut ſub profeſsione religionis, ex qua votum ſolennizatur, cõtinetur votum continentiæ, ita etiam votum paupertatis & obedientiæ. Sed in voto paupertatis & obedientiæ poteſt diſpenſari, ſicut patet in illis qui poſt profeſsionem ad epiſcopatũ aſſumuntur: ergo videtur, quòd in ſolenni voto continentiæ poſsit diſpenſari.

Sed

¶ Sed Contra eſt, quòd dicitur Eccleſ. 6. Omnis ponderatio non eſt digna animæ continentis.

In Decretali lib. 3. ar. 34. c. 6. in fin.

¶ Præterea, Extra, de ſtatu * Monac. in fin. illius Decretalis. Cum ad Monaſterium dicitur, Abdicatio proprietatis, ſicut etiam cuſtodia caſtitatis adeo annexa eſt regulæ monachali, vt cõtra eam nec ſummus Pontifex poſsit indulgere.

¶ Respondeo dicendum, quòd in ſolenni voto continentiæ tria poſſunt conſiderari. Primò quidem materia voti, ſcilicet, ipſa continentia. Secũdò, perpetuitas voti, ſcilicet, cum aliquis voto ſe aſtringit ad perpetuam obſeruantiam continentiæ. Tertiò, ipſa ſolennitas voti. Dicunt ergo quidã, quod votum ſolenne eſt indiſpenſabile ratione ipſius continentiæ, quæ non recipit condignam recompenſationem, vt patet ex autoritate * inducta. Cuius rationem quidam aſsignant, quia per continentiam homo triumphat de domeſtico inimico, vel quia per continentiam homo perfectè conformatur Chriſto ſecundum puritatem animæ & corporis. Sed hoc non videtur efficaciter dici, quia bona animæ, vtpote contemplatio & oratio, ſunt multo meliora bonis corporis, & magis nos Deo conformant. Et tamen poteſt diſpenſari in voto orationis, vel contemplationis. Vnde nõ videtur eſſe ratio, quare non poſsit diſpenſari in voto continentiæ, ſi reſpiciatur abſolutè ad ipſam continentiæ dignitatẽ: præſertim cũ Apoſt. 1. ad Corinth. 7. ad continentiam inducat propter contemplationem dicens, quòd mulier innupta cogitat quę Dei ſunt. Finis autẽ potior eſt his quæ ſunt ad finem. Et ideo alij rationem huius aſsignant ex perpetuitate, & vniuerſalitate huius voti. Dicũt enim, quòd votum continentiæ non poteſt præteriri, niſi per id quod eſt omnino contrariũ: quod nunquam licet in aliquo voto. Sed hoc eſt manifeſtè falſum, quia ſicut vti carnali copula eſt continentiæ contrarium, ita comedere carnes, vel bibere vinum eſt contrariũ abſtinentiæ à talibus: & tamen in huiuſmodi votis poteſt diſpenſari. Et ideò alijs videtur, quòd in voto ſolenni continentiæ poſsit diſpenſari propter aliquam communem vtilitatẽ, ſeu neceſsitatẽ, vt patet in exẽplo * præmiſſo de pacificatione terrarũ ex aliquo matrimonio cõtrahẽdo. Sed quia Decretalis inducta expreſsè dicit, quòd nec ſummus Pontifex poteſt cõtra cuſtodiã caſtitatis monacho licẽtiã dare: ideo aliter videtur dicendũ, quòd ſicut ſuprà dictũ * eſt, & habetur Lucæ vlt. Illud quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios vſus commutari. Non autẽ poteſt facere aliquis Eccleſię prælatus, vt id, quod eſt ſanctificatum, ſanctificationẽ amittat, etiã in rebus inanimatis: puta quòd calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer. Vnde multo minus poteſt hoc facere aliquis prælatus, vt homo Deo conſecratus, quandiu viuit, cõſecratus eſſe deſiſtat. Solennitas autem voti conſiſtit in quadã conſecratione ſeu benedictione vouentis, vt dictum * eſt. Et ideo nõ poteſt fieri per aliquem prælatum Eccleſiæ, quòd ille qui votũ ſolẽne emiſit, deſiſtat ab eo ad quod eſt cõſecratus: puta, quòd ille qui eſt ſacerdos non ſit ſacerdos: licet poſsit prælatus ob aliquam cauſam executionẽ ordinis inhibere. Et ſimili ratione Papa non poteſt facere, quòd ille qui eſt profeſsus religionem, non ſit religioſus. Licet quidam iuriſtæ ignoranter contrarium dicant. Eſt ergo conſiderandum, vtrum continentia ſit eſſentialiter annexa ei ad quod votũ ſolẽnizatur: quia ſi non eſt ei eſſentialiter annexa, poteſt manere ſolennitas cõſecrationis ſine debito continentię: quod nõ poteſt contingere, ſi ſit eſſentialiter annexum ei ad quod votũ ſolennizatur. Non eſt autem eſſentialiter annexũ debitũ continentiæ ordini ſacro: ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. Vnde videtur, quòd per Eccleſiam poſsit diſpenſari in voto continẽtiæ ſolennizatio per ſuſceptionem ſacri ordinis. Eſt autem debitũ continen

In argu. 1.

Art. præc. arg. 1.

Art. 7. huius quæſt.

In 1. argu. ſed contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

ric essentiale statui religionis, per quem homo abrenūtiat seculo, totaliter Dei seruitio mancipatus. Quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ vxoris, & prolis & familiæ, & rerū quę ad hoc requiruntur. Vnde Apostolus dicit. 1. ad Corinth. 7. quòd qui est cum vxore, solicitus est quę sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Vnde nomen monachi ab vnitate sumitur per oppositum, ad diuisionem prædictam. Et ideò in voto solemnizato per professionem religionis non potest per Ecclesiam dispēsari, & rationem assignat Decretalis, quia castitas est annexa regulæ monachali.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd periculis rerum humanarum est obuiandum per res humanas, non autem per hoc quod res diuinæ conuertantur in vsum humanum. Professi autem religionem mortui sunt mundi, & viuunt Deo: vnde non sunt reuocandi ad vitam humanam occasione cuiuscunque euentus.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in voto temporalis continentiæ dispensari potest, sicut & in voto tēporalis orationis, vel temporalis abstinentiæ. Sed quod in voto continentiæ per professionem solemnizato non possit dispensari, hoc non est inquantum actus castitatis, sed inquantum incipit ad latriam pertinere per professionem religionis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cibus directè ordinatur ad directionem personæ, & ideo abstinētia cibi directè potest vergere in periculum personæ: vnde ex hac ratione recipit votum abstinentiæ dispensationem. Sed coitus non ordinatur directè ad conseruationem personæ, sed ad conseruationem speciei: vnde nec directè abstinētia coitus per continentiam vergit in periculum personæ. Sed si per accidens ex ea aliquod periculū personale accidat, potest aliter subueniri, scilicet per abstinētiam, vel alia corporalia remedia.

¶ Ad quartum dicendum, quòd religiosus qui fit episcopus, sicut non absoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorū Ecclesiæ. Similiter etiam nō absoluitur à voto obedientiæ, sed per accidens obedire non tenetur si superiorem non habeat: sicut nec Abbas monasterij, qui tamē nō est obediētię voto absolutus.

¶ Authoritas vero Ecclesiastica, quæ in contrarium obijcitur, intelligenda est quantum ad hoc quòd nec fœcūditas carnis, nec aliquod corporale bonum, est comparandum bono continētiæ: quæ inter bona animæ computatur, vt * Augustin. dicit in libro de sancta virginitate. Vnde signanter dicitur animæ cōtinētis, nō carnis cōtinentis.

In libr. de bono coniugali. c. 21. in prin. to. 6. virginitate cap. 7. & 8.

Svmma Textvs.

OMissis varijs opinionibus, quas D. Thom. in hoc articulo recenset, & reijcit ad explicationem difficultatis propositæ, duas constituit propositiones. Prima conclusio: In voto solenni continentiæ à clericis emisso potest Ecclesia dispensare. Probatur: Hoc votum non est essentialiter annexum ordini sacro, sed tantum ex statuto Ecclesiæ: ergo in illo Ecclesia dispensare potest. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Nam sacerdotes Græcorū coniugati ab Ecclesia Latina administrare permittuntur. Secunda conclusio: In voto solenni continentiæ à monacho emisso non potest Ecclesia dispēsare. Probatur: Castitas huic statui est essentialiter annexa: ergo in ea non potest fieri dispensatio. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur: Ecclesia non potest tollere statum, nec efficere, vt id, quod Deo est consecratum, ipso manente, non sit consecratum: ergo nec potest efficere, vt non teneatur aliquis ad id, quod est essentiale suæ consecrationi. Et cōfirmatur ex cap. cum ad monasterium. de statu monachorum, in fine, vbi Innoc. III. dicit. Nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispēsare. Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulę monachali; vt cōtra eam, nec etiam summus Pontifex possit licentiam indulgere.

Explicatio Articvli.

Votum solenne potest fieri tacite & expresse

PRo intelligentia huius artic. aduertendū est primò, q̄ votū solenne religionis dupliciter pōt emitti. Vno modo explicitè profitendo aliquam ex religionibus approbatis. Alio modo implicitè. Et hoc adhuc dupliciter. Vno modo, vt si nouitius, animo profitendi tacitè, faciat actum solis professis annexum, qualis est ferre suffragium in capitulo. Ità habetur expressè de regularibus, & transeuntibus ad religionem. cap. vidua. Vbi definitur, quòd si vidua sponte velūm conuersionis, quamuis non factum sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, sanctimoniæ habitum vlterius habere debebit. Secundò modo potest fieri professio tacita, per hoc quòd nouitius gestet habitum proprium professorum per annum, vbi habitus sunt indistincti; & vbi sunt distincti habitus, per hoc quod elapso anno probationis habitum professorum recipiat. Sufficietque ad hoc quęcunque habituum distinctio, & diuersitas, quamuis solum consistat in benedictione, vt habetur in cap. is qui. de regularibus in. 6. Est tamen aduertendum, quòd si aliquis deferat habitum per annum, animo non profitendi, coram Deo, non erit professus, quamuis ab Ecclesia compelli poterit ad religionem, quoniam exterius tacitam fecit se professionem comprobabitur.

In ordinibus non mēdicantibus potest fieri professio ante annū probationis

¶ Secundò est aduertendum, quòd in ordinibus mendicantium nullus expresse profiteri potest ante elapsum annū probationis. Et si contrarium fecerint tam prælatus quā monachi erunt excommunicati, vt habetur expresse in cap. non solum. & in cap. constitutionem. de regulari. in 6. In non mendicātibus autem ante annum probationis poterunt nouitij profiteri ex rationabili causa. Et quia moniales nostri ordinis, & etiā sanctæ Claræ non sunt mendicantes, sed reclusæ, benè poterunt ante annum profiteri, vt docent Paludanus in. 4. dist. 38. & Syluest. verbo, religio. 3. §. 3.

Hoc est intelligendū ante Concilium Tridētinū, nam post illud, contrariū est verum, tā quo ad viros, quā quo ad mulieres, vt constat ex Sess 25. ca. 15.

¶ Tertiò est aduertendum, quòd milites commendatarij, qui multis annis deferunt habitum professorum, licet secūdum ius cōmune essent censendi taciti professi, modo tamen non censentur quo ad vsq; expressè eam religionem promittant, cuius habitum deferunt. Ità enim habet communis consuetudo, quæ forsan in hac parte abrogauit ius commune. Nisi dicamus, quòd istæ religiones peculiare ad hoc habent priuilegiū, quo in iure communi dispensatur. De hac re videnda est gloss. in Clem. de regular. & statu monachorum, & Syluest. verbo, religio. 5. qui optimè loquitur.

¶ His constitutis circa primam conclusionem D. Tho. in qua de voto à clericis emisso est sermo, aduertendum est, quòd votum solenne castitatis, quod à clericis in susceptione sacri ordinis emittitur, non solum opponitur rei vxoriæ, alias fornicantes non essent sacrilegi; sed etiam opponitur cuicunque carnali commistioni, sicut votum religiosorum. Quare clerici hac ratione peccantes semper committunt sacrilegium. Sed dubium est de iure, quo illis huiusmodi continentia est præcepta, an, scilicet, iure diuino, vel potiùs tantum iure positiuo? Maioris in 4. distinct. 24. quæst. 2. & Clithoueus in lib. de continentia sacerdotali. cap. 15. arbitrantur iure diuino esse prohibitum sacerdotibus matrimonia contrahere. Et sic dicunt, quòd Papa super hoc dispensare nō potest. Hanc eandem sententiam tenet Vvaldensis in lib. de sacramen. cap. 128. & 129. & de sacramentalibus. cap. 66. Et probatur: Non est magis de intrinseca ratione religionis castitas, quam de ratione ordinis: ergo sicut iure diuino, & naturali religiosus tenetur ad castitatem; ità etiam & sacerdos: atque ex consequenti, sicut non potest dispensari cum religioso, vt matrimonium contrahat ita etiā nec cum sacerdote. Consequentia est nota, & antecedens probatur ex cap. vnico. de voto. lib. 6. vbi ambo vota æquiparantur, quā tum ad hoc, quòd est dirimere matrimonium.

Dubiū de continētia clericorum

¶ Hoc tamen non obstante, dico iure tantum humano, & non diuino, aut naturali esse sacerdotibus castitatem præceptam. Non enim repugnat, quo minùs absque castitatis voto homo verè sit sacerdos, vt Græcorum mos nobis testatur. Vnde fit consequens, quòd & si ordo suapte natura quandam secum adferat congruentiam decentiamque castitatis matrimonio repugnantem, non tamen ex se parit virtutem præcepti, vt eo ipso diuino iure, quo ordinis sacramentum institutum est, sint ordinati à matrimonio prohibiti. Sed hoc præceptum & prohibitio iure tantum pontificio posita est; illamque Ecclesia ex decentia functionis sacrorum ordinum deduxit. Quare super hoc præcepto poterit dispensare; quamuis dispensatio cum sacerdotibus indecentissima esset, Ecclesiæque pestifera. Sunt enim quā plurimæ rationes, quæ efficacissimè ostendunt, perfectioni Euangelicæ esse valde cōforme, vt sacri Ecclesiæ ministri à re vxoria sint alienissimi. Prima est; Nam Christus de intacta Virgine natus, virginitatisque ipse decus Ecclesiam, ceu columbam candore virgineo nitentem sibi cōnubio copulauit, eo exemplo docens, vt sacerdotes quibus Ecclesiam eandem desponsauit, virgini, si non virgines, saltem cælibes seruent

Conclusio.

Rationes ostendētes congruētiā castitatis sacerdotū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidem. Secunda ratio desumitur ex cordis nitore, corporisque munditia, quam tractatio corporis,& sanguinis Christi expostulat. Tertia ex altissima meditatione, assidua que oratione, & sacrorum impensissima lectione, quibus sacerdotes dediti esse debent, quæ omnia coniugali consortio ex diametro aduersantur. Quarta ratio est: Nã solertissima cura, quam erga pauperes, viduas, & orphanos gerere tenẽtur solicitudinem familiæ vxore, & liberis occupatæ non permittit. Quinta: Quia autoritas & dignitatis splendor, quibus sacerdotes reliquo populo antecellere debent, non sinit, vt cum vxoribus sicuti reliquum vulgus misceantur. Ac tandem: Quia si liberos fas illis esset procreare, omnes illuc neruos intenderent, vt quasi hæreditario iure sacerdotia eis relinquerentur. Sicque non rectè fieret beneficiorum distributio: quod in ingentem Ecclesiæ perniciem cederet. Ex quo infertur, quàm grauissimè errauerint hæretici, qui sacerdotum cælibatum labefactare contexderunt. Quod primus fecit Iouinianus quidam. Et eandem hæresim posteà Vigilantius, vt autor est Diuus Hieronymus ad Ripatium, Epistola. 2. impudentissimè auxit; non solum permittens, sed etiam compellens, vt nullus Diaconus ordinaretur, antequam matrimonium iniret. Eandem hæresim posteà exhibit Vvitcleph, vt refert Thomas Vvaldensis, tom. 2. de sacramentis, cap. 128. Et tandem Lutherus in illo suo sæpè damnato libello. de abrogãda missa priuata. Vbi dicit nequaquam posse Papam clericis matrimonium interdicere. De hac re videndus est Castro de hæresib. verbo, sacerdotium, hæresi. 4. Et Didacus à Stunica Augustinianus, magisterque doctissimus de vera religione. lib. 2. cap. 26.

Discrimen inter Græcos & Latinos.

Est tamen aduertendum discrimen, quod D. Thom. inter Græcos & Latinos dignoscit, dicens, quòd apud Græcos ordo sacer solum ex vi ordinis matrimonium impedit. Ideòque post susceptos ordines neminem vxorem ducere permittunt. Non tamen habent ordinibus annexum votum, vt Innocentius in cap. cum olim. de clerico coniugato testatur. Et ideò non solum coniugatos sacris initiant, verum & initiatos in vsu coniugali viuere sinunt, exceptis hebdomadibus, quibus altaris ministerio inseruiunt. Vnde in sexta Græcorum synodo, & refertur in cap. si quis. 32. dist. in hunc modum dicitur: Si quis eorum, qui ad clericatum accedunt voluerit mulieri nuptiali iure copulari, hoc ante ordinationem diaconatus faciat. At verò Latini non modo propter ordinum dignitatem, verum & propter votũ, quod habent annexum à matrimonio ineundo cohibentur. Nam quanuis qui ordinatur votum illic non exprimat, ex statuto tamen Ecclesiæ ibidem includitur. Quapropter ordinati non solum matrimonium contrahere prohibentur, & si id attentauerint est nullum; verum etiam post contractum ab ordinibus suscipiendis excluduntur. Votum enim in illis inclusum non modo matrimonio contrahendo, verum, & eius vsui est impedimento. Ex dictis infertur nunquam à temporibus Apostolorum vsque ad præsens, vsu fuisse receptum, vt sacris ordinibus initiati, saltim sacerdotio, matrimonium contrahere permitterentur. Sed semper in hoc sacro ordinis sacramento ea fuit cognita, atque confessa dignitas, quæ matrimonium respuere deberet, quidquid dicat Caietanus. quæst. 12. primi quodl. Vbi olim in more Græcis contrarium fuisse affirmat, propter verbum Stephani Papæ in capit. aliter. 32. dist. dicentis, quòd Græcorum sacerdotes, diaconi, & subdiaconi, matrimonio copulantur ineptam existimãs glossam, quæ verbum, copulantur, per hoc quod est, copulato vti, interpretatur. Nam copulantur, inquit, non sonat, nisi quòd post ordines matrimonia contrahant. Sed certè verbum illud passiuum non actionem tũc præsentem, sed permanentiam in præterito designat, vt ait gloss. Verum est aliquandiu duraſſe apud Græcos, vt subdiaconi ad matrimonium permitterentur. Quin etiam, & diaconi si in ipsa ordinatione protestati fuissent, quòd vellent habere vxores, vt Gregorius in cap. ante triennium. 31. dist. insinuat. Imò durum illic reputatẽos more Romanę Ecclesiæ vsu vxorio arcere. Cæterùm, quòd clerici in sacro presbyteratus ordine constituti vxorẽ ducere permitterẽtur, nec apud Latinos, nec apud Græcos fuit vnquam receptum. Gregorius posteà inhibuit, vt nullus in subdiaconum ordinaretur, nisi qui prius castè victurum promisisset. cap. nullũ. 28. dist. & cap. multorum. dist. 32. Ac demũ clerici in sacris de facto contrahentes anathematis censura feriuntur in Clem. vnica. de consan. & affi. officioq; & beneficio priuantur in cap. decernimus, & in cap. de his. 28. dist. Et capit. presbyter. eadem dist. iubẽtur deponi, & cap. eos, qui. dist. 32.

Sacerdotes nũquã fuerũt permissi ducere vxorem.

Obiectio.

Quod si plures mihi obiecerit, cum quibus post subdiaconatum, imò & post diaconatum ad matrimonium migrare summus Pontifex dispensauit, Matoris atque Clithoneus dispensationem nõ tenere responderent. Id tamen absq; vlla probabilitate. Nam cum votum,

Responsio.

votum, vt diximus, non sit de intrinseca ratione ordinis, sed de iure Pontificio, quanuis accidere potuerit, vt tam qui petit, quã qui concedit grauiter peccẽt, facta tamẽ dispensatione matrimonium erit firmum, atq; legitimum. Et post factam pœnitentiã prioris peccati, si aliquod commisit, tuta conscientia poterit sic dispensatus petere & reddere debitum, & in matrimonio perseuerare. Quare ad argumentum in principio dubitationis factum, respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dico, quod quanuis textus ille eodem modo loquatur de voto à clerico emisso, & de illo, quod fit à monacho, quantum attinet ad solennitatem, atque etiam quantum ad id, quod est impedire matrimonium, non tamen æquiparantur huiusmodi vota quantum ad dispensationem, sicut nec æquiparantur quantum ad ius, quo illorum redditio est præcepta, vt latius patebit sequenti dubitatione.

Dubiũ grave.

¶Circa secundam conclusionẽ D. Tho. est grauis difficultas, vtrùm possit Ecclesia dispensare in voto solenni cõtinentiæ à monacho emisso. In qua re sunt multi, qui à D. Tho. dissentiant, dicentes summum Pontificem perinde in voto solenni religiosorum ex magna aliqua causa dispensare posse, ac in voto sacerdotum. Ità tenet Enrichus de Gandauo quodl. 5. q. 25. & 26. Ricardus in. 4. d. 38. art. 9. Durandus eadem d. q. 2. Paludanus. q. 4. Caietanus hic, & in opusculo. 27. quæstionũ, q. 24. Angelus verbo. votũ. 4. §. 5. Corduba libro. 1. quæstionarij, q. 24. Michael à Medina lib. 1. de continentia cap. 7. & cap. 25. & cap. 42. Nauarro in Manuali, cap. 12. num. 75. in fin. Couarru. de testamentis. ca. 2. nu. 10. cũ Ioanne Andrea, Felino, Tiraquello, Alexandro, Bonauentura, Altisiodorensi. Et D. Antoninus. 3. p. titulo. 22. cap. 3. dicit hanc esse probabilem. Imo Diu. Tho. in. 4. d. 38. q. 1. ar. 4. quæstiuncula. 1. ad.

1. argum.

3. tenet idem. Et probatur primo: Summus Pontifex potest dispensare in voto solenni continentię clericorum, vt D. Tho. fatetur: ergo etiam poterit dispensare in voto solenni religiosorum. Probo consequentiam: Nã cum vtrumque sit solenne, æqua debebit

2. argum.

esse vtriusque ratio. ¶Secundo argumentor. In omni voto intelligitur conditio, nisi Papa dispensauerit: ergo in omni voto etiam solenni potest Papa dispensare. Consequentia est nota, & antecedens probatur: votum est quædam lex particularis, quam sibi homo particulatiter præscribit; sed in omni lege particulari subintelligitur conditio, nisi obstet bono communi: ergo in omni voto intelligitur conditio, nisi Papa dispenset, ad quem pertinet cura de bono communi.

3. argum.

¶Tertiò: Sub voto solenni religionis, nõ solum castitas, verum etiã paupertas & obedientia contmentur: sed in paupertate, & obedientia potest Papa dispensare, imò de facto dispensat, quando quis ex monachatu in Episcopum assumitur, qui & à professionis obedientia eximitur, & in diuitijs viuere permittitur: ergo etiam poterit dispensare in voto solenni continentiæ.

4. argum.

¶Quartò: Nullus se potest eximere ab obligatione iuris naturalis: sed iure naturali tenetur homo pro bono communi totius regni matrimonium contrahere: ergo hac ratione & causa existente poterit cum eo Papa dispensare. Et confirmatur: Id quod si adesset obstaret voto, ne fieret, est causa legitima, vt post votũ emissum in eo dispensetur: sed si aliquis imminenti grandi periculo regni vellet emittere votum continentiæ, potius deberet contrahere, quam illam vouere: ergo eodem periculo existente etiam post votum emissum poterit in eo fieri dispensatio: Consequentia cum minori est nota, & maior recipitur ab omnibus Doctoribus.

5. argum.

¶Quintò: Ex sententia D. Tho. articulo præcedenti, tunc est causa legitima ad dispensandum in voto, quãdo illud est maioris boni impeditiuum: sed hoc potest in voto solenni continentiæ reperiri: ergo in voto solenni continentiæ poterit fieri dispensatio. Consequentia cũ maiori est nota, & minor probatur: Bonum cõmune teste Aristotele, quid diuinius, & melius est, quam bonum particulare alicuius: sed poterit fieri, vt ex voto solenni continẽtiæ alicuius periclitetur bonum commune, nisi matrimonium contrahat: ergo tunc erit legitima causa, vt in voto solenni continentiæ fiat dispensatio. Et confirmatur. Latria nobilior virtus est, quam castitas: sed supra votum latriæ, scilicet, supra votum offerendi sacrificium iusta de causa potest fieri dispensatio: ergo & supra votum castitatis.

Vltimum argumentũ.

¶Vltimò. Summus Pontifex de facto dispẽsauit cum multis, vt refert Ancharranus cõsil. 339. num. 2. Felinus in cap. si quando. de rescriptis num. 5. Molineus de consuetudinibus Parisi. in rubrica num. 40. Marineus Siculus lib. 8. de memorabilibus Hispaniæ ca. finali, & Caietanus in hoc cõmentario. Et ità legimus Cælestinum Romanum Pontificem dispensasse cum Ramiro rege Aragoniæ, cum esset monachus ordinis sancti Benedicti. Et idem dispensauit cum Constantia Moniali, vt nuberet Enrico sexto. Erat enim Constãtia filia Rogerij Regis Siciliæ, & Neapolis. Qui cum in expeditione Hierosolymitana, & eius expugnatione diẽ obiisset

Universidad de Deusto
Biblioteca

set anno.1391.Tancredus eius regna tyrannicè occupauit, & insuper Romano Pontifici obedientiam denegauit. Quare à Cælestino fuit regno priuatus. Henricusque sextus Romanorum Imperator iussus ducere Constantiam, vt eo matrimonio facto, ad illa regna integrum ius haberet. Ità Belugantius,& Beluesius in suis cõtiloquijs à num. 129.vsque ad.150.& Illescas in vita istorum Pontificum.Ioannes Zanors, & Niceta antiquissimi scriptores in vita Imperatorũ, alij qua dixerunt, cum non parua illius temporis scriptorum caterua. Vnde immeritò Soto lib.7.de Iustitia q.4.art.2. dicit huiusmodi historias non esse vndequaque veras.Eodem etiam modo dispensatum fuit cum ordinibus de Alcantara,& Calatrana, & tandem cum Magistro de Montesa.Qui omnes sunt verè monachi, vt docet Soto lib.7. de Iustitia,q.5.art.3.ad.3.Qui etiam dicit prudenter cum illis fuisse dispensatum: quia absque dubio non poterant castitatem seruare propter rationes quas ibi enumerat. De militibus verò & sancti Ioannis equitibus non sic. Nunquam enim cum illis fuit dispensatum.De eorum obseruantia,& religione tractat etiam Soto in.4.d 27.q.1. art.4. Vnde Alexander.III. viros matrimonij vinculo ligatos ab hoc ordine reijci præcipit, nisi de licentia vxoris castitatem voueant, & ipsamet vxor hoc idem faciat, iuxta textum in capit. vxoratus. de conuersione coniugatorum.

Sententia D.Tho. & aliorum.

¶Contrariã tamen sententiam tenet Diuus Thom.in hoc articulo.Albertus Magnus in 4.d.38.art.15. Altisiodorensis lib.3.sue summæ,cap.22.Almaynus Tractatu de potestate Papæ cap.3. D.Bonauent. in.4.d.38.q.3. Capreolus d.35.q.2. Turrecrem.in ca.sicut bonum.27.q.1.Syluester,verbo, votum.4.§.5.Catherinus lib.6.contra Caietanum cap.2.Soto lib.7.de Iustitia. q.4.art.2.& in.4.d.38.q.2.art.2. Qui omnes vnanimiter dicũt, in nullo casu etiam propter salutem alicuius regni, vel ad conseruandum humanum genus, ne pereat, posse summum Pontificem dispensare in voto solenni continẽtiæ; quia monachus iure naturali,& diuino est inhabilis ad matrimonium contrahendum.Vnde dicunt,quod quemadmodum si in mundo non esset, nisi vnicus vir coniugatus, & vxor illius esset sterilis,non posset Papa dispensare,vt cum alia contraheret, ne vniuersum periret: ità etiam nulla de causa potest cum monacho dispensare. Et probari potest

1. argum.

hæc sententia plurib⁹ argumentis. Primo ex facto Matthæi Apostoli. Qui,vt historiæ tradunt, noluit dispensare cum Iphigenia moniali, vt Regi nuberet,quanuis Rex promitteret se suosque ad fidem conuerti. Dicens nefas esse Regis sponsam violare.Quam quidem historiam scribit Abdias quidã coæuus Apostolorum, qui & ab ipsis fuit ordinatus Episcopus; eamque recepit vniuersalis Ecclesia:quanuis Caietanus in hoc articulo illam reijciat. Secundo probatur sentẽ

2. argum.

tia D.Tho.ex cap.cum ad monasterium. de statu monachorum. Vbi dicitur,quod abdicatio paupertatis, & custodia castitatis adeò sunt annexa regulæ monachali, vt super eis

3. argum.

summus Pontifex dispensare non possit.Tertio sic argumentor: Sicut ille, qui semel est sacerdos, non potest fieri non sacerdos: ità etiam ille, qui semel est monachus non potest fieri non monachus; quia de iure naturali & diuino est iam Deo traditus per solẽnem professionem,vt D.Thom.dicit in hoc articulo. Sed stante monachatu implicat, q̃ aliquis contrahat matrimonium, quia continentia est essentialis,& de intrinseca ratione monachatus; & sine qua non maneret: ergo sicut summus Pontifex non potest efficere,vt monachus non sit monachus:ità etiam nec potest efficere, vt monachus castitatem non seruet. Ad hoc argumentum respondẽt Caietanus & alij dicentes, quod licet non possit fieri,vt qui semel est Deo consecratus per professionem non sit consecratus;potest tamen fieri pro causa ligitima,& necessaria,vt ille,qui Deo est consecratus matrimonium contrahat. Sicut & calix,qui Deo est consecratus ex legitima causa applicari potest ad alios vsus communes. Idque probat exemplo Dauid, qui in casu necessitatis comedit panes propositionis, quibus vesci non licebat, nisi solis sacerdotibus. Cæterũ hæc solutio non satisfacit.Nam id quod est alterius ab eo auferri non potest per humanam potestatem; sicut vnus coniugum,quia alterius est, ab eo auferri non potest per humanã potestatẽ;sed homo per professionem nõ solum fuit consecratus Deo,sed etiam totus ei traditus,& religioni, ità vt iam nõ suus, sed Dei & religionis dicatur: ergo per humanam potentiam ab eo statu auferri nõ po-

4. argum.

test. Quarto probatur hæc eadem sententia: Nam si Papa posset dispensare in voto solẽni continentiæ,sequeretur,quod etiam posset dispensare in matrimonio rato,& non cõsummato,cõsequens autẽ est falsum, & absurdum: nam sic vir viuente priori vxore aliam ducere posset:ergo & illud,ex quo sequitur. Probo sequelam: Matrimonium ratum,& non consummatum iure diuino dissoluitur per professionem,vt supra diximus: ergo maius vinculum est professionis quam matrimonij;atq; ex cõsequẽti Papa potest in maius vinculum poterit in minus. Et confirmatur: Posito casu,quòd ille,qui matrimonium contraxerat ingrediatur religionem,& profiteatur,tunc iam dissoluitur illud matrimonium; & si postea faciamus, quod Papa dispenset in illo voto solenni, tũc etiam ille iam erit liber à professione, atque ex consequenti poterit matrimonium contrahere cum alia viuente priori, quod est absurdũ. Ad hoc argumentum Canonistæ in capit.ex publico. de conuersatione congregatorum respondent, concedendo sequelam, quam etiam concedit Caietanus in hoc articulo,& Duran.in.4. d.38.q.2.Qui dicit,quod sicut, si vir moriatur post contractum matrimonium, & postmodum resurgat,potest ducere aliam vxorem; quia prius matrimonium fuit terminatum in morte:ità etiam potuerit ille dispensatus ducere aliam vxorem, quia prius matrimonium fuit terminatum in morte, qua mortuus fuit ille seculo solenniter profitendo. Et quidem,si teneamus opinionem Canonistarum,nulla alia ratione respõderi potuerit ad hoc argumentum. Cæterum falsum est dicere,quod Papa potest dispensare in matrimonio rato,& non consummato, vt communiter tenent Theologi in.4.d. 26.& Soto in.4.d.27. q.1.art.4. Idque colligi videtur ex sacra scriptura.Matthæi.19.& Marci.10.Vbi referens Christus verba Adã dicit: Quod Deus coniungit homo non separet. Et certum est, quod loquebatur de matrimonio rato,& non consummato; non dum enim Adam vxorem cognouerat.

Sententia auctoris.

¶Propter hæc argumenta dico,longè esse probabiliorem sententiam D.Tho. quæ asserit Papam non posse dispensare in voto solenni, quanuis nec etiam contraria opinio sua careat probabilitate.Ex quo fit, vt si Papa dispenset in voto solenni continẽtiæ, vel in matrimonio rato, & non consummato, quanuis factum non teneat à parte rei,quia id facere non potest; non tamen peccabit Pontifex dispensando. Quia in hoc facto sequitur opinionem grauissimorum Doctorum. Et sic etiam dispensati manebunt tuti in conscientia.

Nota primo pro solutione ad argumenta primæ opinionis.

¶Et vt ad argumenta alterius opinionis respondeamus,aduertẽdum est primò,quod vt supra diximus,solennitas voti non in aliqua benedictione, aut consecratione consistit,vt Cietan⁹ existimat,& videtur D.Thomas innuere; sed potius in actuali quadam traditione, qua ille, qui solenniter vouit se totum Deo tradit,vt mancipium.Cæterum, quia illa actualis traditio sub forma sit benedictionis, vel consecrationis; idcirco vtitur D.Thom.in hoc articulo benedictionis,vel consecrationis nomine ad significandam voti solennitatem. Cùm tamen in.4. d.38.q.1. art.2.expresse dicat votum solenne tunc fieri, quando quis personaliter se Deo tradit. Et in articulo.3.ad.3.argumentũ dicit,quòd ideò votum solenne dirimit matrimonium, non autem votum simplex, quia votum solenne continet actualem exhibitionem proprij corporis.

2. Nota.

¶Secundò est aduertendum,quod quãuis votum solenne contineat actualẽ traditionem,ipsum tamẽ essentialiter est promissio, qua Deo aliquid promittimus.Tradendo tamen ipsam personam,vel in diuinum cultũ, vt fit, dum sacros ordines suscipimus, vel in diuinam contemplationem,vt fit,dum religionem aliquam profitemur.Itaque in quocunque voto solẽni est & traditio personæ, & promissio aliarum rerum, quarum votũ emittimus.Vt,verbi gratia,quando quis suscipit sacros ordines, tradit personam in perpetuum Dei cultum, & præterea promittit castitatem,& alia quæ decent ad statum clericalem. Et similiter,quando aliquis profitetur,tradit personam religioni in perpetuam Dei contemplationem. Et præterea promittit castitatem obedientiam,& paupertatem, quæ necessaria sunt ad statum monachalem.

3. Nota.

¶Tertio est aduertendum,esse latissimum discrimen inter traditionem, quæ fit in susceptione sacrorum ordinum, & traditionẽ, quæ fit, dum religionem aliquam profitemur.Nam in priori traditione non intrinsecè includitur votum castitatis, sed tantum extrinsecè ex statuto Ecclesiæ ità præcipientis. Cum tamen possit fieri,vt quis tradiderit personam in perpetuum Dei cultum, & tamen non seruet omnimodã castitatẽ. Cæterum in traditione,quæ fit, dum quis religionem aliquam profitetur intrinsecè,& essentialiter includitur votum castitatis, paupertatis,& obedientiæ. Ita,vt fieri non possit,quod quis hac ratione personam Deo tradat in perpetuam contemplationem, quin & sit astrictus voto castitatis,paupertatis,& obedientiæ. Ex quo infertur, quod ad hoc, vt quis possit dispensare in voto castitatis à clerico emisso,non est necessarium,q̃ possit tollere traditionem, quæ fit in susceptione sacri ordinis, ea enim permanente potest fieri,vt clericus castitatem non seruet: sed tãtum requiritur,quod habeat potestatem supra ius,quod præcipit clericis,vt castitatem seruent. Vnde cum Papa supra illud ius habeat plenam potestatem, in eo voto optimè poterit dispensare. Cæterùm,cùm in traditione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione, quæ sit in professione, essentialiter includatur votum castitatis, nullus poterit in hoc voto dispensare, nisi ille, qui potest tollere talem traditionem. Vnde cum Papa eam tollere non possit, non enim potest efficere, vt ille, qui semel Deo traditus est, non sit traditus, sit, vt nec etiam possit in illo voto dispensare. Et per hæc patet solutio ad primū argumentum. Ad quod respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiā, propter rationem iam dictam. Ad secundū respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dico, quod quemadmodum homo potest contrahere matrimonium, ex quo damnum aliquod reipublicæ sequatur; non tamen in eo includitur conditio, nisi Papa dispensauerit: ità etiam potest solenniter vouere, absque ea conditione, si quidē vtrobique est personæ traditio. Ad tertium argumentum, respondetur cum D. Tho. hic ad 4. concessa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quod quando monachus in Episcopum assumitur, nō magis dispensatur cum illo in voto paupertatis, quā in voto castitatis. Nihil enim tanquam proprium debet habere, quantūis ei concedatur maior vsus, & plana dispensatio bonorū Ecclesiæ; sed dominium remanet penes summum Pōtificem & Ecclesiam Romanam. Ex quo infero, quod si Papa tollat à monacho Episcopo proprios redditus, & ea, quæ illi sunt necessaria; non peccabit contra iustitiam; sed tantum contra charitatem, & suauem Ecclesiæ gubernationem. Vnde nihil tenebitur restituere. Cæterum si ab alio Episcopo redditus tolleret, sine rationabili causa, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem, quia alij Episcopi habent dominiū suorum reddituum. Si autem monachus fiat Papa pleniorem habebit rerum vsum, & dominum erit penes Christum & Ecclesiam. Similiter etiam dico de monacho facto Episcopo, quod non dispensatur cū illo in obedientia, sed manet semper Papæ subiectus, si autem sit Papa nulli erit subiectus. Sed hoc est per accidens, quia in terris non habet superiorem. Cæterū si Papatum dimittat denuo erit prælatis religionis subiect⁹ sine nouo voto obedientiæ. Ex quo colligitur eum ab eo non fuisse absolutum. De hac re videndus est D. Thom. infra q. 186. art. 8. ad. 3. Ad quartum argumentum respondetur, quod illud potius facit pro nobis, quā contra nos. Nam ex eo, quod nullus se potest eximere ab obligatione iuris naturalis, & ille, qui emisit votum solenne iuri naturali & diuino est exemptus ab obligatione ducendi vxorem, optimè sequitur quod nullus potest in tali voto dispensare: Si quidem nullus potest facere contra ius naturæ. Ad confirmationem respondetur, quod illa maior propositio solum habet verum in votis simplicibus, quæ tantum sunt promissiones, non autē in voto solenni, quod continet traditionē. Multa enim sufficiunt ad rescindendam promissionem, quæ donationem rescindere nō possunt, vt patet in sponsalibus, & matrimonio. Vnde dico, quod sicut non posset contrahere matrimonium ille, qui cognosceret ex eo periclitaturum bonum commune; & tamē si illud contraheret factū teneret, & dissolui non posset, ità etiam non posset vouere castitatem ille, qui cognosceret ex ea periclitaturum bonum commune; tamen si ea solenniter vouisset, factum teneret & dispensari non posset, vt dicimus de matrimonio. Ad quintum argumentum respondetur, q illa causa dispensandi in voto quando maioris boni est impeditiuum, de voto tantū simplici est intelligenda. Nam solenne cum sit traditio perinde ac matrimonium est omnino indissolubile. Ad confirmationem respondetur eam conuincere, quod sicut Papa potest in voto orationis, aut sacrificij dispensare, quæ sunt de excellentiori obiecto: ità etiam potest in voto simplici continentiæ. Cæterum si sit solenne erit indispensabile, non propter dignitatē obiecti, sed propter traditionem personæ, vt iam diximus. Ad vltimum argumentum respondetur, quod pōtifices in illis dispēsationibus sequuti sunt opinionem probabilem. Vnde ipsi non peccauerunt, & dispensati manserunt tuti in conscientia, quanuis dispensatio nō esset valida. Nec ex hoc licet inferre, quod Papa potest dispensare. Si quidem Papa in ijs, quæ sunt facti errare potest, sicut & de facto sæpe sæpius errat, vt diximus in primo tomo, q. 1. art. 10. in tractatu de summo Pontifice. Ex dictis infero primo, illas religiones, in quibus omnimoda castitas non seruatur; sed possunt religiosi matrimonio copulari, quales sunt ordines D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatranæ, nō esse verè, & proprie religiones, saltem quantum ad illas personas, quæ vxores ducere sunt compotes. Nam cum perfecta castitas sit intrinseca statui religionis, implicat contradictionem, quod quis sit verè, & propriè religiosus, qui tamen vxorem ducere possit. Dixi notanter, saltem quantum ad illas personas, quæ vxores ducere sunt cōpotes. Nam in ordinibus militaribus illi, qui sunt omnino Ecclesiastici, id est clerici, seu ad chorum deputati, gestantque habitū clericalem, & crucis insigne in pectore, nō est dubium quin sint verè & proprie religiosi,

Ad 1. arg.

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

Ad 4. arg.

Ad 5. arg.

Ad vltimū argumen.

1. corollar.

vt docet Soto lib. 7. de iustitia, q. 5. art. 3. ad. 2. Et idem dico de militibus D. Ioannis, non solum clericis & Ecclesiasticis, sed & de militibus secularibus; quoniam tam isti, quam illi tria vota, sicut alij emittunt, suntque omnino inhabiles ad matrimonium. Et vt Diu. Tho. docet infra q. 188. ar. 3. bene potest religio instituī, pro militia ad defensionē Christianorum, & defensionē terræ sanctæ. Quare per professionem in ordine D. Ioannis secularium militum, bene poterit dissolui matrimonium ratum, & non consummatum. Quod etiam docet Corduba de casibus q. 178. & Nauarro de redditibus ad finem. Imo anno. 1552. Don Gaston dux Medinæ Cęli facta professione in ordine obtinuit solui matrimonium ratum. Ad quod etiam facit Alexander. III. cap. 8. de conuersione coniugatorum. Infero secundo, quod qui vouit absolutè ingressum religionis, optimè satisfaciet voto, si ordinem Di. Ioannis suscipiat, quæ est vera religio, vt docet Corduba de casibus. q. 148. Nec eam profitentes habent dominium, sed vsumfructum rerum temporalium, quibus res bellicas, quibus destimantur, administrent. Syluest. verbo. religio. 3. §. 8. & singulis annis reddunt magistro ordinis omnium bonorum, quæ possident rationem, seruantque obedientiā. Nihilominus, quanuis isti milites seculares ordinis Diui Ioannis, sint verè religiosi, habēt tamen ex Pontificum priuilegio, vt non cōprehendantur sub iure aliorum religiosorū, quantum ad odia & rigores. Sic excipiūtur, ne teneantur contribuere pro seminario in Concilio Trident. sess. 23. cap. 18. Nec tenētur abstinere ab ouis, & lacticinijs, in quadragesima. Possuntque interesse agitationi taurorum, ex proprio motu Greg. XIII. anno. 1575. Et ob hanc rationem aliqui Doctores dicunt, eos nō esse tam strictè & proprie religiosos, sicut alios. Sylvester religio. 2. §. 1. & Armilla. §. 4.

2. corollar.

¶Qui voluerit tenere primam sententiam, quam communiter sequuntur Canonistæ, eo præcipue niti debet fundamento, quod quanuis verum sit, quod tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ sint essentialia religioni, nec ab eo possint separari, potest tamen efficere summus Pontifex, ex rationabili causa, vt qui anteà erat religiosus, posteà religiosus non sit, nec hoc iuri naturali, aut diuino repugnat, vt ex solutione ad argumēta, pro sententia Diu. Thomæ facta constabit. Vnde ad primum respondeo Diu. Matthæum noluisse dispensare cum Iphigenia, vt nuberet Hirraco infidelium Regi promitenti se suosque ad fidem conuersurum, vel quia fortè timuit promissa Regem non adimpleturum, nec executioni mandaturum, vel, quia in initio primitiæ Ecclesiæ non expediebat dispēsare ad robur professionis ostendendum. Vel dico cū Caietano in præsenti, quod ex historia non est authentica.

Ad 1. arg. pro secūda sententia D. Thomā.

¶Ad secundum ex cap. cum ad monasterium. respondetur, sensum illius textus esse, minimè Pontifici dispensare licere, vt eodē met tempore, quo quis monachus est, proprium habeat, vel votum castitatis non adimpleat, cū de essentia monachatus sit proprietatis abdicatio, & renunciatio, & castitatis obseruantia. Sunt enim hæc duo ex tribus votis, quæ solenniter promittuntur. Ac proinde esset repugnantia. Bene tamen potest Papa ex plenitudine potestatis, quā habet aliquem omnino ab statu monachali eximere, atque liberare, & de monacho nō monachum facere, vt conuincunt quam plurimi textus ad id probandum adducti, ab illustrissimo, & præstantissimo viro Domino Domino Didaco Lopez à Stunica, & Sotomayor, excellentissimi principis ac ducis Vejarensis Francisci à Stunica, & Sotomayor, fratre germano meritissimo, & in iure canonico in Salmanticensi Academia licentiato, eiusdemque vniuersitatis tertiùm rectore, de totaque Augustiniana nostra familia benemerito, & patrono obseruandissimo, in aureo suo libro de Voto, q. 6. nu. 104. & sequētibus. Idem etiam probat Beroius in rubrica de appellationi. num. 27. & Decius in eadem rubrica num. 9. allegans ad idem Innocentium in capit. finali, in fine de sacramen. non reite. & Ioannem Andream in reg. semel. de regulis iuris in. 6. Itaque secundum Decium sensus illius capituli, cum ad monasterium. est, quod dum quis monachus est, ad continentiam & castitatem non teneatur, minimè potest Papa efficere, quia est repugnantia in adiecto, vt diximus. Sed de monacho non monachum facere hoc rectè valet. Eodem modo interpretatur illum textum Corduba lib. 1. quæstionarij, q. 24. in solutione ad. 3. Videturque hæc interpretatio satis consona literæ. Nam cum vellet Abbas dispensare, vt liceret monacho proprium habere, eo manente monacho, dicit textus: Nec existimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam, nec summus Pontifex possit licētiam indulgere, hoc est, quod monachus sit & proprium habeat, vel ad castitatē non teneatur. ¶Ad tertiū argumentū respondetur, negando maiorem. Non est enim

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim eadem ratio de eo, qui semel fuit sacerdos, & de eo, qui professionē emisit, quantum ad id, quod est dimoueri ab statu semel suscepto. Nam in sacerdotis consecratione imprimitur character indelebilis, qui ipsum Domino sanctum constituit: quare causa etiam post depositionem, & degradationem injciens in eum violentas manus in excommunicationē cadit, vt tenet Glossa in cap. accedens. 50. distinct. quod in professione non contingit. Sed constitit eius solēnitas, vel in benedictione, vel in traditione, quorumque per summum Pontificem ex rationabili causa potest auferri. Et quando dicitur in eodem argumento, Quod est alterius, ab eo auferri non potest per humanam potestatem: sed homo per professionem traditur Deo, & religioni: ergo. Respondeo negando maiorem. Potest enim superior qualis est Papa vicem Dei gerens, autoritate ipsius ex legitima causa id ius acquisitum tollere, quod Deus supra aliquem habet ratione professionis à se emissæ, eo ipso, quo potestatem dispensatiuam ad pascendum gregem Christianum illimitatam accepit. Nec tunc facit aliquid contra ius naturale, aut diuinum, nec accipitur alienum inuito domino, sed de eius voluntate, quod erat alienum, & iuris Dei, ex legitima causa per dispensationē desinit iā esse illius, ad vsusque profanos transfertur.

Ad.4.arg. ¶In quarto argumento tangitur difficultas an Papa possit dispensare in matrimonio rato non consummato. De qua re sunt variæ & cōtrariæ sententiæ. Caietanus enim in opusc. 27. quæstionum, q. 25. partem tenet affirmatiuam. Quā etiam sequitur Nauarro in manual. cap. 22. num. 21. & dicit hanc esse opinionem communem Canonistarum. De quo latè Couarruuias. 2. p. de sponsalibus cap. 7. §. 4. num. 13. Alia sententia est negatiua, quā tenet Syluest. verbo. diuortiū. §. 1. & 4. Corduba lib. 1. quæstionarij, q. 25. Cano. libr. 6. de locis cap. 8. Soto in. 4. d. 27. q. 1. art. 4. & Victoria in summa, dubio. 281. estq; verior, atque communior. Sed quoniam huius rei disputatio proprie pertinet ad materiam de matrimonio consulto à me prætermittitur. Et quidquid sit de hoc ad argumentum respondeo, negādo sequelā. Et ad probationē dico, quod quanuis sit maius vinculum professionis, quā matrimonij, non ex hoc infertur, q. qui potest dispēsare in professione potest etiam in matrimonio, quia hoc est sacramentū & totum de iure naturali, & diuino, estque contractus naturalis, & ciuilis, in quo Papa nihil fere potest efficere. Cum tamen professio sit vinculum pendens ex acceptatione Ecclesiæ, & in quo sine præiudicio tertij cadere potest dispensatio. Ad cōfirmationem respondetur, non esse inconueniens, q. post matrimonium ratum non consummatū, coniuges in illo casu rarissimo ad secundas nuptias transire queant propter rationem in argumento adductam.

Articvlvs. XII.

¶Vtrum ad commutationem, vel dispensationē voti requiratur prælati authoritas.

Supra. a. 2. aū. 3. Et. a. d. 38. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4. & a. 4. q. 1. con. & ad. 2. & q. 4. per totū.

AD DVODECIMVM sic procedi-tur. Videtur quod ad commutationem, vel dispensationem voti non requiratur prælati authoritas. Aliquis enim potest intrare religionē absque authoritate alicuius superioris prælati. Sed per introitum religionis absoluitur homo à votis in seculo factis, eriā à voto terræ sanctæ: ergo voti commutatio vel dispensatio potest esse absque authoritate superioris prælati.

2¶ Præterea, Dispēsatio voti in hoc cōsistere videtur, quòd determinatur in quo casu votum non sit obseruandum. Sed si prælatus malè determinet, non videtur esse vouens absolutus à voto, quia nullus prælatus potest dispensare contra præceptum diuinum de implendo voto, vt dictum * est. Similiter etiā si aliquis propria authoritate recte determinet in quo casu votum non sit implendum, non videtur voto teneri: quia votum non obligat in casu in quo haberet peiorem euentum, vt * dictum est: ergo dispensatio voti non requirit authoritatem alicuius prælati.

Ar. 10. huius quæst.

Ar. 10. & 2.

3¶ Præterea, Si dispensare in voto pertinet ad potestatem prælatorum, pari ratione pertinet ad omnes. Sed non pertinet ad omnes dispēsare in quolibet voto: ergo non pertinet ad potestatē prælatorum dispensatio voti.

¶Sed Contra, sicut lex obligat ad aliquid faciendum, ita & votum. Sed ad dispensandum in præcepto legis requiritur superioris authoritas, vt supra * dictum est: ergo pari ratione etiam in dispensatione voti.

Ar. 10. & 1. 2. q. 97. ar. 4.

¶Respondeo dicendum, quòd sicut suprà * dictū est, votū est promissio Deo facta de aliquo quod sit Deo acceptum. Quid sit autē in aliqua promissione acceptum ei cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. Prælatus autē in ecclesia gerit vicem Dei: & ideo in commutatione vel dispensatione votorum, requiritur prælati authoritas, quæ in persona Dei determinat quid sit Deo acceptum: secundū illud 2. ad Corinth. 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Christi. Et signanter dicit propter vos, quia omnis dispensatio petita à prælato, debet fieri ad honorem Christi, in cuius persona dispensat: vel ad vtilitatē Ecclesiæ, quæ est eius corpus.

Ar. 1. & 2. huius quæst.

¶Ad Primvm ergo dicendum, quòd omnia alia vota sunt quorundā particularium operum. Sed per religionem homo totam vitam suā Dei obsequio deputat. Particulare autem in vniuersali includitur, & ideo decretalis dicit, quòd reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam religionis obseruantiam commutat. Nec tamen religionem ingrediens tenetur implere vota vel ieiuniorum, vel orationum, vel aliorum huiusmodi quæ existens in seculo fecit: quia religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam singulares obseruantiæ religioni nō cōpetunt, & religionis onus saris hominem onerat, vt alia superaddere non oporteat.

¶Ad secundum dicendum, quòd quidam dixerūt, quòd ideo prælati possunt in votis pro libito dispensare: quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas prælati superioris, sicut suprà * dictū est, quod in votis subditorum, puta, serui vel filij, intelligitur conditio: si placuerit patri vel domino, vel si non renitantur: & sic subditus absque omni remorsu conscientiæ, posset votum prætermittere quandocunque sibi à prælato diceretur. Sed prædicta positio falso innititur: quia est potestas prælati spiritualis, qui non est dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, & non in destructionem, vt patet. 2. ad Corin. 10. sicut prælatus non potest imperare ea, quæ secūdum se Deo displicent, scilicet, peccata: ita non potest prohibere ea quę secundum se Deo placent, scilicet, virtutis opera. Et ideo absolutę potest homo vouere ea. Ad prælatum tamen pertinet diiudicare quid sit magis virtuosum, & Deo magis acceptum. Et ideo in manifestis dispensatio prælati nō excusaret à culpa: puta, si prælatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religionis nullo apparenti causa obstante. Si autē esset causa apparens, per quam saltem in dubium verteretur, posset stare iudicio prælati dispensantis vel commutantis: non tamē iudicio proprio, quia ipse nō gerit vicē Dei, nisi forte in casu in quo id quod vouit esset manifestē illicitū, & nō posset opportune ad superiorem recurrere.

Art. 8. huius quæst.

¶Ad tertium dicendum, quòd quia summus Pontifex gerit plenarie vicē Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispēsandi in omnibus dispēsabilibus votis. Alijs autem inferioribus prælatis committitur dispensatio in votis quæ cōmuniter fiunt & indigent frequenti dispensatione, vt habeant de facili homines ad quem recurrant, sicut sunt vota peregrinationū & ieiuniorum, & aliorum huiusmodi. Vota vero maiora, puta, continentiæ & peregrinationis terræ sanctæ reseruātur summo Pontifici.

Svmma Textvs.

AD propositam difficultatem respōdet D. Thom. per duas propositiones. Prima conclusio est affirmatiua. Et probatur: Votū est promissio facta Deo de eo, quod sibi est acceptum: sed quid sit gratū, & acceptum alicui ex eius pendet voluntate: ergo ad prælatum, qui in Ecclesia gerit vicem Dei pertinet decernere, quæ nam sint grata Deo, quòd est dispensare, seu commutare in voto. Secunda conclusio. Ad dispensationem, & voti cōmutationem semper requiritur legitima causa. Probatur ex Paulo. 2. ad Corinth. 2. dicente: Ego si quid donaui propter vos in persona Christi donaui. Et dicit, propter vos, & in persona Christi, vt intelligamus, quod omnis dispensatio debet cedere in honorem Christi, vel in vtilitatem Ecclesiæ, quæ est eius corpus.

Expli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam conclusionem est primum dubium, vtrùm ad commutationē voti requiratur semper prælati autoritas? De qua re Syluester, verbo, votum. 4 §. 7. partem tenet affirmatiuam, dicens, quod etiam si commutatio fiat in maius bonum, semper ad cōmutationem requiritur prælati autoritas: nisi quando ipsum votum fuerit maioris boni impeditiuum. Itaque ad hoc, vt ieiunium commutetur in eleemosynam, vel sacrificiū semper est necessaria autoritas prælati. Tamen, si vouisset quis peregrinationem, qua religionis ingressus impediretur non esset opus prælati autoritate ad illud votum in religionem commutandū. Et probat hāc suā sententiam primò ex cap. primo de voto & voti red. Vbi habetur: Ex arbitrio eius, qui præsidet pendet animaduertere causam cōmutationis, & qualitatem personæ. Et leg. 2. ff. si certum petatur, dicitur, quod nō absoluitur ab obligatione, qui reddit rem meliorem: sed oportet reddere rem promissam & debitā: ergo sine prælati autoritate nunquā erit licitū votum commutare. Contrariam tamen sententiā tenet Caietanus in præsenti. Ad cuius explicationem aduertēdum est, voti simplicis commutationem fieri posse, vel in id, quod est manifestè maius bonum, vel in id quod est minus, vel in id, quod est æquale. Quo supposito dico primò, ad voti commutationem in id, quod est euidenter maius bonum non esse necessariam prælati autoritatem. Probatur ex cap. peruenit. el secundo, de iureiurando. Vbi dicitur, q̄ propositum, aut promissum nō infringit, qui in melius illud commutat. Et in cap. scripturæ. de voto habetur, omnia vota facta ante religionem extingui: quia mutantur in melius. Idē etiam dicitur in cap. licet. de regularibus. Et ratio est manifesta: Nam votū ideò obligat; quia est promissio de re grata Deo: sed qui commutat votum in rem meliorem, reddit gratiorem: ergo satisfacit voto. Atque ex cō sequenti ad commutationem in melius non requiritur prælati autoritas. Dico secundo, quod ad commutationem voti in id, quod est minus bonum, semper requiritur prælati autoritas. Probatur: In tali cōmutatione admiscetur dispensatio, cùm non exigatur totum votum, sed pars; ad dispēsationem autē semper requiritur prælati autoritas, vt diximus art. 8. ergo & ad cōmutationē in minus bonum. Quare admonet Caietan⁹, q̄ quādo petitur cōmutatio, simul etiam petatur dispēsatio, vt cōmutatio sit secutior. Dico tertio, ad cōmutationem voti in id, quod est æquale bonū probabile esse, q̄ nō requiritur prælati autoritas. Hæc cōclusio probatur eisdē rationibus, quibus probata fuit prima cōclusio. Cæterum si res fuerit dubia, vtrùm id, in quod votū cōmutatur, sit æquale bonū, nec ne, necessaria erit prælati autoritas, vt expressè habetur in c. 1. de voto, & voti redēptione. Ex dictis infertur, quod in voto castitatis, & religionis nunquā potest fieri cōmutatio sine autoritate prælati. Nihil enim his votis potest esse melius, vt constat ex illo Prouer. 16. Omnis ponderatio non est digna animæ continentis. De voto autē peregrinationis in Hierusalem, etiā dicit Soto lib. 7. de Iustitia, q. 4. ar. 3. quod in nullam aliam rē poterit cōmutari, sine autoritate Papæ. Quia summus Pontifex in ca. ex multa. de voto. & vot. red. eius cōmutationem sibi reseruat. Cæterū verius erit dicere, quod si constat rem, in quā fit cōmutatio, esse meliorē, non esse necessariam prælati autoritatem. Quia Papa quādo sibi reseruat alicuius voti cōmutationem, intelligendus est, dummodo res sit dubia. Nā si certum est esse melioré bene potest fieri cōmutatio priuata autoritate. Sicut & quando Episcopus reseruat sibi restitutionē incertorum debitorum potest ille, qui ea possidet ppria autoritate ea expendere in pios vsus, vt docet Nauatro in Manu. c. 27. n. 258. ¶ Et ad argumētū in cōtrariū factū respondetur, quod illud capitulum tantū diffinit id, quod regulariter debet fieri. Quia cōmutationes non fiūt maiori ex parte in maius bonū: sed vel in minus, vel in bonū, de quo est dubiū, vtrùm sit æquale. Ad aliud autem ex lege. 2. ff. si certum petatur. respondetur, quod illud est intelligendum, quando ille, cui est facta ꝓmissio eā satisfactionē nō acceptat. Cæterū Deus semper acceptat satisfactionē, quā constat esse æqualē, vel maiorē. Infero secūdo, q̄ quādo virtute bullæ, vel priuilegij cōmutantur vota, possunt cōmutari in aliquid minus, & minus bonum; alioquī priuilegium nihil concederet, vt docet Corduba in summa, de casibus. q. 189. & 190. In cōmutationibus autem votorum opus est maximo iudicio, & discretione, vt cōsideretur tenor priuilegij, & nō extē datur. Vnde autoritate bullæ Cruciatæ solū in pecunias in subsidiū Regis possūt vota cōmutari: quia priuilegia iuxta eorū tenorē sunt interpretāda. Itē ad cōmutanda vota peregrinationis, verbi gratia, in Hierusalē, est habenda ratio expensarū. Nō quidē earū, quas homo dies debebat per accidens facere iuxta suū statum, scilicet, equorū, & famulorū; sed earū, quas sol⁹, aut ipse cū vno, aut altero famulo facturus erat. Itē ad cōmutanda vota religionis semper debet imponi aliquod vinculum perpetuum, vt quod confiteatur singulis mensibus per totam vitam, & orandi, aut ieiunandi, &c.

Sententia Syluestri.

1. Dictum

2. Dictum.

3. dictum.

Ad argum. Syluestri.

Doctrina seruāda in cōmutatione votorū.

Corollar.

Nota circa 2. conclusionē D. Tho.

¶Circa secundam conclusionē est aduertendum eam esse certam, & ab omnibus cōcessam. Nam certum est, quod Papa non est dominus, sed dispensator bonorum Ecclesię in ædificationē, & nō in destructionē illius, vt docet Paulus. 2. ad Corin. c. 10. Esset autē manifestissima destructio, si prælati pro sua volūtate absq; aliqua causa votorū vincula tollerent. Quare dico, q̄ sicut Papa si concedat indulgētias sine rationabili causa, vel sacerdos absoluat sine legitima dispositione factū nō teneret: ità etiā, si dispēset sine causa. Ad irritationē voti nulla prorsus est causa necessaria, vt iā diximus ar. 8. Sed dubiū est, vtrū ad voti dispēsationē requiratur semper causa, quæ eius executioni obstet & impediat? Ad cuius explicationē dico primò, certū esse ad cōmutationem voti nō requiri causam quę obstet voti exequutioni, sed sat esse, q̄ cōmutetur in melius bonū, vel in æquale. Probatur ex cap. quod super his. de voto. vbi vota peregrinationis in Hierusalē à mulierib⁹, vel ab alijs hominib⁹ impeditis emissa in eleemosynas cōmutari permittuntur, quia in subsidium terræ sanctæ, plus eorū pecuniæ, quam personæ proficiunt. Et ratio est manifesta: Nam in cōmutatione voti nō tollitur ei⁹ obligatio, sed transfertur in aliā materiā. Atq; adeò, vt hoc fieri possit, satis est, quod sit in rē meliorē. Dico secūdo ad voti dispensationem semper esse necessariā causam obstantē voti executioni. Ità tenet Caietanus in hoc articulo. Et videtur colligi ex D. Thom. in solutione ad. 2. Vbi dicit, quod si prælatus dispensaret cū aliquo in voto de ingressu religionis sine causa aliqua obstante, dispensatio esset nulla. Ad cuius intelligē tiam est aduertendum, tripliciter posse contingere, vt causa aliqua obstet voti executioni. Vno modo ex parte materiæ ipsius voti. Alio modo ex parte vouentis. Tertio modo ex parte communis boni. Ex parte quidē materiæ voti obstat causa, quando, vel est illicita, vel inutilis. Opus enim, aut illicitum, aut inutile non est gratum Deo. Et sic votum de eo emissum dispensari debet, aut prorsus tolli. Ex parte verò vouentis potest euenire causa obstans, qualis est, vel infirmitas, vel imbecillitas, propter quam commode non potest votum adimplere. Et hæc quidem causa tam in commutatione, quam dispensatione considerari debet, vt vel facilius, vel remissius fiat voti commutatio, & dispēsatio. Imò tanta poterit esse necessitas, vt tota obligatio simpliciter sit dissoluenda. Tandem ex parte communis boni potest prouenire causa obstans. Vt si quis vouerat ieiunium, quod sibi ad studendum, vel prædicādum impedimentum præstat. Hæc enim omnia bona in bonum commune cedunt. Et sic causa esse possunt, vt in votis fiat dispensatio. Quod est intelligendum, dummodo illud bonum, cui votum obstat, & propter quod fit dispensatio, pretiosius æstimetur, quam erat voti materia, & eius obligatio. Aliàs non fideliter fieret dispensatio, nec cederet in honorem Christi, aut vtilitatem Ecclesiæ, quod est necessarium ad voti dispensationem, vt Diu. Thom. dicit in hoc articulo. Et sic colligitur semper ad voti dispensationē esse necessariā causam obstantē. Similiter etiam est necessaria ad cōmutationem illius in minus bonū. Nam cum in tali commutatione admisceatur dispensatio, vt diximus; idem iudicium habendum erit de ea, & de dispensatione. De hac re videndus est Caietanus in hoc articulo. Soto lib. 7. de Iustitia. q. 4. art. 3. Syluester verbo, votum. 4. & dominus Didacus Lopez à Stunica in tractatu de voto. q. 5. Ex dictis infertur, quod si quis vouet votum castitatis, aut ieiunij, si non habet causam impedientem exequutionem voti, etiam si conferat mille aureos in eleemosynam, non poterit in hoc voto dispensari: quia nulla est causa obstans. Et si dispensetur factum non tenebit, nec erit tutus in conscientia. Cōfessor virtute bullæ, vel iubilei electus tenetur cōmutare, vel dispēsare vota, quæ vouēs (præceptis iubilei ad vngué adimpletis) rationabiliter cōmutari, vel dispēsari postulauerit. Nā cū talis confessor in cōmutando, seu dispensando, sit iudex delegatus in fauorem pœnitentis, & ad gratias, & indulgentias Romani Pontificis ei administrandas, & exequutioni mandandas assignatus; tenebitur pœnitenti ius suum tribuere, gratiasque ei indulgere meliori forma, qua potest, & de iure locum habuerit. Pro quo est optimus textus in capit. quantò. 2. quæstione. 4. Per bullam autem Cruciatæ poterit fieri commutatio votorum, non solum eorum, quæ ante acceptam bullam fuerunt emissa; sed etiam eorum, quæ post, vt tenet communis sententia Doctorum qui de hac re interrogantur. Quia fauores non sunt restringendi sed ampliandi. Quare fallantur Soto, libro septimo de Iustitia, quæstione quarta, articulo tertio, & Corduba quæstione centesima quadragesima nona, iam citata contrarium dicentes.

Dubium.

1. dictum.

2. dictum.

Nota pro confessario

¶Si quis autem quærat, an omnis, qui per bullam, vel alio modo potest dispensare, aut commutare vota, possit etiam

Dubium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

similiter iuramenta similis formæ? Nauarro cap.27.num.172.& in apologia de redditibus, partem tenet negatiuam in ijs, qui hanc potestatem habent ex priuilegio, aut ex bulla. Itaque affirmat, quod prælati possunt, sed non confessarij virtute bullæ. Ad huius

1. Dictum tamen rei explicationem dico primò, quod Papa reseruans sibi aliqua vota etiam censetur reseruare iuramenta de eisdem rebus. Ita tenet Soto libr.8.de Iustitia, quæstione. 1. articulo.9. & pari ratione est dicendum, quod omnis, qui per bullam, vel priuilegium potest commutare, aut dispensare vota, potest etiam & similia iuramenta absq; præiudicio tertij facta. Ità docet Didacus Lopez à Stunica in tract. de voto. quæstione.5.numero.42. Quia votorum, & iuramẽtorum quantum ad hoc est par ratio. Dixi notanter absq; præiudicio tertij facta. Nam cum summus Pontifex nunquam in præiudicium tertij iuramenta relaxet, vt concludit Gregorius Lopez, & ab eo citati in leg.5.titulo.5.partit.1.glossl.1. numero. 14. nunquam etiam est credendus id alteri cõcedere. Ita etiam tenent Palud.in.4. distinctione.38. quæstione. 4. articulo.3. Syluester verbo, iuramentum.3.§.7. & iuramentum.5.§.3.6.&.7.Couarruu. in capit.quanuis pactũ.1.part.§.3.& Antoninus.2.p. tit.

2. Dictum. 11.c.2.§.2. Dico secundo, quod quicunq; potest dispensare in voto, potest illud commutare. Non tamen è contra. Nam magis requiritur ad dispensationem, quam ad cõmutationem. Quicunque autem potest irritare votũ potest similiter irritare iuramentũ, vt quæst. sequenti patebit. Præcipua difficultas huius

Dubium de ijs qui possunt dispensare. articuli est, qui nã sint illi, qui possunt in votis facere dispẽsationẽ? Ad quã respondetur per sequẽtes propositiones. Prima cõclusio:

1. cõclusio. Omnis prælatus ordinarius potest iure communi quæcunq; vota subditorũ dispẽsare, nisi sint reseruata summo Põtifici. Ita tenet D.Tho.in hoc articulo in solutione ad.3.quẽ cõmuniter sequũtur omnes Doctores. Et ratio est: Nã Episcopus circa suos subditos eãdem habet potestatẽ, quã habet Papa circa totã Ecclesiã, sed Papa potest quæcũq; vota

2. cõclusio. dispẽsare: ergo & Episcopus, nisi eorũ fuerit facta reseruatio à summo Põtifice. ¶Secunda cõclusio: Casus Papæ iure cõmuni reseruati, tantũ sunt quinq;, scilicet, votũ perpetuę castitatis, votũ religionis, votũ peregrinationis in Hierusalẽ, votũ visitãdi limina Apostolorũ Petri & Pauli; & votũ peregrinationis in D.Iacobum. Ità habetur expresse in extrauagãti, Etsi dominici gregis.2. de pœnitẽtijs & remissionibus. Ex quo colligitur, omnia alia vota, etiam si sint de temporali castitate posse ab Episcopo dispensari: Imo à quocunque idoneo confessore per bullã Cruciatæ. Quare quãdo D.Tho.dicit, omnia vota perpetua esse Papæ reseruata, est intelligendus, de votis, quæ natura sua perpetuitatẽ dicũt qualia sunt votũ religionis, & castitatis. Non autem de votis, quæ tantum habent perpetuitatẽ, ex intentione vouẽtis. Vt si quis voueret perpetuam orationem, vel ieiunium. In his enim Episcopus dispensare potest, vt diximus. ¶Tertia cõclusio; Archiepiscopi in

3. Cõclusio diœcesibus suorũ suffraganeorũ nõ possunt dispensare sicut nec absoluere. Probatur: Nã respectu talium tantum sunt iudices appellationum pro foro contẽtioso; nec habẽt spiritualem potestatem ordinariam, nisi tantum respectu illorum, qui existũt in propria

4. cõclusio. diœcesi, vt cõstat ex ipso iure. ¶Quarta cõclusio: Abbates exẽpti, qualis est abbas Vallisoletanus, & Metymnẽsis Cãpi, & cõmẽdatarij D.Ioannis dãtes renerẽdas ad ordines, omnesque alij, qui habẽt iurisdictionẽ, quasi Episcopalem dispẽsare possunt in voto, tanquam Episcopi. Ità tenet Nauarro c.12.nu.72. Nõ tamẽ est extendẽda hęc potestas ad alia, quę ex iure speciali cõceduntur Episcopis in cõ-

5. Cõclusio cilio Tridentino sess.24.c.6. ¶Quinta cõclusio: Capitulũ sede vacãte potest dispẽsare, nõ solũ in votis, sed etiã in irregularitate ex delicto occulto prouenięte: quia Capitulũ succedit in iurisdictionẽ Episcopi, vt docet Syluester in verbo Capitulũ §.2. ¶Sexta cõclu-

6. cõclusio. sio: Omnes prælati religionũ exẽpti ab ordinario possunt circa suos subditos ea omnia, quæ diximus ar.8. Itẽ scholasticus Salmantinus ex priuilegio Papę potest dispẽsare in votis & irregularitatibus suorũ subditorum, vt habetur in cõstitutione.33. Et Episcopus Salmãtinus etiã potest in eisdẽ dispensare cum scholaribus, magna parte anni domiciliũ Salmãticæ habentibus. Imò omnes confessores ordinũ mẽdicantiũ possunt ex priuilegio Põtificis dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, vt docet Cordub.in summa de casi b°.q.149. Et cũ Episcopus in omnibus dispẽsare permittatur, in quibus expresse nõ prohibetur, vt tenet glossa in capi.requisitis.1. q.7.per textum in cap.1.de clericis pugnantibus in duelo, & in cap.nuper. de sententia excõmunicationis. & est dictum Innocentij in ca.dilectus. de temporibus ordinandorũ. Quod refert, & sequitur Abbas in capi. qui diligentia. de electione. fit, vt etiam confessores ordinum mendicantium in omnibus votis, exceptis quinque, quæ diximus esse Papæ reseruata, dispensare possint, & multo magis commutare, quod minus est, quam dispensare.

¶Si

Quæstio. ¶Si quis autem quærat, vtrùm in votis Papæ reseruatis possit aliquando Episcopus dispensare, breuiter respondeo affirmatiuè.

Responsio. Tunc, scilicet, quando est vrgens necessitas, nec est facilis aditus ad Papam, nec ad suum nuncium, vt docet Syluester, verbo, dispensatio.§.3. & verbo, votum. 4.§.4. & Soto lib.1.de Iustitia, quæst.vltima, articulo

Nota pro voto peregrinationis vltimo, & Nauarro.cap.12.num.76. Et Corduba lib. 1. quæstionarij, q.11. Sed est aduertendum circa votũ peregrinationis Hierosolymitanæ, quod in iure est maximè fauorabile, vt constat ex capit.licet, & ex capit.finali. de voto. maximeque meritorium atque laudabile, vt vltra Castrum de hæresi.verbo. votum, declarat optimè contra nouos hæreticos Ioannes de Gadato in compendio concertationum huius seculi titulo. 3. illud posse fieri duobus modis. Primum, ad liberandum sanctissimum Domini sepulchrum, infidelesque debellandum. Nam quanuis in custodia, & potestate fratrum ordinis beati Francisci contineatur, non est dubium, quin, si iter esset expeditum in ditioneque Christianorum terra illa sancta haberetur, plures fideles illuc migraturos, quod in Dei laudem, & nostram vtilitatem cessurum nullus est qui ambigat. Secundo modo ad visitanda loca sancta magna cum reuerentia, & deuotione. Plurimum autem interest, an primo, vel secundo modo votum fiat. Nam quando pro succursu vouetur peregrinatio, omnes concedunt ad summum Pontificem solum pertinere dispẽsationem. Quando autem fit secundo modo, multi dicunt, quod Episcopus potest super tali voto dispensare. Vt est videre apud Abbatem in cap.ex multa. de voto & voti red. & Antonium in cap.super his. de fide instrumentorum. Cæterùm hodie seruato stylo Romanæ curiæ, tam in primo, quam in secundo casu à summo Pontifice est petenda dispensatio, & etiam in voto visitationis Cõpostellæ, & liminum sancti Petri. Cũ hoc de cõsuetudine & per literas Apostolicas sibi Papa reseruet, vt tenet Gregorius Lopez in l.5. tit.8.par.1.in glossa, verbo, Romerias. & Syluester verbo. votum.4. & Nauarro. cap.12.

Dubiũ de votis pœnalibus. num.25. sed dubium est, vtrùm, quando huiusmodi vota sunt pœnalia alius quam Papa possit super eis dispensare. Verbi gratia: Vouet quis non lusurum, vel non peccaturum tali, aut tali peccato; & si secus fecerit, aut iturum in Hierusalem, aut religionem ingressurum, dubium est, vtrùm in huiusmodi votis possit alius, quam Papa dispensare? Et loquor post adimpletam conditionem. Nã anteà certũ est, q Episcopus est potens dispensare: cùm huiusmodi vota tunc, non sint peregrinationis in Hierusalem, nec religionis, sed tantum non ludendi, aut non peccandi, super quibus Episcopus ex rationabili causa dispensare potest. Soto lib.7.de Iustitia. quæstione.4.articulo.3.dicit, quod in his votis post adimpletam conditionem, solus Papa potest dispensare: quia tunc iã sunt absoluta religionis, vel peregrinationis. Sed iam communis opinio est, quod Episcopus potest dispẽsare, & quilibet cõfessor per bullã Cruciatę cõmutare prędicta vota, etiã post adimpletã conditionẽ. Quia certè talia vota nõ sunt proprie religionis, nec peregrinationis in terrã sanctã: sed nõ ludẽdi, aut non peccãdi. Itẽ nõ proficiscũtur ex deuotione, & amore religionis, aut terræ sanctæ: sed potius imponũtur tanquã odia, & tanquã pœnæ pro ludo vitãdo. Et sic nõ habent vnde sint Papę reseruata. Quãdo hæc vota nõ sunt pœnalia, sed purè cõditionalia, vt quãdo quis vouet esse religiosum, vel ire in Hierusalẽ, si Deus illum ab hac infirmitate liberet, si eras pluerit; si pater eius obierit, si factus fuerit dies, &c. Hæc omnia vota tanquam absoluta erunt habenda. Et sic in eis solus Papa poterit dispensare: maximè post adimpletam conditionem. Ita tenet Nauarro ca.12. num.43.& Cordub.q.152. Additque optimè Corduba in his votis habendã esse maximè rationem de intentione eius, qui vouet, an, scilicet, id fecerit ex deuotione, an verò in pœnam, vt discernatur, an sint pœnalia, an verò conditionalia.

Sententia auctoris. ¶Quando votũ castitatis nõ est perpetuũ, nec est absolutũ votũ castitatis, bene potest Episcopus super illo dispẽsare, vt ex supradictis patet. Ex quo infero primo, q si quis vouerit fore castũ per annũ, poterit Episcopus in tali voto dispensare, vt docẽt Soto in.4. d.27.q.1.ar.3. Syluester verb. votũ.4. §.3.& Nauarro c.12.nu.76. Infero secũdo, q si quis vouerit nõ petere debitũ, etiã poterit Episcopus in eo voto dispensare, quia nõ est perpetuæ castitatis. Ita Soto in.4.distinctio.37. Similiter poterit dispensare in voto, quod quis emisit, de nunquã contrahendo matrimonium, propter eandem rationẽ, vt docẽt Nauarro loco citato, Soto in.4.d.38.q.2.ar. 5.& Syluester verbo.votũ.4. §.4. quidquid dicat Caietanus in opusc.de voto non nubendi.q.1.& in opusc.17.q.q.15. Infero tertio, quod si aliqua mulier vouerit fore beatam, bene poterit Episcopus in tali voto dispensare; quia hoc non est esse religiosam. Item, si quis emiserit votũ ingrediendi strictiorem religionem poterit Episcopus cum illo dispensare, vt ad laxiorem trãseat, quia

Explicãtur multi casus de dispẽsatione voti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc non est dispensare in religione, vt constat, sed in modo, & qualitate illius, vt docet Syluester verbo, votū. 4. §. 3. Item si Papa commutauerit votum religionis in alia pœnitentiæ opera, poterit postea Episcopus eadem opera commutare, vt docet idem Syluester verbo, votum. 4. §. 7. In voto tandem assumendi statū clericalē, videtur similiter Episcopus dispensare posse. Quia certè non est votum continentiæ, quanuis sit ipsi statui annexum; sicut nec votum religionis est votū castitatis, vt diximus in superioribꝰ.

Nota circa solutionem ad primū.

¶In solutione ad primum argumentum, reddit D. Thomas rationem, propter quam ipso iure omnia vota in seculo emissa spirāt in professione, scilicet, quia homo mortuus priori vitæ, ad cuius directionem priora vota facta fuerant. Quod quidem certum est, & extra controuersiam positum, quantum ad vota personalia & mixta, qualis est peregrinatio, quæ omnia extinguūtur, & absoluuntur per professionem religionis approbatæ, vt docet D. Thom. hic & infra quæstio. 186. articulo. 1. Etiam si sit votum peregrinationis in terram sanctam, quidquid dicat Syluester votum. 4. §. 7. Sed dubium est de votis realibus, vtrùm similiter absoluantur per professionem. Syluester loco citato partem tenet negatiuam. Quam etiam sequūtur Paludanus & Antoninus dicentes, quod si quis fecit votum reale, verbi gratia, dandi centū aureos alicui Hospitali, aut Ecclesiæ, tale nō extinguitur per professionem. Quare tenebitur monasterium illa soluere, si bona aliqua à professo acceperit. Hoc tamen non obstante dico, omnia huiusmodi vota realia etiam iurata commutari, & absolui per professionem, vt latè probāt Couarruu. in cap. quanuis pactum. de pactis. §. 3. Verum est tamē, quod si quis promisit, & iurauit dare Petro centum aureos, & ipse promissionem acceptauit, tenebitur eos dare, quia iam Petrus aliquod ius acquisiuit ad illos, & omnia certa debita, quæ quis in seculo existēs habebat, tenetur soluere, nec per professionem extinguūtur, vt docet Diu. Thom. infra quæst. 189. art. 6. ad. 3. Si autem fuerint debita incerta, quæ non cedunt in præiudiciū alicuius tertij cogniti, aut si nō habet vnde soluat, nō tenebitur manere in seculo, & laborare, vt soluat; sed poterit ingredi religionē, vt diximus in materia detestitutione. Estq; sententia D. Tho. infra. q. 101. art. 4. & quodl. 6. ar. 5. & 16. & Syluestri religio. 2. q. 5. & 7. Si quis vero ingrederetur religionē ea fraude, vt debita nō solueret, nō solū nō liberaretur à debitis, sed etiā peccaret mortaliter; & post professionē omnibus vijs sibi possibilibꝰ tenetur dare operam, vt solueret. Imo post extrauagantē Sixti Quinti, quæ de hac re loquit, putò, q talis professio esset irrita, & nulla.

Sētētia D. Tho. in solutione ad secundum.

¶In solutione ad secundū argumentū confutat primò D. Tho. opinionē quorumdam, qui dicebant, posse omnes prælatos, pro suo libito super vota subditorum dispensare, ad modum, quo parentes omnia vota, quæ filij illegitimę ætatis emiserint, irritare possunt, scilicet, nulla causa intercueniente. Et ratio illorum erat, quia dicunt, quod in omni voto intelligitur exceptio autoritatis prælati. Hāc tamen sententiam reijcit. Quia cum prælatus, etiam maximus, non sit absolutus dominus legum, aut voluntatum subditorum, sed solum dispensator, idemq;, non in destructionem, sed in ædificationē corporis Christi, vt dicit Paulus. 1. ad Corin. 10. fit, vt sicut non valet præcipere, quæ Deo displicent, nēpe, peccata, ità nec obstare illis, ne fiāt, quæ Deo sunt accepta. Vnde absolutā habebit, vnusquisque potestatem ad vouendum, à prælatis minimè dependentem, quāuis ad prælatum postea spectet prudenti maturoque iudicio perpendere, an causa aliqua legitima dispensandi intercueniat. Et sic dicit D. Tho. q vbi manifestus est error prælati, vt quando dispensat cum aliquo super voto de ingressu religionis, nulla apparente causa obstante, tunc dispensatio non excusat à culpa. Si autem est causa apparens, per quam saltē res in dubium vertatur; tunc standum erit iudicio prælati dispensantis, vel commutātis; & non iudicio proprio vouentis: quia ipse non gerit vicem Dei. Nisi fortè in casu quod voti materia esset illicita, nec facilis pateret ad superiorem reuersus. Hæc D. Thom. Circa quæ Caietan. in præsenti aliquot mouet difficultates. Quarū præcipua est, vtrū sit verū, q prælati nō possunt sine causa obstāte dispēsare in votis. Et pro parte negatiua argumētatur in hunc modū: In omni obligatione intelligitur semper excepta autoritas Papæ; quia nihil potest promitti in præiudiciū potestatis suæ: ergo in omni voto, quo se voluerit subditus obligare, poterit Papa pro sua volūtate dispensare; etiā nulla causa existēte. Probo consequentiā. Nō minus est subditus quilibet Christianus Papæ quo ad ea, quæ sunt Christianitatis; quę sunt bona supererogationis cadentia sub Christi cōsilio; quā religiosus sub prælato, & filius sub patre, sed in omni voto religiosi, aut filij, intelligit semper excepta prælati, seu patris potestas; & ideò quæcūq; illorū vota possunt irritare, etiā nulla causa existente: ergo idem etiā est dicendū de prælatis respectu suorū subditorū. Secundò: Lex singularis nō præiudicat

Dubium.

1. argum.

2. argum.

iudicat potestati principis, quæ est vniuersalis: sed votum est velut lex singularis, vt diximus: ergo. ¶Pro explicatione huius difficultatis, aduertendum est, esse latissimum discrimen inter superiores habentes dominium voluntatis subditorum; quales sunt maritus respectu vxoris; pater respectu filij; dominus respectu serui, prælatus religionis respectu suorum monachorum; & alios prælatos populi, qui huiusmodi dominium non habent; sed tantum spiritualem iurisdictionem. Nam priores possunt vota inferiorum irritare: secundi autem non nisi tantum dispensare. Et in præsenti non loquitur Diu. Thom. de primis, de quibus iam mentionem fecerat art. 8. & 9. Sed loquitur de prælatis, quatenus sunt prælati, & spirituales iudices, quibus non irritandi, sed dispensandi inest facultas. Et de istis docere pergit, quod cum non sint domini voluntatum subditorum, non sunt eorumdem vota ex ipsorum volūtate pendentia. Atque ex consequenti nec in huiusmodi votis emittendis subintelligi tur exceptа prælati autoritas, vt sint conditionalia, si Episcopo, aut Papę placuerint, sicut votū filij, aut vxoris, aut monachi. Quin potiùs quemadmodum matrimonij, & alij eiusmodi contractus ad hoc, vt firmi, & solidi sint non est opus, vt Episcopo consulto fiāt: sic etiam & vota. Atque adeo in illis se habere debebunt, tanquam dispensatores. Vnde quemadmodum non potest Episcopus prohibere virtutū opera, puta, ieiunare orare, religionem ingredi; quia non est dominus voluntatis subditorum: ita etiam nec potest prohibere, quin eadem opera promittant. Et per hoc patet solutio ad primū argumentum. Quare dico, quod illa propositio; In omni obligatione, & promissione intelligitur excepta autoritas Papæ; & ista; Nihil potest promitti in præiudicium potestatis Papæ, quibus primum argumentum innititur, possunt habere duplicem sensum. Primus est, quod nulla obligatio, aut promissio potest præiudicare potestati Papæ. Et hic sensus est verus. Secundus, quod nulla obligatio, aut promissio fit, quæ non subsit potestati Papæ. Et hic sensus est falsus. Propter veritatem primi sensus religiosus non tenetur obedire suo superiori totaliter, vel in aliquibus, si Papa exemit eum totaliter, vel in aliquo. Obligatio enim voti obedientiæ fit superiori; & nō ligat manus Papæ ad disponēdum de illius superioritate. Et ex hac veritate primi sensus nihil habetur cōtra determinata. Quod autē secūdus sensus sit falsus, probatione nō eget, cùm cōstet innumeras esse obligationes, quæ non subsunt Papæ ad nu-

Ad. 1. arg.

tum. Vt est videre in contractibus inter hominē, & hominē; & multo min⁹ inter hominē & Deum. Quia quilibet homo est subditus Papæ: Deus autē nulli est subiectus. Et si inter vtrumque hominem subditum obligatio non subest Papæ ad libitum; quo modo fieri poterit, vt omnis obligatio inter vnum subditum & alterum superiorem Papa, Papę subsit ad nutum? Quin potiùs ex eo, q omnis obligatio inter omnes Christianos, quos constat subijci Papæ, non subditur illi ad libitum clarè patet, quod Christiani non sunt Papæ subditi absolute, tanquam domino voluntatis eorum; sed limitatē, scilicet, quo ad spiritualia in ædificationem corporis Christi, & ea quæ ordinantur ad hæc. Et sic non potest omnia vota irritare, sed tantū dispensare in illis, ad quorum dispensationē fuerit sufficiens causa. Ad secundū argumē- *Ad. 2. arg.* tum, vt respondeamus, aduertendū est, quod in voto sunt aliqua, in quibus assimilatur legi: atque etiam est aliud, in quo differt à lege. Nam primò in voto est ipsa essentia voti, habens vim obligandi. Et quantum ad hoc assimilatur legi. Est secundò materia voti, quæ est actus virtutis. Et in hoc etiam assimilatur legi, cuius materia semper est actus virtutis: quoniam legis est bonos facere. Est tertio obseruatio voti, quæ in debita exequutione consistit. Et quantum ad hoc etiam assimilatur legi, cuius obseruatio in debita executione consistit. Est quartò in voto ratio, seu modus promissionis, quia per modū promissionis tenetur Deo, qui votum emisit. Et in hoc votum nō assimilatur legi, sed alijs promissionibus hominibus factis. Quocirca dico, quod quanuis quantum ad tria priora votum subditi plenè subijceretur potestati prælati, quod est falsum, vt rectè docet Caietanus in hoc commentario; adhuc ratione quarti non posset Papa pro sua voluntate supra votis dispēsare. Nam cum essentia voti sit promissio facta Deo, qui est superior quam Papa, non potest fieri, quod plenè subdatur eius volūtati. Sicut nec tractatus alicuius cum principe subditur proconsuli. Ex eo, quod votum est promissio facta Deo sequitur, quod sicut, quilibet homo potest quamlibet promissionē sibi propter se factā liberè relaxare: sic etiam Deus potest quodlibet votum relaxare, quoniā est promissio propter se facta. Et si Dei vicarius plenè potestate Dei fungeretur in terra, sine dubio etiam posset omnia vota Dei vice relaxare. Sed quoniam non plenè fungitur Dei potestate; sed limitatè, scilicet, ad pascendum oues, & ad clauib⁹ regni cælorū vtendū in ędificationē,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideò non potest ad libitum vota relaxare; sed quantum ad ędificationem consonat, vel commutare, vel dispensare ad modum iam explicatum. Relaxare quidem ad libitum vota pertinet ad claues excellentiæ ipsius Christi, qui claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Et sic nulla relinquitur via, qua possit Papa ad libitum vota irritare nisi impediendo viam vitæ æternæ.

QVÆSTIO. LXXXIX.
De Iuramento, in decem Articulos diuisa.

HVc vsque egit Diu. Thom. de actibus interioribus latriæ: & ab hac quæstione incipit agere de actibus exterioribus illius, quibus aliquid diuinum ad hominibus assumitur; quod est, vel sacramentum, vel ipsum nomen diuinum. Tractatus de assumptione sacramenti relinquitur vsque ad tertiam partem. Et sic in præsenti tantum agit de assumptione nominis diuini. Quæ potest fieri tripliciter. Scilicet; Vel per modum iuramenti ad propria verba cōfirmanda: Vel per modum adinrationis ad alios inducendum. Vel denique per modū inuocationis ad orandum, & laudandum Deum. In hac quæstione agit de assumptione diuini nominis per modum iuramenti. Dicturus in quæstionibus sequentibus de alijs modis assumendi.

Articvlvs. I.
¶Vtrùm iurare sit testem Deum inuocare

Infr. ar. 4. cor. & qua. 98. art. 2. cor. & 3. d. 19. art. 1.

AD Primvm sic proceditur. Videtur quòd iurare nō sit testem Deum inuocare. Quicunque enim inducit authoritatem sacræ scripturæ, inducit Deum in testimonium, cuius verba proponuntur in sacra scriptura. Si ergo iurare est testem Deum inuocare, quicunque inducit authoritatem sacræ scripturæ, iuraret: hoc autem est falsum: ergo & primum.

2 ¶ Præterea, Ex hoc quod aliquis inducit aliquē in testem, nihil ei reddit. Sed ille qui per Deū iurat, aliquid Deo reddit. Dicitur enim Matth. 5. Reddes Domino iuramenta tua. Et Augustinus * dicit

In ser. 28. de verbis. Apost. parum ante med. to 10.

quòd iurare, est ī veritatis Deo reddere: ergo iurare non est Deum testē inuocare.

3 ¶ Præterea, Aliud est officium iudicis, & aliud testis, vt ex supradictis * patet. Sed quandoque iurando implorat homo diuinum iudiciū, secundū illud Psal. 7. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: ergo iurare non est testem Deū inuocare.

Q. 67. per totū, & q. 70. per totum.

¶ Sed Contra, est quòd Augustinus * dicit in quodā sermone de periurio: Quid est iurare per Deum, nisi testis est Deus?

Ser. 28 de ver. Apostoli parū ante med. to. 10.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut Apostolus dicit ad Hebræ. 6. Iuramentum ad confirmationem ordinatur. Confirmatio autē in scibilibus per rationem fit, quę procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ sunt infallibiliter vera. Sed particularia facta contingentia hominum, non possunt per rationē necessariam confirmari. Et ideo ea quę de his dicuntur solent confirmari per testes. Sed humanum testimonium nō est sufficiens ad huiusmodi confirmandum propter duo. Primò quidem propter defectum veritatis humanæ, quia plurimi in mendacium labuntur, secundum illud Psal. 16. Os eorum locutum est mendacium. Secundò, propter defectum cognitionis, quia homines non possunt cognoscere, neque futura, neque cordium occulta, vel etiam absentia: de quibus tamen homines loquuntur: & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de his habeatur. Et ideo necessarium fuit recurrere ad diuinum testimonium, quia Deus, neque mentiri potest, neque eum aliquid lateat. Assumere autem Deum in testem, dicitur iurare: quia quasi pro iure introductum est, vt quod sub inuocatione diuini testimonij dicitur, pro vero habeatur. Diuinum autem testimonium quandoq; inducitur ad asserendum præsentia, vel præterita: & hoc dicitur iuramentum assertorium. Quandoque autem inducitur diuinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum: & hoc dicitur iuramentum promissorium. Ad ea vero quæ sunt necessaria, & per rationem inuestiganda, non inducitur iuramentum.

mentum. Derisibile enim videretur, si quis in disputatione alicuius scientiæ, vel set propositum per iuramentū probare.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod aliud est testimonio Dei vti iam dato, quod fit cum aliquis authoritatē sacræ scripturæ inducit: & aliud est testimonium Dei implorare, vt exhibendum: quod fit in iuramento.

¶ Ad secundum dicendum, quòd dicitur aliquis reddere iuramenta Deo ex hoc, quòd implet illud quod iurat: vel quia in hoc ipso quòd inuocat Deū in testē, recognoscit eū habere omniū cognitionem & infallibilem veritatē.

¶ Ad tertium dicendum, quòd alicuius testimoniū inuocatur ad hoc, quod testis inuocatus veritatem manifestet circa ea, quę dicuntur. Deus autem manifestat, an verum sit quod dicitur dupliciter. Vno modo, simpliciter reuelādo veritatem, vel per internam inspirationem, vel etiā per facti denudationē, dum, scilicet, producit in publicum ea, quæ erant occulta. Alio modo, per pœnam mentientis: & tunc simul est iudex & testis: dum puniendo mēdacem, manifestat mendacium. Et ideo duplex est modus iurandi. Vnus quidem per simplicem Dei contestationem: sicut cum aliquis dicit: Est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem est, vt dicit Augustinus. * Alius modus iurandi est per execrationē, dū s. aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad pœnā obligat, nisi sit verum quod dicit.

Libr. 1. de ser. Do. in monte. cap. 30. to. 4.

Svmma Textvs.

AD hanc difficultatem respondet Diu. Tho. per tres propositiones. Prima cōclusio: Iurare est Deum in testem assumere. Probatur: Iuratio est veritatis confirmatio in rebus moralibus, quæ in particulari contingunt, iuxta illud Apostoli ad Hebræos. 6. omnis controuersiæ finis ad confirmationem est iuramentū: sed huiusmodi cōfirmatio certa esse nequit, nisi Deus in testē aduocetur: ergo iurare est Deū in testē assumere. Consequentia cū maiori est nota, & minor probatur: In scibilibus, quę in ratione posita sunt, confirmatio veritatis procedit ex ijs, quę sunt naturaliter nota. Atq; adeò illic neq; testibus, neq; iuramēto opus est. In moralibus verò, quoniā contingentia sunt; atq; adeò nimium varia, nō potest res ratione constabiliri: sed opus est testibus. Testimoniū autē humanū duplici ex causa est fallax. Scilicet, & ex vitio voluntatis hominis, qui contra id, quod mente sentit ob malitiā pronunciare potest. Et ex defectu intellectus: quia ob ignorantiam sæpe in occultis, & absentibus fallitur. Cū ergo in his causis omnis homo sit mēdax, dictorū veritas solius Dei testimonio satis confirmabitur. Secunda cōclusio: Diuinum testimoniū quandoq; per iuramentum ad asserendum præsentia, vel præterita inducitur, quandoq; vero ad confirmādum id, quod in futurū promittitur. Quorū prius dicitur iuramentū assertorium: posterius vero promissorium. Hanc conclusionē nō probat D. Tho. sed illam, vt notam, relinquit ex terminis. Tertia cōclusio: Ad ea quæ sunt necessaria, & per rationē inuestiganda, non inducitur iuramentum. Derisibile enim esset, & vt infra patebit vitium, si quis in disputatione scientiæ vbi ratio non occurreret, iureiurando confirmaret.

Explicatio Articvli.

De nomine iuramētū.

PRo intelligentia huius articuli, & totius materiæ de iuramento, vt à nomine ipso exordiamur aduertendum est, quod hæc vox iuramentum, est Latina à Seneca, & à Iurisconsultis sæpe sæpiùs vsurpata: nata tamen post tempora Ciceronis. Nā neq; Cicero, nec qui illū præcesserunt ea vsi sunt; sed loco illius ponebant iusiurandū. Seneca quidē in lib. 2. de clemētia, dicit: O vocē in concionē omnium mortaliū mittendā: in cuius verba principes regesq; iuramentū faciant, id est in eius verba principes iurent. Eadē etiā dictione vsus est Vlpianus in lege iusiurandū. §. si de qualitate iuramenti. Et sic in Florentinis libris legitur, inquit Budęus. Dicitur autē iuramentū à iure; vel quia, vt inquit D. Tho. iure introductū est, vt dicta sua, & facta homines testimonio diuino confirmēt, vel, vt inquit D. Augustinus, in sermone quodā de periurio, qui est inter sermones de verbis Apostoli. 18. quia qui vtitur iramento ius veritatis Deo reddit, cui propriè competit patrocinium ferre veritati: Vel deniq;, vt Grāmatici affirmant, iuramentū dicitur à iure, quia qui iurat perinde facit firmū id, quod iurat, ac si esset ipsum ius. Id enim quod iuratur pro lege habēdū est, & veluti ius ipsum tanctè seruandū. Quod verbū Paul* denotare videtur, quando dixit ad Hebræ. 6. iuramentū esse finē omnis controuersiæ, ac si lege esset sanctum. Quare iura post præstitum iuramentū nullam aliam inquisitionem permittūt, quia iniuria alioqui irrogaretur Deo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diffinitio nes iuramẽti.

¶Secundo est aduertendum, quod iuramentum variè diffinitur à Doctoribus. Gofred. enim, & Hostiensis, & Archid. vt refert, & sequitur Angelus in summa dicunt iuramentum esse assertionem, & negationẽ de aliquo licito possibili, sacræ rei attestatione firmatam. Et sacræ rei attestatione intelligunt, vel ipsum Deum, qui est sanctus sanctorum, vel creaturam, in qua relucet Dei perfectio: Sed hæc diffinitio non est conueniens, ex ea enim sequeretur, nullum posse malè iurare: cuius tamen contrarium frequentissimè videmus. Raymundus, vt refert Gabriel diffinit iuramentum dicens, quod est affirmatio de aliquo sacræ rei attestatione firmata. Sed nec hæc diffinitio est conueniens, cum non solũ asserens sed etiã negans, aliquando iuret. Conueniens ergo iuramenti diffinitio, quæ ex mente D. Tho. in hoc articulo colligi potest, est affirmatio, vel negatio de aliquo facto, vel fiendo sacræ rei attentatione firmata. Nomine autẽ affirmationis, & negationis intelligimus nõ solum illam, quæ verbis fit formaliter, sed etiam illam, quæ virtualiter fit. Nam si quis dicat alicui. Iura per sancta quatuor Euangelia, ità esse; & ipse tangat librum nihil dicens, ille tactus habebitur pro iuramento, & loquutione iuratoria, vt docet Sylnester verbo, iuramento, statim in principio. Res verò sacra, per quam iuratur, est Deus, vel aliquid Dei, inquantum est ipsius; cum iurare, sit Deum in testem vocare. Et sic iuramus per creaturas non secundum se sumptas, sed inquantum in eis diuina veritas manifestatur. Et quando iuramus per fidem, per Euangelia, per sanctos, intelligendum est esse iuramentum, per Deum, cuius veritas in fide & Euangelio continetur, per sanctosq; est prædicata. Imò qui per creaturas iurat numen aliquod in illis esse profitetur, siue falsum, vt idololatræ: siue verum, vt orthodoxi, qui Deum in creaturis existere profitemur. Vnde Cicero in lib. de Officijs, dicit ius iurandum esse affirmationem religiosam. Et Aristoteles in Rethorica ad Alexandrum, ius iurandum est cum diuina veneratione dictio, probationis expers. Vbi nomine dictionis, affirmationem, & negationem comprehendit. Et addit, probationis expers, vt iurisiurandi naturam omnino patefaceret, quæ est vt citra necessitatẽ, vbi res aliter probari potest, non licitè adhibeatur.

Antiquissimũ & omnibus hom. fuit innatũ iurare.

¶Tertio est aduertendum, hanc rationem iurandi, & Deum in testem adducendi, ferè omnibus hominibus fuisse innatam, & ab vniuersis etiam barbaris frequentatam. Cuius mentio fit in sacris literis. Et antiquissimum omnium iuramentum, quod literis traditur, est illud, quod Dominus iurauit Noe, statim ab arca egresso, quod nunquam vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij, nec erit deinceps diluuium dissipans omnem terram. Genes. 9. Et post istud est valde insigne illud, de quo fit mentio Genes. capit. 15. Vbi dicitur, quod diuisa victula pepigit Dominus fœdus cum Abrahã, se daturum illi terram Promissionis. &c. Vsi autem fuerunt prisci homines multis ac variis ritibus iurandi. Et omissis illis, qui à Gẽtilibus obseruabantur, dicam solum de illis, qui in sacris literis inueniuntur. Quorum vnus est, quod is, qui iramento se aliquid facturum polliceretur, apponeret manũ fœmori eius, cui pollicebatur. Vt est videre apud Genesim capit. 24. Vbi dicitur, quod cum Abraham esset senex multorumq; dierum, dixit ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Deum cæli, & terræ, &c. Cuius ritus varias afferũt rationes sacri scriptores. Abulensis, & Lyranus in illum locum dicunt id fieri solitum, propterea, quod fœmori erat proxima illa pars, in qua erat circumcisio; sicque admouere manum fœmori perinde esse, ac admouere illam circuncisioni, quæ erat res sacra, & diuinitus instituta, tanquam signum, quo Israelitici à cæteris gentibus distinguerentur. Itaque quemadmodum nunc iurantes interdum manum applicant ad eram, interdum ad crucem; interdũ ad sancta quatuor Euangelia; ità etiam illi applicabant manum circuncisioni, tanquam signo sacro affirmantes, se facturos, quod pollicebantur. Alij Hebræi, quorum principes sunt Rabbi Abraham, & Abel Ezre, quibus, & suffragatur Vatablus dicunt, id fuisse in more seruis, vt cum iramento dominis promittebant, se aliquid facturos, fœmeri dominorum suorum manus supponerent; quo suæ seruitutis admonerentur, & intelligerẽt, quod sicut manus fœmori erat subiecta, ità etiam se dominis deberent subijci, fierentque ea re vigilantiores, ad fidem datam seruandam. Qui mos, vt dicunt Hebræi, maximè modo viget apud multas gentes. Estque hæc ratio dicendi valde cõsona literæ. Alij, vt D. Augustinus, Chrysostomus, Iosephus interlinealis, & Gregorius dicũt, id factũ fuisse ab Abrahamo, vt ille seruus per Christum iuraret, qui in eius fœmore continebatur. Fœmoris enim appellatione in sacris literis posteritatem significari est res manifesta. Colligiturque ex cap. 1. Exodi, vbi dicitur. Omnes animæ eorũ, qui egressi sunt de fœmore Iacob.

Diuersi ritus in iuratione obseruati.

Iacob, &c. Et hæc fuit prima ratio iurandi à veteribus obseruata. Secunda est illa, qua vsus est Dominus apud Genesim capit. 15. Vbi quò fidem faceret Abrahæ se daturum illi terram promissionis præcepit, vt certa quædam animalia occideret, illorumque cadauera in duas partes diuideret. Quod cum faceret Abraham, & partes illas in terra collocasset, apparuit Dominus in specie clibani succensi, & lampadis igneæ ac pertransit per illas diuisiones. Quæ autem fuerit huius præcepti ratio variè explicatur à Doctoribus. Theodoretus in quæstionibus selectis in Genesim dicit, id factum fuisse ad significandum populum Israeliticum seruiturum apud Ægyptios per tot secula, quot erant illa animalia. Sed fore, vt vltimo seculo illum populum Dominus in libertatem vindicaret, aduenies in specie ignis. Sic enim apparuit Moysi in rubo. Hæc Theodoretus: Quæ spernenda non sunt. Sed vera illius rei ratio est, quòd eo tempore receptum fuit consuetudine, vt qui paciscerentur, & iurarent, fœdus firmarent cæso vitulo; eoque in duas partes diuiso. Quem hominum morem Dominus tunc fuit imitatus ad sua promissa confirmanda. Ità testantur Diuus Chrysostomus, & ex Hebræis nonnulli: Illud tamen non probant. Sed probari potest claro testimonio Hieremiæ capit. 34. Vbi obiurgans Dominus principes Israelis, quòd fœdus, vel iusiurandum violassent dicit: Ecce ego dabo in commotionem viros, qui non obseruauerunt verba fœderis, cæso in duas partes, vitulo, & transitu inter partes eius facto, &c. Significabant autem qui hac ratione iurabant, se optare mori, & in frusta diuidi; sicut vitulus ille erat cæsus, si fidem frangerent. Et hinc, vt opinor, mos dimanauit ad reliquas gentes, vt in feriendo fœdere porcum occiderent, vt constat ex Tito Liuio primæ Decadis, libr. 1.

Multiplex forma iurãdi.

¶Vltimò est aduertendum, quòd iuramẽtorum multæ possunt esse formæ. Nam præter iuramentum assertorium, & promissorium, simplex, & imprecatorium, de quibus D. Thom. facit mentionem in hoc articulo, in corpore, & in solutione ad 3. Differunt etiam iuramenta ex eo, per quem iuratur. Interdum enim citatur in testem Deus, & interdum creatura. Et hoc dupliciter, scilicet, Aut per simplicem attestationem, vt facit is, qui iurat per Diuum Petrum. Aut per execrationem, subdendo, nempe, creaturam alicui malo, nisi ità se habeat res, vt à iurante profertur. Quod contingit, quando quis iurat per suam, aut filij salutem, vitam, vel fortunam. Quo modo iurandi vsus fuit Ioseph Genes. 42. quando iurauit per salutem Pharaonis. Variantur præterea iuramenta ex forma, & ratione verborum, quibus proferuntur. Et propterea dicebat D. Hieronymus in Ezechielem cap. 16. aliter Deum iurasse in veteri testamento, & aliter in nouo. Nam in veteri dicebat: Viuo ego, dicit Dominus. Et in nouo: Amen, amen dico vobis. Sit ergo prima forma iurandi: Viuit Deus. Qua vtebantur Iudæi Domino id præcipiente, vt patet Nume. 21. & Hieremiæ 24. Secunda forma est, Coram Deo, Deus scit. Qua vtitur Paulus ad Galat. 1. & multis alijs in locis. Et quidem si hæc verba proferantur enuntiatiuè, nullum est iuramentum; sed solum significant, ea, quæ quis dicit, coram Deo dici, ab ipsoq; sciri, quod est verum, nec formam iuramenti continẽt. Tunc autem erunt iuramentum quando his verbis intenderit, quis Deum in testem aduocare eius quod dicit. Tertia forma iurandi est, testor Deum, aut testis est mihi Deus, qua vsus est Paulus ad Rom. 9. Quarta, quando exprimitur verbum iurandi, vt cum dico: Iuro per Deum. Quinta quando tacito verbo iurandi Dei nomen exprimitur, vt cũ dico; Per Deum. Sexta, quando tacito verbo iurandi & nomine Dei, tangitur res sacra. Vt cum rogatus quis, vt iuret annuit, se iurare, & tangit crucem, aut sancta Dei Euãgelia. Vltima forma, & quæ maximè ad blasphemiam accedit, est; Voueo, discredo, &c.

Dubiũ circa 1. conclus. D. Th.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

¶His suppositis, circa primam conclusionem D. Tho. qua affirmat, iurare esse Deũ in testem assumere, est difficultas, vtrùm vera sit? Et pro parte negatiua argumentor primò: Infideles iurant, & tamen ignorãt Deũ; ergo iurare non semper est Deum in testẽ adducere. Secundò: Multa sunt iuramenta, in quibus creaturæ tam rationales, quam irrationales adducuntur in testes, vt cum quis iurat per cælum, per angelos, &c. ergo. Tertiò: Dicere; Per meam fidem, Per meam conscientiam, communiter habentur iuramenta, & tamen in illis nihil diuinum in testem adducitur: ergo non semper iurare, est Deũ in testem adducere. His tamen non obstantibus, dico conclusionem D. Thom. adeò esse veram, vt nulla ratione iuramentum esse possit, vbi Deus in testem non inuocetur. Propter quod Cicero lib. 3. de officijs dicebat, iusiurandum esse affirmationem religiosam. Et Aristoteles in Rethorica ad Alexandrum; iusiurandum est, cum diuina veneratione dictio probationis expers. Nomine dictionis tam affirmationem, quam negatio-

Conclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gationem est amplexus. Et addidit, probationis expers, vt naturam iurisiurandi pénitus patefaceret, quæ est, vt vbi res aliter probari potest, licitè non adhibeatur. Et propterea dicit D. Thom. in 3. conclusione, quòd ad ea, quæ necessaria sunt, & per ratiocinem inuestigantur iuramentum non licitè adhibetur, nec accipit necessaria, pro ijs solis, quæ euidentia sunt. Nam in speculabilibus altera pars contradictionis semper est necessaria, vt astra sunt paria, vel nō. Et neutra est nobis euidens. Et tamen qui vtram uis iuraret peccatum committeret. Et similiter qui iuraret, quantitatem distingui à substantia, vel quamlibet aliam opinionem. Sed intelligit per necessaria illa quæ quoquo modo possunt per rationem naturalē probari, siue ratio sit demonstratiua, siue probabilis. Iuratio enim est veritatis confirmatio in rebus moralibus, quæ in particulari cōtingūt, vt dicit D. Tho. probans. 1. conclus. Ad quæ conuincenda, nulla alia ratio præter externū testimonium potest adduci. Et quoniam testimonium humanum duplici ex causa fallax esse potest: nēpe, ex vitio voluntatis, ex quo prouenit, vt homo contra id quod mēte sentit ob malitiam aliquando pronuntiet, & ex defectu intellectus, qui ob ignorantiam sæpè de occultis, & absentibus fallitur: idcirco dictorum veritas solo Dei testimonio satis confirmatur. Quod significare voluit D. Paulus ad Hebr. 6. quando dixit: Omnis cōtrouersiæ finis ad confirmationem est iuramē tum. Homines autē per maiorē se iurāt, &c.

Dupliciter Deus in testem vocatur.

¶ Et, vt ad argumenta in contrariū facta respondeamus, aduertendū est, quòd Deus dupliciter potest in testem vocari. Vno modo expresse, & immediatè. Quod cōtingit, quādo ipse Deus vocibus Deum significātibus appellatur. Alio modo tacitè & mediatè. Et fit quando res aliqua, cui diuinum aliquid, atque sacrum inest, quatenus talis, inuocatur. Tunc enim expresse ipsa res, & tacitè Deus in testem adducitur. Et quoquo modo ex his Deus, ad rem aliquam confirmandā, inuocetur, erit verè ac propriè iuramentū. Ex quo infero primò, quòd adducere in testem eas creaturas, in quibus semper diuinū aliquid, & sacrum inuenitur, non potest fieri sine iuramento. Vt quando quis dicit, Per istam Crucem, per sancta quatuor Euangelia, per baptismum, quod accepi, &c. Semper enim in his tacitè, & mediatè inuocatur Deus. Et idem contingit, quando creaturæ non sacræ in testimoniū adducuntur, vt ignis, aqua, lux, Dei nomine appositō in obliquo. Vt si dicas: Per istam lucem Dei. Nam illud nomen Dei in obliquo positum facit, vt Deus illarum rerum conditor saltem mediatè in testem adducatur, vt docet Syluest. verbo, iuramentum. 1§. 4. Imò etiam si non addatur nomen Dei, si tamen ipsa creatura, per quam iuratur, est eiusmodi, vt peculiari quadam ratione excitet in nobis Dei memoriam, adhuc illam in testem adducere erit iuramentum, quia ea citata, ex cōmuni modo cōcipiēdi, intelligitur Deus citari. Et huc significare voluisse videtur Christus apud Matth. cap. 5. quando dixit: Non iurabis, neque per cælum, quia thronus Dei est, &c. Quasi diceret, quòd citato cælo necesse esset Deum citari. Infero secundò, quòd adducere in testem creaturas nulla habita ratione Dei, à quo processerunt, nullum est iuramentum. Tunc enim nec tacitè, nec expressè Deus inuocatur. Et est aduertendū, quòd non quicunq; testimonium Dei adducit, iurat. Concionatores namq; & prælectores, sacra testimonia citantes, non iurant, cū Deus sua sponte ea testimonia dederit ad suas veritates asserēdas. Et qui illa citat nihil aliud facit, quam Dei asserta referre. Est autem iurare Deum in testem nostrarū assertionū implorare. ¶ His suppositis ad primum argumentum respōdeo, infideles verè iurare. Nā quanuis materialiter adducant in testem meras creaturas, quia tamen illas habent pro vero Deo, formaliter, & ex intentione citant in testem Deum, quod sine iuramento esse non potest. *Ad. 1. arg.* Ad secundum respōdetur, quòd quando quis iurat per creaturas, adhuc iurat per Deum. Quia illas creaturas citat in testem quatenus sunt sacræ, Deoque dicatæ. Et si secus faciat non verè iurat, vt diximus. *Ad. 2. arg.* Ad tertium argumentum Soto lib. 8. de iustitia, quæstione. 1. artic. 1. dicit, quòd dicere: In mea fide, In mea conscientia; non est iuramentum. Bene tamen; Per meā fidem, &, Per meam conscientiam. Et ratio illius est: Nam cùm apponitur præpositio, in, sensus est, quòd secundum fidem & secundum conscientiam loquor. Hoc est, iuxta id, quod sentio, Nec fidem, aut conscientiam meam adduco in testem. At verò, quādo apponitur præpositio, per, fides, & conscientia in testem adducitur. Illæque res subijciuntur diuino iudicio: Sicut quando dico: Per meam vitam, aut per meam salutem. Syluester, verbo, iuramentum. 1. §. 5. affirmat nihil interesse inter has formas iurandi. Quare si dicere: Per meam fidem, aut, per meam conscientiam, est iuramentum, similiter etiam dicere: In mea fide, & in mea conscientia. Quæ sententia mihi magis placet. Videtur enim hic modus iurandi per, ly, in, ex proprietate sermonis Hebraici deductus. Hebræi namque soliti erant in iurando vti hac præpositione, in, loco de, ly, per; vt constat ex Matth. cap. 5. Vbi enim Latinè dicitur; Non iurabis, neque per cælum, neque per terram; Græca translatio habet, In cælo, neque in terra. Et sic dico primò, quòd si res, quæ citatur iuramento est sacra, sine vtaris præpositione, in, siue per, est verum iuramentum. Idem enim ex proprietate sermonis est dicere; Iuro in Deo, &; Iuro per Deum. Dico secundò, quòd si res, quæ adducitur in iurando, vel affirmando, non est sacra; tunc si præpositio, per, ei adiuncta efficit verum iuramentum, idem etiam efficiet præpositio in. At verò, si præpositio, in, non efficit iuramentum, nec illud efficiet præpositio per. Probatur: Dicere, Per meā vitam, est iuramentum, quia horum verborum sensus est, Deus vitæ meæ noceat, si res ita se non habet: sed dicere, In mea vita idem prorsus significat: ergo est iuramentum, sicut & aliud. Et idem est dicendum de his loquutionibus, In mea conscientia, &; Per meam conscientiam. Nomine enim conscientiæ, vulgò intelligimus bona animæ. Et sic dicere: In mea conscientia, vel; Per meam conscientiam, idem est, ac dicere: Ità Deus bona meæ animæ, vel augeat, vel diminuat, sicut se habet res à me prolata. Quia autem dicere, In mea fide, non est iuramentum: ità nec per meam fidem. Idem est enim vtriusque propositionis sensus: nempe, Ità res est, nec fidem in prolatione fallo. Et idem est iudicium de his loquutionibus; In veritate, & per veritatem; quæ non sunt iuramenta. Licet oppositum teneat Abbas in cap. si Christo. de iureiurando. Sed illis verbis affirmamus rem ita se certissimè habere, ac si diceremus; Verè ita est; Certè ità est. Nulla enim dictio simplex, siue affirmatio sit, siue negatio quæ testimonij, aut execrationis imaginem non præsefert, potest esse iuramentum. Et certum est, quòd illa loquutio cui aduerbium aliquod, aut nomen, nihil assertionis, aut negationis mutans adiungitur, vt quando dico verè, in veritate, profectò, sanè, certè, & id genus reliqua, nec testimonij, nec execrationis imaginem præsefert. Atque adeo, nec est iuramentum.

Iuramentū duplex, simplex, & imprecatorium.

¶ In solutione ad tertium argumentum distinguit Diuus Thomas iuramentum, in simplicem, & execratorium. Simplex est illud, quo Deus, seu creatura, quatenus est aliquid Dei, simpliciter in testem adscisitur. Vt quando dico, testis mihi est Deus, aut, per Deum, &c. Execratorium autem

seu imprecatorium est illud; quo Deus pariter in testem, & in vindicem inuocatur; vt tanquam iudex vindictam falsitatis sumat. Vt, Dispeream, vel, Hoc mihi eueniat, si non ità est. Quæ forma iurandi anti quæ est, & sacris literis satis vsitata. Dicitur enim 2. Reg. capit. 3. Hoc faciat mihi Dominus, & hæc addat, &c. Et Psalm. 7. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Et quòd vtrumque sit iuramentum inde conuincitur, quòd iurare est Deū in testem adducere, vt renelatorem veritatis. Et hanc potest Deus reuelare, vel simpliciter interius hominem illuminādo, quod petitur in iuramento simplici, vel exterius puniendo illum qui mentitur, quod petitur in iuramento execratorio. Et sic vtrumque est iuramentum. Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm hæc iuramenta differant specie, vel potiùs ad vnam, & eandem pertineant? Et quidem, quòd differant specie probatur hac ratione: Deus in iuramento execratorio non solum habet rationem testis, sed etiam iudicis; in iuramento verò simplici solum habet rationem testis; sed hæc differunt specie: ergo & ipsa iuramenta. Eadem ratione potest probari, quòd iuramētum assertorium, & promissorium sunt distinctæ speciei; quia assertio, & promissio differunt specie. Hoc tamen non obstante dico, quòd iuramentum simplex, & execratorium, assertorium, & promissorium sunt vnius speciei specialissimæ, & solum differunt accidentaliter. Quod vt intelligatur aduertendum est, quòd differentiæ alicuius dicuntur, propriè loquendo, solæ illæ, quæ sunt differentiæ per se. Nam differentiæ, per accidens, accidentia sunt respectu illius, cui sunt per accidens, quanuis sint per se differētiæ alterius. Vt si distinguamus animal per album, & nigrum, sunt differentiæ per accidens animalis, quæ tamen sunt differentiæ per se colotis. In proposito ergo, quia iurare est Deum in testem producere, & omnes allegatæ differentiæ, materialiter, & per accidens se habent ad Dei testificationem. Quòd enim Deus testetur supra præterito, præsenti, vel futuro, ex quo sumitur differentia iuramenti assertorij, & promissorij, ad materiam testimonij spectat. Et similiter, quòd Deus testetur simplici manifestatione, vel manifestatione punitiua, vnde sumitur differentia inter iuramentum simplex, & execratorium, non ad naturam testimonij spectat, sed ad effectū. Et sic pertinent ad vnam & eandem speciem. Cæterùm, quanuis iuramētum vnius

Ad. 3. arg.

Dubium.

Argum.

Conclusio.

sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit tantùm speciei, nihil tamen prohibet, quòd vtendo alijs speciebus moralium virtutum ad multas diffundatur species, eo modo, quo vna species imperat alteri ordinando illam in suum finem. Sicut cum quis adulteratur, vt occidat, homicidium imperat adulterio. Et hoc modo iuramentum imperat maledictioni, dum fit per execratio nem. Quando enim quis iurat; Deus me occidat, si non est sic, vel, Si nō fecero hoc, sic iurans maledictionem sui, quo ad vitam, assumit ad finem iuramenti, qui est testificatio diuina. Et iuxta specificam multitudinem maledictionum assumuntur etiam multæ species ad eundem finem. Ex quo fit, vt iuramentum per execrationem, quo quis ad pœnam se obligat iurando, & si non distinguatur specie secundum naturam iuramenti, distinguitur tamen per accidens per multas species, secundum naturam mali, quod in pœnam assumitur. Iuramentum etiam, quod fit assumendo benedictionem pro manifestatione testimonij, vt quando quis dicit; Faciam hoc, vel, Sic est, ita me Deus adiuuet, vel, Ità mihi gratiam, vel gloriam conferat Deus, quamuis ex vi verborum non sit per execrationem, sed magis per contestationem Dei, in effectu boni; reducitur tamen ad execrationem, propterea, quòd à contrario sensu videtur illam includere. Et perinde est dicere: Sic est, ita me Deus adiuuet; & si non est ità, Deus non me adiuuet, quod est proprie execratio. Et ad argumentum respondeo, quòd quamuis Deus in execratione, sic etiam iudex, qui specie differt à teste; quia tamen officium iudicis in iurando imploratur sub ratione testis: imploratur enim ad hoc, vt punitio testetur, idcirco iudex non nisi materialiter concurrit, ad modum iam explicatum.

Ad arg.

Articvlvs II.

¶ *Vtrùm iurare sit licitum?*

Infr. art. 3. cor. & 3. dist. 39. ar. 2. q. 2. & Ro. 1. lect. 5. & Heb. 6. lect. 4. cor. 1.

Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd non sit licitum iurare. Nihil enim quod prohibetur in lege diuina est licitum. Sed iuramentum prohibetur in lege diuina Matthæi quinto: ego dico vobis non iurare omnino, &c. Et Iacob quinto, dicitur: Ante omnia fratres mei nolite iurare: ergo iuramentum est illicitum.

2 ¶ Præterea, Id quod est à malo videtur esse illicitum, quia vt dicitur Matthæi. 7. Non potest arbor mala fructus bonos facere. Sed iuramentum est à malo. Dicitur enim Matthæi quinto. Sit autem sermo vester est, est, non, nō, Quod autem his abundantius est, à malo est: ergo iuramentum videtur esse illicitum.

3 ¶ Præterea, Exquirere signum diuinæ prouidentiæ est tentare Deū, quòd est omnino illicitum: secundum illud Deuteronom. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum. Sed ille qui iurat, videtur exquirere signum diuinæ prouidentiæ, dum petit diuinum testimonium, quod est per aliquem euidentē effectum: ergo videtur, quòd iuramentum sit omnino illicitum.

¶ Sed Contra est, quòd dicitur. Deuteronomij sexto, Dominum Deum tuum timebis, & per nomē eius iurabis.

¶ Respondeo dicendum, quòd nihil prohibet aliquid esse secundum se bonum: quod tamen cedit in malum eius qui non vtitur eo conuenienter. Sicut sumere Eucharistiam est bonum. Et tamen qui indigne sumit, iudicium sibi manducat, & bibit, vt dicitur primæ ad Corinth. 11. Sic ergo in proposito dicendum est, quod iuramentum secundum se, est licitum & honestum. Quod patet ex origine & ex fine. Ex origine quidem, quia iuramentum est introductum ex fide qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuersalem omnium cognitionem & prouisionem. Ex fine autem quia iuramentum inducitur ad iustificandum homines, & ad finiendum cō trouersias, vt dicitur ad Hebr. 6 Sed iuramentum cedit in malum alicui ex eo quod male vtitur eo, id est, sine necessitate, & cautela debita. Videtur enim patuam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui causa testem inducit: quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto. Imminet etiam periculum periurij, quia de facili homo in verbo delinquit, secundum illud Iacobi. 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Vnde & Eccles. 23. dicitur, Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd Hieronym. * super Matth. dicit: Considera quòd saluator non per Deū iurare prohibuerit, sed per cælum, & terram. Hanc enim per elementa iurandi pessimam cōsuetudinem habere Iudæi noscuntur. Sed ista responsio non sufficit: quia Iacob addidit: neque per aliud quodcūque iuramentum. Et ideo dicendum est, quod (sicut Augustinus * dicit in libr. de mendacio) quòd Apostolus in Epistolis suis iurans, ostendit quomodo accipiendum esset quod dictum est: Dico vobis non iurare omnino, ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur, & ex facilitate iurandi ad consuetudinem: & à consuetudine in periurium decidatur. Et ideo non inuenitur iurasse nisi scribens, vbi considerario cautior non habet linguā præcipitem.

Super illud Mat. 5. ego dico vobis, non iurare, tom. 9.

In libr. de mendacio, c. 15. circa med. to. 4.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut * Augustin. dicit in lib. de sermone Domini in monte: Si iurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades; quæ vtique infirmitas malum est. Itaque non dixit, quod amplius est, malum est. Tu enim non malum facis, qui bene vteris iuratione, vt alteri persuadeas quod vtiliter persuadeas. Sed à malo est illius cuius infirmitate iurare cogeris.

Li. 1. c. 30. à me. to. 4.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ille qui iurat non tentat Deum: quia non implorat diuinum auxilium absque vtilitate, & necessitate.

¶ Præterea, Non exponit se alicui periculo, si Deus testimonium adhibere noluerit in præsenti. Adhibebit autem pro certo testimonium in futuro, quādo illuminabit abscōdita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, vt dicitur. 1. ad Corinth. 4. Et illud testimonium nulli iuranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum.

Summa Textvs.

Svpposito contingere posse, quòd aliquid secundum se sit bonum, quod tamen cedat in malum eius, qui non vtitur eo conuenienter, sicut sumere Eucharistiam est bonum, & tamen qui indigne sumit iudicium sibi manducat, & bibit; respō det D. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Iuramentum secundum se est licitum, & honestum. Probatur primò ex origine vnde ortum habet; quæ est catholica fides. Oritur enim iuramentum ex fide Catholica, qua homines credunt, & profitentur Deum omnium habere infallibilem veritatem, & prouisionem. Secundò ex fine: quia fuit iusiurā dum inductum, vt fine litibus imposito, in pace homines & tranquillitate viuant: vt dicit Paulus ad Hebr. 6. Quod est valde licitū, atque honestum. Secunda conclusio: Iuramentum ob malū vsum, ob id, scilicet, quòd sine necessitate, & cautela fit, læpè, ex piùs in malum cedit. Probatur: Tum, quia irreuerētia fit Deo, eum ex leui causa in testem adducendo. Tum etiam, quia consuetudine iurandi periculum peierandi creatur, eum facile sit homini verbo delinquere. Propter quod dicebat D. Iacob. cap. 5. Si quis in verbo non offendit hic perfectus est. Et Eccles. cap. 23. Iurationi nō assuescat os tuum; multi enim casus in illa.

Explicatio Artivli.

Circa istum articulum, quod facit difficultatem, est illud Matth. 5. Ego autē dico vobis, non iurare omnino, neq; per cælū, neq; per terram. Vbi Christus Dominus omnem facultatem iurandi fidelibus ademisse videtur. Cui & accedit D. Hiero. super illū locum dicens: Iurare per Deum veteri populo concessum fuit, non quod esset rectum hoc facere, sed quod minus malum est iurare per Deum, quam per idola, quod in nouā lege est interdictum. Propter hoc testimonium Valdenses hæretici, vt autor est Guido Carmelita, & Castro de hæres. lib. 8. verbo, iuramentum, dixerunt ità esse Christianis iuramentum interdictum, vt nunquam eos iurare liceat. Eundem etiam errorē docuerunt Manichæi, & Pseudoapostoli. Ad quos omnes falsitatis & erroris conuincendos satis esse deberet illud Deut. c. 6. Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Et rursus. c. 10. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ipsi q; adhærebis, iurabisq; in nomine illius. Sed respōdent qui contrariā sentētiam tuentur, id permissum fuisse Iudæis in veteri lege, vt, videlicet, per Deum iurarēt, cum

Licitū est iurare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum tamen Christianis qui perfectiorē habent legem, sit interdictū. Sed hoc reijcitur ex eo quòd Deus sæpè iurasse dicitur. Quod non faceret, si iurare esset malum ex se, & ex sola permissione Iudæis concessum. Cæterū quoniam etiam respōdent huic obiectioni, soli Deo esse licitum iuramentum: quoniā ille solus verax est, & mentiri nequit; omnis autem homo mendax, alijs sacræ scripturæ testimonijs, quæ de Christianis loquantur, operæpretium erit nostram conclusionem probare. Et primum est, quòd D. Paul. pluries in suis Epistolis iurauit. Ad Rom. enim 1. inquit, testis est mihi Deus, quòd memoriā vestri facio semper in orationibus meis. Et 2. ad Corinth. 1. Ego autem testem Deū inuoco in animam meam, quòd parcens vobis non veni vltra Corinthum. Et ad Philip. 1. Testis est mihi Deus, quomodo cupiā omnes vos in visceribus Iesu Christi. Quibus omnibus locis Apostolus Deum in testem eorum, quæ dicit, inuocat. Quod nihil aliud est quam iurare. Non est ergo Christiano viro omnino prohibitum iuramentū. Aliàs Paulus iurans peccasset. Quod non est dicēdum. Item Apoc. cap. 10. inducitur Angelus iurans manifestè per nomen Dei. Quod nulla ratione fieret, si iuramentum esset ex se malum. Et ratione sic argumentor: Iuramētum ex sua natura, si adsint omnia, quæ requiruntur ad illius honestatem, est bonum, atque laudabile: per iuramentum enim exhibemus reuerentiam Deo; & ostendimus, qualem existimationem de illo habeamus credentes illum videre omnia, quia qui rem non planè cognoscit non potest esse bonus testis. Propter quod sapienter poeta Comicus dixit, Plurís est oculatus testis vnus, quā auriti decem: atq; etiam confitemur ipsum esse veracem, qui mentiri non potest: ergo iuramentum ex se est licitum Christiano. Deniq; hæc veritas diffinita est in Concilio Constantien. sess. 8. Inter quadraginta enim quinque assertiones Ioannis Vviteleph, quę ibi damnantur, quadragesimo tertio loco ponitur ista de iuramento. Nempe, quòd iuramenta, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & cōmercia ciuilia, sunt illicita. Quæ sententia simul cum alijs eiusdē, vna super omnes dicta censura, damnata est. Et in Concilio Ephesino, scribens Concilium Nestorio, & petens ab eo, vt recantet suas hæreses, quia non fidebant patres verbis ipsius exegerunt ab eo iuramentum, per hæc verba; Sed consequens est etiam iureiurando fateri te, quòd anathematizes tua polluta & damnata dogmata: Sentias autem & doceas, quæ nos vniuersi per orientem, seu per occidentem episcopi, & magistri, præsulesque populorum credimus, & docemus. Quibus verbis apertè ostendit concilium mentem illius esse, quòd iuramentum est licitum, siquidem illud à Nestorio fieri præcipit.

Plautus.

¶ Et ad argumentum desumptum ex verbis Christi Matth. 5. variè respondetur à Doctoribus D. Bonauent. in 3. d. 39. q. 2. art. 1. dicit Christum non dixisse: Omnino nolite iurare. Nam sic omnem rationem iuramenti interdixisset. Sed potius dixit: Nolite iurare omnino. Cuius orationis sensus est, ne iuremus in omni casu. Et sic illis verbis non ademit omnem facultatem iurandi, sed partim concedit, & partim negat. Ista tamen responsio planè est sophistica. D. Hieronym. aliter interpretatur illū locum, dicēs, Christum non prohibuisse iurare per Deum, sed per cælum, vel per terram. Et ratio illius fuit, ne sensim ex vsu iurandi per has creaturas induceremur in idololatriam, illas tanquam quædam numina venerantes. Nam illud, per quod quis iurat, aut nimium diligit, aut veneratur. Huic etiam interpretationi assentiri videtur Rupertus Abb. lib. 5. de Gloria Christi. Sed cōtra illam sunt duo validissima argumenta. Primum, quòd Christus statim subiecit, sit sermo vester, est, est; non, non. Quod autem abundantius his est, à malo est. Quibus verbis omne iuramentū interdicitur. Secundum, quòd ipse Christus explicat causam, propter quam interdicit inducere in testem cælum, & terram, dicēs: Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius, neque per Hierosolymam, quia ciuitas est Regis magni. Neque per caput tuum iurabis, quia non potes vnum capillum albū facere, aut nigrum. Quasi significans, ideò prohibere attestationem per cælum, aut per terram, quoniam ea verè est iuramentum, & saltem mediatè adducitur Deus in testem. Si ergo prohibet Christus ea iuramēta, quia iuramenta sunt, & quia continent implicitè attestationem, & inuocationem Dei, à fortiori erit censendus prohibere illa iuramenta, quæ explicite continuerint Dei inuocationem. Quocirca Doctores scholastici magna ex parte aliam rationem sequuntur, dicentes illis verbis Christi contineri consiliū vt nunquam iuremus, non autem præceptū de non iurando, quorum sententiæ accedit D. Bernar. Hom. 85. super Cantic. Et potest fieri verosimilis, ex eo, quòd in eodem cap. multa dicuntur. Quale est illud: Ego autem dico vobis nō resistere malo, &c. quæ nō ad præce-

Explicatur difficilis locus sacræ scripturæ.

præceptum, sed ad consilium spectant. Cætum nec hæc solutio satisfacit. Nam cum iurare non solum sit licitum, sed etiam aliquādo necessariū, & in præcepto, quod probari potest primo ex vsu Ecclesiæ. Habet enim ius quæcunque publica potestas, tam ciuilis, quam spiritualis, iure & more exigendi à ciue, & à quocunque sibi subdito iuramētum, ad detegenda, coercendaq; ea mala, quę sibi in reipublicæ perniciem, siue in proximi iniuriam obuenerint. Et qui tunc nō iuraret contra præceptum ageret, non solum obedientiæ, verum etiam religionis. Cuius generis, vt articul. 4. dicemus, est iuramentum. Imò aliquando non requisitus tenetur homo iusiurandum offerre. Tunc, scilicet, quando, vel ad liberandum innocentem à morte, vel pro alio magno bono publico fuerit necessarium. Et tunc vsque adeò est bonum iurare, vt sit delictum non iurare. In quo casu præcipuè habet verum illud psalmi: Laudabuntur omnes qui iurant in eo. Cum, inquam, non solum sit licitum iurare, sed etiam aliquando cadat sub præcepto, tā diuino, quam naturali, id facere non erit imperfectum, sed potius esset imperfectum nō iurare quando oportet. Atque ex consequēti non est consilium Christi de nunquam iurando. Vera ergo, & germana expositio illius loci est, quòd primò Christus docet in illis verbis; Per cælum, per terram, per templum contineri verum iuramentum, cuius contrarium existimabant verum Pharisæi, & Scribæ. Et quòd hoc ità sit dicendū, colligitur ex ipso textu. Secundò præcipit, vt neque his, neque vllis alijs iuramentis vtamur. Non quidem simpliciter, sed eo modo, quo vulgò vtebantur Iudæi, scilicet, passim, & pro leui, aut nulla causa. Erat enim illo tempore de hac re apud Iudæos magnus abusus. Qui dummodo sese abstinerent à periurio cætera pro nihilo habebant. Malè intelligentes testimonium illud Deuteron. cap. 5. Non periurabis. Reddes autem Domino iuramenta tua. Quod à Christo eo loco citatur, dum dicit: Audistis, quia dictum est antiquis, &c. Itaque Christus in illis verbis non prohibet omnino iurare, sed modum, & excessum, quem Iudæi habebant in suis iuramentis faciendis. Qua etiam ratione explicanda sunt multa alia, quæ illo capitulo dicuntur. Vt est illud: Neminem per viam salutaueritis. Non vocetis vobis patrem super terram. Eo, scilicet, modo, quo tunc ista hæc omnia fiebant. Huic expositioni suffragatur D. Augustin. in lib. de mendacio, capit. 20. & Beatus Chromatius Papa in quodam libello, quem edidit super quintum & sextum caput Matthæi. Cuius verba sunt quę sequuntur. Primum enim voluit à nobis, & vsum iurationis, & consuetudinem humani erroris auferre. Ne vnusquisque nostrum per hæc elementa iurando, aut creaturā in honore diuinæ venerationis haberet, aut idcircò impunitatē periurij habere se crederet, si per mundi elementa iuraret. Et parū infra exponens reliqua dicit per illa verba: Quod autem abundantius his est, debere intelligi mendacium, quod dicit esse abundantius, quam, est, est, non, non, id est, quam veritas: & à malo, id est, à dæmone, qui mendax est, & pater mendacij. Ex quibus verbis patet iuxta Chromatium, Christum ibi solū prohibuisse periurium, & vsum iurandi pro leui, aut nulla causa. Beda exponens illud Iacobi 5. Ante omnia fratres mei nolite iurare, dicit, ibidem prohiberi consuetudinē iurandi, ne ex ea deueniatur in periurium. Sic enim ait: Ideò, inquit Iacobus, Vos à iurationis culpa compesco, ne frequenter vera iurando, aliquando etiam in periurium decidatis. Sed eo longiùs à peierandi vitio stetis, quò nec verum deierare, nisi proxima necessitate velitis. Et ferè eadem sunt verba, quæ dicit D. Iacobus, cum illis, quæ dixerat Christus. Quare non immeritò eandē habebunt interpretationem. Ad D. Hieronymum dicentem, iurare per Deum veteri populo concessum fuisse, non quòd esset rectum hoc facere, sed quòd minus malū est iurare per Deum, quam per idola, quod in noua lege est interdictum, quæ verba referuntur in cap. considera. 22. quæst. 1. quibus & Theophylactus astipulatur, nulla alia ratione respondet Castro de hæresibus, verbo, iuramentum, hæres. 1. in fine, nisi dicēdo: Verum si hi obijcient nobis Hieronymum, & Theophylactum, qui sentire videntur, non licere Christiano viro iurare; nos obijcimus contra Augustinum, Chromatium Druthmarum, Bernardum, Bedam, Rupertum. Parum dixi, imò totius Ecclesiæ diffinitionem, cuius autoritas tanta est, vt mille præstet Hieronymis, & Theophylactis, etiā si hi clarissimi viri fuerint, sanctitate perinde, ac doctrina illustres. Quibus verbis significat errasse Hieronymum in illa sententia, nec aliam conuenientiorem posse habere explicationem. Quod ego item verū puto. Soto libr. 8. de iustitia, quæstione 1. articulo 2. post quam dixit, certum esse, quòd licet fidelibus iurare, ad quod probandum adducit illud Deuteronomij sexto, Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis, dicit, quòd licet hæc verba imaginem potius permissionis præseferant, quā præce-

Vera & germana expositio.

D. Aug. Chromatius Papa.

D. Hieron. repellitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceptionis, est nihilominus vera permissio tanquam rei licitæ. Ac si dixisset: Non tibi simpliciter iurare iubeo. Sed vbi eam necessitatē ratio attulerit nō per falsos Deos, sed per me iurabis. Tametsi Hieronymus & Theophylactus permissionem istam non intelligant, vt fieret sine culpa, sed vt vsura permittitur, & meretricium. Et subdit statim; sed forsan sentit Hieronymus vana iuramenta per Deum permissa fuisse Iudæis, hoc est, leuioris illis fuisse pœnæ, quàm nobis, vt auerterentur ab idololatrarum iuramentis per creaturas. Et in hoc sensu subdit quòd Euangelica veritas non recipit iuramentum, cùm omnis sermo fidelis pro iure iurando sit. Non autem, quòd neget iuramentum quando legitimè fit, esse licitum. Sed proculdubio nec hæc expositio satisfacit, quia absolutè dicit Hieronymus, permissum fuisse iuramentum Iudæis, non quia esset rectum, sed quia esset minus malum, quod de malis culpæ, & non solum de malis pœnæ potest commodè interpretari. Ex dictis infertur, non solum esse licitum iurare in casu necessitatis, verum etiam præceptum naturale & diuinum omnibus hominibus commune, quando ratio ad id induxerit. Si quis autem quærat, quare Christus, quando dixit; Non iurare omnino, non adiecit, nisi in necessitate, aut cum vtilitate, vt sic omnis ambigendi ratio tolleretur, respondetur, id non fuisse necessarium. Nam præcepta naturalia sub quātumcunque vniuersalibus verbis proponantur, nullatenus includunt casus, quos natura ipsa non comprehendit. Vnde, quia quod iudex malefactores, & suum quisque aggressorem occidat, non comprehenduntur sub illo præcepto: Nō occides; idcircò nec opus est, quòd ab illo excipiantur, vt diximus, supra agentes de homicidio. Est autem præceptum de iurando, quantum ad vtramque partem, scilicet, iurare, quando ratio postulat, & non iurare, quando nec necessitas, nec vtilitas adest, naturale, atque adeo, nec est opus casus necessitatis, qui illis verbis; non iurare omnino, non includuntur excipere.

Corollariū.

Quæstio.

Responsio.

Nota circa solutionem ad 2 argu. D. Thom.

¶ In solutione ad secundum argumentum ponit Diuus Thomas aliam interpretationem ex Diuo Augustino illius loci: Sit sermo vester, est, est, non, non. Quod autem his abundantius est, à malo est, vltra illam, quam supra posuimus ex Chromatio. Qui dicebat per abundantius his, intelligi mendacium, quod est abundantius, quam simplex veritas, his verbis, est, est, non, non, significata, atque adeò à malo, hoc est à demone qui mendax est, & pater mendacij. Interpretatio autem est, quòd iuramentum non dicitur esse malum, sed à malo, nempe à mala causa, scilicet, ex infirmitate, & plaga humani generis, quam de peccato originali accepit. Si enim iurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades, quæ vtique infirmitas malum est. Itaque non dixit, quod amplius est, malum est. Tu enim non malum facis, qui bene vteris iuratione, vt alteri persuadeas, quod vtiliter persuadeas; sed à malo est illius, cuius infirmitate iurare cogeris. Hæc Augustinus. Quam interpretationem sequitur Lyranus super illum locum, qui dicit, quod autem his abundantius est, à malo est, quia semper est ibi, vel malum culpæ ex parte iurantis, quando iurat sine necessitate. Vel si iurat in necessitate requisitus, tūc semper est ibi malum pœnæ, à parte requirentis. Ex infirmitate enim humana, quæ est quædam pœna generi humano inflicta, procedit, quòd homines non credant sibi mutuò simplici verbo absque iuramento. Similiter ex parte requirentis aliquando est ibi malum culpæ, quando, scilicet, requirit iuramentum sine necessitate. Hæc Lyranus. Ex quibus possumus colligere, qualiter sit intelligendus, idem Diuus Augustinus super Epistolam ad Galatas, & refertur in capit. non est. 22. quæstione. 1. quando dicit: Iuramentum est à malo, non quidem iuranti, sed increduli iuramentum petentis. Nō enim docere putandus est, quòd petere iuramentum est semper malum culpæ, sed dicit à malo petentis, scilicet, à malo pœnæ, quod per originalem culpam contraximus. Est enim iam nobis inde naturale malum incredulitatis in rebus grauibus. Esset autē etiam peccatum de leuissimis quibusque iuramentum postulare.

Articvlvs III.

¶ Vtrùm conuenienter ponantur tres comites iuramenti, videlicet iustitia, iudicium & veritas.

Ad Tertium sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter ponantur tres comites iuramenti, videlicet iustitia, iudicium, & veritas. Ea enim quorum vnum includitur in altero, non sunt connumeranda tanquam diuersa. Sed horum trium vnum includitur in altero, quia veritas est pars iustitiæ secundum * Tullium. Iudicium autem est actus iustitiæ, vt

Infr. art. 4. cor. & q. 98. ar. 1. ad 1. & 3. dist. 39. ar. 2. q. 3. & quodl. 5. ar. 27. Li. 2. de inuentione in fol. 4. ante fi. lib.

suprà

Q. 60 ar. 1 suprà * habitum est: ergo inconuenienter ponuntur tres comites iuramenti.

2 ¶ Præterea, Multa alia requiruntur ad iuramentum, scilicet, deuotio & fides, per quam credamus Deum omnia scire, & mentiri non posse: ergo videtur, quòd insufficienter tres comites iuramenti enumerantur.

3 ¶ Præterea, Hæc tria in quolibet opere humano requirenda sunt. Nihil enim debet fieri cōtra iustitiam, aut veritatem, aut sine iudicio, secundum illud primæ ad Timo. 5. Nihil facias sine præiudicio, id est, sine præcedenti iudicio: ergo hæc tria non magis debent associari iuramento, quàm alijs humanis actibus.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Hiere. 4. Iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia. Quod ex ponens Hieron. * dicit: Animaduertendum est, quòd iusiurandum hos habet comites, scilicet veritatem, iudicium, & iustitiam.

Et habetur 2. 2. q. 2. ca. Animaduertendū.

Art. præc.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut suprà * dictum est, iuramentum non est bonum, nisi ei qui bene vtitur iuramento. Ad bonum autem vsum iuramenti duo requiruntur. Primò quidem, quod aliquis non leuiter, sed ex necessaria causa, & discrete iuret. Et quantum ad hoc requiritur iudicium, scilicet, discretionis, ex parte iurātis. Secundò, quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, vel scilicet, neque sit falsum, neque sit aliquid illicitū. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat quod verum est, & iustitia per quam cōfirmat quod licitum est. Iudicio autem caret iuramentum incautum: veritate autem iuramentum mendax: iustitia autem iuramentum iniquum siue illicitum.

In cor. art.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod iudiciū nō sumitur hic pro executione iustitiæ, sed pro iudicio discretionis, vt dictū * est. Neque etiam veritas hic accipitur secundum quòd est pars iustitiæ, sed secundum quòd est quædam conditio locutionis.

¶ Ad secundum dicendum, quod deuotio, & fides, & omnia huiusmodi, quæ exiguntur ad debitū modum iurandi intelliguntur in iudicio. Alia enim duo pertinent ad rem, de qua iuratur: vt dictum * est. Quamuis posset dici quod iustitia pertinet ad causam per quam iuratur.

In cor. ar.

¶ Ad tertium dicendum, quòd in iuramento est periculum magnum: tū propter Dei magnitudinem, cuius testimonium inuocatur: tum etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cuius verba iuramento confirmantur. Et ideo huiusmodi magis requiruntur ad iuramentum, quam ad alios humanos actus.

Svmma Textvs.

Quoniam iuramentum non est illarum virtutū, quæ per se honestatē habēt, agit D. Thom. in hoc articulo, de cōditionibus, quæ debent iuramentum comitari, vt honestum reddatur. Continetur autem eius litera duabus propositionibus. Prima conclusio: Tres sunt necessarij comites, vt iuramentum honestetur, nempe, veritas, iustitia, & iudicium. Quam probat in argumento, sed contra, testimonio Hieremiæ capitulo 4. dicentis: iurabis: Viuit Dominus, In veritate. In iudicio, & iustitia. Super quæ verba dicit D. Hieronymus: Aduertendum est: quod iusiurandum hos habet comites, scilicet, veritatem, iudicium, & iustitiam. Et in corpore articuli hac ratione: per iuramentum Deus, qui summa veritas est, & summa iustitia, adducitur in testem: ergo necessariū est ad eius reuerentiam, quod id, quod iuratur primū sit verū, mox iustum, & æquum, & tandem circūspectio iurandi requiritur, vt non leuiter: sed maturo iudicio, & discretione fiat. Et sic necessaria sunt ad iuramentum, veritas, iustitia, & iudicium. Secunda conclusio: Iuramentum, cui deest veritas, dicitur falsum; cui deest iustitia, dicitur iniquum: cui deest iudicium, dicitur temerarium.

Explicatio Articvli.

Pro intelligentia huius articuli operæpretium erit explicare, quid per veritatem, iustitiam, & iudicium, quantum attinet ad præsens institutum intelligatur. Nam per veritatem non adæquationem rei ad intellectum, quam Metaphysici propriè

Veritas quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

veritatem appellant, sed conditionē quandā orationis, atq; sermonis exterius prolati, intelligimus, vt scilicet, oratio cū animo cōcordet. Itaq, adhoc, vt veritas, quæ comes iuramēti dicitur illi adesse intelligatur, nō est necessariū, vt id q affirmo, ità se habeat à parte rei sicut à me significatur. Sed solū requiritur, atq; sufficit, vt ità esse pro certo existimē, quemadmodū à me esse iuratur, vt docet D. Aug. in li. cōtra mēdaciū, & in quodā sermone de verbis Iacobi. ¶ Iustitia secūdo comes si militer est quædā cōditio quæ illi rei quæ iuramento affirmatur, inesse debet, scilicet, vt res illa iusta sit atque honesta. Et deesse intelligitur, quando iuramento pollicemur, vel facere res turpes, vel omittere honestas. Si quis autē quærat, vtrū hæc iustitia adesse debeat omni iuramento, tam promissorio, quā assertorio? Caietanus in præsenti respondet negatiuē, dicens, quod iustitia tantum comitatur iuramentū promissoriū, nō assertorium. Et ratio illius est: Nā in iuramēto assertorio, sæpe affirmamus fecisse nos res turpes, idq; honeste atque licitē. Vt cū rogatus aliquis à iudice de furto, vel adulterio iurat se id fecisse. Verius tamē atque rectius dicendum existimo, quod iustitia vtriusq; iuramenti debet esse comes, quāuis diuersimode. Nā in iuramento promissorio iustitia attēdi debet ex parte illius rei, quæ iuramēto firmatur, vt scilicet, id iuramentū iustū dicatur, quo res iusta promittitur, & iniustū, quo promittitur res iniusta. At verò in iuramēto assertorio iustitia est attendēda nō ex parte rei assertæ, quia iuramēto iusto possum asserere res iniustas, sed ex parte causæ, quæ cōpellit ad iurādū. Et quod hoc ità sit dicēdū, probatur. Nā, si quis iurādo degit crimina alterius occultissima, id iuramentum non est falsum, vt patet, nec temerarium; quia suppono id adhibito consilio fecisse, sed est iniustum tantum: ergo deest illi iustitia, quæ est comes iuramenti: Atque ex consequenti iustitia non solum iuramento promissorio, sed etiam assertorio adesse debet. ¶ Tertius comes iuramenti est iudicium, quo discretio, atque prudentia in iurando significatur. Non enim satis est, vt quis vera, atque iusta iuret nisi etiam prudenter, hoc est, adhibita debita cautione, atque consilio id faciat. Quod consistit in tribus. Primum est, vt quæ alia ratione quam iuramento confirmari possunt, iuramento non firmemus. Vnde confirmare iuramento res, quæ claræ & perspicuæ sunt, aut quæ ad aliquas pertinent disciplinas, & alia ratione quam iuramento probari possunt, nempe, syllogismo, temerarium erit. Secundum vt non iuremus ex quacunque causa, sed solum propter grauem, & piam. Tertium, vt iuramentum præcedat cōsultatio. Scilicet, vt reputet secū, qui iuraturus est, quemadmodum se habeat res illa, de qua iuramentum ferre debet ne forte ex deceptione falsum pro vero iuret. Et quocunque ex his tribus deficiente, iuramentum sine iudicio factum dicetur, atque ex consequenti temerarium.

Iustitia.

Iudicium.

Iuramentū cui deest veritas vel iustitia vel iudicium est peccatū

¶ Supra posita ergo tria, nempe, veritas iustitia, atque iudicium necessaria sunt, vt iuramentum honestetur, & quocūque ex his comitibus deficiente, quod ipsum illicitum sit, atque peccatum, erit necesse, vt D. Tho. in prima conclusione affirmat. Et probatur. Quidquid istorum desit, afficitur iniuria diuinū numen, dum in testem adducitur per iuramentum: ergo est peccatum. Consequētia est nota, & antecedens probatur: Nā si deest veritas, adducitur Deus testis mēdacij. Si deest iustitia, adducitur, vt approbator iniquitatis. Et si deest iudiciū adducitur sine causa. Quæ sine manifesta iniuria & irreuerētia esse nō possunt. Præterea; Quidquid horum desit in iuramēto, assumitur nomē Dei in vano: quod est cōtra secundū præceptū Decalogi: ergo est peccatū. Cōsequentia est nota, & antecedens probatur: Vanū est quod frustra fit, & caret fine: finis autē iuramenti est cōfirmare veritatē cognitu necessariā ad iustitiā inter homines cōseruandā, iuxta illud Pauli ad Heb. 6. omnis controuersiæ finis ad cōfirmationē, est iuramētū; Sed ad istū finē cōsequendū nihil valet iuramētū, cui veritas, vel iustitia, vel iudiciū deest: nā si est falsum nō cōfirmat veritatē, & si est iniustū nō seruit ad cōseruādā iustitiā, sed potius destruit illā; & si est sine iudicio, est temerariū: ergo vanū, atq; peccatū. Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrū omne illud iuramētū, cui aliquis supra dictorū comitū deest, sit dicēdum periurium? Et pro parte affirmatiua est D. Hieronymus supra Hieremiā c. 4. Vbi cū dixisset iuramēta habere tres comites, adiecit statim: Qui si defuerint, nequaquā erit iuramētū, sed periuriū. In cōtrariū tamē est: Nā periuriū definitur; Mēdaciū cum iuramento affirmatū. Et sic solū iuramētum, cui defuerit veritas, videtur dicendum periurium, & non illud, cui deest iustitia, aut iudicium, cum verum esse posit. Et confirmatur ex D. Thoma infra quæstione 98. articulo primo. Vbi dicit falsitatem esse de intrinseca ratione periurii. In hoc tamen sit prima conclusio: Iuramentum, cui deest veritas, est simpliciter, & absolutē periurium. Probatur ex diffinitione periurij superius posita. Secunda conclusio: Iuramenta, quibus solū deest, aut iustitia, aut iudiciū, vt sunt

Dubium.

Ratio dubitandi.

1. Conclus.

2. Conclus.

vt sunt iuramenta temeraria, & iniusta; dicuntue periuriū nō simpliciter, sed secundū quid. Et quidē, quod simpliciter nō dicantur periuria, est res manifesta: quia simpliciter non sunt mendacia. Quod autē secundū quid sint periuria, probatur: quia ineſt illis quædam imago, & vmbra falsitatis. Vt enim dicit D. Tho. infra q. 98. ar. 1. ad 2. qui iurat se aliquid illicitū facturū, quodāmodo incidit in falsitatē. Nā licet verē habeat animū faciēdi quod iurat, tamē est obligatus nō facere. Et hoc in veritate dicit falsitatē. Qui autem iurat sine iudicio, quāuis verū iuret: eatenus tamen ineſt falsitas illi iuramēto, quatenus incōsulto, & temerè iurādo expōsuit se periculo falsum dicendi. Itaq; falso iuramento ineſt falsitas in actu, iniusto in virtute, temerario in causa. Et sic omnia iuramenta, saltem secundum quid possunt dici periuria.

Dubium graue.

¶ Sed est dubium graue, vtrum omne iuramēcum, cui aliquis prædictorū comitū deest, sit peccatum mortale? Et vt recto ordine procedamus, dicemus pri⁹ de iuramēto, cui deest veritas, deinde de illo, cui deest iustitia: & tandem de iuramento, cui deest iudicium. Ad explicandum ergo, vtrum omne iuramentū, cui deest veritas, sit peccatum mortale, aduertendum est, quod iniuramento promisso dupliciter potest deesse veritas. Vno modo, quia is, qui promittit, non habet animum seruandi promissum, alio modo; quia res non perficitur, non præstatur, non respondet promissioni, quamuis à principio bona fide & bono animo fuerit promissa. Et ratio huius est: Nā qui aliquid promittit duo facit. Vnū pollicetur in futurū. Alterū asserit de præsenti. Pollicetur quidem, se daturum, verbi gratia, centum, quæ res futura est. Et asserit, & affirmat de præsenti, se habere animū huiusmodi rem adimplendi suo tempore. Et ità cum adiungit iuramentum promissioni, confirmat testimonio diuino esse verum, quod in præsenti de suo animo asserit, atque etiam futurum verum, quod se facturū pollicetur. Et sic ineſt illi iuramento promissorio duplex veritas. Vna statim cùm fit iuramēcū, de animo adimplendi. Altera in futurum de adimpletione promissi. Hoc supposito, vt certa ab incertis seperemus dico primo, certum esse, quod omne iuramentum assertorium, cui deest veritas, quacunque ratione desit, sine cum causa, siue sine illa, & in quacunque materia, siue magna, siue parua, est peccatum mortale. Huic conclusioni repugnauit olim, vt refert Syluester, verbo, periurium §. primo, Gofredus, & Angelus, qui dixerunt, iuramentum, quo affirmamus rem iocosam, non esse peccatum mortale. Sed nostrum dictum est communis sententia omnium Doctorum. Et probatur: Qui iurat falsum ob eam causam peccat, quia inducit Deum in testem mendacij, in quo grauis Deo irrogatur iniuria, eò enim ipso profitetur vel Deum nescire quod verū est, vel si sciat, posse induci, vt mendacio patrocinium ferat: sed tam falsum est mendacium iocosum, quam pernicioſum, Verbi gratia, dicere te esse Romæ, cum sis Salmanticæ, ac dicere. D. Petrū fuisse dānatū: ergo si iuramēto cōfirmes vtrunq; quantū attinet ad rationē periurij, æqualiter in vtroq; peccabis: quia in vtroq; æqualiter Deus in testē mēdacij adducitur. Dico secūdo, etiā esse certum, quod omne iuramēto promissorio, cui deest prima veritas, hoc est, in quo qui iuramento promittit se aliquid facturū, nō habet animū promissum adimplēdi, est peccatum mortale. Hoc dictū similiter recipitur ab omnibus Doctoribus. Et est ratio: Quia iuramentum promissorio secundum hāc primā veritatē est assertorium. Qui enim, vt diximus, iureiurando promittit, verbi gratia, se homine occisurū, aut datum certum aureos, eo ipso asserit, se tam tunc habere voluntatē, & animum id faciēdi. Et ità respectu huius animi, & voluntatis est assertio rei præsentis. Atque adeò iuramētum assertorium. Ex quo fit, vt quantum ad hanc veritatem idem iudicium sit de hoc iuramento, ac de assertorio. Itaque hæc certa sunt. Sed dubium est vtrūm iuramentum promissorium, cui solum deest secunda veritas, quod contingit, quando is, qui aliquid iuramento promisit, non adimplet promissum, sit semper peccatum mortale? Quod est quærere, vtrum frangere iuramentum de re leui sit peccatum mortale? Et pro parte affirmatiua argumentor primō. Quemadmodum qui vtitur iuramento assertorio citat Deum in testem ità esse, quod dicit, sic etiam qui iuramento aliquid promittit, citat Deum in testem, ità futurum, sicut promittit. Et rursus: Sicut adducitur Deus testis falsi, cum res, quæ iuramento asseritur, secus se habet: ità etiam adducitur testis falsi, cum res, quæ facturo promittitur postea non fit. Sed adducere Deum testem mendacij præsentis, siue id mendacium sit leue, siue graue est peccatum mortale: ergo pari ratione adducere Deum in testem mendacij futuri, vel potius efficere, vt sit falsum id cuius testificandi causa Deum adduximus, est peccatum mortale in quacunque materia. Probo consequentiam: Nam sicut est æque falsum mendacium leue, & mendacium graue: ità etiā est æque falsum cū res, quæ in futurum

De defectu veritatis in iuramento.

1. dictum certum.

2. dictum certum.

Punctus difficultatis.

1. arg. pro parte affirmatiua.

promit-

Universidad de Deusto
Biblioteca

promittitur nō seruatur siue leuis sit, siue grauis. ¶ Secūdo: Qui iurat se hominē occisurū, nō solū, quia habet voluntatē hominē occidē di, sed etiā nouo peccato periurij; quia citat Deū in testē eius rei, quæ oportet, vt sit falsa, peccat: ergo efficere vt in futurū sit falsa, illa res, cui⁹ Deus citatur testis, est peccatū mortale. Id verò eodē modo efficitur, & æqualiter, siue leuis siue magna sit illa res, quæ iuramēto promissa, non præstatur: ergo semper est peccatum mortale, nō adimplere promissum iuramento firmatum, & confirmatur: Qui iureiurando promittit aliquid alteri, tenetur id promissum verū efficere, non solum ad vitandam iniuriam, sed etiam ne efficiat falsum, id cuius Deus citatus est testis. Et sic, qui fidem datam violat dupliciter peccat: Est enim iniurius in proximum, & periurus in Deum: ergo semper, qui frangit iuramentum promissorium peccat mortaliter. Probo consequentiam: Quia non minùs in re leui, quam in graui adducit Deum in testem falsi.

2. Arg.

3. arg.

1. arg. pro parte negatiua.

In contrarium tamen est, primò: Qui iure iurando promisit, se aliquā rē indifferentem facturū, quamuis ipsum iurare sit malū, quia deest illi iudicium, tamē secundum omnes si non adimplet promissum, non peccat, quāuis possit licitè adimpleri: ergo nō quotiesdeest secunda veritas iuramento promissorio, est peccatum. Secundo: Nam videretur profectò res durissima cōdemnare peccati mortalis eū, qui iure iurando promisit, se dicturum orationē dominicā, & non dicit: quod manifestè sequitur ex opposita sententia. Et quod hoc sit durum probo: Nō est censenda magis rigida lex iuramenti, quam lex Decalogi, scilicet, non furtū facies: sed ista lex Decalogi mitigatur ex materia leui: ergo à fortiori & lex iuramenti, quæ minus rigida esse debet. Atque ex consequenti non adimplere iuramentū promissoriū in re leui, nō erit peccatum mortale. Tertio: Si frangere iuramentū in re leui esset peccatum mortale, idcircò esset; quia efficitur falsum id, cuius testificandi causa Deus testis est adductus, & sic quodam modo Deus falsi testis cōstituitur: sed hoc nō est insufficiens ad inducendā culpā mortalem: Nā qui iurauit, se peccare venialiter, Verbi gratia dicere mendacium iocosum, quia mētiri non licet, oportet vt falsum efficiat id, quod promisit, & cuius testificādi causa Deū testē adduxit: Et tamē secūdum cōmunē sententiā Doctorum, tantum peccat venialiter: quāuis vere Deum adduxit in testē rei, quæ omnino falsa est: ergo.

Sententia Caietani.

¶ In hac re explicāda sunt variæ Doctorū sententiæ. Caietanus enim ar. 7. huius quæstionis vt suā mentē explicet supponit, quod materia leuis cadēs sub præcepto potest cōsiderari dupliciter. Vno modo, vt est pars alteri⁹ rei. Et secundū istā rationē materia leuis pro nihilo reputatur, & tantum inducit culpā venialē. Alio modo, vt habet rationē totius. Et tunc non est cēsenda parua. Vt verbi gratia, quia materia integra furti sunt facultates alienæ; idcirco nūmus argenteus in eo, qui magnas habet opes, est leuis materia, quia cōparata ad totas facultates, quarum est pars, est leuis quædam res. At verò idem nūmus argēteus in eo, qui hunc solum habet non est leuis materia furti, sed grauis, quia est totalis. Hoc supposito dicit primo Caietanus, quod si res leuis, quæ promittitur, est pars eius materiæ, quæ iuramento est promissa, id prætermittere non est peccatum mortale; sed tantum veniale. Vt, verbi gratia, si promisi per iuramētum, me recitaturum psalterium, & dum illud recito prætermitto versiculum, illa omissio non inducit culpam mortalem, sed tantum venialem. Et ratio est: quia ego pro nihil me dicturum psalterium, & cum exoluo promissum fere omni ex parte, illa omissio leuis vnius versiculi pro nihilo reputatur. Et sic non potest inducere culpam mortalē. Dicit secundo Caietanus, quod si res leuis quæ prætermittitur est totalis materia iuramenti, id prætermittere est peccatum mortale. Vt si Verbi gratia, iuramento promisi dicere vnū, Aue Maria, & illud omitto pecco mortaliter, quia totaliter nō exoluo promissum. Sed hæc ratio Caietani nō videtur sufficiēs. Nam si Deus peculiari aliquo præcepto præcepisset, vt ne mētiremur iocosè, id facere esset solum peccatū veniale, perinde ac nūc est. Et tamē si mētiretur quis iocosè tunc violaret præceptū secundū totā suā materiā. Itē: Nūc est peculiare præceptū de nō dilapidādis propriis facultatibus, cui⁹ totalis materia sunt vniuscuiusq; opes. Et tamē, si quis omnes suas opes per se loquēdo, sine causa profundat, violat id præceptū nō in aliqua re parua, sed secundū totā materiā illius, & solū peccat venialiter vt omnes Doctores cōcedūt: quia cū sit dñs illarū rerū totū illud bonorū dispendiū habetur pro re leui: ergo si res, in qua peccatur est leuis, semper erit peccatū veniale, siue illa res sit totalis materia, vel parcialis præcepti. Atque ex consequenti distinctio quam Caietanus afferebat est nulla.

¶ Sylvester, verbo, iuramentū 4. §. 1. ex mente Archidiaconi, tenet oppositā sententiā, scilicet, quod frangere iuramentum de re leui sūsceptum non est peccatum mortale. Et eandem tenet Soto libro 8. de iustitia, quæstione 2. articulo 3. Quæ proculdubio est vera & tenenda. Vnde ad illius explicationē aduertendum

In iuramento promissorio vnum asseritur & alterum promittitur.

tendum est primò, quod in iuramento promissorio vnum assero, scilicet, me cū promitto, ex animo & non ficte promittere, & alterū spondeo, scilicet, re præstaturum quod polliceor. Adducitur autem Deus ad vtriusq; rei confirmationem, nempe, ad assertionē firmādam & ad sponsionem confirmandam. Sed diuersimode. Nam respectu eius, quod assero de meo animo in præsenti, adducitur Deus, proprie loquendo in testem. At verò respectu eius, quod in futurum facturum promitto, adducitur Deus non tanquam testis; sed tanquam vas, & tanquam pignus; quo pignore dato, is, cui fuit promissio certam de mea fide spem concipiat. Et ratio huius differentiæ sumpta est ex ipsa rei natura. Nam de re præsenti aut præterita, sit ne aut fuerit commode potest aliquis esse testis. At vero de re futura, vtrum futura sit, nec ne, nullus affirmare vt testis potest, sed vel diuinare, vt coniector, vel confirmate vt sponsor. Cuius etiam rei illud est apertum indicium, quod si in iuramento promissorio respectu rei promisse in futurum, Deus adduceretur testis, sequeretur, quod quoties aliquis non adimplet iuramentum promissorium, cum possit illud implere, toties efficeret Deum testem falsi, & sic toties peccaret mortaliter. Quod tamen consequens est manifestè falsum, vt patet in iuramento de re leui, aut de ijs rebus, quæ sunt sub consilio.

Qualiter irrogetur iniuria Deo in non adimplēdo iuramētum

¶ Secundo est aduertendum, quod qui Deū adducit testem falsi, & etiā qui nō persoluit, quod Deo sponsore promisit, vterque irrogat iniurjam Deo, diuersæ tamen rationis. Nam primus fingit Deum mendacē. Et secundus Dei nomen, quod pro pignore dedit, contemnit, atque despicit. Prior illa iniuria, quæ est fingere Deum mendacem non recipit magis, nec minus: quia omnia mendacia in ratione falsitatis, formaliter loquendo, sunt æqualia. At verò posterior iniuria recipit gradus, potestque esse maior, vel minor secundum proportionē rei promissæ. Non enim omnia promissa æquè obligant, sed magis, vel minus pro ratione materiæ. Et grauius est frāgere fidem in re graui, quam in re leui.

1. Conclus.

¶ His constitutis sic concluso: Iuramentum promissorium, cui deest secunda veritas, nempe non adimplere quod iure iurando, quis facere est pollicitus, non semper est peccatum mortale: sed solum quando res promissa est maioris momenti. Probatur: In iuramenti leuis violatione fit iniuria Deo, non quia fingitur mendax, sed quia nomen illius, quod pro pignore fuit adductum, parū reueretur: sed huiusmodi neglectus, atque irreuerentia, quando versatur in re leui, est leuis: ergo non est peccatum mortale, sed tantum veniale. Præterea: Frangere votum de re leui, secundum communem opinionem (quod, & à nobis in materia de voto fuit probatum) est tantum peccatum veniale: ergo similiter frangere iuramentum de re leui. Probo consequentiam: Nam maior est vinculum voti, quam iuramenti, vt dicemus articulo 8. huius quæstionis. Item: Si quis promisit, se recitaturum psalterium, & omittit versiculum tantum, peccat venialiter: ergo & qui promisit dicturum versiculum, & illum omittit, tantum peccat venialiter. Probo consequentiam: Nam illud discrimen Caietani est nullum, vt diximus. Quod etiam hac ratione potest confirmari. Qui nominatim promisit dare Petro rem aliquam parui momenti, ea pollicitatione imposuit sibi legem obligantem ad illud, quod promisit præstandum, sub pœna peccati, & eius legis integra materia est res illa promissa; & tamen, si nihil det, nec fidem seruet, tantum peccat venialiter ex leuitate materiæ, vt omnes Doctores concedunt: ergo pari ratione, quāuis totum, quod promisisti Deo, sit vnus versiculus, si illum omittas, non erit peccatum mortale. Vltimò: Ex oppositā sententia sequeretur omnes matres, & nutrices infinita committere peccata mortalia; sæpe enim iratæ filijs suis minantur, iuramentoque promittūt, se illos flagellaturas, aut aliquid aliud facturas; quod tamen postea re non adimplent: consequens autem est absurdum & contra communem Doctorum sententiam: ergo & illud, ex quo sequitur.

Ad 1. arg. pro parte affirmatiua.

¶ Ad primum argu. pro parte affirmatiua ex dictis patet solutio. Fain enim ostendimus qualiter respectu rei futuræ Deus non adducitur testis, sed tantum vt sponsor. Quod in re leui fieri potest, sine graui iniuria.

Ad 2. arg.

Ad secundum argumentum respondetur negādo, quod qui iurat, se homnē occisurū peccet peccato periurij propriè, sed solū est periturus secundum quid, quo nomine cēsemus, & appellamus omnē irreuerentiā quæ Deo fit in iuramento. Fit autem Deo irreuerētia in iuramento iniusto, non quia citatur testis rei futuræ falsæ; sed, quia datur tanquam sponsor, & pignus rei non adimplendæ. Ad confirmationem respondetur, concedendo, quod qui iuramento promisit aliquid tenetur illud adimplere. Et si id non faciat non solum est iniurius in proximum; sed etiam in Deum. Nego tamen, quod teneatur id adimplere, ne efficiat Deum testem

Universidad de Deusto
Biblioteca

falsi. Nam, vt diximus, respectu rei futuræ non citatur Deus, tanquam testis. Sed est iniurius in Deum & tenetur ad impletionem; quia dedit Deum, vt sponsorem, & vadem rei non adimplendæ; quod in re leui fieri potest, sine graui iniuria.

De defectu iustitiæ in iuramento 1. dictum.

¶ Diximus de veritate, sequitur, vt dicamus de iustitia. Circa quam est difficultas, vtrum sine peccato mortali possit aliquando deesse iuramento? Ad cuius explicationem dico primo, quod qui iurat se facere aliquid, quod est peccatum mortale, proculdubio peccat mortaliter. Ità tenet Syluester, verbo, iuramentum 2. §. 7. & Soto li. 8. de iustitia. q. 2 arti. 3. Et probatur: Quia adducere Deum in vadem, & sponsorem rei, quæ est peccatum mortale, fieri non potest sine graui ipsius Dei iniuria. Eo vel maximè, quòd vt diximus in materia de voto, cum promissio de re fieri debeat, quæ sit grata illi cui fit promissio, qui rem iniquam iurando promittit potius est dicendus malum comminari, quã bonum promittere. Comminari autem facere iniuriam Deo, ità ist iniquum, vt nihil, vel impudentius, vel audacius dici

2. dictum. possit. Dico secundo, quod qui iurat se facturum aliquid, quod est peccatum veniale, tantum peccat venialiter. Ità tenent communiter Doctores. Et ratio est: Quia iniuria, quæ fit Deo in huiusmodi iuramentis, quam uis sit nonnulla, est tamen leuis, atque adeò tantum inducit culpam venialem. Dico ter-

3. dictum. tio, quod qui iurat se facturum aliquid eorũ, quæ obstant operibus cõsilij, tantum peccat venialiter. Et quidem, quod peccet, est res manifesta propter irreuerentiam, quam irrogat Deo, abutens eius autoritate, ad confirmandum id, cuius oppositum ipse consuluit. Quod autem huiusmodi peccatum tantũ sit veniale, probatur: Abstinere se ab ijs, quæ sunt in consilio, est licitum: ergo irreuerentia, quæ fit Deo in iuranda huiusmodi abstinentia est leuis, atque ex consequenti solum inducit culpam venialem. Syluester vbi supra ex mente Archidiaconi dicit, quod qui talia iuramenta emittunt, peccant mortaliter. Et ratio est; quia tales in huiusmodi iuramentis ponunt obicem Spiritui sancto. Sed reuera fallitur. Nam cum huiusmodi vota, vel iuramenta non sint obligatoria vt statim dicemus, nullum obicem possunt Spiritui sancto apponere. Sed qui iuramit vxorem ducere; ità potest religionem ingredi, ac si tale iuramentum

4. dictum. non fecisset. Dico quarto, quod qui iurat se facturum aliquam rem indifferentem, vel impossibilem tantum peccat venialiter. Quod peccet, patet: quia vtitur nomine diuino ad confirmandam rem, quæ vel fieri non potest, quia impossibilis, vel nihil refert, vt fiat, quia indifferens. Quod sine aliquali irreuerentia fieri non potest. Quod autẽ huiusmodi peccatum sit tantum veniale, probatur; quia irreuerentia est leuis. Si quis autem quærat, vtrum huiusmodi iuramenta promissoria aliquam inducant obligationem præstandi promissum? vt ad hanc difficultatem respondeamus aduertendum est, quod sicut materia iuramenti assertorij est veritas; ità etiam promissorij est res honesta & vtilis. Ex quo fit, vt sicut quãdo deest veritas in assertione, assertio redditur mendacium; ità etiam quando id, quod promittitur, est res vel inutilis, vel inhonesta; ipsa promissio redditur irrita & inefficax, & non est promissio, nec aliquam adimplendi obligationem inducit. Et ratio est: Nam promissio semper sit pro cõmodo alterius. Nullus autem rationabiliter debet habere gratum, aut cõmodum id, quod vel inhonestum est vel inutile. Vnde dico quinto, *5. dictum.* quod qui iurat se facturũ aliquã rem, vel inutilẽ, vel indifferentẽ, vel contra consiliũ, nõ tenetur adimplere promissum. Probatur: Iuramentũ obligat seruare promissum vbi vere existit; sed in casibus positis nulla existit promissio ex defectu materiæ: ergo iuramentum adiunctũ nullam obligationẽ inducit. Dico *6. dictum.* sexto, quod qui iurat se facturum aliquã rem indifferentẽ, vel contra consilium, licet non teneatur id facere, licitè tamen potest iuramentum adimplere. Probatur: Ante factum iuramentum poterat illud facere: ergo & post factum iuramentum, cum iuramentum non tollat obligationem illud faciẽdi, sed potius eam augeat.

De defectu iudicij in iuramento.

¶ De iudicio similiter est dubium, vtrũ eius defectus in iuramento semper sit peccatum mortale. In quo sit prima conclusio: Qui iuramẽto confirmat res veras, sine causa tamẽ, & necessitate, tantũ peccat venialiter. Proba

1. Concluſ. tur: Nam huiusmodi iuramenta, quia vana sunt, culpa non vacãt, & quia vera existunt atque certa, mortalem labẽ non impingunt, sed tantum venialem, tanquam illa, quæ leuẽ iniuriam Deo irrogant. Et est aduertendum, quod ad iudicandum, verum ne sit, an falsum iuramentum, non tam ad rem iuratam, quam ad mentem iurantis est attendendum. Si enim quis id iurat, quod post legitimum examen certo putat esse verum, licet fortè sit falsum nullatenus delinquit. Et vice versa qui putat esse falsum, quod pro vero iurat, quamuis fortè sit verum, nihilominus est periurus: & peccat mortaliter ex conscientia erronea. Requirit autem iuramenti reuerentia non solum, vt verum iuretur, sed vt homo nihil iuret, antequam pro rei qualitate sit certus, verum esse quod iurat. Dixi, pro rei qualitate, quia non æqua in omni materia, quæ iuramento est confirmanda ad veritatem præseruandam requiritur diligentia: sed in rebus egregijs atque arduis multo maior, quam in iis, quæ sunt minoris momenti. Imò quandoque res potest esse tam parua, vt sine aliqua discussione iurari possit. Culpa ergo iurandi rem incertam pro certa, æstimanda est penes negligentiam, hoc est, penes omissionem diligentiæ, quæ pro materiæ dignitate est adhibenda. Quæ poterit esse tanta, vt faciat peccatum mortale, & tam parua, vt non constituat, nisi veniale. Id quod iudicio prudentis viri relinquitur determinandum. Et ratio est: Nam qui est valde negligens in inquirenda veritate eius rei, quam iurat sciens & volens exponit se manifesto periculo peierandi, quod sine culpa mortali fieri non potest.

¶ Sed contra istam conclusionem, & simul contra determinationem præcedentis dubij, quo diximus sæpè sæpius posse cõtingere, vt illud iuramentũ, cui deest iustitia, sit tantũ peccatum veniale, argumẽtor in hunc

Arg. modũ. D. Thom. infra q. 98. ar. 2. determinat, omne illicitũ iuramentum quodãmodo esse periuriũ, etiã illud, cui deest tertius comes: & in articulo tertio constituit, omne periuriũ esse peccatum mortale: ergo falso dicitur, & contra D. Tho. quod illa iuramenta, quibus deest iudicium, aut iustitia, tantũ possunt esse peccata venialia. Ad hoc argumentũ, vt respondeamus, aduertendum est, quod aliquod iuramentum dupliciter potest dici periuriũ.

Periurium duplex. Scilicet, simpliciter, aut secundum quid. Quæ distinctio est D. Bonauent. in 3. d. 39. art. 1. q. 2. Periurium simpliciter dicitur illud, quod potissimo & præcipuo fini iuramenti, qui est veritatis confirmatio, & attestatio, aduersatur. Et est omne illud iuramentum assertorium, cui veritas deficit. Et contingit, vel quando quis iurat id, quod putat esse falsum, aut iuramẽto promittit, quod tunc facere non intendit. Huic etiam annectitur iuramentum promissorium eius rei, quæ sine peccato mortali impleri non potest. Quippe quod in virtute etiam est iuramentum falsum. Si quidem qui illud emisit, tenetur sub reatu peccati mortalis falsum reddere. Reliqua illicita iuramenta, licèt suo gradu dicantur periuria, sortiuntur tamen hoc nomen secundum quid; quia fini iuramenti, qui est attestari veritatem, non aduersantur. In promissorijs namque, de quibus diximus dubio præcedenti, quod erant peccata venialia, saluatur veritas, quæ est finis iuramenti in intentione iurantis. Et quoniam tione materiæ obligationes inde resultantes non ligant sub reatu mortali; fit, vt nec periuria ipsa sint mortalia. In assertoriis verò iuramentis, quibus deest iudicium, quoniam similiter saluatur veritas in intentione iurantis, & aliunde contrahunt rationem culpæ, non est necessarium, quod semper sint mortalia. Itaque cùm in iuramentis sit duplex vis, vt dicemus articulo septimo huius quæstionis, vna veritatis assertoria, confirmatoria & testificatoria, altera obligatoria, resultans ex iuramento promissorio, prima semper obligat sub reatu mortali, quoniam veritas consistit in indiuisibili, & æqualis iniuria sit Deo, adducendo eum in testem vnius mendacij, sicut alterius. At verò secunda ex grauitate obiecti pensanda venit. Et quoniam potest contingere, vt res promissa sit leuis, fieri etiam potest, vt transgressio iuramenti ex hac parte tantum sit peccatum veniale. Hoc supposito ad argumen- *Ad arg.* tum respondeo, quod quando D. Thom. dicit, omne periurium esse peccatũ mortale, si distributio fiat pro vniuersis indiuiduis tunc restringenda erit propositio tantũ, ad periuria simpliciter, quæ semper sunt peccatum mortale. Si autem sit sensus, quod periurium ex genere suo est peccatum mortale; sicut dicere solemus, quòd furtum ex sui ratione peccatum mortale est, tunc propositio habet verum vniuersaliter de omni periurio. Et illa, de quibus diximus in hoc dubio, & in præcedenti, ratione materiæ, excipiuntur vt non sint, nisi venialia: sicuti suffurari obolum.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũ qui habet cõsuetudinẽ iurãdi, quoties iurat, siue verũ, siue falsum dicat, aliquod peccatũ committat? De qua re nonnulli, vt autor est Scotus in 3. d. 39. quæst. 1. partem tenuerunt affirmatiuam, dicentes, semper eos, qui ex consuetudine iurant in iurando peccare. Et ratio est; Nam qui iurat hoc modo, iurat sine iudicio tertio comite iuramenti: cuius defectus esse non potest, sine aliquali culpa, vel mortali, vel veniali. In hoc tamen sit se- *2. Concluſ.* cunda conclusio: De iuramento facto ab eo, qui habet consuetudinem iurandi, eodem modo iudicãdũ est, ac de illo, quod fit ab eo, qui talem iurandi consuetudinem non habet. Ità tenet Soto lib. 8. de iustitia. quæst. 2. ar. 3. conc. 7. Nolo negare in hac cõclusione, quod habitus, & cõsuetudo iurãdi ex actus

Universidad de Deusto
Biblioteca

frequentatione genitus sit causa, iterū, atque iterum iurandi; cùm certum sit, quemcunque habitum generare similes actus illis, ex quibus genitus est. Nec etiam volo negare, quod illa iurandi facilitas secum afferat periculum deierandi, cum anteuertat vsum rationis, & faciat sæpè sæpius, vt homo iuret, antequam adhibeat veritatis iudicium. Sed quod volo dicere est, quod consuetudo iurandi speciem iuramenti non mutat, nec aggrauat, nisi quatenus comitem alium tollit. Itaque qui decies vanè iurat ex consuetudine, decem etiam præcisè peccata committit, vel mortalia, vel venialia iuxta defectum comitis, qui defuerit iuramento. Hoc est, si fuerint falsa, aut iniqua de re, quæ sine mortali impleri non potest, erunt mortalia; & si fuerint vana ex defectu iudicij & discretionis erunt venialia. Nec aliquod discrimen est, quantum ad hoc, inter iurantem ex consuetudine, & iurantem sine illa. Ex quo sit, vt qui habet consuetudinem iurandi, si ex legitima causa iurat veritatem, nihil peccabit. Si autem iurat sine causa peccabit tantum venialiter. Et ratio est: Nam illa consuetudo, eū sit habitus, nec est peccatum, nec aggrauat peccatum ex illa procedens. Et ad argumentum in contrarium factum respondeo, falsum esse, quod semper is, qui iurat ex consuetudine iurat sine iudicio. Vt est videre in eo, qui ex legitima causa iurat ex consuetudine; atque etiam in eo, qui ex habitu iuratin re perspicua.

3. Conclus. ¶ Tertia conclusio: Qui habet consuetudinem, quacunque in re, & quacunque oblata occasione sine delectu iurandi, est in statu peccati mortalis, nec absolui debet, nisi habeat animum resistendi illi consuetudini, eamque extirpandi. Probatur manifestè; consuetudo, quidquid in buccam venerit iuramento confirmandi sine delectu, est ingens occasio, & magnum periculum, falsum pro vero confirmandi. sed qui quantū potest pro sua virili parte non conatur à se remouere causam, & omnes occasiones peccati, est in statu mortalis culpæ, vt omnes Theologi concedunt: ergo & qui ex consuetudine iurat, nisi habeat animum pro suis viribus talem consuetudinem depellendi, & extirpandi: Hinc est, vt sancti patres aduersus istam teterrimam, & mortiferam iurandi consuetudinem, quam plurima dicant. D. enim Augustinus in quodam sermone de verbis Apostoli, explicans illa verba Iacobi, Ante omnia nolite iurare, in hunc modum dicit. Ante omnia, inquit, vt attendatis præ cæteris, vigiletisque, ne surrepat vos consuetudo iurandi. Et infra: Nolles, vt diceret tibi, ante omnia, vt omnia tua inspiceres: omnes motus linguæ tuæ diligentissime custodires: esseque custos malæ consuetudinis tuæ. Ad eā constringendū audi, ante omnia. Quid est ante omnia? ante omnia vigila: ante omnia intentus esto. &c. Quibus verbis significat vigilantissimam curam, quam homines ad extirpandam malam iurandi consuetudinem adhibere solent. Sed quid est sanctorum dicta referre, cum Spiritus sanctus Ecclesiastic. 23. dicat. Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa? Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo. Et nominibus sanctorum non admiscearis. Quoniam non eris immunis ab eis. Vir multum iurans implebitur iniquitate; & non discedet à domo illius plaga. Et si fruste cauerit delictum illius super ipsum erit. Et si dissimulauerit delinquit dupliciter. Et si in vacuum iurauerit non iustificabitur. Replebitur enim retributione domus illius. &c. Pro hoc etiam facit egregium, illud testimonium Zachariæ capitulo quinto, quod à nobis latè fuit explicatum supra quæstione 66. articu. 6. Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ: quia omnis fur iudicabitur, & omnis iurans similiter iudicabitur. &c. De hac re videndum est concilium Toletanum 8. can. 2. vbi multa dicuntur de incautis iuramentis.

Articvlvs IIII.

¶ Vtrum iurare sit actus religionis siue latriæ.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd iuramentum non sit actus religionis siue latriæ. Actus enim latriæ sunt circa aliqua sacra, & diuina. Sed iuramenta adhibentur circa controuersias humanas, vt Apostolus dicit ad Hebræ. 6. ergo iurare non est actus religionis seu latriæ.

2 ¶ Præterea, Ad religionem pertinet cultum Deo offerre, vt * Tullius dicit. Sed ille qui iurat nihil Deo offert, sed Deum inducit in testem: ergo iurare non est actus religionis seu latriæ. *Lib. 2 de inuentione in fol. 4. ante finem lib.*

3 ¶ Præterea, Finis religionis seu latriæ est reuerentiam Deo exhibere: hoc autem non est finis iuramenti, sed potius aliquod verbum confirmare: ergo iurare non est actus religionis.

¶ Sed

¶ Sed Contra est, quod dicitur Deuteron. 6. Dominum Deum tuum timebis, & ipsi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Loquitur autem ibi de seruitute latriæ: ergo iurare est actus latriæ.

Ar. 1. huius quæst. ¶ Respondeo dicendum, quòd sicut ex dictis* patet, ille qui iurat, inuocat diuinum testimoniū ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur nisi per aliquid quod certius est, & potius. Et ideo in hoc ipso quòd homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, vtpote cuius veritas est indefectibilis, & cognitio vniuersalis. Et sic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet. Vnde & Apostolus dicit, ad Hebræos sexto, quòd homines per maiores se iurant. Et Hieronym.* dicit super Matth. quòd qui iurat, aut veneratur, diligit eum, per quē iurat, Philosophus etiam * dicit in primo Metaphy quòd iuramētum est honorabilissimum. Exhibere autem reuerentiam Deo pertinet ad religionem siue latriam: vnde manifestum est quòd iuramentum est actus religionis siue latriæ.

Matt. 5. super illud: ego autem dico nō iurare omnino. to. 9.

Lib. 1. ca. 3 dum refert opinionem Thaletis, to. 3.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod in iuramento duo considerātur, scilicet testimonium quod inducitur: & hoc est diuinum. Et id super quo inducitur testimonium, vel quod facit necessitatem testimonium inducendi: & hoc est humanum. Pertinet ergo iuramentum ad religionem ratione primi, non autem ratione secundi.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in hoc ipso quòd aliquis assumit Deum in testem per modum iuramenti, profitetur eum maiorem: quod pertinet ad Dei reuerentiam. Et sic aliquid offert Deo, scilicet reuerētiam, & honorem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd omnia quæ facimus debemus in Dei reuerentiam facere. Et ideo nihil prohibet, si in hoc ipso quod intendimus hominem certificare, Deo reuerentiam exhibeamus. Sic enim debemus aliquid in Dei reuerentiam facere: vt ex hoc vtilitas proximis proueniat: quia etiam Deus operatur ad suam gloriam, & nostram vtilitatem.

Svmma Textvs.

CONclusio huius articuli est affirmatiua. Quam probat D. Thom. in argumento sed contra ex illo Deutero. 6. Dominum Deum tuum timebis, & ipsi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Vbi tria verba ponuntur, in quibus diuinus cultus ad latriam pertinens, consistit. Quorum vnum est, ac per nomen illius iurabis. Et in corpore articuli hac ratione. Qui iurat diuinum testimonium ad sua dicta confirmanda inuocat: sed nihil confirmatur, nisi per id, quod certius, & potius est: ergo eo ipso, quod quis iurat per Deum, profitetur ipsum esse potiorem, vtpotè, cuius veritas est indefectibilis, & cognitio vniuersalis. Atq; ex cōsequenti iuratio per Deū est quędā fidei professio, & actus religionis, quo Deum reuerem ur. Propter quod dicebat D. Paulus ad Hebræos 6. Homines per maiorem se iurant. Et D. Hieronymus supra cap. 5. Matth. Qui iurat aut veneratur, aut diligit Deū, per quem iurat. Et Aristot. lib. 1. Metaph. Iuramentum est honorabilissimum.

Explicatio Articvli.

CONclusio huius articuli est certa & extra controuersiam posita. Quemadmodum enim contemplatio, quæ consistit in mente, & oratio vocalis, & sacrificium, quod fit opere, sunt cultus religionis: sic etiam & iuratio: Et sicut per precationes inuocatur Deus, vt auxiliator: sic etiā per iusiurandum inuocatur, vt testis. Atq; adeò vtrobiq; est eadē religio & eiusdē fidei professio. Nempe, quod omnia scit, & omnia potest. Sed distinguendū est de iuramēto, quod legitima iuratio est cultus religionis, vana vero est religionis contaminatio. Et vtrumq; præceptū, scilicet: Ne iures vana per eū, &, in necessitate est iurandum pertinet ad idem Decalogi: secundumque reducitur ad primum. Si quis autem quærat, cur non fuerit vtrumque expressum, sed tantum illud negatiuum, Ne iures vana per eum? Respondeo, quod quia iusiurandum per se nō est virtus, sicut cultus Dei, & festorum sanctificatio: sed solum ob necessitatem concessum, natura ipsa rerum exigebat, vt præcepta cultus, & sanctificationis festorum qualia sunt duo priora essent affirmatiua, tanquam de rebus, quæ per se sunt optandæ: Aliud verò negatiuum, scilicet, ne vana essent nostra iuramenta. Præterquā quod

Quæstio.

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc negatio est simpliciter necessaria: affirmatio verò non ité, nisi in casu necesitatis. Imo si omnes homines essent innocentes, nihil aliud oporteret, quam dicere, est, est, nõ non, vt Christus admonuit. Itaque in illo precepto: Ne iures vana per eum, includitur etiam, quod vbi fuerit necessarium solidè & legitimè per Deum iuremus. Nec opus fuit hoc exprimere, sed iuri naturæ relinquere: qui sunt dicendi casus necesitatis. Et ideo omni iure tam naturali, quam ciuili & diuino fuit semper iusiurandum tanquam cultus religionis habitum, quem antiqui nũquam, nisi illis, quos pro Dijs colebant, tribuerunt. Imò Hieremiæ cap. 5. conqueritur Deus de filijs Israel, quod eum dereliquerint, iurauerintque in ijs, qui non erant Dij. Sed contra hoc est argumentum: Finis religionis est, reuerentiam Deo exhibere: finis autem iuramenti non est hoc: sed confirmare dicta humana, quæ per se infirma erant: ergo iuramentum non est actus religionis. Ad hoc argumentum vt respondeat Caietanus aduertit, quod in iuramento possimus duo considerare. Vnum, quod pertinet ad essentiam iuramenti, & est inuocatio diuini testimonij, quod inuocare formaliter est reuereri ipsum Deum, vt superiorem, & omnia scientem. Et hic honos, & cultus, inquit Caietanus, non ordinatur ad aliquid humanum: sed exhibetur Deo propter seipsum, & non alterius rei gratia. Et secundum hoc iuramentum dicitur actus religionis. Alterum, quod possumus considerare in iuramento, est manifestatio atque confirmatio veritatis. Quæ manifestatio non est iuramentum ipsum: sed potius est effectus, & quid consequens iuramentum. Et ista manifestatio habet pro fine res humanas. Et sic nihil obstat argumentum. Hæc tamen solutio Caietani mihi non placet. Nam manifestatio, & confirmatio veritatis, est quidem effectus iuramenti: sed est effectus præuisus, & intentus, & cuius efficiendi gratia iuramentum ipsum assumitur. Si ergo vtimur iuramento ad consequendum hunc effectum, scilicet, manifestandam veritatem: & iste effectus, qui est manifestatio veritatis, ordinatur ad res humanas de primo ad vltimum, ipsum etiam iuramẽtum ordinabitur ad res humanas. Quod est contra sententiam Caietani. Quocirca aliter respondetur, & melius, quod iuramentũ potest comparari, & ad animum iurantis, & ad habitum religionis existentẽ in voluntate eius, qui iurat: à quo habitu proficiscitur illud iuramentum. Et quidem iuramentum per ordinem ad animum iurãtis habet pro fine præcipuo, confirmare veritatem, & efficere auditorem certum earum rerum, quas audit. At vero iuramentum, id est, ipsa inuocatio diuini testimonij per ordinem ad habitum religionis, à quo oritur, quamuis fiat pro veritate confirmanda, præcipue tamen fit propter Deum colendum. Et ratio est: Nam religio, quoniam inclinat animum hominis ad cultum Deo exhibendum, quacunque in materia posítum: & adducere Deum in testem, quando est necesse, est ipsum Deum honorare, atque cultu afficere: idcirco religio ipsa, & habitus ille inclinat, non vt dicta nostra confirmare velimus: nam id ad aliam pertinet virtutem, sed supposito, quod confirmare nostra dicta volumus, inclinat nos, vt illa diuino testimonio inuocato confirmemus. In quo ipse habitus religionis intendit duo. Primum, quod est minus principale, est confirmare veritatem diuino testimonio. Secundum, atque præcipuum, est exhibere Deo hunc cultum, atque honorem, quo Deus afficiatur ex veritatis confirmatione. Et per hoc facile respondetur ad argumentum propositum.

Argumentum.

Solutio Caietani.

Vera solutio argumenti.

Articvlvs V.

¶ Vtrum iuramentum sit appetendum & frequentandum tanquam vtile & bonum.

Ad Qvintvm sic proceditur. Videtur, quòd iuramentum sit appetendum & frequentãdum tanquam vtile & bonum. Sicut enim votum est actus latriæ, ita & iuramentum: sed facere aliquid ex voto est laudabilius, & magis meritorium: quia votum est actus latriæ, vt supra dictum * est: ergo pari ratione facere vel dicere aliquid cum iuramento, est laudabilius: & sic iuramẽtum est appetendum tanquam per se bonum.

Sup. q.89. ar.3.co. Et 1.2.q.107 ar.2.co. et ad 2. Et 3. dist.39.ar. 2.qu.1. Et Psal.14.si- Et Rom.1. lec.5. Q.88.art. 5.& 6.

2 ¶ Præterea, Hieronymus dicit * super Matth. quòd qui iurat, aut veneratur aut diligit eum per quem iurat. Sed venerari, aut diligere Deum est appetendum tanquam per se bonum: ergo & iuramentum.

Matt. 5. super illud, ego autem dico vobis, non iurare te.9.

3 ¶ Præterea, Iuramentum ordinatur ad confirmationem seu certificationem: sed quòd homo confirmet suum dictum, bonum est: ergo iuramentum est appetendum tanquam bonum.

¶ Sed Contra est, quod dicitur Eccles. 23. Vir multum iurans, replebitur iniquitate. Et Augustinus * dicit in libro

In libr. de mendacio. ca.1. circa med.to.4.

libro de mendacio: quòd præceptum Domini de prohibitione iuramenti ad hoc positum est, vt quantum in re est, non affectes, vt quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum.

¶ Respondeo dicendum, quòd id quod non quæritur nisi ad subueniendum alicui defectui, non numeratur inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt necessaria: sicut pater de medicina quæ quæritur ad subueniendum infirmitati. Iuramentum autem quæritur ad subueniendum alicui defectui, quo scilicet vnus homo alteri diserdit. Et ideo iuramentum nõ est habendum inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt huic vitæ necessaria: quibus indebitè vtitur quicunque eis vtitur vltra terminos necesitatis. Vnde Augustinus * dicit in libro de sermone Domini in monte: Qui intelligit non in bonis, id est, per se appetendis: sed in necessarijs iurationem habendam, refrener se quantum potest, vt non ea vtatur nisi necessitas cogat.

11.1.c.30. à me.to.4.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd alia ratio est de voto, & iuramento. Nam per votum aliquid in Dei reuerentiam ordinamus: vnde ex hoc ipso fit religionis actus. Sed in iuramento econuerso reuerentia diuini nominis assumitur ad promissi cõfirmationem. Et ideo illud quod iuramento confirmatur, non propter hoc fit religionis actus: quia secundum finem morales actus species sortiuntur.

¶ Ad secundum dicendum, quod ille qui iurat, vtitur quidem veneratione aut dilectione eius per quem iurat: non autem ordinat iuramentum ad venerãdum aut diligendum eum per quẽ iurat, sed aliquid aliud, quod est necessarium præsenti vitæ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut medicina est vtilis ad sanandum, & tamen quanto magis est virtuosior, tanto maius nocumentum inducit, si non debitè sumatur: ita etiam iuramentum vtile quidem est ad confirmationem: tamen quanto est magis venerandum, tanto est magis periculosum, nisi debitè inducatur: quia vt dicitur Ecclesiast. 23. Si frustrauerit, id est, deceperit fratrem, delictum ipsius supra ipsum erit. Et si dissimulauerit, quasi per simulationem iurando falsum, delinquit dupliciter, quia scilicet simulata æquitas est duplex iniquitas. Et si in vanum iurauerit, id est, sine debita causa, & necessitate, non iustificabitur.

Svmma Textvs.

Conclusio est negatiua. Quam probat in argumento, sed contra, ex illo Ecclesiastici 23. Vir multum iurans, replebitur iniquitate. Et ex D. Aug. in li. de mendacio. ca. 15. dicente. Præceptum Domini de prohibitione iuramenti, ad hoc positum est, vt quantum in re est nõ affectes vt quasi pro bono, cum aliqua delectatione, appetas iuramentum. Et in corpore articuli hac ratione: Id, quod non per se, sed ad subueniendum alicui necesitati quæritur, non enumeratur inter illa, quæ sunt per se bona, & per se appetenda: vt est videre in medicina, quæ tantum salutis consequendæ gratia appetitur: sed iuramentum, vt supra diximus, non quæritur propter se, vt charitas, sed quatenus necessitas asserendæ veritatis cogit: ergo ipsum per se non est bonum, nec appetendum. Imò qui eo extra terminos necesitatis vtitur, est violator religionis, vt D. Augustin. docet in lib. de sermone Domini in monte cap. 30.

Explicatio Articvli.

Pro intelligentia huius articuli notare oportet, quòd ex virtutibus quędam sunt simpliciter bonæ, & honestæ & simpliciter appetẽdæ, vt fides, spes, charitas, iustitia, &c. quæ sunt quasi ipsa salus & incolumitas animæ. Aliæ autem sunt, quæ tantum sunt appetendæ, vt media ad finem. Itaque quemadmodum medicamenta non ipsa per se sunt bona, nec appetenda: sed quatenus conducunt ad morbos depellendos: ità etiam sunt aliquæ virtutes, quæ ipsæ per se non sunt expetendæ, sed appẽtũtur quatenus media vtilia. Cuiusmodi generis est virtus pœnitentiæ, quæ necessaria est supposito peccato, & eatenus est virtus, quatenus cõducit ad illud remittendum, & sic in statu innocẽtiæ opus non esset virtute pœnitentiæ. Et ad hanc ra-

tionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem pertinet iuramentum, quod supposita humani generis pronitate ad fallendum, approbatur, tanquam res vtilis ad nostram fidem in rebus dubijs & grauibus confirmandam. Et idcirco non est per se appetendum nec frequentandum, nisi quatenus fuerit opportunum, & necessarium ad dictorum nostrorum confirmationem. Et si quis contra hoc argumentetur: Quod quisque suam veritatem confirmet, est per se bonum, & appetendum: sed hoc fit per iuramentum: ergo est per se appetendum: respondeo, quod quamuis facere certam & firmam veritatem, sit per se bonum, illud tamen facere per iuramentum absque necessitate bonum non est. Cuius rei appositissimum dari potest exemplum in medicina. Procurare namque salutem bonum per se est. Tamen illud per efficacissimum, & violentum pharmacum intentare, nisi vbi grauissima fuerit necessitas, periculosum est. Est quidem iuramẽtum sanctissimum, & validissimum medium ad veritates probandas. Atque ideò quantò venerabilius tantò periculosius, nisi vrgente necessitate exhibebitur. Quod & significare voluisse videtur Sapiens Eccle.ca.23. Vbi de viro multum iurante loquens in hunc modum dicit: Si fruſtrauerit frattem delictum illius super ipsum erit. Et si dissimulauerit delinquet dupliciter. Et si in vacuum iurauerit non iustificabitur. Replebitur enim retributione pessima domus illius. Cuius loci variæ dantur expositiones. Sed præstantior est illa, quam sequitur Lyranus super istum locum. Et est, quod tres comites iuramenti illic vitiati designantur. Qui fratrem fruſtratur est ille, qui falsum iurans fratrem suo fine priuat, expoliando, nempe illum, vel pecunia sua, vel honore, vel fama. Et de hoc subdit, quod delictũ illius super ipsum erit, hoc est, manebit culpa infectus, & obligatione restituendi onustus. Qui dissimulauerit, est ille, qui bonum fratris fingens, aut veritatem quam reuelare iuramento tenetur, celat, aut illam, quam occultare deberet iuramento prodit. Et de hoc dicit, quod delinquit dupliciter. Non quia duplo plus, quam prior, delinquat: peius est enim falsum imponere, quam verum celare, aut occultum detegere. Sed quia illa simulata æquitas est duplex iniquitas. Est enim iniustitia, etiam si verum prodat: atque etiam palliata iniquitas, quod est nouum crimen. Qui in vacuum iurauerit est ille, qui sine necessitate, & iudicio: quamuis verum, & iustum iurat. Et hic non iustificabitur: quia saltem venialiter delinquet. Itaque ex defectu cuiuscunque comitis in iuramento culpa incurritur atque pœna, maior vel minor iuxta grauitatem culpæ, quæ ex tali defectu resultat. Defectus veritatis est maior: deinde defectus iustitiæ, & tandem minimus defectus iudicij.

Argumentum.

Responsio.

Articvlvs VI.

¶ *Vtrùm liceat per creaturas iurare.*

AD Sextvm sic proceditur. Videtur quòd non liceat per creaturas iurare. Dicitur enim Matt. 5. Ego dico vobis non iurare omnino: neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum: Quod exponens * Hieronym. dicit. Considera quòd hic Saluator nõ per Deum iurare prohibuit, sed per cœlum & terram, &c.

3. dist. 39. ar. 1. & in expo. li. Et Hebr. 6. lect. 4. co. 2

Super illud Mat. 5 Ego dico vobis nõ iurare to. 6.

2 ¶ Præterea, Pœna non debetur nisi culpæ. Sed iuranti per creaturas adhibetur pœna. Dicitur enim * 22. q. prima: clericum per creaturam iurantem acerrimè obiurgandum, si perstiterit in vitio, excommunicandum placuit: ergo illicitum est per creaturas iurare.

22. q. 1. ca. Clericum.

3 ¶ Præterea, Iuramentum est actus latriæ, sicut dictum * est. Sed cultus latriæ non debetur alicui creaturæ, vt patet Rom. 1. ergo non licet iurare per aliquam creaturam.

Ar. 4. huius quæst.

¶ Sed Contra est, quod Ioseph iurauit per salutem Pharaonis, vt legitur Genes. 42. Ex consuetudine etiam iuratur per Euangelia, & per reliquias, & per sanctos.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut suprà * dictum est, duplex est iuramentum. Vnum quidem, quod fit per simplicem contestationem, inquãtum, scilicet, testimonium Dei inuocatur. Et hoc iuramentum innititur diuinæ veritati, sicut & fides. Fides autem est per se quidem, & principaliter de Deo, qui est ipsa veritas, secundariò autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet, vt suprà habitum est. Et similiter iuramentum principaliter refertur ad ipsum Deum cuius testimonium inuocatur: secundariò autem assumuntur ad iuramentum aliquæ creaturæ, non secundum se, sed inquantum in eis

Ar. 3. ad 3 argu.

eis diuina veritas manifestatur. Sicut iuramus per Euangelium, id est, per Deum, cuius veritas in Euangelio manifestatur: & per sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obseruauerunt. Alius autem modus iurandi est per execrationem. Et in hoc iuramento inducitur creatura aliqua, vt in qua diuinũ iudicium exerceatur. Et sic solet homo iurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliã rem quam diligit. Sicut & Apostolus iurauit 2. ad Corinth. 1. dicens. Ego testem Deum inuoco in animam meam. Quod autem Ioseph per salutem Pharaonis iurauit, vtroque modo intelligi potest: vel per modum execrationis, quasi salutem Pharaonis obligauerit Deo: vel per modum contestationis, quasi contestando veritatem diuinæ iustitiæ, ad cuius executionem Principes terræ constituuntur.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd Dominus prohibuit iurare per creaturas: ita quòd eis adhibeatur reuerentia diuina. Vnde Hieronymus * ibidem subdit, quod Iudæi per angelos, &c. huiusmodi iurantes, creaturas venerabantur Dei honore. Et eadem ratione punitur, secundum canones, clericus per creaturam iurans: quod ad blasphemiam infidelitatis pertinet. Vnde in sequenti * capit. dicitur: Si quis per capillum Dei vel per caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit: si in ecclesiastico ordine est, deponatur.

Loco citato in argu.

22. q. 1. ca. Si quis per capillum.

¶ Et per hoc patet responsio ad secundum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cultus latriæ adhibetur ei cuius testimonium iurando inuocatur. Et ideo præcipitur Exodi 23. Per nomen externorum deorum nõ iurabitis. Non autem exhibetur cultus latriæ creaturis quæ in iuramento assumuntur, secundum modos prædictos.

Svmma Textvs.

SVpposito ex præcedentibus, quod iuramentum est duplex: vnum quod fit per simplicem contestationem, & est illud, in quo diuinum inuocatur testimonium: aliud per execrationem: & est illud, in quo creatura aliqua inducitur, vt in qua diuinum iudicium exerceatur: respondet D. Tho. ad propositum difficultate per duas propositiones. Prima conclusio: Licitum est, atque honestum iurare per creaturas in Deum relatas: hoc est, quatenus in eis diuina veritas resplẽdet. Siue hoc fiat per modum simplicis attestationis. Vt contingit quando quis iurat per Euangelia, vel per sanctos. Siue per modum execrationis, oppignorando creaturam Deo, eamque eius iudicio subdendo, si aliter se habeat res, quam iuratur. Vt contingit quando quis iurat per vitam propriam, aut filiorum. Cuius iuramenti sensus est, quod nobis Deus vitam adimat, nisi quod iuramus verum est. Et quidem quòd sit licitum iurare per creaturas quatenus referuntur ad Deum per modum attestationis est res manifesta. Nam hoc nihil aliud est, quam iurare per Deum, quod in superioribus diximus esse licitum in casibus necessitatis. Quod autem similiter liceat iurare per easdem creaturas per modum execrationis, probat D. Thom. ex Genes. cap. 42. Vbi Ioseph iurauit per vitam Pharaonis. Et ex Paulo 2. ad Cor. 1. Qui dixit: Ego testem Deum inuoco in animam meam, hoc est, in vitam meam. Secunda conclusio: Iurare per creaturas, exhibendo illis eam reuerentiam, & latriam, quæ soli Deo debetur, non est licitum: sed blasphemum, & idololatriæ impietas. Probatur: nam hoc est gloriam Dei in creaturas transcribere.

Explicatio Articvli.

PRo intelligentia primæ conclusionis D. Thom. minimisse oportebit eorum, quæ diximus articulo primo huius quæstionis. Vbi satis ostendimus qualiter per creaturam, tam per modum contestationis, quam per modum execrationis iurati possit, quatenus, scilicet, refertur ad Deum. Et sic mediate & virtualiter est iurare per Deum. Sed est difficultas, vtrùm iurare per membra Dei, sit illicitum? Sylnester, & Angelus in hac re vehementer discordant, vt est videre apud Syluestrum verbo iuramẽtum 2. §. 10. Sed, vt quid verum sit paucis explicemus, dico primo: Iurare per membra Dei, siue honesta illa sint, siue inhonesta, quasi Deus his membris sit præditus, est graue peccatum: pertinetque ad blasphemiam. Probatur ex cap. si quis per capillum. 22. q. 1. Vbi talia verba ponuntur: Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus

Dubium.

1. Dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est deponatur, si laicus anathematizetur, &c. Et ratio est: Nam in huiusmodi iuramentis tribuimus Deo quæ in ipso non sunt, & quæ illum vehementer dedecent. Quod sine manifesta blasphemia fieri non potest. Est enim blasphemia, vt ex D. Thom. hac 2.2.qu.13. artic.1. colligere licet, falsa loquutio aduersus Deum prolata ab eo, qui non ita iudicat, sed Deo male vult. Vel, vt dicit Hugo de sancto Victore in lib. de fructu carnis & spiritus ca. 6. blasphemia est cum quadam probrosa religiositate conuitiorum iaculata in alterum maledictio. Aut est diuini, vel humani nominis diminutio, iurando, vel exprobrando facta. Dico secundo, quod iurare per membra Christi, & sanctorum inhoneſta, est graue peccatum blasphemiæ. Nam licet Christus, atque sancti ea membra habeant, non tamen est igniominiosum illis ea habere. Et qui ea nominant obijciunt sibi illa tãquam turpia, & ignominiosa. Ex quo fit, vt médaciter obijciant, atque ex consequenti sunt blasphemi. Et idem dicendum est de quibuscunque alijs loquutionibus, quæ vel conuitium, vel vituperium, vel iniuriam, vel irrisionem, vel derogationem seu diminutionem honoris, vel excellẽtiæ diuinæ, vel alicuius ad Deum quomodolibet pertinentis continent in se, vel in modo dicendi. Quæ omnia sunt aperta blasphemiæ, vt optime explicat Caietanus loco citato, & in summa verbo, blasphemia: & Antonius à Corduba lib. 1. quæstionarij q. 17. §. 15. Dico tertio, quod iurare per membra honesta Christi & sanctorum, vt per caput, per manus, per oculos, regulariter loquendo est peccatum interdum mortale, & fere semper veniale. Ita tenet Angelus verbo, iuramentum. Et ratio est: Nam hæc Christi, & sanctorum membrorum distributio, & appellatio, regulariter loquendo, præ se fert quandam speciem contemptus, atque irreuerentiæ, quæ quanta sit illa irreuerentia, vt mortale, vel veniale peccatum constituat, ex animo illius, qui iurat, pensanda erit. Dixi, regulariter loquendo: Nam si adsit debita animi reuerentia, & alij comites iuramenti, interdum tale iuramentum nullum erit peccatum: sed poterit licite fieri, vt recte docet Syluester loco citato. Vt si, verbi gratia, præsente sacramento Eucharistiæ, aut aliquibus reliquijs sanctorum, iuraret quis per corpus Christi, vel per illa sancta ossa. Tunc enim sic iurans, nec Christum, nec sanctos afficeret iniuria, nec aliquam illis irrogaret irreuerentia; atque ex consequenti nec peccatum cõmitteret. Et est aduertendum, quod vt bene notat D. Thom. loco superius citato, in solutione ad 3. siue in Deum, siue in sanctos blasphemia iactetur, quouis modo, semper habet vnã, & eandem rationem, scilicet, diuinæ bonitati derogare. Nam quemadmodũ creaturæ pertinent ad fidem quatenus pertinent ad Deum, ita etiam blasphemia, quæ opponitur confessioni fidei est de illis, quatenus in Deum referũtur. Et sic omnis blasphemia pertinet ad vnam, & eandem speciem. Cum hoc tamen stat, quod sit necessarium blasphemiæ, circunstantias explicare in confessione, vt peccati grauitas intelligatur. Grauius enim est blasphemare in Deum, quam in beatam virginem: & in sacram virginem, quam in alios diuos. Et rursus grauius est blasphemare ex peruersa voluntate & intestino odio contra Deum, quam vel ex passione, vel animi perturbatione.

2. dictum.

3. dictum.

Blasphemia iactata in Deum et sanctos est eiusdẽ speciei.

¶ Secunda conclusio D. Thom. similiter est certa, & extra controuersiã posita. Quamnis possint circa illam multæ & graues difficultates moueri. Quarum prima est: Quod nam sit grauius peccatum, iurare falsum per verum Deum, an iurare verum per Deum falsum? Et quidem, quod grauius sit iurare falsum per verum Deum, probari potest ex D. Augustino. Qui in libello de periurio, ad Publiolam, & refertur. 22.q.1.ca. monet. inquit: Sine vlla dubitatione, minus malum est per Deum falsum iurare veraciter: quam per verum Deum iurare fallaciter. Quintò enim est sanctius, per quod iuratur, tanto periurium est magis pœnale. ¶ Hoc tamen non obstante dico, proculdubio esse tenendum, quod iurare per falsos Deos veraciter, est grauius peccatum, quam iurare per verum Deum fallaciter. Et probatur: Iurare per falsos Deos, quamuis verum, est blasphemia, & idololatria, quæ multo grauiora peccata sunt, quam periurium: ergo longè deterius est iurare verum per falsos deos, quam falsum per verum Deum. Consequentia est nota, & antecedens probatur ex D. Chrysostomo. homil. 16. operis imperfecti dicente, Idololatram se facere omnem, qui per falsum Deum iurat. Et ratione sic argumentor: Qui huiusmodi iuramenta facit tribuit creaturæ honorem, qui soli Deo debetur, profitetur enim illam, nec fallere nec falli posse: ergo est blasphemus, & idololatra. Quod autem blasphemia, & idololatria sint grauius peccatum, quam periurium ex eo conuincitur, quod illa opponuntur confessioni fidei, quę est totius Christianitatis fundamentum, & ex consequenti sunt contra primum præceptum Decalogi: cum tamen periorium solum sit contra secundum. Item: Qui iurat falsum per verum Deum, solum detrahit veritati

1. dubium circa 2. cõclusionem D. Thomæ

Argumentum.

Conclusio.

ritati dictorum diuinorum, qui autem iurat per falsos deos ipsi diuinæ essentiæ iniuriam infert: quia illam, quantum est in se, communicat creaturis, quas pro Deo colit: sed hoc facere est multò peius, & grauius: ergo. Et confirmatur ex D. Augustino. Qui in li. contra mẽdacium dicit, blasphemare ideo peius est, quam peierare, quia peierando falsi rei adhibetur testis Deus, blasphemando verò de ipso Deo falsa dicuntur. ¶ Et ad testimonium ex libello de periurio, respõdeo, D. Augustinum in illo loco, solum comparare iuramentũ de re vera factum per falsos deos, & de re falsa factum per verum Deum, quantum ad rationem mendacij. Et secundum istam considerationem dicit, esse grauius iuramentum falsum per verum Deum, quam verum per falsos deos. Quod verum est. Nam primum est mendacium, atque periurium: & secundum est verum. Cum quo stat, vt in ratione blasphemiæ, atque simpliciter hoc peccatum sit deterius illo.

Ad argumentum.

2. dubium circa eandẽ conclusion.

¶ Secundum dubium circa eandem conclusionem est, vtrùm sit licitũ homini Christiano petere, & recipere iuramentum ab homine idololatra, quem scit per falsos deos iuraturum? Et pro parte negatiua argumentor primo: Qui tribuit alteri occasionem peccandi, peccat: sed qui exigit ab homine infideli huiusmodi iuramentum tribuit illi occasionem peccandi, iurare enim per falsos deos est exercere actum idololatriæ, qui sine peccato fieri non potest: ergo peccat. ¶ Secundo: Ex sententia D. Tho. infra q. 98. ar. 4. non est licitum priuatæ personæ exigere iuramentum ab eo, quem certo scit peieraturum: ergo multo minus est licitum, exigere iuramentum ab homine infideli, quem certò scit per falsos deos iuraturum. Probo consequentiam: Nam leuius est peierare, quam falsos deos inuocare. ¶ Tertio: Si mihi sit exploratum, atque compertum, quod si exigam à Petro decem nummos aureos, quos mihi debet, dabo illi causam, vt Paulum amicum meum grani iniuria afficiat, tunc in illo casu ex lege amicitiæ teneor, vel negligere illos nummos, vel illius debiti exactionem in aliud tempus differre: ergo à simili, cum mihi exigenti iuramentum ab idolatra propter meum commodum, constet certò, quòd ille infidelis ob hanc causam afficiet Deum iniuria, teneor totum meum cõmodum negligere, nec ab illo iuramentum accipere. ¶ Quarto: Non licet fideli vendere idolum homini idololatræ, quia certum est illum male eo idolo vsurum: ergo nec exigere iuramentum ab homine infideli, propter eandem rationem, scilicet, quia certò scit illum actum idololatriæ exerciturum.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

4. argumẽ.

¶ Pro explicatione huius difficultatis supponendum est primò: nullum posse peccare ex eo, quod alteri dat occasionem peccandi, nisi peccatum illius sit ei voluntarium, vel formaliter, & explicitè, quia, scilicet in eo, quod alter peccat, & agit praue, consentit ipse formaliter, vel virtualiter, & interpretatiuè, quia, scilicet, exhibet occasionem aliquam, & causam, vel materiam peccandi. Et ratio huius sumitur ex illo communi axiomate Theologorum: Peccatum in tantum est peccatum, inquantum voluntarium. ¶ Secundo est aduertendum, quod exhibere alteri occasionem, & materiam peccandi, contingit dupliciter. Vno modo exercendo aliquid positiuè, quo alter vtatur ad peccandum. Vt cum volenti alterũ occidere ensem præbeo. Altero modo negatiuè, nempe non subtrahendo alteri occasionem peccandi, cũ id facere possim. Et siue positiue, siue negatiue exhibeam alteri occasionem peccandi, tamen solum in eo casu dicendus sum consensisse alterius peccato, quo sciens & volens facio, teneorq; secus facere, vt docet D. Tho. 1.2. multis in locis. Nam si ego prudens, & volens facio, aut omitto aliquid, ex quo alter peccat, quod tamen licite poteram, vel facere, vel omittere, tunc in tali casu secundum hominum prudentum iudicium, tantum dicor velle quod feci, vel id, quod omisi: peccatum autem quod inde sequitur est voce & iudicio prudentum velle non dicor. ¶ Tertio est aduertendum, quod dupliciter potest accidere, vt ego teneat non efficere aliquid, quod alteri sit causa, vel materia peccandi. Nempe, vel, quia ipsa res ex se est illicita, vel ob id solum, quia est causa peccati alterius. Nam facta mea, aut omissiones, quæ alteri sunt occasio peccandi, interdum ipsæ per se sunt malæ. Et huiusmodi facta, vel omissiones teneor vitare duplici nomine: & quia malæ sunt ex se: & propter alterius peccatum: quod inde sequitur. Nam, quia ex facto meo, quod vitare tenebar, peccatum illud nascitur, iure cẽsetur mihi voluntarium? Et ita in his rebus dupliciter pecco, scilicet, contra charitatem in eo, quod in alterius ruinam consentio, & contra eam virtutem cui repugnat res, quam exerceo. Verbi gratia, cùm meis verbis impudicis sum alteri causa religionem contemnendi, peccо contra charitatem fraternam, in eo quod alteri sum causa ruinæ, & contra temperãtiam in eo, quod impudice sum loquutus. Interdum autem accidit, vt facta, & omissiones meæ, quæ alteri sunt occasio peccati sint per se licitæ, & honestæ, & inficiuntur ex eo solum, quod alteri

Nota 1.

Nota 2.

Nota 3.

sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt causa peccandi. Quod non accidit semper: sed solum in ijs casibus, quibus quis in particulari tenetur alterius peccatum vitare. Tunc enim ex consequenti etiam tenetur vitare quidquid est causa illius peccati, quamuis alioqui sit licitum & bonum. ¶ Quarto

Nota 4. est aduertendum, quod quia Deus vnicuique mandauit de proximo suo, quisque tenetur aliorum hominū peccata vitare, quantum in se est. Cæterum ad id tenetur non ex lege iustitiæ (loquor de priuatis hominibus) sed ex lege charitatis. Lex autem charitatis non obligat me ad id efficiendum, cum dispendio, aut detrimento vel iactura mearum rerum, sed cum commodo. Tum, quia hoc est charitatis ingenium, atque conditio, vt sit mollior, quam iustitia, cui rigor, & austeritas conuenit. Tum etiam, quia peccati malum: quamuis sit maximum malum, est tamen voluntarium: & cui sufficienter potest occurrere ipse ille, qui peccat.

1. Conclu. ¶ His constitutis, sit prima conclusio: Exigere ab aliquo, vt iuret per falsos deos, ita, vt intentio feratur præcipue, & directe, non tam in iuramentum præcise, quam in iuramentum per falsos deos, est peccatum mortale. Probatur manifeste: Nam huius voluntatis obiectum est per se malum.

2. Conclu. ¶ Secunda conclusio: Ab homine infideli, qui quoties iurat paratus est iurare per falsos deos, quos colit, exigere iuramentum, cum id necesse est, & opportunum, ad illa fir manda, quæ cum huiusmodi homine infideli panguntur, nullum est peccatum. Ita tenet D. Augustinus in libello de periurio ad Publiolam. Et probatur exemplo Iacob. Qui, vt legitur Genes. 29. petijt à Laban socero suo homine idololatra, vt fœdus, quod cum illo pepigerat iuramēto firmaret. Quod ipse fecit falsos deos quos colebat, inuocando. Et ratione sic argumentor: Qui exigit iuramentum ab homine infideli non consentit in illius peccato, nec formaliter, nec virtualiter: ergo non peccat. Consequentia est nota, & antecedens quo ad primam partem similiter est manifestum. Quod autem ille, talis, nec etiam virtualiter consentiat peccato. Probatur: Si consentiret virtualiter ex eo esset, quod dum exigit ab illo iuramentum, dat ei causam peccandi: sed hac ratione non consentit: ergo nulla. Probo minorem: Illam occasionem, quam dedit licet poterat, non tamen tenebatur vitare: ergo peccatum, inde subsequutum non est illi voluntarium. Atque ex consequenti nec formaliter, nec virtualiter consentit in illo. Sed quod ille non teneatur vitare talem occasionem probatur hac ratione: Illa petitio iuramenti secundum se non est mala, nec illicita: nam manifestum est esse licitū, pacta atq; cōuenta iuramēto firmare, & eius rei petendę habēt ius, qui contrahunt: nec etiā est mala ex eo, quod est causa alteri⁹ peccati; quia peccatū alterius in hoc casu particulari inde subsequutū, ille vitare nō tenetur: ergo. Et cōfirmatur: Quod ego in illo casu ab homine infideli peto, nēpe, vt iuret, res est, quæ licitè & honestè fieri potest, quod autem ille male hoc faciat, id ortum habet à falsa illius religione: ergo id peccatum sibi soli, & non mihi est imputādum. Vltimo probatur conclusio à simili: Qui ab homine parato ad vsuras petit mutuum, dat illi occasionem vsuram exercendi: & tamen nihil peccat: quia quod ipse petit iustum, & licitum est, quod autē alter male tribuat, scilicet, cum vsura id ortum habet ex sua malitia, & non ex alterius petitione: ergo pari ratione in petitione iuramēti ab infideli, quod ego peto licitum est. Quod verò ille in iurando per falsos deos peccet id ex sua malitia prouenit.

3. Conclu. ¶ Tertia conclusio: Si ex eo, quod infidelis iuret per falsos deos nullum aut exiguū mihi commodum resultat, peccatum graue est illum inducere ad iurandum. Hæc conclusio tenet ex ijs, quæ diximus in quarto notabili. Nam si peccatū alterius vitare teneor, quando id possum sine meo incōmodo: & in casu posito iuramentum infidelis nullum, aut exiguum mihi affert emolumentum, manifestè sequitur, quod teneor illud non exigere. Ex hoc infertur, quod qui nulla necessitate coactus petit mutuum ab eo, qui est paratus ad vsuras, certò sciens illud non daturū, nisi fœnore accepto peccat mortaliter: quia affert alteri occasionem peccandi, quam potest vitare, & afferre non tenetur: siquidem id facere potest sine suo detrimento.

Ad 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum in contrarium factum, respondetur, concessa maiori, distinguendo minorem. Nam quādo dicitur, quod qui ab homine infideli exigit iuramentū, tribuit illi occasionē peccandi, vel intelligitur formaliter. Et sic nego: Nō enim qui petit huiusmodi iuramentū id intēdit, aut agit, vt infidelis iuret per falsos deos. Sed tantum intendit, vt pacta iuramento confirmet. Vel intelligitur materialiter. Et sic cōcedo. Nego tamen, quod dare huiusmodi occasionē materialem peccandi, semper sit malū. Sed tunc tantum, cum aut ipsum factum, in quo consistit occasio, est malū per se, aut cum id facio, sine vllo meo cōmodo, vt iam diximus. ¶ Ad *Ad 2. arg.* secundum respondetur, concesso antecedēti negando cōsequentiam. Et ratio discriminis est, quam D. Augu. & D. Tho. afferunt locis citatis.

citatis. Nā quia in falso iuramento nihil boni est, quo vti possimus, hoc est ex eo, quod quis falsum iuret, nulla potest ad nos peruenire vtilitas: nec aliqua ratione ex hoc res nostra iuuatur. At verò in iuramento facto per falsos Deos est aliquid boni, quo vtamur, cū ex huiusmodi iuramento efficiātur firma pacta, & conuenta, quæ cū infideli pepigimus qua firmitate carere nobis esset incōmodum, fit, vt non teneamur cum nostro incommodo alterius peccatum vitare in iuraméto per falsos deos: bene tamen in periurio. ¶ Ad *Ad 3. arg.* tertiū argumentum, dico non satis esse compertum, vtrùm exigere debitum à Petro in casu antecedentis, sit contra legem amicitiæ necnē. Sed quidquid sit de illo, neganda est consequentia. Et ratio discriminis est: Nam in iniurijs, quæ fiunt hominibus, vt cum, v.g. quis alapā, vel fuste percutitur, non solum quantū est ex parte eius, qui iniuriam infert, verùm etiam in re ipsa, & in effectu is, qui percutitur accipit detrimentum. At vero in iniurijs, quæ fiunt Deo, Deus ipse in se, & secundum effectum, nihil læditur. Sed tantum extat pessima illum lædendi voluntas in eo, qui iniuriam infert. Et sic nulla est cōsequentia. ¶ Ad *Ad 4. arg.* quartū similiter respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam cū idolum, quatenus idolum, sit res, qua nullus potest vti, nisi ad prauos vsus, fit consequens, vt & conficere idolum & illud alteri tradere sit per se malum & illicitum. Atque ex consequenti peccata aliorum, quæ ex hac mea traditione sequuntur, iuxtā optimo mihi ipsi cēsentur voluntaria: quia poteram & tenebar idolum non tradere propter causam iam dictam. At verò in petitione iuramenti secus se habet res, vt diximus supra.

3. Dubium. ¶ Tertium dubium circa eādem secundam conclusionem D. Tho. est, vtrùm qui promittit aliquam rem, eamque iuraméto facto per falsos deos confirmat, teneatur illam magis adimplere, quam si simpliciter promisisset? D. August. in libello de periurio ad Publiolam, solum dicit, quod qui per Deum falsum iurat verum, semel peccat, quia iurat per quem non debet. Qui autem per eundem iurat falsum, bis peccat, quia præterea iurat falsum. Et idem est si non adimpleat iuratum promissam. Quibus verbis videtur significare, teneri eum, qui promittit aliquam rem cum iuramento per falsos deos facto, adimplere illam magis quam si promisisset eam simpliciter, & sine iuramento. Sed in hac re *1. Dictum.* dico primo, huiusmodi iuramentum per se loquendo nullam aliam obligationem inducere, præter eam, quæ inest simplici promissioni. Probatur: Huiusmodi loquutio, quamuis habeat speciem iuramenti, secundum tamen veritatem non est iuramentum, vt patet ex diffinitione ipsius: ergo per se loquendo nullam obligationem inducit. Dico secūdo, *2. dictum.* quod qui iurat per falsos deos ex conscientia erronea, scilicet, quia putat esse veros deos, peccat peccato periurij si falsum dicat, & peccato sacrilegij, nisi adimpleat promissionem, quam tali iuraméto firmauit. Probatur: Nam conscientia erronea, ex cōmuni Theologorum sententia habet vim obligandi, vt latè docet Corduba lib. 3. quæstionarij q. 4. Et ratio præcipua est: Quia qui agit contra legem superioris creditam seu æstimatam, licet non vere obligantem, contemnit ipsum superiorem, & eius autoritatem: sed qui agit contra conscientiam erroneam agit contra legēm creditam superioris: ergo contemnit ipsum: atque ex cōsequenti peccat eiusdem generis peccatum cum illo, quod committeret, si talis lex esset. Ex hoc infertur, quod tam idololatra, quam gentilis iusiurandum suum adimplere tenetur: non quidem ex vi religionis, quæ falsa est, sed ob fidelitatem humanam, quam secundum suam conscientiam iureiurando confirmauit. Atque hic est legitimus sensus D. Augustini relati in cap. Ecce dico. 22. q. 5. Vbi dicit, quod qui super lapidem falsum iurat, periurus est. Loquitur enim ibi de iuramentis Gentilium: quibus inter alia solennissimum erat per Iouem lapidem iurare. Erat namque cæremonia ineundi fœdus, vt Pater patratus, hoc est, ille, qui ad patrandum, id est, peragendum iuramentum, vbi de fœderibus conuenerat, mittebatur, manu tenens lapidem, conceptis verbis iuraret, hoc est, dictatis à deferente iuramentum, & ex arbitrio adiurantis, seu adigentis ad iurandum pernotatis, & tunc suem lapide feriret. Ex quo sermo ille deriuatus est, ferire fœdus, seu percutere fœdus. Ob id nimirum: quia duin antiqui fœdus & pacem solenni pompa cum hostibus ineirent, porcam dijs immolarent, cuius caput Pater patratus lapide feriebat. Et istum lapidem appellabant Iouem, quatenus testis fœderum erat. Vt est videre apud Erasmū in Chiliad. in adagio, Ferire fœdus. & in adagio. Ad Iouem lapidem iurare. Ait ergo D. Augustinus quod qui super lapidem hoc est ad Iouem lapidem iurat, quamuis re vera non iuret per rem sanctam, iurat tamē per eum, quem putat esse sanctum, & sic tenetur fidem illam seruare. De hac re est videndus Couarr. super capit. quamuis pactum. de pactis p. 1. §. 1. num. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS VII.

¶ Vtrùm iuramentum habeat vim obligandi.

3.dist.39. ar.1.q.1.et 2.& 4 di. 29.ar.1.ad quartum. Et quol. 3. art.14. Et quol.5.ar. 27.Et quo li.12.a.22

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quòd iuramentum nõ habeat vim obligandi, inducitur enim iuramentum ad confirmandum veritatem eius quod dicitur. Sed quando aliquis dicit aliquid de futuro, verum dicit, etiam si non eueniat quod dicit: sicut Paulus, quamuis non iuerit Corinthum, sicut dixerat: non tamen est mentitus, vt patet secundæ ad Corinth. primo: ergo videtur quòd iuramentum non sit obligatorium.

Li 8. Topi. ca.3.& in cap. de oppositis.to.1 Art.4. huius quæst.

2 ¶ Præterea, Virtus non est virtuti contraria, vt dicitur * in prædicamentis: Sed iuramentum est actus virtutis, vt dictum * est. Quandoq; autem esset contra virtutem, aut in aliquod eius impedimẽtum, si quis seruaret id quod iurauit: sicut cum aliquis iurat se facere aliquod peccatum: vel cum iurat desistere ab aliquo opere virtutis: ergo iuramentum nõ est semper obligatorium.

In Decret. li.2.ti.24. cap.15.

3 ¶ Præterea Quandoque aliquis inuitus compellitur ad hoc quòd sub iuramento aliquid promittat. Sed tales à iuramenti nexibus sunt per Romanos pontifices absoluti, vt habetur * extra, de iureiuran.c.Verum.in ea quæst.&c. ergo iuramentum non semper est obligatorium.

4 ¶ Præterea, Nullus potest obligari ad duo opposita: sed quandoque oppositum est quod intendit iurans, & quod intendit ille cui iuramentum prestatur: ergo iuramẽtum non potest esse semper obligatorium.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Matt.5. Reddas Domino iuramẽta tua.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd obligatio refertur ad aliquid quod est faciendum vel dimittendum. Vnde non videtur respicere iuramentum assertorium quod est de præsenti vel de præterito. Neque etiam iuramentum de his quæ sunt per alias causas fienda: sicut si quis iuramento assereret, quòd cras pluuia esset futura: sed solum in his quæ sunt fienda per illum qui iurat. Sicut autem iuramentum assertorium, quod est de præterito vel de præsenti, debet habere veritatem, ita etiam & iuramentum de his quæ sunt fienda à nobis in futurum. Et ideo vtrunque iuramentum habet quandam obligationem, diuersimode tamen: quia in iuramento quod est de præterito vel præsenti, obligatio est non respectu rei quæ iam fuit vel est, sed respectu ipsius actus iurandi: vt scilicet iuret id quod iam verum est vel fuit. Sed in iuramento quod præstatur de his quæ sunt fienda à nobis, obligatio cadit econtra super rem quam aliquis iuramento firmauit. Tenetur enim aliquis, vt faciat verum esse id quod iurauit: alioquin deest veritas iuramento. Si autem est talis res quæ in eius potestate non fuit: deest iuramento discretionis iudicium: nisi forte quod erat ei possibile, quando iurauit, reddatur ei impossibile per aliquem euentum: puta, cum aliquis iurat se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi, vel furto subtrahitur. Tunc enim videtur excusatus esse à faciendo quòd iurauit, licet teneatur facere quod in se est: sicut * etiam suprà, circa obligationem voti diximus. Si vero sit quidem possibile fieri, sed non debeat, vel quia est per se malũ, vel quia est boni impeditiuum, tunc iuramento deest iustitia. Et ideo iuramentum nõ est seruandum in eo casu quo est peccatum, vel boni impeditiuum. Secũdum enim Augustinum * vtrunque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendũ est, quòd quicunque iurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quod veritas impleatur: si tamen alij duo comites adsint: scilicet iudicium & iustitia.

Q. præced. ar.3.ad 2.

Habetur 22.q.4.cd. si aliquid, &c. inter cætera.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd aliud est de simplici verbo, aliud de iuramento in quo diuinum testimonium imploratur. Sufficit enim ad veritatẽ verbi, quod aliquis dicat id quod proponit se facturum, quia hoc iam verum est in sua causa, scilicet in proposito facientis. Sed iuramentum adhiberi nõ debet nisi in re, de qua aliquis firmiter certus est. Et ideo si iuramentum adhibeatur propter reuerẽtiam diuini testimonij quod inuocatur, obligatur homo vt faciat esse verũ, id quod iurauit, secundũ suam possibilitatem: nisi in deteriorem exitum vergat, vt dictum * est.

In corp. ar.

¶ Ad secundum dicendum, quod iuramentum potest vergere in deteriorem exitũ dupliciter. Vno modo, quia ab ipso principio habet peiorem exitũ, vel quia est secundum se malum: sicut cum aliquis iurat se perpetraturũ adulterium: siue quia est maioris boni impeditiuum: puta, cum aliquis iurat se non intraturum religionẽ, vel quòd nõ fiet clericus, aut quòd non accipiet prælationem in casu in quo expedit eum accipere, vel si quid aliud est huiusmodi. Huiusmodi enim iuramentum à principio est illicitum: differẽter tamen: quia si quis iuret se facturum aliquod peccatum, & peccat iurando, & peccat iuramentum seruando. Si quis autem iurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non teneatur: peccat quidem iurando, inquãtum ponit obicem Spiritui sancto, qui est boni propositi inspirator: non tamen peccat iuramentum seruando, sed multo melius facit si non seruet. Alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquid quod de nouo emerserat, quod fuit impræmeditatum: sicut patet in iuramento Herodis, qui iurauit puellę saltanti se daturũ quod petisset. Hoc enim iuramentum poterat esse à Principe licitum, intellecta debita conditione, scilicet si peteret quod dare deceret. Sed impletio iuramenti fuit illicita. Vnde Ambrosius * dicit in primo de Officijs: Est contra officium nonnunquam promissum soluere sacramentum: sicut Herodes qui necem Ioannis præstauit, ne promissum negaret.

Li.3.c.12. to.1. Et habetur 22. q.4. c. Est etiam contra.

¶ Ad tertium dicendum, quòd in iuramento quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Vna quidem qua obligatur homini cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionẽ, quia ille qui vim intulit, hoc meretur vt ei promissum nõ seruetur. Alia autem est obligatio qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promisit. Et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm iuramentum violare. Potest tamen repetere in iudicio quod soluit, vel prælato denuntiare, non obstante quòd contrarium iurauit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra iustitiam publicam. Romani autem põtifices ab huiusmodi iuramẽtis homines absoluerunt, non quasi decernentes huiusmodi iuramenta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes.

¶ Ad quartum dicendum, quod quando non est eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, si hoc prouenit ex dolo iurantis, debet iuramentum seruari, secundum sanum intellectum eius, cui iuramentum præstatur. Vnde Isido. * dicit: Quacunq; arte verborum quis iuret, Deus tamen qui cõscientiæ testis est, ita accipit sicut cui iuratur intelligit. Et quòd hoc intelligatur de dolosо iuramento patet per id, quòd subditur, dupliciter reus fit: qui & nomen Dei in vanum assumit: & proximum dolo capit. Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem iurantis. Vnde Gregor. * dicit 27. Moralium: Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant. Diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

Lib. 2. de summo bono, ca.31.a med.

Li.27.c.7. ante med.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quod obligatio refertur ad aliquid, quod est faciendum, vel dimittendum, & quod sicut iuramentum assertorium, quod est de præterito, vel de præsenti, debet habere veritatem, ità etiam & iuramentum de ijs, quæ sunt fienda, respondet D. Thomas ad propositam difficultatem per aliquot propositiones. Prima conclusio: In

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuramento tam assertorio, quam promissorio sua inest obligatio: quamuis diuersimode. Nam in iuramento assertorio obligatio est, vt res præsentes, vel præteritæ respondeant dictis. At vero in promissorio, vt res futuræ dictis correspondeant. Secunda conclusio: Si quis id iurat, quod non est in sua potestate, vt si pauper sub iureiurando talentum polliceretur: deest iuramento tertius comes, nempe discretionis iudicium. Et tunc per impossibilitatem excusatur iurās à voti adimpletione. Dummodo, quantum est in sua potestate faciat. Tertia cōclusio: Si quis iuret possibilia, illicita tamen, aut maioris boni impeditiua: deest iuramento secundus comes, nempe, iustitia, & ipsum iuramentum nullam obligationem inducit. Quarta conclusio: Quicunque iurat se aliquid facturum modo iuret comite iudicio, atque iustitia tenetur id, quod promisit verum efficere. Has omnes conclusiones velut notas ex terminis relinquit D. Thom.

Tres modi quibus iuramentum redditur incautum.

Explicatio Articvli.

EXplicata iam per omnes suos numeros iuramenti natura, incipit D. Tho. ab hoc articulo, agere de eius obligatione. Circa quam primum & principale dubium examinandum erat, vtrū omnis iuramenti promissorij obligatio sub reatu peccati mortalis præstringeret? Sed id iam à nobis explicatum est articulo 3. huius quæstionis. Vbi etiam diximus de aliis deobligationibus in iuramento repertis, ex defectu comitū ipsius. Quod circa istum articulum aduertere oportet, est, quod in secunda, & tertia conclusione, quæ declaratoriæ sunt prioris, explicantur à D. Thom. tres modi, quibus iuramentum incautum reddi potest. Primus est, cùm quis impossibile iurat. Circa quem est notandum, non satis esse, quod id, quod iuratur sit difficillimum, vt in foro cōscientię excusatio admittatur: sed requiritur, esse impossibile. Vnde quantumcunque quis grauissimum pecuniæ pōdus persoluere iuret, licet id ei per quam difficile fiat, tenetur tamen iuramentum seruare. Quod est intelligendum, dummodo res iurata aliunde non desinat esse actus virtutis. Nam si esset manifestum prodigalitatis vitium, iuramentum non obligaret. Quando autē nullum est vitium, & res est grauissima, tunc causam affert idoneam iuramēti, eius petendi relaxationem, vel cōmutationem. Vt si mulier pedestrem eandemq; longam iturallet peregrinationem, aut quisque difficile aliud, vnde periculum timeretur. Secundus modus incauti iuramenti est, cùm quis iurat rem illicitam. Et tertius cum id iurat, quod est obstaculum rei melioris. De quibus in superioribus diximus, quod reddunt nullum iuramentum. Reliqua, quæ hic dubitari possunt, eodem modo sunt determinanda, ac diffinita sunt similia dubia quæstione præcedēti, in materia de voto. Itaque, quemādmodū quæstione præcedenti dicebamus, quod qui ob malum finem rem alias licitam vouet, tenet votum: vt si quis ob inanem gloriā eleemosynam facere voueat: ita tamē, vt finis ille ob vanam gloriam in opus eleemosynę non cadat: nam si sensus est, quod opus dādi fiat ob vanam gloriam, tunc opus est illicitum, & votum de eo emissum nullum: sic etiam per omnia sentiendum est de iuramento, ob similem finem facto. Videte ibi.

Dubium de iuramētis coactis.

¶ In solutione ad tertium argumentum, agit D. Tho. de iuramento coacto. In quo dicit posse considerari duplicem obligationē. Vnam, qua iurās obligatur homini, cui quidpiam promittit. Et hanc dicit, tolli per coactionem. Aliam, quæ sit Deo propter iuramenti reuerentiam. Et talis, inquit, obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia optabilius est damnum tēporale sustinere quam iuramentum violare. Sed circa hoc est difficultas, vtrùm verum sit, quod iuramentum vi extortum, obliget in foro conscientię. Et pro parte negatiua argumentor primò: Iuramenta facta de rebus illicitis, vel indifferentibus, non obligant in conscientia: sed soluere pecunias promissas latroni, qui mihi intulit vim, vt eas illi iuramento promitterem, non est opus virtutis: non enim est opus iustitiæ, quoniam latroni nihil debetur: nec liberalitatis: quoniam illa solutio pecuniarum non est donatio: quandoquidē, qui eas soluit potest illas repetere: nec etiam est actus fidelitatis, quia inferenti vim nulla fides est seruanda: nec etiā est opus supererogationis: quia beneficium præstare homini indigno, qualis est ille, qui iuramentum per vim extorsit, potius habet speciem mali, quam boni: ergo nulla ratione est obligatorium. ¶ Secundo, Iuramentum promissorium inducitur ad firmandam promissionem: ergo vbi nulla fuerit promissio, iuramentum nihil obligabit. Sed in casu posito ea promissio nullam habet vim, vt constat ex cap. debitores. de iureiurando: ergo. Et confirmatur: Quando iurauī me factorum aliquod peccatum mortale, id iuramentum non obligat: quia ipsa promissio non obligabat: ergo pari ratione, cum promissio per vim facta non obliget, nec etiam iuramentum, quo ipsa promissio firmatur, erit obligatorium. ¶ Tertio huiusmodi iuramenta coacta vel

1. argum.

2. argum.

3. argum.

obligant

obligant ex iure diuino, vel humano. Non humano: quia non est verosimile, quod Ecclesia voluerit dare occasionem prædonibus cogendi alios, & vim inferendi: nec etiā iure diuino: alias summus Pontifex nō posset decernere, huiusmodi iuramenta coacta nulla esse: quod tamen est factum, in ca. verum. de iureiurando: ergo nullo modo obligant. ¶ Vltimò: Finge me promisisse tibi daturum aliquid, quod tibi noceret, nō obligor hac promissione, etiam si sit iuramēto firmata: ergo nec si aliquid vi coactus promisi, atq; iurauī. Probo consequentiā: Nā in tali casu noxium est ipsi latroni accipere promissum, cū peccet accipiēdo, & ad restitutionem teneatur.

Vltimū argumentum

Qui coacte promittit voluntarie promittit.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est primo, quod qui vi, vel metu coactus facit, vel promittit aliquid, simpliciter loquēdo voluntarie facit. Secūdum quid autem facit inuoluntariè, quia, scilicet, nollet facere. Et quia non potest periculum aliter vitare, id simpliciter voluntarie facit. Vt est videre in eo, qui proijcit merces in mare, vt autor est Aristot. li. 3. Ethic. cap. 1. Est tamen huiusmodi voluntarium mixtum ex simplici ter, & secundum quid voluntario, sufficiēs ad cōstituendum actum moralem, siue bonum, siue malum, pro ratione suæ materię. Nā qui metu mortis coactus, vel mēdacium diceret, vel adulterium cōmitteret, proculdubio peccaret. ¶ Secundo est aduertendum, quod materia eorum iuramentorum, quæ metu extorquentur, est aliqua operatio, quam quis vel facere, vel omittere promittit. Itaq; quādo promitto, me daturum cētum latroni, materia huius iuramēti est actio illa dādi. Quæ potest cōsiderari dupliciter: vel in ordine ad agentem: vel in ordine ad patientem. Et quidem in ordine ad patientē illa actio censenda est noxia, & inutilis: quia affert illi occasionem peccandi, cùm tamen in ordine ad agentem sit bona & honesta, & actus virtutis, quo suam redimit vexationem. Propulsare enim iniuriam, bonum est, atq; honestum, pertinensque ad charitatem, qua vnusquisq; seipsum diligit. ¶ Tertio est aduertendum, quod in iuramento promissorio, & est promissio, & est iuramentū: & vtriusq;, scilicet, promissionis, atque iuramenti est vna, & eadem materia, nempe actio dandi pecunias. Alia tamen & alia ratione. Nam, quia promissio fit alteri, & ad illius rationem pertinet efficere gratum, & vtile illi, idcircò habet pro materia illam traditionem pecuniæ, quatenus recipitur in passo, id est, quatenus est alteri vtilis, & bona. At verò iuramentum, quia est adhibitio diuini testimonij, habet pro materia eandem traditionem pecuniæ cōsideratam per se, & absolutè, sine ordine ad patientem. Quare si materia promissa est actus virtutis, considerata per se & ex obiecto, quamuis ex accidenti conferat nocumentum, id iuramentum ligabit, sin minus non ligat.

Materia iuramenti vi extorti quæ sit.

¶ His constitutis sit prima conclusio: Simplex promissio per vim facta, nullam inducit obligationem. Hæc cōclusio habetur expresse in cap. debitores. de iureiurando. Et ratio est: Nam huiusmodi promissiones per metū extortæ, nullam habent idoneam materiam: ergo nullam possunt inducere obligationē. Cōsequentia est nota, & antecedēs probatur. Promissionis materia debet esse aliquid gratū, & vtile ei, cui fit promissio: sed ea, quę vi, atq; metu cogente dantur, nō sunt grata, aut vtilia alteri, cum per talem collationem non transferatur dominium: ergo tales promissiones per metum extortæ nullam habent idoneam materiam. Et si quis contra hoc argumentetur. Dare promissam pecuniam latroni ad declinandum eius iniuriam, atque vim est actus virtutis: quia est redemptio vexationis: sed omnis actus virtutis est materia idonea promissionis: ergo illa promissio habet idoneam materiam: atque ex consequenti etiam sine iuramento facta erit obligatoria: respondetur, quod vt diximus in vltimo notabili, dare pecuniam latroni, quatenus profiscitur ab agente, non est materia promissionis: sed est materia promissionis, quatenus illa actio, scilicet, solutio pecuniæ est vtilis, vel inutilis illi, cui fit promissio. Et isto modo considerando dationem pecuniæ, scilicet, per respectum ad latronem non est bona, nec vtilis, sed potius est noxia latroni. Atque ex consequenti illa promissio non habet idoneam materiam.

1. Conclu.

Argumentum.

Solutio.

¶ Secunda conclusio: Iuramentum metū extortum obligat in foro conscientię. In hac conclusione conueniunt cum D. Thoma omnes ferè Doctores Syluester, verbo, iuramentum. 4. §. 7. Gabriel in 3. d. 39. q. 1. art. 2. conclusione 8. Durandus eadem d. q. 2. Caietanus in præsenti. Soto lib. 8. de Iustitia qu. 1. ar. 7. Et videtur diffinita in capi. si verò. & in cap. verum. & in cap. debitores. de iureiurando. & in cap. si quandoque 15. quæstio. 6. Et probatur: Quando iuramento promitto me daturum centum, materia huius iuramenti est actus virtutis, vt diximus: ergo obligat in conscientia. Et si quis contra hoc argumentetur: Qui promisit se daturum centū, vt redimeret suam vexationem, si facta promissione liberat se, manusq; latronis volentis eū occidere, fugit, iam nullam patitur vexationem, nec aliquā vim repellit cum sit in tuto:

2. Conclu.

Argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo non tenetur amplius promissionem adimplere, respondeo negando cõsequentiam. Ad hoc enim, vt quis teneatur seruare iuramentum, postquam declinauit periculum, satis est, vt ipsum iuramentum fuerit firmum tempore, quo fuit emissum. Præterquã quod ipsa actualis exhibitio pecuniæ, virtute prioris volitionis, quam quis habuit tempore quo iurauit, adhuc verè dicitur redemptio vexationis.

Responsio.

3. Conclu. ¶ Tertia conclusio: Iuramenta coacta, & per vim extorta obligant ad sui obseruantiã sub reatu peccati mortalis. Hæc cõclusio est contra Panormitanum: qui dicebat huiusmodi iuramenta solũ obligare ad veniale. Quã suam sententiam probat ex cap. verum. de iureiurando. Vbi summus Pontifex dicit, homines, qui eiusmodi iuramenta fregerint nõ esse sic puniendos à iudice, ac si mortaliter deliquissent. Sed probatur nostra sententia: Ista iuramenta obligant in foro conscientiæ, vt dicitur in secunda conclusione, & sunt de re graui: ergo obligãt sub mortali. Et ad fundamentum Panormitani dico, quod summus Pontifex ibi nihil decernit de culpa, vtrùm mortalis, vel venialis sit: Sed tantum agit de pœna, qua homines, qui talia iuramenta fregerint, sunt puniendi. Dicit autem eam pœnam leuiorem esse debere, quã quæ pro peccatis mortalibus imponi consueuit. Nõ quia id peccatum non sit mortale: sed quia propter iniuriam, quam, qui huiusmodi iuramenta fecerunt, passi sunt, Ecclesia decernit eos leuius esse puniendos.

4. Cõclusio ¶ Quarta conclusio: Quando vis, & metus illatus ita vitiat rem promissam, vt cum alioqui esset bona, ex metu tamen, quo fit, redditur mala: tunc iuramentum superinductum nullam habet obligationem. Probatur: Nam in tali casu deest debita materia, scilicet, actus virtutis, sine quo verum iuramentũ esse non potest. Exemplum huius conclusionis est in eo, qui metu compulsus iurat aliquam ducturum in vxorem, aut etiam duxit. Tunc enim iuramentum non ligat. Quia ducere vxorem metu compellente est malum, & cõtra naturam atq; rationem matrimonij, quod ex se debet esse perpetuum, & si violẽtum esset, perpetuum esse non posset. D. Bonauen. in 3. d. 39. q. 2. dicit, tale iuramentum obligare, esse tamen dignum relaxatione, sed multo probabilior est nostra sententia propter rationem assignatam.

5. Conclu. ¶ Quinta conclusio: Iuramenta promissoria per iniuriam extorta, Ecclesia non cogit in foro contentioso adimpleri. Hæc conclusio non est intelligẽda in vniuersum, sed tantum de illis iuramentis, in quibus iniuria nascitur ex metu extrinsecus illato. Ex quo fit, vt qui iuratus promisit vsurario, se soluturũ vsuras: quamuis patiatur iniuriam. Quia tamen nõ patitur illam per vim illatam, idcirco talis cogetur in foro cõtentioso stare promissis, vt diffinitum est ab Alexandro tertio in cap. debitores. de iureiurãdo. Cæterum ad alia iuramenta vi extorta cum iniuria, non compellitur iurans in foro contentioso, vt constat ex cap. verum. & ex cap. si vero. & ex cap. Abbas, de ijs quę vi metusve causa fiunt. Et ex 15. q. 6. per totam.

Vltima cõclusio. ¶ Vltima conclusio: Quicunque aliquid iurauit, in quo patitur iniuriam, siue insit vis tali iuramento, siue secus, huiusmodi habet legitimam causam petendi relaxationem iuramenti in foro cõscientię. Probatur: Huiusmodi iuramenta plurimum inuoluntarij habent admixtum: & vt dicitur in c. quandoq; 15. q. 6. non fiunt plene ex corde, quod Deus potissimum inspicit: ergo habent iustam causam, quod relaxentur. Cautio tamen, quã in hac re adhibet Caietanus, prudentissima est, & diligenter obseruãda, ne, scilicet, ex relaxatione horum iuramẽtorum detur infidelibus occasio nomen Dei blasphemandi. Nã si alicui capto à Turcis, vel à Sarracenis fieret potestas in patriam redeundi, fide eius accepta sub iuramento, se aliquid nũmorum soluturum, in qua re captus vim & iniuriam patitur, non esset tunc facile iuramentum relaxandum, ne daretur infidelibus ansa, vt nomen Dei blasphemarent.

Ad 1. arg. ¶ Sed restat nunc respondere ad argumenta. Vnde ad primum dico falsum esse, quod dare pecuniã promissam latroni non sit actus virtutis. Est enim redemptio vexationis, vt diximus. Et sic votum de ea emissum est validum, & obligatoriũ. ¶ Ad 2. respondetur, cõcesso antecedenti, negãdo consequentiã. Falsum est enim, quod quoties promissio est nulla, toties iuramentum vim obligandi non habeat. Potest namq; accidere, vt eadẽ res promissa non sit idonea materia promissionis, & tamen sit idonea materia iuramẽti, quia alia & alia ratione subijcitur promissioni, & iuramento, vt diximus. ¶ Ad 3. respondetur, quod huiusmodi iuramenta vi extorta, habent vim obligandi à iure diuino. Et quando infertur: ergo summus Pontifex nõ poterit in illis dispensare, nego consequentiam. Nam habet facultatem ab ipso Deo dispensandi in votis, & relaxandi iuramenta ex iusta, & rationabili causa, vt diximus in materia de voto. ¶ Ad vltimum argumentem respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: Nam in casu anteceden-

Ad 2. arg.

Ad 3. arg.

Ad vltimũ argumen-

tis, quod promittitur dari, est malum, nec in eo

in eo subest aliqua ratio boni. Atque adeo iuramentum fit de materia illicita, & sic non ligat. At verò in casu consequentis, quãuis illa solutio pecuniæ respectu alterius sit noxia: respectu tamen eius, qui promittit, est bona, quia ea ratione suam redimit vexationem, vt diximus.

Alia duo argumẽta difficilia. ¶ Sed vltra hæc sunt alia duo argumenta, quæ videntur habere difficultatem. Primum est: Maior est obligatio voti, quam iuraméti, vt sæpe diximus: sed votum metu coactum non obligat, vt latè ostendimus, quæstione præcedenti ar. 3. ergo neque iuramẽtum. Secundum: Matrimoniũ metu cadente in constantem virum contractum nec in foro exteriori, nec in foro conscientiæ, tenet: ergo nec iuramentum. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur. Tum: quia sicut ad matrimonium requiritur cõsensus, sic etiam ad iuramẽtum: quare si coactio impedit vni, pariter obstabit alteri. Tum etiã: quia maius vinculum est matrimonij, quam iuramenti.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum Soto lib. 8. de Iustitia q. 1. ar. 7. respondet, cõcesso antecedenti, negando cõsequentiam. Et ratio illius est: Nam, quamuis votum, eo quod sit Deo arctius obliget, quam iuramentum, quod sit homini: quia tamen, nisi iuramento confirmetur, nõ est, nisi nuda promissio, & promissio coacta, etiam si fiat cum intentione promittendi, natura sua est cassa, non solum illa, quę fit homini: verum etiam illa, quæ fit Deo, vt pote cui obsequium per coactam voluntatẽ non placet, sed quod sit sponte: ideirco votum metu extortum nullam inducit obligationem. At verò iuramentum: quia semper quod fertur in materiam licitam obligat ex natura sua: & illud, quod fertur supra promissionem habet materiam licitam, vt diximus, sit, vt non obstante metu suam sortiatur obligationem. Hæc tamen solutio mihi non placet. Nam cum redemptio vexationis possit esse obiectũ voti, sicut est iuramenti: non video, quare iuramentum dicatur cadere supra debitam materiam: esto fiat ex metu, & non votum, vt sit obligatoriũ. Quocirca aliter ad argumentum respondeo, negando cõsequentiam. Nam quamuis votum atque iuramentum stando in solo iure naturali, & diuino, ex natura sua obligent adhuc quando fiunt ex metu cadente in constantem virum, vt diximus, quæstione præcedenti art. 3. iure tamen positiuo, votum emissum ex metu est redditum nullum, & non iuramentum, propter reuerẽtiam diuini nominis, quod in iuramento assumitur. Ad secundum argumentum, nonnulli respondent concesso antecedenti, negando consequentiã. Et ratio discriminis sequndum illos tantum est, quod si matrimonium coactum teneret, nullum esset remedium, quo posset factum infectum reddi, cum sit vinculum indissolubile. Cum tamen cætera promissa per vim iurata, etiam si soluãtur, beneficio repetitionis recuperari possint. Sed hæc ratio non satisfacit. Nam etiam si quæ iuramento promittuntur repeti non possent, adhuc iuramentum esset seruãdum, quia obligat ex natura rei. D. Bonauent. atq; Durandus dicunt, quod, quia matrimonium Christianorum significat vnionẽ Christi, & Ecclesiæ, quæ est perpetua, perpetuum etiã, & indissolubile debet vinculum habere, ad quod non solum consensus, verum & liber consensus requiritur, cùm nullum violentum possit esse perpetuum. Sed nec hæc solutio satisfacit. Nam etiam coniugium sub lege naturæ requirebat liberum consensum, & tamen non significabat vnionẽ Christi, & Ecclesię, sicut matrimoniũ Christianorum. Quocirca his solutionibus omissis, ad argumentum respõdetur, negando cõsequentiam. Nam quia matrimonium ad procreationem prolis à natura cõstitutum est, ex sua ratione habet perpetuitatem annexam. Aliàs non esset satis liberis educandis consultum. Et perpetuitas ex natura rei liberum animi exigit consensum: quia quæ violenta sunt perpetua esse nequeunt. At vero in iuramento, hoc non inuenitur, vt ex dictis patet. Si quis autem quærat, vtrùm qui metu mortis iurare cogitur, se ducturum aliquam in vxorem teneatur iuramenti nexu, respondeo, certũ esse in primis, tale iuramentum, omnino esse relaxandum propter rationem iam dictam. Secundo dico, probabilissimum esse, quod ex tali iuraméto oritur obligatio, ne ante relaxationem cum alia contrahat. Cùm re vera quãtum ad naturam iuramenti verum sit, si fiat cum intentione iurandi. Nam quamuis sit contra naturam matrimonij, illud contrahere, assensu coacto: nihilominus non est adeo intrinsecè malum, vt non possit fieri materia redẽptionis vitæ, & sic iuramentum tenere. Dixi, ex tali iuraméto obligari, ne ante relaxationem cum alia contrahat. Nam ab ingressu religionis per tale iuramẽtum nõ arctaretur. Cum matrimonium contrahere, quatenus est impeditiuum maioris boni, non possit esse materia iuramenti promissorij, sicut nec voti.

Quæstio.

Responsio.

Aliud dubium circa solutionem ad 3. ¶ Circa eandem solutionem tertij argumenti D. Thom. est alia difficultas, vtrùm, qui vi coactus iurauit, se aliquid latroni daturum, possit illud repetere, quamuis iurauerit illud non repetiturum? Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum: Non repetere est actus virtutis in illo casu,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum sit redemptio vexationis: ergo qui iurat se non repetiturum astringitur iuramento, atque ex consequenti repetere nō potest. Ad explicationem huius difficultatis, suppono, dupliciter accidere posse, vt quis iniuriam sibi à latrone illatam iudici denuntiet, vno modo, ipso iudice iuridicè interrogante, alio modo propria sponte. Dico primo,

1. Dictum. quod si iurauí, me nō repetiturum pecunias, quas latroni solui, nec id iudici denunciaturum, ipso etiam iudice interrogante peccaui mortaliter iurando, nec id iuramentum adimplere teneor: sed possum iudici interroganti libere respondere. Probatur. Rem illicitam iurauí: ergo ipsum iuramentum non est validum. Et hoc vult significare D. Thomas, quando in eadem solutione dicit, quod potest repetere in iudicio quod soluit, vel prælato denunciare: Non obstante, quod contrarium iurauit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum, quia esset contra iustitiam publicam. Dico secundo, quod si tantum iurauí simpliciter, me neque repetiturum illam rem, nec id crimen mea sponte iudici denunciaturum, iuramentum est validum, & obligatorium. Et hoc probat argumentum pro parte negatiua adductum.

De iuramẽto doloso. ¶ In solutione ad quartum argumentum agit D. Thom. de iuramento doloso. Et dicit duo. Primum est, quod quando is, qui iurat, vtitur dolo, iuramentum obligat secundum intentionem eius, cui fit iuramentum, & non secundum animum iurantis. Secundo dicit, quod quando is, qui iurat non vtitur dolo, sed alter deceptus est ex verbis malè intellectis, tunc iuramentum obligat secundum intentionem eius, qui iurat, & nō secundum intentionem eius, cui fit iuramentum. Quæ vt intelligantur, & simul explicetur, quando iuramentum dolosum obligat, aduertendum est primò, dupliciter posse contingere, vt insit dolus iuramento, hoc est, quod concipiat alter ex verbis iurantis alium sensum ab eo, quem habet in animo is, qui iurat. Vno modo: quia is, qui iurat aliud occultat in animo, & aliud in verbis exponit. Altero modo: quia etsi animus iurantis cum verbis consentiat, tamen in verbis ipsis inest aliqua fallacia, atque deceptio. Quæ duo membra diuisionis, rursus possunt multipliciter diuidi. Nam, quod animus iurantis dissentiat à verbis, quod fuit primum membrum, quatuor modis potest accidere. Primus est: quando verba proferuntur absolutè, sed interius in animo adiungitur illis aliqua conditio. Vt si, verbi gratia, verbis absolutè prolatis polliceatur quis alteri, se ei daturū aliquam rem, subintellecta tacitè conditione, si sibi placuerit, aut oculis conspiciendam. Secundus modus est, quando quis exterius aliquid promittit, non tamen habet intentionem standi promissis. Tertius, quando is, qui promittit, habet quidem animum promittendi, atque iurandi, non tamen habet intentionem seruandi promissum, nec obligandi se iuramento exterius facto. Quartus & vltimus, quando ei, qui promittit deest animus, atque voluntas promittẽdi & obligandi se iuramẽto. Secundum membrum diuisionis, nępe quando dolus est in ipsis verbis, potest accidere dupliciter. Vno modo, quando verba sunt multiplicia, & æquiuoca. Et ità qui ea audit diuersum sensum intelligit ab eo, quẽ intendit is, qui profert. Alio modo, quando licet non sint æquiuoca verba, ita tamen prudenter, & artificiosè constituuntur ab eo, qui iurat, vt is, qui audit accipiat illa longe diuerso sensu ab eo, qui verè ipsis inest. Ex quo infertur sex modis posse contingere, quod iuramentum aliquod dolosum dicatur.

Multipliciter potest dolus inesse iuramẽto.

¶ Secundo est aduertendum, quod in hac re dijudicanda multum refert, an is, qui iurat iuret iuridicè à iudice requisitus, an vero compulsus iniuria, vt ex his, quæ diximus in materia de restibus, & de reo, colligere licet. His constitutis sit ptima conclusio: Qui iu-

1. Cõclusio reiurando promittit aliquid dolosè primo modo, hoc est, subintellecta aliqua conditione, quæ non exprimitur nō obligatur ad seruandum iuramentum, nisi quantum ad illa, quę habuit in animo iurare, & eo modo, quo habuit. Probatur: Iuramẽtum promissorium ad ea tantum seruanda obligat, quæ illi subijciuntur, tanquam materia: sed in casu posito materia iuramento subiecta nō est me daturum simpliciter, sed tantum me daturum, si mihi aut libuerit, aut placuerit: ergo ad id tantum obligat. Secundo: Sicut est in mea potestate cum mihi proponitur aliqua res iuramento confirmanda iurare, vel nō iurare: ita etiam est in mea potestate illam rem, vel ex parte, vel in totum, vel absolutè, vel adiuncta conditione iurare: sed si fingo me iurare aliquam rem sine animo iurandi, id iuramentum nō obligat, vt statim dicemus: ergo pari ratione si fingo me iurare aliquam rem absolutè, verbis exterioribus: si tamen in animo iuro conditionaliter id iuramentū obligabit sub conditione. Hęc conclusio est contra Syluestrum verbo, iuramẽtum. 3. §. 2. vbi dicit, quod iuramentum obligat absolutè, sicut verba exterius prolata sonant, nisi id iutamentum sit per metum extortum.

¶ Secunda conclusio: Quicunque iurat *2. Conclu.* dolosè isto primo modo, scilicet, subintellecta & nō expressa conditione, siue iuramentum

tūm sit assertorium, siue promissorium, & siue per iniuriam, siue per vim ad iurandum cogatur, peccat mortaliter. Hæc conclusio similiter est conta Syluestrum loco citato, vbi dicit, quod qui cogitur iurare, si isto dolo vtatur nihil peccat. Illam tamen tenet Caietanus in hoc articulo, & Soto lib. 8. de iustitia quæstione 1. articulo 7. Et probatur: Semper in isto casu est mendacium iuramento affirmatum: ergo est peccatum mortale. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Mẽdacium est falsa vocis significatio, cum intentione fallendi: sed in casu de quo loquimur, absoluta voce significo, me aliquid daturum, quod ex mea intentione est falsum, vt alterum decipiam: ergo talis vocis significatio est vere mendaciū. Et eam significationem exteriorem confirmo iuramento: ergo confirmo mendacium iuramento: atque ex consequenti pecco mortaliter. Pro hac etiam re facit Gracianus in capitulo in dolo. 22. quæstione 2. Vbi explicans quædam verba Augustini in hūc modum dicit: Ille iurat in dolo, & mendaciter promittit in cuius mente est, non se facturum sicut promittit.

3. Concluſ. ¶ Tertia conclusio: Qui iurat dolosè secũ do modo, hoc est, qui serió & ex animo se obligandi iurat, non tamen habet animum adimplendi promissa, peccat mortaliter, & ad promissa præstanda obligatur, siue vi, siue iure tale faciat iuramentum. Hæc conclusio est Caietani in isto commentario, & aliorum fere omnium Doctorum. Potestque esse illius exemplum in eo, qui sit monachus: & ad eum statũ nō solũ voto, sed etiã iuramẽto se obligat, animo tamẽ nō piè, nec religiosè, sed dissolutè & luxuriosè viuendi. Qui quidem non solum peccat mortaliter; sed etiam tenetur promissa adimplere. Probo singulas partes. Et primo, quod peccet mortaliter huiusmodi homo: Iuramentum promissorium habet duo. Vnum est animus faciendi ea, quæ quis iurat. Alterum obligatio, quod in futurum tempus opere præstabit, quæ promittit. Respectu primi iuramentum est assertorium, & respectu secundi est promissorium, vt diximus in articulo 3. sed quicunque iurat assertiue falsum peccat mortaliter: ergo & qui habet animum iurandi, & non seruandi, vel adimplendi quæ iuramento promittit, peccabit mortaliter. Quòd verò huiusmodi iuramentum adhuc sit obligatorium probo: Talis homo, vt supponimus habet animum promittendi & iurãdi quæ verbis profert: ergo verè iurat atque ex consequenti obligatur tali iuramento. Probo consequentiam: Nam iuramentum ex natura sua habet vim obligandi, modo id, quod iuratur, sit vera materia iuramenti.

¶ Quarta conclusio: Qui iurat dolosè *4. Conclus.* tertio modo, hoc est, qui habens animum iurandi non habet animum se obligandi illo iuramento, verè obligatur ad præstandum ea, quæ promisit siue iure, siue vi adductus fuerit ad iurandum. Hæc conclusio est contra Syluestrum verbo, iuramentum. 4. §. 19. Qui dicit huiusmodi iuramentum non obligare. Quem etiam sequuntur magna ex parte iuris periti, & D. Bonauentu. in 4. distin. 39. quæstione 2. art. 1. Et Ricardus eadem d. quæstione 2. & Gabriel. quæstione 1. articulo 2. Illam tamen tenent omnes illi Doctores, quos quæstione præcedenti articulo 1. diximus affirmare, quod qui emittit votum animo vouendi, & non se obligãdi manet adhuc voto astrictus; cum eadem sit ratio in voto & in iuramento quantum ad hoc. Et probatur: Obligatio ita naturaliter nascitur ex iuramento, vt posito semel vero iuramẽto intelligi non possit illud nō obligare, sed qui habet animum iurandi vere iurat, & non ficte: ergo obligatur illo iuramento, esto, nec habeat animum se obligandi, neque promittendi. Et confirmatur: Iuramentum est inuocatio diuini testimonij ad aliquam rem, vel præsentem, vel futuram confirmandam: sed diuino testimonio, cum inuocatur ex natura rei debetur, vt veri causa inuocetur: ergo implicat aliquod esse verum iuramentũ, & nō inducere obligationem, verũ vel dicendi, vel faciendi. ¶ Sed contra istam conclusio- *1. arg. contra 4. conc.* nem sunt aliquot argumenta. Primum; Iuramentum inducitur ad confirmandam promissionem: ergo vbi non est promissio nec erit iuramentum: sed qui non habet animum se obligandi iuramento nec promittendi, nihil promittit: ergo nec obligatur iuramento. Secundo. Qui non habet intentionẽ se obli- *2. argu.* gandi, is neque iurandi animum habet, quia hæc duo ità sunt connexa, vt pro eodem haberi possint, scilicet, nolle obligare se iuramento, & nolle iurare: sed qui non habet animum iurandi, licet exterius iuret non obligatur: ergo nec obligabitur qui non habet animum se obligandi, & promittendi.

¶ Ad primum argumentum respõdeo, quod *Ad 1. arg.* qui iurat animo iurandi, & non se obligandi, vel promittendi, estò, formaliter & explicite nihil promittat, quia explicitè affirmat se nolle promittere, virtualiter tamen promittit. Nam quia iuramentum ex natura sua inducit obligationem efficiendi verũ, quod iuratur: idcircò qui verè habet voluntatem iurandi virtualiter, & implicitè, illa voluntate vult omnia, quæ necessario consequun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ex iuramento, & sic implicitè & virtualiter vult promittere. Ad secundum respondetur, aliud esse loqui de obligatione, aliud de animo obligandi se iuramento. Nam primum, scilicet, obligatio nunquam separatur à iuramento. At verò voluntas expressa obligandi se iuramento, bene potest deesse in eo, qui verè iurat. Imò & contraria voluntas potest eidem inesse; quia, scilicet, arbitratur esse in sua potestate secernere, & separare obligationē à iuramēto. Nota tamē, quod homines illiterati, & indocti sæpe pro eodem accipiunt, nolle obligare se iuramento, & nolle iurare. Imò nulla alia ratione arbitrantur posse se expressius explicare suum animum, & quod non habuerint animum iurandi, quam si dicant sese illo iuramento nunquam voluisse obligare. Quocirca in his rebus magna cautio erit adhibenda. Pro quibus videnda sunt quæ diximus in materia de voto loco citato.

Ad 2. arg.

5. concluſ. ¶ Quinta conclusio: Qui conficit iuramē tum dolosum tertio modo, scilicet, cum animo iurandi, & non se obligandi, nec promittendi peccat mortaliter, siue sua sponte, siue coactus iuret. Hæc conclusio sequitur ex dictis. Nam si ille, qui iurat animo iurandi, & non seruandi promissum, peccat mortaliter, vt diximus in secunda conclusione, quia non habet animum conformem iuramento, à fortiori peccabit mortaliter qui habens animū iurandi, nec habet animum se obligandi, nec promittendi, cùm in isto longiùs distet animus à verbis quæ iuramento confirmat, quā in illo.

6. concluſ. ¶ Sexta conclusio, Qui iurat dolosè quarto modo, scilicet, sine vlla intentione iurandi, non obligatur tali iuramento, siue iure, siue iniuria requisitus iuret. In hac conclusione omnes Doctores conueniunt. Et ratio est manifesta: Nam cum ibi desit voluntas iurādi, quod ibi nullum sit iuramentum, sed tantum simulatio quædam erit necesse. Eo vel maxime, quod ad ea, ad quæ lege non astringimur & honesta sunt, nisi ex propria voluntate obligati non possumus. Et si quis quærat, vtrùm qui ad istum modum fingit se iurare, semper peccet mortaliter? sub distinctione respondendum existimo. Nam vel id, in quo fingo me iurare, est falsum, siue de præsenti, quia non ità se res habet, siue in futurum, quia non habeo animum id adimplendi. Vel est verum, & nolo re ipsa iurare, quia sum nimis timidus, & scrupulosus. Si res, quā ficto iuramento confirmo, falsa est, siue vi, siue iure cogar ad iurandum, & siue res sit falsa de præsenti, siue de futuro pecco mortaliter. Et ratio est: Nam quamuis in casu, de quo loquimur non sit iuramentum interius, est tamen diuini nominis ad aliquam rē confirmandam exterior inuocatio, quæ quidem est actus religionis. Atq; adeo applicata materiæ repugnanti, quale est mendacium, erit graue peccatum. Et confirmatur: Qui solo cultu exteriori colit idola, vt fecit Marcellinus Papa, sine animo colendi, peccat mortaliter, vt constat. Et non ob aliam rationem, nisi quia actum externi cultus ei, cui non debetur, applicat: ergo similiter & qui exterius tantum inuocat diuinum numen ad cō firmandum mendacium peccabit mortaliter propter eandem rationem. Cæterùm qui ficto iuramento vtitur ad confirmandum aliquod verum, si id facit iure requisitus, peccat mortaliter; quia qui exigit iuramentum, vt suppono habet ius exigendi & accipiendi verum & non fictum iuramentum, atque adeò qui fictè iurat facit illi grauem iniuriam. Et præterea; quia ista fictione & mendacio subuertitur omnis ratio publicæ iustitiæ, quæ vt posit esse certa de veritate earum rerum, quas quærit, vtitur iuramento. Tamen, si ille, qui vtitur ficto iuramento in confirmando aliquo vero, in eo casu, in quo cogitur ad iurandum vel si iurat nō tenetur iurare, tantum peccat venialiter, quidquid dicat Caietanus. Qui etiam huiusmodi homines condemnat peccati mortalis. Immeritò tamen. Cùm in isto iuramento nec fiat iniuria proximo, vt supponimus, si quidem talis non habet ius iuramentum exigendi. Nec etiam fit iniuria Deo, quem etsi exterius tantum inuoco, non tamen ad confirmandum mendacium; sed ad confirmandum verum adducitur.

¶ Vltima conclusio: Iurare dolosè quinto modo, & sexto, scilicet, verbis vel æquiuocis, vel magna arte cōstructis, si id iure requisitus feceris, mortaliter peccasti, autem secus; minime, imò nec venialiter. Et probatur: Qui interrogat aliquem iuridicè habet ius, vt id, de quo interrogat, simplicibus verbis, nulla arte constructis, sed ad sensum eius expositis, iuramento confirmetur, vt diximus supra agentes de iudice, reo, & testibus: ergo qui secus facit peccat mortaliter. Quæ ratio cessat in eo, qui nullum ius habet iuramē tum ab altero exigendi: Et hæc dicta sint de tota ista difficultate.

Articvlvs VIII.

¶ Vtrum maior sit obligatio iuramenti quàm voti.

Ad Octavvm sic proceditur. Videtur quod maior sit obligatio iuramenti quàm voti. Votū enim

enim est simplex promissio. Sed iuramentum supra promissionem adhibet diuinum testimonium: ergo maior est obligatio iuramenti quàm voti.

2 ¶ Præterea, Debilius solet per fortius confirmari. Sed votum interdum confirmatur iuramento: ergo iuramentum est fortius quam votum.

3 ¶ Præterea, Obligatio voti causatur ex animi deliberatione, vt suprà dictum * est: obligatio autem iuramenti causatur ex diuina veritate, cuius testimonium inuocatur. Cum ergo veritas Dei excedat deliberationem humanā, videtur quòd obligatio iuramēti sit fortior, quàm obligatio voti.

Q 88. ar. 1.

¶ Sed Contra, per votum obligatur aliquis Deo; per iuramentum autem obligatur aliquis interdum homini. Magis autem obligatur homo Deo quàm homini: ergo maior est obligatio voti quàm iuramenti.

¶ Respondeo dicendum, quòd vtraque obligatio, scilicet voti & iuramenti, causatur ex aliquo diuino: aliter tamen, & aliter. Nam obligatio voti causatur ex fidelitate quam Deo debemus, vt s. ei promissum soluamus. Obligatio autem iuramenti causatur ex reuerentia quam debemus ei, ex qua tenemur quòd verificemus id, quod per nomen eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, sed non conuertitur. Videtur enim infidelitas subiecti ad Dominum, esse maxima irreuerentia. Et ideo votum ex ratione sua magis est obligatorium quàm iuramentum.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd votum est promissio non quæcūque, sed Deo facta, cui infidelem esse grauissimum est.

¶ Ad secundum dicendum, quòd iuramentum non adhiberur voto quasi aliquid firmius, sed vt per duas res immobiles maior firmitas habeatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd deliberatio animi dat firmitatem voto, quantum ex parte vouentis est. Habet tamen maiorem firmitatis causam ex parte Dei, cui votum offertur.

Svmma Textvs.

Ad propositam difficultatem respōdet D. Tho. vnica conclusione. Quæ talis est: Votum ex sua ratione, est magis obligatorium, quam iuramētum. Quam probat in argumento, sed contra, ex eo, quod votum dicit promissionem factam Deo; iuramētum autem nonnunquā fit homini, licèt fiat per Deum. Et sic ex parte illius, cui fit obligatio sanctior atque maior erit illa, quæ est in voto, quam quæ est in iuramento. Et in corpore articuli hac ratione. Vtraq; obligatio, scilicet, voti & iuramenti causatur ex aliquo diuino, aliter tamen & aliter. Nam obligatio voti causatur ex fidelitate, quam Deo debemus, obligatio autem iuramenti causatur ex reuerentia, quam debemus eidem: sed infidelitas est peior, quam irreuerentia; omnis enim infidelitas est irreuerentia & non econtra: ergo votum ex sua ratione est magis obligatorium, quam iuramentum.

Explicatio Articvli.

Circa conclusionem huius articuli est difficultas, vtrùm vera sit. De qua re est sententia Maioris in 3. d. 38. q. 4 dub. 2. dicentis, quod maior est obligatio iuramenti, quā voti. Et probatur primo: In iuramento promissorio cōtinetur votū, & nō è cōtra; qui enim promissorie iurat, & promittit, & iurat: ergo maior inest obligatio iuramento quam voto. Secundo: Iuramentum coactum obligat, vt supra diximus; votum autem coactum, & ex metu in virum constantem cadente factū nō obligat: ergo firmius, atque fortius est vinculum iuramenti. Tertio: Maiori iniuria afficitur Deus in fractione iuramenti, quam voti: ergo magis obligat iuramentum, quam votū. Consequentia est nota, & antecedens probatur: In fractione iuramenti afficitur Deus iniuria positiua, quæ est fingere ipsum mendacem; in fractione autem voti afficitur tantum iniuria priuatiua, quæ est non reddere illi quod promittitur: ergo maior est iniuria facti iuramenti, quam voti non adimpleti.

Dubium.

1. argu.

2. argu.

3. argu.

¶ Pro hac lite dirimēda nota, quod ista cōparatio potissimū fit inter iuramentū promissorium & votū. Est autē iuramentū promissoriū in duplici differentia. Vnum, quod immediatè fit Deo. Vt cum quis promittit ingressum religionis, eamque promissionem iuramento confirmat: Alterum quod fit homini, vt cū promitto Petro me illi daturū centū. Et hanc promissionē iuramento cōfirmo. Inter quas

Universidad de Deusto
Biblioteca

quas promissiones hoc est discriminis, quod in prima, qui promittit Deo, se sine aliquo medio subdit debitorem. At verò in secunda non Deo proximè sed homini se reddit obnoxium, nec Deum creditorem, ac Dominum sui promissi constituit; sed testem & quasi fideiussorem. Quo supposito dico primò, iuramentum promissorium, quod fit Deo esse magis obligatorium habereque fortius vinculum, quam iuramentum promissorium, quod fit homini. Nam in tali iuramẽto semper includitur votum, atque adeò inest illi obligatio voti & iuramenti simul, quæ maior est, quam voti solum, vt rectè probat primum argumentum. Dico secundo, quod iuramentũ promissorium factũ homini minus obligat, quam votum, vt rectè probant rationes positæ à D. Tho. in isto articulo. Et quoniam iuramentum promissorium ex sua ratione non habet constituere Deum Dominum ac creditorem sui promissi, sed tantum testem & vadem, & accidit, quod talis promissio immediate fiat Deo, idcircò D. Tho. absolutè affirmat, quod obligatio voti est maior quam iuramenti, quod & ex ipsa nominum significatione colligere licet. Est enim votũ promissio facta Deo, iuramentum autẽ contestatio veritatis, quæ sit per Deum, & nonnunquam promissionis, quæ fit homini. Ex quo fit, vt votũ ex sua materia propinquius sublimiorique ratione habeat Deum pro obiecto, quam iuramentum. Præterquam, quod fractio voti non solum est fractio fidei Deo debitæ, & fractio iuramenti est violatio eius reuerentiæ, quod est quid inferius, sed etiam ipsa eadem reuerentia Dei impudentius violatur in fractione voti, quam in fractione iuramenti, Maiorem enim reuerentiam facit famulus hero cum fidem illi frangit, absurdiusque eũ contemnit, quam cum adducit eum in testem falsi. Et ratio est: Quia frangendo fidem directius & magis è regione facit contra rationem dominij, quod habet supra ipsum, quam adducendo eum in testem. Propterea que D. Tho. in litera non fuit contentus ostendere, quod infidelitas, quæ inuenitur in fractione voti ex natura infidelitatis est peior, quam irreuerentia, quæ emergit ex fractione iuramenti: sed etiam adiecit, quod ipsa infidelitas fracti voti, est maior irreuerentia, quam quæ in periurio repetitur. Est præterea intelligendum hoc secundum nostrum dictum, quantum attinet ad naturam rei. Nã ratione grauitatis materiæ, vel aliunde tantum poterit augeri scelus periurij, vt sit grauius, quam fractio voti. Grauius enim erit frangere iuramentum soluendi homini decem millia aureorum, quæ illi constanti iustitia debentur, quam frangere votum, quo quis eleemosynam decem nũmorum Deo vouit, vt ex se patet. Itaque cæteris paribus, aut parum plus aucta materia iuramenti dicimus, quod obligatio voti est maior, quam iuramenti.

1. dictum.

2. dictum.

¶ Ad primum argumentum ex dictis patet solutio. Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando cõsequentiã. Nõ enim, quia voti obligatio est maior, idcircò factum ex metu est nullum. Sed quia cum ex natura rei tam votum, quam iuramentum, adhuc ex metu factum, aptum natum esset inducere obligationem, Ecclesia voluit, vt votum ex metu emissum esset nullum, & non iuramentum, vt diximus in materia de voto. Ad tertiũ respondetur negando antecedens. Et ad probationem dico, quod qui frangit votum, cum effectu negat Deo id, quod illi ex fide debebat. In qua re est magnus contemptus. At verò qui violat iuramentum non efficit re ipsa Deum mendacem, sed tantum fingit eum esse mendacem, quod cum minori irreuerentia fieri potest.

Ad 1. arg. *Ad 2. arg.* *Ad 3. arg.*

¶ Circa istum articulum aduertit Caietanus tria. Primum est, quod in obseruatione tã voti, quã iuramenti concurrunt duo. Vnũ est ipsa obseruatio voti, vel iuramẽti. Alterũ actus seruatus, qui promissus, vel iuratus erat, puta, dare centum aureos. Cõmune est autem voto, & iuramento, quod ipsa obseruatio vtriusque, spectet ad religionem, quoniam ex diuino aliquo causatur, vt in litera dicitur, & ad diuinum cultum spectat reddere Deo tam vota, quam iuramenta. Cæterum differunt votum & iuramentũ, quo ad actus seruatos. Nam in voto etiam actus seruatus est actus religionis, imperatus tamen. Dum enim quis eleemosynam vouet, ipsam in Deũ per religionem refert. Atque adeò, ipsa etiã eleemosynæ erogatio est actus imperatus religionis. Cũ tamen in iuramento actus seruatus relinquatur suæ naturæ, & non sit factus religionis actus, vt in articulo 5. huius quæstionis est dictum. Secundum quod aduertit Caietanus est, quod licet fidelitas, & reuerentia diuersarum virtutum sint inter homines, vt constat ex distinctione virtutum, quæ ad honorandum, & ad fidem seruandam ordinãtur. In ordine tamen ad Deum eiusdem virtutis, scilicet, religionis sunt fidelitas, & reuerentia. Nec mirum. Nam ea, quæ in inferioribus inueniuntur diuisa in superioribus vniri consueuerunt. Tertium, quod aduertit Caietanus est, quod illud dictum literæ, scilicet. Omnis infidelitas irreuerentiam continet, si secundum subiectam materiam intelligatur, scilicet, respectu domini, clarum est, quod

Nota ex Caietano.

nulla infidelitas esse potest absque irreuerentia. Bene tamen è cõuerso, potest esse aliqua irreuerentia sine infidelitate, vt constat. Si autem intelligatur vniuersaliter, vt sonat, nõ caret aliquo scrupulo, cum infidelitas esse possit in superiori respectu inferioris, & non irreuerentia. Verificabitur tamen ratione cõtemptus annexi, cum nullus possit esse infidelis alicui, quin ipsum parumpendere videatur; atque adeo dehonorare, quod ad irreuerentiam spectat.

Articvlvs IX.

¶ Vtrum aliquis possit in iuramento dispensare.

Ad Nonvm sic proceditur. Videtur, quòd nullus possit dispensare in iuramẽto. Sicut enim veritas requiritur ad iuramentum assertorium, quod est de præterito vel præsenti: ita ad iuramentum promissoriũ, quod est de futuro. Sed nullus potest cum aliquo dispensare, quòd de præsentibus vel præteritis iuret contra veritatẽ: ergo etiam nullus potest dispensare, quòd non faciat aliquis esse verum id quod cum iuramento in futurum promisit.

2 ¶ Præterea, Iuramentum promissorium inducitur ad vtilitatem eius cui fit promissio. Sed ille (vt videtur) non potest relaxare, quia est contra reuerentiam diuinã: ergo multo minus per aliquem alium potest super hoc dispẽsari.

3 ¶ Præterea, In voto quilibet Episcopus potest dispensare, exceptis quibusdam votis, quæ soli Papæ reseruantur, vt suprà * habitum est: ergo pari ratione in iuramento, si esset dispensabile quilibet episcopus posset dispensare. Quod tamen videtur esse contra iura. Non ergo videtur quòd in iuramento possit dispensari.

q. præce. ar. 12. ad 3.

¶ Sed Contra est, quod votum est maioris obligationis quàm iuramentum, vt supra dictum * est. Sed in voto potest dispensari: ergo in iuramento.

Art. præce.

¶ Respondeo dicendum, quod sicut suprà dictũ * est, necessitatis dispẽsationis tã in lege quã in voto, est propter hoc quod id quod in se vel vniuersaliter cõsideratũ, est vtile & honestũ, secundũ aliquem particularem euentũ potest esse inhonestũ & nociuũ, quod non potest cadere nec sub lege, nec sub voto. Quod autem aliquid sit inhonestum vel nociuum, repugnat his quæ debent attendi in iuramento. Nam si sit inhonestum, repugnat iustitiæ: si sit nociuũ, repugnat iudicio. Et ideo parì ratione etiã in iuramento dispensari potest.

Art. 10. q. præced.

¶ Ad Primvm ergo dicendũ, quòd dispensatio quæ fit in iuramento, nõ se extendit ad hoc quòd aliquid contra iuramentũ fiat. Hoc enim est impossibile, cum obseruatio iuramenti cadat sub præcepto diuino, quod est dispensabile: sed ad hoc se extendit dispensatio iuramenti, vt id quod sub iuramento cadebat, sub iuramento non cadat: quasi non existens debita materia iuramenti, sicut & de voto suprà * diximus. Materia autem iuramenti assertorij, quod est de præterito vel præsenti, in quandam necessitatem iam transit, & immutabilis facta est. Et ideo dispensatio non referretur ad materiam, sed referretur ad ipsum actum iuramenti. Vnde talis dispensatio directè esset contra præceptũ diuinum. Sed materia iuramẽti promissorij est aliquid futurum quod variari potest, ita scilicet quòd in aliquo euẽtu posset esse illicitum & nociuum, & per consequens non esse debita materia iuramenti. Et ideo dispensari potest in iuramento promissorio, quia talis dispensatio respicit materiam iuramenti, & non contrariatur præcepto diuino de iuramenti obseruatione.

q. præce. ar. 10. ad 2.

¶ Ad secundum dicendum, quod homo potest alteri promittere aliquid sub iuramento dupliciter. Vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipsius: puta, si sub iuramento promittat se seruaturum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promissione potest absoluere ille cui promissio facta est. Intelligitur enim iam et soluisse promissum, quando facit de eo secundum eius vtilitatem. Alio modo promittit aliquis alteri quod pertinet ad honorẽ Dei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei, vel vtilitatem aliorum: puta, si aliquis sub iuramento promittat alicui se intraturum religionē, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille cui promittitur, non potest absoluere promittentem: quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo, nisi forte sit inter posita conditio, ratione cuius possit, scilicet, si illi videbitur cui promittitur, vel aliquid aliud tale.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quandoque illud quod cadit sub iuramento promissorio, est manifestè repugnans iustitiæ: vel quia est peccatum: sicut cum aliquis iurat se facturum homicidium: vel quia est maioris boni impeditiuum: sicut cum aliquis iurat se nō intraturum religionem. Et tale iuramentū dispensatione non indiget: sed in primo casu tenetur aliquis tale iuramentū non seruare. In secundo autem casu licitum est & seruare, & non seruare, vt
Ar.7.ad 2. suprà dictū * est. Quādoq; vero aliquid sub iuramento promittitur, de quo dubium est vtrum sit licitum vel illicitum, proficuum vel nociuum, aut simpliciter, aut in aliquo casu, & in hoc potest quilibet episcopus dispensare. Quādoque vero sub iuramēto promittitur aliquid quod est manifeste licitum & vtile. Et in tali iuramento non videtur habere locum dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad cōmunem vtilitatem faciendū: quod maximè videtur pertinere ad potestatē Papæ, qui habet curam vniuersalis Ecclesiæ: vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter quæ ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis. Sicut & advnumquemque pertinet irritare iuramentū, quod à sibi subditis factū est, circa ea quæ ei⁹ potestati subdūtur: sicut pater potest irritare iuramentum puellæ, & vir vxoris, vt dicitur Numer. 30, sicut & supra * de voto dictum est.
q. prece. ar. 8. & 9.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmatiua. Quam probat D. Thomas in argumento, sed contra, per locum à maiori. Nam si in voto, cuius vinculum est maius, quam iuramenti potest fieri dispensatio, à fortiori poterit etiam fieri in iuramento. Et in corpore articuli hac ratione. Necessitas dispensationis in voto, & in lege inde emergit, quod contingit officium aliquod vniuersaliter consideratum esse licitum vtile, & honestum, & secūdum praticularem euentum reperiri inhonestum, & nociuū, atque adeò nec legis, nec voti debere esse materiam; sed hoc ipsum vsu venire potest in iuramento: ergo ratio postulat, vt etiam in iuramento fieri possit dispensatio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SVppositis illis, quæ de voti dispensatione quæstione præcedenti diximus, tanquā necessariis ad huius articuli explicationem, pro maiori intelligentia huius materiæ, aduertendum est, quod hæc tria, dispensatio, irritatio, & commutatio, secundum quod conueniunt iuramentis, valde differunt inter sese. Nā irritare est iuramentum nullum efficere, abstrahēdo materiā, quæ potestati eius, qui irritat, subiecta erat. Vt quando pater, vel maritus irritat iuramentum filij, vel vxoris, de illis rebus, quæ ad patris, vel mariti potestatem pertinent, factum. Tunc enim abstrahitur materia iuramenti, hoc est, docet ille, qui irritat se nolle, vt illa, quæ pollicitus fuerat pro sua voluntate, & arbitrio conferantur. Ex quo colliguntur tria ad irritationem spectantia. Primum est, quod non requiritur, vt is, qui irritat habeat iurisdictionem, sed satis est, atque sufficit, quod habeat dominium eius rei, quā alter promisit se daturum secundum quod ad irritandum iuramentum non est necessaria voluntas atque consensus iurantis; sed potest irritari illo inuito, atque renuente; modo velit ille, penesquē est dominium eius rei, quam iuramento promisit. Tertium, quod iuramenta, quæ possunt irritari non sunt firma iuramenta, sed illorū obligatio pendet ex nutu, & voluntate eius, qui habet dominium rei, quam iuramento subiecit. Dispensare verò est facere, vt vinculum iuramenti non obliget, condonando quasi ex persona Dei ei, qui iurauit ea, quæ pollicitus fuerat. Vel propterea quod minus vtilia esse ceperunt, vel ob aliam causam. Ex quo colliguntur alia tria pertinentia ad dispensationem. Primum, quod in dispensatione est opus iurisdictione. Nā dispēsatio est quasi abrogatio legis. Secundū, quod est necessaria in dispensatione voluntas eius, cui fit dispensatio. Tertiū, quod iuramēta, in quib⁹ proprie cadit dispēsatio, ante ipsam dispēsationem

Dispēsatio irritatio & commutatio differunt.

tionē sunt ficta iuramenta, à nullo; pendentia. Cæterùm commutare iuramentum vt nomen ipsum præsefert, est ab vna in alteram rem maiorem, vel minorem, iuramenti obligationem transferre, & commutare. Ex quo sequitur, quod in commutatione iuramēti non soluitur vinculum illius, sed solum variatur materia, supra quam cadit. ¶ Secundo est aduertendum, quod inter votum, & iuramentum quantū attinet ad præsens institutū, duo possunt discrimina considerari. Primum est, quod differunt ex parte obiecti. Nā votū fit soli Deo, iuramentum autem potest fieri homini & Deo. Secundū, quod differūt ex parte materiæ. Nā propria materia voti est opus supererogationis, vt diximus quæstione præcedenti. Cū tamē materia iuramēti possit esse opus cuiuscunq; virtutis, vt ius suum vnicuiq; tribuere. &c. Et ex his differētijs oriuntur aliæ duæ in dispensationibus cōsiderādæ. Prima est, quod quamuis Papa dispensare possit in voto, quod est maius nō in de licet inferre, quod potest dispensare in iuramento, quod est minus. Nā nō potest relaxare iuramentum, quod homo homini præstitit soluendi id, quod ei debebat. Et nō prouenit hoc ex minori facultate Papæ, nec ex dignitate iuramenti, sed ex natura ipsius cōtractus, qui iuramento confirmatur. Nā quia Papa est vicarius Dei potest votum quod ipsi fit, in id, quod ei gratius est commutare. Quoniam autem facultatem non habet tollendi alteri quod suum est, nequit ei, cui præstitum est iuramentum, iniuriam inferre illud relaxando. Cæterùm quāuis priuatus homo in voto, quod fit Deo, dispensare non possit, quia non est eius vicarius; ille tamen, cui iuramentum fuit præstitum, potest illud relaxare; non quia cumulatiorem habeat facultatem, quam Papa; sed quia est dominus suorum bonorum. Atque adeò sicut potest illa donare, ita etiā potest iuramentum sibi exhibitum remittere. Nec illa est dispensatio, sed remissio, atque debiti donatio. Secunda differentia considerāda in dispensationibus est, quod in commutatione, dispensationeque votorum ad id tantum debet attendi, quod Deo fuerit magis placidum. At verò in iuramentis relaxandis caueri debet, ne fiat iniuria tertiæ personæ.

Discrimina considerāda inter votum & iuramentum.

1. dictum. ¶ His suppositis, vt quid de irritatione, & dispensatione iuramentorum verum sit paucis explicemus, dico primo, quod irritare iuramēta potest omnis ille, ad quem propriè pertinet res comprehensa in iuramento: dispensare autem nullus potest, nisi qui habet iurisdictionem. Hoc dictum sequitur ex primo notabili. ¶ Dico secundo, quod cessante damno alterius Papa potest dispensare in om *2. dictum.*
ni iuramento. Probatur: Ea, quæ subijciuntur iuramento possunt variari pro temporum varia conditione, ita vt ex optimis, & vtilibus reddantur noxia, & inutilia, aut saltem non debita materia iuramēti: ergo ad Ecclesiæ gubernationem fuit necessarium vt huius particularis causæ examen ad summū Pōtificē, & ad alios Ecclesiæ principes pertineret, vt scilicet, iuramenti materia variata, an æquum sit voti obligationem, vel iuramenti religionem in casibus particularibus remittere, iudicarent. Sicq; dispensare possent. Et quidē, vbi manifestè id, quod in votū, aut iuramentum deducitur inhonestum est, aut nihilum, tunc nulla est necessaria dispensatio, sed ipsum iuramentū, & votum irrita reddūtur. Cæterum quando est dubium, an promissum voto, vel iuramēto sit debita materia vti, aut iuramenti ad summū Pontificem, & ad alios Ecclesiæ prælatos pertinet declarare; atque ex consequēti dispēsare iusta & rationabili causa existente. Sunt enim iuramēta quædam leges particulares, atque adeò eodē modo loquendum est de illis, ac de alijs legibus, quantum ad dispensationem. Dixi notanter, cessante damno alterius; quia Papa nō est dominus meatum rerum tēporaliū, atque ex consequēti non potest dispensare in iuramētis cū dāno alterius, vt diximus. Ex quo sequitur, non habere summū Pontificē eandem, nec æqualem potestatem dispensandi in iuramentis, quam habet in votis. Nā, quia iuramenta sæpe fiūt homini & vota semper fiūt Deo, cuius vicarius est summus Pontifex, ideircò potest dispensare in omni voto, & non in omni iuramēto. ¶ Dico tertio, quod Papa *3. dictum.* non potest irritare, nisi iuramenta, de rebus ad Ecclesiam pertinentibus facta, vel quæ cōstant vi, atque iniuria esse extorta. Primum patet; quia reliquorum iuramentorum materia non subijcitur potestati Papæ. Secundū autem, quia sicut potest Papa eum hominē, qui vi atque iniuria iuramentum extorsit suis bonis propter vim illatam priuare: ità etiā potest ei, qui tale iuramentū emisit præcipere ne id, quod per iuramentum promisit re ipsa præstet, irritatioque erit valida. Et ob eandem causam, potest similiter Papa efficere, vt iuramenta promissoria hominibus excōmunicatis facta, sint nulla atque irrita, vt de facto facit Gregorius VII. in cap. nos sanctorum. 15. q. 6. Vbi inquit: Nos sanctorū prædecessorū nostrorū statuta tenentes, eos, qui excōmunicatis, fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica autoritate à iuramēto absoluimus, & ne sibi fidelitatem obtemperent

omni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus modis prohibemus, quousque ipsi
4. dictum. ad satisfactionem veniant. ¶ Dico quarto quod Episcopus potest dispensare in omnibus iuramentis, quæ si essent vota posset in illis dispensare. Ità tenēt Caietanus in hoc articulo. Soto li. 8. de iustitia q. 1. ar. 9. Syluester verbo, iuramētum. 5. §. 2. Et probatur: Vinculum iuramenti est minus, quam vinculum voti: ergo quicunque potest absoluere à voto, potest etiam absoluere à iuramento de eadē re emisso. Ex quo sequitur Episcopum posse dispensare in omni iuramento, exceptis quinque, scilicet, de religione, de perpetua castitate, de peregrinatione in Hierusalem, de visitandis liminibus Apostolorum Petri, & Pauli, & de peregrinatione in D. Iacobum, quorum vota reseruantur summo Pontifici, vt constat ex extrauaganti. Et si dominici gregis 2. de pœnitentiis & remissionibus. Imò quilibet idoneus confessor per bullam Cruciatæ poterit super similibus iuramentis dispensare, vt diximus quæstione præcedenti, de voto, art. 12. cùm eadem sit ratio de voto, & de iuramento, quātum ad hoc.
5. dictum. ¶ Dico quinto quod commutare iuramēta in id, quod melius est, vnusquisq; potest pro suo arbitratu. Cæterùm commutare illa in id, quod vel minus, vel æquale est, non potest fieri sine prælati autoritate. Prima pars huius dicti est contra Syluestrum loco citato, qui oppositum tenet. Probatur tamen apertè ex capit. peruenit. de iureiurando, vbi dicitur, quod non frangit iuramentum, vel votum qui illud in melius permutat. Et in c. scripturæ. de voto. diffinit summus Pontifex, votum solenne religionis extinguere omnia vota antea emissa. Et reddit rationem: Quia illa commutantur in melius. Ex quo loco sic colligo argumentum: Illa commutatio non fit autoritate alicuius prælati; sed priuato iudicio cuiuslibet, quia est in melius: ergo idem etiam erit dicendum de quibuscunque alijs commutationibus iuramenti, aut voti in melius factis. Et ratio est manifesta: Nam qui soluit quod melius est, pro culdubio soluit votum illud, quod pollicitus fuerat, & aliquid amplius atque ex consequenti satisfacit iuramento. Quod autem commutatio iuramenti in æquale, vel minus bonum non possit fieri, nisi à prælatis, probatur eisdem rationibus, quibus idē probauimus de voto quæstione præcedēti ar. 12.

¶ Sed quoniam diximus ad iuramenti dispensationem necessariam esse prælati autoritatem, & prælatus non est dominus, sed dispensator bonorum Ecclesiæ in ædificationē, & non in destructionem illius, vt docet Paulus 2. ad Corint. ca. 10. esset autem manifesta destructio, si prælati pro sua voluntate absque aliqua causa iuramentorum vincula tollerent, idcircò id facere non possunt. Vnde dico, quod sicut Papa si concedat indulgentias, sine rationabili causa, vel sacerdos absoluat, sine legitima dispositione, factum non teneret; ità etiam, si dispenset in iuramentis. Sed est dubium, quæ nam sit dicenda idonea causa irritandi, aut dispensandi, vel commutandi iuramenta? In qua re sit prima propositio: Vna sola potest esse causa irritandi iuramenta, scilicet, *1. propositio.* quod res illa, quam quis iuramento confirmat, pertineat ad potestatem eius, qui irritat, vel absolutè, vel suppositò alterius peccato, sicut diximus de excommunicatis, & de illis, qui per vim, vel per iniuriam iuramenta eliciunt, vt patet ex dictis. Secunda propositio: Facilior esse debet iuramenti commutatio, quam ipsius dispensatio; Probatur: Dispensatio in totum, & *2. propositio.* absolute remittit iuramenti obligationem: commutatio autem non ita; sed ab vna in alteram rem æqualem, vel minorem iuramenti obligationem transfert: ergo magis requiritur ad dispensationem, quam ad commutationem. Ex quo infertur, quod cui conceditur facultas commutandi iuramentum non poterit supra illud dispensare: bene tamen è contra, vt supra diximus de voto. Tertia propositio: Legitima causa dispensandi in iuramento elicienda est, ex *3 propositio.* vno è tribus fontibus, scilicet, vel ex grauitate operis, & imbecillitate iurantis: vel ex diminuta operis vtilitate; vel respectu boni communis. Itaque, quando illa res, quam quis iuramento confirmauit, est nimis ardua; aut quando is, qui iurauit ex mutatione vitium, vel fortunæ, effectus est parum aptus ad id exequendum, aut denique quando res iuramento confirmata est iuranti impedimento, ne bono publico consulat, tunc, est legitima causa dispensandi in iuramento: sicut supra diximus de voto. Per omnia enim quantum ad hoc pari passu currunt iuramentum, atque votum, cum vtrūque habeat vim à iure diuino. Et in rebus, quæ pendent ex iure diuino, si sine legitima causa fiat, nulla est dispensatio, vt habet communis sententia iurisprudentium; & colligitur ex Innocentio in capitulo cum ad monasterium de statu monachorum, & ex Panormitano in capitulo non est voti. de voto. Et ratio est: Nam respectu illarum rerū, quæ pendēt ex iure diuino aut naturali, non habet summus Pōtifex excellentem, & supremam potestatem, sed tantum dispensatoriam. Vtrùm autem idem sit dicendum de *Dubium.* dispen-

dispensatione, in legibus positiuis, & alijs, quorum obseruatio non est de iure diuino, varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Caietanus enim. 1. 2. quæstione. 97. articulo. 4. & in summa, verbo, dispensatio, in eam sententiam propendit, vt dicat, huiusmodi dispensationes, cùm sine causa fiunt, nullam vim habere: atque ideò qui talibus dispensationibus vtuntur nō esse tutos in cō scientia. Et ratio illius est, quia licet talis dispensatio eximat hominem à iure positiuo, manet tamen fixa & firma ratio naturalis; quæ dictat, atque præcipit, ne quis sine causa se à reipublicæ oneribus eximat. Contra riam tamen sententiam tenent communiter omnes Doctores. Ad cuius explicationem
1. Dictum. dico primò, certum esse, quòd superior dispensans in legibus communibus reipublicæ, sine causa negotio proportionata, peccatum committit. Est enim dispensare, aliquē à communi vinculo excipere, quo alij tenentur: quod in iniuriam aliorum vergit, si sine causa fiat, atque ex consequenti est peccatum. Dixi autem, quòd causa debet esse negotio proportionata; quia illa, quæ sufficiēs est ad dispensandum in vna lege ad aliam
2. Dictum. idonea non erit. Dico secundò, etiam esse certum, quòd ille, qui sine causa petit alicuius legis dispensationem peccat. Nam cum præses sine causa non possit iure dispensare, nec ipse poterit petere dispensationem si
3. Dictum. ne peccato. Dico tertiò, etiam esse certum, quòd in quacunque legis dispensatione, si causa allegata sit falsa, dispensatio erit irrita, & nulla. Nititur enim dispensatio causæ tanquam fundamento. Atque ex consequēti hoc deficiente, quòd ipsa dispensatio ruat, erit necesse. Præterquam quòd fraus, atque dolus nulli debent patrocinari, vt habet cō mune axioma Doctorum. Est tamen aduertendum, quòd si in relatione causæ verè dicantur omnia, quæ pertinent ad substantiā rei, de qua agitur, quanuis in re aliqua accidentali relatio deficiat, talis allegatio causæ non erit dicenda falsa, sed vera. Hæc enim allegatio causarum non est confessio sacramentalis, sed iudicialis declaratio, in qua par
Vlt. Dict. ui defectus nihil impediunt. Dico vltimò, quòd in legibus, quæ sunt merè de iure positiuo, si dispensatio fiat sine causa, peccat qui dat; & qui accipit. Cæterùm dispensatio valida est, & taliter dispensatus manet liber à lege; ita vt in vsu dispensationis non peccet. Probatur: Huiusmodi leges pendent omnino à voluntate legislatoris: ergo pro sua voluntate poterit quemcunq; eximere ab illarum obligatione. Verum est tamen, quòd si ex eo, quòd eximitur quis sine causa ab onere legis positiuæ, accrescit alijs conciuibus, & contribulibus maius onus; tunc sic dispensatus non manet tutus in conscientia: sed quantum ad hoc vera est sententia Caietani. Et ratio est: Quia tunc ille, sine vlla causa legitima est alijs iniurius.

Sententia Caietani.

¶ Solutiones argumentorum, quæ à D. Thom. in hoc articulo ponuntur sunt valdè notandæ. Relinquuntur tamen à nobis; quia ex supradictis claræ & perspicuæ manent.

Articvlvs X.

¶ Vtrùm iuramentum impediatur per aliquam cō ditionem, vel personæ vel temporis.

AD Decimvm sic proceditur. Videtur, quòd iuramentū non impediatur per aliquam cō ditionem personæ, vel temporis. Iuramentum enim ad confirmationem inducitur, vt patet per Apost. ad Hebr. 6. Sed cuilibet conuenit confirmare dictum suum, & quolibet tempore: ergo videtur, quòd iuramentum non impediatur per aliquam conditionem personæ, vel temporis. *3. d. 39. in expo. lit.*

2 ¶ Prætereà, Maius est iurare per Deū quàm per Euangelia. Vnde Chrysost.* dicit: Si aliqua causa fuerit: modicū videtur facere qui iurat per Deū: sed qui iurat per Euangelia, maius aliquid facisse videtur. Quibus dicendum est: stulti scripturæ propter Deum factæ sunt, nō Deus propter scripturas. Sed cuiuslibet conditionis personæ, & quolibet tēpore in cōmuni locutione consueuerunt iurare per Deum: ergo multo magis licitum est eis iurare per Euangelia. *Homil. 44. in Matth. in opere imperfecto, & med. illius tom. 2.*

3 ¶ Prætereà, Idem non causatur ex cō trarijs causis, quia contrariæ causæ sunt contrariorum. Sed aliqui excluduntur à iuramento propter defectum personæ, sicut pueri ante quatuordecim annos, & etiam illi qui semel fuerunt periuri. Non ergo videtur quod aliqui prohibeantur iurare, vel propter dignitatem, sicut clerici, aut etiam propter tēporis solennitatem.

4 ¶ Prætereà, Nullus homo viuens in hoc mūdo est tantę dignitatis sicut Angelus. Dicitur enim Matth. 11. quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui minor est in regno cælorum maior est illo, scilicet Ioanne Baptista adhuc in mundo viuente: Sed Angelo conuenit iurare. Dicitur enim Apo.10. quòd Angelus iurauit per viuentem in secula seculorum: ergo nullus homo propter dignitatem debet excusari à iuramẽto.

¶ Sed Contra est, quod habetur.2.quæst.5. Presbyter vice iuramẽti per sanctã consecrationem interrogetur. Et *22.quæst.5.dicitur, Nullus ex ecclesiastico ordine cuiquã laico quicquam super sancta Euangelia iurare præsumat.

2 q.5.cap. presbyter. 22.q.5.ca. Nullus ex Ecclesiastico.

¶ Respondeo dicendum, quòd in iuramento duo sunt consideranda. Vnum quidem ex parte Dei cuius testimonium inducitur. Et quantũ ad hoc debetur iuramento maxima reuerentia. Et propter hoc à iuramento excludũtur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad iurandum: quia nondum habent perfectum vsum rationis quo possint cum reuerentia debita iuramentum præstare. Et iterum periuri, qui ad iuramentum non admittuntur: quia ex retro actis præsumitur quòd debitam reuerentiam iuramento non exhibebunt. Et propter hoc etiam vt iuramento debita reuerentia exhibeatur, dicitur *22.quæst.5 Honestum est vt qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cũ omni honestate & timore Dei. Aliud autem est considerandum ex parte hominis cuius dictum iuramẽto cõfirmatur. Non enim indiget dictum hominis cõfirmatione, nisi quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati personæ, vt dubitetur de veritate eorũ quæ dicit. Et ideo personis magnæ dignitatis non conuenit iurare. Propter quod dicitur *2.quæst.4.cap. Si quis presbyter. Quòd sacerdotes ex leui causa iurare non debent: tamen pro aliqua necessitate, vel magna vtilitate, licitum est eis iurare, & præcipuè pro spiritualibus negotijs, pro quibus etiam iuramenta comperit præstare in solemnibus diebus, quibus est spiritualibus rebus vacandum. Non autem tunc sunt iuramenta præstanda pro rebus temporalibus, nisi fortè ex magna necessitate.

22.q.5.ca. Honestum.

2.q.4 & 5. (secundum aliquos codices) ca. Si quis presbyter.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd quidam sunt qui dictum suum confirmare non possunt propter defectum eorum: & quidam sunt quorum dictum adeo debet esse certum, quòd confirmatione non egeat.

¶ Ad secundum dicendum, quòd iuramentum, secundum se consideratũ, tanto fortius est & magis obligat, quãto maius est id, per quod iuratur, vt Augustꝰ dicit ad Publicolam. Et secundũ hoc, maius est iurare per Deum quàm per Euangelia. Sed potest esse è conuerso propter modum iurandi: vtpotè si iuramentum quod fit per Euangelia, fiat cum quadam deliberatione & solemnitate: iuramẽtum autem quod fit per Deum, fiat leuiter & absque deliberatione.

Epist. 54. aliquantulum à princip. tom. 2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet aliquid tolli ex contrarijs causis per modum superabundantiæ & defectus: & hoc modo aliqui impediuntur à iuramento, quia sunt maioris autoritatis quàm quòd eos iurare deceat: aliqui verò, quia sunt minoris autoritatis quàm quòd eorum iuramento fiatur.

¶ Ad quartum dicendum, quòd iuramentum Angeli inducitur non propter defectum ipsius, quasi non sit eius simplici dicto credendum, sed ad ostendendum id, quod dicitur ex infallibili Dei dispositione procedere. Sicut etiã & Deus aliquando in scripturis iurans inducitur ad ostendendum immobilitatem eius quod dicitur, sicut Apostolus dicit ad Hebr. 6.

Svmma Textvs.

Svpposito, quòd in iuramento duo sunt consideranda, vnum ex parte Dei, cuius testimonium inducitur; alterum ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur, respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per quatuor propositiones. Prima conclusio: Propter reuerentiam, quę iuramento debetur ex parte Dei, dico homi num

num geneta à solenni iurandi officio iure repelluntur, scilicet, pueri ante annos pubertatis, qui iurare non coguntur, & periuri atque infames, qui ad iurandum non admittũtur. Secunda conclusio: Propter eandem reuerentiam, iurare in sanctis solenniter, nisi à ieiunis fiat, non reputatur honestum. Probatur ex cap. honestum est. 22. q. 5. Tertia conclusio: Ex parte illius cuius dictum iuramento confirmatur, personas egregiæ dignitatis iurare solenniter non decet, quales sunt sacerdotes. Probatur, quoniam debent esse tantæ autoritatis, vt citra iuramentum eis fides sit adhibenda. Et propter hoc in cap. si quis presbyter. 22. q. 4. dicitur, quòd sacerdotes ex leui causa iurare non debent. Quarta cõclusio: In necessitate, vel pro magna vtilitate licitum est sacerdotibus iurare, præcipuè pro spiritualibus negotijs, etiam in diebus festis, in quibus citra tales casus non licet.

Explicatio Articvli.

Conclusiones huius articuli habentur in iure, & loquuntur de iuramento in iudicio præstando. Quare pro illorum intelligentia meminisse oportebit eorum, quæ diximus. q. 70. agentes de testibus. de pueris atque periuris loquitur textus in. c. paruuli. 22. q. 45. & explicatius in ca. pueri. Vbi ætas eorum, qui ad iuramentum admitti debent determinatur. Sed est latissimum discrimen inter pueros, & periuros quantũ ad hoc. Nam de pueris solum dicitur, quòd si renuerint iurare non cogantur. Et sic significari videtur, quòd si vrgente in eis ratione, vltrò se ad iurandum obtulerint, non sint repellendi. Cùm tamen periuri, etiam si iurare voluerint cohibeantur. Et ratio est: Nam pueros solus naturalis defectus ætatis facit inidoneos ad iurandum. Et sic mitius admonentur, vt iurare caueant, quam periuri, qui propter suum scelus à iureiurando repelluntur. Et quoniam D. Thom. solum loquitur de iuramento solenni, quod ad publicum testimonium exigitur, non quicunque periurus à ferendo testimonio repelli est censendus, sed ille tantum, qui in iudicio reus factus est, atque condemnatus periurij. De quo etiam est intelligendus loqui Couarruuias in relectione super capit. quanuis pactum, parte prima, §. septimo, numero secundo, & tertio, quando pœnas, quibus periuri in iure puniuntur, recenset. Dicens, quòd prętet culpam, quam periuri, quoad crimini reatũ contraxerunt, cuius ratio apud diuinum tribunal examinanda est, puniendi sunt à iudicibus, & legibus publicis, non tantum Ecclesiasticis, sed & secularibus, vt notat text. in. l. siquis maior. C. de transactio. &c.

Grauitas periurij declaratur.

¶ Ex secunda conclusione, qua D. Thom. dicit inhonestum esse, vt quis ad iurandum, nisi ieiunus accedat, colligere possumus reuerentiam quæ iuramento debetur. Nam quanuis cæremonia ista non sit prorsus necessaria; reputabatur tamen antiquitus indecens, vt aliter quam ad sacrosanctum sacramentum altaris quispiam ad iurandum accederet, vt, scilicet, sic iuraturus attentiori animo secum reputaret, certissimum ne esset, quod sub iuramento asserturus veniebat, ne in tantum scelus, quantum periurij nomine significatur, incideret. Quod Diu. Thom. quodl. 1. art. 18. multis & vrgentissimis rationibus probat esse longè grauius homicidio, & quibuscunque alijs delictis in proximum factis. Idque significare voluisse videtur Paulus, quando dixit; omnis controuersiæ finis est iuramentum. Nam si adulterium, & homicidium, & reliqua huiusmodi grauiora essent periurio, nunquam homicidæ, nec adultero iuramentum deferretur. Quoniam coniectura esset, quòd per periurium, tanquam per exilius peccatum, maiora contegerent, & celarent crimina. Hoc argumento vtitur D. Thom. in dicto artic. 18. ad probãdam periurij grauitatem. Pro quo etiam faciunt multæ aliæ cæremoniæ, quibus olim iuramentum exornabatur. Nullus enim, nisi in templo, & super altari, & libro Euangeliorum tacto, quem sacerdos in manibus teneret, iuramentum præstabat. Propter quod dicebat D. Chrysost. Hom. 15. ad populum Antiochenum: Non ità gemo, & deploro, quospiam in vijs iugulatos audiẽs, sicut gemo, & lachrymis prosequor, & horresco, cùm video quempiam supra mensam hanc, scilicet, altare, venientem, & manus imponentem, & Euangelijs iurantem attactis, &c. Et ex hoc nimirum ortum habuisse arbitror, quòd cùm vir iste sanctissimus, cuius natalis dies hodie felicissimè in Ecclesia celebratur, innumeras conciones, mira sapientia, & sanctitate refertas ad populum habuerit, maior eorum pars contra iurantes, ne dicam peierantes, instituta fuerit. Et meritò quidem; tum vt peccati grauitas patefieret; tum etiam, vt ea cognita, homines à pessima iurandi consuetudine desisterent. Apud Gentiles similiter fuit semper habita maxima iuramenti religio, quod Cice. lib. 3. Offic. palàm ostendit, cum dicit: Nullum vinculum ad astringendam fidẽ maiores nostri iureiurãdo arctius

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse voluerunt. Id indicant leges in duodecim tabulis; indicant sacra; indicant fœdera, quibus etiam cum hoste deuincitur fides. Indicant notationes, animaduersionesq; cẽsorum, qui nulla de re diligentiùs, quam de iureiurando iudicabant. Hactenus Cicero. Cui addo id, quod de quodam periuro Iuuenalis scribit. De periuro inquam, qui id animo conceperat, re autem ipsa nondum admiserat.

Extinctus tota pariter cum prole domoque,
Et quamuis longa deductis gente propinquis,
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Si ergo apud gentes, quæ Christi leges non profitebantur receptum erat, non solum, qui peieraſſet daturum Deo pœnas, sed & eius posteritatem pro tanto scelere, diuino iudicio esse puniendam, quid fideles, quibus veritas dixit; Nolite iurare omnino sentire oportebit? De hac re videndus est D. Chrysost. loco citato.

Nota circa 3. & 4. conclus.

¶ Circa tertiam & quartam conclusionẽ in quibus de iuramento à sacerdotibus præstando est sermo, aduertendum est, quòd in cap. presbyter. 22. quæst. 4. talis honor sacerdotibus defertur, vt pro leuibus iurare non debeant, sed vice iuramenti per sanctã consecrationem interrogentur. Et in capit. nullus, el. 1. 22. quæst. 5. cauetur, ne aliquis ex Ecclesiastico ordine quidquam laico super Euangelia iurare præsumat. Et hæc dicta sufficiant de tota ista materia de iuramento.

¶ Ab hac quæstione vsque ad centesimã, in qua de simonia est sermo nihil aliud dicere est opus, quam quæ à D. Thom. & à Caietano luculenter satis, & perspicuè dictũ tur. Et ob hanc rationem à me consultò prętermittuntur. Videte illos.

QVÆSTIO C.

De Simonia, in sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm simonia sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

4. dist. 25. q. 3. art. 1. q. 1. per to. & q. 3. cor.

AD PRIMVM sic procedi-tur. Videtur, quòd simonia non sit studiosa volũtas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Simonia enim est hæresis quædam. Dicitur enim * 1. quæstio. t. Tolerabilior est Macedonij & eorum qui circa ipsum sunt, sancti spiritus impugnatorum, impia hæresis, quàm simoniacorum. Illi enim creaturam & seruum Dei Patris, & Filij Spiritum sanctum delirando fatentur. Isti vero eundem Spiritum sanctum efficiunt seruũ suum. Omnis enim dominus quod habet, si vult, vendit, siue seruum, siue aliquid aliud eorum quæ possidet. Sed infidelitas non consistit in voluntate, sed magis in intellectu, sicut & fides, vt ex suprà * dictis patet: ergo simonia non debet per voluntatem diffiniri.

1. q. 1. cap. Eos qui per pecunias.

Quæst. 10. art. 2.

2 ¶ Præterea, Studiosè peccare est peccare ex malitia, quod est peccare in Spiritum sanctum. Si ergo simonia est studiosa volũtas peccandi, sequitur quòd semper sit peccatum in Spiritum sanctum.

3 ¶ Præterea, Nihil est magis spirituale quàm regnum cælorum, sed licet emere regnum cælorum. Dicit * enim Greg. in quadam Hom. Regnum cælorum tantum valet quantum habes: ergo non est de simonia velle emere aliquid spirituale.

Hom. 5. in Euang. non multum ante medium.

4 ¶ Præterea, Nomen simoniæ à Simone Mago acceptum est, de quo legitur Actor. 8. quòd obtulit Apostolis pecuniam ad spiritualem potestatem emendam: vt scilicet quibuscunque manus imponeret, reciperent Spiritum sanctum. Non autem legitur, quòd aliquid voluerit vendere: ergo simonia non est voluntas vendendi aliquid spirituale.

5 ¶ Præterea, Multæ aliæ sunt voluntariæ commutationes, præter emptionẽ vel venditionẽ, sicut permutatio, trãsactio: ergo videtur quòd insufficiẽter diffiniatur simonia.

6 ¶ Præterea, Omne quod est spirituali annexum, est spirituale. Superfluè ergo additur, vel spirituali annexum.

7 ¶ Præterea, Papa, secundum quosdã non potest committere simoniam. Potest autẽ emere, vel vendere aliquid spirituale:

rituale: ergo simonia non est voluntas emendi vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum.

Habetur 1. q. 3. c. Altare.

¶ SED CONTRA est, quòd Gregor. dicit in registro, Altare vel decimas vel Spiritum sanctum emere vel vendere, simoniacam hæresim esse, nullus fidelium ignorat.

1. 2. q. 18. art. 2.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut suprà dictum * est, actus aliquis est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam. Emptionis autẽ & venditionis est materia indebita res spiritualis, triplici ratione. Primò quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, vt de Sapientia dicitur Prouerb. 3. pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Ideo etiam Petrus in ipsa sui radice simoniacam pranitatem cõdemnans dixit, Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere. Secundò, quia id nõ potest esse debita venditionis materia, cuius venditor non est dominus, vt patet in authoritate suprà * inducta. Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator: secundum illud 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Tertiò, quia venditio repugnat spiritualiũ origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proueniunt. Vnde & Dominus dicit Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem, irreuerentiam exhibet Deo & rebus diuinis, propter quod peccat peccato irreligiositatis.

Argum. 1.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sicut religio consistit in quadam fidei protestatione, quam tamẽ aliquis interdum nõ habet in corde: ita etiam vitia opposita religioni habent quandam protestationem infidelitatis, licet quandoque non sit infidelitas in mente. Secundum hoc ergo simonia hæresis dicitur secundum exteriorem protestationem: quia in hoc quòd aliquis vendit donum Spiritus sancti, quodammodo protestatur se esse dominũ spiritualis doni, quod est hæreticum. Sciẽdum tamen quòd Simon Magus, præter hoc quod ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecunia emere voluit, dixit quòd mundus non erat à Deo creatus, sed à quadam superna virtute: vt dicit * Isidorus in lib. Etymol. Et sic secundũ hoc inter alios hæreticos simoniaci cõputantur, vt patet in lib. * August. De Hæresibus.

Li 8. c. 15. in prin. In prin. lib. to. 6. & habetur 24. q. 3. c. Quidam. Quæst. 58. art. 4.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut suprà dictum * est, iustitia & omnes partes eius, & per consequens omnia vitia opposita sunt in voluntate sicut in subiecto. Et ideo conuenienter simonia per voluntatem diffinitur. Additur autem, studiosa, ad designandum electionem quæ principaliter pertinet ad virtutem & vitium. Non autem omnis qui peccat electione, peccat peccato in Spiritum sanctum, sed solum qui peccatum eligit per contemptum eorum, per quæ homines solent retrahi à peccando, vt suprà dictum * est.

Quæst. 14. art. 2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd regnum cælorum dicitur emi, dum quis dat quod habet propter Deum, largè sumpto nomine emptionis, secundum quod accipitur pro merito: quod tamẽ non pertingit ad perfectam rationem emptionis, tum, quia non sunt condignæ passiones huius temporis, nec aliqua nostra dona vel opera ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vt dicitur Roma. 8. tum, quia meritum non consistit principaliter in exteriori dono, vel actu, vel passione, sed in interiori affectu.

¶ Ad quartum dicendum, quòd Simon Magus ad hoc emere voluit potestatem spiritualem, vt eam postea venderet. Dicitur enim * 1. q. 3. quòd Simõ Magus donum Spiritus sancti emere voluit, vt ex venditione signorum quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Et sic illi qui spiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago in intentione, in actu vero illi qui

1. q. 3. c. Saluator, non remote à prin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

emere volunt. Illi autem qui vendunt in actu imitantur Giezi discipulum Heliſæi: de quo legitur 4. Reg. 5. quod accepit pecuniam à leproſo mundato. Vnde venditores ſpiritualium poſſunt dici non ſolum Simoniaci, ſed etiam Giezitæ.

¶ Ad quintum dicendum, quod nomine emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Vnde nec permutatio præbendarum vel Eccleſiaſticorum beneficiorum fieri poteſt autoritate partium abſque periculo ſimoniæ: ſicut nec tranſactio, vt iura determinant. Poteſt tamen prælatus ex officio ſuo permutationes huiuſmodi facere pro cauſa vtili, vel neceſſaria.

¶ Ad ſextum dicendum, quòd ſicut anima viuit ſecundum ſeipſam, corpus autem viuit ex vnione animę: ita etiam quædam ſunt ſpiritualia ſecundum ſeipſa, ſicut ſacramenta & alia huiuſmodi. Quædam autem dicuntur ſpiritualia ex hoc quòd talibus adhærent. Vnde* 2. dicitur ca. Si quis obiecerit, quòd ſpiritualia ſine corporalibus rebus nō proficiunt, ſicut nec anima ſine corpore corporaliter viuit.

1.q.2.c. Si quis obiecerit.

¶ Ad ſeptimum dicendum, quòd Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo: peccatum enim tanto in aliqua perſona eſt grauius, quanto maiorem obtinet locum. Quanuis enim res Eccleſiæ ſint eius vt principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt eius, vt domini & poſſeſſoris. Et ideo ſi reciperet pro aliqua re ſpirituali pecuniā de redditib' Eccleſiæ alicuius, non careret vitio ſimoniæ. Et ſimiliter etiam poſſet ſimoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico nō de bonis Eccleſiæ.

SVMMA TEXTVS.

PRæcipua concluſio huius articuli colligitur ex ſolutionibus argumentorum, quibus diffinitio ſimoniæ in titulo poſita approbatur, & explicatur. Et ſic prima concluſio eſt affirmatiua. Secūda concluſio: Simonia eſt peccatum contra religionem. Hanc probat D. Tho. in corpore articuli tripli ratione. Primò; Quia res ſpiritualis nō poteſt aliquo terreno pretio cōpenſari. Secundò: Quia id poteſt eſſe debita materia emptionis & venditionis, cuius venditor eſt dominus; & prælati Eccleſiæ non ſunt domini, ſed diſpenſatores rerum ſpiritualiū. Tertiò: Quia venditio repugnat origini rerum ſpiritualium, quæ gratis donantur. Propter quæ omnia irreuerentiam irrogat rebus ſpiritualibus, qui illas vendit. Et quæcunq; irreuerētia facta Deo, & rebus diuinis eſt peccatum contra religionem: ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac materia diſputāt Doctores in 4. d. 25. Adria. quodl. 9. Gabr. ſuper cano. lect. 28. Altiſiodorenſis lib. 5. ſuæ ſummæ tract. 27. Alex. Alenſ. 3. p. q. 183. Soto lib. 9. de iuſtitia. q. 5. Summiſtæ, verbo, ſimonia. Ad cuius explicationem, vt à nomine ipſo exordiamur, aduertendum eſt, quòd hoc nomen ſimonia originem ducit à Simone Mago, qui vt habetur Act. cap. 8. oblata pecunia voluit à D. Petro Spiritum ſanctū emere. Et ſi quis quærat, quæ nam ſit ratio, propter quam hoc nomē potius à Simone, quā à Giezi famulo Eliſei, qui vt habetur. 4. Reg. cap. 5. idem vitium commiſit, vel à Balam Propheta, qui, vt dicitur Num. 22. pretio fuit conductus, vt malediceret populum Iſraeliticum, vel à Iuda proditore, qui Chriſtum vendidit triginta argenteis, fuit impoſitum? Reſpondeo quantum attinet ad Giezi, atque Balam, id factum fuiſſe multiplici ex cauſa. Primò. Quia iſti ad hiſtoriam pertinent veteris teſtamenti: cuius ſacramenta non erant æquè ſpiritualia ac noſtra. Secundò: Quia gratias tantum gratis datas, vt donum ſanitatis, & donum occidendi per maledictionem hoſtes (id enim Moabitæ à Balam petierunt) vendiderunt. At verò Simon Magus ipſum Spiritum ſanctum emere voluit. Non quidem in ſua perſona. Nam tale iudicium eſſet inſaniſsimum. Sed in ſuo dono, quod erat gratia gratum faciens omniū aliorum donorum ſpiritualium præſtātius, atque nobilius, vt habetur in cap. Saluator. 1. q. 3. Tertiò: Quia illi tantum vendiderūt, nihil ementes, at verò Simō Magus voluit emere, vt venderet. Sic enim dicit hiſtoria: Cum vidiſſet Simon, quòd per impoſitionē manus Apoſtolorū daretur Spiritus ſanctus, obtulit pecuniā dicens; Date mihi hāc poteſtatē, vt cuicunq; impoſuero manus accipiat Spiritum ſanctum, nempe, pretio accepto, vt ex venditione ſignorum, quæ per ipſum fierent multiplicatam pecuniam lucraretur, vt ex eodem cap. Saluator. addu-

De nomine ſimoniæ.

cit D. Thom. hic in ſolutione ad 4. Quantū autem attinet ad Iudam dico, quòd ille nō vendidit Chriſtum, exiſtimans in eo eſſe aliquid ſpirituale, nec etiam vendidit, vt ex eo alij lucrum reportarent, ſed potius, vt illum ignominioſa morte afficerēt; propter quod non fuit propriè ac formaliter ſimoniacus.

Diffinitio ſimoniæ Panormitani.

¶ Circa primam concluſionem D. Thom. in qua diffinitio ſimoniæ continetur, aduertendum eſt, quòd Panormit. & Hoſtien. ſuper cap. nemo. de ſimonia, quos etiam ſequitur Ricard. in 4. diſt. 25. quæſt. 1. dicunt prædictæ diffinitioni addendum eſſe, opere ſubſequuto, vt hac particula explicetur non eſſe vitium ſimoniæ, niſi quando actu venduntur res ſpirituales. Quam ſuam ſententiam probant argumento gloſſæ ſuper cap. qui ſtudet. 1. q. 1. vbi, diffiniens ſimoniam dicit, quòd eſt voluntas emendi, vel vendendi res ſacras cum effectu. Cæterùm hæc ſententia eſt falſa. Primò, quia vt conſtat ex Actis Apoſtolorum cap. 8. Simon Magus notatur hoc vitio; quia voluit emere gratiā Spiritus ſancti, quanuis ipſum opus non fuerit ſubſequutum. Præterea: Quia bona diffinitio omnes ſui diffiniti partes comprehendere debet, ſi autem illa particula adderetur non conueniret ſimoniæ mentali, quæ, vt infra dicemus, eſt vera ſimonia: ſed tantum ſimoniæ reali: ergo non eſt ponenda. Poterunt tamen Panorm. & Hoſtienſis defendi, ſicut & defenduntur à Sylueſtro in verbo, ſimonia. §. 1. Si dicamus, quòd illi tantū diffinierunt ſimoniam pertinentem ad forū exterius, & de qua iudicat Eccleſia, cuius conſideratio propriè pertinet ad Canoniſtas; & ea tantum eſt quando venduntur res ſacræ cum effectu.

Vera diffinitio ſimoniæ explicatur in ſolutione ad 2.

¶ Dicitur voluntas (ait D. Tho.) quia iniuſtitia omnis in voluntate conſiſtit, ſicut & iuſtitia. Ex quo deducitur ſimoniam ad iniuſtitiæ vitium pertinere, licet etiam pertineat ad irreligionem propter irreuerentiā, quæ rebus ſpiritualibus fit, cum pretio comparantur. Directè quidem ſimonia eſt irreligio; quia ex natura ſua, & principaliter eſt iniuria Deo, & rebus ſpiritualibus illata. Propterea q; D. Tho. tractat de illa inter vitia oppoſita religioni. Conſequenter tamen, & minus principaliter eſt iniuſtitia, inquantū rem alienam (cuius nullus in terra eſt dominus, etiam ſummus Pontifex, ſed diſpēſator) vendere intentat. Additur autem ſtudioſa, vt D. Thom inquit ad deſignandam electionem voluntatis. Sed id neceſſarium non eſt. In omni enim vitio electionem voluntatis cōſequi eſt neceſſe, & electionem imperiū: aliàs non eſſet actus humanus, vituperio dignus. Sicut etiam in omni actu virtutis electio omnino requiritur. Fortaſis iudicio meo addita fuit illa particula; quoniam ſimonia ſemper à patribus hæreſis eſt appellata. Non quia re vera eſſentialiter ſit infidelitatis actus; ſed vt explicat D. Thom. vel ſecundum exteriorem proteſtationem, quia ex quo aliquis vendit donum Spiritus ſancti, quodammodo proteſtari videtur ſe eſſe illius dominū, quod eſt hæreticum, vel, quia Simon Magus hæreticus fuit, affirmans mūdum à Deo creatum non fuiſſe; ſed à quadā ſuperua virtute, vt idem D. Thom. ex Iſidoro in lib. Etymologiarum docet. Et quia hæreſis eſt falſa ex electione ſententia; idcircò ſimonia fortaſſe diffinitur per voluntatem ſtudioſam. Additur, Emendi, & vendendi, quia in vtroque committitur irreligio, & irreuerentia, vt infra videbimus.

¶ Sed quo poſita diffinitio exactiùs explicetur, eſt circa illam prima difficultas, quid nam ſit id ſpirituale, cuius emptio, atque venditio ſimonia appellatur? Ad cuius intelligentiam aduertendum eſt, quòd hoc nomen, ſpiritus, propriè ſignificat anhelitū, id eſt, aerem ipſum, quem ſpirando attrahimus. In qua ſignificatione dixit Cicero lib. 2. de natura Deorum; Tribus rebus animalium vita continetur, cibo potione, & ſpiritu. Accipitur etiam pro vento, iuxta illud Virgilij lib. 12. Eneid.

Spiritus multa ſignificat.

Ac velut Edoni Boreæ cum ſpiritus alto,
Inſonat Ægæo.

Et tandem ſignificat animi elationem, ea, ſcilicet, de cauſa, quia animus elatus, quaſi tumet magno ſpiritu concepto. In qua ſignificatione dixit Cicero pro Sylla; Res geſtæ meæ me nimis extulerunt, ac mihi neſcio quos ſpiritus attulerunt. Et Cæſar lib. 3. belli ciuilis; his rebus tantum fiduciæ ac ſpiritus Pompeianis acceſſit, vt non de ratione belli cogitarent, ſed viciſſe iam ſibi viderentur. Sed, quia & ventus, & anhelitus, & animi elatio ſunt res inuiſibiles, ad ſenſumque incorporeæ, ex his ſignificationibus, quæ propriæ ſunt, translatum fuit nomen ab ſcriptoribus eccleſiaſticis, ad ſignificandas res omnino incorporeas, vt Deum, angelos, animum hominis, & etiam illa, quæ accidunt animis noſtris, vt virtutes, ſcientiæ.

Bona ſpiritualia ſunt in multiplici differentia.

¶ Secundo eſt aduertendum, quod bona ſpiritualia, quæ accidunt animis noſtris, ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt ab ſpiritu increato, alia autem ab ſpiritu creato: id eſt, quædam exiſtunt diuinitus vi ſupernaturali, vt gratia gratum faciēs, & virtutes infuſæ. Quædam verò parantur noſtro ſtudio, atq; labore, vt ſciētia. Rurſus: omnia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ista bona trifariam diuiduntur. Nam quædam sunt spiritualia per essentiam, vt gratia, virtutes, & scientiæ. Quædam verò sunt spiritualia secundum causam, id est, quæ producũt aliquid spirituale, & sunt causa illius, vt sacramentum. Alia autem sunt spiritualia effectiuè, id est, quæ efficienter sunt, & producũtur à rebus spiritualibus, vt vox doctrinæ, confessio miraculorum, & reliqua huiusmodi. Spirituali autem annexum dicitur res quæ cum sit corporea habet tamen aliquam colligantiam necessariam cum rebus spiritualibus. Et hoc adhuc dupliciter cõtingere potest. Vno modo quasi necessariò antecedens ad confectionem rei spiritualis, vt vasa sacra, & instrumenta, quibus vtimur in sacris efficiendis. Alio modo, quasi necessariò consequens ex rebus spiritualibus, vt ius percipiendi decimas, & prouentus Ecclesiasticos, aliaque huiusmodi, quæ sequuntur, vel ex potestate ordinis, vel iurisdictionis.

¶ His constitutis, cùm tot ac tanta sint bona spiritualia, quæ accedunt animis nostris, dubium est vtrùm omnia ista sint materia simoniæ? In qua difficultate, vt certa ab incertis separemus dico primò certum esse, id spirituale, quod in sacris literis appelatur donum Spiritus sancti, & procedit ab spiritu increato, ità esse materiam simonię, vt illud vendere sit peccatum. Probatur: Quia propter has res, quas emere voluit Simon Magus, fuit damnatus Act. 8. Itẽ Christus loquens de eisdem Matth. 10. dicit: Gratis accepistis gratis date. Quæ autem sint spiritualia, hoc modo explicat Paul. 1. ad Corinth. 12. dicens: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Diuisiones ministeriorum sunt, &c. Et ad Ephes. 4. Ascẽdens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem. Dedit dona hominibus: & ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam, autem Prophetas &c. ¶ Dico secundò, etiam esse certum, omnia, quæ spectant ad salutem animarum, & gloriæ consequutionem, dici in præsenti spiritualia, quæ sunt materia simoniæ, siue sint spiritualia per essentiam, siue secundum causam, siue effectiuè. Probatur: Quia omnia huiusmodi, vel sunt dona Spiritus sancti, vel procedunt ex donis. Et ad hoc genus bonorum pertinent consilia, quæ dantur à Theologis, & vitis bonis in rebus dubijs ad salutem animæ pertinentibus. Itaque hæc certa sunt, & extra controuersiam posita. Sed dubium est, vtrùm spiritualia naturalia, quę procedunt ab spiritu creato, vt scientia sint materia simoniæ. Ad cuius explicationem est aduertendum, quòd in præsenti nõ quęrimus, vtrùm quis possit emere, vel vendere scientias, vel artes in seipsis, sicut triticum & oleum vendere solemus. Id enim esset stultum, & à ratione alienum; cùm in nullius potestate sit vendere scientiam, quã habet in anima. Sed quod quærimus est, vtrùm liceat scientiarum vel artium peritis pretio docere. Hoc enim est vendere scientias. De qua re sunt variæ Doctorum sententiæ. Nam Altisiodorensis lib. 3. tracta. 21. partem tenet affirmatiuam, dicens, quòd vendere aut emere scientiam naturalem, est simoniacum. Idem etiam tenet Alexan. Alensis. 2. part. quæst. 185. & gloss. in cap. non licet. 11. q. 2. Et est communis opinio apud Canonistas, vt est videre apud Syluestrum, verbo, simonia. §. 10. Imo D. Tho. in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 3. in eadem est sententia. Quæ probari potest pluribus argumentis. Primò ex illo Prouerb. 23. Noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intellectum. Secundo ex D. August. qui in lib. de magisterio dicit; Spiritus sanctus est qui interius homines edocet scientias, etiam naturales: ergo qui illa vendit dona profanat Spiritus sancti. Tertio ratione sic argumentor: Ideò res sacræ non possunt vendi, quia nullo pretio possunt æstimari, vt dicit D. Tho. in hoc articulo; sed scientiæ etiam naturales non possunt pretio æstimari, dicente Salomone; Prouerb. 3. pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari: ergo.

Sententia Altisiodorẽ. & aliorum.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

¶ His tamen non obstantibus dico, contrariam sententiam esse probabiliorẽ. Quã tenet Armacanus lib. 10. cap. 8. Durand. in 4. d. 25. q. 3. Paluda. eadem. d. q. 5. Adrianus, quodl. 9. & D. Thom. infrà artic. 3. huius q. & in solutione ad 3. Et probatur primò: Simon Magus, qui autor fuit huius vitij ob id solum damnatus dicitur, quia voluit emere dona Spiritus sancti, & non scientias naturales: ergo scientiæ naturales non sunt materia simoniæ. Item: Christus Matthæi. 10. cum statuisset legem de non vendendis rebus spiritualibus dicit: Gratis accepistis gratis date. Quasi significans eo potissimum ratione spiritualia esse conferenda sine pretio; quia gratis nobis fuerunt collata: sed scientiæ naturales non sunt huiusmodi, sed cum magno labore, atque studio acquiruntur: ergo. Et confirmatur: Si contraria sententia esset vera, sequeretur, quòd neq; iurisperiti consilio, nec aduocati patrocinio suo possent quæstum facere. Imò sequeretur, q̃ qui docent pueros prima elementa nõ possent aliquid accipere: consequens autem est falsum, & contra cõmune vsum Ecclesiæ: ergo. Ad hoc argumentum autores contrariæ sententiæ respondent, quod quanuis verum sit, quod nec scientia, nec ars etiam sutoria vendi possit; labor tamen qui in tali arte vel scientia tradenda ponitur est pretio æstimabilis. Et sic viri illi possunt quæstum facere, non ex doctrina, sed ex labore. Cæterũ hæc solutio mihi non placet. Primò: Quia labor, qui non potest diuidi à ministerio spirituali, vendi non potest, vt infrà dicemus. Secundò: Quia si verum esset, quòd tantũ venditur labor, sequeretur, quod qui doceret iurisprudentiam, exiguo labore minori mercede dignus esset, quam qui docet artem sutoriam cum magno labore. Consequens autem est absurdum, & contra cõmunem vsum reipublicæ, quæ vnicuique arti pretium constituit non pro quantitate laboris, sed pro dignitate artis: ergo. Sequela probatur: Quia cum res aliqua corporalis, cui est annexa spiritualis, venditur, non potest pluris vendi ratione spiritualis, quam si tantum esset corporalis. Vt, verbi gratia: Si quis vendat calicem consecratum, non potest pluris vendere; quia consecratus est, quam si nõ esset consecratus: ergo si in traditione scientiarum tantum venditur labor, pretium erit taxandum, non ex dignitate actis, sed ex quã titate laboris. Atque ex consequenti vbi fuerit maior labor, erit futurum maius pretiõ: quod est absurdum. Quocirca dicendum proculdubio est, q̃ quæcunque spiritualia procedentia ab spiritu creato, qualia sunt naturalia, vendi possunt ad modum iam explicatum.

Conclusio.

Notæ pro solutione argumentorum.

Res vtiles in triplici differẽtia.

¶ Et vt ad argumenta respondeamus, aduertendum est primò, quod rem aliquã esse pretio dignam, vt latius explicauimus supra q. 77. art. 1. accidit ei non absolutè, sed per comparationem ad humanos vsus, quibus est vtilis, vel inutilis. Nulla enim res quantumuis sit sua natura perfecta est pretio æstimabilis, nisi aliqua ratione sit vtilis vitæ humanæ, & pro ratione vtilitatis erit maioris, vel minoris pretij. Ex quo fit, vt res, quæ secundum suam naturam excedunt omne pretium, relatæ ad vsus humanos, possint pretio æstimari. Vt est videre in æstimatione vitæ facta de homine occiso, vt hæredibus satisfiat. Tunc enim vita, quæ nullo pretio est æstimabilis, etiam si sit hominis pauperrimi, habita ratione vtilitatis, quam ex illa hęredes erant percepturi, pretio æstimatur, & compensatur. Et idem etiam contingit in traditione scientiarum naturalium.

¶ Secundo est aduertendum, quod res vtiles hominibus ad huius vitæ vsus sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt vtiles tantùm in ordine ad bona temporalia. Aliæ in ordine ad bona spiritualia & felicitatem æternam. Aliæ verò in ordine ad vtrumq; sed ad vnum proprie, & per se, ad aliud autẽ secundariò, & per accidens. Et quidem de rebus, quę afferunt vtilitatem spiritualẽ vel solã, vel præcipuam, dictum est suprà, quod non possunt pretio æstimari, nec vendi. Sicut nec ipsæ res spirituales vendi possunt. De rebus autem, quæ afferunt vtilitatem temporalem, vel solam, vel præcipuam etiam dico, quod possunt pretio æstimari, atque vendi pro ratione vtilitatis temporalis, quam important, vt optimè explicat Caietanus in summa. verbo. simonia. statim in principio. Est tamen hoc intelligendum dummodo ipsæ res, quæ afferunt vtilitatem temporalem, aliàs non sint talis generis, vt sint gratis conferendæ. Nam ad hoc, vt aliqua res sit vendibilis non satis est, quod sit pretio digna, sed vltrà hoc etiam requiritur, quod nõ sit gratis donanda. Multæ enim res sunt, quæ quanuis sint pretio æstimabiles, vendi non possunt: quia dari non debent, nisi gratis. Quales sunt illæ, quæ non ad priuatũ vsum, sed ad commune commodum conferuntur. Vt est videre in ærario publico. Quod, quia communi ciuium causa congestum est, cùm diuiditur, gratis est diuidendum. Et ad hoc etiam genus pertinent omnes res spirituales ad salutem animæ pertinentes, quas Christus non ad priuatam vtilitatem alicuius hominis, sed ad communem animarum salutẽ instituit. Ex quo sequitur, quod quantumuis ista bona spiritualia sint nobis vtilia, nõ solum ad animæ salutem, sed etiam ad corporis vtilitatem, adhuc tamen vendi non possunt: quia hæc est illarum rerum natura, vt gratis debeant donari.

¶ His suppositis ad primum argumentum respondeo, quod Salomon eo in loco non agit de vera emptione, aut venditione, nec de simonia. Sed totus ille sermo est metaphoricus. Quo explicat tanti esse faciendam sapientiam, vt, si illa emi, aut vendi posset, deberet qui illam non habet, eam sibi comparare, quantumuis maximo pretio, & qui possidet nullo pretio illam à se alienare. Ad secundum respondetur, quod quãuis Spiritus sanctus dicatur docere omnes veritates naturales, aliter tamen quam supernaturales. Vnde scientiæ, & artes non dicũtur dona Spiritus sancti, nisi ea ratione, qua omnes aliæ res naturales sunt dona Dei. Quas vendere licet, quia non gratis dantur hominibus, vt gratis communicentur. Ad tertium respondetur, quòd licet scientiæ naturales absolutè & secundum se consideratæ, hoc est quatenus continent cognitionem alicuius veri

Ad. 1. arg.

Ad. 2. arg.

Ad. 3. arg.

1. Dictum certum.

2. Dictum certum.

Pũctus difficultatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sint pretio æstimabiles, relatæ tamen ad vsus humanos pretio æstimantur, & sic vendi possunt.

Dubiũ de Theologia. ¶Sed est peculiare dubium de Theologia, vtrùm pretio tradi possit? Et pro parte

1. Opinio. negatiua est argumentum: Theologia continet doctrinam rerum supernaturalium, quæ fuerũt reuelatæ à Deo, ad communem animarum salutem: ergo non potest pretio tradi. Item concionatores tenentur gratis concionari: quia eorum ministerium ordinatur ad salutem animarum: ergo & Theologi tenentur gratis docere. Patet consequentia: Quia æqua est vtrobique ratio: si quidem eadem omnes docent. Propter hæc argumẽta Hostiensis in cap. quia nonnullis. de magistris, & Paludanus in 4. d. 25. q. 5. & Sylue ster verbo, simonia. §. 10. tenent esse simo-

2. Opinio. niacum pretio docere Theologiam. Contrariam tamen sententiam tenent Adrianus quodl. 9. & Victoria in relectione de simo-

1. argum. nia, & Soto lib. 9. de Iustitia, q. 5. art. 1. Et probatur: Licèt principia Theologiæ fuerint diuinitus reuelata, ipsa tamen Theologiæ facultas maximo sudore atque labore paratur: ergo potetit vnusquisque eos labores suæ vtilitatis causa impendere; atque ex con-

2. argum. sequenti vendere Theologiam. Secundò: Iurisperitus in causa spirituali, vt matrimoniali, potest vendere suum patrocinium, atque consilium: ergo & Theologus suam doctrinam.

Sententia autoris. ¶Ego tamen ad explicationem huius difficultatis dico duo. Primum est, quod si loquamur de Theologia scholastica, in qua Doctores tam multa opportunè, & importunè ex Logica Metaphysica, & ex alijs scientijs immiscent, proculdubio eadem ratio est de illa, quæ de alijs facultatibus. Quia vt sic tantum illuminat intellectũ, sicut aliæ scientiæ: nec ordinatur ad corrigendos mores, aut inflammandos animos amore rerum supernaturalium, vt in concionibus contingit. Secundum dictum est, quod si loquamur de vera & pura Theologia, eam vendere erit simoniacũ. Probatur: Vera Theologia, eaque ad salutem animarum necessaria sunt, & docet, & defendit: sed ista pretio docere est simoniacum, dicente Christo Marci vlti. Docete omnes gentes. Et D. Paulus ad Ephes. 4. enumerat illam inter dona Spiritus sancti, dicens, ipse dedit quosdam Apostolos, alios Doctores, &c: ergo. Item Theologia proximè & immediatè respicit bona spiritualia, ad quæ ordinatur: ergo non potest vendi. Consequentia est nota: Quia quæ hoc modo respiciunt spiritualia, vendi non possunt, vt sacramenta. Antecedens autem probatur ex D. Augustinò. Qui loquens de Theologia; Hæc, inquit, est vna scientia, qua fides salubertima gignitur, defenditur, & roboratur. Et confirmatur: Natura scientiæ non est pẽsanda ex fine scientis, sed ex fine scientiæ: finis autem Theologiæ est illustrare, tueri, atque roborare fidẽ, componereque mores in ordine ad vitam ęternam: ergo non obstãte, quod à nobis ordinetur ad alium finem non poterit pretio vẽdi: Poterit tamẽ Theologus accipere stipendium pro congrua sustentatione.

Ad. 1. arg. pro. 2. opinione. ¶Et ad primum argumentũ secundæ opinionis, respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam quando res est verè spiritualis, aut spirituali annexa, impertinens est, quod labore paretur, aut secus, ad hoc, vt vendi possit. Nam etiam prædicatores egregij magno labore comparãt eloquẽtiam, & eruditionem ad prædicandum necessariam. Et tamen ex hoc non sequitur, quod possint ex illa quæstum facere. *Ad. 2. arg.* Ad secundum respondetur, primò concesso antecedenti, negando consequentiam: Quia cõsilium siue patrocinium semper respicit vtilitates temporales. Vel secundo respondetur, negando antecedens, si ex consilio sequatur bonum spirituale. *Corollar.* Ex dictis infertur, quod omnia, quæ spectant ad animarum salutem, & felicitatem consequendam dicuntur in præsenti spiritualia, quæ sunt materia simoniæ. Alia autem, quanuis corpore careant, non dicentur hac ratione spiritualia, nec illa vendere erit simonia.

Dubium. ¶Est aliud dubium, vtrùm, sicut est simonia vendere, aut emere vsum rei spiritualis ad salutem animæ pertinentis: ità etiam sit simonia emere cessationem earumdem rerum? Quod est quærere, vtrùm si sacerdos paratus celebrare, vel absoluere, pretio desistat ab his operationibus, sit dicendus simoniacus? In quà re Panormitanus super cap. nemo. de simonia. partem tenet affirmatiuam. Quam probat primò ex eodem textu. *1. argum.* Vbi dicitur: Nemo presbyterorum minus dignè pœnitentem gratia, vel fauore ad reconciliationem adducat, vel quocunque lũore dignè pœnitentem à reconciliatione re-

2. argum. moueat; quia simoniacum est vtrumque. Secundo sic argumentor: Fere nullum vitium est, in quo vtroque modo peccari non possit, scilicet, cõmissiuè, & omissiuè: ergo idẽ etiam est dicendũ de simonia. Tertio, Episco-

3. argum. pus, qui clericum priuandum beneficio pretio corruptus non priuat, peccat peccatõ simoniæ, vt communiter tenent omnes Doctores cum Syluestro, verbo, simonia. §. 13. ergo propter quæstum cessare ab opere sacro

Sententia vera. cro est simonia. Contrariam tamen sententiam tenet Innocentius super dictum capit. nemo. & Victoria in relectione de simonia, quæ proculdubiò est vera, & tenẽda. Et probatur primò: nam si vendere cessationem ab opere spirituali esset simonia, sequeretur, quod quacunque ratione hoc fieret esset simonia; consequens autem est falsum: nam si ego pretio contendam clericum excõmunicatum, qui in animum induxit celebrare, auertere ab illo opere, nõ pecco, sed potius mereor: ergo. Item si contraria sentẽtia esset vera sequeretur, quod quicunque sacerdos, qui in administratione sacramentorum esset negligens, vel propter otium, vel rei familiaris causa, esset simoniacus: consequens autem est falsum, & absurdum: ergo. Probo sequelam: Nam faceret commutationẽ cessationis sacramentorum pro bono tempora-

Ad. 1. arg. li. ¶Et ad primum argumentum respondetur, quod textus ille appellat simoniam venditionem cessationis à rebus spiritualibus. Non quia in rei veritate sit simonia: sed quia præsefert speciem quandam simoniæ. Et est maximũ indicium, quod animus illius sit ad simoniam propensus. Nam qui pretio ductus cessat ab opere spirituali, ad quod tenetur, quasi ostendit, quod eodem pretio facilius poterit adduci ad hoc, vt suum, & debitum munus exerceat. Vel secundo respondetur, quod ille actus ex lege positiua punitur pœna simoniæ, licèt re vera, & ex sua natura non sit simoniacus. *Ad. 2. arg.* Ad secundum respõdetur, negando antecedens. Nam sunt plura vitia, in quibus peccare non possumus, nisi sola commissione. Qualia sunt illa, quæ præ-

Ad. 3. arg. ceptis negatiuis prohibentur. Ad tertium respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Episcopus enim in eo casu verè vendit rem spiritualem, scilicet, beneficium Ecclesiasticum, quo priuare tenebatur sacerdotem illum indignum. Quia eo ipso, quod non priuat confert, atque ex consequenti facit quæstum ex venditione rei spiritualis; quod est simoniacum. Si quis autem quærat, quo nam pacto peccet ille, qui pretio corruptus cessat ab operatione spirituali quam exercere tenebatur; respondeo, quod peccat peccato auaritiæ, præferente speciẽ simoniæ.

Studiosa voluntas. ¶De illa particula, studiosa voluntas, quæ ponitur in diffinitione simoniæ iã diximus ex mente D. Tho. quod denotat subiectum huius vitij, quod est voluntas. Nam cum simonia sit species iniustitiæ, & iniustitia sicut & iustitia subiectetur in voluntate; quod etiam simonia in voluntate subiectetur erit necesse. Hoc enim interest inter virtutes, quæ componunt hominem in ordine ad seipsum, & illas, quæ componunt eum in ordine ad alterum: Quod eum voluntas respectu proprij boni sit per se sufficienter propensa, & inclinata nõ indiget respectu illius alia virtute præter eas, quæ ponuntur in potentijs, quæ passionibus, atque affectibus turbantur, & ob id tẽperantia in cõcupiscibili, & fortitudo in irascibili sita est, vt docet Aristo. 2. Eth. Cæterũ: quia voluntas non sic est propensa, & inclinata in bonum alterius, sit, vt quanuis potentiæ inferiores nullas patiãtur affectiones, adhuc tamen ipsa indigeat virtute superaddita, & inclinante ad persoluenda proximis debita officia: & sic ponimus iustitiam. Cum ergo simonia sit pars in iustitiæ in voluntate collocanda erit. Et propterea dicitur in diffinitione, quod est studiosa voluntas, hoc est deliberata voluntas. Id enim significat ly studiosa, in hoc loco; vt diximus in principio huius articuli.

¶Circa illã particulã, emẽdi, vel vẽdẽdi, nota-

Dubium de commutãti bꝰ spiritua lia pro spiritualibus. ndũ est ex D. Tho. hic ad. 5. q nomine emptionis & venditionis intelligitur in præsenti quicunque contractus non gratuitus. Sed est difficultas, vtrùm sicut est simonia, dare aliquid temporale pro spiritualitità etiam sit simonia, dare spirituale pro spirituali. De qua re Ricardus in. 4. d. 25. q. 3. partẽ tenet affirmatiuam. Dicens, quod si quis commutet rem spiritualem pro spirituali; vt si, verbi gratia, duo conueniant inter se se, vt vter que oret pro altero; vel sacrificet, erit simoniacus. Et ratio est. Quia talis contractus nõ est gratuitus, continetque emptionem, & vẽditionem rei spiritualis. Contrariam tamen sententiam tenent communiter omnes Doctores. Ad cuius explicationem est aduertendum, quod bona spiritualia sunt in duplici differentia, quædam enim sic sunt spiritualia, vt nihil temporale habeant annexũ, seu admixtum, vt administratio sacramentorũ, orationes, &c. Alia autem sic sunt spiritualia vt tamen habeant admixtum aliquid temporale, vt beneficia, præbendæ, &c. Hoc sup- *1. Dictum.* posito dico primo, facere commutationem earum rerum spiritualium, quibus nihil temporale est annexum non est simonia. Probatur primo: Nam Simon Magus Act. 8. ea dũtaxat ratione fuit damnatus, quia pretio temporali voluit emere rem spiritualem: ergo quando pro vna re spirituali alia datur non erit simonia. Et confirmatur: Quia Matth. 10. cum Christus præcepisset, vt dona Spiritus sancti gratis donarentur, dicens: Gratis accepistis gratis date, subdit statim: Nolite possidere aurum, neque argentum, neq; pecuniã, in zonis vestris; Quasi significãs pro

his

Universidad de Deusto
Biblioteca

his tantum rebus temporalibus non posse spiritualia commutari: ergo cum spiritualia pro spiritualibus commutantur, non est simonia. Item ex hac commutatione rerū spiritualium pro spiritualibus, nullum sequitur inconueniens in Christiana republica, nec rebus ipsis sacris aliqua irrogatur iniuria: ergo non est simonia. Dico secundo: Facere commutationem earum rerum spiritualiū, quibus aliquid temporale est annexum, vt verbi gratia, beneficium pro beneficio commutare sine autoritate Papæ cēsetur in iure simoniacum, & punitur pœna simoniæ. Probatur expresse ex capit. quęsitum. de rerum permutatione. Vbi dicitur. Permutationes præbendarum de iure fieri nō possunt: quia continent labem simoniæ. Et in capit. cùm olim. eodem titulo dicitur, quod summus Pontifex priuauit beneficijs eos, qui propria autoritate iliorum permutationem fecerant. Et hæc est communis sententia omnium Doctorum. Sed dubium est, vtrum in rei veritate huiusmodi permutationes ex natura sua sint simoniacæ. Ad cuius explicationem dico tertio, stando in solo iure naturali, & diuino seclusis legibus positiuis: Permutationes præbendarum propria autoritate factæ non sunt prohibitæ: Atque ex consequenti ex natura sua non sunt simoniacę. Nisi forte taliter fierent, vt intuitu tēporalis rei spiritualis tribueretur. Probatur: si tales permutationes ex natura sua essent simoniacæ, & contra ius naturale, & diuinum, nec etiam interposita autoritate Papæ possent fieri: sed si adsit autoritas Papæ licitè fiunt, vt communiter tenent Doctores: ergo. Item: Si quis venderet sacramenti confectionem sub hac conditione, si Papa consenserit perinde esset simoniacus, ac si talem conditionem non apponeret: quia illa venditio ex natura sua est simoniaca iure naturali, atque diuino prohibita: sed si duo clerici paciscantur de permutandis beneficijs adiuncta conditione, si Papa consenserit, non essent simoniaci, vt cō muniter docent Doctores ex iuris determinatione: ergo talis permutatio ex natura sua, non est simoniaca, quanuis puniatur pœna simoniæ. Dixi notanter: Nisi fortè taliter fieret, quod intuitu rei temporalis spiritualis tribueretur. Nam si duo clerici conuenirent inter se de permutandis præbendis; & vnus illorum ratione dignitatis, vel iurisdictionis adiūctæ peteret ab alio aliquod pretium, tunc verè esset simoniacus, quanuis ex Papæ dispensatione fieret, quia venderet rē spiritualem pro temporali, quod intrinsece est malum, vt statim dicemus. Ratio autem, propter quam permutationes præbendarum prohibentur in iure, cum tamen non prohibeantur commutationes rerum spiritualium, quibus nihil temporale est annexum, est, quia in beneficijs, & præbendis coniunguntur res temporales cum ipso iure præfecturæ, quod est spirituale. Et sic qui commutat beneficium pro beneficio, videtur id non facere propter ius spirituale assequendum, cùm ipse habeat simile ius. Sed quia intelligit ad suas rationes alterius beneficium esse vtilius: & sic, quod commutat ius spirituale sui beneficij pro vtilitate temporali: quod est simonia. Cæterùm in commutatione rerum spiritualium, quibus nihil temporale est annexum, id nō contingit. Et ad rationem Ricardi respondetur, quod non quicunque contractus nō gratuiti sunt simoniaci, sed illi solum, in quibus spirituale accipitur pro temporali, vel è contra ad modum iam explicatum.

1. Dictum. — *Commutatio præbendarum iure est prohibita.* — 2. Dictum. — 3. Dictum.

¶ Circa secundam conclusionem Dini Thomæ, qua dicit simoniam esse peccatum contra religionem, est difficultas, quo nam iure simonia sit prohibita? In qua re, vt certa ab incertis seperemus, dico primò certum esse, quod simonia non solum est prohibita iure diuino positiuo, sed etiam iure naturali. Et quidem, quod sit prohibita iure diuino positiuo, sufficienter probatur ex illo Matth. 10. Gratis accepistis gratis date. Quod autem etiam sit prohibita iure naturali, probatur primò: Quia Balaam dicitur peccasse hoc peccatum, & de eo reprehenditur à D. Petro prima sua canon. cap. 2. & tamen Balaam fuit tempore legis naturæ. Item: Si simonia tantum esset prohibita lege diuina positiua, sequeretur, quod Simon Magus meritò esset dignus venia, posset que excusari à peccato ignoratione huius legis: consequens autem est falsum, vt constat ex cap. 8. Acto. ergo. Prætereà ratione sic argumētor. Ratio naturalis dictat ea, quæ ad bonum publicum spectant, gratis esse distribuenda, & quod spiritualia, atque cælestia non sunt comparanda rebus temporalibus: ergo etiam dictat simoniam esse malam. Et confirmatur: Lege naturæ præcepta sunt omnia, quæ sunt necessaria ad reipublicæ gubernationem, atque tutelam: sed vnum ex his est, quod magistratus, & beneficia Ecclesiastica non vendantur, nam sic careret respublica optimis ministris, & peruenirēt dignitates non ad optimos quosque, sed ad opulentiores, quod est inconueniens: ergo & ipsa ratio naturalis dictat simoniam esse malam; atque ex consequenti est prohibita iure naturali. ¶ Dico secundo, etiam esse certum, quod simonia est prohibita iure humano

Dubiū de iure quo simonia est prohibita. — 1. Dictum certum. — 2. Dictum certum.

humano positiuo. Extant enim permulta capita, in quibus & simonia prohibetur, & imponitur pœna contra simoniacos. Vt est videre in Decretalibus toto titulo de simonia. Itaque hæc certa sunt. Sed dubium est, vtrùm sit aliqua simonia iure tantum humano positiuo prohibita, non diuino, vel naturali: De qua re glossa super capit. ex parte, de officio delegati, partem tenet affirmatiuam. Distinguit enim duplicem simoniam, vnam prohibitam; quia malam: alteram malam; quia prohibitam. De qua dicit, quod cessante prohibitione, & lege positiua, non esset mala. Opinionem glossæ sequuntur communiter omnes ferè Canonistæ, & ex Theologis Syluester verbo, simonia. §. secundo, & Caietanus opusculo de simonia, & in summa, verbo, simonia. Ponuntque exemplum isti Doctores in venditione calicis, qui venditur pluris, quia consecratus est. Et in venditione quorumdam officiorum Ecclesiasticorum, quibus nihil spirituale est annexum, vt officium procuratoris, sacristæ & protectoris Ecclesiæ: quorum prohibetur venditio in cap. saluator. 1. quæstione tertia. Contrariam tamen sententiam tenet Durandus in quarto, distinctione vigesimaquinta, quæstione quinta. Et ratio illius est: Nam simonia est emptio, vel venditio rei spiritualis: sed Ecclesia non potest facere, quod id quod est temporale sit spirituale, vel è contra: non enim potest mutare rerum naturas: ergo nec poterit efficere, quod aliqua sit simonia, quæ anteà non erat, atque ex consequenti nulla est simonia prohibita tantum iure positiuo. Et quidem, quāuis sententia Durandi mihi vera videatur: ratio tamen illius est apertè falsa. Bene enim potest Ecclesia facere, vt sit spirituale id, quod nec ex sua natura, nec ex iure diuino erat tale, vt est videre in consecratione Ecclesiæ, & in benedictionibus calicis, & ornamentorum. De quibus constat iure humano fuisse introductum, vt benedicerentur. Vnde ad explicationem difficultatis est aduertendum, tria esse genera commutationum, de quibus potest dubitari, vtrum sint simoniacæ iure tantum positiuo. Primum est cùm venduntur res, quæ ex dispositione iuris positiui habent, quod sint spirituales, vt vasa sacra atque ornamenta: secundum genus est, quando venduntur res planè temporales pertinentes tamen ad ministerium Ecclesiæ, de quibus præceptum est ne vendantur, vt officium sacristæ, officium œconomi & procuratoris. Tertium genus est, quando res verè spirituales quibus annexum est aliquid spirituale propria autoritate commutantur, vt contingit in commutationibus beneficiorum.

Punctus difficultatis. — *Sententia Caietani, & aliorū.* — *Sententia Durandi.*

¶ His suppositis, dico primò, quod vendere ea, quæ habent, vt sint spiritualia, ex dispositione iuris humani, vt vendere calicem, & ornamenta, quia consecrata sunt, est simonia contra ius diuinum & naturale. Probatur: Licet iure humano factum sit, vt vasa sacra, atque ornamenta benedicantur; tamen postquam id factum est, ius diuinum & naturale prohibet, ne huiusmodi res vendantur: ergo talis venditio est simonia contra ius naturale & diuinum. Et confirmatur: Spirituale, quod est in calice, vel ornamentis est nō venale cum sit spirituale, & ius naturale, atque diuinum præcipiti, ne ea, quæ venalia non sunt, vendantur: ergo qui contrarium facit peccat contra ius naturale, & diuinum. Dico secundo, quod qui vendit officia planè temporalia, pertinentia tamen ad ministerium Ecclesiæ, vt officium sacristiæ, procuratoris, &c. punitur in iure pœna simoniæ, sed non est simoniacus proprie loquendo. Et quidem, quod puniatur pœna simoniæ, habetur expresse in capit. saluator prima, quæstione tertia. Quod autem non sit verè & propriè simoniacus probatur: Posita lege & prohibitione humana, quæ præcipit, ne talia officia vendantur ad huc ipsa remanent verè temporalia: ergo illa vendere non erit simonia, cum simonia tantum sit emptio, aut venditio rei spiritualis. Dico tertio, quod qui faciunt commutationes beneficiorum propria autoritate sine licentia summi Pontificis puniuntur in iure pœna simoniæ, sed non sunt verè ac propriè veri simoniaci, nisi fortè id faciant intuitu rei temporalis, vt paulò antea dicebam. Et quidem, quod puniantur pœna simoniæ, est res manifesta. Quod autem non sint verè, ac propriè simoniaci, probatur: Non faciunt commutationem rei spiritualis pro temporali, sed spiritualis pro spirituali, quod verè ac propriè non est simonia, vt supra ostendimus: ergo. Item: Si essent verè, ac propriè simoniaci, sequeretur, quod nec etiam intercedente summi Pontificis dispensatione, similes permutationes fieri possent, cùm summus Pontifex in vera ac propria simonia non possit dispensare, consequens autem est falsum & contra communem vsum Ecclesiæ: ergo. Ex dictis infertur, nullam esse vere ac propriè simoniam prohibitam tantum iure positiuo; sed omnes

1. dictum. — 2. dictum. — 3. Dictum.

sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt contra ius naturale, & diuinum, quidquid in hac re dicant Canonistæ.

Aliud dubium. ¶Est aliud dubium, vtrùm à principio mundi, & apud omnes nationes potuerit esse hoc vitium simoniæ? In qua re omissis varijs modis dicendi, vt quid mihi verum videatur, explicem, dico primo, certum esse de fide, quod hoc vitium potest esse in lege Euangelica. In qua certa fide est tenendum esse plura bona spiritualia, quæ si vendantur erit simonia. Dico secundo, etiam esse certum, quod ante legem Euangelicam potuit hoc vitium esse in illis, qui vixerunt in lege Mosayca, atque etiam in lege naturæ. De lege Mosayca est res manifesta. Nam certum est de fide, homines illius temporis verè habuisse donum prophetiæ, & sacerdotalem potestatem, multaque alia bona spiritualia ad cultum Dei pertinentia; quorum venditio verè ac propriè esset simonia. Et sic Giezi quarto Regum quinto. Et Ieroboam tertio Regum decimotertio, hoc vitio notantur. De his autem, qui vixerunt in lege naturæ probatur: Nam etiam apud illos, fuit verum ac legitimum sacerdotium ordinatum ad salutem spiritualem. Vt est videre in Melchisedech, qui in lege naturæ fuit verus sacerdos, iuxta doctrinam Pauli ad Hebræos septimo, octauo, & nono. Sed dubium est, vtrùm ante legem Euangelicam apud paganos, & infideles potuerit esse hoc vitium simoniæ. De qua re Victoria in relectione de simonia partem tenet affirmatiuam. Et ratio illius est, nam ante aduentum Christi, vnaquæque respublica habuit potestatem eligendi veros sacerdotes, qui res diuinas administrarent: Et qui hac ratione eligebantur habebant veram potestatem, quanuis illa abuterentur: ergo essent simoniaci, si talis potestas venderetur. Ego tamen contrariam sententiam existimo probabiliorem cum Durando, Adriano, & Paludano locis citatis. Vnde vltimò dico, quod ante legem Euangelicá non potuit esse vitium simoniæ apud paganos, & infideles idolis seruientes, nisi tantum secundum æstimationem. Probatur: Apud paganos, & infideles idololattas non erat aliquid re vera spirituale, aut spirituali annexum: ergo nec potuit esse vera simonia. Consequentia est nota, & antecedens probatur: Nam omnia sua sacerdotia ordinabantur ad falsos deos. Et ad argumentum in contrarium factum respondetur, verum esse, quod vnaquæque respublica haberet potestatem eligendi veros sacerdotes, si viueret in lege naturæ. Cæterum in præsenti tantum est sermo de republica pagana, & infideli, quæ suos sacerdotes crearet in ordine ad falsos deos. Et de illa dicimus, quòd qui emeret, aut venderet huiusmodi sacerdotia non esset simoniacus. Quia re vera non emeret, aut venderet sacerdotia, quæ talis respublica posset instituere, si viueret in lege naturæ: sed ea, quæ re ipsa dat, quæ nec spiritualia sunt, nec vera sacerdotia.

1. *Dictum certum.*

2. *Dictum certum.*

Punctus difficultatis.

Sententia Autoris.

Dubiũ de Papa an cõtrahat simoniam.

¶In solutione ad septimum argumentum, dicit Diuus Thomas, quod potest Papa incurrere simoniam, sicut quicunque alius homo. Circa quod solet communiter disputari, vtrùm Papa possit incurrere eam simoniam, quæ solum est de iure positiuo? Cæterùm cum nos dixerimus nullam esse veram simoniam, que non sit contra ius diuinum, & naturale, cui etiam summus Pontifex est subiectus; talis difficultas non habet locum. Dico tamen, quod si fuerit simoniacus non incurret excommunicationem, nec alias pœnas latas à iure: quia illis summus Pontifex subiectus esse non potest. Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm Papa peccet mortaliter vendendo eas res temporales, quæ ex dispositione iuris sequuntur conditiones rerum spiritualium, vt officium sacristæ, procuratoris, &c. Ad cuius explicationem dico primò, certum esse, quod si tales res vendat ex rationabili causa, nullum peccatum committit. Probatur: Nam legislator ex rationabili causa potest dispensare in legibus à se latis: talis autem est summus Pontifex: ergo. Ex hoc infertur, quod etiam potest alijs dare licentiam vendendi talia officia ex legitima causa. Nam ille, qui secum dispensat, potest etiam & cum alijs dispensare quando volnerit. Dico secundo: Si Papa vendat huiusmodi officia sine causa legitima, peccat mortaliter. Probatur: Quia, vt docet Diu. Thom. 1.2. quæstione nonagesima sexta, articulo quinto, princeps obligatur suis legibus, quantum ad vim directiuam. Id est, tenetur sequi normam viuendi, quam alijs sequendam proponit: quanuis si secus fecerit cogi non possit. Vnde Matthæ. vigesimo tertio, Dominus increpat grauiter Pharisæos, quia id, quod alijs præcipiebant ipsi non faciebant. Vtrùm autem Papa sacerdotium alicui simoniacè vendens, sit censendus ipso facto super pœnis iuris cum illo dispensare, ità, vt emptor ille, nec esset excommunicatus, nec renunciare præbendam teneretur? varietate opinionum disputatur à Doctoribus. Paludanus in quarto, distinctione vigesimaquinta,

Responsio.

An Papa vendens beneficiũ dispenset in pœnis iuris

ta, quæstione quarta, partem tenet affirmatiuam, quam sequitur Syluester verbo, simonia. §. quarto, dicens, quod emens simoniace beneficium, vel ordinem à Papa pœnas iuris non incurrit. Quia sicut in pœnis iam incursis, ità etiam in incurrendis, ne incurrantur dispensare potest. Sicut & posset alicui priuilegium concedere, quod percutiendo clericum, non sit excommunicatus. Quãdo autem Papa dat beneficium pro pecunia, videtur dispensare, quod liceat retinere. Ex quo infert, quod qui habuerit beneficium in curia per simoniam, si habeat conscientiam, quod emanauerit de scientia Papæ confirmantis, pœnitendo de peccato, nõ tenebitur resignare, sed retinere poterit beneficium. Contrariam tamen sententiam tenet Adrianus quodlib. 9. & Ioann. Andreæ in Mercurialibus. Et ratio est: Nam si Episcopus ludum aliquem sub pœna excommunicationis inhiberet clericis, licèt posteà eorum aliquem ad ludendum induceret, non ideò dispensaret in lege, nisi illud exprimeret, quia, vel posset esse illius oblitus, vel ad malum illum inducere. Quod idem poterit contingere in summo Pontifice, beneficium simoniace conferẽte. Eo vel maximè, quod quanuis Papa alicui excommunicato pacis osculum porrigat, non ideò censetur illum ab excommunicatione absoluere. Soto lib. 9. de Iustitia, quæstione quinta, articulo secundo, in responsione ad secundum argumẽtum, hanc difficultatem adeò dubiam, & ancipitem reputat, vt in quam partem declinare debeat dicat se ignorare. Quãuis posteà propendeat magis, vt existimet, primam sententiam veram, quæ etiam mihi magis placet. Nam quidquid sit de Episcopo inducẽte clericum ad ludendum in casu argumenti, in quo, non ità certum est, non dispensare cum illo in excõmunicatione à se lata, quid quid dicat Ioannes Andreas, de Papa tamen præbendam vendente, cum ipse sit, qui dat, videtur proculdubiò sentiendum, quod reddit alium habilem, vt recipiat. Et sic illam retinere poterit, nec excommunicationem incurrit. Hanc eandem sententiam tenet Couarruuias in reg. peccatum. p. 2. §. 8. num. 9. Vbi etiam citat pro eadem innumeros alios Doctores. Vnicuique tamẽ in hoc licebit in suo sensu abundare.

ARTICVLVS. II.

¶Vtrùm semper sit illicitum pro sacramentis pecuniam dare.

4. d. 25. q. 3. a. 2. q. 1.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd non semper sit illicitũ pro sacramentis pecuniam dare. Baptismus enim est ianua sacramentorum, vt in tertia * parte dicetur. Sed licet (vt videtur) in aliquo casu dare pecuniam pro baptismo: puta, quando sacerdos puerum morientem sine pretio baptizare non vellet: ergo non semper est illicitum emere vel vẽdere sacramenta. 3. p. q. 68. art. 6.

2 ¶ Præterea, Maximum sacramentorum est Eucharistia, quæ in missa conficeratur. Sed pro missis cantandis aliqui sacerdotes præbendam, vel pecuniam accipiunt: ergo licet multo magis alia sacramenta emere vel vendere.

3 ¶Præterea, Sacramentum pœnitentiæ est sacramentum necessitatis, quod præcipuè in absolutione consistit. Sed quidam absoluentes ab excommunicatione, pecuniã exigunt: ergo non semper est illicitum sacramentũ emere vel vendere.

4 ¶Præterea, Consuetudo facit vt non sit peccatum id quod aliàs peccatũ esset, sicut Aug. dicit *, quòd habere plures vxores quando mos erat crimen nõ erat. Sed apud quosdam est consuetudo, quòd in consecrationibus Episcoporum, benedictionibus abbatum, & ordinibus clericorum, pro chrismate, vel oleo sancto, & alijs huiusmodi, aliquid detur: ergo videtur quòd hoc nõ sit illicitum. Li. 22. contra Faustũ c. 47. circa prin. to. 6. Et habetur 23. q. 4. ca. Obiciũtur

5 ¶Præterea, Contingit quandoque quod aliquis malitiosè impedit aliquẽ vel ab Episcopatu obtinendo, vel ab aliqua alia dignitate. Sed licet vnicuique redimere suam vexationem: ergo licitum videtur in tali casu pecuniam dare pro Episcopatu, vel aliqua alia Ecclesiastica dignitate.

6 ¶Præterea, Matrimonium est quoddam sacramentum, Sed quandoque datur pecunia pro matrimonio: ergo licitum est sacramentum vendere.

¶SED CONTRA, est quod dicitur *1. quæstione 1. Qui pro pecunia quenquam consecrauerit, alienus sit à sacerdotio. 1. qu. 1. ca. Qui prope cunia.

¶RESPONDEO dicendum, quòd sacramẽta nouæ legis sunt maximè spiritualia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritualia, inquantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest: & eius rationi repugnat quòd nō gratuito detur. Dispensantur autem sacramenta per Ecclesiæ ministros, quos oportet à populo sustentari, secundum illud Apostoli. 1. ad Corinth. 9. Nescitis quoniam qui in sacrario operātur, quæ de sacrario sunt edunt: & qui altario deseruiunt, cum altario participant. Sic ergo dicendum est, quòd accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari: quia consuetudo non præiudicat iuri naturali vel diuino. Per pecuniam autem intelligitur omne illud cuius pretium potest pecunia æstimari: vt Philosophus dicit in 3. Ethic. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum qui sacramenta Christi ministrant secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum. Non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. Vnde super illud. 1. ad Tim. 5. qui bene præsunt presbyteri, &c. dicit * glos. Augustin. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino.

Est Aug. li. de Pastor. c. 2. circa finem to. 9.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd in casu necessitatis quilibet potest baptizare. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum si sacerdos absque pretio baptizare nō velit, ac si non esset qui baptizaret. Vnde ille qui gerit curam pueri, in tali casu licitè potest eum baptizare, vel à quocunque alio facere baptizari. Posset tamen licitè aquam à sacerdote emere: quæ est purum elementum corporale. Si autem esset adultus qui baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec sacerdos eū vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per aliū baptizari. Quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potius absque baptismo decedere. Suppleretur enim ei ex baptismo flaminis, quod ei ex sacramento deesset.

¶ Ad secundum dicendum, quòd sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis eucharistiæ, aut missæ decantandæ. Hoc enim esset simoniacum. Sed quasi stipendium suæ sustentationis, vt * dictum est. *In corp. art.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd pecunia non exigitur ab eo, qui absoluitur, quasi pretium absolutionis. Hoc enim esset simoniacum. Sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus.

¶ Ad quartum dicendum, quòd sicut * dictum est, consuetudo non præiudicat iuri naturali, vel diuino quo simonia prohibetur. Et ideo si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, est manifestè simonia, & præcipuè si ab inuito exigantur. Si verò exigantur quasi quædam stipendia per cōsuetudinem approbata, nō est simonia: si tamen desit intentio emendi vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis obseruantiam, & præcipuè quando aliquis voluntariè soluit. In his tamen omnibus solicitè cauendum est, quod habet speciem simoniæ vel cupiditatis, secundum illud Apo. 1. ad Thess. vlt. Ab omni specie mala abstinere vos. *In corp. art. & 1. 2. q. 97. art. 3.*

¶ Ad quintū dicendū, q̄ antequam alicui acquiratur i⁹ in Episcopatu, vel quacunq; dignitate, vel præbenda, per electionē vel prouisionem, seu collationē, simoniacū esset aduersantium obstaculā pecunia redimere, sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam ius alicui acquisitum est, licet per pecuniā iniusta impedimenta remouere.

¶ Ad sextum dicendum, quòd quidā dicunt quòd pro matrimonio licet pecuniam dare, quia in eo non confertur gratia. Sed hoc non est vsquequaque verum, vt in tertia parte huius opetis * dicetur. Et ideo aliter dicendum est quòd matrimonium non solum est Ecclesiæ sacramentum, sed etiam naturæ officium. Et ideo dare pecuniam pro matrimonio, inquantum est naturæ officium, licitum est: inquantum vero est Ecclesiæ sacramētum, est illicitum. Et ideo secundum iura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur. *Non cōpleuit morte præuentus.*

Summa Textvs.

Littera huius articuli duabus tantùm cōclusionibus continetur. Prima conclusio: Nullo modo licet accipere pecuniam pro sacramentis administrandis. Probatur: Sacramenta sunt maximè spiritualia, inquantum sunt causa spiritualis gratiæ: ergo eorum naturæ repugnat, quod non gratis conferantur. Atque ex consequenti nullo modo erit licitum pro illorum administratione pecuniam dare. Secunda conclusio: His, qui administrant sacramenta, debetur à populo stipendium sustentationis. Probatur ex Paulo. 1. ad Corint. 9. dicēte: Nescitis, quoniam qui in sacrario operātur, quæ de sacrario sunt edunt. &c.

Explicatio Articvli.

Multiplex differentia spiritualiū

Spiritualia, quę sunt materia simonię, sunt in multiplici differentia. Quædam enim sunt spiritualia secundum essentiam, vt gratia gratum faciens, charitas. &c. Et de his non est dubiū, q̄ emi, aut vendi nō possunt. Alia sunt spiritualia, quę sunt causa rerū spiritualiū, vt sacramenta. Alia verò, quæ sunt effectus rerū spiritualiū; quales sunt actus donorum, quæ dicūtur gratiæ gratis datæ. Et tandē alia sunt annexa rebus spiritualibus, vt Ecclesiastica officia, atq; beneficia. De quib⁹ omnibus figillatim potest quæri, an possint vendi. D. Tho. in hoc articulo solū agit de eo genere spiritualiū, quæ sunt causa, dicturus in subsequētibus de reliquis. Est autē aduertendum, quod in administratione sacramēto rum tria possumus cōsiderare, scilicet, ipsum sacramentū, labotem, qui suscipitur in cōfectione sacramēti, & personam ministri, quæ eget vitæ cultu, atq; alimento. Ex quo sequitur in administratione sacramentorum tria esse, de quib⁹ potest meritò dubitari, vtrùm liceat accipere pecuniam pro illis? Hæc autē sunt ipsum sacramentum, labor annexus, & sustentatio ministri. Quorum ratio atq; venditio diuersissima est. Nam aliud est vendere sacramentum; aliud vendere laborē; & aliud recipere sustentationem. In sacramēto enim vendendo res, quæ subijcitur venditioni, est ipsa res sacra, & pro quantitate illius valoris, secundum nostram æstimationem statuitur pretij magnitudo. At verò qui vendit laborem, nihil aliud subijcit venditioni, præter laborem. Ex quo fit, vt in pretio statuēdo nulla habeatur ratio rei collatæ, sed tantum laboris sumpti. In stipendio autem sustentationis alia ratio est. Nam licèt causa, propter quam datur id stipendium, sint labores atque ministeria, quæ exercentur à sacerdotibus: tamen id stipendium non est merces atque pretiū illorū laborum. Et sic nec in eo assignando habetur ratio magni, aut minimi laboris, sed necessitatis & indigentiæ. Cum igitur in administratione sacramentorum sint hæc tria, quorum causa contingit clericos pecunias petere; de primo, scilicet, de sacramento ipso, certum est esse simoniam accipere pecuniam, aut aliquid temporale pro illo. De tertio autem, scilicet, stipendio sustentationis, similiter omnes Doctores fatentur, quod possunt ministri accipere illud sine aliquo peccato. Sed de secundo, scilicet, de labore insumpto in administratione spiritualium magna difficultas est apud Doctores, vtrùm illius causa possit sacerdos accipere pecuniam. De qua re Adrianus quodlib. 9. quæstio. 1. & Altisiodo. 5. p. q. penultima de simonia. & Diu. Bonauent. in. 4. d. 25. quæst. vltima, & Ricardus eadem dist. q. 2. & Armachanus libro. 10. de quæstionibus Armenorum ca. 10. & Marsil. in. 4. q. 25. art. 1. & glossa in capit. significatum. de præbendis, quam sequuntur ibi Abbas & Ioannes Andr. & communiter Canonistæ tenent, quod licet vendere labores, qui coniuncti sunt administrationi sacramentorum. Quam suam sententiam probant primò ex illo Nume. 18. Vbi dicitur Dominus dedisse filijs Leui omnes decimas Israel pro ministerio, quo in tabernaculo fœderis inseruiunt. Et paulò inferius: Comedetis eas vos, & filij vestri: quia pretium est pro ministerio, quod exercetis in tabernaculo meo: ergo stipendia Ecclesiastica non solùm sunt stipendia sustentationis; sed etiam laborum præmium. Item Lucæ decimo, loquens Christus de opere suorum discipulorum dicit: Dignus est operarius mercede sua. Et in. 12. clerici. 1. q. 2. dicitur, q̄ clerici, qui Ecclesiæ fideliter vigilāterq; deseruiūt stipendia sanctis laboribus debita, secundū seruitij sui meritum à sacerdotibus accipiant, vbi stipendiū Ecclesiæ merces laboris appellatur. Itē ratione sic argumētor: Labor ille est aliquid tēporale: ergo potest vēdi. Et cōfirmatur: Quādo accidit, vt in aliqua re simul coniungantur temporale, & spirituale, licet vendere temporale, dūmodo in augendo pretio non habeatur

In administratione sacramentorū tria cōsiderātur.

Dubiū graue de vēdēte laborem adiunctū sacramento.

1. argum.

2. argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

beatur ratio spiritualis, vt est, videre in calice consecrato: sed in administratione sacramentorum coniunguntur spirituale, & temporale, scilicet, ipsum sacramentum, & labor, qui in eius administratione consumitur: ergo licebit vendere laborem, qui est temporalis, nulla habita ratione ipsius sacramenti. Tertiò, id ipsum probari potest ex vsu Ecclesiæ, in qua videmus, quod prædicatores solent locare suos labores, & clerici celebraturi missas certis diebus, & in certis locis: id ipsum facere solent. Item: Cantores, & qui organa pulsant ingẽtem faciunt quæstum ex suo artificio, atque labore, quantumuis coniunctus sit cum re spirituali, scilicet, cum cultu diuino: ergo licitum est vẽdere huiusmodi labores. Contrariam tamen sententiam tenẽt Durand. in. 4. d. 25. q. 3. & Paludanus eadem d. q. vltima.

3. argum.

¶Ad explicationem tamen difficultatis aduertendum est primò, quod labor, qui suscipitur in administratione sacramentorum, vel aliarum rerum spiritualium potest esse duplex, vnus coniunctus cum ipsa actione, quæ fieri non potest sine aliqua defatigatione. Alius antecedens, & casu potius, quam necessitate coniunctus cum ipsa administratione sacramentorum. Qualia sunt itinera quæ interdum suscipiuntur à sacerdotibus ad administranda sacramenta ijs, qui habitant in loco distanti. Præterea est aduertendum, quod aliud est oblata occasione administrare sacramenta, aliud autem imponere sibi obligationem sacramenta administrandi certis diebus, certis horis, & in certis locis. Vt contingit sacerdotibus, qui suscipiũt capellanias, quibus obligant seipsos ad celebrandum certis horis, & diebus, & c.

Labor duplex.

1. cõclusio.

¶His constitutis sit prima conclusio: Labor necessario coniunctus cum administratione sacramentorum, vel aliarum rerum spiritualium nullo modo potest vendi; & si vẽdatur erit simonia. Probatur primo ex D. Augustino. Qui super cap. 5. primæ Epistolæ ad Tim. dicit, loquẽs de sacerdotibus: Accipiãt à populo necessitatis sustentationem, mercedẽ verò laboris sperent à Deo. Secũdò: Missa, verbi gratia, nihil aliud est, quam dictio missiæ: & baptismus nihil aliud est, quã actio baptismi: sed missa, atque baptismus vendi non possunt, vt manifestum est, & ab omnibus conceditur: ergo nec actiones illæ laboriosæ ipsis sacramentis coniunctæ vẽdi possunt. Tertiò: Si aliquis operarius teneretur gratis colere meum agrum, nõ posset aliquid recipere pro labore colendi: sed sic est, quod sacerdotes tenentur gratis celebrare, & gratis baptizare, dicente Christo: Gratis accepistis, gratis date: ergo nihil possunt accipere pro labore. Et confirmatur: Labor, qui coniungitur administrationi sacramentorũ, est quid spirituale: ergo nõ potest vẽdi sine simonia. Consequentia est nota, & antecedẽs probatur: Illa actio laboriosa efficit rẽ spiritualẽ, scilicet, gratiã; & præterea habet ortũ à principio spirituali, scilicet, ordine sacro: ergo est spiritualis. Vltimò: Labor, qui cõsumitur in administratione sacramẽtorũ, habet quod sit alicuius valoris ex cõiunctione solũ ad actionem sacram, & spiritualẽ: ipse enim per se nihil valet, nec est pretio æstimabilis: ergo si vendatur erit ratione rei spiritualis, à qua habet valorẽ: hoc autem est simonia: ergo. Hæc conclusio est D. Tho. in hoc articulo, & Caietani in summa, verbo, simonia, & Syluester. verbo, simonia. §. 5. & Magistri Soti li. 9. de Iustitia, q. 6. ar. 1. & Petri de Alia co in libello, de simonia, contra cancellariũ Parisiẽsem. Abbas etiã in cap. suam. de simonia. recedit ab opinione, quã tenuerat in cap. significatum, de præbendis. Et reprehendit Ioan. Andr. propterea quod dicit, pro labore administrandi sacramenta licere aliquid accipere. Et quidem, si pro labore baptizãdi, vel prædicandi licitum esset aliquid accipere, nihil prorsus relinqueretur, quod esset gratis conferendum, dicente Christo, gratis accepistis, gratis date: sicq; præceptum illud taliter torqueretur, vt nihil aliud cõtineret, quam inanem sonum verborum.

2. cõclusio.

¶Secunda conclusio: Exigere aliquid pro materia sacramenti, vt pro pane, pro vino, pro oleo, &c. aut etiam pro vsu istarũ rerũ, est simonia. Probatur: Quoniam hæc omnia sunt intrinsecè & necessariò coniuncta cum ipsis sacramẽtis. Ex dictis infertur, quod erit simonia exigere aliquid pro collatione ordinum, siue cera sit, siue pecunia. Vt facere solent Episcopi annulares. De hac cõclusione videndus est Soto li. 9. de Iustitia, q. 6. art. 1.

3. cõclusio.

¶Tertia cõclusio: Labores, qui antecedunt administrationẽ sacramentorũ, vt cũ quis lõgum iter suscipit, vt absentibus sacramẽta administret, vendi possunt sine labe simoniæ. Probatur: Nã quãuis sacerdos teneatur gratis celebrare, & baptizare, nõ tamẽ tenetur gratis illud iter facere. Præsertim cũ non sit necessario requisitus ad administrationẽ sacramentorum. Atque adeo poterit illud vẽdere. Et confirmatur. Labor iste est merè tẽporalis, nec habet connexionẽ, nisi per accidens cum re spirituali: ergo potest vendi.

4. cõclusio.

Quarta conclusio: Obligatio, quam sibi imponũt capellani celebrandi certis diebus, & in certis locis, potest pretio æstimari, atq; vendi sine vitio simoniæ. Hæc conclusio probatur

probatur primò ex cap. significatum. de prębendis. Vbi huiusmodi contractus approbantur. Et ratio est manifesta. Nam aliud est administrare sacramenta, aliud autem teneri, & obligari ad administrationem certis diebus & in certis locis: ergo quanuis teneatur sacerdos gratis celebrare, non tenetur gratis celebrare in tali loco, & in tali tẽpore. Sed huic obligationi sua sponte se subijcit; atque ex consequenti poterit illam vendere. Vnde dico, quod quemadmodum qui dat pecuniam mutuò, non potest ratione mutui aliquid accipere: tamen si se obligauerit, ad mutuandum alicui, quoties voluerit poterit talem obligationem vendere sine vsura: ità sacerdos, qui nõ posset accipere aliquid pro re sacra, poterit accipere pro obligatione celebrandi certis horis, & in certis locis.

Ad. 1. arg.

¶Sed restat nunc respondere ad argumenta. Vnde ad illud, quod in primo adducitur ex Numeris dico, quod ibi accipitur pretiũ lata significatione, pro eo, ꝙ nos vocamus stipendium sustentationis. Ad aliud ex Luca respondeo, quod Christus eo in loco non appellat mercedem, aut pretium laboris, ea stipendia, quæ accipiunt ministri Ecclesiastici gratia sustentationis. Sed potius ducta similitudine ex operarijs, quibus merces debetur pro laboribus, probat prædicatoribus Euangelij deberi quod à populo sustententur. Vnde cum dixisset; Manete apud illos edentes, & bibentes quæ apud illos sunt, subdit statim: Dignus est enim operarius mercede sua. Et D. Marcus referens eam sententiam cap. 8. dicit: Dignus est enim operarius cibo suo. Ad aliud ex cap. clerici. 1. q. 2. respondeo, quod stipendia clericorum, dicuntur debita sanctis laboribus. Non quia proprie sint debita, tanquam merces illorũ; sed quia populus Christianus tenetur talia stipendia ministris conferre administrãtibus sacramenta. Ad rationem respondet Caietan° articulo sequẽti, & in summa, verbo, simonia. Concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ad cõfirmationem dicit, quod quotiescunque aliquid maiori ex parte est spirituale; tunc nec etiam ratione temporalis adiuncti potest vendi; quoniam intelligitur ipsum spirituale vendi. Et ità contingit in administratione sacramentorum. Cæterũ, quanuis hæc solutio sit bona, respõdetur secũdo, & melius cũ Victoria in relectione de simonia, negando, quod labor necessariò cõiunctus cũ administratione sacramentorũ sit aliquid temporale: Nam cũ sit causa rei spiritualis; & præterea habeat ortum à principio supernaturali, potius est dicendum spirituale, quã temporale, vt diximus supra. Imò potius dico, quod quanuis esset labor ille tẽporalis, adhuc tamen non posset vendi. Nec similitudo adducta de calice aliquid valet. Nam in calice materia, quæ venditur, habet suum valorẽ sine ordine ad benedictionem, & consecrationem, quæ est in illo. Et ideirco ipsa per se vendi potest. Nec qui illã vendit est censendus aliquid spirituale vẽdidisse. Cæterum in administratione sacramentorum ipse labor per se sine ordine ad actionem spiritualem nullum habet valorem. Et ideò, qui venderet laborem diceretur rem spiritualem vendidisse. Ad vltimum argumentum, desumptum ex vsu Ecclesiæ respõdeo, quod prædicatores non vendunt operas suas, sed tantum exigunt stipendium sustẽtationis. De clericis autẽ, qui capellanias suscipiunt, iam est dictum conclusione quarta, ꝙ obligatio celebrandi certis diebus, & in certis locis potest vendi sine peccato. Ad aliud de cãtoribus, & musicis, dicemus ar. sequẽti.

Ad. 3. arg.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm clericus, qui alioqui diues est, cùm sacramenta administrat, possit aliquid accipere? De qua re Raymundus quidam, & Gotfredus, quos citat Syluester verbo, simonia. §. 5. partem tenent negatiuam. Imò & ipse Syluester videtur eidem sententiæ assentiri. Dicit enim tale esse turpe lucrum; & quod prę se fert speciem mali. Potestq; probari hæc ententia primò ex D. Hieronymo. Qui in epistola ad Damasum, & refertur. 1. q. 2. c. clericos, dicit expresse; clericos qui alioqui diuites sũt, nõ esse sustẽtandos de bonis Ecclesiæ. Et Christus Dñs Lucę c. 10. cũ cõcesit Apostolis, vt acciperẽt vestitũ, atq; cultum, ideò cõcesit, quia anteà dixerat futuros illos pauperes: ergo qui diuites sunt nihil possunt accipere. Item ratione sic argumentor: stipendium datur ministris ratione egestatis: ergo qui non indigent nihil possunt recipere.

Aliud dubium.

1. argum.

2. argum.

¶His tamen non obstantibus dico, clerico administranti sacramenta licitum esse accipere ea, quæ sibi à populo conferuntur gratia sustentationis, quanuis alias sit diues. Hanc conclusionem tenet Victoria in relectione de simonia, Soto lib. 9. de Iustitia, q. 6. art. 1. & Gabriel super canon. lectione. 28. Et probatur primo, ex Paulo. 1. ad Corin. 9. dicente: Nemo militat suis stipendijs: sed clericus militaret suis stipendijs si alijs inseruiens se suis opibus sustentaret: ergo id non tenetur facere. Item in cap. charitatem. 12. q. 2. & in cap. cum sit Romana. de simonia. conceditur, quòd Episcopi licet alioqui diuites sint, possint pro Ecclesiarum visitatione aliquod stipendium accipere:

Conclusio. Clericus dum ues potest accipere stipendiũ ab Ecclesia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo similiter clerici, quanuis alioqui sint diuites, poterunt accipere quæ ad victum fuerint necessaria. Item ratione sic argumentor: Quod clerici possint accipere ea, quæ fuerint ad victum necessaria, & quod populus teneatur talia illis suppeditare causa totalis non est: quia pauperes sunt: sed quia illis ministrat in spiritualibus, propter quod dicebat Paulus. 1. ad Corint. 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? ergo clerici quanuis diuites sint, poterunt talem sustentationem accipere: & populus tenebitur illis illam conferre. Pro hac conclusione videnda sunt quæ diximus supra. q. 86. art. 2.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum ex D. Hieronymo Glossa super dictum cap. clericos, multipliciter respondet. Nam primum dicit, quod illis verbis non continetur præceptū, sed exhortatio. Dicit secundo, quòd loquitur de ijs, qui occasione ampliandi patrimonij quod habent, se à diuinis subtrahunt ob sequijs, quibus stipendia Ecclesiastica danda non sunt. Vel tertiò dicit, quòd est semper de quarta pauperibus debita, quæ abundantibus dari prohibetur. Sed quanuis istæ expositiones sint conuenientes: vera tamen explicatio eius testimonij, meo iudicio, sumenda est ex more antiquo. Pro quo est notandum, quòd olim in primitiua Ecclesia mos erat, vt viduæ, & pauperes, & sacris initiati, siue exercerent Ecclesiastica ministeria, siue secus, alerentur ex Ecclesiæ facultatibus, & ex ærario publico. Dicit ergo D. Hieronymus, quod clerici sacris initiati; si sint pauperes, alendi sunt, quanuis nihil muneris Ecclesiæ exerceant. Tamen si habuerint parentes, sibi sunt alendi ex Ecclesiæ facultatibus.

Ad. 2. arg. Ad aliud ex Luca, & similiter ad rationē respondeo, negādo, quòd præcisa causa, propter quam stipendia conferuntur, sit, quia ministri sunt pauperes; sed quia altario deseruiunt. Et nullus cogitur propris stipendijs militare: vt modo dicebam. Quare quanuis sint diuites poterunt sustentationis stipendia accipere.

Aliud dubium. Argumen. ¶ Aliud dubium est, vtrum liceat ministris Ecclesiæ huiusmodi stipendia sub pacto ponere. Et pro parte negatiua est argumentum ex cap. finali de pactis, & ex cap. præter. de transactionibus, & ex cap. cum nos. de simonia. Vbi dicitur, huiusmodi pacta in rebus spiritualibus facta esse simoniaca. Huius etiā sententiæ videt esse D. Tho. artic. sequēti ad. 2. Sed in contrarium est cōsuetudo recepta in Ecclesia, qua videmus, q̄ prædicatores, & capellani paciscuntur de stipendio percipiendo. Ad hanc difficultatem Caietanus

Sententia Caietani.

articulo sequēti dicit tria. Primum est, quòd clericus pauper potest exigere ex pacto stipendium sustentationis. Dicit secundo, quòd si clericus est diues, & exercet in Ecclesia ministerium, cui vel à iure, vel à superiori est iam taxatum stipendium, potest illud in tali casu exigere. Tertiò dicit, quòd si clericus est diues, & exercet ministerium in Ecclesia, cui à iure, vel à superiori non est determinatum stipendium, tunc non potest illud in pactum deducere. Alij autem distinguentes de iure diuino, & de iure humano positiuo dicunt, quòd stando in solo iure diuino huiusmodi pacta licita sunt, siue fiant à ministris pauperibus, siue diuitibus. Tamen stando in iure canonico id non licet, quia prohibitum est.

A lia sentē tia.

Sententia autoris. ¶ Nos tamen in hac re statuimus vniuersalem conclusionem. Qua dicimus licitum esse tam iure diuino, quàm humano stipendium sustentationis in pactum deducere, atque exigere, siue illud sit taxatum à iure siue non. Et quidem de ministro paupere, & de stipendio à iure determinato, res est manifesta. Sed de sacerdote diuite, & de stipendio non taxato, probatur. Sacerdos dicturus missam potest velle, vt sibi victus conferatur necessarius, vt suprà diximus, nec in hoc aliqua cōmittitur simonia: ergo etiā potest velle de hoc pacisci. Patet consequentia: Nam quod iure petitur, iure etiam in pactum deducitur. Et confirmatur. Lege naturæ laboranti debetur victus, siue pauper sit, siue diues: sed pacisci de eo, quod mihi debetur, nullum est peccatum: ergo nec pacisci de stipendio pro ministerio.

Ad. arg. Ad argumentum in contrarium nonnulli respondent, iura illa iam esse abrogata contraria consuetudine. Cæterum secundo melius respondetur, quod casus nostræ conclusionis in nullo illorum iurium inuenitur. In nullo enim prohibetur pactum de stipendio sustentationis, vt constabit intuenti.

Dubiū de animo habendo in re ceptione stipendij. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quonam animo minister debeat esse affectus in percipiendo stipendio, ne peccet peccato simoniæ? Quamuis enim sit licitum percipere stipendium, vt diximus: potest tamen contingere, vt simonia committatur ex praua intentione. Ad hanc difficultatem Sylvester verbo, simonia. §. nono ex sententia Diui Thomæ, quodlibet. octano, respondet, quod si sacramenti administratio fiat propter stipendium principaliter, ità vt stipendium sit finis actionis, tunc est simonia; & stipendium sustentationis vertitur in pretium.

Cæterum si fiat propter stipendium secundario, & minus principaliter nullum est peccatum. Hæc sententia Sylvestri, atque Diui Thomæ est verissima, sed ad maiorem illius explicationem, quærere oportebit, vtrùm qui administrat sacramentum non administraturus, nisi accepisset pecuniam, talis sit cēsendus habere stipendiū pro vltimo fine? Ad cuius intelligentiā aduertendum est primo, quòd in omni actione, siue naturali, siue voluntaria duo sunt necessaria. Vnū est vis aliqua, quæ moueat, & impellat ad agendum. Alterum est terminus, quo se referat actio, & quo adepto conquiescat. Primum dicitur causa motiua. Secundum autem causa finalis. Secundo est aduertendum, quod in actionibus voluntarijs, quoniam procedunt ex intentione finis semper res, quæ est finis est causa mouens: non tamen vice versa, res quæ est causa mouens, propterea est dicenda causa finalis. Ex quo fit, vt in huiusmodi actionibus, sint quædam causæ motiuæ tantum, & aliæ finales. Quæ partim conueniunt, & partim differunt. Conueniunt quidem in eo, quod vtraque impellit ad agendum, & etiam in eo, quod altera illarum deficiente cessat actio. Sed differunt in eo, quod causa finalis non solum mouet ad agendum, sed est illud, quod vltimo loco effigitur, & comparatur actione, quod in causa tantùm mouente non inuenitur. Quæ omnia isto exemplo fient manifesta: Si medicus, verbi gratia, meis precibus exoratus medetur ægrotanti, alioqui id nō facturus, in hoc casu sunt duo, quæ mouēt medicum ad medicinam faciendam, scilicet, meæ preces, & sanitas ipsa, quam inducere optat, & sperat. Et si alterum horum deesset nihil faceret. Cæterum meæ preces sunt tantum causa motiua; sanitas verò est causa finalis.

In omni actione requiruntur duo.

Duplex causa motiua.

1. cōclusio. ¶ His positis sit prima conclusio: Non quicunque administrat sacramenta, non administraturus, nisi accepisset stipendium, est cēsendus committere simoniam, aut habere stipendium pro vltimo fine. Probatur, quoniam sunt quædam causæ motiuæ tantum, quæ si deficiant cessat actio; & talis potest esse stipendium. Vnde non valet hæc consequentia: Administrat sacramenta, alias non administraturus, nisi accepisset stipendium: ergo vendit sacramenta.

2. cōclusio ¶ Secunda conclusio: Qui ità administrat sacramenta, vt non administraret, nisi esset stipendium, quia id est potissimum, quod in illa actione consequi studet, est simoniacus. Probatur: Quia habet stipendium pro vltimo fine. Et sic vendit sacramenta ex sua intentione, vt dicebant Diu. Thom. atque Sylvester.

Dubiū grauе circa solutionē ad primum. ¶ Circa solutionem ad primum argumentum est grauis difficultas, vtrùm si sacerdos nolit puerum extremè indigentem baptizare, nisi accepto pretio pro sacramento, tunc liceat patri, vel alicui alteri dare pecuniā pro sacramēto, ne puer damnetur, discedens sine baptismo? Ad quam difficultatem Diu. Thom. in præsenti dicit, quòd in tali casu puer est baptizandus à parente, vel à quouis alio, potiusquam à sacerdote. Quod quidem verum est. Sed vt nos casum in maiores angustias redigamus, fingamus eum alterum, qui adest, esse mancum, vel mutum; ità vt baptizare non possit. Et tunc quærimus, vtrùm in tali casu sit licitum dare pecuniam pro sacramento? De qua re variæ sunt Doctorū sententiæ. Nam Panormitanus in capit. cum in Ecclesia. de simonia. distinguit inter paruulum, & adultum. Et dicit, quod pro paruulo baptizando, licitum est in tali casu dare pecuniam: quia paruulo nullus alius patet aditus ad salutem. Cæterum pro adulto non licet; quia adultus potest baptismo flaminis saluari, scilicet, charitate atque pœnitentia. Hanc etiam sententiam tenet Caietanus in præsenti, & Maioris in quarto, distinctione vigesima quinta, quæstione quinta, ad secundum, & Gerson in tractatu de simonia, & alij quos refert Ricardus in quarto, distinctione vigesimaquinta, articulo tertio. Præcipuum fundamentum huius opinionis est: Quia in tali casu dare pecuniam non est emere sacramentum, sed redimere vexationem, quod vnicuique est licitum. Quòd autem tunc sit vexatio, patet, quia sacerdos in tali casu lege diuina tenetur puerum baptizare, & dum non baptizat puer patitur iniustum, quod vnusquisque à se, vel precio, vel quauis alia ratione repellere potest. Cæterùm hæc sententia, meo iudicio, peccat in multis. Nam primo, sine causa distinguit inter adultum, & paruulum. Quia si licet paruulo redimere vexationem, etiam licebit adulto. Item planè falsum est, quod dare pecuniā in illo casu non sit emere sacramētū. Quia cū sacerdos duo mihi proponat: vnum se nolle baptizare puerum, in quo ei facit iniuriam; alterum hac vna sola re ad id se adduci posse, scilicet, si detur pecunia pro sacramēto, non est dubiū, quin proponatur emptio tanquam medium necessarium ad repellendam iniuriam; & quod ad eum finem eam eligit. Soto libro nono de Iustitia, quæstione sexta, articulo primo, ad primum, dicit

Sententia Panormitani & Caietani.

Impugnatur præfata sententia.

Sententia Soti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicit, quod quanuis vendere rem sacram, sit intrinsecè malum illam tamen emere non est ita malum, vt in casu necessitatis fieri non possit. Ex quo infert, quod in casu posito, si qui baptizandus est, est puer, possumus emere sacramentum: quia puer est in extrema necessitate. Tamen si sit adultus non est danda pecunia; quia potest sibi aliter subuenire, scilicet, baptismo flaminis. Et probat suam sententiam hac ratione. Quis recipere aliquid ex mutuo sit intrinsecè malum, tamen dare aliquid propter mutuū non est ità malum, vt in casu necessitatis non liceat: ergo pari ratione licèt vendere rem sacram sit intrinsece malum; tamen emere licebit in casu necessitatis. Hæc sententia *Impugnatur Sot.* Scoti, meo iudicio, similiter continet multa falsa. Nam primò falsum est, quod emere rem sacram non sit ità malum, ac vendere. Nam venditio sacri ex ratione est intrinsece mala; quia fit iniuria rebus sacris dum id, quod omne pretium excedit, pretio commensuratur. Hæc autem iniuria eodem modo fit ex parte ementis, & ex parte vendentis. Quia qui emit rem sacram, reddit pretium pro re, quæ pretio non æstimatur. In qua æqua iniuria fit rebus sacris: sicut quando pretium exigitur pro illis. Atque adeò, si venditio est intrinsece mala, similiter & emptio. Et confirmatur; simonia, quę primo damnata fuit ore Apostolico fuit illa, quæ consistit in emptione, & non in venditione; Simon enim Magus ea ratione fuit damnatus, quia voluit emere gratiam Spiritus sancti: ergo ità mala est emptio ac venditio. Nec argumentum adductum, de eo, qui dat pecuniam pro mutuo, aliquid valet. Nam est diuersa ratio in vsura, & in simonia. In vsura enim, qui accipit aliquid vltra sortem peccat, quia facit iniuriam proximo. Tamè qui soluit vsuras non peccat, quia facit alteri iniuriam; sed quia inducit alium ad peccandū. Vnde quo casu vsuratius paratus est ad mutuandum cum vsura, qui soluit illam non peccat. Cæterum in simonia via & eadem ratione peccat, qui vendit rem sacrā, & qui emit; quia, scilicet, vterque facit iniuriam rei sacræ. Quare fieri non potest, vt vno peccante alter non peccet. Et sic æquè mala est emptio ac venditio. Item etiam videtur falsum dicere, quòd licet pro paruulo emere sacramentum, & non pro adulto. Nam quanuis adultus, in casu posito, possit sibi aliter subuenire, scilicet, baptismo flaminis; hæc tamè res est adeò occulta, & de qua nullus potest esse certus, vt moraliter loquendo, sit dicendus existere in extrema necessitate. Adrianus quodlib. 9. q. 5. vt hæc argumenta effugeret dicit, vtrumque esse licitum, scilicet, dare pecuniam pro adulto, & pro paruulo. *Sententia Adriani.* Sed hæc sententia similiter est falsa. Nam si adultus posset pecuniā dare pro baptismo, quando ei denegatur, quia patitur iniuriam; sequeretur, quod duobus petentibus idem beneficium, quorum alter sit dignus, & alter indignus; si elector esset propensus ad conferendum beneficiū indigno, dignus posset dare pecuniam electori ad depellendā illam iniuriam: consequens autem est falsum vt constat ex cap. Matthæus, de simonia, & ex cap. sicut, eodem titulo. Vbi dicitur quod dare pecuniam ad redimēdam vexationem electoris; qui denegat beneficium digno, aut confirmatoris, qui non vult confirmare cum, quiure electus est, est simonia: ergo. Sequela probatur: Nam vterq; patitur vexationem.

¶ Quocirca his omnibus omissis ad explicationem difficultatis est aduertendum dupliciter posse contingere, quòd alicui fiat iniuria. *Dupliciter alicui potest fieri iniuria.* Vno modo, dum non confertur ei id, quod sibi aliqua ratione est debitum. Vt cū verbi gratia, digno petente beneficium, elector inclinat se ad indignum, alio modo dū spoliatur re tam habita, atq; possessa. Vt cum verbi gratia, clericus, qui iure obtinet beneficium iniustè eo spoliatur.

¶ Hoc supposito sit prima conclusio: Pretio redimere eam vexationem, quæ consistit in denegatione rei nondum habitæ, est emere ipsam rem, quæ denegatur: atq; ex consequenti, si sit spiritualis erit simonia. *1. Conclu.* Hæc cōclusio probatur ex capitulis modo citatis: & ratio est manifesta: Nam homo per talem redemptionem vexationis verè acquirit rem spiritualem, quàm antea non habebat: ergo pretio emit illam: & sic est simoniacus.

¶ Secūda conclusio: Pretio redimere eam vexationem, quæ consistit in spoliatione rei iā habitæ, atq; possessæ non est emere ipsam rem. Atq; ex consequenti, quanuis talis res sit spiritualis non erit simonia, probatur: per talem redemptionem vexationis non acquiritur aliqua res de nouo: ergo non est dicenda emptio rei spiritualis. Ex hoc infertur, quod si episcopus decreuisset spoliare clericum beneficio, quod iure habet, nisi ab eo acciperet aliquam pecuniam liceret clerico illā ei dare sine labe simoniæ, nec tunc emeret rem spiritualē: sed redimeret vexationē. *2. Conclu.*

¶ Tertia conclusio: in casu posito nullo modo licet dare pecuniam sacerdoti, nec pro paruulo baptizando, nec pro adulto: quāuis pereat vterq;. Probatur: Quia hoc nō est redimere vexationem, sed emere rem spiritualem; quod est intrinsece malum. Glossa super *3. Conclu.*

pet capitulum. baptizandus. 1. quæstione prima, postquam dixit, neutiquam posse in tali casu pretium pro baptismo dari, subdit statim: Ego tamen potius darem pecuniam, quam puerum sic dimittere mori, & bene, licèt non deberem facere. Quibus verbis apertam inuoluit repugnantiam. Nam si non deberet, qualiter posset bene facere?

4. cōclusio. ¶ Quarta conclusio, si aqua non suppetit, & illam habet solus sacerdos, licitum esset eam à sacerdote emere. Hæc conclusio est Diu. Thom. hic ad primum: quam & communiter tenent omnes Doctores. Et ratio est manifesta: Nam aqua est merum elementum, nihil habens spirituale.

Argum. cōtra 3. conclusionem. ¶ Sed contra tertiam conclusionem sic argumentor: Iure naturæ vnicuiq; concessum est, vt iniuriam à se repellat, & redimat suā vexationem, quacunque ratione posit etiā per vim: ergo similiter licebit paruulo in casu posito redimere suam vexationem. Ad hoc argumentum respondetur distinguendo antecedens: Nam vexatio est duplex. Vna quæ consistit in negatione rei conferendæ. Altera quæ consistit in ablatione rei iam habitæ, vt iam diximus. Et quando vexatio consistit in negatione rei conferendę, si illa res emi non potest, nec etiam licebit redimere vexationem. Quia redemptio vexationis in tali casu est coniuncta cum emptione, quæ est mala. Cæterùm si vexatio fiat in ablatione rei iam possessæ redimi poterit. Et hoc non contingit in casu posito. *Instantia.* Sed contra hoc adhuc est argumentum. Occidere hominem priuata autoritate est malū, sed licet id facere ad vim depellendam: ergo similiter, quanuis sit malum emere rē sacram licebit id facere ad redimendam vexationem. *Solutio.* Respondetur tamen, concesso antecedenti negando consequentiam. Nam licèt occidere hominem priuata autoritate sit malum; tamen occidere aggressorem nō est malum, vt latè docuimus supra quæstione sexagesima quarta, articulo septimo. Aggressor enim eo ipso, quod est aggressor fit indignus, vt ego tenear illius vitam seruare. Tamen in casu posito ex malitia, & iniustitia sacerdotis non sequitur, quod ipsi baptismo non sit seruandus debitus honor.

Doctrina D. Thom. in solutione ad. 5. ¶ In solutione ad quintum argumentum, dicit duo Diuus Thomas. Primum est, quod ante ius acquisitum, nulli licet, pecunia data, redimere vexationem. Secundum, quod post ius acquisitum, licet, oblata pecunia, remouere impedimenta. In quibus etiam cōueniunt communiter Canonistæ in dicto capit. Matthæus, de simonia, & Syluester ver bo, simonia. §. tertio, regula quarta, Paludanus in quarto, distinctione vigesima quinta, quæstione quinta, artic. tertio, & Adrianus quodlib. nono. Sed ad maiorem horum intelligentiam, circa primum dictum est difficultas, vtrùm in aliquo casu ante ius acquisitum, alicui liceat redimere vexationem? *Dubium.* Ad cuius explicationem est aduertendum, quod illi, qui faciunt vexationem sunt in duplici differentia. Quidam enim sunt, qui obesse possunt, & prodesse, vt elector: in cuius voluntate est conferre, vel non conferre beneficium. Alij autem sunt, qui tantum possunt obesse, & non prodesse, vt illi, qui alterius partes tuentur. Quod quidem efficere possunt, vel vi, atque dolo, vel pretio, aut precibus ambiendo. Et inter hos hoc est discriminis, quod obtinere pecunia, vt hi, qui obesse & prodesse possunt, desistant ab iniuria inferenda, virtualiter est pretio obtinere, vt mihi beneficium conferatur: quod quidem in rebus spiritualibus licitum non est. Cæterum contendere pretio, vt illi, qui tantum obesse possunt, & non prodesse, desistant ab iniuria, non est obtinere, vt beneficium conferatur, sed redimere vexationem. Quo supposito dico primo; Vexatio, quæ fit *1. Dictum.* ab electore, quanuis sit iniusta non potest pretio, aut pecunia redimi, sine simonia. Probatur: Quia elector potest obesse, & prodesse. Atque ex consequenti obtinere pretio ab ipso, vt desistat ab iniuria inferenda, erit pretio obtinere beneficium, quod est illicitum. Dico secundo: Vexatio, quæ fit ab alijs *2. Dictum.* ab electore per vim, aut dolum potest pretio, & pecunia redimi sine simonia. Itaque dico, quod si clericus eo tempore, quo petiturus est beneficium ab aliquo per iniuriam domi reclusus tenetur, poterit tunc ab illo pretio obtinere, vt sibi copia exeundi concedatur sine vitio simoniæ. Probatur: Quia hoc non est pretio obtinere rem spiritualem, sed tantum redimere corporalem vexationem: ergo est licitum. Et confirmatur: Clericus tunc non assequitur pretio, vt ille sibi aliqua ratione prosit, sed tantum, ne obsit: ergo non emit rem spiritualem. Dico ter- *3. Dictum.* tio: Si aliquis impediat aliquē à consequutione beneficij, quod iure petit, nō per vim, aut dolum, sed pretio, aut precibus ambiendo, licitum erit tunc pretio redimere talē vexationem, & oblata pecunia obtinere, vt ille talis desistat ab ambitione, & ab elargitione suæ pecuniæ. Hoc dictum est contra Magistrum Soto. lib. 9. de Iustitia, q. 6. artic. 1. ad 5. argumentū. Probatur tamen eadē ratione, qua & superius. Nam cum illi ambitiosi possint tantum obesse, & non prodesse in collatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

latione beneficij, pretio obtinere ab illis, vt desistant ab ambitione, non est emere beneficium, sed redimere vexationem, atque ex consequenti est licitum. Dico quarto: Pretio obtinere, vt aliquis causam eius clerici, qui petit beneficium, apud electorem, vel elargitione, vel precibus, vel ambitione, tueatur, est simonia: Probatur: quia hoc non solùm est depellere iniuriam, sed etiam parare viam, vt sibi beneficium conferatur: Ex dictis infertur, quod ante ius acquisitum, apud illos licet pretio redimere vexationem, qui possunt obesse & non prodesse. Secus autem erit de illis, qui obesse & prodesse possunt. Et hoc modo est intelligendus Diuus Thomas in suo primo dicto. 4. Dictum.

Aliud dubium circa eandē solutionē ad. 2

¶Circa secundum, in quo affirmat, quòd post ius acquisitum licet oblata pecunia removere impedimenta, est difficultas, vtrùm postquam aliquis iure electus est, ad sacerdotium, possit à confirmatore pecunia obtinere, vt se confirmet? De qua re Maioris in quarto, distinctione vigesimaquinta, partem tenet affirmatiuam. Et ratio illius est: Nam qui iure est electus habet iam ius acquisitum, atque ex consequenti potest pecunia quæcunque impedimenta removere, iuxta doctrinam Diu. Thomæ in isto articulo. Hoc tamen non obstante dico, contrariam sententiam esse veram. Et probatur ex capitulo sicut. de simonia, vbi id expresse prohibetur. Et præterea ratione. Nam qui iure est electus ante confirmationem non habet plenum & perfectum ius acquisitum, sed in ipsa confirmatione inest quædam spiritualis iuris collatio, atque ex consequenti, si pecunia acquiratur erit simonia. Sed quid dicendum est de possessione, vtrum, scilicet, cum aliquis electus & confirmatus mittendus est in possessionem, & ille, ad quem spectat in possessionem mittere recusat, an in tali casu liceat pretio agere? Soto loco citato tenet partem negatiuam propter rationem modo adductam. Cæterum contraria sententia meo iudicio est vera & tenenda. Et ratio est: Nam ius spirituale plenè atque perfectè acquiritur in confirmatione, & possessio de nouo addita non est acquisitio alicuius iuris spiritualis; sed iam acquisiti, atque habiti exterior apprehensio. Atque ex consequenti pecuniam dare in illo casu non erit rem spiritualem emere, sed tantum remouere impedimenta. Quod Diuus Thomas in isto articulo licitum esse dicit. *Conclusio.*

Dubium. ¶Vltimum dubium hic examinandum est. Vtrùm sede Apostolica vacante, & existente vno magis idoneo ad illam regendam renuentibus Cardinalibus illum eligere, sit licitum pretio cum illis agere, vt eligant huiusmodi hominem? Hanc difficultatem late versat Caietanus opusculo de simonia, quæstione tertia. Nos tamen ad illius explicationem tres ponimus conclusiones. ¶Prima conclusio: Licitum est pretio agere cum electoribus ne eligant personam indignam & perniciosam Ecclesiæ futuram. Probatur: Quia hoc non est sibi, aut alteri acquirere Pontificatum, sed propulsare iniuriam ab Ecclesia, quæ vexatur, quod est licitum. ¶Secunda conclusio: Licitum est pretio agere cum electoribus, vt eligant hominem dignum propositum in communi. Probatur: Petere, vt non eligant indignum, est petere, vt eligant dignum in communi: sed licet pretio agere, vt non eligatur indignus, vt patet ex prima conclusione: ergo etiam erit licitum agere, vt eligatur dignus in communi. Item: Ecclesia habet ius acquisitum ad hoc, vt se regendam tradant homini digno: ergo qui id pretio quærit non acquirit aliquod ius Ecclesiæ: sed defendit illam ab iniuria. 1. cõclusio. 2. cõclusio.

¶Tertia conclusio: Agere pretio cum electoribus, vt vna aliqua certa persona, quamuis sit digna, eligatur, est simonia & illicitum. Hæc conclusio est contra Magistrum Soto loco citato. Qui dicit, id esse licitum propter ingentem necessitatem. Persistit enim in ea opinione, qua tenuit, simoniam ex parte emptionis non esse ità intrinsecè malam, vt in casu necessitatis non liceat emere rem spiritualem, vt dixit de sacramento. Hæc tamen sententia satis fuit à nobis in superioribus improbata, cum diximus tam ex parte ementis, quam ex parte vendentis simoniam esse intrinsecè malam; quia vtrobique est eadem malitia. Et sic pro nunc tantum probatur conclusio. Nam agere cũ electoribus pretio, vt vna certa persona eligatur est acquirere pecunia pontificatum, & ius spirituale illi personæ; atque ex consequenti simonia. 3. Cõclusio

Modus quo est licitũ dare pecuniã pro matrimonio.

¶In solutione ad sextum argumentum agit Diu. Thom. de modo, quo est licitum dare pecuniam pro matrimonio contrahendo. Reprehenditq; prius quosdam, qui affirmabant, id licere. Quoniam matrimonium non est sacramentum conferens gratiam: atque adeo nihil spirituale emitur. Hanc sententiam tribuit Syluester verbo. simonia. §. octauo, Glossę super cap. quidquid. 1. quæstione prima, & Soto tribuit eandem cuidam Bernardo in apparatu super capit. cum in Ecclesia. de simonia. Imò dicit, Magistrum

strum sententiarum in eiusdem sententiæ suspicionem venisse apud quosdam; propterea quòd in 4. dist. 26. id sacramentum aliter non explicauerit, quam dicendo, illud in remedium naturæ fuisse institutum. Sed quidquid sit de sententia Magistri, certa fide tenendum esse puto, quòd omnia sacramenta nouæ legis gratiam conferunt, vt cõmuniter explicant Doctores sequuti D. Th. 3. p. q. 62. art. 1. Quo tanquam vero supposito, ad difficultatem propositam respondendum est, quòd quoniam matrimonium habet duo, scilicet, esse sacramentum, & contractum quendam in officium naturæ institutum, dotalis pecunia nõ pro matrimonio, quatenus est sacramentum, & spiritualis gratiæ causa instrumentalis; sed quatenus est in officium naturæ, pro subleuandis oneribus illius, quæ sine sumptibus existere nequeũt, confertur. Pro benedictionibus quidem nuptiarum aliquid exigere est simonia, quamuis sponte oblatum recipi possit, vt habetur in cap. cum in Ecclesia, extra, eodem titulo. Si sacerdos, ad quem spectat, non vult alteri dare licentiam nuptias benedicendi, nisi pro pecunia, idque facit non quia intendit licentiam vẽdere, sed sibi prouidere de portione oblationum eum contingente nõ est simonia, vt ex mente Panormitani docet Syluester loco citato. Et idem est secundum eũdem de licentia confitendi & concionandi. Præsumetur tamen licentiam vendere voluisse, si exigat maiorem summam, quam dicta portio valere existimatur. Et hæc dicta sint de toto isto articulo.

Articvlvs III.

¶Vtrùm liceat dare & accipere pecuniam pro spiritualibus actibus?

q. 4. di. 25. q. 3. art. 2. q. 2. & quolib. 8. art. 11.

Ad Tertivm sic proceditur. Videtur, quòd licitum sit dare, & accipere pecuniam pro spiritualibus actibus. Vsus enim prophetię est spiritualis actus. Sed pro vsu prophetiæ olim aliquid dabatur, vt pater. 1. Reg. 9 & 3. Reg. 13. ergo videtur, quòd liceat dare & accipere pecuniam pro actu spirituali.

2 ¶Præterea, Oratio, prædicatio, laus diuina sunt actus maximè spirituales. Sed ad impetrandum orationum suffragia, pecunia datur sanctis viris, secundum illud Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, Prædicatoribus etiam spiritualia seminantibus temporalia debentur, secundum Apostolum ad Cor. 9. Celebrantibus etiam diuinas laudes in Ecclesiastico officio, & processiones facientibus, aliquid datur: & quandoque annui redditus ad hoc assignantur: ergo licitum est pro spiritualibus actibus accipere aliquid.

3 ¶Præterea, Scientia non est minus spiritualis quàm potestas. Sed pro vsu scientiæ licet pecuniam accipere: sicut aduocato licet vendere iustum patrocinium; & medico consilium sanitatis, & magistro officium doctrinæ: ergo pari ratione videtur, quòd liceat prælato aliquid accipere pro vsu spiritualis suæ potestatis: puta, pro correctione, vel dispensatione, vel aliquo huiusmodi.

4 ¶Præterea, Religio est status spiritualis perfectionis. Sed in aliquibus monasteriis aliquid ab his qui recipiuntur, exigitur: ergo licet pro spiritualibus aliquid exigere.

¶Sed Contra est, quod * dicitur 1. q. 1. cap. Quicquid. *1. q. 1. cap. Quicquid.*

¶Respondeo dicendum, quòd sicut sacramenta dicuntur spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam, ita etiam quędam alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedũt, & ad eam disponunt: quæ tamen per hominum ministeriũ exhibentur, quos oportet à populo sustẽtari, cui spiritualia administrant: secundum illud 1. ad Cor. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Et ideo vendere quod spirituale est, in huiusmodi actibus aut emere, simoniacum est. Sed accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia: secundum ordinationem Ecclesiæ & consuetudinem approbatam, licitum est: ita tamẽ quòd desit intentio emptionis, vel venditionis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis & quòd ab inuitis non exigatur per spiritualium subtractionem quæ sunt exhibenda. Hoc enim haberet quandā venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ & consuetæ oblationes, & quicunque alij prouentus, exigi à nolentibus & valentibus soluere, autoritate superioris interueniente.

Post med. cōmentarij ad 3. c. Michæ, to. 6.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod sicut Hier.* dicit super Michæā: munera quædam sponte exhibebantur bonis prophetis ad sustentationem ipsorum, non quasi ad emendum prophetiæ vsum: quem tamen Pseudoprophetæ retorquebant ad quæstum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd illi qui dant eleemosynas pauperibus, vt orationum ab ipsis suffragia impetrēt, non eo tenore dant quasi intendentes orationes emere. Sed per gratuitam beneficentiam, pauperum animos prouocant ad hoc, quòd pro eis gratis & ex charitate orent. Prædicantibus etiam temporalia debentur, ad sustentationē prædicantium: non autem ad emendū prædicationis verbum. Vnde super illud 1. ad Timoth. 5. Qui bene præsunt

Et Aug. in li. de Past. c. 1. non lō gè à fi. tom. 9.

presbyteri, &c. dicit * glos. Necessitatis est accipere vnde viuitur, charitatis est præbere: non tamen venale est Euangelium, vt pro his prædicetur. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudātibus in celebratione ecclesiastici officij, siue pro viuis siue pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Et eo etiam tenore pro processionibus faciendis in aliquo funere, aliquę eleemosynæ recipiuntur. Si autem huiusmodi pacto interueniente fiant, aut etiam cū intentione emptionis vel venditionis, simonia esset. Vnde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solueret certam pecuniæ quātitatem: quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur quòd omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non præcluderetur via alijs exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis. Secunda autē habet speciem gratuitæ recompensationis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ille cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad vsum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispēsatione: & etiam pro sua sustentatione statuta stipendia habet ex redditibus Ecclesiæ. Et ideo si aliquid acciperet pro vsu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito susceptī officij debet impendere, sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ vsum. Et propter hoc non licet pro quacunque dispensatione aliquid accipere. Nec etiā pro hoc quòd vices suas committant, nec etiam pro hoc quod subditos suos corrigant, vel à corrigendo desistant. Licet tamen eis accipere procurationes, quando subditos visitant: non quasi pretium correctionis, sed quasi debitum stipendium. Ille autem qui habet scientiam, & non suscipit, cum hoc officium ex quo obligetur alijs vsum scientiæ impendere, licitè potest pretium suæ doctrinæ vel cōsilij accipere: non quasi veritatem, aut scientiam vendēs, sed quasi operas suas locans. Si autem ex officio ad hoc tenerētur, intelligeretur ipsam vendere veritatem, vnde grauiter peccaret. Sicut patet in illis, qui instituuntur in aliquibus Ecclesijs ad docendum clericos Ecclesiæ, & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia beneficium recipiunt: à quibus non licet eis aliquid recipere, nec ad hoc quod doceant, nec ad hoc quòd aliqua festa faciant, vel prætermittant.

¶ Ad quartum dicendum, quòd pro ingressu monasterij non licet aliquid exigere vel accipere quasi prerium. Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterij

nasterij exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterij opes. Similiter etiam licitum est si propter deuotionem quā aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem è conuerso prouocare ad deuotionem monasterij per temporalia beneficia: vt ex hoc inclinetur ad monasterij ingressum, licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere, pro ingressu monasterij: vt habetur*

1. q. 2. cap. Quàm pio.

1. q. 2. cap. Quàm pio.

Summa Textvs.

Svpposito, quòd quemadmodum sacramenta dicuntur spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam, ità etiā sunt alia, quæ dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedunt, & ad eam disponūt, quæ per hominum ministerium exhibētur, & ideò spirituales actiones appellantur; respondet D. Thom. ad propositam difficultatem per duas propositiones. Prima conclusio: Qui ministrant populo in huiusmodi actionibus spiritualibus sunt ab ipso populo sustentandi. Probatur ex Paulo. 1. ad Corinth. 9. dicente: Nemo militat suis stipendijs, &c. Secunda conclusio: Accipere aliquid pro ipsa spirituali actione est simonia.

Explicatio Articvli.

Actio spiritualis quæ dicatur.

Pro intelligentia huius articuli aduertēdum est, quòd nomine actionum spiritualium intelligit D. Th. in præsenti, ea, quę nos diximus esse spiritualia secundum effectum, quia proficiscerētur à re spirituali, qualia sunt orare, prophetia, sepultura, vox doctrinæ, &c. Ratio autem, propter quam D. Thom. separatim posuit quæstionem de his actionibus spiritualibus est, quia cum sint operosiores eminereque in eis videatur aliquid temporale, magis quam in sacramētis, est specialis ratio dubitandi, an in illis sit licitum operas & labores locare; vel potius de eis sit habenda eadem ratio, quæ de sacramentis. Multi nanq; ex illis, qui dicebāt labores sacramentorum non posse locari tenuerunt harum actionum operas locari posse. Cæterùm meo iudicio idem prorsus est dicendum de illis, quod de sacramentis. Nam sicut in administratione sacramentorum possumus aliquid accipere in stipendium sustentationis, & non in pretium pro ipsa administratione, ità etiam in istis actionibus possumus aliquid accipere nō in pretium, sed in sustentationem. Sed est aduertēdum esse latissimum discrimen inter istas actiones, & administrationem sacramentorum. Nam in istis actionibus sæpè sæpiùs cōiunguntur multa, quæ ad ipsas obeundas necessaria non sunt, suntq; maximi laboris, vt est vilere in sepultura. Ad sepeliendū enim hominem non est per se necessarium adhibere celebrem pompam musicæ, atque funeris, sed conmmiguntur hæc ad splendorē & ornatum. Ex quo fit, vt locari possint atque vendi. Præterquā quod etiā est certū, quòd ratione funeris possunt sacerdotes aliquid accipere in stipendium sustentationis. Caietanus in præsenti artic. & in sum. verbo, simonia, aduertit quòd res compositæ ex spirituali, & corporali sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt, in quibus principale est spirituale, & temporale est quasi accessorium. Aliæ verò sunt è contra, in quibus temporale præstat, & id quod est spirituale accedit. Et quia accessorium sequitur semper naturam sui principalis, fit, vt res prioris generis vendi non possint, quia censerentur vendi ratione eius, quod est principale. Et huius generis sunt, non solum sacramenta, & actiones illæ, quas D. Th. spirituales appellat; sed etiam omnia ea, quæ cum illis coniunguntur necessario. At verò res secundi generis possunt vendi, vt vasa sacra, & vestimenta, vt diximus in superioribus. Ex quorum determinatione quid etiam in hoc articulo sit dicendum manifestè colligitur. Sunt enim conclusiones, quas D. Thom. in hoc articulo ponit prorsus eædem cum illis, quas constituit artic. præcedenti.

Res compositæ ex corporali & spirituali sunt in duplici differentia.

Nota circa sol. ad 3.

¶ In solutione ad tertium argumentum dicit D. Thom. quòd episcopus ratione dispensationis sui muneris nihil potest exigere. Circa quod est aduertendum, quòd dispensationis nomine intelligit non solum legum positiuarum relaxationem; sed etiam omnē illam functionem, quæ pertinet ad officium episcopi. Ex quo constat, quam graue peccatum sit, aut pro dispēsatione legum, aut pro corrigendo, siue desistendo à correptione aliisque similibus aliquid accipere. Hæc enim omnia pastoralis officij munera sunt. Quin potius existimant aliqui viri docti, quòd nec pro visitatione episcopatus, quādo ille pinguis est, & decimæ abundant, licitum est aliquid accipere. Cæterum hoc falsum est, vt constat ex cap. charitatem. 12. quæst. 2. & ex cap. cum sit Romana, de simonia.

Quid possit episcopus accipere pro suis functionibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De ministris episcopi.

nia. Vbi dicitur, quòd episcopi, quamuis alio qui diuites sint, possunt aliquid accipere in stipendium pro visitatione. De ministris autem, qui episcopis in suis functionibus ministrant, vt examinatores, notarij, &c. vtrùm possint aliquid accipere? Videndus est Syluester, verbo, simonia. §. 3. De quibus omnibus generaliter dico, quòd pro his, quæ necessario coniuncta sunt cum administratione sacramentorum, aut aliorum actuum spiritualiũ, nihil accipi potest, nisi in stipendiũ sustentationis. Ità tamen, quòd habeatur ratio doctrinæ Panorm. in cap. suam. de simo. Vbi dicit, consuetudine introduci posse, vt aliquid detur pro spirituali sine simonia, quando non præcesit exactio, sed ex mera liberalitate, & deuotione populi talis consuetudo fuit introducta. Pro quo etiam facit cap. ad Apostolicam. eodem tit. Dixi notãter, quando non præcesit exactio. Nam si præcedens exactio dedit causam tali consuetudini, tunc nihil valet consuetudo; quoniã habet initium vitiosum. Loquendo tamẽ peculiariter de administratione sacramentorũ, dico, quòd nullo modo oblationes statutæ & cõsuetæ, aut quicunq; alij prouẽtus debẽt à nolẽtibus exigi, nisi ipsis spiritualibus prius exhibitis, vt docet D. Th. in hoc artic.

Nota circa eãdẽ solu.

¶ In eadem solutione ad tertium dicit D. Tho. quòd qui docet aliquam facultatem conductus stipendio publico, non potest doctrinæ causa aliquid exigere. Ex quo Hostiẽsis in cap. quia nonnullis. de magistris, motus fuit, vt diceret, huiusmodi magistros nullum alium quæstum facere posse, sed existimo proculdubio hoc esse falsum. Et sic dico, quòd qui stipendio publico est conductus ad legẽdum semel quotidie, si vis legat poterit stipendium exigere ab ijs, quos docet. Quin potius affirmo, quòd quamuis semel tantum legat, si petat aliud stipendium non peccabit peccato simoniæ, sed peccato iniustitiæ. Quia pro eo, pro quo stipendium publicum habet, aliud exigit. Atque ex consequenti duplici mercede afficitur pro vno labore, quod est contra iustitiam. Et hoc intelligitur loquendo de scientijs, & artibus in genere. Nã si peculiariter de Theologia sit sermo, inter ipsam & alias scientias, atque facultates naturales, aliqua est differentia in hac parte, vt diximus art. 1. Nec D. Th. aduersatur huic nostræ sententiæ. Qui, vt constat ex exemplo ab ipso iuncto, loquitur in casu, quo Ecclesia habet canonicatum, aut certum stipẽdium decretum pro cathedra, vt eã habens gratis doceat pauperes, & ipse vltra tale stipendium aliquid aliud exigit. In quo quidẽ delinquit; nec tamen propterea contrafaciens simoniæ labe est denotandus.

De ingressu religionis.

¶ In solutione ad quartum argumentum agit D. Tho. de statu monachali. Et dicit, q̃ admittere aliquẽ ad religionẽ pro pecunia est simonia. Quod quidẽ constat manifestè ex. c. quã pio. 1. q. 2. & ex. c. de regularibus. de simonia. Sed est difficultas; quæ nam sit ratio, propter quã dare aliquid pro ingressu religionis est simonia? Et ratio dubitãdi est; Ex eo, quòd aliquis fiat monachus nihil spirituale ei confertur: ergo accipere pecuniã pro ingressu religionis non est simonia. Ad hanc difficultatem nonnulli respondent, q̃ dare aliquid pro ingressu religionis est simonia. Quia redditus monasterij constant ex decimis, & prouentibus ecclesiasticis. Is autem, qui fit monachus eo ipso acquirit ius vt sustentetur à monasterio ex illis redditibus; & sic acquirit pretio ius spirituale. Sed hæc sententia est omnino falsa. Primo; Quia certum est, plura esse monasteria, quorũ redditus nõ sunt ecclesiastici. Et præterea, Quia ius percipiendi decimas solet dari meris secularibus; nec est aliquid spirituale.

Sententia autoris.

¶ Quocirca dico, quòd qui dat pecuniam pro ingressu religionis est simoniacus, Nõ, quia acquirit aliquod ius spirituale: sed quia ipse status religionis est quid spirituale, scilicet, spiritualis quædam vinẽdi ratio à Christo Domino, & Apostolis instituta, atq; profecta. Ex quo fit, vt ad eam homines sint admittendi gratis. Licebit tamẽ ei, qui fit monachus dare monasterio bona sua, vel partẽ illorum, dummodo id faciat nõ coactus, nec ex pacto aliquo tacito, vel expresso, sed merè voluntariè. Nam cũ monachi possint ab alijs eleemosynas accipere; nõ est, cur illas nõ accipiant ab ijs, qui religionẽ ingrediuntur.

Dubium.

¶ Sed dubium est, vtrùm pro sustentatione eiuṡ, qui fit monachus, possit ab eo aliquid exigi? Et pro parte negatiua, est argumentũ: Eo ipso, quòd aliquis fit monachus, acquirit ius, vt alatur à monasterio: ergo, si pro ingressu religionis non potest aliquid exigi, nec pro sustentatione licebit. Hoc tamen non obstante dico, quòd si monasterium est tenue, licet accipere aliquid pro sustentatione.

Responsio.

Ità tenet Diu. Thomas hic ad 4. Et ratio est: Quia hoc non est vendere religionis statum, aut ius spirituale illum consequens, sed prouidere monasterio, vt possit commodè monachum alere. Ex quo sequitur, quòd si is, qui futurus est monachus fuerit debilis, vel claudus, vel alioqui inutilis ad vitæ actiones, poterit monasterium aliquid amplius exigere; quia huiusmodi homines faciunt maiores sumptus, nec ipsi suo labore, aut industria possunt

possunt rem familiarem monasterij augere.

Aliud dubium.

¶ Sed quid dicendum est, si monasterium fuerit opulentum? Quæ quæstio potest habere duplicem sensum. Primus est, vtrùm id facere sit simonia. Secundus, vtrùm dato, quòd non sit simonia, sit licitũ? Et in vtroque sensu disputatur in præsenti. Vnde sit

1. Conclu.

prima conclusio. Exigere aliquid pro victu, & sustentatione eius, qui ingreditur religionem, etiam in monasterio opulento, atque diuite, non est simonia. Probatur: Quia si hoc esset, simonia in monasterio diuite, pari ratione esset in paupere. Conditio enim monasterij non facit, vt victus, cuius causa aliquid accipitur, sit quid spirituale. Ita tenet

2. Conclu.

Syluester, verbo, simonia. §. 15. Secunda conclusio: Accipere aliquid pro victu eius, qui ingreditur monasterium opulentum; est illicitum. Probatur: Quia præsefert speciem simoniæ. Et item: Quia est aperta auaritia. Et hoc probant omnia iura, quæ adduci solent communiter à Canonistis ad probandum, quòd hoc facere est simonia. Quæ videre est apud Syluestrum loco citato. Ex hoc infertur, quam alienum sit à ratione id, quod in monasterijs monialium fieri solet, vt quo monasteria sunt ditiora, tantò à futuris monachus exigant maiores dotes. Possunt tamẽ excusari eo, quòd monachæ in illis monasterijs faciunt maiores sumptus. De hac re videndus est Syluester loco citato. Vbi etiam ponit plures alios casus particulares, qui à me consulto prætermittuntur; quia ex præcedentibus eorum solutio facilè constabit.

Articvlvs IIII.

¶ Vtrùm liceat accipere pecuniam pro ijs, quæ sunt spiritualibus annexa?

Supr. ar. 1. ad 6. & 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 3.

Ad Qvartvm sic procedi tur. Videtur, quòd licitum sit pecuniam accipere pro his, quæ sunt spiritualibus annexa. Omnia enim temporalia videntur spiritualibus esse annexa, quia temporalia sunt propter spiritualia quærenda. Si ergo non licet vendere ea, quæ sunt spiritualibus annexa: nihil temporale vendere licebit, quod patet esse falsum.

Li. 2. de off. c. 28. to. 1. & habetur. 12. q. 2. c. Aurũ.

2 ¶ Præterea, Nihil videtur magis esse spiritualibus annexum quàm vasa consecrata. Sed calicem licet vendere pro redemptione captiuorum, vt Amb. * dicit: ergo licitum est vendere ea quæ sunt spiritualibus annexa.

3 ¶ Præterea, Spiritualibus annexa dicuntur ius sepulturæ, ius patronatus, & ius primogenituræ secũdum antiquos (quia primogeniti ante legem sacerdotis officio fungebantur) & etiam ius accipiendi decimas. Sed Abraham emit ab Ephron speluncam duplicem in sepulturam, vt habetur Genes. 23. Iacob autem emit ab Esau ius primogenituræ, vt habetur Genes. 25. Ius etiam patronatus transit cum re vendita, & in feudum conceditur. Decimæ etiam cõcessæ sunt quibusdam militibus & redimi possunt. Prælati etiam interdum retinent sibi ad tempus fructus præbendarum quas conferunt; cum tamẽ præbendæ sunt spiritualibus annexæ: ergo licet emere & vendere ea quæ sunt spiritualibus annexa.

1. q. 3. c. Si quis obiecerit.

¶ Sed Contra est, quod * dicit Paschalis Papa, & habetur. 1. quæst. 3. cap. si quis obiecerit. Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit. Nullus ergo ornat Ecclesiam, vel præbendam, vel aliquod Ecclesiasticum.

¶ Respondeo dicendum, quòd aliquid potest dici annexum spiritualibus dupliciter. Vno modo, sicut ex spiritualibus dependens, sicut habere beneficia ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium clericale. Vnde huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus. Et propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subijci. Quædã autem sunt annexa spiritualibus, inquantum ad spiritualia ordinantur: sicut ius patronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad ecclesiastica beneficia: & vasa sacra, quæ ordinãtur ad sacramentorũ vsum: vnde huiusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt. Et ideo aliquo modo vẽdi possunt, non autem inquantum sunt spiritualibus annexa.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd omnia temporalia annectuntur ſpiritualibus ſicut fini. Et ideo ipſa quidem temporalia vendere licet, ſed ordo eorum ad ſpiritualia ſub venditione cadere non debet.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd etiam vaſa ſacra ſunt ſpiritualibus annexa ſicut fini: & ideo eorum conſecratio vendi non debet. Tamen pro neceſsitate Eccleſiæ & pauperum materia corũ vendi poteſt, dummodo præmiſſa oratione prius confringantur: quia poſt cõfractionem non intelliguntur eſſe vaſa ſacra, ſed purum metallum. Vnde ſi ex eadem materia ſimilia vaſa integrarentur, indigerent iterum conſecrari.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſpelũca duplex quam Abraham emit in ſepulturam, non habetur quòd erat terra conſecrata ad ſepeliendum: & ideo licebat Abrahæ terram illam emere ad vſum ſepulturæ, vt ibi inſtitueret ſepulchrum: ſicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad inſtituendum ibi cœmeterium vel etiam Eccleſiam. Tamen quia apud gentiles loca ſepulturæ deputata, religioſa reputabantur, ſi Ephron pro loco ſepulturæ intendit pretium accipere, peccauit vẽdens: licet Abraham non peccauerit emens: quia nõ intendebat emere niſi terram communem. Licet enim etiam nunc terram, vbi quondam fuit eccleſia, vendere aut emere in caſu neceſsitatis: ſicut & de materia ſacrorum vaſorum dictum * eſt. Vel excuſatur Abraham, quia in hoc redemit ſuam vexationem. Quamuis enim Ephron gratis ei ſepulturã offerret, perpendit tamẽ Abraham, quod gratis recipere ſine eius offenſa non poſſet.

In ſolut. præce. arg.

¶ Ius autem primogenituræ debebatur Iacob ex diuina electione: ſecundũ illud Malac. 1. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Et ideo Eſau peccauit primogenita vendens: Iacob autem non peccauit emendo, quia intelligitur ſuã vexationem redemiſſe. Ius autem patronatus per ſe vendi non poteſt, nec in feudum dari, ſed tranſit cum villa quæ venditur vel conceditur. Ius autẽ ſpirituale accipiendi decimas non conceditur laicis, ſed tantummodo res tẽporales quæ nomine decimæ dantur, vt ſupra dictum * eſt. Circa collationẽ vero beneficiorum ſciendum eſt, quòd ſi epiſcopus antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam cauſam ordinauerit aliquid ſubtrahendum de fructibus beneficij conferendi, & in pios vſus expendendum, non eſt illicitum. Si vero ab eo cui beneficium confert, requirat aliquid ſibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idẽ eſt ac ſi aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio ſimoniæ.

Quæſt. 88. art. 3.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, quòd dupliciter contingit aliquid eſſe ſpirituali annexum, vno modo ſicut dependens ex ipſo ſpirituali, vt beneficium eccleſiaſticum, quod dependet ex officio clericali; quia nõ datur, niſi clericis; alio modo tanquam ordinatum ad aliquid ſpirituale, vt ius patronatus, quod ordinatur ad præſentandos clericos ad beneficia, & vaſa ſacra, quæ ordinantur ad ſacramentorum vſum, reſpondet D. Thom. ad propoſitã difficultatem per duas propoſitiones. Prima cõcluſio: Ea, quæ ſic ſunt annexa ſpiritualibus, vt ab illis dependeãt, nulla ratione emi, aut vendi poſſunt. Probatur: Quia cùm hæc nõ poſsint eſſe ſine ſpiritualibus, qui ea vendoret videretur vendere ſpiritualia. Secunda concluſio: Ea, quæ dicuntur annexa ſpiritualibus: quia ordinantur ad illa, vendi poſſunt dummodo non vendantur, quatenus ſunt annexa ſpiritualibus. Probatur: Hæc nõ præſupponunt ſpiritualia; ſed potius ordine naturæ præcedunt. ergo vt ſic, vendi poterunt abſque eo, quòd vẽdatur aliquid ſpirituale.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem, in qua de venditione beneficiorum eſt ſermo, aduertendum eſt, quòd ea eſt certa, ſi intelligatur ſecundũ ius poſitiuum. Certũ eſt enim quòd venditio beneficiorũ eccleſiaſticorũ iure poſitiuo eſt prohibita, & ſic mala, vt conſtat ex. c. ſi quis Doctor, & ex. c. ſi quis epiſcopus, & ex. c. ſi quis obiecerit, & ex. c. quæſitum. 1. q. 3. & ex toto titulo. de ſimo. Sed dubium eſt, vtrũ hæc venditio ſit tantũ prohibita iure poſitiuo, an vero etiã ſit prohibita iure diuino, & naturali? Quod eſt quærere, vtrũ tantũ ſit mala, quia prohibita, vel potius prohibita quia mala? De qua re duæ ſunt

Dubiũ circa. 1. cõclu.

ſunt ſententiæ extremæ, & vna media inter vtramq;. Prima ſententia quæ aſſerit vẽditionẽ eccleſiaſticorũ beneficiorũ eſſe tãtũ prohibitã iure poſitiuo. Ex quo colligũt autores huius ſententiæ, q̃ Papa ſine peccato poteſt vendere beneficia eccleſiaſtica. Ità tenet glo. in. c. ex parte, el. 1. de offic. deleg. quam illic Anto. de But. & Cardi. c. 1. de ſimo. cõprobãt. Secunda opinio eſt in alio extremo, quæ aſſerit omnẽ venditionẽ eccleſiaſticorũ beneficiorũ eſſe prohibitã iure diuino, & naturali: hãc videtur tenere D. Th. in hoc art. Tertia ſententia eſt Panor. in. c. 1. de ſimon. & in repetitio. ſuper. & extirpandæ. de præbend. §. qui verò. nu. 53. & Hoſt. in. c. vlt. de ſimon. Qui dicunt, quorundã beneficiorum venditionẽ eſſe prohibitã iure diuino, & naturali, aliorũ autẽ tantũ iure poſitiuo. Nam beneficia, quæ habent annexã adminiſtrationẽ ordinis & clauiũ prohibita ſunt vẽdi iure diuino & naturali. Quæ verò nõ habent huiuſmodi annexa prohibẽtur vendi tantũ iure poſitiuo. Et fundamentũ huius opinionis eſt; Quia ordo pertinet ad ius diuinũ. Et quando aliqua duo ità ſunt cõiuncta, & colligata, vt vnũ ex altero dependeat, cum vnũ venditur, & aliud vẽdi intelligitur; vt patet ex. c. ſi quis obiecerit. 1. q. 3. Quare, qui vẽdit beneficiũ, quod habet annexã adminiſtrationem ordinis, videtur etiã & ipſam adminiſtrationẽ & ordinẽ vẽdere, quod eſt ſimoniacũ. ¶ Vt videamus, quæ nã harũ opinionũ ſit vera, atq; tenenda, aduertendũ eſt primò ex Caiet. q. 1. de ſimonia, quòd in quolibet beneficio eccleſiaſtico duo poſſumus cõſiderare. ſ. clericatũ, & titulũ præbendæ. Nomine clericatus intelligimus in præſenti quoſcunq; ordines etiã minores, & primã tonſurã. Eſt nanq; clericatus nihil aliud, quã quædã traditio ſeu addictio ad miniſtrãdum diuinis officijs. Vnde clerici dicti ſunt qui à cæteris omnibus occupationibus ſemoti in ſortem Domini eliguntur, vt docet Vrban. Papa in Epiſt. ad omnes Epiſcopos, & Iſid. c. clericos. 21. d. Et hinc fit, vt qui primã tonſuram accipiunt dicere præcipiantur: Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Eſt autẽ clericatus quædã res ſpiritualis, quia omne officiũ clericis in ſpiritualibus cõſiſtit, vt cõſtat ex D. Th. Qui in hoc arti. clericatũ appellat rem ſpiritualem, & beneficiũ eccleſiaſticũ dicit eſſe ſpirituali annexũ, quia eſt annexum clericatui. Et ſic in omni beneficio eccleſiaſtico eſt aliquid ſpirituale, quod vẽdi nõ poteſt, ſcilicet, clericatus. ¶ Secundo eſt aduertẽdũ, quòd ius præbendæ continet in ſe quatuor, ſcilicet, ius ad petendũ ſtipendiũ, ſtipẽdiũ ipſum, ius ad tale & tantũ ſtipendiũ, &

1. Sentent.

2. Sentent.

3. Sentent.

In beneficio conſideratur duo.

Ius præbendæ continet quatuor.

in tali loco, & vltimò ipſum ſtipendiũ tale, & tantum. Ex his autẽ quatuor duo vltima, ſcilicet, certa & diffinita quantitas ſtipẽdij, & ius ad illam, ex iure poſitiuo, hominũq; inſtitutione determinantur. Nam, quod hoc beneficium habeat quotannis centũ aureos & in tali loco eſt de iure poſitiuo. Cæterũ ſtipendium abſolutè, & ius ad illud petendũ eſt de iure diuino & naturali, vt patet ex Paul. 1. ad Cor. 9. dicente; Non alligabis os boni trituranti. Quod & docet. 1. ad Tim. 5. Et ſic apud Ægyptios ſacerdotes alebãtur ex ærarijs publicis, vt cõſtat ex Geneſ. c. 47. Et inter Iudæos tribus Leui, quæ erat ſacerdotalis, non accepit hæreditatẽ cum alijs tribubus filiorum Iſrael; eo quòd ratione officij alendi erãt à populo, vt patet ex Num. cap. 35. & ex lib. Ioſue cap. 14. Ex quo ſequitur, ius petendi ſtipẽdium eſſe aliquid diuinum, & ſpirituale; atq; ex conſequenti non vẽdibile. ¶ Tertiò eſt aduertendũ, quòd quẽadmodũ non eſt aliud præceptum, ſanctificare feſtum, & aliud ſanctificare hoc feſtũ, ſed vnum atque idem indeterminatũ à Deo & determinatum ab eccleſia: ità etiam non eſt aliud ius petendi ſtipendium, & aliud ius petendi tale ac tantum ſtipendium. Sed hoc ſecundum eſt quaſi prioris determinatio. Ex quo ſequitur, quòd ſi ius petendi ſtipendiũ abſolutè eſt aliquid ſpirituale; ſimiliter etiã erit ſpirituale ius petendi tale ac tantũ ſtipẽdium, poſtquam ab eccleſia fuerit determinatum. ¶ His ſuppoſitis ſit concluſio: Vende quodcunq; beneficium eccleſiaſticũ, etiã ſi non habeat ordinis, aut clauiũ adminiſtrationem, eſt ſimonia de iure naturali, & diuino. Probatur: Omne beneficium eccleſiaſticũ dependet ex clericatu, vt diximus in primo notabili: ſed clericatus eſt quid ſpirituale: ergo ſi vendatur erit ſimonia, contra ius naturale & diuinum. Et confirmatur: In vnoquoq; beneficio eccleſiaſtico includitur ius ſpirituale petendi ſtipendium: ergo ſi venditur erit ſimonia. Hanc concluſionem tenet Armachan. lib. 10. de quæſtionibus Armenorum. c. 16. & Albertus in. 4. q. 25. art. 4. Durand. eadem. d. q. 5. Palud. q. 4. Adria. quodl. 9. art. 2. Caiet. opuſc. de ſimonia. q. 1. & Soto lib. 9. de iuſtitia. q. 7. art. 1. Quo loco reprehendit Caietan. propterea quod dicit, ordines minores eſſe introductos iure diuino. Ipſe enim affirmat fuiſſe introductos iure tantum poſitiuo. Nec ex hoc ſequitur, quòd vẽdere beneficium, quod tantum eſt annexum ordinibus minoribus, ſit ſimonia ſolum de iure poſitiuo. Nam licet ordines minores ſint introducti iure humano; tamen poſtquam ſunt introducti, ità efficiuntur res ſa-

Ius ad ſtipẽdium & ius ad tantum ſtipendium eſt idem.

Concluſio.

cræ

Universidad de Deusto
Biblioteca

cræ & spirituales, vt illorum venditio sit simonia de iure naturali, & diuino. Quidquid tamen de hoc sit, nostra conclusio est vera, & certa. Atq; etiam existimo verum, quod affirmat Caiet. nempe, quòd ordines minores, & prima tonsura fuerunt introducti iure diuino, quidquid dicat Soto. Et probatur primò: Nã cum isti ordines minores semper fuerint in ecclesia, vt colligitur apertè ex cano. 4. Apostolorũ, & ex canone. 25. & ex canone. 69. & ex Epist. 3. Clemen. discipuli D. Petri, & ex Epist. 12. Ignatij discipuli D. Ioannis, qui omnes loquuntur de minoribus ordinibus, non aliter, quã de re veteri, nec inueniantur ab aliquo alio, quã à Christo Dño institutæ; consequens est, vt sint de iure diuino. Itẽ prætereà isti ordines minores efficiũt cũ maioribus vnum sacramentũ ordinis, cuius sunt partes integrales: sed omnia sacramẽta sunt instituta à Christo, vt est diffinitũ in Conc. Trid. sess. 6. cano. 1. ergo sunt de iure diuino. Ex dictis infero primò, quòd nec etiã Summus Pontifex potest vendere, aut dare licentiã ad vendendũ huiusmodi beneficia. Ipse enim non habet potestatẽ supra ius diuinum. Infero secundò, quòd clericus nõ potest vendere clerico ius petendi huiusmodi stipendiũ. Nam quanuis clericus sit capax huius iuris; ipsa tamen res nõ est vendibilis; quia est spiritualis. Infero tertiò, quòd si beneficium habet aliquẽ fundum non licebit illum vendere cum illo titulo, vt emptor habeat ius petendi stipendium debitum clerico. Sed poterit vendi, si prius desinat esse ecclesiæ. Illa autem beneficia, quæ non sunt annexa clericatui, vt procuratio, & sacristia, &c. vẽdi poterunt sine simonia, quantũ attinet ad ius diuinum: licet iure positiuo sint prohibita, vt patet ex cap. Saluator. 1. quæstione. 3.

Ordines minores sunt de iure diuino.

1. Corolla.

2. Corolla.

3. Corolla.

¶ Sed dubium est de beneficijs præstimonialibus, vtrùm eorum venditio sit simonia de iure naturali, & diuino. Et ratio dubitãdi est; Quia cum huiusmodi beneficia sint instituta ad sustentandos clericos in studijs literarum, nec dẽtur propter aliquod munus spirituale, videntur esse temporalia, & sic vẽdi posse sine simonia, quæ sit contra ius naturale, & diuinum. Ad explicationem huius difficultatis est aduertendũ primò, ꝙ in huiusmodi beneficijs prestimonialibus tria possumus considerare. Primũ est fructus ipsi. Secundũ ius percipiẽdi fructus. Tertiũ est causa, propter quã huiusmodi beneficia fuerũt instituta. Et quidẽ de primo certũ est, quòd est aliquid temporale. De secundo verò idẽ faciendum est iudicium, quod de tertio. Nã cũ ius petendi fructus nascatur ex causa, propter quam talia beneficia fuerunt instituta, si causa est temporalis, & ius ipsum erit tẽporale. Si autem causa est spiritualis, & ius percipiendi fructus erit spirituale.

Dubiũ de beneficijs præstimonialibus.

Nota. 1.

Nota. 2.

¶ Secundò est aduertendum, quòd in beneficijs præstimonialibus causa, ex qua nascitur ius petendi redditus, non solum est ocium, in quo ipsi beneficiati exercentur, sed etiam omne illud, cuius rationem habuerũt institutores, cum primum talia beneficia instituerunt. Hoc autem nõ solum fuit studiũ literarum; sed etiam, vt his studijs doctiores facti clerici cultum ecclesiasticũ, ac diuinũ amplificarent, & sic essent vtiliores ecclesiæ. Et propterea non nisi à clericis voluerunt obtineri. Ex quo sequitur, quòd causa totalis, atque integra, ex qua natum est ius percipiendi redditus horum beneficiorum, est studium literarũ, & ordo sacer, & spes, quæ habetur fore, vt ex illis studijs ecclesia magnam vtilitatem percipiat. Atque ex consequenti cum ordo sacer, & salus animarum, quæ speratur ex illis studijs, sit aliquid spirituale; causa etiam, ex qua nascitur ius percipiendi fructus, vel totaliter, vel saltem maiori ex parte erit spiritualis. Hæc omnia ratione ipsa constant; nec indigent probatione.

Conclusio.

¶ His suppositis sit conclusio: Contra ius naturale, & diuinum est vendere beneficia præstimonialia, nec id potest facere Papa sine simonia. Probatur: Ius quod continetur in illis beneficijs, est spirituale: ergo si vendatur erit simonia contra ius naturale, & diuinum. Consequentia est nota, & antecedẽs probatur: De eo iure est iudicandum, sicut de causa: sed causa, ex qua nascitur est spiritualis, vt diximus in secundo notabili: ergo & ipsum ius. Et per hæc patet solutio ad rationem dubitandi.

Dubiũ de stipendijs militaribus 1. Dictum.

¶ Sed quid dicendũ est de stipendijs militaribus, quæ vulgò appellantur, encomiendas, vtrùm illa vendere sit simonia? Ad cuius explicationem dico primò, quòd vendere huiusmodi stipendia militaria, est illicitum, & peccatum mortale. Probatur: Tũ, quia est contra intentionem fundatorum, qui voluerunt, vt ea gratis donarentur defensuris Christianam tempublicam. Tum etiam; quia est contra bonum reipublicæ. Quia si huiusmodi stipendia venderentur, non ad optimos quosque & fortiores viros, sed ad ociosos, & diuites deuenirent. Dico secundò, quòd vendere stipendia militaria meo iudicio non est simonia. Probatur: Ius habendi illa stipendia est aliquid tẽporale; sicut & causa & finis illius, scilicet, militia: ergo si vẽdatur nõ erit simonia, cõtra ius

2. Dictum.

ius naturale & diuinum. Et si quis obiiciat; Ordo, verbi gratia, de Calatraua, vel de Alcantara, est quædam religio, in qua fit professio, ordinanturque homines ad diuinum cultum: ergo si eius encomendæ vendantur erit simonia; respondeo, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Nam, quamuis ordinentur huiusmodi religiones vltimatè ad diuinum cultum, proprius tamen finis huius instituti est quid temporale, scilicet, militia, & non vltimi, sed proximi finis est habenda ratio. Nam si vltimi haberetur, omnium rerum venditio esset simonia cum omnia, quæ sunt in Christiana republica, vltimatè referantur in diuinum cultum.

Dubium de pẽsionibus.

¶ Sed est dubium consequens de pensionibus, vtrùm vendi possint sine simonia? Quæ res est difficilis intellectu, & de qua sunt variæ Doctorum sententiæ. Nam Panormitanus in capitulo. cum dilectus. de præbendis, & Adrianus quodlibet. nono. & Caietanus in tractatu decem & septem quæstionum quæstione 10. dicunt, quod ius pensionum est mere temporale, ac proinde vendi possunt sine simonia. Probat Caietanus suam sententiam primò, quia conferuntur laicis. Secundo, quia qui illas habent non obligantur ad aliquod munus Ecclesiasticum exercendum, nec tenentur suscipere sacros ordines. Contrariam tamen sententiam tenet Maiotis in quarto distinctione 25. quæstio. 5. Ex quo etiam infert, quod qui habent huiusmodi pensiones tenentur ad officium diuinum. Præcipuum fundamentum huius opinionis est: Nam, vel pensio est aliquid spirituale, vel aliquid temporale. Si primum, habeo intentum. Si secundum, ergo non potest dari pro beneficio. Consequens autem est falsum, vt constat ex vsu Ecclesiæ, quo videmus sæpè sæpius beneficia dari pro pensionibus: ergo dicendũ est, quod pensiones sunt spirituales: atque ex consequenti non possunt vendi.

Sententia Caietani.

Sententia Maioris.

Nota 1.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est primò, quod nos in præsenti vocamus pensiones, quando ex redditibus Ecclesiastici beneficij pars aliqua ab eo, qui beneficium habet confertur alteri autoritate, & iussu summi Pontificis. ¶ Secundo est aduertendum, quod quamuis iure naturæ posito ministerio Ecclesiastico, & ordine sacro statim sequatur ius percipiendi stipendium. Nihil enim est magis consonum rationi, atque naturæ, vt qui laborat manducet. Quo circa illa vox Domini: Dignus est mercenarius mercede sua, censenda est etiam vox naturæ. Tamen, quod habenti beneficium detur tale, ac tantum stipendium, puta, decima pars bonorum, id iure positiuo fuit introductum. Ex quo sequitur, quod pontifices quantum attinet ad quantitatem stipẽdij, multa possunt innouare. ¶ Tertio est aduertendum, quod quia Papa non est dominus reddituum Ecclesiasticorum, sed tantum dispensator, non poterit instituere, vt qui habet beneficiũ Ecclesiasticum det alteri partem suorum reddituũ, nisi interueniat aliqua rationabilis causa ex iis, propter quas huiusmodi pẽsiones sunt institutæ. Quapropter recensere oportebit causas legitimas, propter quas pensiones sunt institutæ. Prima est, vt cum beneficiato, morbo, vel senio confecto, & minus idoneo ad suum munus exercendum datur coadiutor. Tunc enim iustum est, vt socio laboris pars aliqua mercedis, vel beneficii conferatur. Secunda causa est, cùm is, qui plures annos seruiuit Ecclesiæ, vel in episcopatu, vel in alio beneficio posteà resignat id beneficium, vel episcopatũ. Tunc enim etiã iustũ, est, vt illi pars aliqua beneficii conferatur, & tanquã miles veteranus publicis stipendijs alatur. Tertia causa est, cùm aliquis rẽ Ecclesiæ, vel temporalem, vel spiritualem auget, aut augere potest, vel doctrina, vel sanctitate, vel in propulsandis hostibus, aut propagãdis finibus reipublicæ Ecclesiasticæ est exercitatus. Nam & huic iustum est, vt pẽsio detur. Quarta causa est quãdo aliquis clericus est inopia oppressus. Quia ratio postulat, vt is etiam publicis opibus alatur. Quinta causa, cũ duobus clericis idẽ beneficium petentibus, & litigantibus res est dubia. Nam tunc ad dirimendas lites iustum est, vt vni beneficiũ, & alteri pensio tribuatur. De quo genere pensionũ fit mentio in cap. nisi essent. de præbendis. Vltima causa versatur in permutationibus beneficiorũ, quæ habet iuxta quales redditus. Quia tũc potest Papa illi qui beneficium minus pingue accepit, ex diuiti bẽficio aliquã pensionem dare & præter has causas pensionũ instituendarũ reliquæ omnes sunt iniustæ. Ex quo infero primò pẽsiones, quæ hac nostra ætate cõferuntur maxima ex parte esse iniustas, & tã dãtes quã accipiẽtes valde in eo peccare. Quia non dantur pro bono cõmuni, & causa legitima, sed pro arbitratu regũ, & summorũ Põtificũ, vt suos familiares opibus augeãt. Et vt hac ratione, quæ sibi priuatim exhibẽtur obsequia præmio afficiãt. Nisi forte iustificẽtur ea ratione qua diximus posse iustificari supra q. 63. art. 2. Vbi etiã de his causis nõnihil diximus. Infero secũdo, quod pẽsiones sunt in quadrupli ci differentia. Quædã enim sunt, quæ dãtur pro ministerio spirituali, quo quis fungitur,

Nota 2.

Iustæ causæ pẽsiones imponendi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel in prædicatione, vel in adiuuando alterũ. Aliæ quæ dantur ijs, qui promouent rem Ecclesiasticam temporalem. Et aliæ, quæ dantur propter ordines sacros tantum. Vt cum aliquis clericus infirmatur. Et tandem vltimæ sunt, quæ dantur illis, qui cedunt suis beneficijs, illaque vel resignant, vel permutant. Si quæ autem aliæ pensiones inueniantur, erunt iniustæ, tanquã illæ, quæ sine legitima, & sufficienti causa fuerunt impositæ.

1. *Conclus.* ¶ His constitutis sit prima conclusio: Pensiones primi generis quæ dantur pro ministerio aliquo spirituali, quo quis aut fungitur, aut functus est. Vt quæ dantur concionatoribus; nec emi nec vendi possunt. Et illas redimere erit simonia. Probatur: Ius percipiendi huiusmodi pẽsiones est aliquid spirituale, vt pote dimanans ex causa spirituali: ergo si vendatur erit simonia. ¶ Secunda conclusio: Pensiones secundi generis, quæ dãtur pro ministerio temporali, quod quis exhibuit Ecclesiæ, quales sunt pensiones, quæ militibus conceduntur possunt emi, atq; vẽdi, & similiter redimi absque simonia. Probatur: Ius percipiendi huiusmodi pensiones, est mere tẽporale, sicut & causa propter quã datur est temporalis: ergo si vendatur non erit simonia. ¶ Tertia conclusio: Pẽsiones tertij generis, quæ dantur ratione ordinis tantum, vt quæ conferuntur clerico inopi, vel ægroto, non possunt vendi sine simonia. Probatur: Quia titulus huius pensionis est spiritualis, scilicet, clericatus. Quarta conclusio: Pensiones quarti generis, vt quæ interueniunt in permutationibus beneficiorum, vendi non possunt sine simonia. Hæc conclusio est contra Caietanum, vbi supra. Illam tamen tenet Victoria in relectione de simonia, numero 53. Et probatur efficaci argumento, quod posuimus, pro opinione Maioris. Quod tale est. Istæ pensiones dantur pro beneficijs: ergo sunt aliquid spirituale. Patet consequentia: Quia si temporales essent non possent dari pro beneficijs, sine simonia. ¶ Quinta conclusio: Pensiones iniustæ, quæ sine idonea causa fuerunt impositæ, si vendantur, non erit simonia. Probatur: Huiusmodi pensiones non sunt concessæ alicui titulo spirituali: ergo qui vendit illas, licet possit peccare aliud peccatum, non tamẽ peccabit peccatũ simoniæ. Et hæc dicta sint de pensionibus.

2. *Conclus.*

3. *Conclu.*

4. *Conclu.*

5. *conclus.*

Dubium de permutatione beneficiorum.

¶ Est aliud dubium de permutationibus beneficiorum, vtrùm scilicet, beneficia permutare sit simonia. Ad cuius explicationem sit prima conclusio: Commutare præbendam pro præbenda, beneficium pro beneficio, simpliciter & absolutè loquendo, non est simonia. Probatur: Quia tantum commutatur res spiritualis pro spirituali, quod quidem non est simonia, vt diximus articulo primo huius quæstionis. Cæterum si huiusmodi permutationes fiant sine autoritate Papæ erit grauissimum peccatum: quod & punitur pœna simoniæ, vt eo loco diximus. Secunda conclusio: Resignare beneficium in manu Episcopi, vel summi Pontificis ea lege tantum, vt detur certæ personæ, non est simonia. Hæc conclusio est contra Glossam, quæ in capitu. ex parte. el primero, de officio delegati, tenet, quod resignare beneficium Ecclesiasticum in fauorem tertiæ personæ est simonia. Probatur tamen nostra sententia. In tali resignatione nulla subest venditio rei spiritualis: ergo non est simonia. Imò dico talem resignationem ex se esse licitam, nisi ex aliquo prauo fine, vel circunstantia vitietur. ¶ Tertia conclusio: Resignare, vel commutare beneficium cum pacto recipiendæ pensionis, ità, vt id pactum lateat summum Pontificem, meo iudicio, est simonia. Et ratio est: Nam cum pensio in beneficijs statui non possit, nisi à Papa, ea, quæ ponitur à priuata persona ignorante summo Pontifice, non erit habenda pro pensione, sed pro pretio beneficii collati: atque ex consequenti erit simonia. ¶ Quarta conclusio: Resignare beneficium, & præbendam totis redditibus retentis pro pensione est grauissimum peccatum, & summa iniustitia maximè in beneficijs curatis. Probatur: Quia est contra ius diuinum, & naturale, vt qui actu ministrat Ecclesiæ, ex officio nihil stipendij percipiat, & percipiat ille, cui nec cura incumbit, nec ministrat. Ex quo fit, vt iure positiuo sit statutum, vt pensiones non excedant tertiam partem præbendæ, vel fructuum beneficiorum, vt colligitur ex capitulo ad quæstiones, de rerum permutatione. Aliqui in commutationibus faciendis, non solum fructuum quantitatem, verum etiam honorem, & dignitatem sacerdotij æstimare solent. Ità, vt cum Archidiaconatus, aut Decanatus alicuius illustris Ecclesiæ pro simplici præbenda permutatur, etiam si fructus fuerint pares, alia insuper pensio pro dignitate exigatur. Sed id qua ratione fieri possit non video, cum dignitas res spiritualis sit, & in dicto capitulo, ad quæstiones, expresse caueatur, ne permutatio dignitatum, cum fructuum pensione misceatur, sed per se simpliciter sacerdotium pro sacerdotio, & dignitas pro dignitate, absque aliqua refusione pecuniæ,

2. *conclus.*

3. *Conclus.*

4. *conclus.*

1. *conclus.*

niæ permutetur, & seorsum fructus pauperiores ad ditiorum æqualitatem compensentur.

¶ In solutione ad tertium argu. dicit multa D. Tho. Et quidem, quãtum attinet ad Abraham, qui emit ab Ephron agrum ad sepelien dam vxorem, tenenda est prima responsio D. Tho. qua dicit, eum agrum eo tempore non fuisse sacrum, vt bene docet Abulensis supra vigesimum quintum caput Geneseos contra Liranum. Et sic simoniam non commisit. Sed dubium est, vtrùm modo apud nos, qui habemus templa consecrata, loca cœmeterij sepeliendis mortuis pretio vendere sit simonia? Ad cuius explicationem dico primò, certum esse, quod vendere munus sepeliendi, atque etiam ipsam sepulturam est simonia. Probatur: Munus sepeliẽdi est quid religiosum & spirituale, quod ministri Ecclesiastici gratis exhibere tenẽtur: ergo si vẽdatur erit simonia. Sed quod nec etiã ipsa terra, aut sepultura vẽdi possit probatur: Sine sepultura munus sepeliendi exerceri nõ potest: ergo sicut vendere munus sepeliendi est simonia; ità etiam erit simonia vendere sepulturam. Antecedens est manifestum, & cõsequentia probatur ex ijs, quæ diximus art. 2. cùm de sacramentis ageremus. Vbi ostendimus, quod quia sacramenta vendi non possunt, nec etiam potest vendi materia illis necessario coniuncta. Tandem hoc ipsum probatur ex c. ad abulen dam de sepulturis, & ex cap. cum in Ecclesia de simonia. & ex capit. ad Apostolicam. & ex cap. non satis. eodem titulo. Dico secundò, quod sepelire maiori, vel minori pompa, & in digniori loco vendi potest sine simonia. Probatur: Nam huiusmodi res ex abundanti & non necessario sunt coniunctæ cum officio sepeliendi; atque adeo vendi possunt. Sicut & diximus de laboribus, & rebus non necessariò coniunctis cum administratione sacramentorum. Dico tertio, quod absolutè loquendo, licitum est recipere pro sepultura & officio sepeliendi ea, quæ secundum laudabilem consuetudinem dari solẽt. Nam ista censentur dari non pro sepultura, aut pro officio sepeliendi, sed vt suppetat victus ministris Ecclesiæ. De hac re est videndus Syluester verbo, simonia §. 11.

Dubium de emptione sepulturæ.

1. *dictum.*

2. *dictum.*

3. *dictum.*

De Iacob emente primogenituram.

¶ In eadem solutione ad tertium dicit D. Tho. quod Iacob emens ab Esau primogenituram, quæ spiritualis erat, vt docet Abulensis super 25. caput Geneseos, non cõmisit simoniã. Quia in rei veritate nihil emit; sed tantum quod suum erat ab iniusto possessore redemit. Quod quidem verum est, cæterum huius rei ratio non assignatur ab autore. Et ea est. Quia dominus reuelauit diuinitus Rebeccæ se velle, quod minor natu esset habendus pro primogenito. Quod & Rebecca reuelauit Iacob, quem magnopere deligebat. Et sic ipse prudenti ratione recognita redemit suum ius, & liberauit se à fratris iniuria, dando pulmentum pro primogenitura, vt optimè explicat Caietanus in hoc articulo. Quare, licet Esau peccauerit, vt non solum litera, sed etiam Apostolus ad Hebræos 12. testatur, dicens. Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua; Iacob tamen excusatur: Primò ab inhumanitate, quæ videtur esse in eo, quod fratri lasso pulmentum paratum negauit. Tum, quia Esau non necessitatis, sed delectationis causa motus apparet. Tum etiam, quia prudentis viri est, aliquid occupatori iuris sui negare, quando ex tali negatione quod suum est re habere sperat. Secundò excusatur ab inductione ad peccandum; quæ videtur esse in eo, quod dixit, vende mihi primogenita tua, eo vel maximè, quod Esau ad id paratus non erat; sicut vsurarius est paratus ad vsuram. Excusatur, inquam, non minus, quam offerens pecuniam occupatori sui beneficij Ecclesiastici. Nec hoc est inducere ad peccandum, sed non solum parato, verum & actualiter peccanti maius detinendo, offerre redemptionem secundum veritatem, quamuis secundum modum loquendi, & secundum intentionem alterius, aliud videatur. Itaque Iacob dicentis; Vende mihi primogenita, sensus fuit, da mihi primogenita, quæ in veritate sunt mea, & ex quo non vis gratis dare offero prandium. Ad quem etiam modum sunt intelligendæ omnes redemptiones vexationum. In quibus duo inueniuntur. Vnum licitum, quod petit redemptor, puta, dari sibi vitam, libertatem, ius, beneficium, &c. Alterum iniquum, quod non petit, sed patitur, quamuis per modum petentis se habeat, offerens materiam parato ad illam, vel maiorem, vel fortè non minorem iniquitatem, quam sit acceptio pretij, efficiendam. Non enim qui redimit fratrem, aut filium à latrone petit, vt accipiat latro tantum pecuniæ, quasi hoc volens. Sed offert pecuniam, patiens vt latro illam accipiat, qui paratus est, vel occidere, vel detinere hominem. Et sic de alijs. Non ergo inducit Iacob Esau ad peccatum, qui secundum rem occupator erat primogenituræ: & sic erat vexator: tenebaturque renuntiare, quia tenebatur obedire diuinæ ordinationi de iure primogenituræ. Sed ipse Esau accepit peccandi occa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

occasionem ex verbis Iacob. Nec obstat, si dicatur, quod Esau credebat primogenita esse sua, nescius diuinæ ordinationis, quam Iacob sciebat, vt creditur. Quoniam, etiam si Esau diuinam ordinationem scisset, non propterea cessisset, sed in occupatione perseueraisset. Vt colligere licet ex eo, quod cognita post paterna ordinatione, de eadem re dixit. Venient dies luctus patris mei, & interficiam Iacob. Gene. 27.

De iure patronatus emendo vel vendendo.

¶ Circa ius patronatus, de quo D. Thom. agit in eadem solutione ad 3. aduertendum est, quod directè non dicitur spirituale, quia cadit in laicum; sed secundum quid, in quantum per ipsum præstatur via ad consequendum spirituale beneficium. Et sic appellatur spirituali annexum: & si vendatur speciali ter erit simonia. Si vero ematur intentione priuandi, aut præsentandi quem velit, spoliari debet emptor, & Ecclesia esse libera secundum Innocentium. Sed si ematur cum vtilitate temporalium, cum qua & ipsum tranit, non erit simonia, secundum Hostiensem, & Chalderi. & patet ex c. ex literis. eod. titulo. Quod in c. quia clerici. limitat Panormitanus, nisi illa tẽporalia principaliter emãtur propter hoc ius consequendum: quia tũc esset simonia ex parte emptoris. Limita etiã; nisi & ipsum cum talibus in venditione exprimatur. Quia secundum Ioan. Andre. in cap. vnico. eod. titulo libr. 6. si dicatur: Vendo tibi villam, & ius patronatus, quod habeo in villa, non valet venditio. Secus autem, si simpliciter villam vendit, vt in Clementina pastoralis. de re iudi. Et idem est dicendum, si vendatur palatium, in quo est capella. Quia licet contrarium nollent Innocentius, & Hostiensis in dicto cap. ex literis, verior tamen est opinio dicentium, quod transit illud ius patronatus cum palatio, argumento legis si mercede §. si cum fundum ff. de action emp. Et ideo emptor, & fundarius cum acquirant directum, vel vtile dominium rerum, similiter acquirunt ius patronatus licitè, sicut alios fructus habent, leg. in leg. §. dolia ff. de contra. emptio.

ARTICVLVS V.

¶ Vtrùm liceat spiritualia dare pro munere quod est ab obsequio, vel a lingua.

4. d. 25. q. 3. art. 3. Li. 2. c. 57. in princip.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quod liceat spiritualia dare pro munere quod est ab obsequio vel à lingua. Dicit enim Gre. * in registro. Ecclesiasticis vtilitatibus deseruientes, ecclesiastica dignũ est remunerationem gaudere, Sed deseruire ecclesiasticis vtilitatibus pertinet ad munus ab obsequio: ergo videtur quòd licitum sit pro obsequio accepto ecclesiastica beneficia largiri.

2 ¶ Præterea, Sicut carnalis videtur esse intentio, si quis alicui det beneficiũ ecclesiasticum pro suscepto beneficio, ita etiam si quis det intuitu consanguinitatis. Sed hoc non videtur esse simoniacum, quia non est ibi emptio & venditio: ergo nec primum.

3 ¶ Præterea, Id quod solum ad preces alicuius fit, gratis fieri videtur: & ità non videtur locum habere simonia quæ in emptione vel venditione consistit. Sed munus à lingua intelligitur, si quis ad preces alicuius ecclesiasticum beneficiũ cõferat: ergo hoc nõ est simoniacũ.

4 ¶ Præterea, Hypocritæ spiritualia opera faciunt vt laudem humanam consequantur, quæ ad munus linguæ pertinere videntur, nec tamen hypocritæ dicuntur simoniaci. Non ergo per munus à lingua simonia contrahitur.

Habetur 1. n° Papa dicit, q. 3. c. Sallator, ante medium.

¶ SED CONTRA est, quòd * Vrba n° Papa dicit, Quisquis res ecclesiasticas non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra muncre linguæ vel obsequij, vel pecuniæ, largitur vel adipiscitur, simoniacus est.

Art. 2. huius quæst.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut suprà * dictũ est, nomine pecuniæ intelligitur cuiuscũq; pretiũ quod pecunia mẽsurari potest. Manifestũ est autẽ quod obsequiũ hominis ad aliquã vtilitatẽ ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari. Vnde pecuniaria mercede ministri cõducuntur. Et ideo idem est, quòd aliquis det rẽ spiritualem pro aliquo obsequio tẽporali exhibito vel exhibẽdo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset, similiter etiam quòd aliquis satisfaciat precibus alicuius, ad temporalem gratiam quærendã, ordinatur ad aliquam vtilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus à manu, ita etiam contrahitur per munus a lingua vel ab obsequio.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod si aliquis clericus alicui prælato impendat obsequium honestum ad spiritualia ordinatum (puta ad Ecclesiæ vtilitatem, vel ministrorum eius auxilium) ex ipsa deuotione obsequij reddi tur dignus ecclesiastico beneficio, sicut & propter alia bona opera. Vnde non intelligitur esse munus ab obsequio. Et in hoc casu loquitur Grego. Si vero sit inhonestum obsequium vel ad carnalia ordinatum (puta quia seruiuit prælato ad vtilitatem consanguineorũ suorum, vel patrimonij sui, vel ad aliquid huiusmodi) erit munus ab obsequio, & est simoniacum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionẽ, est quidem illicita & carnalis collatio, non tamen simoniaca: quia nihil ibi accipitur. Vnde hoc non pertinet ad contractũ emptionis & venditionis in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis dat beneficium ecclesiasticum alicui, hoc pacto vel intentione, vt exinde suis consanguineis prouideat, est manifesta simonia.

¶ Ad tertium dicendum, quòd munus à lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad fauorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces ex quibus acquiritur fauor humanus, vel cõtrariũ euitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Vnde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum nõ est simoniacũ: quia subest debita causa ex qua illi pro quo preces porrigũtur, spirituale aliquid cõfertur: tamẽ potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad fauorem humanum. Si verò aliquis pro se rogat vt obtineat curam animarum ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno. Licite tamen posset aliquis, si sit indigens, pro se beneficiũ ecclesiasticum petere sine cura animarum.

¶ Ad quartum dicendum, quòd hypocrita non dat aliquid spirituale propter laudem, sed solum demonstrat: & si mulando magis furtiue surripit laudem humanam quàm emat. Vnde non videtur pertinere ad vitium simoniæ.

SVMMA TEXTVS.

LIttera huius articuli tribus propositionibus cõtinetur. Prima concl. Simonia perinde cõmittitur, si res spiritualis pro aliquo tẽporali munere, vel obsequio exhibito aut exhibendo conferatur, ac si pro pecunia quis eã numerata, vel promissa largiretur. Probatur: Quia nomine pecuniæ omnia illa cõprehẽdũtur, quæ pecunia æstimari possunt. Secũda concl. Dare beneficiũ pro munere à lingua, scilicet, pro laude, aut precib⁹, eo fine, vt sibi hominis gratiam cõciliet, est simonia. Probatur eadẽ ratione, qua & superior. Tertia conclusio: Dare beneficium titulo cõsanguinitatis, non est simonia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota 1. In simoniæ continetur iniustitia & auaritia.

PRimum & præcipuum dubium in hoc articulo examinandum est, vtrùm cõclusiones D. Thom. sint veræ? Pro cuius intelligentia aduertendum est primo, quod in vitio simoniæ nõ solum committitur iniustitia, sed etiam auaritia. Quod ita esse cõstat: Nam iniustitia simoniæ committitur in commutatione rerũ spiritualium pro temporalibus; & omnis iniustitia, quæ committitur in rerum permutatione; continet immoderatum lucrum, quod appetere pertinet ad auaritiam, quæ diffinitur, quod sit amor inordinatus habendi possessiones, vel pecunias. Ex quo sequitur primò, quod simonia, vtrumq; habet, scilicet, & est iniustitia, & est auaritia. Et omnis simoniacus est auarus; non tamen è contra. Infero secundo, quod omnia, quæ sunt necessaria ad auaritiam constituendam includuntur in simonia. Et ità requiruntur ad perfectam rationem illius. Vt si aliquod illorum desit, non erit simonia.

Nota 2. Bonum vti le materia auaritia.

¶ Secundo est aduertendũ, quod vt docet D. Thom. infra quæstio. 118. articulo 2 ad 1,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quamuis materia auaritiæ sit pecunia, vel quod æquiualet pecuniæ, & licet omnes res exteriores, & exinterioribus, quam plurimæ possint pecuniæ cõparari, vel mediatè vel immediatè, nõ tamẽ omnes illæ res pertinẽt ad materiã auaritiæ, sed illæ tantùm præcisè, quæ habent rationem boni vtilis. Nam licet aliquis possit acquirere pecunia honores, & voluptates; nimius tamen appetitus istarum rerum non est auaritia, sed intemperantia, vel ambitio. Quia ista bona, per se loquendo, pertinent ad bona delectabilia, & non ad bona vtilia, circa quæ versatur auaritia. Est ergo necessarium ad rationem auaritiæ, vt id, quod immoderatè, vel appetitur, vel acquiritur sit bonum vtile. Et sic diffinitur, quod sit amor inordinatus pecuniæ, vel possessionis habendæ. Quo nomine omnia & sola bona vtilia comprehenduntur.

Nota 3. ¶ Tertio est aduertendum, esse quædam bona, quæ habent vtrumque, scilicet, & esse per se bona, & præterea esse efficacia bonorum vtilium. Et hæc à nobis possunt appeti dupliciter, scilicet, & propter se, & propter commoda, quæ efficiunt. Ex quo sequitur, quod quamuis huiusmodi bona per se non possint esse materia auaritiæ, mediatè tamen & secundariò possunt ad illam pertinere. Et hæc sunt immodica laus, celebritas nominis. &c. Nam, quamuis appetere immodicam laudem, & nominis celebritatem per se non sit auaritia; tamen si ob eam causam appetat quis laudem, vt ex eo præter modum dines fiat, iam est auaritia, & illa immodica laus subijcitur auaritiæ.

Nota 4. ¶ Quarto est aduertendum, quod ista, de quibus in præsenti quærimus, vtrùm dare beneficium pro illis sit simonia, sunt numero plura, & genere diuersa, scilicet, laus, adulatio, preces, ministeria, & obsequia Episcopis exhibita, consanguinitas, & amicitia. &c. Quorum bonorum quædam sunt per se appetibilia, vt consanguinitas, amicitia, laus, adulatio, & præterea sunt efficacia bonorum vtilium. Alia autem sunt vtilia tantum, vt obsequia, atque ministeria.

Nota vlti. ¶ Vltimò est aduertendum, aliud esse dare aliquid ne amittat quis ea bona, quæ possidet, aliud autem vt acquirat ea bona, quæ non possidet. Nam primum, licet aliquando possit esse peccatum, nunquam tamen poterit esse venditio, aut emptio. Quia de ratione venditionis est commutatio, quæ existere non potest sine acceptione, atque datione. Et ille nihil accipit. Ad verò secundum potest esse emptio, atque venditio.

¶ His suppositis sit prima conclusio: Dare beneficium propter consanguinitatẽ, vel amicitiam, quæ cum Episcopo intercedit nõ est simonia. Hæc conclusio est contra Diu. Bonauenturam in 4. dist. 25. quæst. 4. & Durandum ibidem, & Maiorem quæstio. 3. & Adrianum quodli. 9. quæstione 2. & contra Glossam in capitulo nemo. de simonia. Illam tamen tenet D. Thom. hic in solutione ad secundum. Altissiodorensis 3. p. tract. 21. Victoria in relectione de simonia. Soto li. 9. de iustitia q. 7. ar. 3. Et probatur ex fundamentis positis: In eo casu nihil pretij acquirit Episcopus, nec est aliqua emptio, aut venditio, sed tantum indulget amori, & amicitiæ: ergo nõ est simonia. Et confirmatur: Quod in tẽporalibus non est vsura, in spiritualibus non est simonia: sed dare mutuo consanguineo, non est vsura, vt omnes Doctores concedunt: ergo nec dare beneficium consanguineo, erit simonia. Et si quis obijciat cap. nemo. de simonia, vbi dicitur, quod admittere ad pœnitentiam dignum, vel indignum propter consanguinitatem, seu amicitiam, erit simonia, respondetur, quod ibi Papa non loquitur de simonia propriè, sed largo modo, propter similitudinem simoniæ, quam huiusmodi actiones præseferunt. *1. concluſ.*

¶ Secunda conclusio: Dare beneficium ad acquirendam gratiam, vel amicitiam, seu laudẽ hominũ, vt si Episcopus gaudeat se ab aliis amari, hoc ipsum propter se appetẽs, vel, quia est leuis corde, vel quia est captator auræ popularis, nõ est simonia. Hæc cõclusio est cõtra Glossam in c. ordinatus. 2. q. 1. & cõtra Adrianũ quodl. 9. Durandum, Maiorem, & alios. Illam tamen tenent Innocentius in c. suam. de ætate, & quali. & Caietanus in summa verbo, simonia, quem sequuntur Soto, & victoria locis citatis. Et probatur: Dare beneficiũ illo modo, non est auaritia: ergo nec simonia. Consequentia tenet ex primo notabili, & antecedens probatur. Appetere immodicè laudem, & gloriam humanã, non pertinet ad materiam auaritiæ, sed potius ad vitiũ ambitionis, vel vanæ gloriæ: ergo. Itẽ administrare sacramenta, & prædicare propter laudem humanam, non est simonia, licet qui faciunt id sint leues corde: ergo nec dare beneficiũ propter huiusmodi laudẽ erit simonia. Et si quis argumentetur. Qui dat beneficia propter has causas, nõ dat gratis: ergo est simoniacus; cõsequẽtia est nota, & antecedẽs probatur ex c. si nõ multi 2. quæstione 1. vbi D. Gregorius dicit, quod qui laudem, vel fauorem in ordinationibus accipiunt, quod gratis acceperunt non gratis dant; Respondeo distinguendo antecedens. Nam gratis dare *2. concluſ.* *Argu.* *Solutio.*

re contingit dupliciter. Vno modo, vt idem sit, quod dare sine pretio. Alio modo vt sit idem, quod dare sua sponte, prouocatus tamen meritis illius, cui datur. Quo supposito dico, quod Episcopus in casu nostræ conclusionis non dat gratis secũdo modo, quia mouetur ad id cupiditate laudis, atque gratiæ. Cæterum dat gratis primo modo, hoc est, sine aliquo pretio. Et hoc satis est, vt non dicatur vere simoniacus.

3. Concluſ. ¶ Tertia cõclusio: Dare beneficiũ ex timore amittendi gratiam, aut incidendi in indignationem alicuius non est simonia. Hæc conclusio sequitur ex dictis. Nã si ista bona quærere nõ est simonia, nec etiã timere illa amittere, & ea de causa dare beneficium erit simonia. Item, Si quis ex timore, vel orat, vel pernoctat, vt si surgit ad matutinum propter timorem prioris, non est simoniacus, vt constat: ergo nec qui dat beneficium propter eã dem causam. Consequentia tenet ex paritate rationis.

4. Concluſ. ¶ Quarta conclusio: Dare beneficium aliquo ex his modis, quos diximus in præcedentibus conclusionibus, est tantum veniale, si alias detur digno, & mortale, si detur indigno. Et quidem, quod sit peccatum, est res manifesta. Quod autem solum sit veniale, si alias detur digno, probatur: Illa datio beneficij est bona ex obiecto, & circunstantia mali finis apposita illam vitiat; sed circunstantia mali finis adiuncta non inducit culpam mortalem, nisi quando ipsa circunstãtia est mortalis: ergo. Quod verò sit peccatum mortale, si detur beneficium indigno cõstat ex eo, quod est contra iustitiam, & taliter conferẽs tenetur ad restitutionem, vt diximus in superioribus.

5. Conclu. ¶ Quinta conclusio: Dare beneficium ad captandam gratiam, vel fauorem, ex quibus Episcopus sperat se aliquod temporale emolumentum consequuturum, est simonia. Probatur: In tali casu laus, vel fauor, vel amicitia appetuntur non propter se, sed quatenus sunt efficacia boni vtilis; quo etiam modo sunt materia auaritiæ, ergo dare aliquid propter illa erit simonia. In hac conclusione omnes Doctores conueniunt. Et hoc modo sunt interpretanda verba D. Thom. cum dicit, esse simoniam dare beneficium propter laudes, & fauores.

6. Concluſ. ¶ Sexta conclusio: Dare beneficium propter obsequium temporale, quod est pecunia æstimabile, est simonia. Itaque si Episcopus, vt hac ratione relaxetur ab stipendiis ministrorum conferat beneficia illis, erit simonia eius. Nec de hoc est aliqua dubitatio. Probatur: Ipsum obsequium est pretio æstimabile, & ehi ex iustitia debetur merces: ergo si pro illo detur beneficium erit venditio rei spiritualis, & sic erit simonia.

Vlt. concl. ¶ Vltima conclusio: Præstare obsequium ad consequendam beneuolentiam Episcopi, ex qua posteà mihi beneficium conferatur: non quidem tãquam remuneratio obsequiis debita; sed tanquam res ab amico collata, quamuis sit illicitum, non tamen est simonia. Ità tenent Caietanus, & Victoria locis citatis. Et probatur, quod Episcopus det beneficium Petro, non pretio aliquo ductus, sed ex beneuolentia, aut amicitia, non est simonia, vt diximus in secunda cõclusione: ergo nec quod minister desideret, vt id Episcopus faciat, erit simonia. Probo consequentiã. Nam quod in dante non est simonia, nec etiam erit in recipiente.

Dubium de petente beneficium, an illius fiat indignus ipsa petitione. ¶ In solutione ad tertium argumentũ dicit D. Thom. quod qui orat, vt sibi, beneficiũ curatum conferatur eo ipso propter vitium præsumptionis redditur indignus recipiendi beneficij. De qua re est difficultas, vtrum vera sit? Nam Syluester verbo, simonia. §. 16. citat aliquos Doctores, qui dicunt id facere non esse vitium præsumptionis. Quibus & suffragatur Maioris in 4. d. 25. quæst. 3. Nos tamen breuiter dicimus, quod sententia D. Thomæ est vera, si regulariter intelligatur, & ipsa beneficia Ecclesiastica recto ordine dispensentur. Nam possunt esse duo casus, in quibus petere sibi beneficium curatum aut episcopatum non sit malum. Primus quando esset certum, quod nisi digno pro se orante beneficium daretur homini indigno, & perniciem reipublicæ allaturo. Secundus casus est; quando regimen Ecclesiasticum esset ità perditum, vt maiori ex parte beneficia Ecclesiastica conferrentur indignis nulla habita ratione meritorum. Et ratio est: Quia tunc, si dignus peteret sibi beneficium, aut episcopatum dari, magis intenderet Ecclesiæ vtilitati, quam propriæ æstimationi consulere. De hac re videndus est Caietanus in hoc articulo, qui clarè & optimè loquitur.

Articvlvs VI.

¶ Vtrùm sit conueniens simoniaci pœna, vt priuetur eo quod per simoniam acquisiuit.

AD Sextvm sic proceditur. Videtur, quod non sit conueniens simoniaci pœna vt priuetur eo quod per simoniam acquisiuit. Simonia enim committitur ex eo quòd alicuius muneris interuẽtu spiritualia acqui- *4. d. 25. q. 3. art. 1. q. 1. ad 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rūtur. Sed quædam sunt spiritualia quæ semel adepta non possunt amitti: sicut omnes characteres qui per aliquam cōsecrationem imprimuntur: ergo non est conueniens pœna vt quis priuetur eo quod simoniacè acquisiuit.

2 ¶ Præterea, Contingit quandoque quòd ille qui est episcopatum per simoniam adeptus, præcipiat subdito, vt ab eo recipiat ordines: & videtur quòd ei debeat obedire quandiu ab ecclesia toleratur. Sed nullus debet aliquid recipere ab eo qui non habet potestatem conferēdi: ergo episcopus nō amittit episcopalem potestatem si eam simoniace acquisiuit.

3 ¶ Præterea, Nullus debet puniri pro eo quod non est factum eo sciente & volente: quia pœna debetur peccato quod est voluntarium, vt ex suprà dictis* patet. Contingit autem quandoque quòd aliquis simonice consequitur aliquid spirituale procurātibus alijs, eo nesciente & nolente: ergo non debet puniri per priuationem eius quod ei collatum est.

1.2.q.74. ar.1.& 2. & q.71.ar ti.5.& 6.

4 ¶ Præterea, Nullus debet portare commodum de suo peccato. Sed si ille qui consecutus est beneficium ecclesiasticum per simoniam, restitueret quod percepit: quandoque hoc redundaret in vtilitatem eorum qui fuerunt simoniæ participes: puta, quando prælatus & totum collegium in simoniam consensit: ergo non semper est restituendum, quòd per simoniam acquiritur.

5 ¶ Præterea, Quandoque aliquis per simoniam in aliquo monasterio recipitur, & votum solenne ibi facit profitendo. Sed nullus debet absolui ab obligatione voti propter culpam cōmissam: ergo non debet monachus, quod simoniacè acquisiuit amittere.

6 ¶ Præterea, Exterior pœna in hoc mundò non infligitur pro interiori motu cordis, de quo solius Dei est iudicare. Sed simonia committitur ex sola intentione vel voluntate, vnde & per voluntatem diffinitur, vt dictum* est: ergo non debet aliquis priuari eo quod simoniace acquisiuit.

Art.1.huius quæst.

7 ¶ Præterea, Multo maius est promoueri ad maiora quàm in susceptis permanere. Sed quandoque simoniaci ex dispensatione promouentur ad maiora: ergo non semper debent susceptis priuari.

¶ Sed Contra est, quòd * dicitur prima quæstione 1. capitulo. Si quis episcopus. Qui ordinatus est, nihil ex ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationē facta, proficiat: sed sit alienus à dignitate vel solicitudine: quam pecunijs acquisiuit.

1.q.1.c. Si quis Episcopus.

¶ Respondeo dicendum, quòd nullus potest licite retinere id, quod cōtra voluntatem domini acquisiuit, puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui cōtra voluntatem & ordinationem domini sui, ille qui acciperet licite retinere non posset. Dominus autem, cuius ecclesiarum prælati sunt dispēsatores, & ministri, ordinauit vt spiritualia gratis darentur: secundum illud Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Et ideo qui muneris interuētu spiritualia quæcunque assequitur, ea licitè retinere non potest. Insuper autē simoniaci tam vendentes quàm ementes spiritualia, aut etiam mediatores alijs pœnis puniuntur, scilicet infamia & depositione, si sint clerici, & excōmunicatione si sint laici, vt habetur * 1.q.1. cap. Si quis episcopus.

1.q.1.c. Si quis episcopus, sumitur ex cōc. Chalcedonen. cap. 2.

¶ Ad Primvm ergo dicendum, quod ille qui simoniace recipit sacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam sacramenti, non tamen recipit gratiā neque ordinis executionem: eo quòd quasi furtiue suscepit characterem cōtra principalis dñi voluntatem. Et ideo est ipso iure suspēsus, & quo ad se, vt scilicet, de executione sui ordinis se nō intromittat: & quo ad alios, vt scilicet nullus ei communicet in ordinis executione, siue sit peccatum eius publicum, siue occultum. Nec potest repetere pecuniā quā turpiter dedit, licet alius iniuste detineat. Si verò

vero sit simoniacus, quia contulit ordinem simoniace, vel quia dedit vel recepit beneficium simoniace, vel fuit mediator simoniæ: si est publicum, est ipso iure suspensus & quo ad se, & quo ad alios. Sed quando est occultum, est suspensus ipso iure quo ad se tātum, non autem quod ad alios.

¶ Ad secundum dicendum, quòd nec propter præceptum eius, nec etiam propter excommunicationem, debet aliquis recipere ordinationem ab Episcopo, quem scit simoniacè promotū. Et si ordinetur, non recipit ordinis executionem, etiam si ignoraret eum esse simoniacum: sed indiget dispensatione. Quamuis quidam dicant, quod si non potest probare eum esse simoniacum, debet obedire recipiendo ordinem, sed non debet exequi sine dispensatione. Sed hoc absque ratione dicitur, quia nullus debet obedire alicui ad communicandum sibi in facto illicito. Ille autem qui est ipso iure suspensus, & quo ad se, & quo ad alios, illicite cōfert ordinem. Vnde nullus debet sibi obedire, recipiendo ab eo quacunque ex causa. Si autem ei non constat, non debet peccatum credere alterius: & ita cum bona conscientia debet ab eo ordinem recipere. Si autem episcopus sit simoniacus aliquo alio modo quam per promotionem suam simoniacè factam, potest ab eo ordinem recipere, si sit occultum, quia non est suspensus quo ad alios, sed solum quo ad seipsum vt dictum * est.

In solut. in præce. arg.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ad hoc quòd aliquis priuetur eo quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis iniustæ: puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere nō potest. Et ideo si aliquis scienter & propria spōte simoniacè accipiat ordinem, vel ecclesiasticum beneficium, non solum priuatur eo quod accepit, vt scilicet careat executione ordinis, & beneficium resignet cum fructibus inde perceptis, sed etiam vlterius punitur: quia notatur infamia. Et tenetur ad restituendos fructus nō solum percepros, sed etiam eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructibus qui supersunt deductis expensis factis causa fructuum, exceptis fructibus illis qui aliàs expensi sunt in vtilitatem Ecclesiæ. Si verò eo nesciente nec volente, per alios alicuius promotio simoniacè procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur resignare beneficium quod est consecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus cōsumptos, quia bona fide possedit: nisi fortè inimicus eius fraudulenter pecuniam daret pro alicuius promotione: vel nisi ipse expresse contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi fortè postmodum pacto consenserit, soluendo quod fuit promissum.

¶ Ad quartum dicendum, quòd pecunia, vel possessio, vel fructus, simoniace accepti, debent restitui Ecclesiæ in cuius iniuriam data fuerunt, non obstante quòd prælatus vel aliquis de collegio illius Ecclesiæ, fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet alijs nocere: ita tamen quòd quantum fieri potest ipsi qui peccauerunt inde commodum non consequantur. Si verò prælatus & totum collegium sunt in culpa, tunc debet cum authoritate superioris vel pauperibus vel alteri Ecclesiæ erogari.

¶ Ad quintum dicendum, quòd si aliqui sunt in monasterio simoniace recepti, debent abrenunciare. Et si eis scientibus commissa est simonia post consilium generale, fine spe restitutionis de monasterio suo repelluntur: & ad agendam perpetuam pœnitentiam sunt in arctiori regula ponendi, vel in aliquo loco eiusdem ordinis, si arctior ordo non inueniretur. Si vero hoc fuit ante consilium, debent in alijs locis eiusdem ordinis collocari. Et si hoc fieri non potest, dispensatiue debent in eisdem monasterijs recipi, ne in seculo euagentur, mutatis tamen prioribus

Universidad de Deusto
Biblioteca

locis & inferioribus assignatis. Si vero ipsis ignorantibus, siue ante concilium siue post, sint simoniace recepti: postquam renũciauerint, possunt de nouo recipi locis mutatis, vt dictum * est.

In hac solutione.

Extra de Simonia c. Mandato.

¶ Ad sextum dicendum, quod quo ad Deum sola voluntas * facit simonia cum. Sed quo ad pœnã ecclesiasticam exteriorem nõ punitur vt simoniacus, vt abrenunciare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere.

¶ Ad septimum dicendum, quòd dispensare cum eo qui est beneficiatus simoniace scienter, solus Papa potest. In alijs autem casibus potest etiam Episcopus dispensare: ita tamẽ quòd prius abrenũciet quod simoniace acquisiuit: & tunc dispensationem consequatur, vel paruam, vt habeat laicam communionem, vel magnam, vt post pœnitentiam in alia Ecclesia in suo ordine remaneat: vel maiorem, vt remaneat in eadem, sed in minoribus ordinibus: vel maximam, vt in eadem ecclesia etiam maiores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat.

Svmma Textvs.

COnclusio est affirmatiua. Probatur: Nemo id retinere potest, quod contra voluntatem domini acquisiuit. Vt si dispensator de rebus domini sui daret alicui contra eius voluntatem, & ordinationem, ille, qui acciperet, rectè retinere non posset: sed Dominus, cuius dispensatores sunt prælati Ecclesiastici lege statuit, vt spiritualia, quæ ipsis gratis in commune bonum collata sunt, pretio non distribuantur, iuxta illud Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date: ergo si pro pretio illa dispensent, nec venditor pretium, nec emptor rem spiritualẽ poterit retinere.

Explicatio Articvli.

Pœnæ iure impositæ cõtra simoniacos.

PRo intelligentia huius articuli aduertendum est, quod vitium simoniæ variis pœnis in iure afficitur, quas refert Syluester verbo, simonia. §. 19. Prima est, suspensio ab exequutione ordinum & beneficiorum administratione. De qua multa dicit idem Syluester verbo suspensio. §. 7. Secunda est infamia. De qua dicitur in cap. sane. 15. q. 3. & in cap. inquisitionis de accusationibus. Tertia est, Papalis excõmunicatio per extrauagãtem Martini in Concilio Constantiensi, quæ incipit. sacro. vbi ordinati simoniace ab exequutione suorum ordinum suspendũtur. Et dicitur præterea, quod electiones, postulationes, confirmationes, & quæuis prouisiones Ecclesiarum, monasteriorũ, personarum, officiorum, beneficiorum sint ipso iure nullæ, & dans ac accipiens ipso facto sentẽtiam excommunicationis incurrat, etiam si pontificali, aut cardinalatus præfulgeat dignitate. Et per aliam extrauagantem eiusdem, quæ incipit, damnabilis, confirmantur omnes censuræ à quibuscunque summis Pontificibus latæ contra simoniacos. Et dicit quod incurrat eas ipso facto, etiam occultus vbicunq; simoniam commiserit, etiã si Episcopatus, & Cardinalatus, aut temporali præfulgeat dignitate, absolutionem Papæ reseruans, nisi in mortis articulo. Non obstante quocunq; indulto, vel facultate absoluendi concessa, vel concedenda apostolica, nisi specialiter autoritatem cõtineat absoluendi à peccato simoniæ. Idem etiam habetur in extra. cum detestabile. de simonia. Vltima pœna est resignatio, atque restitutio ex vtraque parte, tum rei sacræ, vel beneficij, tum etiam pecuniæ datæ propter beneficium.

Dubium.

¶ Sed est difficultas, vtrùm omnes simoniaci, quicunque sint illi, incurrant istas pœnas, vel earum aliquas? Ad cuius explicationem est aduertendum, quod simonia est duplex, vna mentalis, altera realis. Mentalis est internum propositum, & intentio dandi, aut accipiendi aliquid temporale pro spirituali. Et, vt docet Caietanus, in summa, verbo, simonia, continet tres gradus. Primus consistit in sola intentione, absq; vllo opere. Vt cum quis mente decreuit emere, aut vendere aliquid spirituale. Secundus est, cum quis exterius munera offert intentione praua, sed latente, accipiendi aliquid spirituale. Tertius quando pactum intercedit, sed nõ mandatur exequutioni: sed vtraque pars desistit ab incepto. Simonia realis est illa, quæ pacto fit tacito, vel expresso, hoc est, signis vel motibus significato. Et hæc adhuc est duplex. Vna verè realis. Et est quando cum re exterius gesta concordat animus. Alia verò est deceptoria, quam & fictam appellare possumus. Et est quando quis exterius promittit, se daturum aliquid pro re spirituali, interius tamen non habet propositum adimplendi promissum.

Simoniæ duplex, mẽtalis & realis.

¶ His constitutis sit 1. conclusio: Qui committit mentalem simoniam primo & tertio modo, non incurrit pœnas iure statutas contra simoniacos. De eo, qui committit simoniam primo modo, est res manifesta: quia ea tantum constat actu interiori, de quo Ecclesia non habet iudicare: vt communiter docent Doctores, & diximus nos in superioribus. Quod autẽ nec etiam illi, qui cõmittunt simoniam mentalẽ tertio modo incurrat illas pœnas probatur: Nam primo non sunt obnoxij restitutioni, cum nihil acceperint: sed antequã contraxissent mutauerunt sententiam. Nec etiam sunt excõmunicati: quia vt docet Caiet. in summa, verbo excõmunicatio. c. 72. excõmunicatio, quę fertur in simoniacos, tantũ fertur in illos, qui re ipsa vẽdunt, vel emũt aliquid spirituale. Isti autem, de quibus loquimur re ipsa nihil horum fecerunt.

1. Conclu.

2. Conclu.

¶ Secunda conclusio: Qui committunt simoniam mentalem secundo modo, id est, qui nullo pacto exterius interueniente, sed tantũ corrupto animo aliquid dant pro spiritualibus, non sunt excõmunicati. Ita tenet Caiet. verbo, excõmunicatio. c. 73. Et ratio est: Nam excõmunicatio, quę de hac materia datur, tantum infertur in eos, qui ex pacto dant, vel accipiunt aliquid tẽporale pro spiritualibus. Et probatur ex c. mandato. de simonia. Vbi dicitur, quod huiusmodi simoniaci per solã pœnitentiã satisfaciant suo creatori. Vtrum autẽ teneãtur ad restitutionem bonorum tẽporaliũ, vel spiritualiũ varietate opinionũ disputatur à Doctoribus de quo nos infra dicemus.

3. Conclu.

¶ Tertia conclusio: Qui committit simoniam realem, fictam, vel deceptoriã, hoc est, promittit dare aliquid tẽporale pro spirituali, sine animo tamen adimplendi promissum, non incurrit pœnas iure statutas contra simoniacos. Itaq; nec est excõmunicatus, nec tenetur resignare beneficium tali pacto interueniente cõparatum, saltem in foro cõscientię. Nam in foro contentioso cum Ecclesiæ non possit constare de illius animo, certum est, quod iudicabitur obnoxius omnibus iuris pœnis. Ita tenet Caietanus quodl. 1. q. 10. & Soto lib. 9. de Iustitia. q. 8. arti. 1. Et ratio est manifesta: Nam qui taliter decipit nihil spirituale emit, sed fingit se emere: ergo nõ est verè simoniacus. Atque ex consequenti in foro conscientiæ non incurrit pœnas iure statutas contra simoniacos.

4. Cõclusio

¶ Quarta conclusio: Qui per simoniam verè realem se ignorante ab alijs cõmissam acquirit, vel beneficium, vel ordinẽ nõ incurrit pœnam excõmunicationis. Incurrit tamẽ pœnam suspensionis ab ordine, & tenetur resignare beneficium. Et quidem, quod nõ incurrat excõmunicationem, est res manifesta: Nam excõmunicatio semper fertur in contumaces, & in eos, qui peccant mortaliter. At verò ille nec est contumax nec præterea aliquid peccat. De suspensione verò, & resignatione est expressa sententia D. Tho. hic ad 3. quæ habetur diffinita in ca. nobis. & in ca. de regularibus. de simonia. Sed est hoc intelligendum dummodo alij id non fecerint iniquo animo in fraudem, & dispendium illius, qui vel eligendus, vel ordinandus erat. Tunc enim non teneretur resignare beneficiũ, nec maneret suspensus ab ordine, vt constat, expresse ex ca. nobis. & ex ca. sicut. de simonia.

¶ Quinta conclusio: Qui cõmittunt simoniam verè realem sunt excommunicati, non solum ipsi, sed etiã illi, qui intercedunt, vt habetur expresse in extrauag. cum detestabile. de simonia. Et præterea ipsi contrahentes tenentur ad restitutionem tam rei spiritualis, quam ipsius pretij, vt dicitur in ca. si quis. & in c. presbyter. 1. q. 1. Et si quis quærat, vtrũ qui accipit beneficiũ promittens se daturum pecuniam, quam postea non dat, teneatur ad resignationem beneficij, dico breuiter, quod si ille, qui promisit pecuniam ante collationẽ beneficij dicat Episcopo, se nolle adimplere promissum, & Episcopus adhuc conferat beneficium, talis non tenebitur illud resignare. Et ratio est: quia illa collatio iam vere fit gratis. Cæterum, si tantum post collationem factam mutauit sententiam, tunc tenebitur resignare beneficium. Quia cum talis collatio sit facta interueniente pacto de soluenda pecunia, erit dicenda vera venditio. Et tam ille, qui contulit beneficium, quam ille, qui accepit, erit vere excommunicatus.

5. Conclu.

¶ Est aliud dubium, vtrùm simoniaci teneantur ad restitutionem solum ex iure positiuo, an etiã ex iure naturali, & diuino? Ad cuius explicationem aduertendum est, quod in præsenti non quærimus, vtrùm qui emit aut vendit res spirituales, peccet contra ius naturale & diuinum. Nam certum est, quod qui simoniam cõmittit contra omne ius peccat, vt diximus in superioribus. Sed quod quęrimus est, vtrùm quemadmodum iure naturali & diuino est prohibita vẽditio rei spiritualis: ita etiam eodem iure sit impedita translatio dominij? De qua re sunt varię Doctorum sententiæ. Prima est Caietani hic, & in summa verbo, simonia. Qui dicit translationem dominij in huiusmodi contractibus simoniacis esse prohibitam, iure tantum positiuo. Idem etiam tenet Victoria in relectione de simonia. p. 2. & Syluester verbo, simonia. §. 20. & Panormitanus in ca. mandato. & in ca. tua nos, de simonia. Quæ sententia probatur primo. ex capi. mandato. statim citato. Vbi dicitur, quod qui dederit aliquid pro spiritualibus nullo pacto intercedente, non tenetur ad restitutionem: sed satis esse, quod per dolorem, & pœnitentiam satisfaciat creatori.

Dubium de iure quo simoniacus ad restitutionem tenetur.

Sententia Caietani & aliorũ.

1. argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tori. Ex quo loco sic colligo argumẽtum: Si iure naturali, & diuino esset prohibitum, vt simoniaci acquirerent verũ rerum dominiũ, sequereretur, quod non solum simoniaci reales, sed etiam mentales tenerentur ad restitutionem: Consequens autẽ est falsum, vt constat ex ca. mandato. iam citato: ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela probatur à simili. Nã quia de iure naturali & diuino est vt vsurarius non acquirat dominium: idcirco non solum vsurarius realis sed etiã mentalis tenetur ad restitutionẽ: ergo si de iure naturę est, vt simoniacus non acquirat dominum, nec simoniacus mẽtalis, nec realis illud acquiret.

2. Argum. ¶ Secundo sic argumentor: si iure naturæ simoniaci tenerentur ad restitutionem, sequeretur, quod restitutio esset faciẽda ei, qui dedit pecunias pro re spirituali: consequens autem est falsum, vt cõmuniter docent Doctores: ergo & illud, ex quo sequitur. Et confirmatur. Eadem lege prohibetur emptio atq; venditio rei spiritualis, vt supra diximus: sed qui emit beneficium stando in iure naturæ, nõ tenetur illud resignare, vt infra dicemus: ergo nec qui accipit pecunias stando in eodem iure, tenetur illas restituere.

Sententia Hostiensis & aliorũ. ¶ Alia sententia est in alio extremo. Quæ asserit omnes simoniacos iure naturæ teneri ad restitutionem. Hanc tenent Hostiensis, & Innocentius in ca. tua nos. de simonia. Adrianus quodl. 9. Marsilius in 4. d. 25. q. 5. & Soto lib. 9. de Iustitia. q. 8. arti. 1. Itaque secundum hos Doctores tam recipientes pecuniam, quã rem spiritualem, vt beneficium, iure naturæ tenentur ad restitutionem. Et probant suam sententiam primò, ratione D. Tho. in hoc articulo. Quæ talis est: Omnis collatio simoniacè facta est contra voluntatem, & ordinationem domini rei spiritualis, qui vult vt hæc dona gratis cõferantur: ergo per illã nõ trãsfertur dominium. Atque ex cõsequenti tam illi, qui recipiunt spirituale, quam illi, qui recipiunt temporale tenebuntur ad restitutionem. Et confirmatur: Si talis restitutio esset tantum de iure positiuo, sequeretur, quod simoniaci nõ tenerẽtur ad restitutionem ante iudicis condemnationem: cõsequens autem est falsum, & contra communem Doctorum sentẽtiam: ergo. Sequela probatur: Quia lex præcipiens talem restitutionem esset pœnalis, atque ex consequenti non obligaret ad sui exequutionem ante iudicis condemnationem, sicut & quæcunq; aliæ leges pœnales.

1. Conclu. ¶ Nos tamen media via procedentes, ad explicationem difficultatis ponimus primã conclusionem. Quæ talis est: Quicunq; vendit rem sacram, iure diuino, & naturali tenetur restituere pecuniam, vel pretium acceptum. Probatur: Ea quæ acquiruntur per vsuram, idcirco iure naturæ sunt obnoxia restitutioni, quia vsus pecuniæ, ex quo acquiruntur, vendi non potest, sed nec etiam res spirituales possunt vendi, vt diximus in superioribus: ergo pecunia pro illis accepta erit obnoxia restitutioni. Et confirmatur: Qui vendit rem spiritualem violat iustitiam commutatiuam, accipiendo pecuniam pro re, quæ non est pretio æstimabilis: & quam tenetur gratis dare: ergo iure naturæ obligatur ad restitutionem. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur. Quia quicunq; facit contra iustitiam cõmutatiuam, est obnoxius restitutioni, vt communiter tenẽt Doctores, & nos docuimus satis supra q. 62. agentes de restitutione. Item probatur conclusio à simili: Si quis præciperet suo dispensatori, vt diuideret singulis pauperibus singulos modios tritici gratis, & sine aliquo pretio: ipse autem postea, exigeret pretium à pauperibus, proculdubio iure naturæ teneretur ad restitutionem: ergo pari ratione dicendum est de eo, qui accipit pecuniam pro re spirituali, quam ex Domini præcepto, gratis tenetur conferre.

2. Conclu. ¶ Secunda conclusio: Stando in solo iure naturali, & diuino, qui per simoniam acquirit beneficium, vel aliã rẽ spiritualem, non tenetur illam restituere. Probatur: Licet is, qui emit rem spiritualem, peccet grauiter contra religionem irrogando iniuriam rei sacræ, non tamen peccat contra iustitiam, aut commutatiuam, aut distributiuam: ergo non obligatur ad restitutionem. Consequentia tenet: Quia solum ille, qui facit contra iustitiam obligatur ad restitutionem. Antecedẽs verò probatur. Et primo, quod non faciat contra iustitiam distributiuam, est res manifesta. Quod autem nec etiam faciat contra iustitiam commutatiuam probatur: Iustitia commutatiua ex parte ementis, solùm violatur, cùm is, qui emit soluit pretium minus iustũ: sed qui emit rem spiritualem, aut sacram non solùm minus, sed plus iusto: ergo non violat iustitiam commutatiuam. Et confirmatur à simili: Si pauper, cui modius tritici gratis esset donandus, pretium persolueret non teneretur iure naturæ ad restitutionem: ergo nec in nostro proposito, qui dat pecunias pro beneficio, quod illi gratis erat conferendum. Item, Secundum ius positiuum, qui simoniacè fit Papa non tenetur talem digni tatem resignare, vt patet ex cap. licet. de electionibus. & Glossa in capi. si quis pecunia. 79. dist. ergo non est de iure diuino, aut naturali, vt sacerdotia, vel beneficia simoniacè acquisita resignentur. Patet consequentia:

Nam

Nam aliàs ius positiuum non posset aliud facere.

3. Conclu. ¶ Tertia conclusio: Posito iure humano, simoniaci tenentur resignare res spirituales, & temporales, etiam ante iudicis condemnationem. Et loquor de simoniacis realibus. Nam quid sentiendũ sit de simoniacis mentalibus, dicemus, cum ad primum argumentum pro sententia Caietani factum respondemus. Hæc cõclusio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus. Et probatur ex Concilio Constantiensi sess. 43. Vbi diffinitur, contractus simoniacos esse ipso iure nullos. Et idem habetur in pluribus alijs capitibus iuris.

Ad 1. arg. pro prima opinione. ¶ Ad primum argumentũ pro prima opinione factum, vt respondeamus operæpretium erit explicare, vtrum simoniaci mentales ad restitutionem teneãtur? De qua re tot video sententias diuersas, quot de priori difficultate extiterant. Caietanus enim in hoc articulo & in summa verbo, simonia, absolutè affirmat, nullos simoniacos mentales siue pecuniam, siue beneficium recipientes ex praua intentione teneri ad restitutionem. Eandem sentẽtiam sequuntur Syluester verbo, simonia. §. 20. summa Armilla, verbo, simonia. num 5. Victoria in relectione, de simonia, Nauarro in Manu. cap. 25. num. 102. Qui citat in eandem Hostiensem, Innocentium, Ioannem Andream, & alios. Et certe videtur esse sententia D. Tho. hic ad 6. Vbi de simoniaco mentali loquens dicit, quod quo ad Deum sola volũtas facit simoniacum, sed quo ad pœnam Ecclesiasticam exteriorem, non punitur vt simoniacus, vt abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere. Præcipuum fundamentũ huius sententiæ desumitur ex cap. mandato. iam citato. Vbi Gregorius nonus in hunc modum dicit: Ad resignationes spiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente vtrumq; taliter acquiruntur (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori) eos pro simonia huiusmodi non teneri. Quibus verbis expresse diffinita videtur prædicta sententia.

Sententia Caietani & aliorum.

Sententia Soti & aliorum. Altera sententia est in alio extremo. Quæ affirmat in simonia mentali tam illum, qui recipit pecuniam, quam eum, qui beneficium acquirit teneri ad restitutionẽ, & ad resignationem beneficij accepti. Hanc tenet Soto lib. 9. de iustitia. q. 8. ar. 1. in solutione ad 6. argumen. Henricus quodl. 6 q. 26. Bartholomeus à Medina lib. 2. iuxtæ summæ c. 14. §. 21. Maioris in 4. d. 25. q. 1. ar. 7. Adrianus quodl. 9. Medina Cod. de restitutione. cap. de vsura restituenda. §. iam ad rationes. Præcipuũ fundamentum huius opinionis est, quia, vt supra tangebamus ex sentẽtia D. Tho. omnis simonia continet iniustitiam, cum prælati nõ sint domini beneficiorum Ecclesiasticorum. Atq; adeo quicunq; cõtractus simoniacus iure naturali & diuino est nullus. Et sic restitutio erit necessario facienda. Hac ratione conuictus Couarru. in regula peccatum. p. 2. §. 8. nu. 8. putat esse sententiam D. Thom. quod iure naturali, & diuino est contractus nullus. Quamuis ipse teneat cum prima opinione, quam cõmunem appellat, quod nullitas collationis non est ex natura conuentionis simoniacæ, nec ex diuino iure, sed ex pœna tantũ Ecclesiastica. Et ad cap. mandato. quod huic sententiæ omnino aduersari videtur, Soto & alii plures afferunt interpretationes. Ex quibus quia fere omnes non placent iis adhuc, qui eas afferunt: idcirco eam tantumlibet referre, quam Sotus ex Adriano adducit, sibiq; quam maximè placere affirmat. Respõdet autem Sotus, literam illius textus aliter esse legendam, ac communiter legitur. Dicit enim, quod cum quidã praua voluntate pretium dedissent cuidam monasterio, vt recipe rentur, postea cõpuncti petierunt dispẽsationem, Papa verò misit mandatum, vt fieret. Et dubitauit postea Abbas de extensione mandati. Ad quam dubitationem summus Pontifex respondet extendendum esse ad Abbates, vt ipsi valeant dispensare. Atq; etiam esse extendendum ad resignationes temporaliũ & spiritualium, si modo nullum extet pactũ, vt scilicet, Abbas etiam possit dispensare, ne resignatio fiat spiritualium & temporalium receptorum. Et sic, inquit Soto, istud capitulũ magis facit pro nostra sententia, quam pro contraria. Colligitur enim ex illo tales antea teneri ad restitutionem, cum dispensatio, ne resignatio fieret, fuerit necessaria. Atq; adeo colligit duo: Primum est, quod rubrica rem obscurauit, & peruertit lectionem, vt intelligeretur, non teneri simoniacum mentalẽ ad restitutionem seu resignationem. Secũdum, quod apud se per quã abundè hęc responsio capituli vim explicat. Et sic cum opinio cõmunis, quæ affirmat simoniam mentalẽ non obligare ad restitutionem, eo tantum fundamento nitatur, nõ est cur ei fides adhibeatur. Hęc tamen interpretatio Soti prorsus aliena est à mente pontificis. Nec ipse textus intelligentiam recte calluit. Vt enim ibi explicat Glossa, & omnes Doctores, aliter se res habet quam à Soto fingitur. Nempe, isto modo: Cum quidam reciperet in mandatis à Romano Pontifice, vt (secundum constitutionem generalis Concilij Constantiensis relati in cap. quoniam eodem titulo) dispensaret cum

Explicatur ca. mãdato

mona-

Universidad de Deusto
Biblioteca

monachis, qui locum in monasterio pretio dato fuerunt adepti, nulla facta mentione de Abbate, qui pretium recepit, consuluit ille Papam, an autoritate, & virtute illius mandati posset etiam cum Abbatibus dispensare. Cui respondet Gregorius, mandatum Apostolicum ad Abbates extendi, vt etiam cum illis, sicut cum monachis simoniacè locum adeptis, possit dispensari. Et hæc est prima pars textus. Secundo rogatus fuit Pontifex, an tales simoniaci, scilicet monachi dantes, & Abbates recipientes, tenerétur spirituale & temporale obrenũciare, ita, vt Abbates pretium, ac monachi habitum & locum, quæ spiritualia sunt, deberent resignare. Et huic secundæ interrogationi respondet. Ad resignationes temporalium, & spiritualium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente vtrinque acquiruntur (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori) eos pro simonia huiusmodi non teneri. Itaque alloquitur ibi Papa cum suo legato: qui ex mandato suo dispensaturus erat. Ad quem scribit primum, quod eius mandatum de dispensando cum illis monachis extenderetur ad Abbatem, vt etiam cum ipso posset dispẽsari, qui in simonia particeps fuerat. Secundum quod ad resignationes temporalium, & spiritualium quæ vtrinq; prauo animo ad quisita sunt, eos non teneri: si modo pactum non interueniat: sed solam pœnitentiam sufficere. Atque adeo interpretatio Soti est prorsus aliena à mente Pontificis. Prætereà quod sensum Decretalis quodammodo ineptum reddere videtur. Ait enim sic esse legendum: Respondemus mandatũ apostolicum extendi ad Abbates: extendi etiam ad resignationes temporalium, & spiritualiũ: vt, scilicet, Abbates possint dispensare ne resignatio fiat. Si autem hoc ità esset, non esset cur adderet, eos pro huiusmodi simonia non teneri, cum hæc verba cum Soti interpretatione cohærere minimè possint. Non est etiã silentio prætereunda expositio, quam ipse magister Sotus ad D. Thom. dat. Qui vt diximus in primæ sentẽtiæ explicatione, videtur fauere Caietano. Dicit enim, quod in prædicta solutione ad 6. quando inquit, sufficere simoniaco mentali de mala intentione pœnitere, non loquitur de simonia mentali, vt cõmunis opinio intelligit dictũ capitulum mãdato. Aliàs D. Thom. ipsum citasset. Sed vocat simoniacum mentalem eum qui mente vellet dare, aut recipere rem spiritualem, aut temporalem, sed non vere dat. Cæterum hæc interpretatio indigna est tanto viro. Quid enim est tam manifestum, quã simoniã mentalem, quæ exterius non prodit dando, vel accipiendo non obligare ad restitutionem? Quid enim restituet qui cupit beneficium, etiam per pecuniam habere, sed nunquã habuit? Aut fur qui cupit furari, aut vsurarius, re tamen ipsa nũquam furatus est, nec vsuras accepit? Quare de hoc D. Thom. intelligere est plane ridiculum. Præterquam quod est apertè contra ipsum literam hæc interpretatio. Dicit enim D. Thom. quod simoniacus mentalis non punitur pœna Ecclesiastica, vt abrenunciare teneatur beneficium. Sed debet de mala intentione pœnitere. Supponit ergo iam D. Thomas simoniacum mẽtalem, re acquisisse beneficium & sic Soti declaratio locum habere non potest.

Inepta interpretatio ad D. Thom.

¶ Quod mihi in hac re, saluo meliori iudicio, dicendum videtur est, quod simoniaci mentales pretium pro collatione beneficij recipientes, illud ex lege naturæ restituere tenentur: quia re vera vendunt id, quorum nõ sunt domini, & gratis donare tenentur, vt diximus in prima conclusione. At verò illi simoniaci mentales, qui dato pretio beneficiũ acquirunt, illud resignare non tenentur. Et ratio est: Quia quod simoniaci spiritualia pro temporalibus accipientes sint obnoxij restitutioni, id non vigore iuris naturalis, aut diuini prouenit, cum omni iure, & dispositione positiua seclusa tales nulli faciant iniuriam, quæ sit contra iustitiam, vt diximus in secunda cõclusione. Sed omnis restitutio spiritualium simoniacè acquisitorum ortum habet ex iure humano. Nulla autem est lex humana, quæ præcipiat simoniacis mentales resignare beneficia pretio acquisita. Imò nec esse potest, cum lex humana iuxta magis communẽ sentẽtiam, de actibus interioribus disponere non possit, sicut nec iudicare. Ergo tales simoniaci mentales spiritualia recipientes, ad restitutionem, seu potius resignationẽ beneficiorum non obligantur. Hæc videtur esse sententia D. Thomæ hic in solutione ad 6. Vbi cùm dixisset, simoniacos mẽtales, quo ad pœnam Ecclesiasticam exteriorẽ, non puniri, subdit statim, vt abrenunciare teneãtur. De restitutione autẽ, quæ debet fieri ab illis, qui temporalia pro spiritualibus, ex simonia mentali receperunt, nihil loquitur, quasi pro manifesto relinquens, eos non minus, quam vsurarios mentales, iure naturæ obligari ad restitutionem.

Sententia autoris de simonia mẽtali quãtũ ad obligationem restitutionis.

¶ Et si quis obijciat contra hanc nostram sententiam, capitulum, mandato, iam citatũ, vbi summus Pontifex dicit, ad resignationes spiritualium, & temporalium, quæ vtrinque prauo animo acquisita sunt, simoniacos non teneri modo pactum non intercedat, sed solam pœnitentiam sufficere, quibus verbis æqualiter

Obiectio ex ca. mãdato

æqualiter loquitur Papa de accipiẽtibus temporalia, pro spiritualibus, ac de accipientibus spiritualia pro temporalibus, quantũ ad obligationem restituendi, quod nostræ sententiæ omnino aduersatur: respondeo primò cum Caietano in præsenti, quod Papa ibi tantum loquitur secundum forum exterius. Quasi diceret, quod, quamuis simoniaci mentales iuxta naturę tenerentur restituere id, quod pro re spirituali acceperunt, iudex tamẽ exterior, quia res est occulta, non potest illos ad id cõpellere. Et sic per pœnitentiã debent satisfacere creatori. Vel secundo respõdetur, quod licèt verum sit, quod tam simoniaci mẽtales, quam reales tenentur iure naturæ ad restitutionem pecuniæ, quam acceperũt pro re spirituali: tamen, quia ex dispositione iuris pecunia sic acquisita restituenda est Ecclesiæ, vel pauperibus, vt infra dicemus, & non illi, qui illam dedit, idcircò Papa in casu simoniæ mentalis potest cedere iuri suo: & sic cedit in illo cap. In quo quidem non decernit, quod simoniaci mentales nõ tenentur ad restitutionem: sed benignè agit cum illis, concedendo illis pecuniam, quam sibi, vel Ecclesiæ reddere tenebãtur. Et si quis quærat, quænam sit causa, propter quam Papa hoc faciat cum simoniacis mentalibus, cum tamen de vsurarijs expresse habeatur in ca. consuluit, de vsuris, quod vsurarij mentales tenentur ad restitutionem, respondetur causam fuisse, quia acquisita per vsuram sunt restituenda ei, qui dedit pecunias. Et Papa sine causa nõ potest cedere iuri alterius, quamuis possit cedere iuri suo. Vel tertio respondetur, & meliùs meo iudicio, ad dictum ca. mandato, quod summus Pontifex in eo textu non posuit doctrinam vniuersalem, quæ se extendat ad omnes simoniacos mentales. Sed tantum dicit, quod in casu illius textus simoniaci mentales non tenentur ad restitutionem: sed per solam pœnitentiam debent satisfacere creatori. Casus autem erat, quod quidam monachi animo simoniaco admiserãt iuuenem ad religionem: & propter eius ingressum hæredes facti fuerunt bonorum illius. Quo facto consuluerunt summũ Pontificem, vtrũ tenerentur illa bona restituere, nec ne. Et summus Pontifex respõdet, quod non. Non quia simoniaci mentales non tenentur ad restitutionem. Sed, quia si restitutio esset facienda, bona essent conferenda ipsi monacho. Monasterium autẽ iam habet ius in bonis singulorum fratrum. Et sic per solam pœnitentiam debent satisfacere creatori.

1. *Respõsio*

2. *Respõsio.*

3. *Respõsio.*

Ad 2. arg. Ad secundum argumentum quod fecimus pro sententia Caietani, respondetur, verum esse, quod stando in iure naturæ, restitutio pecuniæ esset facienda illi, qui eam dedit. Cæterum ex dispositione iuris positiui conferens pecuniam priuatur eius dominio, & præcipitur restitui, vel Ecclesiæ, vel pauperibus, vt docet Syluester verbo, simonia. §. 20. Quod quidem est intelligendum post iudicis condemnationem. Nam ante condemnationem ei est restituenda, qui illam dedit. Ad confirmationem respondetur, concessa maiori, atque minori, negãdo cõsequentiam. Nam vt diximus in conclusionibus, alia ratio est de emente, alia de vendente. Qui enim emit rem spiritualem, non facit contra iustitiam: & sic non tenetur ad restitutionem. At verò ille, qui vendit contra iustitiam facit, & sic tenetur ad restitutionem.

Dubium. ¶ Est aliud dubium, vtrùm simoniaci in casibus, in quibus tenẽtur ad resignationem beneficiorum, teneantur etiam ad restituendos fructus inde perceptos? Ad quod breuiter respondetur cum D. Thom. in solutione ad 3. quod qui tenetur resignare beneficium ex simonia ab alijs se ignorante cõmissa, non tenetur restituere omnes fructus inde perceptos, sed illos tantum, qui apud ipsum fuerint. At verò qui tenetur resignare beneficiũ ex simonia à se commissa, tenetur restituere omnes fructus etiam consumptos. Et ratio huius differentiæ est: Nam in primo casu est possessor bonæ fidei. In secundo vero sciebat se mala fide possidere: & si non faciebat fructus suos. In vtroque tamen casu tenetur resignare beneficium quam primum sciuerit collationem fuisse simoniacam, vt diximus in principio huius articuli, & vt docet D. Thom. hic ad 4. & Couarru. in regu. peccatum. p. 2 §. 8. num. 7. Ex quo infertur, quod quamuis priuatio beneficiorum aliquando habeat rationem pœnæ, tunc scilicet, quando scienter, vel ignoranter ignorantia crassa, facta fuerit simonia: ex se tamen nõ est pœna, sed incapacitas quædam ad beneficiũ. Alias nõ posset stare illa D. Tho. sententia in solutione ad tertium, qua dicit, teneri beneficiũ, & fructus extantes restituere ignoranter ordinatum, vel electum, quando ab alio peccatum est commissum. Nõ enim ob peccatum alterius par est alium puniri. Non igitur est pœna, sed quia iura voluerunt incapacem efficere omnem detentorem, & possessorem beneficij simoniacè collati, licet ipse nihil peccauerit, sicut fecit ad matrimonia clandestina inhabiles; & sicut irregularitas, quæ quandoque est pœna, vt in occidente priuata autoritate: non est pœna, sed quædam incapacitas in iudice, idcirco quicunq; acquirit beneficium simonia, etiã ab alijs cõmissa, tenetur illud in conscientia resignare. Nec tunc,

Responsio.

Priuatio beneficij simoniacè collati non semper est pœna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tunc, inquit D. Thomas, priuatio beneficij est pœna, sed effectus acquisitionis inuſtæ. Quod etiam docet Couarru. in regula peccatum. p. 2. §. 8. num. 8.

Dubium. ¶ Est aliud dubium, vtrùm ſupra dicta de excommunicatione, & reſtitutione tam beneficij, quam fructuum, ſint etiam intelligenda de permutantibus beneficia propria autoritate. Quos ſupra diximus non eſſe vere ſimoniacos, quia non dant temporale pro ſpirituali, ſed ſpirituale pro ſpirituali: quamuis puniantur pœna ſimoniæ? Quod eſt quęrere, vtrùm ſi duo permutent beneficia, traditione ſecuta, ſine licentia ſummi Pontificis ſint excommunicati, & vtroque beneficio ipſo iure priuati, fructuſque perceptos & conſumptos reſtituere teneantur? Pro parte affirmatiua deſumitur argumentum ex cap. cum olim de rerum permutatione, vbi pactum inter beneficia prohibetur ſub priuatione beneficiorum. Et in extrauaganti 2. de ſimon. fulminantur illæ pœnæ contra ſimoniacos. Conſtat autem in iure verè ſimoniacos iudicari, qui ſine licentia ſuperioris dant vnum ſpirituale pro alio. Vnde in cap. quæſitum de rerum permutatione dicitur, hoc habem continere ſimoniæ. Et quidem hæc videtur eſſe communis ſententia Doctorum.

Sententia autoris. Cæterum ego, quod ſub aliorum correctione dixerim, nõ credo ſic agentes eſſe excommunicatos, aut priuatos beneficijs ipſo iure. Et idem eſt de reſeruantibus ſibi pentionem ſine Papę autoritate. Et ratio, quę me ad hoc mouet, eſt, quia nullum ius, quod de hoc genere ſimoniæ loquitur, ſcilicet, de permutatione beneficiorum, vel vnius rei ſpiritualis pro alia, habet aliquam pœnam ipſo facto incurrendã annexam. Nam in ca. cum olim. de rerum permutatione, quod loquitur de permutantibus beneficia, ſolum habet pœnã priuationis beneficiorum ferendam, excommunicationis vero nullam. Et cap. cum primum de pactis. & cap. cum eſſet. & cap. ſicut. & cap. tanta. & cap. de hoc autem. & cap. inſinuatum de ſimonia. omnia loquuntur de pœna ferẽda. Imò ſi rectè eſt loquendũ, nec de illa pœna ferẽda loquũtur ad hoc propoſitum. Ibi enim ſolùm eſt ſermo de ſimonia propriè & ſtrictè, quæ eſt quando accipitur temporale pro ſpirituali. Et hæc in permutatione beneficiorum, vt ſupra diximus, non inuenitur. Quod ſolum poteſt facere contra hanc opinionem eſt dicta extrauag. 2. de ſimon. & Concil. Conſtant. in ea relatum. Et hoc re vera non obſtat. Nam cum prædicta conſtitutio nihil aliud dicat, quam quod ſimoniaci illas pœnas ipſo facto incurrant, nõ debet extendi ad permutantes beneficia. Eſt enim materia pœnarũ, atq; adeo reſtringenda vocabula, vt in propria accipiãtur ſignificatione. Et certũ eſt, quod propria & ſtricta ſignificatio nominis, ſimonia, eſt emptio, vel venditio rei ſpiritualis pro temporali: quæ iure naturali & diuino eſt prohibita. Et hæc in permutatione non inuenitur. Hanc noſtram ſententiam videtur tenere Couarru. lib. 1. Variarum ca. 5. num. 3 in fine & num. 5. verſi. item. & clarius Nauarro. capi. 23. nu. 105. in fine.

Dubium. ¶ Vltimo dubitatur circa iſtam materiam, vtrùm ſummus Pontifex poſsit diſpenſare in pœnis iure ſtatutis contra ſimoniacos? Ad quod breuiter reſpondeo affirmatiuè. Nam cum habeat plenam poteſtatem ſuper ius poſitiuum, poterit in illo diſpenſare, ſiue ante factum, concedendo, vt ſimoniacus non incurrat pœnas: ſiue poſt factum ab illis abſoluendo. Faxit Deus Optimus Maximus, vt quæ toto hoc opere dicta ſunt, in ipſius laudem, & in aliqualem fidelium vtilitatem cedant. Quod futurum ſpero dante Chriſto, Redemptore noſtro. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Respon-ſio.

FINIS.

Quæcunque in hoc opere continentur, ſacroſanctæ matris Eccleſiæ cenſuræ, & omnium rectè ſentientium iudicio ſubiecta eſſe volo. Apud Sanctum Auguſtinum Salmanticæ. Anno Domini 1590. die 10. Februarij.

Frater Petrus de Aragon.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, qui in hoc opere explicantur.

PErſistens in ſententia, quam in primo tomo ſequutus ſum non congerendi in indicem niſi ea ſolum ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ ex profeſſo, & peculiari quadam ratione tractantur: vt ſic lectores quærendi, & nihil aliud quam textum Biblicum inueniendi moleſtia leuarem. Accipe lector optime eodem ordine, atq; modo indicem digeſtum, & quamuis multa alia ad veritates confirmandas ex ſacris litteris fuerint loca deprompta; hæc tamen ſingularem continent explicationem: quæ ſi videre placuerit, nec laborem frustra impenſum, nec ſpes fruſtratas pœnitebit.

EX GENESI. Cap. I.

FAciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli. fol. 134. a

Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui 3. 7. a

Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram. 334. b

Fiant luminaria, & ſtellæ in firmamento vt ſint ſigna & tempora. 763. a

4. Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius. 336. b

7. Tolle de animalibus mundis ſeptena, & ſeptena. De immundis autem duo, & duo. 336. b

8. Senſus & cogitatio hominis pronã ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua. 371. a

9. Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia 737. b

15. Quod cum faceret Abraham, & partes illas in terra collocaſſet, apparuit Dominus in ſpecie clibani ſuccenſi, & lampadis igne, ac pertranſiuit per illas diuiſiones. folio 1049. a

19. Maledictus puer Canaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis, & infra: Benedictus Dominus Sem, ſit Canaan ſeruus eius. 137. a

Habeo duas filias, adducam eas ad vos, abutimini eis. 710 b

24. Cum Abraham eſſet ſenex, mul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

torumque dierum dixit ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat, pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Deum cæli, & terræ 1040. b
25. Vende mihi primogenita tua. 710. a

Ex Exodo.

Cap. 1. Omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Iacob. 1048. b
2. Moyses vidit afflictionem Israel, & AEgyptium percutientem Hebræu, & cum circunspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum AEgyptium abscondit. fol. 111. a
3. Ego sum qui sum, & paulo inferius: Dices filijs Israel, qui est, misit me ad vos. 822. a
12. Hæc est religio Phase. 729. b
32. Vnusquisque fratrem suum, amicum, & proximum occidat 550. b

Ex Leuitico.

Cap. 19. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum, sed timebis Dominum Deum tuum. 580. b
Non eris criminator, nec susurro in populis. 580. b

Ex Numeris.

Cap. 19. Hæc est religio Victimæ. fol. 729. b

Ex Deuteronomio.

Cap. 6. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis. folio 1077. b
17. Nec eleuetur cor eius in superbia super fratres suos, neque declinet in partem dexteram aut sinistram. 230. a
21. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniæ, vel quamlibet aliam rem, sed alieno. 666. a
28. Benedicet Dominus cunctis operibus manuum tuarum, & fœnerabis gentibus multis: & ipse à nullo fœnus accipies. 666. a
32. Suggerit mel de petra, oleumque de saxo durissimo. 239. b

Ex Libro Primo Regum.

Cap. 8. Hoc erit ius regis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, &c. filias quoque vestras tollet, & agros vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis, &c. 231. a
16. Vsquequo tu lugebis Saulem cum ego eiecerim eum à facie mea? fol. 809. a

Ex Libro Tertio Regum.

Cap 21. Benedixit Naboth Deo & regi 597. a

Ex Libro Quarto Regum.

Cap 18. Inuocate nomina Deorum vestrorum. 711. a

Ex Libro Iob.

Cap. 1. Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. 597. b
3. Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, vere conceptus est homo, cum sequentibus. 599. b

Ex Libro Psalmorvm.

Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. 454. a
4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. 7. b
6. Erubescant, & conturbentur vehementer

menter omnes inimici mei. 794. b
54. Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos. 337. b
67. Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates. Ego autem tanquam surdus non audiebam. 60. a
71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. 454. a
108. Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius: cum iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. 794. b

Ex Libro Proverbiorvm.

Cap. 23. Noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. 1097. b
26. Sicut qui mittit lapidē in acervum Mercurij, sic qui tribuit insipienti honorem. 328. a
Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris. 559. b

Ex Libro Sapientiæ.

Cap. 8. Sapientia diuina sobrietatem, & prudentiam docet, & sapientiam, & virtutem. 65. a
Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. 771. b

Ex Libro Ecclesiastici.

Cap. 5. Non appelleris susurro in vita tua, & in lingua tua ne capiaris, & confundaris. 580. b
7. Deus fecit hominem rectum, & ipse immiscuit se infinitis quæstionibus. 358. b
8. Ne litiges cum homine linguato, ne struas in ignem eius ligna. 560. b
11. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. 598. a
23. Si frustrauerit fratrem, delictum illius super ipsum erit, & si dissimulauerit delinquet dupliciter, & si in vacuum iurauerit, non iustificabitur, replebitur enim retributione pessima domus illius. 1068. a
28. Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. 385. a
41. Cura habe de bono nomine. 144. a
42. Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. 240. b

Ex Esaia.

Cap. 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidia, &c.
Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem hircorum nolui. 751. b
17. Scribe stylo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare. 433. b

Ex Zacharia.

Cap. 5. Et conuersus sum, & eleuaui oculos meos & vidi, & ecce volumen volans: & dixit ad me: Quid tu vides? & dixi: Ecce ego video volumen volans, longitudo eius viginti cubitorū, & latitudo eius decem cubitorum, & dixit ad me. Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur (sicut ibi scriptum est) iudicabitur: & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur, educam illud dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius, &c. 432. b
9. Ecce Rex tuus veniet tibi, & dominium eius à mari vsq; ad mare. 454. a

Ex Libro Secvndo Machabæorum.

Cap. 14. Maluit nobiliter mori, quam subditus fieri peccatoribus. 366. a

Ex Matthæo.

Cap. 5. Non iurabis neque per cælum quia thronus Dei est, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ego autem dico vobis, nolite iurare omnino. 054.b
Sit sermo vester, est, est, non, non: quod autem ab his abundantius est, à malo est. 1057.a
6. Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid mãducetis nec, corpori vestro, quid induamini. 793.b
Pater noster qui es in cælis, &c. vsque ad finem orationis Dominicę. à fol. 817. vsque ad. 832.
Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. 874. b
7. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Phariseorum. 3.a
Nolite iudicare, & non iudicabimini. 89.a
12. Qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc sæculo, neque in futuro. 798.b
17 Liberi sunt filij. 232.b
19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. 793.b
22. Licet ne censum dari Cæsari, an non? 31.b
Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex toto corde tuo. 875.a
25. Sciebas, quod meto, vbi non semino, & congrego vbi nõ sparsi? nunc autem ex ore tuo te iudico serue nequam. 239 a
26. Et hymno dicto cum discipulis suis exijt in montem Oliueti. 750. a
Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me, nam semper pauperes habebitis vobiscũ, me autẽ non semper habebitis. 939 a
10. Gratis accepistis, gratis date, & subdit statim, Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. 1099.b

Ex Lvca.

Cap. 1. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 1007.a
6. Mutuum dantes, nihil inde sperantes. 666. b
11. Veruntamẽ quod superest, date elee mosynã & omnia munda erunt. 137.b
18. Oportet semper orare, & nũquam deficere. 874.a
22. Reges gentiũ dominantur eorum: Inter vos autem non sic. 231.a
23. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. 360. b

Ex Ioanne.

Cap. 4. Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrẽ: vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus quia salus ex Iudæis est: sed veniet hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. 751.b
6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum. 774.a
8. Et in peccato vestro moriemini. 808.b
Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 821.a
9. Scimus quod Deus peccatores non exaudit. 883.a
14. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclerum dabit vobis. 878.a
16. Iterum veniam ad vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, & in illo die mihil rogabitis me. 786. b
20. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittẽtur, & quorum retinueritis erunt retenta. 519.b. & 904.a

Ex Epistola ad Romanos.

Cap. 2. Gentes quę legem non habent, naturaliter (quæ legis sunt) faciũt. 7.b
Non est acceptio personarum apud Deum. 302.a
7. Itaque lex sancta, & mandatum sanctum & iustum, & bonum. 947.a
Nõ quod volo bonũ hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio. 371.a
8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 240 a
Qui est ad dexteram Dei, qui & interpellat pro nobis. 837 a
Spiritus adiuuat infirmitatem nostrã: nam quid oremus vt oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 791. a
9. Itaque mihi quid aliud quæritur? voluntati eius quis resistet? 772.b
10. Maior seruiet minori. 137.a
12. Non vos vindicãtes charissimi, sed date locum iræ. 481. a
13. Vis non timere potestatem? fac bonum & habebis laudem ex illa: si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est. 345. b
Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. 496. a
14. Qui non manducat, manducantem non iudicet. 89. a

Ex Epistola Prima ad Corinthios.

Cap. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? quis plantauit vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat? nunquid secundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui triturãti: nunquid de bobus cura est Deo? 932.b
12. Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque horum in corpore sicut voluit, &c. 44 b
13. Charitas benigna est, patiens est, &c. 46. a

Ex Epistola Ad Galatas.

Cap 3. Priusquam veniret fides sub lege custodiebamur inclusi in eam fidem quæ erat reuelanda. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo vt ex fide iustificemur. 947. a
5. Caro concupiscit aduersus spiritum. 371. a

Ex Epistola Secvnda ad Thessalonicenses.

Cap. 3. Sine intermissione orate. 874. a

Ex Epistola Prima ad Timotheum.

Cap. 2. Vnus est mediator noster Christus Iesus. 786. a
3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, non vinolentum, non percussorem. 353. b

Ex Epistola ad Hebræos.

Cap 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. 135. a
Quem constituit hæredem vniuersorum. 454. a

Ex Epistola Iacobi.

Cap. 1. Deus intentator malorum est. 368. a
2. Fratres nolite in personarum acceptione habere Domini nostri Iesu Christi gloriam, etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum habens annulum in veste candida: introierit autem pauper, &c. 327. b
4. Nolite detrahere alterutrum, fratres mei: qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. 580. b
5. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. 880. a
Ante omnia fratres mei nolite iurare. 155. b

Ex Epistola Prima Petri.

Cap. 1. Vos estis genus electum, regale sacerdotium. 905. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Hæc est gratia si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste 347.a

EX EPISTOLA PRIMA *Ioannis.*

Cap.2. Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.837.a

5. Qui scit fratrem suum peccare peccatum,non ad mortem,petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem,& peccatum ad mortem, non dico vt pro illo roget quis.798.a

EX EPISTOLA IVDAE.

Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit,imperet tibi Deus.398.b

EX ACTIS APOSTOLORVM.

Cap.2. Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione,quæ sub cælo est.874.b

15. Qui tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos,nec patres nostri portare potuimus.752.b

EX APOCALYPSI.

Cap.1. Princeps Regum fol.454.a

3. Hæc dicit amen, testis fidelis & verus.832.b

6. Desiderabunt mortem, & fugiet ab eis.360.b

19. Habetur scriptum in fœmore eius Rex Regum, & Dominus Dominantium.454.a

INDEX RERVM ET SENTENTIARVM QVAE in hoc opere continentur.

A. primam columnam, B. secundam indicat.

A.

ABsoluens in peccato mortali existens, peccat mortaliter. fol.85.a
absolutio sacramentalis est actus iudicialis. 109.b
absolutio à non proprio sacerdote facta, an sit valida.ibidem.
Accepta pro faciendo opere bono, sunt restituenda ei,qui dedit.252.a
accipiens iniuste rem, non solum illam, sed etiam damna restituere tenetur.264.b
accipiens rem ab eo, qui non est verus dominus non ei,à quo accepit, sed vero domino debet facere restitutionem 245.b
acceptio personarum quid significet.302.a
acceptio personarum est vitium contra iustitiam. ibidem.
acceptio personarum non habet locum in gratuitis.303.a
acceptio personarum quando sit.ibidem.
acceptio personarum non est in Deo,& quare.303.b
acceptio personarum ex genere suo est peccatum mortale.316.b
acceptio personarum qualiter possit esse in collatione honoris.328.a
acceptio personarum est honorare diuites tantum propter diuitias 228.b
acceptio personarum potest habere locum in iudicijs.330.a
acceptio personarum potest habere locum in legibus ferendis.333.a
actus virtutis tria requirit,vt talis sit.22.a
actus iustitiæ, qui est non lædere accipitur dupliciter.22.b
actus vnius virtutis bene potest elici ab habitu existenti in alia potentia.28.b
actus iustitiæ est reddere vnicuique quod suum est.57.b
actio iniuriosa ex intentione facta facit formaliter iniustum.70.a
actio spiritualis quæ dicitur. 1115.a
actio iniuriosa facta ex passione, vel ignorantia non facit formaliter iniustum 71.a
actus interior, & exterior sunt necessarij, vt donans vel promittens maneat in conscientia ligatus.156.a
actus dupliciter potest ab aliqua potentia procedere.731.a
actus potest esse elicitus ab vna virtute, & imperatus ab alia. ibidem.
actus vt dicatur elicitus ab vna virtute,quid requiratur. 731.a
actus bonus non potest esse nisi à virtute,vel tendens ad virtutem.733.a
actus superioris virtutis potest esse imperatus à virtute inferiori.754.b
acquisita per actum malum an sint restituenda.249.a
actuum humanorum diuisio. 251.b
actus voluntatis dupliciter potest procedere ex discursu intellectus.964.b
accusatus de aliquo crimine, vere, sed iniuste, qualiter se possit tueri.191.a
accusatio est licita. 481.a
accusare nullus tenetur de peccatis, quæ solum nocent peccanti. 481.a
accusatio à quibus fieri possit.482.a
accusatio debet fieri in scriptis. 485.a
accusatio quibus de causis reddatur iniusta. 486.b
accusationes quando possunt à iudice rescindi.488.a
accusationes possunt esse in triplici differentia.487.b
accusatus an possit dare accusatori pecuniam, vt ab accusatione desistat. folio 488.a
accusator deficiens in probatione tenetur ad pœnam talionis.490.
Admonitio secreta an debeat præcedere denunciationem, vel accusationem in peccatis quæ vergunt in perniciem reipublicæ.479.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

admoneri debet qui negat aliquid de fide ex ignorantia.480.
accusator quid sit,& in quo differat ab actore.460.b
Adoratio varias habet significationes.885.b
adoratio est actus latriæ,siue religionis.885.b
adoratio duplex.890.a
ad adorationem qualiter requiratur determinatus locus.891.b
aduocatorum officium laudabile.536.b
aduocati tenentur gratis pauperibus patrocinari.536.b
aduocatus quando teneatur patrocinium ferre & quanta cum incommoditate. 537.a
aduocatorum incommoda triplicia.537.b
aduocati an teneantur pauperibus patrocinari sub mortali.538.b
aduocatorum dignitas.540.b
ab aduocatorũ officio qui sint excluſi.540.b
aduocari prohibitus, ſi patrocinium ferat, qualiter peccet.541.b
aduocatus quando ex ignorantia excuſetur à culpa & à reſtitutione.543 a
aduocatus qui propoſuit quancunq; cauſam defendere ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam,an peccet defendendo iuſtam.544.a
aduocatus an poſsit defendere cauſam ambiguam. 545.a
aduocatus qui cœpit defendere cauſam quã putauit iuſtam,ſi poſtea cognoſcit eſſe iniuſtam,ad quid teneatur.546.a
aduocato eſt licitum pecuniam accipere pro patrocinio. 547.b
aduocatus an poſsit cũ parte paciſci,de quota litis ſi victoriam reportet.549.a
aduocatus,iudex,& teſtis differunt.550.a
adultera an teneatur ſe prodere cum periculo vitæ,vel famæ, ne filius hæreditatem putatiui patris accipiat.268.b
adulter ad quam teneatur reſtitutionẽ.270.b
Æqualitas aliter attenditur in iuſtitia commutatiua,quam diſtributiua.207.b
ætas ad recipiẽdum beneficiũ idonea.319.b
Agria vitium oppoſitum Eutrapeliæ per defectum.557.a
Amicitia excellens inuenitur inter patrem, & filium,virum,& vxorem,principem,& ſubditum.18.b
amicitia eſt maius bonum quam fama,atque honor.587.a
amicitia eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens & vera virtus.587.b
amicitias diſſoluere an ſit aliquando licitum.589.a
amen,quid ſignificet, & qualiter accipiatur in ſacris literis 852.a
Ambroſij locus difficilis explicatur.137.b
Angeli aliquo modo habent dominium ſuper hæc inferiora.133.a
animalis anima eſt in ſanguine.738.d
animę purgatorij an ſint orandæ.787.b
animæ purgatorij probabile eſt quod intercedunt pro nobis.788.a
Appetitus remotionis mali, & proſecutionis boni diſtinguuntur.360.b
appetitus ſenſitiuus naturaliter non inclinat in malum neque in peccatum.369.b
appetitus ſenſitiuus fuit inſtitutus à Deo vt obediret rationi.370.b
appellatio quid ſit. 506.b
appellatio eſt de iure naturali.ibidem.
de appellationibus religioſorum quid ſit dicendum.507.a
appellans à iuſta ſententia peccat mortaliter. 508.a
apoſtoli emiſerunt votum de paupertate ſeruanda.1007.b
Attentio quid ſit.861.a
attentio triplex.861.b
attentionũ vna actualis altera virtualis.862.a
attentio quæ ſufficit vt quis ſatisfaciat officio diuino.862.a

B.

BAptiſmus collatus cum errore perſonæ an ſit validus. fol.532.a
In baptiſmo nullum ſit votum. 983.b
Beati qualiter cognoſcant orationes quas ad ipſos fundimus.788.b
beatiſsima Virgo Maria vouit virginitatem. 1007.a
beneficia eccleſiaſtica ſunt ſtipendia pro laboribus. 310.
beneficiati renunciantes ſua beneficia in fauorem alicuius ad quid teneantur.314.a
beneficiorum renunciationes à quibus poſſint admitti.ibidem.
beneficiorum pluralitas ex genere ſuo eſt multum ſuſpecta.315.a
Inter beneficia quædam requirunt perſonalem præſentiam,& alia non.316.a
Plura beneficia curata neque conferri, neq; retineri poſſunt ſine legitima diſpenſatione. 316.a
beneficia plura haberi poſſunt ex iuſta cauſa. 317.b
beneficia ſimplicia plura haberi poſſunt ſine diſpenſatione.318.a
beneficia duo non poſſunt haberi, vnum in titulum,alterum in commendam.319.a
beneficia ſimplicia an ſint pueris conferenda.ibidem.
beneficiati tenentur horas canonicas dicere.849.b
beneficium petens an illo efficiatur indignus.1127.b

beneficium paruum habens quando teneatur dicere horas canonicas.851.a.
beneficiatus non tenetur horas canonicas omiſſas iterum dicere.865.a.
beneficiatus non dicens horas canonicas qualiter teneatur ad fructum reſtitutionis.865.a.
Bellum iuſtum ex vtraque parte nunquam poteſt dari.496.a.
Ad bellum iuſtũ tria ſunt neceſſaria. 347.b.
Bonitas intellectus ex ſe præſtat bonitati morali.61.b.
bonitas diuina tripliciter poteſt communicari rationali creaturæ.759 a.
bonitas diuina qualiter ſit obiectum charitatis.739.b.
bona omnia conferuntur media oratione. 774.a.
bona per ſe appetibilia,vt gloria, & virtutes,ſine aliqua conditione poſſunt à Deo peti.794.
bona eccleſiaſticorũ quædam ſunt patrimonialia,& alia eccleſiaſtica.955.a.
bona monaſteriorum multiplicia.131.a.
bona de quibus poteſt dubitari vtrum illorũ habeat homo dominium.133.b.
bona corporalia in duplici differẽtia. 144.b.
bona ſpiritualia in duplici differẽtia. 179.a.
bona hominis ſunt in duplici differentia. 75.a.
bona communia poſt diſtributionem fiunt propria.205.b.
bonum vtile materia auaritiæ.1125.b.
bona,cuius dominus ignoratur,cui,& qualiter ſint reſtituenda.257.a.
bona quæ reſtituenda ſunt pauperibus,propria auctoritate diſtribui poſſunt. 258.b.
bona quæ Deus hominibus impartitur, ſunt multiplicia.503.b.
bona ſpiritualia quæ diſpenſari poſſunt, ſunt duplicia.305.b.
bonum diuinum, & bonum commune eſt maius bonum proprium hominis, quam bonum particulare ipſius.370.b.
bonum commune ad quod lex debet ordinari,eſt multiplex.466.b.
bona ſpiritualia quæ poſſunt animis noſtris accidere,ſunt in multiplici differentia.548.a.
Blaſphemia quid ſit.1070.a.
blaſphemia iactata in Deum, & ſanctos eſt eiuidem ſpeciei.1070.b.
blaſphemus eſt qui per falſos Deos iurat, quamuis verum.1070.b.
Breuiarium Pii Quinti & eius ordo ſeruandus.855.b.
bruta animalia nec benedicuntur nec maledicuntur.597.a.

C.

CAlumnia quid ſit.486.b.
calumniator quis dicatur.487.a.
Canonici præſtantes ſuffragium in capitulo cum iniuria alterius ad quid teneantur, 276.b.
canonici choro non intereſſentes quamuis dicant officium diuinum tenentur fructus reſtituere.869.b.
canonici an teneantur pſallere in choro, vt muneri ſuo ſatisfaciant, & ad reſtitutionẽ non teneantur.870.a.
canendi vſus in ſacris officijs fuit in veteri lege comprobatus.844.a.
cantus ſacris officiis admixtus receptus eſt in noua lege.844.b.
cantus ſacris officijs admixtus naturali rationi eſt conformis.845.a.
cantus non repugnat laudationi, ſed potius congruit.845.b.
cantus congruit gratiarum actioni, & petitioni.846.a.
In cantu, & Muſica ſacris officiis admixtis hac noſtra ætate non rectus ſeruatur modus.847.b.
Capellani tenentut dicere officium diuinum.851.b.
Carcer duplex.809.a.
carnium eius ante diluuium non erat illicitus iure naturali.336.a.
caſus fortuitus quid ſit 213.b.
caſus in quibus poteſt iudex ſine accuſatore procedere.471.b.
caſus in quibus accuſatus poteſt ab accuſatione deſiſtere.487.a.
caſus in quibus audiens detractorem peccet mortaliter.573.a.
cauſa efficax quæ dicatur.274.b.
Quicumque ſunt cauſa efficax iniuſtæ acceptionis tenentur ad reſtitutionem.274.a.
cauſæ quæ poſſunt excuſare ab obligatione reſtituendi.294.a.
cauſæ propter quas diſpenſari poteſt cum aliquo vt poſſit habere plura beneficia. 317.b.
cauſæ iuſtæ penſionis imponendæ.320.b.
cauſa motiua duplex.1109.a.
cenſuum venditio an ſit licita.714.b.
cenſus duplex.ibidem.
certitudo euidentiæ non eſt poſsibilis in omni materia.175.b.
cæremonia quid ſit.749.a.
cæremoniæ ſunt in duplici differentia. ibidem.
cæremoniarum vſus in communi eſt de iure naturali.749.b.
cæremoniæ ſunt gratæ Deo quatenus ordinantur ad pietatem internam.750.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæremoniæ fuerunt variatæ pro diuersis statibus.750.b.
cæremoniæ vitiari possunt triplici ex causa. 751.a.
cælum accipitur multipliciter. 826.a.
cælum pro iustis, & terra pro peccatoribus. 827.a.
celebrans pro stipendio quem valorem promittat in Missa. 909.a.
cessio bonorum qualiter excuset ab obligatione restituendi. 296.b.
Charitas & religio differunt. 1002.a.
charitatis ordo qualiter obliget. 380.a.
christus quatenus homo fuit rex temporalis. 453.a.
christus quatenus homo fuit Dominus orbis. 454.a.
christiani bello capti non fiunt serui. 139.a.
christus Dominus morti proximus cantauit. 750.a.
christus Dominus nonnullas cæremonias in particulari instituit in lege noua. 750.a.
christo in quantum Deus non conuenit orare. 836.b.
christo in quantum homo fuit conueniens orare in diebus carnis suæ. 836.b.
christus in cælo existens non orat nec preces fundit pro nobis. 837.b.
choro assistens qualiter satisfaciat officio diuino. 838.b.
ciceronis sententia de cognitione futurorũ contingentium. 767.
circunstantia multitudinis coniunctorum est necessario confitenda. 411.b.
clericis nulla ratione licet occidere malefactores. 353.a.
clerici sacris initiati exercentes causam sanguinis peccant mortaliter. 354.a.
clerici percussores quibus pœnis subiiciantur. 354.b.
clerici an possint licite accusare. 482.b.
clerici quare prohibeãtur agere causam sanguinis. 483.a.
clerici non possunt aliquem criminaliter accusare. 483.b.
clericus diues potest accipere stipẽdium ab ecclesia. 1107.b.
clerici vnde dicti. 1119.a.
clerici an possint per alios negotiationes exercere. 644.b.
clerici maioribus ordinibus constituti tenentur dicere horas canonicas. 849.a.
clerici in minoribus ordinibus constituti, neque ad horas canonicas, neque ad aliquid aliud tenentur. 849.b.
clerici horas canonicas non dicẽtes ad quã teneantur restitutionem. 865.a.
clerici verè sunt domini suorum bonorum, tam secularium, quam ecclesiasticorum. 936.a.
clericis tantum iure positiuo, & non naturali, aut diuinum est impositum præceptum castitatis. 1031.b.
Columbaria an sint licita. 236.b.
commoda ex rerum diuisione orta. 149.a.
compensatio quid sit. 197.b.
compensatio duplex: vna directa, altera indirecta. Ibidem.
compensatio qualiter possit fieri in restitutione famæ. 198.a.
compensatio vt sit recta quas conditiones requirat. Ibidem.
complices delicti quando debeant manifestari à reo. 501.b.
In comparatione virtutum, actus præstantissimus vnius debet comparari ad præstantissimum alterius. 64.b.
commutationes siue voluntariæ siue inuolũtariæ sunt eiusdem speciei. 120.b.
commutationum omnium rectificatio pertinet ad eandem iustitiam. Ibidem.
commutationis nomine quid importetur. 121.a.
communitas rerum fuit conueniens in statu Innocentiæ. 148.b.
communitas rerum qualiter sit de iure naturæ. 151.a.
communitas rerum qualiter à Christo fuerit posita in consilio. 152.a.
conditiones necessariæ, vt quis alterius famam restituere teneatur. 187.a.
confessarii qualiter se debeant habere cum restituentibus. 173.a.
confessarius debet esse cautus, ne eos absoluat, qui sunt obnoxii restitutioni. 290.
In confessione non est explicanda circunstãtia, qua cõfessor veniat in cognitionem alterius. 568.b.
confessor virtute Bullæ vel iubilei electus tenetur commutare vel dispẽsare vota quæ vouens rationabiliter commutari vel dispensari postulauerit. 1041.b.
conferens beneficium digno, prætermisso digniori peccat mortaliter. 203.b.
consulens quando teneatur ad restitutionem 278.b.
consulere minus malum ad vitandum maius an liceat. 279.b. & 711.b.
consilium quod quis dat potest esse duplex. 279.b.
consentiens operi iniusto quando teneatur ad restitutionem. 280.b.
consuetudo quid requirat vt possit legem interpretari. 234.a.
consuetudo interpretata est legem de ieunio. 234.a.

con-

consuetudo qualiter inducat obligationem. 853.a.
Contractus dupliciter potest esse nullus. 157.a.
Per contractum irritum ex defectu personæ nullum transfertur dominium. 57.b.
contractus nullus ex defectu solennitatis iuris, an transferat dominium. 157.b.
contractus nullus iure humano in foro exteriori etiam est nullus in conscientia. 160.b.
contractus sunt in duplici differentia, nam quidam transferunt dominium, alij non 215.a.
Quando contractus fit solum in vtilitatem accipientis, qui accipit, tenetur de culpa etiam leuissima. 216.b.
quando contractus est in vtilitatem tam dãtis quam accipientis, qui accipit tenetur de dolo, lata culpa, & de leui, non tamen de leuissima. 216.b.
quando contractus fit solum in vtilitatem dantis, accipiens tantum tenetur de dolo & lata culpa. 216.b.
Contractus quid sit. 605.a.
contractuum septem sunt species. 605.b.
contrahentes an possint se decipere. 618.a.
contrapassum quid sit. 123.a.
contrapassum potest fieri dupliciter. 123.b.
contumelia qualiter differat ab alijs peccatis linguæ. 552.b
contumelia non potest existere in factis quatenus sunt res. 553.a
Ad contumeliam non est necessarium, vt vitium quod manifestatur, sit peccatum. ibidem.
contumelia in absentia qualiter fieri possit. 553.b.
contumelia, conuitium, & improperium, distinguuntur, & qualiter. 554.a
contumelia quando sit peccatum mortale. 556.b
contumelias repellere vel sufferre quando sit consilium. 559.b
contumeliam alteri obiicere, an aliquando sit licitum. 560.a
contumelia oritur ex ira. 561.b
contumelia est grauius peccatum, quam detractio. 579.b.
cooperans iniustæ acceptioni tenetur ad restitutionem 278.a
correctionis ordo seruandus. 431.b
correctio, & accusatio differunt. 481.b.
Creditoribus quo ordine est satisfaciendum 298.a.
custodes agrorum vel vineatum non manifestantes damna, tenentur ad restitutionem. 283.b
culpa quid sit. 213.a
culpa triplex: lata, leuis, & leuissima. 213.b
cultus Dei in quo potissimum consistat. 738.a
cultus Dei duplex. 747.b
cultus peculiaris debetur Deo. 890.a

D.

DAmnatus ad mortem an possit se licite defendere. 509.b
damnatus ad mortem etiam iustè licite potest è carcere fugere. 510.a.
damnatus ad mortem qualiter possit carcerẽ frangere vt fugiat. 511.a
damnatus bibere poculum lethale licite illud bibit. 513.a
damnatus vt fame pereat, licite potest accipere panem oblatum. 514.a
damnatis vt fame pereant an licite præfectus carcetis cibum ministret. 514.b
debitum duplex, vnum legale alterum morale. 37.a
debita multipliciter contrahi possunt. 291.a
debitor qualiter teneatur ad restitutionem, & cum quanto periculo. 292.a
debita sunt in multiplici differentia 297.b
debita iniustè contracta an sint præferenda alijs debitis iustis. 299.a
debitum ex iustitia non semper obligat ad restitutionem. 445.a
deceptio in spiritualibus potest esse duplex. 177.b
deceptio in iusto pretio rei quæ venditur, vel emitur, multipliciter fieri potest. 622.b
decimæ quo iure nunc debeantur. 948.a
decimæ quantum ad quotam, quæ decimæ pars est in lege euangelica, solum sunt ex iure positiuo. 949.a
decimæ quantum ad quotam, nunc non excedunt iustum ministrorum stipendium. 950.b
A decimarum solutione potest eximere consuetudo & qualiter. 951.a
decimæ de quibus rebus sint soluendæ. 954.a
decimæ an sint soluendæ de donatis, & legatis & de illicite acquisitis. 954.b
decimas petendi ius consequitur sacerdotes ex ministerio altaris. 956.b
decimas obtinere in feudum an sit licitum. 957.a
decimas petendi ius solis clericis potest conuenire. 957.b
decimas soluere quibus conueniat. 959.a
defectus rei quæ venditur quando irritet contractum. 632.b

defe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

deferens merces prohibitas qualiter peccet. 219.a
deliberatio importat duo. 964.a
deliberatio accipitur dupliciter. 965.a
deliberatio & propositum qualiter differãt. 968.a
derisio quid sit. 592.a
derisio quando sit peccatum mortale. ibidem.
detractio contrariatur famæ, sicut contumelia honori. 563.a
detractio dupliciter differt à contumelia. ibidem.
detractio multipliciter fieri potest. 563.b
detractio ex genere suo est peccatum mortale. 565.b
detractio qualiter possit existere in dicendo peccatum quod facto, vel iure est notorium. 570.a
detractio potest esse in reuelatione defectus naturalis. 574.b
detractio ex genere suo est maius peccatum quam furtum, & minus quam homicidiũ. 578.b
detrahentes Christo grauius peccant quam crucifixores. 579.a
In detractione quam plurima latent mala. 580.a
detractionem audiens qualiter peccet. 582.b
declinare à malo & facere bonum ponuntur partes iustitiæ. 718.a
deponens pecuniam apud vsurarium qualiter peccet. 712.a
depositum an sit reddendum ei, qui vult abuti illo. 245.a
denunciatio quid sit. 473.b
denunciatio duplex: paterna, & iudicialis. 478.b
detinens alium ab ingressu religionis an teneatur ad aliquam restitutionem. 178.a & b.
Deus est omnium rerum Dominus. 131.b
deus habet duas potestates: vnam Domini, alteram legislatoris. 424.b
deus & homo differunt in modo procedendi. 478.b
deus & visio Dei sunt vnus finis. 742.a
deus multa facit media oratione alias non facturus. 775.a
deus est orandus. 785.a
deus cur dicatur peccatores derelinquere. 801.a
In Deo est duplex voluntas, vna signi, altera beneplaciti. 802.b
In Deo est voluntas antecedens, & consequẽs 803.a.
deus qualiter dicatur Pater noster 810.a
deus qualiter in nobis sanctificetur. 824.b
deuotio quid sit & vnde dicatur. 756.a
dicens peccatum notorium siue facto, siue iure quando sit peccatum mortale. 570.a
dicens generalia verba turpia in aliquẽ, qualiter peccet. 576.a
diffamatus in vno genere vitij non potest in alijs de quibus bene audit, diffamari sine obligatione restitutionis. 190.
differentia inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam. 117.b
dignitas eius qui eligitur qualiter sit cognoscenda. 205.a
dignitas ad beneficiũ ecclesiasticum in quo consistat. 306.a
dignitas necessario consideranda ad officium conferendum. 321.b
dispensatio iniusta facta à Principe in lege quando sit valida, & quando non. 105.a
dispensare quid sit. 1026.b
dispensare qualiter differat ab irritari. ibidem.
distributor beneficiorum quid teneatur attendere. 201.a
distributio inordinata in bonis proprijs nunquam est peccatum contra iustitiam.
distribuens indignis officia publica tenetur reipublicæ restituere quantum læsit. 201.b
distribuẽs in pauperes res quarum dominus ignoratur, postea comparente vero domino quid facere teneatur. 260.a
diuisio rerum est de iure gentium. 13.a
diuisio rerum quo iure fuerit introducta. 152.b
diuisioni iure gentium factæ postea plures accesserunt. 156.b
Dolus quid sit. 213.a
dolus multipliciter potest inesse iuramento. 1080.a
dominium vox latina. 125.b
dominium dominatiuum & domesticũ differunt. 126.a
dominium non est idem quod ius. 126.b
dominium est potestas conuertendi rem in proprium commodum. 127.a
dominij diffinitio ponitur & explicatur. 127.a
dominium vsus, & vsus fructus distinguuntur. 127.b
dominium distinguitur à titulo dominij, sicut relatio à fundamento. 128.a
dominium omne deriuatur à Deo. 131.b
dominium non est in brutis. 132.a
dominium rerum inferiorum de iure naturali residet penes totam hominum vniuersitatem & non penes singulos. 135.b
dominium ad homines relatũ est duplex. 136.a

dominium vt opponitur subiectioni iure naturæ inuenitur in vno homine respectu alterius. 136.b
dominium & vsus non distinguuntur in rebus vsu consumptibilibus. 129.b
dominium vitæ tantum est penes Deum. 146.b
dominiorum distinctio an conuenienter fuerit facta. 148.a
dominiorum distinctio fuit necessaria in statu naturæ lapsæ. 148.b
dominium transferre est homini maxime naturale. 154.a
dominium non transfertur per actum interiorem. 154.a
dominium transfertur per præscriptionem. 165.b
dominium & translatio rei distinguuntur 702.a
dominus rei dupliciter potest ignorari. 256.b
donatio solo interiori actu facta nullã obligationem inducit. 155.b
donatio libera creditoris excusat debitorem ab obligatione restituendi. 293.b
donatio quando est dicenda intercedere in emptione. 627.a
Dubia dupliciter possunt in meliorem partem interpretari, scilicet negatiuè & positiue. 97.a
dubia sunt interpretanda in meliorem partẽ negatiue.
dubia ex suppositione quod quis vult exire in actum iudicandi, sunt interpretanda in meliorem partem positiuè. 97.a
dubitans an res sit sua non præscribit. 164.b

E.

Ecclesia non habet potestatem in actus interiores. 862.b
ecclesiæ status fuerunt diuersi. 935.b
ecclesia potest dispensare in votis simplicibus. 1027.a
Eleazarus nõ peccauit quãdo ingressus sub ventre Elephantis ipsum gladio confodit. 365.a
eleemosyna est facienda in casu necessitatis ex iure naturali, & diuino. 444.a
eleemosynæ obligatio aliquando est obligatio iustitiæ. 444.b
electio dignioris qualiter debeat fieri. 312.a
electio digni prætermisso digniori stando in iure communi est valida, nec rescindi potest. 207.a
electo qua ratione teneatur quærere dignio rem. 312.a
eligere minus dignum relicto digniori ad beneficia ecclesiastica est peccatum mortale. 311.a
eligens dignum prætermisso digniori nihil tenetur reipublicæ, vel ecclesiæ restituere. 202.a
eligens dignum prætermisso digniori tenetur restituere aliquid digniori prætermisso. 205.a
emens rem à latrone, & illam alteri vendens bona fide quid facere debeat. 220.b
emens rem à latrone bona fide, si postea scit esse alienam quid facere debeat. 264.a
emens debitum futurum pro minori pretio, an peccet, & ad restitutionem teneatur. 658.b
In emptione & venditione seruari debet æqualitas inter pretium, & mercem. 609.b
In emptione & venditione debet esse æqualis conditio vtriusque contrahentis. 633.a
emptionis & venditionis diffinitio. 607.a
emphytheusis quid sit. 606.a
epicheia quid sit. 38.a
epicheia non est pars potentialis iustitiæ, sed subiectiua & specifica. 53.a
Episcopus quando possit dispensare in votis Papæ reseruatis. 1043.a
episcopus quid possit accipere pro suis functionibus. 1115.b
episcopi habentes iurisdictionem secularẽ an possint vendere officia publica. 326.a
episcopus habet potestatem dispensandi in omni irregularitate ex occulto delicto proueniente excepto homicidio voluntario. 399.a
Æthiopes fraude capti non sunt serui, nec iure vendi possunt. 138.a
eutrapelia virtus constituens medium in iocis, & ludis. 557.a
eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. 905.b
eucharistia est vnicum sacrificium fidelium. 906.a
excommunicatio creditoris non excusat debitorem ab obligatione restituẽdi. 294.a
excommunicatio & irregularitas distinguuntur. 354.b
excommunicati repelluntur ab accusando. 482.a
excommunicatio pro peccato præterito, de quo non præcessit admonitio imponi nõ potest. 500.a

F.

Falsitas ex se est quid peius quam malitia moralis. 61.b
fama qualiter possideatur ad homine. 142.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cuius famæ homo sit dominus.142.b
Famæ diffinitio.186 b
Fama qualiter differat ab honore.187.a
fama præstat honori.579.b
famuli furum ad quid teneantur.282.b
famuli quibus incumbit res domesticas custodire, si pereant, quando teneantur ad restitutionem.283.b
fidem Christianam ampliantes vi & armis peccant grauiter.449.a
fides virtus moralis est constituenda. 532.b
fideiussor ratione fideiussionis potest aliquid exigere.282.a
filius potest considerari secundum duplicem statum, scilicet, in quantum est sub cura parentum, & in quantum est emancipatus.19.b.
filius illegitimus an teneatur credere matri reuelanti secretum de sua illegitimitate. 270.a
fingens paupertatem vel consanguinitatem, vt extrahat eleemosynam, cui restituere teneatur.243.a.& b
fiscalis minister reipublicæ ad causas ipsius. 474.b
De fodinis apud Indos repertis quid sit dicendum.426.a
fortitudo in sacris literis retinet nomen virtutis.65.a
fortitudo est quæ maxime homines commendabiles facit.65.b
fortitudo ad iustitiæ præsidiū necessaria.ibidem.
fornicatio est grauius peccatum quam furtum.434.b
fratres minoritæ distinguunt vsum in vsum iuris,& vsum facti.130.a
fraus quid sit.213.b
fraudulentia qualiter inueniatur in emptione & venditione.604.a
furtum vnde dicatur.416.a
furti diffinitio à canonistis posita declaratur, & impugnatur.419.a
furti vera diffinitio.416.b
furtum differt à rapina & vsura. 417.b
furtum à filiis commissum quando habeat veram rationem furti.418.a
furtum & rapina sunt peccata specie distincta.410.a
fur duplex,nocturnus & diurnus.
furtum ex genere suo est peccatum mortale. 432.a
furtum est leuissimum peccatorū quæ fiunt in proximum.434.a
furtum rei paruæ nō est peccatum mortale. 435.b
furtum ex leuitate materiæ quando sit peccatum veniale.437.vsque ad 441.
Qui furatur magnam quantitatem, à pluribus modicū accipiens quādo peccet mortaliter.441.b
furtum est intrinsece malum.445.b
futura contingentia qualiter cognoscantur à Deo certò & infallibiliter.767.b

G.

GAbellæ qualiter debent imponi. 232.b
gabella quædam dicitur census.233.a
gabella Alcaualæ vt iusta sit, quid sit necessarium.234.b
gener quandiu non soluitur illi dos,fructus pignoris potest recipere saluo capitali. 698.b

H.

HEbræi virtutes appellabant rectitudines.3.a
hebræi accipientes bona Ægyptiorum nullum furtum commiserunt.423.a.& b
Hebræi orabant horis,tertia, sexta & nona. 843.a
Ab Hæresi mentali potest absoluere quilibet idoneus confessor.862.b
hæredes illius qui propter homicidium suspenditur tenentur ad restitutionem damni illati.180.a
hæredes in duplici differentia.184.b
Hæretici statim sunt denunciandi.480.a
homo magis inclinatur ad bonum propriū, quam ad commune.34.a.
homo considerari potest in quantum persona priuata & in quantum pars communitatis.76.b
homo iure naturæ habet dominium omniū rerum inferiorum.134.a
homo non dicitur habere dominium Angelorum,neque corporum cælestium. 134.b
homo iure naturali neque est dominus,neq; est seruus.136.a
homo ex lege humana potest esse alterius dominus propriè.137.a
homo proprie habet dominium suæ famæ.140.b
homo est dominus bonorū corporalium ex quibus vita non pendet.145.a
homo neque membrorum,neque vitæ corporalis est proprie dominus.145.a
homo est dominus bonorum suorum spiritualium.147.a
homo habet vsum suæ vitæ,quamuis non habeat dominium.186.a
homo quandiu habeat ius vt alij de se bene iudicent.189.b

homō dupliciter potest concutiere ad iniustam acceptionem.275.a
homo in multis casibus non tenetur propriā vitam tueri.361.b
homo aliquando potest velle non esse. 360.a
homo est dominus vsus vitæ.362.a
homo potest cedere iuri suo, & non potest cedere iuri alterius.362.a
homo naturaliter magis inclinatur ad diligēdum Deum,quam ad diligēdum se.370.b
homo habet naturale dominium rerum exteriorū quantum ad vsum illarum.412.b
homo qualiter debeat habere animum paratum ad ferendas iniurias.559.a
homo cui facta fuerit reuelatio de propria damnatione,an teneatur sperare.810.a
homo qualiter sibi & aliis posit mortem deprecari.814.b
in homine tres gradus vitæ inueniuntur. 896.a
hominis miseria declaratur.830.b
homines qualiter teneantur conformare se voluntati diuinæ.803.b
homines manducasse carnes ante diluuium, est valde probabile.336.b
homicidium est iniusta hominis occisio. 342.a
homicidij grauitas ex multis colligitur. 342.b
homicidium casuale quid sit.391.a
homicidium casuale vt alicui imputetur,tria requiruntur.391.b
homicidium casuale quātis sit culpabile,nō semper est peccatum mortale.392.a
homicidium casuale non imputatur ad irregularitatem,nisi habeat culpam annexam.395.b
homicidium casuale quando inducat irregularitatem.396.b
homicidium est grauissimum peccatorū,quæ contra hominem fiunt.478.a
honor qualiter differat à fama.187.a
honor qualiter sit restituendus.Ibidem.
honorem lædens potest restituere alia via, non petendo veniam.280.a
honor dupliciter potest ab altero lædi.552.b
horæ canonicæ antiquitus fuerunt ab ecclesia institutæ.841.b
Ad horas canonicas qui teneantur.849.a
horas canonicas præterire cedi quæ sint causæ legitimæ.854.a
horæ canonicæ quo in loco dici debeāt.857.b
horas canonicas non dicētes qualiter teneātur ad fructuum restitutionem.865.a
horas canonicas non dicentes quibus debeāt facere fructuum restitutionem.868.b
hymnus quid sit.750.a

IAcob emēs ab Esau primogenituram qualiter excusatur à peccato.1123.a
Iacob qualiter emerit primogenita Esau. 710.a
Iephte an occiderit filiam suam vt vouit. 984.a
Ignorantia triplex.543.a
impediens alterum ab ingressu religionis an teneatur ad restitutionem.178.a.& b
Non impediens detractorē qualiter teneatur ad famæ restitutionem.196.a
Impediens iniquum à restitutione beneficij,nihil tenetur restituere.200.b
impediens aliquem per vim vel fraudem nō beneficium consequatur tenetur ad illius restitutionem.210.a
impediens aliquem nō vi aut fraude sed precibus ad nullam tenetur restitutionem,si beneficium digno tribuatur.210.a
imperium in lege existēs habet ortum ex voluntate legislatoris.215.a
impotentia quando excuset ab obligatione restituendi.290.b
imperium est actus intellectus.764.b
incommoda quæ sequuntur ex officiorum venditione.325.a
incarcerare aliquem nulli licet propria auctoritate.409.b
indicia maiora sunt necessaria ad iudicium exterius,quam ad interius.93.b
inducere ad vsuras quando sit peccatū.709.a
inducere ad peccatum, & vti peccato alterius,distinguuntur.709.a
indignus accipiens beneficium tenetur illud resignare.105.b
Indicia quæ requiruntur vt quis ad inquisitionem procedat.502.b
indicia debent comprobari per testes.503.a
indicia qualiter debeant esse manifesta. 503.a
infamans tenetur suum dictum retractare si mendaciter infamauit.189.a
infamia,indicia,& clamorosa insinuatio habent in iure vim accusatoris.472.b
infamia quæ sufficit vt iudex posit procedere contra aliquem.472.a
infames repelluntur ab accusando.482.a
infamia quæ est sufficiens vt iudex in inquisitionem procedat.497.a
infamatus de vno crimine an possit inquiri de alijs.501.a
infamans Deū,aut sanctos magis est blasphemus,quam detractor.564.a
infamatus de vno crimine an possit infamari de alio. 572.b
infamare seipsum etiam sine causa, non est peccatum mortale ex genere suo.143.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

infamans seipsum metu tormentorum non peccat mortaliter. Ibidem.
infamans quando teneatur ad restitutionem. 187.a
infamatio contra iustitiam duobus tantum modis fieri potest. 188.a
infamare dicendo falsum, & infamare dicēdo verum sed iniuste differunt. 188.a
infamans tenetur restituere damnum temporale quod ex infamia sequitur. 189.a
infantia qualiter duret vsque ad septimum annum. 1023.b
infideles tripliciter se possunt habere erga fideles. 448.a
Ab infidelibus est licitum extrahere seruos tion autem alia bona rapere priuata autoritate. 449.a
inimicis mala precari an sit licitum. 814.b.
iniustum simpliciter non inuenitur inter patrem & filium, sed plus quam iniustū, nempe impietas. 19.a
iniustus dicitur aliquis dupliciter. 67.b
iniustitia illegalis quid sit. 68.a
iniustitia formalis quando sit. Ibidem.
iniustum fieri non potest, nisi à volente, neque pati nisi à nolente. 74.a
iniuria non irrogatur volenti, & consentienti dummodo talis voluntas per vim non sit extorta. 75.a
iniuriā potest irrogari volenti & scienti in illis rebus quarum homo non est dominus. 75.b
iniustum faciens peccat mortaliter. 78.a
iniustitia ex parnitate materiæ excusatur à mortali. 78.a
Innocentem occidere in nullo casu est licitum. 373.b
innocens ex charitate tenetur seipsum tradere ne respublica pereat. 374.a
innocentes in bello qualiter possunt licite occidi. 375.a
inquisitio qualiter fieri debeat. 499.b
intellectus practicus qualiter concurrat ad operationes. 98.a
interrogatus à iudice procedente infamia vel indicijs, vel semiplena probatione semper tenetur dicere verum. 495.b
intellectus & volūtas qualiter differāt. 60. a
interpretari quid sit. 1026.b
inuenta cui sint restituenda. 258.a
inuenta sunt in duplici differentia. 425.b
inuenta tuta conscientia possunt retineri ab inuentoribus post factam sufficientem inquisitionem. 429.a
Ioannis vigesimisecundi sententia de distinctione dominii, & vsus rei. 129.b
Iob liber hexametris versibus fuit cōpositus. 600.a
in ioco & ludo potest reperiri vitium & virtus. 557.a
irregularitas incurritur per actum virtutis. 355.a
irregularitas quando incurratur ex homicidio vel mutilatione. 355.a
irregularitas quando incurratur ex hominis occisione. 393.a
irregularitas non incurritur ex vulnere illa to nisi mors sequatur. 394.a
irregularitas duplex. 398.a
Ab irregularitate quis possit absoluere. 398.a
irritare & dispensare distinguuntur. 1017.b
irritare quid sit. 1026.a
iudex ecclesiasticus habet duplicem potestatem temporalem. 112.a
iudex non condemnans reum ad pœnam legis an teneatur ad restitutionem. 284.a
iudex potest sequi in iudicando opinionem probabilem relicta probabiliori. 351.b
iudex qualiter possit peccare peccato acceptionis personarum. 330.b
iudex non debet cessare ab executione iustæ sententiæ, ne reus condemnetur. 344.a
iudex ad recte iudicandum non debet habere affectum alterius partis. 83.b
iudex existens in peccato mortali publico, & scandaloso peccat mortaliter ferendo sententiam etiam iustam, maxime in illis rebus quibus ipse tenetur. 85.b
iudex triplex. 452.a
iudex an teneatur iudicare secundum allegata & probata. 463.a
iudex inferior non potest dispensare in solēnitatibus quæ sunt de iure positiuo. 460.a
iudex etiam supremus non potest prætermittere illas solennitates quæ sunt de iure naturali. 460.b
iudex non potest ex scientia particulari malefactorem punire. 360.b
iudex nō tenetur cedere officio, ne condēnet innocentem probatum nocentem. 466.a
iudex non potest aliquem condemnare nisi habeat accusatorem. 470.a
iudex inferior non potest absoluere à pœna contra legem à superiori positam. 476.a
iudex supremus quando possit pœnam legis relaxare. Ibidem.
iudex tenetur interdum punire minus peccatum quam maius. 479.a
iudex quando dicatur legitimè interrogare. 494.a
iudex, testis, & aduocatus differunt. 550.
iudex quo iure sit prohibitus aliquid à litigantibus accipere. 550.b
iudices inferiores atque principes tenentur iudicare

iudicare secundum legem scriptam. 102.b
iudicij nomen multipliciter accipitur. 80.a
iudicium quid, quid iudex, quid ius. ibidē.
iudicium est actus elicitus à iustitia. 80.b
iudicium significat rectam diffinitionem omnium virtutum circa propria obiecta. 81.a
Ad rectum iudiciū duæ virtutes sunt necessariæ. ibidem.
Vt iudicium sit rectum tres cōditiones sunt necessariæ. 81.b
iudiciū ex defectu iurisdictionis semper redditur mortale. 83.b
iudicium ex defectu rectæ æstimationis prudentiæ etiam redditur mortale. 84.a
iudicium ex defectu inclinationis iustitię ex suo genere non redditur mortale. 84.a
iudicium propter alium finē à fine iustitiæ, etit peccatum secundum conditionē finis oppositi. 84.a
iudicium temerarium & suspicio interdum accipiuntur pro eodem quāuis differant. 87.b
iudicium idem respectu vnius potest esse leue, & respectu alterius potest esse graue. 88.a
iudicium de malo graui proximi ex leuibus indicijs ortum ex genere suo est peccatū mortale. 91.a
Non solum iudicare pro certo ex leuibus indicijs, sed etiam sinistre opinari de proximo in re graui est peccatum mortale. 92.a
iudicium Salomonis de quo dicitur. 3. Regū cap. 3. qualiter fuerit iustum. 94.a
iudicium de rebus, & iudicium de hominibus differunt. 100.a
iudicium vsurpatum quid sit. 108.b
iudicium diuinum qualiter sit futurum. 123.b
Ad iudicium plures requiruntur personæ. 452.a
iudicium vt sit studiosum tres conditiones requirit. 452.b
iudicium tertius comes iuramenti quid sit. 1058.a
Iuramentum quibus conditionibus personę vel temporis impediatur. 1091.a
iuramentum per falsos deos factum an aliquam inducat obligationem. 1075.a
iuramenti irritandi & dispensandi quæ sit idonea causa. 1088. b
Iuramentum quod faciebant Reges Hispani ante quam principatum acciperent. 231.a
In iuramento promissorio vnum asseritur, & aliud promittitur. 1061.a
iuramentum vnde dicatur. 1047.b
iuramenti diffinitiones. 1048.a
iurandi mos antiquitus obseruatus. 1048.b
iuramenti multiplex forma. 1049.a
iurare est Deum in testem adducere. ibidem
iurare an conueniat infidelibus. 1050.a
iuramentum duplex, simplex & imprecatorium. 1051.a
iuramento, vt sit licitum tres comites sunt necessarij. 1053.b
iuramentum ex defectu veritatis semper redditur peccatum mortale. 1059.a
In iuramento non adimplendo qualiter irrogetur iniuria Deo. 1061.a
De iuramento cui deest iustitia, vel iudicium quid sit dicendum. 1062.a
iurans ex consuetudine qualiter peccet. 1055.a
iurare est actus religionis siue latriæ. 1065.b
iuramentum per se non est virtus, sed solū ob necessitatem concessum. 1065.b
iuramentum per se non est appetendū, neq; frequentandum tanquam vtile & bonum. 1067.b
iurare per mēbra Dei qualiter sit delictum. 1069.b
iurare per falsos deos veraciter, est grauius peccatum, quam iurare per verum Deum fallaciter. 1070.b
iurare est licitum. 1053.b
iurare in casu necessitatis non solum est licitum verum etiam præceptum. 1056.a
In iuramento quis possit dispensare. 1087.a
iuramentū (cui deest veritas, vel iustitia, vel iudicium) est peccatum. 1058.b
iuramentū petere ab idololatra quē scio per falsos deos iuraturū an sit licitū. 1071.a
iuramenti per vim extorti quæ sit materia. 1077.a
iuramentū metu extortū obligat in foro cō scientiæ sub reatu peccati mortalis. 1077.b
iuramenta promissoria per iniuriam extorta ecclesia non cogit in foro contentioso ad impleri. 1078.a
De iuramētis dolosis quid sit dicēdū. 1080.a
iuramenti obligatio est minor quam voti. 1083.b
iuramentum tribus modis redditur incautum. 1076.a
De iuramētis coactis quid sit dicēdū. 1076.b
iurare per Iouem lapidem quid sit. 1073.b
In iuramento qualiter possit fieri dispensatio. 1086.b
iuramentum & votum qualiter differant. 1087. a
iuramētum irritare potest omnis ille ad quē propriè pertinet res comprehensa in iuramento. 1087.a
iuramenta cōmutare in melius potest vnusquisque proprio arbitratu. 1088.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

ius multipliciter accipitur.4.a
ius obiectum iustitiæ.ibidem.
ius,lex,ars, & iustitia differunt.4.a
ius & iustum sunt idem.5.b
ius aliquando accipitur pro iusto ad quod terminatur iustitia,& aliquãdo pro iusto ad omne genus virtutis pertinente.7.a
ius diuiditur in naturale, positiuum & gentium.7.b
ius naturale quid sit.ibidem.
ius positiuum siue humanum, siue diuinum potest terminare actum iustitiæ virtutis. 9.b
ius,seu iustum humanum ex triplici capite potest tale appellari.9.b
ius naturæ & positiuum differunt in multis. ibidem.
ius naturale,& ius gẽtiũ partim conueniũt, & partim differunt.11.a
ius gentium pertinet ad positiuũ cuius pars est.11.b
ius gentium est quasi mixtum ex naturali & ciuili.12.a
ius gentium & naturale qualiter differant. 12.b
iure gentiũ victi seruiunt victoribus.13.a
ius gentium potest abrogari à perfecta republica.13.b
ius,siue iustum multiplex est,politicum,paternum, dominatiuum, & vxorium. 16.a
iustum politicum differt ab alijs in multis. 16.b
iusti, seu iustitiæ ratio tria postulat.17.a
ius paternum, & dominatiuum habent veram rationem iuris quantum ad essentialia.17.b
ius paternum & dominatiuum non habent perfectam rationem iusti.17.b
iustum qualiter inueniatur inter patrem & filium.18.b
iustum simpliciter potest inueniri quantum ad aliquid inter patrem & filium emancipatum. 19.b
iustum simpliciter non inuenitur inter virũ & vxorem.19.b.
ius proprie non inuenitur nisi inter illa quæ habent dominium suarum actionũ. 24.b
ius reddendum est alteri.ibidem.
iurisdictio qualiter requiratur in iudice. 468.b
ius quod habent superiores in inferiores nõ est dominium.126.b
ius patronatus qualiter vendi possit sine simonia.1124.a
ius præbendæ continet quatuor.1119.a
ius ad stipendium & ius ad tantum stipendium est idem.1119.b
iustitia pro omni virtute.3.a
iustitia pro particulari virtute.3.b.
iustitię rectitudo sumitur in ordine ad alterum.4.b
iustitiæ diffinitiones ponuntur & declarantur.21.b
iustitia metaphoricè dicta potest esse eiusdẽ ad seipsum. 24.a
iustitia est virtus.25.b
iustitiæ virtus solum est in voluntate.27.b
iustitia & alię virtutes morales differũt.28.a
iustitia quæ respicit bonum commune dicitur virtus generalis 32.b
iustitia generalis proprio nomine appellatur iustitia legalis.33.a
iustitia proprie diuiditur in generalẽ,& particularem.33.a
iustitia generalis debet esse in principe, sicut in radice.33.b
iustitia generalis est constituenda vltra iustitiam particularem.33.b
iustitia legalis non habet adeo exactam rationem iustitiæ, sicut particularis.35.a
iustitia legalis in ratione virtutis est perfectior particulari.35.a
iustitia legalis quamuis non habeat exactissimam rationem iustitiæ,habet tamen veram, & propriam, & attingit perfectam. 35.b
iustitiæ multiplex diuisio.36.a
iustitiæ generalis violatio non obligat ad restitutionem.37.a
iustitia legalis tribuit reipublicæ, quod sibi est debitum.37.b.
iustitia legalis dupliciter potest diuidi. 38.a
iustitia legalis diuiditur in Epichetam, & iustitiã legalem stricte acceptam tanquã in duas species.38.b
iustitia legalis in principe,& in subditis non differunt specie.40.a
iustitia, vt in principe est architectonica,& vt in subditis,est ministerialis.40.a
iustitia legalis dicitur generalis virtus secundum virtutem.42.a
iustitia legalis est particularis virtus secundũ essentiam.ibidem.
iustitia potest accipi multipliciter.43.b
iustitia legalis ordinat aliarũ virtutum operationes in bonum commune.45.b
iustitia particularis constituenda est vltra generalem 47.b
iustitia particularis habet materiam specialem.48.b
iustitia versatur circa operationes,& nõ circa passiones.52.b
iustitia non est constituenda in appetitu sensitiuo.53.b

iustitia,vt sit perfecta, non est necessarium vt obliget ad restitutionem.57.b
iustitia legalis est præstantissima inter virtutes morales in appetitu existentes.62.a
iustitia legalis præstat humilitati.63.a
iustitia particularis præstat quibuscunque moralibus in appetitu existentibus.64.a
iustitia diuiditur in commutatiuam,& distributiuam.114.a
iustitia distributiua & commutatiua differũt specie.114.b
iustitia commutatiua est vna species specialissima.115.a
iustitiæ commutatiuæ medium est secundũ proportionem Arithmeticam.118.a
iustitiæ distributiuæ medium est secundum proportionem Geometricam.118.a
iustitiæ distributiuæ accidit vt in ipsa præmium sit æquale merito.118.b
iustitiæ commutatiuæ & distributiuæ est eadem materia remota.120.b
iustitiæ commutatiuæ & distributiuæ materia proximè est diuersa.120.b
iustitia qualiter sit in Deo.123.b
iustitia commutatiua duo necessaria requirit.124.b
iustitiæ cõmutatiuæ munus est constituere æqualitatem inter datũ & acceptũ.124.b
iustitia cõmutatiua proprie non est in Deo sed quidam modus illius.124.a
iustitia semper reddit alteri quod suum est. 168.a
iustitia commutatiua multis differt à distributiua.168.a
iustitiæ distributiuæ violatio obligat ad restitutionem.201.b
iustitia commutatiua & distributiua differunt in modo reddendi suum vnicuique. 207.b
iustitia accipitur large & proprie.717.b
iustitia secundus comes iuramenti quid sit. 1058.a

L.

LAtria soli Deo debetur.888.a
Lædens alterũ in corpore tenetur ad restitutionem.179.b
lex naturalis quãtum ad prima principia est eadem apud omes quantum ad cognitionem,& quantum ad rectitudinem.8.a
lex naturalis quantum ad conclusiones deductas ex primis principijs non semper est recta & iusta.8.b
lex naturalis quantum ad conclusiones non semper est omnibus nota.8.b
lex naturalis quãtũ ad prima præcepta mutari nõ potest,bene tamẽ quo ad secũda.9.a
lex præcipiens solemnia matrimonii pertinet ad ius gentium.13.a
lex bona primum bonum commune, deinde particulare intendit 33.b
lex à qua dicitur iustitia legalis duplicem habet finem.38.b
leges in duplici differentia.101.a
lex humana potest prohibere rerum translationem.155.b
leges & iura possunt ab vno in alterum res transferre.157.a
legis fine cessante in particulari non cessat obligatio legis.161.b.& 467.a
leges reiiciunt testamentum minus solenne quia putant ibi potuisse esse dolum. 162.b
leges de præscriptione transferunt dominiũ. 163.a
leges humanæ ecclesiasticæ obligant in foro conscientiæ ad mortale.219.b
leges ciuiles obligant in foro conscientiæ. 219.b
In lege sunt duo,imperium & substantia ipsius legis.220.b
lex ab vno habet quod obliget,ab alio autem quod magis vel minus obliget.221.a
lex quando obligat sub mortali.221.b
leges humanæ possunt obligare ad sui obseruantiam cum periculo mortis.223.a
lex humana quando obligat ad sui obseruãtiam cum periculo mortis.223.a
leges pœnales obligãt in conscientia ad culpam,nisi contrarium explicetur à legislatore.225.b
legũ pœnalium transgressores quando teneãtur subire pœnam ante iudicis condemnationem.227.a
leges sunt in multiplici differentia.895.a
lex iustitiæ dupliciter potest præcipere aliquid dari.374.a
lex necessario debet ordinari ad bonum commune.466.b
lex naturalis quid sit.895.b
lex fomitis reducitur ad naturalem.895.b
lex naturalis non est habitus, sed actus. 196.a
leges humanæ in duplici differentia.978.a
In legibus qualiter possit fieri dispensatio. 1089.a
liberalitas proprie est in Deo.31.a
liberalitas qualiter esse possit in appetitu sensitiuo.31.b
liberalitas quantum ad aliquid superat iustitiam.66.a
Loth an peccauerit offerens filias sodomitis. 710.
Lucretia non est laudanda quia se interfecerit.364.b
lucrum ex mutuo sperare an sit licitum. 669.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

lucrum sperare ex vi mutui, siue primaria, siue secundaria intentione est illicitum, & vsurarium. 671.a
lucrum sperare in mutuo ex gratitudine, & beneuolentia non est peccatum. 672.a
Pro lucro cessante, aut damno emergente, an possit aliquid vltra sortem accipi. 686.a
lucrum cessans quibus conditionibus accipi possit in mutuo. 691.a

M.

Magistratus virum ostendit. 64.b
Malum spirituale quando est recompensandum bonis temporalibus. 176.b
maledicere & malefacere apud Deum idem sunt. 433.a
maledictio quid sit. 595.a
malum imprecari alteri an aliquando sit licitum. 595.b
maledictio quãdo sit peccatũ mortale. 595.a
maledicere creaturas quatenus sunt effectus Dei est aperta blasphemia. 597.b
maledictio Dei in scriptura appellatur benedictio. 597.b
maledictores qua pœna puniantur. 597.b
maledicunt Deũ existentes in inferno. 598.a
maledicẽtes sanctos peccãt mortaliter. 598.a
maledicere creaturis irrationalibus qualiter sit peccatum. 599.a
maledictionis multæ sunt species. 601.b
maledictio an sit grauius peccatum quam detractio. 603.a
mala pœnalia non licet petere, nisi in ordine ad bonum. 794.b
manifestans peccatum veniale proximi an possit peccare mortaliter. 574.a
manifestans peccatum mortale proximi an semper peccet mortaliter. 575.a
Non manifestans quando dicatur causa iniustæ acceptionis. 282.b
Maritus qui vxorem in adulterio deprehensam occidit priuata auctoritate peccat mortaliter. 348.a
maritus an licite interficiat vxorem adulteram iudicatam. 348.b
maritus potest verberare vxorem ex legitima causa. 407.b
Martyrium aliquando est in consilio & non in præcepto. 361.b
Pro matrimonio qualiter pecunia dari liceat sine simonia. 1112.b
medium aliarum virtutum à iustitia, est medium rationis. 55.a
medium iustitiæ est medium rei. 55.a
medium iustitiæ quare dicatur rei, & non rationis. 55.b
medium in virtutibus moralibus qualiter accipiatur. 116.b
medium iustitiæ distributiuæ est secundum proportionem Geometricam, & commutatiuæ secundum Arithmeticam. 118.a.& b
mens nostra habet quandam cognationem cum Musica. 847.a
membri corporalis abscisio quando est necessaria ad seruandam vitam fieri potest, quamuis non præcipi. 401.a
membrum sibi propria culpa abscindens est irregularis. 403.
membrum quod appelletur. 404.a
mentiri nunquam est licitum ex quacunque causa fiat. 493.b
mentiri in rebus leuibus in iudicio, aut in cõfessione non est peccatum mortale. 584.a
mercatoris officium multis de causis non laudatur. 26.a
mercis defectus multiplex. 629.a
mercis defectus an sit manifestandus in venditione. 629.b
merces operis prani quando sit restituenda, & cui. 252.b
meretrices qualiter permittantur. 677.a
metus duplex. 988.b
ministri ecclesiæ possunt stipẽdium pactum deducere absque simonia. 1108.a
minister ecclesiæ qualem animum habere debet in acceptione stipendij. 1108.b
misericordia versatur tam circa operationes, quam circa passiones. 53.b
misericordia præstat iustitiæ etiam legali, 63.a
missam dicere ante matutinum non est peccatum mortale. 857.a
missam in loco priuato dicere etiam ex priuilegio non est laudabile. 858.a
missam audiens, & simul dicens officium diuinum an satisfaciat. 864.b
In missa inueniuntur tria. 908.a
In missæ sacrificio est duplex valor, scilicet ex opere operato, & ex opere operantis. 909.a
In missæ sacrificio potest considerari alius triplex valor ex parte ecclesiæ. 909.b
missa & quodlibet aliud opus bonũ tripliciter potest alicui applicari. 910.b
missæ valor ex opere operantis est minor pro multis, quam pro vno. 912.b
missæ valor ex opere operato tãtum prodest multis, ac si pro vno tantum offerretur. 143.b
missæ & sacramentorum fructus augetur ex deuotione ministri. 918.a
missæ sacrificium quibus prosit & qualiter. 918.a
missam dicens pro pluribus, an omnibus æqualiter prosit ac si pro singulis celebraret. 920.a

Pro

Pro vna Missa plura stipendia accipiens tenetur ad restitutionem. 921.b
missarum iustum stipendium quod sit. 922.a
missas anticipantes, vel postponẽtes ad quid teneantur. 926.b
missas facientes dicere pro minori stipendio quam ipsi acceperunt ad restitutionẽ tenentur. 928.a
In vna vel duabus missis alterum defraudãs an peccet mortaliter. 928.b
Modi quibus potest aliquis concurrere ad iniustam acceptionem. 277.a
monachus professus non sacris initiatus semel, aut iterum non dicens officium non peccat mortaliter. 833.b
monachi non procedunt in suis causis cum strepitu iudiciali. 471.a
monachi in sacris ordinibus non constituti an teneantur dicere officiũ diuinũ. 852.a
monachi laici, & nouitij non tenentur dicere officium diuinum. 853.b
monachꝰ qui propter incorrigibilitatẽ excluditur à monasterio ad quid teneatur. 997.a
Inter monachos an sit laudabile in omnibus quæ facere debent, spectare semper superioris præceptum. 1009.a
monopolia multipliciter fieri possunt. 646.b
monopolia emptorum illicita. 648.b
mons pietatis quid sit, & an sit licitus. 713.a
moralia moraliter sunt intelligenda. 668.a
morbum corporale & spirituale differunt. 401.a
Moyses excusatur à peccato vsurpati iudicij occidendo Ægyptium. 111.
Mulier dicitur facta ad imaginem Dei. 134.a
mulier cur velato capite oret. 134.a
mulier quæ sibi supposuit partũ alienũ, vel ex adulterio cõcepit, & maritus putat filiũ esse suum, ad quid teneatur. 260.b
mulieri est licitum aggressorem occidere ne stuprum patiatur. 385.b
mulier prægnans an possit sumere potionẽ, ex qua fœtus mors sequatur. 385.a
mutilare seipsum an sit licitum. 402.a
mutilans alterũ, siue iuste, siue iniuste faciat quando incurrat irregularitatem. 402.b
mutilati, & corpore vitiati qualiter sint irregulares in iure. 403.a
mutuatarius nõ tenetur restituere damnum, quod mutuanti accidit ex mutuo. 238.b
mutuatarius ad tempus præfixum non soluẽs ad quid teneatur. 239.a
mutuatio, vt sit vsuraria tria requirũtur. 681.a
mutuãs agricolæ ea lege, vt mutuãtis agrũ colat pro iusto pretio est vsurarius. 681.a
mutuare sub obligatione rematuandi est vsura. 681.b
mutuans regi sub obligatione vt officiũ aliquod, siue pro iusto pretio, siue gratis, sibi conferatur, an sit vsurarius. 683.b
mutuare alicui, vt liti cedat, an sit vsura. 684.b
mutuanti est licitum pacisci cũ mutuatario de lucro cessante. 688.b
mutuans ratione lucri cessantis non potest aliquid exigere statim soluendum. 693.b
mutuans accepto pignore frugifero, tenetur fructus pignoris in partem solutionis accipere. 697.b
mutuãs accepto pignore sub ea cõditione, vt si certa die debitũ non reddatur, pignoris possessio amittatur, an sit vsurarius. 699.b

N.

Natura, & naturalis inclinatio semper est bona, & tendit ad bonũ: nec cõtrariatur rationi. 367.b
Naturaliter potest cognosci esse illicitũ seipsum occidere. 364.a
naturale aliquando distinguitur contra liberum, & aliquando cõtra id quod est ex inclinatione naturali. 370.a
naturale ius dictat non esse procedendũ ad inquisitionem sine infamia. 498.b
naturales leges sunt in multiplici differentia 498.b
In naturali lege qualiter debeat fieri interpretatio. 498.b
Necessitas duplex: vna iustitiæ, altera potentiæ. 457.b
necessarium ad salutem stat dupliciter. 172.b
negans veritatem iniuste non tenetur pœnã soluere. 228.a
negare licitam esse dominiorum distinctionem post naturam lapsam est aperta hæresis. 149.b
negotium vnde dicatur. 639.b
negotiationis duplex est species. ibidem.
negotiatio an sit licita. 639.b
negotiatio qua merces carius vendũtur, quã sunt emptæ, ex se licita est, & necessaria reipublicæ. 641.a
negotiatio ex multis circunstantijs reddi potest illicita. 641.b
negotiatio vitiari potest ex parte rei venditæ. 642.a
negotiationes sunt clericis interdictæ. 644.a
negotiatio in loco sacro quando sit licita. 645.b
negotiator ratione mutui non potest accipere totum lucrum quod per negotiationẽ erat lucraturus. 688.a
Nicolaus tertius, & Ioannes vigesimus secũdus discordes in distinctione vsus & dominij rerum consumptibilium. 128.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

nocens in spiritualibus qualiter teneatur ad restitutionem. 176.a
notorium delictum quod dicatur. 572.a
Quis numerus hominum sit sufficiens, vt delictum cognitum notorium dicatur. 572.a
Nummus ad quid inuentus explicatur. 123.b

O.

OBiectum voluntatis nō solū est bonum sed etiam est apparens bonum. 360.a
obiectum iustitiæ differt ab obiectis aliarū virtutum. 3.b
obiectum habitus, vel potentiæ significatur aliquando nomine absoluto, & aliquādo relatiuo. 4.a
obiectum iustitiæ tria includit. 36.b
obiectum charitatis semper est idem formaliter. 39.b
obiectum iustitiæ legalis distinguitur ab obiectis aliarum virtutum. 44.a
Oblatio qualiter differat à sacrificio, decimis, & primitijs. 931.b
Ad oblationem tria requiruntur. 932.a
oblationes qualiter possint esse in præcepto. 932.a
oblationes possunt esse in præcepto ex consuetudine. 933.a
oblationes qualiter pertineant ad sacerdotes. 934.b
oblatio ex triplici ratione potest reddi illicita. 938.b
oblatio an fieri possit ex rebus illicitè acquisitis. 938.a
obligationes iustitiæ & charitatis diuersæ. 189.b
Non obstans quando dicatur causa iniustæ acceptionis. 282.b.
occidens alterum, vltra pœnam legis quam patitur tenetur ad restitutionem. 180.a
occidens vel mutilans opificem qualiter teneatur ad restitutionem, & quibus teneatur restituere. 181.a.& b
occidēs hominē tenetur facere recompensationem in bonis spiritualibus. 185.b
occidere animalia in vsum hominū est licitum 334.a
Non occidere quid sit 339.b
occisio hominis dupliciter fieri potest. 341.b
occidere homines intētione soli publicæ autoritati est licitum. 341.b
occidere malefactores est licitum. 343.a
occidere hominē qui nō peccauit, & timetur quod peccabit in rempublicā, nō est licitum. 343.b
occidere malefactores priuata autoritate est licitum. 345.a
occidere seipsum nunquā est licitum. 358.b
occidens seipsum facit iniuriam Deo, & reipublicæ. 361.a
occisio aggressoris illicita est quādo nō est necessaria ad propriā defensionem. 378.a
occisio hominis quæ fit in propriā defensionem, vim vi repellendo est licita. 379.a
occisio hominis in propriam defensionem, vt sit licita multis debet conditionibus honestari. 379.b
occisio aggressoris quādo sit præcepta. 381.a
occidere latronem in defensionem bonorū vtrum sit licitum. 382.a
occisio hominis in defensionem honoris est licita. 384.a
occisio innocentis in via iacentis, quādo aliter fugiens vitam seruare non potest an sit licita. 384.a
occidere aggressorē ex ppria intētione etiā ad saluandā vitam non est licitum. 387.a
occisio hominis triplex. 393.
Officia sæcularia aliquam habent proportionem cum beneficijs. 321.b
officia sæcularia distribuentes sunt in duplici differentia. 322.a
officia sæcularia indignis distribuentes qualiter peccent, & ad restitutionem teneantur. 322.b
officia publica an vendi possint. 324.b
officium diuinum per se non pertinet ad statum monachorum. 895.a
officium diuinū in communi debet dici statutis horis sub reatu peccati mortalis. 896.b
De officio paruo Beatæ Virginis, mortuorū & Litanijs. 896.a
officium diuinum ore, & voce exprimi debet. 898.a
officiū interrūpens ad quid teneatur. 899.a
Omissio qualiter opponatur iustitiæ. 720.b
omissio est speciale peccatum distinctum à peccatis quæ opponūtur alijs virtutibus. 721.b.
omissio accipitur formaliter & materialiter 722.a
Operis perfectio considerari potest, vel ex obiecto, vel ex necessitate. 939.a
operari ex habitu quid sit. 70.a
Opinio Soti qui dicit, quod conferens beneficium digno prætermisso digniori est probabilis. 204.b
Opus factum ex voto est magis meritorium & laudabile quam factū sine illo. 1005.b
Orationis nomen multas habet significationes. 761.a
orationis variæ diffinitiones. ibidem.
oratio est actus partis intellectiuæ. 763.a
orare, vt quis dicatur, quæ requiruntur. 764.a
oratio valde commendatur. 773.a
orationis vtilitas declaratur. 773.b

oratio disponit ad gratiam. ibidem.
oratio valet ad cognoscendam nostram miseriam & diuinam bonitatem. 774.a
oratio qua ratione iuuet ea vtentibus. 774.b
oratio est actus religionis. 776.b
In oratione tria considerantur. 777.a
oratio est actus religionis etiam si ex metu proficiscatur. 777.b
De orando est præceptum, & quando obliget. 778.b
oratio ad solum Deū est porrigenda tanquā per ipsum implenda. 782.a
oratio potest porrigi ad sanctos tam Angelos, quam homines, tanquam per ipsos impetranda. 782.a
orare pro temporalibus qua ratione sit licitum. 791.a & b
orare pro temporalibus, an sit opus imperfectionis. 793.a
oratio pro alijs fieri debet etiam peccatoribus. 796.b
orare pro excommunicatis publica oratione non est licitum. 797.b
orare pro infidelibus est licitum. 801.a
orare pro se, an teneatur ille cui facta fuerit reuelatio de propria damnatione. 807.a
orare pro damnatis non est licitum. 811.a
orare pro beatis non est licitum. 811.a
orare pro inimicis qualiter teneamur. 813.a
oratio Dominica præstat alijs orationib⁹ ex parte autoris. 817.b
oratio hæc præstat alijs in breuitate. 818.a
oratio Dominica quare ita breuis fuerit cōposita. 818.
oratio Dominica præstat alijs fœcunditate. 819.a
In oratione vtendum est exordio. 819.a
orationes noui, & veteris testamēti differunt in exordio. 819.
oratio Dominica comprehendit petenda, & ordinem petendorum. 823.a
orare est proprium rationalis creaturæ. 833.b
orare qualiter cōueniat peccatoribus, & an exaudiantur. 834.b
oratio vocalis est conueniens. 839.b
orationibus faciendis assignari debuerunt in Ecclesia particulares personæ, tempora & loca. 840.a
orationis scopus qui sit. 861.b
orans ex præcepto, neque attendens peccat mortaliter, & fructum orationis amittit. 862.a
orantes ex præcepto, & orantes libere distinguuntur. 863.b
orans sine actuali, vel virtuali attentione tenetur iterum officium dicere. 864.a
oratio qualiter diuturna esse debet. 873.b
oratio habet triplicem effectum 876.b
oratio quas conditiones debet habere, vt sit infallibiliter efficax. 877.a
oratio vnius pro altero fusa ad quid prosit illi. 878.b
oratio nulla ratione potest dānatis prodesse. 879.a
oratio pro altero fusa an valeat ad primam gratiam consequendam. 879.a
oratio à peccatore fusa, an exaudiatur à Deo. 881.a
Ordo triplex in republica, & sic triplex iustitia. 114.
ordines in quibus omnimoda castitas non seruatur, nō sunt veræ religiones. 1036.b

P

PAlpans quis dicatur, & qualiter teneatur ad restitutionem. 281.a
Papa vnde habeat quod possit in votis dispēsare. 1027.b
partes suppositō distinctæ à toto sunt in triplici differentia. 37.b
De partibus ciuitatis loquendū sicut de partibus corporis. 44.
participans quis dicatur, & qualiter teneatur ad restitutionem. 281.b
paruitas materiæ quando excusset ab obligatione restituendi. 297.a
passionis nomen multas habet significationes. 50.a
passio quantum ad omnes suas significationes potest inueniri in anima. 51.a
passio ꝓ inclinatione sequēte cognitionē solū inuenitur in natura cognoscente. ibidē.
passiones appetitus sensitiui dupliciter considerantur. 52.a
patria dupliciter consideratur. 37.b
pater licite potest verberare filium, & dominus seruum causa correctionis, & disciplinæ. 405.b
patronus habens ius præsentādi tenetur præsentare digniorem. 312.b
patronus dotans Ecclesiā, an possit instituere quod beneficium semper detur alicui ex sua familia. 313.b
pauperes quod ius habeant in re cuius dominus ignoratur. 256.b
pauperum nomine qui intelligātur. 259.b
peccatum mortale materialiter est iniquitas & iniustitia legalis. 68.a
peccatū quod magis nocumentū habet annexum, magis aduersatur charitati. 177.a
peccata facti, & linguæ distinguuntur & qualiter. 556.a
peccatū aggrauatur ex eo quod fit in personam cui aliæ sunt coniunctæ. 411.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum in duplici genere mali constituitur.435.b
Peccata quando dicantur cedere in damnum reipublicæ. 479.a
Peccatum in Spiritum sanctum quid sit. 798.b
peccatores sunt indigni, vt eligantur ad beneficia ecclesiastica.307.a
pœna apposita in lege ex sua natura ostendit legem ipsam esse obligatoriam in conscientia.225.a
pœnæ sunt in multiplici differentia.226.a
pœnæ ad quas homo potest damnari sunt in multiplici differentia.510.b
pensiones nisi ex iusta causa imponi non debent.320. a
pensionarij dicere tenentur officium Beatæ Virginis.321.a.&.850.b
perpetuum & constans differunt.22.a
perfectum & imperfectum quãdoque distinguunt species 35.1.
persona priuata potest remittere suæ famæ restitutionem.193.b
persona publica non potest suæ famę restitutionem remittere.194.a
personæ nomine quid intelligatur.411.a
periurij grauitas declaratur.1091.a
periurium duplex.1065.
Piscatio & venatio quibus in locis interdicãtur.235.b
pietas est virtus perficiens filium in ordine ad patrem.18.a
Plato impugnatur qui dicebat inter ciues nõ solum possessiones sed etiam vxores debere esse communes.151.a
Possessor bonæ fidei præscribit.165.b
potestas humana habet vim obligandi quatenus subest potestati diuinæ & legi æternæ.220.a
potentiæ nomen interdum tribuitur actibus.22.a
potẽtia vel habitus habẽt duos actus & duas operationes.22.b
potestas ecclesiastica non potest in temporalia nisi quatenus habent ordinem ad spirituale finem.234.a
potestas spiritualis & temporalis sunt incõpossibiles.454.b
potestas quæcũque supra Papam debet esse ex commissione illius.456.a
potentia ad lucrandum duplex.686.b
Præbendarum commutatio iure positiuo est prohibita.1010.a
prælati qualiter debeant iudicium ferre in rebus dubijs.100.a
prelati vel prætores, non obstantes damna subditorũ tenentur ad restitutionẽ.283.a
prælati religionum possunt irritare & dispẽsare vota subditorum.1018.a
prælati verberantes subditos an incurrãt irregularitatem.406.b
prælati tenentur pro subditis orare.780.b
prælati iure naturali & diuino habent potestatem irritandi vota subditorũ. 1018.a
prælatus infamans seipsum peccat contra iustitiam.143.b
prælati ecclesiastici habentes potestatem temporalem non possunt se habere in omnibus tanquam domini sæculares.355. b
præceptum de non se occidendo est iustitiæ & non charitatis.145.b
præceptum affirmatiuum de restituendo reducitur ad negatiuũ de nõ furando.174.b
præcepta parentum & dominorum obligãt in conscientia.222.a
præceptum restitutionis qualiter sit intelligendum.288. a
præceptum restitutionis quando inducat nouam culpam si non fiat statim restitutio. 288.b
præceptum de restituendo quo tẽpore obliget.288.a & b
præceptum non occides,explicatur. 339.b.
præceptum non occides, est iuris naturalis, & non positiui.341.a
præcepta Decalogi sunt prorsus indispensabilia.424.
præceptum de orando quãdo obliget.779. b
præcepta naturalia sunt in multiplici differentia.896.a
præceptum de soluendis decimis in veteri lege partim erat morale, partim iudiciale.945.a
præcepta veteris legis quædã iudicialia, alia moralia,alia cæremonialia.946.b
præcepta iudicialia & cæremonialia veteris legis cessauerunt.947.a
præcepta cæremonialia & iudicialia qualiter differant.947.b
præceptum adimplere, & illud non violare distinguuntur.965.b
præceptum de diligẽdo Deo qualiter in hac vita adimpleatur.963.a
præmium bonorum habet rationem iustitiæ distributiuæ.124.b
Præscriptio quid sit.163.b
præscriptio bonæ & malæ fidei.164. a
præscriptio, vt sit bonæ fidei debet possessor toto tempore præscriptionis rem bona fide tenere.165.b
pretium rei vnde sumatur.250.a
pretium non conuenit rei ex duplici causa 251.a
pretium acceptum pro sententia iniusta, aut pro homicidio cui sit restituendum. 254.a

pretium meretricis aut alterius operis peccaminosi, quod sit sine iniuria tertij non est restituendum. 254.b
pretium iustum rerum vnde sit cognoscendum.609.b
pretium taxandi quis habeat potestatem. 310.b
pretium lege taxatum,& illud quod cõmuni æstimatione accipitur differunt.611.a
pretium iustum rei venditæ ad vocem preconis quid sit.612.a
pretia rerum variantur quotidie.613.a
pretium iustum rerum exquisitarum, vnde sit sumendum.613.b
pretij iusti cognoscẽdi triplex regula.614.a
pretium dupliciter à lege potest taxari. 614.b
pretium rei an possit augeri ex dubietate valoris quem est habitura.656.a
Præuaricatio quid sit.496.b
Primitiæ in veteri lege quadrupliciter differebant ab alijs obligationibus.41.b
ad primitias offerendas tenentur homines de fructibus terræ in recognitionem diuini beneficij.941.a
primitiæ quæ soluantur in lege euangelica. 942.a
primitiarum quantitas qualis fuerit in veteri lege.942.b
Princeps aliquando potest contra legẽ scriptam iudicare.102.a
princeps non seruans legem sine causa peccat.103.a
princeps qualiter differat ab alijs iudicibus. 102.b
princeps pœnam legis commutans sine causa peccat mortaliter.101.a
princeps vel respublica non habet dominium vitæ subditorum.146.a
princeps an possit concedere facultatẽ malefactorem interficiendi vbicunq; fuerit inuentus.151.a
princeps vel respublica citra iniuriam potest aliquid à suis ciuibus extorqueri. 447.a
Priuatio beneficij simoniacè collati nõ semper est pœna.1135.b
Probatio semiplena quid sit.503.b
probatio testibus facta inartificiosa dicitur. 417.a
Professus qui propter incorrigibilitatem excluditur à monasterio ad quid teneatur. 997.a
promissio vel donatio quæ ex se obligationem non induceret, appositio iuramento erit obligatoria.1140.b
promissio simplex facta homini, an obliget sub mortali ex genere suo.990.b
promissio interius facta, aut etiam exterius dummodo promittens sit solus,an aliquã inducat obligationem.992.a
promissio facta homini est actus fidei.1003.a
promittens coactè, voluntariè promittenti 1077.a
promissio simplex per vim facta nullam inducit obligationem.1077.b
Proportio quid sit.117.b
proportio arithmetica & geometrica differunt.117.b
Propositum & promissio qualiter differant 971.b
propositum differt à deliberatione. 968.a
Prouidentiæ diuinæ subijciuntur omnia nõ tantum in vniuersali, sed etiam in particulari.766.b
Publicatio sufficiens ad proprios motus. 321.a
Punitio malorum est actus iustitiæ commutatiuæ.124.b
Puer quinque annorum à dæmone raptus propter maledictionem.598.a
puerorum tres ætates.1023.b
pueri alios prima tonsura initiatos percutiẽtes quando sunt excommunicati. 78.a

Q.

QVantitas materiæ quæ sufficit in furto ad efficiendum peccatum mortale. 437.a
quod simpliciter est melius potest alicui secundum quid melius non esse.61.b
quõtus nomen accipitur dupliciter.549.a
qui est,est nomen proprium Dei.821.a

R.

RAcha quid significet in sacris literis. 832.b
Rapina non est species furti.417.a
rapinæ nomẽ accipitur multipliciter.420.b
rapina potest fieri multipliciter.421.a
rapina nulli est licita.447.a
rapina qualiter possit exerceri contra infideles.448.a
Rasia an peccauerit se interficiendo. 565.b
Rationalis pars in homine semper inclinat in bonum honestum. 369.a
ratio circa agenda tres habet actus. 763.b
Receptans quis dicatur,& quando teneatur ad restitutionem.281.a
Recompensatio potest cadere in læsione honoris, sicut in læsione famæ. 199.
recompensatio licita est aliquibus seruatis conditionibus,ibidem.
recompensatio debitorum qualiter fieri possit.294.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

recompensatio est licita quando aliter res recuperari non potest.450.a
recompensatio vt sit licita aliquæ conditiones requiruntur.
Rectitudo iustitiæ sumitur in ordine ad alterum, & rectitudo aliarum virtutum sumitur in ordine ad operantem.49.
Referens dictum aliorum quando teneatur ad restitutionem famæ.195.a
Regulæ notandæ circa irregularitatē.555.b
regulæ ad cognoscendum quando lex obligat sub mortali.221.b
regula in inquisitionibus generalibus seruāda.482.a
Reges non sunt domini bonorum subditorum.230.
reges & respublica possunt exigere tributa.231.a
rex vel princeps conferens officia indignis peccat, & præterea fit reus damnorū quę ex mala prouisione sequuntur.208.a
rex & quicunq; alius elector tenetur ad officia publica eligere digniorem.323.b
reges omnem suam potestatem habent à republica.324.a
rex non est dominus reipublicæ, sed administrator.324.a
rex tenetur officia publica in ciues sui regni, & non in alienigenas distribuere.324.b
rex ex rationabili causa potest officia publica vendere.325.b
regnum Dei multa significat in sacris literis.825.
Religio atque pietas in ratione virtutis sunt præstantiores iustitia, in ratione autem iustitiæ secus contingit.56.b
religio est præstantior virtus quam iustitia legalis.63.b
religionis ingressus non excusat à debito restituendi.296.b
religionis nomen multa significat.729.b
religionis nomen vnde deducatur.730.a
religio semper importat ordinem ad Deum.730.b
religio est virtus.732.b
religio est vna virtus.734.b
religio est specialis virtus ab alijs distincta.737.b
Ad religionem pertinent omnia quatenus in honorem Dei sunt.738.a
religio potest imperare actus omnium virtutum.738.b
religio qualiter colat Deum.739.b
religio non est virtus Theologica.741.a
religio qualiter non tendat in Deum immediatè.743.b
religio habet Deum pro obiecto cui, & nō pro obiecto quod.743.b
religio est præstantissima inter omnes virtutes morales.746.a
Repercussio dupliciter potest fieri. 193.a
reprobi non sunt excludendi à nostris orationibus.802.a
In republica est necessarius diuersus ordo hominum.149.a
respublica potest suos ciues manifesto periculo mortis exponere.374.b
restitutio accipitur duplicitèr.167.b
restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ.168.b
restitutio & satisfactio in aliquibus conueniunt & in aliquibus differunt.169.b
restitutio qualiter sit necessaria ad salutem.172.b
restitutionis obligatio semper oritur, vel ex re percepta, vel ex iniusta acceptione.175.b.& 262.a
restitutio vel compensatio facienda est pro damno corporali, etiam si nullum nocumentum in rebus sequatur.185.b
restitutio vel compensatio quæ debet fieri pro damno corporali, an transeat ad hæredes 144.b
restitutio ad quid necessaria. 125.a
restitutio famæ facienda est cum propriæ famæ periculo.197.a
restitutio famæ regulatiter loquendo nō est facienda cum periculo vitæ, ibidem.
In restitutione famæ qualiter compensatio habeat locum.198.a
restitutionis obligatio oriri potest ex violatione iustitiæ distributiuæ.205.a
restitutionis obligatio non est, quando aliquid perijt casu fortuito.213.b
restitutionis obligatio oritur ex damno culpa lata illato, ibidem.
restituēdum est damnum alteri illatū.237.b
restitutio eius quod in potētia habetur, nō est facienda ad æqualitatem rei, sed ad æqualitatem potentiæ.238.a
restitutio ei est facienda, à quo res est ablata.242.a
restituendæ res sunt in multiplici differentia.242.a
restitutio rei furtiuæ, an sit facienda latroni an vero domino?
restitutio tantum inducitur quādo facta est inæqualitas.251.a
restitutio cuius sumptibus, aut expensis sit facienda.255.b
restitutio bonorum, quorum dominus ignoratur cui sit facienda 257.a
restitutio rerum temporalium aliquando debet fieri, cum iactura honoris, aut famæ.266.a

Ad

Ad restitutionem tenetur quicunq; est causa efficax iniustæ acceptionis.275.b
ad restitutionem tenentur singuli, quando multi concurrunt ad iniustam acceptionem.276.a
Restitutio statim est facienda.287.a
restitutionis ordo seruandus quando sunt multi debitores 297.b
restitutio qualiter debeat fieri ab eo, qui magnam quantitatem accepit à pluribus 442.b
restitutio qualiter sit in præcepto. 174.a. & b
Non restituens est in statu damnationis, neque potest absolui.288.a
Reuelans peccatum alterius in confessione qualiter peccet.566.b
reuelatio duplex.808.b
reuelatio facta alicui de propria damnatione semper est intelligenda conditionaliter.808.b
Reus in iudicio veritatem negans multis est iniurius.228.a
reus iuridice interrogatus tenetur dicere verum.494.a
reus illegitime interrogatus non tenetur suum crimen manifestare.494.a
reus dubitans an indicia sint sufficientia nō tenetur respondere veritatem 497.a
reus qualiter se debeat habere quando sub particulari iuramento interrogatur cōtra ordinem iuris.504.b
reus damnatus ad mortem iustè, non potest iudici resistere.512.a

S.

SAcerdotium peculiare est in ecclesia cō stituendum, fol.903.a.& b
sacerdos qui fere quotidie celebrat, tot stipendia potest accipere à diuersis quot ad decentem sustentationem pauperis mercenarij sunt necessaria.923.a
sacerdotes nunquam fuerunt permissi ducere vxorem.2032.b
sacramentorum virtus est infinita syncategorematicè ex opere operato.915.a
sacramenti emptio aut venditio, an fieri possit in aliquo casu sine simonia.1109.b
Sacrificiō duplex: visibile & inuisibile.894.a
Sacrificium offerre qualiter sit de lege naturæ.897.a
Sacrificium qualiter differat ab oblatione 899.a
sacrificia cur ab homine requirat Deus.900.a
sacrificium soli Deo est offerendum.900.a
sacrificium non offertur sanctis, sed oblatio.900.b
sacrificiorum oblatio secundum suam propriam rationem est specialis actus religionis.902.a
sacrificium verè & propriè est in ecclesia.902.b
Sanctitas quid sit & qualiter differat à religione.754.a
sancti in cælo existentes sunt à nobis honorandi.784.a
sancti in cælo existentes sunt à nobis orandi.785.a
sancti in hac vita existentes sunt à nobis orandi.787.a
Scientia diuina qualiter non imponat necessitatem rebus scitis.769.b
Sepultura qualiter emi possit sine simonia.
Sensitiua pars in homine non inclinat in malum formaliter morale. 369.b
Secretum vnde dicatur, & quot habeat gradus.522.a
secretum quo iure prohibeatur reuelari.543.a
Simonia vnde dicatur.1094.b
simoniæ diffinitio ponitur & declaratur.1095.a
simonia à patribus appellatur hæresis.1095.b
Simoniæ materia sunt bona spiritualia.1095.b
simonia non cōmittitur in venditione scientiarum etiam Theologiæ 1096.b
simonia an sit dare aliquid spirituale pro spirituali.1095.b
simonia an sit in venditione cessationis rerū spiritualium.1098.b
simonia quo iure sit prohibita.1010.b
simonia an potuerit esse in lege naturæ & apud infideles.1102.a
In simonia continetur iniustitia & auaritia 1125.
simonia perinde committitur si res spiritualis pro aliquo temporali munere, vel obsequio exhibito aut exhibēdo conferatur, ac si pro pecunia largiretur.1125.a
simoniaci pœna iure imposita. 1130.a
simonia duplex: mentalis, & realis.1130.b
simoniacus mētalis an incurrat pœnas iure statutas contra simoniacos, ibidem.
simoniacus quo iure ad restitutionem teneatur.1131.b
simoniacus iure naturali non tenetur resignare beneficium per simoniam acceptū, bene tamen iure positiuo.1132.b
simoniaci mentales an teneantur ad restitutionem.1131.b
simonia an committatur in redemptione vexationis.1111.b

simonia

Universidad de Deusto
Biblioteca

simonia an sit in acceptione pecuniæ pro ingressu religionis. 1116.b
simonia an committatur in acceptione pecuniæ pro his quæ sunt pro spiritualibus annexis. 1118.b
simonia quando committatur in venditione pensionum. 1122.a
simonia qualiter committatur in permutatione. l. resignatione beneficiorū. 1122.a
simonia an sit in venditione laboris coniuncti cū administratione sacramētorū. 1110.a
In simoniæ pœnis potest summus potifex dispensare. 1136.b
simoniæ pœnæ an incurrantur ipso iure. 1136.a
Societatis duplex est genus. 695.b
societatis contractus sub conditione, vt capitale sit saluum, an sit vsufructus. 696.a
Solennitates in iudicio requisitæ sunt in duplici differentia. 460.a
Speramus multa quæ non intendimus. 664.a
Spes comparatur ad Deū dupliciter. 741.a
Spiritus sanctus est orandus non minus quā Pater, & Filius. 783.a
spiritus multa significat. 1095.b
Summus pontifex non est dominus vniuersi. 455.b
summus pontifex in scriptura nunquam appellatur rex, ibidem.
summus pontifex qualiter se possit subijcere alterius iudicio. 456.b
summus pōtifex alterius iudicio se subijciēs an teneatur parere sententiæ. 457.a
summus pontifex an possit esse simoniacus 1102.b
summus pontifex vendēs beneficium an sit censendus dispensare in pœnis iuris. 1102.b
Susurratio quid sit. 585.a
susurratio est vna species specialissima peccati, quæ aduersatur amicitiæ. 585.a
susurratio ex genere suo est grauius peccatū quam detractio, & contumelia. 588.a
susurratio ex genere suo est peccatum mortale. 589.a

T.

TAcens quando dicatur causa iniustæ acceptionis, fol. 282.b
Temporalia non sunt absolute petenda à Deo. 791.b
Templa sunt erigenda in venerationem sanctorum. 784.b
Tentatio vtilis. 831.a
Tergiuersatio quid sit. 456.b
tergiuersatio delicti nomē importat. 457.a
Testamentum factum sine sufficienti solennitate non obligat in conscientia. 161.a
testes quod sint duo, vel tres qualiter de lege naturæ sit. 162.a
testis iuridicè interrogatus qui tacet, tenetur ad restitutionem. 283.a
testis quis dicatur. 517.a
In testibus multa exploranda. 517.b
testis legitimè à iudice interrogatus tenetur dicere veritatem. 518.b
testis citra ordinem iuris interrogatus non tenetur crimē proximi manifestare. 518.b
testis dupliciter potest factum cognoscere. 519.a
testis sciens aliquid in confessione potest respondere se illud nescire. 519.a
testis præter ius de occulto crimine interrogatus potest simpliciter respondere se nescire. 520.b
testi vni fides non est adhibenda. 525.b
testes duo vel tres sunt necessarij ad probationem. 526.a
testes discordes nequeunt factum probare. 527.a
testes singulares neque etiam ad probandō aliquid in genere sufficiunt. 527.b
testes singulares non sufficiunt ad probandum hominem hæreticum. 527.b
testes plures quam duo, vel tres requiruntur in multis casibus ex dispositione iuris. 528.b
testibus actoris, & testibus rei discordibus existentibus, cæteris paribus standum erit testibus rei. 529.a
De teste contraria dicente quid sit sentiendum. 529.b
testes qualiter taxari possint crimina eis obijciendo. 531.a
testis, aduocatus, & iudex differunt. 550.a
testimonia adducta ad probationem causæ differunt à ratione quæ adducitur pro opinione probabili. 532.b
testimonium falsum quando sit peccatum mortale. 554.a
Theologia reddit homines magis dignos ad Episcopatum, quam iuris prudentia. 308.b
theologi cæteris paribus sunt aptiores ad beneficia ecclesiastica. 309.a
theologia tendit in Deum mediate. 742.b
theologia & fides qualiter distinguantur. 742.b
thesaurus quid sit. 426.b
De thesauris quid in iure habeatur dispositum, ibidem.
thesaurum inueniens ad quid teneatur. 427.a. & b
thesaurum inueniens in agro alieno, licite potest agrum emere. 428.a
Thomas Apostolus in absentia recepit potestatem remittendi peccata. 904.b
Timor non tendit in Deum immediate. fol. 742.b
timor seruilis duplex. 777.b
Transgressor legis de frumento qualiter peccet, & ad quid teneatur. 229.a
transgressio legis qualiter sit speciale peccatum. 720.a
transgressio simpliciter loquēdo est grauius peccatum quam omissio. 723.b
tributa vt sint iusta tres conditiones debent habere. 232.a
tributa non debent imponi exemptis, quales sunt clerici. 132.b
A tributis exemptæ sunt aliquæ res. 232.a
tributorum nomina. 233.a
Tyranni princeps an possint ferre sententiam obligantem in conscientia. 110.a
tyrannus an possit interfici priuata auctoritate. 347.a

V.

VEnari, lignari, & piscari qualiter interdicantur. 235.a
venditio facta pro pretio currenti in alio loco ab eo, vbi fit venditio: an sit licita. 615.a
venditio citra dimidium, an sit rescindenda. 616.a
vendens citra dimidium peccat, & ad restitutionem tenetur. 617.a
In venditione citra dimidium non transfertur dominium. 619.a
vendere rem carius quam valet quomodo sit licitum. 620.a
vendere rem carius propter commoditatem emptoris est peccatum. 624.b
venditio quando reddatur illicita ex defectu rei quæ venditur. 626.a
In venditione an sit detegendum vitium mercis, ibidem.
venditor rei defectuosæ ad quid teneatur. 630.b
venditor qui sciens magnam futuram copiam mercium: vendit eas, quas apud se habet, non est iniustus, neque ad restitutionem tenetur 635.a
vendentes res quibus alij male vtuntur, quomodo peccent. 642.a
vendens rem carius credita pecunia, quomodo peccet. 648.b
In venditione ad tempus ratione periculi, cui exponitur, pretium licitum est aliquid accipere. 651.b
vendens ad tempus an ratione expensarum quas facere timet possit pretium augere. 655.b
verberare filium vsque ad necem non est licitum parentibus. 406.a
verberatio filiorum non semper est conueniens. 406.b
veritas primus comes iuramenti quid sit. 1057.a
vexationis redemptio quando fieri possit sine peccato. 1111.b
Virtutes morales vltra iustitiam, & sibi adiunctas non subiectantur in voluntate, sed in appetitu sensitiuo. 29.b
virtutes morales erant in statu innocentiæ. 30.b
virtus ibi est constituenda vnde nascitur difficultas. 30.a
virtutes morales manent in anima separata non actu, sed virtute. 30.b
virtutes morales qualiter maneant in Beatis. 30.b
virtutes infusæ constituuntur in appetitu sensitiuo. 31.a
virtus multiplicatur aliquando ex parte intellectus nulla facta multiplicatione ex parte voluntatis. 40.b
virtus particularis quatenus imperatur à iustitia legali, dicitur vere iustitia legalis. 45.a
virtus vna dupliciter potest alteri imperare. 45.b
virtutis finis duplex, vnus intrinsecus, & alter extrinsecus. 46.a
virtutes dicuntur connexæ quia sibi inuicem auxiliantur. 52.b
virtutes morales qualiter dicantur consistere in medio. 56.b
virtutes Theologicæ præstantiores sunt quibuscunque moralibus virtutibus. 59.b
virtutes intellectuales simpliciter præstant quibuscunque moralibus. 60.a
virturis præstantia non solum ex difficultate, sed etiam ex nobilitate obiecti. 66.a
virtutum moralium quædam sunt in appetitu, aliæ in voluntate. 117.
virtutes iustitiæ annexæ quæ sint. 727.a
virtus Theologica quæ dicatur. 742.a
virtutes componentes hominem in ordine ad seipsum, & componentes eum in ordine ad alterum qualiter differant. 1099.a
vita corporalis qualiter ordinetur ad spiritualem. 344.a
vitam periculo exponere licitum est in multis casibus. 362.b
vitam qualiter abbreuiare licet per abstinentiam. 365.a
vita maius bonum, quam bona temporalia. 363.b
Vnum tripliciter dicitur. 734.b
Voluntas ex se est determinata ad bonum in commu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

communi,non tamen ad bonum sibi pro portionatum.18.b
In voluntate ponitur habitus continentiæ, qui non est virtus.30.b
voluntas diuina qualiter non imponat necessitatem rebus.771.a
voluntas diuina circa res quas vult potest se habere dupliciter.808.a
voluntarium duplex.75.a
homolochia, vitium oppositum Eutrapeliæ per excessum.557.a
votum quid significet.961.b
voti emissio est possibilis de re aliqua , ad quam ex vi præcepti diuini minime teneamur.962.a
Ad votum quæ deliberatio sit necessaria. 965.b
Ad votum quale propositum voluntatis sit necessarium.968.a
Ad votum qualiter sit necessaria promissio. 970. b
votum de re illicita est peccatum,& non est obligatorium.974.a
votum de committendo peccato veniali,tantum est peccatum veniale.974.b
votum de re indifferenti,quatenus talis,non est obligatorium.975.b
votum de re impossibili,vel necessaria, non est validum.976.b
votum de rebus præceptis emissum est validum & obligatorium.977.a
votum de nunquam peccando non est validum neque obligatorium.978.b
votum de nunquam peccando mortaliter, vel venialiter circa certam materiam, est validum & obligatorium.978.b
vota emissa de operibus consiliorum propter malum finem quando sint obligatoria.979.b
votum de rebus impedientibus bona consiliorum vel de oppositis consilijs non est validum.991.a
votum de nubendo non est validum. 991.a
votum quodlibet obligat ad sui obseruantiam.986.a
votum de re leui emissum , etiam si illa res leuis sit tota materia voti , non obligat ad sui obseruantiam sub reatu peccati mortalis.987.b
votum emissum ex metu cadente in constantem virum ab extrinseco illato , non est validum neque obligatorium.988.b
votum factum ex metu non cadente in constantem virum est validum. 989.a
votum emissum ex metu cadente in constantem virum iure tantum positiuo est nullum.989.b
vouens religionem ad quam non admittitur ad quid teneatur. 993. b
votum virginitatis dupliciter fieri potest à muliere. 995.a
vouens non nubere, an ita teneatur seruare castitatem, vt si fornicetur peccet peccatum sacrilegij. 995.b
vouens religionem non solum, sed etiam in illa proficeri, an possit exire intra annum probationis. 996.b
vouens religionem ad quam non admittitur ex defectu Grammaticæ, an teneatur illam addiscere.996.a
votum quo tempore debet adimpleri.997.b
votum conditionale dupliciter fieri potest. 997.b
votum emittere est valde conueniens. folio 1000.a
votum est actus latriæ,aut religionis.1001.a
votum & præceptum partim differunt,partim conueniunt. 1002.b
votum frangens quando peccet duplex peccatum.1003.a
vota qualiter fiant sanctis , atque prælatis. 1003.b
De voto pœnitere, an sit peccatum. 1008.b
votum duplex vnum solenne, alterum simplex.1010.b
voti solennitas in quo consistat.1011.a
votum solenne non ex statu Ecclesiæ sed ex natura sua, & ex naturali iure habet dirimere matrimonium contractum.1013.b
votum simplex & solenne differunt specie. 1014.b
vouere qui prohibeantur.1016.a
votum à monacho emissum,an sit obligatorium.ibidem.
vota à monachis emissa qualiter valeant à prælatis irritari. 1018.a
votum à monacho emissum etiam ex licentia prælati,potest ab eo dispensari. 1019.a
votum à seruo emissum qualiter valeat à domino irritari. 1020.a
votum vxoris quando valet à marito irritari.1020.a
votum mariti quod præiudicat actui matrimoniali potest ab vxore irritari.1020.b
votum personale filiorum post decimumquartum annum emissum,an valeat à parentibus irritari.1023.b
votum à pueto emissum quando erat sub potestate patris,an possit irritari à parente postquam est emancipatus.1024.b
votum , quod semel est factum irritum, non habet amplius vim obligandi. folio 1021.b
voti cessatio quid sit.1027.a
voti dispensatio in Ecclesia est possibilis. 1027.a

votum

Votum solenne potest fieri tacitè,& expresse.1030.b
votũ solenne in nulla religione potest emitti ante decimum sextum annum. 1031.a
Ad voti cõmutationem,an requiratur prælati autoritas.1040.a
In voto castitatis nunquam fieri potest commutatio sine prælati autoritate.1040.b
In votorum commutationibus oportet , vt consideretur tenor priuilegij,vt non excedatur.1040.b
votum quantum ad aliquid assimilatur legi & quantum ad aliquid differt ab illa. 1045.b
Ad voti dispensationem an semper requiratur causa obstans voti executioni. 1041.a
vota commutans virtute bullæ,potest etiam similia iuramenta commutare. 1041 b
In votis quis possit dispensare.1042.a
De votis pœnalibus quantum ad dispensationem illorum.1043.a
In voto castitatis non perpetuæ potest episcopus dispensare.1043 b
vota ante professionem emissa,an absoluantur in professione.1044.b
In voto solenni à monacho emisso non potest summus pontifex dispensare.1034.a
In voto solenni clericorum potest summus pontifex dispensare.1035.b
Qui vouit absolutè religionem,satisfacit voto si ordinem sancti Ioannis suscipiat. 1037.a
Vti & frui distinguuntur.128.a
vsus quid sit & qualiter distinguatur ab vsu fructu.118.a
Vsura quid sit,& quid significet 662.b
vsura interior,& exterior.663 b
vsura est illicita, & iure naturali prohibita. 665.a
vsura erat prohibita in lege Mosayca. 667.a
vsura est prohibita in lege Euangelica, ibidem.
vsura est prohibita iure positiuo,ibidem.
vsura mentalis an obliget ad restitutionem 664.b
vsura qualiter fuerit Iudæis permissa. 676.a
vsus rei duplex , primarius & secundarius. 678.
vsurarius an habeat dominium rerum per vsuram acquisitarum.701.a
Per vsuram accepta restituenda sunt vero domino.703.b
vsurarij bona an sint obnoxia restitutioni. 704.a
Ab vsurarijs aliqua accipientes qualiter se debent habere.705.b
vsurarij vxor, filij & famuli ad quid teneantur.706.a
vsuriariorum cooperatores ad quid teneantur.706.
Vxores in communi possidere in nullo statu fuit conueniens.148.b
vxor tenetur parere viro.222.b
vxor , & filij vsurarij quid facere debeant. 282.a

FINIS.

SALMANTICAE,
Apud Guillelmum Foquel.
M. D. XC.

parum ne tamen dyn

M.D. XC.

Apud Gulielmum Londr.

SALMANTICAE



Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca